


V
B J
C
58760
III



F. IOANNIS DVNS SCOTI. ORD. MIN. DOCT. SVBTILISSIMI,

PRIMVS SENTENTIARVM,

Ad optatam facilitatem redactus, & à subobscura Quaestionum & Articulorum permixtione, in gratam diuisionem vindicatus, nec non Commentariis textus, Difficultatum, Dubitationumque enodationibus illustratus.

Per

R. P. F. ANDREAM ROCHMANIVM

Ord. Min. de Obseru.a Prouinciae Poloniae Diffinitorem, ac Lectorem Gnalem, Cracouiae ad S. Bernardinum Phiae & Theologiae professorem.

Nunc verò per R. P. F. FLORIANVM KOLĘCKI eiusd. Ord. & Prouinc. Diffinitorem recognitus, & copioso rerum indice auctus, Typis iussu Superiorum mandatus.





Anno Domini 1627

Venetiis apud Marcum Ginammi



OMNIS TERRA DOCTRINA EIVS REPLETA EST

SAPIENTE FILIO PATER GLORIATVR.

Giouanni Merlo F.



ILLVSTRISSIMO AC REVERENDISS^MO^ D.D. PETRO TYLICKI

Dei gratia Episcopo Cracouiensi, Duci Seuerień. &c.

Fr. Andreas Rochmanius Ordin. Minorum de Obseruan. Lector Generalis.
S. D.





GRaue præconium Redemptoris nostri, de viris in eius Ecclesia doctrina singulari præditis, quòd ab illis proferri debeat scientia rerum antiquarum & nouarum: *Omnis* inquit *Scriba doctus in regno cælorum, similis est homini Patrifamilias, qui profert de thesauro suo noua & vetera*: in omnibus Diuini ouilis super terram administratoribus ac rectoribus, completum esse video Præsul Amplissime. Vt enim in lege antiqua Dux populi Israëlitici Moyses, & magni præcones Diuinæ voluntatis Prophetæ, significante in eis Spiritu Christi, prænunciabant eas, quæ in Christo sunt passiones, & posteriores glorias, vt nouas; & de antiquitùs factis nos ijdem erudiebant, qualis prouidentia fuerit Diuina circa Ecclesiam antiquam Iudaicam, eaq; vetustiorem Ecclesiam naturæ tùm bene institutæ, in Paradiso, tùm primitùs destitutæ, super terram: Ita in lege gratiæ, testes veritatis Euangelij scriptores, noua & vetera proferentes, optimè coniungebant; dum facta nostri Saluatoris cum Prophetijs concordando, non rarò illud ingeminarent: *Vt impleretur, quod dictum est per Prophetam*. Hunc modum ipse legifer & Dux noster, Deus & Homo, Christus Dominus, obseruabat, vitam Prophetijs, vt adimplerentur, conformando, & discipulos de sua passione tristes, in Emaus euntes, veterum rerum in mentem reuocatione, incipiendo à Moyse & Prophetis, consolando, & de nouis, scilicet mortis & resurrectionis suæ necessitate, instruendo. Idem fecere Columnæ, & fulcra Ecclesiæ, Patres Sanctissimi, dum veteris & noui Testamenti harmoniam explicantes, & Canonicis Scripturis peruetustis, suas nouas explicationes à Spiritu Sancto intentas, coniungentes, de thesauro suo noua & vetera, duplici profe-


rebant ratione. Hos imitati Doctores Theologi, illi qui Scholastici dicuntur, vtriusque legis, principijs infallibilibus admissis Sanctorum Patrum, Spiritu Christi in eis loquente, doctrina & explicatione cum honore arrepta, nouas ordine & connexione necessaria veritates deducere, fidemque explicare & confirmare studuerunt, & hucusque laborant. Idem (eorum vestigijs inhærendo) ego facio, Antistes Illustrissime, vetera doctoris nostri Subtilissimi monimenta, & noua mea super illum Commentaria, de thesauro paupertatis meæ profero, & simul iuncta amplissimo Nomini Tuo, consecro & dedico. Debetur enim id Tuis perpetuis in Ecclesiam Dei, & in Rempub. nostram meritis, ac singulari in vniuersa Religiosorum hominum domicilia, beneuolentia, vt dum singuli quauis gratitudinis significatione certando, enituntur Virtutis Tuæ laudes personare, ego etiam singularem Tuum fauorem, ac in Ordinem nostrum munificentiam, animique promptitudinem expertus, pro modulo tenuitatis meæ, hac occasione, laborisque mei in rebus Theologicis insumpti oblatione, testificer animi maximam gratitudinem. Debetur Pietati Tuæ & religioni in Deum, cuius honoris tam feruens promotor extitisti, quòd paucis, in Episcopatu Culmeñ, propè quadraginta Ecclesias ab hæreticis profanis profanatas, in libertatem Sanctæ Ecclesiæ, maximo labore vindicaris. Cùm igitur Theologia nostra, Deum pro vltima meta suæ considerationis constituat, & in illo cognoscendo, tota insumatur, meritò Diuini honoris Te eximio promotore, hæc Diuina scientia gaudere debet Patrono. Iam verò singulare Tuum in defendendo studio Theologico Patrocinium, à me etiam extorquebat, vt hos Theologicos fructus, tanti fautoris Theologiæ aspectui offerrem. Vt enim taceam addictissimi animi Tui fauorem, omnibus literatis semper declaratum, illud præclarum dictum Tuum tacere nec possum, nec debeo, quòd anno præterito in Dominica Quinquagesimæ ad mensam Tuam honestissimam (lectionibus eruditis, & sermonibus de rebus grauibus ac perutilibus, etiam tempore, per sæculi huius consuetudinem, liberiori, personantem) cùm sermo versaretur in resolutione cuiusdam difficultatis Theologicæ, & à quodam viro erudito, ac in scientia Iuris Doctore, dictum fuisset, contra Theologos, quòd tractent quæstiones difficiles, & de facili labantur in Hæresim, præclaram, & Tua Persona dignam defensionem Theologiæ adhibuisti, illis verbis: *Imo verò perutilis est Theologica inquisitio, cùm illa sit declaratiua, & defensiua Fidei mysteriorum: & si qui in Hæresim, non indocti, lapsi dicuntur, nunquam tales solidi in Scholastica Theologia fuerunt: sed primis labris Theologiam positiuam attingentes, euanuerunt in cogitatione superbi spiritus sui, & à veritate defecerunt: Quodsi soliditatem Scholasticæ Theologiæ habuissent, non abriperentur vento falsæ doctrinæ & intelligentiæ.* O prudentissimum elogium Theologiæ, à Prudentissimo Antistite prolatum! Verè Sapientissime Præsul, in tuam sententiam omnes eunt Theologi, quòd tanta sit vis Theologiæ Scholasticæ, vt nullum eius solidum alumnum videre, audire, vel legere licuerit, in perfidiam Hæresis incidisse. Nec mirum. Deducit siquidem illa suam veritatem, ex principijs certissimis Fidei reuelatis: Et si rationem naturalem adhibet in deducendo, eandem lumine Fidei, & dictamine Sacræ Scripturæ, nec non SS. Patrum & Conciliorum auctoritate, dirigit ac moderatur; quæ omnes viæ, ad habendam infallibilem veritatem, sunt infallibiles. Et quemadmodum dum Tua prudentia me ligat, vnà cum studijs meis, atque Tibi mancipat, Præsul dignissime: ita illa misericordia & munificentia, pupillis & viduis, ac pauperibus omnibus, semper in tanta abundantia exhibita, vt communi voce nostræ Sarmatiæ, Pater subditorum & Pauperum, proclameris, intantum tibi facit addictas mentes omnium hominum Paupertatis Religiosæ studiosorum, imò omnium bonorum, vt dignissimus æstimeris in quem vota omnium die

noctuque

noctuque ferantur. Prædicatur Dignitas Tua, Antistes Illustrissime, à multis, quòd magnus ille ingeniorum Censor, felicis memoriæ, Rex Stephanus, in Secretarium te Primum, regnique Referendarium sublimauit. Suspiciunt omnes Serenissimi Regis nostri Sigismundi, virtutum omnium cultoris præcipui, iudicium, circa Te: dum varijs honorum gradibus, tanquam lucernam accensam supra Primum Candelabrum dignitatis Episcopalis censuit efferendum. Hæc & plura his similia, virtutis Tuæ testimonia, spectabilem Te & laudabilem reddunt vniuersis: Verùm hæc communia cum aliquibus dona fortunæ sunt: illud soli Tibi proprium, quòd Pater pauperum, quòd subditorum Pater, ob clementiam proclameris, omnibus fortunæ dotibus excellentius & diuinius esse docet vera Theologia, Teque reddit non modò hominibus, sed etiam Deo & Angelis spectabilem. Ne mireris igitur, quòd Pauperes Religiosi, Te votis omnibus prosequentes, certant virtuti Tuæ Trophæum constituere, Pater enim illorum cùm sis, nil mirum quòd Filiorum illi erga Te gerant affectum. Quo in affectu non vltimum me fateor: & si inter primos posuero, non erubesco veritatem. Sed quid affectus Pauperis tantum iuuat Præsulem? In rebus temporis volubilitati subiectis, parum aliquid oratione iuuat: at vt multùm iuuet in æternitatis adeptione, elaborabimus vniuersi, cùm hoc tuæ misericordiæ, ab ipsa illa increata veritate præmium sit constitutum. Ex eodem paupertatis candore dirigitur hic meus labor ad conspectum Tuum: nec dubito, quòd Dei clementiam imitando, (quantùm hominis fas est imitari) qui magni fecit duo minuta Viduæ missa in Carbonam: hunc etiam laborem nostrum qualemcunque Tuæ Personæ imparem, decentissimum tamen, grato vultu dignaberis. Vale decus Ecclesiæ, & nostræ Reipub. columna. Datum Cracouiæ è Conuentu nostro 1. Aprilis. Anno Domini 1608.



AD LECTOREM.






TAnta dignitas est Theologiæ, Candide Lector, tanta eius super omnes scientias excellentia: vt affirmare tutò possis, in ea consistere hominis viatoris veram felicitatem. Si enim, præ alijs Philosophis, Aristoteles lumen rationis secutus, rectè assignare videtur vltimam beatitudinem nostram consistere in consideratione substantiarum à materiæ concretione remotarum: nulla veriùs & perfectiùs scientia, tum alias intelligentias, tum ipsam illam supersubstantiam infinitam, Aeterni Numinis, contemplatur, quàm Christiana Theologia; quæ certissimis Fidei innixa principijs, certiores omni Philosophica ratione deducit è fonte veritatis suas veritates. Hanc Diuinam Sapientiam amaui, & exquisiui à iuuentute mea, & ad aliquam notitiam illius deueniens, illum præ alijs, speculationis meæ authorem, ducem, & moderatorem elegi, quem velut aquilam in nimis arduis posuisse nidum suum, cæterisque Theologis altiùs penetrasse profunda Dei, demirabar; cui vnanimi consensu, mundus vniuersus, immortale nomen Doctoris Subtilis, consecrauit. Huius optimi ducis expertus fauorem singularem, eundem opto tibi beneuole Lector. Quare Doctorem Subtilem in monimentis Theologiæ suæ loquentem, & docentem veram sapientiam, tibi exhibeo: purum & germanum eius textum propono in Primum Sententiarum, dempta inprimis caligine superfluarum additionum. Cùm enim additionum quædam sint ipsius Doctoris verba cancellata, & explosa per ipsum, non oportet illa textui inserere, quæ ipse delenda iudicauit: quædam autem cùm sint glosæ Antonij Andreæ, vel Mauritij Hybernici, meritò à genuino Doctoris textu sunt propulsandæ. Et reuera vt rectum sensum illæ additiones offuscabant, ita legentibus Doctoris Subtilis libros, non mediocrem difficultatem faciebant, in dignoscendo, quæ esset litera genuina Scoti. In distributione Quæstionum, & Articulorum, illud seruaui, maioris gratia claritatis, vt illo ordine retento, quo ante Distinctiones & Quæstiones à Doctore fuerant propositæ; aliquantùm confusam permixtionem vnius Quæstionis cum alia, vitandam duxi, & quamlibet seorsim distinctè separandam, & pertractandam. In qua separatione, Articulorumque distributione, nihil literæ Doctoris additum est vel detractum, illa minima & rarissima additione excepta, quæ ad connexionem Articulorum ad inuicem quandoque spectabat; idque notatum alia litera in textu Doctoris animaduertes. Difficiliores & abstrusiores Scoticæ doctrinæ anfractus, pro virili curaui planos & peruios reddere, nunc literam Doctoris explicando, nunc difficultates, & varias dubitationes proponendo & resoluendo, nunc etiam ostendendo quomodo, non tantùm ab ijs qui vix materiæ actum entitatiuum, & entis vniuocationem in confuso agnoscentes, non dignè sacro Scotistarum nomi-

ne glo-

ne gloriantur, & Theologorum nomen sibi vsurpant, in scholis publicis contra Doctorem Subtilem multa irrationabiliter proferendo; cùm Philosophiam vix à primo limine salutarint: sed etiam à multis seriò eruditis Scoti Subtilissimi doctrina non percipiatur. Metaphysicas materias, quia Doctor Subtilis in præsenti tomo non raro pertractat, à nobis easdem fusiùs pertractatas non miraberis Candide Lector, si scripta antiquorum Theologorum Ocami, Ariminensis, Bassolij, Heruei, Gabrielis, Mayronij, Capreoli, aliorumque videris, qui id in more positum habebant, quòd principijs Philosophicis innixas Conclusiones Theologicas pertractando, ipsa principia Philosophiæ seriò examinabant, in monimentis suæ Theologiæ. Nec te moueat inæqualitas Commentariorum meorum, quòd in multis Quæstionibus fusior, & in quibusdam breuior fuerim; id enim à me exigebat, vt ipsius textus maior vel minor obscuritas, & pertractatio Doctoris non vniformis (ad Distinctionem siquidem Octauam huius libri, est maior pars litera Doctoris) ita breuiorem decebat esse in illa Quæstione, cuius principia & fundamenta in præcedentibus erant explicata. Accipe igitur beneuolo animo, benigne Lector, hanc primam partem Theologiæ Subtilissimi nostri Doctoris, eiusque doctrinam suspice & admirare; & si qui suo ingenio nimis debili, metam exilem iniquis statutis ac decretis præfigant, ne Subtilis Doctoris Subtilissima Doctrina floreat & promoueatur, tu luscorum, nedum cæcorum numerum euolando, altissimam sapientiam lippis oculis odiosam, lucido ac sano oculo contemplare. Quodsi alia huius eminentissimi Doctoris monimenta cupis habere perpurgata, & in ordinem desideratum reducta, mihi in tuis votis velis fauere. Vale. Cracouiæ 2. Aprilis. A. 1608.





ILLVSTRISSIMO AC REVERENDISS.^MO D.D. MARTINO SZYSZKOVVSKI

Dei gratia Episcopo Cracouiensi, Duci Seuerieñ. &c.

Perpetuam Felicitatem ac Salutem.





X Athenæo Minoritico Illustrissime, ac Reuerendissime Præsul, ad sacram Vestræ Celsit. sapientiæ sedem opus Commentariorum fero, offeroque. Opus à multis desideratum, sanè peregregium, quod ante viginti & amplius annos R. P. Andreas Rochmanius, antecessoris Illustrissimæ Celsit. Vestræ olim sacrorum Antistitis optimi, Petri Tylicij Theologus, in Conuentu nostro Cracouiensi Sacræ Theologiæ Lector, euulgauerat, præloque imprimendum tradiderat. Sed antequam in lucem, luce dignissimum, prodijsset, authore suo orbatum, patronum, qui eius proximè misereri posset, eiusque auspicijs euulgaretur, exposcebat. At verò iam is non illaudabilis mos inoleuit, vt ius patronatus ad successorem suum legitimè deuoluatur. Vnde & ille omni laude maior, Historicorum Sarmatiæ facilè princeps, Martinus Cromerus, Episcopus Varmiensis, post vltima fata Augusti Sigismundi Poloniæ Regis, cui Regni Regumque Poloniæ monumenta dedicarat, postmodum Stephanum Bathoræum in Regem Poloniæ fęliciter euectum, patronum fieri voluit: ne scilicet, aut consuetudinem sustulisse, aut iuri successorio vel tantillum derogasse, aut denique (quod in subditis commendabile est) vt illo posthumo opere, verè regio, etiam post fata aduersa, fidem integram probasse videretur. Egregiam sanè tam amplissimi Senatoris, & Antistitis optimi, pietatem & fidem. Huius ego vestigia imitatus, post vltima Tylicij funera, sub fęlicibus Illustriss. Celsit. Vestræ auspicijs, lucubrationes hasce in lucem edendas, iure merito

ritò duxi. Quò enim aliò hanc censionem, nisi sedi tam augustæ pastorali Cracouień. cui sanctè Celss. Vestra præest, facerem? Vel quem sapientiorem, potentiorem, pientioremque præsentis negotij, & in optimum Magistrum meum Rochmanium, studij mei patronum, nisi Illustrissimam Celsit. Vestram nancisci possem? Si hic authoritas officij necessaria est, Episcopum agis Cracouiensem. Si amplitudo dignitatis attenditur, Senator es, & is, qui secunda ex spiritualibus subsellia tenes. Si denique potentiæ magnitudo spectatur, Seueriensis Dux es, vt Illustritatem Vestram clarissimam habeamus ex dignitate, sanctissimam ex officio, augustissimam ex potentia. Et has dignitatum accessiones, præclarissimis virtutibus adornasti, prudentia, religione, munificentia, fide. Eam nimirum ex stemmatis peruetusti certo augurio, virtutum, honoris, & gloriæ, per vniuersam Sarmatiam, immo & Europam, quin immo in Ecclesia Dei, lucem latè sparsisti, vt hæc tua planè gentilitia Luna, quæ ex illustriorum quà domi, quà foris operum parte altera, ex præmiorum altera constat, in orbem porrecta, id lucidissimè demonstret. Docti, (dictum prouerbio) doctos amant: doctis & tu, vel ipso Apollinis oraculo doctissimus, semper faues, & fauebis. Tum verò & ipse sacer Rochmanij genius, non aliò quàm ad aram tutelæ & Clementię Celsit. Vestræ cum hoc germano & genuino fætu, vti è cerebro Iouis Minerua producta est, pergit, supplexque illud Persij succlamat:

Ad sacra Vatum, carmen adfero nostrum.

ad asyllum nimirum sanctissimorum, pientissimorumq; Cracouiensium Antistitum, olim Tylicij, nunc Szyszkouij, fęliciter regentis residentis, munificentissimi Fundatoris & Conseruatoris nostræ Polonæ Prouinciæ. Istud mihi, meique posthumi operis, votiuum, sanctum, & vnicum esto asyllum. Hęc ille non tam ad trophæum sibi, quàm ad beneuolentiam Celss. Vestræ petitæ & obtentæ triumphum. Non rogari hic illud, quod quondam à familiari Catoni Seniori ingestum est: Cur imaginem inter multos alios præclaros Viros non haberet? Cui respondit, malle potiùs posteros rogare, cur Cato statuam inter illustres ciues non haberet, quàm mussitare, quibus meritis statua sibi posita esset. Sed potissimùm supplicibus huiuscemodi votis beneficentiæ Celsit. Vestræ subscriptum iri quisque arbitrabitur: Ne vel cum Tito Vespesiano exclamare, Amici diem perdidimus: scilicet, sine beneficio: Vel, vt facetè quidam doctissimus, quid inuidendum præter alios homines Principes & Reges haberent, interrogatus, respondit: Nihil nisi, quòd pluribus (si volunt) prodesse possunt: respondere necesse habeat. Istud omnibus ferè temporibus, literati, nisi tunc feliciores essent, ad instar cornucopiæ honorum donum adepti sunt. Qui ad iustitiam erudiunt multos, fulgebunt sicut stellæ in perpetuas ęternitates. Hinc elogia illa profecta à Regibus in doctos: Diogenes esse vellem (vidisses tunc alterum Franciscanum) nisi Alexander essem. Et idem pares gratias Aristoteli Magistro, & Philippo Patri, se debere dicebat. Pyrrhus quoque quantus Rex, de suo familiarissimo Cynea dicere solebat: Plures à Cynea oratione

Vrbes

Vrbes, quàm à se armis expugnatas esse. Et Metrodorus Sceptius Orator, Mithridati maximo Regi, tanta beneuolentia coniunctus fuit, vt vulgò, Regis pater appellaretur. Talis illis in disciplinas disciplinarumque cultores animus, & obseruantia fuit, qualem etiam Illustriss. Celsit. Vestram haud raro melioris quisque literaturæ inuenit patronum: & hic noster, omnium eruditissimorum in Cracouiensi Academia Doctorum calculo, eximius Theologus nuncupatus, quo semper, quoad vixit, familiarissimè vsi sunt, procul dubio inueniet. E re igitur nostra, & Celsit. Vestræ Illustriss. vetus illud prouerbium erit: Magna mercede emit, qui deprecatur; neque paruum accepit pretium, qui rogatur. Sanè etiam debebat, & plusquam æquum erat, aliquod, idemque perpetuum obseruantiæ totius nostræ Prouinciæ in Illustriss. Celsit. Vestram extare monumentum: nec aliud amplitudine, dignitateque Celsit. Vestrę digniùs esse potuit, quàm hę lucubrationes Theologicæ, quas multis vigilijs, & assiduis laboribus, illustre illud sydus Religionis, & Prouinciæ nostræ compilauit, ac vnus pro omnibus fecit. Hoc autem qualequale illud est opus, non ad ostentandum authoris (quod fuit ad miraculum) ingenium, affabrè concinnatum esse; sed potissimum ad rem literariam adiuuandam (iam enim ex ijs multi affatim sua impleuerunt) atque adeò celebritati Nominis Tui amplissimi, consecratum Illustritas Vestra Reuerendiss. suspiciat, suspiciatque. Tum proximè meum etiam studium, præceptoribus debitum, quod in me nullatenus extingui potuit, nisi ingenium & labores istius optimi mei Magistri doctus quisque perspiceret, & lux aspiceret, Fauonio gratiæ & beneuolentiæ Illustr. Celsit. Vestræ prouehendum ambigo minimè; & eò fauentiùs, quò ardentiùs, submissiusque oro, & obsecro. Vale Præsul Amplissime, vtriusque Reipublicę decus.

Dat. Lublini in Conuentu nostro 10. Decemb. A. D. 1625.

Fr. Florianus Kolęcki Ordinis Minorum
S. Francisci de Obseruan. Dffinitor
Prouinciæ Poloniæ.

AD

AD LECTOREM.



INgenui pudoris esse, Plinius aiebat, Lector humanissime, fateri per quos profecerimus: & hæc quasi merces authori iure optimo pensitanda est, ne fures esse videamur. Posthumas itaque vsui tuo R. P. Andreæ Rochmanij S. Theologiæ Lectoris in Conuentu Cracouien. Polonæ Prouinciæ Diffinitoris, optimi mei Magistri, in Primum Sentent. Doct. Subtilissimi Ioannis Duns Scoti edo, lucique & authori suo reddo Lucubrationes et Commentaria, vti cernis peregregia. Serius quidem si authorem & opus spectes, sed verius, si discipuli (quod mihi gloriæ est) affectum pertentes. Pares enim parenti et præceptori (magni Alexandri iudicio) gratias debemus. Et quidem iustè succenses, opus hoc qualecunque est (est autem excellentissimum) nonnisi post annos viginti & amplius lucem adspexisse; & fortè acrius, quod nonnulli, Commentaria hæc prorsus expuncto authoris nomine, & suo superimposito: facilè est enim vellicare barbam leoni mortuo: euulgatione adultera sibi vsurpassent. Iustè tu quidem, & ego tecum, in hunc Rochmanomastygen censor es, non ita in me. Me etenim veritas temporis filia, silentij annulum ori appensum, hucusque illæsum seruare compulit, illi voluntas pro lege fuit. Sed non omne violentum perpetuum. Quàm blandè ad propriæ matris alas, alienæ perdicis calore foti pulli, transmeant; & quàm benè Pyndarus, se aduersarijs suis, Bachylide & Simonide, esse superiorem, gloriatur; quòd ipse nimirum natura Poëta sit, illi autem didicerint à Magistris: in quo tantum esse vult, vt eo potissimum nomine, se aquilæ, illos coruorum similes esse dicat. Itaque iam clarius dicam. Tantum fuisse Rochmanium Virum, vti insigniter eruditum, ita insigniter probum, qui in altissimis Scotisticis lucubrationibus, nullo prædocente, & præducente Magistro, tantum profecit, vt assiduis vigilijs, continuisque laboribus, quod voluit perfecit, ampliusque si vita superstes fuisset, fecisset. Ideo sacrorum Antistitis, Episcopi nimirum Cracouien. Ducis Seueriensis Theologus, & ab eruditissimis in Academia Cracouiensi, supremis Theologis Doctoribus, laurea doctoratus, nisi humilitas religiosa, & regularis obseruantiæ aliter suasissent, donandus, inuitatus est. Quorum etiam suasu factum est, vt isthæc Commentaria in Primum Sententiarum, Metaphysicam, & Logicam, & reliquum sui genij, et ingenij fœtum, prælo mandasset. Iamque à Francisco Bibliopola Coloniæ, omnia hæc in opus deducta essent, nisi è viuis, ingenti sui apud omnes desiderio relicto, decessisset. Iam itaque erudite Lector, Originale Commentariorum R. P. Andreæ Rochmanij, à ferrea obliuionis nocte, & ex ipsis Cymerijs tenebris in lucem erutum, verum conditorem suo operi, & opus ipsum suo conditori, reddo. Et si quid subreptitijs, honoris, & laudis dedisti, germanis hisce lucubrationibus non denegato, & fæliciter vtere. Vale.



Licentia Adm. R. Patris Commissarij.

FR. Bonauentura de Posnania, in Prouincia Poloniæ, apud Minores de Obseruantia speciali demandatione Reuerendissimi Patris nostri Generalis, Archangeli à Massana, Commissarius.

Do facultatem, vt imprimatur liber Commentariorum in Primum Sententiarum F. Ioannis Duns Scoti Doct. Subtilis. quem scripsit R. P. F. Andreas Rochmanius, S. Theol. Lector Generalis, accedente ad hoc Reuerendissimi Ordinarij nostri licentia, grauiumq; nostræ Obser. Theologorum reuisione & approbatione. In cuius rei fidem, has dedi meo nomine subscriptas, & officij mei sigillo munitas. Dat. in Conuentu nostro Cracouień. 14. Cal. Martij. Anno Domini 1608. Idem qui supra.

Approbatio Adm. R. Patris Ministri Prouincialis.

FR. Gabriel de Czernieiovv Ord. Min. de Obser. Prouinciæ Poloniç Minister, R. P. F. Andreæ Rochmanio eiusdem instituti, ac S. Theol. Lectori Generali, salutem. &c.

Erudita Commentaria tua super Primum Sententiarum Doct. Subtilis. conscripta, lubens vidi, doctissime Pater. Et quia Subtilitati Scoticæ conformia sunt, à virisque doctis dignissima reputantur, vt prælo dentur, quò faciliùs cedant in plurium vtilitatem: licentiam do, vt has tui laboris notas, Coloniam Agrippinam, vel aliò, vbi faciliùs imprimi possint, transmittas: animumque adhibeas ad secundum, & reliquos Sentent. libros, consimili Methodo explicandos. Deus erit merces operi tuo. Vale nostri memor in tuis Orationibus. Posnaniæ. 26. Februarij. Anno 1608.

Idem qui supra.

Licentia Reuerendissimi Patris Commissarij Generalis.

FR. Benignus à Genua Ord. Min. Reg. Obser & in Cismontana familia Commissarius Generalis & seruus. Dilecto nobis in Christo P. F. Floriano Kolęcki eiusd. Ord. & Prouinciæ Polonæ Diffinitori, ac S. Theol. Lectori, salutem.

Vt Commentarios in Primum librum Sentent. Subtilis. Doct. Scoti, à fel. record. P. F. Andrea Rochmanio nostri Ord. Generali Lectore nuper compositos, ac à Theologis nostri Ord. ad id deputatis examinatos, simul & approbatos, ad Dei Gloriam, ac Christianæ Reipublicæ vtilitatem, prælo mandare valeas, hisce nostris patentibus literis tibi facultatem impertimur. Vale Deumque pro nobis exora. Datum Romæ 8. Ian. 1627. Idem qui supra.

Approbatio Adm. R. P. Ministri Prouincialis, Leonardi StarcZevvski.

CVm Commentarios in Primum Sentent. Subtilis. Doct. fel. record. R. P. Andreæ Rochmanij Ord. nostri, aliquot Theologi reuiderint, & dignos vt typis mandentur, iudicauerint, idcirco & nos deesse nolentes, approbamus, & licentiam vt imprimantur concedimus. In Conuentu nostro Varsauien. 24. Iulij. Anno 1626.

Approbatio A. R. P. Georgij GodZisZeuij Diffinitoris, Concionatoris, ac Sacræ Theologiæ Lectoris.

OMni eruditione plena super Primum Sentent. Doct. Subtilis. Commentaria, viri vndequaque doctissimi, piæ memoriæ A. R. P. Andreæ Rochmanij Ord. nostri, quàm diligentissimè legi, dignissimumque iudicaui tantum sapientiæ thesaurum, hactenus quasi defossum in terra, in apertum prodire, quatenus opus tam vtile typo mandatum, & mundo publicatum, publicæ vtilitati, publicè possit deseruire. In Conuentu nostro Posnanień. 10. Maij. Anno 1626.

INDEX DISTINCTIONVM, QVÆSTIONVM, ET ARTICVLORVM,

Huius Primi Libri Sententiarum,

F. IOANNIS DVNS SCOTI DOCTORIS SVBTILISSIMI.

PROLOGVS.

QVÆSTIO I.



Trum homini pro statu isto, sit necessarium aliquam doctrinam specialem supernaturaliter inspirari, ad quam non possit attingere lumine naturali intellectus. 1

ART. I. Recitatur opinio Philosophorum, negantium necessitatem cognitionis alicuius supernaturalis, pro statu isto. 2

ART. II. Impugnatur duobus argumentis prędicta Philosophorum opinio. ibid.

ART. III. Aliæ rationes contra Philosophos adferuntur. 4

ART. IV. Supponitur vnum fundamentum, & respondetur affirmatiuè ad quæstionem. 5

ART. V. Resoluuntur argumenta Philosophorum primo articulo adducta. 6

Respondetur argumentis principalibus, seu, in principio quęstionis propositis. 8

QVÆSTIO II.

Vtrum cognitio supernaturalis, necessaria viatori, sit sufficienter tradita in sacra Scriptura. 8

QVÆSTIO III.

Vtrum Theologia sit de Deo, tanquam de subiecto primo. 11

ART. I. Præmittuntur quædam Notabilia. 12

ART. II. Determinatur, quodnā sit obiectum Theolog. ibi.

Respondetur argumentis principalibus. 13

QVÆSTIO IV.

Vtrum Theologia sit de Deo sub aliqua ratione speciali. 14

ART. I. Determinatur sub qua ratione formali Deus sit obiectum. ibid.

ARTIC. II. Opinio dicentium, Deum vt est Saluator, vel Christus, esse obiectum Theologiæ adæquatum, reijcitur. 15

Respondetur argumentis principalibus. 16

QVAESTIO V.

Vtrum ista scientia sit de omnibus, ex attributione ipsorum ad primum eius subiectum. 17

QVAESTIO VI.

Vtrum Theologia in se sit scientia. 18

QVAESTIO VII.

Vtrum Theologia ad aliquam scientiam habeat habitudinē aliquam subalternantis, vel subalternatæ. ibid.

QVAESTIO VIII.

Vtrum ex ordine ad praxim, vt ad finem, dicatur per se scientia practica. 19

ART. I. Quid sit praxis, ad quam cognitio practica dicitur extendi. ibid.

ART. II. Quomodo cognitio practica extenditur ad praxim. 20

ART. III. A quo habet cognitio practica extensionem ad praxim. ibid.

ART. IV. Datur responsio propria ad quæstionem. 22

Respondetur argumētis in principio quæstionis adductis. 23

QVAESTIO IX.

Vtrum Theologia sit scientia practica. ibid.

ART. I. Recitantur aliorum quinque opiniones, tenentes viam negatiuam. ibid.

ART. II. Aliæ opiniones proponuntur. 26

ART. III. Ponitur opinio, quòd Theologia de veritatibus necessariis sit practica. ibid.

ART. IV. Disputatur, an Theologia de veritatibus contingentibus sit practica. 28

Respōdetur argumentis in principio quæstionis adductis. 29

DISTINCTIO I.

QVÆSTIO I.

Vtrum per se obiectum fruitionis sit finis vltimus. 30

QVAESTIO II.

Vtrum vltimus finis habeat tantùm vnam rationem fruibilitatis? An in ipso sit aliqua distinctio secundùm quam

voluntas possit eo frui, secundùm vnam rationem, & non secundùm aliam. 31
ART. I. Vtrum possit ordinatè frui Essentia non fruendo personis, vel è contra. 32
ART. II. Vtrum de potentia Dei absoluta, possit comprehensor frui Essentia non fruendo persona. ibid.
ART. III. Vtrum comprehensor secundùm naturalem virtutem suam, possit frui Essentia sine personis, vel vna persona absque alia. 34
ART. IV. Qualis est de facto fruitio comprehensoris, & viatoris. ibid.
Soluuntur argumenta principalia. 35

QVÆSTIO III.

Vtrum fruitio sit aliquis actus elicitus à voluntate, vel passio recepta in voluntate, puta aliqua delectatio. ibid.
ART. I. Qui sunt actus eliciti voluntatis, & quid delectatio. ibid.
ART. II. Cui prædictorum actuum nomen fruitionis competit. 36
Satisfit argumentis in principio quæstionis adductis. ibid.

QVÆSTIO IV.

Vtrum fine apprehenso per intellectum, necesse sit voluntatem frui eo. 37
ART. I. Subdiuiso sensu quæstionis, recitatur opinio aliorum. ibid.
ART. II. Refutatur præcedens opinio, & datur propria quęstionis resolutio. ibid.
ART. III. Soluuntur argumenta opinionis in articulo primo posita. 38
Respon. argumentis in principio quæstionis adductis. 39

QVAESTIO V.

Vtrum Deo conueniat frui. 40

DISTINCTIO II.

QVAESTIO I.

An Deum esse, sit per se notum. 42
ART. I. Declaratur quid sit propositio per se nota. ibid.
ART. II. Resolutio datur præsentis quæstionis. 43
Principalia argumenta diluuntur. 44

QVAESTIO II.

Vtrum in entibus sit aliquid infinitum. ibid.
ART. I. Ostenditur aliquid esse in entibus simpliciter primum secundùm efficientiam, secundùm rationem finis, & secundùm eminentiam. 45
ART. II. Declaratur illud, quod est primum secundùm vnam primitatem; esse etiam primum secundùm alias primitates. 47
ART. III. Docetur prædictam primitatem triplicem, vnicæ & eidem naturæ conuenire. ibid.
ART. IV. Primum ens esse intelligens & volens, & qualis eius sit intellectio & volitio, probatur. ibid.
ART. V. Ostenditur intentum principale quęstionis, quòd detur ens simpliciter infinitum. 49
Principalia argumenta diluuntur. 51

QVAESTIO III.

An sit tantùm vnus Deus. 52

QVAESTIO IV.

Vtrum Essentia Diuina possit stare in aliquo, & ipsum esse productum, seu vtrum in Diuinis possit esse aliqua productio intrinseca. 55
ART. I. Satisfit propositę quæstioni, per conclusionem affirmatiuam. ibid.
ARTIC. II. Proponuntur rationes aliorum, & ponderantur. 57
Respondetur ad argumenta principalia. ibid.

QVAESTIO V.

Vtrum sint in Deo tantùm duæ productiones intrinsecę. 58
ART. I. Proponitur modus explicandi aliorum. ibid.
ART. II. Modus prædictus, vt insufficiens & falsus, reijcitur. 59
ART. III. Datur responsio ad quæstionem. 60
ART. IV. Duplicis generis obiectiones contra prædicta adferuntur. ibid.
Resoluuntur argumenta principalia. 62

QVAESTIO VI.

Vtrum tantùm sint tres personę in Essentia Diuina. 64

QVAESTIO VII.

Vtrum possibile sit cum vnitate Essentiæ Diuinæ stare pluralitatem personarum. 65
ART. I. Satisfit propositę quæstioni. 66
ART. II. An inter Essentiam Diuinam & relationem Originis, sit aliqua distinctio præter opus intellectus. ibid.
ART. III. Qualis sit illa distinctio præter opus intellectus, quæ ponitur inter relationem & essentiam. 67
Argumenta in principio huius quæstionis proposita resoluuntur. 68

DISTINCTIO III.

QVAESTIO I.

Vtrum Deus sit naturaliter cognoscibilis ab intellectu viatoris. 70
ART. I. Explicatur sensus quæstionis. ibid.
ART. II. Proponitur modus dicendi aliorum. 71
ART. III. Respondetur propositæ quæstioni. ibid.
Argumenta principalia, & pro opinione adducta, resoluuntur. 73

QVAESTIO II.

Vtrum Deus sit primum cognitum à nobis naturaliter, pro statu isto. 74
ART. I. Proponitur opinio aliorum. ibid.
ART. II. Propria datur resolutio quæstionis. ibid.
Argumenta tum principalia, tum pro opinione adducta soluuntur. 76

QVAESTIO III.

Vtrum Deus sit obiectum adæquatum intellectus creati. ibi.
ART. I. Opinio narratur & refutatur, eorum, qui obiectum adæquatum nostri intellectus statnunt, quidditatem rei materialis. 77
ART. II. Altera opinio affirmans Deum esse obiectum adæquatum nostri intellectus, reijcitur. ibid.
ART. III. Vera sententia ponitur. 78

ART. IV. Proponuntur præcipua argumenta contra vniuocationem Entis. 79
Resoluuntur argumenta principalia quæstionis. 81

QVAESTIO IV.

Vtrum aliquod aliud transcendens, adæquatum Enti, possit poni obiectum adæquatum intellectus nostri. 82
ART. I. Verum transcendentaliter acceptum, non est obiectum adequatum intellectus nostri. ibid.
ART. II. Expeditur dubium, cur non omne contentum sub Ente, naturaliter est motiuum nostri intellectus. 83

QVAESTIO V.

Vtrum aliqua veritas certa & sincera possit naturaliter cognosci ab intellectu viatoris, absque lucis increatæ speciali illustratione. ibid.
ART. I. Recitatur vna opinio cum suis motiuis. 84
ART. II. Rationes pro opinione prædicta adductas, non esse fundamentales alicuius sententiæ veræ, nec secundùm intentionem esse Augustini, sed pro sententia Academicorum concludere, ostenditur. ibid.
ART. III. Declaratur, quomodo opinio Academicorum, negans notitiam certam (quæ videtur posse probari, per rationes articulo primo adductas) falsa sit. 85
ART. IV. Soluuntur rationes Academicorum primo articulo positæ, quatenus malè concludunt. 87
ART. V. Arguitur contra Conclusionem Henrici Gandauen. datam pro resolutione præsentis quæstionis. ibid.
ART. VI. Soluitur quæstio, & quomodo veritates videantur in regulis æternis, secundùm August. explicatur. 88
ART. VII. Declaratur, quomodo dicta quædam Augustini pro primo articulo adducta, concludunt etiam intentionem Augustini, non autem illam ad quam ibi opinans inducit. 89

QVAESTIO VI.

Vtrum in omni creatura sit vestigium Trinitatis. 90
ART. I. Quæ sit ratio vestigij in corporalibus. ibid.
ART. II. In quo consistat ratio vestigij in creatura respectu Dei. ibid.
ART. III. In quo fundatur respectus vestigij ad Deum, cuius creatura dicitur vestigium. 91
Argumenta duplicia resoluuntur. 92

QVAESTIO VII.

Vtrum in parte intellectiua propriè sumpta sit memoria propriè, id est, intellectus habens speciem intelligibilem priorem naturaliter actu intelligendi. 93
ART. I. Recitatur opinio negans omnem speciem intelligibilem. 94
ART. II. Impugnatur præcedens opinio. ibid.
ART. III. Resoluitur vltimatè quæstio. 96
Argumenta tum pro opinione primo articulo adducta, tum principalia, soluuntur. ibid.

QVAESTIO VIII.

Vtrum intellectus sit causa totalis productiua notitiæ genitæ. 98
ART. I. Narratur & reijcitur opinio, totam actiuitatem respectu intellectionis attribuens soli animæ. 99
ART. II. Sententia totam causalitatem respectu intellectionis attribuens obiecto, examinatur. 100
ART. III. Duo modi medij explicandi quæstionem, reijciuntur. 103
ART. IV. Aliæ duæ opiniones intermediæ ponderantur. 104
ART. V. Datur decisio quæstionis secundùm propriam sententiam. 106
Argumenta in principio quæstionis adducta resoluuntur. 107

QVAESTIO IX.

Intellectusne an species loco obiecti, habet rationem causæ principalioris, respectu notitiæ genitæ. ibid.

QVAESTIO X.

Vtrum in mente sit distincta imago Sanctissimæ Trinitatis. 108
ART. I. Quid sit imago in corporalibus. 109
ART. II. Respectu cuius in Trinitate est imago. ibid.
ART. III. In quo & quomodo est in nobis imago Sanctissimæ Trinitatis. ibid.
Argumentis principalibus satisfit. 110

DISTINCTIO IV.

QVAESTIO I.

Vtrum ista propositio sit vera: Deus genuit aliū Deum. 111
ART. I. Resoluitur quæstio. ibid.
ART. II. Argumenta in principio quæstionis adducta soluuntur. 112

QVÆSTIO II.

Vtrum hæc propositio sit vera: Deus est Pater, Filius, & Spiritus Sanctus. 113

DISTINCTIO V.

QVAESTIO I.

Vtrum Essentia Diuina generet vel generetur. 114
ART. I. Recitatur opinio Ioachimi Abbatis, & impugnatur. ibid.
ART. II. Quod Essentia Diuina nec generet nec generetur probatur Logicè. 115
Argumenta in principio quæstionis proposita resoluuntur. ibid.

QVÆSTIO II.

Vtrum Filius generetur de substantia Patris. 117
ART. I. Recitatur opinio affirmans Filium esse de essentia Patris, quasi de materia. ibid.
ART. II. Confutatur supradicta opinio. 118
ART. III. Declaratur, quomodo Filius est de substantia Patris, non tamen quasi de materia. 119
ART. IV. An proprietas relatiua sit actus essentiæ. 120
ART. V. Explicantur tres difficultates. 121
Argumenta tum pro opinione articulo primo adducta, tum principalia soluuntur. 122

DISTINCTIO VI.

QVAESTIO VNICA.

Vtrum Deus Pater genuit Deum Filium voluntate. 123
ART. I. Quomodo Pater generat Filium volens. ibid.
ART. II. Pater non generat Filium voluntate, vt principio productiuo. 124
Argumenta in principio quæstionis adducta soluuntur. 125

DISTINCTIO VII.

QVÆSTIO VNICA.

Vtrum potentia generandi in Patre sit aliquid absolutum, vel proprietas Patris. 126
ART. I. Quidam dicunt solam essentiam esse potentiam generandi. ibid.
ART. II. Alij opinantur essentiam non præcisè, sed vt determinatam per talem relationem, esse potentiam generandi. ibid.
ART. III. Propria quæstionis resolutio datur. 127
ART. IV. Vtrum generatio in Diuinis sit vniuoca. 128
ART. V. Argumenta primo articulo contra opinionem posita, quatenus procedunt contra determinationem, soluuntur. 130
Argumenta principalia resoluuntur. ibid.

DISTINCTIO VIII.

QVAESTIO I.

Vtrum Deus sit summè simplex. 131
ART. I. Resoluitur questio. ibid.
ART. II. Argumenta principalia soluuntur. 133

QVAESTIO II.

Vtrum creatura aliqua sit simplex. ibid.

QVAESTIO III.

Vtrum Deus, vel aliquid dictum de Deo, sit in genere. 134
ART. I. Narratur opinio negans etiam transcendentalem conceptum communem Deo & creaturæ, nedum genericum, & reijcitur. ibid.
ART. II. Opinio aliorum, quòd Deus sit in genere. 137
ART. III. Propria sententia ponitur. ibid.
ART. IV. Difficultates quędam contra dicta insurgentes dissoluuntur. 138
ART. V. Argumentis pro secunda opinione adductis satisfit. 139
Respondetur argumētis in principio quæstionis positis. 140

QVAESTIO IV.

Vtrum cum simplicitate Dei possit stare aliquomodo distinctio perfectionum essentialium, præcedens aliquomodo omnem actum intellectus. 141
ART. I. Recitatur opinio, affirmantium attributa distingui sola ratione per respectum ad extra. ibid.
ART. II. Impugnatur illa opinio. 142
ART. III. Alia opinio proponitur. 143
ART. IV. Opinio præcedens reijcitur. 144
ART. V. Resoluitur quæstio secundùm propriam sententiam. 145
ART. VI. Difficultates tres mouentur & explicantur. 146
Argumento principali satisfit. ibid.

QVAESTIO V.

Vtrum solus Deus sit immutabilis. 147
ART. I. Ostenditur Deum esse immutabilem simpliciter. ibid.
ART. II. An aliquid aliud à Deo sit immutabile simpliciter secundū Philosophos, narratur opinio Gandauen. ibid.
ART. III. Ostenditur, quòd prædicta opinio malè explicet Aristotelis sententiam. 148
ART. IV. Vera explicatio sententiæ Philosophorum, datur. 149
ART. V. Quod Deus non necessariò, sed contingenter causet, probatur contra Philosophos. 150
ART. VI. Concluditur, nihil aliud à Deo esse simpliciter immutabile. 151
ART. VII. Rationibus arrticulo quarto pro opinione Philosophi adductis, satisfit. 152
Argumentum principale soluitur. ibid.

DISTINCTIO IX.

QVAESTIO VNICA.

Vtrum generatio Filij sit æterna in Diuinis. 153

DISTINCTIO X.

QVÆSTIO VNICA.

Vtrum Spiritus Sanctus producatur per modum voluntatis. 154
ART. I. Satisfit quæstioni propositæ affirmatiuè. 155
ART. II. Mouetur dubium, quomodo voluntas potest esse principium communicandi in Diuinis, cùm ita non sit in creaturis. ibid.
ART. III. Explicantur alia duo dubia. 156
Argumenta principalia resoluuntur. 157

DISTINCTIO XI.

QVAESTIO I.

Vtrum Spiritus Sanctus procedat à Patre & Filio. 158
ART. I. Ponitur diuersa opinio Græcorum & Latinorum, approbaturque opinio Latinorum, Græcorum verò explicatur. ibid.
ART. II. Argumenta pro opinione Græcorum adducta soluuntur. 159

QVAESTIO II.

Vtrum si Spiritus Sanctus non procederet à Filio, distinctio esset Spiritus Sancti à Filio. ibid.

DISTINCTIO XII.

QVAESTIO I.

Vtrum Pater & Filius spirent Spiritum Sanctum inquantum omnino vnum, vel inquantum distincti. 161
ART. I. Determinatur, quòd Pater & Filius sint vnum principium Spiritus Sancti. ibid.
ART. II. Recitatur opinio, quòd Pater & Filius voluntate non inquantum vna, sed inquantum est concors, spirent Spiritum Sanctum. 162
ART. III. Impugnatur prædicta opinio. ibid.
ART. IV. Declaratur principale intentum quæstionis. 164
ART. V. Explicatur modus loquendi, quòd Pater & Filius sunt duo spirantes, sed vnus spirator. ibid.
Argumenta in principio quæstionis adducta, soluuntur. 165

QVAESTIO II.

Vtrum Pater & Filius vniformiter spirent Spiritum Sanctum. 166

DISTINCTIO XIII.

QVAESTIO VNICA.

Vtrum productio Spiritus Sancti sit generatio, vel distinguatur ab ea. 167
ART. I. Tres opiniones adferuntur, & reijciuntur. ibid.
ART. II. Aliæ tres opiniones aliorum refelluntur. 168
ART. III. Opinio septima confutatur. 169
ART. IV. Datur propria quæstionis resolutio. 171
Argumenta principalia soluuntur. ibid.

DISTIN. XIV. XV. & XVI.

QVAESTIO VNICA.

Vtrum quęlibet persona Diuina mittat, quamlibet personam Diuinam, & mittatur à qualibet. 173

DISTINCTIO XVII.

QVAESTIO I.

Vtrum necesse sit ponere charitatem creatam, formaliter inhærentem naturæ beatificabili. 174
ART. I. Recitatur opinio, quæ dicitur esse Magistri Sententiarum. 175
ART. II. Opinio illa impugnatur. ibid.
ART. III. Motiua alia adducuntur, cur debeat poni habitus infusus charitatis seu gratiæ in anima. 176
ART. IV. Quæ sit causa principalis actus meritorij, potentiane, an habitus charitatis infusus. 177
ART. V. An sit simpliciter necessarium ponere habitum supernaturalem charitatis, ad hoc, vt natura creata beatificetur. 178
ART. VI. An Magister ita senserit, vt narratur primo articulo: simulque argumenta pro illo articulo adducta soluuntur. ibid.
Satisfit argumentis principalibus. 180

QVAESTIO II.

Vtrum necesse sit rationem ponere in habitu principij actiui respectu actus. 181
ART. I. Recitantur duæ opiniones aliorum de proposita quæstione. ibid.
ART. II. Opinio tertia, attribuit omni habitui rationem principij actiui partialis, respectu sui actus. 182
ART. III. Negatiua sententia opposita priori, cum suis motiuis proponitur. 183
ART. IV. Datur probabilissima determinatio secundùm tertiam opin. quod habitus sit causa actus: & argumenta triplicia superiùs contra illam posita diluuntur. 184
ART. V. Opinionem negatiuam non esse omnino improbabilem ostenditur. 185

QVAESTIO III.

An habitus moralis inquantum virtus, sit aliquomodo principium actiuum respectu bonitatis in actu. ibid.
ART. I. Explicatur in quo consistit bonitas moralis. 186
ART. II. A quo accipit bonitatem moralem actus moralis, & quomodo. ibid.
Argumenta in principio quæstionis adducta, resoluuntur. 187

QVAESTIO IV.

Vtrum tota Charitas præexistens corrumpatur, cum noua inducitur, ita quòd nulla realitas eadem numero maneat in charitate maiore & minore. ibid.

QVAESTIO V.

Vtrum illud positiuum Charitatis præexistens, quod manet in augumento sit tota essentia charitatis intensæ. 189
ARTIC. I. Opiniones aliorum proponuntur & refutantur. ibid.
ART. II. Propria sententia recitatur, & argumenta quæ priori sententiæ fauebant, resoluuntur. 190

DISTINCTIO XVIII.

QVAESTIO VNICA.

Vtrum donum dicat proprietatem personalem Spiritus Sancti. 191

DISTINCTIO XIX.

QVAESTIO I.

Vtrum personæ Diuinæ sint æquales secundùm magnitudinem. 193

QVAESTIO II.

Vtrum quælibet Diuina Persona sit in alia. 195
ART. I. Quomodo vna persona Diuina est in alia. 196
ART. II. Quæ sit ratio istius existentiæ. 197
ART. III. An iste modus essendi in, possit reduci ad modum aliquem essendi in, repertum in creaturis. ibid.
Argumenta principalia soluuntur. 198

DISTINCTIO XX.

QVAESTIO VNICA.

Vtrum tres Personæ Diuinæ sint æquales in potentia. 199
ART. I. Præmissa distinctione potentiæ, ponitur aliorum opinio. ibid.
ART. II. Ponitur propria sententia. 200
Argumenta principalia soluuntur. 201

DISTIN. XXI.

QVAESTIO VNICA.

Vtrum hæc sit vera; Solus Deus est Pater. 202

DISTINCTIO XXII.

QVAESTIO VNICA.

Vtrum Deus sit nominabilis, nomine significante Essentiam Diuinam, vt hæc. 204

DISTINCTIO XXIII.

QVAESTIO VNICA.

Vtrum Persona, vt dicit aliquid commune Patri, Filio, & Spiritui Sancto, dicat præcisè aliquid secundę intentionis. 205

ART.

ART. I. Narratur opinio aliorum. ibid.
ART. II. Vera datur resolutio quæstionis. 206

DISTINCTIO XXIV.

QVAESTIO VNICA.

Vtrum in Diuinis sit propriè numerus. 207

DISTINCTIO XXV.

QVAESTIO VNICA.

Vtrum persona in Diuinis dicat substantiam, an verò relationem. ibid.

DISTINCTIO XXVI.

QVÆSTIO VNICA.

Vtrum Persona Diuina constituatur in esse personali per relationes Originis. 208
ARTIC. I. Ponitur & refutatur opinio affirmans personas seipsis non per relationes Originis distingui. ibidem.
ART. II. Recitatur communis opinio, quòd per relationes Personę Diuinę constituuntur, & distinguuntur ab inuicem, in esse personali. 209
ART. III. Contra communem viam arguitur quadruplici via, & primò comparando relationem ad relatum: eademque argumenta resoluuntur. 210
ART. IV. Ex alio ordine comparando relationem ad originem, argumenta facta diluuntur. 212
ARTIC. V. Ex propria ratione constitutiui, contra communem sententiam obijcitur, & iisdem obiectionibus satisfit. 213
ART. VI. Adferuntur auctoritates, quę eidem opinioni communi videntur contradicere, & quomodo non contradicant, explicatur. 217
ART. VII. Narratur quorundam opinio, personas Diuinas primariò constitui per absoluta, secundariò per relationes. 218
ART. VIII. Prędicta opinio non repugnat fidei. ibid.
ART. IX. Auctoritates secundo articulo positæ cōtra hanc opinionem, resoluuntur. 220
ART. X. Respondent iidem auctores, rationibus secundo articulo contra illos adductis. ibid.
Argumenta principalia soluuntur. 222

DISTINCTIO XXVII.

QVÆSTIO I.

Vtrum verbum creatum sit intellectio actualis. 224
ART. I. Ponitur & impugnatur aliorum opinio. ibid.
ART. II. Explicatur vera sententia. 225
ART. III. Notitia actualis non quæcunque, sed genita, est Verbum. ibid.
Satisfit principalibus argumentis. 227

QVAESTIO II.

Vtrum Verbum in Diuinis dicat propriū personæ genitę. ibi.

QVÆSTIO III.

Vtrum Verbū in Diuinis dicat respectum ad creaturas. 229

DISTINCTIO XXVIII.

QVÆSTIO I.

Vtrum ingenitum sit proprietas ipsius Patris. 230
ARTIC. I. Qualiter ingenitum soli Patri conuenit. ibidem.
ART. II. Quomodo ingenitum, potest esse proprietas cùm videatur tantùm negationem importare. 231
Respondetur ad argumenta principalia huius quæstionis. 232

QVÆSTIO II.

Vtrum innascibilitas sit proprietas constitutiua, primę personæ in Diuinis. 233

QVÆSTIO III.

Vtrum prima persona constituatur in esse personali aliqua relatione positiua ad secundam personam. ibid.
ART. I. Aliorum quatuor opiniones examinantur. 234
ART. II. Verior sententia proponitur. 235
ART. III. Quomodo essentia Diuina determinatur ad Paternitatem. ibid.
Argumenta principalia soluuntur. 236

DISTINCTIO XXIX.

QVAESTIO VNICA.

Vtrum principium vno modo dicatur de principio sumpto personaliter & notionaliter, & sumpto etiam essentialiter. ibid.

DISTINCTIO XXX.

QVAESTIO I.

Vtrum de Deo dicatur aliqua relatio ex tempore. 237
ART. I. Ponuntur duę opiniones aliorum, & impugnantur. ibid.
ART. II. Propria sententia explicatur. 238
Argumenta principalia huius quæstionis soluuntur. 239

QVAESTIO II.

Vtrum Dei ad creaturam possit esse aliqua relatio realis. ibi.
ART. I. Aliorum duæ opiniones ponuntur & impugnantur. 240
ART. II. Propria sententia explicatur. ibid.
Argumentis principalibus satisfit. 241

DISTINCTIO XXXI.

QVAESTIO VNICA.

Vtrum identitas, similitudo, æqualitas, sint relationes reales in Deo. 242

DISTIN. XXXII.

QVAESTIO I.

Vtrum Pater sit sapiens Sapientia genita. 244

QVAE-

QVAESTIO II.

Vtrum Pater & Filius diligant se Spiritu Sancto. 245

DISTINCTIO XXXIII.

QVAESTIO I.

Vtrum proprietas sit idem cum Persona. 247

QVAESTIO II.

Vtrum proprietas sit idem cum Essentia. ibid.

DISTINCTIO XXXIV.

QVAESTIO I.

An persona sit idem cum Essentia. ibid.

DISTINCTIO XXXV.

QVAESTIO VNICA.

Vtrum in Deo sint relationes æternæ, ad omnia scibilia, & quidditatiuè cognita. 248
ART. I. Referuntur aliorum duæ opiniones, & reijciuntur. ibid.
ART. II. Explicatur propria sententia. 249
ART. III. Expediuntur tres difficultates in præsentia materia occurrentes. 260
Argumenta tum principalia tum pro opinione, primo articulo posita, resoluuntur. 251

DISTINCTIO XXXVI.

QVAESTIO VNICA.

Vtrum creatura inquantum est fundamentum relationis æternæ ad Deum, vt cognoscentem, habeat verè esse essentiæ, & hoc, quia est sub tali respectu. ibid.
ART. I. Affirmatiua opinio refellitur. 252
ART. II. Opinio negatiua vera declaratur. 253
Argumenta tum principalia, tum pro opinione primo articulo posita, soluuntur. 254

DISTINCTIO XXXVII.

QVAESTIO VNICA.

Vtrum Deum esse præsentem vbique secundùm potentiam, inferat ipsum esse vbique secundùm essentiam: hoc est, vtrum omnipotentia inferat immensitatem. 255

DISTIN. XXXVIII.

QVAESTIO VNICA.

Vtrum scientia Dei respectu factibilium sit practica. 256

DISTINCTIO XXXIX.

QVAESTIO I.

Vtrum Deus habeat notitiam determinatã omnium, quantùm ad omnes conditiones existentiæ. 257
ART. I. Reijcitur opinio, affirmans rationem cognoscendi futura contingentia, esse ideas in intellectu diuino existentes. ibid.
ART. II. Illa sententia quæ docet in præsentia rerum ad æternitatem futura omnia à Deo cognosci, ostenditur esse insufficiens. ibid.
ART. III. Ostenditur contingentiã esse in rebus, & Deum contingenter agere extra. 258
ART. IV. Præmmittuntur scitu quædam necessaria, de nostra voluntate, & eius contingentiã. 259
ART. V. Quæ sit libertas Diuinæ voluntatis, & quæ contingentia respectu volitorum. 260
ART. VI. Soluuntur argumenta articulo secundo adducta. 261
Soluuntur argumenta principalia. ibid.

QVAESTIO II.

Vtrum Deus habeat certam notitiam, & infallibilem omnium, quantùm ad omnes conditiones existentiæ. 262

QVAESTIO III.

Vtrum Deus habeat immutabilem notitiam de omnibus, quantùm ad omnem conditionem existentiam. ibid.

QVAESTIO IV.

Vtrum Deus necessariò sciat omnem conditionem existentiæ omnium. 263

QVAESTIO V.

Vtrum cum determinatione & certitudine scientiæ Diuinæ, possit stare aliqua contingentia, ex parte rerum in existentia. 264

DISTINCTIO XL.

QVAESTIO VNICA.

Vtrum prædestinatus possit damnari. 269

DISTINCTIO XLI.

QVAESTIO VNICA.

Vtrum sit aliquod meritum prædestinationis vel reprobationis. ibid.
ART. I. Duæ opiniones de proposita quæstione examinantur. 270
ART. II. Opinio negatiua in hac materia communior, ponitur. ibid.
ART. III. Esse aliquam causam prædestinationis dicitur à nonnullis. 271
ART. IV. Valde probabile videtur, nullam esse rationem prædestinationis in prædestinato, licèt aliqua sit reprobationis in reprobo. 272
Argumentis principalibus satisfit. ibid.

DISTIN. XLII.

QVÆSTIO VNICA.

Vtrum Deum esse omnipotentem, possit probari naturali ratione. 273

DISTINCTIO XLIII.

QVAESTIO VNICA.

Vtrum prima ratio impossibilitatis rei fiendæ sit ex parte rei factibilis. 274

DISTINCTIO XLIV.

QVAESTIO VNICA.

Vtrum Deus possit facere aliter res, quàm ab ipso ordinatum est fieri. 276

DISTINCTIO XLV.

QVÆSTIO VNICA.

Vtrum ab æterno Deus voluit alia à se. 277

DISTINCTIO XLVI.

QVAESTIO VNICA.

Vtrum voluntas beneplaciti Dei, semper impleatur. 278

DISTINCTIO XLVII.

QVAESTIO VNICA.


Vtrum permissio Diuina, sit aliquis actus voluntatis Diuinæ. 278

DISTINCTIO XLVIII.

QVAESTIO VNICA.

Vtrum voluntas humana sit bona moraliter, quandocunque conformatur voluntati Diuinæ. 279

FINIS.



INDEX
RERVM MEMORABILIVM.
Quæ in hac Prima Parte Theologiæ, F. IOANNIS DVNS SCOTI ORDINIS MINORVM Doctoris Subtilissimi continentur.

Primus numerus paginam, secundus columnam indicat.

A

Absolutum non est absolutum, quando non est ad se. 293.2
Absolutum non potest esse terminus relatiui, secundùm Caiet. 315.col.2
Absolutum bene potest esse terminus relationis, idque tam in mutuis, quam in non mutuis relationibus. 316.col.1.& 2
Abstractio duplex: præcisiua, & disiunctiua. 148.1
Abstractio præcisiua duplex: alia simplex, alia reflexa. ibid.
Abstractio præcisiua simplex differt à collatiua, variè. 148.2
Abstractio non est idem quòd circumscriptio. 313.1
Abstractio in substantia non est vna. 192.2
Abstractio à materia intelligibili, quid sit. 41.1
Abstractio accidentium duplex. ibid.
Abstractio à materia signata, seu singulari quid? ibid.
Abstractio à materia sensibili quid? ibid.
Abstractiones à materia, quomodo diuersificant scientias? 41. ibidem.
Abstractiones plures sunt ab accidente quàm à substantia. 24.2
Abstractiua cognitio duplex: alia confusa, alia distincta. 21.1
Abstractorum in Diuinis, prędicatio non est formalis, sed identica. 338.1
Abstractum vltimatè, non recipit prædicationem nisi formalem essentialem, per se primò. 191.2
Abstractum substantiale est prius suo concreto. 108.1
Abstractum & concretum idem significant, quomodo. 189.2
Abstrahentium non est mendacium. 220.1
Acceptatio voluntatis Diuinæ, super quem transeat, ignotum in præsenti. 251.1
Acceptatio duo requirit. 251.2
Acceptatio Diuina respectu creaturæ, est triplex. ibid.
Acceptatio ex parte creaturæ; alia simpliciter, alia secundùm quid. ibid.
Acceptatio Diuina non est in potestate nostra. 252.1
Acceptare vel non acceptare habentem charitatem, quomodo potest Deus? 251.2
Acceptari potest homo in puris naturalibus ad vitam æternam. 252.2
Acceptandi ratio duplex, primaria & secundaria, 252.1
Accidens quodlibet componibile est cum substantia. 207.2
Accidens inseparabile habet ideam. 351.2
Accidens intensibile, separatum à subiecto non euadit infinitum. 356.1
Accidens potest esse perfectius substantia: quomodo? 124.2
Accidens magis est concretum quàm substantia. 24.2
Accidentalis ratio non facit subordinationem. 58.1
Accidit speciei quòd sit substantia vel accidens. 25.1
Actio alia Physica alia Metaphysica. 239.1
Actio propriè quid sit. 180.2
Actio tres habet proprietates. ibid.
Actio de genere Actionis quæ? 186.2
Actio est Ens relatiuum. ibid.
Actio sumitur varijs modis. 187.1
Actio est in agente subiectiuè. 187.2
Actio non semper est suppositi: quis sensus? 238.2
Actio num omnis circa singularia? 239.1
Actio & factio quid sint? 61.1
Actio non agentem sed passum perficit. 179.2
Actio quædam immanens quædam transiens. 180.2
Actio potest esse agentis creati, primò in distans, non agendo in medium propinquius illa actione. 358.2
Actio potest esse in distans, & non in propinquum. ibid.
Actionis primò in distans experientię. 359.1
Actionis terminus alius Quo, alius Quod. 195.1
Actiua potentia quo sensu est in Diuinis. 126.1
Actiua & passiua verba, quid significant? 191.1
Actiuo & passiuo naturali debitè ad inuicem approximatis & non impeditis, necessariò & naturaliter sequitur actio. 2. 1. & 181.1
Actu dicendi Pater producit Verbum. 135.1
Actus primus & secundus quid. 7.2
Actus intellectus non est praxis. 59.2
Actus elicitus voluntatis est primò praxis, actus autem imperatus secundariò. 60.1
Actum elicitum voluntatis non esse praxim, quorundam opinio. ibid.
Actus elicitus sumitur tripliciter. 96.2
Actus duos adæquatos esse in vna potentia, num sit possibile, & quomodo? 125.2
Actus essentiales sunt priores notionalibus. 299.2
Actus essentiales in supposito, non sunt priores notionalibus, secundùm aliquos. 300.2
Actus essentiales esse priores notionalibus, in supposito Diuino, est probabilissimum. ibid.
Actus notionales sunt priores actibus essentialibus, dicentibus respectum ad creaturam. 301.1
Actus notionalis non reflectitur super suum principium Quod. 324.1
Actus in voluntate existentes, non omnes, sunt actus volitionis: similiter & in intellectu existentes non omnes sunt actus cognitionis. 31.1
Actus bonus quas debet habere circumstantias. 67.1
Actus credendi sunt liberi. 96.2
Actus meritorios non potest homo ex puris naturalibus elicere. 250.2
Actus meritorius non est completè dignus vita æterna, nisi quateneus à Deo acceptatur. 252.1
Actus meritorius non à solo producitur habitum. 258.2

Index rerum memorabilium.

Ad actum meritorium duo concurrunt; & quid nobilius, potentiane an obiectum. 77.2
Actus meritorius quomodo est in potestate nostra, cùm acceptatio Diuina non est in potestate nostra. 252.1
Actus naturalis meritorius, & actus naturalis alicuius potentiæ, non sunt æquè naturales. 256.2
Actus seu habitus per se & necessariò specificantur, & distinguuntur per obiecta. 65.1
Actus plures esse in intellectu, quomodo negat Doct. Subt. 32.1
Actus rationalis non distrahitur super materiam, super quam transit. 369.1
Actus elicitus sumitur tripliciter. 96.2
Actus elicitus voluntatis est primò praxis. 60.1
Adonay quid significet. 277.1
Ad negandam possibilitatem requiritur demonstratio, ad astruendam, sufficit probabilis ratio. 84.1
Adæquatio triplex. 25.1
Adæquatio triplex propositionum. 9.2
Adæquatio in productionibus qualis. 133.2
Adæquatio communitatis & virtualitatis. 164.1
Addere ad scripturas quid sit. 233.1
Adiectiuis nominibus & non substantiuis, adduntur termini numerales in Diuinis: quare. 238.2
Aduersarij Scotum non intelligunt. 245.2
Aequalitas non est perfectio simpliciter, sed est perfectio entitatiua. 268.2
Aequalitas & identitas habent ordinem ad inuicem. 268.1
Aequalitas posterior est identitate. ibid.
Aequiuocum & vniuocum quid. 154.2
Aequiuoca participatione. 154.2
Aequiuoca causa ad æquiuocum effectum, & proprietas alicuius rei, dispariter se habent. 73.2
Aequiuoca causa continet eminenter effectum: cur. ibid.
Aeternitas licèt sit diuisibilis & permanens, apta est tamen coexistere, diuisibili & successiuo. 362.2
Aeternitas quid. 94.1. & 227.1
Aeternitas alia perfecta, alia imperfecta. ibid.
Aeternitatis descriptio explicatur. ibid.
Aeternitas non est successiua. ibid.
Aeternitatis ratio formalis in quo consistit. 227.2
Aeternitatis variæ descriptiones. ibid. c. 1
Aeternitas non potest mensurare actu, quæ non sunt existentia. 363.1
Agens agit propter finem effectus. 112.1
Agens omne assimilat sibi effectum. 185.1
Agens agit ex appetitu finis: quis sensus. 4.2
Agens per se, quod agit propter finem, quod est. ibid.
Agenti per cognitionem, necessaria est distincta cognitio sui finis. 3.2
Agēti per cognitionem ex appetitu finis, necessaria est triplex cognitio. 4.1
Agere sequitur ad actum; falsa est. 259.2
Albū in homine est prædicatū per se, sed non dicitur per se. 77.1
Alietas perseitatis, & perseitas alietatis, sunt distincta. 145.1
Aliquid est gratia alterius actus dupliciter. 78.2
Aliquitas, ratitudo, & esse, distinguuntur secundùm Henricum. 14.1
Alterari quænam dicantur propriè. 180.2
Amicus, inimicus, & non amicus, quomodo se habeant. 253.1
Amor amicitiæ, & amor concupiscentiæ quid sint. 48.1
Amor producitur à voluntate. 98.1
Amor est donum inter omnia dona primarium. 267.2
Analogus conceptus, non est medius inter vniuocum & æquiuocum. 154.2
Analoga quid sint. ibid.
Angelus est in loco naturaliter quis sensus. 14.2
Angelus Angelum cognoscit quidditatiuè 19.2. animā similiter nostram, cognoscit Angelus quidditatiuè. ibid.
Angelus non cognoscit secreta cordium. ibid.
Angelis, in principio creationis, inditas fuisse species distinctè repræsentatiuas in abstracto Essentiæ Dei est probabile. 22.1
Angelus non mensuratur tempore discreto. 363.1
Angelus malus potest se summè diligere, & tamen est in tristitia perpetua. 98.1
Angelorum cognitio matutina alia est beatifica, alia abstractiua. 22.2
Anima non est sola totalis causa intellectionis. 181.1
Anima priùs habet esse quàm inesse. 159.2
Annihilare fruitionem potest Deus, manente delectatione. 98.2
Antecedens includens duo opposita, quo infert verum. 106.2
Appetitus duplex. 18.1
Appetitus liber, naturalis, & animalis. 4.2
Appetere possumus naturaliter claram visionem Dei. 18.2
Apprehensio libera & assensus necessarius: quare. 32.1
Aptitudinalis relatio quæ. 169.2
Aptitudines rerum, competunt rebus necessariò. 19.1
Aristoteles admisit contradictoria latenter. 116.2
Arist. non agnouit productionem in Diuinis. 200.2
Arist. diuersos errores reprobat circa vltimum finem. 67.2
Arist. ponit Deum finem vltimum. ibid.
Arrianus potest aliquas veritates supernaturales recipere sine assensu supernaturali. 30.1
Ars appropriatè dicitur de Filio. 200.2
Articuli fidei sunt indemonstrabiles. 5.2
Assensus duplex. 32.1
Assensus quid. 30.2
Assensus non est in prima operatione. ibid.
Assensus distinguitur à consensu. 31.1
Assensus non est aliqua operatio intellectus. ibid.
Assensus & consensus sumuntur pro eodem. 96.2
Assensus non est simplicium. 32.2
Assensus distinguitur realiter à notitia complexa. 31.1
Assensus intellectus circa quid sit. 97.1
Assensus voluntatis circa quid. ibid.
Assentiendi præmissis ratio, est ratio assentiendi Conclusioni; diuersimodè. 31.2
Attributa in Deo sunt idem perfectissimè cum Essentia. 88.2. quomodo distinguantur. ibid.
Attributa in Deo, quæ dicuntur. ibid.
Attributa Diuina non causantur, sed pullulant; quomodo. 93.1
Attributa non insunt Deo, per respectum ad extra. 217.2
Attributa in Diuinis distinguuntur ex natura rei. 220.1. & 339.2
Attributorum distinctio non est rationis. 219.1
Attributum quid dicitur in Deo. 217.1
Attributa in Deo sunt essentia, in nobis accidentia. 108.1
Attributionis vnitas, sufficit ad vnitatē totalis scientiæ. 39.2
Attributum quid sit. 217.1
Attributa non sunt de ratione Dei. ibid.
Auicennæ opinio de nostra cognitione per conuersionem ad intelligentiam. 178.1
Augmentatio dum fit, quantitas ibi adueniens est eiusdem rationis, cum quantitate præcedenti, & distinguitur tantùm numero partiali, & imperfecto. 264.1
Aureolus defendit Scoti Sententiam. 338.2

B

Bannes malè arguit contra Scotum. 169.1. de distinct. formali non intelligit Scot. 329.2
Basiliscus interficit visu hominem. 399.2
Beatificum obiectū non habet repugnantiā quominus Essentia possit videri sine Personis ab intellectu Diuino, sed ipse intellectus. 87.1
Beatitudo naturalis Angeli, excedit beatitudinem naturalem hominis. 22.1
Beatitudo duplex. 3.2. quid sit. 99.2

Beati

Index rerum memorabilium.

Beatitudinem principaliter, delectationem cōcomitanter Beati desiderant. 98.4
Beati non omnia possibilia vident in Deo. 87.1
Beato potest aliquid deesse: dupliciter intelligitur. 20.1
Beatorum Theologia, non est de omni scibili. 52.2
Beatus potest videre Essentiam Dei, non visis attributis. 89.1
Beatus potest videre Essentiam, non videndo Personas. 86.2
Beatum potest Deus contristare quomodo. 98.2
Bonitas alia essentialis alia Entitatiua. 175.2
Bonitas Entitatiua est prior natura essentiali. ibid.
Bonitas & malitia conueniunt actui, ex circumstantia finis: sumptum vniuersaliter, falsum est. 66.2
Bonitas naturalis dupliciter accipitur. 175.2
Bonitas entitatiua habet magis & minus; quomodo. 176.1
Bonitas entitatiua, an absolutū dicat quid an relatiuum. ibid.
Bonitas Entis est ratio neutra, permissiuè tamen vel est absoluta, vel relatiua. 176.2
Bonitas duplex: scilicet in actu signato, & in actu exercito. ibi.
Bonitas non conuenit Entibus Mathematicis. ibid.
Bonitas actus moralis in quo consistit. 290.1
Bonitatis entitatiuæ ratio in quo sita est. 175.2
Bonum & finis sunt idem: quomodo. 176.1
Bonum conuertitur cum Ente. ibid.
Bonū vt conuertitur cum Ente, pōt poni in omni genere. 176.2
Bonum potest esse neutrum. 97.1
Bonum non est obiectum voluntatis. 176.2
S. Bonauent. de potentia generandi opinio. 222.1
Bruta possunt causare Entia rationis. 242.1
Brutorum differentiæ quia sunt nobis ignotæ, circumloquimur eas per negationem rationalis. 63.2

C

CAietanus malè citat Scotum. 291.2. & aliàs frequentiss. malè intelligit. 12.2. & 27.2. &c. non intelligit. 33.2. &c. vel non vult. 95.2. &c. frustra gloriatur. 361.1. victus rationibus, negat Beatos habere verbum de Essentia Dei. 24.1. malè explicat D. Tho. 27.1. malè torquet Scotum ad suam sententiam. 72.1. & 84.2. male taxat Scotum. 245.1. malè Scotum legit. 256.1. vel non intelligit Logicam, vel ea abutitur. 257.1
Calorē producere per lumē, est perfectiùs quā per calorē. 73.2
Capreolus dicit fauere D. Tho. opinioni Scotistarū de intensione formarum. 261.2. Scribens contra Scotum, fit pseudo hystoricus. 295.1
Causa simpliciter, & causa in suo ordine, quid sint. 33.2
Causa perfectior est causato: quis sensus. 65.2
Causa per se, & per accidens. 111.1
Causa prima priùs naturaliter respicit causatum, quàm posteriorę quis sensus. 115.2
Causa realis duplicem potest habere actionem. 241.2
Causa prima effectiua est simpliciter incausabilis. 112.1
inter Causas, est aliqua causa effectiua simpliciter prima. 111.1
Causa Physica distinguitur realiter ab effectu, non tamen Metaphysica. 37.1
Causarum ordo duplex. 119.2
Causa instrumentalis dependet à principali in causando. 111.2
Causæ quatuor sunt inter se distinctæ, non tantùm numero, sed specie, & genere causandi. 47.1
Causæ concurrentes ad eundem effectum nō debent omnes concurrere, secundùm eandem rationem. 184.2
Causæ partiales quomodo sunt dignoscendæ. ibid.
Causæ essentialiter vel accidentaliter ordinatæ quæ. 111.1. quomodo distinguuntur à causis per se & per accidens. ibid.
Causæ intrinsecæ dicunt imperfectionem. 112.2
Causæ vnius dependentia ab altera causa, triplex est. 111.1
Causæ secundæ omnes sunt contingentes, quædam tamen dicuntur naturales: quare. 116.2
Causas duas totales esse eiusdem rei, in quocunque causæ genere, implicat contradictionem. 113.1
Causatio prius natura ad absolutum terminatur in effectu, quā ad aliquem respectum. 175.2
Causatio Metaphysica non est per motum, sed Physica. 47.2
Charitas est ratio formalis acceptationis. 252.1
Charitas non est ratio formalis vltima acceptationis actus, sed est ratio dispositiua. 252.2
Charitas idem est quod gratia gratum faciens. 251.1
Charitas est decor animæ. ibid.
Charitas augetur à solo Deo. 265.2
Charitas concurrit actiuè ad productionē actus meritorij. 251.1
Charitas principaliùs concurrit ad rationem actus meritorij, quàm potentia. ibid.
Charitas nō minuitur, feruor tamē charitatis minuitur per peccatum veniale. 266.2. quidam oppositum senserūt. ibi. col. 1
Charitas est ratio formalis acceptandi. 251.2
Charitatem habentem Deus non potest non acceptare. ibid.
Charitatem, qua Deus à nobis diligitur, dicunt quidam esse Spiritum Sanctum. 250.1
Charitatis habitus datur, informans animam. ibid.
Christus vt primam gratiam, ita & pœnitentialem gratiam, & apertionem ianuæ cælestis nobis meruit. 373.2
Christus est causa exemplaris & finalis nostræ prædestinationis. 373.2. non meritoria. ibid.
Christus vel Saluator non potest poni obiectum Theologiæ adæquatum. 51.1
Christi mortem an poterant optare Apostoli. 378.2
Christi mortem Sanctissima Virgo optare debebat, & optabat: quomodo. ibid.
Chymæram produci à Deo est impossibile, quomodo. 20.1
Circumscriptio quid. 313.1. non est idem quod abstractio. ibid.
Circumscribi quæ possunt, & quæ non. 128.1
Circumstantiarum quænam prima: finis an obiectum. 66.2
Cælum quomodo est necessarium. 320.1
Cælum ex se est indifferens ad motum. 14.2
Cælum naturalem habet potentiam ad motum. ibid.
Cognitio Dei nullo modo est discursiua. 46.1
Cognitio finis neutra, scilicet determinata indeterminatè, & in determinata determinatè. 9.2
Cognitio aliqua incomplexa, est perfectior omni cognitione complexa. 46.2
Cognitio substantiarum & rerum immaterialium non fit per proprias, & immediatas species. 6.2
Cognitio distincta dupliciter dicitur esse distincta. 85.2
Cognitio de Deo non omnis est practica. 70.2
Cognitio Dei duplex scd'm Henr. rationalis & naturalis. 159.1
Cognitio naturalis duplex. 162.2
Cognitio duplex: abstractiua, & intuitiua. 21.1
Cognitio abstractiua duplex. ibid.
Cognitio quidditatiua alicuius, nihil incognitum relinquit: falsa propositio. 19.2. & 21
Cognitio quidditatiua quid sit. 22.1
Cognitio intuitiua duplex. 367.2
de Cognitione futurorum opinio Nominalium. 366.2
Cognitum duo dicit. 344.1
Cognitum esse non est Ens rationis. 343.1
Cognitum non debet assimilari cognoscenti, in modo essendi, etiam generico. 162.2
Cognoscens omnia cognoscibilia de Deo lumine vno, non indiget, vt cognoscat altero lumine. 26.2
Cognoscere Deū sub ratione finis fundamētaliter: quid sit. 51.2
Cognoscitur aliquid, vel per se, vel per accidens. 146.2
Cōmunicatum non præsupponit illud cui cōmunicatur. 197.2
Communicabile vt Quod & vt Quo. 282.1
Communia ad prædicatum cōibus ad subiectum, quid sint. 9.1
Communitas conceptus & communitas realitatis. 290.2
Comparatio debet esse in vniuoca specie. 124.2
Compositio dicitur assensus denominatiuè. 30.1
Compositionem rationis in Deo concedit Zoar. sed malè. 196.2

Compositum primò generatur. 266.1
Compositum includit subiectum & terminum. ibid.
Complacentia sumitur dupliciter. 99.1
Complacentia quæ sequitur naturaliter speculationem, non est praxis. 69.1
Comprehensio Diuini intellectus in quo consistat. 85.1
Comprehensoris visio & fruitio de facto, qualis erit. 95.1
Comprehensiua notitia quid requirit. 86.2
Comprehendere Deum quæ cognitio potest. ibid.
Conclusio habet materiam & formam duplicem. 3.1
Conclusionis causa totalis, sunt vtræque præmissæ. 28.1
Conclusionum summa de praxi, collecta. 78.1
Conclusio sequitur debiliorem partem. 115.2
conceptus confusus definiti, non facit propositionem per se notam. 103.2
conceptus formalis & obiectiuus. 148.1
conceptus simpliciter simplex quis sit. 150.1
Conceptus obiectiuus, idem est quod formalitas. 212.2
concretum & abstractum idem significant, quomodo. 189.2
concretum per se primò significat formam, connotat tamen subiectum, vel quasi subiectum. ibid.
concretum solam formam importat, quomodo verum. 189.2
concretum accidentale cur non plurificatur, ad pluralitatẽ formarum accidentalium. 190.2
concretum cõsiderando, dupliciter de eo loqui possumus. 189.2
conformare se Diuinæ voluntati quid sit. 20.1.& 378.2
conformitas actus moralis ad dictamen rectæ rationis, est relatio intrinsecus adueniens. 260.1
conformitas habitus, est relatio extrinsecus adueniens. ibid.
confusa cognitio remouetur à Deo. 83.2
confusa cognitio est intrinsecè imperfecta. ibid.
confusum & confusè concipere distincta sunt. 149.2
consensus & assensus sumuntur pro eodem. 96.2
consequens quidditatem duplex est. 211.1
contractus, Mathematicus vel virtualis. 359.1
contemplatio iuuatur positione imaginis, quæ continet, Passionem Christi. 250.2
continentia scibilis vnius in altero qualis est. 36.1
continentia virtualis non est continentia effectiua. 36.2
continentia virtualis ab eminenti distinguitur. 36.1
continentia virtualis obiecti, quæ respectu veritatum. 36.2
continetur aliquid in altero, variè. 36.1
contingens causa quomodo dicit imperfectionem, & quomodo non dicit. 117.1
contingens causa duplex. ibid.
contingens opponitur necessariò. 114.1
contingens duplex; per se, & per accidens. 365.2
contingentia agendi potest Deo attribui, in recto sensu. 117.1
contingentia non dicit imperfectionem in causa. ibid.
contingentia vel denominant finem vel operationem. 78.2
contingentiam esse in rebus, est per se notum. 363.2
contingentis cognitio duplex: contra Lichetum. 45.2
contingentium est ordo ad aliquod primum contingens. 45.1
contingentium prima veritas est duplex. ibid.
contingentium Thelogia secundùm se est speculatiua. 76.2
contingentium Theologia in intellectu Diuino non est practica: quomodo. 77.1
contingẽtium Theologiam Dei, esse practicam, probabile. 75.2
contingentia non dicit imperfectionẽ, nec priuationem. 369.2
contingentiæ radix voluntas Diuina. 366.2
contingentes veritates Theologiæ, non continentur virtualiter in obiecto primo Theologico. 44.2
contingẽtes veritatis quõ cõtineantur in Essentia Diuina. ibi.
contingentis veritates reuelatæ, non habemus euidentiã. 45.2
contingentis cognitio duplex: abstractiua, & intuitiua. ibid.
contingentis cognitio intuitiua duplex. ibid.
Contingentis cognitio abstractiua est obscura & ineuidens, intuitiua certa, & euidens. ibid.
continui, partes quomodo Deus videt. 158.2
continuum intelligi ab intellectu Diuino potest dupliciter. ibi.
contradictoria quomodo verificantur de eodem. 144.1
contradictoria qualem inter se habeant distantiam. 118.1
contradictoria in nunc æternitatis dantur. 228.2
contradictio est medium cognoscendi distinctionem. 330.2
contradictionis vera natura explicatur. 152.1
contradictio apparens soluitur. 5.1.& 44.1.& 74.2
contraria formaliter, & contraria virtualiter quæ sunt. 119.1
cõtraria scdm nominales in nullo gradu sunt cõpatibilia. 264.2
contrariæ qualitates possunt esse simul, in gradibus remissis, sed non in gradibus intensis. ibid.& 262.1. contra Caiet.
contrarium aliquod si sit actu infinitum, nullum aliud contrarium secum compatietur; quomodo intelligatur. 119.1
contrariorum incompossibilitas est prior secundùm se, quàm vt in subiecto. 262.1
correlatiuum ponitur in definitione alterius correlatiui, vt additum. 217.1
correlatiuum an includatur quidditatiuè in conceptu relatiui. 273.2
correlatiuum in relatiuis mutuis exigitur vt terminus Quod, absolutum verò vt terminus Quo. 317.1
creatura non potest intelligi esse ordinata ad Deum, nisi intelligatur priùs natura Deus. 6.2
creatura quomodo non est Ens necessarium. 320.1
creatura refertur ad Deum realiter. 315.1
creaturæ respectus ad Deũ, est de tertio genere relatiuorũ. ibi.
creatura dicit relationem nouam ad Deum, non tamen Deus ad creaturam. ibid.
creaturæ non habebant ab æterno esse reale, ad Deum cognoscentem. 357.1
creaturas in esse cognito esse ideas, nullũ est periculum. 350.2
creatura nulla est perfectè simplex. 207.2
creaturæ aliquæ sunt simplices Physicè. ibid.
creaturæ habitudinem non terminat Deus vlla relatione ad creaturam, sed ratione absoluta. 317.1
creata substantia quælibet est cõponibilis cum accidẽte. 207.2

D

Damascenus de notionibus. 309.2
Damascenus dicens contrarium Ecclesiæ, quomodo non sit hæreticus. 234.1
Dæmones credunt & contremiscunt. 79.2
Dæmones eliciunt actus concordis volitionis, & amoris in decipiendis hominibus. 98.1
De Ente per accidens non est scientia. 56.2
Declarare sumitur dupliciter. 322.2
definitio notior est definito. 104.1
difinitio distinguitur à definito. ibid.
definitio quomodo à definito distinguitur, vel quomodo identificatur. 141.2
definitio distinguitur à definito ex natura rei. 104.2
definitio explicat essentiam rei. 332.2
definitionis diuisio non procedit in infinitum. 364.2
delectatio vario modo sumitur. 97.2
delectationis definitio. ibid.
delectatio distinguitur realiter ab amore. 98.1
delectatio producitur ab obiecto. ibid.
delectatio naturaliter consequens actum speculationis, vel aliquem actum voluntatis, non est praxis, 60.1.& 69.1
delectatio perficit operationem, quomodo. 98.1
delectatio non est de formali ratione beatitudinis. 98.2
delectationem & gaudium, quomodo omnes desiderant. ibid.
delectatione manente, potest Deus annihilare fruitionem, de potentia absoluta. ibid.
delector quid significet Grammaticè. 99.2
demonstratio potest esse vera Theologo, & non Philosopho, in rebus fidei. 5.1
demonstratio duplex: Propter quid, & Quia. 41.2

Demonstratio Propter quid duplex. 106.1
Demonstratio propter quid num sit in Deo,& qualis. ibid.
demõstrationis potissimæ mediũ,est demõstratio subiecti. 8.c.2
demonstrationis potissimæ respectu alicuius passionis, non potest esse passio alia medium. ibid.
denominatio dispar in relatiuis & absolutis. 318.1
denominatio fit per se necessariò, vel per accidens & contingenter. 11.2
denominatio à quo fit? 77.1.*quomodo concludit?* ibid.
dependentia vnius causæ ab altera est triplex. 111.col.1
dependentia in causis vel est mutua, vel non mutua. 181.2
dependentia potest esse essentialis, & non à causa. 182.1
dependentia effectus ab effectu. 182.1
dependentia effectus, alia est à causis proprijs, alia à conditione sine qua non. ibid.
dependentiam naturæ assumptæ, ad quid terminetur. 87.2
dependentia intellectus ad Phantasmata, vnde. 168.2
dependentia effectus multiplex. 181.2
dependentia effectus vnius causæ, ad effectum alterius causæ, quando, & in quibus eueniat. 182.1
dependens quomodo potest esse necessarium. 345.2
dependens an omne sit causatum, & illud à quo dependet sit causa? 181.1
desiderium est amor: quomodo verum. 99.1
determinatio est duplex: altera quæ opponitur indeterminationi cõtradictionis; altera determinatio limitationis ad vnum effectum. 310.2
determinatio limitationis dicit imperfectionẽ, altera non. ibid.
determinatio de inesse vel de possibili. 365.2
determinatio Diuina duplex, respectu actuum nostrorum: scilicet, æterna & temporalis. 366.1
determinatio æterna est absq. vlla mutatione voluntatis nostræ: tẽporalis aũt includit notionẽ voluntatis nostræ ad actus. ibi.
Deus est obiectum Theologiæ, nõ sub ratione communi. 48.2. *nec sub ratione attributali ibid. nec sub ratione relationis ad extra.* 49.1. *sed sub ratione Deitatis.* ibid.
Deus videbitur sicuti est, de facto, de possibili tamen potest videri aliter. 85.1
Deus est liberum obiectum, respectu intellectus creati. 86.2
Deus est: est propositio per se nota. 105.2
Deus est, vt nos concipimus, non est propositio per se nota; ibid. soli Diuino, & Beatorum intellectui est per se nota. 106.1
Deum esse an possit demonstrari. 106.1
Deus est intelligens & volens. 113.1. *eius intellectio & volitio est idem Essentiæ suæ.* ibid.
Deus ad extra agit necessariò; ly necessariò, supponit pro duobus. 114.2
Deus si ageret necessariò, tali concursu quali modo concurrit liberè cum causis secundis esset in rebus contingentia. 114.1
Deus si ageret ex necessitate naturæ, secundùm vltimum potentiæ suæ, nullus esset effectus contingens in rebus. 114.2
Deus est prior natura relationibus. 91.1
Deus generat, quomodo vera, & quomodo est falsa. 221.2
Deus si esset agens merè naturale, nulla esset voluntas in vniuerso. 114.2
Deus si ageret ex necessitate naturæ, aliter causas secundas moueret, quàm nunc mouet. 115.1
Deus potest omnem contingentiam impedire. 115.2
Deus si ageret necessariò, secundùm vltimum potentiæ, non esset contingentia in rebus. 114.2
Deum ad aliquam actionem non concurrere immediatè, potest in aliquo sensu concedi. 120.1
Deus est de genere scibilium. 34.2
Deus potest cognosci in conceptu Entis tripliciter, secundum Henricum. 147.1
Deus est cognoscibilis à nobis, sub ratione quidditatiua vniuersali, non propria. 147.2
Deus est cognoscibilis à nobis, in aliquo conceptu quidditatiuo, communi, vniuoco Deo & creaturæ. 147.1
Deus non est obiectum adæquatum intellectus nostri. 163.2
Deus genuit alium Deum: falsa est. 188.1
Deus significat primariò Deitatem, secundariò personas. 189.2
Deus immediatè significat suppositum sententiam. 190.1
Deum esse vnum, potest demonstrari. 125.1
Deus est Pater, Filius, & Spiritus S. vera propositio. 190.2
Deum quidam ponunt in genere. 208.2
Deus non est in genere. 209.1
Deus est simplex. 205.1
Deus est æternus. 226.1
Deus est simpliciter immutabilis. 223.1
Deus contingenter causat. 225.2
Deus supplet vicem obiecti supernaturalis tam in immediata reuelatione, quàm in mediata. 11.1
Deus est causa omnis Entis realis: quomodo. 151.1
Deus quomodo est obiectum Theologiæ & Metaphysicæ. 43.1
Deus sub qua ratione à Metaphysico consideratur. ibid.
Deus est obiectum Theologiæ, quoad continẽtiam virtualem, non quo ad euidentiam. 43.2
Deus non est maius bonum cum creatura. 46.2
Deus non potest abstrahi à sua existentia. 347.2
Deus est vbique per essentiã, præsentiam, & potentiam. 358.1
Deus extra vniuersum posse esse, licèt non sit, non ponit vllam in Deo mutationem. ibid.
Deus non dependet ab idæis in cognoscendo. 350.1
Deus intelligit creaturam absque reflexione. 342.1
Deus non refertur illa relatione, quæ non est in ipso. 314.2
Deus est realiter dñs, ob realitatem relationis creaturæ. 317.2
Deus cur non habet relationẽ realẽ ad creaturã 319.1.& 2.col.
Deus est causa principaliùs per voluntatem, concomitanter per intellectum. 360.2
Deus per potentiam absolutam, potest aliquem in puris naturalibus acceptare ad vitam æternam. 252.2
Deum videre ex puris naturalibus, nõ potest intellectus creatus. 255.1
Deus potest aliter facere, quàm ab ipso est ordinatum. 376.2
Deus alia à se voluit ab æterno. 377.1
Deus vult omnes homines saluos fieri. 370.1.& 377.2
Deus potest quamlibet substantiam assumere ad vnionem hypostaticam. 88.1
Deus eodem actu se vt omnia alia intelligit. 95.1
Deus potest non concurrere ad fruitionem delectationem, non ponendo tristitiam in fruente. 97.1
Deus potest Beatum contristare. 98.2
Deus impium odit, & non tristatur. 99.1
Deus est Deus sua existentia, non est autem Pater sua existentia. 107.2
Deus si ageret necessariò, operatio hominis, ita necessariò eueniret, quod impossibile esset eam non euenire. 116.2
Deitas est Pater, Filius & Spiritus Sanctus est vera identicè non formaliter, sicut & sua conuersa. 190.2
dicere sumitur quadrupliciter in Diuinis. 134.2.& 322.2
dicere & intelligere quomodo se habeant. 135.2
dicere distinguitur in Patre ab intelligere. ibid.
differentia est extra rationem generis. 104.2
differentia non est de quidditate generis. 83.1
differentia bruti est nobis ignota. 63.2
differentia essentialis duplex. 66.1
differentiæ duplices; scilicet desumptæ ab vltima, & desumptæ à tota realitate formæ. 165.1
differentiæ quæ sumuntur à tota realitate formæ, non sunt vltimæ. ibid.
differentiæ sumptæ ab vltima realitate formæ sunt vltimæ. ibi.
differentiæ vltimæ acceptio non intelligitur à Thomistis, & Neotericis. 165.2
differentiæ ratio desumitur ab vltima forma. 165.1
difficultas singularis soluitur. 55.2.& 77.1

Diligere quadrupliciter ſumitur. 324.2
Diligere idem eſt quod acceptare. ibid.
Dilectio non eſt operatio. 98.2
Dilectio quid ſit? 97.2
Dilectio diſtinguitur realiter ab amore. 98.1
Dilectio eſt quid conſequens extrinſecè operationem. 97.2
Dirigibilitas ab obiecto, non ſufficit ad ſcientiam practicã. 61.1
Diſparata magis ſunt illa, quæ continentur ſub aliquo genere proximò, quàm quæ ſub remotiori. 38.1
Diſtantia triplex. 118.1
Diſtantia eſt quid relatiuum. ibid.
Diſtantia fundari in non Ente implicat. ibid.
Diſtinctionum & identitatum genera communiter ſeptem à Scotiſtis numerantur. 335.2
Diſtinctionum tria tantùm genera ponuntur de mente Doct. Subt. 139.2. & 334.1
Diſtinctio rationis dupliciter accipitur. 140.2
Diſtinctio rationis ratiocinantis, & rationis ratiocinatæ quid ſit? 333.1
Diſtinctio rationis ratiocinatæ non diſtinguitur à diſtinctione ex natura rei. ibid.
Diſtinctio ex natura rei, non eſt alia ſecundùm Scotum, à diſtinctione formali. 139.3
Diſtinctionem ex natura rei, non intelligunt aduerſarij. 221.2
Diſtinctio ex natura rei, eſt minor reali. 331.1
Diſtinctio formalis & ex natura rei idem eſt. 334.2
Diſtinctio formalis duplex: alia ſimpliciter, alia ſecundum quid. 141.1
Diſtinctio formalis negatiua, malè deducitur à Scotiſtis quibuſdam. 142.1
Diſtinctio formalis eſt minima à parte rei. 335.2
Diſtinctio formalis poteſt dici virtualis & actualis. 333.2
Diſtinctio formalis habet gradus. 334.1
Diſtinctio formalis eſt alia à reali. 331.2
Diſtinctio formalis eſt media inter realem, & rationis. 331.1
Diſtinctio formalis idem eſt quod fundamentalis. 327.2
Diſtinctio realis duplex. 331.1. & 346.2. habet gradus. 334.1
Diſtinctio realis quænam dicatur propriè realis, & quæ impropriè. 331.1
Diſtinctio media inter realem & rationis, diuerſimodè nominatur. 327.2
diſtinctio realis non infert ſeparabilitatem. 98.2
diſtinctio eſſentialis duplex. 347.1
diſtinctio eſſentialis non eſt alia à reali. 335.2
diſtinctio eſſentialis cõiter eſt inter res reales poſitiuas. ibid.
diſtinctio ſe totis ſubiectiuè, dupliciter accipitur. ibid.
diſtinctio ſe totis ſubiectiuè, non eſt alia à reali vel formali. ibi.
diſtinctio ſe totis obiectiuè, non conſtituit nouum genus diſtinctionis. 336.1. eſt idem quod formalis vel realis. ibid.
diſtinctio modalis, non eſt alia à formali, vel reali. 336.1
diſtinctio formalis & quidditatiua ſpecierum alicuius generis, eſt per diuerſas formas illius generis. 280.2
diſtinctio quadruplex in Diuinis. 81.2
diſtinctio attributorum, non eſt rationis. 219.1
diſtinctio inter eſſentiam & relationem, non eſt actualis realis, nec potentialis, ſed eſt aliquomodo rationis. 140.2
diſtinctio rationum formalium, ſtat cum ſumma ſimplicitate. 340.1
diſtinctionum modi varij. 336.1
diſtinctionum vniuerſales modi tres. ibid.
diſtinctionum diuiſio à Scotiſtis, quæ ſit falſa. 336.2
diſtinctionum diuerſitas, conſiderata in communi penes vnitatem, eſt triplex. ibid.
diſtinctiones ſumptæ ab obiectis, ſunt multiplices. ibid.
diſtinctio habituum per obiecta licèt neceſſario habitibus conuenit, non eſt tamen intrinſeca. 63.2
diſtinctio maior non infert minorem. 336.2
diſtinctio per intrinſeca, an maior quàm per extrinſeca. 339.2
diſtinctio relationis per terminos licèt neceſſariò conueniat relationibus, non eſt tamen intrinſeca. 63.2
diſtinctio ſumitur, vel pro repugnantia, vel pro non conuenientia. 339.2
diſtinctio omnis eſt ſecundùm oppoſitionem: eſt falſum. 247.1
diſtinctio conceptum in Deo, nullam facit compoſitionẽ. 150.2
diſtinctio formalis, ſcientiæ totalis, nõ ſumitur ex ratione formali Propter quam. 41.1
diſtinctio relationum per terminos neceſſariò conuenit relationibus, non eſt tamen quidditatiua. 63.2
ad diſtinctionem realem in principiatis, non ſufficit diſtinctio rationis. 341.2
diſtributiuum ſignum quid valeat? 19.2
Diuina ſcientia diſtinguitur à noſtra per infinitatem, noſtra è conuerſo à Diuina per finitatem. 72.2
diuinus intellectus intelligit oĩa ſemper actu, neceſſariò. 131.1
in Diuinis poteſt eſſe productio alicuius ſubſiſtentis infiniti. 125.1
diuiſum non eſt exiſtens realiter præter diuidentia. 72.2
diuiſum non eſt aliquid ex diuidentibus. ibid.
diuiſum eſt quid commune contrahibile ad diuidentia. ibid.
diuiſio definitionis non procedit in infinitum. 36.2
diuiſio Medicinæ in Practicã & Theoricam an ſit bona. 66.1
Doctor illuminatus in materia de praxi Theologiæ. 77.2
doctrina ſupernaturaliter inſpirata eſt vtilis. 1.2
doctrina ſupernaturalis ſumitur triplex. ibid.
doctrina ſacra vnam rationem formalem attendit in ſpeculabilibus & operabilibus. 71.2
domus in mente eſt accidens. 25.1
dominij relatio in Deo reſpectu creaturæ, ſitnè realis an rationis. 315.1. & ſeq.
donum primũ & principale, inter omnia dona eſt amor. 267.2
donum, pro donabilitate ſumptum, non eſt proprietas Spiritus Sancti. 267.1
donum, ſi ſumatur pro liberè productum, eſt proprietas Spiritus Sancti. ibid.
donum duo dicit: vnum principale ſignificatum, & aliud connotatum. 267.2
donum quantùm ad connotatum eſt proprium Spiritui Sancto quantum autem ad principale, non eſt proprium ſed appropriatum. ibid.
doni ratio cur approprietur Spiritui Sancto? ibid.
duratio non dicit variationem. 347.2
duratio eſt neceſſariò modus exiſtentiæ. 90.2
duratio conſequitur exiſtentiam rei, non è conuersò. 362.2

E

EFfectiuum primum eſt ſimpliciter incauſabile. 112.1
Effectiuum primum eſt, neceſſe eſſe. 112.2. eſt vnum ſecundum naturam. ibid.
Effectus non excedit ſuam cauſam. 38.2
Effectus in cauſa cognoſcitur tripliciter. 172.1
Effectus à pluribus cauſis ſubordinatis, qũo dependeat? 116.1
Effectum multiplex dependentia. 181.2
Effectus aliter dependet à cauſis, aliter à conditione ſine qua non. 182.2
Efficientis cauſæ cauſalitas, eſt prior cauſalitate cauſæ materialis, & formalis. 27.2
Electio eſt actus immediatius voluntatis. 96.2
Electio bona à quo produci debeat? 68.2
Electionis acceptio. 69.1
Eminentis ſimul naturam plures, non poſſunt eſſe. 112.2
Ens vt eſt commune Enti reali, & Enti rationis non eſt vniuocum. 155.2
Ens non eſt abſtractum vltimatè. 161.2
Ens vt Ens, non eſt naturalis attingentiæ, pro ſtatu iſto. 92.2. ſed naturalis tendentiæ. ibid.
Ens non prædicatur vniuocè de paſſionibus ſuis 164.1. nec de vltimis differentijs. ibid.

Ens ad Deum non contrahitur. 150.2
Ens vt Ens est obiectum totale Metaphysices. 24.2
Ens reale ab Ente rationis quo distinguitur. 348.col.1.& 2
Ens reale, vt est commune Deo & creaturæ, est uniuocum Metaphysicum, licèt non Physicum. 156.1
Ens quare dicatur vnum formaliter? 73.1
Ens vt sic est substantiuum. 289.2
Ens rationis non est ideo in mente Diuina. 350.1
Ens rationis non requirit necessariò ad Entis realis distinctionem. 241.1
Ens rationes non est idem in esse quidditatiuo, & in esse existentiæ. 348.2
Ens reale & rationis habent medium. 344.1
Ens reale & rationis seipso distinguitur. 348.1
Ens reale & rationis in causa productiua distinguitur. 348.1
Ens simpliciter simplex, non includit propositionem, formaliter vel virtualiter falsam. 167.1
Ens simpliciter simplex, vel totaliter scitur, vel totaliter ignoratur. ibid.
Ens simpliciter infinitum datur existens actu. 117.1
Ens infinitum est non est propositio per se nota. 106.1
Ens infinitum est primo notum in Theologia 43.2
Ens necessarium est, non est per se nota. 106.1
Ens finitum commune substantiæ, & accidenti est vniuocum. 157.2
Ens inclusum in omni Ente quomodo non dicitur bis in aliqua propositione. 167.2
Ens aliquando prædicatur denominatiuè etiam de illis quibus inest quidditatiuè. ibid.
Ens particulariter accipitur in suis inferiorib. tripliciter. ibid.
Ens in quantum Ens sitne obiectum adæquatum intellectus nostri? 28.2.& seq.
Ens ab Ente potest distingui tripliciter. 72.1
de Ente per accidens non est scientia. 56.2
Enti existenti, propriè cōuenit, actus, dū ratio, necessitas. 345.1
Entia rationis à quo sunt occasionaliter. 241.2
Entia rationis à quo producuntur? ibidem quomodo causantur.
Entia rationis habent quatuor sui causas. 241.2
Entia rationis producuntur & à voluntate & à sensu communi. 241.2
Entia rationis possunt etiam, esse subiectiuè & in intellectu, in quo sensum. 243.2
Entia rationis & in Philosophia & in Theologia concedi debent. ibid.
Entia rationis in quo sunt subiectiuè. 242.2
Entia rationis sunt obiectiuè in intellectu, sed melius dicitur ab intellectu. 243.1
Entia rationis sunt subiectiuè in rebus. ibid.
Entia rationis quare à quibusdam negantur. 244.1
Entia rationis habent quidditatem obiectiuam. 348.1
Entia rationis quō diriguntur ab Ente reali & est cōtra. 50.2
Entia rationis quō distinguatur ab Ente reali, declaratur. ibid.
Entia rationis potest causare intellectus Diuinus. 242.1. bruta etiam : quomodo? ibid.
Entia rationis non sunt ponenda in Deo, ante intellectionem creaturæ. 342.1
Entium rationis quidditas alia est ab Ente reali. 348.1
Entium rationis esse, non requirit cognitionem. 242.1
Entia contrahentia Ens ad decem generalissima, qualia sunt? 158.2
Entis conceptu nihil est prius & communius. 161.1
Entis conceptus quomodo est simplex. 161.2
Entis conceptus distinguitur ex natura rei, a conceptibus inferiorum. 151.2
Entis conceptus est abstrahibilis à conceptib. inferiorū. 148.2
Entis conceptus formalis, est à conceptibus inferiorum. 149.2
Entis finiti vniuocatio ad substantiam & accidens, est maior quàm Entis ad finitum & infinitum. 158.1
Entis ratio in Deo est realiter infinita, independes, & quo sensu? 153.1
Entitas, realitas, & formalitas quid sint? 328.1
Entitas simplex, existens, non est vna formalitas. 328.2
Entitas vltima abstractio Entis. 161.2
Error multorum circa doctrinam Scoti 330.1
Esse sumitur dupliciter. 355.1
Esse cognitum duo dicit. 344.1
Esse aliquid de intrinseca ratione alterius, dupliciter. 83.2
Esse aliquid de ratione formali alicuius, & esse formaliter idē alicui: sunt diuersa. 105.1
Esse formaliter ex se necessarium, & ab alio productiuè, sunt compatibilia in eodem. 127.2
esse de essentia alicuius, & esse idem essentialiter: sunt distincta. 47.1
Esse aliquid de intrisecaratione alterius dupliciter intelligitur. 83.2
esse aliquid de quidditate alicuius, & esse rationem quidditatiuam, distincta sunt. 175.1
essentia Diuina est obiectum primarium, Personæ secundarium. 86.1
essentia Diuina potest videri à Beato, visione simplici, non visis attributis Diuinis in ea. 89.1
essentia potest videri sine idæis. ibid.
essentia sine attributis, vel idæis, nō potest visione distincta extensiua cognosci. ibid.
essentia respectu intellectus & voluntatis, non habet vllam prioritatem. 92.2
essentia respectu modorum non habet prioritate naturæ, sed signorum. ibid.
essētia Diuina est prior prioritate naturæ, suis attributis. 93.1
essentia præintelligibilis est ad seipsam, vt est quanta, vel qualis: quis sensus? ibid.
essentia Dei sub ratione Essentiæ, est obiectum adæquatum intellectus Diuini. 95.1
essentia Diuina vt hæc, sola continet omnia ab intellectu Diuino cognoscibilia. 95.1
essentia Diuina, solius infiniti intellectus est naturale obiectū, finiti verò supernaturale & liberum. 255.1
essentia Dei, licèt sit forma altior omni intellectu creato, potest tamen ab eo intelligi immediatè. 258.1
essentia Dei est obiectum primum, primitate perfectionis & originis, respectu Diuini intellectus. 94.2
essentia Diuina non est de conceptu formali relationis. 83.1
essentiam Dei videre, non visis Personis, nulla est implicantia in terminis. 85.2.& 87.1
essentiam Diuinam videre sine Personis, vnde est implicantia, & vnde non. ibid.
essentia Diuina non potest videri ab intellectu Diuino, sine Personis. 86.2
essentia Diuina pōt à Beato videri, non videndo Personas. ibid.
essentia Diuina à relatione originis distinguitur ex natura rei, non ratione. 87.2
essentia Diuina repræsentat se naturaliter: quis sensus. ibid.
essentia Diuina, nec generat, nec generatur. 191.1
essentia generat; quare non sit vera identicè. 192.1
essentia Diuina in abstracto, dupliciter potest considerari. ibi.
essētia Diuina in productione Verbi, nō est quasi materia. 194.1
essentia est terminus formalis generationis Diuinæ. 195.2
essentia Diuina nec est materia, nec quasi materia, nec subiectum, nec quasi subiectum. 196.2
essentia Diuina non contrahitur à proprietate personali. 196.2
essentia Diuina est idem cum relatione originis. 326.2
essentia est fundamentum relationum, & quomodo? 197.1
essentia est principium elicitiū generationis Diuinæ, secundum Henr. relatio autem Paternitatis, est determinatiuū. 201.2
essentia quomodo non dicit determinationem. 310.1
essentia quomodo est magis principale principium. 133.1

Eßentia Diuina quomodo est indeterminata. 312.2
Essentia Diuina est ratio repræsentandi omnia intelligibilia. 342.2 & 365.1
Eßentia Diuina est perfectissimè idem personis: quomodo. 88.1
essentiæ est prior relationibus. 87.1 & 94.1
eßentia Diuina potest dici idæa. 351.1
essentia quomodo se habet ad proprietatem. 93.1
eßētia distinguitur aliquomodo ab illo cuius est essentia. 195.1
essentia dupliciter est actualior proprietatibus. 49.1
essentia non est regula actiua, respectu cognitionis, vel volitionis: & quomodo est? 74.2
eßentia secundum se est potentia remota. 202.2
essentia Diuina non est relatiua ad aliquid extra se: quomodo. 170.1
essentiæ non sunt reales ante existentiam. 355.2
eßentiæ sunt sicut numeri: quomodo? 264.2
eßentiæ in triplici statu possunt considerari. 345.2
eßentiæ Diuinæ vnitas, compatitur personarum Trinitatem. 138.1
eßentiæ Diuinæ distinctio à relatione, quomodo inuestigatur? 140.1
essētiæ prioritas maior est ad attributa, quā ad infinitatē. 93.2
essentiale aliter a Theol. aliter a Philosophis sumitur. 299.2
essentiales actus sunt priores notionalibus. ibid.
essentialis intellectio & volitio duplex. ibid.
eßentialis intellectio & volitio poßunt in prioritate comparari ad plura. ibid.
eßentiam eße in potentia, dupliciter potest intelligi. 355.2
essentiales actus in supposito non eße priores notionalibus: opinio. 300.2. oppositum est probabilissimum. ibid.
essentialia immediatiora sunt eßentiæ, quàm notionalia. 146.1
euidentia duplex. 96.2
euidentia & ineuidentia ex quo conuenit scientiæ. 57.2
euidentia prædicatorum ad sua subiecta non est par in omnibus prædicatis. 109.1
ex natura sua: iste terminus sumitur dupliciter. 88.1
excessus duplex, secundum Ariminen. 123.1
excusandi magistrum ab errore, modi. 253.1
exclusiuis nominibus quando licet vti in Diuinis. 274.1
executiua potentia in Deò non est aliud quàm voluntas. 75.1
executiuam potentiam non esse in Deo, probabilius est. 77.2
exhauritur potentia Diuina: quomodo intelligatur. 124.1
existendi rem decem modi numerantur. 223.2
existentia est de quidditate eßentiæ Diuinæ. 107.1
existentia in Deo est ratio quidditatiua, non attributū. 107.2
existentia Diuina est pelagus continens infinitas perfectiones Diuinas. ibid.
existentia non distinguitur ab esentia realiter. 353.1
existentia non differt sola ratione ab essentia. 355.1
existentia distinguitur ab esentia ex natura rei. ibid.
existentia distinguitur ab esentia formaliter. 355.2
Præter existentiā & esentia, sunt plura in Ente reali. 331.1
exemplar duplex. 170.2
exemplar Diuinum in se non visum, est nobis ratio videndi, secundum Henr. 171.1
in exemplis non est curanda omnimoda veritas, 50.2
experientia quæ est ex particularibus, magis dirigit in operando: quàm ars sine experientia. 66.1
expositorius Syllogismus quomodo tenet. 144.1
FActio quid sit? 61.1
Fallacia figuræ dictionis quid sit. 143.2
Fallacia a positione consequentis ad positionem antecedentis quæ sit. 144.1
Fallacia accidentis. ibid.
Famosa propositio. 221.1. & 338.1
Famosa regula. 234.1
Felicitas duplex secundum Arist. 68.1
Felicitas intelligentiarum, in speculatione an in praxi consistat, secundum Aristot. 69.1
Felicitas sapientia est speculatiua, secundum Arist. quomodo? 69.2. non negaret tamen idem Arist. eße practicā. ibid. sup.
Fælix Dei amantissimus. 69.1
Ferrarien. contrariatur Caietano. & fauet Scoto. 163.1
Figmentum, ex eo quia est impossibile ex se, est impossibile respectu cuiuscunque agentis. 376.1
Fides nostra qualis esse debet. 79.2
Fidei articuli quomodo indemonstrabiles. 5.2
Fidem esse causam prædestinationis nostræ, opinio. 37.1
Filiatio sola constibat suppositum sibi. 255.1
Filius potest dici Patre: quomodo. 250.1
Filius est de substantia Patris, non vt de materia. 195.1
Filius non est de nihilo, sed verè de substantia Patris. ibid.
Filius in Diuinis non potest generare. 203.2
Filij suppositū distinguitur primo a quocūq. filiatione. 236.2
Filius in Diuinis dicitur sapiens, tripliciter. 323.1
Filio Dei veritas proprie attribuitur. 109.1
Filium generare pertinet ad omnipotentiam Patris, secundū quosdam. 270.1
Filius bonus si sciret patrem suum condemnatum pro pænis infernalibus, ex iustitia Dei, non debet optare Diuinā iustitiæ patri, sed misericordiam. 378.1
Finis proprius alicuius substantiæ naturaliter cognoscitur a nobis ex actibns illius substantiæ, nobis manifestis, indicantibus talem finem conuenire tali naturæ. 3.col.2
Finis, & boni ratio quomodo identificentur. 3.2
Finis substantiæ cognoscitur per operationes: quomodo intelligitur. 4.2
Finis vltimus potest inuestigari supposito lumine fidei. 5.1
Finis alicuius vnde cognoscitur. 3.2
Finis est rectificatiuus praxis: quomodo. 67.1 & 74.1
Finis debet cognosci distinctè ab agente propter finem: tripliciter explicatur. 5.2
Finis cognitio substantiæ alicuius, duo requirit. 7.1
Finis alias includitur in aliquo priore pertinente ad scientiam, alius non includitur. 67.1
Finis cognitio pro statu isto, est triplex. 9.2
Finis ratio dupliciter sumitur. 51.2
Finis duplex. 65.2.
Finis scientiarum naturalium Metaphysica. 58.2
Finis est nobilior illis quæ sunt ad finem, quomodo. 65.1
Finis alius intrinsecus, extrinsecus alius. 65.2
Finis habitus cognoscitiui dupliciter sumitur. 67.2
Finis vltimus est ratio rectificatiua, quis sensus. 74.1
Finis ratio non est ratio formalis obiectis fouibilis, in fruitione ordinata. 81.1
Finis ratio in fruitione ordinata, secundum veritatem, sequitur obiectum fruibile. ibid.
Finis præfixus in fruitione, ordinata, sequitur, actum voluntatis. ibid.
Finis vltimi ratio conuenit vni eidemq. naturæ. 3.1
Finis vltimi consideratio est ciuilis facultatis. 68.1
Finis qualiter sit causa finibilis. 112.1
Finis non est causa finalis efficientis, sed effectus causati ab efficiente. ibid.
Fine vltimo in vniuersali apprehenso, non neceßario fruitur voluntas. 100.2. nec in particulari obscurè apprehenso, ibi. neque viso clarè in particulari, licet sit eleuata, quantum est de se. ibid.
Finitum assimilatur infinito. 24.2
Finitum excessum potest eße æquale excedenti. 253.2
Finitum quomodo dependet à fine. 112.1
Florere, istud verbum, quomodo capiatur. 324.2
Fluxus formæ, & forma fluens sunt distincta. 137.2
Fonseca errat in assignanda distinct. formali. 329.2
Forma creata præter imperfectiones suas intrinsecas habet etiam perfectionem. 222.2

For-

Index rerum memorabilium.

Forma finitur non per materiam, contra D. Thomam. 118.2
Forma intensa & remissa est eadem. 264.1
Forma non est de quidditate materię. 83.1
in Forma duo possunt considerari secundùm Caiet. & Ferrariens. 118.2
formæ & non materiæ nomine vtimur in Diuinis. 222.2
formæ ratio potest admitti in Diuinis. 297.1
formalis ratio scientiæ est triplex. 40.2
formalis distinctio quid sit: quæ malè explicatur a Neotericis. 329.1
formalis distinctio inuestigatur per contradictionem. 330.2
formalis distinctio sufficit ad saluandam contradictionem. 327.2
formalis distinctio idem est quod fundamentalis. ibid.
formalis non identitas, meliùs admittitur inter relationem & essentiam Dei, quam distinctio formalis. 141.2
formalis distinctio est media inter realem, & rationis. 331.1
formalis distinctio est minima a parte rei. 331.2
formalis identitatis declaratio sufficientissima. 140.2
formalitas variè sumitur. 142.1
formalitas quid sit. 212.1. & 328.2
formalitas ab Ente rationis & a re quo differt. 328.2.
formalitas secundùm aliquos Scotistas, distinguitur a realitate, & entitate. ibid.
formalitatis definitio secundùm Scotistas, non placet. 328.1
formalitatis diffinitio propria. ibidem.
formaliter distingui quæ dicantur. 328.2
fruitio in communi quid. 80.1
fruitio media quid. 81.1
fruitio beatifica in voluntate creata, potest esse Essentię, & non Personæ. 88.1
fruitio comprehensoris de facto, qualis erit. 95.2
fruitio habitualis viatoris, necessariò est trium Personarum. ibidem.
fruitio actualis viatoris non necessariò est trium Personarum. 96.1
fruitio quis actus voluntatis. 99.1
fruitio non est vsus. 99.2
fruitio non est actus neuter voluntatis. ibid.
fruitio est formaliter actus amoris. ibidem.
fruitio includit delectationem concomitanter. ibid.
fruitio & vsus non distinguunt omnem actum volendi immediatè. 97.1
Fruitionis obiectum est finis simpliciter vltimus. 80.1
Fruitionis ordinatæ, & inordinatæ, & communis, quod obiectum. ibid.
in Fruitione primariò consistit beatitudo. 72.1
Frui potest viator Essentia sine Personis, non tamen è conuerso. 81.2
frui possum vna persona sine alia: quomodo. ibid.
frui positiuè, vel negatiuè quid. 84.1
frui non est actus neuter voluntatis. 99.2
frui Essentia non fruendo personis, non potest comprehensor, etiam de potentia Dei absoluta. 84.1 *Similiter & vna Persona sine alia: de qua fruitione intelligatur?* ibid.
fruor quid Grammaticè significet. 99.2
fruor licèt sumatur aliquando pro Delector, sunt tamen distincta. 100.1.
futura omnia non coexistunt realiter æternitati. 362.1
futura contingentia quomodo Deus cognoscit. 365.1
futura cognoscit Deus ex determinatione voluntatis suæ. 365.2
futura contingentia determinat voluntas Diuina ad vnam partem. 366.1
futura Deus determinando, non determinat ad actus peccati. 367.1.
futura an cognoscat Deus cognitione intuitiua. 367.2
futura nouit Deus immutabiliter, non tamen necessariò. 369.2
futura cognosci a Deo, per cognitionem causarum impedibiliū: falsa Opinio. 366.2
futura contingentia quomodo determinat Deus ad vnam partem. 306.1
futurorum notitiam Deus habet infallibilem. 368.1. *& immutabilem.* ibid.
de futurorum cognitione per præsentiam eorum ad æternitatem: falsa Opinio. 361.1
de futuris contingentibus cognitio Dei tripliciter potest intelligi esse directiua praxis. 75.1
GEneralissimè, generaliter, & generaliùs cognoscitur Deus, secundùm Henr. 147.1
Generatio accipitur tripliciter. 129.1
Generatio in communi est vniuoca ad creatam, & increatam. ibidem.
Generatio Diuina quid sit. 128.2
Generatio transfertur ad Diuina: cur non latio vel alteratio? ibidem.
Generatio in Diuinis est uera. ibid.
Generatio Diuina abstrahit a mutatione. ibidem.
Generatio Diuina quomodo differt a creata. 129.2
Generatio in Diuinis est vniuoca. 203.1
Generatio actiua non est in Filio. 204.2
Generatio Diuina, nec est actio immanens, nec transiens propriè. ibid.
Generatio Diuina magis habet rationem transeuntis, quàm immanentis actionis. 300.1
Generatio Filij Dei an sit dicenda naturalis. 200.1
Generatio a spiratione distinguitur, & principiatiuè, & formaliter. 129.2
Generatio in Diuinis non est productio quæcunque in natura intellectuali. ibid.
Generatio Verbi est æterna. 226.1
Generatio est prior origine spiratione. 239.2
Generatio non est via ad substantiam, sed est productio in facto esse. 129.1
Generatio de sua ratione communi, terminatur ad substantiam. 195.1
Generatio actiua dupliciter sumitur. 245.2
Generatio seipsa, non est spiratio. 246.1
Generatio creata duo includit. 128.1
Generatio actiua & Paternitas distinguuntur. 311.2
Generationis descriptio explicatur. 246.1.
Generationis conceptus a creatis rebus desumptus, seclusis imperfectionibus, potest transferri ad Diuina. 129.1 *negat hoc Aureolus.* ibid. paulò sup.
Generationis & spirationis principium Quo, quodnā sit. 131.1
Generationis terminus duplex: Quo, & Quod. 316.1
Geniti acceptiones. 307.2
Genitum in Diuinis, ex vi generationis, est simile generanti formaliter. 246.1
Genitum producere sibi simile in identitate eiusdem numero naturæ, potest generans summæ perfectionis. ibid.
Generis est idæa. 351.2
Genus quadrupliciter sumitur. 34.2
Genus scientiæ, vt scientia est, quid sit? ibid.
Genus non est de quidditate differentiæ. 83.1
Genus vniuocum, & genus Analogum quid sit apud Auerr. 209.2
Genus Physicum, Metaphysicum, & Logicum quid sint. 34.2
Glorificatio an sit effectus prædestinationis. 371.2
Gradus formæ intensæ, an sint distincti realiter. 263.2
Gradus intensionis sunt homogenei. 264.1
Gradus in intensione de nouo adueniens, est eiusdem rationis cum priori, & distinguuntur solùm hæcceitatibus imperfectis: quomodo intelligitur. ibid.
Gratia per peccatum amissa, an sit effectus prædestinationis. 372.1
Gratia in quo temporis instanti creatur, in illo infunditur animæ.

mæ.266.1. sed non in eodem instanti naturæ creatur & infunditur. ibid.
gratia infusa animæ peccatoris post confessionem, est magis supernaturalis, quàm gratia superinfusa animæ Christi. 23.2
gratiam primam, & gratiam pœnitentialem quomodo nobis Christus meruerit. 373.2
Græci Patres concordant cũ Latinis in processione Spiritussancti: quomodo. 233.2
Guilelmus Varro Præceptor Doct. subt. negat Theologiam esse practicam. 68.2

H

Habitus charitatis animam informans datur. 250.2
Habitus dicitur tripliciter vnus. 39.1
Habitus speculatiuus triplex. 2.2
Habitus practicus duplex. ibid.
Habitus omnis scientificus est de obiecto naturaliter attingibili. 27.2
Habitus scientificus dupliciter consideratur, secundùm D. Th. 26.2
Habitus principij, qui est intellectus, quomodo est principium assentiendi. 32.1
Habitus duplex speculandi, respectu alicuius complexi. 39.1
Habitus principiorum, non est idem qui conclusionum. 40.1
Habitus & actus à quo sunt practici, ab eo & intellectus. 65.1
Habitus habent intrinsecas vnitates, alias ab his quę sunt ab obiecto. 43.1
Habitus cognoscitiui duplex finis. 67.2
Habitus non habens euidentiam ex obiecto, non distinguitur ad distinctionem obiectorum: quomodo verum. 70.1
Habitus idem non potest esse simul formaliter practicus, & speculatiuus. 72.2
Habitus non potest esse simul eminenter practicus, & speculatiuus. ibid.
Habitus idem potest esse eminenter speculatiuus, & formaliter practicus: problema. ibid.
Habitus est principium productiuum sui actus. 258.2
Habitus naturalis num sit causa sui actus, problema est. ibid.
Habitus est genus virtutis, secundùm Scotum. 260.2
Habitus qui est gratia sui, non semper est nobilior eo, qui est alterius gratia. 78.2
Habitum concurrere actiuè ad actum, Caiet. vult probare contra Scotum. 259.1. sed nihil valet. ibid.
Habitus inclinans formaliter ad speculandum aliquod subiectum commune, virtualiter etiam ad alia complexa inclinat, sed diuersimodè. 39.1
Habitus Theologicus qua vnitate est vnus. 40.1
Herueus sequitur Scot. in materia intensionis formarum, & immeritò ei oppositum à quibusdam attribuitur. 262.1
Holcot opinio minùs tuta. 192.2
Homo potest saluari sine cognitione vlla supernaturali, quomodo. 1.2
Homo cum sit risibilis formaliter, non potest dici non risibilis eminenter. 73.1
Homo idem est obiectum & medicinæ & Philosophiæ moralis. 40.2
Hominem videre sine animali, & rationali, non implicat: quomodo. 85.2
Humanitas Christi habet propriam existentiam. 353.2

I

Idæa sumitur dupliciter. 351.1
Idæa non est practica. ibid.
Idæa est ratio intelligendi: falsum est. 349.2
Idæa in artifice quid sit? 350.1
Idæa est creatura cognita. ibid.
Idæa non est Essentia Diuina. ibid. nec Essentia simul cum relationibus est idea. ibid.
Ideæ nomen D. August. & Plato accipiebant pro ipsis obiectis, & rebus cognitis. ibid. sup.
Idææ definitio. ibid.
Idææ Diuinæ alio modo sumuntur secundùm Scotistas, alio secundùm Thomistas. 88.2
Idææ secundùm Thom. dupliciter sumuntur. 89.2
Idææ quid sint secundùm D. August. 342.2
Idææ secundùm Platonem 349.1. & 350.2.
Idææ cur ponantur ab aduersarijs. 349.2
Idææ cur ponantur in Deo. ibid.
Idææ sunt omnium rerum in Deo distinctæ. 352.1
Idæas non esse omnium rerum Opin. Gandau. 351.2
Idææ non sunt ratio cognoscendi futura contingentia. 360.2
Idææ sumuntur secundùm Thomistas, vel speculatiuè, vel practicè. 351.1
de Idæis diuersæ opiniones. 352.2
de Idæis modus dicendi refutatur. 350.1
Idem & diuersum sumpta cum determinatione modi, possunt verificari de eodem. 145.2
Identitas realis rationum communium in creaturis, non est in abstracto secundùm se, sed in tertio. 222.2
Identitas vnitas, & simplicitas sunt distincta. 205.2
Identitas formalis duplex, adęquata & inadæquata. 141.1
Identitas realis, vel essentialis, vel personalis. 143.1
Identitas maior non infert minorem. 337.1
Identitatis formalis declaratio sufficientissima. 140.2
non Identitas potest stare cum simplicitate. 197.1
Iehoua nomen Dei quid significet. 277.1
Ignobilis non est finis per se nobilioris, quomodo sit verũ. 65.1
Imago duo requirit. 185.2
Imago non requirit similitudinem in natura specifica. ibid.
Imago Trinitatis non est præcisè in ipsis potentiis nostris, nec in ipsis præcisè actibus, sed in vtroque simul. 186.1
Imago in creatura duplex: perfecta & imperfecta. ibid.
Imago Dei non est in parte sensitiua. ibid.
Imaginem licèt D. Aug. constituat in nobis in memoria, notitia, & amore, melius tamen in mẽte, notitia, & amore 186.1
Immateriabile est informabile. 112.1
Immediatio alia causæ, alia subiecti. 9.1
Immediatio infinitatis, vel alterius modi, maior est quàm attributi. 93.2
Immediata propositio non omni est per se nota. 103.2
Immediatè sumitur dupliciter. 120.1
Immutabilitas dupliciter accipitur. 369.2
Immutabile Ens triplex est secundùm Henr. 223.1
Immutabile nihil est aliud a Deo. 226.1
Imperfectum naturaliter appetit perfectionem suam. 18.2
Impossibile includit intrinsecè incompossibilia. 376.1
Impossibile est aliquod vnum posse esse a duobus productiuis totalibus, in eodem ordine & genere principiandi. 234.1
Impossibilium quatuor genera. 376.1
Impossibilitas duplex. 20.1
Impossibilitatis ratio, primò est ex parte rei. 376.1
Impossibilitatis ratio secundariò est à Deo. ibid.
de Impossibilitate rerum, vnde insurgat Henrici Opinio ibid.
Inadæquata propositio triplex. 9.1
Inclinatio intellectus ad omnem intellectionem, alia est proxima, alia remota. 19.2
Incommunicabile duplex: vt Quo, & vt Quod. 28.1
Incommunicabile vt Quo, quid? ibid.
Incommunicabile vt Quod, quid? ibid.
Independentia triplex. 282.1
Indeterminatio alia de inesse, alia de possibili. 365.2
Indeterminatum ad vnum, potest seipsum determinare ad hũc vel illum actum. 201.2
Indistinctum illud est realiter ab altero, quod impossibile est esse sine illo: imponitur Doct. Subt. à Neotericis. 98.2
Indiuisibile potest coexistere diuisibili. 228.1
Indiuidua quomodo Deus intelligat. 352.1
Indiuidui est idæa. 351.2

Inesse-

Index rerum memorabilium.

Ineffectibile est infinibile. 112.2
Inferius non est idem formaliter superiori. 141.2
Infinitas est impossibilis, negato ordine essentiali. 112.1
Infinitas non est ratio continendi practicum, & speculatiuum simul. 72.1
Infinitas in potentia qn arguitur ex infinitate effectuum. 118.1
Infinitas Dei ex modo intelligendi probatur. ibid.
Infinitas aliquomodo non vniformiter est in Diuinis. 244.2
Infinitas quomodo conuenit attributis Dei. 339.1
Infinitas non est speciale attributum Dei. ibid.
Infinitas dicit modum positiuum Essentiæ Dei. 119.1
Infinitatẽ negans in reb. creatis, tres conditiones statuit. 122.2
Infinitatem affirmans in creatis, quid supponit? 123.1
Infinita virtus si esset in magnitudine, moueret in non tempore; quomodo verum. 119.2
infinita linea si daretur, esset in genere. 123.2
infinitam multitudinem, si crearet Deus, num exhauriretur sua potentia. 124.1
infinitè intensa qualitas est possibilis, probabiliter loquendo. 122.1. & 124.2.
infinitè diligibile, quæ requirit. 124.2
infiniti conditiones tres. 123.1
infiniti possibilitatem in nonnullis locis negat, in aliquibus affirmat Scotus. 121. & 122
Infinitum quid sit. 122.2
Infinitum actu triplex. 339.1
Infinitum in multitudine posse esse per potentiam Dei, probabile est. 122.1. & 124.1
Infinitum actu secundùm magnitudinem an produci possit à Deo? problema. 120.2. & seq.
Infinitum secundùm intensionem an sit. ibid. & seq.
Infinitum dicitur tripliciter. 121.2
Infinitum Cathegorematicè, & Syncatheogorematicè. ibid.
Infinitum secundùm perfectionem essentialem an sit producibile. 120.1. & sequ.
Infinitum secundùm magnitudinẽ an sit possibile. 120.2. & seq.
Infinitum secundùm multitudinẽ an sit producibile. ibid. & seq.
infinitum in omni perfectione Entis aliud à Deo, est impossibile. 123.1
infinitum ens simpliciter datur existens actu. 117.1
de Infinitate Scot. est problematicus, & quomodo soluendus. 120.121.122. &c.
in Infinitis potest esse nõ idẽtitas formalis, perfectior vnitas realis, quam sit vnitas realis in finitis. 89.2
informare, iste terminus, dupliciter sumitur. 297.1
ingenitum quadrupliciter accipitur. 308.1
ingenitum an dicat dignitatem. ibid.
ingenitum formaliter dicit negationem in genere. 310.1
innascibilitas est proprietas Patris. 310.1
inspiratio non est notio. 309.2
instantia naturę duo in Diuinis. 91.2
instãs naturæ vnũ, sunt plures prioritates originis ĩ Diuinis. ib.
intellectio volitio Dei, non est aliud ab eius Essentia. 113.1
intellectio & volitio duplex in Diuinis. 130.1
intellectio essentialis cur prærequiritur notionali. 133.2
intellectio essentialis potest intelligi dupliciter concurrere ad productionem verbi. 134.1
intellectio est vltima perfectio. 135.1
intellectio essentialis non est de ratione formali actus dicẽdi, ib.
intellectio essentialis, nõ est actus ille, quo Pater dicit Verbũ. ib.
intellectio producitur à duabus causis. 303.1
intellectio aliud est, aliud productio intellectionis. ibid.
intellectio ad obiectum suum habet varias relationes. ibid.
intellectio non est actio productiua, termini alicuius. ibid.
intellectio dicitur actio quandoque: cur? 303.2
intellectio producta est verbum. 304.2
intellectio est de genere Qualitatis. 305.1
intellectio connotat relationem. ibid.
intellectio Diuina est vnica, etiam ad infinita intelligibilia extensiuè. 86.2
intellectio actualis est verbum creaturæ. 302.1
intellectionis productio est actus intellectus, non est tamen intellectio. 135.2
intellectione essentiali, vt actu producendi Pater generat Verbum, secundùm Thom. 142.2
intellectus duplex: agens & patiens. 25.2. & 31.2
intellectus agens est, cuius est omnia facere, possibilis verò, cuius est omnia fieri. 31.2
intellectus ad cognitionem supernaturalem habet potentiam naturalem. 10.2
intellectus quomodo est in potentia naturali, vel neutra ad intellectionem. 15.1
intellectus respectu supernaturalium dupliciter est improportionatus. 29.2
Intellectus tendit in obiectum, vt cognitum est in cognoscente, quomodo intelligitur? 110.1
intellectus noster habet pro obiecto naturaliter attingibili Ens inquantum Ens. 208.2. & seq.
intellectus à quo dicitur practicus secundùm Gotfredum. 64.1
intellectus ab eodem dicitur practicus, à quo & habitus, & actus. 65.1
intellectus est potentia naturalis, & libera per participationem. 101.2
intellectus agens, quare dicitur lumen intellectuale. 31.2
intellectus agens & possibilis, quomodo concurrant ad intellectionem. 126.1
intellectus & voluntas dupliciter comparantur ad actus. 230.1
intellectus a voluntate distinguitur ex natura rei. 219.1
intellectus seclusa voluntate, est principiũ merè naturale. 136.1
intellectus requirit obiectum vt concausam, voluntas verò non requirit. 182.2
intellectus nihil est intelligibilium, ante intelligere. 184.1
intellectus comparatus ad agens supernaturale habet potentiã supernaturalem. 10.2
intellectus respectu Verbi est quasi receptiuus, secundùm Gandauen. 130.2
intellectus non est causa totalis intellectionis. 184.2
intellectus & obiectum constituunt vnam causam totalem intellectionis. ibid.
intellectus in productione intellectionis, est causa magis principalis, species verò minùs principalis. 185.1
intellectus noster non requirit similem modum essendi cum naturalibus, vel cum supernaturalibus. 163.1
intellectus noster in statu gloriæ non dependebit à phantasmate in intelligendo. 168.2
intellectus nostri dependentia à phantasmate, vnde? ibid.
intellectus noster quare in actu intelligendi conuertit se ad phãtasmata. 178.2
intellectus noster cur non potest sibi adæquatam intellectionem substantialiter producere? 136.1
intellectus creatus ex puris naturalibus non potest videre Deũ. 255.1
intellectus Diuinus nõ põt uidere Essentiam sine personis. 86.2
intellectus Diuinus intelligit omnia semper necessariò. 113.1
intellectus, & voluntas sunt in Deo potentiæ operatiuæ, & productiuæ. 130.1
intellectus & voluntas non sunt in Deo attributa. 217.1. & ib. colum. 2
intellectus & uoluntas sunt in Patre ex natura rei. 244.2
intellectus naturaliter assensum præbet veritati, uoluntas liberè, etiam contra dictamen rationis. 96.2
intelligere & dicere quomodo se habeant? 135.2
intelligibile non minus requiritur ad intellectionem, quàm intellectus; quis sensus? 84.2
intelligibilia quãtò sunt cõiora tãtò notiora, secus sẽsibilia. 58.1
Intelligibilitas est passio Entis. 212.2

Intel-

Intelligentiæ acceptio varia. 126.2
Intelligentiæ sunt simpliciter necessariæ, secundũ Arist. 224.1
Intelligentiarum ordo secundùm Auic. 178.1
Intensio tota terminatur ad qualitatem intensam. 264.1
Intensio actus est a solo habitu, secundùm quosdam. 258.2
Intensio qualitatis non fit per corruptionẽ prioris gradus. 261.1
Intensio non fit per amotionem contrarij. 263.1
Intensio fit per additionem gradus ad gradum. 263.2
Intensio fit ab vniuoco. 38.1
Intensio quantum remittit de vna forma, tantum assumit de opposita. 264.2
Intensionẽ fieri per maiorẽ dispositionẽ subiecti, opinio. 262.2
Intensionem fieri per additionem gradus ad gradum, negant Thomistæ. 261.2
Intensæ formæ gradus sintnè distincti realiter? 263.2
Intentio prima & secunda quid? 279.2
Intuitiua notitia terminatur ad existens, vt existens est, non ad subsistens. 85.1
Intuitiua cognitio contingentis duplex. 45.2
Intuitiua cognitio declaratur. 85.1
Ioannis de Ripa sententia an sit contraria fidei? 296.1. *ostenditur contradicere Concilijs.* ibid. col. 2. *non contradicit apertè.* ibid.
Iudicium duplex. 32.2
Iustitia non dicitur magis iustitia, quomodo verum? 263.1

L

LAtitudinẽ graduũ in formis intensibilib. negat Caie. 262.1
Latitudo graduũ in intẽsione formarũ, cõcedi debet. 263.2
Leges circa vniuersalia, iudicia circa particularia versantur. 375.1
Lex quem obligat, quem non? 376.2
Liberi arbitrij bonus vsus non est effectus prædestinationis. 372.1.
Libertas stat cum necessitate, & quæ? 132.1
Libertas varia. 232.1
Libertas nostræ voluntatis est ad tria. 363.2
Libertatem nostram concomitatur triplex potentia. 364.1
Locus naturalis debet habere similes qualitates locato. 14.2
Locus conseruat locatum, quale? ibid.
Logica quomodo est scientia rationis, & quomodo realis. 49.2
Logica orta est ab experientia. 50.2
Logica quomodo est modus sciendi, & de modo sciendi, vt de obiecto. 50.1
Logica non est scientia de Ente per accidens. 50.2
Logicæ obiectum quod, secundùm Scotum. 49.2
Logicæ obiectum connotat Ens reale. 50.1
Logicam non esse scientiam realem, licèt consideret de rebus, vt eis attribuuntur secundæ intentiones, quomodo intelligatur? ibid.
Lumen varium. 254.2
Lumen gloriæ dupliciter accipitur. ibid.
Lumen gloriæ non requiritur ad recipiendam visionem beatificam, ab intellectu creato. 20.1
Lumen gloriæ creatum ad videndũ Deũ dari, problema. 255.2
Lumen gloriæ de potentia Dei absoluta non requiritur ad videndum Deum. 257.1
Lumine gloriæ increato indiget intellectus creatus ad videndum Deum. 254.2
Lumen medium inter naturale, & inter lumen gloriæ, ponebat Gandau. 169.1
Lumen aliud corporale, aliud spirituale. 254.2
Lumen spirituale, aliud creatum aliud increatum. ibid.
Lumen increatum vel essentiale, vel personale. ibid.
Lupus cum fertur in ouem appetitu naturali, an possit auocare illum appetitum? 101.2
Lupus raucedinem inducit in hominem, quommodo? 359.1

M

MAla culpæ an sint effectus prædestinationis. 372.1
Malum naturæ & malũ culpæ, vnde proueniat? 115.2
Malum culpæ non cognoscit Deus cognitione acceptante. 352.2
Materia cognita cognoscitur capacitas eius respectu formarum. 37.1
Materia non est de quidditate formę. 83.1
Materia dupliciter sumitur. 136.2
Materia habet ideam. 351.2
Materia non est pura potentia. 354.1
Materia naturaliter appetit omnes formas, etiam formam Cæli. 18.2
Materia est in potentia neutra ad formam. 81.1
Materia an coincidat cum alijs causis, & quomodo? 46.2
Materia intelligibilis, & cur sic dicatur? 41.1
Materia considerata in scientia, non semper est subiectũ illius scientiæ. 47.2
Materiæ omni potentiæ passiuæ conuenit. ibid.
Materiæ diuisio in Materiam, Ex qua, in qua, & circa quam qualis sit? 46.2
Materiam vel quasi materiam, sicut & subiectum vel quasi subiectum, non est ponere in Diuinis. 196.1
Materijs distinctis distinctæ formæ assignantur. 136.2
Materię nomine non vtimur in Diuinis. 222.2
Mathematicæ obiectum continetur sub obiecto Physicæ. 42.2
Maximè scibilia sunt duplicia. 18.2
Mayron. videtur Scoto contradicere. 143.1. *illustrat Sco. responsionem.* 143.2
Medicinæ diuisio in Practicam & Theoricam, an sit bona? 66.1
Medicina vniuersalis est vere practica incompletè tamen, particularis autem completè. ibid.
Medium duplex: essentialiter subordinatum, & nõ ordinatum essentialiter. 9.1
Medium essentialiter subordinatum sumitur dupliciter. ibid.
Medium demonstrationis potissimæ quod? 8.1
Medium particulare, & vniuersale, quid sit? ibid.
Melius est vti non identitatibus, quàm distinctionibus in Diuinis: cur? 141.1
Melius est dicere, Deum necessariò producere, quàm contingenter. 127.1
Memoria fæcunda in Deo quę dicitur. 133.1
Memoria fæcunda Patris est potentia generandi. 202.2
Memoria perfectissima, perfectissimam producit notitiam. 126.2
Mens est nota sibi: secundùm Aug. 14. *de Trin.* 7.2
Mensura ad mensuratum, & scientia ad scibile dicit ordinem essentialem. 24.2
Meritorium actum duo producunt. 77.2
Meritorius actus non a solo habitu producitur. 258.2
Metapysica est speculatiua. 70.1
Metaphysica consideratio de Deo. 70.2
Metaphysica non considerat Deum sub ratione propria, sed sub ratione Entis. 8.1
Metaphysica considerat quidditates particulares sub rationibus proprijs. ibid.
Metaphysicæ obiectum. 41.2. & 51.2
Metaphysicam esse finem scientiarum naturalium. 58.2
Metaphysicus probat esse primæ substantiæ. 51.2
Metaphysicus, Mathemat. & Physicus, quomodo considerent obiecta sua? 42.1
Methaphysicus Deum considerat. 43.1
Missio varia. 248.2
Missio in Diuinis quid sit? 248.1
Missio quid formaliter dicit, & quid connotat. ibid.
Missio actiua Personis producentibus conuenit, idem passiua productis. ibid.

Missio

Index rerum memorabilium.

Missio actiua an toti Trinitati conueniat? 248.1
Missio passiua Personæ Diuinæ ad creaturam, tria dicit. 248.2
Missionis passiuæ difficultates proponuntur, & resoluuntur. 249.1
in Missione in rebus creatis triplex habitudo. 248.2
Mobile primum mouetur a duobus mouentibus. 120.1
Modalis consequentia quomodo infertur ex propositione de inesse. 108.2
Modi essendi in alio sunt varij. 269.2
Modi prædicandi in Deo tres. 277.1
Modi ab Ente distinguuntur formaliter ex natura rei. 153.1
Modi duplices. 210.2
Modi intrinseci concedendi sunt. 211.1
Modi aliqui variant rationem eius cuius sunt modi. ibid.
Modi intrinseci sunt formalitates. 212.1
Modi intrinseci inter se quomodo distinguuntur. 213.2
Modi a quidditatibus distinguuntur formaliter. ibid.
Modi quomodo differunt a passionibus. ibid.
Modi non sunt quid negatiuum. ibid.
Modi sunt positiuæ formalitates. ibid.
Modi intrinseci distinguuntur a differentijs. 214.2
Modorum intrinsecorum genera secundum Mayr. 215.1
Modorũ intrinsecorũ genera secundũ propriã sententiã. 215.2
Modorum genera quatuor. 216.1
Modorum intrinsecorum certus numerus statui non potest. ibid.
Modorum triplex coordinatio. 211.2
modum intrinsecum esse formalitatem negant quidem Scotistæ. 213.1. *satisfit eis.* ibid.
modus Entis non includit Ens. 153.1
modus intrinsecus quomodo definitur? 211.1
modus intrinsecus immediatius conuenit rei, quã passio. 340.1
modus est intimior rei quàm eius passio. 72.2
modus quo causantur Entia rationis. 242.1
modus sciendi est duplex. 50.1
modus sciendi in communi est secunda intentio. ibid.
modus sciendi directiuus est obiectum adæquatum Logicæ, secundum Doct. Sub. 49.2. & 50.1. *negant quidam Scotistæ.* ibidem.
modus sciendi directiuus est triplex. 50.1
modus sciendi directiuus secundò intentionalis dependet a rectitudine modi realis; quomodo intelligitur? 50.2
Molina non intelligit naturæ prioritatem. 90.2
motio qualis est passio corporis naturalis. 123.2
motus sumitur dupliciter. 119.2
motus duo dicit, & est species quantitatis, secundum Scotum. 137.1
motus primi mobilis duplex. 225.1
motus habet suam quidditatem, & non dicit variationẽ. 347.2
motum successiuum esse in instanti, est impossibile. 119.2
motuum specie differentium, sunt distincti specie termini: sensus quis? 137.1
mouens & motum debent esse simul: quis sensus? 359.2
multitudo infinita secundùm Sco. est possibilis. 122.1
mus productus a mure, & ex putrida materia, numero tantum non specie differunt. 136.2
mutatio dupliciter sumitur. 223.1
mutatio quorum est? 180.2
mutatio intrinsecè dicit imperfectionem. 128.2
mutatio est transitus de non esse ad esse. 262.2

N

Natura humana cognita perfectissimè, cognosceretur beatificabilitas eius. 37.1
Natura tripliciter accipitur. 200.1
Naturam meam possum videre sine Persona. 88.1
Natura in Diuinis sumitur quadrupliciter. 230.1
Natura Diuina quomodo se habeat ad suppositum? 138.1
Natura quæuis est communicabilis vt Quo & vt Quod supposito. 138.2
Natura nihil facit frustra, quis sensus. 26.1
Naturæ plures eminẽtissimæ, nõ possunt esse in vniuerso. 112.2
naturale accipitur tripliciter. 12.2
naturalis potentia, positiuè vel negatiuè sumitur. 14.2
naturalis potentia quæ sit? 14.1
naturali propensione data, non est necesse dare omnia alia requisita. 20.1
naturalis obiecti ratio formalis præcedit intellectionem, non sequitur. 27.1
naturalitas in obiecto quid facit? 42.2
naturæ vnius est vnius modus cõmunicandi; quis sensus? 136.2
necessaria Entia sunt causata, secundùm Arist. 223.2. & seq.
necessaria productio Entium necessariorum explicatur secundum Philosophos. 225.1
necessarium simpliciter duplex est. 199.1
necessarium simpliciter impossibile est produci. 272.1
necessarium esse ex se formaliter, & ab alio productiuè sunt cõpatibilia in eodem. 127.2
necessarium & voluntarium possunt simul stare. 115.2
necessarium ex se & ab alio, nihil potest esse. 127.2
necesse esse non est propositio per se nota. 106.2
necessitas secundum se dicit perfectionem. 127.1
necessitas consequẽtis, alia est à necessitate cõsequentiæ. 364.1
necessitatis modi quatuor. 1.2
necessitatis diuisio secundum S. Bonau. 199.1
secundùm Scotum. ibid.
negatio duplex. 307.2
negatio alia extra genus alia in genere. 287.1
negatio intra genus & infra genus. ibid.
negatio quæ consequitur vnitatem, non est negatio multitudinis. 287.2
negatio importata per vnitatem, dicit priuationem diuisionis. ibidem.
negatio Enti potest tripliciter inesse. 357.2
negatio post se, non ante se tollit. 145.2
neotericorum dictum commune falsum. 350.1
neotericorum error. 83.2
neutra potentia dicit capacitatem, & duplicem negationem, secundùm quosdam. 13.2
neutra potentia quid sit, secundùm veritatem? 14.1
nihil est necessarium ex se, & ab alio: quis sensus? 127.2
nihil à Deo est simpliciter immutabile. 226.1
nihil est ita in potestate voluntatis, sicut voluntas. 102
nolle potest esse sine tristitia. 98.1
nomina varia variè dicuntur de Deo. 276.2
nominum dictorum de Deo diuersitas. ibid.
nomine formæ vtimur in Diuinis, & non nomine materiæ. 222.2
nominibus exclusiuis quando licet vti in Diuinis. 274.1
nominibus adiectiuis non substantiuis, adduntur termini numerales in Diuinis quare? 238.2
nomen à nobis impositum potest rem distinctius significare, quàm à nobis concipiatur. 277.2
nomen Tetragrammaton quid significet? 277.1
Nomen significatiuum tres debet habere conditiones, in eo qui vtitur eo nomine. 278.2
nomen personæ est nomen primæ intentionis. 279.1
nominales cur ita dicti sunt? 333.1
non identitas potest stare cum simplicitate. 197.1
Non identitas formalis meliùs admittitur inter relationem & essentiam Dei, quàm distinctio formalis. 141.2
non identitate melius est vti in Diuinis, quã distinctione. 142.1
non omnis informatio est secundum inclinationem naturæ. 13
non omne contentum sub Ente, mouet intellectum Dei. 95.1
notio quid sit. 309.1
notio relatio, & proprietas distincta sunt. 309.2

d no-

Notiones quinque communiter numerantur. 309.1
Notionales actus cur ſic dicantur? 299.2
Notionales actus priores ſunt eſſentialibus,dicentibus reſpectũ ad creaturas. 301.1.
Notitia eſſentialis cum notionali non eſt eiuſdem rationis. 131.2
Notitia actualis eſt producta. 179.1
notitia producta eſt verbum. 305.2
notitia Dei vt terminatur ad contingentia contingenter terminatur. 369.1
Notitia eſſentialis Dei non eſt principium productiuum Verbi. 131.1
Notitia genita præter ingenitã cur ponitur in Diuinis. 125.2
Notitia prædita circunſtantijs debitis in omni intellectu eſt practica. 75.2
Notitia ſola infinitè intenſiua infiniti intellectus Deum comprehendit. 86.2
Notitia comprehenſiua quid requirit. 86.2
Notitia enunciatiua duplex:directa & reflexa. 30.2
Notitia Dei de veritatibus neceſſarijs,prior eſt quam volitio: quomodo? 74.1
Nulla creatura eſt perfectè ſimplex. 207.2
Nullum productum eſt ex ſe neceſſarium. 127.2
Numerales termini in Diuinis,quomodo iunguntur? 238.2
Numerus duplex tranſcendens,& in genere. 285.1
Numerus eſt quid reale. 285.2
Numerus eſt vnus formaliter. ibid.
Numerus prædicamentalis non eſt in Diuinis. 286.1
Numerus accidentalis diſtinguitur realiter à rebus numeratis. 285.1
Numerus numerans eſt infinitus Syncathegorematicè. 142.2
Numerus autem numeratus eſt infinitus Cathegorematicè, ſi detur infinitum. ibid.
in Numeris reperitur vnitas duplex. 285.2
Numeri occurſorij qui dicuntur. 183.2
Numeri ſonori ſex genera D. Auguſt. enumerat. ibid.
Numeri recordabiles, ſenſibiles,iudiciales, progreſſores quid ſint? ibid.
Numeri diuiſio non procedit in infinitum, ſciſtat ad vnitates indiuiſibiles. 264.2
nunc temporis & nunc æternitatis differunt. 228.1

O

OBiecta ſcientiarum ſunt in duplici differentia. 108.1
Obiecta ſcientiarum quæ abſtrahunt ab exiſtentia? 108.1
Obiectiuè eſſe in intellectu,dupliciter intelligitur. 242.2
Obiectiuum eſſe quid ſit? 343.1
Obiectiuũ eſſe non eſt medium inter Ens reale & rationis. ibidem.
Obiectiuũ eſſe diuerſo reſpectu,diuersè denominatur. 343.2
Obiectiua communitas conceptus, alia eſt à communitate obiectiua realitatis. 290.2
Obiectum habitus dicitur vario modo. 44.1
Obiectum ſcientiæ dupliciter ſtatui poteſt. 36.1
Obiectum communiſſimum duplex, 95.1
Obiectum adæquatum quod? 28.2
Obiectum adæquatum proprie quod. 163.2
Obiectum adæquatum noſtri intellectus quod? 164.1
obiectum ad æquatũ inteſiuè,in Diuinis tantũ reperitur. 164.1
obiectum verè et formaliter practicum quod. 72.1
obiecta potentiarum quare non ſint nobiliora potentijs. 65.2
de obiecto eodem ſub eadem formali ratione an poſſit eſſe idem habitus ſimul practicus & ſpeculatiuus. 71.1. & 74.2
in obiecti adæquati intellectus noſtri aſſignatione, parua diſſenſio inter D. Thomam & Scotum. 162.2
Obiectum adæquatum Diuini intellectus non eſt Ens. 94.2.
nec etiam noſtri. 29.2
Obiectum adæquatum vni actui quando eſt adæquatum toti potentiæ. 95
Obiectum primum debet continere virtualiter omnes veritates ſui habitus. 33.1
Obiectum habet duplicia contenta. ibid.
Obiectum habet rationem cauſæ & effectiuæ & formalis. 27.2
Obiectum intelligibile comparatur ad duo. 33.2
Obiectum primum continet habitum, & totaliter & partialiter. 33.2
Obiecti primi deſcriptio,eiuſque conditiones. 34.1
Obiectum habitus ad habitum,non habet ſe vniuerſaliter,ſicut obiectum potentiæ ad potentiam. ibid.
Obiectum eſt genus, cuius principia, ſpecies, & proprietates conſiderantur in tali ſcientia. 34.2
Obiectum & ſubiectum ſumuntur pro eodem, licèt ſecundùm aliquam rationem conſiderandi poſsint diuerſificari. 36.1
Obiectum naturale dupliciter accipitur. 28.2
Obiectum debet dare euidentiam ſuis veritatibus. 43.2
Obiectum Phyſicæ quod? 25.1. & 42.2
Obiectum Metaphyſicæ quod. 51.2
obiecti Theologici ſpecies. 35.1. proprietates. ib. principia. ibid.
obiectum noſtræ Theologiæ duplex. 44.1
obiectum continere veritates virtualiter dupliciter intelligitur. 44.2
obiectiuum motiuum & terminatiuum ſimul Diuini intellectus, & obiectum tantùm terminatiuum quod? 52.1
obiectum quodlibet motiuum eſt terminatiuum, ſed non è conuersò. ibid.
obiectum operabile dupliciter conſideratur, ſecundùm Godfredum. 64.1
obiectum beatificum non habet repugnantiam quo minus Eſſentia Diuina poſsit videri ab intellectu Diuino, ſed ipſe intellectus. 87.1
obiectum primum primitate perfectionis & originis, reſpectu intellectus Diuini, eſt Eſſentia Diuina, ſub ratione Eſſentiæ. 95.1
obiectum in memoria tripliciter poteſt eſſe. 126.
obiectum perfectiſſimum, in memoria perfectiſſima, eſt modo perfectiſsimo. ibid.
obiectum haberet naturalem potentiam ad intellectum quid ſit? 163.2
obiectum terminatiuum intellectus Diuini eſt duplex. 342.2
obiectum adæquatum intellectus Diuini non eſt aliquid tranſcendens. 94.2
obiectum non eſt cauſa totalis intellectionis. 182.2
obiectũ ſciẽtiæ ſub qua rõne debet conſiderari a ſcientia? 55.2
ocam nominalium Pater. 28.1. ſequitur Scotum. 101
odium Dei non eſt praxis. 62.1
omne totum eſt maius ſua parte, ſitnè propoſitio per ſe nota. 104.1
omni ſcientia practica, eſt nobilior aliqua ſpeculatiua; falſum eſt. 78.2
omne quod eſt, quando eſt, neceſſe eſt eſſe. 364.1
omnipotentia eſt æqualis in tribus Perſonis. 270.2
omnipotentia mediata & immediata. 375.1
omnipotentia mediata poteſt naturali ratione demonſtrari. ibi.
omnipotentia immediata non eſt demonſtrabilis ratione. ibid.
omnipotentiæ quæ ſit ratio? 271.2
omnipotentię obiectum eſt poſſibile, oppoſitum neceſſario. 270.2
omnipotentiæ Dei derogare ob ratiunculas leues non decet, extollere tamen per eas ſufficit. 84.1
operans actu, eſt: non eſt propoſitio per ſe nota. 106.2
operatio qualibet imperata ab electione eſt praxis ſed non ſola. 69.1
operatio vel eſt actio, vel factio. ibid.
operatio duplex: tranſiens, & immanens. 180.2
operatio & actio idem ſunt. ibid.
operationes immanentes quales ſunt? 179.2
operationes immanentes ſunt qualitates. 180.1

Operationes immanentes impropriè dicuntur actiones. 187.2
operationes intellectus sunt tantùm tres. 31.1
operatiuum principium dicit perfectionē nō productiuū. 133.2
ordo includit numerum. 92.1
ordo nō dicit imperfectionem in Diuinis, secus in creatis. 92.2
ordo originis ibi ponitur, vbi reperitur A quo. ibid.
ordo inuoluit prius & posterius. 92.1
originis relationes non sunt de formalis ratione essentiæ Diuinæ. 82.1
originis relationes nō dicūt aliqua perfectionē formaliter. 83.2
originis relationes possunt habere conceptū cōem reale. 280.1
Originis relationes distinguuntur ab Essentia Diuina ex natura rei. 326.1.& seq.
originis relatio non est formaliter infinita. 83.2
originis prioritas duplex. 299.1
originis prioritas est in Diuinis. 92.2
oxonien. scriptum et Parien. est vna Theologia Doctoris Subt. 133.2

P

PArtes duplices in toto reperiuntur: *aliquæ quæ sunt actu in toto, ab eo non distinctæ, aliquæ è conuerso.* 264.1
Passio est æquiuocum. 96.1
passio Physica & Metaphysica, quomodo differūt à suis subiectis. 47.1
passio est extra essentiam subiecti. ibid.
passio est de essentia subiecti, & passio est essentialiter idem subiecto, distincta sunt. 47.1
passio prior respectu posterioris, non est medium Propter quid. 8.1
passio potest omni appetitui conuenire. 96.2
passiones Phisicæ possūt esse sine subiecto, metaphys. non. 47.2
passiua potentia potest definiri dupliciter. 15.1
passiuo & actiuo ad inuicem approximatis & non impeditis, necessario sequitur actio. 2.1.& 181.1
pater sumitur dupliciter; substantiuè & adiectiuè. 193.1
pater nō generat filiū volūtate antecedēti secundū Heric. 197.1
pater intellectione essentiali, vt actu producendi, generat Verbum, secundùm 7 hom. 134.2
pater nō producit filiū volūtate, vt productiuo principio. 198.1
pater generat filium volens. 197.2
pater genuit filium volens, quadrupliciter intelligitur. 198.2
pater generat filiū necessariò, necessitate ineuitabilitatis. 199.2
pater filium generat natura. 200.1
pater est prior origine filio. 312.2
pater spirat Spiritum sanctum per filium quomodo? 233.2
pater & filius vnus est spirator, sed duo spirantes. 238.1
pater quomodo prior filio in Diuinis? 85.2
pater num sit Beatus in illo priori quo est prior filio? ibid.
pater in Filio, & filius in Patre quomodo sit? opinio. 269.
pater & Filius spirant Spiritum Sanctū non inquantum vnum, opinio. 237.1
Pater & Filius spirant Spir. S. voluntate inquatū vna. 237.2
Pater & Filius quomodo se diligunt Spiritu Sancto? 323.2
Pater diligit se Spiritu sancto. 325.2
Pater non est sapiens sapientia genita. 322.1
Pater Verbo creat, sensus quis? ibid.
Pater dicit Verbo: sensus quis? 322.2
Pater declarat Verbo: sensus quis? ibid.
Pater actu dicendi producit Verbum. 135.1
Pater si non generaret filium, esset impotens: quomodo consequentia tenet. 272.1
Pater generat Filium memoria fecunda. 134.2
Paternitas cur Filio non communicetur? 86.2
paternitas quatenus Paternitas, nec est idem essentiæ, nec diuersum. 144.2
paternitas est ratio generantis, sed non generandi. 201.2
paternitas est alia res ab Essentia. 144.2
paternitas Diuina de se est incommunicabilis. 294.2
paternitas & generatio actiua, distinguuntur ratione. 311.2
paternitas multas in se habet abstractiones. 312.1
patres qualem prioritatem negant in Diuinis. 93.2
in peccato est duo considerare. 367.1
per, ista propositio varie construitur. 239.2
per accidens, tripliciter sumitur. 318.2
per se & per accidens aliud Logicum, aliud Metaphysicum. 294.2
perfectio simpliciter describitur. 138.2.& 206.2
perfectio simpliciter simplex describitur.
perfectio simpliciter explicatur. 206.2
perfectio simpliciter quadrupliciter consideratur. 20.7
perfectionis simpliciter quatuor conditiones. 206.2
perfectiones infinitæ in Deo dupliciter possunt concipi. 339.1
perfectum quid sit? 122.2
permissio Dei quid significet? 377.2
permissio, operatio, præceptum, prohibitio, & consilium, signa voluntatis Diuinæ. 377.1. *quæ inter se differant?* ibid.
permutata propositio quid? 332.2
perseitatis acceptio. 76.2
per se, sumitur tripliciter. ibid.
per se notæ propositionis definitio. 103.1
per se notam, propositionem non facit conceptus confusus definiti. 103.2
per se notæ propositiones sunt in trriplici differentia. 104.1
per se nota propositio debet esse indemonstrabilis. ibid.
per se nota propositio est etiam, nota nobis. 105.2
per se nota propositio, in actu cognitam & cognoscibilem, malè diuiditur. 105.2
per se nota propositio, in per se notam in se, & per se notam nobis, malè diuiditur. ibid.
per se vera propositio, non quælibet per se nota. 103.2
Per se notam propositionem, quisnam conceptus faciat. 103.2
persona definitur. 83.1. *definitio Personæ corrigitur.* 281.1
persona dicit duplicem negationem communicabilitatis: probabile est. 281.1
persona pro formali dicit aliquid positiuū; probabile est. 281.1. & 283.2
persona an dicat aliquid positiuum formaliter: problema apud Scotum. 282.2
persona in communi, non dicit relationem propriam, nec communem. 290.1
Persona in communi cur non dicat secundam intentionem. 280.1.
persona in communi abstrahit à relatiuo & absoluto. 290.1
persona vt sic est quid commune, communitate conceptus, non realitatis. 290.2.& 291.1
persona creata licèt consistat in duplici negatione non tamen idem sit iudicium de Persona Diuina. 282.2
persona vna est tantum improducta in Diuinis. 137.2
persona vna Diuina est in alia, secundùm se tota. 269.1
persona est ita simplex sicut Essentia: quis sensus? 292.1
persona vna improducta non infert vnam tantùm productam. 137.2
persona vna potest quis frui sine alia. 81.2
personam Diuinam videri sine Essentia, est impossibile. 88.2
Persona in esse personæ constituitur relatione originis. 312.1
personæ nomen est nomen primę intentionis. 281.1
personæ inexistentia, non dicit continentiam, sed præsentiam subsistentis in subsistente. 269.2
personæ ratio cur absoluta in creatura, & relatiua in Creatore. 294.2
personæ absque relationibus quomodo possunt intelligi, vel non, distinctæ? 313.1
personæ tres in Essentia Diuina. 137.2
personæ Diuinæ habent inter se præexigentiam non dependentiam. 269.1
personæ ratio quomodo est communissima in Diuinis? 290.2

personæ Diuinæ per quid distinguantur, opinio. 291.2
personæ Diuinæ in esse personali constituuntur & distinguuntur, per relationes originis. 292.1
personas Diuinas in esse personali constitui per proprietas absolutas, Opinio. 295.1
personarum Diuinarum signa. 92.2
personalis proprietas distinguitur ab essentia non secundùm intellectum præcisè. 139.1
physicæ obiectum continetur sub obiecto Metaphysicæ. 42.2
pluralitas numeralis effectuum, requirit maiorem perfectionē in agente. 117.2
pluralitas debet reduci ad tantam paucitatem ad quantam reduci potest. 132.1
plures naturę eminentissimę non possunt esse. 112.2
possibile accipitur quadrupliciter. 128.1
possibilitatis ratio in creatura, formaliter est ex se, principiatiuè à Deo. 375.2
possibilitatis & impossibilitatis ratio in quo sint? 271.2
posterius non semper debet esse tale, quale est suum prius. 32.1
potentia vario modo sumitur. 270.1
potentia uiolenta à quo denominatur? 12.1
potentia naturalis dupliciter dicitur, positiuè & negatiuè. 14.2
potentia neutra dicit capacitatem & duplicem negationem, secundùm aliquos. 13.2
potentia neutra quid sit secundum veritatem. 14.1
potentia distinguitur ab aptitudine. ibid.
potentia naturalis, violenta, & neutra, in eadem materia potest assignari. 13.2.
potentia receptiua accidentium est triplex. 12.1
potentia intellectiua vel volitiua naturalem habet inclinationem ad actus vel habitus supernaturales. 18.1
potentia supernaturalis primò & per se denominatur talis ab agente supernaturali. 12.1
potentia libera duplex. 102.1
potentia habens aliquod commune pro obiecto adæquato, potest in quodlibet contentum sub illo adæquato: quis sensus? 28.2
potentia actuabilis à pluribus per se obiectis non habet pro obiecto aliquod eorum, sed commune ipsis. 52.1
potentia & obiectum quod illorum secundariò, quod primariò concurrit ad actum? 258.2
potentia & obiectum debent proportionari: quomodo. 94.1
potentia finita non potest habere duos simul adæquatos terminos. 173.2
potentia respectu actus naturalis, est principalior causa quàm habitus, non tamen respectu actus meritorij. 258.2
potentia vna agit in distans, mediante alia, agente in propinquum medium, prouenit id ex duplici causa. 358.2
potētia cōparata ad agēs supernaturale est supernaturalis. 10.2
Potentia passiua non dicitur supernaturalis, per se & formaliter, per comparationem ad formam supernaturalem. 12.1
potentia passiua potest definiri dupliciter. 15.1
potentia productiua in Deo ad intra, neque, est actiua neque factiua. 125.2
potentia Dei productiua abstrahit a causa & effectu. 128.1
potentia actiua quo sensu est in Deo. 126.1
potentia generandi est memoria fæcunda Patris. 202.2
potentia generandi non est in Filio Dei. 204.1
potentia generandi non continetur sub omni potentia. 270.2
potentia in Deo duplex: absoluta & ordinaria. 376.2
potentia comparata ad formam quam recipit, naturaliter ad eam inclinatur. 30.1
potentia sensitiua totalis proxima, includit organum. 186.1
potentia receptiua actuum supernaturalium, respectu talium actuum, vel est violenta, vel supernaturalis, vel naturalis, vel neutra. 18.2
potentia respectiua actuum supernaturalium, cur non denominetur ab illis actibus supernaturalis. 12.1
potentiarum distinctio per actus, non est prima. 230.1
potentia executiua in Deo non est aliud quàm velle Diuinum actuale, efficax, respectu creaturæ. 376.2
potentiæ varia diuisio. 202.2
potentiæ passiuæ diuisio & appellatio varia. 10.1
potentiæ passiuæ diuisio bona. 12.2
potentiæ pasiuæ naturali quomodo correspondet actiua naturalis? 13.1
potētiæ pasiuæ naturali correspondet actiua naturalis: in multis est falsa. 25.2
potentiæ distinguuntur per obiecta: quis sensus? 95.2
potentię distinguuntur per actus, actus per obiecta. 4.1
potentiæ habent intrinsecas vnitates, alias ab his quæ sunt ab obiecto. 43.1
potentiæ per se ordinantur ad perfectionem animæ per accidēs autem ad obiecta. 65.2
practica notitia alia imperfectè practica, alia perfectè. 65.2
practica notitia sumitur strictè & strictissimè. 76.1
practica notitia applicabilis immediatè ad opus, quæ? ibid.
practica notitia habet rationem practici, principaliter ab obiecto, secundariò à potentia. 77.2
practica quælibet est nobilior aliqua speculatiuæ scientia est falsum. 78.2
practica notitia est prior praxi. 62.1
practica notitia est conformatiua praxis. ibid.
practica notitia ad quid extenditur. 59.1
practica notitia aliquomodo extenditur ad praxim. 58.2
practica notitia & praxis ab illa dirigibilis, probabile est quod debeat esse in eodem supposito. 75.1
practica est minus nobilis quàm speculatiua, secundùm Arist. quomodo? 67.2
practica cognitio est de contingenti obiecto, Opinio quorundam. 68.2
practica cognitio finis, quæ requirit ad eius cognitionem. 70.2
practica principia sumuntur à fine, quomodo sit verum? 66.2
practica aliqua est nobilior omni speculatiua. 63.1
practica notitia propriissimè vt fiat, quid requiritur. 74.2
practicam notitiam esse in vno supposito, & praxim in alio, probabile est. 75.2
practicæ scientiæ obiectum, an sit finis? 48.1
practicæ notitiæ duplices sunt. 61.1
practicæ sciētiæ finis est opus: dupliciter intelligitur secundùm Godfr. 64.1
practicæ notitiæ rectitudo perfecta, debet habere omnes conditiones. 75.2
practici & speculatiui ratio, sunt posterius ratione scientiæ. 63.1
practicum per se & practicum per accidens. 76.2
practicum & speculatiuum sunt proprietates habitus in communi diuidentes. 71.1
practicum & speculatiuum diuidunt scientiam in communi. ibid.
practicum & speculatiuum non sunt essentiales differentiæ scientiæ. 63.1
practicum completè & incompletè. 65.2
practicum & speculatiuum esse differentias essentiales, & non esse differentias essentiales, dum dicit Scotus, quomodo non sibi contradicit. 66.1
practicus habitus duplex. 2.2
practicus habitus habet conformitatem & prioritatem ad praxim ex obiecto.
practicus a speculatiuo distinguuntur fine. 67.2
Practicus habitus est de contingentibus: quomodo? 78.2
Practicus habitus habet rationem practici aliquando a fine, non inquantum finis est, sed vt obiectum. 66.2.
Praxis est actus alterius potentiæ quam intellectus. 59.1. & 61.1
Praxis est naturaliter posterior intellectione. 59.2
Praxis est actus voluntatis elicitus vel imperatus. ibid. e contra fal-

tra falsum est. 61.2
Praxis non qualibet sequitur electionem. ibid.
Praxis est actus hominis vt homo est. 59.2
Praxis est minùs commune quàm actus voluntatis elicitus vel imperatur. ibid.
Praxis debet esse actus, aptus elici conformiter rationi rectæ. 60.1
Praxis vt est actio sumitur dupliciter. 61.1
Praxis acceptio esse conuenientissima probatur. ibid.
Praxis debet esse actus dirigibilis a ratione recta. ibid.
Praxis sequitur electionem: vniuersaliter sumptum, falsum est, 68.2
Praxis est operatio secundùm electionem: tripliciter potest intelligi. 69.1
Praxim non esse actum elicitum voluntatis, opinio. 68.2
Praxim circa finem vltimum an ponat Arist. 67.2
Praxis Diuina, quare est prior ô notitia practica creata? 76.1
Prædestinatio priùs est, quàm meritorum Christi acceptatio. 273.2
Prædestinatio est actus voluntatis. 370.1
Prædestinatio est actus intellectus secundùm Thomistas. ibid.
Prædestinatio ponitur aliquando sub scientia Dei. 370.2
Prædestinatio non est idæa. 370.1
Prędestinationis quatuor instantia. 372.2. ad quid necessaria? 373.1
Prædestinationis causa est Fides, opinio. 371.1
Prædestinationis causa est bonus vsus liberi arbitrij præuisus, alia opinio. 371.2
Prædestinationis non est causa in prædestinato. 372.1
Prædestinationis causa an sint merita Christi? 373.1
Prædestinationis effectus qui sunt. 371.2
Prædestinationis effectus per se, & per accidens. 372.1
in Prædestinationis determinatione sūma Sco. modestia. 372.2
Prædestinationem quomodo nobis meruit Christus, secundùm Doct. Subt. 373.2
Prædestinatorum numerus an possit augeri vel minui? 370.2
Prædestinatus potest damnari. 370.1
Prædestinat Deus contingenter illos quos prędestinat. 370.1
Prędicamenta aliter sunt primò diuersa, quàm differentię vltimæ. 165.2
Prædicatio non per se, & non formalis in Deo, est multò verior & perfectior, quàm prædicatio formalis in creatura. 294.2
Prædicatio multiplex. 164.2. Exercita & signata. ibid.
Prædicatio exercita multiplex. Formalis, Denominatiua, Quidditatiua, Qualitatiua, &c. ibid.
Prædicatio identica quid sit. ibid.
Prædicatio identica duplex. 165.1
Prædicatio signata quid? ibid.
Prædicatum finitum & infinitum quid sint? 189.1
Prædicatum per se quod? 77.1
Prędicatum Quid, & prædicari in Quid, sunt diuersa. 164.2
Prædicatum vniuersalis affirmatiuæ continet sua inferiora confusè tantùm & non distributiuè. 28.2
præexigentia reperitur inter Personas Diuinas non tamen dependentia. 128.2
præmissæ sunt causæ totales Conclusionis. 28.1
primitas primi cogniti est triplex. 195.1
primò notum cui habitui sit assignandum. 43.2
primò notum alicuius habitus quid sit? ibid.
primò notum in Theologia est Ens infinitum. ibid.
primò notum an sit obiectum. 44.1
primò notum quomodo nec euidentiam nec continentiam habet in Theologia. 44.2
primò notum in contingentibus est per intuitionē extremorum. 45.2
primò cognitum via generationis in cognitione confusa est species specialissima. 160.1
Primus motor potest mouere motu infinito. 117.2
primus motor habet potentiam infinitam. ibid.
primum mobile mouetur a duobus mouentibus. 120.1
primum effectiuum est incausabile. 112.2
primum effectiuum est necesse esse. ibid.
primum effectiuum est vnum secundùm naturam. ibid.
primum sine posteriori an possit intelligi? 128.1
primitas duplex; naturæ & adæquationis. 94.2
primitas secundùm generationem, & secundùm perfectionem. ibid.
primitas secundùm generationem, & perfectionem, in Deo est eadem, sed non in creatura. ibid.
primitas primi cogniti triplex. 159.1
principia prima cognoscens, potest cognoscere conclusiones contentas virtualiter in talibus principijs. 34.2
principia prima habent veritatem in rebus & materialibus & immaterialibus. 27.2
prncipia obiecti qualia debent esse. 35.1
principia obiecti Theologici. ibid.
Principia dupliciter cognoscuntur in luce increata. 172.2
Principia scientiarum longè perfectiori modo cognoscuntur in Verbo, quàm in scientia naturali, non est tamen subalternatio. 57.1
Principium sapit naturam sensibilium; quomodo verum sit? 28.1
Principium duplex Quo & Quod. 131.2
Principium Quo productiuum ad intra in Diuinis, non est præcisè sumpta Essentia. 132.1
Principium Quo generationis & spirationis. quodnam sit? 131.1
Principium & causa distinguuntur. 313.2
principium non est commune ad principium personaliter & essentialiter dictum. 313.1
principium liberum distinguitur a naturali. 229.2
principium actiuum constructum cum Gerundiuo in Genitiuo, quid denotat? 204.1
principium productiuum per modum naturæ in Deo, quale? 132.1
principium productiuum Spiritus Sancti est naturale, secundùm Thom. 229.1
Principium productiuum per accidens coniungitur potentiæ passiuæ. 25.2
Principium producendi res ad extra, est voluntas Diuina. 349.2
Prioris ratio in communi, in quo sita est. 90.2
Prioris ratio magis Deo conuenit, quàm principij. 92.1
Prioritatis acceptio secundùm Arist. 90.2
Prioritas naturæ, quomodo est prioritas à parte rei. 91.1. vnde infertur? ibid.
Prioritas naturæ non est in esse, sed in intelligi quis sensus? ibidem.
Prioritas naturæ variè nuncupatur. ibid.
Prioritas naturæ, originis, & signorum, quid in Diuinis? ibidem.
Prioritas naturæ in Deo, est prioritas præsuppositionis, quoad intelligibilitatem. 91.2
Prioritas naturæ in Diuinis admitti debet. 92.1
Prioritas, & posterioritas naturæ in creatis dicit imperfectionem, non tamen in increatis. 91.2. & 92.2
Prioritas alia durationis, alia intelligibilitatis. 299.1
Prioritas originis duplex. ibid.
Prioritas originis sumitur propriè, & impropriè. 91.2
Prioritas originis in quo consistit? ibid.
Prioritas originis non inuoluit dependentiam. ibid.
Prioritas originis non infert prioritatem durationis. 128.1
Prioritas originis, stat cum simultate naturæ. 94.1
Prioritas originis in Diuinis, ignota Arist. 90.2
Prioritas originis in Diuinis debet admitti. 92.2
Prioritas signi, non infert existere hoc sine illo. 301.1

Prioritas secundùm rem, potest esse non tantùm inter res reales, sed etiam inter rationes reales. 93.2
Prius quando intelligitur sine posteriori. 128.1
Prius natura potest esse sine posteriori. 178.2
Priuatio mensuratur per suum habitum. 264.2
Priuatio triplex. 307.2
Priuationes & negationes non sunt Entia rationis. 243.2
Productio distinguitur à communicatione. 193.2
Productio Diuina ad intra, abstrahit a causa & effectu 128.1
Productio alicuius infiniti subsistentis potest esse in Diuinis. 125.1
Productio vnius rationis vna tantùm est in Diuinis. 132.2
Productio Spiritus Sancti est necessaria, libera tamen. 232.1
Productiones in Deo ad intra tantùm sunt duę. 130.1. & 131.2. & 132.1
Productiones Diuinę, seipsis formaliter distinguuntur. 245.1
Productiones Diuinæ, distinguūtur principiatiuè principijs. ib.
Productiuum principium in Deo per modum naturæ, quod. 132. 1
productiuum principium Quo in Deo ad intra, non est Essentia. ibid.
productiuum principium illimitatum quod? 341.2
productiuum principium per accidens coniungitur potentię passiuæ. 125.2
productiui principi ratio, & vt Quo & vt Quod, Deo conuenit. 127.1
productum non potest esse ex se necessarium. 127.2
proportio trāsmutata quale efficit argumentū. 332.2. et 357.2
proportio geometrica alia, alia Arithmetica. 253.2
proportionalitas fundatur super similitudinem, & æqualitatem. 268.1
proportionalitas est relatio rationis. ibid.
proprietas, relatio, & notio, habent se secundùm magis & minus. 309.2
proprietas personalis, seu relatio, distinguitur ab essentia, quomodo? 139.1
proprietas in Diuinis quælibet est constitutiua. 309.2
proprietates in Diuinis tantùm sunt tres, s. Paternitas, Filiatio, & Spiratio passiua. ibid.
propter quod vnumquodque est tale, ipsum est magis tale. 38.2
propositio per se nota quæ sit; quomodo definiatur. &c. Vide per se nota propositio.
propositio de secundo vel de tertio adiacente quid sit? 106.2
propositionum triplex adæquatio. 9.1
ex propositione de inesse, quomodo modalis consequentia infertur? 108.2
ad Propositionem vnam de inesse & alteram de possibili, non sequitur Conclusio de possibili vniuersaliter. 368.1
propositiones in quibus prædicatum dicitur per se primò de subiecto, non sunt indemonstrabiles, nec per se notæ. 106.1
pulchritudo quid sit? 98.2
pulchritudo est dispositio sequens iuuentutem, non complementum eius. ibid.

Q

QValitas in infinitum intensa, est possibilis. 102.1
Quæ sunt communia Deo & creaturæ, sunt eiusdem rationis: sensus quid? 108.1
Quæcunque sunt eiusdem rationis formalis, quicquid dicitur de vno in Quid, dicitur & de altero: quis sensus? 107.2
Quæstio de Theologia contingentium an sit practica, à multis non intelligitur. 78.1
Quale quid cōmutare in Hoc aliquid: quid sit. 29.1. & 143.2
Qualitas remissa non includit tantum de realitate formæ, quātum intensa. 263.2
Quando aliquid alicui per se conuenit, oppositum eius nec per se, nec per accidens poterit inesse, non semper est verum. 77.1
Quandocunque aliqua duo sunt idem vni tertio sunt idem inter se: in Diuinis quomodo verum? 143.1
Quantitas infinita si daretur, poneretur in prædicamento Quātitatis. 210.1
Quantitas noua adueniens aucto in augmentatione, est eiusdē speciei cum præcedente, et distinguitur tantùm numero partiali, & imperfecto. 264.1
Quaternitatem Doct. Subt. nunquam posuit in Diuinis, vt à multis sibi imponitur, ex malo intellectu suę doctrinæ. 330.1
Quicquid est in Essentia Diuina, est de se hoc & singulare. 153. 2
Quicquid est in Ente reali, vel est essentia, vel existentia: falsa est.
Quidditas non est adæquatè id quod essentia. 332.2
Quidditas alicuius dupliciter potest cognosci. 147.1
Quidditas rei materialis non est obiectum adæquatum nostri intellectus. 162.1
Quidditas obiectiua est Ens creatum. 346.1
Quidditas Diuina non habet esse obiectiuum? 347.1
Quidditatis productio est duplex
Quidditas est perfectior suo modo. 356.2
Quidditates enumerantur à Mayron. 347.1
Quidditates vt quidditates in esse obiectiuo, abstrahunt ab esse actuali & potentiali. 343.2
Quidditates non sunt verè & realiter æternæ. 344.2
Quidditates in esse obiectiuo sunt necessariæ. ibid.
Quidditates non fuerunt in esse intelligibili ante productionem. 345.2
Quidditates in esse merè quidditatiuo non sunt productæ vel improductæ. ibid.
Quidditates creaturæ in potentia obiectiua, & Deus, distinguūtur essentialiter. 346.2
Quidditates dicuntur creaturæ. 346.1
Quidditates in mente Diuina, nec formaliter sunt, nec subiectiuè. ibid.
Quidditates in esse obiectiuo non distinguuntur realiter à Deo. 346.2. sed formaliter. ibid.
Quidditates sunt in duplici differentia. 347.1
Quidditates omnes creabiles, & modi earum, habent esse obiectiuum. 347.2
Quidditates distinguuntur a Deo. 346.2
Qui est, nomen Dei, quomodo Deo proprium. 277.1
Quo cuilibet, respondet suum Quod. 138.2. & 190.1
Quod est de quidditate alicuius, est aliquomodo prius eo sensus quis? 108.1
Quod non est causabile a causis extrinsecis, non est etiam causabile a causis intrinsecis. 112.2
Quod alicui datur in principio sui esse, licèt detur supernaturaliter, est illi naturale. 22.2

R

RAtio formalis scientiæ triplex est. 40.2
Ratio eadem potest esse Theologo vera demonstratio, & non Philosopho. 5.1
Ratio accidentalis in subordinata scientia non facit subordinationem. 56.1
Ratio accidentalis in subordinata scientia, subalternanti est accidentalis, subalternatæ verò non. ibid.
Ratio ad declarandum verum reuelatum, est optima & necessaria. 126.2
Rationes quæ ex identitate relationum cum essentia inferunt identitatem relationum inter se, sunt omnes Sophisticæ. 143.2
Rationes Scoti in materia Theologica, naturalibus innixæ fundamentis, sintnè demonstrabiles, vel non? 111 2
Rationes variæ contra communem sententiam de constitutione Personarum per relationes originis. 294.1

Rea-

Index rerum memorabilium.

Realitatis nomine quid intelligitur. 210.1
Realitas duplex. 148.2
Realitas quid. 328.2
Realitas siue ratitudo Entis, non est modus Entis. 175.1. & 215.2
Reale ens ac Ens rationis non habent medium, & quomodo. 344.1
Realis distinctio duplex. 331.1.& 346.2
Realis distinctio habet gradus. 334.1
Realis distinctio non infert separabilitatem. 98.2
Reduplicatio est duplex. 144.2
Reflectere sumitur dupliciter. 242.2
Reflexio in intellectu paterno frustrà confingitur. 131.1
Reflexio in intellectu non requiritur ad productionẽ Verbi. ibid.
Relatio vt origo, est constitutiua & distinctiua Personæ Diuinæ, vt habitudo verò est manifestiua, sed non distinctiua. 296.1
Relatio non est potentia generandi. 202.2
Relatio potest definiri in genere proprio. 273.2
Relatio realis tria requirit: quæ, & quomodo. 322.2
Relatio realis potest fundari super relationem. 321.2
Relatio realis in Deo ad creaturam, nulla est. 319.2
Relatio realis & relatio rationis, non sunt formaliter oppositæ, oppositione relatiua. 317.2
Relatio realis requirit extrema distincta realiter. 322.1
Relatio rationis non habet esse, nisi dum actu concipitur, secundùm Thom. 316.2
Relatio rationis non est terminus in non mutuis. ibid.
Relatio non omnis dicit ordinem. 319.1
Relatio actualis dicitur aliquando aptitudinalis. 62.2
Relatio actualis & aptitudinalis non est eadem. 314.1
Relatio aptitudinalis quæ. 169.2
Relatio actualis & aptitudinalis quid secundùm Scotum. 62.2
Relatio aptitudinalis est quid reale. ibid.
Relatio vt concepta & vt exercita secundùm Caietanum, nihil ad rem. 311.1
Relatio actualis, aptitudinalis, potentialis, fundamẽtalis quæ, secundùm Scotistas. 62.1
Relatio fundamentalis describitur à Mayr. 62.2
Relatio terminatur ad relatiuum, sub ratione absoluti: quomodo est verum. 294.1
Relatio potest fundari super relationem. 268.1
Relatio transmutantis ad transmutatum, est relatio extrinsecus adueniens. 187.2
Relatio quatenus relatio, & quatenus dicit ad, constituit suppositum Diuinum. 293.1
Relatio cur constituit Personam in Diuinis. 298.1
Relatio Diuina, quatenus relatio, an includat necessitatem. 145.2
Relatio distinguitur formaliter ab essentia. 326.2
Relatio transit in Essentiam: quis sensus. 338.1
Relatio non est potentia generandi. 202.1
Relatio originis est de formali ratione Personæ Diuinæ, vnà cum Essentia. 83.1
Relatio originis est actus Personæ. 196.2
Relatio originis est actus personalis, non quidditatiuus. 197.1
Relatio originis non est perfectio simpliciter. 295.1
Relatio originis non est formaliter infinita. 83.2
Relatio originis distinguitur ab Essentia Diuina ex natura rei. 326.1.& seq.
à Relationibus originis potest abstrahi conceptus communis. 280.1
Relationes originis non sunt de formali ratione Essentiæ Diuinæ. 82.1
Relationes originis non dicunt aliquam perfectionem simpliciter. 83.2
Relationes originis non sunt actus, vel quasi actus essentiæ. 196.2
Relationes habent intrinsecas vnitates alias ab his, quæ sunt à termino. 43.1
Relationes prioritatis & conformitatis in scientia practica, sunt relationes aptitudinales, non actuales. 62.1
Relationes Diuinæ plus distinguuntur inter se, quàm ab Essentia. 140.1
Relationes non vt habitudines, sed vt origines constituunt Diuinas Personas. 295.2
Relationes similitudinis, identitatis, & æqualitatis, consequuntur relationes originis. 292.2
Relationes communes in Deo, consequuntur proprias. 297.2
Relationes communes in Diuinis, distinguuntur ratione, secundùm Thomistas. 321.1
Relationes Dei ad creaturam, quæ, & quales. 315.1
Relationes producentis, inducentis, & transmutantis sunt distinctæ. 187.1
Relationes tertij modi non esse mutuas. 315.2
Relationes tertij modi esse mutuas probat Caietanus. 315.1
Relationes mutuæ, & non mutuę quem terminum habeant. 316.1
Relationes fundatæ super actiuum & passiuum, non semper sunt reales. 320.2
Relationes rationis etiam à sensu cõmuni possunt causari. ibid.
Relationes rationis sunt in Deo ad obiecta. 342.1
Relationem in genere, dici vniuersalem ex fundamento: dictum inane. 280.2
Relationum terminus duplex; alius Quo, alius Quod. 316.1
Relationis definitio per terminum vel fundamentum, non est essentialis. 273.2
Relatiuum intelligi sine correlatiuo, includit contradictionem. 127.2
Relatiuum ponitur in definitione correlatiui: sensus quis. 317.1
in Relatiuis tertij modi, ab vna forma reali denominantur duo subiecta. 317.2
Relatiuorum tertium modum esse mutuum probat Caietan. 315.1
Res in actu, quid sit. 343.2
Res dupliciter sumitur. 344.1
Res aliqua intelligitur distincta varijs modis. 6.1
Res à quo denominatur essentialiter talis. 82.2
Rem esse actu, est rem existere. 362.2
Repræsentatiui distincta ratio, non prouenit ex immaterialitate speciei, sed ex dependentia ad obiectum. 24.2
Reprobatio dupliciter accipitur. 374.2
Reprobatio an opponatur prædestinationi. ibid.
Reprobationis est causa in reprobato. 372.2
Reprobationis quatuor dari possunt signa. ibid.
Reprobationis causa est demeritum præuisum finaliter. 374.1
Reprobationis effectus. 374.2
Reprobus ob demerita reprobatur, prædestinatus gratis prædestinatur. 375.2
Repugnantia seipsis repugnant, & non repugnantia se ipsis non repugnant. 23.2
Reuelans imperfectè veritatem supernaturalem, quomodo supplet vicem obiecti supernaturalis. 11.1
Reuelata veritas potest causari tripliciter. 10.2
Reuelatio non facit vnum habitum formaliter. 42.2
Reuelationis ratio est conditio obiecti Theolog. 42.2

S

SAnctus vnus plura videre potest alio, in Essentia Diuina. 87.1
Sancti non omnia possibilia vident in Deo. ibid.
Sapientia, scientia, intellectus, prudentia, ars, quomodo distinguantur. 31.2
Sapientiæ conceptus an possit haberi, qui abstrahat à create & increata. 153.2

Sapien-

Sapientiæ nomen cui approprietur. 54.1
Scientia priusquam diuidatur per finitum, vel infinitum est practica vel speculatiua. 71.2
Scientia à quo accipit distinctionem. 41.1
Scientia vel est practica, vel speculatiua. 72.2
Scientia quomodo est vnus numero habitus, Opinio. 37.2
Scientia totalis quomodo est vnius numero habitus. 39.1
Scientia totalis continet habitus partiales cõnexione ad vnum genus ordinatos. 39.2
Scientia totalis non est qualitas vna numero intensibilis. ibid.
Scientia specialis, quæ. 103.2
Scientia quomodo est vnum per se, & vnum per accidens. 39.2
Scientia ab opinione quomodo plus differt & quomodo minùs, quàm ab altera scientia. 43.1
Scientia non potest stare cum fide. 57.2
Scientia vna ab alia potest distingui tripliciter. 72.1
Scientia vna certior est alia: potest intelligi tripliciter. 78.2
Scientia quælibet ortum duxit ab experientia. 50.2
Scientia Dei est substantia, nostra autem est qualitas. 72.1
Scientiæ speculatiuæ tres, secundùm Philosophum. 39.1
Scientiæ nomen cui conuenit. 54.1
Scientiæ definitio & eius conditiones. 53.1
Scientiæ ratio formalis triplex. 40.2
Scientiæ acceptio triplex. 53.2
Scientiæ naturales sunt de omnibus speculabilibus: quomodo. 27.2
Scientiæ distinguuntur secundùm distinctionem obiectorum formalium. 41.2
Scientiæ non distinguuntur secundùm obiecta materialia. ibidem.
Scientiam distingui ab obiecto vt est habitus, & non distingui vt est forma, est absurdum. 27.2
Scientiam esse vnam numero qualitatem, opinio. 37.1
Scientiam totalem esse aggregationem scientiarum partialium, opinio. 38.2
Scientiarum formalis distinctio ex quo infertur, similiter modalis. 42.1
Scibile sumptum non sub ratione formali, potest de se habere scientiam practicam & speculatiuam. 71.1
Scire quid sit. 63.1
Scire non possumus certò nos esse in gratia. 250.2
Scire omnes naturaliter desiderant. 18.2
Sciri potest res aliqua, sub ratione quadruplici. 48.2
Scotistæ aliqui non intelligunt Scotum. 213.1
Scotus excusat Magistrum. 253.1
Scotus non intelligitur ab aduersarijs. 245.2. & 278.1. & in alijs malè citatur.
Scotus de infinitate problematicus. 120. & seq.
Scoti sententia non est contra Patres. 321.2
Scoti argumentum insolubile. 219.2
Scoti modestia. 372.2. humilitas. 139.2
Scripturæ sacræ author Spiritus Sanctus. 47.2
Scripturæ sacræ sensus varij. ibid.
Scriptures sacræ sensus, præcipuus est literalis, ad quem reducuntur alij. ibid.
Scripturæ sacræ sensus literalis quando falsus est, quid faciendum. ibid.
Se, adiunctum alicui verbo actiuo, quid significat? 189.1
Secunda intentio quid sit. 279.2
Secunda intentio potest esse communior Ente, sed non prior. 161.2
Secundæ intentionis nomina quæ dicantur. 279.2
in Secunda operatione intellectus specialiter est veritas cognitionis. 166.2
Sensus communis est collatiua potentia. 241.2
Sensus communis est altioris ordinis quàm proprij. 72.1
Sensus communis & proprius in quo sunt sibi similes. ibid.
Sensus compositus & sensus diuisus quis. ibid.
Sensus Literalis, Tropologicus, Allegoricus, Anagogicus sacræ Scripturæ quid sint. 47.2. & 48.1
Sensitiua potentia totalis includit organum. 186.1
Sicuti est, iste terminus, quomodo accipitur. 86.1. & 87.2
Signa Diuinarum Personarum. 92.2
Signi prioritas non infert existere hoc sine illo. 301.1
Similitudo non est vniuersaliter eiusdem speciei cum re, cuius est similitudo. 25.1
Similitudo alia est æqualitatis, alia proportionis. 172.2
Similitudinis, identitatis, & æqualitatis relationes, quomodo se habeant? 292.2
Simplicitas summa stat cum distinctione rationum formalium. 340.1
Simplicitas, vnitas, & identitas, distinguuntur. 205.2
Simplicitas subiectiua & obiectiua. 150.2
Simplicitas qualis in Deo assignatur. ibid.
Simplicitas dupliciter sumitur. 161.2
Simplicitas est positiuum attributum. 206.1
Simplicitas perfecta dicit perfectionem simpliciter. 207.1
Simplicitas Dei stat cum non identitate formali. 88.1
Simplicitas Dei potest per Aristot. rationes probari, sed non tanta, quantam nos ponimus. 205.2
Simpliciter simplex conceptus quo distinguitur à conceptu non simpliciter simplici. 106.1
Simplicium est tantùm apprehensio, non verò assensus. 32 2
Simultas naturæ stat cum prioritate originis. 94.1
Singulare, suppositum, & persona quid sint. 138.1
singulare quatenus singulare, non est à nobis intelligibile pro statu isto. 159.2
singulare accipitur tripliciter. 160.1
singulare quale, & quomodo nunc cognoscimus. ibid.
singulare dum infert singulare, etiam plurale infert plurale: quando. 238.2
Sol agit in terminum non agendo in medium. 359.2
Sol est calidus eminenter: quare? 73.2
Sol si esset ab æterno, lumen ab illo causatum esset ab æterno. 37.1
Solus, dupliciter sumitur. 273.1
solus Deus est Deus, an sit vera. 275.1
solus Pater est Deus: falsa propositio. 273.1
solus Pater est Deus, est verum secundùm quosdam in aliquo sensu. 274.2. sed modus iste impugnatur. ibid.
spatia imaginaria extra cælos an sint. 358.1. sitnè ibi Deus. ibidem.
spatium imaginarium est merum nihil. ibid.
sphæricitas non est passio propria cælorum. 36.2
species obiecti Theologici. 33.1
species vel expressa vel impressa. 21.1
species impressa vel obiectiua, vel repræsentatiua. ibid.
species obiectiua alia est à repræsentatiua. 21.2
species obiectiua debet esse similis & in essendo & in repræsentando. ibid.
species repræsentatiua debet esse similis obiecto, non in esse, sed in repræsentari. ibid.
species expressa repræsentans clarè Essentiam Dei est possibilis. ibid.
species obiectiua repræsentans Essentiam Dei clarè nõ est possibilis. ibid.
species distinctè repræsentans Essentiam Dei in abstracto, est possibilis. 22.1
species repræsentatiua in intellectu Angeli Essentiæ Dei, dicitur naturalis & supernaturalis. 22.2
species distinctè repræsentans Deum in abstracto non necessariò repræsentat omnia. 23.1
species alia est ab obiecto necessario, alia ab obiecto libero. ibid.
species repræsentatiua non est necessaria ad visionem claram, & intuitiuam. 23.2
species clarè repræsentans Dei Essentiam, est possibilis. 23.1

Index rerum memorabilium.

Species repræsentatiua non cognita necessariò est accidens. 25.1
Species intelligibilis requiritur ad intuitiuam cognitionem. 177.1.quidam dicunt non requiri. ibid.
Species intelligibilis duplex, impressa & expressa. 177.2
Species intelligibiles manent in intellectu cessante actu intelligendi. 178.1
Species intelligibiles an requirantur ad cognitionem intuitiuam singularium. 177.1
Speculatiuus habitus triplex. 2.2
Spirationis ratio formalis est productio amoris. 246.1
Spiratio distinguitur à generatione. 240.1
Spiratio quomodo à generatione distinguatur, opiniones. ibid.
Spiritus Sanctus quomodo cognoscatur per Essentiam. 232.2
Spiritus Sancti productio est necessaria, libera tamen. 232.1
Spiritus Sanctus à Patre Filioque procedit. 233.1
Spiritus Sanctus si non procederet à Filio, non distingueretur ab illo: opinio. 234.2. opposita Scoti. ibid.
Spiritus Sanctus non plenius à Patre, quàm à Filio procedit. 239.2
Spiritus Sanctus an mediante Filio procedat à Patre. ibid.
Spiritus Sanctus an diligat Patrem & Filium seipso. 325.1
Spiritus Sanctus non est amor creaturarum. ibid.
Spiritus Sanctus author sacræ Scripturæ. 47.2
Spiritus Sanctus per modum amoris producti procedit. 267.2
Spiritui Sancto conuenit missio visibilis. 249.2
Spiritui Sancto bonitas propriè attribuitur. 109.1
Spiritum Sanctū Pater & Filius spirant, non inquantū vnum Henr. sententia. 237.1
Spiritum Sanctum Pater & Filius spirant, voluntate inquantum vna. 237.2
Spiritum Sanctum spirari voluntate concordi, quomodo intelligitur. 238.1
Spiritum Sanctum spirat Pater per Filium, quomodo intelligendum. 233.2
Spiritum Sanctum non fuit expressum in Concilijs procedere à Filio, sicut & Christum descendisse ad inferos, vtrumque tamen est de fide. ibid.
Subalternatio inter scientias ratione obiectorum non sufficit ad subalternationem scientiarum. 42.2
Subalternata scientia subalternatur pluribus. 56.1
Subalternata scientia dicitur ab vna ratione communi subalternante. ibid.
Subalternata & subalternans non sunt de ijsdem veritatibus. 55.1
Subalternatæ scientiæ obiectum materiale est Ens per accidēs, formale tamen Ens vnum per se. 55.2
Subalternatio vel est ex natura rei, vel quoad nos. 54.2
Subalternatio fit ratione finis, obiecti, & principiorum. 55.1
Subalternatio vera tres debet habere conditiones. 54.2
Subalternatio ratione finis quæ. 55.1. ratione obiecti. ibid. ratione principiorum. ibid.
Subiectum idem, quod obiectum. 36.1
Subiectum vniuersalis affirmatiuæ, continet sua inferiora dupliciter: scilicet confusè & distributiuè. 28.1
Subiectum triplex secundùm S. Bonau. 51.1
Subiectum & materia in aliqua scientia sunt distincta. ibid.
Subiectum est causa suæ passionis & quoad esse & quod cognosci. 36.1
Subsistentia multiplex. 284.1
Subsistentia Diuina alia essentialis, alia personalis. 293.2
Subsistentia Diuina essentialis est infinita formaliter: personalis non: quomodo. ibid.
Substantia prima tres habet proprietates. 295.1
Substantia in communi non est obiectum adæquatum intellectus nostri. 163.2
Substantia corporea obiectum Physicæ adæquatum. 42.2
Substantia est prior omni accidente. 94.2.
Substantia non intelligitur immediatè pro statu isto. 157.2
Substantia dupliciter accipitur. 195.1
Substantiæ primæ esse probatur à Metaphysico. 51.2
Substantiæ finis cognoscitur per operationes. 4.2
Substantiæ alicuius finis vt cognoscatur duo requiruntur. 7.1
Substantiarum & rerū immaterialium cognitio non fit per proprias & immediatas species. 6.1.
Substantiale abstractum est prius suo concreto: sensus quis. 108.1
Successio in motu vnde proueniat. 120.1
Supernaturalis doctrina qua necessitate est necessaria. 1.2
Supernaturalitas ex quibus causis prouenit. 13.1
Supernaturalitas ratione obiecti, & ratione supplentis vicem obiecti. 10.2
Supernaturalitas ratione reuelantis, & ratione supplentis vicem obiecti, est distincta ab illa quæ fit ratione obiecti. 11.1
Supernaturalitas in formis habet latitudinem. 23.1
Supernaturales formas non negat Doctor. 19.1
Suppositum creatum cur vno modo communicat naturam, & non vno modo suppositum increatum Patris æterni. 136.1
Suppositum est incommunicabile, & vt Quo, & vt Quod. 138.2
Suppositum Diuinum est relatiuum. 293.1
Suppositum Filij primò distinguitur à quocunque Filiatione. 236.2
Susceptiuum ordinatum ad multas formas ordinatas, maximè ordinatur ad perfectissimam. 19.1
Syllogismus falsigraphus quis. 38.1
Syllogismus expositorius quomodo valet. 144.1
Syllogismus est obiectum principale Logicæ. 49.2

T

Tempus & motus distinguuntur formaliter 329.1
Tentio & possessio sunt idem. 100
Terminus actionis duplex: alius Quo, alius Quod. 195.1
Terminus formalis debet accipere esse per productionem: quomodo verum. 195.2
Terminus non est de conceptu relatiui, sed habitudo ad terminum. 274.1
Terminus in relationibus tam mutuis quam non mutuis duplex: Quo & Quod. 316.1
Terminus Quo in mutuis relationibus, est absolutum. ibid.
Terminus & Quo & Quod in non mutuis relationibus est absolutum. 316.2
Terminus in non mutuis non potest esse relatio rationis. ibid.
Terminus productionis in Diuinis est duplex: alius Quo, alius Quod. 195.1
Terminus formalis Diuinæ generationis est Essentia Diuina. ibid.
Terminus formalis in genito substantiali completo creato, semper est forma. ibid.
Terminum formalem generationis Diuinæ esse, tam Essentiam quam relationem Gerardi Opinio falsa. ibid.
Terminus non includitur in conceptu quidditatiuo relationis. 274.1
Theologia accipitur quadrupliciter. 1.2
Theologia Scholastica est scientia reuelata. 2.1
Theologia Dei & Theologia secundùm se distingnuntur. 33.1
Theologia Beati potest esse discursiua. 46.1
Theologia Dei est de omni cognoscibili. 52.2
Theologia Beatorum & nostra, non est de omni scibili. ibid.
Theologia Dei & Beatorum quomodo est verè scientia. 53.2
Theologia de contingentibus, non est scientia. strictè sumpta. ibidem.
Theologia est magis sapientia quàm scientia. ibid.
Theologia non est propriè scientia. 45.1
Theologia non subalternatur Metaphysicæ. 55.1

Theolo-

Theologia non subalternat sibi alias scientias. 56.2
Theologia nostra non subalternatur Theologiæ Dei & Beatorum. 57.1. oppositum docent Thom. ibid.
Theologia est scientia simul speculatiua & practica secundum Thomistas. 71.1
Theologia de necessarijs in intellectu creato est practica. 73.2
Theologia Dei de necessarijs an sit practica, problema. 74.1. probabilius esse speculatiuam. ibid.
Theologia est purè speculatiua: opinio. 69.1
Theologia est simul practica & speculatiua secundùm Thomistas, & est vnus habitus. 71.1
Theologia contingentium in intellectu Diuino an sit practica, problema. 75.2
Theologia certior est quàm Metaphysica. 79.1
Theologia secundum se contingentium, est speculatiua. 76.2
Theologia non est inuenta omnibus necessarijs existentibus; quomodo. 79.2
Theologia contingentium est practica non per se, sed per accidens. 77.1
Theologia non est propter solum scire. 79.2
Theologia non est inuenta propter fugam ignorantiæ. ibid.
Theologia Dei de factibilibus est speculatiua. 360.1
Theologia Dei est de vno obiecto, nostra de multis alijs simul. 70.1
Theologiæ Scholasticæ necessitas. 2.1
Theologiæ partes integrantes duæ. 34.2
Theologiæ habitus non est vna numero qualitas, est tamen verè vnus habitus, vnitate generis proximi, quoad veritates necessarias. 40.2
Theologiæ obiectum est Deus sub ratione Deitatis. 49.1
Theologiæ habitus quomodo vnus. 57.2
Theologici habitus vnitas vnde sumitur. 42.2
Theologicæ rationes non sunt à Priori. 375.2
Theologiam, esse scientiam affectiuam, opinio. 69.1. esse contemplatiuam. ibid. partim practicam partim speculatiuam. ibid.
Theologiam esse speculatiuam, quia est de fine vltimo, opinio. 68.2
Theologus discordans à Philosopho in minore, debet discordare & in Conclusione. 69.2
Tetragramaton quid significet. 277.1. sitnè idem quod Iehoua, Adonai, &c. nomina Dei. ibid.
Thomas Anglicus multa dicit contra Scotum, quia eum non intelligit. 67.2. detorquet Scoti textum pessimè. 70.2. arguit contra Scotum non intelligendo eum, & frequenter sine ratione. 208.2
Totum quid sit. 122.2
Totum Physicum & Metaphysicum distinguuntur a parte rei à partibus, etiam vnitis. 105.1
Totum, discretum quid addat ad totum continuum. 286.2
Torpedo piscis quomodo inficit manum piscatoris. 399.2
Transcendentia communia, non sunt naturæ aliquæ apud Scotum vt sibi imponitur. 148.2
Transcendentia quomodo sint communia. 290.2
Transcendentia, non requirunt in illis quibus sunt communia, conuenientiam realem in illo in quo conueniunt, sed sufficit quòd eam faciat intellectus. ibid.
Tres tantum sunt personæ in Diuinis. 137.2
Trinitas Personarum benè stat cum vnitate Essentiæ Diuinæ. 138.1
Trinitas cum vnitate non potest repræsentari in potestate sensitiua, vel potentijs sensitiuis. 186.1
Trinitatis opera indiuisa ad extra. 45.2
Trinitatis imago non est præcisè in ipsis potentijs nostris, nec præcisè in ipsis actibus, sed in vtrisque simul. 186.1
Tristitia ad nolle eodem se modo habet, quo delectatio ad velle. 38.1

V

Vasquez attribuit falsò Doct. Subt. quasi neget formas supernaturales. 19.1. non intelligit Scotum. 257.2
Velle potest esse sine delectatione. 98.1
Verba præteriti temporis meliùs explicant Diuinam generationem quàm futuri. 226.2
Verba quæ dicuntur de Deo extrinsecè, dicuntur per accidens, non per se. 315.1
Verba actiua, & passiua quid significent. 191.1
Verbi productio non requirit reflexionem intellectus. 131.1
Verbi producendi ratio non est intellectio. 306.2
Verbum Diuinum immediatè producitur de substantia Patris. 306.2
Verbum est expressiuum, illius cuius est verbum. 131.2
Verbum creatum quid sit. 302.1
Verbum creatum non distinguuntur ab intellectione. 303.2
Verbum perfectum quod. 306.1
Verbum in Diuinis est merè personale. ibid.
Verbum Diuinum non habet aliquid potentiale. 306.2
Verbum est cum amore notitia. ibid.
Verbum & Filiatio idem sunt. ibid.
Verbum Diuinum dicit duplicem respectum ad Patrem. ibid.
Verbum Diuinum per se dicit relationem realem, & connotat relationem rationis. 307.1
Verbum creatum non est species, nec habitus. 302.1
Verbum est actualis notitia producta. 304.2
Verbum non est quæcunque notitia actualis, sed sola notitia genita est verbum. 305.2
Verbum nostrum duplicem habet respectum. 322.2
Verbum significans praxim, constructum cum verbo Scio, quid significet. 76.1
Veritas eadem considerata à Thelogo, & à Metaphysico, apud Theologum est practica apud Metaphysicum speculatiua. 70.1
Veritas duplex; rei & intellectus. 108.2
Veritas est formaliter & in re, & in intellectu. 109.1
Veritas rei multiplex. ibid.
Veritas rei per comparationem ad intellectum triplex est. ibid.
Veritas in intellectu vel est complexa, vel incomplexa. 109.2
Veritas formaliter est principaliter est in rebus, secundariò verò in intellectu. ibid.
Veritas quædam positiua, quidam negatiua. 110.1
Veritas intellectus dependet à veritate rei. ibid.
Veritas cognitionis inuenitur in prima operatione intellectus. 166.2
Veritas cognitionis est in sensu. ibid.
Veritas cognitionis specialiori modo est in secunda operatione intellectus. ibid.
Veritas complexa formaliter vel virtualiter potest contineri in obiecto complexo. 167.1
Veritas vt est passio Entis, est conformitas rerum cum intellectu Diuino, secundum Fonsecam. 179.2
Veritas prima reuelans aliquid, nec fallit nec fallitur. 97.1
Veritas debet cognosci per exemplar increatum secundùm Gandauen. 170.2
Veritas principiorum est veritas totalis, veritas autem conclusionis est veritas partialis. 31.2
Veritas syncera quæ dicitur. 170.1
Veritas syncera quatuor modis potest cognosci in Deo à viatore. 171.2
Veritates Theologicæ, an, & quomodo possint demonstrari ratione naturali. 111.2
Veritates contingentes Theologiæ, non continentur in primò obiecto Theologico. 40.1
Veritates videri à viatore in Essentia Dei, quid sit. 172.1
Veritates dicuntur videri in intellectu Diuino, non in voluntate. ibid.

Verita-

Index rerum memorabilium.

Veritates contingentes quomodo continentur in Essentia Diuina. 44.2
Veritates in aliqua scientia vnde dicantur practicæ, & vnde non. 70.2
Veritates nostri intellectus sunt eiusdem rationis cum Diuinis. 172.2
Veritates infallibiles, quo videantur in Deo. 172.1.c.1.& 2
Veri ratio consistit in relatione reali. 169.2
de Vero opinio Fonsecæ & Soncinatis. ibid.
Verum in communi est æquiuocum. 110.1
Verum passio Entis non est adæquatum obiectum nostri intellectus. 168.2
Verum significat & absolutum & relatiuum secundum quosdam. 169.2
Vestigia dicuntur esse appropriatorum, non inquantum appropriata sunt, sed inquantum appropriabilia. 174.1
Vestigialis respectus triplex, secundum Henr. 174.2
Vestigij respectus ad Deum, cuius creatura dicitur vestigium, in quo fundatur. 174.1
Vestigij ratio in quo consistat in corporalibus. 173.1
Vestigij partes in creatura respectu Dei, in quibus consistant. 173.2
Vestigij partes à multis Doctoribus assignantur modus species & Ordo; & Mensura, Numerus, & Pondus. ibid.
Vestigium repræsentat Essentiam, & aliquomodo Trinitatem. ibid.
Vestigium omni creaturæ conuenit. 174.1
Vestigium suscipit magis & minus. ibid.
Vestigium non potest tolli à creatura. ibid.
Vestigium non consistit præcisè in relationibus, sed in aliquibus absolutis. 173.2
Viator potest imponere nomen, quod significet Essentiam Dei vt distinctam. 276.1
Viator potest frui Essentia sine Personis, non tamen è conuersò. 81.2
Videmus nunc per speculum & in ænigmate, &c. Apostoli verba explicantur. 86.1
Violenta potentia, primò & formaliter denominatur talis ab actu, non ab agente. 12.1
Violentum nullum est perpetuum. 82
Violenti definitio. 12.2
Virtus si esset infinita in magnitudine, moueret in non tempore: quomodo. 119.2
Virtuale non opponitur actuali. 334.1
Visio beatifica in Beatis alia est à notitia Theologica ipsorum. 46.1
Visio potest esse sine fruitione de potentia Dei. 100.2
Visionis beatificæ obiectum primarium, & secundarium quid. ibi.
Visio Dei est sicuti est Deus: quomodo. 86.1
Vnicuique Quo correspondet suum Quod. 138.2.& 190.1
Vna de inesse & altera de possibili, non infert Conclusionem de possibili vniuersaliter. 368.1
Vnitas identitas, simplicitas, sunt distincta. 205.2
Vnitas attributionis sufficit ad vnitatem scientiæ totalis. 39.2
Vnitas datur in quolibet genere, quæ est metrũ aliorum illius generis. 210.2
Vnitas transcendentalis, & prædicamentalis. 286.2
Vnitas transcendentalis distinguitur ab vnitate prædicamentali, quomodo. 286.1
Vnitas numeralis duplex. 286.2
Vnitas vt est passio Entis, non est formaliter negatiuum quid. 287.2
Vnitas partium duplex est: altera vt sunt in toto actu ab eo non distinctæ altera vt sunt in diuisæ, & secundum se acceptæ. 264.1
Vnitas quænam sit principium numeri, & quæ non. ibid.
Vnitas Essentiæ Diuinæ, compatitur Trinitatem Personarum. 138.1
Vnitas creaturæ, repræsentat vnitatem Dei. 173.2
Vnitas, veritas, bonitas, possunt statui partes vestigij, à remotis aliqualiter repræsentantes intellectui nostro Personas Diuinas. ibid.
Vniuersale nullum est in Deo. 280.2
Vniuersalis affirmatiuæ subiectum, quomodo continet sua inferiora. 28.1
Vniuersalis, affirmatiuæ prædicatum quomodo continet sua inferiora. 28.2
Vniuersalia transcendentia non sunt aliquæ naturæ apud Scotum. 148.2
Vniuocatio Logica, Physica, & Metaphysica. 155.2
Vniuocatio prædicamentalis & transcendentalis. ibid.
Vniuocatio perfecta quatuor habet conditiones. 155.1. *quomodo aliquid ab hac vniuocatione deficit.* ibid.
Vniuocatio vera in quo consistit. ibid.
Vniuocationem non improbant directè aduersarij. ibid.
Vniuocum quid. 154.2
Vniuocum participatione admittit analagiam. ibid.
Vniuocum esse prædicatum, & prædicari vniuocè distincta sunt. 164.2
in Vniuocis eadem ratio, quomodo ibi debeat esse. 154.2
Vniuocè & quidditatiuè, idem sunt. 164.2
Vnius naturæ est vnus modus cõmunicandi: sensus quis. 136.2
Vnius potentiæ est vnius actus adæquatus. 98.2.& 197.2
Vnum & vnitas differunt. 289.1
Vnum dicit negationem in genere. 287.1
Vnum non posse esse sine altero, non infert identitatem realem. 98.2
Vnius dicit formaliter quid positiuum, secundario consequitur negatio. 288.2
Vnum dicit perfectionem simpliciter. 288.1
Vnum esse Deum potest demonstrari. 125.1
Vnum numero propriè quod dicitur. 264.1
Voces sunt signa conceptuum. 150.1
Volitio & intellectio in Diuinis duplex. 130.1
volitio alia actualis, alia aptitudinalis. 102.2
volitio Patris antecessit productionem Filij. 198.2
volitio Diuina sicut est notitia sui perfectissima ita & regula sui perfectissima. 78.1
volitione actuali nihil appetitur necessariò, sed aptitudinali. 102.2
voluntas, sumitur dupliciter: aduerbaliter, & ablatiuè. 198.1
voluntas, sumitur pro voluntariè. ibid.
voluntas est perfectior intellectu. 182.2
voluntas non prædicta habitu supernaturali, potest frui Deo clarè viso. 100.2
voluntas creata fine vltimo in particulari, obscurè apprehenso, non necessariò fruitur. 100.2
voluntas creata fine vltimo in vniuersali apprehenso, non necessariò fruitur. ibid.
voluntas creata fine vltimo in particulari clarè viso, non necessariò fruitur. ibid.
voluntas ad delectationem quomodo se habet. 99.1
voluntas creata præuia clara visione Dei, posset elicere actum fruitionis circa Deum ita visum licet non esset informata charitate supernaturali. 100.2
voluntas beatitudinem in communi necessariò appetit, quoad specificationem potentiæ, sed non quoad exercitium actus. 101.1
voluntas non necessariò fruitur, fine vltimo, cognito in communi. 100.2
voluntas quare non requirit obiectum vt conclusum. 128.2
voluntas in nobis potest esse principium remotum respectu intellectionis nostræ, non sic in Deo. 198.1
voluntas vt voluntas & voluntas vt natura, secundum Henricum. 231.1


Voluntas

voluntas est potentia collatiua. 241.2
voluntas est principium liberum in spirando Spiritum Sanctum. 229.2
voluntas in Patre & Filio est principium Quo, producendi Spiritum Sanctum. 230.2
voluntas est principium liberum, necessarium tamen in productione Spiritus Sancti. ibid.
voluntas Diuina quomodo est principium necessarium producendi. 232.1
Voluntas Diuina est libera ad distincta obiecta & effectus, sed non ad distinctos effectus volendi et nolendi cũ successione. ibi.
Voluntas in Deo duplex: signi, & beneplaciti. 377.1
voluntas signi quid. ibid.
voluntas beneplaciti quid. ibid.
voluntas beneplaciti diuiditur. ibid.
voluntas & intellectus in Deo sunt potentiæ operatiuæ & productiuæ. 130.1
voluntas & intellectus sunt in Deo ex natura rei. 244.2
voluntas creata conformando se voluntati Diuinæ potest esse non recta. 378.1
voluntas liberè assensum præbet veritati, etiam contra dictamen rectæ rationis. 96.2
voluntas non potest frequenter elicere, vel cohibere, delectationem. 98.1
voluntas omnia vult vel non vult voluntariè. ibid.
voluntas immediatè mouet ad actum suum. 101.1
voluntatis actus est duplex. 68.2
voluntatis actus elicitus est primò praxis. 60.1
voluntatis actus imperatus est secundariò praxis. ibid.
voluntatis actio triplex, secundum Henr. 231.2
voluntatis Diuinæ signa quinque. 377.1
vsus bonus liberi arbitrij an sit effectus prædestinationis. 372.1

Z

Zvarez malè intelligit Scotum. 143.1. admitit contradictoria verificari de eodem ante operationem intellectus. 152.1. concedit compositionẽ rationis in Deo, malè. 196.2
Zumel male Scotum intelligit. 189.2

FINIS.





INDEX DISTINCTIONVM, QVÆSTIONVM, ET ARTICVLORVM,

Huius Primæ Partis Theologiæ,

F. IOANNIS DVNS SCOTI DOCTORIS SVBTILISSIMI.

PROLOGVS.

QVÆSTIO I.

Vtrum homini pro statu isto, sit necessarium aliquam doctrinam specialem supernaturaliter inspirari, ad quam non possit attingere lumine naturali intellectus. 1

ART. I. Recitatur opinio Philosophorum, negantium necessitatem cognitionis alicuius supernaturalis, pro statu isto. ibid.

ART. II. Impugnatur duobus argumentis prędicta Philosophorum opinio. 3

ART. III. Aliæ rationes contra Philosophos adferuntur. 7

ART. IV. Supponitur vnum fundamentum, & respondetur affirmatiuè ad quæstionem. 10

ART. V. Resoluuntur argumenta Philosophorum primo articulo adducta. 25

Respondetur argumentis principalibus, seu, in principio quęstionis propositis. 28

QVÆSTIO II.

Vtrum cognitio supernaturalis, necessaria viatori, sit sufficienter tradita in sacra Scriptura. 32

QVÆSTIO III.

Vtrum Theologia sit de Deo, tanquam de subiecto primo. ibid.

ART. I. Præmittuntur quædam Notabilia. 33

ART. II. Determinatur, quodnam sit obiectum Theologiæ. 43

Respondetur argumentis principalibus. 46

QVÆSTIO IV.

Vtrum Theologia sit de Deo sub aliqua ratione speciali. 48

ART. I. Determinatur sub qua ratione formali Deus sit obiectum. ibid.

ARTIC. II. Opinio dicentium, Deum vt est Saluator, vel Christus, esse obiectum Theologiæ adæquatum, reijcitur. 51

Respondetur argumentis principalibus. ibid.

QVAESTIO V.

Vtrum ista scientia sit de omnibus, ex attributione ipsorum ad primum eius subiectum. ibid.

QVAESTIO VI.

Vtrum Theologia in se sit scientia. 53

QVAESTIO VII.

Vtrum Theologia ad aliquam scientiam habeat habitudinē aliquam subalternantis, vel subalternatæ. 54

QVAESTIO VIII.

Vtrum ex ordine ad praxim, vt ad finem, dicatur per se scientia practica. 58

ART. I. Quid sit praxis, ad quam cognitio practica dicitur extendi. ibid.

ART. II. Quomodo cognitio practica extenditur ad praxim. 62

ART. III. A quo habet cognitio practica extensionem ad praxim. 63

ART. IV. Datur responsio propria ad quæstionem. 66

Respondetur argumētis in principio quæstionis adductis. 67

QVAESTIO IX.

Vtrum Theologia sit scientia practica. 68

ART. I. Recitantur aliorum quinque opiniones, tenentes viam negatiuam. ibid.

ART. II. Aliæ opiniones proponuntur. 69

ART. III. Ponitur opinio, quòd Theologia de veritatibus necessarijs sit practica. 73

ART. IV. Disputatur, an Theologia de veritatibus contingentibus sit practica. 75

Respōdetur argumentis in principio quæstionis adductis. 78

DISTINCTIO I.

De materia quattuor librorum Theologiæ, quæ inquiritur per distinctionem & explicationem, Frui, & Vti.

QVÆSTIO I.

Vtrum per se obiectum fruitionis sit finis vltimus. 80

QVÆSTIO II.

Vtrum vltimus finis habeat tantùm vnam rationem fruibilitatis? An in ipso sit aliqua distinctio secundùm quam voluntas possit eo frui, secundùm vnam rationem, & non secundùm aliam. 81
ART. I. Vtrum possit ordinatè frui Essentia non fruendo personis, vel è contra. ibid.
ART. II. Vtrum de potentia Dei absoluta, possit comprehensor frui Essentia non fruendo persona. 84
ART. III. Vtrum comprehensor secundùm naturalem virtutem suam, possit frui Essentia sine personis, vel vna persona absque alia. 95
ART. IV. Qualis est de facto fruitio comprehensoris, & viatoris. ibid.
Soluuntur argumenta principalia. 96

QVÆSTIO III.

Vtrum fruitio sit aliquis actus elicitus à voluntate, vel passio recepta in voluntate, puta aliqua delectatio. ibid.
ART. I. Qui sunt actus eliciti voluntatis, & quid delectatio. ibid.
ART. II. Cui prædictorum actuum nomen fruitionis competit. 99
Satisfit argumentis in principio quæstionis adductis. 100

QVÆSTIO IV.

Vtrum fine apprehenso per intellectum, necesse sit voluntatem frui eo. ibid.
ART. I. Subdiuiso sensu quæstionis, recitatur opinio aliorum. ibid.
ART. II. Refutatur præcedens opinio, & datur propria quęstionis resolutio. ibid.
ART. III. Soluuntur argumenta opinionis in articulo primo posita. 102
Respon. argumentis in principio quæstionis adductis. ibid.

QVAESTIO V.

Vtrum Deo conueniat frui. ibid.

DISTINCTIO II.

De vnitate Dei, & Trinitate Personarum.

QVAESTIO I.

An Deum esse, sit per se notum. 103
ART. I. Declaratur quid sit propositio per se nota. ibid.
ART. II. Resolutio datur præsentis quæstionis. 105
Principalia argumenta diluuntur. 108

QVAESTIO II.

Vtrum in entibus sit aliquid infinitum. 110
ART. I. Ostenditur aliquid esse in entibus simpliciter primum secundùm efficientiam, secundùm rationem finis, & secundùm eminentiam. ibid.
ART. II. Declaratur illud, quod est primum secundùm vnam primitatem; esse etiam primum secundùm aliàs primitates. 112
ART. III. Docetur prædictam primitatem triplicem, vnicæ & eidem naturæ conuenire. ibid.
ART. IV. Primum ens esse intelligens & volens, & qualis eius sit intellectio & volitio, probatur. 113
ART. V. Ostenditur intentum principale quęstionis, quòd detur ens simpliciter infinitum. 117
Principalia argumenta diluuntur. 119

QVAESTIO III.

An sit tantùm vnus Deus. 124

QVAESTIO IV.

Vtrum Essentia Diuina possit stare in aliquo, & ipsum esse productum, seu vtrum in Diuinis possit esse aliqua productio intrinseca. ibid.
ART. I. Satisfit propositę quæstioni, per conclusionem affirmatiuam. ibid.
ARTIC. II. Proponuntur rationes aliorum, & ponderantur. 127
Respondetur ad argumenta principalia. ibid.

QVAESTIO V.

Vtrum sint in Deo tantùm duæ productiones intrinsecę. 130
ART. I. Proponitur modus explicandi aliorum. ibid.
ART. II. Modus prædictus, vt insufficiens & falsus, reijcitur. 131
ART. III. Datur responsio ad quæstionem. ibid.
ART. IV. Duplicis generis obiectiones contra prædicta adferuntur. 133
Resoluuntur argumenta principalia. 136

QVAESTIO VI.

Vtrum tantùm sint tres personę in Essentia Diuina. 137

QVAESTIO VII.

Vtrum possibile sit cum vnitate Essentiæ Diuinæ stare pluralitatem personarum. 138
ART. I. Satisfit propositę quæstioni. ibid.
ART. II. An inter Essentiam Diuinam & relationem Originis, sit aliqua distinctio præter opus intellectus. 139
ART. III. Qualis sit illa distinctio præter opus intellectus, quæ ponitur inter relationem & essentiam. 140
Argumenta in principio huius quæstionis proposita resoluuntur. 142

DISTINCTIO III.

De cognoscibilitate Dei, quomodo est à nobis cognoscibilis.

QVAESTIO I.

Vtrum Deus sit naturaliter cognoscibilis ab intellectu viatoris. 146
ART. I. Explicatur sensus quæstionis. ibid.
ART. II. Proponitur modus dicendi aliorum. ibid.
ART. III. Respondetur propositæ quæstioni. 147
Argumenta principalia, & pro opinione adducta, resoluuntur. 158

QVAESTIO II.

Vtrum Deus sit primum cognitum à nobis naturaliter, pro statu isto. 159

ART.

ART. I. Proponitur opinio aliorum. ibid.
ART. II. Propria datur resolutio quæstionis. ibid.
Argumenta tum principalia, tum pro opinione adducta soluuntur. 162

QVAESTIO III.

Vtrum Deus sit obiectum adæquatum intellectus creati. ibi.
ART. I. Opinio narratur & refutatur, eorum, qui obiectum adæquatum nostri intellectus statuunt, quidditatem rei materialis. ibid.
ART. II. Altera opinio affirmans Deum esse obiectum adæquatum nostri intellectus, reijcitur. 163
ART. III. Vera sententia ponitur. 164
ART. IV. Proponuntur præcipua argumenta contra vniuocationem Entis. 167
Resoluuntur argumenta principalia quęstionis. 168

QVAESTIO IV.

Vtrum aliquod aliud transcendens, adæquatum, Enti possit poni obiectum adæquatum intellectus nostri. ibid.
ART. I. Verum transcendentaliter acceptum, non est obiectum adęquatum intellectus nostri. ibid.
ART. II. Expeditur dubium, cur non omne contentum sub Ente, naturaliter est motiuum nostri intellectus. ibid.

QVAESTIO V.

Vtrum aliqua veritas certa & sincera possit naturaliter cognosci ab intellectu viatoris, absque lucis increatæ speciali illustratione. 170
ART. I. Recitatur vna opinio cum suis motiuis. ibid.
ART. II. Rationes pro opinione prædicta adductas non esse fundamentales alicuius sententiæ veræ, nec secundùm intentionem esse Augustini, sed pro sententia Academicorum concludere, ostenditur. 171
ART. III. Declaratur, quomodo opinio Academicorum, negans notitiam certam (quæ videtur posse probari, per rationes articulo primo adductas) falsa sit. ibid.
ART. IV. Soluuntur rationes Academicorum primo articulo positæ, quatenus malè concludunt. ibid.
ART. V. Arguitur contra Conclusionem Henrici Gandauen. datam pro resolutione præsentis quæstionis. ibid.
ART. VI. Soluitur quæstio, & quomodò veritates videantur in regulis æternis, secundùm Augustinum, explicatur. ibid.
ART. VII. Declaratur, quomodo dicta quædam Augustini pro primo articulo adducta, concludunt etiam intentionem Augustini, non autem illam ad quam ibi opinans inducit. 173

QVAESTIO VI.

Vtrum in omni creatura sit vestigium Trinitatis. ibid.
ART. I. Quæ sit ratio vestigij in corporalibus. ibid.
ART. II. In quo consistat ratio vestigij in creatura respectu Dei. ibid.
ART. III. In quo fundatur respectus vestigij ad Deum, cuius creatura dicitur vestigium. 174
Argumenta duplicia resoluuntur. 175

QVAESTIO VII.

Vtrum in parte intellectiua propriè sumpta sit memoria propriè, id est, intellectus habens speciem intelligibilem priorem naturaliter actu intelligendi. 177
ART. I. Recitatur opinio negans omnem speciem intelligibilem. ibid.
ART. II. Impugnatur præcedens opinio. ibid.
ART. III. Resoluitur vltimatè quæstio. ibid.
Argumenta tum pro opinione primo articulo adducta, tum principalia, soluuntur. ibid.

QVAESTIO VIII.

Vtrum intellectus sit causa totalis productiua notitiæ genitæ. 181
ART. I. Narratur & reijcitur opinio, totam actiuitatem respectu intellectionis attribuens soli animæ. ibid.
ART. II. Sententia totam causalitatem respectu intellectionis attribuens obiecto, examinatur. 182
ART. III. Duo modi medij explicandi quæstionem, reijciuntur. 183
ARTIC. IV. Aliæ duę opiniones intermedię ponderantur. ibid.
ART. V. Datur decisio quæstionis secundùm propriam sententiam. 184
Argumenta in principio quæstionis adducta resoluuntur. 185

QVAESTIO IX.

Intellectusne an species loco obiecti, habet rationem causæ principalioris, respectu notitiæ genitæ. ibid.

QVAESTIO X.

Vtrum in mente sit distincta imago Sanctissimæ Trinitatis. ibid.
ART. I. Quid sit imago in corporalibus. ibid.
ART. II. Respectu cuius in Trinitate est imago. ibid.
ART. III. In quo & quomodo est in nobis imago Sanctissimæ Trinitatis. 186
Argumentis principalibus satisfit. ibid.

DISTINCTIO IV.

De veritate harum propositionum: Deus genuit Deum: & Vnus Deus est, tres Personæ.

QVAESTIO I.

Vtrum ista propositio sit vera: Deus genuit alium Deum fol. 188
ART. I. Resoluitur quæstio. ibid.
ART. II. Argumenta in principio quæstionis adducta soluuntur. ibid.

QVAESTIO II.

Vtrum hæc propositio sit vera: Deus est Pater, Filius, & Spiritus Sanctus. 190

DISTINCTIO V.

De falsitate harum locutionum: Pater genuit Diuinam Essentiam: Diuina Essentia genuit Filium: Essentia genuit Essentiam: nam Essentia Diuina nec generat nec generatur.

QVAESTIO I.

Vtrum Essentia Diuina generet vel generetur. 191

ART. I. Recitatur opinio Ioachimi Abbatis, & impugnatur. ibid.
ART. II. Quod Essentia Diuina nec generet nec generetur probatur Logicè. ibid.
Argumenta in principio quæstionis proposita resoluuntur. 193

QVÆSTIO II.

Vtrum Filius generetur de substantia Patris. ibid.
ART. I. Recitatur opinio affirmans Filium esse de essentia Patris, quasi de materia. 194
ART. II. Confutatur supradicta opinio. ibid.
ART. III. Declaratur, quomodo Filius est de substantia Patris, non tamen quasi de materia. 196
ART. IV. An proprietas relatiua sit actus essentiæ. ibid.
ART. V. Explicantur tres difficultates. 197
Argumenta tum pro opinione articulo primo adducta, tum principalia soluuntur. ibid.

DISTINCTIO VI.

De modo quo Pater generat Filium, an natura, an voluntate, vel necessitate.

QVÆSTIO VNICA.

Vtrum Deus Pater genuit Deum Filium voluntate. ibid.
ART. I. Quomodo Pater generat Filium volens. ibid.
ART. II. Pater non generat Filium voluntate, vt principio productiuo. ibid.
Argumenta in principio quæstionis adducta soluuntur. 200

DISTINCTIO VII.

De potentia generandi, an Pater potuerit generare Filium & an sit aliqua potentia in Patre, quæ non sit in Filio.

QVÆSTIO VNICA.

Vtrum potentia generandi in Patre sit aliquid absolutum, vel proprietas Patris. 201
ART. I. Quidam dicunt solam essentiam esse potentiam generandi. ibid.
ART. II. Alij opinantur essentiam non præcisè, sed vt determinatam per talem relationem, esse potentiam generandi. ibid.
ART. III. Propria quæstionis resolutio datur. 202
ART. IV. Vtrum generatio in Diuinis sit vniuoca. 203
ART. V. Argumenta primo articulo contra opinionem posita, quatenus procedunt contra determinationem, soluuntur. ibid.
Argumenta principalia resoluuntur. ibid.

DISTINCTIO VIII.

De incommutabilitate & simplicitate Dei.

QVÆSTIO I.

Vtrum Deus sit summè simplex. 205
ART. I. Resoluitur quæstio. ibid.
ART. II. Argumenta principalia soluuntur. ibid.

QVÆSTIO II.

Vtrum creatura aliqua sit simplex. 297

QVÆSTIO III.

Vtrum Deus, vel aliquid dictum de Deo, sit in genere. 208
ART. I. Narratur opinio negans etiam transcendentalem conceptum communem Deo & creaturæ, nedum genericum, & reijcitur. ibid.
ART. II. Opinio aliorum, quòd Deus sit in genere. ibid.
ART. III. Propria sententia ponitur. 209
ART. IV. Difficultates quædam contra dicta insurgentes dissoluuntur. 210
ART. V. Argumentis pro secunda opinione adductis satisfit. ibid.
Respondetur argumẽtis in principio quæstionis positis. ibid.

QVÆSTIO IV.

Vtrum cum simplicitate Dei possit stare aliquomodo distinctio perfectionum essentialium, præcedens aliquomodo omnem actum intellectus. 216
ART. I. Recitatur opinio, affirmantium attributa distingui sola ratione per respectum ad extra. ibid.
ART. II. Impugnatur illa opinio. 217
ART. III. Alia opinio proponitur. 218
ART. IV. Opinio præcedens reijcitur. 219
ART. V. Resoluitur quæstio secundùm propriam sententiam. 221
ART. VI. Difficultates tres mouentur & explicantur. 222
Argumento principali satisfit. ibid.

QVÆSTIO V.

Vtrum solus Deus sit immutabilis. ibid.
ARTIC. I. Ostenditur Deum esse immutabilem simpliciter. 223
ART. II. An aliquid aliud à Deo sit immutabile simpliciter secundũ Philosophos, narratur opinio Gandauen. ibid.
ART. III. Ostenditur, quòd prædicta opinio malè explicet Aristotelis sententiam. ibid.
ART. IV. Vera explicatio sententiæ Philosophorum, datur. 224
ART. V. Quod Deus non necessariò, sed contingenter causet, probatur contra Philosophos 225
ART. VI. Concluditur, nihil aliud à Deo esse simpliciter immutabile. 226
ART. VII. Rationibus arrticulo quarto pro opinione Philosophi adductis, satisfit. ibid.
Argumentum principale soluitur. ibid.

DISTINCTIO IX.

De æternitate Dei, & coæternitate trium Personarum.

QVÆSTIO VNICA.

Vtrum generatio Filij sit æterna in Diuinis. ibid.

DISTINCTIO X.

De Spiritu Sancto quomodo sit amor Patris & Filij.

QVÆSTIO VNICA.

Vtrum Spiritus Sanctus producatur per modum voluntatis. 229
ART. I. Satisfit quæstioni propositæ affirmatiuè. ibid.
ART. II. Mouetur dubium, quomodo voluntas potest esse principium communicandi in Diuinis, cùm ita non sit in creaturis. 231

ART.

ART. II. Mouetur dubium, quomodo voluntas poteſt eſſe principium communicandi in Diuinis, cùm ita non ſit in creaturis. 231
ART. III. Explicantur alia duo dubia. ibid.
Argumenta principalia reſoluuntur. 232

DISTINCTIO XI.

De proceſſione Spiritus Sancti ſimul à Patre & Filio.

QVAESTIO I.

Vtrum Spiritus Sanctus procedat à Patre & Filio. 233
ART. I. Ponitur diuerſa opinio Græcorum & Latinorum, approbaturque opinio Latinorum, Græcorum verò explicatur. ibid.
ART. II. Argumenta pro opinione Græcorum adducta ſoluuntur. ibid.

QVAESTIO II.

Vtrum ſi Spiritus Sanctus non procederet à Filio, diſtinctio eſſet Spiritus Sancti à Filio. 234

DISTINCTIO XII.

Quòd Spiritus Sanctus priùs vel pleniùs non procedit à Patre quàm à Filio, & an concedi debeat, quòd principaliter procedat à Patre.

QVAESTIO I.

Vtrum Pater & Filius ſpirent Spiritum Sanctum inquantum omnino vnum, vel inquantum diſtincti. 237
ART. I. Determinatur, quòd Pater & Filius ſint vnum principium Spiritus Sancti. ibid.
ART. II. Recitatur opinio, quòd Pater & Filius voluntate non inquantum vna, ſed inquantum eſt concors, ſpirent Spiritum Sanctum. ibid.
ART. III. Impugnatur prædicta opinio. ibid.
ARTIC. IV. Declaratur principale intentum quæſtionis. ibid.
ART. V. Explicatur modus loquendi, quòd Pater & Filius ſunt duo ſpirantes, ſed vnus ſpirator. ibid.
Argumenta in principio quæſtionis adducta, ſoluuntur. ibidem.

QVAESTIO II.

Vtrum Pater & Filius vniformiter ſpirent Spiritum Sanctum. 239

DISTINCTIO XIII.

De diſtinctione ſpirationis Spiritus Sancti à generatione Filij.

QVAESTIO VNICA.

Vtrum productio Spiritus Sancti ſit generatio, vel diſtinguatur ab ea. 240
ART. I. Tres opiniones adferuntur, & reijciuntur. ibid.
ART. II. Aliæ tres opiniones aliorum refelluntur. ibid.
ART. III. Opinio ſeptima confutatur. 244
ART. IV. Datur propria quæſtionis reſolutio. 245
Argumenta principalia ſoluuntur. 247

DISTIN. XIV. XV. & XVI.

De Proceſſione temporali Spiritus Sancti, quæ dicitur Miſſio.

QVAESTIO VNICA.

Vtrum quælibet perſona Diuina mittat, quamlibet perſonam Diuinam, & mittatur à qualibet. 248

DISTINCTIO XVII.

De inuiſibili miſſione per Charitatem.

QVAESTIO I.

Vtrum neceſſe ſit ponere charitatem creatam, formaliter inhærentem naturæ beatificabili. 250
ART. I. Recitatur opinio, quæ dicitur eſſe Magiſtri Sententiarum. ibid.
ART. II. Opinio illa impugnatur. ibid.
ART. III. Motiua alia adducuntur, cur debeat poni habitus infuſus charitatis ſeu gratiæ in anima. ibid.
ART. IV. Quæ ſit cauſa principalis actus meritorij, potentianè, an habitus charitatis infuſus. 251
ART. V. An ſit ſimpliciter neceſſarium ponere habitum ſupernaturalem charitatis, ad hoc, vt natura creata beatificetur. 252
ART. VI. An Magiſter ita ſenſerit, vt narratur primo articulo: ſimulque argumenta pro illo articulo adducta ſoluuntur. 253
Satisfit argumentis principalibus. 258

QVAESTIO II.

Vtrum neceſſe ſit rationem ponere in habitu principij actiui reſpectu actus. ibid.
ART. I. Recitantur duæ opiniones aliorum de propoſita quæſtione. ibid.
ART. II. Opinio tertia, attribuit omni habitui rationem principij actiui partialis, reſpectu ſui actus. ibid.
ART. III. Negatiua ſententia oppoſita priori, cum ſuis motiuis proponitur. ibid.
ART. IV. Datur probabiliſſima determinatio ſecundùm tertiam opin. quòd habitus ſit cauſa actus: & argumenta triplicia ſuperiùs contra illam poſita diluuntur. 259
ART. V. Opinionem negatiuam non eſſe omnino improbabilem oſtenditur. ibid.

QVAESTIO III.

An habitus moralis inquantum virtus, ſit aliquomodo principium actiuum reſpectu bonitatis in actu. ibid.
ART. I. Explicatur in quo conſiſtit bonitas moralis. ibid.
ART. II. A quo accipit bonitatem moralem actus moralis, & quomodo. 260
Argumēta in principio quæſtionis adducta, reſoluuntur. ibi.

QVAESTIO IV.

Vtrum tota Charitas præexiſtens corrumpatur, cum noua inducitur, ita quòd nulla realitas eadem numero maneat in charitate maiore & minore. ibid.

QVAESTIO V.

Vtrum illud poſitiuum Charitatis præexiſtens, quod manet in augumento ſit tota eſſentia charitatis intenſæ. 261

ARTIC. I. Opiniones aliorum proponuntur & refutantur. ibid.
ART. II. Propria sententia recitatur, & argumenta quæ priori sententiæ fauebant, resoluuntur. 263

DISTINCTIO XVIII.

De Spiritu Sancto, prout dicitur donum.

QVAESTIO VNICA.

Vtrum donum dicat proprietatem personalem Spiritus Sancti. 267

DISTINCTIO XIX.

De æqualitate trium Personarum.

QVAESTIO I.

Vtrum personæ Diuinæ sint æquales secundùm magnitudinem. 268

QVAESTIO II.

Vtrum quælibet Diuina Persona sit in alia. ibid.
ART. I. Quomodo vna persona Diuina est in alia. ibid.
ART. II. Quæ sit ratio istius existentiæ. 269
ARTIC. III. An iste modus essendi in, possit reduci ad modum aliquem essendi in, repertum in creaturis. ibid.
Argumenta principalia soluuntur. ibid.

DISTINCTIO XX.

De æqualitate Diuinarum Personarum in potentia.

QVAESTIO VNICA.

Vtrum tres Personæ Diuinæ sint æquales in potentia. 270
ART. I. Præmissa distinctione potentiæ, ponitur aliorum opinio. ibid.
ART. II. Ponitur propria sententia. ibid.
Argumenta principalia soluuntur. 272

DISTIN. XXI.

De dictionibus exclusiuis, quomodo additæ vni personæ excludunt, vel non excludunt alias personas.

QVAESTIO VNICA.

Vtrum hæc sit vera; Solus Deus est Pater. 273

DISTINCTIO XXII.

De nominum differentia, quibus vtimur loquendo de Deo.

QVAESTIO VNICA.

Vtrum Deus sit nominabilis, nomine significante Essentiam Diuinam, vt hæc. 276

DISTIN. XXIII.

De hoc nomine Persona.

QVAESTIO VNICA.

Vtrum Persona, vt dicit aliquid commune Patri, Filio, & Spiritui Sancto, dicat præcisè aliquid secundę intentionis. 279
ART. I. Narratur opinio aliorum. ibid.
ART. II. Vera datur resolutio quæstionis. 281

DISTINCTIO XXIV.

De vsu nominum numeralium in Diuinis.

QVAESTIO VNICA.

Vtrum in Diuinis sit propriè numerus. 285

DISTINCTIO XXV.

Cum dicitur duæ Personæ Diuinæ, vel tres Personæ, quid nomine Personę significetur, Relationē, an Essentia.

QVAESTIO VNICA.

Vtrum persona in Diuinis dicat substantiam, an verò relationem. 290

DISTINCTIO XXVI.

De proprietatibus personarum.

QVÆSTIO VNICA.

Vtrum Persona Diuina constituatur in esse personali per relationes Originis. 291
ARTIC. I. Ponitur & refutatur opinio affirmans personas seipsis non per relationes Originis distingui. ibidem.
ART. II. Recitatur communis opinio, quòd per relationes Personę Diuinę constituuntur, & distinguuntur ab inuicem, in esse personali. 292
ART. III. Contra communem viam arguitur quadruplici via, & primò comparando relationem ad relatum: eademque argumenta resoluuntur. 294
ART. IV. Ex alio ordine comparando relationem ad originem, argumenta facta diluuntur. ibid.
ARTIC. V. Ex propria ratione constitutiui, contra communem sententiam obijcitur, & ijsdem obiectionibus satisfit. ibid.
ART. VI. Adferuntur auctoritates, quę eidem opinioni communi videntur contradicere, & quomodo non contradicant, explicatur. 295
ART. VII. Narratur quorundam opinio, personas Diuinas primariò constitui per absoluta, secundariò per relationes. ibid.
ART. VIII. Prędicta opinio non repugnat fidei. 296
ART. IX. Auctoritates secundo articulo positæ cōtra hanc opinionem, resoluuntur. ibid.
ART. X. Respondent ijdem auctores, rationibus secundo articulo contra illos adductis. 297
Argumenta principalia soluuntur. ibid.

DISTINCTIO XXVII.

De notionibus, & de nomine Verbi, an sit essentiale vel relatiuum.

QVÆSTIO I.

Vtrum verbum creatum sit intellectio actualis. 298
ART. I. Ponitur & impugnatur aliorum opinio. ibid.
ART. II. Explicatur vera sententia. 302
ART. III. Notitia actualis non quæcunque, sed genita, est Verbum. 305
Satisfit principalibus argumentis. 306

QVAESTIO II.

Vtrum Verbum in Diuinis dicat proprium personæ genitæ. ibid.

QVÆSTIO III.

Vtrum Verbum in Diuinis dicat respectum ad creaturas. ibidem.

DISTINCTIO XXVIII.

De nominibus notionalibus, & primò de ingenito siue de innascibili.

QVÆSTIO I.

Vtrum ingenitum sit proprietas ipsius Patris. 307
ARTIC. I. Qualiter ingenitum soli Patri conuenit. ibidem.
ART. II. Quomodo ingenitum, potest esse proprietas cùm videatur tantùm negationem importare. 308
Respondetur ad argumenta principalia huius quæstionis. ibid.

QVÆSTIO II.

Vtrum innascibilitas sit proprietas constitutiua, primę personæ in Diuinis. 310

QVÆSTIO III.

Vtrum prima persona constituatur in esse personali aliqua relatione positiua ad secundam personam. ibid.
ARTIC. I. Aliorum quatuor opiniones examinantur. ibidem.
ART. II. Verior sententia proponitur. 312
ART. III. Quomodo essentia Diuina determinatur ad Paternitatem. ibid.
Argumenta prrncipalia soluuntur. ibid.

DISTINCTIO XXIX.

De hoc termino, principium, quod de Diuinis dicitur.

QVAESTIO VNICA.

Vtrum principium vno modo dicatur de principio sumpto personaliter & notionaliter, & sumpto etiam essentialiter. 313

DISTINCTIO XXX.

De relationibus quæ Deo attribuuntur per comparationem ad creaturam.

QVAESTIO I.

Vtrum de Deo dicatur aliqua relatio ex tempore. 314
ART. I. Ponuntur duę opiniones aliorum, & impugnantur. ibid.
ART. II. Propria sententia explicatur. 315
Argumenta principalia huius quæstionis soluuntur. 318

QVAESTIO II.

Vtrum Dei ad creaturam possit esse aliqua relatio realis. ibid.
ART. I. Aliorum duæ opiniones ponuntur & impugnantur. ibid.
ART. II. Propria sententia explicatur. 319
Argumentis principalibus satisfit. 320

DISTINCTIO XXXI.

De relationibus identitatis, similitudinis, & æqualitatis, vt in Diuinis reperiuntur.

QVAESTIO VNICA.

Vtrum identitas, similitudo, æqualitas, sint relationes reales in Deo. 321

DISTINCTIO XXXII.

Vtrum Pater & Filius diligant se Spiritu Sancto, & vtrum Pater sit sapiens sapientia genita.

QVAESTIO I.

Vtrum Pater sit sapiens Sapientia genita. 322

QVAESTIO II.

Vtrum Pater & Filius diligant se Spiritu Sancto. 323

DISTINCTIO XXXIII.

Vtrum proprietates personarum sint idem cum Essentia Diuina.

QVAESTIO I.

Vtrum proprietas sit idem cum Persona. 325

QVAESTIO II.

Vtrum proprietas sit idem cum Essentia. ibid.

DISTINCTIO XXXIV.

An idem sit persona & essentia: Et, An eadem Essentia possit esse Pater & Filius & Spiritus Sanctus.

QVAESTIO I.

An persona sit idem cum Essentia. 326

DI-

DISTINCTIO XXXV.

De Scientia & præscientia Dei.

QVAESTIO VNICA.

Vtrum in Deo sint relationes æternæ, ad omnia scibilia, & quidditatiuè cognita. 341
ART. I. Referuntur aliorum duæ opiniones, & reijciuntur. ibid.
ART. II. Explicatur propria sententia. 342
ART. III. Expediuntur tres difficultates in præsentia materia occurrentes. ibid.
Argumenta tum principalia tum pro opinione, primo articulo posita, resoluuntur.

DISTINCTIO XXXVI.

An omnia sint in Dei Essentia vt in cognitione & præscientia.

QVAESTIO VNICA.

Vtrum creatura inquantum est fundamentum relationis æternæ ad Deum, vt cognoscentem, habeat verè esse essentiæ, & hoc, quia est sub tali respectu. 353
ART. I. Affirmatiua opinio refellitur. ibid.
ART. II. Opinio negatiua vera declaratur. 357
Argumenta tum principalia, tum pro opinione primo articulo posita, soluuntur. 358

DISTINCTIO XXXVII.

De modo essendi Dei in rebus.

QVAESTIO VNICA.

Vtrum Deum esse præsentem vbique secundùm potentiam, inferat ipsum esse vbique secundùm essentiam: hoc est, vtrum omnipotentia inferat immensitatem. 359

DISTIN. XXXVIII.

De præscientia Dei, an sit causa rerum.

QVAESTIO VNICA.

Vtrum scientia Dei respectu factibilium sit practica. 361

DISTIN. XXXIX.

De scientia Dei, an possit augeri vel minui, & an possit mutari.

QVAESTIO I.

Vtrum Deus habeat notitiam determinatã omnium, quantùm ad omnes conditiones existentiæ. 362
ART. I. Reijcitur opinio, affirmans rationem cognoscendi futura contingentia, esse idæas in intellectu diuino existentes. ibid.
ART. II. Illa sententia quæ docet in præsentia rerum ad æternitatem futura omnia à Deo cognosci, ostenditur esse insufficiens. ibid.
ART. III. Ostenditur contingentiã esse in rebus, & Deum contingenter agere extra. 365
ART. IV. Præmittuntur scitu quædam necessaria, de nostra voluntate, & eius contingentia. ibid.
ART. V. Quæ sit libertas Diuinæ voluntatis, & quæ contingentia respectu volitorum. 366
ART. VI. Soluuntur argumenta articulo secundo adducta. 369
Soluuntur argumenta principalia. ibid.

QVAESTIO II.

Vtrum Deus habeat certam notitiam, & infallibilem omnium, quantùm ad omnes conditiones existentiæ. 370

QVAESTIO III.

Vtrum Deus habeat immutabilem notitiam de omnibus, quantùm ad omnem conditionem existentiam. ibid.

QVAESTIO IV.

Vtrum Deus necessariò sciat omnem conditionem existentię omnium. ibid.

QVAESTIO V.

Vtrum cum determinatione & certitudine scientiæ Diuinę, possit stare aliqua contingentia, ex parte rerum in existentia. 371

DISTINCTIO XL.

De prædestinatione, & Reprobatione.

QVAESTIO VNICA.

Vtrum prædestinatus possit damnari. 372

DISTIN. XLI.

De prædestinationis merito, & reprobationis demerito, an detur.

QVAESTIO VNICA.

Vtrum sit aliquod meritum prædestinationis vel reprobationis. 373
ART. I. Duæ opiniones de proposita quæstione examinantur. ibid.
ART. II. Opinio negatiua in hac materia communior, ponitur. ibid.
ART. III. Esse aliquam causam prædestinationis dicitur à nonnullis. ibid.
ART. IV. Valde probabile videtur, nullam esse rationem prædestinationis in prædestinato, licèt aliqua sit reprobationis in reprobo. 374
Argumentis principalibus satisfit. ibid.

DISTINCTIO XLII.

De Omnipotentia Dei.

QVÆSTIO VNICA.

Vtrum Deum esse omnipotentem, possit probari naturali ratione. 378

DISTINCTIO XLIII.

De potentia Dei, quòd plura possit facere quàm fecit.

QVAESTIO VNICA.

Vtrum prima ratio impossibilitatis rei fiendæ sit ex parte rei factibilis. 379

DISTINCTIO XLIV.

Quòd Deus meliori modo possit res possit facere, quàm fecit.

QVAESTIO VNICA.

Vtrum Deus possit facere aliter res, quàm ab ipso ordinatum est fieri. 380

DISTINCTIO XLV.

De voluntate Dei & de signis eius.

QVAESTIO VNICA.

Vtrum ab æterno Deus voluit alia à se. ibid.

DISTINCTIO XLVI.

De voluntate & beneplacito Dei.

QVAESTIO VNICA.

Vtrum voluntas beneplaciti Dei, semper impleatur. ibid.

DISTINCTIO XLVII.

De adimpletione voluntatis Diuinæ, & de permissione Diuina.

QVAESTIO VNICA.

Vtrum permissio Diuina, sit aliquis actus voluntatis Diuinæ. 381

DISTINCTIO XLVIII.

Quòd aliquando homo bona voluntate aliud vult quàm Deus, & aliquando mala, id, quod Deus bona voluntate vult.

QVAESTIO VNICA.

Vtrum voluntas humana sit bona moraliter, quandocunque conformatur voluntati Diuinæ. ibid.

FINIS.



INDEX DVBITATIONVM,

Quę ex occasione Textus pertractantur, ad doctrinam Doctoris Subtilis illustrandam.

IN PROLOGO.

Quæstione Prima.

Dub. I. Vtrum diuisio potentiæ passiuæ conuenienter sit tradita à Doctore. *Art.*4. fol. 11
Dub. II. Vtrum detur potentia neutra. *ibid.* 13
Dub. III. Vtrum potentia intellectiua receptiua habituum vel actuum supernaturalium, sit potentia naturalis. *ibid.* 15
Dub. IV. Vtrum dari possit aliqua species distinctè repræsentans Essentiam Dei. *ibid.* 20
Dubitatio. Vtrum assensus sit quid distinctum ab actu intelligendi quo cognoscitur veritas complexa. *Post solutionem argum.* 30

Quæstione Tertia.

Dub. I. Vtrum obiectum scientiæ debeat continere veritates sui habitus. *Art.*1. 35
Dub.II. Vtrum Theologia sit vnus numero habitus. *ibid.* 37
Dub.III. Vtrum ab obiecto sumatur formalis distinctio habitus Theologici. *ibid.* 40
Dubit. Vtrum visio Beatorum, sit sicut cognitio Entis incomplexa, præcedens naturaliter scientiam Theologiæ ipsorum. *Art.*2. 45

Quæstione Septima.

*Dub.*I. Vtrum Theologia subalternetur Metaphysicæ. 54
Dub.II. Vtrum Theologia subalternet sibi alias scientias. *ibid.* 56
Dub. III. Vtrum Theologia nostra subalternetur Theologiæ Dei, vel Beatorum. *ibid.* 57

Quæstione Octaua.

Dubitatio. Vtrum definitio praxis, conuenienter sit tradita à Doctore. *Art.*1. 60
Dubitatio. Vtrum practicum & speculatiuum sint essentiales differentiæ habitus scientifici. *Art.*2. 63

Quæstione Nona.

Dubit. Vtrum de eodem obiecto, sub eadem ratione formali, possit esse habitus speculatiuus & practicus. *Art.*2. 71

IN DISTINCTIONE I.

Quæstione Secunda.

Dubitatio. Vtrum Relationes Originis sint de ratione formali Essentia Dei. *Art.*1. 82
Dub. I. Vtrum sit simpliciter impossibile videre Essentiam Diuinam non videndo personas. *Art.*2. 85
*Dub.*II. Vtrum possibile sit videre Essentiam Diuinam sine attributis, vel ideis. *ibid.* 88
Dub. III. Vtrum aliqua prioritas in diuinis sit à parte rei. *ibid.* 89
Dub. IV. Vtrum Essentia Diuina sit obiectum primarium Essentiæ Dei. *ibid.* 94

Quæstione Tertia.

Dubit. Vtrum delectatio realiter distinguatur à dilectione, qua est fruitio. *Art.*1.

IN DISTINCTIONE II.

Quæstione Prima.

Dubit. Vtrum existentia sit de quidditate Dei. *Art.*2. 107
Dubitatio. Vtrum veritas sit formaliter in re, vel in intellectu. *Post solut. argum.* 109

Quæstione Secunda.

Dub. I. Vtrum si Deus ageret ex necessitate naturæ, sequeretur quod nullum esset contingens in rebus. *Art.*4. 113
Dubit. II. Vtrum contingentia agendi, Deo attribui debeat. *ibid.* 116
Dubitatio. Vtrum Deus possit actu infinitum producere. *Art.*5. 120

Quæstione Quarta.

Dubitatio. Vtrum in Diuinis sit generatio.

Quæstione Quinta.

Dubitatio. Vtrum plures possint esse productiones intrinsecæ eiusdem rationis. *Art.*3. 132
Dubitatio. Vtrum actus, quo Deus generat Verbum, sit intellectio essentialis. *Art.*4. 134

IN DISTINCTIONE III.

Quæstione Prima.

Dub. I. Vtrum conceptus Entis sit abstrahibilis, à conceptibus suorum inferiorum. *Art.*3. 147
Dub. II. Vtrum ratio Entis sit aliquomodo distincta à gradibus inferioribus. *ibid.* 151
Dub. III. Vtrum conceptus Entis sit vniuocus Deo & creaturæ. *ibid.* 154

Quæstione Secunda.

Dubitatio. Vtrum aliquis conceptus realis sit communior Ente. *Art.*2. 161

Quęstione Tertia.

Dubit. Vtrum veritas cognitionis formaliter in sola operatione secunda intellectus inueniatur. *Art.* 3. 166

Quęstione Quarta.

Dubitatio. Vtrum ratio veri, vt est passio Entis, sit quid absolutum. *Art.*2.

Quæstione Septima.

Dubit. Vtrum memoria intellectiua sit conseruatiua speciei intelligibilis, cessante actu intelligendi. *Art.* 3. 178
Quæritur. Vtrum in intellectu nostro sit actualis notitia genita vel producta. 179

IN DISTINCTIONE V.

Quæstione Prima.

Dubitatio. Vtrum communicatio sit idem quod productio. 193

Quæstio-

Index Dubitationum.

Quæstione Secunda.

Dubit. Vtrum Essentia sit terminus formalis Diuinæ generationis, *Art.* 2. 194

IN DISTINCTIONE VI.

Dub. I. Vtrum Pater genuit Filium necessitate. *Art.* 2. 198
Dub. II. Vtrum Pater genuit Filium natura. *ibid.* 199

IN DISTINCTIONE VII.

Dubit. Vtrum Deus Filius possit generare. *Art.* 5. *post solut. argum.* 203

IN DISTINCTIONE VIII.

Quæstione Prima.

Dub. I. Vtrum simplicitas dicat aliquid positiuũ. *Art.* 2. 205
Dub. II. Vtrum simplicitas sit perfectio simpliciter. *ibid.* 206

IN DISTINCTIONE IX.

Dubitatio. Vtrum æternitas includat formaliter successionem. 226

IN DISTINCTIONE X.

Dubitatio. Vtrum principium quo producitur Spiritus Sanctus, sit naturale, an verò liberum, *Art.* 1. 229

IN DISTINCTIONE XIII.

Dubitatio. Vtrum productiones Diuinæ seipsis formaliter distinguantur. *Art.* 4. 245

IN DISTINCTIONE XV.

Dubit. Vtrum conueniat Spiritui Sãcto missio visibilis. 249

IN DISTINCTIONE XVII.

Quæstione Prima.

Dub. I. Vtrum habens charitatem creatam, per ipsam formaliter sit acceptus Deo. *Art.* 4. 251
Dub. II. Vtrum intellectus creatus sine lumine gloriæ possit videre Essentiam Dei. *Art.* 6. 254

Quæstione Quinta.

Dub. I. Vtrum charitas augeatur per extractionem partis nouæ de potentia ad actum. *Art.* 2. 265
Dub. II. Vtrum charitas possit diminui. *ibid.* 266

IN DISTINCTIONE XXII.

Dubitatio. Vtrum nomen impositum, possit rem distinctiùs significare, quàm res illa concipiatur. 277

IN DISTINCTIONE XXIII.

Dubitatio. Vtrum aliquis conceptus positiuus realis, possit esse communis secundùm abstractionem rationis, tribus personis Diuinis. *Art.* 1. 280
Dubitatio. Vtrum persona pro formali dicat quid positiuum, an verò negatiuum. *Art.* 2. 281

IN DISTINCTIONE XXIV.

Quæstione Vnica.

Dubit. I. Vtrum in Diuinis Personis sit pluralitas numeralis. 285
Dub. II. Vtrum vnum dicat quid positiuum. 287

IN DISTINCTIONE XXVI.

Dubit. Vtrum relatio vt relatio est constituat Diuinã Personam: an verò relatio vt transit in Essentiã. *Art.* 2. 292

IN DISTINCTIONE XXVII.

Quæstione Prima.

Dubitatio. Vtrum actus essentiales sint aliquomodo priores actibus notionalibus. *Art.* 1. 298
Dubitatio. Vtrum Verbum sit aliquid productum per intellectionem. *Art.* 2. 302

IN DISTINCTIONE XXVIII.

Quæstione Prima.

Dubit. Vtrum in Diuinis sint quinque notiones. *Art.* 2. 309

Quæstione Tertia.

Dubitatio. Vtrum eadem sit relatio, generatio actiua, & Paternitas. *Art.* 1. 311
Dubitatio. Vtrum circumscriptis relationibus, possint intelligi personæ distinctæ. *art.* 3. 312

IN DISTINCTIONE XXXIV.

Dub. I. Vtrum inter Essentiam Diuinam & relationem, admitti possit distinctio formalis ex natura rei. 326
Dub. II. Vtrum attributa Diuina distinguantur ex natura rei formaliter. 338

IN DISTINCTIONE XXXV.

Quæstione Prima.

Dub. I. Vtrum esse obiectiuum rerum ab æterno in mente diuina concedi debeat. *art.* 3. 343
Dub. II. Vtrum Idæa sit esse cognitum rerum. *ibid.* 349
Dub. III. Vtrum Deus omnium aliorum à se, habeat distinctas Idæas. *ibid.* 351

IN DISTINCTIONE XXXVI.

Quæstione Vnica.

Dubitatio. Vtrum essentia distinguatur realiter ab existentia. *art.* 1. 353

IN DISTINCTIONE XXXIX.

Quæstione Prima.

Dubitatio. Vtrum res futuræ coëxistant æternitati realiter. *art.* 2. 362
Dubitatio. Vtrum futura contingentia Deus cognoscat ex prædeterminatione voluntatis suæ. *art.* 5. 367

IN DISTINCTIONE XLI.

Dubitatio. Vtrum reprobationis sit aliqua causa in reprobo. *art.* 4. 376

FINIS.



Errata grauiora, quæ in hoc Primo Sententiarum in Typo obrepserunt, sic corriges.

Loco Primo errata ponuntur, & eadem secundo loco corriguntur, primus numerus paginam, secundus verò versum, ad vnam ex literis Alphabeti positum, demonstrat.

Est	Ex	pag.4.B.1	perfecta identitatis.	perfecta identitas	122.B.11
neutrere	neuter	pag.5.E.6	siue.	sibi	127.E.15
prænunclaui	prænunciauit	9.A.10	non extremis.	cum extremis	131.E.12
mortalis	moralis.	12.B.2	manifectum estDeo	manifestum est Deo	
potentes	potenter	16.E.9	abusi vt	abusiuè	137.D.vl.
Appetitus sensitiuus	appetitus sensitiui	20.B.1	munere	manere	140.A.6
ista actus	iste actus.	21.C.13	intelligentis	intelligentiæ	163.C.15
pro hac in via	pro hac via	24.A.8	potest est	potest	165.H.10
nisi actus	nisi ad actus	ibid.G.17	eset diminutum	esse diminutum	169.A.11
Philosophus	Philippus	34.H.4	iusta	ista	176.C.3
eũ	enim	37.E.17	circumscriptum	circumscripto	178.G.11
sunt	sicut.	35.vlt.v.	ait	ita	181.E.13
intentio	intensio	38.A.15	negotiando	negando	184.A.9
intentissimè	intensissimè	ibid. A.18	causale prosupp osito	casuale præsupposito	198.H.2
voluente	voluère	39.D.5	relusione	relatione	200.F.3
omni maius est	omni finito maius est	51.B.7	positiuam	positam	ibid.G.6
imperfectissimè	perfectissimè	53.B.15	qua materiæ	quasi materiæ	211.H.10
sic	se.	ibid. C.18	idennetur	identitas	ibid.H.11
notitiã secundã	notitia secunda	59.A.2	denomititas	denominetur	ibid.12
conueniens	inconueniens	57.B.5	hoc existens	hoc existente	219.C.6
Aequorum	Equorum	62.H.8	ponètur	ponantur	222.G.1
potest de se	potest se	64.C.1	de relatio est	de relatione vt relatio est	234.C.5
illo nam	illorum	69.F.9	ex necessarium	ex se necessarium	241.B.8
subiectst	subiectum	71.G.1	dissimilitudine	de similitudine	243.C.1
substrahit	abstrahit	94.C.3	comparando	comparatio	ibid.D.8
nobilibus	nobiliùs	100.A.4	propositio	proportio	252.B.6
mperfectione	in perfectione	104 G.7	dimutum	diminutum	253.H.3
ipsam	seipsam	115.A.15	in ipso istud esse	in ipso secundũ istud esse	ibid.H.8
separari	possunt separari	120.A.8	notitiam existentijs	notitiam de existentijs	258.G.10
dicendi	decidendi	ibid.E.14	à causa prima	à causa proxima	263.G.16
Retio	Ratio	ibid.A.11	sine re	sinere	279.E.13

Occurrent & alij tibi legenti Lector humanissime minutiores Typi errores, sed prudentia & beneuolentia tua facilè poteris eos corrigere: ideo à correctione eorum supersedeo.

Sequuntur errata (quæ priori potiùs loco poni debuerunt) primæ partis huius Operis.

Errores in hac prima parte, leuissimi & paucissimi reperiuntur, qui facillime à quouis legente corrigi possunt, in hunc modum.

Seorsum, sursum. 1.2. effectum. defectum. ibid. propter. præter 3.1. vero. voco. ibid. vel. nec. 3.2. cognitio, cognitu.4.1. de quibus. de omnibus.4.2. & naturalis. est naturalis 13.1. propositionem, proportionem.15.2. Intellectu, in intellectu.38.2. ius.eius.39.1. obiectum.obiectorum.54.2. respectus. respectu.60.1. priorum. primum.63.2. effectum.effectuum.74.2. istæ personæ. ista persona. 91.2. licet.scilicet. 104.1. & admitteretur. & si admitteretur. 108.2. primum modo. primo modo. 117.1. relatio:reali. relatione reali. 315.2. Vtrum Essentiam. Vtrum inter Essentiam. 326.1. Accipiendum. accipientium. 350..

Inueniuntur alij præter enumeratos, in notis præsertim marginalibus, circa initium libri errores, vbi frequenter, est, loco &, scriptum leges: similiter & fol. 91. notam de prioritate naturæ, tum & fol. 103. aliquas de propositione per se nota, incorrectas videbis, Lector beneuole, sed omnes hi errorculi in corpore iam libri optimè correcti sunt: proinde idem non est bis faciendum. Correctori non vertes vitio, Lector humanissime, cui frequenter tales notæ marginales, ad corrigendum non apportabantur.

THEOLOGIÆ F. IOANNIS DVNS SCOTI DOCTORIS SVBTILISSIMI

Libri Primi Prologus.

CIRCA PROLOGVM HVIVS PRIMI LIBRI Sententiarum quæruntur quinque, &c.

QVÆSTIO PRIMA PROLOGI.

Vtrum homini pro statu isto sit necessarium aliquam doctrinam specialem supernaturaliter inspirari, ad quam non possit attingere lumine naturali intellectus.

Et videtur quòd non sic. Omnis potentia habens aliquod, &c.

SVMMA QVÆSTIONIS.

In ista Quæstione quinque Articuli declarantur. In Primo, Philosophorum opinio cum suis motiuis recitatur, quæ docet nullam cognitionem supernaturalem esse necessariam pro isto statu. In Secundo, impugnatur prædicta Philosophorum positio. In Tertio, alia argumenta contra Philosophos adferuntur. In Quarto, supponitur vnum fundamentum, & respondetur affirmatiuè ad Quæstionem. In Quinto, resoluuntur argumenta Philosophorum primo articulo adducta. Vltimò tandem, respondetur argumentis principalibus, seu in principio Quæstionis propositis.

ARTICVLVS PRIMVS.

Recitatur opinio Philosophorum negantium necessitatem cognitionis alicuius supernaturalis pro statu isto.

In ista quæstione videtur esse controuersia inter Philosophos, & Theologos.

SVMMA TEXTVS.

Prima conclusio Philosophorum est negatiua directè contra quæstionem, quòd nulla cognitio supernaturalis homini necessaria est pro isto statu. Secunda conclusio est affirmatiua, scilicet, omnis cognitio homini necessaria potest acquiri ab homine ex actione causarum naturalium. Ad hanc conclusionem secundam probandam, tres rationes innixæ auctoritatibus Aristotelis adducuntur.

COMMENTARIVM.

IN titulo huius quæstionis duo potissimùm termini indigent expositione. Primus est, ly necessarium, de qua hic necessitate Doctor Subt. est intelligendus. Secundus, doctrina supernaturalis; quidnam hoc nomine hìc vocetur: vtrum Scholastica Theologia, vel Sacra Scriptura, aut quidpiam aliud.

De Primo igitur dico. Quòd ex illis quatuor modis necessitatis, quos Aristoteles enumerat 5. Metaph. tex. 6. non primus hic valet (quia is est sine quo non est possibile animal viuere, vel esse, vt sine respiratione) potest enim homo sine scientia supernaturali viuere, & esse. Non quartus, quia is continet necessitatem simpliciter, quod non contingit aliter se habere; & iste modus in incomplexis soli Deo conuenit, vt docet Subtilis Doctor in 1. dist. 39. quæst. 4. in complexis, prædicatis necessarijs: verùm nullus actus secundus, & consequenter, nec aliqua cognitio sic est homini necessaria. Non item tertius secundùm violentiam, quando scilicet aliqua habent naturalem, & intrinsecam inclinationem, vt moueantur necessariò vel deorsum, vel seorsum: patet, quia nulla est in homine violentia, si careat supernaturali notitia: solus igitur superest modus secundus, qui est talis necessitatis sine quo non cótingit homini bonum, aut esse, aut fieri, aut aliquid malum expellere, aut priuari aliquid malum: & sic absque cognitione supernaturali nec esse supernaturaliter, nec operari possumus, nec malum peccati expellere, nec malo perpetuæ mortis possumus priuari. Quãuis.n. de potentia Dei absoluta non sit repugnantia hominem habentem vsum rationis posse saluari absque vlla cognitione supernaturali; de potentia tamen Dei ordinaria hoc nunquam euenit. Et quòd hoc modo intelligatur à Doctore Subt. necessitas, patet tum ex diuisione necessitatis: tum ex verbis ipsius contra Philosophos, ibi. *Tenent Philosophi perfectionem naturæ, & negant perfectionem supernaturalem. Theologi verò cognoscunt effectum naturæ, & necessitatem gratiæ, & perfectionum supernaturalium.* In quibus verbis necessitatem gratiæ accipit pro eodẽ, quod perfectio supernaturalis, vt immediatè sequẽtia verba explicãt: tum tertiò idem constat ex rationibus ipsius contra Philosophos adductis, quæ probant necessitatem huius scientiæ, ex necessitate distinctæ cognitionis finis, quæ est necessaria, quoad melius esse; non tamen sic est necessaria, quòd absque ista cognitione possimus bene esse modo supernaturali, sed absolutè est necessaria de potentia Dei ordinaria, non ad esse simpliciter, sed ad esse bene modo supernaturali.

Necessitatis modi quatuor.

Supernaturalis doctrina qua necessitate est necessaria.

De Secundo termino, dicit Mayronius quæstio. 14. prologi. Quòd doctrina supernaturalis, seu Theologia potest accipi, vel pro habitu quem habuerunt illi, quibus reuelata est: vel secundò pro habitu, qui generatur in nobis ex studio Sacræ Scripturæ, vel eiusdem propositione, quomodocunque illa proponatur eique propositæ assensus præbeatur. Tertio modo accipitur, pro illo habitu, qui veritates suas deducit ex veritatibus contentis in Sacra Scriptura. Quarto pro habitu declaratiuo, & defensiuo fidei. Verùm iste habitus declaratiuus & defensiuus fidei, non distinguitur à tertia acceptione: veritates enim omnes fidei defensiuæ, continentur vel explicitè, vel implicitè in

contentis à Sacra Scriptura. Secũdus etiá modus continet primum, quia doctrina in Sacra Scriptura tradita continet veritates Prophetis, & Sanctis Patribus reuelatas. Vt igitur ad præsens attinet, doctrina supernaturalis, vel accipitur pro illa notitia habituali, quæ est ab agente supernaturali siue immediatè, siue mediatè ab alio supplente vicem ipsius supernaturaliter infusa: vel pro notitia deducta ex veritatibus illis reuelatis; quæ etiam dicitur reuelata, quia innititur principijs reuelatis. Ista est Theologia Scholastica; illa prior est cognitio articulorum fidei, aliarumque veritatum supernaturalium; habita ex reuelatione Dei, vel per proponentem, vel per scripturam, vel inspiratione, vel alio modo. Hæc igitur pręsens quæstio procedit de doctrina supernaturali priori modo dicta, sicut & sequens. Tertia & quarta alięque proęmiales quæstiones etsi ad Theologiam primo modo dictam deriuari possint, procedunt tamen specialiter de Theologia Scholastica. Meritò autẽ inprimis de necessitate reuelatæ scientię primo modo dictæ dicitur hic à Doctore, & postea de certitudine, & infallibilitate ipsius in secunda quæstione, vt sic certitudo, dignitas, & necessitas Theologiæ Scholasticæ ostendatur, quæ suas omnes veritates ab illa deducit. Veritates enim fidei sunt principia regulatiua, & directiua veritatum Theologicarum, vt eruditè Thomas de Argentina quæst. 2. prologi articulo 2. ostendit.

Theologia Scholastica est scientia reuelata.

Quæres. Qua necessitate ex supradictis sit necessarius habitus Theologiæ Scholasticæ? Respondeo: vel Scholasticæ Theologiæ necessitas comparatur ad supposita, prout scilicet est necessaria huic, vel illi homini; & sic dico necessariam esse necessitate perfectionis, vt nimirum perficiatur intellectus habentis illam, & maius meritum acquiratur ex bono vsu tam benedictæ scientię, qua qui bene vsi sunt, facti sunt participes amicitiæ Dei: vel secũdo ad totam refertur Ecclesiam, & talis scientia est omnino necessaria Ecclesiæ Dei; ista siquidem notitia est habitus fidei defensiuus, & ostensiuus errorum fidei contrariorũ; quare saltem in Montibus secundùm S. Augustinum talis doctrina requiritur: fundamenta enim Ecclesiæ sunt, in Montibus sanctis, s. Doctoribus Ecclesiæ. Quamuis igitur Mons in vertice montium, iuxta Prophetam sit angularis lapis veritatis fidei nostræ, ipse mediator Dei, & hominum Christus Dominus, tamẽ etiam per ipsum, & alijs inferioribus Montibus innituntur, firma ædificia fidei Sacræ, in quibus requiritur habitus iste defensiuus.

Theologiæ Scholasticę necessitas.

Rationes in textu positæ licèt non obscurę sint, eas tamen maioris facilitatis gratia, pro iunioribus declaro fusiùs.

Prima ratio desumitur ex principijs, quòd principia productiua omnis intellectionis habeamus naturaliter, & naturalia ergo omnis cognitio haberi potest naturaliter. Hoc ostenditur clariùs sic. Actiuo, & passiuo naturali debitè ad inuicẽ applicatis, & non impeditis necessariò, & naturaliter sequitur actio: Sed principium actiuũ, & passiuum respectu omnis intellectionis sunt principia naturalia, & debitè applicata; ergo per principia naturalia naturaliter haberi potest omnis intellectio; frustra igitur requiritur aliqua supernaturalis. Maior propositio patet. Quia actio non dependet essentialiter, nisi ab actiuo, & passiuo; & bene additur in textu à Doct. ly essentialiter, quia concomitanter multæ actiones dependẽt ab approximatione tanquam à conditione necessaria, sine qua non esset actio. Minor quoad omnia tria in ipsa subsũpta, habet euidentiam, ex tertio de anima tex. 18. vbi dicitur, quòd intellectus agens est, cuius est omnia facere, & intellectus possibilis, cuius est omnia fieri: igitur principium actiuũ respectu omnis intellectionis est intellectus agens, principium autem passiuum respectu item omnis intellectionis est intellectus patibilis: Ista item principia sunt naturalia, cùm sint naturales animæ potentiæ, nec sunt impedita, vt de se clarũ est. Confirmatur hęc ratio. Omni potentiæ passiuę naturali correspondet aliqua actiua naturalis; sed intellectus patibilis est potentia passiua naturalis respectu omnis intellectionis, quia illius est omnia fieri secũdum Aristot. seu omnem intellectionem recipere: ergo datur potentia actiua naturalis respectu omnis intellectionis, cuius sit omnia facere. Maior huius confirmationis haberi potest, tum ex 3. de anima tex. 18. & 9. Met. tex. 8. & 10. tum quia nulla potẽtia passiua in natura est frustra, ista autem potentia esset frustra, si non responderet ipsi actiua naturalis, quæ illam reduceret ad actum. Minor probatur (præter auctoritatem prædictam, ex 3. de anima) dupliciter: tum quia intellectus possibilis naturaliter appetit cognitionem cuiuscunque cognoscibilis, vt enim materia, quia est passiua potentia ad formas, naturaliter omnes appetit, ita intellectus possibilis, cùm sit potentia passiua respectu actus intelligendi, naturaliter omnem actum appetet: tum quia naturaliter perficitur per quamcumque cognitionem: ergo naturaliter receptiuus est omnis intellectionis, perfectibile siquidem ex natura sua naturaliter appetit, & aptum est recipere suam perfectionem.

Prima ratio Philosophorum.

Confirmatur.

Secunda ratio desumitur ex sufficienti diuisione scientiarum; quia omnis habitus sciẽtificus est de obiecto naturaliter attingibili, ergo non datur habitus aliquis, qui sit de obiecto naturaliter non attingibili. Antecedens probatur. Quęlibet scientia, vel est speculatiua, vel practica: sed omnis scientia tam speculatiua, quàm practica attingit suum obiectum naturaliter, ergo &c. Minor de speculatiua probatur. Scientia speculatiua, vel est Metaphysica vel Physica, vel Mathematica, plures non dantur; Sed horum habituum obiecta naturaliter intellectus cognoscit; igitur omne obiectum speculabile naturaliter est cognoscibile. Istius probationis minor est euidens. Maior probatur Tũ auctoritate Philosophi 6. Met. tex. 3. vbi scientiam speculatiuam diuidit Arist. in tres habitus prædictos, non est autem Philosophus arguendus insufficientis diuisionis. Tũ ratione, quæ potest deduci ex Philosopho ibidem, quia de omni obiecto intelligibili habetur cognitio per istas scientias; ergo istæ scientiæ sufficienter diuidunt habitum speculatiuum in communi, cùm habitus scientifici distinguãtur per obiecta. Antecedẽs istius confirmationis declaratur. Quia vel intelligibile obiectum est aliquod vnum cõmune, abstractũ ab omnibus speculabilibus realibus, & de hoc est Metaphysica: vel est sub Ente contentũ principale, vt substãtia, & hæc vel immaterialis, & de illa, tum 8. physicorum, quatenus est motrix orbiũ cęlestium, tum in Metaphysica est consideratio tãquam de obiecto principali; aut substantia est materialis, & hanc eiusque principia considerat Physica: vel cõtera sub Ente sunt minùs principalia vt accidentia, & inter hæc si materialia sunt, cùm primũ accidens materiale sit quãtitas, quia coęua materię, de illa est Mathematica; vel sunt alia accidẽtia, vt qualitas, actio, passio &c. & hæc cùm sint affectiones, & proprietates corporis naturalis, à Physico considerabuntur, cùm eiusdem scientiæ sit considerare obiecti principia, & proprietates: siue item immaterialia sint accidentia, vt intellectio, volitio, cognoscentur ab illo, à quo cognoscuntur ipsæ potentiæ elicitiuæ horum actuum, vel ipsa anima productiua talium potẽtiarum, nempe à Physico. Secunda pars minoris huius argumenti secundi principalis de habitu practico, declaratur. Habitus practicus vel est actiuus, vel factiuus; sed omnes isti habitus tã actiui, quàm factiui sunt naturales, vt patet inductione in Prudentia, Ethica, Politica, Economica, &c. ergo &c.

Secunda ratio Philosophi.

Prima pars minoris. Habitus speculatiu' triplex.

Secunda pars minoris.

Manet igitur sufficienter probatum, quòd intellectus practicus sufficiẽter perficitur habitibus practicis actiuis, vel factiuis, qui naturaliter possunt omnes acquiri; & intellectus speculatiuus, habitibus speculatiuis tribus prædictis: frustra ergo alia scientia requiritur.

Habitus practicus duplex.

Tertia ratio desumitur ex ratione principiorum virtualiter continentium omnes conclusiones scibiles, sic. Potens cognoscere naturaliter prima principia, potest cognoscere conclusiones contẽtas virtualiter in talibus principijs: sed naturaliter cognoscimus principia prima in quibus conclusiones scibiles virtualiter continentur: ergo naturaliter possumus cognoscere omnes conclusiones scibiles. Maior probatur ex primo Poster. tex. 5. vbi definitur Scire simpliciter, & non Sophistico more, qui est secundũ accidens, cùm causam existimamus cognoscere propter quam est, quòd illius causa est, & nõ contingit hoc aliter se habere: ex quibus verbis planum est, quòd præmissæ contineant

causam

cauſam connexionis prædicati cum ſubiecto in concluſione: cauſa igitur cognita in ratione cauſæ cognoſcitur & effectus. Hoc idem docet Subtilis Doctor 1. Poſter. queſ. 8. quòd ſimul tempore, imò & natura, cognoſcatur concluſio, ſi cognoſcuntur principia in ratione cauſæ, cognitis tamen principijs in ſe, vt non applicatis in ratione cauſæ, nõ oportet ſimul tempore (& à fortiori ſimul natura) cognoſcere concluſionem. Habetur igitur, quòd principia ſint cauſæ concluſionum. Verùm quia hoc non ſufficit, diceret enim aliquis, ſunt quidem principia cauſæ concluſionum, ſed non cognoſcuntur concluſiones cognitis principijs, propterea quòd ad cognitionem ſequelæ concluſionis ex præmiſſis, nõ tantùm requiritur cognitio præmiſſarũ tanquàm materia, ſed etiam quòd habeatur, & ſciatur deductio concluſionis ex principijs (vt enim ſyllogiſmus requirit materiam & formam, ita cognitio concluſionis habet materiam immediatam, ipſos terminos; & formã immediatam, connexionem prædicati cum ſubiecto: remotam verò materiam habet præmiſſas cognitas; formam remotam, deductionem ſequelæ ex præmiſſis; nec mirũ eſt duas materias, & duas formas concluſioni aſſignari, concluſio enim & in ſe ſumi poteſt, vt propoſitio integrum ſenſum reddens, & præterea vt ab alio deductam habens neceſſariò ſuam veritatem, & cum illis, nempè principijs, quoddã totum, ſcilicet ſyllogiſmum conſtituens, ac proinde immediatam materiam, & formam, concluſioni primo modo acceptæ, remotam ſecundo modo conſideratæ, attribuere poſſumus) additur in litera, quòd non tantum principia concluſionum, vt probatum eſt, ſed etiam deductio concluſionum ex principijs naturaliter cognoſci poſſunt; ergo omnia requiſita ad cognitionem concluſionis naturaliter haberi poſſunt, iſta enim tantùm duo requiruntur, ſcilicet, cognitio principiorum & cognitio modi, quo deducenda eſt concluſio ex principijs. Hoc ſecundum de concluſionis deductione ex principijs, habetur 1. Priorũ tex. 1. vbi docetur quòd veritas per ſyllogiſmum perfectum concluſa, nullius indiget, ad hoc vt appareat neceſſaria: vnde poſt definitionem illã ſyllogiſmi; Syllogiſmus eſt oratio, in qua quibuſdam poſitis, alterum quid à poſitis (nimirum concluſio) neceſſe eſt contingere, eò quòd hæc ſint (nimirũ ex vi talis deductionis & ſequelę) ſubditur in textu. Dico autẽ eò quòd hæc ſint, propter hæc contingere (ſcilicet quòd deductio recta ſequatur diſpoſitionem terminorum rectã in præmiſſis) propter hæc verò (id eſt diſpoſitio recta terminorum in præmiſſis) nullius extrinſeci termini adiumẽto indigere ad neceſſarium efficiendum: perfectum itaq; vero ſyllogiſmum nullo alio indigentem pręter aſſumpta, vt neceſſarium appareat. Ex his verbis Philoſophi manifeſtum eſt, quòd principia rectè diſpoſita, nullo alio ſuperaddito, cauſant notitiam concluſionis; ac proinde habetur maior argumenti huius principalis. Minor quo ad primã partẽ eſt Philoſophi 4. Met. tex. 7. & 8. vbi pręter alias conditiones requirit, quòd principia ſint ex ſe euidentia, non per Demonſtrationem. Idem Subtilis Doctor docet, tum ibidem in ſuo commentario: tum infra diſtinct. 2. q. 1. diſputans de propoſitione per ſe nota. Item 1. Phyſicorum tex. 4. dicit Ariſt. ab vniuerſalibus ad ſingularia eſſe procedendum ordine doctrinæ, quia totum notius eſt, vniuerſali autem quoddam totum eſt; ſed principiorum termini ſunt vniuerſaliores: ergo ſunt in ſe notiores, quàm termini concluſionis limitati ad materiam ſtrictiorem. Quo ad ſecundam partem eadem Minor tum conſtat ex dictis, quia præmiſſæ ſunt cauſæ concluſionis cauſa autem continet virtualiter effectum; tum clariùs idem conſtabit infra quæſt. 3. art. 1.

Concluſio habet duplicem materiam, & formam.

Minor probatur.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Impugnatur prædicta Philoſophorum opinio.

Contra iſtam poſitionem poteſt argui tripliciter, &c.

SVMMA TEXTVS.

Duæ ſunt partes principales iſtius articuli. In prima proponit Subtilis Doctor duo argumenta contra Philoſophos probanda hanc cõcluſionem, Neceſſaria eſt homini aliqua cognitio ſupernaturalis pro ſtatu iſto. In ſecunda obijcit dubia quædam contra ſuas rationes, & eadem reſoluit.

COMMENTARIVM.

PRima ratio Doctoris contra Philoſophos procedit ex ratione vltimi finis, ſic. Omni agenti per cognitionem neceſſaria eſt diſtincta cognitio ſui finis: ſed homo pro ſtatu iſto, naturali lumine intellectus non poteſt diſtinctè cognoſcere ſuum finem vltimum: ergo homini neceſſaria eſt cognitio ſupernaturalis ad cognoſcendum ſuum finem vltimum. Maior probatur. Omne agens, agit per ſe ex appetitu finis: vt dicit Philoſophus 2. Phyſ. tex. 49. 61. 62. & aliàs: ergo agens per cognitionem, agit ex appetitu cognoſcitiuo finis, ſicut agens naturale, agit ex appetitu naturali; ſed agens per cognitionem non agit ex appetitu finis, niſi illum cognoſcat (iuxta illud tritum; Nihil volitum, niſi cognitum) ergo agenti per cognitionem neceſſaria eſt cognitio ſui finis vltimi. Quòd autem iſta cognitio neceſſaria, ſit diſtincta, ſupponitur à Doctore tanquam certum, & probari poteſt. Tũ quia finis mouet vt amatus, amatum verò obiectum ſupponit diſtinctè cognitum obiectum. Tum quia finis priùs eſt in intentione agentis, quàm ipſa actio ſit in executione ſecundùm Philoſophum 5. Met. tex. 1. & 2. Doctorem Subtilem ibidem quæſtio. 1. Intentio autem agentis eſt ad diſtractum obiectum. Tum quia vltimus finis hominis, non eſt aliquod bonũ cõfuſum, vel in communi, nec quoduis in particulari; ſed diſtinctum bonum, illud nempe quod in ſe omnem rationem boni includit, vt declaratur infra diſtinctione 1. quæſtio. 1. cognitio igitur vltimi finis debet eſſe diſtincta. Minor propoſitio huius pro ſyllogiſmi, probatur dupliciter. Primò, à ſigno. Secundò ratione. A ſigno cõfirmatur. Princeps Philoſophorum Ariſtoteles naturali ratione inueſtigando vltimam fęlicitatem, in quonam illa vt in ſummo conſiſtat (quod idem eſt inquirere quis ſit vltimus finis, vel ſummum bonum, cùm ratio finis & boni identificentur realiter, vt declarat Doctor ex Ariſt. 3. Met. tex. 3. & 2. Met. tex. 8. item quæſt. 3. huius, ac diſtin. 1. q. 1. quod verum eſt, accipiendo finẽ pro ſubſtrato non pro ipſa relatione finis) non alium finem inueniſſe videtur, vt conſtat ex 1. & 10. Ethicorum, quã cognitionem acquiſitam abſtractiuam ſubſtantiarum à materia ſeparatarũ; quæ cognitio cùm ſit confuſa & in vniuerſali, non erit vera & perfecta fęlicitas hominis. Et quia poſſet aliquis obijcere, quod beatitudo alia eſt ordinariè à quibuſdã attingibilis in hac vita; alia eſt beatitudo ſuprema poſſibilis per naturam. Ariſt. igitur non omnino affirmatiuè aſſerit omnem beatitudinem ſupremam conſiſtere in abſtracta ſpeculatione Intelligentiarum, ſed id ſolùm dicit de beatitudine ordinariè attingibili in hac vita, non autẽ de beatitudine ſuprema poſſibili. Reſpondet Doctor. Dato, vt dicitur, nõ conceſſo, quòd Ariſt. loquatur de beatitudine à quibuſdam attingibili in hac vita (quam ſolam videtur agnouiſſe, vt patet ex libris Ethicorum illius) tamẽ de alia, ſi illam in communi ratione apprehendit, adhuc in particulari ignorabat, quodnam obiectum talis beatitudinis ſtatuendum eſſet, vel dubius remanebat: & hoc videntur ſignificare illa verba Philoſophi dubitatiuè loquentis 1. Ethic. c. 13. Siquidem igitur & aliud aliquid Deorum eſt donum hominibus, rationabile & fęlicitatem datum eſſe, & maximè humanorum quanto optimum. Ac ſi diceret, ſicut alia dona Dij habent, quæ poſſunt communicare hominibus, & non communicarunt, ita rationabile, id eſt, probabile eſt, & fęlicitatem eſſe donum Dei quoddam optimum, præſtantius humanis bonis, quod tamen donum non ſit vlli adhuc communicatum. Ad alium item ſenſum verba hęc accommodari poſſe non ambigo; ſed de hoc non diſputo. Confirmatur eadem Minor, ſecundò ratione. Finis proprius alicuius ſubſtantiæ naturaliter cognoſcitur à nobis, ex actibus illius ſubſtantiæ nobis manifeſtis, indicantibus talem finem conuenire tali naturæ; ſed nulla actio talis in nobis reperitur, quæ indicet noſtrum finem vltimum eſſe naturam ſimpliciter infinitam: ergo non co-

Prima ratio contra Philoſ.

Maior probatur.

Minor probatur.

Ratio finis & boni quo modo identificentur.

Obiectio.

Beatitudo duplex.

Solutio.

Probatur Minor 2.

Finis alicuius vnde cognoſcitur.

gnoſcitur à nobis naturaliter finis vltimus. Maior huius confirmationis eſt euidens; quia naturalis modus noſter à poſteriori cognoſcendi ſubſtantiam, eiuſq; habitudinem, & inclinationem ad aliquid aliud ab ipſa, eſt ex cognitione operationis talis ſubſtantiæ: vt enim potentiæ diſtinguuntur ſecundùm Philoſophum tanquam per notius, & notificantur, imò illa propoſitio Ariſt. 2. de anima text. 37. & 38. potentiæ diſtinguuntur per actus, actus per obiecta, non eſt accipienda de diſtinctione intrinſeca, cùm ratio diſtinguendi intrinſeca, ſit intrinſeca rei; actus autem potentiæ, obiectum actui, ſunt extrinſeca; ſed propriè illa auctoritas intelligi debet de diſtinctione quo ad intellectionem, ſic quod potentiæ diſtinguuntur, id eſt, diſtinctæ eſſe intelliguntur per actus, actus aūt diſtincti eſſe noſcuntur, quia ſunt de diſtinctis obiectis. Minor iſtius confirmationis itidem certa eſt, quia vt ſuperiùs à ſigno arguebatur, doctiſſimi Philoſophi naturalem rationem ſequentes, ex nullius operationis cognitione deuenerunt in veram notitiam finis vltimi.

Potentię diſtiguūtur p actus, actus p obiecta.

Probatur Minor 3.

Item minor iſtius confirmationis, & ipſius argumenti principalis, confirmatur tertiò à Doctore. Dato quòd aliquis diceret ad vtramque minorem ipſius videlicet pro ſyllogiſmi, & iſtius ſecundæ confirmationis, quòd illæ ſunt falſæ, quia diceret aliquis ad minorem principalis argumenti, quòd homo naturali lumine intellectus aſſequi poſſet cognitionem vltimi finis, eo modo, quo naturaliter probat Doctor Subtilis infra diſtinc. 1. quæſt. 1. Ens infinitum ſimpliciter eſſe finem noſtrum vltimum; ſi enim illæ rationes contra Auicennam ibi adductæ probant intentum naturaliter: ergo poſſumus cognoſcere naturaliter Ens ſimpliciter infinitum, eſſe vltimum finem noſtrum; vel ſi id cognoſcere non poſſumus, illa argumenta ibi adducta non procedunt ex principijs naturalibus, & ita nihil contra Auicennam negantem præmiſſam reuelatam, concluderent, prout ipſe ibi arguit contra aliorum argumenta. Ad minorem autem confirmationis ſecundæ dici poſſet, cognoſci non ex operatione præcisè, ſed ex aliquo conſequente operationem, nimirum ex quietatione potentię in actu ſuo (quæ quietatio conſequitur actionem) iſtam potentiam inclinari ad tale obiectum, illo modo quo probat Doctor in argumento ſecundo, loco citato, contra Auicennam dicens, potentia quæ inclinatur ad multa obiecta per ſe, non quietatur perfectè in aliquo vno, niſi illud vnum includat omnia per ſe obiecta, eo modo quo illa omnia poſſunt includi in aliquo vno: at potentia fruens inclinatur in omne Ens: ergo, &c. Quia igitur ſic poſſet negari minor ipſius argumenti, & probationis (licèt immeritò, nec inſtantiæ aliquid valent, vt dicetur infra) additur à Doctore, quod etiamſi concederetur hoc, poſſe cognoſci naturaliter finem vltimum (id enim expreſsè velle, & ex vi loquendi ac ſignificandi denotare videntur verba illa in textu *hoc ſaltem certum eſt*, ac ſi diceret quidquid ſit de iſto, vel, eſto quod hoc incertum ſit, hoc ſaltem certum eſt, &c.) non tamen probari poſſet vlla ratione naturali, quòd talis vel talis conditio conueniret illi obiecto, vt eſt finis vltimus. Exemplificatur hoc de æternitate, quia non eſt vlla ratione demonſtrabile, quòd illud obiectum perpetuò poſſideri poſſet à beato: ſimiliter non eſt demonſtrabile, quòd poſſideri poſſit à completa natura humana, ab homine videlicet vt eſt totum, & non ab anima tantū: iſta autem cognoſcenti finem ſunt cognitio neceſſaria. Et ratio eſt. Quia illa ſunt neceſſaria cognitu cognoſcenti finem, quæ reddunt finem appetibiliorem tendenti in ipſū; ſed tales conditiones reddunt finem appetibiliorem homini tendenti in ipſum, vt de ſe patet: ergo, &c.

Secunda ratio contra philoſoph.

Secunda ratio principalis contra Philoſophos, ſumitur ex diſtincto modo cognitionis eorum, quæ valent ad finem conſequendum, ſic. Omni agenti per cognitionem ex appetitu finis, neceſſaria eſt triplex cognitio. Primò qualiter finis acquiratur. Secundò cognitio omnium eorum, quæ ſunt neceſſaria ad conſequendum talem finem. Tertiò neceſſarium eſt cognoſcere, quòd iſta omnia ſufficiant, & quòd non requirantur plura: ſed hęc tria non poteſt naturaliter viator cognoſcere: ergo viatori agenti propter finem, neceſſaria eſt alia cognitio, præter naturalem. Maioris illa tria aſſumpta, & tria ſubſumpta minoris, ſufficienter declarantur in litera Doctoris.

Litera prioris argumenti examine aliquarum propoſitionum indiget. Ac in primis cùm dicitur. Omne agens agit ex appetitu finis. Notandum eſt, ex Doctore Subtili Met. tex. 6. & 1. Metaphyſicarum qq. q. 2. appetitum eſſe duplicem: alium naturalem, alium rationalem, ſeu liberum, vt etiam dicit in 4. diſtinct. 49. quæſt. 10. Appetitus naturalis eſt, impetus quidam naturæ quo res naturalis tendit in aliquid, ſic grauia mouentur deorſum ex appetitu centri. Appetitus rationalis, qui ſecundùm Doct. dici poteſt, præuoluntas, vel propoſitum, eſt actus elicitus à potentia volitiua, quo deſiderat aliquid. Iſta diuiſio haberi poteſt ex Ariſtot. 2. Phyſ. tex. 61. & 62. Probat enim Ariſtot. naturam agere propter finem, aliter ibi non accideret error, nec fruſtra; igitur intendit finem, igitur appetit, & tamen non cognoſcit, igitur eſt aliquis appetitus ſine cognitione, qualis etiam ſumitur in materia appetente formam: de altero appetitu ex cognitione res manifeſta eſt, & multis agit Ariſtotel. 9. Metaphyſ. Inter hos appetitus, ſtatuunt quidam tertium appetitum animalem, qualis eſt in brutis, qui non eſt rationalis vt in homine, nec tamen merè naturalis vt in non viuentibus, cùm ſit actus elicitus. Quæ additio admitti poteſt; eſt enim conformis doctrinæ Scoticæ, vt deduci poteſt infrà diſtinct. 1. quæſt. 4. in reſponſione ad primum principale, & quæſtione vltima eiuſdem diſtinctionis.

A ppe n. u ral liber-.

Appetitus animalis.

Illa igitur propoſitio in maiori aſsūpta. Omne agēs agit ex appetitu finis, ſi ſumatur limitatè, limitando ad certum genus agentium, vel tantū per naturā, vel tantū per ſenſū, vel tantū per intellectū, de quib. illorū agētium, ſeparatim illa cōſiderando, intelligitur propoſitio vniformiter: omne enim agens naturale, agit ex vniformi appetitu finis, ſcilicet ex naturali; ſimiliter omne agens per intellectum, agit ex vniformi appetitu finis, nempè ex appetitu cognoſcitiuo, atque ita agens intellectiuum quod appetit finem, debet intellectualiter cognoſcere finem, & ſic eſt accipiendus ſenſus iſtius propoſitionis. Accipiendo autem diffor̄miter, verbi cauſa, quòd agens naturale agat ex appetitu libero, vel quòd agens liberum agat ex appetitu naturali, eſt ſimpliciter propoſitio falſa.

Agens agit ex appetitu finis.

Notandum eſt ſecundò in illis verbis, in maiori ſubſumptis, Omne per ſe agens, agit propter finem, ly per ſe, nōn accipi pro perſeitate efficientis, illo modo quo accipitur à Doctore Subtili infra d. 2. quæſt. 2. & 2. Met. q. 6. & in tractatu de primo principio c. 2 propoſitione 9. quaſi omne per ſe agens, id eſt, per ſe, & eſſentialiter ordinatum agens, & non accidentaliter, agat propter finem; hoc enim etſi verum eſt, non tamen ad propoſitum, quia etiam cauſæ accidentaliter ordinatæ agunt propter finem, ſed accipitur ly per ſe, pro perſeitate coniungente agens fini, ita quòd omne agens, quòd per ſe, & non per accidens intendit finem, agit propter finem; quod dicitur ad excludendam Fortunam & Caſum, quæ ſecundùm Ariſt. in eo in quo ſunt fortuita & caſualia, non agunt propter finem per ſe, id eſt, directè & ex ſe intentum, ſed agunt propter finem per accidens, quia ille finis non intenditur, ſed accidentaliter euenit, qui conſequitur Fortunam, & Caſum.

Quod eſt agens per ſe, quod agit pp finem.

Notandum tertiò, quod dum in ſecunda confirmatione dicitur, Nullius ſubſtantiæ finis proprius cognoſcitur à nobis, niſi ex actibus ipſius nobis manifeſtis. Notabiliter ponitur à Doctore illud verbum cognoſcitur, non autem, cognoſcibilis eſt; nam licet verè finis proprius alicuius ſubſtantiæ ſit cognoſcibilis cognita illa ſubſtantia, ſi ipſa immediatè in ſe clarè videretur; quia tamen ipſa ſubſtantia à nobis non alia ratione pro ſtatu iſto quàm per accidentia cognoſcitur (ſic materiæ cognitionem per mutationem, formæ notitiam per motum, in primo & ſecundo Phyſicorum Ariſtot. venatur) etiam habitudo, & inclinatio intrinſeca ſubſtantiæ, quæ eſt idem realiter tali ſubſtantiæ, non cognoſcetur à nobis pro ſtatu iſto, niſi per accidentia. Et quidem ſicut rem eſſe materialem per accidentia materialia cognoſcimus, vt per quantitatem, colorem, &c.

Subſtātię finis cognoſcitur p operationes.

ita hanc ſubſtantiam intelligentem eſſe ordinatam ad Deũ vt ad finem vltimum, non intelligemus hoc, niſi ex accidentibus præciſè tali ſubſtantiæ conuenientibus, & ordinatam eſſe ad talem finem declarantibus. De facto igitur nec ipſa ſubſtantia, nec proprius finis ſubſtantiæ cognoſcitur à nobis aliter, quàm ex operationibus, eſto quòd de poſſibili, pro altero ſtatu, aliter poſſit cognoſci.

Finis vltimus poteſt inueſtigari, ſuppoſito lumine fidei.

Notandum quartò, illa verba Doctoris in litera poſt ſecundam minoris confirmationem poſita, *hoc ſaltem certum eſt, quòd quædam conditiones finis, &c.* dum quodam modo concedere videntur, quòd naturali ratione inueſtigari poſſet, quinam ſit noſter finis vltimus, prout ipſemet Doctor infra inueſtigat, intelligendum eſt, quòd ſuppoſito lumine fidei, quod nos clarè edocet Deum eſſe ſolum & vnicum bonum noſtrum, poteſt intellectus fide illuſtratus, probationes aliquas naturales probantes à poſteriori hanc veritatem, adinuenire, ſicut facit Doctor Subtilis locis citatis; ſed iſta veritate non præſuppoſita per fidem, non poteſt probari Deum clarè videndum eſſe finem noſtrum vltimum, quia lumini rationis præciſè aliquis innixus, diceret, in natura rationali nullam eſſe talem, vel potentiam, vel capacitatem, cùm hoc obiectum excedat in infinitum quamlibet potentiam noſtram. Vt igitur Theologus ſupponens veritatem infallibilem, quòd creatura rationalis poteſt frui Deo clarè viſo, non habet difficultatem hoc probandi ex capacitate talis creaturæ à poſteriori; ita Philoſopho, Theologicas veritates non admittenti, difficile, imò impoſſibile erit probare idem naturaliter: à Theologo ſiquidem factum ſupponitur, & inquiritur modus; à Philoſopho autem negatur potentia ad factum. Iſta notatio neceſſaria eſt in doctrina huius Doctoris: nam in præſenti libro diſtinct. 1. quæſtio. 1. & 2. apertè probat fructionis ordinatæ eſſe finem vltimum in ratione ſummi boni; quod non aliud eſt à Deo, & tamen negat hìc naturaliter id probari poſſe; & etiam in libro Theorematum, Theoremate principali 14. prop. 19. aſſerit, non poſſe probari hominem eſſe ordinatum ad aliquam beatitudinem in hac vita non attingibilem: item multis rationibus naturalibus plurimas Dei proprietates oſtendit Doctor in 1. diſt. 2. q. 2. 3. & aliàs; ſimiliter in toto tractatu de primo principio, nihil aliud agere videtur, quã Diuinas perfectiones naturali ratione declarare; illas tamen omnes cõcluſiones, locis dictis probatas, in lib. Theorematum, Theoremate 14. 15. & 16. docet non poſſe naturaliter probari, in quibus locis non eſt arguendus Doctor contradictionis, (vt ingratus Doctoris huius diſcipulus Guilelmus Ocam in 1. diſt. 1. quæſt. 4. ſuo præceptori adſcribit) ſed quòd probet ibi veritatem ſuppoſitam, vt Theologus; neget autem in altero loco non ſupponendo verum, ſed inquirendo an ſit, idq; merè ſecundùm principia Philoſophica. Et ratio vtriuſque dicti eſt clara. Cùm enim fidei veritas ſit ſupra rationem, non poteſt illam ratio, ſibi in puris naturalibus relicta, aſſequi; cùm ſit ſupra vires eius, ac proinde non poteſt illam ſupponere vt certã & indubitatam; medijs item naturalibus deuenire in cognitionem illius non valet, quia veritas Theologica eſt, vt ſupra rationem, ita ſupra vim diſcurſiuam eius, ac proinde nullum medium naturale erit ad probandam illam. At Theologus fidei veritatem ſupponit eſſe certiſſimam, & infallibilem, eaq; ſuppoſita (cùm ſciat tales veritates eſſe quidem ſupra, ſed non contra rationem naturalem, imò poſitiuè ſecundùm rationem perfectiſſimam perfectiſſimi intellectus) inquirit modos, & media naturalia, quibus poſſit intellectui perſuadere certitudinem illius veritatis: media talia inuenta ſunt, quandoq; merè naturalia (quale eſt illud Doctoris Subtilis infra diſt. 1. q. 1. vbi probat obiectum fruitionis debere poni finem vltimum, ſic potentia non quietatur, niſi vbi eſt obiectum ſuum perfectiſſimè & in ſummo; ſed obiectum potentiæ fruentis, ſcilicet voluntatis, eſt ens in communi ſecũdum Auicennam 1. Met. c. 5. ergo non quietatur iſta potentia fruens, niſi vbi eſt perfectiſſimum ens, hoc eſt, non quietatur, niſi in ſummo tantùm) & optimè ſaltem à Poſteriori declarant veritatem Catholicam; ſed Philoſophus, vel eſt in errore prauæ diſpoſitionis, & in illo exiſtens, vim rationis negabit; præſertim autem maiorem (vt in propoſito patere poteſt exemplo) habens principia illi oppoſita; vel eſt exiſtens in ignorantia puræ negationis, neſciens veritatem fidei, non tamẽ habens opinionem erroneam, ipſi veritati contrariam; & tali Philoſopho dubia, & ſuſpecta erunt principia, ex quibus, ſequitur concluſio illa Catholica. Vnde vna ratio Theologo poteſt eſſe demonſtratio à Poſteriori, quæ ſine fidei lumine Philoſopho alteri erit ratio parum probabilis, alteri nullo modo. Hinc eſt, quòd articuli fidei noſtræ à Philoſopho merè naturalibus principijs, & non reuelatis innitenti, nec à Priori, nec à Poſteriori cognoſci poſſunt, & hoc eſt, quod communiter dicitur à Theologis; articulos fidei eſſe indemonſtrabiles: ſed à Theologo ſupponente veritatem fidei, facilè probari demonſtratiuè poteſt ſaltem à Poſteriori illa veritas eſſe conſona rationi; quia lumen fidei non tantùm in cognitione ſupernaturalium illuminat, quod de ſe patet, ſed etiam veritates naturales, aliàs incognitas vel dubias, reddit certas, & euidentes.

Contradictio apparens, ſoluitur.

Ocam.

Ratio eadẽ poteſt eſſe Theologo vera demõſtrat. & non Philoſopho

Articuli fidei quomodo indemõſtrabiles.

Finis diſtinctè cognoſcitur, tripliciter.

Notandum quintò. Illius propoſitionis, Finis cognoſci debet diſtinctè ab homine agente propter finem, triplex poteſt eſſe ſenſus. Primus, vt illud ens, quod habet rationem finis cognoſcatur in entitate ſua, non tantum in communi ratione boni, ſed etiã in particulari, quòd hoc ens, puta ens infinitum, ſit finis hominis, & quòd hoc obiectum ſub tali modo, vel ratione (prout ſe ille modus vel ratio tenet ex parte obiecti) ſit finis hominis. Secundus eſt ſenſus, vt diſtincta cognitio ſe teneat non ex parte obiecti, ſed ex parte cognoſcentis, vt videlicet cognoſcens finem, cognoſcat modum, & media quibus ſit finis ille acquirendus à tali cognoſcente. In tertio ſenſu finis vltimus diſtinctè cognoſcitur, quãdo cognoſcitur non ſecundùm rationem aliquam communem, vel particularem, collectam ex pluribus conceptibus communioribus, (vt ſi cognoſcam Deum eſſe finem ſub ratione infiniti, infinitas enim & ens, ſunt conceptus tranſcendentes, qui diuiſim ſumpti conueniunt creaturæ, ſimul autem ſumpti notificant particulare obiectũ, ſcilicet, ipſum Deũ) ſed ſecundùm illam rationem præciſè, ſecundùm quam verè finis vltimus diſtinguitur ab omni alio, vt ſi cognoſcatur Deus ſub ratione Eſſentiæ ſuæ, communicabilis tribus perſonis, & infinitè perfectæ. De primo modo cognoſcendi finem vltimum diſtinctè, loquitur primum argumentum Doctoris: de ſecundo ſenſu, ſecundum: de tertio procedit tertia ratio Doctoris articulo ſequenti poſita: vnde patet, quòd iſtæ tres rationes Doctoris, aſſumunt pro medio diſtinctam finis cognitionem, ſed alio, & alio modo ſumptam: ac proinde ſecundum argumentum cum primo, ob diuerſitatem medij, non coincidet, ſicut nec primùm, vel ſecundum cum tertio. Hæc de prima parte articuli.

Obiectiones contra duas rationes ſuperiores.

Obiectio prima.

Secunda pars huius articuli incipit ibi, *Contra iſtas duas rationes inſtatur; & primò contra primam, &c.* quem textum propter iuniores explico. In prima igitur parte, adferuntur in primis tria argumenta directè cõtra illam minorem primæ rationis à Doctore poſitæ, quæ fuit, Homo non poteſt ex naturalibus ſcire finem ſuum diſtinctè. Contra quam propoſitionem adducitur Primum argumẽtum tale. Habita cognitione effectus alicuius per ſe dependentis ab aliqua cauſa, poteſt intellectus ex cognitione talis effectus deuenire à Poſteriori per Demonſtrationẽ Quia, in notitiam talis cauſæ à qua dependet; ſed hominis natura eſt naturaliter homini cognoſcibilis, & dependet eſſentialiter à cauſa prima, tum vt ab efficiente, tum vt à fine (omnis enim natura creata eſſentialiter dependet à qualibet per ſe cauſa) ergo homo poteſt naturaliter cognita natura hominis, deuenire ex iſta notitia in notitiam finis vltimi, & primæ cauſæ. Confirmatur hoc argumentum. Cognita aliqua natura inferiori homine, cuius finis ſit homo, cognoſci poteſt ipſe homo finis illius, ſic cognita ſanitate, vel virtute, poteſt cognoſci finis Cui, cui ſcilicet acquiritur illa ſanitas, vel virtus; ergo à ſimili cognita natura hominis, poterit cognoſci finis eius, ad quam talis natura ordinatur. Conſequentia. Quia non minor de-

Confirmatio.

pendentia est entis finiti (siue entis ordinati ad finem) in proposito loquendo de homine ad suum finem, quàm alicuius alterius ad suum; quare, si alterius finis cognoscibilis est cognito ente ordinato ad ipsum, etiam ita haberi potest cognitio Dei, cognito homine, qui ordinatur ad Deũ, vt ad finem. Infertur deinde Corrolarium ex modò dictis: si enim potest finis hominis cognosci, ex cognitione ipsius hominis, secundùm dependentiam ipsius à tali fine, falsa erit illa propositio superiùs in primæ rationis secunda confirmatione assumpta, Nullius substantiæ finis proprius cognosci potest à nobis, nisi ex actibus eius nobis manifestis: patet enim ex hac ratione oppositum, quia potest sciri finis hominis ex dependentia ipsius hominis à tali fine, quæ dependentia (vt infra dicitur) non est actio. Ponitur deinde vna euasio ad hoc argumentum, quòd scilicet illud probaret de fine naturali hominis, quòd homine cognito naturaliter, possit naturaliter ipsius finis naturalis cognosci, non autem probat de fine supernaturali, qualis est Deus. Hæc euasio dupliciter impugnatur: primò auctoritate Augustini; deinde ratione, ibi, *Si igitur natura hominis, &c.* & litera est clara.

Corrolariũ

Euasio.

Secundum argumentum contra primam rationem Doctoris est. Homo naturaliter appetit finem suum vltimum, sed talis appetitus naturaliter est cognoscibilis (quia appetitus naturalis secundùm Doctorem in 4. distinctio. 49. quæstio. 10. est idem realiter cum homine, cùm non sit aliquis actus secundus elicitus) ergo & ipsum appetibile est naturaliter cognoscibile. Confirmatur. Homo appetens finem supernaturalem, ordinatur ad illum finem, cùm omnia habentia inclinationem naturalem ad aliquid, dicant ordinem ad illud; ergo cognito isto ordine naturaliter, cognoscetur illud naturaliter ad quod terminatur talis ordo: Consequentia: quia relatio non potest cognosci perfectè, nisi cognoscatur ipse terminus, vt vult Subtilis Doct. infra dist. 30.

Obiectio secunda.

Appetitus naturalis hominis est idem cũ homine.

Tertia ratio in textu posita, formari debet tali modo. Potentia, quæ ratione obiecti sui primi, & adæquati, inclinatur ad multa per se, quæ continent rationem illius obiecti, non quietatur in aliquo vno perfectè ex illis continentibus, nisi illud includat perfectissimo modo ratione obiecti primi: sed potentia nostri intellectus, habet pro obiecto naturaliter attingibili Ens vt Ens, secundũ Auic. 1. Metaph. cap. 5. ergo potentia intellectus nostri, non quietatur in aliquo vno continente rationem entis, nisi illud vnum contineat perfectissimo modo rationem Entis, sed solus Deus perfectissimo modo continet rationem Entis, quia est intensiuè infinitus; ergo potentia nostra intellectiua non poterit quietari, nisi in Deo: ergo naturaliter est cognoscibile, hominem secundùm potentiam intellectiuam ordinari ad Deum tanquam ad finem. Totus discursus est clarus, si illa pars maioris (nõ quietatur in aliquo vno perfectè &c.) confirmetur auctoritate Philosophi. 10. Etic. c. 4. quòd perfecta quietatio, & delectatio potẽtię fit in optimo eorum, quæ continentur sub eius obiecto primo. Confirmatur ista obiectio. Potentia, quæ potest se ipsam naturaliter cognoscere, potest naturaliter cognoscere obiectũ suum: sed potentia cognoscit naturaliter seipsam; ergo & obiectum. Maior: quia potentia habet naturalem inclinationem ad obiectum. Minor est Augustini 14. de Trinit. Mens est nota sibi. Vltra: potest naturaliter cognoscere suum obiectum adęquatum, scilicet Ens; ergo potest naturaliter cognoscere illa, quæ sub ratione Entis continentur, sed Deus est sub ratione Entis: igitur, &c.

Obiectio tertia.

Confirmatio.

Contra secundam Doctoris rationem, argumentum in persona aduersariorum allatum, clarum est in textu, cum sua confirmatione. Consequenter resoluit Doctor istas obiectiones, eo ordine quo illas hic proposuerat. Ac in primis.

Soluitur obiectio prima, et secũda.

Res aliqua intelligitur distincta varijs modis.

Ad obiectionem primam, & secundam dat vnam communem responsionem. Pro cuius intellectu, Suppono primo. Nostram naturam posse à nobis intelligi distinctè pro statu isto, potest intelligi tripliciter. Vno modo, sub prædicatis abstractis cõmunioribus, vt sub ratione entis, substantiæ, corporis, animalis, &c. Alio modo, sub ratione propria; & hoc adhuc dupliciter. Vno modo, sub ratione propria in se, vel abstractiuè, vel intuitiuè: Alio modo, sub propria ratione ad aliud; quatenus scilicet habet ordinem ad aliud (hanc enim distinctionẽ intendit Doct. illis verbis hic, *falsum est sub illa ratione propria, & speciali sub qua ad talem finem ordinatur, &c.* Vbi ly *sub illa ratione* denotat accipi posse sub alia propria ratione, & speciali naturã nostram, sub qua non ordinatur ad aliud, cùm natura nostra sit ens absolutum) natura ergo nostra, similiter & potentia nostra intellectiua, intelligitur à nobis naturaliter priori modo, sub rationibus communibus entis, substantiæ, &c. De secundo modo loquendo, cùm ille sit subdiuisus, si primo modo intelligitur propositio, vel est sermo de intellectione naturæ; & nostræ potentiæ intellectiuæ, quòd hæc secundùm proprias rationes, id est, secundùm rationes distinguentes illa specificè à quouis alio, intelliguntur à nobis abstractiuè; & id verum est: vel quòd intelligamus pro statu isto intuitiuè, & falsum est: quia cognitio pro hoc statu de substantia habetur abstractiua, intuitiua autem immediata substantiæ, haberi non potest, nisi ab intellectu separato à corpore, vt ab anima nostra, vel ab Angelo, quod probatur infra. Si autem tertio modo sermo fiat de cognitione naturæ nostræ, nostrique intellectus sub ratione propria illa, sub qua ordinatur ad aliud, sic nec abstractiua cognitio haberi potest de natura, vel intellectu sic relatis ad aliud, quin simul terminus talis relationis abstractiuè concipiatur: nec intuitiuè ab Angelo, vel intellectu nostro separato a corpore, cognosci potest naturaliter talis ordo in anima, aut intellectu (esto quod ipse intellectus, aut anima separata se ipsam intuitiuè intelligat) si ipse terminus illius habitudinis, vel ordinis non fuerit cognitus, is autem terminus est Deus, in præsenti. Ratio huius vltimi dicti est. Quia relatio non potest abstractiuè cognosci sine termino, cùm ex intrinseca ratione dicat ordinem ad illum: nec etiam à fortiori intuitiuè poterit videri, quin videatur intuitiuè terminus; si enim cognitio confusa & imperfecta, qualis est abstractiua, requirit terminum, ita quòd absque eius intellectu non intelligatur relatio cognitione imperfecta; multò magis requiret perfecta notitia, qualis est intuitiua. Ad propositum hæc applicando, dicit Subtilis Doctor, quòd natura nostra potest à nobis cognosci sub rationibus tum communibus, tum etiam proprijs absolutis, non tamen sub ratione relatiua ad aliud, absque cognitione priùs natura ipsius termini, priùs enim natura deberemus cognoscere fundamentum, nimirum naturam humanam, vel potentiam intellectiuam, & simul terminum, id est, Deum, ad quem talia entia dicunt ordinem, & posteriùs natura ipsam habitudinem, siue ordinem; quia relatio causatur ab extremis, causa verò in ratione causæ, est prior effectu; quare prius deberet intellectus cognoscere seipsum, & Deum, & postea intelligeret se esse ordinatum ad Deum. Argumenta igitur hic proposita, nominatim primum & secundum, non concludunt; quia cùm terminus non cognoscatur talis habitudinis naturaliter, nec ipsa natura vel potentia sub tali ordine, nec ipse ordo cognoscetur naturaliter. Hanc doctrinam in Doctore isto, non aduertit Fonseca 1. Met. c. 1. q. 1. sec. 2. in secundo argumento contra Doctorem Subtilem adducto, quod simillimum, imò idem est præcedenti obiectioni.

Non potest intelligi creatura esse ordinata ad Deum, nisi intelligatur Deus priùs natura.

Fonseca.

Suppono secundò, illam literam Doctoris hic, *non enim cognoscitur anima à nobis, nec natura nostra pro statu isto, nisi sub ratione aliqua generali abstrahibili à sensibilibus, sicut patebit infra. dist. 3. &c.* non negare absolute, quin anima nostra sub aliqua speciali ratione possit cognosci cognitione abstractiua, id enim est extra controuersiam, quia omnis definitio, sub ratione speciali & propria nobis manifestat quamlibet essentiam, vt ipsemet Doctor sæpius affirmat; sed hoc velle, quòd nostra cognitio alicuius substantiæ, & præsertim immaterialis, etiam sub ratione quidditatiua absoluta, non sit distincta, & clara notitia talis substantiæ. Ratio Doctoris est. Quia illa ratio quidditatiua notificãs essentiam, vt ista, animal rationale, explicans essentiam hominis, quamuis dicat rationem aliquam merè propriam ex parte naturæ, ista tamen ratio specificans, scilicet rationale, non est aliquis conceptus immediatè in natura hu-

Cognitio substãtiarũ, & rerũ immaterialiũ non fit per proprias, et immediatas species.

mana

mana cognitus, & ab illa vt ab obiecto causatus; sed est cõceptus abstractus à sensibilibus actibus intelligendi, manifestatis per exteriora signa sensibilia: quæ abstractio ab actibus materialibus, & sensibilibus reddit ipsum conceptũ imperfectum, ita quòd si ipsa præcisè forma hominis, immediatum sui conceptum in nostro causaret intellectu, lõgè clariori, & perfectiori modo conciperetur differentia hominis in esse differentiæ, quàm modò. Hinc est, quòd nunc *per gradum istum distinctiuum hominis à quouis alio*, non possumus bene distinguere hominis animam ab Angelo (non enim est habere intellectum discursiuum, quod non competit Angelo, vt in 2. dist. 2. q. 5. cum Doctore dicemus, nec quòd sit perfectiua corporis anima; non item Angelus, quia istę aptitudines, ad discurrendum vel informandum, cõueniunt animæ per intrinsecam, & essentialem differentiam, vt passiones per rationem formalem) secus esset si sciremus clariùs, & perfectiùs, etiam abstractè repræsentatam illam rationem immediatè ab ipso obiecto (eo modo quo accidentia sensibilia abstractiua cognitione distinctè intelligimus, quia per propriam, & immediatam speciem repræsentantur imaginationi, & ab hac intellectui) tunc enim perfectè & sub propria ratione intelligeremus substantiam, etiam abstractiuè.

Quæ cùm ita sint etiam sub propria ratione absoluta, anima nostra vel intellectus non poterunt naturaliter intelligi distinctè, & clarè, ac per consequens non poterit in ipsis naturaliter intelligi relatio, & habitudo ad Deum, quia talis ordo immediatè fundatur in ipsa animę essentia, & in ipso intellectu, vt talis natura, vel talis potentia, est distincta à quouis alio ente. Hæc suppositio non contradicit priori, in qua diximus abstractiuè posse cognosci substantiã, sub propria ratione; Illud enim est verum de propria ratione, quæ est abstracta à sensibilibus; non autem de propria immediatè, causata obiectiuè ab ipsamet substantia, quę requiritur, vt in ipsa contentæ habitudines cognoscantur.

Obiectio. Dices. Habitudinem admiratiui, discursiui, risibilis bene cognoscimus conuenire homini, & tamen quidditatiuè non cognoscimus, per conceptus istos maximè proprios, substantiam hominis.

Solutio. Respondeo, Vt finis substantiæ innotescit nobis naturaliter, ex actionibus aliquib. talis substantiæ, iuxta dicta superius; ita & habitudines plurimæ substantiarum cognoscuntur à nobis per actus: ex actibus enim discurrendi, admirandi, ridendi, colligit intellectus, naturæ rationali inesse habitudines ad tales actus promptè eliciendos.

Ad finis cognitionem alicuius substantiæ requiruntur duo. Ex his duobus suppositionib. clarè patet, quòd ad hoc vt finis alicuius substantiæ cognoscatur ex cognitione ipsiusmet substantiæ ordinatæ ad talem finem; requiruntur necessariò duo ad talem cognitionem. Primum est, vt cognitio talis substantiæ sit propria illius, per speciem immediatam ipsius, non per aliquam ab imaginabilibus causatam; & hoc propterea, quia substantia vt est fundamentum relationis istius, quod est ordinari ad finem secundũ aliquam propriam rationem, & intrinsecam sibi, & tale fundamentum; igitur illa propria ratio fundandi relationem cognoscenda est; quæ ratio fundandi cùm sit idem realiter cum ipsamet substantia, necessariò cognoscenda est ipsamet substantia, sub propria ratione, si cognosci debet talis ordo. Secundum est, vt cognoscatur illa ratio propria substantiæ, non absolutè, sed quatenus ordinatur ad talem finem: sine isto enim ordine cognita, non cognoscitur vt causatiua notitiæ finis. Cùm igitur substantia sic includat relationem, & relatio non possit intelligi sine termino, requiretur etiam simul notitia termini.

Respondetur in forma, ad obiectiones superiùs positas. His præsuppositis. Respondet Doctor ad formam obiectionis, ibi, *tunc ad formam argumenti cũ dicitur, &c* Ac in primis ad primam obiectionem, distinguit maiorem: vel enim haberi potest cognitio effectus distincta, sub illa ratione sub qua effectus ordinatur ad causam, & sic vera est propositio maior, quòd ex tali cognitione effectus, possit cognosci causa; sed falsa est minor, quòd scilicet hominis natura vel anima possit cognosci pro statu isto, sub illa ratione, sub qua dependet à Deo (neque enim est cognoscibilis naturaliter illa dependentia ad Deum, hæc enim cùm

Ad primã obiectionẽ. sit relatio non potest cognosci, non cognito termino, vt Suppositione prima dixi; neque etiã est cognoscibilis sub illa propria ratione, sub qua est fundamentum talis dependentiæ, quia huiusmodi cognitio deberet ex parte obiecti per speciem propriam specificari, & terminari, quod non contingit pro hoc statu, vt dictum est in secunda Suppositione) vel secũdò illa propositio maior intelligitur de quacũque cognitione effectus, quòd vniuersaliter ex omni cognitione effectus cognosci possit causa illius, & sic est falsa, cùm multos effectus cognoscamus, quorum causas ignoramus. Ad primam probationem, quæ ponitur immediatè post ipsam minorem, illis verbis, *quia non est potentia cognitiua improportionalis.* Respondetur, quòd mens licèt sit eadem sibi, & proportionalis, non cognoscitur tamen perfecta cognitione, & propria, pro nunc, nisi secundùm rationes communes abstrahibiles ab imaginabilibus conceptibus. Responsio alia ad confirmationem in litera positam, clara est ex dictis. Ad Corrolarium illatum respondeo, illa propositio, Finis proprius substantiæ non intelligitur à nobis, nisi ex actibus eius nobis manifestis, duplicem sensum (vt ad præsens attinet) habere potest: vnum de facto, vel de possibili pro tali via naturali, quòd nunc pro statu isto non cognoscatur, nec naturaliter cognosci possit, nisi ex actibus; & sic verissima est propositio, nec obiectio probauit oppositum, vt patet ex dictis: alium sensum potest habere absolutum, quòd non repugnet alio modo cognosci posse finem substãtię, nempe ex perfecta, & propria ipsius substantiæ notitia, & ex cognitione ordinis illius ad talem finem; & hoc etiam verissimum est, sed non pro statu naturali viatoris, ac proinde nihil ad propositum. Ex ista declaratione, manifesta est litera Doctoris adducta hic in principio solutionis. *Ad confirmationẽ illius mẽs est eadem sibi.* *Ad Corrolarium.*

Ad secundã obiectionẽ & tertiam. Ad Secundam obiectionem, solutio datur in textu sufficiens, cuius explicatio patet ex dictis.

Ad Tertiam obiectionem dicitur, negando minorem; nec authoritas Auicennæ aliquid valet hac in parte, vt clarum est in textu. Aduerte tamen istam minorem esse omnino veram, & de mente Doct. infra dist. 5. & 8. & 4. Met. sed non esse notam naturaliter, stando præcisè in lumine intellectus, vt sumitur minor in obiectione. Ad confirmationem negatur minor: Ad probationem dicitur, quòd in illa propositione, Mens est nota sibi, ly nota, non debet sumi pro actu secundo, quasi actu elicito cognitionis mens se ipsam cognoscat; sed pro actu primo, quatenus videlicet, quantùm est ex parte sua, anima est apta intelligere se ipsam propriè, & immediatè, non potest tamen exire in actum ista aptitudo, ob impedimentum colligantiæ intellectus cum sensu pro statu isto, in quo intellectus non cognoscit actum nisi aliquomodo præfuerit in sensu. Est autem actus primus (secundùm Arist. 9. met. tex. 11. Doct. Subt. ibidem in expos. tex.) ipsamet forma rei, potens prodire in operationem; Actus verò secundus est ipsa operatio. Sequens litera est clara in textu Doctoris. *Actus primus, & secundus q.d.*

ARTICVLVS TERTIVS.

Aliæ rationes contra Philosophos adferuntur.

Tertio arguitur principaliter contra opinionem Philosophorum 6. met. &c.

SVMMA TEXTVS.

Istius Articuli sunt quinque partes, In prima, ratio tertia Doct. ponitur contra Philosophos. Deinde, obiectiones contra rationem illam adducuntur, & resoluuntur. Postea, supradictæ tres rationes auctoritate confirmantur. Quartò, dubitatio vna resoluitur. Et tandem rationes aliorum contra Philosophos adducta, ponderantur.

COMMENTARIVM.

Rõ Doct. tertia cõtra Philosoph. Qvantùm ad Primam partem Articuli, summa rationis est ista. Cognitio nobilissima est nobis necessaria, vt intellectus illa perficiatur: sed cognitio substantiarum ab-

ſtractarum eſt nobiliſſima; quia eſt de nobiliſſimo contento ſub Ente, ſecundùm Ariſt. in proœmio Metaphyſicæ ſuæ; Ergo cognitio ſubſtantiarum abſtractarum eſt nobis neceſſaria. Vltra, ſed illa cognitio qua cognoſcuntur propria prædicata, & non communia cum rebus materialibus, eſt perfectior longè, & nobilior, vt clarè oſtēditur quæſt. 4. infra; Ergo iſta cognitio eorum, quæ ſunt propria ſubſtantijs abſtractis, eſt magis neceſſaria: atqui iſta cognitio ſubſtātiarū, ſecundùm merè propria prædicata, nō poteſt haberi ex naturalibus, vt articulo præcedenti dixi: Ergo alia cognitio neceſſaria eſt homini præter naturalem. Totus diſcurſus ſecundùm priores conſequentias eſt clarus, & Ariſtotelicus. Quoad minorem verò principaliter intentam (illam ſcilicet, iſta propria non poſſunt cognoſci ex naturalibus) probatur dupliciter. Primò, ex ſufficienti diuiſione ſcientiarum. Et quamuis non ponatur explicitè hic, niſi mentio Metaphyſicæ, ſubintellexit tamen Subt. Doctor, & vt neceſſariò concedendum hoc probare omiſit, quòd iſta propria prædicata ſubſtātiarum abſtractarum nec in Phyſica, nec in Mathematica, nec in ſcientijs practicis actiuis vel factiuis conſiderantur, vt de ſe clarum eſt; & quia dubium manſit de Metaphyſica (cùm 11. & 12. Met. multæ veritates probentur à Philoſopho de his ſubſtantijs abſtractis) dicit Doctor; quòd iſta propria non cognoſcantur in Metaphyſica: Tum quia illa cognoſcit Metaphyſicus de Deo, quæ virtualiter continentur in obiecto Metaphyſicæ, ſcilicet in Ente; ſed iſta propria non continentur virtualiter in Ente, quia non per rationem Entis vt ſic, conueniunt illi naturæ; ergo, &c. Tum quia Metaphyſicus conſiderat inferiora Ente aliqualiter, id eſt in vniuerſali, ſecundùm Ariſt. 1. Met. ergo non cognoſcit ſub proprijs rationibus: & clarum eſt de ipſo Ariſt. qui tantùm conceptus communes Deo, & creaturæ, cognouit aliqualiter de Deo, non autem proprios. Secundò probatur illa minor argumenti, ratione. Si iſta propria poſſent cognoſci naturaliter de ſubſtantijs abſtractis, vel poſſent cognoſci demonſtratione Propter quid, vel demonſtratione Quia: neutrum dici poteſt; ergo, &c. Minor: nō demonſtratione Propter quid, nam non cognoſcitur Propter quid alicuius prædicati naturaliter, niſi cognoſcatur ſubiectum naturaliter; ſed ſubiectum ipſum, nempe natura Diuina, non cognoſcitur naturaliter, vt clarum eſt; ergo nec prædicata quidditatiua illius cognoſcentur: non demonſtratione Quia, effectus ſiquidē potiùs ducunt in oppoſitum, vt in textu Doct. eſt manifeſtum, ex 5. inſtantijs adductis.

Metaphyſica non conſiderat Deū ſub ratione propria, ſed ſub ratione Entis.

Nota Primò, illam propoſitionem videri falſam, quæ hìc à Doct. aſſumitur in tertia ratione principali contra Philoſophos, ſcilicet, Quòd Metaphyſica non conſideret proprias paſſiones, & quidditates ſubſtātiarum abſtractarum, ſed tantùm vniuerſalem rationem Entis ſpeculetur; Tum quia Philoſophus 6. Met. docet, non aliam ſcientiam inueſtigare Quod quid eſt, de ipſo cuius eſt, quàm Metaphyſicam; Ergo illa quidditates omnium rerum inueſtigat: Tum quia eiuſdem eſt ſcientiæ conſiderare ſuperius, & inferius ſub tali ſuperiori contentum; eadem enim ſcientia quæ conſiderat ſubſtantiam corpoream in communi, conſiderat etiam ſubſtantiam Elementorum, & ſubſtantiam corporis Cæleſtis; ſed Metaphyſica conſiderat quidditatē ſuperioris conceptus, videlicet Entis; ergo eiuſdem erit cōſiderare quidditates inferiorum Entium, ſub illo ſuperiori contentorum; Tum quia oppoſitum huius, Doctor expreſsè habet infra diſt. 2. q. 1. vbi vult, quòd veritates Geometricas conſideret Metaphyſicus, illæ autem ſunt particulares reſpectu Entis; Et diſt. 3. q. 2. dicit, principia aliarum ſcientiarum ſunt per ſe nota, ex conceptu confuſo terminorum, ſed ex Metaphyſica ſunt ſcita; Igitur Metaphyſica etiam veritates Theologicas diſtinctè cōſiderabit, & principia Theologiæ demonſtrabit. Verùm, oppoſitum teneri debet indubitatè in via huius Doct. vt patet hìc, & clariùs 1. Met. q. 9. vbi hanc quæſtionem de induſtria negatiuè reſoluit. Idem tenet ibidem Antonius Andr. & omnium ſubtiliſſimè, & doctiſſimè Ant. Trombeta.

Metaphyſica conſiderat quidditates particulares ſub modo vniuerſali non particulari.

Pro intellectu autem eorum, quæ contra hanc doctrinam obiecta ſunt. Aduertendum eſt: Quòd Metaphyſica conſideret omnium rerum etiam particularium quidditates ſub rationibus communibus, & vniuerſalibus, ſiue tranſcendentibus, ſiue genericis, non autem ſub particulari ratione diſtincta. Dico, diſtincta, quia ſub ratione aggregata, præſertim ſubſtantiæ immateriales poſſunt cognoſci, vt de facto in 11. & 12. Met. conſiderantur ab Ariſt. Et ex hoc patet, quid dicendum ſit ad Ariſt. ex 6. Metaph. & in quo ſenſu dicat Doct. Geometricę aliarumq; ſcientiarum principia diſtinctiùs cognoſci à Metaphyſico, nimirum ſub rationibus communiſſimis, non autem proprijs, & particularibus. Per idem patet ad rationem. Quòd ſicut à Phyſico conſiderantur Elementa, & corpora Cæleſtia, ſecundùm communes rationes ſui obiecti adæquati, ſcilicet ſubſtantiæ corporeæ, (hoc enim eſt obiectum Phyſicæ, de mente huius Doct. 6. Met. q. 1.) non autem ſecundùm propriſſimas; ita & Metaphyſica conſiderat quidditates inferiores Ente, ſub rationibus tranſcendentibus Entis.

Nota ſecundò ex ſecunda probatione iſtius rationis, vnam doctrinam contra Zabarel. lib. de medio demonſtrationis. cap. 10. & Auer. 1. poſt. com. 10. Quòd medium Demonſtrationis propter quid, non eſt paſſionis definitio, ſed definitio ſubiecti, vt fuſiùs docet Subt. Doct. in ſua Logica. 1. poſt. q. 56. Tum, quia medium Demonſtrationis propter quid, debet eſſe cauſa immediata ſecundùm Ariſtot. 1. poſt. c. 2. cauſa autem immediata ob quam paſſio conuenit ſubiecto, non eſt definitio paſſionis, ſed ſubiecti; vt enim paſſio i, ta & eius definitio, conueniunt ſubiecto propter formalem rationem ſubiecti: Tum, quia illud quod eſt medium in Demoſtratione potiſſima, facit notitiam ſimpliciter, ita quòd illud medium in eſſe, & in cognitione non dependet ab alio, hoc enim eſt Demonſtrationem potiſſimam conſtare ex primis, & immediatis; atqui definitio paſſionis dependet in eſſe, & in cognoſci à ſubiecto; à principijs enim ſubiecti cauſatur illa definitio paſſionis, vt & ipſa paſſio; non item ſubiectum, & ſubiecti definitio cauſatur à paſſione: ergo, &c.

Medium demonſtrationis potiſſimæ, eſt definitio ſubiecti.

Nota tertiò, quoſdam Scotiſtas ex illis verbis hic in reſponſione poſitis, *Medium inter extrema quandoque eſt eſſentialiter ordinatum, puta Quod quid eſt alterius extremi, vel paſſio prior reſpectu poſterioris paſſionis, & tale eſt medium ad concludendum vniuerſaliter extremium de extremo*, ſumpſiſſe occaſionem dicendi, quòd non tantùm definitio ſubiecti ſit medium demonſtrationis Propter quid, reſpectu alicuius paſſionis, ſed etiam paſſionem primam reſpectu ſequentis paſſionis, eſſe medium Propter quid. Huius ſententiæ ex antiquioribus Scotiſtis eſt Ant. Andr. lib. 1. Met. q. 1. art. 3. Verùm iſta deductio ex hoc loco nulla eſt. Quia verum quidem eſt, quòd medium eſſentialiter ſubordinatum, reſpectu ſecundæ paſſionis, poſſit eſſe definitio primæ paſſionis, mediante qua, conuenit ſecunda paſſio ſuo ſubiecto; ſed quomodo iſta conſequentia inde habetur, quòd talis demōſtratio erit potiſſima & Propter quid? Tenere igitur debet Scotiſta de mente ſui Doct. illud quod ab ipſo 1. poſt. q. 56. dicitur, *Licet definitio paſſionis non ſit medium in demonſtratione potiſſima, eſt tamen medium in aliqua Demonſtratione* (ſcilicet in demonſtratione Quia) *vt vult Ariſtot. quòd definitio primi termini eſt medium in demonſtratione, paſſio autem dicitur primus terminus ſecundùm prædicationem, licet ſecundum ordinem naturæ ſit poſterior terminus*. Hæc & plura his ſimilia ibi.

Prior paſſio reſpectu poſterioris nō eſt medium Propter quid.

Quantùm ad ſecundam partem huius Articuli, obiectio contra argumentum poſita, eſt clara, nec indiget explicatione. Reſpondet autem Doctor primò ad materiam, deinde ad formam. Ad materiam obiectionis hoc dicitur. Quandocunque concipitur ab aliquo intellectu propoſitio mediata, & ignoratur eius immediata, à qua illa mediata habet euidentiam, & neceſſitatem ſuæ conuerſionis; tunc propoſitio mediata in tali conceptu ignorante eius immediatam, erit neutra; hoc eſt, neq; mediata, neque immediata: non mediata, quia dicitur talis reſpectu immediatæ, quæ ignoratur; nec etiam immediata, quia hoc non ſupponitur. Hoc autem dictum maximè verum eſt de propoſitionibus mediatis, in quibus enunciantur communia ad prædicatum, de communibus ad ſubiectū, hoc eſt, in quibus prædicatum commune de ſubiecto cōmuni,

muni, ſub particulari modo concepto, efficitur. Quadruplex enim poteſt ſtatui propoſitio; quædam ſimpliciter adequata, in qua ſubiectum, & prędicatum conuertuntur, vt rationale eſt riſibile; alia adæquata ex parte ſubiecti, ſed non ex parte prædicati, vt homo eſt quantus, quia omnis homo eſt quantus, ſed non omne quantum eſt homo; tertia adæquata ex parte prædicati, non ex parte ſubiecti, vt animal eſt riſibile, quia omne riſibile eſt animal, ſed non è contra; quarta ſimpliciter inadæquata, quando de ſubiecto communi dicitur paſſio communis, ſeu non conuertibilis cum ipſo ſubiecto, vt quædam ſubſtantia eſt quanta, quædam figura eſt prima, in his exemplis, & ſubiectum eſt inadæquatum paſſioni, & paſſio ſubiecto, nec enim omnis ſubſtantia eſt quanta, nec omne quantum eſt eſt ſubſtantia; ſimiliter nec omnis figura eſt prima, nec omne primũ eſt figura. Verba igitur illa Doct. *quæ particulariter enũciãt cõmunia ad prædicatum de communibus ad ſubiectũ* principaliter intelliguntur de propoſitionibus iſtis mediatis, & inadæquatis quarto modo, quòd illis conceptis ſtat ignorantia immediatæ veritatis, cui primò & immediatè conuenit illud prædicatum propoſitionis mediatæ, vt cognoſco figuram, & primitatem cognoſco in numeris, & poſſum formare iſtam enũciationem, Figura eſt prima, ignorando quòd triangulus ſit prima figura, cui primitas immediatè inter figuras conuenit, & figuræ non niſi per triangulum, ſicut animali conuenit riſibilitas mediatè; immediatè homini; ita in propoſito Theologico, poteſt concipi Ens primum, Ens neceſſarium, Ens ſempiternum; in iſtis propoſitionibus prædicata non conueniunt Enti immediatè, quare poſſet quis iſta cognoſcere, ignorando cui naturę primò conueniunt; conueniunt verò immediatè Diuinæ Eſſentiæ.

Triplex adæquatio propoſitionum.

Obiectio.

Obijcies. Dicitur in textu, quòd primitas ſit propria paſſio Trianguli. Et ſtatim poſt ſubditur, quòd iſta propoſitio, Triangulus eſt prima figura, ſit propoſitio immediata. Contra. Nulla paſſio conuenit immediatè ſuo ſubiecto, cùm per definitionem ipſius ſubiecti poſſit probari, vt paulò ante dictum eſt; ergo primitas nõ conuenit Triangulo immediatè, ſed per rationem formalem eius, & conſequenter iſta propoſitio, Triangulus eſt prima figura, nõ eſt immediata. Reſpondeo. Duplex eſt propoſitio immediata; vna immediata immediatione cauſæ, quando nimirum prædicatum conuenit ſubiecto propoſitionis immediatè, non per aliquam cauſam formalem, ſic iſta, animal rationale eſt riſibile, eſt immediata hac immediatione, nõ item iſta homo eſt riſibilis: alia eſt immediata immediatione ſubiecti; & hoc dupliciter intelligitur, vel quia ſubiectum nulli priùs ſubijcitur in ratione ſubijcibilitatis quam huic prædicato, & tali immediatione ſola propria paſſio primò conuenit ſuo ſubiecto, aliæ mediante ipſa; vel quia illa propria paſſio nulli alteri ſubiecto eſt apta per ſe, & primò conuenire niſi huic ſubiecto, & alijs non niſi mediante ipſo, ſicut iſtę proprietates, riſibile, admiratiuum, diſcurſiuum, ſunt per ſe & primò aptæ conuenire homini, & alijs vt Petro, vel animali, non niſi ratione hominis: & in hoc ſenſu omnis propria paſſio, quarto modo ſumendo proprium, eſt immediata ſuo ſubiecto immediatione ſubiecti non cauſæ, & hoc vult litera Doct. Ex his patet, quomodo intelligendus ſit textus, in reſponſione ad materiam obiectionis.

Solutio. Immediatio ſubiecti, eſt immediatio cauſæ.

Ad formam obiectionis reſpondendo, negatur maior, quæ fuit, Quorumcunque reuelatorum terminos naturaliter cognoſcimus, & illa poſſumus naturaliter cognoſcere; Cùm deinde probatur; Illa aut ſunt mediata, aut immediata. Dico ſunt mediata. Cùm infers, igitur ſi poſſumus cognoſcere extrema, poſſumus cognoſcere medium inter extrema. Reſpondeo, duplex eſt medium; vnum eſt eſſentialiter ordinatum, cuius ratio realiter includitur in altero extremo, idquè vel realiter eſſentialiter, vt definitio includitur in definito; vel realiter & non eſſentialiter, vt propria paſſio in ſuo ſubiecto: & ſic cognoſcens perfectè naturaliter extrema mediata, in quibus extremis eſſentialiter vel realiter includitur medium coniungens illa extrema, poterit cognoſcere naturaliter medium, & conſequenter poterit cognoſcere propoſitionem immediatam: diciturquè hoc medium à Doct. Vniuerſale, quia adęquatè, & vniuerſaliter vnit prædicatum ſubiecto. Aliud medium eſt, non ſubordinatum eſſentialiter, ſed tantùm accidentaliter, quando extrema non continent illud medium eſſentialiter, vt definitionem vel vt propriam paſſionem, ſed quaſi per accidens; ſic quando extrema ſunt de prædicato communi ad ſubiectum commune, iuxta dicta paulò ante, non continent illam veritatem immediatam, aliquo horum modorum; iſta enim propoſitio, Figura eſt prima, nõ continet iſtam, Triangulus eſt prima figura, quia nec per definitionem figuræ, nec per propriam paſſionem figuræ, vt figura eſt, poteſt hoc cognoſci, Cognoſcens igitur extrema mediata, quæ extrema non continent aliquo prædictorum modorum medium illa extrema coniungens, non poterit cognoſcere medium naturaliter. Hoc medium non ſubordinatum eſſentialiter, dicitur hic à Doct. Particulare, quia particulariter tali ſubiecto, & inadæquatè conuenit, vt conſtat de primitate reſpectu figuræ. Ad propoſitum applicando prædicta, dicimus, cùm conceptus de Deo naturaliter cognoſcibiles, ſint ex communibus, & ſenſibilibus deſumpti, & ipſi Deo appropriati, vt cùm dicimus aliquod eſt Ens infinitum, aliquod eſt Ens neceſſarium, & ſimilia, in iſtis veritatibus prædicatum inadæquatè conueniens ſubiecto, non habet in ſubiecto (videlicet in Ente rationẽ, quare infinitas conueniat illi neceſſaria; ſed primò in aliquo alio, quod habet rationem Entis, & ratione cuius hoc prædicatum conuenit Enti, illud ergo medium inferius Ente (nempe Eſſentia Dei) cùm ſit ignotum, ratio etiam connexionis, ſeu medium illud non eſſentialiter ordinatũ, erit incognitum naturaliter. Dices. Poteſt intellectus apprehendere naturaliter iſtum terminum Deus; poteſt etiã naturaliter apprehendere terminos, Trinus in perſonis, & poteſt naturaliter connexionẽ facere mediante particula, eſt, dicens, Deus eſt Trinus in perſonis; ergo iſta veritas Theologica immediata, poteſt naturaliter cognoſci. Reſpondeo. Termini iſti omnes poſſunt naturaliter apprehendi, & ipſa connexio poteſt fieri naturali modo; ſumendo Terminos materialiter; ſed ſumendo formaliter, pro ſignificato ipſorum terminorum, & ipſam connexionem, pro ſecunda operatione intellectus coniungentis prædicatum cum ſubiecto, & interiùs per aſſenſum veritatis affirmantis tale prædicatum cõuenire tali ſubiecto, nullo modo poteſt naturaliter fieri talis connexio, vel eius cognitio. Hinc patet ſolutio argumenti.

Medium duplex eſſẽtialiter ſubordinatũ, & eſſẽtialiter nõ ordinatum.

Obiectio.

Solutio.

In fine huius Secundæ partis illis verbis, *hæc ratio tertia potiſſimè concludit, &c.* per modũ Corrolarij infertur, quòd iſta ratio tertia, etſi de omni ſubſtantia immateriali procedit, potiſſimùm tamen de prima, quia primæ ſubſtantiæ immaterialis cognitio nobis eſt maximè neceſſaria, tanquam obiecti perfectiſſimi, & beatifici. Additurquè, quòd iſta reſponſio hic ad obiectionem facta, pręſupponit nos Deum naturaliter non concipere, niſi ſub conceptibus generalibus, & communibus, deſumptis à creatura, iuxta ſuperiùs dicta, & infra diſt 3.q.3. dicenda. Additur ſecundò, quòd etiamſi negaretur hoc ſuppoſitum, ſed illi contrariũ affirmaretur, ſcilicet, quòd poſſit proprius haberi de Deo conceptus naturaliter, ex creaturarum notitia, adhuc iſta ratio optimè concluderet, quia ille conceptus habitus de Deo ex creaturis, eſſet imperfectus; perfectiſſimus autem eſt, qui habetur de ipſo Deo immediatè ab obiecto, ſcilicet ab Eſſentia Dei, vel à ſupplente vicem obiecti, cauſatus.

Circa quartam partem Articuli, Nota, quòd iſta propoſitio, Homini neceſſaria eſt diſtincta cognitio ſui finis, habet euidentiam ex illa Phyloſophi. 1. Phyſ. Omne agẽs per ſe, agit propter finem. Triplex vero cognitio finis poteſt eſſe pro ſtatu iſto; vna indeterminata ſeu neutra; altera, determinata, indeterminatè tamen, tertia determinata determinatè. Illa dicitur neutra, quando aliquod obiectum iudicatur ab intellectu eſſe finis vltimus, nõ tamen iudicio affirmatiuo pro vna parte determinando, ſed diſiunctiuo; vt ſi quis intellectus diceret, Deus vel eſt finis vltimus, vel non eſt: iſta notitia cùm ſit incerta, & dubia, nihil conducit ad cognitionem neceſſariam vltimi finis. Quando autem intellectus determinat ſe ad alteram partem, puta affirmatiuam, quia Deus eſt finis vltimus, non cognoſcendo

Cognitio finis neutra determinata indeterminatè, & determinata determinatè.

illum

illum finem in se, qualis est in sua entitate, dicitur cognitio determinata, quia ad alteram partem contradictionis se determinat; indeterminatè tamen, quia nescit determinatè certò, an hoc sit illius finis. Notitia verò determinata determinatè finis cognoscetur, quando non modò intellectus supponit hanc partem affirmatiuam, vt priùs, sed etiā determinatè nouit illum esse verè finem vltimum, sub tali vel tali ratione attingendum, quæ perfectio cognitionis proueniet ex cognitione propria entitatis illius finis vltimi. Ista cognitio finis vltimi est distincta, propria, mereq; Theologica: illa secunda est determinata, sed confusa, & quasi vniuersalis, quia concipitur ibi finis vltimus sub ratione vniuersali boni, vel alterius perfectionis, qui modus concipiendi finem est naturalis. Si igitur de cognitione finis, secundo modo, procedant rationes Doctoris suprà dictæ, sunt naturales: si tertio modo, sunt Theologicæ. Et hoc vult Subt. Doctor in solutione præsentis dubij, quòd istæ rationes possent dici naturales, & Theologicæ, sed diuersa ratione, magis tamen sunt Theologicæ, quàm naturales. Vel dicit posset secundò, iuxta dicta artic. 2. Notab. 4. cui modo fauet Doct. hic circa finem articuli.

In quinta parte Articuli proponuntur duo argumenta aliorum. Primum est S. Thomæ, 1. part. quæst. 1. art. 1. in solutione principalis argumenti, & est clarum in litera Doct. Secundum est Henrici Gandauensis in prologo, est etiam euidens in textu. Vbi Aduerte, non omnino rationem quartam reijci à Doct. sed non ita probabilem iudicari, atquè sunt tres positæ superius; nec ideo non multùm valere, quia propositio minor est Theologica, ergo & conclusio, hoc enim videre est & in rationibus ipsius Doct. sed quia inter propositiones Theologicas, vna maiorem habet apparentiam connexionis cum Philosophia, alia minorem; inter quas etiam ista est, quòd homo ordinetur ad finem supernaturalem: illa autem Doct. nostri maiorem habent apparentiam. Et propter illa vltima verba textus huius, *tres ergo primæ rationes probabiliores apparent*, Dico, licèt istæ rationes sint necessariæ Theologo, Philosopho tamen sunt persuasiones tantùm probabiles, ceteris tamen multis probabiliores. Rationis Henrici confutatio, clara est in textu.

ARTICVLVS QVARTVS.

Supponitur vnum fundamentum, & respondetur affirmatiuè ad quæstionem.

Ad quæstionem igitur respondeo, distinguendo primò, &c.

SVMMA TEXTVS.

IN priore parte Articuli, supponitur hoc fundamentum. Quòd potētia passiua, seu alicuius perfectionis receptiuæ, quandoque se habeat in potentia naturali, quandoquè in potentia supernaturali vel obedietiali, quandoquè in potentia violenta, quandoquè in potentia neutra: diuersimodè tamen dicitur talis potentia passiua, passiua siquidè potētia potest comparari vel ad agens, & ad quo recipit perfectionem; vel ad ipsam formam quam recipit. Si comparetur ad agens, tunc vel illud agens est naturale, & eiusdem ordinis cum passo, & sic passum est in potentia naturali ad ipsum, vel est ordinis alterius illud agens, & supernaturale, ad quod passum comparatur, & sic passum est in potentia supernaturali seu obedientiali ad ipsum. Quòd si eadem potentia passiua comparetur ad formam quam recipit, tunc vel illud passiuum habet inclinationem naturalem ad ipsam, & dicetur in potentia naturali ad illam, vel habet inclinationem contrariam formę recipiendę, aut receptæ, & respectu talis formæ dicitur passiuum esse in potentia violenta ad ipsam: vel neque habet naturalem inclinationem, neque contrariam, sed indifferenter se habet, & dicitur tunc receptiuum illius formæ esse in potentia neutra ad illam, quomodo superficies est in potentia neutra ad albedinem vel nigredinem, materia ex se, ad hanc formā vel illam, intellectus ad hanc vel illam intellectionem. De hac distinctione vide Doct. Subt. clariùs in 4. dist. 43. q. 4.

Potētiæ passiuæ diuisio est appellatio varia.

& 9. Met. q. 12. Difficultates quæ in ea explicandæ occurrunt, soluuntur infra in dubitationibus.

Hoc præiacto fundamento, secundam partem Articuli aggreditur, quæ est bimembris. In priori, explicatur quomodo illa cognitio, quæ naturaliter haberi non potest, & necessaria est viatori pro statu isto, habeatur ab intellectu, an secundùm eius naturalem inclinationem ad ipsam, vel alio modo. In secundo, ostendit modum secundùm quem cognitio illa supernaturalis causatur ab agente supernaturali. Prior pars expeditur tribus Conclusionibus.

Prima Conclusio. Si intellectus possibilis, qui est receptiuus cognitionis, comparetur ad actualem notitiam, nō habita comparatione ad agens, ad quamuis cognitionem, etiam visionem intuitiuam Dei, est in eo potentia naturalis. Ratio est. Tum quia perfectibile habet naturalem inclinationem ad suam perfectionem; sed intellectus possibilis est perfectibilis omni cognitione; ergo habet naturalem inclinationem ad omnem cognitionem. Tum quia non est in potentia violenta vel neutra; ergo in naturali. Dices. Est in potentia supernaturali. Contra. In supernaturali potentia dicitur esse receptiuum quando comparatur ad agens supernaturale, sed hic comparatur potentia receptiua ad actum, abstrahendo à comparatione ad agens.

Intellectus ad cognitionem supernaturalem habet potentiam naturalem.

Secunda Conclusio. Si intellectus possibilis comparetur ad agens à quo recipit intellectionem, non omnis cognitio sic est naturalis, sed non paucæ sunt supernaturales. Tum quia quædam producuntur ab agente supernaturali; Tum quia agens naturale respectu intellectionis est intellectus, & phantasma secundum Arist.; sed non omnis intellectio, præsertim complexa, causatur ab istis, vt patuit in præcedentibus; ergo, &c.

Tertia conclusio. Illa cognitio quæ naturaliter haberi non potest, ab agente supernaturali traditur, ad quam cognitionem est intellectus in potentia naturali, licèt si comparetur ad agens causans illam notitiam supernaturalem, sit in potentia supernaturali. Patet ex dictis.

Ad agens supernaturale comparatum habet potentiam supernaturalem.

Secundæ partis doctrina his dictis continetur. Primum dictum. Aliquod complexum, naturaliter non cognoscibile, si ex apprehensione terminorum apprehendatur, absque hoc quòd intellectus sit fide infusa informatus; talis complexio illi intellectui, nō erit certa, sed neutra; ita quòd intellectus non præbebit illi assensum vel dissensum: & supponit hoc dictum, quòd intellectus ille non sit prauè in oppositum dispositus, sed ante tantùm habeat ignorantiā puræ negationis, respectu huiusmodi cognitionis.

Secundum dictum. Si quis audiat proponi à Doctore aliquo veritates reuelatas, non poterit is assensum præbere illis veritatibus certum, & firmum, absque fide infusa. Hoc dictum habetur à Doct. in 3. dist. 23. vbi tota huius Articuli hæc secunda pars fusiùs, & clariùs explicatur.

Tertium. Proponens veritates reuelatas, dicitur illas reuelare; & talis propositio seu traditio veritatum dicitur reuelatio.

Quartum. Ista reuelatio dicitur esse supernaturalis primò, & principaliter ratione obiecti, in cuius notitiam per talem veritatem deuenit intellectus; quod obiectum non agit naturaliter in intellectum in ratione obiecti motiui, est tamen obiectum terminatiuum eius: secundariò potest dici supernaturalis, ratione proponentis veritatem illam, quatenus proponens supplet vicem obiecti; agens enim quod causat notitiā aliquarum veritatum, (quæ per obiectum, si illud cognosceretur, essent euidentes) supplet in tali causatione vicem obiecti: idq; vel perfectè vicem obiecti supplet, perfectam notitiam causando; vel imperfectè, causando imperfectam, & minus euidentem cognitionem. Exemplum. Ista veritas reuelata, Deus est vnus, & trinus, potest primò ab obiecto causari, id est, ab ipsamet Essentia Diuina in tribus personis existente, quo facto Beati de facto habent istam notitiam; secundo modo posset ab aliquo perfectè supplente vicem obiecti, eadem notitia produci, vt si Deus produceret specie intelligibilem, quę perfectè Essentiam Dei repræsentaret intellectui creato (quod esse possibile ostenditur infra) illa species secundariò, & instrumētaliter perfectè suppleret vicem obiecti, scilicet Essentiæ Diuinæ in tribus personis existētis: tertiò modo eadem

Supernaturalitas ratione obiecti.

Rationis supplens vicem obiecti.

Reuelata veritas tripliciter potest causari.

dem

dem veritas poteſt manifeſtari ab aliquo imperfectè ſupplente vicem obiecti, ſiue id accidat per inſpirationem, ſiuè per prædicationem, quo communiter modo, nos viatores, has notitias reuelatas habemus.

Reuelãs im perfecta veritatem ſupernaturalē, ſupplet vicem obiecti ſupernaturalis.

Quintum dictum. Eatenus reuelans imperfectè veritatem ſupernaturalem, dicitur ſupplere vicem obiecti ſupernaturalis; quatenus imperfecta iſta cognitio veritatis ſupernaturalis includitur in illa perfecta, quæ haberi poſſet primo modo ex concurſu obiecti: imperfectum enim reducitur ad perfectum à quo continetur, licèt ſecundùm imperfectionem non contineatur; quo etiam modo creaturæ imperfectæ continentur virtualiter in Deo; ſed vt illa continentia creaturarum, in Deo nullam ponit imperfectionem, ſed perfectionem: pari modo dico; quòd notitia, ab Eſſentia Diuina apta immediatè produci, cùm ſit perfecta notitia, & clara, iſtam noſtram imperfectam, & obſcuram virtualiter continet, quæ tamen continentia virtualis, nullam ponet imperfectionem in illa notitia perfecta continente.

Dubitatio.

Hoc dictũ explicat vnam difficultatem hic notabilem; Cùm enim dicat Doctor quòd reuelatio dicitur ſupernaturalis vel ratione obiecti, vel ratione agentis ſupplentis vicem obiecti: merito quis dubitare poteſt, quomodo prędicator reuelans hanc veritatem, Deus eſt trinus in perſonis, ſupplet rationem obiecti ſupernaturalis, cùm tam ipſe prædicans, quàm eius prædicatio, vt eſt ſermo, ſit Ens abſolutè naturale.

Reſponſio.

Reſpondet Subtilis Doct. ſe non intelligere, notitiam aliquam reuelatam nobis modo obſcuro, ideo dici ſupernaturalem ratione agentis ſupplentis vicē obiecti, quia eſt ab agente naturali; ſed quia iſta veritas in euidenter per prædicatorem propoſita, continetur in illa clara notitia, quæ eſt ſupernaturalis, ac proinde iſta etiam dicetur ſupernaturalis: diciturq; ſupernaturalis ratione reuelantis, quia ipſum reuelans principale, nempe Deus, iſtas veritates nobis proponit, quas nulla res inferior Deo, poteſt nobis manifeſtare ſe ipſa, quia nulla res alia à Deo cōtinet hanc notitiam reuelatam, Deus eſt trinus, & vnus, nō modò claram, ſed nec obſcuram: hoc enim illa verba volunt in textu, *nec veritatum talium* (id eſt ſupernaturalium) *de illo obiecto* (ſcilicet ſupernaturali) *notitiam cauſare poſſet vt ſupplens vicem obiecti alicuius inferioris naturaliter, &c.* idem etiam non multò poſt docet, ibi *ſi agens ſupernaturale cauſaret notitiam naturalem, eſſet illa notitia ſupernaturalis, non ratione obiecti, ſed ratione agentis ſupplentis vicem obiecti, illud autem agens eſt ſupernaturale.* Loquitur igitur Doct. in hoc paſſu de reuelatione facta immediatè à Deo alicui intellectui creato ineuidenter. Sed etiamſi loquamur latiùs, eius dicta extendendo ad reuelationem mediatam mediante prædicatione, adhuc iſta doctrina ipſius eſt veriſſima; ſupplet enim Deus vicem obiecti ſupernaturalis etiam in tali reuelatione dupliciter; primò, quia ipſe eſt cauſa, quòd iſta veritas huic proponatur à prædicante; ſecundò, quia ſicut obiectum clarè viſum, de veritate cognita, in intellectu vidente, exprimeret aſſenſum; ita Deus ineuidenter eandem veritatem per prædicatorem proponens, in illo cui efficaciter reuelat, aſſenſum elicit habitu ſupernaturali fidei infuſo, quo firmiter credit veritati reuelatæ, is cui reuelatur, vt dicitur vberiùs in 3. diſt. 23.

Deus ſupplet vicē obiecti ſupernaturalis tã in immediata quam in mediata reuelatione.

Supernaturalitas rōe reuelãtis id ratione obiecti differunt.

Sextum dictum aut veriùs Corrolarium conſequens dictum quartum, & quintum eſt. Quòd illa ſupernaturalitas, qua dicimus notitiam eſſe ſupernaturalem ratione reuelantis, & ſupplentis vicem obiecti, eſt diſtincta ab illa, quæ ſit ratione obiecti, vt patet in exemplo propoſito à Doct. Quia ſi Deus alicui infunderet habitum Phyſicæ, ille habitus eſſet ſupernaturalis, ſupernaturalitate non obiecti, quia obiectum Phyſicæ eſt naturale, ſed ſupernaturalitate agentis producentis illam notitiam: ergo iſte modus ſupernaturalitatis non includit illũ alium: ille autem alius, quo videlicet aliquid eſt ſupernaturale obiecti ſupernaturalitate, includit iſtum ſecundum, quia nullum ſupernaturale obiectum poteſt acquiri actione agentis ſupernaturalis, vt eſt clarum ex dictis.

In præſenti Articulo Doctoris, quoniam multis doctrina illa de diuiſione potentiæ non placet: non pauci potentiam neutram negant, & in quarto dicto ſuppoſitam illam ſpeciem intelligibilem, clarè repræſentatem Eſſentiam Dei aſpernantur, ideo maioris doctrinæ gratia has difficultates in ſequentibus dubitationibus examinabimus, quem modum, & in alijs quæſtionibus obſeruabimus.

Dubitatur primò.

Vtrum diuiſio potentiæ paſſiuæ conuenienter ſit tradita à Doctore Subtili.

Videtur quòd non Primò. Violentum dicitur, per comparationem ad agens; ſic enim definitur à Philoſopho 3. Etic. c. 3. Dicitur autem violentum, cuius principium eſt extra, nihil conferente vim paſſo: ergo malè dicitur in textu, quòd violentum dicitur per comparationem ad formam.

Secundò. Potentia paſſiua non patitur violentiam: ergo malè ei attribuitur. Antecedens. Quia potentia receptiua nunquam recipit niſi actum ſibi conuenientem, & proportionatum, cùm actus receptus in potentia ſit perfectio potentiæ illius, in qua recipitur, reſpectu autem conuenientis ſibi, & reſpectu perfectionis ſuæ, res non patitur violentiam.

Tertiò. Malè vtitur Doctor in præſenti textu, iſto termino, ſupernaturale, dum omnem actionem Dei ad extra, ſupernaturalem vocat, quia Deus eſt agens naturale non liberum; alia enim eſt diſtinctio naturalis contra ſupernaturale; & alia, naturalis contra liberum; vnde niſi vocabulis abuti velimus ad placitum cuiuſq; ſupernaturale eſt, quod ſupra facultatem ordinis creati debiti in eis eſt.

Quarto. Ratio à Doctore inducta vel eſt falſa, vel petit principium: quando enim dicit, quòd potentia naturaliter perficitur per ſuum actum, & ſimiliter naturaliter appetit ſuam perfectionem; aut ly ſuum, ſignificat ſuũ per informationem, actu vel potentia; aut ſuum per naturalem proportionem, ſeu inclinationem: ſi primo modo, falſa eſt maior; graue enim exiſtens ſurſum, non naturaliter, ſed violentè perficitur per eſſe ſurſum; & tamen eſſe ſurſum eſt actus, & perfectio eius per informationem: ſi verò ſecundo modo accipiatur, eſt petitio principij in minori, hoc enim eſt probandum, ſcilicet, quòd potentia naturalis habeat actum ſupernaturalem, vt ſuum, hoc modo.

Quinto. Omni potentiæ naturali paſſiuæ, reſpondet aliqua naturalis actiua, ſecundum Philoſophum 5. Met. text. 17. & 9. Met. tex. 3. & 32. ſed nulla datur potentia naturalis actiua, quæ producat qualitates ſupernaturales: ergo nulla datur potentia naturalis paſſiua ad tales qualitates ſupernaturales. Ita arguunt Th. Anglicus hic, Caietanus in opuſculis tom. 3. Tract. 3. Fonſeca 1. Met. ca. 1. quæſt. 1. ſect. 2.

In oppoſitum eſt Doctor Subt. hic, & in 4. diſt. 43. q. 4. qu. 4. Alexand. de Ales 1. Met. & in 4. par. Summæ q 8. mem. 8. art. 3. §. 1. Ant. Andr. hic.

Concluſio. Conueniens & bona eſt diuiſio ſupradicta potentiæ paſſiuæ. Pro cuius pleniori intellectu, præmitto duo notabilia, & tria dicta.

Denominatio fit per ſe neceſſariò, vel per accidés et contingenter.

Nota igitur Primò. Quòd diuiſio potentiæ paſſiuæ, per comparationem ad formam & ad agens, data ſuperiùs à Doct. vel eſt diuiſio potentiæ ſecundùm denominationem, quæ primò per ſe, & formaliter apta eſt tali potentiæ conuenire; vel quæ per accidens & quaſi extrinſecè ipſi conuenit: Doctor igitur intelligendus eſt in textu, primo modo, non ſecundo, vt explicat ſeipſum in 4 diſt. 33. q. 4. Dicitur autem potentia paſſiua denominari violenta per ſe primò & formaliter, quando denominatur ab aliqua ratione, quæ ipſam potentiam primò & neceſſariò apta eſt denominare: per accidens autem denominabitur violenta, quando denominabitur talis ab aliquo, ſecundariò & contingenter; ſic quòd ſine talis extrinſeci denominatione, adhuc denominaretur violenta per rationem illam priorem, à qua denominatur talis & per ſe; ſic aqua, ſecluſo quocunq; agente, quando eſt in eſſe quieto ſub calore, per ſe denominabitur eſſe in potentia violenta ad calorem, per accidens autem ad agens inducens calorem, hoc enim ſecluſo, ſiue in re, ſiue per intellectum, adhuc aqua eſt in potentiâ violenta ad calorem in ipſa exiſtētē.

Non

Potentia receptiua accidentium est triplex.

Nota secundò. Potentiam receptiuam accidentium posse poni triplicem: vna est, ipsa materia, cui quædam accidentia materialia immediatè inesse apta sunt, vt quantitas, & non paucæ qualitates materiales: alia potest esse ipsa forma rationalis, sic intellectio & volitio recipiuntur in anima, siue mediatè, siue immediatè, non curo modò. Tertia est totum compositum, vt dicit Doct. 1. Met. q. 6. sic actus sentiendi sunt in toto composito subiectiuè, sicut & ipsæ potentiæ sensitiuæ, iuxta illud Phil. de somno, & vigil. c. 1. cuius est potentia, eius est & actus, nempe subiectiuè: vnde quamuis remota facultas sentiendi sit identificata realiter animæ, secundùm Doct. in 2. dist. 16. proxima tamen potentia, cùm includat organum, & illud sit subiectiuè in corpore, sequitur quòd totalis potentia sensitiua sit subiectiuè in toto composito. Quamuis igitur principale Doct. intentum sit hic agere de potentia receptiua secundo modo sumpta, vt constat ex intentione quæstionis, nihilominus extendi illa potest ad potétiam receptiuam primo modo, vt 9. Met. q. 12. extenditur apud Doct. & ad totum compositum, quomodo sumitur à Doct. in 4. dist. 43. quæst. 4.

Potentia violente primo est formaliter denominatur talis ab actu nõ ab agente.

Dico igitur Primò. Violenta potentia non denominatur talis ab agente, primò, & formaliter, quòd quasi inferat violentiam. Probatur primò. Quia ratio formalis, & intrinseca violentiæ consistit in disconuenientia potentiæ receptiuæ respectu formæ, vt patet ex Notab. 1. ergo quæcunq; habitudo ad aliud extrinsecum, est potentiæ violétæ per accidens, & extrinseca; ergo & ad agens, cùm sit extrinsecum. Secundò. Illud debet poni causa per se, & ratio alicuius, siue in esse siue in denominari, ad quod positum (circumscripto quocunq; alio vel variato) necesse est sequi effectum, vel denominatum tali denominatione; sed secluso quocunq; agente per considerationem intellectus, vel realiter, (quamuis enim forma, contra quam receptiuũ inclinatur non possit intelligi in fieri absq; agente, cùm nõ inducatur in potentiam nisi per agens violentans passum; tamen potest intelligi permanere, imò, & esse realiter absq; agente post inductionem) manet violentia ex habitudine disconuenientiæ passi ad formam, vt euidens est in graui manente sursum, vel in calore conseruato inesse permanéti in aqua: ergo, &c. Concedo igitur, quòd denominatione per se, formali, & intrinseca, dicitur potentia passiua violenta, ex disconuenientia propria ad formam: denominatione autem extrinseca, & per accidens, potest denominari ab agente; vt expressè in 4. loco citato cócedit Subt. Doct. Similis conclusio de potentia naturali, vt naturale opponitur violento, & de potentia neutra, quòd illæ per habitudinem ad formam dicantur per se, & formaliter tales; poni debet.

Potentia supernaturalis primò é per se talis denominatur ab agente supnaturali.

Dico Secundò. Potentia passiua non dicitur supernaturalis vel obedientialis per se primò, & formaliter, per comparationem ad formam supernaturalem, sed ad agés. Probatur primò. Quia supernaturaliter aliquid alicui conuenit, formaliter loquendo, quod non naturalis agentis virtute sed supernaturalis fit: ergo omnis alia denominatio supernaturalis, est merè per accidens, & nõ necessaria. Antec. patet. Quia si Deus habitum Metaphysicę aut Physicæ alicui infunderet, tunc ille intellectus supernaturaliter diceretur recipere talem habitum vel formam, & tamen ille habitus, quátùm est ex se, esset naturalis, & naturaliter haberi possibilis; ergo denominatio supernaturalitatis in potentia receptiua esset formaliter ab agente, & non à forma. Secundò. Quia potentia supernaturnaturalis, dicitur etiam obedientialis apud Doct. Subt. 9. Met. q. 12. & communiter concedunt Thomistę; sed potentia obedientialis est primò, & formaliter talis, quia est in obedientia perfecta ad agens, vt ab ipso has vel illas formas, tali vel tali modo recipiat; ergo & potétia supernaturalis, erit primò & formaliter talis per habitudinem ad agens supernaturale. Confirmatur. Quia omnis forma, à Deo impressibilis cuicunq; passo, vel est secundùm inclinationem passi, vel contra inclinationem, vel neutraliter se habet passum ad illam, quartum cogitari non potest: ergo obedientialis potentia in passo non dicitur per comparationem ad formam. Consequentia. Quia obedientialis potentia distinctam dicit rationem, à potentia naturali, violenta, & neutra, vt dictum est. Simili modo sit dictum de potentia passiua naturali, vt naturale opponitur supernaturali.

Naturale accipitur tripliciter.

Vtriusq; dicti veritas elucescit, ex illa doctrina Subtilis Doct. in 4. dist. 43. vbi dicitur, quòd naturale accipi potest tripliciter. Vno modo, vt opponitur libero. Secundò, vt opponitur supernaturali. Tertiò, vt opponitur violento. Naturalitas enim aliquando pertinet ad principiũ actiuũ, & tunc agens naturale aliquádo opponitur libero, vt agés liberum sit, quod non necessariò agit, sed liberè: naturale autem, quod necessariò agit, vt vult Arist. 9. Met. c. 2. & 4. Aliquando opponitur naturale supernaturali agenti, vt illud sit agens supernaturale, quod est increatum super omnem naturam finitam; naturale verò, omne aliud agens ab ipso. Nonnunquam autem naturalitas pertinet ad principium passiuum; & tunc aliqua potentia dicitur naturaliter moueri, seu inclinari ad aliquid naturaliter, quando habet talis potentia propriam inclinationem, ad talem perfectionem, ipsi potentiæ ex natura eius debitá, sic aqua recipit frigiditatem naturaliter. Secundò opponitur naturale passiuum violento, violentum autem oppositum naturali est, quod mouetur ad perfectionem tali potentiæ non modò non debitam, sed repugnantem: sic aqua non mouetur naturaliter ad calorem, qui est indebitus eius naturæ, ob frigiditatem aquæ connaturalem. Tertiò itidem sumitur naturale passiuum, vt contra distinctum aliquomodo ad potentiam neutram, quæ est potentia indifferens ad recipiendum illam formam vel alteram ipsi oppositam aut repugnantem, sicut superficies est indifferens ad hunc vel illum colorem.

Potétię passinæ recte traditur diuisio à Doct. Subt.

Dico Tertiò. Rectè diuiditur potentia passiua, per comparationem ad agens, in naturalem, & supernaturalem: per comparationem verò ad formam, in naturalem, violentam, & neutram. Prima pars probatur. Passiuum comparatum ad actiuum, vel habet actiuum naturale (vt naturale opponitur supernaturali) vel non naturale. Si primum, potentia passiua per comparationem ad tale agens, denominabitur naturalis. Si secundũ, supernaturalis: medium fingi inter ista non potest: ergo sufficienter sic diuiditur. Secunda pars. Potétia receptiua comparata ad actum, vel habet inclinationem naturalem ad illum, vel non habet: si habet, denominabitur naturalis, vt naturale opponitur violento: Si non habet, hoc potest contingere dupliciter; vel enim habet renitentiam ad talem formam, ob connaturalitatem formæ sibi oppositæ; vel non habet quidem inclinationem, nec tamen vllam dicit renitétiam, quia nulla est determinatio in illa potentia ad oppositum. Si primum, dicitur potentia violenta: Si secundum, dicitur potentia neutra: (quanquam alij aliter potentiam neutram explicát, de quo Dubit. sequ.) Patet igitur quomodo hæc diuidentia æquentur diuiso, & illud exhauriant, nec se inuicem includant, & consequenter est bona diuisio.

Ad Argumenta in principio Dubitationis proposita.

Violenti definitio.

Ad Primum. Respondet Doct. in 4. loco citato, concedendo, quòd in definitione violenti ponitur agens, non tanquam id, quo formaliter & per se primò dicitur potentia violenta; sed tanquam extrinsecum quid, & per accidens. Vnde in definit. violenti, ex 3. Ethic. adducta verba illa, passo vim non conferente, constituunt rationem formalem violenti: illa autem verba, cuius principium est extra, sunt addita, vt extrinsecum quid.

Ad Secundum, nego antecedens. Probatio etiam est falsa: quia potentia receptiua in aqua, est respectu caloris destruentis naturam aquæ. In multis tamen antecedens illud est verum cum sua confirmatione, loquendo de potétia passiua naturali, determinata ad certam formam: quod interim non est ad propositum.

Caiet. malè Scotum intelligit.

Ad Tertium, quod est Caietani. Dico. Nõ Doctor Subt. malè terminis vtitur, sed à Caiet. malè intelligitur doctrina huius Doct. cùm ab ipso expressè in 4. dist. 43. q. 4. accipiatur, ly naturale, non tantùm dupliciter, vt dicit Caiet. sed etiam tripliciter, vt paulò ante retuli. Nec vllum inconueniens est, quòd Deus auctor naturę, ab ordine agentium naturalium semotus, agés supernaturale nominetur,

maximè

maximè in illis effectibus quos agentia creata cum generali concursu Dei non possunt causare. Argumentatio igitur hæc Caiet. simpliciter nulla est, contra Doct. quia nihil refutat ab illo positum, & imponit aliquid ab illo non dictum.

Non omnis informatio est secundũ inclinationẽ naturæ.

Ad Quartum, verba illa Doct. sumi debent, comparãdo intellectum possibilem ad notitiam actualem in se, & sic nulla est sibi cognitio supernaturalis, quia intellectus quacunq; cognitione naturaliter perficitur, & ad quamcunq; naturaliter inclinatur. Patet igitur quòd Doct. Subt. loquatur tam de informatione quàm de inclinatione. Nec prima impugnatio Caiet. aliquid valet, quia in se est falsa; & exemplum non est ad propositum; graue enim existens sursum per esse sursum, non perficitur per informationem, cùm ista informatio grauis per tale esse, sit contra naturam grauis, & consequenter nullo modo eius perfectio: Secunda impugnatio non est Dialectica, quia quando probatur aliquid de aliquo per descriptionẽ eius, nõ est petitio principij: ita est in proposito apud Doct. qui volens ostendere, quòd omnis cognitio nostri intellectus, vt receptiuus est, & naturalis; probat hoc per descriptionem ly naturalis, sic, Illud est naturale receptiuum, respectu alicuius receptibilis, quod habet naturalem inclinationem ad receptibile; sed intellectus ad omnem cognitionem naturaliter inclinatur, ergo, &c. Minor non probatur, quia manifestum est quòd non inclinatur violentè, cùm non habeat contrariam formam determinantem ad oppositum. Dices: supernaturaliter. Respondet Doctor, & dictum est supra. Supernaturalitas conuenit potentiæ, per comparationem illius ad agens, non ad formam; ergo instantia non valet.

Potẽtiæ naturali passiuæ, correspõdet actiua quomodo.

Ad Quintũ quod est Fõsecę. Si in maiori sumatur ly naturalis actiua, vt distinguitur contra naturalem passiuam, vt videtur sumere, quia sic minor argumenti subsumitur, tunc propositio simpliciter falsa, & manifesta est instantia infra apud Doct. de potentia passiua respectu animæ rationalis, ad cuius inductionem nulla datur naturalis actiua, sic sumendo naturale, licèt detur naturalis passiua; si autem sumatur vt debet sumi ly naturalis, pro eo quod est in rerum natura, seu in vniuerso, sic concedo, quòd omni potentiæ passiuæ correspondet aliqua naturalis in rerum natura actiua, qualis est etiã ipsa potentia actiua Dei: & si sic intelligatur Philos. nihil est ad propositum.

Dubitatur Secundò.

Vtrum detur potentia neutra.

Videtur quòd non. Primò. Omnis potentia naturalis respicit per se primò & naturaliter aliquem actum, quia 9. Met. t. 15. 16. 17. p otentia definitur per actum. Hoc supposito sic arguitur, Omnis potentia receptiua alicuius actus, aut respicit illum per se primò, aut per se secundò, aut contrarium his; sed tam actum per se primò respectum, quàm per se secundò respectum, respicit naturaliter, & contrarium eius respicit violenter; ergo omnis potentia receptiua alicuius actus aut est naturalis, aut violenta. Minor est per se nota, Maior probatur; Si daretur quartum genus receptibilium in aliqua potentia, illud esset actus disparatus ab eo, quem per se primò recipit illa potentia; sed hoc esse non potest: patet inductione, colorabile enim nullam habet potentiam ad sonos, neq; calefactibile ad colores, & sic de alijs.

Secundò. Potentia passiua in communi, per se dicit habitudinem ad agens in communi, ergo & per se dicit habitudinem ad actum in communi. Antecedens. Quia potentia passiua secundùm Phil. 5. Met. est principium transmutandi ab alio, in quantùm alio; ergo definitio potentiæ passiuæ datur per agens transmutans ipsam: Consequentia. Quia nõ ob aliam causam dicit ordinem passum ad agens, nisi quia ab ipso recipit actum: ergo sicut ad agẽs est ex natura sua ordinata, vt indicat definitio, ita & ad formã erit ordinata, quæ ab agente imprimitur; ergo frustra ponitur potentia neutra, & falsò dicitur supra, quòd potentia passiua non dicitur supernaturalis per ordinẽ ad agens, cùm per istum respectum definiatur.

Sententiam negatiuam tenet Caiet. in opusc. tom. 3. tract. 3. Ferrar. 3. contra gentes cap. 102. Affirmatiuam verò cum Doct. Subt. hic omnes Scotistæ. Bassolius q. 2. artic. 1. præterea Durand. in 3. dist. 23. q. 3. Suarez in Metaph. disp. 43. sect. 4. num. 13. Quidnam verò sit ista potentia neutra de mente Subt. Doct. duas ipsius Sectatorum sententias inuenio.

Potẽtia naturalis violẽta & neutra in eadẽ materia potest assignari.

Prima sententia est. Quòd eadem potentia passiua diuersimodè accepta possit esse naturalis, violenta, & neutra; Exempli causa. Materia secundùm se absolutè sumpta, & non determinata ad aliquam formam, est potentia naturalis, naturalem habens inclinationem ad formam quamcunq; in communi: eadem secũdùm se sumpta, & ad plures formas simul comparata, siue oppositas, vt ad grauitatem & leuitatem; siue disparatas, vt substantialem vel accidentalem; siue eiusdem rationis, distinctas tamen numero, habet indifferentiam, quia non magis hanc est apta recipere quàm illam, & secundùm hanc comparationem dicitur materia esse in potentia neutra, seu in potentia indifferenti ad formas: tertiò sumitur materia informata aliqua forma, puta lapidis, quæ determinat sibi grauitatem, tunc materia stans sub determinatione illius formæ, est in potentia violenta ad recipiendam formam oppositam, puta leuitatem: idem dici potest de potentia intellectiua, & volitiua, respectu actuum suorum, ad quos in communi dicunt inclinationem naturalem, ad hunc verò vel illũ actum habent indifferentiam & indeterminationem, secũdùm se sumendo potentias; idem est iudicium de alijs potentijs passiuis. Istum modum sequitur Bassol. supra, Ant. And. & Lychetus in præsenti. Fauet huic sententiæ Doct. Subt. in 2. dist. 18. & 9. Met. q. 12. Vbi postquam determinasset in principio quæstionis, quòd in materia secundùm se considerata, nulla est potentia nisi naturalis, quia naturalem habet inclinationem ex se ad quamcunq; formam, cuius potest esse pars (scilicet respectu compositi) & qua potest perfici; subiungitur non post multa, *quodsi ponatur aliqua forma alicuius subiecti perfectiua, quòd ad ipsam neutro modo se habeat, scilicet quòd nec inclinetur ad ipsam* (puta determinatè) *nec ad eius oppositum; tunc potest respectu talis* (suppie formæ) *potentia nuda dici obedientialis, licet non propriè obedientialis*, paucisq; interiectis addit, *materia diuiditur in naturalem, violentam, & fortè nudam & neutram, sed non propriè in obedientialem*. Eiusdem triplicis materiæ, eadem quæstione circa finem meminit bis, in priori loco addendo terminum *fortè neutram*, in altero autem, *vel neutra si qua est*: additur autem ly *fortè*, & ly *siqua est* in prædictis authoritatibus, non dubitando quòd materia sit in potentia neutra ad plura inferiora, si supponatur ista potentia; sed quia dubia fuit suppositio, an scilicet detur potentia neutra, ac proinde sub dubio dicitur de materia, quòd fortè est in potentia neutra ad plura simul comparata, quæ est in potentia naturali comparata vel in communi ad formam, vel ad quamlibet singillatim.

Potẽtia neutra dicit capacitatẽ, & duplicẽ negationẽ, secũdùm aliquos.

Secunda sententia est aliorum, qui dicunt. Potentiam neutram, non esse potentiam, quæ respicit plura indeterminatè, quorum plurium commune respicit naturaliter, vt præcedens dicebat sententia; sed dicere pro formali ratione vnum positiuum, scilicet capacitatem subiecti respectu formæ, connotando duas negationes, hoc est, negationem inclinationis naturalis, & negationem violentiæ ad formam; Huius opinionis est Ioan. Rada. lib. 1. controu. controu. 1. artic. 1. Prima pars huius sententiæ probatur. Tum quia sequeretur materiam esse in potentia neutra ad formas, quod nullus Philosophus concesserit; tum quia si aliquod receptiuum naturaliter respicit aliquod commune, naturaliter respiciet & omne contentum sub eo, vt patet ex Doct. Subt. hic, vbi concedens naturalem inclinationem intellectui inesse ad Ens in communi, concludit ex hoc, quòd etiam naturalem inclinationem habet ad visionem claram Dei: Et infra dist. 1. quæst. 1. contra Auic. arguendo dicit, quòd potentia habens pro obiecto aliquid commune, non quietatur nisi in aliquo perfectissimo, contento sub illo communi; in quo perfectissimè quietatur: At si non reci-

 peret

peret naturaliter, non quietaretur in illo naturaliter; igitur,&c. Clariùs idem habetur ibidem,in solut. ad vlt.arg. vbi dicit Doctor,*materia prima ad nullam formam determinatè inclinatur,& ideo sub quacunq; quiescit,non violenter sed naturaliter quiescit, propter indeterminatam inclinationem ad quamcunq;* Si igitur naturaliter quiescit sub hac forma vel illa,naturaliter inclinatur,& naturalem habet potentiam ad hanc formam vel illam. Secunda pars ostenditur Primò. In Angelo est potentia passiua ad esse in loco, & illa non est naturalis,nec violenta;Ergo neutra. Consequentia est euidens, ex sufficienti diuisione: Minor, quòd non violenta, est extra controuersiam; quòd autem non naturalis,probatur. Si potẽtia Angeli ad esse in loco esset naturalis, cùm sit limitata naturaliter, esset in determinato loco,ac per consequens,in loco opposito esset violenter,sicut in alijs entibus naturalibus accidit. Præterea. Si Angelus naturaliter esset in loco, aliquod corpus haberet naturalem aptitudinem ad ipsum conseruandum, quia naturalis inclinatio ad locum non est, nisi vt res meliùs sub eo conseruetur; ergo si Angelus habet naturalem inclinationem ad locum, necesse est, quòd in loco continente, qui est in corpore, sit aptitudo ad ipsum conseruandum, quod est omnino falsum. Nec valet illa responsio. Angelum naturaliter quidem inclinari ad locum,sed indeterminatè, & ideo naturaliter esse sub quocunq; loco, sicut materia prima naturaliter quiescit sub quacunq; forma,quia indeterminatè tendit in quamcunq;:non valet inquam, quia locus debet esse similibus qualitatibus præditus, quibus ornatum est locatum,quod non potest verificari in loco Angeli. Nec exemplum valet:quia materia prima, ex sua natura, nullam qualitatem sibi determinat, quas formæ secum adducunt, locus autem vendicat sibi qualitates proportionatas locato. Secundò probatur hæc sententia. In Cęlo est potentia neutra ad motum; Ergo in Entibus datur potentia neutra. Anteced. Non enim est violenta, vt de se patet; non naturalis, secundùm Auic. 9. Met.c.2. vbi ait, quòd motus cęli non est naturalis, quia tunc terminaretur ad quietem naturalem, & motus ab illa quiete esset naturalis; Igitur est potentia neutra, à sufficienti partium ennumeratione. Tertiò. Potentia superficiei ad albedinem vel nigredinem,est neutra, quia nullam inclinationem naturalem,nec resistentiam habet ad aliquam formam coloris; Ergo in Entibus naturalibus datur potentia neutra.

Probatur Primò sententia superior.

Probatur Secundò.

Tertiò probatur.

Vt quod ipse sentio,aperiam. Sit Prima Conclusio. Probabilis est secunda sententia, quam paulò aliter declaro. Potentia distinguitur ab aptitudine,vt dicitur à Doct. in 1. d. 18. Et in Logica, tract.de vniuers. q.18. est enim in cęco nato,aptitudo ad videndum,& non potentia;est etiam in graui potentia ad esse sursum, & non aptitudo. Vbicunq; igitur potentia erit cum aptitudine ad aliquam formam, sicut est in intellectu ad intellectionem, in materia ad formam,est talis potentia naturalis: vbi autem est sine aptitudine, non habens ad contrarium inclinationem, vt in Angelo,sine aptitudine intrinseca,est potentia ad esse sursum, vel deorsum,in Cęlo ad moueri versùs hanc partem vel illam,& talis potentia passiua cùm sit sine aptitudine, & naturali inclinatione, non erit naturalis, nec etiam erit violenta;quia non est contra inclinationem;Ergo est media, seu neutra.

Potentia distinguitur ab aptitudine.

Secunda Conclusio. Videtur quòd prior sententia, sit longè verior, & probabilior: aliter tamen ipsam declaro. Potentia receptiua illa dicitur violenta, quæ est ad aliquid recipiendum,contra inclinationem,& determinationẽ suæ formæ, sic lapis violenter recipit esse sursum; quia ad modum oppositum essendi,scilicet ad deorsum,forma lapidis inclinat lapidem. Potentia naturalis, opposita violentæ, dicitur planè opposito modo violentæ; sic quòd illa est naturalis potentia passiua(vt distinguitur à neutra,& violenta) quæ inclinatur ad aliquid recipiendum, secundùm determinationem formæ suæ, ita lapis habet potentiam receptiuam naturalem,respectu vbi deorsum, quia ad talem operationem determinatur à propria forma. Potentia porrò neutra erit illa, quando potentia receptiua nec determinatur ad hoc, per aliquid ipsam determinans,nec repugnat ipsius naturæ determinari, & sic materia prima, secundùm se sumpta,absq; forma, semper & vniuersaliter est in potentia neutra ad formas,sicut & superficies ad colores, vel intellectus ad intellectiones. Ista explicatio est ex natura rei & terminorum petita.

Potẽtia neutra quid sit secũdùm veritatem.

Ad authoritates verò quæ contra hunc explicandi modum adferri possunt, tùm ex Doct. Subt. locis cit.tum ex Arist. 1.Phys.& aliàs, in quibus dicitur, Quòd materia habeat naturalem appetitum,seu potentiã susceptiuam naturalem respectu formarum, facilè responderi potest ex hoc Notab. Quòd ly naturale,(vt conuenit principio passiuo) dupliciter accipitur; vno modo positiuè, alio modo negatiuè: tunc potentia receptiua est positiuè naturalis, quando habet rationem aliquam realem positiuam,ratione cuius,ita illi cõuenit inclinatio ad hoc,q̃ non ad aliud,vel saltem non ad oppositum;& sic naturalis potentia opponitur violentæ:tunc verò potentia receptiua est negatiuè naturalis, quando non habet aliquam rationem aliam realem,ab ipsa subiecti capacitate, nec vllã habet determinationẽ, vt recipiat hoc,& non aliud: & talis potẽtia naturalis,est potẽtia neutra,seu nuda,vt loquitur Subt.Doct.9.Met.q.12. & de qua in præsenti est sermo.Et in isto secundo sensu,intelligendæ sunt omnes authoritates Philosophi, vel Doct. Subt.in 2. sententia citatæ, & consimiles, quæ materiæ secundùm se sumptæ,appetitum naturalem attribuunt.

Naturalis potentia positiuè vel negatiuè dicitur.

Hoc idẽ rationes ostẽdunt, pro potẽtia neutra in 2.parte 2. sñiæ propositæ.Quando.n.inprimis dicitur, Quòd nõ sit naturalis potentia Angeli ad esse in loco,propterea,q̃ cũ sit limitata,naturaliter esset in loco determinato,ac p consequens,in loco opposito esset violẽter: in ista probatione, illa verba,Naturaliter esset in loco determinato,ly naturaliter,vel accipitur positiuè;& verum est, quòd in opposito esset violenter;sed non est sic Angelus in loco:vel accipitur negatiuè;& sic nõ sequitur, quòd in altero debeat esse violenter,vt patet de materia prima,secũdùm se sumpta, quæ si esset sursum naturaliter negatiuè,non esset violẽter deorsum,quia violentum opponitur naturali,positiuè sumpto: & sic exponi debet Doct. Subt. Deinde si hoc argumentũ alicui videtur valere de Angelo, facio similẽ discursum de materia prima, respectu formæ,ad quam si inclinatur naturaliter,ad oppositã erit in potentia violenta,& pari passu curret argumentum: si igitur de Angelo verificatur, & de materia verificabitur,vel si de materia non valet,vt certum est nõ valere,neq; de Angelo valebit, vt patet consideranti Ad confirmationem responsio ibi data,est optima. Ad impugnationem dico,ista propositio, Locus naturalis,debet habere similes qualitates, qualitatibus locati,vt meliùs conseruet locatũ; veritatem habet de locato naturali positiuè, non autem de locato naturali negatiuè:item,quando locus& locatũ sunt eiusdẽ generis Physici, siue Entia Physica,cõposita ex materia & forma, non autem quando locatum est vel spirituale,vel simplex,indeterminatũ per aliquid positiuũ ad tales qualitates, & talẽ locum; sicut materia secundùm se sumpta est indeterminata. Et quod dicitur ad instãtiam de materia,quòd materia ex natura sua, nullam qualitatem sibi determinat; ita dicitur de Angelo, quòd is nullum Vbi sibi determinat; cùm possit esse in hoc vel in illo Vbi,sicut materia sub hac vel sub illa forma: vnde sicut in Angelo est potentia neutra ad Vbi,ita & in materia erit potentia neutra ad formas. Secunda probatio de motu Cęli,probat,quòd Cęlum neq; à materia,neq; à forma, neq; ab entitate compositi,determinetur ad motũ cęli,sed ex se est indifferens, vt dicit Doct. in 2.sent. sed hæc indifferentia non impedit, quominus dicatur naturalis negatiuè,prout idem est,quòd non contra naturam illius, cũ ad oppositum non sit cęlum determinatum. Simili modo dic de superficie.Et sanè,si naturaliter(secundùm Radam) materia tendit in omnem formam,tam substantialem,quã accidentalem, in Cęlo erit naturalis potentia ad motum, quia(secundùm Doct.in 2.d.14.)materia Cęli est eiusdẽ rationis cum materia sublunariũ rerũ; Igitur ad Vbi,& ad motũ,habebit naturalẽ inclinationem, cùm Vbi & motus sunt formæ accidẽtales,atq; ita naturaliter Cęlum inclinabitur ad Vbi,& ad motum circularem,contra ipsius intentum. Nec video sanè,cur subiectum non habeat aptitudinem,& inclinationẽ subijcibilitatis,ad formas illi inexistẽtes;

Angelus naturaliter est in loco,quo modo intelligatur.

Locus naturalis habet similes qualitates loca to.

Locus conferuat locatum,quale?

tes; & conſequenter, ſuperficies reſpectu colorum, Angelus reſpectu vbi, Cęlum reſpectu motus, aptitudinem naturalem habebunt, ſed non naturalem poſitiuè, ſed negatiuè, iuxta dicta ſuperiùs.

Quomodo intellectus eſt in potentia naturali, vel neutra, ad intellectionem.

Dices. Doct. Subt. infra diſt. 3. q. 8. ad argumenta Primæ opinionis, cùm dicit, *format anima in ſe imaginem id eſt ſenſationem, & de ſe, hoc eſt ipſa, eſt in potentia naturali ad ſenſationem, & non in potentia neutra, ſicut ſuperficies ad albedinem eſt in potentia neutra, & non naturali*, apertè velle videtur, quòd potentia neutra ſit alia ab inclinatione naturali, etiã illa, quæ non eſt per aliquid diſtinctum; ſicut enim intellectus ad intellectionem eſt in potentia naturali, & non neutra, ita & materia ad formam. Reſpondeo. Senſationis actus vel intellectionis, cùm fiat à potentia & ab obiecto, per ſpeciem, ſpecies illa ſenſibilis in ſenſu, vel intelligibilis in intellectu, determinat poſitiuè ſenſum vel intellectum, vt ſit potentia poſitiuè naturalis reſpectu talis actus; ſed nõ poſita ſpecie vtrobiq;, verè tam potentia ſenſitiua, quàm intellectiua, eſt in potentia neutra, tum ad ſpecies recipiendas, tum ad actus; ſicut poſita in materia aliqua forma, puta, forma aquæ, illa materia ſic determinata, eſt in potentia naturali (diſtincta à neutra) ad frigiditatem: ſed ſecundùm ſe accipiendo materiam, abſq; determinatione ad aliquã formam, illa indifferens eſt ad frigiditatem & caliditatem, & ſic eſt in potentia neutra.

Ad argumenta in principio Dubit. adducta. Ad Primum, negatur maior eiuſq; probatio, ob inſufficientem diuiſionem; potentia enim paſſiua habens inclinationem, per ſe primò, vel per ſe ſecundò recipit actum, ſed potentia neutra, nec per ſe primò, nec per ſe ſecundò, ſed indifferenter, & quaſi per accidens reſpicit actum.

Ad Secundum patet reſponſio ex dicto 1. ſentẽtiæ: quòd cum aptitudine naturali potentiæ ad aliquid in communi, ſtet illius indifferentia & neutralitas ad inferiora. Vel ſecundò dici poteſt, & melius; quòd potentia paſſiua naturalis poſitiuè, per ſe dicit habitudinem ad actum, potentia verò naturalis negatiuè, non niſi negatiuè, & modo indeterminato dicit aliqualem habitudinem ad aliud. Ad illud quod dicitur. Potentiam paſſiuam per ordinem ad agens definiri. Reſpondeo ex Doct. 9. Met. q. 4. & 1. report. d. 30. Potentiam paſſiuam ob diuerſitatem terminorum, ſcilicet agentis & formæ, poſſe diuerſimodè definiri; vnde in 5. Met. tex. 17. definitur per agens, dum dicitur, eſt principium tranſmutandi ab altero, in quantùm altero; 9. autem Met. tex. 15. & deinceps, videtur definiri per actum; quædam igitur denominationes, per ſe & formaliter conueniunt potentiæ paſſiuæ, per ordinem ipſius ad actum, vt quòd ſit potentia naturalis (diſtinguendo naturale contra violentum) violenta, vel neutra: quædam per ordinem ad agens, vt quòd ſit naturalis (contra ſupernaturale diſtinguendo) vel ſupernaturalis, iuxta dicta. Quando igitur definitur potentia per ordinem ad agens, tunc per accidens ipſi potentiæ coniungitur actus: Similiter quando per habitudinem ad actum deſcribitur potentia paſſiua, per accidens illi adiungitur ordo ad agens. Non dico, quòd accidentaliter omnis potentia paſſiua reſpiciat actum vel agens; ſed quòd tale relatiuum in communi, quod ex natura ſua terminari aptum eſt ad diſtinctos terminos, ſufficienter definitur in communi, quando definitur per habitudinem ad vnum terminum, non definiendo per alterũ: quodſi alius terminus adiungatur, (vt ſuperiùs in definit. violentæ potentiæ euenire notauimus,) non propter definitionis complementum adiungetur, ſed per accidens. Vnde falſa eſt doctrina Ferrar. 3. cont. gent. c. 102. dicentis, definitionem potentiæ paſſiuæ completam, conſtare debere ſimul ex habitudine ad actum & ad agens, tanquam ex duobus per ſe complentibus vnã definitionem potẽtiæ.

Potẽtia paſſiua poteſt definiri dupliciter.

Dubitatur Tertiò.

Vtrum potentia intellectiua receptiua habituum vel actuum ſupernaturalium, ſit potentia naturalis.

Videtur quòd non. Primò. Actus ſupernaturalis dupliciter inuenitur: ſecundùm ſe, vt gratia; & ſecundùm talem modum eſſendi, vt viſus cæco datus: viſus enim ſecundùm ſe, eſt naturalis actus hominis, ſed quòd cęco detur in inſtanti, ſupernaturale eſt; gratiæ vero habitus, ſimiliter & actus gratuitus, ſeu meritorius, ita eſt ſupernaturalis, vt implicet contradictionem eſſe connaturalem, etiam ſecundùm Doct. noſtrum, in 2. diſt. 23. & in l. d. 17. ſi ergo in natura nulla eſt potẽtia naturalis, ad actum ſupernaturalem, ratione modi, vt ſic; à fortiori, nulla eſt naturalis potentia ad actus ſimpliciter ſupernaturales; ſed nullam eſſe potentiam in natura ad illos actus patet, ex frequenti vſu & modo loquendi, quo naturalem potentiam ad miracula negamus: Ergo nulla erit potentia naturalis ad actum vel habitum ſecundùm ſe ſupernaturalem. Ex hoc argumento ſequitur. Quòd ſupernaturalitas non ſolùm inuenitur comparando potentiam ad agens, propter ſupernaturalem acquiſitionem actus; ſed etiam comparando potentiam ad actum, propter ſupernaturalitatem actus in ſe.

Secundò. Omni potentiæ paſſiuæ naturali, reſpondet aliqua potentia actiua proxima: Ergo reſpondet potentia actiua naturalis: falſum autem eſt dari agens actiuum naturale, reſpectu talium actuum: Ergo, &c. Antec. eſt Ariſtot. 3. de anima tex. 17. Vbi probat dari intellectum agentem; fundatur enim diſcurſus illius ſuper hoc. Quòd in omni natura vbi eſt patiens, oportet ponere agens, & certum eſt, quòd de proximo, & non de ſupremo agente Deo loquitur; alioquin diſtributiuum non feciſſet, dicens, in omni natura, &c. Et per hoc excluditur reſponſio, dicentis, ſufficere quòd detur primum agens.

Tertiò. Cognita re aliqua quidditatiuè, poſſunt cognoſci omnes potentiæ eius; & cùm cognitio potentię dependeat ex actu, vt dicitur 9. Met. conſequens eſt, quòd actus ſupernaturales, vel habitus, vt gratia, fides, ſpes, &c. ad quos ſunt potentiæ naturales, poterunt cognoſci naturaliter; quod eſt falſum. Nec euacuat hanc rationem reſponſio Doct. dicentis ſup. art. 2. quòd anima ſecundùm illam rationem eſt ignota. Nam cognitio quidditatiua alicuius, nihil naturale illius incognitum relinquit, quoniam cognitio quidditatiua alicuius, continet formaliter & virtualiter omnem notitiam illius. Nec euaditur dicendo. Quòd ſubſtantia non poteſt à nobis pro ſtatu iſto quidditatiuè & propriè cognoſci; nam quicquid ſit de hoc, habetur intentum, quòd ex quidditatiua rerũ naturalium cognitione (ſiue habeatur pro ſtatu iſto, ſiue non) poſſit haberi ſciẽtia de ſupernaturalibus.

Quartò. Arguitur ab incommodo. Clara Dei viſio, eſt finis noſter vltimus; ſi igitur iſta viſio appeteretur à nobis naturaliter, ſequeretur quòd eſſet finis noſter naturalis, Conſequens eſt inconueniens; Ergo & Antec. Minor. Tũ quia finis & media debent inter ſe propoſitionem habere; ſed media ad huiuſmodi finem non ſunt naturalia, ſed ex ſola gratia vim habent; Ergo nullam cum fine proportionem habent: Tum quia ex clara cognitione eſſentiæ, poteſt cognoſci finis illius; ſed cognita clarè eſſentia noſtri, non cognoſcitur iſte finis vltimus; Ergo non eſt naturalis. Nec valet reſponſio Doct. Subt. Quòd anima non poſſit ſub illa ratione ſpeciali cognoſci, ſub qua ordinatur ad talem finem, & conſequenter nec finis cognoſcetur, quia ſiue loquatur Scotus de cognitione noſtra abſolutè ſumpta, ſiue de cognitione pro hac vita mortali, vt videtur verba illius ſonare; adhuc non impedit, quominus anima à corpore ſeparata, poſſit intelligere perfectè eſſentiam, & illius eſſentia finem.

Quintò. Si natura dediſſet homini naturalem propenſionem, ad claram Diuinæ naturæ contemplationem, dediſſet quoq; ei inſtrumenta, omniaq; alia neceſſaria, & ſufficientia, ad illius conſecutionem; ne fruſtra eiuſmodi propenſionem tribuiſſet: cùm igitur hæc non dederit, ne illam quidem indidiſſe concludendum eſt. Simili argumento vtitur Ariſt. 2. Cęli tex. 50. Aſtra non moueri motu progreſſiuo, quia non habent inſtrumenta ad talem motum cauſandum.

Sextò. Ex oppoſita ſententia ſequuntur iſta duo incommoda. Primum. Quòd illi, qui in vteris maternis diẽ clauſerunt, pęnam ſenſus patiantur, quòd cognoſcant ſe à naturali fine abeſſe, fruſtraq; ſibi ad eũ finẽ acquirendũ datã fuiſſe naturalẽ propẽſionẽ. Secũdũ incõueniẽs. Quòd Bea-

ti non egeant lumine gloriæ, quo eorum intellectus ad actum Beatificæ contemplationis eleuetur: patet, quia immediatè habent appetitum, & aptitudinem ad recipiendã Dei visionem; Ergo superfluè lumen gloriæ ponitur.

Septimò. In vniuerso est duplex ordo: ordo naturæ, & ordo gratię. Ordo naturæ prior est, & præsupponitur ordini gratię, & per consequens, quamuis imaginetur circũscriptus totaliter ordo gratiæ, adhuc remanebit ordo naturæ integer, quantùm ad omnia quæ naturæ conueniunt: si ergo intellectui insit naturalis inclinatio ad omnem notitiam, etiam supernaturalem, sequitur quòd circumscripto ordine gratię totaliter, adhuc conueniret intellectui talis inclinatio: consequens est falsum: quia natura non inclinat ad impossibile; sed circumscripto ordine gratiæ, erit impossibile, quòd natura possit habere notitiam fidei, vel visionis patriæ: Ergo ad illam non est inclinatio naturalis.

Octauò. Ex opposita sententia sequitur, quòd in minùs Beato, est inclinatio naturalis ad habendam notitiam tantam, quantam habet magìs Beatus, quod est absurdum: Tum quia intellectui Beati deesset aliquid, quo naturaliter appetit perfici, & per consequens remanet imperfectus in natura sua: Tum quia cùm intellectus possit rectà ratione appetere id, ad quod inclinatur naturaliter, sequitur quòd Beati possent rationabiliter appetere notitiam maiorem & perfectiorem quàm habent, & sic non haberent quicquid vellent, & ita non essent Beati; quia Beatus est, qui habet quicquid vult; & nihil mali vult, secundùm Augustinum.

Negatiuam Sententiam defendunt, Caiet. & Fons. supra. Zumel, 1. par. q. 12. art. 1. q. 2. Molina alijq; expositores ibidem, Ferrar. 3. cont. gent. c. 102.

In oppositum est Doct. Subt. hìc, & in 4. dist. 49. q. 10. & 11. 1. Met. q. 1. Ant. And. alijq; expositores hìc. Bassol. & Mayron. quæst. 2. prolog. Durand. in 4. d. 49. q. 8. Fauet eidem Sententiæ Vasquez. 1. part. disp. 43. c. 4. Guilel. Varro. lib. 1. q. 2. Soto in 4. d. 49. q. 2. art. 1. probabilem putat Medina q. 3. art. 8.

Nota primò illud quod ex Doctore retuli sup. art. 2. Appetitum esse duplicem; naturalem, præuenientem omnem cognitionem, qui est pondus quoddam & inclinatio naturæ; & elicitum, qui sequitur cognitionem. Præsens igitur dubitatio, ab alijs in his terminis proponi solet. Vtrum potentia receptiua habeat appetitum, seu naturalem inclinationem, ad actus supernaturales. Si enim hoc ostenditur affirmatiuè, certum est quòd talis potentia erit naturalis, quæ sic appetet: & est quæstio, non de naturali positiuo, distinguendo contra violentum, sed de naturali negatiuo, an scilicet habeat indifferentiam, & capacitatem naturalem, ad actus supernaturales, secundùm posteriorem sententiam præced. Dubit. 1. adductam; vel capacitatem naturalem, cum inclinatione & aptitudine indifferenti; iuxta sententiam ibidem recitatam.

Aduerte secundò. Quòd cùm quæritur, Vtrum potentia receptiua actuum supernaturalium, sit potentia naturalis; non est sermo de potentia cum aliquo superaddito supernaturali; an videlicet potentia naturalis eleuata per habitum supernaturalem, vel auxilium Dei speciale, sit potentia naturalis, seu habens quasi naturalem & necessariam inclinationem subijcibilitatis ad tales actus: hoc enim est extra controuersiam; sed sensus est, vtrum potentia (exempli causa) intellectiua, sit apta, ex natura sua, recipere intellectionem visionis Dei, vel alterius formæ supernaturalis, non curando pro nunc, nec disputando, an requiratur etiã lumen gloriæ ad actum eliciendum; hæc enim quæstio alia est, & inferiùs de ea dist. 3. q. 3. erit sermo.

Potẽtia intellectiua vel volitiua, naturalẽ habet inclinationẽ ad actus, vel habitus supernaturales.

In prẹsenti igitur dubitatione Conclusio Doct. nostri est affirmatiua. Probatur primò. Potentia intellectiua, est receptiua naturaliter clarę visionis Dei; Ergo naturaliter recipit & alios actus supernaturales. Conseq. Quia visio clara Dei, est maximè supernaturalis; Si igitur ad hanc intellectus habet naturalem inclinationem receptiui, à fortiori & ad alios actus. Antec. probatur authoritate Phil. 1. Met. in princ. vbi docet. Quòd omnes homines natura scire desiderant, & maximè scientiam, maximè desiderabunt; sed visio clara Dei est maximè scientia, & de maximè scibili; Ergo istam omnes natura desiderabunt, id est, naturalẽ appetitum, seu inclinationẽ, ad illam habebunt. Totus discursus est clarus. Minor subsumpta, probatur probatione ibidẽ Arist. adducta.

Maximè scibilia sũt duplicia.

Maximè scibilia dicuntur dupliciter: vel quia primò oĩum sciuntur, sine quibus alia nõ possunt sciri perfecto modo; vel secũdò, quia sunt certissima cognoscibilia: sed Deus quantùm est de se, est primò cognoscibilis, sine quo nõ possunt ita pfectè alia sciri, cùm perfectissima cognitio rerũ sit in Essentia Diuina; & illa est certissimum cognoscibile, tam quoad intrinseca prędicata, q̃ quoad illa quæ ipsi per cõparationẽ ad creaturam attribuuntur; ergo, &c. Maior istius discursus illa, Omnes homines natura scire desiderant, ꝙ intelligatur non de elicito, sed de naturali desiderio & appetitu, non modò Doct. Subt. ibidem, sed et D. Th. agnoscit, & si de elicito intelligeretur esset falsa, q̃a aliqui actu elicito desiderãt ignorare, est siquidẽ aliqua affectata ignorãtia, vt mõstrat experiẽtia in quibusdã rudib.

Impfectũ naturaliter appetit [illegible] perfectionẽ.

Secundò. Omne imperfectũ naturaliter appetit suã perfectionẽ; sed potẽtia intellectiua de se est impfecta, quoad cognitionẽ rerũ tam naturaliũ quàm supernaturaliũ; Ergo naturaliter appetit cuiuscunq; intelligibilis intellectionẽ. Argumentũ est Doct. 1. Met. Maior huius argu. habetur ex Phil. 1. Phys. tex 81. vbi ppositis hisce verbis Arist. Existente. n. quodam Diuino, & optimo, & appetibili; subiungit paucis interpositis. Aliud aũt natũ est appetere, & desiderare ipsũ (scilicet Diuinũ illud, & optimũ) secundùm ipsius naturã, nẽpe optimi & appetibilis: super quæ verba dicit ibidẽ Auer. est hæc perfectio Diuina maxima, cui oĩa Entia appetũt assimilari. Ex his dictis Arist. & Auer. duo manifesta sunt. Primum, ꝙ imperfectũ appetat perfectionẽ, vt et ibidẽ exemplificatur de materia, quæ appetit formã. Secũdum, ꝙ aliquod Ens imperfectũ, põt appetere appetitu naturali Diuinũ & optimũ; sed visio clara Dei est quoddã Diuinũ & optimũ; Ergo potest homo appetere illã appetitu naturali. Vnde facilè reijcitur illa solutio quæ datur ab aduersarijs. Quòd naturaliter appetit potẽtia receptiua, naturalem perfectionẽ, non supernaturalem. Ista. n. euasio est directè cõtra Arist. loco alleg. vbi dicit, naturaliter nos posse appetere Diuinũ & optimũ appetibile; sed supernaturalia sunt Diuina & optima; Igitur, &c. Minor huius arg. est de se euidẽs, & dicit Arist. ꝙ intellectus noster est sicut tabula, in qua nihil ẽ scriptũ, sed in potẽtia ad oẽm intellectionẽ.

Solutio reijcitur.

Tertiò. Potẽtia receptiua actuum supernaturalium, cõparata ad tales actus supernaturales, vel est violenta respectu illorũ, vel supernaturalis, vel naturalis, vel neutra. Non violẽta; quia sic visio clara Dei, reciperetur violẽtè à Beato, & contra inclinationẽ intellectus illius, quod falsum est; q̃a nullũ violẽtum est perpetuũ; visio aũt Beatifica est perpetua: Deinde non habet vllũ oppositum positiuũ, per quod potẽtia receptiua ad contrariũ determinetur. Nõ supernaturalis, vel obedientialis; quia denominatio supernaturalis, est in potentia formaliter, per comparationem ad agẽs, non ad actũ, vt sup. ostendi, dub. 1. Nõ neutra, secũdũ ipsos; quia negant illã: Ergo est naturalis, à sufficienti diuisione.

Materia naturaliter appetit omnes formas etiã formã cęli.

Quartò. Quali appetitu appetit materia formas, tali appetitu appetit potẽtia receptiua quaslibet formas receptibiles, cũ se habeat ad illas per modũ subiecti, & indifferens sit ad eas, sicut & materia ad formas: sed appetitu naturali materia oẽs formas appetit, quæcunq; possunt ipsã informare; Ergo & potẽtia receptiua appetit naturaliter omnes formas, quæ in ipsa possunt recipi: sed possũt recipi supernaturales; Ergo naturaliter appetit oẽs formas supernaturales, potẽtia receptiua naturalis.

Solutio..

Respõdet Zumel. Negãdo ꝙ materia oẽs formas appetat, quæ possũt illã informare, quia nõ appetit formã cęli.

Impugnatio.

Cõtra Primò. Nõ tollitur habitudo ad actũ in aliqua potẽtia receptiua, nisi p positionẽ illius actus, vel formaliter, vel virtualiter in tali potẽtia receptiua existẽtis; Sed in materia sublunari, neq; est formaliter forma cęli, neq; virtualiter cõtinetur in aliqua forma sublunari, ĩformãte materiã; Ergo ad formã cęli nõ tollitur habitudo in materia sublunari. Secũdò. Materia sublunaris nõ informatur forma Cęli; ista igitur (vt sic loquar) nõ habitio formæ Cęli in hac materia, vel est priuatio formę cęli, vel carentia cõtraria, ita ꝙ repugnet illi talem formã habere: Si primũ; cùm priuatio sit in subiecto apto ha-

bere talem formam, sequitur quòd materia sublunaris, quantùm est de se, apta est habere talem formam: Si secundum; omnis repugnantia in aliquo, est per aliquid positiuum, ratione cuius repugnat; quæro, quid est eiusmodi in materia? non ipsa entitas materiæ; quia illa est intrinsecè potentialis, & contrahibilis ad quamcunq; formam, quam potest agens in ipsam inducere, siue de potentia illius eam educat, siue non, vt patet de anima rationali; nec aliquid est superadditum, quia accipio materiam nudam, secundùm se. Falsò igitur negatur illa propositio, Quòd materia non appetat omnem formam possibilem informare ipsam; ad quam negãdam erronea instantia de forma cęli, respectu materię sublunaris, inducuntur Thomistę.

Simili modo probo conclusionem intentam Quintò. Potentia receptiua vt recipit actum supernaturalem, quãtùm est de se, vel habet habitudinem naturalem ad ipsos actus, vel non habet: si primum, habetur intentum; ista.n. habitudo naturalis, est potentia naturalis, seu naturalis inclinatio, cùm ista idem sint; si non habet, aut habet repugnantiam, aut non: Si habet repugnantiam; Ergo violentè erit sub illis actibus supernaturalibus, quod nullus bonus Theologus concesserit: Si non habet repugnantiam, sed se habet merè negatiuè, ita quòd de se nec aptitudinem dicit, nec repugnantiam; tunc inprimis datur potentia neutra, inter naturalem & violentam media, quod negant oppositæ sententiæ fautores. Deinde adhuc stat argumentum. Quia vel aptitudo naturalis isti potentiæ repugnat ad tales formas, vel non repugnat; Si repugnat, erit modo violento sub talibus formis; si non repugnat, Ergo necessariò est: quia aptitudines rerum competunt rebus necessariò, & secundo modo per se, sic, quòd res non potest esse absq; sua aptitudine: & istam aptitudinem dico potentiam, quæ naturaliter appetit actus supernaturales, illosq; recipit. Confirmatur. Quando potentia intellectiua habet actum supernaturalem, vel recipit illum naturaliter (vt naturale opponitur violento) vel non naturaliter; si primum, habetur propositum; si non naturaliter, Ergo violenter. Dices. Non violenter, sed supernaturaliter. Contra. Accipio duo contradictoria, vt in illo sensu alterum contradictoriũ neget, in quo sensu alterum affirmat: quando igitur accipio ly naturaliter, vt opponitur violento; contradictoria sua non naturaliter negat illo modo naturalitatẽ, quo in altera affirmabatur: negare autem naturalitatem illo modo sumptam, est ponere vel violentum, vel neutrum; non vltimũ, quia talem potentiam negant aduersarij; Ergo violentum.

Aptitudines rerum competunt rebus necessariò.

Sextò. Susceptiuum quod ordinatur ad multas formas ordinatas, maximè ordinatur ad perfectissimam; quia ab illa maximè perficitur tale susceptiuum: sed voluntas ordinatur ad multas volitiones, & intellectus ad multas intellectiones; Ergo maximè ad perfectissimas, quales sunt supernaturales, à quibus maximè perficiuntur dictæ potentię.

Supernaturales formas non negat D.Subt. vt illi Vasq. attribuit.

Illud tamen hìc Aduertendum est. Quòd dum ab isto Doct. dicitur, & bene, quòd potentia comparata ad quemcunq; actũ, siue à naturali causa, siue à supernaturali productum, dicitur potentia naturalis; non negat hìc Doctor dari aliquos actus, vel habitus merè supernaturales, vt gratiæ, fidei, charitatis, visionis, vel fruitionis beatificę, &c. qui merè secũdùm suam essentiam sunt supernaturales, (vt immeritò Vasqu. 1. par. q. 1. art. 1. num. 12. nostro Doct. attribuit: oppositum siquidem in doctrina eius est manifestissimum, vt patet infra dist. 17. in 2. d. 3. q. 9. & fusissimè in 3. d. 23 24. &c. & passim in 4. Sentent. maximè dist. 49. ferè in singulis quæstionibus hoc vt indubitatũ supponitur, dari aliquos actus & habitus, secundùm suam substãtiam, merè supernaturalis ordinis.) Sed hoc concesso, dicimus, quòd potentia receptiua istorum habituum vel actuum supernaturalium, habet naturalem inclinationem ad illos, vt probatum est. Cur autem ab istis habitibus & actibus supernaturalibus, nõ denominetur potentia receptiua supernaturalis, Dubitat. 1. huius Artic. causam diximus.

Argumenta soluuntur.

Ad argumenta in principio posita. Ad Primum dico. Quòd sicut non potest potentia actiua naturalis, attingere istum modum producendi in cæco visum in instanti naturaliter; ita à fortiori nec poterit merè supernaturales formas, vel actus, producere naturaliter; quod solum probat, & non aliud, argumentum Caiet. & non negat Subt. Doct. Sed sicut ex hoc Antecedente, Non potest producere aliquod agens naturale visionem in cæco naturaliter, non sequitur ista consequentia, Ergo non potest recipere visionem naturaliter, vt ipsemet Caiet. fatetur: ita ex isto antecedente, Non potest anima nostra producere formam supernaturalem; ista consequentia est nulla; Ergo non potest recipere naturaliter. Ad illud additum de potentiæ passiuæ denominatione ab actu supernaturali, dictum est Dubit. 1. istius Art. istam quidem denominationem posse esse, sed non per se, & formaliter; sed tantùm per accidens, & contingenter.

Ad Secundum. Sufficienter illud argumentum resolutum est, in dictis Art. 2. & constabit ex dicendis Art. sequenti, in responsione ad Primum argum. Philos. Ad Confirmationem Caiet. quòd in illa propositione, Actiua potentia naturalis, non intelligatur de actiua potentia agentis in rerum natura, Dei videlicet ipsius; sed intelligitur de potentia merè naturali, vt est distincta à supernaturali; quia aliàs non fecisset distributiuam. Respondeo. In propositione affirmatiua, in qua prædicatum non dicitur ad conuertentiam cum subiecto, si signum distributiuum præponitur subiecto, tale signum non distribuit prædicatum: patet, dum enim dico, omnis homo est animal; signum omnis, distribuit pro omni parte subiecti, sed non pro parte prædicati; quia non est, & hoc animal quod est lupus, & hoc quod est equus: ita in proposito, in hac propositione, In omni natura, vbi est patiens ibi est & agens, prædicatum non est adæquatum subiecto, quia potest esse agens alterius & alterius modi, ab ipso patiente, quod est vnius naturæ, potest enim in materiam forma ignis induci, & ab agente naturali, & à supernaturali. Vnde & in ista propositione quæ sequitur ex priori, Omni principio passiuo naturali, respondet actiuum, prædicatum non est adequatum subiecto; ac proinde non intelligitur de solo agẽte naturali.

Distributiuum signũ quid valeat

Ad Tertium. Solutio huius argumenti ex Doct. adducta est optima, vt clariùs declaratur Art. seq. in resp. ad tertium argumentum Philosophorum. Nec instantia valet aliquid; quia illa Caiet. maxima. Cognitio quidditatiua alicuius, nihil naturale incognitum relinquit; falsa est: Tũ quia cognoscit Angelus Angelum, imò & animam cuiuslibet nostrum quidditatiuè, & tamen non cognoscunt volitiones, vel intellectiones, in illo cognito quidditatatiuè; quia secundùm veram Theologiam. non cognoscunt secreta cordium: Tum quia cognita alicuius Entis quidditate, non cognoscitur habitudo illius quidditatis ad aliud, nisi illo altero vt termino talis habitudinis cognito; cùm igitur in præsenti supernaturalia non cognoscantur naturaliter, neq; habitudo ad illa cognoscetur naturaliter.

Ad Quartum quod est Fonsecæ, & ab ipso Subt. Doct. art. 2. & 5. sufficienter propositum, & solutum. Distinguo sequelam maioris; vel est sermo de attingentia, seu consecutione naturali, ita quòd naturaliter possemus consequi finem vltimum, & hoc verè est inconueniens: vel de naturali inclinatione, quòd scilicet nostra potentia naturaliter inclinetur ad illum finem vltimum, & in hoc sensu, Minor illius argum. falsa est. Prima probatio illius minoris in priori sensu, improbat Deum esse finem naturalem secundùm attingentiam, quod & nos improbamus; sed non improbat, quòd non sit naturalis secundùm inclinationem naturæ nostræ in ipsum. Secunda probatio, responsionisque Scoticæ improbatio, constat ex responsione ad argumentum præcedens, quòd sit nullius roboris.

Ad Quintum. Respondeo Primò. Si argumentum aliquid valet, pari modo concludit, quòd aliquod agens naturale, potest educere de potentia materiæ animam rationalem; quia natura dedit materiæ naturalem inclinationẽ ad illam, ergo dedit & media ad illã naturaliter producendã ab agente naturali. Respondeo secundo. In argum. Philosophi dato hoc antecedẽti, Natura dedit astris virtutem

Data naturali pro pensione nō est necesse dari omnia requisita à natura.

progressiuâ, optimè infertur illa consequentia ab Arist. Ergo & instrumenta dedit eadem natura, ad talem motum efficiendum, cùm natura non desit necessarijs; in quo discursu ex positione principij actiui, infert Philosophus, positionem requisitorum ad illam potentiam actiuam: Sed malè infertur ex positione potentiæ passiuæ naturalis, positio mediorum naturalium, ad consequendum illud cuius potentia est receptiua, quia illa propositio, Potentiæ passiuæ naturali, debet respondere actiua naturalis, est falsa; cui innititur ista applicatio Fonsecæ. Respondeo tertiò cum Doct. in 4. d. 49. q. 11. Natura dedit homini organum ad consequendam beatitudinem, sicut potentias passiuas receptiuas eius, & actiuas; non tamen vt statim consequeretur, sed habitis dispositionibus supernaturalibus requisitis: & ideo licet dederit natura potentias ad beatitudinem, nō tamen dedit dispositiones proximas; sicut & in naturali omnium formarum receptaculo materia, est potentia naturalis ad formas, sed dispositiones non nisi ab alio inducuntur. Vide aliam responsionem in litera Doct. art. sequent. in resp. ad sextum.

Ad Sextum. Friuolæ sunt istæ illationes. Prima quidem: Tum quia non amiserunt finem naturaliter consequendum: Tum quia talem propensionem ad talem finem non possunt cognoscere, nisi cognito fine aliquomodo; si ergo non afficientur dolore ex non visione illius finis, vt dicunt Theologi, neq; etiam contristabuntur, suam potentiam naturalem non vniri tam perfectæ rei. Secunda etiam non valet: quia non ad recipiendum aliquid supernaturale, potentia indiget lumine gloriæ, sed ad eliciendum, & aliquomodo ad actiuè concurrendum, eleuatur potentia per lumen gloriæ; & quòd non ad recipiendum, patet; quia intellectus vel indiget aliquo supernaturali ad recipiendum lumen gloriæ, vel non: Si non indiget; habetur intentum; & sic pari modo dicetur de visione clara Dei, quòd ad eam recipiendam, intellectus non indigeat aliqua præuia dispositione supernaturali; Si indiget; sit illud A. Tunc quæro, ad recipiendum A. vel indiget supernaturali dispositione vel non indiget; Si indiget sit illud B. & ita quæram de B. & sic erit processus in infinitum: quòd si stabitur in immediata receptione luminis gloriæ, habetur intentum, quòd potentia intellectiua apta sit immediatè, se ipsa, recipere aliquid supernaturale.

Lumen gloriæ non requiritur ad recipiēdam visionē beatificam ab intellectu creato.

Ad Septimum. Respondeo primò. Posito impossibili, quid mirum est si sequatur impossibile? posito enim quòd potentia visiua naturaliter inclinetur ad coloratum, supponatur quòd coloratum sit impossibile, infero secundùm hunc discursum, quòd potentia visiua naturaliter inclinabitur ad impossibilia. Respondeo secundò. Supposito illo impossibili, impossibile erit potentiam inclinari ad tale obiectum, non impossibilitate se tenente ex parte animæ, vel potentiæ intellectiuæ, sed impossibilitate se tenente ex parte obiecti; sicut in simili dicimus, Chymeram à Deo produci, esse impossibile, non impossibilitate se tenente ex parte Diuinæ potentiæ, sed ex parte obiecti. Respondeo tertiò, negando minorem. Ad probationem dico, Licèt non posset consequi visionem Dei, adhuc haberet inclinationem naturalem, sicut circumscripto omni colore, adhuc potentia visiua, naturalem haberet inclinationē ad coloratum.

Impossibilitas duplex.

Ad Octauū. Concedo sequelam. Ad primam improbationem, dupliciter intelligitur hoc dictum: Deest aliquid Beato, quod naturaliter perficit ipsum; vno modo, quia deest aliquid debitum inesse naturę, vt puta membrum, organum, vel quid simile; & sic intellecta improbatio vera est, sed non ad propositum; vel secundò, quia deest aliquid non requisitum ad constitutionem ipsius naturalem, perficiens tamen ipsum perfectione accidentali, & quam perfectionem ipse Beatus aptus est recipere; & sic vera est prior pars improbationis, sed falsa secunda, quòd scilicet intellectus in natura remaneat imperfectus. Ad secundam improbationem. Intellectus & voluntas Beati, regulatur voluntate Diuina, sic quod nō plùs Beatus sibi vult de perfectione, quàm nouit Deum velle ipsi concedere: si igitur voluntas Beati, non conformaretur voluntati Diuinæ, sed tantùm aptitudini & inclinationi intellectus, sequeretur illud absurdum; sed quia suppositum est falsum, falsa erit in illo structura.

Dubitatur Quartò.

Vtrum dari possit aliqua species, distinctè repræsentans Essentiam Dei.

Videtur quòd non. Primò. Species intelligibilis hominis, repræsentat omnia prædicata essentialia hominis, per modum similitudinis, in esse intelligibili & repræsentatiuo: Ergo & species intelligibilis Dei, repræsentat oīa essentialia prædicata Dei: Ergo infinitas perfectiones: Ergo repræsentat omne repræsentabile: Ergo omne intelligibile, & imaginabile per modum similitudinis & imaginis: Sed implicat quòd vna creatura, secundùm esse finitum & limitatū, assimiletur modis infinitis, & infinitis rationibus essendi: Ergo, &c.

Secundò. Quacunq; specie intelligibili data, si creatura est, potest Deus creare essentiam adæquantem repræsentationem eius; & potest etiam creare essentiam multò perfectiorem, aliàs exhausta esset Diuina potentia; Ergo species illa intelligibilis, non erat adæquata Deo in repræsentando.

Tertiò. Producere speciem repræsentatiuam hominis, est alicuius perfectionis: Ergo producere speciem repræsentatiuam hominis & Angeli, est maioris perfectionis: Ergo producere speciem repræsentatiuam infinitæ perfectionis, est infinitæ perfectionis. Confirmatur. Species quò perfectius obiectum repræsentat quidditatiuè, eò est perfectior in se ipsa: Ergo si daretur species quæ repræsentaret Deum quidditatiuè, esset infinitæ perfectionis; quod est absurdum.

Quartò. Omnis cognitio intellectiua, fit per modum immaterialitatis; intellectio namq; fit per quandam abstractionem, & per speciem minùs cōcretam, magisq; abstractam, quàm sit obiectum ipsum: Ergo impossibile est videre Deum per speciem creatam. Consequentia. Quia omnis species creata, relata ad Deum, est plurimùm potētialis & materialis. Confirmatur. Quoniam species quæ recipiuntur in visu, eò quòd sunt materiales, non possunt repræsentare quidditatem rei, quam repræsentant species intellectuales: deinde species intellectuales, abstractæ à phantasmatibus non possunt exactè repræsentare substantiam separatam, quia illi comparatæ, sunt magis potentiales & materiales: Ergo cum omnis creatura & omnis species habeat aliquid de potentia, cùm non sit purus actus, non poterit repræsentare Deum quidditatiuè, qui est purissimus actus.

Quintò. Si Deus posset facere speciem impressam, quę esset exacta imago & similitudo Dei, certè cum speciei accidat quòd sit accidens, vel substantia, Deus posset producere substantiam, quæ esset exacta imago & similitudo Dei inuisibilis, per quam possit Deus videri per esētiam; quod est plus quàm absurdum, vt constat: Tum ex August. 15. de Trin. quòd cùm Apostolus dicit, Videmus nunc per speculum & in ęnigmate; speculi & ęnigmatis nomine, quæcunq; similitudines significatę ab ipso intelligi possunt, quæ accommodatæ sunt ad intelligendum Deum: sed videre Deum per essentiam, non est visio ænigmatica, sed distinguitur contra eam; non igitur poterit Diuina Essentia videri per similitudines: Tum ex Dion. lib. de Diu. nom. vbi docet, Quòd per similitudines rerum ordinis inferioris, nullo modo superiora possunt cognosci, sicut per specię corporis non potest essentia incorporea cognosci; multò igitur minùs per speciem quamcunq; creatam potest Essentia Dei videri.

Sextò. Si species naturæ Diuinæ daretur, posset Angelus sua virtute naturali illam cognoscere, esset enim quid creatum; cumq; illa esset propria & quidditatiua similitudo Dei, posset Angelus propria virtute illam videndo, Deum etiam clarè intueri.

Septimo. Similitudo debet esse eiusdem speciei cum re, cuius est similitudo; sed nulla species est eiusdem speciei cum Deo, cùm Deus non sit in genere, & consequenter nec in aliqua specie, secundùm communem Scotistarum, & Thomistarum sententiam; Ergo similitudo respectu Dei

non

non est possibilis. Maior patet, de domo extra, & domo in mente.

Octauò. Omne creatum est determinati generis: Diuina autē Essentia est infinita, comprehendens in se omnē perfectionē totius esse; Ergo impossibile est, quòd per aliquid creatum Diuina substātia videri posset. Confirmatur. Quia inter speciē & rem intellectā oportet esse adę quationē, vel continentiam secundùm eminentiam speciei ad rem intellectam; vt dicit Ferrar. 3. contra Gen. c. 49. Sed speciei respectu Essentiæ Diuinæ, neq; potest dari adæquatio; quia nihil simpliciter potest Deo adæquari; nā aliàs illud aliud quod adæquaretur esset Deus, quod implicat; nec contineret eminenter; quia sic species esset longè perfectior, quàm visio Essentiæ Dei.

Nonò. Omnis species intelligibilis, per quam intelligitur quidditas vel essentia alicuius rei, comprehendit in repræsentando rem illam, cuius est similitudo: sed impossibile est, quod aliqua res comprehendat Deum, vel illum totaliter repræsentet, cùm quælibet res creata sit generis determinati, non item Deus: Ergo species repræsentatiua Essentiæ Dei est impossibilis.

Hanc sententiam defendunt Zumel 1. par. q. 12. art. 2. Bānes. Caiet. Valentia ibidem. Vasquez disp. 38. c. 4. Durand. in 4. d. 49. q. 2.

Oppositam sententiam supponit Doct. Subt. hìc, vbi dictum est in 2. parte Articuli. Quòd Deus per speciem creatam, possit notitiam suæ Essentiæ in creato intellectu causare. Apertiùs id habetur in 2. d. 3. q. 9. & in quodlib. q. 14. Fran. Mayr. in Prolog. sent. q. 16. & quodlib. q. 4. & 5. Aureolus in Prol. art. 2. Molina. 1. par. q. 12. art. 2. disp. 1. Concl. 4. Argent. in 4. d. 49. q. 2. Capr. q. 5. de facto tantū negāt.

Pro resolutione dubitationis. Nota Primo. Nos hìc non inquirere cum Doctore, an Deus de facto distinctè, & clarè videatur à Beatis, immediatè per essentiam, vel per aliquam speciem; hoc enim examinabitur in 4. sent. in materia de Beatitudine distin. 49. Sed sermo est de possibili; vtrum possibilis sit aliqua species, quæ distinctè intellectui creato Essentiam Dei repræsentaret: extendendo possibilitatem, tam ad potentiam Dei ordinariam, quàm ad absolutam.

Cognitio abstractiua, vel intuitiua: abstractiua, confusa vel distincta.

Nota Secundo. Cognitio duplex est: vna intuitiua, alia abstractiua. Intuitiua cognitio est, notitia obiecti præsentis in existentia actuali: abstractiua autem cognitio est, notitia quidditatis, prout quidditas abstrahit ab omni existentia actuali: de qua diuisione notitiæ, vide fusissimè Doct. Subt. in 2. dist. 3. q. 9. Rursus cognitio abstractiua (vt vult ibidem Doct.) distinguitur in confusam & distinctam, secundùm aliam & aliam rationem cognoscendi obiectū. Cognitio item distincta, alia est perfecta, secundùm rationes proprias multas in abstracto conceptas: alia proprijssima, secundùm rationes proprijssimas intuitiuè cognitas. Potest ergo extendi præsens dubitatio, ad cognitionem tam intuitiuam quàm abstractiuam, eamq; vel distinctam, vel confusam.

Species expressa, vel impressa, & hæc obiectiua, vel repræsētatiua

Nota Tertiò. Speciem repræsentatiuam aliam esse expressam, aliā impressam: secundùm Doct. infra dist. 3. q. 7. Species expressa est, ipsemet actus cognoscendi, qui actus, est expressa, ab intellectu & obiecto, similitudo obiecti. Species impressa vocatur illa ratio repræsentatiua, quæ ante actum intelligendi ponitur in intellectu possibili, vt per eius positionem sit obiectum cognoscibile præsens potentiæ cognoscenti. Ista similitudo, seu species impressa potest esse duplex; secundùm Doct. quodlib. 14. Vna, quæ sit formaliter apta repræsentare aliud ipsa in se non visa; sicut communiter Philosophi dicunt, de speciebus sensibilibus, quòd sunt rationes cognoscendi alia, & tamen in se non obijciuntur sensui, nec percipiūtur vt obiecta cognoscibilia per sensus: Similiter intellectus, per speciem intelligibilem, intelligit aliquam abstractam quidditatem, quamuis ipsam rationem repræsentandi, seu speciem intelligibilem, non cognoscat in ratione obiecti. Alia potest esse species repræsentans & se ipsam in ratione obiecti, & ratio repræsentandi aliud; diciturq; à quibusdam non incongruè species obiectiua, quia est ratio cognoscendi aliud, vt primò in se cognita; illa autem alia species repræsentatiua absolutè, quia est tantùm ratio repręsentandi aliud, & non seipsam, absolutè dicitur species repræsentatiua alterius, & non sui. Inter istas duas species est maximum discrimen. Primum; quia species obiectiua, habet rationem Quo & Quod: quia & est ratio quo aliud cognoscitur, & est ipsum quòd cognoscitur, tunc quando aliud per ipsum cognoscitur: species autem repræsentatiua habet tantùm rationem Quo, respectu obiecti illius, cuius est repræsentatiua; quia est illud quo cognoscitur obiectum, nec tamen quod cognoscitur, quando obiectum per illam cognoscitur. Secundum discrimen est; species obiectiua quando per ipsam distinctè cognoscitur obiectum, cuius est species, debet esse similis obiecto, & in repræsentando, quia est apta repræsentare rem sicuti est; & in essendo, quia dum cognoscitur talis species in ratione obiecti, habet similitudinem in ratione Entis, cum illo altero obiecto, cuius est species: species autem tantùm repræsentatiua, debet tantùm habere aptitudinem repræsentandi aliud, non autem debet habere similitudinem in essendo, seu in ratione Entis cum obiecto repræsentato. De qualibet istarum trium specierum posset esse quæstio: specialiter tamen est de specie impressa obiectiua, vel repræsentatiua.

Species obiectiua alia est à specie repręsentatiua.

Species repræsentatiua debet esse similis obiecto non in esse, sed in repræsentando.

Nota Quartò. Istud suppositum, Quòd species repræsētatiua sit de obiecto, cuius est similitudo similis in repræsentando non in essendo, esse ita verum, vt ne minimam probabilitatem habuerint ad id negandum Caiet. 1. par. q. 12. art. 2. & Valen. ibidem puncto 2. Nam secundùm veram Philosophiam species sensibiles sunt accidentia in organis sensuum; ipsa tamen obiecta, quæ per tales cognoscuntur species, sunt substātiæ plerumq;. Præterea res cognitæ sunt quantæ, longæ, latæ, profundæ; species autem repræsentatiuæ quæ informat organum, non habet eam quantitatem, vel saltem tantam, quanta est rei cognitæ, vt vel ipse visus indicat, qui habens speciem montis, vel arcis, siue in pupilla, siue in concursu venarum visualium, non habet illam quantitatem in specie, quam res habet extra. Et reuera quando video ignem per speciem ignis, species illa repræsentans ignem, non habet omnia in entitate sua, quæ habet ignis, neq; enim habet calorem, neq; lumen; similiter species gladij, nec est grauis, vel acuta, &c. Gratis igitur negatur hoc fundamentum, & contra communem suppositionem Realium Philosophorum. His prænotatis sit.

Species expressa repręsentās clarè Deū est possibilis.

Prima Conclusio. Possibile est dari aliquam speciem expressam, qua clarè & intuitiuè cognoscatur Deus. Hæc conclusio est omnium Theologorum. Omnes siquidem concedunt beatitudinem nostram aliam esse formalem, aliam obiectiuam: obiectiua est, ipsamet Essentia Dei: formalis beatitudo est, actus siue visionis claræ, siue fruitionis, secundùm diuersas opiniones. Visio igitur clara Dei, est actus expressus in intellectu creato, principaliter quidem à Deo, secundariò autem ab intellectu creato, vt vult Doct. infra dist. 3. q. 8. & in 4. dist. 49. Iste actus claræ visionis Diuinæ, cùm sit verè actus secundus in intellectu creato inhærens, distinctus ab intellectu, nec non à lumine gloriæ (Beatitudo enim consistit in actu secundo, non in actu primo, tum secundùm Philos. 10. Ethic. tum secundū omnes Theologos,) erit repræsentatiuus Essentiæ Dei: omnis enim intellectio creata, est similitudo expressa obiecti intellecti. Ista conclusio est extra controuersiam, non tantùm de possibili, sed etiam de facto: licet quidam Thomistæ aliqualiter varient, præsertim Capreolus, & Sotus in 4. d. 49. de quo aliàs.

Species obiectiua repręsentans clarè Dei clarè, non est possibilis.

Secunda Conclusio. Species obiectiua repręsentans vt Quo, & vt Quòd, distinctè Essentiam Dei, non est possibilis, per Dei potētiam absolutam. Ista Conclusio est Doct. hìc, in illis verbis. *Quæ dederunt supra occasionem huius Quæstionis* Et clariùs quæst. 14. art. 3. Probatur. Aliquid omnino esse simile Deo, tam in repręsentando, quàm in essendo, est impossibile: Sed species obiectiua est similis in repręsentando, & essendo illi rei, cuius est similitudo; Ergo species obiectiua respectu Essentię Diuinę est impossibilis. Maior huius argumenti euidens est. Deberet enim illa similitudo habere infinitatem, independentiam, vnitatem essentialem, & Trinitatem hypostaticam, si in entitate sit

omnino ipsi similis, quod est impossibile produci; quia sic esset alius Deus, contra veritatem fidei. Minor explicatur. Illa similitudo, quæ est repræsentatiua vt Quod alterius, videlicet, Essentiæ Dei, quando intelligitur vt Quod; vel est similis in sua entitate Deo, cuius est imago, vel non: Si non; Ergo talis species cognita vt Quod, non est ratio cognoscendi Essentiam Dei, cuius est similitudo, & consequenter vt sic sumpta, nullo modo est illius rei imago vel similitudo obiectiua, cùm nullam habeat entitatis similitudinem ad entitatem illius, ac ita neq; erit species obiectiua Dei: Si autem est similis in entitate Essentiæ Dei, cuius est species; Ergo omnes illas rationes siue essentiales siue notionales, quas habet Essentia Dei, haberet talis species, vel formaliter, & sic esset alius Deus, quod est impossibile; vel eminenter & modo superiori, & sic aliquid esset longè perfectius Deo, quod etiam plusquam impossibile est. Probatur eadem Conclusio argumento 7. in prin. Dubit. adducto, quæ est responsio D. Tho. 3. con. Gen. c. 49. Vtiturq; eo Durand. in 4 loco sup. cit. Idem 8. & 9. argumento probatur; hoc enim & non aliud voluit D. Th. quando negat possibilitatem alicuius speciei & similitudinis, per quam posset Diuina Essentia cognosci distinctè, vt bene adnotarunt Ban. sup. & ex Fran. Victoria Vasq. 1. p. d. 39. c. 1. Val. supra, Molina.

Tertia Conclusio. Non tantùm possibile est via ordinaria, sed etiam de facto datur, species aliqua in confuso repræsentatiua Diuinæ naturæ. Ista item conclusio est Doct. inf. dist. 3. q. 7. Et quodl. 14. art. 1. multis explicatur, estq; clara. Quia de facto cognitio quam habemus de Deo, naturaliter habetur per species emendicatas à creaturis; vt inf. loco cit. dicemus, cum Doct. Subt.

Species distinctè repræsētās Essentiā Dei in abstracto, ē possibilis.

Quarta Conclusio. Species distinctè repræsentatiua Essentiæ Dei in abstracto, potest à Deo produci in intellectu abstractiuè cognoscente: imò de facto tales species Angelis inditas fuisse in principio suæ creationis, probabilissimum est. Est Doct. in 2. d. 3. q. 9. Et quodl. 14. ar. 2. quoad vtramq; partem. Et quidem pars prima erit euidens, si secunda fuerit ostensa, quæ probatur Primo. Beatitudo naturalis Angeli, excedit beatitudinem naturalem hominis, etiamsi in statu innocentiæ fuisset, tam Angelus quàm homo, per quantamcunq; durationem; sed homo in statu innocentiæ habuisset notitiam Dei vtcunq; distinctam; Ergo Angelus naturaliter haberet longè maiorem & distinctiorem notitiam Dei; sed notitia abstractiua est per species, secundùm Doct. infra dist. 3. q. 7. Ergo data est Angelis talis species repræsentatiua distinctè, in abstracto tamen, Essentiæ Dei. Confirmatur. Homo nunc, in statu naturæ lapsæ, naturaliter intelligit quædam in vniuersali, sub rationibus communibus; Ergo in statu innocentiæ, qui erat status longè perfectior, perfectiori modo illa, & alia quædam intelligeret; Ergo Angelus, qui in natura sua consideratus, est longè perfectior homine, in quocunq; statu, longè perfectiorem & distinctiorem notitiam de Deo naturaliter habuit; Ergo & speciem distinctè repræsentatiuam. Nec responsio Caiet. 1. par. q. 56. art. 3. aliquid valet, dicentis. Quòd possit quidem haberi ab Angelo cognitio specialis de Deo, & distincta per aliquam speciem, non tamen quidditatiua; decipitur siquidem ipse Caiet. in ly quidditatiua cognitio: quidditatiuum enim dicitur à quidditate, siue essentia, & quidditatiua cognitio erit essentiæ notitia, vel essentialium cognitio prædicatorum; ista autem vel est confusa, vel distincta; & hæc vel abstractiua, vel intuitiua: & de hac abstractiua quidditatiua cognitione procedit argum. Doctoris Caiet. autem negatio procedit de cognitione quidditatiua intuitiua.

Tollitur responsio Caietani.

Secundo probatur Conclusio. Si quis in raptu videat Deum transitoriè intuitiuè, post raptum potest recordari visionis distinctæ; & non videt tunc intuitiuè: quia non obijcitur obiectum intellectui sub ratione præsentis; Ergo abstractiuè: sed talis cognitio est per speciem, vt communiter cōceditur, & probatur à Doct. in 1. d. 3. q. 7. Ergo, &c. Assumptum huius argumenti probatur ex raptu D. Pauli, qui post raptum recordabatur visionis distinctæ: quia 2. ad Corinth. 12. dicit. Scio hominem in Christo ante annos 14. &c. Et audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui. Respondet Caiet. Non potuit in memoria Pauli rapti remanere species, quamuis potuerit accipere species rerum visarum in obiecto; vnde & Paulus non meminit obiecti, nisi in confusò, propter quod loquitur in plurali, audiui arcana, &c. Sed hęc responsio est friuola: Quando enim dicit, quòd potuit accipere species rerum visarum in obiecto, sed illæ acceptæ species non poterant remanere. Quæro. Vel ista impotentia remanendi speciem repræsentatiuam, est ex parte memoriæ; & hoc non. Tum quia alias non potuisset illas recipere, quod tamen conceditur à Caiet. Tum quia ad omnes formas potentia receptiua habet inclinationem naturalem; Ergo & ad speciem: Tū quia saltem per potentiam obedientialem, secundùm ipsum, potest vt recipere, ita & retinere, Deo coagente ad ipsius conseruationem: Tum quia hoc est perfectionis in intellectu conseruari speciem, vt sit in potentia accidentali, & propinqua ad intelligendum, quia absq: specie esset in potentia essentiali & remota. Vel est ex parte Dei; & hoc non: Tum quia, quicquid potest Deus producere, potest & conseruare; sed illas species potest secundùm concessa Caiet. Deus producere in memoria, ergo & conseruare in illa: Tum quia nulla est vel apparens contradictio. Vnde illud finalè additur, quòd in confuso D. Paulus recordabatur Essentiæ Dei visæ; cognoscens enim aliquis obiectum intuitiuè, quidditatiuè, & distinctè; postea remanente specie, & non habita potentia ipsius obiecti, cognoscit illud obiectum etiam quidditatiuè & distinctè, sed non intuitiuè. Dicitur etiam à S. Paulo in plurali, audiui arcana verba &c. non ob causam à Caiet. assignatam, sed ob aliam veram, quia sicut Essentia Dei, in se vnica & simplicissima, continet perfectiones plurimas; ipsa enim secundùm Ansel. est pelagus infinitarum perfectionum, ita & species repræsentans Essentiam Dei, apta est repræsentare plurimas ipsius perfectiones.

Caietani responsio impugnatur.

Probatur tertiò. Angeli, cognitione matutina (secundùm August. 4. super Gen. 23.) cognouerunt distinctè creaturas; sed hæc cognitio fuit naturalis, & non præcisè beatifica; Ergo Angeli habuerunt cognitionem distinctam verbi, per aliquid sibi naturale, scilicet, per speciem illis in principio creationis inditam. Quòd autem illa cognitio matutina fuerit, non præcisè beatifica, deduci potest ex dictis Sancti August. supra, vt multis deducit Subt. Doct. quodl. 14. Vbi istum fuisse ordinem in cognitione Angelica creaturæ asserit: quòd priùs cognouerit creaturas Angelus distinctè in Verbo; postea in genere proprio, postquā sunt productæ: sunt aūt productæ oēs creaturæ simul, iuxta illud Eccl. 8. Qui viuit in æternum, creauit omnia simul. Et Aug. supra, vbi docet, quòd illi sex dies non fuerint in successione temporis, sed in cognitione Angelica, &c. Angelica igitur cognitio creaturæ in Verbo, naturaliter præcessit productionem, & cognitionem creaturæ in genere proprio; tunc autem Angeli fuerunt in statu innocentiæ & non beati, cùm secundùm Theologos, aliqua mora ponatur inter creationem Angeli, & lapsum eius; Ergo Angeli habuerunt cognitionem distinctam abstractam in Verbo de creatura. Falsa igitur est negatio Caiet. quòd cognitio matutina non possit esse alia à beatifica; quia cognitio matutina est duplex; intuitiua & hæc beatifica; abstractiua & hæc non beatifica: & hanc Angeli habuerunt in statu innocentiæ. Circa prędictam tamen conclusionem.

Cognitio matutina in Angelis, alia est beatifica, alia abstractiua.

Species in Angeli intellectu est naturalis, & supernaturalis.

Notandum est Primò. Quòd ista species, quæ ponitur in intellectu Angelico, repręsentatiua in abstractò Essentiæ Dei, dicitur naturalis & supernaturalis, diuersa ratione: Naturalis dicitur: Tum quia ista species est indita Angelo in prima creatione, & quicquid perfectionis alicui datur à principio sui esse, licet detur supernaturaliter, dicitur illi naturale: Tum quia non est merè supernaturalis, secundùm substantiam suam, vt lumen glorię, vel gratię, &c. Non naturalis tamen ex alio capite dicitur: Tum quia talem speciem Angelus nulla virtute sua naturali habere potest: Tum quia nulla causa, causans naturaliter, posset eam in ipso producere, vnde quicquid cognoscit Angelus de Deo, virtute huius speciei, cognoscit aliquomodo naturaliter, & aliquo modo supernaturaliter; Naturaliter, quia non est principium actus meritorij vel gloriosi, qui sunt

sunt actus supernaturales: sed est principium actus naturalis: Supernaturaliter autem, quia hoc principium est ita præcisè à causa supernaturali productum, quod nulla causa naturalis possit illum producere; & in hoc sensu dicitur à Doct. quodl. 14. *Quod neq; Angelus, neq; anima in quocunq; statu accipiantur, concurrentibus quibuscunq; causis naturaliter motiuis intellectum creatum ad intellectionem possunt Deum distinctè cognoscere, & immediatè, siue cognitione intuitiua, siue abstractiua.*

Species distinctè repræsentans Deũ ì abstracto, non necessario repræsentat omnia.

Notandum Secundò. Quòd species distinctè repræsentatiua Dei in abstracto, non repræsentat necessariò omnia, quæ sunt in Essentia Dei. Et ratio est. Quia species alia est ab obiecto necessariò agente, naturaliter producta; sicut species albi, tantum repræsentat album, quantum est repræsentabile, album enim necessitate naturali producit sui speciem, & consequenter species illa, vt adæquatus effectus quoad repræsentationem albi, repræsentat totum album: Alia autem species produci potest ab obiecto, quod non naturaliter, sed liberè, speciem producit, & consequenter illa species, ita intensè & extensè repræsentabit Essentiam Dei, quomodo & quantum vult Deus producens illam speciem: Deus autem secundùm sapientiæ suæ leges omnia vult ordinatè; Ergo & speciem talem dabit Angelis, magis vel minùs repræsentatiuam, proportionaliter ad gradus naturæ Angelicæ; perfectioribus enim Angelis, perfectiùs repræsentantem, & inferioribus minùs perfectè repræsentantem largitus est speciem.

Difficultas.

Sed hic occurrit Difficultas vna. An species talis indita Angelis, repræsentet Deum Trinum, vel non? Dici potest ad mentem Doct. Subt. Quòd species repræsentatiua, præsertim superiori Angelo indita, repræsentet Deum Trinum in abstracto. Elici potest ista conclusio, tum in 2. d. 3. q. 9. ex 2. arg. ad hanc conclusionem proposito; & ex illo termino, quòd Angelus distinctam habeat cognitionem Dei, licet abstractiuam, per talem speciem, & clarissimè habetur ibid. in respons. ad 4. princ. Tum ex quodl. 14. vbi art. 1. ostendit Doctor, quòd ex auditu possit homo deuenire in notitiam istius veritatis, Deus est Trinus; Ergo perfectiori & distinctiori modo, poterit in talem notitiam intellectus longè superior, & à materia abstractior deuenire, sicut argumentum primum Doct. procedit ad istam conclusionem. Nec inde illud absurdum sequitur, quod inferunt Thomistæ; Ergo Angelus, ex puris naturalibus, poterit intelligere mysterium Sacrosanctę Trinitatis: quia dicimus, quòd illa species non est ab agente naturali, sed supernaturali producta, & supernaturaliter, seu modo supernaturali; quia talis species non est debita naturæ Angelicæ, ob intrinsecam talis speciei requisitionem: sed est indita ab authore omnium, ad maius complementum, & perfectionem naturæ Angelicæ; quæ natura Angelica est longè capacior istius speciei, quàm humana: quare si talis species non esset in Angelo per voluntatem Diuinam, non deesset ipsi aliquid naturaliter debitum in esse, requisitum à principijs intrinsecis Angeli: sed deesset accidentalis aliqua perfectio, qua maximè apta est natura perfici, non tamen, ea carendo, esset natura in esse naturæ imperfecta. Non igitur sequitur, Angelus abstractiuè distinctè, per speciem inditam à Deo, intelligit mysterium Sanctissimæ Trinitatis; Ergo naturaliter, siue naturę viribus consequitur istam cognitionem; sicut nec sequitur, Homo elicit actum meritorium vitæ ęternæ, per habitum gratię sibi infusum à Deo; Ergo naturaliter istum actum producit, seu naturę viribus; quia sicut nulla virtus naturæ producere potest ipsam gratiam, ita nec actum gratum tali gratia, iuxta doctrinam priori Notab. dictam. Nec dico hic illud, quòd ita sit supernaturalis species, sicut gratia (hoc enim à Doct. expressè negatur, & à nobis Not. 1. negatum est.) Sed hoc dico, quòd quando aliquid elicitur ab agente, per principium naturę indebitum, immediatè à solo Deo productum, illius actus principium non potest dici naturale, sed supernaturale.

Dices. Ista ratio supernaturalitatis in tali specie, vel est quoad modum, vel secundùm substantiam: si quoad modum; Ergo potest produci à causis naturalibus. Patet ex supra dictis de Geometria à Deo infusa in instanti; potest enim ille habitus à causis naturalibus produci, licet non in instanti; Si secundùm substantiam; Ergo erit ita supernaturalis sicut & gratia, vel lumen gloriæ, quod Doct. Subt. negat. Respondeo. Non est supernaturalis quoad modum, sed est supernaturalis secundùm substantiam, naturalis autem quoad modum. Hoc dictum explico. In formis supernaturalibus secundùm substantiam, datur latitudo; quædam enim magis, quędam minùs possunt dici supernaturales secundùm substantiam. Formæ supernaturales, quæ sunt ita supernaturales in sua entitate, vt tamen insint alicui Enti naturali, à principio sui esse, minùs dicitur supernaturalis, quàm altera eiusdem rationis vel diuersæ, quæ inest alteri rarò, & quasi per modum cuiusdam miraculi, causante Deo: Vnde accipio ipsammet gratiam secundùm aliquos gradus, v. g. vt 5. gratia data peccatori quandoq; post Confessionem, & gratia superinfusa animæ Christi, sunt secundùm substantiam suam supernaturales, & eiusdem rationis habitus: magis tamen supernaturalis potest dici quoad modum in impio iustificato, cui miraculosè & præter communem cursum naturæ datur, quàm in Christo, cui quasi connaturaliter, ob illam ineffabilem duarum naturarum in vna persona vnionem debetur ab initio talis vnionis: & quia quantò aliquid magis recedit ab vno extremo, tantò magis accedit ad alterum; ideo gratia quæ alicui dicitur minùs supernaturalis, potest dici aliquomodo naturalis illi, non quoad substantiam, & entitatem gratiæ, sed quoad illum modum, quod conuenit alicui semper à principio sui esse, ac si esset debitum, & connaturale. Idem planè dicendum est de specie repræsentatiua Essentiæ Dei, quòd si eadem species, quam habet Angelus à principio suæ creationis, communicaretur per Dei potentiam homini; Angelo esset minùs supernaturalis, homini magis, non quantùm ad illum modum, quia Angelo conuenit semper, & quasi connaturaliter, homini miraculosè, & per extraordinariam Dei potentiã. Secundò dici potest æquè probabiliter, vel probabiliùs, Quòd licet ista species in intellectu Angeli, sit ratio distinctè cognoscendi Essentiam Diuinam, non tamen est ratio distinctè cognoscendi modum istius Essentiæ in suppositis, sicut etiam in nobis distinctè potest cognosci abstractiuè aliqua quidditas creata, licet non cognoscatur in quibus suppositis sit, vel qualiter in eis sit. Istud dictum iisdem verbis habetur in Doct. Subt. 2. d. 3. q. 9. in resp. ad argum. pro 1. opin. §. *Ad illud posset dici, &c.* Et notanter additur, *posset dici*, non dico, vel, dicendum est, vt indicet probabilem esse sententiam. Quòd autem vtrumq; dictum hoc probabiliter ab ipso sustineatur, & commodè sustineri possit; clariùs patet ex dictis eius loco cit. ad argum. vltimum.

Supernaturalitas i formis habet latitudiné.

Hęc dicta sint de specie distinctè repræsentatiua Essentiæ Dei in abstracto cognitæ, secundùm ordinariam potentiam Dei. An verò de absoluta potentia Dei possit fieri aliqua species, quæ quidditatiuè, distinctè, & intuitiuè repræsentaret Essentiam Dei, fit.

Quinta Conclusio. Ad visionem claram & intuitiuam Dei, non est necessaria species repræsentatiua illius: posset nihilominus per Dei potentiam absolutam talis species intuitiuè Deum repræsentans produci. Prima pars est Doct. in 1. d. 3. q. 7. vbi requirit speciem intelligibilem in intellectu, maximè propter præsentiam obiecti in ratione intelligibilis: Sed Diuina Essentia est præsentior & intimior intellectui Beatorum, quàm vlla species, vt concedit Subt. Doct. in 2. dist. 3. q. 9. & in 4. d. 49. Ergo talis species non est necessaria ad cognitionem intuitiuam Dei. Secunda pars consona est dictis eiusdem hactenus. Probatur autem sic. Non implicat hoc contradictionem; Ergo est possibile. Antecedens probatur quadrupliciter. Primò. Quia sicut repugnantia, seipsis repugnant, nec est alia ratio quærenda distincta ab eis, ob quam repugnent; ita non repugnantia seipsis non repugnant, nec alia ratio non repugnantię quærenda est, nisi quia hoc est talis natura, & illud talis. Ista igitur non repugnantia vt videatur in præsenti materia, termini ipsi considerandi sunt: species nimirum repręsentatiua distinctè, & Essentia Dei clarè repræsentabilis per illam speciem. Inprimis igitur non est repu-

Species claré repræsentatiua Dei est possibilis.

gnantia

gnantia ex parte ſpeciei, quia cognoſci Deum, per ſpeciem in confuſo, non repugnat, vt dictum eſt; Ergo & per ſpeciem aliam clariùs repræſentantem non repugnat: ſicut enim ſe habet ſpecies confusè repræſentatiua obiecti ad confusè repræſentandum, ita diſtinctè & clarè repræſentatiua ſpecies ſe habet ad clarè repreſentandum obiectum: ſpecies ſiquidem ita eſt apta repræſentare obiectum, ſicut ab illo habet rationem repræſentatiui, ſi clarè, clarè; ſi in confuſo, in confuſo: tota enim ratio repræſentatiui in ſpecie eſt ab obiecto, à quo eſt ſpecies; ſi obiectum in ſpeciem confuſam producit, confusè repreſentabit; ſi diſtinctè, diſtinctè; quod ſi diſtinctiſſimè, diſtinctiſſimè. Ex parte igitur ſpeciei non eſt vlla repugnantia, quòd illa ſit diſtinctiſſimè & clariſſimè repræſentatiua. Non etiam ex parte repræſentabilis eſt repugnantia, quòd videlicet implicet Eſſentiam Dei infinitam, actualiſſimã, independentem, repræſentari ab aliquo finito, potentiali, dependenti: iſtud enim nihil valet, vt patet ex dictis ſupra Notab. 4. quia repræſentatiua ſpecies non debet habere ſimilitudinem cum obiecto repræſentabili, in modo eſſendi, ſed tantùm in modo repræſentandi; Ergo nulla eſt repugnantia.

Secundò. Probatur idem Antecedens ſic. Aliquod Ens creatum eſt diſtinctiſſima & intuitiua ſimilitudo Eſſentiæ Dei; Ergo non repugnat ſpeciem repræſentatiuam poſſe talem creari, quæ diſtinctiſſimè & intuitiuè repræſentet Deum. Conſequentia. Quia quæcunq; hìc contradictio adferri poteſt ab aduerſarijs, eadem omnino adferretur contra illud in antecedente poſitum, cùm ſit par ratio. Antecedens huius probationis clarum eſt ex prima Concluſione. Quia actus ille viſionis intuitiuæ, quo Beati clarè & intuitiuè vident Deum, eſt actus ſecundus, & quid productum in intellectu Beati, vt etiam de omni intellectione actuali creaturæ concedit Caiet. 1. par. q. 76. ar. 1. Sed actus intelligendi diſtinctè intuitiuè Deum, eſt diſtinctiſſima & intuitiua ſimilitudo Dei; vel ſaltem verbum, quod talem intellectionem ſecundùm D. Tho. 1. p. q. 2. ar. 1. conſequitur, erit in repræſentando ſimillimum Deo; vult enim D. Tho. 1. p. q. 3. art. 8. in reſp. ad 2. Quòd verbum ſit forma exemplaris: id clariùs explicans quæſt. 28. art. 4. ad 1. aſſerit, verbum eſſe conceptum mentis & rem intellectam; infra tamen. q. 34. art. 1. docet verbum impropriè ſignificare rem intellectam (quæ vtrum bene dicantur examinatur inf. diſt. 27. q. 1.) ex quibus omnibus dictis D. Th. hoc colligitur. Quòd verbum mentis conſequens intellectionem, eſt ſimile in repræſentando rei intellectæ; exemplatum enim eſt perſimile in repræſentando ſuo exemplari, vt patet de domo extra, ad domum quæ eſt in mente artificis: verbum aũt ſecundùm D. Tho. eſt forma exemplaris, ſiue ſimilitudo rei intellectæ; ob hanc cauſam ab Ariſt. 1. de an. text. 47. intellectio appellatur res intellecta, non quidem formaliter, ſed obiectiuè, ſiue repræſentatiuè: quia intellectio eſt vera rei cognitæ ſimilitudo. Cùm ergo actus ille viſionis intuitiuę, vel verbum creatum, in intellectu Beati, conſequens talem viſionem, ſit ſimilitudo diſtinctè & intuitiuè repræſentatiua Eſſentiæ Dei; non erit vlla implicatio, quòd aliquod creatum repræſentatiuum poſſit repreſentare intuitiuè Eſſentiam Dei. Et ſanè omnes illæ rationes in princ. Dubit. propoſitæ, planè eodem modo contra actum intelligendi beatificum militant, ſicut contra ſpeciem, vt patebit eaſdem ſpeculanti, & loco nominis, Species, intellectionem, vel verbum creatum ponenti, in illis rationibus. Caiet. victus hac ratione negat Beatos habere verbum de Eſſentia Dei, ſed Ferrar. 1. con. Gen. c. 53. Ban. 1. p. q. 12. ar. 2. alijq; Thomiſtæ doctiores ibidem, hoc dictum Caiet. tanquam non conforme doctrinæ S. Tho. & veritati, communiter reijciunt.

Caiet. rationib. victus, negat Beatos habere verbum de eſſentia Dei

Tertiò. Poſſibile eſt ſecundùm Thomiſtas, imò de facto tenent, quòd ſpecies vniuerſalis, quam habet Angelus, poſſit repreſentare aliquod ſingulare, puta Paulum, vel Ioannem, ſub ratione intuitiua; Ergo non eſt impoſſibile, quòd Deus illam ſpeciem, quæ Angelo diſtinctè quidem, ſed abſtractè repræſentat Eſſentiam Dei, (iuxta dicta præcedenti Concluſione) faciat repræſentare clarè & intuitiuè, ſi ſe obijciat intuitiuè cognoſcenda Eſſentia Dei, illi intellectui habenti talem ſpeciem.

Quartò, oſtenditur illud antecedens. Quia omnia argumenta oppoſitæ ſententiæ, nullam poſſunt concludere inconuenientiam contra hanc determinationem, vt patebit ex reſolutione eorum.

Ad Primum igitur in principio adductum, vt contra vltimam concluſionem procedit. Cõcedo totum diſcurſum, vſq; ad illum locum, Implicat quòd vna creatura finita aſſimiletur infinitis rationibus eſſendi: vel enim illa minor intelligitur, quòd implicet finitum aſſimilari infinitis rationibus eſſendi, in eſſendo, vel in repreſentando: ſi in eſſendo, veriſſimum eſt; ſed nihil contra determinatam veritatem: ſi in repræſentando, eſt falſa illa Minor; quia actus clarę viſionis in Beato, eſt entitatiuè finitus, & tamen repræſentatiuè eſt infinitus: quia repræſentat obiectum infinitum.

Finitum ſimilatur finito.

Ad Secundum. Negatur quòd eſſentia creata poſſit adæquare repræſentationem talis ſpeciei. Ratio eſt; quia ſpecies naturaliter eſt ratio repreſentandi illud, cuius eſt repræſentatiuum; cùm ergo in propoſito ponatur ſpecies repræſentans Eſſentiam Dei, repugnat quod iſta ſpecies poſſit eſſe repreſentatiuum alicuius eſſentiæ creatæ, quantumcunq; perfectæ.

Ad Tertium. Nego ſequelam. Et ratio negationis eſt manifeſtiſſima; cùm enim ſpecies repreſentans obiectum, cauſetur ab obiecto talis in repreſentando, quale eſt obiectum in eſſendo; ſequitur quod ſi ſpecies in repreſentando ſit infinita, quòd etiam obiectum cauſans talem ſpeciem, ſit in entitate ſua infinitum: Species verò intelligibilis, producens actum intelligendi vt cauſa partialis, cùm ſit cauſa ratione ſuæ entitatis, & entitas cuiuslibet ſpeciei ſit finita, non ſequitur quòd ſit infinitæ perfectionis entitatiuè; quia tamen eſt infinita illa ſpecies repræſentatiuè, actus productus à tali ſpecie erit infinitus repræſentatiuè, non entitatiuè. Et per idem patet ad Confirmationem, quòd ſpecies quò perfectiùs in quidditate obiectum repreſentat, eò eſt perfectior in repræſentando, non in eſſendo; & ſi repreſentat obiectum infinitum, in repreſentando erit infinita, non in eſſendo.

Ad Quartum. Negatur Antecedens. Quia omne accidens in ſubiecto exiſtens, magis eſt concretum quàm aliqua ſubſtantia, præſertim ſpiritualis, maximè autem infinita. Quod ſic oſtendo. Illud eſt magis concretum, à quo plures fiunt abſtractiones: ſed plures ab accidente concreto fiunt abſtractiones, quàm à ſubſtantia, vt oſtenditur inf. diſt. 5. (ſubſtantia enim ſiue ſimplex, ſiue compoſita, ſecundùm rationem ſuam formalem accepta, tantùm abſtrahit à ſuppoſito propriæ naturæ, vt homo, tantùm à ſuppoſito Pauli, Ioannis, &c. Abſtractio verò accidentium ſecundùm rationem duplex eſt; prima eſt, à ſuppoſito alterius naturæ, ſcilicet à ſubiecto cui inſunt, ſecunda eſt ab indiuiduis propriæ naturæ: ſic albedo primò abſtrahitur ab omni ſubiecto, deinde ab hac & illa albedine) Ergo, &c. Quando igitur dicitur. Species eſt magìs immaterialis, magiſq; abſtracta ſuo obiecto: inconuenienter dicitur: nam ſpecies repreſentatiua huius Angeli, eſt magìs potentialis & concreta, quàm Angeli ſubſtantia: quia ſpecies inprimis contrahitur ad ſingularitatem, deinde ad ſubiectum, cùm ſit accidens; Angeli autem ſubſtantia ſecundùm ſe, tantùm habet potentialitatem ad eſſe ſuum indiuiduale.

Accidẽs magis eſt concretnm quàm ſubſtantia

Ad Confirmationem. Sicut menſura ad menſuratum, ſcientia ad ſcibile, dicit ordinem eſſentialem; ita repræſentatiuum ad illud quod repreſentat. Ratio igitur formalis quare hæc ſpecies, v. g. Angeli, non repreſentat materiam primam, vel aliquid aliud ab Angelo, eſt, quia hoc repreſentatiuum ſpecificatur & menſuratur à ſuo obiecto proprio, nimirum ab Angelo, & non à materia prima, vel aliquo alio: ita quare ſpecies alicuius materialis obiecti, non ſit apta repreſentare rem immaterialem, ratio formalis repugnantiæ non eſt materialitas, vel non materialitas (quia etiam in materialibus ſpecies albi non eſt repreſentatiua ſoni, ſed albi; & in immaterialibus ſpecies intelligibilis anima hominis, non eſt repreſentatiua leonis) quę per accidens conuenit ſpeciei: Angelus enim de obiecto materiali quanto, habet ſpeciem immaterialem & indiuiſibilem,

Ratio repręſentatiui diſtincta non ex immaterialitate puenit ſpeciei, ſed ex dependẽtia ad obiectũ.

homo

homo item primò in sensibus habet materialem speciem & quantam, postea in intellectu habet immaterialem: sed est dependentia & necessaria habitudo exemplati ad exemplar, repræsentatiui ad repræsentatum, talis ad tale, & non ad aliud. Hoc dictum vt sit manifestius. Dico, oppositum illius confirmationis est verissimum; si consideretur species vt est in intellectu, vel nostro, vel (magis ad propositum) Angelico: Angelus enim habet speciem de homine, & aliam speciem de Angelo; species de Angelo non est magis immaterialis in intellectu Angelico, specie habita de homine; quia vtraq; species in Angelo est accidens simplex, spirituale, incompositum realiter; & tamen cum æqualitate immaterialitatis in illis speciebus, stat distinctio & inæqualitas repræsentatiui in ipsis: Ergo ratio distincta repræsentatiui in repræsentando, non est à materialitate vel immaterialitate speciei, sed aliunde. Præterea. Species hominis visi, in visu, & species hominis intellecti, in intellectu, sunt duæ species distinctæ realiter, in ratione materialis & immaterialis, & tamen in ratione repræsentatiui non distinguuntur, cùm sint repræsentatiua eiusdem obiecti: Ergo malè penes materiale vel immateriale assignatur ratio repræsentatiui. Dixi autem, per accidens speciei conuenire esse materialem vel immaterialem: quia si sit in potentia immateriali, species erit immaterialis, etiam de obiecto materiali; si in potentia organica & materiali, species erit materialis & quanta: esse autem rationem repræsentatiuam, siue speciem, in hac vel illa potentia, per accidens conuenit speciei.

Species repręsētatiua nunc cognita, necessaria est accidens.

Ad Quintum. Nego sequelam. Ad probationem, quãdo dicitur, accidere speciei, quòd sit substantia vel accidens. Respondeo. Vel loquitur de specie impressa obiectiua, sic fortè posset concedi; vel de specie impressa repręsentatiua, quæ est ratio repræsentandi non vt cognita, (de qua hactenus quarta & quinta Concl. processit) & sic omnino falsa Caiet. & Ban. opinio, quia omnis talis species ab intrinseca sua ratione, est qualitas includens relationem ad obiectum repræsentatum, sicut scientia ad scibile; omnis autem qualitas quidditatiuè est accidens. Probationes illæ duæ ex authoritate S. Aug. & Dion. desumptæ, probant nostram secundam Conclusionem.

Ad Sextum. Quod magni facit Vasqu. & à Doct. Subt. tum quodl. 14. tum in 2. d. 3. q. 9. solutum est. Respondeo breuiter. Supposito quòd daretur vni Angelo species distinctè repræsentans mysterium Sanctissimæ Trinitatis, potest concedi, quòd etiam Angelo alteri illa species sit ratio videndi Deum. Quando infers. Ergo naturaliter videbit Deum ille Angelus secundus. Respondeo, negando consequentiam, iuxta dicta Conclusione 4. in resolutione cuiusdam difficultatis: quia & illa species est supernaturalis, quæ est sibi ratio intelligendi, & ipsum producens talem speciem in Angelo, est agens supernaturale; & consequenter actus intellectionis elicietur supernaturaliter: quia mediante principio supernaturali.

Ad Septimum. Loquendo de specie, quę est ratio repręsentandi non cognita, est omnino neganda illa propositio, quòd talis similitudo, debeat esse eiusdem speciei, cum re cuius est similitudo: imò frequenter est genere diuersa talis similitudo repræsentatiua, ab eo quod repræsentatur; quia talis species est semper & necessariò qualitas, repræsentatum verò potest esse substantia, vel quantitas.

Similitudo non est vniuersaliter eiusdem speciei, cum re, cuius est similitudo.

Ad Octauũ. Species est determinati generis in entitate sua, quia est sub genere qualitatis: sic tñ determinatum pôt repręsentare indeterminatũ, prout ét actus intelligendi est determinatè qualitas, & pôt repræsẽtare intellectã substãtiã; phantasma similiter est qualitas, phantasiabile verò repræsentatum, est substantia vel quantitas, domus ét in mẽte non est substantia, sed accidens &c. quia non requiritur similitudo entitatiua in repræsentatiuo respectu repræsentabilis, sed tantùm similitudo proportionalis in ratione repræsentatiui. Ad Confirmationem. Triplex potest cogitari in præsenti adæquatio: vel adæquatio simpliciter entitatis ad entitatem; vel adæquatio secundùm proportionem repręsentantis ad repræsentatum absolutè; vel tertiò adæquatio secundùm proportionem non absolutè, sed in ordine ad talem actum. Prima adæquatio nulli repręsentatiuo, quod est ratio repræsentandi non cognita, conuenit: & talis etiam in proposito negatur adæquatio. Secunda adæquatio, consistit in ratione intensiua repræsentandi, vt videlicet repræsentans ita sit aptum repręsentare, & sic intensè, sicut est obiectum aptum repręsentari; vt si poneretur species albi perfectissimi, perfectissimè illud repręsentans & comprehensiuè: & nec hoc modo species possibilis est esse adæquata Deo repręsentatiuè; quia vt præclarè dicit Subt. Doct. Essentiam illam infinitam non potest comprehendere nisi infinitus intellectus, per ipsam Essentiam infinitam, vt per rationem cognoscendi. Tertia autem adæquatio, comparando illud repręsentans ad actũ intelligendi finitum, ab intellectu finito elicitum, in hoc consistit; quòd quamuis species non ita perfectè repręsentat obiectum, vt illud est in se repręsentabile omni modo, tamen perfectè repręsentat illud, in comparatione ad talem intellectum, & talem actum; & huiusmodi adæquatio est in proposito; quia species ita perfectè illam infinitam Essentiam repręsentaret, sicut intellectus suo finito actu aptus esset attingere.

Adæquatio triplex.

Ad Nonum. Nego Maiorem; & patet responsio ex dictis modò, ad probationem octaui argumenti.

ARTICVLVS QVINTVS.

Resoluuntur argumenta Philosophorum primo Articulo adducta.

Ad argumenta pro opinione Arist. Ad primum dico, &c.

COMMENTARIVM.

Ad 1. arg. Philosoph.

AD Primum dicitur. Quòd cum notitia producatur ab intellectu & ab obiecto simul, argumentum hoc Philosophorum ostendit, quòd omnia requisita ex parte intellectus, sint in homine, ad causandam quamlibet notitiam, quod concedo: sed non sunt omnia requisita ex parte obiecti, quod in præsenti est supernaturale, voluntariè & non necessariò se manifestans, vt dicitur inf. dist. 3. q. 1. & 2. & quodl. 14. ac proinde non sequitur, quòd naturaliter acquiri possit notitia rerum omnium.

Responsio illa ad Confirmationem, data in litera Doct. est notatu dignissima, quòd in ista propositione. Omni potentię naturali passiuæ, correspondet aliqua naturalis actiua, ly naturale, siue accipiatur pro habente principium intrinsecum motus, quo pacto Natura 2. Phys. tex. 5. describitur, siue pro eo quod est ex natura sua, non per artem, sic ordinatum, ad talem perfectionem, vtroq; modo sumendo ly naturale, falsa est propositio illa. Et in primo quidem sensu, habet manifestam instantiam in materia, quę habet potentiam naturalem ad formam hominis; cui tamen potentiæ passiuæ naturali, non respondet potentia aliqua naturalis actiua, cùm nullum agens aliud à primo, possit animam rationalem producere: similiter materia in hoc Socrate existens, est in potentia ad omnium indiuiduorum existentium formas recipiendas; & tamen nulla virtus creata potest istam materiam informare his formis, etiam successiuè, id est, vna post aliam. In secunda etiam acceptione, illa enunciatio non habet veritatem, quando aliqua potentia receptiua naturaliter, ordinatur ad aliquam perfectionem quę non posset naturaliter attingi, vt dixi ar. 3. quod verum est, non modò de potentijs immaterialibus, vt intellectu & voluntate, quæ naturalem inclinationem habent ad perfectionem supernaturalem; sed etiam de sensitiuis, quæ eleuabuntur ad actus excellentiores eliciendos & recipiendos in corporibus glorificatis post resurrectionem; de quo in 4. in materia de Beatitudine. Nec in locis illis ex Philos. (quæ communiter ab vsurpantibus illam propositionem adducuntur) quidquam reperitur nostrę positioni contrarium. Et inprimis 2. Met. tex. 11. 9. Met. tex. 8. & 10. nihil eiusmodi habetur, ex quo elici possit illa propositio, in sensu ab aduersarijs vsurpato; licèt non pauca ibi de potentijs irrationalibus, & rationalibus dicantur. In 3. autem de an. tex. 17 volens docere quòd in anima est intellectus agens & patiens, prę assumit istam propo-

Omni potẽtiæ passiuæ naturali respondet actiua naturalis, est propositio falsa i multis.

Nec est illa enunciatio Aristotel.

propositionem, Quoniam autem in omni natura est aliquid, hoc quidem materia vnicuiq; generi, id autem est quod potentia omnia illa, alterum autem causa & factiuum, quod faciendo omnia. In quo dicto Philosophi, in illis verbis, In omni natura est aliquid, ly Omni natura, idem valet, quod in tota coordinatione Entium: & sic verè omni potentiæ passiuæ naturali, quomodocunq; sumptæ, respondet potentia naturalis actiua; vel strictè sumêdo ly naturalis; vel communiùs, quòd in coordinatione Entium respondet aliquod Ens in rerum natura: & sic Ens supernaturale, ipsa prima causa, est Ens in natura rerū, vt optimè hic edocet Subt. Doct. hoc enim sufficit Aristoteli, in illa communi propositione, quæ debet esse vniuersalior alia ibi illata, quæ est, Necesse est & in anima has esse differentias. Dices. In anima est verè naturalis potentia actiua, intellectus scilicet agens, respondens potentiæ naturali passiuæ, intellectui patibili: Ergo illa propositio cômunior; debet etiam tali modo intelligi. Respondeo. Negando consequentiam; quia est argumentatio, ab vna parte disiuncti ad totum disiunctum, quasi scilicet similiter se haberet totum disiunctum, sicut se habet pars disiuncti.

Istius Confirmationis propositio Minor, eiusq; probationes nostram Conclusionem Art. 3. expressam approbant.

Ad alteram confirmationem Maioris, quæ adducitur de 2.Cœli & mun.tex. 50. (idemq; haberi potest tex.59., & 1.Cęli tex.32.& 3.de an.tex.45.) docet ibi Philosophus, vt etiam notat Auer. quòd si astra essent animata dedisset illis natura instrumenta organica, sicut & cæteris animalibus; & subdens huius rei quasi causam, dicit: Natura enim nihil agit otiosè, sine causa; vel (vt alij expositores habent) Natura nihil facit frustra, id est, (inquit Auerr.) Natura non ponit, in aliquo habente animam, virtutem motiuam, nisi cum instrumentis, quibus potest moueri, aut quibus meliùs mouetur vel faciliùs. Ex hoc igitur Antec. eiusq; Confirmatione, nimirum, Si daret natura astris potentiam passiuam, respectu motus organici, daret etiam illis organa, quibus naturaliter efficeretur motus, non valet ista Consequentia; Ergo si est principium passiuum naturale, receptiuum omnis intellectionis in anima, est etiam principium elicitiuum naturale; cùm præter intellectum agentem, ad productionem actus intelligendi, concurrat obiectum, quod non semper est naturale, prout & in proposito accidit. Ex prædicto igitur loco, hoc tantùm habetur ad mentem Philosophi; quòd aliqua potentia naturalis organica, ordinabilis ad actum vel ad obiectum, habet à natura, in non orbatis (quod additur propter illa animalia, quæ secundùm speciem suam carent organo, ex ratione tamen generica animalis apta sunt habere, vt talpæ) organum, sine quo talis potentia non elicit actum suum: imò etiam loquendo extensiuè de potentia inorganica intellectiua (licet hoc textus Philosophi non intendat) eaomnia quæ ex parte ipsius ad producendum actum requiruntur, habet intellectus naturaliter, & à natura; non tamen omnia absolutè, cùm obiectum concurrat specificatiuè ad actum: & hoc est quod dicitur in litera Doct. *Sed non sic est de posterioribus requisitis ad actum*, principaliter enim & vitaliter concurrit ad eliciendum actum potentia; secundariò verò & terminatiuè concurrit obiectum specificans illum actum; & priùs prioritate intelligibilitatis est rem esse, posteriùs talem esse; sic & in actu intelligendi prior gradus est essendi, posterior est talitas essendi.

Natura nihil facit frustra.

Secunda Responsio ad Confirmationem principalis argumenti, hunc sensum habet. Omni potentię passiuæ naturali, respondet actiua naturalis; verum est, comparando potentiam passiuam ad actiuum naturale, id est, in rerum natura existens; & sic vera est Maior, vt dixi, sed nihil facit pro Philosophis: Secundò comparando potentiam passiuam ad actum qui recipitur, & ab illo formaliter denominando potentiam passiuam naturalem, sic negatur Maior, quòd omni potentiæ naturali passiuæ, correspondet forma recepta naturalis: vera autem est Minor, quòd intellectus sit potentia passiua naturalis, habens inclinationem naturalem ad omnem formam, etiam supernaturalem, vt dictum est Articulo præcedenti, Dubitat. 3.

Tertiò. Solui potest illa Confirmatio, vt de facto soluitur à Doct. illam Minorem propositionem, Sed intellectus possibilis, est potentia passiua, respectu omnium intelligibilium, distinguendo; vel enim est sermo de intellectu, vt intellectus est absolutè; vel de intellectu pro statu istius viæ, in quo dependet in cognitione à sensibus & à phantasmatibus: primo modo verum est, sed non est ad propositum; cùm quæstio procedat de viatoris intellectu: secundo modo sumendo intellectum vt viatoris est, falsum est, quòd ipsius obiectum sit omne Ens; sed est Ens materiale, seu quidditas rei materialis: loquitur autem hic Doct. de obiecto motiuo & terminatiuo simul, nam obiectum terminatiuum potest esse aliud à quidditate rei materialis. Verùm de hoc pleniùs infra.

Ad 2. argumentū Philosophorū.

In secunda parte Articuli, in responsione ad Secundum argumentum Philosophorum. Primò pręmittitur responsio aliorum, & declaratio responsionis; Deinde hæc responsio reijcitur, vt insufficiens, & declaratio eius improbatur: Tandem de mente propria argumento Philosophorum respondetur.

Respondet D. Thom.

Ad hoc igitur argumentum respondet D.Tho. 1.par.q. 1.art. 1. Quòd licèt de omnibus scibilibus sint illæ scientiæ naturales, non tamen sunt sub omni modo, quo possunt illucescere intellectui; nam per scientias illas naturales, sciûtur aliqua de Deo lumine naturalis rationis, non autem lumine Diuinæ reuelationis: cùm ergo diuersæ rationes sciendi, diuersificent scientias, licèt sint de eodem scibili, vt patet per Arist. 1.post.tex.43. (de eodem enim obiecto, puta de Deo, considerat Physica vt est primus motor, & Metaph. abstrahendo à motu) poterit etiam esse scientia Theologica de illo obiecto, de quo est scientia naturalis, sed eius principia & ratio sciendi innitentur lumini reuelato, non naturali. Quomodo autem de eodem obiecto possint esse distincti habitus (cùm secundùm Arist. habitus distinguantur per obiecta) explicat Thomistæ doctrinæ sectator Godfredus de Font. quodl. 14. idq; conformiter doctrinæ D.Tho. 1.2.q.54. ar.2. velit, nolit, ibidem Caiet. tali modo. In omni habitu scientifico possumus considerare duo: & rationem habitus, & rationem formę. Habitus igitur scientificus, ea ratione qua habitus est, distinguitur per obiectum: sed illa ratione qua forma est, non est necesse vt distinguatur per obiectum, de quo est scientia, sed per principia per quæ habetur scientia: vnde cùm de eodem obiecto possint haberi diuersa principia, alia luminis naturalis, alia luminis reuelati: diuersę erunt sciêtiæ causatæ à talibus principijs.

Explicatur illa respōsio.

Habitus scientificus dupliciter cōsideratur.

Ista responsio non placet Doct. Subtili. Si enim propterea est Theologia necessaria, quia per scientias naturales non possumus omni modo cognoscere Deum, nempe quia non possumus cognoscere lumine reuelato, sequitur Theologiam non esse viatori necessariam: consequens est inconueniens (vt probatum est supra, & docet ipsemet D. Tho. loco cit.) Ergo & Anteced. ex quo sequitur. Probatur sequela Maioris, exemplo à D.Th. adducto. Quia cognoscens per principium Physicum, terram esse rotūdam, non indiget vt cognoscat eandem veritatem per principium Mathematicum abstractum à motu; ita cognoscês omnia cognoscibilia de Deo lumine vno, non indiget simpliciter, vt cognoscat illa lumine altero. Ratio breuiter ex dictis supra haberi potest. Si habetur sufficiens & distincta cognitio vltimi finis, non indiget agens propter illum finem, vt talem finem vltimum alio & alio modo cognoscat, cùm non sit ponenda pluralitas absq; necessitate.

Reijcitur solutio D Thomę.

Dicit Caiet. in Prolo. Art. 1. Quòd diuersitatem modi sciêdi, diuersitas obiecti formaliter sumpti, seu rationis formalis obiecti concomitatur: res enim sub diuersis rationibus cognoscendi acceptæ, diuersitatem scibilium inducunt; ac proinde quando S.Th. dicit in textu, Diuersa ratio cognoscibilium, diuersitatem scientiarum inducit; implicitè insinuatur ibi alietas cognoscibilium, quam iam in 1.Conclus. expresserat: quare negatur illa sequela Maioris, quòd scilicet Theologia non sit necessaria.

Explicat Caiet. sentêt. D. Thomæ.

Ista responsio Caiet. in pluribus deficit. Ac inprimis, in illa pro-

Explicatio Caiet. i pluri b. deficit.

illa propositione. Quòd diuersitatem modi cognoscendi, diuersitas formalis obiecti concomitatur; Tum quia intelligibile vt intelligibile reale, præcedit natura intellectionem, vt optimè deducit Subt. Doct. in libro Theor. Theo. 1. Sed ratio formalis obiecti est Ens intelligibile; Ergo ratio formalis obiecti realis præcedit omnem cognitionem, non concomitatur: Tum quia ratio obiecti formalis, est ratio illa in obiecto reali, secundùm quam debet obiectum reale considerari: si ergo illa ratio concomitatur modum intelligendi, sequitur quòd omnis obiecti realis ratio formalis, sit Ens rationis, quia est quid consequens considerationem intellectus, & modum cognoscendi concomitans; & ita omnis scientia realis, propter rationem formalem obiecti non realem, dicetur non realis; Tum quia quando dicitur à Caiet. res sub diuersis rationibus cognoscendi acceptæ, diuersitatem scibilium inducunt. Quæro; vel in re sunt illæ rationes conceptæ absque opere intellectus; & tunc falsum est, quòd illæ rationes obiectiuæ concomitentur cognitionem, cùm sint ante operationem intellectus; vel per operationem intellectus sunt, & tunc res non accipitur sub diuersis rationibus in re existentibus, sed sub diuersis entibus rationis; Atque ita si ratio formalis obiecti specificat, & distinguit scientiam, vt docet Aristot. scientiæ de eodem obiecto materiali sub distinctis rationibus formalibus, distinguentur tantùm ratione; patet, quia ratio distinctiua est Ens rationis consequens modum cognoscendi.

Rō formalis obiecti naturalis præcedit intellectionē, nō sequitur.

Caiet. malè explicat D. Thom.

Deinde illa glossa Caiet. quòd in illis verbis S. Thom. Diuersa ratio scibilis, diuersitatem scientiarum inducit, implicitè insinuatur diuersitas cognoscibilium, nulla est. Tum quia non est ad mentem S. Thom. in præsenti, vbi de eodem scibili, vt quòd terra est rotunda, & sub eadem ratione subiecti & prædicati formaliter sumpta, docet posse esse diuersas scientias; Ergo non subintelligit D. Thom. diuersitatem cognoscibilium: Tum quia si in illis verbis, Diuersa ratio scibilis. Ly diuersa ratio scibilis, pro diuersitate scibilium, non modi cognoscendi acciperetur, inconuenienter exemplificaretur de eodem scibili complexo. Deinde omissis antedictis altercationibus, dico adhuc stare Doct. Subt. impugnationem, quia non saluatur necessitas Theologiæ per illam rationem S. Thom. Si enim vno lumine cognoscitur aliqua veritas, non est necessarium alio lumine cognoscere. Nec Caiet. illa euasio aliquid valet, quòd Theologia & easdem veritates, quas scientiæ naturales, & alias veritates de ijsdem rebus, considerat; & consequenter, non solùm est diuersa scientia ob diuersitatem luminis, sed etiam necessaria; Tum quia ista explicatio est extorta; nam S. Thom. in responsione ad secundum præcisè loquitur, de eadem re posse haberi diuersam scientiam, ob diuersa præcisè lumina, vt patet ex illius exemplo & textu; Ergo loquitur de ijsdem veritatibus non de alijs; Tum quia 2. argumentum fuit vniuersale à D. Thom. propositum, tale, Doctrina omnis est de Ente; nihil enim scitur nisi verum, quod conuertitur cum Ente; sed scientiæ naturales tractant de omnibus Entibus, quia & de ipso Deo; Ergo non est necessaria aliqua doctrina præter Philosophicas. Respondet S. Thom. De eisdem rebus de quibus Philosophicæ doctrinæ tractant, secundùm quòd cognoscibilia sunt lumine naturalis rationis; tractare & aliam scientiam (scilicet Theologiam) secundùm quòd cognoscuntur lumine Diuinæ reuelationis. Ista responsio vel est sufficiens ad Minorem propositionem argumenti, vel insufficiens; secundum negaret Thomista: si primum; Ergo sicut illa Minor in argum. proposito erat absolutè vniuersalis, (vt liquidò constat ex Maiori, quæ fuit de omni veritate conuertibili cum Ente, & consequenter Minor cum signo vniuersali sub sumpta, de omni veritate absolutè procedit) ita responsio erit vniuersalis, de omnibus veritatibus totius Entis, ac proinde expositio Caiet. non erit ad mentem D. Thom. quòd Theologia etiam alias veritates consideret, præter illas quæ considerantur à scientijs naturalibus.

Explic. Caiet. fe. D. Th.

Illud Secundum dictum aliorum in solutione huius principalis rationis. Quòd nimirum scientia vt est habitus, distinguitur per obiecta, vt verò est forma per principia distinguitur. Impugnatur à Doct. Subt. Primò. Forma est quid superius quàm habitus, vt dicit Porret. in lib. 6. princip. Et euidens est: quia omnis habitus est forma, sed non omnis forma est habitus. Hoc supposito, dicitur. Impossibile est aliqua esse distincta in ratione superiori, & non esse distincta in ratione inferiori, vt impossibile est hominem & Leonem esse distincta in specie, & non esse distincta in numero, vel esse distincta in animali, & non esse distincta in specie: sed forma est superius respectu habitus; Ergo impossibile est aliqua esse distincta in forma, & non in habitu: sed hoc prædicta responsio concedit, quæ dicit, scientiam aliquam in ratione formæ posse distingui, & non in ratione habitus; Ergo prædicta responsio ipsa est impossibilis. Secundò improbatur. Quia sic respondens, docet, quòd obiecta distinguant habitus in genere causæ formalis, vel finalis, non verò efficientis: quod falsum est; nam obiectum verè concurrit actiuè ad productionem tam actus quàm habitus; vt patet infra distinct. 3. quæst. 8. & 9. & in qq. disputatis q. 8. ac aliàs. In illis verbis hic in litera positis *obiectum ad habitum habet non nisi rationem causæ effectiuæ*: ly non nisi, non sumitur absolutè exclusiuè (vt Caiet. 1. 2. quæst. 54. art. 2. imponit Doctori) sic quòd in nullo alio genere causæ obiectum concurrat; verè enim concurrit in genere causæ formalis extrinsecæ, specificando, & determinando tam actum quàm habitum, vt clarè in locis dictis habetur à Doct. sed accipitur restrictè de causa primaria, sic, quòd cùm obiectum concurrat ad productionem habitus, tum in ratione causæ efficientis, tum in ratione causæ formalis, primariò concurrit in genere causæ efficientis, secundariò in genere causæ formalis; quia causalitas causæ efficientis est prior in genere suo, quàm causalitas causæ materialis, aut formalis, secundùm Doct. Subt. in lib. de 1. princ. c. 2.

Scientiā distingui ab obiectovt est habitus: & non distingui ab obiecto, vt ē forma, est impossibile.

Caiet. malè itelligit textum Scoti.

Obiectū q̄ ratione causæ habet.

Efficiētis causalitas ē prior.

Ad argumentum igitur Secundum à Philosophis propositum, dat Doct. propriam responsionem, dicens ad materiam argumenti. Quòd licèt scientiæ naturales sint de omnibus speculabilibus communibus, sub rationibus communibus, non tamen sunt de omnibus, sub rationibus proprijs & minùs communibus, vt patet ex 3. arg. Doct. adducto superiùs contra Philosophos.

Secūdum argum. Philosophorū soluitur à Doct. Subt.

Ad argumentum igitur hoc in forma respondetur, distinguendo antecedens: vel enim intelligitur de omni obiecto, sub omni ratione, etiam proprijssima attingibili, & sic negandum est, vt patet ex dictis: vel est de omni obiecto attingibili, secundùm rationes communes, vel appropriatas, non autem secundùm rationes proprias, & sic conceditur Antec. sed adhuc stat necessitas scientiæ reuelatæ, vt cognoscamus Deum sub propria ratione.

Scientiæ naturales sunt de omnibus speculabilibus, & quō.

In Tertia parte Articuli, in responsione ad Tertium arg. Philosophorum, inprimis dantur tres aliorum responsiones, illæq; reijciūtur: deinde datur propria Doct. resolutio.

Ad 3. arg. philos. respōdēt alij, sed malè.

Prima responsio ad hoc arg. est Henr. Gand. dicentis. Prima principia esse applicabilia tantùm conclusionibus sensibilibus, non autem veritati insensibili & immateriali: quod ex duplici capite probat. Primò ex originatione primorum principiorum, quia nimirum prima principia, eorumq; termini abstracti sunt à sensibilibus; Ergo prima principia sapiunt naturam sensibilium; abstractum enim sapit naturam illius à quo abstrahitur; Ergo abstractum à sensibili sapit naturam sensibilem. Secundò ex actiuitate intellectus agentis, propterea quòd prima principia illis sunt applicabilia, ad quæ limitatur intellectus agens; cùm enim ista applicatio fiat per intellectum agentem, ad illa terminabuntur talia principia, ad quæ poterit applicare intellectus agens: sed intellectus agens limitatur ad sensibilia, quia tantùm quidditas rei materialis & sensibilis, est obiectum intellectus nostri; Ergo prima principia sunt tantùm sensibilibus applicabilia.

Contra hanc responsionem arguit Doctor. Prima principia sunt verè tā in sensibilibus, quàm in immaterialibus, vt patet de isto principio. Inter contradictoria non datur

Prima principia habēt veritatem i rebus materialib. & immaterialib.

medium, vel, Impossibile est aliquid simul esse, & non esse: Igitur erroneum est dictum Henr. quòd ista principia sunt tantùm sensibilibus applicabilia. Ad probationes Henr. Doctor non respondet, quia responsio in promptu haberi potest. Ad primam quidem, quia ista propositio, Principium sapit naturam sensibilium: vel intelligitur, quòd principium est applicabile sensibilibus; & hoc aut cum præcisione, & sic est petitio principij; aut sine præcisione, & sic est contra ipsum: vel secundò, quòd principium habeat conditiones Entis sensibilis, & hoc negatur: vel tertiò quod principium approprietur solis sensibilibus, eò quòd veritas talis in solis illis inuenitur, & hoc etiam gratis diceretur, cùm etiam in immaterialibus inueniatur, vt dictum est. Ad secundam item dici potest. Primò. Quòd Minor sit falsa, vt ostenditur inf. dist. 3. q. 3. Secundò. Quòd in hoc dicto, contradicat sibimetipsi; nam idem Henr. in quodlib. 13. q. 9. & quodl. 15. q. 9. docet primum cognitum intellectus nostri esse Deum: Ergo contradicit sibimetipsi docendo in Summa, quòd intellectus noster determinetur tantùm ad quidditates rerum materialium.

Principium sapit naturam sensibiliū quis sensus?

Secunda responsio est cuiusdam Propositiui (qui plurima, ante Ocami tempora, Nominalium documenta secutus, Ocamo cęterisq; Nominalibus, veluti pater & origo sectæ Nominalium extitit) dicentis. Prima principia tantùm esse applicanda, & applicabilia Enti finito, quod est commune ad decem prædicamenta, non autem Enti infinito, quale est Deus. Sed nec hæc responsio placet Subtili Doct. vt patet ex dictis.

Ocam Pater Nominalium.

Tertia est Guil. Varr. 1. par. q. 5. Quòd maior istius argumenti est vera, de principio totali Conclusionis, quale principium est vtraq; propositio, tam Maior quàm Minor, & hoc solum probant confirmationes illæ pro Maiori positę: non autem est vera de partiali principio, qualis est propositio Maior sine Minori. Cum igitur Minor propositio non sit nota naturaliter, nec subsumatur naturaliter, Conclusio etiam sequens hanc partem, non inferetur naturaliter. Exemplum. De eodem, sub eadem ratione, non possunt verificari duo contradictoria: sed de Essentia in Patre, & Paternitate, verificantur duo contradictoria, vt quòd Essentia sit communicabilis, Paternitas non communicabilis: Ergo Essentia & Paternitas in Patre, non sunt pręcisè idem. Ista conclusio (dicit Varro) non est nota naturaliter; quia Minor istius argumenti non est naturalis, sed reuelata. Hæc responsio displicet Doctori, non in eo quòd dicit causam totalem conclusionis esse vtramq; præmissam; hoc enim verum est, & ad mentem illius, vt ex Logica ipsius constat; sed in hoc, quòd docet sub illo principio communissimo & verissimo, non subinferri naturaliter illam Minorem; hoc enim est malè dictum, proptcrea, quòd cùm principium illud communissimum sit, & vniuersalissimum, de omni Ente, etiam distributiuè sumpto, est dicibile naturaliter, sic quòd & de hoc, & de illo, & de quouis in particulari, non possunt duo contradictoria verificari; Ergo nec in Diuinis, de eodem, sub ratione eadem, erit vera contradictio.

Causa totalis conclusionis sunt Vtraq; pręmissa.

Propria Doctoris solutio est talis. Concessa Maiori, nego Minorem quoad secundam partem illius; quæ fuit, quòd omnes veritates scibiles, continentur virtualiter in primis principijs. Ratio huius negationis assignatur, Primò realis. Cùm enim principia communissima constent subiecto & prædicato communissimo, non possunt virtualiter continere, nisi veritates communissimas; quia per medium communissimum, non potest demonstrari passio, nisi communissima; cùm igitur principia habeant vim medij in illatione veritatum ex ipsis deductarum, non poterunt deduci, nisi veritates communissimæ. Quamuis igitur ex principijs communissimis, possunt sciri veritates communissimæ, non tamen possunt sciri propriæ veritates alicuius naturæ particularis, vt clarè docet exemplum positum in litera, & res est de se manifesta. Secunda ratio illius negationis est Logica, quæ innititur his regulis Logicis. Prima est. Subiectum vniuersalis affirmatiuæ, continet sua inferiora confusè & distributiuè. Ex hac propositione sequitur Corrolarium. Quòd sub subiecto talis affirmatiuæ, licet descendere ad quodlibet inferius copulatiuè. Exemplum, hæc est vniuersalis affirmatiua, Omnis homo est animal, vbi subiectum accipitur confusè, quia in cōmuni, & distributiuè pro quolibet singulari; ex tali suppositione subiecti, licet descendere ad inferiora copulatiuè, dicendo, & hic homo est animal, & hic, &c. Secunda regula Logica est. Prædicatum vniuersalis affirmatiuę, continet sua inferiora confusè tantùm, & non distributiuè. Vnde sequitur Corrolarium. Quòd sub prædicato tali, non licet descendere copulatiuè, sed tantùm disiunctiuè; vt patet in proposito exemplo, vbi animal non sumitur distributiuè, pro hoc, & illo animali, sed disiunctiuè. Hæc ad propositum applicando. Dico, quòd in isto primo principio vniuersali affirmatiuo. De quolibet est vera affirmatio, vel negatio, in subiecto, ly quolibet, accipitur confusè & distributiuè, pro hoc, & illo, & illo, &c. sed prædicatum illud, vera affirmatio vel negatio, accipitur tantùm confusè, non distributiuè; & consequenter de inferioribus non dicitur nisi sub disiunctione: vnde per hoc principium, non plùs scio de Essentiæ Diuinæ communicabilitate, nisi quòd illa vel est communicabilis, vel non communicabilis, sed determinatam partem huius contradictionis, scilicet quòd sit communicabilis, nullo modo ex hoc principio scire possum. Ex his patet, quomodo intelligatur instantia contra istam Logicam responsionem in textu Doct. adducta, ac eius resolutio.

Solutio Doctor. ad 3. arg. Philosophorum.

Subiectum Vniuersalis affirmatiuę, quo sua inferiora continet.

Prædicatū Vniuersal. affirmatiuę, quo continet sua inferiora.

RESPONDETVR

Argumentis principalibus, seu in principio huius Quæstionis propositis.

PRimum Argumentum principale est huiusmodi. Potentia habens aliquod commune pro obiecto primo seu adæquato, potest in quodlibet contentum sub illo adæquato, sicut in per se obiectum naturale, vt si obiectum potentiæ visiuæ est coloratum, potest in quodlibet contentum sub colorato, in nigrum, album &c. Sed Ens inquantùm Ens, est obiectum adæquatum potentiæ nostræ intellectiuæ; ergo potentia intellectiua poterit quodlibet contentum sub Ente intelligere; ergo & Deum, &c.

Argumentū principale soluitur.

Ad hoc datur duplex solutio. Prima Varr. lib. 1. q. 2. eaq; impugnatur. Secunda est ipsiusmet Doct. Reijcit autem Varr. solutionem Doct. non quoad priorem partem responsionis, in qua distinguit de obiecto naturali, quod sumitur dupliciter; vel pro naturaliter attingibili; & sic falsa est Maior argumenti, imò & Minor; vel pro naturali, id est, pro obiecto ad quod naturaliter potentia inclinatur, & sic vera est Maior & Minor, sed Conclusio nihil colligit: hoc enim à Varr. benedictum est, vt infra à Doct. in responsione propria admittitur; sed quoad illud dictum, quòd concessa illa Minore, quòd Ens inquantùm Ens, sit obiectum naturale adæquatum nostri intellectus, vtroq; modo sumendo naturale, pro naturaliter attingibili, & pro eo ad quod potentia habet naturalem inclinationem, adhuc non sequitur, quòd omnia sub Ente possint intelligi. Ratio Varronis ad hoc est. Quia Ens inquantùm Ens, quod statuitur obiectum naturale intellectus, est vnum commune abstractum, ab omnibus illis, circa quæ potest operari intellectus; non sequitur ergo, quòd si naturaliter intelligat hoc commune, quòd etiam naturaliter intelligat contenta sub illo communi; quia ex notitia confusa communioris, non sequitur notitia distincta inferioris.

Obiectū naturale dupliciter accipitur.

Doctori Subt. tam dictum hoc Varronis, quàm sua ratio displicet. Dictum quidem; quia illud est obiectum adæquatum alicuius potentiæ, quod neq; excedit potentiā, neq; exceditur à potentia: non excedit, quia in quocunq; est ratio illius obiecti primi seu adæquati, illud respicit potentia pro obiecto: non exceditur; quia nihil respicit potentia pro obiecto, nisi in quo est ratio illius primi; & hoc patere potest in omnibus alijs potentijs; potentiæ enim visiuæ obiectum est coloratum; ergo & in hoc, & in illud, & in quoduis aliud coloratum fertur potentia ista: simi-

Obiectū adæquatū.

ista: similiter auditiua sonum; ergo & hunc, & illum, & quemuis alium sonum potest percipere: idem patet de sensu communi, de voluntate, &c. Ergo malè dicitur à Varr. quòd obiectum adæquatum intellectus, & naturaliter attingibile sit Ens, & non quodlibet sub Ente contentum. Confirmatur. Si enim in quo est ratio Entis naturaliter attingibilis, illud potentia non respicit pro obiecto naturaliter attingibili, sequitur, quòd Ens vt Ens, excedit potentiam intellectiuam, & consequenter non erit obiectum primum seu adæquatum intellectus. Ex hoc patet qualiter solutio Varronis destruit seipsam, quia destruit obiecti adæquationem. Ratio itidem à Varrone inducta ad suum dictum stabiliendum, peccat secundùm fallaciam figuræ dictionis, commutando Hoc aliquid, in Quale quid (tunc autem dicitur commutari Hoc aliquid, in Quale quid, quando aliquis terminus accipitur pro singulari, vel quasi singulari, & postmodum, ex vi connexionis talis termini in præmissis, infertur idem terminus, in alia suppositione communiori, vt supponit communicabilitatem pluribus, vel omnibus, quibus est communicabilis: quod si opposita sit suppositio terminorum, dicitur commutari Quale quid, in Hoc aliquid. Exemplum primæ fallaciæ est, ille syllogismus Expositorius in prima figura; Pater non est Filius, Deus est Pater; ergo Deus non est Filius: medius terminus est Pater, qui est Hoc aliquid incommunicabile, ex quo infertur Deitatem, quæ est Quale quid, seu communicabilis, non communicari Filio. Exemplum secundæ; Deus est Pater, Filius est Deus; ergo Filius est Pater: hic Quale quid est medius terminus, & in conclusione est Hoc aliquid) nam licèt Ens vt à Metaphysico intelligitur, sit intelligibile vnica intellectione, non tamen Ens vt est vnicum abstractum intelligibile, statuitur obiectum potentiæ intellectiuæ, sed vt includitur eius ratio in omni alio Ente. Quapropter Ens vt est obiectum intellectus, non tantùm est communicabilis terminus, sed actu communicatus; & omnia illa in quibus est ratio Entis sunt intelligibilia ab intellectu, tanquam includentia rationem primi obiecti talis potentiæ, vt paulò ante dixi, de alijs potentijs.

Commutare Quale quid, in Hoc aliquid, q. d significat.

Respondet Mayron. quæst. 21. Prolo. aliter. Concessa Maiori, in hoc sensu, quòd possit in omne illud quod continetur sub eo, illo modo quo continetur, cùm ergo omnia contineantur in vniuersali, vt sunt entia, sic intelligentur. Dices. Etiam rationes particulares continentur. Respondet. Negando: visus enim potest in albedinem, non tamen in differentiam indiuidualem albedinis, quod alibi patebit. Ista responsio est conformis dictis præced. Articul.

Ipse Doctor respondet ad argumentum, distinguendo Maiorem: vel est sermo de obiecto adæquato naturali, id est, naturaliter attingibili, & sic vera est Maior, sed falsa Minor: vel intelligitur de obiecto naturali, id est, ad quod naturaliter inclinatur potentia, & sic vera est Minor, sed argumentum nihil colligit.

Difficultas. Sed hìc est vna Difficultas circa hanc responsionem Doctoris, ex dictis illius. Nam inf. distin. 3. quæstio. 3. docet obiectum potentiæ intellectiuæ, vt intellectiua est, abstrahendo ab omni statu, esse Ens in quantùm Ens; obiectum verò intellectus pro statu isto viæ, esse quidditatem rei materialis. Vnde insurgit dubitatio. An ista inclinatio ad cognitionem supernaturalem, conueniat intellectui; abstrahendo illum ab omni statu, vel etiam pro nunc? Si primum; ergo non videtur solutum argumentum, quia illud procedit de potentia nostra intellectiua in statu viæ: Si secundum; ergo obiectum naturale potentiæ nostræ intellectiuæ, pro hoc statu, non erit quidditas rei materialis, cùm potentia intellectiua pro nunc, habeat inclinationem ad cognitionem Entis simpliciter immaterialis.

Resolutio. Respondeo. Solutio huius difficultatis haberi potest ex dictis Doct. in præsenti. Postquam enim respondit ad hoc argumentum principale, dicens, Minor est falsa de obiecto naturali, id est, naturaliter attingibili; vera alio modo de naturali, ad quod naturaliter inclinatur potentia; subinfert, *& ita debet intelligi authoritas Auic. illa scilicet; quòd Ens & res primò imprimuntur in anima*, & immediatè post subdit, *quid autem sit ponendum obiectum primum naturaliter attingibile; de hoc inf. distinct. 3. quæstio. 3.* Ex hoc igitur textu Doct. Certum est primò, quòd Ens in quantum Ens, non sit obiectum naturale, id est, naturalis attingentiæ, respectu intellectus, pro statu isto. Ratio est. Quia nulla vi naturali potest substantias abstractas cognoscere, & attingere secundùm propria ipsis, vt supra patuit. Secundò certum est, quòd obiectum naturalis tendentiæ, seu ad quod potentia naturaliter inclinatur, & aptitudinalem tendentiam habet, potest statui Ens inquantùm Ens, vt expresse affirmat Doctor. Et ratio est. Quia potentia ad omnem suam perfectionem, naturalem habet inclinationem. Sed dubium est, an pro hoc statu in quo intellectus dependet à phantasmate habeat talem inclinationem? Si enim pro hoc statu habet; ergo obiectum adæquatum intellectus viatoris, erit Ens inquantùm Ens, contra Doctorem loco alleg. Si non habet; quomodo ipsi de nouo adueniet postea, post resurrectionem, vel post separationem à corpore? Respondeo. Potentiam habere inclinationem ad suum obiectum, potest intelligi dupliciter, vel inclinationem proximam, vel remotam: intellectus igitur absolutè sumptus, habet inclinationem proximam, vt cuiuscunque intelligibilis, quantùm est ex parte ipsiusmet intellectus, aptus sit recipere intellectionem; sed pro hoc statu ista proxima aptitudo seu inclinatio impedita est, à subordinatione accidentali potentiæ intellectiuæ ad sensitiuas, quod impedimentum reddit intellectum aliqualiter indispositum, ad recipiendam cognitionem rerum immaterialium; non tamen omnino aufert ab ipso inclinationem ad cognitionem quamcumque sed tantùm inclinationem proximam. Dubitationi in summa satisfit, dicendo, obiectum adæquatum naturale, id est naturaliter attingibile, pro statu isto, non est Ens inquantùm Ens, sed quidditas rei materialis & sensibilis; obiectum autem adæquatum naturale, naturalis tendentiæ, seu ad quod habet naturalem intellectus inclinationem, est Ens inquantùm Ens. Et sic est litera Doctoris accipienda.

Ens inquã-tũ Ens non est naturalis attingibile.

Inclinatio ĩtellectus ad omnẽ inclinationẽ alia est proxima, alia est remota.

Secundum argumentum principale, cum sua responsione, clarum est in textu.

Tertium argumentum est. Intellectus quòd non possit habere cognitionem sui vltimi finis distinctam, id maximè prouenit ex improportione nostri intellectus respectu finis vltimi, quando igitur poterit cognoscere, necesse est quòd proportionetur illi per aliquid aliud à se: & quæro de illo alio per quod proportionatur; vel est Ens naturale, vel supernaturale: si est naturale: ergo sicut ante in naturalibus non fuit proportionatus intellectus, ita nec modò cum isto medio naturali: Si supernaturale; ergo potentia ad illud erit improportionata, & debebit proportionari per aliud supernaturale, & ad hoc per aliud; & sic vel erit processus in infinitum, in istis quæ reddunt intellectum proportionatum, quod est absurdum; vel si immediatè intellectus est proportionatus alicui supernaturali, ita dici poterat ab initio, quòd intellectus, ex puris naturalibus, est proportionatus summo intelligibili, vt circa ipsum possit elicere intellectionem. Huic argumento respondet Doctor. Quòd intellectus respectu cognitionis alicuius supernaturalis, puta huius, Deus est Trinus in personis, dupliciter est improportionatus: Primò in ratione mobilis; quia scilicet ipsi non correspondet aliquod mouens naturale ad hanc cognitionem, quod ipsum proportionaliter moueat illis quæ eum naturaliter mouent, qualia sunt obiectum per speciem vel phantasmata, & intellectus agens: requirit ergo intellectus noster, vt mouens ipsum ad cognitionem supernaturalem sit supernaturale, vel ipse Deus, vel aliquid supplens vicem Dei, iuxta sup. dicta, art. 4. Secundò non est proportionatus in seipso, respectu immediatè adhæsionis ad talem veritatem; quia potest quis hanc veritatem proponere intellectui, quòd Deus est Trinus in personis, & tamen intellectus non adhærebit illi naturaliter: vt igitur adhæreat, requirit supernaturalem assensum, à Deo in intellectu productum, mediante quo

Intellectus respectu supernaturalium dupliciter est improportionatus.

assensu vt forma, intellectus adhæret tali veritati: vnde assensus hic, quasi quædam inclinatio actualis ad tale obiectum vocatur hic à Doct. & bene: quia immediata inclinatio intellectus non potest esse absq; hoc assensu, esto quòd possit esse mediata seu aptitudinalis, non actualis. Quando contra hæc arguitur Primò. Si intellectus proportionatur per aliud in ratione mobilis: Ergo illud aliud vel est supernaturale, vel non? Dico, Est supernaturale. Cùm infers. Ergo non potest proportionari, nisi per aliud supernaturale. Respondeo, non sequitur; quia illud mobile, nempe intellectus, respectu talis mouentis, est in potentia obedientiali ad ipsum, & per hanc potentiam obedientialem est proportionatum hoc mobile, vt recipiat motionem, quæ à tali mouente potest causari, scilicet, vt moueatur intellectus ad cognitionem supernaturalem. Non ergo requiritur vt per aliquid aliud proportionetur mobile naturale, respectu mouentis supernaturalis. Quando arguitur Secundò. Illi assensui per quid proportionatur? Respondeo, dictum est supra art. 4. Quòd potentia comparata ad actum, vel ad formam quam recipit, habet inclinationem naturalem, idq; vniuersaliter ad omnem formam, etiam supernaturalem; igitur intellectus ad illum assensum habebit inclinationem naturalem, & sic ex se est proportionatus ad receptionem illius assensus. Quod si dicas. Ex se etiam absq; assensu supernaturali, poterit recipere veritates supernaturales. Respondeo. Recipere potest absq; assensu, vt patet de multis Philosophis, vel Arrianis, quorum intellectus recipit istam veritatem, Deus est Trinus in personis, absq; vllo assensu supernaturali: sed non potest isti veritati, vel simili supernaturali adhærere intellectus, ac pro certa ac infallibili reputare, absq; assensu supernaturali. Ex his patet litera Doctoris; sed circa immediatè dicta de assensu occurrit vna

Potentia cõparata ad formã quã recipit naturaliter ad eam inclinatur.)

Potest Arrianus recipere aliquas veritates supernaturales sine assensu supernaturali, sed non potest adhærere.

Dubitatio.

Vtrum assensus sit quid distinctum ab actu intelligendi, quo cognoscitur veritas complexa.

Videtur quòd non. Primò. Omnis actus assentiendi, vel assensus, est enunciatio; Ergo veritas complexa est assensus. Anteced. Quia nihil aliud est assentire, quàm iudicare sic esse; iudicare autem sic esse, est enunciare mentaliter quòd sic est; vnde iudicare, quòd homo est animal, est enunciare & affirmare quòd homo est animal: Ergo, &c.

Secundò. Omnis actus intellectus verus vel falsus, est enunciatio; sed omnis assensus est verus, vel falsus: ergo omnis assensus est ipsamet enunciatio. Maior patet per Philos. 3. de an. tex. 21. vbi distinguens operationes intellectus, dicit, quòd in quibus est verum & falsum, est compositio quædam intellectuum. Minor est nota; sic enim dicimus, aliud iudicium esse verum, aliud falsum, sicut dicimus aliam enunciationem esse veram, aliam falsam.

Tertiò. Si assensus est noua intellectus operatio distincta, sequitur quatuor esse intellectus operationes, contra Philosophum 1. Periher. cap. 1. hoc est inconueniens; Ergo, &c. Sequela Maioris. Prima erit apprehensio simplicium, nempe extremorum propositionis, secundùm se. Secunda compositio vel diuisio, in qua videtur conuenientia vel disconuenientia extremorum. Tertia iudicium de propositione per assensum vel dissensum. Quarta discursus.

Negatiuè hanc dubitationem resoluunt, Ariminen. q. 1. Prol. art. 7. concl. 1. Vasq. 1. 2. disp. 79. c. 3. Auic. in Logica.

In oppositum est authoritas Doct. Subt. hìc. & 2. Met. q. 1. quam communiter sequuntur eius interpretes.

Compositio dicitur assensus denominatio.

Pro resolutione. Nota Primò, quando dicit Subt. Doct. 4. Met. q. 3. Quòd circa intellectum simplicem non est assensus vel dissensus, quia si assentiret, tunc componeret vel diuideret: ista verba Doct. intelligi debent non realiter, sed denominatiuè, ita quòd assensus non est realiter compositio vel diuisio, sed denominatiuè; quia communiter omni actui mentali, compositiuo vel diuisiuo in veritatibus necessarijs habentibus euidentiam ex terminis (de quibus ibi loquitur Subtilis Doctor) adhæret intellectus per assensum vel dissensum; sic quòd talem compositionem, aut diuisionem, necessariò concomitabitur assensus vel dissensus, in veritatibus necessarijs euidentibus. Vnde habetur Primò. Quòd assensus non sit in prima operatione intellectus, sed in secunda. Habetur Secundò. Quòd assensus non sit compositio vel diuisio, vt id clariùs Doctor hìc testatur, vbi assensum, & veritatem cognitam, docet esse duo distincta, & vnum posse esse absque alio.

Asſẽsus nõ est in prima operatione.

Assensus quid.

Nota Secundò. Assensum optimè definiri à Doct. Subtili. Quòd sit quasi quædam inclinatio in intellectu ad obiectum, proportionans obiectum cognitum ipsi intellectui, secundùm adhærentiam intellectus ad obiecti veritatem cognitam. Dicitur Primò inclinatio, non quæcunq; sed proportionans obiectum intellectui, vt intellectus in veritate obiecti cogniti conquiescat: & sic distinguitur à specie intelligibili, & ab habitu scientifico, quòd licèt sint inclinationes proportionantes obiectum intellectui, vel in esse intelligibili, vt species, vel in facilitate intelligibilis, vt habitus; non tamen proportionant secundùm adhærentiam, & quasi acquietationem intellectus in istis veritatibus, sed tantùm secundùm apprehensionem absolutè, absq; adhærentia intellectus ad ipsa. Dicitur Secundò inclinatio, sumendo inclinationem non aptitudinaliter, quòd assensus sit aptitudo quædam, secundùm quam facilè intellectus potest iudicare de veritate cognita, hæc enim aptitudo est ipsummet naturale lumen intellectus, & in obiecto euidentia veritatis; sed accipitur ly inclinatio, pro actuali inclinatione, qua scilicet actu & de facto inclinatur intellectus ad veritatem complexam cognitam, iudicando verè huic subiecto conuenire tale prædicatum; verè enim assensus, est iudicium de veritate rei, quo intellectus conquiescit in tali veritate. Dicitur Tertiò inclinatio actualis, non notitia conformitatis subiecti ad prædicatum, contra supradictos authores, licèt ista conformitas quandoq; præsupponatur ad assensum; Tum quia ista conformitas consistit in euidentia, secundùm quam intellectui manifestum est prædicatum conuenire subiecto, vt dicunt ijdem authores; potest autem intellectus concipere propositionem ineuidentem, non habens de veritate illius euidentiam, an prædicatum sit conforme subiecto; & tamen potest habere assensum, vt fideles non habent talem euidentiam de veritatibos supernaturalibus, & tamen habent assensum intellectus circa eas, quia iudicant illas esse infallibiles, & quietantur in ipsis: non ergo assensus consistit formaliter in conformitate; Tum quia si assensus esset notitia, vel esset notitia eadem quæ enunciatio directè ab intellectu formata, vt dicit Ariminen., & hoc non; quia potest aliquis enunciationem concipere, vt infidelis concipit istam enunciationem à fideli propositam, Deus est vnus in Trinitate personali, & tamen non præbet assensum; ergo assensus non est enunciatio mente concepta: vel est notitia alia quasi reflexa, per quam assentior directè cognitæ enunciationi, & tunc sequuntur ista inconuenientia. Primum: quia nullum principium erit immediatum, cui per se & immediatè assentiatur intellectus; quia omni enunciationi assentit, mediante altera reflexa notitia. Secundum: quia nulla veritas cognita habebit rationem formalem in se, quæ intellectum inclinet ad assensum, sed tantùm ab extrinseco inclinabitur. Tertium: quia intellectus principijs assensum prçberet per accidens, non necessariò: ratio est; quia habita directa notitia alicuius principij, per accidens eliceret notitiam reflexam; ergo & assensum, qui consisteret in tali notitia, per accidens eliceret. Quartum: quia de illa reflexa cognitione quæro, vel illi assensum præbet intellectus immediatè, vel mediante alia cognitione reflexa: Si secundum; quæro de illa reflexione secunda, & sic erit processus in infinitum, contra Aristot. 2. Metaph. Si immediatè: habetur intentum.

Asſẽsus quo differt à specie & habitu.

Assensus nõ est notitia

Inconuenientia. 1. 2. 3. 4.

Assensus igitur non est notitia enunciatiua: quia neq; directa, neq; reflexa, vt patuit; sed est complacentia intellectus, consequens veritatem cognitam, seu adhærentia, vt

Assensus distinguitur à consensu.

tia, vt dicit Subt. Doct. 2. Metaph. quæst. 1. vocans assensum adhæsionem, quatenus intellectus adhæret illi veritati, non per modum adhæsionis accidentis ad substantiam, sed per modum illius complacentiæ & adhærentiæ, secundùm quam adhæret voluntas alicui bono, & quietatur in illo; quæ adhærentia voluntatis, vocatur benè à S.Tho. 1.2. q. 15. art. 1. consensus, adhærentia autem intellectus, dicitur assensus: ex istis tamen duobus, vnum pro alio poni conuenienter, adnotauit ibidem S.Th.

Assensus nō est aliqua intellectus operatio.

Sed quæres. Vel est prima operatio intellectus, vel secunda, vel tertia; nec enim plurium meminit Arist. 1. de interpret. Respondeo. Nulla istarum; neq; hoc est contra Philosophum, qui dum tres ponit operationes intellectus, loquitur de actibus cognoscitiuis nostri intellectus, qui verè sunt tantùm triplices; vel apprehensiui simplicium, vel compositiui aut diuisiui, vel discursiui; Assensus autem non est actus cognoscitiuus, sed est actus intellectus consequens naturaliter cognitionem, vnde sicut in voluntate, non omnis actus, est actus volitionis, sed etiam datur aliquis alius actus realiter distinctus, consequens volitionem, nempe delectatio, vel tristitia, vt dicitur inf. dist. 1. q. 3. artic. 1. ita in intellectu, actus existens, non omnis est actus cognitionis, sed sunt aliqui actus realiter distincti à cognitione, puta assensus, vel dissensus. His prænotatis, sit.

Assensus distinguitur realiter à notitia complexa.

Conclusio. Assensus est actus intellectus, distinctus realiter ab illo quo cognoscitur veritas complexa. Quòd sit distinctus realiter, probo. Quando aliquid realiter potest esse sine altero, illud realiter non est illud, sine quo potest esse, seu, est distinctum realiter ab eo sine quo potest esse: sed cognitio veritatis complexæ, potest stare in intellectu absq; assensu intellectus; ergo cognitio complexa non est realiter assensus, sed distinguitur realiter ab ipsa. Maior istius propositionis innititur primo principio Metaphysico. Quia idem esse realiter, & non idem esse realiter, implicat contradictionem, sed eadem res si est idem alicui realiter, & illud cui sic est idem, si separetur ab ipsa, erit illi non idem realiter, atq; ita admitterentur duo contradictoria verificari de eodem. Minor: quia nullarum propositionum potest esse cognitio in intellectu, quibus neq; assensum, neq; dissensum præbet intellectus, si illæ propositiones sint sibi neutræ; experimur enim in nobis, quòd dum aliqua propositio nobis obijcitur, quæ neq; manifestam nostro intellectui veritatem, neq; falsitatem continet, hæremus dubij, non magis ad hanc, quàm ad illam partem declinantes, tunc certum est quòd non sit assensus, vel dissensus: sæpiùs item illis enunciationibus quibus assensum non præbebamus, assentimus postmodum: Ergo, &c.

Difficultates.

Hic opportunè resolui possunt Dubitationes ad hanc materiam spectantes, à Doct. Subt. 2. Met. q. 1. propositæ, & non solutæ. Quarum Prima est. Vtrum assensus sit alius actus intellectus, quàm veritatis complexæ apprehensio: Auic. enim videtur in principio suæ Logicæ sumere pro eodem, assensum, & scire. Secunda. Si ille assensus sit ab intellectu agente elicitiuè, qui ponitur lumen intellectuale. Tertia. Si principium formale adhæsionis conclusionis, sit idem quod adhæsionis principij. Quarta. Vtrum habitus principij, qui dicitur intellectus, sit principium per se apprehensionis, vel adhæsionis. Quinta. Quomodo adhæsio est naturalis, & non apprehensio; cùm adhæsio præsupponat apprehensionem. Sexta. An componere differat ab apprehensione complexi, & an simul sit cum ipso, apprehensio simplicium; vt sic circa principium sint simul quinq; actus, scilicet, duæ apprehensiones simplicium, compositio, apprehensio complexi, & adhæsio. Septima. Si intellectus est assentire & dissentire; quare non tristari, & delectari? Octaua. Quare simplicium est tantùm apprehensio, & non assentitur neq; dissentitur eis intellectus. Addi potest Nona. Vtrum intellectus, circumscripto omni actu voluntatis possit assentiri omni per se scibili.

Respōdetur dictis difficultatibus.

Ad Primam difficultatem responsum est; Esse aliū actū, eumq; non cognoscitiuum, sed adhæsiuum, qui consequitur (non tamen necessariò) cognitionem complexam.

Intellectus agens quare dicitur lumen intellectuale.

Secundæ difficultatis sensus est. Vtrum intellectus possibilis eliciat istum actum, qui dicitur assensus; an verò ipsemet intellectus agens, qui nominatur lumen intellectus, propterea quòd illustrat phantasmata, eaq; de ordine sensibilium transfert ad ordinem intelligibilem, faciendo species intelligibiles, quæ species sunt veluti lux in intellectu possibili. Et dicendum est. Quòd intellectus possibilis & agens, sunt vnus intellectus realiter, & consequenter, realiter vt intellectio, ita & assensus causatur ab vtroq;, cùm sint vna potentia realiter; ex natura tamen rei sunt distinctæ potentiæ. Et secundùm hanc distinctionem, cùm (teste Aristot. 3. de an.) intellectus agens sit, cuius est omnia facere, ipse non tantùm faciet speciem, sed etiam intellectionem & assensum: intellectus verò possibilis est cuius est omnia pati: atq; ita recipiet passiuè sicut omnem actum intellectionis, ita & assensum. Potest etiam dici. Quòd solus intellectus possibilis sit principium tam elicitiuum quàm receptiuum, vt intellectionis, sic & assensus; nec enim implicat idem præcisè esse in actu virtuali, & in potentia formali ad aliquid, vt dicitur inf. dist. 3. q. 8. Quid verò magis tenendum sit, est problema in via huius Doctoris, vt dicitur fusiùs infra.

Intellectus agēs est cuius est omnia facere possibilis verò, cuius est omnia fieri.

Ratio assentiendi præmissis est ratio assentiendi conclusioni.

Tertiæ difficultatis quæsitum est. An illa ratio, quæ in ipsis præmissis allicit intellectum ad assensum veritati principiorum, sit etiam ratio assentiendi conclusioni: ratio autem assentiendi præmissis est euidentia præmissarum. Et respondeo de mente Doct. affirmatiuè, vt colligi potest inf. distin. 1. quæst. 4. vbi respondens argumentis Henr. Gand. concedit, quòd assentimus necessariò conclusioni propter principia; Ergo ratio assensus in principijs, est ratio assentiendi conclusioni. Idem habetur distin. 8. q. 5. vbi dicit Doct. Quòd veritas principiorum, sit veritas totalis; veritas conclusionis, sit veritas partialis; eo modo quo singulare est veritas quædam partialis, respectu vniuersalis; sed eadem est ratio assentiendi veritati vniuersali, & singulari sub ea subsumptæ; Ergo eadem est ratio assentiendi præmissis & conclusioni. Quamuis autem eadem sit ratio assensus in vtroq;, non tamen eodem modo; quia euidentia conformitatis in præmissis, est ratio per se primò assensus principiorum; conformitas verò in conclusione causata à præmissis, est ratio per se, sed non primò assensus; Siquidem principijs immediatè, conclusioni mediatè assentitur intellectus. Dices. Præmissæ sunt causæ conclusionis: sed effectus & causa distinctam habent entitatem; ergo & conformitatem; ergo & euidentiam; & per consequens rationem assentiendi. Respondeo. Causalitas in principijs respectu conclusionis non est talis, qualis est in entitatibus vnius Entis respectu alterius; ita quòd illa causalitas, in principio ponat aliam veritatem & euidentiam formaliter, aliam autem in conclusione; sicut in causalitate entitatum, entitas causæ formaliter est alia ab entitate causati; sed illo modo, quo notitia vniuersalis, puta hominis, quòd sit animal rationale, causat notitiam huius & illius hominis singularis, quibus singularibus conuenit ratio animalis & rationalis verè & per se, sed non primò, naturæ autem specificæ per se, & primò: ita notitia principiorum est notitia in vniuersali, conclusio autem est eiusdem veritatis notitia, sed limitatior, & strictior.

Sed diuersimodè.

Sapientia, Scientia, Intellectus, Prudentia, Ars, quomodo distinguuntur.

Quarta difficultas vt intelligatur, de quo intellectu loquamur. Aduertendum est ab Aristot. 6. Ethic. cap. 4. hos habitus ennumerari, Sapientia, Intellectus, Scientia, Prudentia, Ars. Quæ diuisio vt sit sufficiens, intelligi debet iuxta doctrinam Subt. Doct. 1. Metaphys. in explicatione textus, quòd isti habitus differunt ab inuicem penes obiecta. Tres siquidem priores, scilicet, Sapientia, Intellectus, Scientia, pertinent ad intellectum speculatiuum, & distinguuntur per obiecta; Nam Sapientia versatur circa causas altissimas, quæ sunt principia Entis inquantùm Ens, siue altissimæ causæ sint Entia incomplexa, vt substātiæ immateriales, siue complexa, vt sunt dignitates illæ, quæ quamlibet demonstrationem ingrediuntur virtualiter, etsi non substantialiter, qualia sunt principia Metaphysica. Intellectus vt est habitus speculatiuus, distinctus à sapientia & scientia, versatur circa principia propria De-

monstrationis, quæ demonstrationem ingrediuntur secundùm substantiam. Scientia autem propriè versatur circa conclusiones; est enim scientia habitus Conclusionum, Intellectus, habitus principiorum propriorum Demonstrationis, Sapientia, habitus principiorum communissimorum, Prudentia, & Ars, pertinent ad intellectum practicum illa est recta ratio agibilium; hæc est recta ratio factibilium. Præsentis igitur difficultatis sensus est. Vtrum habitus intellectus, qui est habitus principiorum ingredientium demonstrationem secundùm substantiam, sit principium elicitiuum apprehensionis, vel assensus in intellectu. Et dicendum est sub distinctione: vel difficultas procedit vniuersaliter, scilicet, an ad omnem assensum & apprehensionem eliciendam requiratur habitus intellectus; & sic negatiua responsio est verissima, quia saltem ad assentiendum primis principijs conclusionis, non concurrit, nec requiritur: vel est sermo; an habitus principiorum concurrat elicitiuè ad productionem notitiæ conclusionis: & responderi debet conformiter ad illam Opinionem Doct. dist. 17. quòd habitus vniuersaliter concurrant ad productionem actus: vel est sermo; an habitus principiorum, sit principium inclinatiuum intellectus ad apprehensionem & assensum alijs consimilibus veritatibus: & tenetur pars affirmatiua; verè enim habitus intellectus inclinat intellectum, ad actus intelligendi, & assentiendi consimiles ijs, ex quibus est genitus.

Habitus principij quomodo é principium assentiédi.

Quintæ difficultatis est sensus. Cùm tale debeat esse posterius, quale est suum prius, & apprehensio sit prior assensus; quare non est talis assensus, qualis est apprehensio, secundùm contingentiam? Apprehensio enim non est necessaria; quia intellectus non necessariò intelligit aliquod verum complexum, sed apprehensa tali veritate, eiusq; euidentia, naturaliter sequitur assensus intellectus, sic quòd non possit non assentiri. Respondeo. Non semper posterius debet esse tale, quale est prius; nam prius est ignem applicare ad lignum, & postea combustere; approximatio tamen est libera & contingens, combustio necessaria. Similiter prius est amotio impedimenti in graui sursum existenti, posterius motus deorsum; motus tamen est necessarius & naturalis, amotio libera & contingens; ita in proposito &c. Et confirmatur hoc per simile in voluntate, in qua volitio alicuius boni delectabilis est contingens, delectatio tamen consequens illam volitionem est naturalis, & non libera.

Apprehensio libera, & assensus necessarius quale.

Posterius nõ semper tale debet esse quale est prius.

Ad Sextam. Dico illos quinq; actus esse realiter distinctos. An verò sint simul, videtur esse difficultas; quia Doctor non rarò dicit, simul intellectum non elicere actus plures. Dico tamen illos posse esse simul: quia experientia videtur indicare, nos non habere successionem istorum actuum, quando concipimus aliquod principium per se notum, est ibi nihilominus prioritas naturæ vnius respectu alterius, quia prius natura est apprehensio simplicium, (& inter hæc prior est subiecti quàm prædicati) postea compositio, tandem apprehensio, vltimò assensus. Quando autem Doctor negat posse esse simul plures actus in intellectu, intelligendus est de actibus disparatis, respectu disparatorum obiectorum totalium, non autem de actibus subordinatis, respectu obiectorum subordinatorum; prout in proposito accidit.

Pluresactus in intellectu negat Doct.

Septima difficultas resoluitur à Philos. 10. Ethic. Et à Doct. ostenditur in 3. distinct. 15. quòd delectatio & dolor, gaudium & tristitia, sunt passiones appetitus sensitiui, & intellectiui; appetitus autem intellectiuus est voluntas; Ergo in voluntate istæ sunt passiones, non intellectu. Et quod est in appetitu prosecutio & fuga, hoc est in intellectu affirmatio vel negatio, assensus scilicet vel dissensus, secundùm Philos. 6. Ethic. c. 3. Vnde sicut appetitus appetit aliquod bonum propter se, & aliud appetit propter aliud; ita & in intellectu est duplex assensus: Vnus, quo assentitur alicui vero propter se, vt principijs: alter, quo assentitur alicui vero propter aliud, vt conclusioni propter præmissas; vt clariùs habetur inf. distinct. 1. q. 3. & in 2. distinct. 5. q. 2.

Assensus duplex.

Ad Octauam difficultatem respondeo. Cùm euidentia conformitatis prædicati ad subiectum, vel conclusionis ad præmissas sit causa naturalis respectu assensus intellectus; respectu illius tantùm notitiæ erit assensus, in qua prædicta conformitas vnius ad aliud inuenitur, loquendo de vero naturali; cùm igitur simplicium apprehensio non sit collatiua vnius cum altero, non habebit talem conformitatem, & consequenter nec assensum.

Simplicium non est as. sensus.

Ad Nonam. Respondet Subt. Doct. affirmatiuè, in quæstionibus disputatis, disput. 9. Ratio est. Nullum prius dependet necessariò simpliciter in sua perfectione à posteriori, sed intellectiua potentia est prior quàm volitiua, & actus intellectus est perfectio eius (licèt accidentalis) assensus verò est actus intellectus, vt dictum est; Ergo nullus talis actus dependet necessariò simpliciter à voluntate; atq; adeo circumscripto omni actu voluntatis, posset intellectus omni per se scibili assensum præbere.

Ad argumenta in principio posita. Ad Primum nego Anteced. Ad probationem. Respondeo: distinguo de iudicio; iudicium aliud est enunciatiuum, quo iudicamus hoc ipsi conuenire, vel non conuenire; aliud est simplicis adhærentiæ & complacentiæ. Assensus ergo, est iudicium hoc secundo modo, non primo, de quo procedit probatio.

Iudicium duplex.

Ad Secundum respondeo, negando Maiorem. Ad authorit. Phil. Dico cum Doct. 6. Met. q. 3. Quòd veritas alia est complexa, alia incomplexa; omnis igitur veritas complexa, est conceptuum compositio, non item incomplexa. Cur autem intellectus specialiter veritatem attribuat secundæ intellectus operationi, & non primæ; vide inf. dist. 3. q. 3. art. 3. Respondeo secundò: distinguendo Maiorem; Actus verus vel falsus, vel est talis formaliter, nempe formaliter in se includens conuenientiam, vel disconuenientiam vnius ad alterum; vel tantùm denominatiuè, quia in se formaliter nec est verus nec falsus, sed denominatur talis propter coniunctionem ad aliquid, in quo est formaliter ratio veri vel falsi: Si Maior sumatur primo modo, vera est, sed falsa Minor, quia assensus est tantùm denominatiuè verus vel falsus; quodsi sumatur secundo modo; vera Minor, sed falsa Maior.

Ad Tertium patet responsio ex dictis Notab. 2.

QVÆSTIO II.

Vtrum cognitio supernaturalis necessaria viatori, sit sufficienter tradita in Sacra Scriptura.

Quòd non. Quia cognitio necessaria nunquam defuit generi humano, &c.

COMMENTARIVM.

Ista Quæstio cùm sit facillima intellectui, nihil addendum putaui. Et quamuis hic multa dici possent quæstionaliter, de omnibus istis vijs hic à Doct. Subt. adductis, ad probandam tum Fidei, tum Scripturæ Sacræ veritatem; illa tamen nostrum excedunt propositum, quod de enodando textu difficiliori huius Doct. assumpsimus.

QVÆSTIO III.

Vtrum Theologia sit de Deo, tanquam de subiecto primo.

Quòd non, arguitur duabus vijs. Prima est ostendere, &c.

SVMMA TEXTVS.

Istius Quæstionis sunt duo Articuli. In Primo, quædam Notabilia præmittuntur. In Secundò, determinatur quod sit obiectum Theologiæ, tam secundum se, quàm Theologiæ nostræ: idq; & quoad veritates necessarias, & quoad contingentes. Vltimò datur responsio ad argumenta in principio Quæstionis adducta.

ARTI-

ARTICVLVS PRIMVS.

Præmittuntur quædam Notabilia.

Circa ſolutionem iſtarum Quæſtionum ſic procedo. Primò diſtinguo &c.

COMMENTARIVM.

TRes partes iſtius Articuli ſunt, ſecundùm triplex Notabile in eo poſitum, vt bene diſtinguitur in principio textus à Doctore.

Theologia Dei, & Theologia ſecúdùm ſe, diſtinguuntur.

Primum Notabile de Theologia in ſe, & Theologia in nobis clarum eſt. Sed de Theologia Dei, eſt difficultas; an ſit idem cum Theologia ſecundùm ſe: nam Theologia in ſe conſiderata, dicitur eſſe illa, quę apta eſt eſſe in intellectu ſibi proportionato, obiectum verò Theologiæ eſt Deus, qui eſt Ens infinitum, & intellectus illi proportionatus ſecúdùm eſſe, eſt infinitus. Vnde Theologia vt in ſe, videtur eſſe Thelogia reſpectu intellectus Diuini; inf. tamen quęſt. vlt. Prolo. diſtinguitur à Doct. Subt. Theologia in ſe, ab illa quæ eſt in intellectu Diuino. Reſpondeo. Theologia non alia eſt in ſe, & alia in intellectu Dinino, loquendo ſecundùm rem; quia Theologia in re à parte rei, & ab obiecto, & ab intellectu in quo eſt, non abſtrahit; cùm Theologia ſit notitia alicuius & vt ſubiecti, & vt obiecti in re. Illud tamen, quòd eſt Theologia Diuina reſpectu talis obiecti, ſcilicet Eſſentiæ Diuinę, poteſt abſtrahi ab intellectu (ſicut & aliæ ſcientiæ) in quo eſt primò & principaliter, non abſtrahendo ab obiecto, quia ab hoc non poteſt habitus determinatus abſtrahere; & ſic Theologia ſecundùm ſe, diſtinguitur aliquomodo à Theologia Dei. Theologia igitur in ſe, realiter ſumpta, cum conditionibus determinatis, determinatè eſt in ſe idem quod Theologia Diuina; licèt ab intellectu abſtractiuo poſſit concipi aliter & aliter, & eſſe diſtinctio. Ex his patet, quòd Vaſqu. 1. par. diſp. 10. c. 5. inſufficienter arguit contra hanc diſtinctionem Theologię ſecundùm ſe, à Theologia Dei, & Beatorum, docẽdo, eandem Theologiam eſſe ſecundùm ſe, & Theologiam Dei ac Beatorum: nam licet id verum ſit ratione obiecti, ratione tamen ſubiecti, poteſt vel in abſtracto concipi, vel vt eſt in intellectu Diuino, vel tertiò vt eſt in Beatis, vel vt in nobis. Et de his omnibus procedit præſens quæſtio, quodnam ſit obiectum cuiuslibet Theologiæ ex prędictis.

Obiectum primum debet cõtinere virtualiter oẽs veritates ſui habitus.

Secundum Notabile duas habet partes. Iu Prima, explicatur ratio formalis obiecti adæquati in ſcientia: In Secunda mouentur duæ obiectiones contra dicta, & ſoluuntur. Quoad primum, Concluſio eſt. Obiectum primum neceſſariò debet in ſe continere primò virtualiter omnes veritates illius habitus, cuius eſt tale obiectum. Senſus huius dicti eſt: cùm in ſcientia de eius obiecto conſiderentur proprietates, cognitio conuenientiæ & connexionis taliũ veritatum, quòd iſtæ proprietates conueniunt tali ſubiecto, continentur quoad cognitionem primò virtualiter in tali ſubiecto: ſiue, obiectum habet virtutem, vt non modò ſui cauſare poſſit notitiam in intellectu, ſed etiam & aliorum, quæ in ipſo continentur. Iſta autem contenta in obiecto ſunt duplicia, ſecundùm Doct. Subt. hìc, & 6. Met. q. 1. quædam enim continentur in ipſo immediatè, & per ſe primo modo; ſic prima principia, omneſq; immediatæ veritates alicuius ſcientiæ, includuntur eſſentialiter in obiecto illius ſcientiæ, ita quod cognita ratione obiecti perfectè, non poſſunt talia principia non cognoſci, quia immediatè continentur in tali obiecto; vt cognito perfectè homine, non poteſt non cognoſci, ex cognitione illius, quòd ſit animal rationale: Alia autem continentur per ſe ſecundò, & mediatè, quia ratione alterius; ſic proprietates ſubiecto conueniunt per formalem ſubiecti rationem. Tam concluſiones igitur (in quibus paſſio demonſtratur de ſubiecto) quàm principia, continentur virtualiter in ſubiecto, ſed diuerſimodè: nam concluſiones immediatè continentur in principijs, mediatè in ſubiecto; principia autem immediatè in ſubiecto continentur. Dices. Ergo non eſt propria ratio obiecti incomplexi, continere virtualiter veritates concluſionum; cùm hoc conueniat immediatiùs principijs complexis, quã ſubiecto incomplexo. Reſpondeo. Notanter addidit illa verba Doctor. *primò virtualiter*, nam hìc ſermo eſt de continentia virtuali prima, quòd illud continens non dependeat ab alio in continendo; principia verò dependent in continendo à ſubiecto, ſubiectum à nullo: ergo propriè conuenit ſubiecto continere concluſiones primò virtualiter, ſeu independenter, non autem principijs immediatis, quia hæc dependent aliunde in ſui notitia, nempe à ſubiecto. Vnde ſequitur dictum Doctoris hìc principaliter intentum. Quòd in ſubiecto incomplexo quidditatiuè cognito, virtualiter contineantur principia & concluſiones, & conſequenter omnes veritates illius ſubiecti. Hoc dictum duplici ratione probatur à Doct. Prima eſt. Subiectum primum continet virtualiter veritates immediatas, & concluſiones; ergo omnes veritates illius habitus continet virtualiter. Conſequentia eſt euidens; cùm tantùm iſta requirantur ad habendam perfectam ſcientiam de aliquo. Antecedens patet ex dictis.

Contẽta in obiecto sũt duplicia.

Probatur dupliciter.

Secunda ratio, vt intelligatur quomodo obiectum ſciẽtiæ continet primò primitate adæquationis omnes veritates illius habitus. Aduerte. Quòd obiectum intelligibile, poteſt comparari & ad veritates quæ de illo dicuntur, quarum veritatum connexionis & conuenientiæ cauſa eſt ipſummet obiectum, à talibus proprietatibus de ipſo demonſtrabilibus indiſtinctum realiter; vel ſecundò poteſt comparari obiectum ad intellectum; & hoc dupliciter, aut quatenus obiectum in intellectu (coagente ad hoc partialiter ipſomet intellectu) producit notitiam illarum veritatum; aut quatenus in omni notitia talis habitus, includitur aliquomodo ratio formalis obiecti, tanquam ratio connexionis eiuſmodi veritatum. Quando igitur dicitur: quòd obiectum eſt cauſa ſecundùm adæquationem continens virtualiter veritates ſui habitus: ſpecialiter eſt ſermo de obiecto per comparationem ad veritates, vt ipſi obiecto à parte rei conueniũt talia prædicata, ſecundariò tamen poteſt intelligi etiam de obiecto per comparationem ad intellectum, non quòd in ipſo notitiam producat omnium veritatum, tanquam cauſa totalis (eſt enim cauſa partialis reſpectu actus intelligendi) ſed quia omnes veritates quæ cauſantur in intellectu, habent rationem conuenientię ſuę, & connexionis, ipſammet rationem formalem obiecti. Vtramq; iſtarum acceptionum eſſe hic de mẽte Doct. clarum eſt ex rationibus ſuis: quarum prior eſt apertè de obiecto per comparationem ad ipſas veritates; ſecunda autẽ per comparationem obiecti ad intellectum, vt in ipſo habent conuenientiam & connexionem veritates, per rationem formalem obiecti. Ex his patet. Quòd Caiet. 1. par. q. 1. art. 7. non intellexerit Doct. Subt. poſitionem, cùm arguendo contra Doct. dicit, quòd ſubiectum virtualiter cõtineat totam ſcientiam, non tamen vt cauſa in ſeipſo ſufficiens, vt vult Scotus (inquit Caiet.) ſed in ſe ipſo quidem ſumptum, ſufficiens vt cauſa prima, id eſt in ſuo ordine, & non ſimpliciter; ſumptum autem & in ſe, & in participantibus ipſum, aut quomodolibet attributis ad ipſum, ſit ſufficiens ſimpliciter. Vocatur autem cauſa ſufficiens ſimpliciter, quæ primò, ideſt, adæquatè eſt cauſa alicuius, vt ſubiectum paſſionis; cauſa autem ſufficiens in ſuo ordine, quæ licèt ſola non ſufficiat ad effectum, in ſuo tamen ordine eſt completa & totalis cauſa, vt Sol eſt cauſa Socratis. Hunc dicendi modum Caiet. ſequitur Vaſq. 1. par. diſp. 10. cap. 5. Verùm neuter illorum Doctoris poſitionem intelligit. Nã primum obiectum alicuius ſcientiæ, continet virtualiter habitum illius ſcientiæ, & totaliter, & partialiter, diuerſimodè illud conſiderando, ſic quòd quoad conuenientiam veritatum talis habitus, obiectum illius habitus eſt cauſa totalis & ſufficientiſſima, ſiue cauſa ſimpliciter, (& hoc eſt quod dicitur à Doct. in textu, quòd veritates de aliquo obiecto dicibiles, ſiue abſq; ordine ad intellectum accipiantur, ſiue vt ſunt in intellectu, habent neceſſitatem ſuæ connexionis totaliter ab obiecto, quod independenter ab alio ipſas continet:) ſed quoad generationem habitus in intellectu, obiectum eſt tantùm cauſa partialis, & præterea intellectus eſt alia cauſa partialis, continens item ſcientiam partialiter, quoad generationem habitus ſcientifici in intellectu,

Obiectum intelligibile cõparatur ad duo.

Caietanus Scotum nõ intelligit.

Cauſa ſimpliciter eſt cauſa in ſuo ordine.

Primũ obiectum continet habitũ eſt totaliter, eſt particulariter.

ctu, vt expressis verbis docet Subt. Doct. inf. dist. 3. q. 8. in respons. ad vltimum: ac proinde obiectum non est causa productiua intellectionis, simpliciter sufficiens, absque intellectu.

Obiecti primi descriptio, eiusdem conditiones 6.

Ex his dictis Notab. 2. colligit descriptionē obiecti primi seu adæquati Ioan. Canonicus Doct. Subt. auditor, talem. Primum subiectum scientiæ est, quod habet conceptum quidditatiuum, non inclusum virtualiter in aliquo priori ad illam scientiam pertinente, primò notum, secundùm rationem propriam, formalem, & absolutam, virtualiter primò continens notitiam omnium veritatum, adæquatum toti illi scientiæ, cuius est subiectum. Ex hac descriptione 6. eliciuntur conditiones subiecti in scientia. Prima: quòd habeat conceptum Entitatiuum, seu quidditatiuum; Tum quia de non Ente non est scientia; Tum quia si illud subiectum habet partes subiectiuas, de eis prædicabitur in Quid: quod non esset si conceptum quidditatiuum non haberet. Secunda: quòd ille conceptus non sit virtualiter inclusus in aliquo priori ad illam scientiam pertinente: Ratio est; quia in essentialiter ordinatis, oportet stare ad aliquod primum simpliciter, siue primò notum in illo ordine: sed inter considerata in aliqua scientia est ordo essentialis, secundùm ordinem cognitionis: ergo necesse est ibi stare ad aliquod primum simpliciter primò notum, & per consequens non inclusum virtualiter in aliquo priori, ad illam scientiam pertinente, & illud dico esse subiectum primum. Maior est euidens, & probatur à Doct. sufficienter; tum infra dist. 2. q. 2. Tum in lib. Theorem. c. 1. Minor probatur; quia (secundùm dicta) in consideratis ab aliqua scientia, est ordo essentialis conclusionum ad principia, & principiorum mediatorum ad immediata, immediatorū autem principiorum est ordo essentialis ad terminos proprios; principia enim immediata cognoscimus, inquātùm terminos cognoscimus ex 1. post. tex. 5. Præterea dictum est, quòd terminus prædicatus ad terminum subiectum ordinatur essentialiter in talibus principijs, quia habet in subiecto causam sui esse, & suæ cognitionis; ergo resolutio principiorum stabit ad subiectum. Tertia conditio est: quòd subiectum seu obiectum scientiæ, sit primò notum in illa scientia; quia ex 1. post. tex. 2. de subiecto oportet præcognoscere, seu præsupponere Quid est, & Quia est. Quarta: quòd sit primum secundùm propriam rationem, formalem, & absolutam. Dico propriam; quia si per rationem alterius, iam esset inclusum virtualiter in natura alterius, contra secundam conditionem. Dico formalem; quia formalis ratio rei, est ratio cognoscendi rem, vt dicitur inf. Dubit. 3. Dico absolutā; quia respectiua ratio præsupponit absolutam: & ideo si subiectum scientiæ esset notum secundùm rationem respectiuam, & non absolutam, iam esset virtualiter contentum in aliquo priori, ad illam scientiam pertinente. Quinta conditio est: quòd sit primò virtualiter continens notitiam omnium veritatū, iuxta dicta sup., & dicenda inf. Dubit. 1. Sexta est: quòd sit adæquatum toti illi scientiæ, cuius est subiectum. Ratio est; quia omnia determinata in illa scientia, reducuntur ad primum subiectum, & ad ipsum habent attributionem: nam vel sunt partes subiecti integrales, vel essentiales, vel subiectiuæ, vel passiones eius, vt dicitur inf. Dubit. 2. Ista doctrina est conformis Subtilitati Scoticæ, si moderetur dicendis inf. q. 8. circa conditionem tertiam. Dubia quædam hic occurrentia explicantur infra.

In Secunda parte Notabilis, ponuntur duæ obiectiones, quibus videtur ostendi, quòd ratio formalis obiecti, non est continere virtualiter omnes veritates, sed tantùm habere communitatem ad illas. Et obiectio prima, est clara in litera Doct. Sūma responsionis consistit in hoc, quòd obiectum habitus ita se habet ad habitum, sicut obiectum potentiæ ad potentiam, quoad aliqua; (vt puta, quòd sicut obiectum potentiæ terminat potentiam, ita obiectum habitus terminat habitum; & sicut potentiæ distinguuntur per obiecta, ita & habitus; & in similibus conuenientijs) non tamen quoad omnia est similitudo siue proportio, & maximè quantùm ad rationem causæ. Nam obiectum potentiæ habet rationem motiui & actiui ad potentiam, secundùm similitudinem & proportionem; sicut enim co-

Obiectum habitus ad habitum nō vniuersaliter ita se habet, sicut obiectum potentiæ ad potentiam.

loratum, quod est obiectum visiuę potentię, potest mouere visum non impeditum, loquendo de istis in communi; ita quodlibet coloratum, existens in quouis inferiori, est aptum quemlibet visum non impeditum mouere: & sicut coloratum potest habere rationem actiui, speciem causando in potentia, ita illud coloratum, in hac, & in illa potentia, potest talem speciem producere; & deinde, si coloratū est motiuum potentię, & hoc coloratum, & illud, & quodlibet aliud, aptum est mouere potentiam: sed non est talis proportio inter causam & effectum; non enim sequitur, si commune aliquod, puta Ens, potest causare habitum Metaphysicum, quòd etiam quodlibet inferius Ens, vt corpus, in quo inuenitur ratio illa Entis, possit causare talem habitum, quia contenta sub Ente, non sint apta causare illum habitum quem causat Ens. Cùm igitur obiectum habeat rationem causæ effectiuæ, respectu scientiæ, & cuiuslibet cognitionis, vt dicitur dist. 3., debuit rectè assignari obiectum habitus, per continentiam virtualem veritatum illius obiecti, non per rationem communem motiui; quia ratio motiui obiecti in quocunq; singulari existens, apta est mouere potentiam; non item obiectum habitus, quod quamuis moueat & causet notitiam communem sui, veritatumq; in illo inclusarum, non tamen ratio illius obiecti, in singulari existens, causabit illum habitum scientificum; vt patet in dicto exemplo de Ente causante habitum Metaphysicū, & de hoc, vel illo Ente particulari, quod nō est aptum causare illum habitum. Aliter istum locum explicat Vasqu. 1. par. q. 1. art. 7. c. 5. sed malè: & illo adhuc deteriùs inuertit Caiet. 1. 2. q. 54 artic. 4. Secunda obiectio cum sua solut. intelligetur ex Dubit. 2. huius Artic.

Theologiæ partes integrantes sūt duæ.

Tertium Notabile in vltima parte huius Articuli est; Quòd partes integrantes notitiam Theologicā sint duæ; vel enim est notitia de veritatibus simpliciter necessarijs, quales sunt omnes illæ, quæ ad intra Deo conueniunt; vel contingentes, quæ per respectum ad extra de Deo cognoscuntur. Circa hoc dictum, & circa illud quod Artic. sequ. propefinem dicitur, Personas Diuinas esse quasi partes subiectiuas obiecti Theologici. Nota. Quòd secundùm Arist. 1. post. obiectum alicuius scientiæ debet statui genus, cuius principia, species, & proprietates considerentur in tali scientia: Theologia igitur cùm sit scientia, vt dicitur infra, debet secundùm Philos. illius obiectum istas habere quatuor conditiones, Prima vt sit genus. Secunda vt habeat principia. Tertia vt species. Quarta vt proprietates contineat. Et dico, quòd omnes istas conditiones habet obiectum Theologiæ, nempe Deus. Inprimis enim genus (excludendo Logicum, secundò intentionaliter acceptum) aliud est Physicum, aliud Metaphysicum, tertium est genus scientiæ, vt scientia in communi sumitur. Genus Physicum est materia, quæ per formam ad tale vel tale esse cōtrahitur, & determinatur: Metaphysicum genus est, natura aliqua generica, quæ contrahitur per specificam differentiam ad talem speciem: genus autem scientię vt scientia est, est aliquod scibile habens communitatem ad omnia, quæ considerantur in tali scientia: tale genus in Metaphysica est Ens, quod neq; est genus Logicum, quia non secūdæ intentionis Ens à Metaphysico consideratur; neq; Physicum, quia non est materia; nec Metaphysicum, quia non est aliqua natura generica alicuius summi generis, vel sub summo genere contenta; sed est genus scibile, aptum esse obiectum alicuius habitus scientifici. Ita in proposito, Deus est vnum Ens de genere scibilium, non tamen est genus vel Physicum, vel Metaphysicum. Et sicut generi Physico, species Physica, nempe forma, Metaphysico, Metaphysica, natura scilicet specifica, vt animali homo, correspondent; ita in genere scibilis, vt scibile est, non sunt quærendæ species Metaphysicæ, aut Physicæ; sed intellegibilia quæ minorem habent communitatem quàm ipsum obiectum (quod habet rationem communem intelligibilis) dicuntur quasi partes obiecti, vel species; sic species obiecti Metaphysici, assignantur ipsa summa genera, de quorum numero & natura disputat Arist. 5. 6. & 7. Metaph. & inter has species præcipua est substantia, de qua 11. & 12. Met. pluribus agit Philosophus. In proposito igitur, non sunt quærendæ species, non modò Physicæ, sed nec Metaphysicę quidem,

Nota.

Obiectū est genus, cuius principia, species, & proprietates considerantur in tali scientia.

Genus quadruplex.

Deus est de genere scibilium.

Species obiecti Theologici.

quidem, cùm & ipsum commune, communitate communicabilitatis, sit singularissimum, & de se vnum numero; sed quærenda sunt scibilia, quæ minorẽ habent cõitatẽ cõmunicabilitatis quàm Deus, qui est cõmunicabilis, sicut & Deitas, vt habet Doct. inf. dist. 4. q. 1. & 2. & talia scibilia in obiecto Theologico, sunt tres personæ Diuinæ, quæ sunt simpliciter incõmunicabiles, & vt Quo, & vt Quod. Istas quasi species scibilis obiecti Theologici, vocat Doct. in fine sequ. Artic. quasi partes subiecti, non quòd sint partes illæ personæ (quia sicut materiam, vel quasi materiã, propter summam actualitatem in Diuinis, negat Subt. Doct. dist. 5. q. 2. ita partes, vel quasi partes negaret, propter summam infinitatem, vt de facto negat, tum loco alleg. tum quodl. 5.) sed vtitur circũlocutione, volens declarare, quòd in scientia Theologica, debet dari obiectum primum, & magis commune, communitate communicabilitatis, & minùs commune, quod non habet illam communitatem communicabilitatis; & tales sunt personæ, quæ realiter includunt & essentialiter illam rationem obiecti primi, cùm sint verè Deus ille vnus, non tamen sunt communicabiles vt Deus. Et sicut in Metaphysica, quædam sunt proprietates conuenientes Enti, in quantùm Ens est, vt vnum, verum, bonum; quædam speciebus Entis, vt substantiæ, quantitati, relationi, &c. & omnium consideratio pertinet in communi ad Metaphysicum: ita in Theologia, quædam proprietates considerantur obiecti primi, nempe Dei, abstrahendo talem considerationem à Personis, vt infinitas, vnitas singularissima, esse absolutum, & similes; quædam autem Personarum, tum necessariæ, vt generare, generari, spirare, spirari, tum contingentes, vt incarnatio Verbi, eius mors, resurrectio, &c. Patet igitur quomodo tres conditiones obiecti scibilis, sint in obiecto Theologico, nempe genus scibile, species scibiles, & proprietates.

Proprietates obiecti Theologici.

De principijs videtur difficultas: quia principia qualia sunt in obiecto alicuius scientiæ, puta in obiecto Physico (siue illud sit Corpus naturale, vt dicunt Neoterici, siue Substantia corporea, vt dicit Subt. Doct. 6. Met. q. 1.) sunt principia incomplexa, materia, forma, & priuatio: & talia sunt impossibilia in obiecto Theologiæ; quia Deus est simpliciter Ens primum, primitate efficientis, finis, & eminentiæ, simpliciter incompositus & incomponibilis, vt fides tenet, & multis declarat Subt. Doct. inf. dist. 2. q. 2. & tract. de primo princip. & dist. 8. huius 1. Hanc difficultatem resoluit optimè Subt. Doct. 1. Met. q. 1. dicens. Quando Aristot. docet, quòd subiectum scientiæ debet habere principia: intelligendum est de principijs complexis, cuiusmodi sunt præmissæ demonstrationis, qualia principia quodlibet subiectum habet necessariò; sed habere principia incomplexa, non necessariò cõuenit obiecto; vt patet in obiecto Metaphysicæ, Ens enim in quantùm Ens, dicit conceptum simplicem irresolubilem in alios conceptus, nec habet vlla principia incomplexa, sed sufficit quòd habeat complexa: ita quamuis nulla sint principia incomplexa, respectu obiecti Theologici, nempe Dei, sunt tamen complexa, quæ immediatè verificantur de Deo, sicut ista propositio, Deus est, Deus est infinitus, &c. de quibus infra. Consimilem habet explicandi modum huius propositionis, Richard. de Media Villa quæst. 3. in respons. ad Primum.

Obiectum Physicæ q̃?

Principia obiecti qualia debet esse.

Principia obiecti Theologici.

Dubitatur Primò.

Vtrum obiectum scientiæ debeat continere veritates sui habitus.

Videtur quòd non. Primò. Si quodlibet subiectum continet sic suam passionem, quælibet huius passio esset alia res ab ipso subiecto, actualis vel potentialis; Consequens est falsum; ergo & Antecedens. Sequela Maioris. Quia talis continentia virtualis, est causalis & effectiua; secundùm Doct. Subt. quod patet in ratione 2. in qua dicit, quòd obiectum se habet ad habitum, sicut causa ad effectum; & ex hoc concludit quòd virtualiter continet: Deinde (vt dicit Arimin.) manu propria postquam exposuerat, quid est primò virtualiter continere, magis hoc ipsum declarans, addidit Scotus in margine. Idem inquit est A. vt habitualiter cognitum, continere B. quod est speciem A. in memoria, posse gignere speciem in intelligẽtia: patet igitur quòd loquitur in hac materia, de continentia virtuali causæ effectiuæ. Minor in doctrina Subt. Doct. est certa, vt dicitur infra in solut. argument.

Additio hęc non est Scoti, sed alicuius obscuratoris Scoti.

Secundò. Nulla res virtualiter sic contenta, est in Deo; igitur obiectum Theologiæ Deus, non continet virtualiter proprietates. Antec. Quia in Deo non est causa & causatum, cùm tales relationes secundùm Doct. infra dist. 3. q. 7. fundentur in distinctis naturis & suppositis; distinctio autem naturæ Diuinæ est impossibilis. Consequentia. Quia non est realis distinctio inter Deum & eius proprietates essentiales.

Tertiò. Nulla creatura continet aliquam rem primò virtualiter; ergo non omne subiectum continet veritatem virtualiter. Antec. Quia impossibile est aliquam rem esse vel fieri, quin immediatè à Deo saltem partialiter causetur.

Quartò. Sphæricitas est passio de cęlo & astris demonstrabilis, secundùm Phil. 2. cæli, tex. 22. & 48. & esto, quòd sit res distincta à cęlo, non tñ virtualiter cõtinetur ab eo; cũ ipsum cælum, secundùm intentionem Philosophi, non sit causa effectiua suæ sphæricitatis; sphæricitas enim eorum est æterna, & res æternæ secundùm Arist. non habent causam effectiuam propriè dictam.

Quintò. Materia est subiectum formæ, natura humana est subiectum beatitudinis supremæ, homo est subiectũ actus ridendi, & tamen prædicta subiecta, non continent notitiam talium veritatum; Ergo, &c.

Sextò. Passio corporis radiosi est, posse causare calorem in corpore illuminabili, & calefactibili; & passio Rheubarbari est, esse purgatiuum Choleræ; & tamen nec notitia corporis radiosi primò virtualiter continet notitiam illius passionis, cùm non contineat notitiam primam caloris; nec notitia Rheubarbari continet primò virtualiter notitiã suæ passionis, cùm non contineat primam notitiam Choleræ, sine cuius notitia illa passio cognosci non potest. Similiter dici posset de multis alijs passionibus; ergo, &c.

Septimò. Si notitia subiecti contineret virtualiter notitiam passionis; igitur per cuiuscunq; rei notitiam, absq; alterius rei notitia, posset euidenter cognosci de illa quælibet eius passio. Consequens est falsum; quantumcunq; enim aliquis intueatur Solem, nunquam ex hac notitia præcisè, primò cognosceret Solem esse calefactiuum.

Octauò. Esse à Deo conseruabile sine subiecto, esse perpetuabile, esse annihilabile, sunt passiones accidentis corporalis distinctè à nobis cognoscibilis; & tamen per nullã cognitionem intuitiuam, possunt à nobis tales passiones euidenter cognosci, de accidente corporali.

Nonò. Multa cognoscuntur primò, via sensus, & per experientiam, vt de Rheubarbaro in medicina, &c. ergo non primò notitia habetur per proprium subiectum.

Decimò. Secundùm Doct. Subt. in Report. q. 1. prol. Quando aliqua respiciũtur ab aliqua potentia, vel ab habitu, ita quòd quodlibet illorum per suam rationem formalem aptum est respici à potentia tali, vel ab habitu tali, ibi nullum eorum est primum obiectum potentiæ, primitate virtutis; & consequenter ibi notitia vnius non continet notitiam alterius; sed subiectum & passio frequẽter sic se habent, quòd sunt res distinctæ secundùm eum; quia docet alibi Doct. quòd subiectum sit causa efficiens passionis, causa autem & effectus realiter distinguũtur; & quodlibet istorum est motiuum intellectus (quia quando aliquod est primum obiectum adæquatum potentiæ, quodlibet contentum sub illo obiecto est motiuum potentiæ; obiectum autem adæquatum potentiæ intellectiuæ est Ens; ergo quælibet res est per se motiua intellectus) ergo nulla res est obiectum virtualiter continens aliam rem, quoad cognoscibilitatem.

Vndecimò. Quod continet perfectam notitiam alicuius, continet eius notitiam imperfectam; sed notitia subiecti non continet notitiam imperfectissimam ipsius passionis, quia non continet Quid nominis; quia tunc non esset præcognitio; ergo nullam notitiam passionis continet subiectum virtualiter. Hæc sunt præcipua argumenta Ariminen. in prol. q. 4. art. 1. Ocami q. 9. quibus impugnat Doctoris positionem.

Docto-

Doctorem Subt.sequitur Bassol. Mayr.Ant. And. alijq; Scotistæ in præsenti materia. Pro resolutione præsentis Dubitat.

Obiectum vocatur subiectum.

Suppono Primò. Obiectum scientiæ commodè vocari subiectum, & meritò Doct. Subt.indifferenter istis terminis in præsenti materia vtitur, cùm sint in re idem, licèt secundùm aliquam considerandi rationem possint diuersificari. Vt enim est illud quod intellectus in tali scientia considerat, dicitur esse obiectum scientiæ, eò quòd illud primò & adæquatè cognoscendum obijciatur intellectui in tali scientia; vt autem hoc obiectum est vnum scibile, cuius principia, partes, & proprietates considerantur in proprio habitu, respectu talium veritatum & proprietatum, dicitur esse subiectum: ista tamen ratio subiecti, nullam in præsenti ponit potentialitatem vel quasi passiuam subijcibilitatem, vt dicitur inf.dist.2.q.4.& dist.3.q.2.& dist.8.q.4.& explicatum est à nobis sup.3.part. præced.Art. Sic etiam prę-ter Scotistas omnes, Arimin.Ocam, & Gabriel his nominibus vtuntur indifferenter. Quare non bene Capreol.q.4. prol. nec non ibid. Sonc. in suis compendijs, Durand.q.5. distinguunt subiectum & obiectum per hoc, quia obiectū scientiæ est conclusio demonstrata; subiectum autem sciētiæ, est illud quod subijcitur in conclusione: hoc enim dictum est, tum contra definitionem obiecti ab Arist. traditam 1.post.quòd sit genus, cuius principia, species, & proprietates explicantur; ergo apertè cùm scibile ponat esse genus vnum de genere scibilium, illud verificabitur solùm de incomplexo: Tum quia scientia est vna ab vnitate obiecti, siquidem vt actus, ita & habitus, distinctionem & vnitatem habent ab obiecto; quæ vnitas obiectiua est alicuius incomplexi: Tum quia secundùm Durand. illud debet poni obiectum scientiæ, quod primò principaliter obijcitur cognoscendum in cognitione scientifica; sed primò obijcitur subiectum Conclusionis, de quo passio demonstratur; ergo subiectum Conclusionis est obiectum scientiæ, sicut est subiectum illius; Ergo idem est subiectum & obiectum.

Obiectum scientiæ dupliciter potest statui.

Illud tamen in Doct. nostri sententia non negamus. Quòd obiectum scientiæ dupliciter potest statui: vno modo, vt scientia assumitur pro aliquo habitu perficiente intellectum in certa noticia rerum, & sic nomen scientiæ, est quid commune ad habitum intellectus, sapientiæ, prudentiæ, & scientiæ strictè acceptæ; & dicimus obiectum scientiæ ita assumptæ, esse aliquid incomplexum, & vocari tum subiectum, tum obiectum indifferenter: alio modo sumitur scientia strictè, vt est habitus contradistinctus ab alijs habitibus intellectus præmemoratis, & dico quòd illius obiectum sit conclusio demonstrata: est enim scientia, in hac acceptione, habitus cōclusionum, vt sup.dixi q.1.dub. vlt.in resp.ad 4.difficultatem.

Continetur aliqd in altero varie.

Suppono Secundò. Quòd res aliqua continetur in altera; vel realiter, vt aqua in vase, rationale in homine; vel virtualiter, quia licèt non sit realiter in ipso, vel extra ipsum, potest tamen esse extra ipsum, quia illud quod dicitur continere virtualiter, habet virtutem causandi ipsum; vel tertiò eminenter, quatenus modo perfectiori aliqua causa æquiuoca, potest ponere in esse effectum æquiuocū, quàm si ille poneretur à causa vniuoca: distinguiturq; cōtinere eminenter à continere virtualiter, quia continens eminenter, debet esse naturæ eminentioris & perfectioris quàm contentum, & consequenter debet esse æquiuocum; continens autem virtualiter, siue sit vniuocum, siue ęquiuocum, sufficit quòd habeat virtutem causandi: quandoq; tamen pro eadem ista duplex continentia sumitur. Istis proportionaliter dicendum est de continentia vnius scibilis in altero; quia quoddam scibile continet aliud realiter vel formaliter, vt definitum continet definitionem, homo continet animam & corpus; cognito enim definito, cognoscitur realiter & definitio, quæ realiter continetur in ipso, ad minùs saltem implicitè cognoscitur, imò omnes veritates alicuius immediatè scibiles, continentur realiter in cognitione illius scibilis. Alio modo continetur vnum scibile in altero virtualiter; quia aliquod scibile est causa alterius scibilis, & in esse, & in cognosci; sic subiectum est causa suę passionis, & quoad esse, & quoad cognosci, nam res non cognoscitur nisi per definitionem; sed in definitione passionis, subiectum cadit vt additum, secundùm Arist. ergo passio non potest cognosci sine subiecti definitione. Tertio modo continetur aliquid in alio eminenter quoad cognitionem, quatenus ex perfecta cognitione alicuius perfectioris Entis, cognoscitur imperfectius; vt enim causa eminentior dicitur continere eminenter effectum ipsa inferiorem, ita & cognitum eminentius & perfectius, eminenter continebit cognitum imperfectius. Et hęc dicta sunt secundùm communiorem terminorum acceptionem apud Scotistas antiquos. Pręter istos autem tres continendi modos, secundùm quos vnum scibile dicitur contineri in alio quoad notitiam, datur alius modus continendi cōmunior virtualis continentię, quatenus in scibili cognito cognoscitur aliqua ratio, quę est causa connexionis omnium veritatum, tam immediatarum quàm mediatarum dicibilium de tali cognito: ista autem ratio, est ipsa essentialis & formalis ratio obiecti cogniti; talia enim principia obiecto, exempli causa, Physico deberi, tales species, tales proprietates, non alio modo & nos cognoscimus, & à parte rei cognoscibilia sunt, quàm per rationem essentialem illius obiecti. Et hoc modo sumitur continentia virtualis in textu Doct. non autem pręcisè modo priori ex tribus memoratis, imò secundus & tertius non est ad propositū, primus aliquatenus. Non aliud igitur erit veritates immediatas vel mediatas contineri virtualiter in obiecto, quàm obiectum continere in se causam connexionis prędicati cum subiecto talium veritatum, vt in explicatione textus dixi.

Obiecti c[…] tinentia v[…] tualis qu[…] respectu v[…] ritatū eius

Ex istis suppositionibus patet, & explanatio propositionis à Doct. vsurpatę, & Conclusio affirmatiua ad propositam Dubitationem, quę sufficienter probatur in textu à Doct. duabus rationibus superiùs à nobis explicatis. Et confirmatur breuiter ex definitione obiecti, quod debet esse scibile, cuius principia, & proprietates explicentur in scientia; sed principia, & proprietates talis scibilis, conueniunt illi scibili, ex ratione ipsius essentiali, vt manifestum est; ergo, &c.

Ad argumenta.

Continentia virtualis non est continentia effectiua.

Ad Primam in principio adductum. Nego sequelam Maioris. Probatio itidem illa, quòd continentia virtualis secundùm Doct. sit continentia causalis & effectiua, falsa est; quia immediata principia continentur virtualiter modo explicato, non tamen causaliter effectiuè, siquidem non habent causam mediam: & esto, quòd aliqua habeant vt proprietates, illa tamen causalitas est Metaphysica, abstrahens à motu & mutatione, estq; indistinctorum realiter, vt dicetur inf. Ad instantiam ex textu, patet ex dictis in explicat. rationis 2. quòd Arimin. non intelligat Doct. Subt. positionem, sicut nec Caiet. intellexit. Ad illud de margine, dico, additionem illam non esse Doctoris, sed alicuius obscuratoris, non elucidatoris doctrinam eius, vt permultę alię additiones, quas consultò ex hoc libro deleri curauimus omnes.

Ad Secundum. Nego Antec. Probatio itidem est nulla; nam sic continens virtualiter veritatem, non distinguitur realiter ab illa veritate, cùm passio non distinguatur realiter à suo subiecto, nec veritas à suo obiecto. Dictum Doct. ex dist. 3. q.7. malè adducitur, cùm ibi loquatur de causa & causato realiter ab inuicem distinctis; sed non omnis causa & causatum sic distinguuntur: de quo aliàs.

Ad Tertium. Non excluditur concursus Dei, neq; etiam intellectus, si veritas de obiecto debeat esse in intellectu, vt dictum est in explicatione literę Doct. quare totum hoc argum. cum sua probat. ex falsa imaginatione Arimin. procedit.

Ad Quartum. Respondeo primò. Illa propria passio est demonstrabilis scientificè de suo subiecto, quę conuenit omni tali subiecto, soli, & semper; sed in proposito sphęricitas, non conuenit soli cęlo & astris, cùm etiam elementis conueniat, nec semper, id est necessariò, quia potest fieri aliter: ergo exemplum non est ad propositum, quia dicimus proprietates, solo quarto modo sumendo proprium, (quod verè proprium est scibile) contineri virtualiter in obiecto. Respondeo secundò. Dato, quòd sphęricitas esset propria cęli passio vel astri, adhuc illa esset effectiuè à

Cęlo

Cęlo vel ab astro,secundū Philos.& August. vt bene deducit Subt.Doct.inf.dist.8.q.4. & in 2. d.1. q.2. si enim ab æterno pes esset in puluere, vestigium in puluere esset ab æterno, & tamen à pede causatum; similiter si Sol sit ab æterno, lumen erit à Sole causatum, & tamen ab æterno, etiam secundùm Arist.vt dicitur infra d.8.

Ad Quintum dico. Materia cognita, cognoscitur eius capacitas respectu formarum. De natura humana, dico conformiter superiùs dictis. quæst. 1. quòd si cognosceretur sub ratione proprijssima natura humana, cognosceretur beatificabilitas eius; & esto, quòd non cognosceretur beatificabilitas, adhuc non esset contra nos, qui dicimus contineri virtualiter veritates immediatas, & propositiones quarto modo,non alias,qualis est beatificabilitas, quæ conuenit naturæ Angelicæ,&c. De actu ridendi, non est ad propositum; cùm hic loquamur de veritatibus necessarijs, quæ necessariò continentur in obiecto, actus autem ridendi contingenter continetur.

Ad Sextum. Patet responsio ex dictis, quòd istæ non sint proprietates quarto modo: deinde illæ proprietates verè conueniunt talibus subiectis, propter naturam ipsorum subiectorum. Probationes deniq; omnes procedunt ex pessimo literæ intellectu. Sensus enim obiectionum est;quòd si cognoscerem obiectum,puta Rheubarbarum, quòd necessariò debeam intelligere proprietatem illius, quòd purget Choleram, sed iste sensus verus est, quòd ista proprietas,nimirum purgare bilem,habet conuenientiam cum Rheubarbaro ab intrinseco principio Rheubarbari, & consequenter veritas istius propositionis, Rheubarbarum purgatiuum est Choleræ,continetur virtualiter vt in causa,in Rheubarbaro.

Per idem ad Septimum respondetur.

Ad Octauum.Patet responsio ex dictis ad quintum, & sextum.

Ad Nonum. Licèt primò multa cognoscantur per experientiam,non tamen experientia, vel cognitio per experientiam, est causa connexionis prædicati cum subiecto in veritatibus necessarijs, sed in ipso subiecto; vnde argumētum hoc, sicut & pleraq; alia, ex malo intellectu illorum terminorum,continere primò virtualiter,procedit.

Ad Decimum, dico quòd est argumentum Ocami. Nego Minorem;& licèt causa Physica distinguatur realiter ab effectu Physico, non tamen causa Metaphysica;cuius respōsionis claritas habetur inf.quæst.hac in resp.ad 3.arg. *Causa Physica distinguitur realiter ab effectu, non tamen Metaphysica.*

Ad Vndecimum. Falsa est Maior; quia cognitio Dei de Essentia eius, est perfectissima, & tamen illa cognitio perfectissima, non continet imperfectam notitiam; Deinde Minor non est ad propositum cum sua probat. vt patet ex resp.ad 5.& 6.& ex dictis in explicat.textus.

Dubitatur Secundò.

Vtrum Theologia sit vnus numero habitus.

Ista Dubitatio est scitu necessaria,in doctrina istius Doct. ad plurima loca intelligenda. Et vt vniuersaliùs quęstio procedat, quæri potest de omni scientia. An illa sit vnus numero habitus,& vna numero qualitas. Vbi non est sermo de scientia partiali alicuius Cōclusionis; quia verè notitia conclusionis demonstratæ, est vna numero cognitio, & vna numero qualitas, sed est sermo de scientia totali,an illa sit vna numero qualitas, non composita ex pluribus qualitatibus. Præterea non quæritur de vnitate, quam scientia habet ex obiecto, quia de hoc sequenti dubit. sed prout est in se quædam entitas. Tota ista difficultas resolui potest ex subtilissima Doct.speculatione 6.Metaph.suæ. q.1.Quem secutus,Primò duas extremas opiniones recitabo, & reijciam. Deinde in Secunda parte propriam Doctoris sententiam explicabo.

Est igitur vna Opinio.Quę docet scientiam totalem,esse vnum numero habitum, generatum ex multis actibus, & ita vnum, sicut in vna superficie est vna albedo intensa, licèt successiuè fit ab eodem agente, vel diuersis agentibus, vnica transmutatione, vel diuersis transmutationibus inducta. Et quia non est omnino similis ista comparatio, adhibent hanc distinctionem, & modificationem.Qùòd formę quę recipiunt magis & minùs secundùm intensionem,quædam inducuntur in subiectū,vel induci aptæ sūt, vnico actu & vnica transmutatione, vt calor intensus vna calefactione; quædam autem pluribus actibus, & hoc vel vniformibus; vt temperantiæ habitus, ex pluribus consimilibus actibus elicitis producitur, vel difformibus, & diuersę rationis,& sic generatur habitus scientificus. Vt autem explicent modum, quo ille habitus generatur, intenditur, & vnus numero idemq; in fine intensionis, qui in principio erat, inuenitur, talem ordinem fingunt in generatione habitus scientifici. *Scientiam esse vnā numero qualitatē quidam dicunt.* Primò producitur in gradu infimo ille habitus, quando cognoscitur primum principium talis habitus, & tunc habetur tota entitas illius habitus scientifici, licèt in gradu remisso, non tamen iste habitus denominatur scientia, propter suam remissionem, sed vocatur intellectio primi principij: Deinde cognoscendo alia principia, ille habitus prior,qui dicitur intellectio primi principij, intenditur, & necdum vocatur ille habitus scientiæ, sed dicitur intellectio plurium principiorum cognitorum: Tertiò dum ex principijs conclusiones deducuntur, intenditur ille habitus,& tunc iam ille habitus dicitur scientia conclusionum: semper tamen, vt prædictum est,manet idem numerò habitus. Actus igitur,in ista sententia, differunt ad differentiam obiectorum, sed habitus est vnus numero ex omnibus actibus generatus. *Sciētia quo modo fit vnus numero habitus.* Istam sententiam refert Maur. Hybernic. fuisse quorundam antiquorum,vt Ianduni,Alpharabij,Gondisalui, Alb. Mag. præterea Henr. Gand. quolib.9.quæst.4. Ex iunioribus eā amplectitur Caiet.1.2.q.54.art.4.licèt eam aliter explicet, subscribit eidē Valentia ibid.pun.3.Heru.q.5.prol. quodl. 9.q.5.Capreol.q.3.prol.

Doctor Subt. hic, & clariùs 6.Met.q. 1.oppositam sententiam tenet. Quem sequitur Arimin.q.3.art.1.Durand. q.4.Gabr.q.8.Ocam.q.3.prol.in ordine q.8.Holcot.1.Metaph.q.1.Suarez disp.44.suę Metaph.sect.11.Bassol.Mayr. alijq; Scotistæ.

Contra illam igitur sententiam arguit Doctor. Primò. Habitus naturaliter generatur ex actibus, per hoc, quia actus naturaliter relinquunt suam similitudinem in passo,secundùm sententiam prædictorum authorum. Ex ista præsuppositione argumentor. *Impugnatur illa opinio.* A differentibus specie,secūdùm proprias rationes agentibus, diuersæ similitudines producuntur; sed in vna scientia sunt differentes species actus, ob diuersitatem specificam obiectorum, per quæ actus distinguuntur, vt patet in Physica de Elementis, corporibus cęlestibus, &c. ergo à specie distinctis actibus distinctæ similitudines producentur. Minor est clara. Maior probatur. Quare enim actus morales specie distincti, vt iustitię, & temperantiæ, generant diuersos specie habitus, nisi quia secundùm proprias rationes specificas naturales, similitudines imprimunt potentiæ,ita differentes vt sunt ipsimet actus; ergo vbi est eadem causa distinctionis specificæ,ibi consimiliter effectus erunt specie distincti; ita est in proposito; ergo, &c. Hinc improbatur illa distinctio opinionis oppositæ: quòd habitus generatur ex actibus similibus, quidam ex dissimilibus; sic enim posset aliquis ponere, quòd non est nisi vnica virtus moralis, quę generatur ex actibus vniformibus & difformibus, & similiter quòd vnicus esset habitus, respectu scientiæ omnium scibilium, genitus ex actibus difformibus; nec enim plùs potest improbari hæc positio, quàm illa de generatione vnius numerò habitus,ex difformibus actibus.

Secundò. Verum inquantùm euidens, aptum est causare habitum sui cognoscitiuum in intellectu; sed alia est ratio euidentiæ in principijs alia in conclusione; quia in principijs est euidentia immediata ex terminis;in conclusione autem per aliud,& per discursum; ergo alius erit habitus principiorum, alius conclusionum; ergo habitus sciētiæ non erit vnus numero, cùm intellectum includat principiorum & conclusionum. Confirmatur hoc per dictum Philosophi.6.Etic.c.4.vbi habitum intellectus, siue principiorum, distinguit specie ab habitu scientiæ, qui est habitus conclusionum, vt sup. diximus; imò videtur magis distinguere istos habitus ad inuicem,quàm habitum opinionis ab habitu prudentiæ. Et ratio est. Quia illa magis sunt disparata & repugnantia, quæ continentur sub aliquo genere

Magis diſparata quę ſűt

nere proximo, quàm illa quæ ſub remotiori (vt euidens eſt in albo & nigro, homine & aſino, qui immediatè ponuntur ſub propinquis generibus, vt colore, & animali; non item in albo, & dulci, vel in homine, & quanto, quæ ſub remotis) ſed habitus intellectus ſeu principiorum, & habitus ſcientiæ ſeu concluſionum, ponuntur ſub proximo genere, ſecundùm Ariſt. ibi; opinionis autem habitus, & habitus intellectus ſub remoto; ergo impoſſibiliùs videtur, quòd idem numero ſit habitus principiorum & concluſionum, quàm quòd idem numero ſit habitus intellectus & opinionis.

Tertiò. Cum intellectu aliquorum principiorum, & ſcientia aliquarum concluſionum in Geometria, ſtat ignorantia alicuius concluſionis eiuſdem ſcientiæ, non tantùm ignorantia puræ negationis, ſed etiam ignorantia prauæ diſpoſitionis generata per Syllogiſmum falſigraphum (eſt autem Syllogiſmus falſigraphus, ſecűdùm Doct. in 3. d. 23. in reſpon. ad principale, ille qui procedit ex proprijs propoſitionibus, & terminis alicuius ſcietiæ, quæ quidem propoſitiones, vel non ſunt veræ, vel malè intellectæ, qualis eſt iſta, in materia Geometrica, Omnes lineæ ductæ ab eodem puncto, in idem punctum, ſunt æquales; ſed corda, arcus, & coſta sűt huiusm; ergo corda, arcus, & coſta, ſunt lineæ æquales. Concluſio hic eſt falſa; quia Maior habet veritatem, tantùm de lineis ductis per idem medium, non per diuerſum, vt eſt hìc in Minori propoſitione.) Sed impoſſibile eſt, vel eundem numero habitum, eſſe ſcientiam & errorem poſitiuum, ſeu ignorantiam prauæ diſpoſitionis; vel ſimul eſſe in intellectu oppoſitos habitus; ergo, &c.

Syllogiſmus falſigraphus quis.

Confirmatur iſta ratio. Habitus alicuius obiecti, inclinat intellectum ad cognitionem faciliorem illius obiecti; ſed in propoſito, ille habitus quem habet Geometer de principijs, & aliquibus Concluſionibus, non inclinat ad cognitionem veram concluſionis ignoratæ, cùm oppoſitum firmiter teneat; ergo quando inclinatur intellectus actu ad veritatem illius ignoratæ Concluſionis, non inclinatur per illum habitum, cùm ille naturaliter inclinet, & conſequenter ante inclinaſſet, cuius fuit oppoſitum; Ergo per alium; Ergo plures numero habitus. Dices. Per eundem, ſed per intenſum. Contra. Sicut calidum intẽſum intenſiùs agit, remiſſum remiſſiùs, ita habitus intenſus intenſiùs inclinabit, remiſſus remiſſiùs; ſi igitur nunc intenditur ille habitus; igitur ante erat remiſſus; Ergo ſaltem remiſsè inclinaſſet; at hoc eſt falſum, quia per ignorantiam diſpoſitionis, firmiſſimè adhærebat oppoſito errori, abſq; vlla inclinatione ad verum; Ergo ille prior habitus non intenditur per talem actum, ſed alius generatur. Ad hoc argumentum Capr. q. 3. art. 2. reſpondendo ad ſimile argumentum Aureoli dicit. Habitus oppoſitos ſimul eſſe in eadem potentia intellectiua ſecundùm actum completum, eſt impoſſibile; ſed habitus oppoſitos, quorum vnus eſt in potentia, & alius in actu, non eſt impoſſibile ſimul eſſe in eadem potentia; ſic autem eſt in propoſito. Dicitur enim, quòd habitus, qui ſolùm ſe extendit ad decem Geometricas concluſiones, non eſt habitus in actu, reſpectu Concluſionis centeſimæ, ſed eſt in potentia, & ideo nihil prohibet iſtum habitum, & illam ignorantiam, eidem ſimul inexiſtere. Sed iſta reſponſio nullo modo ſatisfacit: Tum quia habitus reſpectu Concluſionis centeſimæ, non eſt in potentia (ſuppoſito quòd cognitio illius concluſionis centeſimæ, ſpecie diſtinguatur ab illis, quæ produxerunt habitum) vt dictum eſt ratione 1. Et ratio eſt; quia intenſio fit ab vniuoco; ſi ergo aliquid eiuſdem rationis præfuit in illo habitu, ille habitus aliquomodo inclinaret ad cognitionem illius centeſimę: Tum quia habitus ille decem Concluſionű, qui eſt in potentia ſecundùm Capreol. ad centeſimam, quando eſt actu reſpectu illius, vel ipſi aliquid reale additur, vel nihil: ſi primum; ergo intenſio fit per additionem alicuius realis, quod ipſe negat: ſi ſecundum; ergo ſicut ante fuit in potentia, ita & modò, non enim intelligibile eſt aliquid modò eſſe actu tale, quod non fuit ante actu tale, quin habeat aliquid reale, per quod eſt modò ſub altero extremo reale contradictionis: Tum quia ſi non repugnat de eodem genere ſcibilium duos oppoſitos habitus habere, puta ignorantiam prauę diſpoſitionis, & ſcientiam (vt de facto non repugnare concedit Capreolus) à fortiori nõ repugnabit duos habitus non repugnantes, ſed ſibi ſubordinatos, reſpectu alicuius tertij communioris, ineſſe ſimul eidem potentiæ.

Intenſio fit ab vniuoco.

Quartò arguitur. Ex habitu intenſo, poteſt aliquis perfectiùs agere circa quodcunq; obiectum cuius eſt, quã ex remiſſo, vt manifeſtum eſt inductione in omni alia intenſione; ergo ſi addiſcẽdo nouas concluſiones intenditur habitus prior, poteſt habens ipſum perfectiùs ſpeculari quodlibet (reſpectu cuius ponitur eſſe habitus) cuius eſt, quàm prius; & hoc poſſe eſt neceſſarium ex parte habitus, cùm habitus ſit qualitas naturaliter inclinans; at conſequens eſt falſum; quia poſſibile eſt, dum eſt in addiſcendo concluſiones nouas, quòd obliuiſcatur alicuius priùs ſciti, aut minùs perfectè ſciat, quàm ante illas concluſiones nouas ſciuit, quando iſta priùs ſcita frequentiùs cõſiderauit, vt docuit experientia; qui enim addiſcit ſecundum librum Geometriæ, dum ibi occupatur, negligit conſiderare concluſiones primi libri, ſaltem aliquas quibus non vtitur.

Quintò. Arguitur contra illud dictum opinionis, quòd notitia primi principij in aliquo habitu, eſt notitia in gradu infimo. Contra. Effectus non poteſt excedere ſuam cauſam; ſed cognitio concluſionum eſt effectus principiorum; Quia propter quod vnumquodq; tale, & illud magis tale, ſecundùm Ariſt. 1. poſt., Sed propter principia cognoſcimus Concluſiones; ergo magis ſunt principia cognoſcibilia; igitur notitia habitualis reſpectu principij primi in aliqua ſcientia, non eſt habitus ſecundùm gradum infimű.

Effectus nõ excedit ſuã cauſam.

Sextò. In quacunq; qualitate ſunt gradus differentes ſecundùm magis & minùs, ibi eſt ſubordinatio eſſentialis vnius gradus ad alterum; ſed in habitu ſcientifico non dãtur gradus eſſentialiter ſubordinati reſpectu ſcibilium diuerſorum; ergo habitus reſpiciens diuerſa ſcibilia, non eſt vnus habitus habens diuerſos gradus, ſed ſunt plures habitus. Maior patebit ex diſt. 17. huius, vbi agemus de intenſione; Et probatur breuiter. Niſi enim illi gradus ſint eſſentialiter ſubordinati, non faciunt per ſe vnum, & ita qualitas aliqua intenſa, non eſſet accidens vnum numero, ſed aggregatum. Minor. Quia multæ ſunt concluſiones in Geometria (& in alia ſcientia) quarum vna poteſt indifferenter ſciri ante aliam: gradus igitur ille qui reſpicit vnã ex illis concluſionibus, non habebit per ſe ordinem ad aliű gradum, qui reſpicit aliam concluſionem.

Septimò arguit Doct. Quandocunq; aliquis habitus intenſus, poteſt in aliquem actum, intensè illum eliciendo, ille habitus etiam ſecundùm gradum remiſſum, poteſt in illum actum remiſsè eliciendo, & quemlibet alium eiuſdẽ rationis; vt patet de calore, albedine, temperantia, &c. ſicut enim intenſum album intenſiùs diſgregat viſum, ita album remiſſum remiſsè diſgregat, & poteſt varios actus diſgregandi viſum efficere; ſed habitus ſcientiæ remiſſus, non poteſt in actum quemlibet cognoſcendi, in quem poteſt intenſus, vt dicta opinio concedit; ergo habitus intenſus & remiſſus, ſciendi diſtincta obiecta, non eſt eiuſdem rationis; & conſequenter nec idem numero. Hæ ſunt præcipuæ Doct. Subt. rationes loco cit. à quo mutuatus eſt eaſdem Ocã, Arimin. ſup. Aureol. apud Capreol. q. 3. prol. Et quãuis Caiet. 1. 2. q. 54. art. 4. nitatur ſoluere rationes Arim. & & Aureoli, reuera tamen non ſoluit, & tota illius ibi doctrina innititur huic falſo fundamento, Quòd intenſio habitus ſcientiæ fit ex hæterogeneis non autem ex homogeneis, ſiue gradibus, ſiue rationibus, ſiue ratiocinationibus, ſiue extenſionibus illius habitus ad obiecta; cuius oppoſitum oſtendemus infra diſt. 17. Hanc eandem Doct. concluſionem negatiuam ſequitur Holcot. & ceteri ſupra.

Alia Opinio eſt. Quòd aliqua ſcientia totalis, vt Geometria, vel Metaphyſica non eſt vna numero qualitas, ſed tot ſunt habitus intellectu, quot concluſiones ſcitæ. Ratio opinionis eſt. Primò. Quia ſcientia eſt habitus cognoſcitiuus concluſionis demonſtratæ, vt patere poteſt ex definitione ſcientiæ 1. poſt. tex. 5. Ergo quot ſunt concluſiones demonſtrationis, tot ſunt ſcientiæ. Conſequentia probatur. Habitus diſtinguűtur per obiecta; ſed habitus ſcientiæ obiectum eſt ſcibile; ergo ad pluralitatem ſcibilium diſtinguentur ſcientiæ; ſed ſcibilia ſunt concluſiones; ergo tot

Scientiam totalem eſſe aggregationem ſciẽtiarum partialium, opinio.

ſcien-

ſcientiæ erunt,quot Concluſiones demonſtrationis.

Secundò. Habitus innoteſcunt nobis per actus; ſed reſpectu diuerſarum concluſionũ ſunt diuerſi actus cognoſcendi; ergo & diuerſi habitus. Maior. Quia vt potentiæ, ita & habitus diſtinguuntur per actus, imò multò magis, quia habitus producitur ab actibus. Minor. Quia actus illi ſciendi ſunt diuerſi, non tãtùm numero,(quam diſtinctionem videre eſt etiam circa eandem Concluſionem bis intellectam) ſed ſpecie, ob diuerſam rationem cognoſcendi; vna enim concluſio cognoſcitur per vnam cauſam, altera per alteram diuerſæ rationis ſpecificæ. Secundùm iſtã igitur opinionem, reſpectu cuiuslibet veri complexi demonſtrabilis, ponendus eſt habitus ſpecialis. Hęc opinio fuit quorundam antiquorum,eidemq; fauet Arimin.q.3.prol. art.2.concl.3.

[...]eijcitur il[...] opinio.

Contra hanc opinionem arguitur Primò. Si tot eſſent habitus quot concluſiones, ſequeretur quod ſcientia non eſſet vna,niſi vnitate aggregationis,& per accidens. Conſequens eſt falſum, & contra Ariſt. in multis locis, 1. & 2. poſt.Ergo & id ex quo ſequitur.Maioris ſequela.Quia cõcluſiones ſcibiles ad inuicem comparatæ,præſertim autem diſparatæ,non ſunt vnum niſi vnitate aggregationis; Ergo & diuerſi habitus ex notitia talium Concluſionum producti, non erunt vnum aliqua vnitate eſſentiali & per ſe, ſed vnitate per accidens,& aggregationis.

Effe[...]us exc[...]it cau[...]a.

Secundò. Si vnitas aggregationis ſufficit ad vnitatem alicuius ſcientiæ totalis, ſequitur quòd ſcientia Naturalis, Mathematica,& Metaph.fit vna ſciẽtia;quia illarũ ſcibilia habent vnitatem aggregationis. Conſequens eſt contra oẽs Philoſophos,& contra Ariſt.6.Met.tex.2.Vbi tres ſciẽtias Theoricas, ſeu ſpeculatiuas enumerat; ergo, &c. Rationes reſoluentur infra.Et hæc de prima parte.

Quoad Secundam partem, vt Doct.Subt. ſententia media intelligatur.Sciendum eſt Primò ex Metaph.Doct.loc. cit.Quòd cùm omnis habitus intellectus, ſit qualitas generata & firmata ex frequenti cõſideratione,& quandoq; ex vnica intenſa cognitione facta,inclinans intellectum ad ſimilem cognitionem, ad quam tendebat actus: duplex põt poni habitus reſpectu alicuius complexi ſpeculandi; vnus proprius,qui formaliter inclinat ad ſpeculationem eius,tãquam naturalis ſimilitudo ius, ex conſideratione eius derelicta;alius autem communis, qui formaliter inclinat intellectum ad conſideratiõe alicuius communis in ratione obiecti;in quo communi, quia virtualiter continetur veritas alicuius inferioris(iuxta dicta Dubit. præced.) virtualiter etiã dicitur habitus de tali obiecto communi, inclinare intellectũ ad illas veritates inferiores. Si loquamur de habitu proprio ſcibilium complexorum, bene dicit Secunda Opinio tot eſſe habitus(ſupple proprios)ſcientiæ, quot sũt ſcibilia complexa,& hoc probãt rationes ibi poſitæ.Quodſi ſermo ſit de habitu cõmuni, is poteſt eſſe vnus reſpectu multorum complexorum. Et ratio ex ſupradictis euidens colligitur. Quia cõcluſiones virtualiter continẽtur in principijs, principiorũ veritates virtualiter continentur in ſubiecto,iuxta ſup.dicta;ſequitur quòd in ſubiecto incomplexo, quidditatiuè cognito, virtualiter contineantur principia & concluſiones de tali ſubiecto.Habitus igitur inclinãs formaliter ad ſpeculandum tale ſubiectum commune, ſecundùm rõem quidditatiuã, inclinat virtualiter ad oĩa cõplexa,tam immediata,vt ſunt principia,quàm mediata,vt ſunt concluſiones;diuerſimodè tamen inclinat iſte habitus ad illud,& ad hæc;nam per ſe primò,& formaliter,inclinat ad cõſiderationem obiecti ipſius communis; per ſe primò virtualiter, ad cognitionem principiorum; virtualiter aũt per ſe,ſed non primò ad concluſiones.Quare reſpectu omnium iſtorum complexorum,erit vnus habitus virtualiter.

[H]abitus du[...] ex cõple[...] [...]rum.

Quomodo [sc]ientia to[ta]lis eſt v[n]us numero [h]abitus.

Scien[...] totale [...] ſe agg[...] tione[...] tiarum [...] tialiu[...] nio.

[...]nus habi[...]is dicitur [...]pliciter.

Sciendum eſt Secundò. Quòd habitus aliquis dicitur vnus tripliciter;vel vnitate ſpeciei, vel vnitate generis propinqui,vel vnitate generis remoti. Tunc habitus dicitur vnus vnitate ſpecifica,quando intellectus inclinatur ad ſpeculandum tale obiectum ſpecie,v.g. ex frequenti conſideratione huius dicti, Triangulus habet tres angulos, relinquitur in intellectu quædã naturalis aptitudo, quæ intellectũ noſtrum formaliter inclinat ad ſpeculandam iſtam cõcluſionem.Tunc verò habitus dicitur vnus vnitate generis propinqui,quãdo intellectus per habitũ inclinatur formaliter ad alicuius cognitionẽ, in quo virtualiter continetur proximè veritas alterius cõplexi:& cõ ſequenter dicitur ille habitus inclinare intellectum immediatè formaliter,in obiectũ primum ſeu adæquatũ, in illud autem contentũ virtualiter inclinat mediatè,proximè tamen,quia eius veritas cõtinetur in illo obiecto. Exemplũ.Hæc propoſitio,Omne augmentabile eſt alterabile, primò & per ſe conuenit corpori animato; cùm igitur corpus animatum virtualiter & permiſſiuè contineat in ſe plantã & pyrum, cognitio iſtius veritatis,vt ſe extendit ad corpus animatum in communi, & deinde ad plantam & pyrũ, eſt vna cognitio vnitate generis proximi,quia ſicut ipſa planta,vel pyrus, cõtinetur in corpore animato virtualiter & permiſſiuè,ita & iſtorũ veritates ſeu cõcluſiones,cõtinentur virtualiter in corporis animati notitia. Tertiò dicitur vnus habitus vnitate generis remoti, quando habitus de aliquo cõi obiecto,inclinat intellectũ ad conſideratiõe illius obiecti formaliter, ad cognoſcendas autem veritates aliorũ inferiorũ illius obiecti, non inclinat niſi in vniuerſali, & in potentia remota, quia tales inferiorũ veritates ſciuntur per proprias rationes inferiorum,non per rationem communis. Sic aliquis habens habitum de hac veritate, Animal eſt ſenſibile,ſcit in potentia remota hominem eſſe riſibilẽ, non. n. riſibile ſcitur per rationem animalis de homine, ſed per ratiõe proprijſſimam homini,nẽpe per rationale. Iſte modus tertius, vnitatis ſcientiæ,in hoc diſtinguitur à ſecundo,ꝙ in ſecundo, ſcibile inferius virtualiter incluſum in ſuperiori, ſcitur per illã rationem ſuperioris: in tertio autem etſi ſcibile inferius virtualiter includatur in ſuperiori,tamen illius veritas ſcitur non per rationem illius continentis ſuperioris, ſed per ratiõe inferioris. Eſtq; hæc expoſitio notanda; ſiquidem multi ẽt Scotiſtarum hanc Doct. poſitionem 6. Met. q. 1. non intelligunt, vt patere poteſt legenti abbreuiaturam F. Ioan. de Colonia q. 266. Taruiſin.in ſuo rationali, Hybernic. in ſua Metaph. Ex dictis ad reſolutionem quæſt. de mente Doct.ponuntur hæ Concluſiones.

Prima Concluſio. Scientia totalis, non eſt qualitas vna numero intenſibilis ſecundùm gradus.Iſta aſſertio ſufficiẽter probata eſt ſupra, argumentis improbantibus primam opinionem.

Secunda Concluſio. Scientia totalis formaliter,vt eſt de pluribus ſcibilibus ſpecie diſtinctis, eſt collectio habituum partialiũ, certa cõnexione ad vnũ genus ordinata. Hæc aſſertio omnino eſt ad mentem Doct. qui vt viſum fuit Notab.1.cõceſſit tot habitus eſſe proprios & formaliter,quot ſunt ſcibilia,& in 2. Notab. dicit illos oẽs habitus partiales poſſe habere rationem aliquã communem, in qua virtualiter vel proximè vel remotè veritates talium ſcibilium cõtineantur.Quæ duo ſi coniungãtur,hanc noſtram Concluſionem ſecundam conſtituent.Eandem Concluſionem approbat Richard.Medio uill.q.3.prol.dicens, ideo ſcientiam totalẽ dici vnã,nõ quia in ſe ſit aliqd vnũ numero,ſed quia ibi oĩa dicũtur ad vnũ,vel vt eius principia, vel vt ꝓprietates,vel vt partes ſubiectiuę,& iſta vnitas attributionis ſufficit ad vnitatẽ verã totalis ſciẽtiæ,nec plùs Phil.ibi vult ĩ lib. Poſt. Ijſdem ferè verbis idem docet Subt. Doct.q.44.poſt.

Scientia totalis contines habitus partiales cõ nexione ordinatos ad vnũ genus.

Vnitas attributionis ſufficit ad vnitatem totalis ſcientiæ.

Huic Concluſioni Doct.multi Neoterici fauent.Nec ratio prima contra ſecundam opinionem poſita,officit huic Concluſioni. Nam vnitas aggregationis eſt maior vel minor; maior in vna ſcientia totali, minor in diuerſis partib. ſecundùm ſe ſumptis. In vna enim ſcientia totali, ſcientiæ partiales dicunt ordinem & attributionem ad ipſum genus talis ſcientiæ, vnde non ſimpliciter ſcientia erit vnum per accidens, ſed aliquomodo per ſe,quia per ſe principia, proprietates,& partes ſubiectiuæ ordinantur ad ſuum obiectum:in ſcientijs verò totalibus diuerſis, vel in partialib. abſq; ordine ad ſuum genus conſideratis, merè erit aggregatio abſq; vlla attributione, & verè erit diuerſitas, non vnitas ſcientiarum.

Sciẽtia quo eſt vnum p ſe & vnum per accidẽs.

Tertia Concluſio.Scientia totalis per ſe eſt vna ſcientia, & non tantùm per accidẽs. Patet ex dictis.Et ratio eſt duplex aſſignata. Prima eſt,ex ordine & attributione omniũ veritatum in tali ſcientia conſideratarum ad vnum per ſe, illud autem eſt obiectum vnum per ſe; ergo & ſcien-

tia erit vna per ſe de tali obiecto. Secunda ratio eſt. Quia verè illa ſcientia eſt de vno obiecto formaliter,& ſic poteſt dici etiam vna qualitas, eſt tamen plurium virtualiter, vt dictum eſt,quæ plura cùm virtualiter in illo vno contineãtur,abſolutè dici poteſt eſſe vna ſcientia formaliter,& multiplex virtualiter.

Quarta Concluſio principaliter hìc intenta, eſt. Theologiæ habitus non eſt vna numero qualitas,eſt tamen verè vnus habitus,vnitate non ſpeciei,cùm non præcisè circa vnam verſetur Concluſionem, ſed eſt vnus vnitate generis proximi,quia obiectum illius,quod eſt Eſsẽtia Diuina,virtualiter cõtinet omnes veritates reuelatas, tam neceſſarias quàm contingentes,(eſto quòd diuerſimodè iuxta ſup.dicta)& per rationem Deitatis optimè ſciri poſſent,ſi ipſa ratio formalis iſtius obiecti eſſet intellectui noſtro manifeſta.

Habitus Theologicus qua vnitate eſt vnus.

Iſta Concluſio,quoad omnes ſuas partes,habet euidentiam ex dictis.Ex qua conſtat,quomodo reſoluenda ſit Secunda obiectio,in textu Doct. propoſita, & quis ſit ſenſus illorum verborum *non eſt habitus vnus ſecũdùm ſpeciem, ſed tantùm ſecundùm genus*,intelligendo vnitatem generis proximi.

Illud tamen hìc aduertendum eſt. Quòd cùm veritates Theologicæ virtualiter neceſſariò contineantur in obiecto Theologico, nempe in Eſſentia Diuina, veritates autem contingentes non neceſſariò, nec propriè virtualiter, vt ſup.dixi,ſed virtualiter cõtinentur à voluntate Diuina,cũ cauſa connexionis ipſorum & veritas, non ſit Eſſentia Diuina vt Eſſentia, ſed voluntas Diuina: ad principia Doct. conſequenter dicendum eſt, quòd habitus Theologicus, quoad veritates neceſſarias, ſit vnus vnitate generis proximi; quia per rationem formalẽ obiecti Theologici, quod eſt Eſſentia Diuina, omnes veritates neceſſariæ Theologicæ,demonſtrari poſſunt ab intellectu apprehendente clarè rationem illam obiecti, non à noſtro pro ſtatu iſto;quoad veritates autem contingentes, erit habitus vnus vnitate generis remoti; quia Eſſentia Diuina eſt cauſa remota cõnexionis talium veritatum, proxima autem eſt voluntas Diuina. Nec hoc inconueniens vllum eſt, eũdem habitum totalem de vno obiecto formali, eſſe vnum duplici vnitate; hæc enim diuerſitas vnitatum in iſto habitu Theologico,nõ prouenit ab vnitate obiecti,quia ſic formaliter eſt vnus habitus,ſed ex diuerſitate contentorũ in illo obiecto, quia quædã habent cauſam ſuæ veritatis ipſummet obiectum, quædam autem non obiectum præcisè, ſed aliquid aliud.

Veritates contingentes non cõtinentur neceſſariò in obiecto Theologico.

Loco Corrolarij poſt prædicta inferri poteſt. Quòd habitus principiorum & Concluſionum ſint diſtinct numero. Hoc dictum eſt Doct. Subt.vt patuit ratione 2.contra primam Opin. Amplectitur idem Arim. loco cit. contra Ocammum q.8 & Adam Goddam.q.7.& prẹter authoritatem Ariſt. ſupra allegatam(qui habitum intellectus ſeu principiorum, ab habitu ſcientiæ ſeu Concluſionum ſpecie diſtinguit) ratio poteſt adferri. Tum quia notitia principiorum eſt cauſa notitiæ Concluſionis;ſed talis cauſa diſtinguitur realiter à tali effectu:patet;quia poteſt eſſe notitia principiorum abſq; notitia Concluſionis,quod eſt prẹcipuum ſignum diſtinctionis realis; ergo notitia Cõcluſionum diſtinguitur realiter à notitia principiorum;ſed ſi diſtinguuntur actus, ſequitur quòd & habitus; quia habitus diſtinguuntur per actus, & per eoſdem manifeſtantur; ergo,&c.Tum quia alia eſt euidentia principiorum alia Cõcluſionis;ergo alia notitia;ſed à diuerſis notitijs ſunt diuerſi habitus; Igitur, &c. Quia tamen naturali neceſſitate ſequitur Concluſio ex præmiſſis, & per ſe Concluſio ſubordinatur principijs, non ſunt iſti duo habitus diſparati, ſed eſſentialiter ſibi ſubordinati, & ratione iſtius eſſentialis vnius ad alterum attributionis, poteſt dici quòd demonſtratio facit vnum habitum,vnitate videlicet attributionis ad vnum; & in hoc ſenſu videtur negare Ocamus diſtinctionem habitus principiorum ab habitu Concluſionum. Iſtud dictum non contradicit ſuperiùs à nobis poſitis dubitat. vltim.quæſt.1.in ſolut. difficult.3.vt pateb.ſpeculanti.

Habitus principiorũ alius, eſt ab habitu concluſionum.

Dubitatur Tertiò.

Vtrum ab obiecto ſumatur formalis diſtinctio habitus Thologici.

Poſtquam viſum eſt qualis ſit vnitas entitatiua habitus Theologici, conſequenter inquirendum eſt de vnitate formali,penes quid attenditur iſta vnitas, qua eſſentialiter & formaliter diſtinguitur habitus Theologicus ab omni alio habitu.Cuius difficultatis enodatio multùm conducet & ad prædictorum euidentiam, & ad ſequentium intelligentiam; poteſtq; procedere vniuerſaliter ſicut & præcedens, inde enim facilè conſtabit quid dicendum ſit de Theologia. Ac inprimis arguitur negatiuè, quòd videlicet non ſumatur formalis diſtinctio ſcientiæ ab obiecto.

Primò. Quia ſiue loquamur de ſcientia obiecti partialis, quæ eſt notitia vnius Concluſionis,nõ videtur talis habitus diſtinctionem formalem ſumere ab obiecto,cùm eadem Concluſio,v.g.,Terra eſt rotunda, ſciatur & pernaturalem Philoſophiam,vt 2.Phyſ.tex 18.dicitur, & etiam per Aſtrologiam cognoſcatur, naturalis autem Philoſophia & Aſtrologia ſunt ſcientiæ diſtinctæ formaliter; Ergo diuerſæ ſcientiæ formaliter, conſiderant idem obiectum ſpecificum; non ergo diſtinctio formalis ſcientiæ, poteſt accipi ab obiecto partiali: ſiue etiam ſermo ſit de ſcientia obiecti totalis & vniuerſalis: patet quòd ſcientia medicinæ, & ſcientia moralis Philoſophiæ, ſunt duo diſtincti formaliter habitus totales, & tamen idem habent obiectum, nempe hominem,Ergo,&c.

Arguitur Primò.

Secundò. Scientia,fides,& opinio, ſunt habitus diſtincti, ex 2.de anima tex. 107. quæ tamen poſſunt eſſe de eodem obiecto; quia ſuppoſito, quòd Petrus ſciat demonſtratiuè Solem eſſe maiorem tota terra,quod Ioannes tantùm credit, Paulus autem opinatur; ergo etiam diuerſæ ſcientiæ poſſunt eſſe de odem obiecto. Conſequentia. Quia plùs differt ſcientia ab opinione,dicitur 6.Etic.quàm duæ ſcientiæ inter ſe.

Tertiò. A quo res habet vnitatem, & diſtinctionem formalem, eſt rei intrinſecum; ſed obiectum non eſt habitui intrinſecum, ergo habitus non dat diſtinctionem formalem; Maior.Quia principiũ formale,& effectus formalis, nõ poſſunt ſeparari ab inuicẽ; ſed formale diſtinctiuum,& formalis diſtinctio,habẽt ſe vt principiũ& effectus formalis; ergo in quocũq; eſt formalis diſtinctio, in eo ſit neceſſe eſt,formale principiũ diſtinctiuũ.Minor eſt clara.

Quartò. Ens eſt ſubiectum cuiuſlibet ſcientiæ,cùm de non Ente non ſit ſcientia; ſed ſcientiæ ſunt plures, etiamſi ratio Entis ſit vna; ergo pluralitas ſcientiarum non ſumitur à pluralitate obiectorum,ſimiliter & vnitas ab vnitate.

Notandum eſt Primò. Quòd ratio formalis ſcientiæ poteſt eſſe triplex. Prima ſe tenet ex parte ſcientis,& hæc eſt modus cognoſcendi, per quem ſciens venit in notitiam obiecti. Si etenim ſcio per demonſtrationem quòd terra ſit rotunda, alter autem ſciat per fidem vel per argumentum probabile,tunc eadem ratio erit ſcita in obiecto,nempe rotunditas,ſed alia & alia ratio erit ex parte ſcientis huius vel illius: & vocatur hæc ratio Propter quam, ſiue Per quam; quia nimirum propter talem vel talem modum cognoſcendi, vocatur talis notitia ſcientia, & talis opinio, &c. Secunda ratio formalis ſe tenet ex parte obiecti; diciturq; ratio formalis terminatiua;& hæc eſt illa,quæ denominat obiectum eſſe huius ſcientiæ, quatenus illa ratio eſt iſtius obiecti, non diſtincta realiter ab obiecto, & ſecundùm illam rationem tale obiectum conſideratur; & ideo vbi in eodem obiecto reali eſt diuerſa ratio obiectiua ſcibilis inquantùm eſt ſcibile, ibi ſunt formaliter diuerſa ſcibilia, & diuerſarum ſcientiarum diuerſa obiecta formaliter, licèt ſit idem materiale; vnde homo qui alio modo ſe obijcit Medicinæ, & alio modo Philoſophiæ morali, quia illi vt ſanabilis, iſti vt beatificabilis, idem obiectum materiale, nempe homo, habebit diuerſam in ſe rationem formalem,reſpectu diuerſarum ſcientiarũ;quia ſecundùm diuerſam rationem,vtramq; tamen obiecto realiter cõuenientem, hoc obiectum ſe obijcit iſtis ſcientijs. Et hæc ratio formalis obiectiua, vocatur à Philoſophis ratio formalis, quæ ſpecificat obiectum

Ratio formalis ſcientię eſt triplex.

mate-

materiale,vt consideratur à tali scientia. Tertia ratio formalis est Sub qua,(quæ potiùs est conditio,sub qua cognoscitiuæ potentiæ obijcitur obiectum, ita vt sine illa conditione, non possit à tali habitu considerari illud obiectum. Ista distinctio est clara in hoc exemplo. Corpus album est obiectum partiale visus,vbi corpus est obiectum materiale visus,album vero formale: ratio igitur formalis propter quam cognosco corpus esse album,est ratio definitiua subiecti illius formalis albi; quia nimirum est disgregatiuum visus:ratio formalis quæ terminat in obiecto talem potentiam, est albedo; quia non corpus vt corpus,sed corpus vt album,est hoc obiectum partiale visus: ratio formalis sub qua potentia visiua attingit hoc obiectum, est esse illuminatum; nisi enim corpus album illuminaretur, non posset illud à visu cognosci, ipsum tamen lumen, seu esse illuminatum,non est illud quod potentiam terminat,seu mediāte quo(obiecto inexistenti)potentia fertur in obiectum.

Abstractio nes à materia quomô diuersificāt scientias.

Notandum est Secundò. Quòd ista ratio Sub qua, in scientijs speculatiuis, subdistinguitur à quibusdam tripliciter. Prima est, abstractio à materia signata seu singulari,quando consideramus res materiales vel singulares,non tamen sub modo singulari,sed in vniuersali. Secunda est, abstractio à materia sensibili(per materiam autem sensibilem in vniuersali, intelligunt materiam substantialem aptā affici qualitatibus sensibilibus,absq; alijs accidentibus) & sic quantitas in scientijs Mathematicis dicitur abstrahere à materia sensibili, etiam vniuersali. Tertia est,abstractio à materia intelligibili (per materiam autem intelligibilem intelligunt quantitatem continuam quæ dicitur materia, propter similitudinem quam habet cum materia, in recipiendo formas accidentales) diciturq; ideo intelligibilis, quia vt à Mathematicis illa consideratur, non à sensu sed ab intellectu est præcisa. A materia signata & singulari dicunt abstrahere Physicam, à materia sensibili & vniuersali Mathematicam,à materia intelligibili Metaphysicam. Istis prænotatis sit

Materia intelligibilis quæ dicatur,&cur intelligibis.

Scientiæ nō distinguuntur secundū obiecta materialia.

Prima Conclusio. Distinctio formalis scientiæ non sumitur ex distinctione materiali obiectorum. Ista conclusio est extra controuersiam, & euidenter potest probari: Tum ratione 1.in princ.huius dubitat.adducta:Tum quia scientia ab illo accipit distinctionem, à quo suam accipit specificationem & determinationem; sed ab obiecto materiali non accipit suam specificationem & determinationem, cùm circa idem obiectum materiale possint versari, & de facto versentur plures scientiæ, non modò partiales, sed etiam totales,vt dictum est; ergo penes obiectum materiale scientia non distinguitur: Tum quia illud, in quo multæ scientię conueniunt,non facit formaliter distinctionem scientiæ; sed scientiæ multæ totales in eadem ratione materiali obiecti conueniunt,vt patuit in 1.argumento, & euidens est;ergo,&c.

Secunda Conclusio. Distinctio formalis scientiæ totalis non sumitur ex ratione formali Propter quam, licèt in scientijs partialibus quādoq; sumi possit, & semper distinguat scientiæ habitum ab habitu fidei & opinionis. Tres sunt partes huius Conclusionis.Prima probatur.Illud non facit distinctionem formalē inter scientias totales, in quo tales scientię conueniunt;sed omnes scientię totales in hoc conueniunt, quòd per demonstrationem habeantur;ergo nullæ in hoc distinguuntur. Secunda pars de scientijs partialibus, probatur Primò. Quia scientiæ partiales possunt habere media specie distincta, nam vna Conclusio in aliqua scientia totali potest demōstrari demōstratione Quia, & alia conclusio in eadem scientia totali potest demōstrari demonstratione Propter quid; sicut ergo ipsæ demonstrationes in abstracto, Quia, & Propterquid, specie distinguuntur, ita & in materia determinata consideratæ, specie distinguentur. Secundò. Scire propriè acceptum, vt à Philosopho 1.post. definitur,est rem per causam cognoscere,&c.Sicut igitur ipsæ causæ formaliter distinguuntur, vt causa materialis & causa formalis, ita & scire eandem rem per diuersas causas, generabit notitias specie distinctas,propter specie distinctas causas.

Distinctio formalis scientiæ nō sumitur ex ratione propterquam.

Additur in Secunda parte Cōclusionis notanter, ly quādoq; Neq; enim omnis Conclusio potest demonstrari varijs demonstrationibus, neq; etiam si demonstretur,quævis generabit veram scientiam,vt patet ex definit.Scientiæ 1.post.traditæ à Philos. Tertia pars fuit assertionis,quòd rō formalis Propter quam,semper distinguat habitum scientiæ ab habitu fidei, & opinionis. Probatur. Cognoscere rē per causam,vel non per causam, sunt notitiæ specie distinctæ; sed notitia scientifica est per causam, fidei non; Ergo &c.Similiter cognoscere rem per causam necessariā, & per causam non necessariam,sunt cognitiones specie distinctę; sed primum est in habitu scientiæ, secūdum in habitu opinionis; Ergo,&c.Vtraq; Minor est manifesta. Maior probatur. Quia hic loquimur de ratione formali, per quam, tanquam per medium cognoscendi, cognoscēs cognoscit; ergo si sint media ista cognoscendi respectu eiusdem,rōnes formales Propter quas, seu per quas, erūt specie distinctæ, & consequenter distinguentur ipsę notitię respectu talium notitiarum. Confirmatur. Cognoscere rem euidenter, vel non euidenter,sunt cognitiones specie distinctæ; sed quod cognoscitur per scientiam, cognoscitur euidenter, quod per fidem,nō euidenter; Ergo &c.Similiter cognoscere rē per rationem à me inuentam, quam contingit aliter se habere, & per aliam rationem, quam non contingit aliter se habere, sunt ex parte modi cognoscendi notitiæ specie distinctæ;sed primum est in opinione,secundum in scientia; ergo,&c.

Sciētiæ distinguūtur, secundū distinctionē obiectorum formalium.

Tertia Conclusio. Distinctio specifica sciētiarū,desumitur à distinctione rōis formalis quę est in obiecto,quādoq; tū distinguitur à rōe formali Sub qua. Prima pars probatur Primò authoritate Phil.3. de an.tex 30.vbi dicit.Quòd scientiæ secātur quemadmodū & res: sed res secundū rōes suas formales differunt, quæ illas cōstituunt in esse tali;ergo & scientiæ distinguuntur secundū esse formale rerū, quod in ipsis rebus reperitur: illud aūt nō est ratio formalis Propterquam; quia plurimæ specificæ scientiæ conuenire possunt in illa, multæ. n. diuersæ in eadē scientia possunt sciri per demonstrationes varias: nec ratio Sub qua; quia specificæ sciētiæ conueniūt in illa, oēs enim demonstrationes Metaphysicæ conueniunt in illa rōe Sub qua, quod considerent obiectū abstractū à materia intelligibili; similiter omnes demonstrationes Mathematicæ abstrahunt à materia sensibili: sed illa rō non pōt esse ratio distinguēdi specie, in qua aliqua conueniunt,vt est ratio Sub qua;ergo,&c.Secūdò. Sicut se habet potentia ad suū obiectū, ita scientia ad suū; sed potentiæ actus distinguūtur per obiecta, iuxta illud Arist. dictū cōe, Potentiæ distinguuntur per actus, actus per obiecta; Ergo & scientię distinguūtur per obiecta. Secūda pars dicti est clara,ex illa instantia, de rotunditate terræ, in princ. Dubit.adducta;cui plures consimiles possent fieri.

Quarta Conclusio.Distinctio generica scientiarū speculatiuarū, sumitur ex rōe formali Quæ, non aūt ex rōe formali Sub qua,quę est tantùm cōditio quędam,sine qua nō cōsideratur in illo obiecto rō formalis.Prima pars ē Doct. Subt. tū in Log. 1.post.q.47.tū in Report.q.2.Prol.tum 6. Met.q.1. circa mediū, vbi loquens de sufficienti diuisione scientiæ in cōi,in Metaphysicā,Mathematicam,& Physicā, subdit sequentia.*Talis diuisio*(nempe in tres prędictas sciētias speculatiuas) *non potest esse in scientias habentes vnitatem primo modo* (id est quod sint distinctæ tantū secundùm speciē, cū in eadē sciētia totali plures scientiæ specie distinctæ numerētur) *quia istæ species*(supple,inferiorum scibilium) *sunt specialissima & remotissima à diuiso*(hoc.s.,quòd est scientia speculatiua in cōi)*ergo oportet quod sint in habētes vnitatē secūdo vel tertio modo*(hoc est,oportet,quod quādo sciētia speculatiua diuiditur in tres prædictas, oportet quod diuidatur nō in sciētias partiales, sed in totales, quarū quęlibet sit vna vnitate generis proximi vel remoti. Addit postea Doct.ibidem, *sed istarū vnitatū vtraq; correspondet vnitati subiecti, virtualiter continentis totam scientiā, vt dictū est prius; ergo secundū distinctionē taliū subiectorū cōcluditur talis diuisio scientiarū; sed talia subiecta prima speculabilia propriè realia, de quibus possunt aliqua sciri via sensus, sunt tantū tria; ergo tantum tres sunt propriè scientiæ reales.* Hęc ille. Ex quibus verbis clarè colligitur.Quod scientię genericè distinguuntur secundū rōes formales obiectorū,cùm penes obiecta istę scientię distinguātur sm̄ Doct. Quęnā aūt sint obiecta istarū sciētiarum

 non

non eſt præſentis negotij; videatur Doct.ibidem.Probatur hæc iſtius cõcluſionis pars præcedentis aſſertionis rõnibus.

Metaphyſ. Mathem.& Phyſicus q̃ conſiderent ſua obiecta.

Secunda pars iſtius Concluſionis eſt etiam Doct. Subt. in Metaph.loco alleg. Metaphyſicus primò conſiderat ſuũ obiectum abſtractiſſimè, abſtrahendo illud à materia ſingulari, ſenſibili, & intelligibili; Mathematicus abſtrahit à materia ſingulari & ſenſibili, ſed non ab intelligibili, quia talis materia eſt quantitas, quæ eſt obiectum Mathematicæ; Phyſicus abſtrahit tantũ à materia ſignata ſeu ſingulari, ſed non à materia ſenſibili, qualis eſt materia prima. Diuiſio igitur ſcientiarum iſtarum aſſignata penes obiecta,eſt aſſignatio formalis,& à priori,quia per cauſam;obiectum enim eſt cauſa ſcientiæ, vt dictum eſt ſup.& pateb. diſt.3.q.8. ſed data per modos abſtrahendi,eſt diſtinctio à poſteriori,& per partes. Et ſic eſt intelligendus Ariſt.dum 6. Met. penes modos diuerſos definiendi, diſtinguit iſtas ſcientias: Metaphyſici enim obiectum cùm abſtrahat ab omni materia,etiam definitiones illius abſtrahunt;Mathematici obiectum quia non abſtrahit à materia intelligibili, nec definitiones illius abſtrahũt, &c. Ex diuerſo igitur modo probandi Phyſicæ,& Mathematicæ,conſiderato ſecundùm maiorem vel minorem abſtractionem,non arguitur

Formalis diſtinctio ſciẽtiarum ex quo ĩfertur: ſimiliter Modalis.

formalis talium ſcientiarum diſtinctio (cùm iſta ſit ab obiectis formaliter diſtinctis) ſed tantùm modalis; quia illæ definitiones ſunt vnius rei, quæ vt vnam habet eſſentiam, ita & definitionem explicatiuam eius,& diuerſificãtur tantùm ad diuerſitatem abſtractionum factarum circa obiecta talium ſcientiarum.

Quando autem dicimus. Quòd ſcientiæ totales diſtinguantur penes obiecta: non eſt intelligendũ, quòd à quocunq; obiecto partiali;quia quantitas conſideratur à Metaphyſico, prout eſt pars ſubiectiua Entis,(vt conſiderat illam Ariſt.5.Met.)& à Phyſico, vt eſt proprietas ſubſtantiæ corporeæ,& à Mathematico,vt eſt obiectum illius totale: ſed ſermo eſt de obiecto totali, quòd ſcientiæ totales diſtinguantur formaliter per obiecta totalia; & quælibet illarum ſit vna ſcientia vnitate obiecti.

Concluſ. 1.

Ex quo infero Corrolarium primum. Nunquam plures ſcientiæ totales ſunt de vno obiecto totali: loquor de

Concluſ. 2.

ſcientijs non ſubalternis.Corrolarium ſecundum.Nunquã plures ſcientiæ partiales, de eodem obiecto, reſpectu eiuſdem rationis formalis Quæ, poſſunt diſtingui formaliter vt ſunt de tali obiecto, ſed tantùm modaliter, ex ratione diuerſi modi probandi habitus.Exemplum.Probat Phyſicus terram eſſe rotundam, per medium Phyſicum, probat Mathematicus per medium Mathematicũ: dico quòd demonſtratio Mathematica, faciens ſcire in Mathematico, & Phyſica in Phyſico, non ſunt duæ ſcientiæ partiales formaliter diſtinctæ, cùm ſit ratio formalis Quæ in obiecto, nempe rotunditas vtrobiq; eadem; diſtinguuntur tamen modaliter,quia diuerſo medio,& modo,probat Phyſicus à Mathematico.

Dubium.

Sed dubium occurrit. Cùm habitus ſcientiæ vnius, ita ſe habeat ad obiectum ſuum,ſicut potentia viſiua ad ſuum obiectum, & habitus alterius ſcientiæ,ad ſuum obiectum, ſicut alia potentia ad ſuum obiectum (comparationem ſiquidem Doctor facit habituum ad obiecta, proportionalem comparationi potentiarum ad ſua obiecta,quæſt.47. lib.poſt.& alias)Si habitus totalis diſtinguitur formaliter, ratione ſui obiecti, ab alio habitu totali,videtur quòd etiã debeat diſtingui quilibet habitus partialis illius habitus, à quolibet alterius habitus formaliter: ſicut in ſimili eſt manifeſtum de potentia viſiua,& auditiua, comparando illas ad ſua obiecta; vt enim potentia viſiua ratione obiecti ſui, quòd eſt coloratum,diſtinguitur formaliter à potentia auditiua,cuius obiectum eſt ſonorum, ita quilibet actus viſiuæ potentiæ, diſtinguitur ab actu auditiuæ,ratione itidem obiectorum formalium;quia non eſt poſſibile,vt potentia auditiua ſuo actu quocunq;, quodcunq; obiectũ coloratũ percipiat;vel è cõtra viſiua ſonũ audiat:ita & de habitibus eſſet dicendum, quòd vt totales habitus formaliter diſtinguuntur obiectis,ſic & partiales actus vel habitus ſciendi, ratione obiectorum partialium deberent diſtingui.

Reſponſio.

Reſpondeo.Ad hoc dubiũ reſponſum eſt ſup.in expoſit. textus huius Art.primam Obiect.ponendo & reſoluendo, quòd non ſit ſimilitudo quoad inferiora: vide ibi dicta.

Nota.

Deinde dico Secundò. Quòd habituum comparatio cum potentijs, debet eſſe non cum potentijs diſparatis, vt ſunt quinq; ſenſitiuæ exteriores, ſed cum potentijs ſubordinatis,de quibus habetur inf.d.3.q.4.Et ratio eſt. Quia vt potentiæ ſubordinatæ ita ſe habent, quòd inferioris potentiæ obiectum attingit ſuperior excellentiori modo, ſicut omne audibile attingit phantaſia meliori modo, & aliquid plus, & omne phantaſiabile attingit intellectus perfectiori modo, quia ſpirituali, & aliquid plus; ita obiectum Mathe-

Obiectum Phyſicæ.

maticę cõtinetur virtualiter,vt proprietas,in obiecto Phyſicæ (quod eſt ſubſtantia corporea)& aliquid plus; obiectũ Phyſicæ, (ſubſtantia corporea) continetur in obiecto Metaphyſicæ virtualiter, vt pars eius ſubiectiua; ſicut igitur potentiæ illæ, ob ſubordinationem in obiectis, vna poteſt elicere actum circa obiectum alterius, & tamen in obiectis totalibus diſtinguuntur; ita habitus, ob ſubordinationem obiectorum, poſſunt diuerſi occupari circa idem obiectũ, ſed alio modo, ſecundùm perfectum vel imperfectum.

Dices. Ergo oẽs ſcientias ſtatuimus eſſe ſubordinatas vel ſubalternatas Metaphyſicæ, quod eſt contra omnes Philoſophos,& contra ipſum Doctorem. Reſpondeo. Eſſe quidem inter ſcientias ordinem & ſubalternationem ratione obiectorum; ſed hoc præcisè non ſuffiuit, vt ſcientia dicatur ſubalternans vel ſubalternata, vt dicitur diſtinctiùs infra q.7.prol.

Theologic habitus vnitas vnde ſumitur.

Quinta Concluſio. Vnitas formalis habitus Theologici,non ſumitur ex ratione formali Propter quam; cùm idẽ habitus poſſit eſſe vni ſcientia (modo infra explicando) alteri fides, puta ſimplici, tertio opinio, vt infideli, vel dubitanti; ſed ſumitur ex ratione formali, quæ eſt in obiecto Theologico: hæc autem eſt Deitas, quia Deus ſub ratione Deitatis eſt obiectum Theologiæ, vt dicetur ſequ. quæſt.

Ratio reuelationis eſt cõditio Theol.obiecti.

Ratio autem Reuelationis,quòd Deus ſub modo Reuelato cognoſcatur in iſta ſcientia, eſt conditio ſine qua non, non autem ratio formalis obiecti, illa quæ dat vnitatem vel diſtinctionem habitui.

Priores duæ partes iſtius Concluſionis, patent ex dictis Concluſione 2. & 4. Tertia itidem pars ex 4. Concl. habet euidentiam.Explico tamen illam aliqualiter. Thologia dicitur ſcientia reuelata,ad diſtinctionem ſcientiarum naturaliũ,quomodo Metaphyſica,aut aliqua alia dicitur ſcientia naturalis, quæ inclinat potentiam intellectiuam, vt naturæ viribus attingat ſuum obiectum. Theologia autem eſt habitus reuelatus:quia non inclinaſſet potentiam intel-

Naturalitas in obiecto quid facit.

lectiuam ad cognoſcendum illud obiectum tali & tali modo, puta, quòd Deus eſt Trinus, quòd Pater generat,&c. niſi id intellectui reuelatum fuiſſet à ſupernaturali agente: ſicut igitur naturalitas, ſeu quòd naturaliter per habitum Metaphyſicę tendit intellectus in notitiam Entis, non eſt ratio formalis obiecti Metaphyſici, nec iſtud habitum Metaphyſicæ facit vnum formaliter, & diſtinguit forma-

Reuelatio nõ facit habitum vnũ formaliter.

liter à quouis alio;ita nec Reuelatio,ſeu quòd per modum & media reuelata inclinetur intellectus habitu Theologico ad cognoſcendum obiectum Theologicum, talis habitus ab illa ratione dicetur formaliter vnus, vel ratione illius formaliter diſtinctus. Sicut tamen,neceſſariò cõcomitatur omnem habitum acquiſitum ſine reuelatione, quòd ille naturaliter inclinet potẽtiam ad obiectum, & ſub modo naturali potentia attingat obiectum; ita in præſenti ratio Reuelati, neceſſariò cõcomitatur iſtum habitum,quòd & ſub modo Reuelato acquiratur,& ſub ratione Reuelati inclinet ad actus circa tale obiectum eliciendos.

Obijcies. Metaphyſica conſiderat Deum vt obiectum ſuum totale,ſecundùm multos; vel ſaltem vt principale,ſecundùm Doct.Subt.& tñ diſtinguitur formaliter à Theologia noſtra,nõ aũt ratione obiecti;quia vtriuſq; eſt Deus; ergo ratione Reuelati;Ergo rõ Reuelati eſt ratio formalis obiecti Theologici. Dico. Obiectũ Metaph.totale,eſt Ens inquantũ Ens;principale aũt Deus; & ſic idẽ eſt obiectum

Deus eſt obiectũ Theologię & Metaphyſicæ.

principale Metaph. & obiectũ adęquatum Theologię,ſed nõ ſecundũ eandẽ rõem formalẽ; quia vt eſt obiectũ Metaph.Deus,eſt ſecundũ rõem Entis,& ſub rõe formali Entis conſideratur,vt aũt eſt obiectum Theologię,eſt ſub rõe Deitatis.Vnde breuiter loquẽdo,dato,ꝙ eſſet Deus obiectũ

Meta-

Metaphysicæ, & Theologiæ, illæ scientiæ conuenirent in obiecto materiali, non autem in formali. Nulla igitur necessitas est confugiendi ad reuelationem.

Obiectio.

Dices. Etiã Metaph. considerat ipsum sub rõe Deitatis; quia sub rõe actus puri, independentis, infiniti Entis, &c. quæ sũt proprijssima Deo. Dictũ est supra à Doct. q. 1. Qđ Metaphysicus inuestigat proprietates istas per rationem Entis, & considerat ipsum Deum non sub ratione proprijssima, vt est talis natura, sed sub conceptibus ex creatura desumptis, & à materialitate per abstractionem separatis, quorum collectio vni naturæ Diuinæ conuenit; Theologia autem considerat Deum sub ratione proprijssima, vt est hæc Essentia vna, in tribus personis realiter distinctis, ipsa ab illis simpliciter indistinguibilis, nedum distincta realiter. Ista autem consideratio est eiusdem obiecti, non secundùm eandem rationem formalem quæ est in obiecto. Vnde non valet instantia Arimin. q. 5. prol. quòd de eodem obiecto (cuius oppositum infra docet noster Doctor) possit haberi scientia speculatiua, vt Metaphysica, & practica; vt Theologia, de eodem Deo: non enim sub eadem ratione formali, vt constat.

Resolutio. Deus à Metaphysico cõsideratur

Ad Argumenta in principio Dubit. posita. Ad Primam partem Primi argum. dictum est Conclus. 4. Corrolario 2. Quòd illæ scientiæ partiales, vt sunt de eodem obiecto, sub eadem ratione formali in obiecto, distinguuntur tantùm modaliter, non formaliter. Dices. Ergo Astrologia & Physica distinguuntur modaliter. Nego Consequentiam. Quia scientiæ totales, habent rationes formales distinctas in obiectis suis totalibus, non sic autem partiales; nec valet argumentum à similitudine aliquarum partium, ad similitudinem totorũ, in pluribus alijs instantijs, vt euidens est. Ad Secundam partem, dictum est Concl. 1. Quòd conueniant illæ scientiæ in obiecto materiali, non tamen in ratione formali, quæ alia est respectu scientiæ moralis, vt ratio beatificabilis, alia respectu medicinæ, vt ratio sanabilis.

Ad Secundum argumentum. Probat nostram 2. Conclus. Quòd diuersa ratio formalis Propter quam, possit esse circa idem obiectum, secundùm eandem rationẽ formalem, quod verum est; sed consequentia ibi posita est falsa. Ad probationem illius: dico, plùs differt scientia ab opinione in certitudine & euidentia, quàm ab altera scientia; sed in ratione obiecti formalis plùs distinguitur vna scientia ab altera, quia quælibet illarum requirit propriam rationem formalem distinctam in obiecto; non sic fides & opinio, quæ respectu eiusdẽ rationis formalis possunt esse.

Scientia ab opinione quo plus differt.

Ad Tertium. Habitus, potentias, relationes, habere vt entitatem suam propriam, ita & vnitatem intrinsecam & essentialem; quia tamen illa vnitas intrinseca nobis est incognita talium Entium, distinguimus illa cum Arist. per aliqua notiora: sic relationes per fundamenta, 5. Met. c. de aliquid, distinxit Philosophus; sic 2. de anima, potentias distinguit per obiecta potentijs extrinseca; sic etiam habitus distinguuntur per obiecta; quia obiecta & sunt causæ effectiuæ habituum, & sunt quasi formales, extrinsecè scilicet terminando illos habitus, vt dixi quæst. 1. prol. & talis distinctio habituum, & per causam datur à priori, & etiam per aliquid notiùs quàm sit ipsa vnitas extrinseca.

Habitus, potentiæ relationes, habent intrinsecas vnitates alias ab his quæ sũt ab obiecto vel à termino.

Ad Quartum. Patet responsio ex dictis, quòd Maior procedat de obiecto materiali; Minor autem de scientiarum pluralitate, intelligitur secundum rationem formalis obiecti; vnde est ibi æquiuocatio.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Determinatur quodnam sit obiectum Theologiæ.

Ex dictis patet responsio ad istam quæstionem; loquendo de Theologia, &c.

SVMMA TEXTVS.

Articuli tres partes.

Tres sunt partes principales istius Articuli. In Prima, tractatur de Theologia secundùm se. In Secunda, de Theologia in nobis, quoad veritates necessarias. In Tertia, de Theologia contingentium. Tota doctrina his Conclusionibus absoluitur. Prima. Conclusio. Obiectum Theologiæ secundùm se est Deus. Probatur tribus rationibus efficacibus; & quatuor persuasionibus probabilibus. Secunda Conclusio. Theologiæ nostræ, de veritatibus necessarijs, primum obiectum continens omnes veritates reuelatas, & aptum dare euidentiam, si illud cognosceretur, est Deus. Tertia Conclusio. Primum notum in nostra Theologia, dans aliquam euidentiam veritatibus Theologicis necessarijs, est Ens infinitum. Quarta Conclusio. Theologiæ Dei, & Beatorum, & Theologiæ secundùm se, obiectum veritatum contingentium est aliquomodo Essentia Diuina. Quinta Conclusio. Obiectum Theologiæ nostræ, de veritatibus contingentibus, aliquomodo est idem quod & de necessarijs.

COMMENTARIVM.

Circa Secundam partem. Suppono Primò. Quòd obiectum primum alicuius habitus, præter illam rationem, quòd debet continere virtualiter omnes veritates illius habitus cuius est obiectum, vt dictum est præced. Artic. debet etiam habere istam conditionem, quę sequitur ex priori: vt notitia obiecti in intellectu, causet euidentiam habitus & notitiæ de tali obiecto: qui enim habet euidentiam de ipso obiecto, habet euidentiam de veritatibus immediatis illius obiecti, cùm illæ necessariò & primò per se insint obiecto; atq; ita cognita obiecti euidẽtia, non potest nõ cognosci euidentia veritatum immediatarum in obiecto inclusarum; & harum cognitio euidens, dat euidentiam Conclusionibus, quæ per tales veritates immediatas sciuntur. Nos igitur habentes Theologicum habitum, de veritatibus reuelatis, licèt possimus & debeamus statuere obiectum primum nostræ Theologię, quoad primam conditionem (quæ est continere virtualiter veritates illius habitus) esse Deum, vt vult Doctor Subt. hìc, & Art. 1. ratione 1. non tamen potest poni quoad secundam conditionem; quia non habemus euidentiam nos maiorem de ista propositione, quòd Deus sit Trinus in hypostasi, quàm de illa, quòd Deus creauit in tempore mundũ: Si autem cognosceremus per rationem obiecti veritates reuelatas, haberemus maiorem euidentiam de veritatibus necessarijs, & minorem de veritatibus contingentibus. Breuiter, quicquid modò de obiecto Theologico cognoscimus, siue illud sit verum necessarium, siue contingens; non cognoscimus tale verum per rationem Dei, vt Deus est, cùm sic vt obiectum, ita & veritates talis obiecti nobis sint ineuidentes; sed cognoscimus certò & infallibiliter, infallibili certitudine fidei, quæ tamen certitudo non habet euidentiam. Obiectum igitur Theologiæ nostræ, dans veritatibus Theologicis à nobis cognitis euidentiam, non est Deus; quia vt ipsemet est nobis ineuidens pro hoc statu, ita & euidentia de veritatibus per fidem scitis non habetur per ipsum tanquam per obiectum cognitum euidenter: est tamen obiectum Theologiæ nostræ secundùm rationem priorem, quæ est formalior obiecto primo; continet enim Deus omnes veritates Theologicas virtualiter.

Obiectum dare debet euidentiam veritatibus de illo dicibilibus.

Deus nõ est obiectum quo ad euidentiam.

Suppono Secundò. Quòd illi habitui qui non habet euidentiam ex obiecto, assignandum est aliquid primò notum, quod cognitum possit dare euidentiam alijs veritatibus illius habitus. Cùm igitur habitus nostræ Theologiæ, non habeat euidentiam ex suo obiecto primo, quod est Deus, assignare debemus aliquod primò notum in tali habitu: (dicitur hìc, primò notum, illud medium, quod sit intellectui præcipua causa cognoscendi veritates alicuius habitus, quodq; quasi primò obiecto conueniat, saltem quoad nostrum modum intelligendi, & mediante illo, alię veritates conuenire intelligantur) tale autem primò notũ in Theologia nostra, est Ens infinitum; quia intellectus noster volens habere aliqualem euidentiam de veritatibus reuelatis, vt quòd Deus sit Trinus, quòd sit omnipotens, quòd vbiq;, quòd creator, &c. per nihil faciliùs hoc sibi persuadet, tanquam per medium quietatiuum, quàm per rationem Entis Infiniti: quare Theologię nostræ primum notum dans alijs veritatibus euidentiam, erit Ens infinitum.

Primò notum cui habitui assignatur, & quid sit Primò notum alicuius habitus.

Primò notũ in Theologia nostra quod.

Ex istis Suppositionibus eliciuntur duæ Conclusiones

Cõclusio 1.

pro ista parte. Prima. Theologiæ nostræ, de veritatibus necessarijs, primum obiectum, continens omnes veritates necessarias, & aptum dare eis euidentiam, si illud à nobis cognosceretur, est Deus. Est expresse Doct. Subt. in fine istius Secundæ Partis, quæ immeritò à quibusdam Scotistis negatur. Probationes autem ad hanc Conclusionem non adferuntur: quia omnes illæ septem ad probationem primæ Conclusionis huius Articuli adductæ, probant proportionaliter hanc Conclusionem, vt patebit applicanti.

Secunda.

Secunda. Primum notum (de quo immediatè cognoscuntur veritates reuelatæ, & aliquam habent ab ipso euidentiam) habitus Theologici, est Ens infinitum. Ex Supposit. 2. patet.

Primò notum an sit obiectum.

Sed debetnè vocari primum notum, esse primum obiectum nostræ Theologiæ? Et videtur quòd sic. Quia habetur in textu hic, *tale habitui non euidenti ex obiecto, datur subiectum primum, de quo primò noto cognoscuntur veritates illius habitus*; ergo primò notum est obiectum primum: & ita quidã Scotistæ, vt Ant. Andr. hic. Lich. Tarrar. Guil. Nicol. de Orbelis, statuunt obiectum nostræ Theologiæ, esse Ens infinitum. Oppositum videtur paulò post in textu poni, illis verbis, *ergo Theologia nostræ, vt nostra est, non oportet dari obiectum primum, nisi primum notum*: & sic Aquilanus q. 2. prol. docet absolutè nostræ Theologiæ, vt nostra est, obiectum esse Deum, non Ens infinitum.

Obiectum habitus dicitur vario modo.

Respondeo. Obiectum habitus illud dicitur proprijssimè, quod continet veritates illius habitus virtualiter, & dat illis euidentiam; & sic Deus est obiectum Theologiæ propriæ, & Beatorum. Secundò: dicitur propriè, si adsit cõditio præcipua continentiæ virtualis, & altera (nempe dare euidẽtiam alijs veritatibus) insit aptitudinaliter, esto quòd per accidens actu non det illud obiectum euidentiam, aptum est tamen dare, & sic Deus est obiectum Theologiæ nostræ, vt nostra est. Tertio modo sumitur obiectum impropriè, quando non continet primò virtualiter omnes veritates illius habitus, continet tamen aliquas per se, sed non primò, aptumq; est dare euidentiam illis veritatibus non ex se, sed vi alterius, nec omnibus absolutè, sed vt pluribus tantùm, idq; ex nostro modo intelligendi, & præsupposita fide (quod additur ad intelligenda illa verba Doctoris in textu hic, *quod tamen neutram prædictarum conditionum habet*, scilicet, quòd Ens infinitum nec contineat virtualiter nec det veritatibus reuelatis euidentiam; *naturali discursu absq; fide*) & sic primum cognitum Theologię, quod est Ens infinitũ, potest dici esse obiectum Theologię, impropriè sumẽdo obiectũ: & hoc volunt aliqui indicare illa distinctione; quòd obiectum nostræ Theologiæ, vel est primum secundùm veram rationem obiecti, & est Deus; vel est primum secundùm accessum, quod scilicet maximè accedit & imitatur naturam obiecti veri & primi, & est Ens infinitum. Et quod dico de obiecto Theologico non habente euidentiam, quòd debeat assignari primum notum, idem dicit Doctor de quouis habitu, qui non habet veritatum euidentiam ex obiecto, quòd debeat habere primum notum.

Obiectum nostræ Theologiæ duplex.

Ex dictis colligitur, quod sit obiectum nostræ Theologiæ; & quomodo intelligendus textus Doctoris. Et hactenus dictum est de Theologia Dei, & nostra, quantùm ad veritates necessarias.

Contradictio apparens soluitur.

Quoad ipsius literæ intellectum est tamen hic Notandum Primò. Ex priori parte discursus Doctoris constare, quòd primum notum in illo habitu sit ponendum, cuius habitus obiectum primarium non dat euidentiam veritatibus de illo habitu, licèt aptum sit de illo dare, vt Supposit. 2. dixi. Quare non alia necessitas istius primi noti est in præsenti, nisi vt per illud euidentiam aliquam habeant veritates habitus Theologici. Inferiùs tamen dicit Doctor, quòd Ens infinitum neutram conditionem habet: quia videlicet neq; continet virtualiter veritates Theologicas, neq; dat illis euidentiam.

Quorsum igitur ponitur Theologiæ nostræ primum notum esse Ens infinitum? & quomodo non contradicit Doctor sibi? Respondeo. Consideranti diligentiùs literam Doctoris, patet solutio. Additur enim post negationem prædictam duarum conditionum, hoc; *quia non cõtinet habitum nostrum virtualiter in se, nec multò magìs vt nobis notum continet ipsum habitum*: ac si diceret priori loco; non nego, quòd Ens infinitum aliquas veritates continet virtualiter per se, licet non primò; neq; nego, quòd istis veritatibus possit Ens infinitum dare aliquam euidentiam: sed subinfertur loco subsequẽti, quòd Ens infinitum neutram prędictarum conditionum continet per modum primi obiecti; quia obiectum continet omnes veritates illius habitus, primum notum non omnes, sed aliquas; obiectum per se primò continet, primum notum per se non primò, obiectum ex se, primum notum vi obiecti: similiter obiectum dat euidentiam perfectam, primum notum imperfectam, quia confusam, mediatam, ab alio dependentem, nec omnibus veritatibus; obiectum autem dat euidentiam distinctam, immediatam, (loquendo de principijs talis obiecti) independentem, ac omnibus veritatibus illius habitus. Patet igitur concordia textus.

Primò notũ quomodo nec continẽtiã nec euidentiam in Theologia habet.

Responderi potest Secũdò, iuxta paulò ante dicta. Quòd Ens infinitum (secluso lumine fidei) non est primum notum, secundùm naturalem discursum ad veritates reuelatas, cùm istę non innotescãt per lumen naturale intellectus. Prior tamen responsio magìs est ad mentem Doctoris.

Notandum Secundò. Quòd simpliciter, obiectum primum nostræ Theologiæ, est Deus, sub ratione Deitatis: vt habet Doctor expresse in fine huius secundæ partis, prout paulò ante dixi: primum autem notum ponitur tantùm propter aliqualem euidentiã, vt suppleat vicem primi obiecti quoad hanc cõditionem, licèt verè non sit obiectum, nisi impropriè, vt dictum est. Vnde argumẽta Bacconitani q. 3. prol. & Th. Anglici ibid. cõtra Doctorẽ adducta, quasi probet non Deum, sed Ens infinitum esse obiectum Theologiæ nostræ, ex malo intellectu textus huius Doct. procedunt: ac proinde non sunt ad propositum.

Circa Tertiam partem istius Artic. de obiecto Theologiæ contingentium. Aduertẽdum est. Quòd antequam illa duabus Conclusionibus explicetur, inprimis præmittitur Conclusio præambula talis. Veritates contingentes Theologiæ, non continẽtur virtualiter in obiecto primo Theologico. Ratio est. Quia obiectum continere aliquam veritatem virtualiter, est, in obiecto esse necessariam habitudinem & causam conuenientiæ talis prædicati ad tale subiectum illius veritatis, vt patet ex dictis; sed nulla contingens veritas habet necessariam causam suę connexionis & conuenientiæ, vt de se euidens est; ergo nulla contingens veritas continetur virtualiter in obiecto primo habitus.

Ista propositio obiectum continet veritates virtualiter dupliciter intelligitur.

Illud tamen hìc Notandum est. Quòd ista propositio, Obiectum Theologicum (nempe Deus) continet virtualiter veritatem reuelatã, potest dupliciter intelligi: vno modo, quòd in obiecto continente veritatem reuelatã, sit necessaria conuenientia obiecti ad veritatem, & veritatis ad ipsum; & sic hactenus vsi sumus istis terminis, & vult Doctor Subt. hoc ipsum in præsenti negare conclusione: estq; hic modus continendi obiecti, vt obiectum est notitię seu habitus scientifici. Alio modo, quòd aliquid continetur in obiecto virtualiter, quia obiectum habet virtutem causandi notitiam aut veritatem aliquam, ad quam non est necessitas conuenientiæ in ipso obiecto; & isto modo Essentia Diuina potest dici continere virtualiter veritates contingentes, quia Essentia Diuina est obiectum primariũ vt intellectus Diuini, ita & Beatorum; qua visa, videntur etiam alia obiecta secundaria, & aliæ veritates, tam necessariæ, quàm contingentes, quę continentur in illa Essentia; sed necessarię veritates reuelatæ, imò & naturales necessariæ continentur ibi necessariò, (quia producuntur à Deo in esse diminuto & intelligibili, ante Diuinæ voluntatis determinationem, & habent necessariam causam suę connexionis, non solum extrinsecam, intellectum Dei ante omnem voluntatis Diuinæ determinationẽ, sed etiam intrinsecam in ipsismet rationibus formalibus) veritates aũt cõtingentes, tam reuelatæ quàm naturales, cùm sint ad alterã partem determinatæ à voluntate Diuina, non habent causam necessariam suæ connexionis, vel intrinsecam vel extrinsecam; de qua materia vide infra Doct. fusiùs dist. 36. Et hoc vult tum Ant. And. q. 3. prol. cùm docet omnes veritates Theologicas, tam necessarias quàm contingentes,

Contingentes veritates quomodo continẽtur in essentia diuina.

tes, contineri virtualiter in primo obiecto Theologico nempe in Deo, sed differenter; quia veritates necessariæ, continentur determinatè, scilicet ab intrinseco, contingentes verò indifferenter, & determinatè non nisi à voluntate Diuina; tum Doct. Subt. hìc, vbi postquam negasset contineri virtualiter primo modo veritates Theologicas in Deo, statim docet in sequenti textu, quòd illud debeat dici obiectum primæ contingentis, exempli causa huius, in mysterio Redemptionis, Deus est incarnatus, quo viso apta est videri connexio istius prædicati respectu talis subiecti; sed visa essentia Dei, videtur coniunctio huius prędicati ad tale subiectum; quia istius veritatis contingentis determinatio facta à voluntate Diuina, cognoscitur Essentia Dei cognita; ergo &c. Vnde superuacaneum assumit laborem Vasquez 1.par.disp.10.c.5. probando contra Doctorem (ex malo intellectu literæ Doct.) contingentia includi & contineri in Essentia Diuina; cùm hoc etiam Subt. Doct. concedat, secundùm præmissam distinctionem.

Ex dictis benè infertur Primò. Quòd Theologiæ in se, Dei, & Beatorum, obiectum primum continens secundo modo veritates contingentes, est Essentia Dei: ac proinde totius Theologiæ in se, Dei, & Beatorum obiectum erit Diuina Essentia. Dico: Totius; quia tam quoad veritates necessarias, quàm quoad contingentes, ex quibus tota Theologia integratur, obiectū illius Theologię est Deus, sub ratione Deitatis. Infertur Secundò. Subiectum nostræ Theologiæ contingentis, videri idem subiectum primum quod & necessariæ.

Sicut igitur supra dictum est, obiectum Theologiæ de necessarijs veritatibus, aliud esse secundùm rationem formalem obiecti, & hoc est Deus; aliud secundùm aliqualem euidentiam, & hoc est Ens infinitum; ita hìc dicendum est de Theologia contingentium. Doctor tamen in præsenti litera specialiter loquitur de primo noto, siue de obiecto secundùm accessum: quia illud est notius nobis, & quia clarum est, quòd cui inest prædicatum primæ contingentis, eidem inest & secundæ, & cuiuslibet contingentis subordinatæ. Illud quod hìc dicitur in litera, visionem Beatorum esse incomplexam, sicut cognitionem Entis: examinatnr inferiùs in Dubit. super hoc mota.

Contingentium est ordo ad aliquod primum contingens.

Pro intelligentia textus in hàc parte. Notandum est Primò. Inter contingentes veritates dandum esse aliquod primum verum contingens. Ratio est. Quia veritas contingens, vel causatur immediatè à veritate necessaria: & hoc non; quia causa necessaria necessario causans, producit effectum necessarium: atq; ita à veritate necessaria producta aliqua veritas, erit necessaria: vel à contingenti; & hoc vel ab alia contingenti, vel à necessaria: non à necessaria, vt dictum est; ergo à contingenti: vel igitur in vęritatibus contingentibus Subordinatis, erit processus in infinitum; & hoc est falsum, & contra Philos. 2.Met. nec non contra Doct. Subt. inf. dist. 2.q.2. & lib. de 1.princ.c. 1. Ergo deueniendum est ad aliquam primam veritatem contingentem. Porrò ista veritas prima contingens, vel est simpliciter prima, respectu omnium veritatum contingentium; vel est prima in aliquo certo genere scibilium contingentium: primo modo est simpliciter prima voluntas Dei, quæ omnia ad extra vult contingenter; & ad hanc reducuntur omnes veritates contingentes, cùm à voluntate Diuina veritates contingentes ad alteram partem contradictionis sint determinatæ, vt habetur inf. dist. 36, Secundo modo varia possunt assignari prima contingentia, secundùm varietatem scibilium in suo genere consideratorum. Exempli causa, omnes veritates quæ de Christo Redemptore enunciantur, vt quòd sit natus, circumcisus, flagellatus, &c. supponunt istam primam contingentem, Verbum est caro factum: omnes enim prædictæ veritates, supponunt Incarnationem Filij Dei: similiter, omnes veritates Theologicæ de Sacramentis, præsupponunt Sacramenti institutionem, quæ est contingens. Et hoc est quod dicit Doctor in textu, quòd quędam veritates dicuntur de Deo, vt Deus est, quædam de Verbo, quædam de Spiritu Sancto, &c. non distinguendo opera Sanctissimæ Trinitatis ad extra, quia illa sunt indiuisa; sed attribuendo illud quod conuenit vni personæ secundùm aliquem respectum ad creaturam, & non alteri.

Contingentiū prima veritas est duplex.

Opera Trinit. indiuisa ad extra.

Nota Secundò. Illud dictum, Primum notum in contingentibus, non est nisi per intuitionem extremorum; quamuis in multis habere possit instantiam; vtpote & in illa prima simpliciter contingenti, Deus omnia extra vult contingenter; & in alijs primis in certo genere scibilium, vt Deus est incarnatus; & in similibus, quorum extrema non videmus intuitiuè, verè tamen sunt prima nota contingētia: nihilominùs si rectè intelligatur, verissimum est. Cognitio enim contingentis potest esse vel abstractiua, (quicquid hìc dicat Lichetus, & alij) vt si ex narratione cognosco aliquem currere; vel intuitiua, vt si video aliquem currere. Prior cognitio est obscura & ineuidens, & non rarò in rebus naturalibus incerta; secunda autem est distincta, euidens, & certa: Cùm igitur primum notum debeat dare euidentiam alijs veritatibus, debet à nobis esse cognitum euidenter.

Primū notum in contingētib. est per intuitionem extremorum.

Contingentis cognitio duplex contra Lichetum.

Sed quomodo cognoscuntur istæ veritates euidenter, loquendo de reuelatis, cùm non cognoscantur intuitiuè, & euidentiam non possit habere veritas contingens nisi intuitiuè cognoscatur? Dico: Cognitio intuitiua veritatis contingentis, alia est in genere proprio, quando immediatè veritas ipsa cognoscitur, vt dum video Petrum currere: alia est cognitio intuitiua contingentis in aliquo alio, quod cognitum dat euidentiam perfectiorem, quàm illud posset dare in genere proprio, & sic Essentia Dei si cognosceretur, viderentur distinctè & intuitiuè veritates contingentes quæ dicuntur de Petro; ordinatè tamen, quia primò cognosceretur primum notum, seu prima contingens, postea sequentes, non secundùm prioritatem temporis, sed secundùm prioritatem naturæ & præsuppositionis. Hoc igitur intuibile, quo viso, videntur omnes veritates reuelatæ contingentes, dicitur absolutè esse primum subiectum omnium veritatum contingentium Theologicarum, & non est aliud quàm Essentia Dei; quæ quia non cognoscitur perfectè & intuitiuè pro isto statu, neq; etiā veritates reuelatæ in illa eminenter contentæ, possunt euidenter sciri. Vnde quoduis primum notum contingens veritatis reuelatæ, non videtur à nobis intuitiuè, nec habemus de illis euidentiam; & per consequens, nec de alijs veritatibus contingentibus reuelatis; licèt omnes illæ aptę sint videri intuitiuè in Essentia Diuina, in qua primò est vnio talium veritatum.

Intuitiua cognitio cōtingētis duplex.

Dictum igitur Doct. in principio huius Notab. positum, verissimum est, de cognitione perfectissima & euidentissima veritatis contingentis, quòd illa non possit haberi nisi per cognitionem extremorum in Essentia Diuina; non autem de quacunq; cognitione, vt patet ex intentione Doctoris, cùm ibi loquatur de Theologia contingentium, vt est in intellectu Dei & Beatorum; & idem apertè vult Subt. Doct. in 3.d.7.q.1.art.2.

Dubitatur.

Vtrum visio Beatorum sit sicut cognitio Entis incomplexa, præcedens naturaliter scientiam Theologiæ ipsorum.

Videtur quòd non. Primò. Quia secundùm hoc comparatur visio beatifica ad habitum Theologiæ Beatorum, sicut comparatur notitia incomplexi ad notitiam complexi; sed notitia totius complexi perfectior est quàm notitia incomplexa: perfectior enim est notitia huius, Homo est animal, quàm dum cognosco solum hominem; ergo Theologia Beatorum, vel actus elicitus à tali habitu, esset perfectior quàm visio beata; quod est inconueniens.

Secundò. Illud quod includit aliquid, & plus, est perfectius illo quod includit alterum solum; sed habitus Theologiæ, secundùm ista verba textus, includit visionem tanquam notitiam incomplexam, & aliquid plus; ergo habitus Theologiæ Beatorum, erit perfectior visione beatifica; quod est inconueniens.

Tertiò. Beatus videndo Essentiam Dei, videt in illa

omnia complexa vera, ſed incomplexè, per modum ſimplicis intelligentiæ; ergo fruſtra ponitur notitia complexa in Beatis.

Quartò. Prius poteſt eſſe abſq; poſteriori: ſi ergo viſio beatifica naturaliter prior eſſet, quàm Theologia Beatorum, poſſet abſq; omni repugnantia eſſe aliquis perfectè Beatus habendo viſionem, & tamen non eſſe bonus Theologus; quod eſt inconueniens.

Viſionis beatificæ obiectũ primarium & ſecundariũ quod.

Reſpondeo. In viſione beatifica duplex eſt obiectum; vnum eſt primarium, & hoc eſt Eſſentia Dei: aliud eſt ſecundarium, & hoc poteſt poni triplex, ſecundùm ordinem intelligibilitatis & præſuppoſitionis; obiectum enim ſecundarium ad intra Deo conueniens, per prius eſt quælibet veritas vel proprietas eſſentialis; quia eſſentialia immediatiora ſunt eſſentiæ notionalibus, ſecundùm Doct. Subt. quodl. 1. deinde mediatius obiectum ſunt perſonæ Diuinæ, vt dicit inf. diſt. 1. q. 2. expreſsè vocans obiecta ſecundaria: præterea tertiò, ipſa intelligibilia rerum producibilium vt intelliguntur in Eſſentia Diuina, habent rationem obiecti ſecundarij, ſecundùm Doct. in multis locis: & meritò hæc producibilia non ita primò in ratione obiecti ſecundarij ponuntur, atq; perſonæ Diuinæ; quia productio rerum in eſſe intelligibili, ſeu in eſſe diminuto, præſupponit totam productionem ad intra, quaſi iam peractam, vt habetur à Doct. inf. diſtinct. 36. & in 2. diſt. 1. q. 1.

Viſio beatifica in Beatis alia eſt à notitia Theologica ipſorum.

Viſio igitur beatifica in Beatis (de illis enim ſolùm procedit difficultas) inquantùm eſt de obiecto primario, eſt viſio ſimplicis intellectionis intuitiuæ, ſicut in nobis eſt ſimplex apprehenſio conceptus Entis, Metaphyſicè ſumpti: viſio autem aliorum obiectorum ſecundariorum in Eſſentia ſic viſa, eſt cognitio Theologica in Beatis. Et ratio eſt; quia de ratione obiecti Theologici eſt, vt contineat omnes veritates Theologicas: eatenus igitur à Beato concipitur Eſſentia Dei, vt obiectum Theologiæ Beati, quatenus ipſam concipit vt continentem virtualitater omnes alias veritates, ſiue eſſentiales, ſiue notionales, ſiue ad intra, ſiue ad extra. Quare optimè à Subt. Doct. dicitur, quòd viſio illa obiecti primarij vt primarij, non eſt Theologia Beati: ſed notitia illa ſupernaturalis de obiectis ſecundarijs in Eſſentia Diuina viſis, erit Beati Theologia, conſequens viſionem obiecti primarij.

Theologia Beati pôt dici diſcurſiua, vel formaliter, vel per æquiualentiam.

Iſta cognitio ſecundariorum obiectorum in intellectu Beati, poteſt dici diſcurſiua; vel formaliter, quia ſcilicet Sancti videntes tales veritates, vident mediatas per immediatas tanquam per medium & rationem cognoſcendi; vel eſt diſcurſiua per æquiualentiam; quia licèt omnia videant abſq; illatione formali vnius ex alio, vident tamen veritates ſecundùm ordinem quem inter ſe habent; vt primò videant eſſentiam infinitam, poſtea veritates immediatas eſſentiales, deinde mediatas, vltra notionales, tandem veritates rerum poſſibilium, ſecundùm prioritatem, non durationis, ſed naturalis præſuppoſitionis (de qua vide infra diſtinct. 1. quæſt. 2.): & quia poſterioris veritatis cognitio, dependet à priori, rectè dicitur diſcurſiua per æquiualentiam.

Quiſnam iſtorum modorum ſit probabilior, dicetur in 2. d. 1. q. 5. Interim vtraq; pars vt probabilis ſupponatur: Cognitio autem Diuina, licèt habeat primarium obiectum Eſſentiam Diuinam, & alia ſecundaria; quia tamen cognitio ſecundarij obiecti non dependet à cognitione primarij (quomodo dependet cognitio creata Beatorum) non modò formaliter, ſed nec per æquiualentiam cognitio Dei eſt diſcurſiua.

Cognitio Dei nullo modo eſt diſcurſiua.

Cur autem in cognitione Dei, cùm ſupponatur prioritas obiectiua, ſecundùm Doct. (in priori enim ſigno intelligit Deus eſſentiam, in altero perſonas, in tertio res in eſſe diminuto) non ponitur dependentia cognitionis poſterioris obiecti à cognitione prioris; & ponitur in cognitione Beatorum: Ratio eſt: quia infinitus intellectus, ex ratione ſuæ infinitatis, non poteſt dependere in aliqua intellectione ab altera; quia dato per impoſſibile, quòd prius obiectum non intelligeretur, adhuc diſtinctiſſimè obiectũ ſecundarium intelligeret, & hoc ob infinitam vim intelligendi: oppoſitum eſt in intellectu finito, qui finito modo intelligens, non poteſt perfectè intelligere poſterius, niſi intelligat prius; & conſequenter in intellectione poſterioris dependet ab intellectu prioris, quæ dependentia in cognoſcendo æquiualet aliquomõ cognitioni diſcurſiuæ. Confirmatur. Quia intellectus finitus in veritate & ordine intellectionis dependet à veritate & ordine intelligibilium, infinitus autem non dependet, quia implicat infinitum dependere ſimpliciter.

Ad Argumenta in principio Dubit. adducta. Ad Primum. Theologia Beatorum ſupponit viſionem claram Eſſentiæ Dei, & ſuperaddit notitiam contentorum in ea, vel virtualiter, vel formaliter (formaliter, earum veritatum quæ ad intra eſſentiales vel notionales dicuntur, virtualiter, earum quæ ſunt in eſſe diminuto & poſſibili) vnde ſicut dicunt Theologi communiter, quòd Deus cum creatura non eſt maius bonum intẽſiuè, quàm ſolus Deus, qui eſt ſummum bonum, quo maius & perfectius cogitari non poteſt, conceditur tamen eſſe maius bonum extenſiuè; ita dico in ſimili, quòd cognitio ſolius Eſſentiæ Diuinæ, eſt cognitio perfectiſſima, in qua conſiſtit formalis fęlicitas vltima, ſecundùm multorum ſententiam, nec illa maior intenſiuè poteſt dari cognitio: poteſt tamen dari maior extenſiuè, ſi cognoſcatur, & eſſentia, & illa quæ continentur in ipſa; neq; hoc eſt vllum inconueniens: & hoc quantùm ad rem argumenti ſit dictum. Ad formam reſpondeo: negando Minorem; quia cognitio incomplexa aliqua, eſt perfectior omni complexa, vt viſio clara Eſſentiæ Dei; deinde cognitio complexa, non eſt perfectior incomplexa ſecundùm intenſionem (quia tantæ perfectionis eſt ſecundùm intenſionem cognoſcere hominem vt homo, & cognoſcere hominem eſſe animal; quia iſta cognitio includitur virtualiter in illa: cognitio enim habet ſuam perfectionem ſicut & ſpecificationem ab obiecto; cùm igitur obiectum illius prioris cognitionis ſit homo, & homo ſit tantæ perfectionis, quantæ eſt homo animal, conſequenter cognitio hominis vt homo eſt, tantæ erit perfectionis, quantæ homo eſt animal) ſed eſt perfectior ſecundùm extenſionem, quanquam dicitur impropriè perfectior, quæ perfectio ſolius eſt intenſionis.

Deus cu[m] creatura [...] eſt mai[us] bonum.

Cognitio complexa quædam [...] perfectior omni com[...]plexa.

Ad Secundum. Reſponſio patet ex dictis; quodſi accipiatur in Maiori ly perfectius, pro vera perfectione intenſiua, neganda eſt Maior; Si pro maioritate extenſiua, conceditur hoc ab omnibus Theologis in altera materia, vt dixi.

Ad Tertium. Nego Anteced. quòd Beatus videat omnia incomplexè, vt patet ex dictis. Deinde eſto, quòd videret omnia incomplexè, adhuc quia videret vnum dependenter ab alio, ſaltem æquiualenter, ſi non formaliter, erit complexa illa notitia.

Ad Quartam. Loquendo de potentia Dei abſoluta, totum argumentum eſt verum; nec inde ſequitur vllum inconueniens; quia tota perfectio cognitionis intenſiua cõſiſtit in viſione Eſſentiæ Dei. Deinde: ille eſſet optimus Theologus, non in actu ſecundo; quia non haberet cognitionem contentorum in eſſentia; ſed in actu primo, quia videns clarè illam infinitam eſſentiam, eſſet optimè diſpoſitus ad eliciendos actus Theologicos.

RESPONDETVR ARGVMENTIS principalibus.

Ad primum argumentum huius Quæſtionis.
Ad Boetium dico, &c.

COMMENTARIVM.

AD Primum. Reſponſio eſt clara in textu.

Materia a[...] coincidit [...] alijs cauſis & quomó [...]

Ad Secundum. Datur duplex reſponſio. Prima: quòd iſta propoſitio, Materia non coincidit cum alijs cauſis, vera ſit de materia non quacunq;, ſed de materia prima Phyſica, quæ eſt pars compoſiti, ex qua formæ educuntur, vnde & materia Ex qua vocatur. Et ratio eſt: quia cauſæ quatuor, ſunt diſtinctæ, non tantùm numero, ſed ſpecie, imò & genere cauſandi; ſed ſic intellecta propoſitio non eſt ad propoſitum, ita etiam infra diſtin. 3. q. 8. iſta authoritas à Doct. explicatur. Secunda ſolutio. Cùm obiectum

ctum in genere causæ effectiuæ concurrat ad eliciendam intellectionem, vt dicetur infra, & etiam aliquomodo terminatiuè, seu formaliter extra; non concurrit etiam materialiter respectu intellectionis: dicitur tamen obiectum quasi materia, vnde & subiectum vocatur, per quandam similitudinem ad artificiata; quia sicut ibi dicitur materia, illud circa quod versatur potentia artificis operantis, ita in actione illud aliquomodo potest dici quasi materia, circa quod elicit actum potentia actiua: & textus est clarus.

Circa illam tamen diuisionem Materia Ex qua, In qua, Circa quam. Aduertendum est ex Doct. 9. Met. q. 4. & 13. quòd omnis potentia passiua potest vocari Ex qua, In qua, & Circa quam. Exempli causa. Materia potest comparari ad compositum cuius est pars intrinseca, ad formam quam recipit, & ad agens à quo recipit. Ille respectus quem habet materia ad compositum ex ipsa & forma, est tanquam ex quo tale compositum est, vel potest esse, & hic respectus dicitur potentia De qua. Deinde ille respectus quem habet materia ad actum cuius est receptiua, & cum quo constituit compositum, est respectus potentiæ In qua; in qua scilicet aptus est recipi actus, seu forma. Respectus autem tertius materiæ ad agens, potest dici ratio potentię In quam, quomodo Guilb. Porretanus. lib. 6. principiorum, vult quòd agens requirat aliquid in quod agat, vnde ly In quam, Circa quam, In quod, denotant istum respectum.

Alio modo diuisio triplex prædicta potentiæ sumitur à multis: vt materia Ex qua, dicatur materia Physica, de qua educitur forma, & ex qua vt comparte & forma constituitur compositum; materia autem In qua vel Circa quam sit illa, in qua vel circa quam versatur ars vel scientia artificis aut scientis, & hoc modo obiectum scientiæ dicitur materia in qua cognoscenda, vel circa cuius cognitionem, habitus scientiæ, & sciens versatur. In præsenti igitur textu distinctio materia De qua, In qua, & Circa quam, accipienda est modo isto secundo, non primo.

Ad Tertium. Responsio est clara in textu: & constat eius explicatio ex dictis Art. 2. par. 3. Notab. 3. Circa illa tamen verba. Passio est extra essentiam subiecti: hæc est vera, vbi passio est realiter causata à subiecto; sed in Diuinis illud quod habet rationem passionis non est causatum: oritur difficultas. Quia de mente huius Doct. est, quòd nulla propria passio distinguatur realiter à suo subiecto, vt patet in 4. suę Met. q. 2. art. 4. in 4. Report. d. 26. q. 2. & aliàs; at si aliqua propria passio realiter causatur à subiecto, realiter distinguitur ab illo, secundùm Doct. illationem inf. dist. 3. q. 8. in resp. ad arg. secundæ opinionis, vbi vult quòd relatio causæ & causati sit in distinctis realiter. Vt intelligatur ista difficultas.

Suppono Primò ex Doct. 7. Met. q. 1. Quòd alius sit sensus istius dicti, Passio est essentialiter idem subiecto; alius huius, Passio est de essentia subiecti: hoc enim secundum infert primum, quia omne quod est de essentia, est etiam idem essentialiter; sed non è conuerso: illa enim quæ conueniunt alicui per se secundo modo, vt risibile homini, sunt idem essentialiter illi, sed non sunt de essentia; quia de essentia solùm est illud, quod conuenit alicui per se primo modo, vt rationale vel animal homini, & sicut est de essentia, ita & idem essentialiter homini. In verbis igitur istis, Passio est extra essentiam subiecti; ly extra essentiam, vel significat oppositum eius quod est de essentia; quia nimirum passio non est de essentia subiecti, & hoc vniuersaliter verum est de omni passione propria; vel oppositum illi, quod est esse idem essentialiter; quia scilicet passio non est essentialiter & realiter idem subiecto: & tunc distinguendum est de passione; aut enim sermo est de passione Physica, causata per motum & mutationem, & verum est quòd talis passio non sit idem realiter, & sic in pręsenti est intelligendus textus; vel est sermo de passione Metaphysica non causata per motum, neq; per mutationem, sed pullulante per emanationem simplicem à subiecto, & talis passio semper est eadem essentialiter subiecto. Pro cuius clariori intellectu.

Suppono Secundò. Quòd licèt ad veram & Physicam actionem requiratur distinctio realis causæ & causati, iuxta illud Philosophi 2. de anima. tex. 7. Nihil seipsum causat; tamen ad causalitatem Metaphysicam (quæ in hoc consistit, quòd hoc ita sit necessaria causa, vel principium illius, vt impossibile sit posse esse sine illo, quamuis non producatur per motum vel mutationem ab illo, sed per illatiuam resultantiam) non requiritur hæc distinctio. Passiones enim Physicæ, cùm sunt Physicæ, possunt esse realiter, (saltem Diuina vi) sine suo subiecto, vt quantitas sine materia, calor sine igne, frigus sine aqua, quæ dicuntur Physicæ proprietates. Sed passiones Metaphysicas non est possibile esse sine subiecto, vel subiectum sine illis; illæ enim sunt prædicata conclusionis scientificæ, in qua passio prædicatur de subiecto: quia Scire (secundùm Philosophum) est rem per causam cognoscere, propter quam res est, & quòd illius causa est, & quòd non contingat aliter se habere: tales autem passiones Physicæ contingenter insunt; istæ autem habent necessariam connexionem cum subiectis, & sunt prædicata demonstratæ Conclusionis. Ex his patet solutio difficultatis, & literæ expositio: quòd illa sit accipienda de passionibus Physicis, causatis per motum, non autem de passionibus Metaphysicis, quæ solę sũt passiones propriæ, quarto modo sumendo proprium, ex Porphyrio cap. de Proprio.

Causatio Metaph. nõ est per motum, sed bene Physica.

Ad Argumenta alterius viæ, quæ ostendebant aliquid aliud à Deo esse Theologiæ obiectum.

Ad Primum. Responsio est non omnino clara: quia materia circa quam ars vel scientia versantur, habet rationem obiecti vel subiecti. Quare distinctio hìc facta, videtur nulla. Dicendum est, distinctionem esse optimam: quia non quæcunq; materia considerata à sciente, vel in scientia, est obiectum illius scientiæ, sed illa quæ sit vnum genus scibile, cuius principia, partes, & proprietates explicentur in tali scientia, prout omnium veritates virtualiter continentur in illo scibili; tale autem non quodcunq; est consideratum, sed vnum primum, ad quod alia reducuntur in illa scientia, ita in proposito est Deus.

Non omnis materia cõsiderata in scientia, est eius subiectum.

Ad Secundum. Non negat Doctor, quòd Scripturæ author Spiritus Sanctus, in aliqua parte Scripturæ simul intenderit omnes sensus, vel æquè principaliter, vel vnum principaliter, & alios minùs, & quòd in aliqua parte aliquas tantùm, vel literalem tantùm; ista enim secundùm interpretes Scripturæ vera sunt; sed docet quòd inter sensus alios, præcipuus sit literalis; ita vt si aliqua Scriptura non habeat sensum literalem principaliter intentum, sed spiritualem, vt est illud, Ignem veni mittere in mundum; & similes authoritates, sit tamen in alio loco Scripturæ textus literalis, per quem sensus Allegoricus, vel Anagogicus, aut Tropologicus enodetur.

Author Scripturæ Spiritus S.

Diuiditur autem sensus Sacræ Scripturæ à Nicol. Lyrano in Prolo. Bibl. primò in literalem & spiritualem. Literalis est, sensus quem voces immediatè significant secundùm propriam significationem, siue sit intentus ab authore Scripturæ, siue non. Additq; ibi ex Origene 1. Periarchon. & Greg. 4. dialog. & ex communi Doctorum sententia hanc regulam, Quòd vbi alicuius loci Scripturæ sensus literalis falsus est, statim oportere recurrere ad sensum spiritualem. Et per hanc regulam additam, & per illud dictum, quòd non semper intendatur sensus literalis, soluuntur omnes instantiæ contra istam determinationem Lyrani, quas facit Franc. Zumel. in Prol. 1. par. super quæst. 1. art. 10. q. 3. concl. 2. Et reuera illa Conclusio negatiua ibi posita, contradicit eiusdem Notabili 2. in eadem quęst. vbi explicans per suppositionem affirmatiuam, quid per sensum literalem intelligat, docet his verbis. Per sensum literalem intelligimus, id quod litera explicat, vel voces, immediatè. At hæc eadem docet Lyranus. Sensus spiritualis est, quem ipsa res significata, & in vocibus illis occultata habet. Iste diuiditur tripliciter, in Tropologicum siue moralem, quando sumitur instructio morum ex aliqua similitudine rerum gestarum; in Allegoricum siue typicum, quando aliquid credibile expressum in Veteri Testamento explicatur de credibili in Nouo Testamento, puta de Christo, vt explicando figuram Moysis, de B. Virgine, explicando figuram Iudith, de Ecclesia, figuram de templo

Scripturæ Sacræ sensus varij.

Salo-

Salomonis &c. in Anagogicum, quando aliquid expressum literaliter de alio, per accommodationem & similitudinem transfertur sensus eius ad cęlestia; sic ista veritas, Fundata Ierusalem in montibus; habet sensum Literalem vt significet illam ciuitatem Iudæorum in Palæstina fundatam in montibus; Moralem, vt accommodatur ad animam iusti, quæ est ciuitas Dei fundata in montibus virtutum; Allegoricum transferendo hæc ad Ecclesiam militantem, cuius fundamenta secundùm August. sunt in montibus Apostolorum, Doctorum, &c. Anagogicum, per proportionem accommodando patriæ cęlesti, quæ sursum est Ierusalem mater nostra, cuius fundamenta sunt in montibus claritatis, lætitiæ, gloriæ, &c.

Practicæ scientiæ obiectum an sit finis, qui acquiritur, vel illud cui finis acquiritur.

Ad Tertium argumentum, quod sic potest formari. Omnis scientia practica habet pro subiecto primo, illud cui acquiritur finis practicæ, non autem subiectum ipse finis; sed Theologia est scientia practica, vt dicitur infra; ergo Theologiæ subiectum primum est illud cui acquiritur finis talis scientiæ, & non ipse finis; sed finis est Deus, & cui acquiritur iste finis, est homo; ergo homo, & non Deus est subiectum Theologiæ. Totus processus est verus, si Maior est vera: quæ probatur authorit. Comm. 1. Ethic. qui docet obiectum scientiæ moralis esse hominem, secundùm animam, cui acquiritur virtus, & obiectum medicinæ esse hominem, quoad corpus, cui acquiritur sanitas; non autem vel ibi virtus, vel hìc sanitas est obiectum, sed illud cui virtus vel sanitas acquiritur; ergo ita erit in proposito, &c.

Ad hoc argumentum respondetur. Negando Maiorem. Ad Confirmationem dicitur. Quòd illa probet nostram sententiam dupliciter: Primò propterea poni hominem obiectum Medicinæ; quia homo continet virtualiter veritates talis scientiæ: corpus enim sic vel sic complexionatum & dispositum, est causa talis vel talis medicinæ adhibendæ, & sanitas consequens. Similiter homo secundùm animam, vt est obiectum Moralis Scientiæ, continet virtualiter veritates Ethicas; quia ex ratione animæ concluditur fęlicitas hominis talis, secundùm Phil. 1. & 10. Ethic. ergo à simili in Theologia debet poni obiectum illud quod continet virtualiter veritates habitus Theologici; hoc autem est Deus, & non homo, vt manifestum est.

Amor amicitiæ, & amor concupiscentiæ.

Secundò. Amor est duplex: amicitiæ, & concupiscentiæ; amore concupiscentiæ aliquid amatur, quando amatur aliquid in ordine ad aliud, sic sanitas amatur in ordine ad hominem, quia illi est bona; amore autem amicitiæ amatur, quando res diligitur propter seipsam, non referendo illam dilectionem vlterius, sic Deus propter se diligitur, sic etiam homo vt est illud cui sanitas acquiritur, propter se diligitur, sanitas autem propter hominem: illud quod diligitur amore amicitiæ, est finis vltimus in suo genere; illud quod amore concupiscentiæ est finis non vltimus, sed finis ad finem. Hoc supposito sic argumentor. Illud debet poni obiectum scientiæ practicæ, quod est finis eius vltimus; sed Theologiæ, quæ est scientia practica, finis vltimus est Deus, non homo; ergo Deus & non homo est obiectum. Maior patet: tum in aduersarij exemplo, vbi illud quod habet rationem finis vltimi, vt homo in Medicina, & in Morali scientia, statuitur obiectum talium scientiarum, & non fines subordinati, vt sanitas aut virtus: Tum ratione; quia illud obiectum est practicæ, quod est amabile amore amicitiæ; sed finis vltimus, & non finis ad finem, tali amore amatur; Ergo, &c.

Ad Quartum. Obiectio est clara, cum sua solutione.

QVÆSTIO IIII.

Vtrum Theologia sit de Deo, sub aliqua ratione speciali.

Quòd sic, arguitur. Hugo de Sacram. in principio vult, &c.

SVMMA QVÆSTIONIS.

Duo sunt Articuli istius Quæstionis. In Primo determinatur sub qua ratione Deus sit obiectum Theologiæ. In Secũdo, Opinio dicentium Deum vt Saluatorem, seu Christum esse obiectum Theologiæ adæquatum, reijcitur. Tandem respondetur Argumentis principalibus.

ARTICVLVS PRIMVS.

Determinatur sub qua ratione formali Deus sit obiectum.

Soluendo hanc Quæstionem pono eius exemplum, &c.

SVMMA TEXTVS.

Sciri po[...] res ali[...] sub qua[...] plici rõ[...]

Prima pars est in principio textus, qui facilis est: & Summa consistit in hoc, quòd sicut de homine potest esse scientia sub quadruplici ratione; vel primò sub ratione communi, quatenus est substantia; vel secundò sub propria passione, vt quatenus est risibilis; vel tertiò sub aliquo respectu, & comparatione ad aliud, vt quatenus homo est alijs animalibus præstantior; vel quartò sub ratione quidditatiua, quatenus homo est animal rationale: ita de Deo potest esse scientia sub prædicta quadruplici ratione; vel sub ratione communi, puta Entis infiniti, vel Entis necessarij; vel sub proprietate, prout à quibusdam ponitur sub ratione summi boni: vel sub respectu ad extra, vt est Conseruator, Saluator, vel Caput Ecclesiæ; vel quartò Sub ratione quidditatiua & proprijssima Dei, hoc est, sub ratione Deitatis. Hoc præmisso.

Deus est obiectũ Theologiæ n[...] sub ratio[...] commun[...]

In Secunda parte datur Prima Conclusio. *Deus non sub aliqua ratione communi est obiectum Theologiæ. Tum quia nullus conceptus communis continet veritates reuelatas de Trinitate personarum, vel de aliqua Persona enunciabiles: alioquin sicut sciri posset naturaliter illa ratio communis, ita & tales veritates in illa ratione communi contentæ, atq; ita veritates reuelatæ sciri possent naturaliter. Tum quia obiectum Theologiæ debet statui sub illa ratione, sub qua naturaliter à solo Deo cognoscitur, vt dictum est quæst. præced. sed Deus sub ratione communi Entis, vel sub alia simili transcendentali ratione, non est soli intellectui Diuino naturaliter notus; cùm à nobis naturaliter possit cognosci, vt dictum est quæst. 1. & dicitur fusiùs inf. dist. 3. Ergo, &c.*

Nec sub [...] tione att[...] butali.

Secunda Conclusio. *Deus non est Theologiæ obiectum sub ratione attributali. Ista Conclusio probatur inprimis duabus rationibus prioris Conclusionis. Præterea probatur specialibus argumentis. Primò sic. Cognitio nobilissima & perfectissima, debet esse de obiecto nobilissimo, & perfectissimo, sub nobilissima & perfectissima ratione; sed hæc scientia est talis, quæ tractat de Deo; ergo debet de illo tractare sub nobilissima & perfectissima ratione; at cognoscere essentiam secundùm quidditatem eius, & secundùm prædicata quidditatiua, est perfectissima cognitio, & longè perfectior cognitione illius attributali, vt habetur 7. Met. tex. 4. Ergo, &c. Secundò. Perfectior obiecti cognitio est cognoscere illud sub ratione incausati, quàm sub ratione causati; sed essentia est incausata, proprietates autem causatæ; Ergo, &c. Maior. Quia cognoscere aliquid in ratione causæ, vel quasi causæ, est perfectiùs cognoscere quàm cognoscere aliquid sub ratione causati, vel quasi causati; quia illa cognitio est Propter quid, ista habet rationem cognitionis Quia. Minor. Quia qualis ordo esset inter aliqua si essent realiter distincta, talis ordo est inter illa si sola ratione distinguantur, vt dicit Subt. Doct. quæst. 1. & in 2. d. 17.; sed per impossibile si illæ proprietates realiter distinguerentur ab essentia, essentia esset realiter causa illarum; ergo nunc cùm differant ratione, saltem per considerationem intellectus, proprietates habebunt rationem causati, & essentia rationem incausati.*

Cognoscere aliqui[...] in rõne ca[...] sæ pfectiu[...] est quam i[...] rõne causa[...]

Cautela.

Hìc tamen esto cautus, quòd in præsenti ratione, ly causatum & incausatum, non accipiuntur propriè, quo pacto inferiùs dicitur à Doct. quòd causa & causatum distinguuntur supposito & natura, sed transsumptiuè, pro eo quod aliàs dicitur ab eodem Doct. quòd Essentia Diuina sit radix, origo, & fundamẽtum omnium proprietatum, ita quòd secundùm nostrum modum intelligendi sit quidam ordo præsuppositionis, & Essentia intelligitur præsupponi proprietatibus, non autem proprietates Essentiæ.

Tertiò. Obiectum scientiæ nobilissimæ debet considerari sub ratione actualissima; sed ratio Diuinæ Essentiæ, vt essentia est, est actua-

est actualior quàm ratio proprietatum ; ergo sub ratione Essentiæ debet Deus in Theologia considerari , non sub ratione proprietatum . Minor . Quia licèt proprietates sint purus actus, & nullam includant potentialitatem , sicut & Essentia (quicquid enim est in Deo , est purus actus ,) duplici tamen de causa dici potest Essentia actualior proprietatibus . Tum quia Essentia Diuina , ad extra est incommunicabilis , non modò secundùm suam infinitatem & perfectionem, sed neq; secundùm aliquam vniuocam rationem transcendentem ; at sapientia, bonitas, & similes proprietates essentiales Dei , communicantur ad extra , non illæ eædem numero , neq; secundùm easdem perfectiones , puta necessitatis, infinitatis, & independentiæ, sed saltem secundùm eandem rationem transcendentem (sapientia enim , bonitas, & similia, dicunt rationem vniuocam ad sapientiam creatam & increatam, &c.) abstrahendo illas à dictis modis , perfectionem summam denotantibus, vt ostenditur inf. d. 5. & 8. Tum secundò ; quia Essentia ex se , & radicaliter & formaliter est actualissima & infinita , proprietates verò essentiales sunt formaliter infinitæ ab Essentia , & non radicaliter, vt dicit hìc Doctor in litera, & multis ostenditur ab eodem quodl. 1.

Tertia Cõclusio. *Obiectum Theologiæ Deus, non consideratur ab hac scientia sub ratione alicuius relationis extra , puta sub ratione Creatoris, Gubernatoris , &c. Istam Conclusionem probant, tum 5. rationes priorum Conclusionum , tum sequentes tres speciales ; quarum Prima est . Scientia Theologiæ est scientia realis, vt communiter conceditur ab omnibus Theologis : & ratio est ; quia tractat de obiecto reali : si igitur hæc scientia cõsiderat obiectum suum non sub ratione aliqua reali , sed rationis, sequitur quòd non erit scientia realis , sed rationis; consequẽs est inconueniens ; ergo & Antec. ex quo sequitur . Sequela Maioris probatur : tum ex dictis superiori quæst. dubit 3. in qua ostensum est, scientiã desumere suã vnitatem & denominationem à ratione formali obiecti : si igitur in proposito ratio formalis sit non realis, sed rationis , habitus de obiecto sub tali ratione denominabitur non realis , sed rationis : Tum exemplo Logices, quæ licèt pro obiecto materiali remoto , habeat aliquomodo res primæ intentionis , tamen quia ratio formalis est Ens rationis , dicitur scientia non realis , sed rationis : ita esset in proposito, &c. Secundò Probatur. Conceptus absoluti realis, & conceptus Entis rationis, est conceptus aggregatus , & vnus per accidens ; conceptus autem Dei est conceptus absoluti, conceptus verò relationis ad extra ipsius Dei, est conceptus Entis rationis; atque ita concipere Deum sub tali relatione , est concipere Ens aggregatum, vel Ens per accidens ; sed scientia non est de Ente per accidens; 6. Met. ergo neq; Theologia tractabit de tali Ente. Confirmatur . Quia scientia aliqua vt subalternata tractans de vno obiecto per accidens , præsupponit alias duas scientias, tractantes separatim de partibus illius vnius per accidens : si igitur Theologiæ obiectum sit vnum per accidens , Theologia supponet scientias alias priores se , quæ tractent singillatim de partibus ipsius obiecti aggregati : quod apud omnes est falsum. Istius rationis vis euidentiam suam desumit ex dict. inf. quæst. 7. Prol. Tertia ratio est clara in textu.*

Quarta Conclusio. *Theologiæ obiectum est Deus sub ratione Deitatis, seu Deus quatenus est hæc Essentia Diuina. Ista Conclusio necessariò sequitur ex dictis : si enim non sub ratione cõmuni , nec sub proprietate , nec sub respectu ad extra , Deus est obiectum Theologiæ ; sequitur quòd sit sub ratione quidditatiua . Et probatur inprimis duabus rationibus primis quæst. præced. artic. 2. positis . Tum quia solus Deus sub ratione Deitatis , continet omnes veritates Theologicas reuelatas. Tum quia Deus solùm intellectui suo est notus naturaliter, secũdũ ipsa Deitatis rationem; non item quoad proprietates, vel saltem non ita vniuersaliter, quarum multæ possunt cognosci naturaliter, & à fortiori sub conceptibus communibus , vel sub respectibus rationis . Deinde probari potest hæc assertio , rationibus tribus hoc Articulo ad probandam Secundam conclusionem positis ; quæ vt illam negatiuam improbant , ita istam affirmatiuam necessariò ponunt.*

COMMENTARIVM.



IN explicatione literæ huius Articuli illud animaduersione dignum occurrit, præsertim Scotistæ Philosopho: quòd Conclusione 3. ratione 1. dicitur Logicam non esse scientiam realem , licèt consideret de rebus vt eis attribuuntur Secundę intentiones: hoc enim videtur esse falsum; quia de Ente per accidens non est scientia, vt ipsemet Doctor multis ostendit, 6. Met. q. 2. & docet hìc in eadem Conclusione, ratione 2. imò tota illa ratio secunda , est directè contra istam positionem , de obiecto Logices aggregato ex Ente reali & rationis. Nec potest dici quòd tractat de Ente per accidẽs, sicut Perspectiua de linea visuali; quia vt optimè Doctor hic docet, subalternatæ sciẽtiæ partes obiecti tractantur in alijs scientijs , vt linea in Geometria , ratio visualitatis in Physica , cùm agitur de potentia visiua , eiusque actu & obiecto: sed Logica non est scientia subalternata, secundũ omnes; quare, &c. Ista difficultas est alicuius momẽti apud Scotistas Philosophos (qui communiter deducunt suam Philosophiam ex libris Sententiarum istius Doctoris) ideo est fusiùs explicanda.

Animaduertat diligenter Scotista Philosophus.

Dicunt quidam Scotistæ, Logicam esse scientiam realẽ subiectiuè , quia nimirum est in subiecto reali, id est in intellectu, sed esse scientiam rationis formaliter , quia est de obiecto rationis. Istud verè quidem dicitur, sed difficultas proposita non explicatur: quia cùm sit de Ente reali & rationis simul, vt de obiecto totali, & hoc sit vnum aggregatum, quomodo de Ente aggregato potest esse scientia ?

Logica quõ est scientia realis & rationis.

Respondeo igitur. Logica per se considerat vt adæquatum obiectum suum, modum sciendi directiuum, qui modus sciẽdi directiuus, est Ens rationis, aptum dirigere primas intentiones seu intellectiones nostras; vnde obiectum Logicæ apud Scotistas tam materiale quàm formale, est Ens rationis, connotatur tamen Ens reale, non vt obiectũ, vel ratio formalis obiecti , sed vt terminus extrinsecus talium secundarum intentionum : atque ita Logica verè est scientia rationis, non tractans de Ente per accidens, sed de ente rationis, connotando extrinsecè Ens reale . Hoc vltimum erit euidens, si tres partes priores dicti, explicentur.

Dixi igitur primò. Quòd modus sciendi directiuus , sit obiectum adæquatum Logicæ . Istud dictum est contra multos Scotistas, qui dicunt de mente Subt. Doct. obiectũ Logicæ adæquatum esse Syllogismum. Fundamentum illorum est. Quia id habetur expressè à Doct. q. 3. Logicæ in proœmio , vbi refutatis aliorum opinionibus de obiecto Logicæ, de mẽte propria, statuit Syllogismum. Sed nostrũ dictum est, modus sciendi, seu instrumentum sciendi (pro eodem enim isti termini sumuntur apud Doct. tum in Logica, tum 3. Met. in expositione textus 15.) est obiectũ adæquatum totius Logicę; Syllogismus autem non est obiectũ adæquatum, sed principale . Quòd instrumentum sciendi sit obiectum adæquatum Logicæ totius , habetur expressis verbis in Logica Doct. 1. priorum q. 2 Concl. 2 Quòd item Syllogismus non sit obiectum totale Logices, habetur ijsdem verbis ibidem, Cõcl. 1. Tertia pars quòd Syllogismus sit obiectum principale Logices, est Doct. tum q. 2. allegata l. prior. tum 1. Met. q. 1. ante medium illis verbis, *in Physica tractatur de natura , quamuis nec Commentator nec Auic. ponat naturam esse subiectum illius scientiæ, sed aliquid cuius natura est principium; similiter in libris de anima tractatur de definitione animæ, & passionibus & partibus eius, quamuis subiectum illius ponatur corpus animatum cuius anima est principium. Similiter in Logica tractatur de multis quæ sunt principia Syllogismi , quamuis Syllogismus ponatur ibi subiectum principale.* Nec valet glossa Philippi Fauent. in sua Physica Theorem. 6. c. 3. dicẽtis, illos libros Priorum non esse Doct. Subt. Ratio eius est: Tũ quia non procedit eo modo quo in alijs , sed est stylus diuersissimus à Scoti stylo : Tum quia multa ibi dicuntur, quæ non consonant dictis suis in libris sentent. Deinde esto , quòd esset eius : dicendum esset; quòd instrumentum sciendi esset obiectũ non Logicæ totius ab Arist. traditæ, sed illius totius Logicæ, quæ ab Expositoribus est adiuncta, in complementum

Logicæ obiectũ quod secundùm Scotum.

Syllogism' est principale obiectũ Logicæ secũdũ Scotum.

Modũ sciẽdi negant quidã Scotistæ esse obiectũ adæquatũ secũdũm Scotũ.

Logicæ

Logicæ Aristotelicæ, vt est liber 6. princ. Porretani, diuisionum Boetij, &c. vt ibi se exponit Doctor, cùm dicit, in Logica Arist. Argumentationem esse subiectum, ac si diceret esse Syllogismum. Ista inquam glossa nullius est valoris. Primò, quia gratis dicitur illos libros non esse Doct. Subt. cùm oppositum antiqui Scotistæ doceant, vt Maur. Hybernic. in sua Logica, Ant. Taruisinus in suo rationali: & sanè vel primis labris attingenti dogmata Scoti, liquidò constare potest, modum tractandi illorum librorum ipsumque stylum esse persimilem alijs Logicæ libris. Deinde, cùm dicitur, doctrinam in lib. Priorum contentam cōtrariari libris Sent. gratis & absque vllo fundamento dicitur neque vllum exemplum contrarietatis adferri potest. Et esto quòd in quibusdam contradiceret, non propterea debet censeri ille liber non esse Doct. quia aliàs & librum Prædicamentorum, & Metaphysicam, recepta ab omnibus vt Scoti volumina, cogitur iste author ob eandem causam reijcere, quia in illis contraria determinationi factæ in libris Sentent. reperiuntur; vt ostendi possunt plurima, & illud nunc vel vnicum sufficiat, quòd quæst. 4. Prædic. apertè negat Doctor Entis vniuocationem, quam tamen in præsenti opere dist. 3. & dist. 8. q. 3. seriò defendit. Similiter. 7. Met. q. 7. definitionem docet distingui à definito, tantùm ex modo intelligendi: at in præsenti opere, dist. 2. q. 1. docet distingui sine opere intellectus, ex natura rei. Sicut igitur istæ, & his similes contradictiones, siue illæ sint veræ, siue apparentes, non arguunt quòd isti libri non sint Doct. vt patet ex testimonio omnium Scotistarum, & etiam ipsius Doct. relegatione aliquoties facta in istis libris Sentent. (vide in 4. dist. 11. q. 3. aliquoties, post mediū) ad suam Metaphysicam, in Metaphysica autem ad alios Philosophię libros: ita neque illæ contradictiones, si quæ adferri possunt ex libris Priorum efficerent, quominus libri Priorum, Logicæ Doct. nostri inserti, ipso authore gloriarentur. Et esto, non sint libri Priorum illius; quid dicetur de Metaphysica? in qua idem docet apertè, licèt breuiùs, quod in illis, vt superiùs dixi. Illa item additio de tota Logica completiua ab alijs, nō aūt de tota Logica. Arist. est extorta, impertinens, & directè contra literam ibi à Doct. positam. Quòd autem hoc sit obiectum Logicæ, & non aliud, diximus in Logica: interim non est præsentis negotij probare, sufficit Doct. mentem aperuisse.

Arguitur contra illos.

Dixi Secundò. Quòd iste modus sciendi, quem Logica considerat, sit directiuus primarum intentionum, & operationum intellectus, cùm ipse sit Ens rationis. Vbi obseruandū est Primò. Duplicē modum sciendi statui ab antiquioribus Scotistis; obiectiuum, & directiuum: ille obijcitur intellectui in ratione obiecti cōsiderabilis, iste est aptus dirigere operationes nostri intellectus. Isti modi distinguuntur secundùm considerationem; nam illud idē quod est modus sciendi obiectiuus, vt obijcitur intellectui, est etiam modus sciendi directiuus, quia est aptus dirigere intellectum. Modus hic directiuus in communi sumptus, subdiuiditur in tres modos sciendi partiales, qui sunt definitio, diuisio, argumentatio: quod patet; quia cuilibet ignoto debet respondere aliquis modus sciendi, quo notificetur illud ignotum; ignotum autem est triplex; ergo & modus notificandi. Minor ostenditur; quia ignotum vel est incomplexum, vel complexum; si incomplexum, aut est ignotum secundùm suam quidditatem & essentiam, & sicei respondet definitio; aut ignotum quantùm ad sui confusionem & potestatem, & tunc notificari debet per diuisionem: si autem est complexum, respondebit illi argumentatio. Logica igitur non est modus sciendi (sumēdo modum sciendi pro obiecto Logicæ) sed est scientia tractans de modo sciendi, qui modus sciendi est directiuus nostræ intellectionis; (vt primum habeat rationem obiecti materialis, secundum, scilicet directiuitas, habeat rationem formalis, & hoc est quod dixi, Logicæ obiectū tam materiale quàm formale esse Ens rationis) vt tamen modus sciendi sumitur pro habitu acquisito de tali obiecto, dicitur à multis Logica modus sciendi. Obseruandum est secundò. Quòd modus sciendi in communi, est merè secunda intentio: patet; quia & ipsæ partes eius, puta definitio, diuisio, argumentatio, in communi sumpta, sunt nomina secundarum intentionum: ac proinde non discrepant Scotistæ à Thomistis in re, sed in modo loquendi de obiecto Logicæ, dum nos modum sciendi directiuum secundò intentionalem, ipsi autem Entia rationis statuunt obiectum Logicæ; imò etiam Subt. Doct. concedit apertè in 3. q. 7. q. 1. Ens rationis esse obiectum Logicæ, intelligēdo Ens rationis directiuum. Nec ille Achilles Neotericorum Scoticam, veritatem aut Thomisticam labefactat: dū dicunt Entia rationis potius dirigi ab Ente reali, quàm dirigere; quia posterius non potest dirigere suum prius; Entia autem rationis sunt posteriora Entibus realibus; ergo, &c. Dupliciter enim potest intelligi quòd modus sciēdi directiuus secundò intentionalis, dependet à rectitudine modi realis, siue primæ intentionis; vel occasionaliter, & productiuè à directa, vel vt reflexiuè & formaliter à directiua: priori modo regulatur, & dirigitur Ens rationis ab Ente reali; secundo modo Ens reale ab Ente rationis dirigitur: hoc est euidens; quia vt omnis scientia ortum duxit ab experientia, ex 1. Post. tex. 134. & 2. Post. c. vlt. ita & Logica: quare primò aliquis realem argumentationem fecit bonam, & idem pluries argumentatus, cùm videret concludere argumentationem tali modo ab ipso factam, illum modum postea loco regulæ obseruauit; modus igitur argumentandi directus, originem habet à recta argumentatione reali, sed per actum reflexum, ille modus cognitus, applicatur multis alijs realibus nostri intellectus discursibus, vt rectè discurrat. Idem dico de modis definiendi, & diuidendi.

Modus sciē directiuus est obiectū Logicę, & est duplex.

Modus directiuus triplex.

Logica quō est modus sciendi, & de mō sciēdi vt obiecto.

Modus sciē di in cōi est secunda intentio.

Entia rō[nis] quomō d[i]riguntur [a] ente reali & è cōtra.

Omnis sc[ientia] ortum ab experientia.

Dixi tertiò. Quòd in obiecto Logicæ connotetur Ens reale, non tamen vt obiectum materiale aut formale, neque vt pars subiectiua obiecti; sed vt terminus secundarū intentionum. Quod sic est intelligendum. Cùm obiectum Logicę sit modus sciendi directiuus operationum nostri intellectus, vt dictum est, operationes autem nostri intellectus sint Entia realia; necessariò obiectum Logicæ connotat istas operationes: quia ratio illa formalis Logicæ obiecti, nimirum esse directiuum, dicit relationem rationis; relatio autem non intelligitur sine termino; ergo neque ista relatio; sed istius relationis terminus est realis; ergo ista relatio in qua consistit ratio formalis obiecti Logici connotat. Ens reale, puta operationes intellectus, tanquam suum terminum. Non tamen Ens reale cōnotatum, est obiectum materiale aut formale Logicum: quia materiale est modus sciendi, formale ratio directiui in tali modo, vtrumque secundò intentionaliter accipiendo. Neque est pars subiectiua obiecti; quia quale est obiectum adæquatum scientiæ, quoad entitatem, tales & partes; si obiectum adæquatum est Ens reale, & partes; si illud est Ens rationis, & partes eius: cùm ergo adæquatum Logicæ obiectum sit secundæ intentionis modus sciendi, etiam partes illius erunt secundò intentionales.

Obiectū Logicæ connotat Ens reale.

Ex hactenus dictis, habetur plena resolutio difficultatis supra positæ. Non enim Logica est scientia de Ente per accidens, aggregato ex Ente reali & rationis, vt bene ibi improbatur; sed est scientia de Ente per se, vnius rationis, nimirum de illo modo sciendi, secundò intentionaliter accepto, quod aptum est dirigere actus nostræ rationis. Dices. Textus Doctoris hìc, vult oppositum: quia dicit ꝙ Logica consideret de rebus vt eis attribuuntur secundæ intentiones; ergo principaliùs in obiecto Logico considerantur res reales, & concomitantur secundæ intentiones, directè loquendo secundùm literam. Respondeo. Quòd Logica per se cōsideret Ens rationis, docet manifestè Doctor, in 3. d. 7. q. 1. vt dixi, dum autem in præsenti textu, exemplificat de Ente reali & rationis: dico, quòd in exemplis non est curanda omnimoda veritas, vt dicit Arist. sed sufficit quod illa sit ad quam declarandam inducitur exēplum; cùm igitur intentio Doct. ista fuerit hìc, ostendere, quòd si ratio formalis obiecti Theologici esset Ens rationis, sequitur quòd Theologia esset scientia rationis non realis, sicut in simili, & Logica est scientia rationis, ob talem rationem formalem sui obiecti, quę est Ens rationis: ꝙ autem ratio materialis obiecti, vtrobique non sit talis, hoc non est præsentis quæstionis, in qua de ratione formali obiecti quæritur.

Logica non est scientia de Ente per accidens.

In exēplis non est omni modo veritas curanda.

AR-

ARTICVLVS SECVNDVS.

Opinio dicentium, Deum, vt est Saluator, vel Christus, esse obiectum Theologiæ adæquatum, reijcitur.

Ex prædictis apparet improbatio illius Opinionis, quæ ponit Christum, &c.

SVMMA TEXTVS.

Duæ partes sunt istius Articuli. In Prima ponitur Opinio quorundam antiquorum, qui dicebant, Deum esse Theologiæ obiectum, non sub ratione Deitatis, sed vt Christus est. Quæ Opinio est Seraphici Bonauenturæ quoad aliquid in Prol. quæst. 1. Vbi distinguens triplex subiectum: primum, ad quod omnia reducuntur, tanquam ad primum radicale; & dicit esse Deum: secundum, ad quod omnia reducuntur, vt ad totum integrale; tale subiectum est in Theologia Christus; tertium ad quod omnia reducuntur, tanquam ad totum vniuersale, & tale obiectum dicit esse res & signa, quorum mentionem facit Magister in principio statim distinct. primæ. Ab ista sententia non multum dissentit Durand. quæst. 5. prol. num. 17. dum Deum sub ratione Saluatoris, ponit obiectum Theologiæ.

Subiectū triplex secundū S. Bonauent.

Ista Opinio improbatur claro discursu in principio Articuli posito. Idem ostendunt duæ rationes vltimæ præcedenti Artic. adductæ ad probandam tertiam Conclusionem, nimirum, quòd Deus non possit esse obiectum Theologiæ, sub ratione alicuius respectus ad extra. Eandem opinionem improbant, ratio prima de virtuali continentia obiecti & ratio tertia de perfecta cognitione, quæ ponuntur quæst. præcedenti. art. 2. Concl. 1.

Ostenditur tandem vltimò in hac parte à Doct. per similitudinem, quomodo Deus non sub ratione conceptuum multiplicium, sed sub ratione Deitatis, sit obiectum huius scientiæ. Litera tota est plana nec indiget expositione.

In Secunda parte consimilis Opinio Linconien. proponitur cum suis motiuis. Istam Opinionem Doctor non impugnat aliquibus rationibus; quia ex refutatione prioris, satis constat inualiditas istius positionis.

RESPONDETVR ARGVMENTIS principalibus.

Ad principale argumentum huius Quæstionis, quando arguitur, &c.

COMMENTARIVM.

Ad authoritatem Hugonis & Cassiodori dicitur. Quòd prædicti authores non loquuntur ibi de subiecto huius scientiæ sub ratione formali obiecti; sed loquuntur de materia librorum illa, de qua diffusiùs in Scriptura tractatur; idque propterea, quia opera Restaurationis, & Christus vt Caput Ecclesiæ, sunt media immediatiora alijs, per quæ nos finem vltimum attingimus. Et hoc est quod dicit Rich. de Med. Vil. quæst. 6. Prol. aliud esse, dicere aliquid materiam scientiæ, & obiectum seu subiectum scientiæ: materia enim scientiæ dici potest, omne illud quod tractatur in illa scientia; sed subiectum scientiæ dicitur illud, quod actu importat rationem illam formalem, sub qua considerantur omnia quæ tractantur in scientia: Et quia in Sacra Scriptura Deus est huiusmodi; ideo Deus est obiectum in illa: quia tamen tractatur in ea de operibus Restaurationis, & de Christo, & de Ecclesia, & de Sacramentis; ideo opera Restaurationis, & alia possunt dici materia Sacræ Scripturæ. Ad prædictas authoritates consimilis est responsio Alensis quæst. 2. Prol. in Notabili de subiecto largè sumpto, pro aliqua parte de qua tractatur in scientia; & strictè pro illa ratione subiecti, quod est genus scibile, habēs rationem formalem, partes subiectiuas, proprietates, &c. Vnde alia à Deo dicuntur impropriè subiecta, Deus autem sub ratione Deitatis proprijssimè est obiectum Theologiæ.

Subiectū in aliqua sciētia, & materia in illa sciētia, sunt distincta.

Ad Secundum dicitur. Non Deus est obiectum primum Metaph. sed Ens sub ratione Entis, vt patet tum hîc in Doct. tum 1. Met. quæst. 1. & 6. Met. quæst. 1. & 4. Deus autem est obiectum principale, sub nobilissima ratione consideratum in illa scientia, non tamen sub ratione proprijssima, vt dictum est quæst. 1. & infra ostenditur distinct. 3.

Obiectum Metaph. est Ens.

Ad Tertium dicitur. Quòd Auer. malè senserit à Metaphysico non probari esse primæ substantiæ: quod ostenditur dupliciter. Primò. Quia cognitio An sit, præsupponitur cognitioni Quid sit; si igitur cognitio An sit de prima substātia, præsupponatur à Metaphysico, & illa ostendatur in Physica, Metaphysica præsupponet Physicam, & ita Metaphysica non erit prima Philosophia. Secundò. Quia per effectum potest demonstrari An sit causæ, sed plurimi effectus considerantur in Metaphysica qui sunt à prima causa, & ducunt in notitiam illius, imò perfectiori modo quàm effectus Physicus, puta motus; quia necessitas, infinitas, independentia, quæ considerantur in Metaphysica, sunt perfectiora attributa Dei, ipso motu, qui cōsideratur à Physico; ergo in Metaphysica per effectus à Metaphysico considerabiles, potest cognosci prima causa. In quo autem sensu nomine causæ & effectus; vtimur in Diuinis, dictum est art. 1. huius quæst.

Metaphysicos probat esse primæ substantiæ.

Ad Vltimum. Ratio finis sumitur dupliciter: vel pro relatione, quæ denominat aliquod Ens finire alia, & dicere ordinem alia ad ipsum; vel pro ipso fundamento in quo talis est relatio: siue vt alij loquuntur ratio finis sumitur vel formaliter, vel fundamentaliter. Primo modo negatur quòd sit ratio nobilissima, quia talis relatio in Deo est rationis; secundo modo concedo, & sic finis fundamentaliter est Essentia Diuina, & ita cognoscere Deum sub ratione finis fundamentaliter accepti, est cognoscere Deum sub ratione Deitatis: quod est pro me, contrà te.

Ratio finis sumitur dupliciter.

Quando secundò dicitur in eodem argumento de bono: quòd ratio boni sit honorabilissima. Respondeo. Illud est magis tale, quod est tale radicaliter vi sua, quàm illud quod est tale appropriatè vi alterius; sed Essentia Diuina est fundamentum finis radicaliter vi sua, ratio autem boni non nisi appropriatè & vi Essentiæ; quatenus identificatur Essentiæ infinita, & ab illa habet infinitatem; ergo magis honorabilis erit ratio finis respectu finis in Essentia, quàm in bonitate.

Cognoscere Deū sub rōne finis fundamētaliter q̄d sit?

QVÆSTIO V.

Vtrùm ista scientia sit de omnibus, ex attributione ipsorum ad primum eius subiectum.

Quòd sic. 4. Metaph. Eadem est scientia de aliquo, & de attributis ad ipsum; Et exemplificat ibi de sano, &c.

SVMMA TEXTVS.

Ista quæstio ob sui breuitatem & facilitatem (sicut & duæ sequentes) non diuiditur in Articulos; habetque duas partes.

In Prima proponitur Opinio Hẽ Gand. ex quodlib. eiusdem. 3. quæst. 9. Quæ confutatur tribus rationibus à Doctore. In Secunda parte, ponuntur Conclusiones responsiuæ ad quæstionem, de Theologia Dei, Beatorum, & nostra.

COMMENTARIVM.



Vantùm ad Primam partem. Opinio Gandau. est. Quòd Theologia Dei sit de omnibus. In hoc non contradicit ipsi noster Doctor. Sed cùm vltra addit Henr. Quòd illa notitia de omnibus, non ex attributione scibilium omnium ad primum subiectum, nempe Essentiam Dei, habetur à Deo, nec immediatè sciuntur omnia per Essentiam, sed immediatè multæ veritates continentur virtualiter in suis subiectis proprijs, ita quòd intellectus Diuinus multas veritates Geometricas cognoscat virtute lineæ, & Arithmeticas virtute numeri; vnde secundùm Gand. tot habitus scientifici ratione distincti ponentur in intellectu Diuino, quot sunt obiecta alia ab Essentia Dei, continentia veritates scibiles de eis. Quoad istam partem contradicit Doctor Subt. Henrico.

Primò, Quia sic linea (vel aliud obiectum continens veritates suas virtualiter) esset obiectum motiuum, respectu intellectus Diuini, ad cognoscendas veritates in linea contentas; quod est vilificare intellectũ Diuinum; quia in cognitione veritatum dependeret ab alio, & non posset cognoscere sine alio.

Potentia actuabilis à pluribus p se obiectis, non habet pro obiecto aliquod eorũ, sed cõe ipsis.

Secundò. Quia Essentia Diuina non esset primum obiectum intellectus Diuini. Ratio huius sequelæ est: quia potentia actuabilis à pluribus per se obiectis, virtute propria illorum, non habet pro obiecto primo aliquod eorum, sed commune ipsis (exemplum potentia visiua est actuabilis à nigro & albo, virtute propria illorum, nec tamen vel album vel nigrum est obiectum adæquatum, seu primum potentiæ visiuæ, sed commune albo & nigro, nempe coloratum: & similis inductio fieri potest in omni potentia sensitiua, & in ipso intellectu, qui actuatur per se, à cognitione substantiæ & à cognitione accidentis, non tamen vel accidens vel substantia est obiectum primum intellectus, sed Ens commune substantiæ & accidenti, vt ostenditur distinct. 3. quæst. 3.) sed in proposito concedit Gand. quòd intellectus Diuini per se obiectum est Essentia Diuina; & etiam secundùm ipsum, circũscripto per impossibile omni alio, linea per se est obiectum illius intellectus Diuini, & sic de alijs; ergo nullum horum est obiectum primum intellectus Diuini, sed aliquid commune, quod est impossibile.

Obiectum motiuum & terminatiuum simul Diuini intellectus, & obiectũ tantum terminatiuũ qd.

Additur autẽ notabiliter in Maiori: *à diuersis obiectis per se, virtute propria eorũ*, quia de facto diuersa à Deo obiecta intelliguntur, vt Essentia Diuina, Angelus, homo, linea, &c. Sed sola Essentia Diuina habet rationem obiecti motiui, & per se, reliqua omnia habent rationem obiecti non motiui, sed terminatiui: Obiectum autem terminatiuum Diuini intellectus, cùm aliud sit per se primum, quod nullo mediante terminat actum intellectus; aliud per se non primum, quod necessariò intelligit sed mediante alio; aliud denique obiectum nec per se, nec primum, sed terminatiuum est, quod potest non intelligi, & si intelligitur, mediante alio intelligitur. Rationem obiecti terminatiui per se primi, respectu intellectus Diuini, sola habet Essentia Diuina, quæ est obiectum primò motiuum & terminatiuum illius (omne enim obiectum motiuum est terminatiuum, sed non è contra.)

Omne obiectũ motiuũ est terminatiuum, non tamen è cõuerso.

Rationem autem obiecti terminatiui per se, non primò, habent inprimis Relationes Originis; quia necessariò quidẽ, sed mediante Essentia Diuina cognoscuntur, vt dicitur à Doct. distinct. 1. quæst. 2. itẽ omnes aliæ veritates necessariæ de rebus creatis: dico, necessariæ veritates; quia contingentes, cùm præsupponant Diuinæ voluntatis liberam determinationem, vt dicitur infra distinct. 36. & 39. potuerunt sic non esse, & poterat intellectus Diuinus hoc non intelligere, si ad alteram partem contradictionis Diuina voluntas se determinasset, vt infra loco cit. clarius ostenditur: & tales veritates nec per se terminant intellectum Diuinum, vt patet, quia non necessariò; nec primò; quia illas intelligit in Essentia Diuina. Cùm igitur intellectus Diuinus omnia intelligat per Essentiam, & Essentiam primò ac immediatè cognoscat, meritò sola Essentia Diuina statuitur obiectum adæquatum intellectus Diuini, de quo infra dist. 1. q. 2. art. 2.

Tertiò arguitur contra Gand. Essentia Diuina est primum obiectum intellectus Diuini; vel ergo est primum obiectum primitate prædicationis, vel primum primitate virtualis continentiæ, quia scilicet omne intelligibile virtualiter ab ipsa continetur: non primo modo; quia Diuina Essentia non prædicatur de quolibet intelligibili, vt prædicatur Ens: ergo secundo modo; ac proinde malè ponitur ab Henr. quòd obiecta alia possint cognosci à Deo immediatè, circumscripta Essentia Diuina.

Theologia Dei est de oĩ cognoscibili.

Quantùm ad Secundam partem est prima Conclusio. Diuina Theologia est de omnibus cognoscibilibus, ita quòd obiectum primum Theologiæ suæ, nempe Essentia Diuina, facit omnia actu cognita in intellectu suo. Declaratio istius Conclusionis euidens est in textu, illo obseruato, quòd licèt in primo signo naturæ (quidnam autem ista signa sint, an, & quomodo admittenda, vide distinct. 1. quæst. 2.) intelligat Deus suam Essentiam, in secundo lineam, in tertio veritates in linea contentas; istas tamen veritates lineæ, non intelligit Deus mediante linea tanquam causa, quòd linea concurrat quasi actiuè ad intellectionem habendam de suis veritatibus; sed intelligit mediante linea, tanquam mediante priori intelligibili secundùm ordinem, ad secundum intelligibile, quod dictum optimè declaratur proposita in textu similitudine.

Secunda Conclusio. Theologia secundùm se sumpta (quid autem sit ista Theologia, dixi quæst. 3. art. 1.) est de omnibus scibilibus, quæ omnia apta sunt sciri virtute primi obiecti Theologici.

Theologia Beatorũ & nostra non est de omni scibili.

Tertia Conclusio. Theologia Beatorum potest esse de omnibus scibilibus: de facto tamen est de tot, quot à voluntate Dei ostenduntur intellectui Beato in Essentia Diuina; & præter istam veritatem Theologicam quam habent Beati de quidditatibus creatis, vt ostensis in Essentia Dei, possunt habere naturalem cognitionem de eis ex propria motione earum; quia intellectus Beatorum nati sunt immutari immediatè à talibus quidditatibus ad cognitionem earundem, vt veritatum in ipsis inclusarum. Istam Conclusionem quoad priorem partem, malè intelligit, & peius impugnat Tho. Anglicus hìc: quæ quoniam sunt extra propositum, relinquo vt secũ ipse certet; quod frequenter prædictus author facit.

Quarta Conclusio. Theologia nostra non est de facto omnium scibilium, pro statu isto, sed habet terminum ex voluntate Dei reuelantis; neque potest esse omnium. Istud tamen de possibili, intellige secundùm potentiam Dei ordinatam, non absolutam, vt & rationes Doct. ostendunt, & illa verba ipsius ratione prima sonant *reuelatio autem secundùm legem communem non est, nisi de his, &c.*

Quinta Conclusio. Theologia nostra, & Beatorum, potest esse de omnibus Entibus, quantùm ad aliqua prædicata communia; non tamen quoad omnia propria: sic de omni Ente creato scimus per reuelationem, quòd sit creatum, quòd in esse & conseruari à Deo dependeat, quòd sit annihilabile, &c. Cætera sunt clara.

QVAE-

QVAESTIO VI.

Vtrum Theologia in ſe, ſit ſcientia.

Dico, quòd quatuor includit ſcientia, ſtrictè ſumpta, ſcilicet quòd ſit, &c.

SVMMA TEXTVS.

Duæ partes ſunt Quæſtionis. In prima ponuntur quatuor conditiones ſcientiæ. In ſecunda reſpondetur ad Quæſtionem per Concluſiones, quarum notitia dependet ex cognitione acceptionis iſtius termini Scientia, quæ explicatur in priori parte Quæſtionis.

COMMENTARIVM.

Scientiæ definitio & eius cõditiones explicantur.

QVantùm ad Primam partem, ex definitione Scientiæ à Philoſopho 1. Poſt. tex. 5. traditæ, quæ eſt, Scire autem arbitramur vnumquodque, ſimpliciter, & non Sophyſtico modo, qui eſt ſecundùm accidens, dum cauſam exiſtimamus eſſe propter quam res eſt, quòd illius cauſa eſt, & non contingat aliter ſe habere; quatuor conditiones poſſumus colligere ſcientiæ propriiſſimè acceptæ. Prima. Quòd ſit cognitio certa, abſque dubitatione & deceptione. Ratio eſt: quia perfecta operatio intellectus, debet eſſe cognitio certa; ſcientia autem eſt perfecta operatio intellectus; debet igitur eſſe certa: & hoc eſt quod dicitur ab Ariſt. 6. Ethic. c. 3. circa ſcientiam oportet certificari, & non ſequi ſimilitudines. Secunda Conditio eſt. Quòd illa notitia, quæ dicitur hìc ſcientia, ſit de obiecto neceſſario: quia notitia de obiecto contingenti, poſſibili aliter ſe habere, quàm modò cognoſcitur, non eſt certa: & ob hanc cauſam 7. Met. tex. 53. dicitur, quòd non ſit de particularibus ſcientia, propter eorum ſcilicet mutabilitatem. Per iſtam conditionem & priorem, diſtinguitur ſcientia ab opinione, dubitatione, fide humana, & ab alijs habitibus non habentibus obiecti neceſſitatem. Tertia Conditio eſt. Vt habeat euidentiam talis notitia, ex neceſſaria cauſa priùs euidente intellectui; ſicut enim principia cognoſcimus inquantùm terminos cognoſcimus, ex 1. Poſt. & explicatur infra, diſtinct. ſecunda, quæſtione prima, & diſtinctione 3. quæſtione ſecunda: ita concluſionem cognoſcimus inquantùm principia, ex quibus deducitur Concluſio, cognoſcimus. Et per iſtam conditionem diſtinguitur ſcientia ab habitu principiorum, vt patuit ſupra quæſtione prima, dub. vltima. Quarta Conditio, eſt. Vt in tali notitia, cauſa prior nota intellectui, ſiue principium, applicetur proprietati ſcibili, per diſcurſum ſyllogiſticum. Iſta tamen quarta Conditio, vt bene aduertit Doctor, non eſt de ratione ſcientiæ vt ſcientia eſt, ſed eſt conditio ſcientiæ imperfectæ, & competens intellectui potentiali, qui poteſt diſcurrere, & procedere de noto ad notitiam ignoti. Præſentes conditiones ſupradictæ, definitioni ſcientiæ ab Ariſtotele traditæ, ſic applicari poſſunt, ſecundùm Doct. in 3. Report. diſtinctione 24. *Scire arbitramur vnumquodque, ſimpliciter, & non Sophyſtico modo, qui eſt ſecundùm accidens:* hìc remouetur omnis dubitatio & incertitudo. Cùm dicitur in fine, *non contingit aliter ſe habere*, requirit obiecti cogniti neceſſitatem. Deinde cùm additur, *propter quam res eſt*, ſcilicet per cauſam, docet applicationem principiorum, in quibus eſt cauſa Concluſionis, ad ipſam Cõcluſionem: & hoc modo docet Ariſtot. ibidem, ſcientiam demonſtratiuam debere procedere ex primis, veris, notioribus, cauſiſque concluſionis. Quarta dixi conditio eſt. Quòd illa cauſa, ſit applicata ad Concluſionem per Syllogiſticum diſcurſum, & hoc exprimitur ab Ariſtot. cùm ſubijcitur, & quòd illius cauſa eſt; acſi diceret, oportet cognoſcere cauſam in demonſtratione, ſic, quòd ſit cauſa actu exercito, cauſans & principians Concluſionem.

Prima.

Secunda.

Tertia.

Quarta.

Dictum eſt notanter à Doct. Subt. quòd ſcientia ſtrictè ſumpta, prædictas debet habere conditiones: nam ſcientia alijs modis accepta, non requirit illas. Accipitur autem ſcientia (vt alios modos communiores omittamus) ſecundùm Doct. in 3. diſtin. 24. vtriuſque ſcripti, & 6. Met. q. 2. tripliciter. Primò latiſſimè, pro notitia cum firma adhæſione, ſic ego firmiter adhæreo teſtimonio alieno, quòd Vliſibona ſit: Secũdò ſcientia dicitur latè, non tamen latiſſimè, dum intellectus aſſenſum præbet non iam teſtimonio alieno, ſed ipſi veritati in ſe, acſi aſſentiretur per ſcientiam acquiſitam, non tamen aſſentitur ex principijs euidentibus: de quo aſſenſu loquitur Ariſtot. 7. Ethic. cap. 4. & 7. quomodo etiam nos aſſentimur multis veritatibus reuelatis. Tertiò ſciẽtia dicitur ſtrictè & propriè, eo modo quo definitur ab Ariſt. 1. Poſt. Præſẽs igitur quæſtio, An Theologia ſit ſcientia, non habet difficultatem, an ſit ſcientia, primo & ſecundo modo accipiendo nomen ſcientiæ, ſed totaliter procedit, de ſcientia ſtrictè ſumpta, hoc tertio modo. In ſecunda parte proponuntur reſponſiuæ Concluſiones ad propoſitam Quæſtionem.

Scientiæ triplex acceptio.

Quarum Prima eſt. Theologia vt eſt in intellectu Diuino, & Theologia ſecundùm ſe, eſt ſcientia ſtrictè ſumpta, ſecundùm tres priores conditiones, non autem ſecundùm quartam. Eſt enim cognitio certa, de obiecto neceſſario, & per rationem quidditatiuam; Eſſentia namque Diuina, eſt ratio formalis, cur inſint hæ vel illæ proprietates Deo. Quarta autem Conditio cùm conueniat intellectui imperfecto, & notitiæ finitæ, debet remoueri à Diuina Theologia.

Theologia Dei & Beatorũ eſt verè ſciẽtiæ.

Secunda Concluſio. Theologia Beatorum eſt verè ſciẽtia, ſecundùm omnes Conditiones. De prioribus tribus clarum eſt. Quomodo autem illa notitia ſit diſcurſiua formaliter, vel per æquiualentiam, oſtenſum eſt à nobis ſupra quæſt. 3. art. 2. in reſolut. dubit.

Poſt iſtã Concluſionẽ ponitur in textu Doct. Dubitatio. An Theologia de veritatibus cõtingentibus ſit ſcientia. Et rñſio eſt clara, vſq; ad illũ locũ, *Hoc patet, quia omnia contingentia Theologiæ ſunt nata videri, &c.* Sẽſus autẽ iſtius literæ, & ſequentis, eſt clarus ex dictis ſupra, quæſt. 3. a. 2. & magis patebit diſt. 39. vult enim hìc Doctor, quòd omnes veritates contingentes, cùm ſint determinatæ à voluntate Diuina, aptæ ſunt videri in obiecto Theologico, nempe in Eſſentia Dei; viſio autem illa in Eſſentia Diuina, cauſat euidentem certitudinem de tali veritate, & illa viſio apta eſt perpetuari: non ſic autem ſcientia aliqua naturalis de obiecto immutabili apta eſt perpetuari, quæ per obliuionem poteſt deleri.

Tertia Concluſio. Theologia de veritatibus contingẽtibus, in quocunque intellectu, nõ eſt ſtrictè ſcientia. Ratio eſt. Quia ipſi deeſt obiecti neceſſitas. Eſt tamen ſcientia ſecundo modo accepta, vt eſt habitus, quo determinatè verum dicimus, diſtinctus ab opinione & ſuſpicione.

Theologia de contingentib. nõ eſt ſciẽtia ſtrictè ſumpta.

Quarta Concluſio. Theologia ſecundùm ſe, magis propriè dicitur Sapientia, quàm Scientia. Ratio eſt. Quia notitia habens euidentiam, certitudinem, & neceſſitatem, & conſiderans de obiecto altiſſimo, primiſque cauſis, eſt Sapientia, vt poteſt elici ex 6. Ethic. c. 4. & in Proœm. Met. ex deſcriptione Sapientis, ab Ariſt. inducta; ſed Theologica notitia de veritatibus neceſſarijs, vt eſt in intellectu Diuino, & Beatorum, eſt huiuſmodi, vt patet; ergo, &c. Similiter notitia Theologica de veritatibus contingentibus, habet euidentiam in Eſſentia Diuina; & non habet euidentiam mendicatam ab alijs, id eſt, à prioribus aliquibus principijs complexis, cùm immediata cauſa earum connexionis ſit voluntas Diuina: vnde notitia contingentium, vt habetur in Theologia, magis aſſimilatur intellectui principiorum, quàm Scientiæ Concluſionum; propterea quòd ſicut habitus principiorum non dependet ab vllis principijs, ſed habet primò & immediatè veritatem ex terminis, concluſionis autem veritas eſt aliunde, quia à principijs, ita & veritas contingentium eſt prima, noncõſequens aliqua principia cõplexa. Cùm igitur Theologica veritas contingentium ſit certa, de rebus altiſſimis, & apta ſit eſſe euidens; meritò notitia talium contingentium dicetur Sapientia. Iſti Concluſioni ſubſcribit Doctor Irrefragabilis Alenſis quæſtione prima, membro 2.

Theologia magis eſt ſapientia q̃ ſcientia.

Doctor irrefragabilis.

E 2 (cui

Nomen Sapientiæ, & nomē ſcientiæ, quibus appropriētur.

(cui malè oppoſitam ſententiam Fran. Zumel adſcribit) dicens, quòd nomen Scientiæ, appropriatur ſcientiæ cauſatorum; nomen verò Sapientiæ, cauſæ cauſarū. Et paulò poſt ſubdit; Theologia igitur, quæ perficit animam, ſecūdùm affectum, mouendo ad bonum, per principia timoris & amoris, propriè & principaliter eſt Sapientia: prima Philoſophia, quæ eſt Theologia Philoſophorū, quę eſt de cauſa cauſarum (ſcilicèt de Deo vt de obiecto principali) perficiens cognitionem ſecundùm ſcientiam artis, & ratiocinationis, minùs propriè dicitur Sapientia: ceteræ verò ſcientiæ quæ de cauſis ſunt conſequentibus & cauſatis, non debent dici Sapientiæ, ſed Scientiæ. Vnde ſecundùm hoc dicendum, quòd doctrina Theologiæ eſt Sapientia vt ſapientia; Philoſophia verò prima eſt Sapientia ſed vt ſcientia; ceteræ verò ſcientiæ, quæ conſiderant paſſiones de ſubiectis per ſuas cauſas, ſunt ſcientiæ vt ſcientiæ. Hęc ille. Subſcribunt præterea huic ſententiæ Doctor Illuminatus Mayron. quæſt. 14. Prolo. Ant. Andr. hic, Baſſolius quæſt. 5. Orbellis quæſt. 14. Aquil. quæſt. 4. Alijque Scotiſtæ, & omnes Nominales. Sequitur eandem Valentia 1. part. diſput. 1. quę. 1. pun. 3. Herueus quol. 8. quæſt. 18. Vaſquez. 1. part. quæſt. 1. artic. 2. Bannes ibidem, & Zumel, verbis non re differunt à Doct. ſententia; nam fatentur iſti authores, Theologiam non eſſe ſcientiam, illo modo quo definitur 1. Poſt. ab Ariſt. dicant tamen propriè eſſe ſcientiam, quamuis imperfectam: nos verò dicimus illam eſſe ſcientiam perfectam, nec tamen propriè, ſecundùm omnes conditiones ſtrictè ſumptæ ſcientiæ, quia ſic ſolùm ſcientia accipitur ſecundùm acceptionem Philoſophi 1. Poſt. Eodem modo intelligendus eſt Mediouillanus quæſt. 2. Capr. q. 1. eiuſque abbreuiatores, Soncinas, & Prier. ibidem.

Doctor illuminatus.

Theologia noſtra non eſt propriè ſcientia.

Verùm quid dicendum eſt de Theologia noſtra, vt in nobis eſt, de facto, eſtnè ſcientia propriè? Reſpondeo. Determinatum eſt vniuerſaliter Concl. 4. de omni Theologia, quòd magis ſit Sapientia, quàm Scientia. Et ex alio capite non poteſt dici propriè ſcientia in nobis. Quia ſcientia debet habere euidentiam ex præmiſſis; veritates autem Theologicæ non habent euidentiam, ſed tantùm certitudinem in noſtro intellectu: ac proinde poteſt dici ſcientia noſtra Theologia, non tertio modo accipiendo nomen ſcientiæ, ſed ſecundo.

Dices. Si mediū lumē, inter lumē glorię & lumen naturale ponatur, vt ex illo lumine veritas Theologica habeat euidētiā, vt ponit Hēr. Gand. verè Theologia noſtra erit ſcientia propriè dicta. Reſpondeo. Lumen iſtud medium irrationabiliter confingitur ab Henr. & ſubtiliſſimè à Doct. refutatur, in 3. diſt. 24. vtriuſque ſcripti.

QVÆSTIO VII.

Vtrum Theologia ſit ſcientia ſubalternans vel ſubalternata.

Ad iſtam Quæſtionem, Dico. Quòd hæc ſcientia nulli ſubalternatur, &c.

SVMMA TEXTVS.

Duas hic breuiter expedit Quæſtiones Doctor. In Prima parte, ad quæſtionem, an Theologia ſubalternetur Metaphyſicæ; reſpondet negatiuè: ibidemque docet Theologiam ſecundùm ſe non eſſe ſcientiam ſubalternantem: poſtmodum in eadem parte proponitur obiectio cum ſua reſolutione. In Secunda parte, alteri quæſtioni, an videlicet noſtra Theologia ſubalternetur Theologiæ Beatorum, ſatisfacit reſpōſione negatiua, quam probat quinque rationibus: ac ita tres ſunt Concluſiones iſtius Quæſtionis. Quamuis verò textus ſit clarus, ob difficultates tamen in hac materia emergentes, & ob inſtantias contra argumenta Doctoris quæ poſſent adduci, paulò fuſius eandem materiam pertractabimus, diſtinctis Dubitationibus, in quibus ſatisfiet literæ Doctoris.

Dubitatur Primò.

Vtrum Theologia ſubalternetur Metaphyſicæ.

Videtur quòd ſic. Primò. Illa ſcientia ſubalternatur alteri, cuius obiectum ſubalternatur obiecto illius; ſed obiectum Theologiæ, Deus, ſubalternatur obiecto Metaphyſicæ nempe Enti; ergo Theologia ſubalternatur Metaphyſicæ.

Secundò. Quando ex principijs alicuius ſcientiæ poteſt demonſtrari obiectum alterius ſcientiæ, illa ſcientia cuius ſubiectum poteſt demonſtrari, ſubalternatur illi per cuius principia probatur ipſius ſubiectum; ſed ex principijs Metaphyſicæ poteſt ſubiectum Theologiæ. poteſt demonſtrari; ergo, &c. Maior eſt euidens: quia iſta eſt conditio ſcientiæ ſubalternantis, vt poſſit ſubiecta ſcientiarum ſubalternatarum probare; ergo illa ſcientia cuius ſubiectum in altera ſcientia probatur, ſubalternatur illi ſcientiæ. Minor: quia ſubiectum Theologiæ eſt Deus: hoc autem per principia Metaphyſica tradita ab Ariſtot. 2. Metaph. poteſt ſic oſtendi. In cauſis eſſentialiter ordinatis non eſt proceſſus in infinitum; ergo eſt deueniendum ad aliquam primam; talis erit in cauſata, hoc autem eſt Deus; ergo Deus eſt. Et plures conſimiles rationes formari poſſunt, vt infra diſtinct. 2. quæſt. 2. formantur à Doct. Subt. & dictum eſt ſupra quæſt. 4. in reſponſione ad authoritatem deſumptam ex Auerr. contra Auic.

Subalternatio vel ex natura rei, vel quoad nos.

Pro reſolutione Dubitationis. Nota Primò. Subalternationem inter ſcientias poſſe eſſe vel ex natura talium ſcientiarum, vel quoad nos: cùm enim vnam ſcientiam contingat ſubijci alteri, vel ſecundùm naturam talis ſcientiæ, quia videlicet ſecundùm naturam ſuam dependet ab altera, vt Muſica dependet ab Arithmetica, Perſpectiua à Geometria; vel tantùm quoad modum noſtrum cognoſcendi &, quoad nos, ſicut cognitio obiecti Theologici, nempe Dei, quoad modum noſtrum intelligendi ſubijcitur cognitioni Phyſicæ, quia à poſteriori, per motum primi mobilis, inueſtigamus primum motorem; Metaphyſicæ etiam ſubijcitur, ſecundùm noſtram conſiderationem, vt bene probat ratio ſecunda in principio Dubitationis adducta. Nos igitur cum Doct. Subt. non inquirimus, an Theologia ſubijciatur Metaphyſicæ quoad nos: ſed an ex natura talium ſcientiarum, Theologia ſubalternetur Metaphyſicæ: hæc autem ſubiectio; ſeu ſubalternatio, ex natura ſcientiarum, prouenit ex ſubalternatione obiectum talium ſcientiarum, additis alijs conditionibus.

Subalternationis verè tres conditiones.

Nota Secundò ex Doct. hic, & in 3. diſtinct. 24. & 1. Metaph. quæſtion. 9. Ad ſcientiarum veram ſubalternationem iſta requiri. Primò: vt ſubiectum ſubalternatæ ſit ſub ſubiecto ſcientiæ ſubalternantis; non ſecundùm rationem eſſentialem minùs communis & magis communis, vt ſunt ſpecies ſub genere, ſed tantùm ſecundùm rationem accidentalem: & per conſequens obiectum ſubalternatæ erit minùs commune, obiectum autem ſcientiæ ſubalternantis erit magis commune. 1. Ex prima ſequitur ſecunda conditio: quòd ſubiectum ſubalternatæ variatum ſit ſecundùm rationem accidentalem, à ſubiecto ſcientiæ ſubalternantis (& loquor de accidente communi, non proprio) ſic Perſpectiua habet idem obiectum quod Geometria, nempe lineam, additur tamen lineæ, vt eſt obiectum Perſpectiuæ, ratio accidentalis, ſcilicet viſuale; linea enim viſualis eſt obiectum Perſpectiuæ. An autem iſta ratio accidentalis obiecto ſcientiæ ſubalternatæ ſuperaddita, ſit de ratione formali obiecti, vt obiectum eſt talis ſcientiæ, vel tantùm conditio ſine qua non, infra explicatur. 2.

Tertia

5 Tertia Conditio: ſcientia ſubalternata probat ſua principia per principia ſcientiæ ſubalternantis, vnde & dicitur, quòd ſcientia ſubalternans ſit ſcientia Propter quid, reſpectu principiorum ſcientiæ ſubalternatæ; & ſcientiæ ſubalternatæ ſunt ſcientiæ Quia: ob hoc etiam dicitur, ibi incipere ſcientiam ſubalternatam, vbi deſinit ſubalternans, ſubalternans enim deſinit in principijs, ſubalternata incipit à Concluſionibus, quæ probari poſſunt per principia ſcientiæ ſubalternantis. Vnde meritò hìc à Doct. noſtro non dicuntur iſtæ ſcientiæ eſſe de ijſdem veritatibus: cùm ſubalternans ſit de principijs, ſubalternata de Concluſionibus; ac proinde principia ſubalternatæ, non ſunt immediata & prima, quia apta ſunt probari per principia ſubalternantis. Prædictæ conditiones poſſunt deſumi ex 1. Poſt. Quæ vt clariùs intelligantur.

Subalternãs & ſubalternata nõ ſunt de ijſdé veritatibus.

Nota Tertiò. Vnam ſcientiam alteri ſubalternari, ſubalternatione vera, ex natura rei, poteſt contingere tripliciter; vel ratione finis, vel ratione principiorum, vel ratione obiecti. Finis verò duplex eſt, ſcientis & ſcientiæ. Ratione finis ſcientis, tunc accidit ſubalternatio ſcientiarum, quando ſcientia licèt ex natura ſua non referatur ad aliam, ſciens tamen refert illam ex ratione finis à ſe præfixi; ſic Philoſophus naturalis, conſtituens ſuam fælicitatem in cognitione ſpeculatiua ſubſtantiarum abſtractarum, referet alias ſcientias ad Metaphyſicam, quæ eſt nobiliſſima cognitio, & per quam naturalis fælicitas in altiſſima rerum abſtractarum cognitione poſita, attingitur. Ratione finis ſcientiæ, vna ſcientia ſubalternatur alteri, quando aliqua ſcientia ita eſt propter alteram, vt ſine illa ad quam ordinatur, eſſet ſuperuacanea; ſic ex 1. Ethic. frenefactoria ſubalternatur equeſtri, equeſtris militari; ſic etiam Logica eſt propter alias ſcientias, cùm illius ſit munus declarare modum ſciendi, quo in alijs ſcientijs acquirendis vti poſſimus. Hec poſterior ſubalternatio eſt vera ſubalternatio, ſi adſint ceteræ conditiones; prior non niſi impropriè. Ratione obiecti accidit ſubalternatio, quando obiectum vnius ſcientiæ continetur ſub obiecto alterius, vt ante dixi. Iſtud autem obiectum minùs commune, contentum ſub alio magis communi; vel eſt contractum per differentiam accidentalem, vt numerus per ſonorum contrahitur ad Muſicam; vel eſſentialem, vt animal per rationale. Prior obiecti contractio pertinet ad veram ſubalternationem, ſecunda non; cùm ad eandem ſcientiam pertineat conſiderare quidditatem animalis & hominis. Ratione item principiorum vna ſcientia alteri ſubalternatur dupliciter: Primò, quando principia vnius ſcientiæ non ſunt per ſe nota, ſed demonſtrantur à priori, in alia ſcientia ſuperiori; ſic multa principia Perſpectiuæ, demonſtrantur à priori in Geometria: Secundo, quando alicuius ſcientiæ principia nota, negata tamen ab aliquo, probantur per principia alterius ſcientiæ, non quidem demonſtratione oſtenſiua à priori, ſed vel ducente ad impoſſibile, vel per principia communiſſima; ſic Metaphyſica per principia ſua communia, poteſt probare aliarum ſcientiarum ſubiecta vel principia. Prior ſubalternatio ratione principiorum, eſt vera ſubalternatio, de qua quæſtio procedit, non ſecunda.

Subalternatio fit vel rõne finis, vel obiecti, vel principiorum.

Rõne finis.

Logica eſt propter alias ſciẽtias. Munus eius quod?

Subalternatio ratione obiecti.

Subalternatio ratione principiorum.

Ex prædictis manifeſtè ſequitur Concluſio negatiua, ſatisfaciens propoſitæ Dubitationi. Nam quamuis obiectum Theologiæ Deus, ſit minùs commune communitate prædicationis, quàm obiectum Metaphyſicæ, quod eſt Ens, hoc tamen non ſufficit ad veram ſubalternationem, cùm aliæ deſint conditiones. Deeſt autẽ primò illa, quia obiectum Theologiæ Deus, non addit aliquam rationem accidentalem ad obiectum Metaphyſicæ, vt eſt euidens. Deinde principia merè Theologica (vt quòd Deus ſit Trinus, quòd Pater generet Filium ſibi conſubſtantialem, & ſimilia) non poſſunt probari in Metaphyſica à priori; & ſi probantur demonſtratione Quia, illud eſt quoad nos, & per communia principia; vt ſunt pleræque rationes Doctoris noſtri, in hac materia diſtinct. 2. quæſt. 2. 3. 4. & diſtinct 5. & in multis alijs locis. Cùm igitur Theologia, neque ratione obiecti, neque ratione ſuorum principiorum, ſubalternetur Metaphyſicæ, verè non erit ſcientia ſubalternata reſpectu Metaphyſicæ; nec Metaphyſica, erit ſubalternans reſpectu illius.

Theologia non ſubalternatur Metaph.

Ex dictis patet reſponſio ad Argumenta, in principio Dubitationis propoſita. Primum enim non concludit, propterea quòd non omnis ſubiectio obiecti minùs communis ad magis commune, facit veram (de qua loquimur) ſubalternationem, ſed eiuſdem obiecti magis communis, contracti per differentiam accidentalem; quod non eſt in propoſito. Ad Secundum. Reſpondeo Primò. Illa eſt ſubalternatio impropria, quoad noſtrum modum intelligendi, vt patet ex Notab. 1. Reſpondeo 2. Non probatur per principia Metaphyſica à priori, ſubiectum Theologiæ, ſed tantùm per principia communia; hoc autem non ſufficit; vt dictum eſt Notab. 3.

Ad argumẽta.

Reſolutio iſtius Dubitationis, eſt explicatio primæ Cõcluſionis, in textu poſitæ.

Sed occurrit hìc vna non contemnenda difficultas. Dictum eſt, & communiter dicitur ab omnibus Philoſophis, quòd ſcientia ſubalternata habet obiectum ſubalternantis contractum per differentiam accidentalem, vt Perſpectiua lineam viſualem; hoc autem obiectum eſt Ens per accidens; ergo de Ente per accidens erit ſcientia, contra famoſam Ariſt. propoſitionem, tum 1. Poſter. tum 6. & 8. Metaph. Et contra rationem. Primò. Quia vnitas ſcientiæ deſumitur ab vnitate obiecti, ſed ſcientia ſubalternata, vt Perſpectiua, eſt vna; ergo habet vnum obiectum; ſed Ens per accidens non eſt vnum; ergo, &c. Secundò. Paſſio aliqua demonſtrabilis de ſubiecto, habet immediatam cauſam ſuæ inhærentiæ, definitionem ſubiecti; ſed Ens per accidens definiri non poteſt, cùm ſint ibi diuerſa genera, & diuerſæ differentiæ; ergo neque paſſio de ipſo eſt demonſtrabilis; ergo neque ſcientia poſſibilis; cùm ſcientia ſit notitia proprietatis de ſubiecto per rationem ſubiecti.

Difficultas notabilis.

In oppoſitũ videtur authoritas Doct. Sub. ſup. q. 4. Con. 3. ratione 2. in illis verbis, *nulla ſcientia prima eſt de Ente per accidens, quia talis præſupponit de vtraque parte; & ideo ſi ſcientia ſubalternata ſit de aliquo vno per accidens, præſupponit duas tractantes partes illius totius ſeparatim*, Vbi apertè concedere videtur, quòd ſcientia ſubalternata ſit de Ente per accidẽs. Idem vult 1. Met. q. 9. cùm docet, obiectum ſubalternatæ debere habere differentiam accidentalem, ſuperadditam obiecto ſubalternantis; ergo tale obiectum erit compoſitum per accidens.

Difficultati huic dupliciter poteſt reſponderi. Primò. Negando quòd differentia illa accidentalis, ſit ratio formalis obiecti, à ſcientia ſubalternata conſiderati: atque ita differentia illa accidentalis, cùm non ingrediatur rationem obiecti per ſe conſiderati, non erit ſcientia ſubalternata de Ente per accidens: ſed habebit ſe ad obiectum vt conditio ſine qua non. Et hoc eſt quod dicunt aliqui: ſciẽtia ſubalternata eſt de Ente per accidens; nõ quatenus eſt Ens per accidẽs, ſed quatenus eſt Ens per ſe: eſt enim de tali obiecto, quod obijcitur vt Ens per accidens, non tamen conſideratur vt Ens per accidens, ſcilicet vtrumque ſimul, tam obiectum quàm differentia accidentalis; ſed vt per ſe, quia ſolum obiectum per ſe conſideratur, differentia verò vt conditio obiecti, non niſi per accidens conſideratur.

Subalternatæ ſcientiæ obiectũ materiale eſt ens per accidens: ſed formale vnum per ſe.

Et ita ad authoritatem Doct. dicendum eſſet. Bene ab ipſo dici, obiectum ſubalternatæ eſſe Ens per accidens, non tamen conſiderari vt Ens per accidens.

Dices. Obiectum ſcientiæ debet conſiderari in ratione obiecti; ſed obiectum ſubalternatæ in ratione obiecti eſt Ens per accidens; ergo conſideratur vt Ens per accidens. Reſpondeo. Obiectum debet conſiderari à ſcientia, in ratione obiecti formalis illius, quæ vocatur ratio formalis Quæ, non autem ratio formalis Sub qua, vt dictum eſt quæſt. 3. dubit. 3. Ratio igitur formalis Quæ in obiecto ſcientiæ ſubalternatæ, eſt

Obiectum ſciẽtiæ ſub qua ratione debet conſiderari à ſciẽtia.

eadem quæ in obiecto subalternantis, sed ratio Subqua, quæ est conditio quædam hìc superaddita, est alia.

Quòd autem differentia ista accidentalis, non habeat rationem obiecti formalis Quæ, sed Sub qua, & conditionis sine qua non: vt illud dictum Philosophorum dat euidentiam, Subalternata considerat obiectum per accidens, non vt per accidens; ita hoc certum est indicium, ꝙ cùm pluribus subordinetur scientijs, denominatur tamen subalternata ab vna. Cùm enim scientia subalternata habeat rationem obiecti communem subalternanti, & differentiam accidentalem, quæ consideratur in alia Scientia; subalternabitur & huic, & illi: tamen communiter & principaliter ab vna denominatur subalternata. Exemplum. Musica habet pro obiecto numerum sonorum, qui numerus vt numerus consideratur ab Arithmetica; ratione igitur numeri Musica subalternabitur Arithmeticæ: præterea sonus consideratur à Physico, vbi agitur de potentijs animę, earumque obiectis: & sic Musica ratione istius differentiæ accidentalis in obiecto, subalternabitur Physicæ. Inde colligitur quomodo verificatur dictum Philosophorum, ꝙ scientia subalternata, non vni sed necessariò subalternatur pluribus scientijs. Ista nihilominus scientia subalternata, principaliter denominatur talis, ab vna scientia subalternante; sic Musica dicitur communiter subalternari Arithmeticæ, non Physicæ: illi enim scientiæ principaliter subijcitur, & subalternatur alia scientia, cuius rationem principalem communem continet in suo obiecto; cùm ergo in obiecto Musicæ principale significatum sit numerus (qui secundùm se pertinet ad Arithmeticam) ratione numeri principaliter Musica subalternari dicetur, & principaliter denominabitur subalternata; ratione autem accidentis, subalternabitur Physicæ, quasi accidentaliter & impropriè, nec communiter denominatur ab illa subalternata. Quod si ratio illa sonori in obiecto Musicæ, esset ratio formalis obiecti, cùm scientia denominatur principaliter talis vel talis, à ratione obiecti formalis; Musica principaliter diceretur subalternata Physicæ, nō Arithmeticæ; cùm ergo nunc accidentaliter tantùm Physicæ subordinetur, signum est; ꝙ ratio sonori in obiecto Musicæ, sit ratio non formalis, sed accidentalis, & tantùm conditio sine qua non consideratur obiectum illud Arithmeticæ à Musica.

Subalternatio dicitur ab vna rōne cōi subalternanti.

Sciētia subalternatæ subalternatur non vni sed plurib. scientijs.

Rō accidētalis in subordinata nō facit subordinationem.

Secunda Responsio ad eandem difficultatem, haberi potest ex Doct. Subt. 6. Met. quæst. 2. Concedendo, quòd in obiecto scientiæ subalternante differentia illa accidentalis, sit quidem accidentalis obiecto scientiæ subalternantis, non tamen est accidentalis obiecto scientiæ subalternatæ, vt obiectum est: sicut in simili, coloratum vt coloratum est, quoad entitatem est Ens per accidens, includens subiectum & formam accidentalem, non tamen in ratione obiecti, vt coloratum est obiectum potentiæ visiuæ est Ens per accidens, sed per se; ita, esto quòd sonorum accidat numero, vt tamen obiectum Musicæ est numerus sonorus, tali obiecto ratio sonori non est accidentalis, sed essentialis & formalis.

Secunda responsio ad difficultatē. Rō accidentalis in obiecto subalternatæ est accidētalis subalternanti, non subalternatæ.

Ad authoritatem verò Philosophi: quòd de Ente per accidens non sit scientia, antequam respondeatur. Supponendum est illud quod supra agendo de vnitate Theologiæ dixi, quæstion. 3. quòd vnitas scientiæ, vel distinctio scientiæ, dici possit tripliciter. Primo secundum Conclusiones scitas; & vocatur vnitas vel distinctio talis, secundùm species specialissimas: Secundo secundùm continentiam virtualem, prout notitia obiecti continet virtualiter notitiam omnium veritatum in illo obiecto contentarum, iuxta dicta quæstion. 3. art. 1. talis vnitas scientiæ vocatur secundùm genus proximum. Tertio secundū potentialem inclinationem vnius ad aliud, remotam tamen, quando nimirum habitus obiecti scientifici veritates inferiorum non continet virtualiter, inclinat tamen intellectum in potentia remota, & in vniuersali, ad scienda inferiora, per rationes proprias eorum, non per naturam communis; & ista vnitas vel distinctio vocatur secundùm genus remotum.

Vnitas sciētiæ vel distinctio tripliciter.

Hoc supposito. Respondet Subt. Doct. ad difficultatē: ꝙ illa propositio, De Ente per accidens non est scientia, intelligi debet, quòd non possit esse vna scientia, vnitate speciei specialissimæ de Ente per accidens: potest tamen esse vna scientia, vnitate generis proximi, vel remoti, de Ente per accidens. Prior pars dicti probatur. Quia vnius per se scibilis est vna per se causa formalis & specifica; si igitur scibile non sit per se vnum, nec causa formalis specifica erit per se vna, atque ita non poterit sciri per causam; & hoc probant rationes superiùs adductæ, quòd de Ente per accidens non possit esse scientia. Secunda pars istius Conclusionis sic ostenditur. Vnum intelligibile potest plures continere passiones; de illo igitur potest esse sciētia vna, vnitate generis remoti, & proximi, secundùm diuersas proprietates; sed proprietates illæ sumptæ cum suo subiecto, faciunt Ens per accidens (voco autem Ens per accidens, vt ly per accidens priuat perseitatem passionis cum subiecto, vel vnius passionis cum alijs, non verò accipiendo accidentalitatem pro contingentia ad causam) igitur de tali Ente per accidens, potest esse scientia vna, vnitate generis proximi, remoti. De Ente igitur per accidens non potest esse scientia specifica, seu secundùm speciem, sed bene potest esse scientia secundùm genus: nā sic omnis scientia totalis est aliquomodo vna, maiori vnitate quàm sit vnitas aggregationis, & minori quàm sit vnitas perseitatis: talem vnitatem & scientia subalternata habebit. Et quemadmodum non repugnat alicui scientiæ totali respondere scibilia diuersa, vt ordinantur ad vnum scibile: ita non repugnabit quòd scientia subalternata immediatè versetur circa diuersa scibilia, non vt diuersa sunt, sed vt habent aliquam vnitatem & ordinem.

De Ente per accidēs, nō pōt esse sciētia, quis sensus?

Dubitatur Secundò.

Vtrum Theologia subalternet sibi alias scientias.

Videtur quòd sic. Quia omnes veritates omnium scientiarum, possunt resolui ad claram visionem ipsarum in Verbo, vbi certiùs & perfectiùs cognoscuntur, quàm immediatè in seipsis, seu in genere proprio; sed talis visio in Verbo, est Theologia Diuina, & Beatorum; ergo Theologia Dei, & Beatorum, subalternat sibi omnes alias scientias.

Conclusio Doct. in pręsenti est negatiua. Rō est. Prima. Scientia aliqua non est subalternans respectu aliarum, quando tales scientiæ non accipiunt sua principia ab illa; sed à Theologia non recipiunt principia aliæ scientiæ; ergo Theologia non est subalternans respectu earum. Maior est euidens, ex conditione scientiæ subalternantis ad subalternatam. Minor etiam est clara: quia omnis cognitio naturalis habet resolutionem suam vltimò ad aliqua principia immediata naturaliter nota; ergo non requirūt quòd probentur à priori in alia sciētia superiori, cùm propositio per se nota immediata non sit demonstrabilis à priori.

Theologia non subalternat sibi alias scientias.

Secunda. Obiectum scientiæ subalternantis debet esse communius, communitate prædicationis, obiecto scientiæ subalternatæ, vt dictum est præcedenti Dubit. & communiter conceditur; sed obiectum Theologiæ Deus, non est communius obiectis aliarum scientiarum, cùm hoc obiectum sit singularissimum; in cæteris scientijs communiter statuuntur pro obiectis vniuersalia, vt patet in Metaph. Mathem. & Physica; ergo, &c.

Ad motiuum in principio Dubitationis propositum. Respondet Doctor in textu: quòd ex hoc præcisè, quia in vna scientia aliquod obiectum perfectiùs & distinctiùs cognoscitur, in altera autem idem cognoscitur & à priori, confusiùs tamen aliquantò & imperfectiùs, non sequitur vlla subalternatio, si desint conditiones aliæ veræ subalternationis Dubit. præced. expressæ. Clarum hoc est in obiecto Geometriæ, quod est linea, cuius immediata principia accipiuntur à Geometra independenter ab alia scientia, quia per nullius scientiæ principia probat sua à priori, cùm sint immediata; quidditas tamen lineæ distinctiùs

ctiùs & perfectiùs cognoſcitur à Metaphyſico, quam à Geometra, quia Metaphyſicus conſiderat diſtinctè rationem Entis, accidentis, quantitatis, aliorumq; intrinſecorũ lineæ prædicatorum, non ſic Geometra, qui naturam lineæ accipit in confuſo, & principia illius conſiderat, ac per illa probat proprietates lineæ de adem; & tamen ſecundùm omnem ſententiam, & rei veritatem, non eſt ſubalternatio Geometriæ ad Metaphyſicam. Ita licèt perfectiori modo cognoſcantur principia aliarũ ſcientiarum in Verbo, quã in aliqua ſcientia naturaliter adinuenta; nõ tamen inde ſequitur ſubalternatio, cùm vtrobiq; ſit conſideratio à priori, longè tamen perfectiori modo cognoſcuutur in Verbo, quàm in obiecto proprio: nec tamẽ cognitio talium principiorum in Verbo, eſt cauſa à priori oſtenſiua talium veritatum immediatarum, in proprio genere cognitarum.

Principia ſcientiarum longè perfectiori mõ cognoſcũtur in Verbo, q̃ in ſcientia naturali, nõ tamẽ eſt ſubalternatio.

Dubitatur Tertiò.

Vtrum Thologia noſtra ſubalternetur Theologiæ Dei, & Beatorum.

Videtur quòd ſic. Quia ad ſubalternationem veram requiritur iſta conditio, quòd principia ſcientiæ ſubalternatæ ſint euidentia in ſubalternante; ſed principia noſtræ Theologię ſunt euidentia in Theologia Dei, & Beatorum; ergo, &c.

Theologiã noſtram docent Thomiſtę ſubalternari Theologiæ Dei. Sed variè hoc explicant.

Aduerte. Quòd communiter Thomiſtę, in propoſita Dubitatione, tenent ſententiam affirmatiuam: noſtram ſcilicet Theologiam ſubalternari Dei ſcientiæ, & Beatorũ. Idem vult B. Th. 1. part. q. 1. art. 2. ſed in illa explicanda eſt varietas maxima. Nam Caiet. putat verè & propriè ſubalternari præcisè ex hoc, quia principia noſtræ Theologiæ, habent euidentiam in Theologia Dei, & Beatorum; vt ratio in principio poſita docet. Idem vult Capreol. q. 1. Prol. Concl. 2. Prierius ibidem. Tho. Angl. q. 7. Dominicus autẽ Bãn. 1. part. q. 1. art. 2. dubit. 2. putat ſententiam Caiet. eſſe falſam. Quia ſi ſatis eſt, vt ſciẽtia ſit ſubalternata, quòd eius principia ſint euidentia in alia ſcientia, nec ſit neceſſaria diuerſa ratio obiecti; ſequitur quòd ſi quis credat aliquas propoſitiones Geometriæ, propter authoritatem Magiſtri aſſerentis, & poſtea ex tali ſuppoſitione deducat plures Concluſiones per euidentes conſequentias, talis diſcipulus acquireret habitum ſubalternatum ſcientiæ ſui Magiſtri, Conſequens eſt inconueniens; ergo & Antec. Caietani. Dicit igitur ipſe Bãn. duo. Primò: quod cognitio beatifica eminẽter eſt ſcientia ſubalternãs, non ſolũ reſpectu noſtræ Theologiæ, ſed etiam reſpectu omnis ſcientiæ naturalis. Ratio eſt. Quia omnia principia, quantumlibet nota lumine naturali, illic habent rationem ſuperiorem & manifeſteriorẽ ſcientiæ veritatis; ergo reſpectu illius cognitionis, omnis alia ſcientia eſt aliquomodo ſubalternata, multò autem magis noſtra Theologia, cuius principia nobis pro nunc obſcura, illic clarè videntur. Dicit Secundò. Si noſtra Theologia comparetur ad Theologiam quæ eſt in Beatis, per quã ex principijs cognitis in Verbo, deducunt Concluſiones, & per proprias ſpecies illas conſiderant, ſic noſtra Theologia non eſt propriè ſubalternata, ſed ſolùm ſe habet vt imperfectum ad perfectum, intra eandem ſpeciem. Franc. Zumel ibidem, docent Theologiam noſtram non ſubalternari ſcientiæ Dei, & Beatorum, vera (ſecundùm omnes cõditiones accepta) ſubalternatione; eſſe tamen quodammodo ſubalternatã, quatenus illa quæ hìc à nobis ineuidenter cognoſcuntur, in illa ſcientia clarè videntur. Valentia dicit, Theologiam noſtram vt non eſſe verè ſcientiam, ita non eſſe verè ſubalternam.

Bãnes inſurgit contra Caiet.

In oppoſitum eſt Subt. Doct. & eius Expoſitores, vt Lychetus, Bargius, Tartaretus, Paul. Scriptor, Ant. Andr. Aquilan. & alij diſcipuli hìc. Conſentit Durand. q. 7. Heru. quodl. II. q. 18. in reſpon. ad 2. & Argent. d. 1. q. 1. art. 3. Vaſquez d. 6. c. 2. Pro reſponſione ſit.

Theologia noſtra non ſubalternatur Theologiæ Dei, & Beatorum. Probatur 1.

Concluſio Prima. Theologia noſtra non ſubalternatur, vera ſubalternatione, Theologiæ Dei, & Beatorum. Iſta Concluſio eſt Doct. Subt. hìc, & de ea procedit cõcluſio 3. in textu. Eſt contra Capreol. Caiet. & directè videtur contra D. Tho. q. 1. art. 2. primæ partis. Probatur à Doct. Primò argumento ad hominem. Quia à S. Tho. & Caiet. 2. 2. q. 1. art. 5. ſtatuitur, quòd cum fide non poſſit ſtare ſcientia; ſed hìc dicitur, nempe 1. part. q. 1. art. 2. quòd Theologia ſit ſcientia, & habeatur ab habente fidem; ergo ab iſtis dicitur, quòd ſcientia ſimul cum fide poſſit eſſe, & nõ poſſit eſſe; ergo dicunt contradictoria. Iſtud argumentum primo intuitu videtur non probare propoſitam Concluſionẽ, de non ſubalternatione noſtræ Theologiæ, ad Diuinam; ſed oſtendere quòd ſcientia cum fide eſſe poſſit; prout eodem argumẽto vtitur Doct. in 3. d. 24. ac proinde iſtud argumentum in textu poſitum, non videtur eſſe ad propoſitum. Verùm diligentiùs rem conſideranti patebit, hoc argumentũ optimè Thomiſticam improbare ſñiam. Nam cũ in homine viatore ſit fides, de illis veritatibus ſupernaturalibus, de quibus eſt Theologia Dei, & Beatorum, & fides de aliquo obiecto, & ſcientia de eodem, ſimul ſtare nõ poſſint in eodem, ſecundùm Thomiſtas; ſequitur quòd in nobis, ſtante fide, non poſſit eſſe ſcientia de illis veritatibus, de quibus eſt Theologia Diuina, quodſi ſcientia non poteſt eſſe, neq; ſubalternata erit, cùm ſubalternata ſcientia ſit ſcientia; quodſi poteſt eſſe; ergo ſibi contradicunt, cùm in alio loco doceant oppoſitum.

Scientia nõ poteſt ſtare cum fide.

Reſpondet Caiet. loco cit. Quòd cum fide poteſt ſtare ſcientia, ſed non de eodem obiecto: fides enim eſt de articulis, ſcientia de Concluſionibus.

Reſpondet Caiet.

Contra. Illæ veritates Concluſionum Theologicarum, deductæ ex articulis fidei, vel ſunt naturales, vel ſupernaturales. Non primum: quia ſicut ex vna præmiſſa contingenti & altera neceſſaria, concluſio ſequitur contingens, ita ex vna reuelata, & altera naturali, oritur Concluſio reuelata, & à fortiori ex duabus reuelatis: Si ſecundum; ergo ſunt obiecta fidei, cùm non ſoli articuli in Symbolo expreſſi, ſint obiectum fidei, ſed etiam veritates in illis implicitè contentæ, vt dicitur à Doct. in 3. diſt. 25. & tales ſunt Concluſiones; ergo de ijſdem Concluſionibus poteſt eſſe
fides & ſcientia. Deinde. Licèt ſcientia, vt diſtinguitur ab 2.
habitu intellectus, ſit habitus Concluſionum, & habitus intellectus ſit habitus principiorum; tamen ſcientia, vt ſumitur pro tota notitia demonſtratiua, includit in ſe principia demonſtrationis; principia verò demonſtrationis reuelatæ ſunt per ſe obiectum fidei; ergo ſcientia conſiderabit obiectum fidei. Tertiò. Obiectum noſtræ Theologiæ eſt
Deus, iuxta dicta ſuperiùs, & concedit Caiet. ſed ſcientia 3.
conſiderat principia, & proprietates ſui obiecti, ex 1. Poſt. ergo noſtra Theologia conſiderat principia, & proprietates de Deo; ergo non ſolas concluſiones, cùm principium non ſit Concluſio.

Impugnatur 1.

Probatur Secundò Concluſio. Theologia de Deo, ſub ratione Deitatis, non poteſt eſſe niſi vna; igitur nulla eſt ſubalternata. Antec. probatur Primò. Scientia eſt vna, ab vnitate rationis formalis quæ eſt in obiecto, vt patuit ſupra; ſed in præſenti obiecto, ratio formalis obiecti, quæ eſt ratio quidditatiua Deitatis, eſt vnica. Conſequentia eſt clara; quia ſubalternans ſcientia & ſubalternata, ſunt duæ ſcientiæ; ſi ergo nulla eſt ſubalternans, nulla ſubalternata, etſi eſt vna ſcientia, non eſt ſubalternans nec ſubalternata; ergo vnicus eſt habitus de illo obiecto. Dices. Ergo Theologia Dei, & noſtra, eſt vnus habitus. Reſpondeo. Vel loqueris de vnitate obiecti; & ſic conceditur, quia idem eſt obiectum Theologiæ Diuinæ & noſtræ, & ſecundùm eandem rationem formalẽ, puta Deitatem; vel quòd ſit vnus vnitate ſubiecti; & ſic nego: & propter hanc diſtinctionẽ ſubiecti, imperfectè & ineuidenter à nobis concipitur illud obiectum, à Deo autem perfectiſſimè & euidentiſſimè: verùm hæc euidentia vel ineuidentia de eodem obiecto, non prouenit ab obiecto, vt obiectum eſt ſcientiæ; & per conſequens ſi ſcientia diſtinguatur ſecundùm euidentiam vel ineuidentiam, non diſtinguitur ex ratione formali obiecti, quæ eſt in obiecto, ſed diſtinguitur ex ſubiecto, ſiue ex intellectu, quorum alteri obiectum euidenter manifeſtatur, alteri obſcurè & ineuidenter. Vnde malè Caiet. ponit diſtinctionem noſtræ Theologię à Diuina: quòd noſtra ſit ineuidens, illa euidẽs, noſtra reuelata, illa clara; iſtæ enim conditiones non conueniũt ſcientiæ ex obiecto, ſed ex parte ſcientis: ſimiliter Bãn. non ſatisfacit, docens noſtram Theologiam procedere ex principijs, quæ habentur ex lumine reuelato, beatificam verò ex lumine gloriæ; iſtæ enim con-

Concluſio ſecũdò probatur.

Obiectio. Reſponſio. Theologiæ habitus q̃uo eſt vnus.

Euidentia & ineuidẽtia ex quo cõuenit ſciẽtiæ.

Caiet. malè diſtinguit Theol. noſtrã à Diuina, nec Bãn. ſatisfacit.

conditiones quæ se tenent ex parte intellectus tendentis in obiectum, sub eadem ratione formali obiecti, puta Deitatis, non distinguunt habitus obiectiuè, & ratione obiecti, sed tantùm ratione subiecti; qua distinctione non distinguuntur formaliter habitus, quia pari modo sequeretur, quòd pro diuersitate ingeniorum, esset diuersitas formalis scientiæ alicuius vnius, puta Physicæ, vt est in intellectu Angeli & hominis, quod est inconueniens: vt supra quæst. 4. ostensum est.

Tertiò. Tertiò. Vt Quarta Conclusio probetur. Supponendum est. Quòd scientia subalternata à subalternãte dependeat: tum quia subordinatur illi in ratione obiecti; tũ quia probat suas veritates per principia illius, & cõsequenter in notificatione suorum principiorum, scientia subalternata dependet à subalternante, vt à causa. Quo supposito, arguit Doctor. Scientia subalternans debet esse causa scientiæ subalternatæ; sed Theologia Beatorum, quam habent de Deo Trino & vno euidenter viso ex euidentia terminorũ, non est essentialiter causa nostræ Theologiæ; ergo Theologia Beatorum non est subalternans respectu nostræ. Maior patet ex Suppositione, & ex dictis supra Dubit. 1. hic. Minor probatur. Scientia non dependet essentialiter nisi ex potentia, & obiecto, in se vel in sua specie, & addatur lumen, si placet; sed scientia illa Beati, nec est obiectum potentię meæ, sic quòd cognita notitia eius intuitiua, cognoscam Deum Trinum & vnum; nec est potentia animę meę, nec species, nec lumen, nec aliquid mei, qđ possit esse causa meæ scientiæ, in genere causæ efficientis; ergo scientia nostra non dependet à scientia Beatorum.

Quartò. Quartò. Scientia subalternans & subalternata non sunt de ijsdem præcisè veritatibus; sed Theologia nostra potest esse de ijsdem veritatibus, de quibus est Dei, & Beatorum; ergo Theologia nostra non subalternatur Theologię Dei, & Beatorum. Maior ex Dubit. 1. constat, vbi dictum est, quòd scientia subalternans sit scientia Propter quid, subalternata vero Quia, & vbi prior desinit, ibi ista incipit. Minor clara est: quia ista veritas, Deus est Trinus, Pater generat, Spiritus Sanctus spiratur à Patre & Filio, imò omnes veritates reuelatæ, quæ à nobis cognoscuntur ineuidēter, à Beatis euidenter, à Deo autem euidentissimè.

Responsio Bañes. Respondet ad hoc argumentum Bãn. Quòd hoc argumentum solùm probet ipsius secundam Conclusionem, supra à nobis relatam.

Sed qua ratione secundam probat, eadem ratione primam improbat. Patet. Quia nostra Theologia, & Dei, est de ijsdem veritatibus, esto, quòd non eodem modo; sed scientia verè subalternata, non est de ijsdem veritatibus, de quibus subalternans, vt concedis; ergo nostra Theologia non est subalternata respectu Theologiæ Dei.

Quintò. Quintò. Habens scientiam subalternatam, potest habere scientiam subalternantem, & habens subalternantem potest habere subalternatam; sed viator non potest habere Theologiam Beatorum intuitiuam, nec comprehensor viatoris ineuidentem; ergo istæ scientiæ non habent subalternationem. Minor est euidens. Quia Beatus, si haberet nostram Theologiam, non videret clarè Deum, & ita non esset Beatus; viator etiam, de potentia Dei ordinaria, non potest habere notitiam intuitiuam Dei, cùm talis cõpetat comprehensoribus. Maior probatur. Tum quia cognoscens principia, potest deducere conclusiones ex eis, noscens item Conclusionem potest inuestigare principia illius; sed scientia subalternans ad subalternatam, habet se vt notitia principiorum ad notitiam Conclusionum, vt sæpiùs dictum est; ergo, &c. Tum quia principia scientię subalternantis, sunt communiora & vniuersaliora simpliciter; sed in intelligibilibus illa quæ sunt priora simpliciter, sunt priora nobis; scientia autem Theologica est scientia de intelligibilibus, non sensibilibus; ergo principia subalternantis sunt priora, vt secundùm se, ita & nobis; & consequenter à nobis cognosci sunt apta, imò prius, quàm minùs cõmunes, vel ex eis deductæ veritates. Additur notanter: q; in intelligibilibus, illa quæ sunt communiora & priora, secundùm se, sunt etiam priora nobis; quia in sensibilibus non sunt eadem priora simpliciter, & priora nobis; sensibilia enim quantò minùs communia, & posteriùs sunt, tantò magis nota sunt.

Intelligibilia quantò sunt cõiora & priora, tãto notio-

Sextò. Sextò. Theologia subalternata, ad subalternantis obiectum addit differentiam accidentalem, & sub illa considerat obiectum subalternantis, vt patet ex superioribus; sed nostræ Theologiæ obiectum non est contractum per aliquam differentiam accidentalem; vt ostesum est q. 4. ergo, &c.

ra: secus [...] similia.

Ex dictis constat, quod iudicium ferendum sit secundũ Scoticam doctrinam, de Opinionibus aliorum authorum in principio Dubit. adductis. Nam inprimis dictum primum Bãn. quòd aliæ scientiæ, in ratione finis, subordinentur ad scientiam beatificam, verum quidem est, prout alibi Subt. Doct. docet, finem scientiarum naturalium esse Metaphysicam, secundùm Philosophum; quia in cõsideratione Metaph. substantiarum abstractarum consistit felicitas naturalis, ad quam vt ad summum bonum naturale (secundùm Opinionem Arist.) naturaliter attingibile, aliæ scientiæ naturaliter adinuentæ ordinantur; sed in hoc præcisè non consistit vera & propria subalternatio, sicut nec aliæ scientiæ subalternantur Metaphysicæ.

Finem scientiarum naturalium esse Metaphysicam.

Dictũ Bãn. non satisfacit difficultati.

Nec valet instantia quæ possit adferri: quòd veritates in nostra Theologia cognitę, habent perfectissimam euidentiam omnes in Theologia illa Dei, non sic de veritatibus aliarum scientiarum, & Theologia. Quia pari ratione, secundùm proportionem, perfectiùs quidditatiuè ratio lineæ cognoscitur in Metaph. quàm in Geometria, vt dictũ est Dubit. 2. & tamen inde non sequitur vlla vera subalternatio: Dixi, vera & propria; quia impropria & secundũ quid, potest concedi: sed communiter in præsenti versatur quæstio de vera subalternatione: & ita sentit cum Scotistis Zumel 1. par. q. 7. art. 2.

Dictum Valentiæ non impedit veram subalternationẽ. Nam quærimus de nostra Theologia, vtrum illa eo modo quo est scientia, supra quæst. 6. explicata, sit subalternata, secundùm veram rationem subalternationis, Theologiæ Dei, & Beatorum; non autem quærimus, vtrum Theologia nostra, secundùm veram & propriam rationem scientiæ, subalternetur: sicut etiam quærimus in sequenti, an sit scientia practica an speculatiua, non secundùm rationem strictam scientiæ, sed secundùm veram rationem practici vel speculatiui.

Nec Valentiæ dictum est ad propositum.

QVÆSTIO VIII.

Vtrum ex ordine ad praxim vt ad finem dicatur per se scientia practica?

Arguitur quòd sic 3. de anim. dicit Philosophus, &c.

SVMMA QVÆSTIONIS.

Ad istas quæstiones soluendas, accipio vnum generale, quod ab omnibus conceditur: quòd habitus practicus aliquomodo extenditur ad praxim. In speciali igitur Primò videndum est, quid sit praxis, ad quam dicitur cognitio practica extendi. Secundò, qualiter cognitio practica extendatur ad ipsam praxim. Tertiò, à quo cognitio habet talem extensionem. Vltimò resoluetur quæstio.

ARTICVLVS PRIMVS.

Quid sit praxis ad quam cognitio practica dicitur extendi.

Dico igitur primò: quòd praxis ad quam cognitio practica extenditur, &c.

COMMENTARIVM.

IN isto Articulo, Primò videndum de illo communi supposito, an sit verum: Deinde explicanda est definitio praxis.

Istud Suppositum Doct. Quòd habitus practicus aliquomodo extendatur ad praxim: est suppositum commune illius temporis Theologorum, ac Philosopho-

Practica notitia aliquo extenditur ad praxim

rum,

rum, vt fuit Gandau. quodlib. 1. q. 8. Godfred. quodl. 10. q. 11. Herue. q. 4. prol. Mayr. in 1. d. 48. Alb. Magn. in Prol. ſent. art. 4. Et quamuis expreſſis verbis eadem propoſitio in Ariſt. non inueniatur, deduci tamen facilè poteſt ex ſuis principijs. Inprimis cùm in Prol. Metaph. docet Philoſophus, *ſcientiam Theoricam*, ſeu ſpeculatiuā, *eſſe ſuiipſius gratia, practicam autem gratia alterius*; idem apertiùs docet 2. Metaph. tex. 3. dum ait. *Speculatiuæ finis veritas, practicæ autem opus; etenim ſi quomodo ſe habent conſiderant non cauſam per ſe, ſed ad aliquid, & eo in tempore practicè ſpeculantur:* manifeſtè deducitur, quòd cùm practica notitia ſit alterius gratia: bene dicitur extendi ad aliud, ſcilicet ad opus, cuius operis eſt directiua. Deinde 3. de anima tex. 49. *Intellectus autem qui propter aliquid ratiocinatur, & qui practicus eſt, differt à ſpeculatiuo fine:* Et paucis interiectis addit, *Intellectus operatiuus* (ſeu practicus) *& eſt cogitans in re, differt à ſpeculatiuo in perfectione; omne enim deſiderium eſt deſiderium ad aliquid: deſiderium enim non eſt principium intellectus ſpeculatiui, ſed ille alius eſt principium intellectus, &c.* In iſto textu clarè habetur, quòd practicus intellectus ſit ad aliquid aliud à ſe, alio modo quàm ſpeculatiuus; ille autē eſt ad aliud vt ad obiectum; ergo practicus eſt alio modo ad aliquid aliud: vnde malè à Bacconitano quæſt. 4. Prol. dicitur, quòd intellectus vel habitus, ſi dicitur extenſiuè practicus, dicetur extendi ab illa extenſione qua tendit in obiectum; pari enim ratione diceretur intellectus ſpeculatiuus extenſione ſpeculatiuus, quia ſcilicet tendit in obiectū ſpeculabile: alia ergo intellectui practico vel habitui, eſt aſſignanda ratio extenſionis. Et ne daretur libera errandi facultas, explicat ſeipſum Ariſt. ad quid debeat extēdi practica notitia, dum docet, quòd extendatur ad opus. Et quia hoc varium eſt (eſt enim opus intellectus, volūtatis, imaginatiuæ, aliarumq; potentiarum,) determinat Ariſt. quod intelligat opus, ad quod ſe debeat practicus habitus extendere, dum docet, quòd ſe extendat ad opus, circa obiectū deſiderabile & appetibile; hoc autem ſecundùm ipſum ibidem infra tex. 51. eſt bonum: aut verum, aut apparens. Vnde elicitur quòd ad ſolam illam operationem notitia practica extenditur, quę verſatur circa bonum verum, aut apparens, vt eſt appetibile & deſiderabile, qualis eſt operatio formaliter & primariò ipſius voluntatis, vt bene infra dicitur à Doct. in definitione praxis. Ex his conſtat, illam impugnationem Baccon. loco cit. quòd iſta propoſitio, Practicus habitus extenſione ſit practicus, non ſit in Ariſt. ac proinde malè vſurpetur à noſtro Doctore, nullius valoris eſſe. Nam inprimis ab authoritate negatiua nihil valet argumentum. Deinde, clarum eſt, quòd poſſit deduci Ariſtot. Præterea, non dicit Doctor in textu, *accipio vnum generale quod conceditur ab Ariſt.*; ſed dicit, *accipio vnum generale, quod ab omnibus conceditur*, puta ab omnibus illius temporis Theologis ac Philoſophis.

[margin: ...ctica no ... ad qd ...cenditur.]

Quantùm ad Secundum. Prima Conditio eſt. Quòd praxis ſit actus alicuius alterius potentiæ, quàm intellectus. Ratio Doctoris eſt. Quia intellectus ſicut & habitus dicitur practicus extenſione, quia ſcilicet ſe extendit ad aliud; hoc autem (vt dixi ſupra ex Ariſt.) eſt opus; ergo debet eſſe aliud opus ab opere intellectus. Confirmatur ex Aethimologia vocis. Quia intellectum extendere ſe ad opus, eſt extra ſe tendere ad opus, ſiue extra ſua opera tendere; ſi enim ſuas operationes conſideret, non tendit extra ſe, ſed potius intra ſe. Dices. Vnus actus intelligendi extendit ſe ad alium, quia notitia quam habeo de præceptis bonæ definitionis, ſimiliter diſcurſus, extendit ſe ad actus meos definiendi & argumentandi; ergo etiam actus intellectus ſunt praxes, cùm ad illos notitia intellectiua ſe extēdat. Reſpondet Doctor. Concedendo actum intellectus eſſe praxim impropriè, non autem propriè; quia talis eſt actus alteriùs potentię, vt infra explicatur. Quòd autem iſti actus intellectus, quos alij dirigunt, non ſint praxes, probat ex communiori ſententia Philoſophorum Academiæ Pariſien. & Oxonienſis, qui Logicam negabant eſſe ſcientiam practicam, ſed ſpeculatiuam, quamuis in illa actus intellectus dirigerentur præceptis Logicis, vt etiam Arimin. concedit, qui tamen iſtam conditionem gratis oppugnat.

[margin: Praxis eſt ...tus alte. ...is potentiæ quā intellectus.]

[margin: Obiectio]

[margin: Reſponſio.]

[margin: ...ctus intel...ctus nō eſt ...ax s.]

Secunda Conditio praxis eſt. Quòd talis actus, qui propriè dicitur praxis, ſit naturaliter poſterior intellectione recta. Ratio huius eſt. Quia notitia practica, debet eſſe directiua & regulatiua illius operationis, quæ dicitur praxis, & quæ regulatur à tali notitia; illa autem operatio, quæ antecedit naturaliter intellectionem rectam, (vt actus potentiæ vegetatiuæ, & multi alij ſenſitiuarum potentiarum) non eſt dirigibilis à notitia, quæ eſt poſterior; ergo ille actus qui eſt praxis, debet eſſe naturaliter poſterior intellectione recta, directiua praxis; directiuum etenim & regulatiuum, ſeu regula, antecedit regulatum, ſic notitia practica praxim, cùm hoc ab illa reguletur. Ex dictis Conditione prima & ſecunda infertur.

[margin: Praxis eſt actus naturaliter poſterior intellectione.]

Corrolarium. Praxis propriè dicta, eſt actus voluntatis elicitus vel imperatus (ille eſt ipſamet volitio, actus autem imperatus eſt, qui ſubiacet imperio voluntatis, puta ſcriptio, lectio &c.) Ratio eſt Prima. Quia praxis eſt actus naturaliter poſterior recta intellectione; ſed ſolus actus voluntatis elicitus vel imperatus, eſt naturaliter poſterior intellectione recta ergo, &c. Maior patet ex ſecunda conditione. Minor eſt clara in exemplis à Doct. propoſitis ad principium ſecundæ conditionis; omnes enim actus vegetatiui & ſenſitiui, inquantum præcedunt actum intellectus, non dicuntur praxes, cùm praxis dicatur propriè (vt bene cum noſtro Doct. hìc adnotauit Arim.) actus hominis vt homo eſt, ſeu à dictamine rationis prouenięs. Secūdò idem Corrolarium probatur. Praxis eſt talis actus, qui eſt in poteſtate cognoſcentis; ergo eſt actus voluntatis elicitus vel imperatus. Conſequentia: quia alij actus naturales, cùm ſint neceſſarij, non ſunt in poteſtate noſtra; impoſſibile ſiquidem eſt quin viſis tangamur, ſecundùm Auguſt. eſto, quòd quidam actus, etiam naturales, ſubſint noſtræ voluntati, vt nutritio, augmentatio, alteratio, qui quandoq; poſſunt ex recto dictamine intellectus & imperio voluntatis rectæ impediri, puta ex obſeruantia debiti ieiunij, & ſic ſunt actus imperati, & conſequentes rationem rectam, ſuntq; verè praxes. Antec. probatur ex Ariſt. 6. Ethic. c. 5. ꝙ artifex eget virtute, ſiue arte ad rectè agendum; ſed non indiget virtute ad illam operationem, quæ non eſt in poteſtate ſua; ergo artifex habet in poteſtate ſua factionem; ſed ars in artifice eſt notitia practica, vt dixi ſupra ex Ariſt. ergo artifex debet habere in ſua poteſtate praxim, ad quam ſe extendit eius notitia practica. Hinc arguitur à minori ad maius. Si notitia practica factiua eſt reſpectu operationis, quæ eſt in poteſtate cognoſcentis, vt oſtenſum eſt de artifice; ergo à fortiori notitia practica actiua, eſt reſpectu actionis quæ eſt in poteſtate ſcientis. Ratio iſtius conſequentiæ eſt: quia actus moralis magis requirit conformitatem ad rationem rectam & voluntatis libertatem, cùm in hoc conſiſtat illius bonitas moralis; quàm actus artis: & clarum eſt.

[margin: Praxis ē actus voluntatis elicitus vel imperatus.]

[margin: Praxis eſt actus hominis.]

Ponitur deinde in textu Obiectio contra primam conditionem praxis, ex ſecunda, ſic. Dicis quòd praxis debeat eſſe actus elicitus, vel ſaltem imperatus voluntatis. Infero hanc Minorem. Sed aliquis actus intellectus, puta ſpeculatio de Ente, poteſt eſſe actus imperatus à voluntate, cùm poſſit imperium ſequi voluntatis hac in parte; ergo aliquis actus intellectus eſt praxis; ergo conditio prima praxis, quòd debeat eſſe actus alterius potentiæ ab intellectu, malè aſſignatur. Diſcurſus videtur eſſe clarus, in quo Maior eſt Scoti: Minor ab eodem negari non poteſt, cùm quotidiana id doceat experientia; igitur rectè colligit Concluſio, ꝙ malè aſſignaueris conditionē primā praxis.

[margin: Obiectio.]

Reſpondet Doct. Primò ad materiam obiectionis, ſicut paulò ante ex eodem retuli. Quòd ſpeculatio cùm ſit operatio, poteſt dici praxis, ſed impropriè; nos autem in præſenti loquimur de praxi propriè accepta, vt diſtinguitur à quauis ſpeculatione. Deinde, quod additur in textu, *Cùm igitur dicitur intellectio eſt imperata à voluntate; ergo eſt praxis: non ſequitur, ſed ſequitur, ergo eſt praxis, vel practica, &c.* datur ibi reſponſio ad formam argumenti: pro qua.

[margin: Reſponſio.]

Supponendum eſt. Quòd praxis ſit minùs commune quàm actus voluntatis elicitus aut imperatus; omnis enim praxis eſt actus elicitus aut imperatus, ſed non valet è contra; omnis actus imperatus vel elicitus eſt praxis; nam vniuerſa-

[margin: Praxis ē minùs cōē q̃ actus volūtati elicitus, aut imꝑatus]

uerſaliter omnis actus elicitus eſt praxis, ſed non omnis actus imperatus eſt praxis: dictum enim eſt ſupra, quòd ſpeculatio non ſit praxis, licèt illa verè poſſit ſubiacere imperio voluntatis, & poſſit eſſentialiter denominari practica, vt eſt extenſibilis ad praxim. Vnde in propoſita Obiectione committitur fallacia à poſitione Conſequentis, ſeu magis communis in Minori, ad poſitionem Antecedentis, ſeu minùs communis in Concluſione; acſi faceres argumentum in alia materia; Omnis homo eſt animal, ſed Bucephalus eſt animal; ergo Bucephalus eſt homo.

Fallacia cõſequentis.

Tertia Conditio praxis eſt. Quòd operatio illa, quæ praxis appellatur, ſit actus aptus elici conformiter rationi rectæ. Ratio eſt. Omnis actus volendi, vel actus imperatus à voluntate, eſt rectus, inquantum rectificatur & regulatur à ratione recta; ſed omnis praxis eſt vel volitio, vel actus ſequens volitionem; ergo omnis praxis, vt ſit actio recta, debet rectificari à ratione recta, & conformiter illi elici. Maior communiter conceditur in materia de virtutibus; & probari poteſt Primò, ex Philoſ. 6. Ethic. c. 3. cùm dicit, Electio recta neceſſariò requirit rationem rectam; quod non tãtùm eſt verum de electione ſtrictè ſumpta, vt eſt electio mediorum ad finem, ſed intelligi poteſt de omni recta volitione, etiam reſpectus ipſius finis vltimi, quòd omnis volitio requirat rectam rationem, cui conformiter eliciatur. Secundò, probari poteſt ex Auguſt. & eſt in litera Doct. clarum. Minor iſtius argumenti patet ex Corrolario præcedentis conditionis.

Praxis debet eſſe actus aptus elici conformiter rationi rectæ.

Ex duabus vltimis Cõditionibus praxis, elici poteſt Corrolarium Primum. Quòd actus imperatus à voluntate, non ſit primò praxis, ſed ſecundariò & quaſi per accidens. Tum quia non eſt naturaliter poſterior intellectione. Tum quia non eſt aptus elici primò conformiter rationi rectæ, ſeu priùs quouis alio actu voluntatis.

Actus elicitus voluntatis ẽ primò praxis; actus aũt imperatus ſecũdariò eſt praxis.

Secundum Corrolarium. Quòd actus elicitus voluntatis, ſeu ipſa volitio, ſit primò praxis. Tum quia eſt primò poſterior intellectione. Tum quia primò natus eſt elici conformiter rationi rectæ, & mediante illo, alij habent conformitatem ad rectam rationem.

Tertium Corrolarium. Si actum elicitum voluntatis nullus ſequatur actus imperatus, ille actus elicitus abſq; vllo tranſitu ad extra, eſſet verè praxis. Ratio prima deduci poteſt ex præcedenti Corrolario, talis. Quandocunque eſt aliquid primò tale, coniunctum cum alio poſteriore, illud quod eſt primò tale, ſi poteſt eſſe ſine illo poſteriori, adhuc erit tale: vt patet inductione, & ratione: quia cùm neceſſariò ſit tale, ſemper erit tale; ſed actus elicitus coniũctus imperato, eſt primò praxis, vt probat ſecundum Corrolarium, actus verò imperatus eſt ſecundariò & per accidens praxis, vt patuit Corrolario primo; ergo actus elicitus, ſeparatus ab actu imperato, eſt verè praxis. Ratio 2. Actus appetitus ſenſitiui conſequens rectam rationem, abſq; vllo tranſitu ad extra, & operatione, eſt verè praxis; ergo & actus appetitus rationalis, ſiue voluntatis, conſequens rationem rectam, abſq; omni actu imperato, erit verè praxis. Antec. patet ex dictis conditione ſecunda & tertia praxis. Conſequentia probatur ex 3. de anim. tex. 50. vbi vult Ariſt. quòd ſicut appetitus ſenſitiuus habet rationem principij motiui cum ſenſu & phantaſia, ſic voluntas, quæ eſt appetitus rationalis, habet rationem principij motiui cum intellectu & ratione; ſicut ergo illius appetitus actus, non tranſiens extra, & regulabilis ab intellectu, eſt verè praxis, ita & iſte; imò à fortiori, vt dixi Corrolario Secundo.

Addi poteſt Corrolarum Quartum. Quòd delectatio naturaliter conſequens actum ſpeculationis, vel aliquem actum voluntatis, non ſit praxis. Ratio ſumitur ex ſecunda conditione. Quia praxis debet eſſe regulabilis à notitia practica, & in libertate voluntatis; delectatio autem ex propoſito conſequitur naturaliter actum. Vnde non fideliter Doctori attribuit Vaſquez 1. Prol. q. 1. diſp. 8. c. 6., quòd ille ſenſerit actum amoris vel delectationis, etiamſi naturaliter conſequatur, eſſe praxim: cùm expreſsè oppoſitum habeatur in textu Doct. in explicatione Conditionis ſecundæ.

Delectatio non eſt praxis.

Dubitatur Primò.

Vtrum definitio praxis conuenienter ſit tradita à Doctore.

Videtur quòd non. Primò, inprimis quòd prima conditio ſit malè poſita. Probatur Primò. Aliqua eſt, vel poteſt eſſe, notitia practica, directiua ſpeculationis, & nullius alterius operationis; igitur aliqua ſpeculatio, & per conſequẽs aliquis actus intellectus, eſt verè praxis. Conſeq. Quia ſecundùm Doct. omnis notitia practica, dicitur practica ex extenſione eius ad praxim, talis autem extenſio non intelligitur niſi per modum directiui, ſecundùm ipſum Doct. in præſenti quæſtione; igitur ſi aliqua ſcientia ſit practica, & nullius operationis directiua, niſi ſpeculationis, ſpeculatio erit vtiq; praxis. Antec. Quia contingit aliquem deliberare, vtrum inſiſtendum ſit ſpeculationi, vel alijs operationibus vitæ actiuæ; vel vtrum ſpeculationi harum vel illarum rerum; ſimiliter quo loco, & quo tempore, & quãtùm, & quomodo ſpeculandum eſt, & ſic de alijs circumſtantijs; tale autem iudicium eſt verè practicum, non minùs quàm iudicium quo iudicatur eſſe temperatè viuendum, & nullius eſt directiuum quàm ſpeculationis; ergo &c. Probatur. Omnis notitia cui conuenit elici conformiter ad electionem virtuoſam, eſt notitia practica; ſed notitiæ prædictæ directiuæ, de ſpeculando vel non ſpeculando, conuenit elici conformiter ad electionem virtuoſam; ergo, &c. Maior huius Confirmationis probatur. Tũ authoritate Philoſophi. 6. Ethic. c. 3. vbi dicitur, *Oportet quidem propter hoc rationem veram eſſe, & appetitum rectum, ſiquidem electio ſtudioſa, & eadem, hunc quidem dicere, hunc autem proſequi, hæc quidem igitur mens & veritas practica,* Et infra dicit, *practici intellectus eſt opus confeſsè ſe habens appetitui recto.* Tum ex dicto iſtius Doct. q. ſequenti, vbi volens probare Theologiam eſſe practicam aſſumit pro Maiore, quòd illa cognitio eſt practica, quæ aptitudinaliter eſt cõformis volitioni rectæ, & naturaliter prior ipſa.

Secundò. Ex dictis ipſius Doct. arguitur. Omnis operatio ad quam inclinat virtus appetitiua, eſt verè praxis: hanc ille accipit pro Maiore, ad probandum dilectionem finis eſſe veram praxim. Infero hinc iſtam Minorem; Sed ad ſtudendum & ſpeculandum myſteria Scripturarum, inclinat aliquos Sanctos virtus appetitiua, vt eſt certum; ergo ſpeculatio eſt praxis.

Tertiò ipſe arguit Doct. Subt. contra ſeipſum. Omnis actus imperatus à voluntate eſt praxis; ſed aliqua ſpeculatio eſt actus imperatus à voluntate; ergo aliqua ſpeculatio eſt praxis. Reſpondet Doctor. Non ſequitur: ſed ſequitur; ergo eſt praxis, vel practica. Tunc arguo ſic. Aliqua ſpeculatio eſt imperata à voluntate, & non eſt practica; igitur aliqua ſpeculatio eſt praxis. Conſequentia patet ex conceſſis. Antecedens probatur. Quia vel intellectio omnis eſt practica, & eadem ratione omnis ſcientia erit practica, quod eſt & contra Ariſt. & contra Doct. ipſum; vel nulla intellectio ſpeculatiua poſſet imperari à voluntate, quod eſt contra experientiam.

Contra ſe ipsũ arguit Doctor.

Quartò. Arguitur contra tertiam conditionem in textu poſitam. Quædam eſt praxis, quæ non eſt apta elici conformiter rationi rectæ, vt ſit recta, vt odium Dei; hoc enim nulli rectæ rationi conformari poteſt, vt ſit rectum; & tamẽ verè eſt praxis. Quod patet. Tũ quia dilectio Dei eſt verè praxis, ſecundùm Doct. igitur & odium; non minùs enim eſt praxis actus vitij, quàm virtutis oppoſitæ. Tũ quia reſpectu talis odij, poteſt eſſe ratio erronea practica, iudicans Deum eſſe odiendum, qualis fortè eſt in Angelo malo, & ſimiliter ratio practica recta, iudicans Deum non eſſe odiendum.

Reſpectu odij Dei pt eſſe ratio erronea practica, vt in Angelo malo.

Ita Arguit Greg. de Arimino, q. 5. Prol. art. 1. Ocam. q. 4. ex quo Greg. ſuperiora argumenta deſumpſit, & ex illo Molina. q. 1. art. 4. diſp. 1. Toloſſanus q. 9. Gabriel q. 10. Baccon. q. 4. Zumel. 1. part. q. 1. art. 4. Vaſquez ibidem, alijq; Thomiſtæ, Capreol. q. 2. prol. concl. 4. Heru. quodl. 1. q. 3.

In oppoſitum eſt Doct. Subt. hìc, & 1. Met. q. 7. quem ſequitur Mayr. in 1. d. 48. q. 2. Baſſol. q. 7. Prolo. Ioan. de Colonia q. 390. ſuæ Theologiæ, Ant. Andr. Lychetus, alijq; Scotiſtæ hìc. Eandem definitionem admittit, & approbat

bat

bat vt sufficientem Pererius libro primo Physic. capitulo 2.

Praxis propriè sũpta, est actus alterius potẽtiæ ab intellectu.

Prima Conclusio. Praxis propriè sumpta (vt hìc sumi debet) est actus alterius potentię ab intellectu. Ista Conclusio antequam probetur. Notandum est ex Doct. Subt. 6. Met. in expos. tex. 1. & 11. Met. Comm. 6. Quòd nomen hoc Praxis, idem significet Gręcis, quod operatio Latinis; operatio autem apud Philosophum & apud Doctorem, vel est actio vel factio; vnde & praxis quædam est actio, quædam factio.

Actio & factio q̃d sint.

Dicitur autem actio (vt distinguitur à factione) operatio aliqua, quæ manet & non transit extra operantem, sic velle, appetere, sunt actiones immanentes; Factio autem dicitur operatio transiens extra operantem, vt actus texendi, ædificandi; Sicut ergo duplex est praxis, ita duplices sunt notitia practicæ; quædam enim sunt practicæ actiuæ, quæ scilicet sunt directiuæ praxis immanentis, tales habitus sunt, prudentia, & virtutes morales: quædam sunt factiuæ, quæ aptæ sunt dirigere factiones, seu actus aliquid extra productiuos, sic artes Mechanicæ dicuntur notitiæ practicæ factiuæ.

Practicæ notitiæ sũt duplices.

Relicta igitur illa praxi, quæ est factio (cùm non faciat ad nostrum institutum) illa quæ dicitur actio, sumitur dupliciter: vno modo communiter, largè, & impropriè, & sic omnis actio immanens dicitur praxis, sic etiam operationes intellectus dirigibiles praxes dici possunt; alio modo strictè & propriè, vt praxis distinguitur contra speculationem: & cùm speculatio sit actus immanens ipsius intellectus, praxis debet esse alicuius alterius potentiæ ab intellectu, debetq; esse dirigibilis à notitia intellectus, & talis non alia potentia est intellectum consequens, quàm voluntas; quare actus voluntatis erit propriè praxis, distincta à speculatione & formaliter & subiectiuè: & hoc est quod dicit Subt. Doct. 6. Met. q. 1. in respon. ad Primum principale, *potest dici quòd Logica est practica; quia non est tantùm propter scire proprium, sed propter scire directiuum in aliquo actu; quia enim intellectus in actu proprio discursiuo potest errare, indiget habitu directiuo, priusquam dirigat in alijs, secundùm Boet. super Porph. ideo Logica potest dici practica extendendo* (id est largè & impropriè accipiendo) *nomen praxis, quia tamen iste actus intellectus, in quo intellectum Logica dirigit, non est nisi speculatio, ideo Logica non est propriè practica: non est enim finis eius veritas confessè se habens appetitui recto, quæ veritas est finis practicæ ex 6. Ethic.* Hactenus Doctor ibi. Idem etiam vult hìc in textu, in Obiectione contra secundam conditionem.

Praxis vt actio sumitur dupliciter.

Praxis acceptio pbati.

1. Conuenientissimam porrò esse praxis istam acceptionem, indicat Primò ipsa contrapositio praxis & speculationis, prout adinuicem comparantur, speculatio etenim vt speculatio, est intellectio; praxis vt praxis, non est speculatio, quia distinguitur contra ipsam; ergo praxis vt praxis non est intellectio.

2. Secundò idem vult Philos. 2. Met. dum dicit, finem speculatiuæ esse veritatem, practicæ autem opus: finis igitur speculationis erit speculatio, practicæ erit finis praxis, seu operatio; si igitur ista operatio esset cognitio intellectus, cùm cognitio sit finis speculatiuæ, idem erit finis speculatiuæ & practicæ. Nec valet dicere. Cognitionem dirigibilem esse praxim, non autem illam quæ non est dirigibilis, qualis est speculatio: omnis enim cognitio est dirigibilis à suo obiecto; quia secundùm Philosophum 5. Metaph. cap. de Relatione, scibile est mensura scientiæ, mensura autem est directiua & regulatiua mensurati; ac proinde omnis scientia (cùm sit regulabilis & dirigibilis ab obiecto) erit practica. Confirmatur. Quia veritas scientiæ dependet à veritate rei, seu obiecti; ergo obiectum dat veritatem & rectitudinem notitiæ, secundùm Philos. 1. Perihern. Oratio est vera, quia res est vera. Adde: quòd omnis notitia nostra discursiua, etiam speculatiua, vt Physica, Metaphysica, Mathematica, est dirigibilis à modo sciendi, ac proinde omnis talis notitia erit practica.

Dirigibilitas ab obiecto non sufficit ad practicam sciẽtiam.

3. Tertiò. Illius potentiæ operatio est praxis propriè sumpta, cuius potentiæ est desiderium propriè acceptum; sed desiderium non est intellectus sed voluntatis, aut potentiæ appetitiuæ alterius; ergo & praxis propriè accepta, non erit actus intellectus, sed voluntatis, vel alterius alicuius. Minor est clara. Maior autem est Arist. 3. de anim. tex. 49. vbi dicit, Desiderium non esse intellectus speculatiui, sed practici; omne autem desiderium, secundùm Philos. ibidem, est ad aliquid; ergo desiderium quod dirigitur ab intellectu practico ad obiectum desiderabile, est illa operatio, seu illa praxis voluntatis, ad quam paulò ante dixerat Philos. notitiam practicam ordinari.

Quartò. Idem bene probatur in litera à Doctore, ex vocis Aethimologia, de extensione habitus practici. 4.

Nullitas dicti Vasquez patet.

Ex dictis constat, tum veritas huius conclusionis, tum nullitas illius dicti Vasquez 1. part. d. 8. cap. 1. descriptionem praxis à Doct. nostro traditam, non esse conuenientem doctrinæ Aristotelicæ; cùm sit conuenientissima, vt ostensum est.

Praxis debet esse actus dirigibilis a rõe recta.

Secunda Conclusio. Actus qui est propriè praxis, debet habere aptitudinem vt eliciatur conformiter rationi rectæ, & vt possit esse rectus. Probatur ex vi scientiæ practicæ. Quia scientia practica, secundùm omnes Doctores, est notitia directiua & regulatiua praxis; ergo ipsa praxis debet esse regulabilis & dirigibilis: actiuum enim vt actiuum dicitur in ordine ad passiuum, & directiuum ad dirigibile; ergo ille actus, qui non est aptus dirigi à ratione recta, vt illi conformiter eliciatur, non est verè praxis. Et hoc expresè vult Arist. 6. Ethic. c. 3. dicens Practici intellectus finis est opus, confessè se habens appetitui recto; ergo opus rectum, & quod rectificatur, est praxis. Ex his patet optimam esse definitionem praxis à Doct. traditam.

Ad Primum in principio Dubit. positum: nego Consequentiam. Ad probationem. Dico, quòd probet talem notitiam esse practicam, extensiuè nomen practici & praxis sumendo, non autem propriè, vt dixi ex Doct. Ad Confirmationem: nego Maiorem; non enim notitia practica debet elici conformiter ad electionem rectam, sed ipsa notitia debet esse conformatiua electionis rectæ, sic, quòd electio debet conformari notitiæ practicæ, non è conuersò, & ita est Doct. Subt. intelligendus, vt seipsum in litera apertè explicat, Art. sequenti circa medium: hoc etiam & non aliud vult Philos. illis verbis, *hunc quidem dicere*, id est, intellectum practicum dictare practicè aliquod verum practicum, *illum autem*, id est appetitum, *prosequi*, quia conformando se intellectui practico, prosequitur id quod ille dictat. Secunda authoritas Philoso. probat nostram secundam Conclusionem.

Ocam cum suis malè intelligit Scotum.

Ad Secundum. Cùm ante dixerit Doctor, quòd praxis sit actus potentiæ naturaliter posterioris intellectu, regulabilis tamen ab intellectu, in ista propositione inferiùs posita, Omnis operatio ad quam inclinat virtus appetitiua est verè praxis, ly Omnis operatio, sumitur pro omni operatione illa, quæ naturaliter est potentiæ posterioris in eliciendis actibus suis, quàm sit intellectus; vnde ex malo intellectu literæ procedit argumentum Ocami & Ocamistarum.

Aduersarij malè citat Scotum.

Ad Tertium. Videre licet hìc, sicut in præcedenti argumento, & in plurimis alijs, fidem aduersariorum in citando textu Doct. & in detorquendo sensu illius, non Theologicam sinceritatem. Ista enim propositio, Omnis actus imperatus à voluntate est praxis, nullo modo inuenitur in Doct. imò expresè docet oppositum, in fine secundæ Conditionis, cùm dicit, inferre ex actu imperato praxim, est facere fallaciam Consequentis; omnis enim praxis est actus elicitus voluntatis vel imperatus, sed non è contra, omnis actus imperatus est praxis, vel notitia practica, vt malè Arim. accipit in suo discursu, q̃ intellectio imperata omnis, vel est praxis, vel est practica; ita. n. ista propositio accipi debet secundùm illum, vt sequentes cõsequentię sint veræ, si practica nulla erit speculatiua; cùm cognitio Logica vel Metaphysica possit esse imperatæ, si praxis, est contra te. Dico igitur. Nulla intellectio imperata à voluntate, similiter nulla intellectio antecedens imperium voluntatis, est verè praxis; non omnis etiam imperata est practica, sed de sola illa notitia imperata verificatur hoc dictum Doct. quòd sit praxis vel practica, quæ

Omnis praxis est actus volũtatis elicitus, vel imperatus, sed non è contra.

ex

Odium Dei nõ eſt praxis.

ex natura ſua eſt extenſiua ad praxim alterius potentiæ ab intellectu dirigendam, vt vult manifeſtè Doct. in litera.

Ad Quartũ. Negatur aſſumptum: quòd odium Dei ſit praxis, quia non competit ei ſecunda conditio poſita. Probatio prima non valet; quia dilectio Dei eſt dirigibilis à notitia practica, & ita eſt praxis; non item odium. Similiter dicitur ad ſecundam.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Quomodo cognitio practica extenditur ad praxim.

Ex præcedente Articulo patet Secundus; nam illa extenſio, &c.

SVMMA TEXTVS.

Proponitur inprimis Concluſio reſponſiua; Deinde infertur vnum Corrolarium. Concluſio eſt talis Notitia practica extenſionem ad praxim habet formaliter ex duplici relatione aptitudinali, prioritatis & conformitatis; quia ſcilicet eſt conformatiua praxis. Vnum Corrolarium eſt. Quod quando habitus ſcientifici diuiduntur per practicum & ſpeculatiuum, iſta diuiſio non eſt per differentias eſſentiales, ſed per accidentales & per proprietates, illo modo quo numerus diuiditur per par & impar, vel linea per rectum & curuum.

COMMENTARIVM.

Circa Primam partẽ Articuli, tria dicta ſunt illius Concluſionis oſtendenda. Primum eſt. Quòd notitia practica ſit prior praxi. Probatur tum authoritate Philoſophi 6. Ethic. c. 3. Vbi dicit Ariſtot. quòd electio recta neceſſariò prærequirit rationem rectam; ergo recta ratio directiua electionis, & cuiuſuis actus voluntatis tam eliciti quàm imperati, neceſſariò prærequirit ad ſui rectitudinem cognitionem rectam, vt dictum eſt ſupra conditione tertia. Tum ratione. Quia regula habet prioritatem ad regulatũ, ſicut & menſura ad menſuratum, cùm ſit veluti cauſa illius; ſed recta ratio eſt regula rectæ volitionis; niſi enim actus morales ſecundùm dictamen rectæ rationis eliciantur, nõ ſunt recti moraliter, vt multis declarat Subt. Doct. infra diſt. 17. & in 3. d. 36. & aliàs; ergo notitia practica eſt prior ipſa praxi. Secundum Dictum eſt. Quòd notitia practica ſit conformatiua praxis. Probatur etiam à Philoſ. 6. Ethic. c. 3. vbi dicit, quòd veritas notitiæ practicæ, eſt confeſsè ſe habens appetitui recto, id eſt, eſt conformatiua actus voluntatis, ſeu praxis, ita quòd ſi praxis conformiter ad dictamen talis notitiæ eliciatur, ille actus erit rectus. Et ratio deſumi poteſt ex communi illo dicto: Quòd cognitio practica extenditur ad praxim, tanquam directiua ad directum, & regulatiua ad regulatum; ſed directiuum, & regulatiuum ſunt conformatiua dirigibilis & regulabilis ſuæ regulæ; ergo &c. Tertium Dictum. Quòd illa relatio prioritatis & conformitatis in ſcientia practica, non ſit relatio actualis, ſed aptitudinalis. Probat Doctor ab inconuenienti. Quia ſi actu deberet conformare notitia practica praxim ad hoc vt eſſet practica, tunc ſequeretur quòd illa notitia quando actu praxim non conformaret, eſſet notitia ſpeculatiua, cùm medium non detur: & ita eadem ſciẽtia eſſet quandoque practica, quandoque ſpeculatiua; quod eſt falſum, vt patebit in ſequentibus; ergo ſufficit extenſio aptitudinalis, quia nimirum notitia practica apta eſt eſſe prior praxi, & apta eſt conformare ſibi praxim, eſto quòd actu non conformet.

Practica notitia ẽ prior praxi.

Practica notitia cõformatiua eſt praxis.

Relatio prioritatis & cõformitatis in ſciẽtia practica, ſunt relationes aptitudinales, non actuales.

Circa hoc immediatè dictum. Notandum eſt. Relationem aliam eſſe actualem, aliam potentialem, aliam aptitudinalem, ſecundùm Scotiſtas. Relatio actualis, eſt forma relatiua, actu afficiens & denominans ſubiectum, & referens illud actu ad ſuum terminum; ſiue ille terminus exiſtàt, vt in relationibus primi & ſecundi modi 5. Met. c. de Relatione videre eſt; ſiue non, vt in relationibus tertij modi contingit. Relatio potentialis, eſt forma relatiua, non actu exiſtens in ſubiecto, nec illud actu denominans, aut referens ad aliud, ſed eſt forma relatiua poſſibilis exiſtere in ſubiecto & illud denominare; ſic iſtud album actuale, ad aliud album potentiale, quod nõ exiſtit, ſed poteſt exiſtere, non habet actualem relationem ſimilitudinis, ſed tantùm potentialem, quia ſi aliud album exiſtat, inerit illi actualis relatio. Relatio potentialis, vocatur quandoque relatio aptitudinalis, quatenus nimirum dicit aptitudinem in fundamẽto, vt poſſit ſubeſſe relationi actuali: iſta ratio aptitudinalis, ſeu aptitudo ipſius fundamenti ad relationem actualem, conuenit per ſe ſecundo modo fundamento.

Relatio actualis, aptitudinalis, potẽtialis, fundamẽtalis, quæ ſecũdũ Scotiſtas?

Relatio [...]ctualis [...]catur quãdo a[...]tudinali[...]

Mayron. in 1. diſt. 7. queſt. 7. ponit aliam relationem fundamentalem, diſtinctam à potentiali & aptitudinali. In Diuinis enim (ſecundùm ipſum) non eſt relatio potentialis, cùm Deus non poſſit relationem actualem nouam recipere; Deus enim eſt actus purus, & nullo modo in potentia paſſiua ad aliquid: ſimiliter non eſt aptitudinalis reſpectus in Deo, quia nulla eſt in illo aptitudo ad aliquẽ actum perficientem ipſum accidentaliter: ſunt tamen in Deo relationes fundamentales, quæ aſſimilantur aptitudinalibus, excepto eo, quòd relationem actualem non expectent, vt aptitudinalis. Hæc relatio fundamentalis, vt diſtincta ab aptitudinali & potentiali, poteſt ſic deſcribi, ſecundùm Mayr. Relatio fundamentalis eſt, reſpectus qui denominaret extremum relatione actuali, niſi in illo eſſet formalis repugnantia ad alicuius actus receptionem; ſicut in Deo ex infinita neceſſitate prouenit repugnantia ad recipiendam omnem relationem actualem accidentalem; quamuis enim ex creatione qua Deus creat aliquid extra, denominari deberet Creator, à relatione reali actuali creaturæ ad Creatorem, talis tamen relatio Deo repugnat ob eius neceſſitatem, ſimplicitatem, & infinitatem perfectionis, vt dicitur infra diſt. 30. nihilominus tamen eſt fundamentum quod ab intellectu poteſt concipi, vt aliquomodo relatum ad creaturam, per relationem ab intellectu fabricatam. Videtur igitur Doctor Illuminatus dicere, quòd omnis relatio aptitudinalis ſit potentialis & fundamẽtalis, ſed nõ è cõtra. Rõ eſt. Quia aptitudo includit poſſe, poſſe includit fundamentũ qđ põt; è contra tamen non valet, quia in Deo eſt fundamentalis, ſecũdùm ipſum relatio, & non aptitudinalis, nec potentialis; eſt etiam fundamentalis & potentialis in albo, non exiſtente eius termino, ſcilicet alio albo, non tamen eſt aptitudinalis, quia non habet habilitatem & inclinationem intrinſecam ad relationem actualem realem, quod eſt habere aptitudinem, habet tamen non repugnantiam ad relationem illam, quod eſt habere potentiam.

Relatio [...]damenta[...] deſcribit[...] ſecundu[...] Mayron.

Doctor [Il]luminatu[s] Mayr. ſu[...]liter de [re]latione a[p]tudinali [...]ſerit, ſed in via S[co]ti.

Hæc licèt ſint dicta ſubtiliter à Doct. Illuminato, ſecundùm viam tamen Doct. Subt. aliter eſt dicendum.

Dico igitur. Quòd relatio illa ſit actualis, quæ eſt actu in fundamento, afficiens illud & denominans, & referens illud actu, ad terminum actu exiſtentem: ſicut oppoſito modo relatio poſſibilis erit, forma potens exiſtere in fundamento, & potens illud referre ad terminum poſſibilem, vt ſic & forma & terminus hic ſint poſſibilia, in relatione autem actuali, actualia. Aptitudinalis illa dicetur relatio, quæ actu erit in fundamento, & actu illud denominabit tale, non tamen actu referet, ad terminum actu exiſtentẽ, ſed tantùm apta eſt referre ad terminum poſſibilem exiſtere. Iſta relatio aptitudinalis (ſiue ſit idem cum fundamentali, vt videtur docere Subt. Doct. d. 30. q. 2. ſiue non idem, vt vult Mayr.) eſt quid reale, poſitiuum, non autem negatio formæ relatiuæ, aptæ ineſſe, vt vult Mayr. Patet. Tum ex Doct. hìc, qui rationem conformitatis in ſcientia vocat relationem aptitudinalem, relatio autem vt relatio, non eſt negatio: Tum quia priuatio priuat formam poſitiuam; ſed ſecundùm Doct. hìc in Corrolario, ſpeculatiuũ priuat duplicem iſtum reſpectum aptitudinalem; ergo iſti reſpectus aptitudinales ſunt aliquid poſitiuum: Tum quia aptitudines & inclinationes Entium, per ſe ſecundo modo conuenientes alicui, ſunt proprietates poſitiuæ talium Entium; ſed ratio conformatiui vel prioritatis, eſt aptitudo in ſcientia practica, ſecundùm quam eſt apta referri ad praxim, vel eſſe prior illa; ergo, &c. Relatio igitur aptitudinalis eſt quid poſitiuum reale, à re cuius eſt, realiter indiſtinctum, actu denominans illam rem; ſed non referens

Relatio [a]ctualis aptitudin[a]lis quæ ſe[cun]dũ Scotu[m].

Relatio [a]ptitudina[...]lis eſt qu[id] reale, po[ſi]tiuum, &

ferens actu illam ad terminum, cùm sit tantum apta referre, non actu referens: & tali modo relatio conformitatis & prioritatis in notitia practica est actu, & illam denominat actu practicam, sed non refert actu ad praxim, sed apta est referre: & talis aptitudo vt possit referri, conuenit scientiæ per se secundo modo, sed quod actu referatur, conuenit accidentaliter. Patet igitur quid intelligat Doc. Subt. hìc per actualem & aptitudinalem relationem.

Circa Secundam partem Articuli.

Dubitatur.

Vtrum Practicum & Speculatiuum sint essentiales differentiæ habitus scientifici.

Videtur quod sic. Quia distinctio prima habituum, est per differentias essentiales; sed prima distinctio habituum, est per comparationem ad obiecta; ergo illa est essentialis; sed scientiæ quæ distinguuntur ex comparatione ad obiecta, immediatè distinguuntur per practicum & speculatiuum; ergo istæ differentiæ sunt essentiales habitus.

Confirmatur Primò. Quia ista est communissima & generalissima habitus scientifici diuisio; ergo sunt differentiæ essentiales, & non propriæ passiones.

Confirmatur Secundò. Quia scientia practica & speculatiua, specie distinguuntur; ergo practicum & speculatiuum sunt differentiæ essentiales, & specie distinguentes. Ita arguit Tho. Anglic. quæst. 8. Prologi.

Practicum & speculatiuū nō sūt essentiales differentiæ habituū, sed proprietates.

In oppositum est Doct. Subt. hìc, & in qq. disp. q. 31. Mayr. in 1. d. 48. q. 3. Bassol. q. 7. ar. 4. Aquil. q. 3. Prol. & alij Expositores Doct. (præter Ant. Andr. qui videtur esse neuter) quibus subscribendo, probatur illorum Conclusio.

Primò. Illud cuius ratio formalis consistit in habitudine seu relatione, non potest esse de quidditate alicuius absoluti; sed ratio practici consistit in duplici relatione, vt dixi: scientia verò est quid absolutum de genere qualitatis; ergo ratio practici non potest esse de quidditate alicuius scientiæ. Similiter. Nulla negatio est de essentia alicuius Entis realis; sed speculatiuum dicit negationem conformitatis ad praxim, vt docet in præsenti litera Doctor; scientia autem est Ens reale; ergo ratio speculatiui, non est de essentia scientiæ.

2\. Ratio practici & speculatiui sūt posterius ratione scientiæ.

Secundò. Nullum posterius est de essentia prioris; omnia siquidem constitutiua alicuius essentiæ, sunt priora ipso constituto, vt partes suo toto, sed ratio practici & speculatiui, sunt rationes posteriores, ratione scientiæ; cùm tam relatio, quàm eius negatio, sint posteriora suo fundamento: scientia verò est fundamentum illius relationis prioritatis & conformitatis ad praxim &c.

Tertiò. Quandocunq; aliquod commune diuiditur per differentias quidditatiuas, quicquid cadit sub altera differentia perfectiori, perfectius est quocunq; contento sub altera imperfectiori; sic quicquid cadit sub rationali, perfectius est quocunq; quod cadit sub irrationali: Si igitur diuisio scientiæ per speculatiuum & practicum, esset per differentias essentiales, vel omnis practica scientia esset nobilior omni speculatiua; vel omnis speculatiua esset nobilior quauis practica; sed vtrumq; est falsum: nam inprimis inter scientias naturaliter acquisitas, aliqua scientia (puta Metaph.) est simpliciter dignior & nobilior omnibus alijs, vt vult Doctor lib. 1. Metaph. Exposit. ibidem q. 8. Ant. Andr, q. 12. Mayr. in 1. dist. 48. q. 2. quos sequitur Soncin. 6. Met. q. 6. Cùm enim dignitas habituum sumatur ex dignitate actus, & actus speculationis Metaphysicæ sit nobilissimus cùm in eo consistat naturalis fęlicitas, secundùm Arist., sequitur habitum ex eiusmodi actibus generatum, esse nobilissimum: & hoc expressè vult Philos. tum in Procemio suæ Metaphys. tum lib. 6. circa finem. Quodsi sermo sit de scientia reuelata, vt de Theologia, illa cùm sit practica, vt docetur infra, & ex dignitate obiecti, & modi ipsius considerandi, nobilior sit etiam Metaphys. consequenter aliqua practica erit nobilior omni speculatiua: imò & scientias speculatiuas naturales comparando ad practicas naturales, non omnis speculatiua est nobilior omni practica, nam Logica est speculatiua vt dixi, & tamen inferior est omni practica reali, ob inferioritatem sui obiecti, quod est Ens rationis; nec practica omnis est nobilior omni speculatiua ostensum est; ergo, &c. Practicum igitur & speculatiuum sunt propriæ passiones habituum, quæ consequuntur differentias essentiales nobis ignotas: & quidem practicum dicit relationes ad praxim dirigendam; speculatiuum autem quamuis dicat negationem harum relationum, tamen hæc negatio duplex, conuenit per aliquid positiuum in tali habitu, quod positiuum cùm sit ignotum, circumloquimur illud per negationem (sicut differentiam bruti, per negationem rationalis, immensitatem Dei positiuam in entitate, per negationem finitatis, &c.) & illud positiuum est propria passio illius habitus cui conuenit.

Inter scientias naturales nobiliss. Metaph.

Aliqua practica est nobilior omni speculatiua quod verū est tā in reuelata, quā in scientiis naturalib.

Differentia bruti quia est nobis ignota, circumloquimur eā per negationē rationalis.

Ad Argumentum in principio Dubit. adductum. Nego Minorem; sicut enim distinctio relationis per terminos, necessariò conuenit relationibus, non tamen est intrinseca & quidditatiua, ita distinctio habituum per obiecta, necessariò habitibus conuenit, cùm tamen obiecta probabilia non sint quidditatiua & intrinseca scientifico habitui, non erit talis distinctio quidditatiua, licèt sit necessariò. Et sanè non est intelligibile, quòd aliquòd C. extra B. positum, sit de quidditate ipsius B, cùm quidditas sit intima & summè intrinseca rei.

Distinctio relationis p terminos licet necessariò cōuenit relationib., nō ē tamen intrinseca; ita & distinctio habituū per obiecta.

Prima Confirmatio illius argumenti nihil valet: quia ista diuisio est quidem communissima, tradita per distinctiua extrinseca, notiora intellectui, quàm intrinseca principia, quæ sunt nobis ignotissima, sed nulla est Consequentia ex tali Antecedente.

Secundæ Confirmationis consequentia est falsa: verè enim habitus speculatiuus à practico specie distinguitur & quidditatiuè; sed non ratione practici vt practicum est, vel speculatiui vt speculatiuum est; per istas enim proprietates distinguitur per se secundo modo, sicut risibile & hinnibile specie distinguuntur; sed risibilitas & hinnibilitas non sunt rationes quidditatiuè distinguendi, sed tantùm secundariò & proprietatiuè.

ARTICVLVS TERTIVS.

A quo habet cognitio practica extensionem ad praxim

Circa Tertium Articulum sunt Opiniones. Vna est talis.

SVMMA TEXTVS.

Sensus istius quæsiti est; cùm cognitio practica extendatur ad praxim, de ista extensione scientiæ, dubitari potest primò, in quo consistat formaliter; Deinde illo viso, vlteriùs quæri potest, à quo, vt à causa efficiente, illam habet extensionem: Et quidem priorum, in quo videlicet formaliter consistat ista extensio, explicatum est præcedenti Articulo, quòd in duplici relatione, prioritatis videlicet & conformitatis; Secundùm autem modò est expediendum. Huius Articuli tres sunt partes. In prima, ponitur Gotfredi Opinio, & refutatur: in secunda explicatur Henrici & Ioan. Rhoditonis positio, & reijcitur: tandem argumenta adducta pro sententia Henr. resoluuntur.

COMMENTARIVM.

PRo intelligenda sententia Gotfredi in ordine prima (quæ satis obscura est) Supponēdum est Primò. Quòd non solus habitus à praxi denominatur practicus, sed etiā actus dicitur practicus; imò & intellectus, vel practicus est vel speculatiuus. Hoc supposito, dicit Gotfred quodl. 10. q. 11. Primò. Habitus & actus practici, habent extensionem ad praxim ab obiecto. Ratio est. Quia habitus & actus per se respiciūt sua obiecta; si igitur obiectum sit operabile, circa quod operatio seu praxis elici apta est, ex natura talis obiecti, notitia de tali obiecto erit practica, & extensionem conformatiui, siue quòd apta sit conformare praxim, habebit ab obiecto. — Opin. Gotfred. — Dictum 1. Gotfr.

Dicit Secūdò. Quòd intellectus dicitur practicus, non ab obiecto, sed à ratione finis, quę accidit obiecto, quatenus actus operatiuus intellectus circa illud obiectum, includit (non formaliter, vt aliquid de essentia eius, sed conn notando) in se desiderium finis explicitè, & eorum quę sunt ad fi- — Dictum 2.

nem

Intellectus à quo dicitur practicus secundū Godfr. nem implicitè. Exemplum. Intellectus habens hanc notitiam de Deo, quòd est summum bonum; vt in illo actu cognoscendi includitur desiderium Dei actualiter (quatenus nimirum cognoscens actu Deum esse summum bonum, desiderat ipsum) & illa quæ ad consequendum tale bonum sunt, media ordinata, desiderat implicitè; id est, in proxima est dispositione ad desiderandum actu, licèt non desideret; desiderat tamen aliquomodo, quatenus summum bonum desiderat, quod non obtinetur nisi per illa media; & sic implicitè dicuntur media desiderari, à tali inquam desiderio finis, intellectus denominatur practicus. Istud dictum confirmat Gotfr. authoritate Philos. 3. de anim. tex. 49. vbi dicitur, quòd intellectus speculatiuus & practicus differunt fine; ergo in illo actu, à quo denominatur intellectus practicus, debet includi desiderium finis explicitè: Similiter 6. Ethic. c. 3. dicitur, quòd bonum intellectus practici sit verum, confessè se habens appetitui recto; illud autem quod est confessè se habens appetitui recto, habet rationem boni, bonum rationem finis; ergo, &c. Ad idem probandum inducitur exemplum in textu, de notitia & appetitu sanitatis, quod clarum est. Quid autem intelligat Gotfr. per intellectum practicum, conferendo hunc locum cum infra positis obiectionibus, hoc elicitur, quòd circa obiectum operabile, ponat duplicem habitum; vnum qui in vniuersali illud consideret, & vocatur habitus scientiæ practicæ; alium qui in particulari, & à tali formaliter denominatur intellectus practicus: & iste secundus habitus inclinat intellectum practicum actualiter, ad desiderium finis explicitè, & mediorum implicitè.

Dictum 3. Dicit Tertiò. Quòd habitus speculatiuus ab habitu practico, similiter actus speculatiuus ab actu practico, differunt formali & quidditatiua differentia (contra dicta præcedenti Dubitat.) Ratio illius est. Quia obiectum operabile, quale est practicum & non operabile, quale est speculatiuum, differunt formaliter; ergo habitus & actus circa obiecta distincta formaliter, erunt distincti formaliter; sed non est similis differentia formalis, inter intellectum practicum & speculatiuum; est enim solùm differentia accidentalis. Ratio huius dicti, est expressa illis verbis, *cùm speculabile ordinari ad opus accidat speculabili, licèt non accidat ei ordinabile esse; differentia inde proueniens inter intellectum practicum & speculatiuum erit accidentalis, & per respectum ad aliquid extra intellectum*: acsi diceret; cognitio obiecti, etiam operabilis, si de facto ordinetur ad opus, est id tali obiecto contingens & accidentale; sed quòd sit ordinabile, & scientia de illo sit directiua praxis, istud est necessarium illi, & per se secundo modo conuenit: Cùm igitur intellectus dicatur practicus ab habitu practico, prout ille inclinat actu intellectum ad desiderium finis, & talis ordo actualis ad finem sit habitui & actui accidentalis, sequitur quòd intellectus practicus à speculatiuo distinguetur accidentaliter; actus autem & habitus practici cùm distinguantur à speculatiuis ex obiecto per se, penes operabile obiectum & non operabile, erit talis distinctio necessaria & formalis.

Impugnatur 1. dictū. Gotfredi. Contra hanc positionem Gotfr. arguit Subt. Doct. tribus rationibus. Et inprimis contra Primum dictum eius arguitur authoritate Philosophi 2. Metaphys. tex. 3. vbi Aristot. dicit; quòd finis scientiæ speculatiuæ sit veritas, practicæ autem opus; ergo malè dicit Gotfr. quòd habitus scientiæ practicę, non dicitur practicus à fine, cùm oppositum doceat Arist.

Practicæ scientiæ finis est opus dupliciter intelligitur. Ad hanc authoritatem, dat responsionem Gotfr. talem. Ista propositio, Finis scientiæ practicæ est opus: dupliciter potest intelligi; vno modo sic, quòd scientiæ practicæ finis sit opus, in potentia & aptitudine, quatenus obiectum illius est tale, circa quod aptum est fieri opus seu praxis; vel secundo modo, quòd sit opus actuale, ita quòd actu praxis eliciatur: priori modo finis scientiæ practicæ est opus, non autem secundo: intellectus autem practici finis est opus secundo modo, non primo. Vlteriùs notandum est: quòd obiectum operabile circa quod potest esse praxis, puta sanitas, dupliciter potest considerari; vno modo in vniuersali, sicut consideratur in scientia medicinæ; alio modo in particulari, prout huic homini sanitas est acquirenda, talis, per talia media; habitus igitur scientiæ practicæ, considerat obiectum practicum in vniuersali, sed intellectus practicus considerat illud in particulari, per alium habitum à priori distinctum.

Impug tur Go responsi Sed contra istam responsionem arguitur Primò. Habitus practicus, generatus ex actibus practicis, sufficit ad illa dirigenda, ad quæ tu ponis habitum istum secundum intellectus practici; ergo iste habitus intellectus dictans de opere in particulari, alius ab habitu notitiæ practicæ, frustra fingitur. Antec. probatur. Quia quando voluntas mouetur ad finem, ex desiderio finis, & imperat notitiæ practicæ vt desideret finem, & media ad illum consequendum, tunc illi considerationi imperium voluntatis nihil superaddit ad rationem cognitionis practicæ, & sic dictatiuæ: ergo illa notitia vniuersalis practica, est apta dirigere actu appetitum, ad desiderium finis in particulari; frustra igitur confingitur alius habitus. Confirmatur per dicta superiùs, Quia cognitio particularis, est pars inclusa in cognitione vniuersali, sic ista cognitio, quòd Petrus sit risibilis, est pars in ista inclusa, Omnis homo est risibilis; ergo à simili, Cognitio vniuersalis practica, de aliquo obiecto operabili, continet virtualiter notitias particulares, quibus actu fertur appetitus in finem, seu in praxim.

Obiect. opabile pliciter sideratu

Gotfr. contradi Secundò improbatur eadem responsio, argumento ad hominem. Dicit Gotfr. (secutus communem opinionem Thomistarum) quòd duo accidentia eiusdem speciei, non possunt simul esse in eodem subiecto; sed si ponas alium esse habitum vniuersalem scientiæ practicæ, & alium particularem habitum intellectus, de vno eodemque obiecto, ponis simul plura accidentia eiusdem rationis in eodem; ergo contradicis tuis fundamentis.

Secund dictū G fred. impgnatur. Secundò. Improbatur Opinio Gotfred. quoad Secundum dictum. Si illa positio esset vera; sequeretur quòd intellectus speculatiuus informari posset habitu practico, nec tamen denominari posset practicus ab illo habitu practico; Consequens est inconueniens; ergo & Antecedens. Sequela Maioris ex ipsius positione necessariò sequitur: siquidem docet non ab habitu practico vniuersali denominari intellectum practicum, sed à particulari; dato ergo quòd sit habitus vniuersalis, & non particularis, quod est secundùm ipsum possibile (vt patet ex dictis) intellectus speculatiuus informabitur habitu practico vniuersali, & non denominabitur practicus ab illo habitu. Minor. Quia omni habitu denominatur habens illum habitum per modum habitus; ergo & intellectus habens practicum habitum, denominari debet ab illo, atque ita habens habitum vniuersalem practicum, denominabitur ab illo intellectus practicus: frustra igitur confingitur alius ad talem denominationem.

Solutio gumenti. Ad hoc argumentum potest dari talis euasio. Dupliciter denominatur intellectus practicus; vno modo simpliciter, alio modo secundùm quid. Tunc simpliciter practicus dicitur, & denominatur intellectus, quando informatur habitu particulari practico, qui ipsum inclinet ad actuale desiderium finis; tunc autem secundùm quid est practicus intellectus, quando non habet illum habitum particularem, sed solùm vniuersalem, qui ideo denominabit intellectum practicum secundùm quid, non simpliciter; quia non omnino talis habitus inclinat ad considerationem actualem finis, sed remotè, & secundùm aptitudinem.

Impugn tur solutio Verùm hæc responsio non satisfacit argumento: Tum quia ille habitus vniuersalis de obiecto operabili; vel est simpliciter speculatiuus, vel simpliciter practicus (supposito quòd non detur medium inter hæc;) Non simpliciter speculatiuus; ergo est simpliciter practicus; ergo intelle-

intellectum denominabit simpliciter practicum non secundùm quid: Tum quia admissa illa distinctione, adhuc stat inconueniens, quòd habitus & actus practici sint in intellectu speculatiuo.

Tertia Cõ-cl.Gotfr. impugnatur. Tertiò. Improbatur principaliter dictum Gotfr. tertium. Dicit ille, quòd intellectus dicitur practicus prout illius notitia ordinatur actu ad inquisitionem finis, & mediorum ad illum consequendum; notitiam autem practicam actu ordinari ad finem, vel ad praxim, est accidens per accidens notitiæ practicæ, vt concedit ipse Gotfredus; habitus autem vel actus, per se & necessariò specificantur ac distinguuntur per obiecta, & per se dicunt ordinem ad illa, vnde relatio in habitu vel actu ad obiectum, est per se secundo modo conueniens habitui vel actui, vt docet Subt. Doct. in quodlib. quæst. 13.; sed relatio actualis ad opus vel ad finem, per accidens & non necessario conuenit habitui, vel actui practico. Isto supposito, sic arguit Subt. Doct. Subiectum receptiuum alicuius accidentis, magis debet denominari à conditione ipsius accidentis, quæ conditio per se conuenit tali accidenti, quàm ab illa, quæ per accidens conuenit & contingenter; sic homo magis denominatur risibilis & admiratiuus, ex aptitudine ad ridendum vel ad mirandum, quæ aptitudines per se conueniunt homini, quàm ex actu ridendi vel admirandi, qui merè contingenter conueniunt; sed secundùm te, intellectus denominatur practicus ex relatione actuali habitus practici ad finem, quæ relatio contingenter tali habitui conuenit; ergo magis denominabitur practicus ex aptitudine ad finem dirigendum, quæ aptitudo illi habitui per se conuenit, quàm ex actuali directione, &c.

Habitus, & actus à quo sunt practici, ab eo & intellectus. Concludit tandem hanc Controuersiam Subtil. Doctor. Quòd ab eodem dicatur practicus intellectus, à quo habitus & actus dicuntur practici, nimirum ab obiecto. Additur tamen quòd *non ita accidentaliter illud dicitur de habitu, & actu, sicut de intellectu, respectu cuius est accidens per accidens*: Sensus est, quòd ratio practici, magis necessariò conuenit habitui & actui, quàm intellectui, ab obiecto. Et ratio est. Quia habitus & actus specificantur & necessariò distinguuntur per obiecta, ita quòd habitus vel actus dicit ordinem per se ad obiectum, & consequenter ab obiecto operabili, per se dicitur habitus practicus, similiter & actus; sed intellectus non est ita determinatus ad hoc vel illud obiectum; imò cùm ad omnem actum recipiendum vel eliciendum contingenter se habeat, ad rationem etiam practici, quæ tali actui per se inerit, intellectus per accidens se habebit; idem dic de habitu.

Opinio Henrici. In Secunda parte Articuli examinatur Opinio Gandauen. quodlib. 1. quæst. 8. quæ consistit in hoc, quòd habitus practicus, similiter & actus practicus, habent extensionem ad praxim, ab obiecto, vt finis est. Probatur ista Opinio duplici authoritate, desumpta tum ex 3. de an. tum ex 6. Ethic. Deinde tribus rationibus, quæ sunt satis claræ in litera.

Istam positionem impugnat Doct. Subtil. quatuor Argumentis, vt efficacissimis ita clarissimis.

Finis est nobilior illis, quæ sunt ad finem. Illud tamen hic notandum est. Quòd illa propositio in textu præsenti vsurpata. Nihil ignobilius est per se finis nobilioris, videtur habere instantiam in omnibus potentijs, & in ipso intellectu; omnes enim potentiæ sunt propter actus suos, tanquam propter finem, sic intellectus est propter intelligere, visiua potentia propter videre, &c. & tamen potentiæ sunt nobiliores suis actibus; quia potentiæ secundùm Doct. in 2. distinct. 16. sunt idem realiter cum anima, atq; ita sunt substantiæ; operationes autem sunt accidentia; substantia autem ex vi substantiæ, est nobilior quouis accidente; similiter lucrum, est finis mercatoris, & tamen mercator est nobilior lucro, &c.

Vt veritas istius propositionis intelligatur. Aduerte Primò, ex Doct. Subt. lib. de 1. princ. c. 2. quòd ista propositio, Finis est melior eo quod est ad ipsum, intelligitur de fine qui est finis ex natura rei, non verò de fine ex mera præfixione voluntatis; potest enim illi præfigere finem homini, longè ignobiliorem homine, & sic non valet instãtia de lucro mercatoris, & de multis similibus.

Finis duplex. Aduerte Secundò ex eodem Doct. in lib. Theorem. Theorem. principali 18. Quòd finis sit alius extrinsecus, eo modo quo obiectum potentiæ, dicitur finis actus illius potentiæ; alius est finis intrinsecus, eo modo quo forma dicitur finis geniti, cuius est pars; sic etiam operationes vitales, sunt fines intrinseci potentiarum, & faciunt compositionem intrinsecam cum illis accidentalem. Dicta igitur propositio est intelligenda de fine extrinseco, non intrinseco, vt expresse dicit Doct. Theorem. allegato, Concl. 7. vbi explicans illud dictum multorum causa est perfectior causato, dicit *hoc esse falsum in materia, in alijs verum, vt causalitatem concomitaeur perfectio; & fortè falsum est de forma, quia est pars, & de fine intrinseco, quia accidens, & de efficiente vniuoco; igitur falsum simpliciter* (scilicet illud dictum de nobilitate causæ supra causatum) *sed accidentaliter verum in efficiente æquiuoco, & fine extrinseco*, intellige æquiuoco, quia generans dum intendit generare sibi simile in natura, genitum intentum est finis vniuocus extrinsecus, sed non perfectior illo, quod intendit illum finem. Causa perfectior causa. to quis sẽsus Quando igitur in præsenti textu dicit Doct. Subt. quòd nullus actus potentiæ inferioris, scilicet sensitiuæ, est finis actus intellectus; clarum est quòd loquatur de fine extrinseco; siquidem actus visionis, vel alius sensitiuus cum intellectione, non est aptus facere compositionem, ne accidentalem quidem, nisi impropriam aggregationem; vnde & sequens propositio, quæ est, Nihil ignobilius per se est causa (scilicet finalis) nobilioris, intelligenda est de fine extrinseco; & notanter additur à Doct. *ly per se causa*, vt indicet quòd hîc loquatur de fine ex natura rei, & de fine per se, ac necessario, ad quem habeat necessariam habitudinem & subordinationem illud Ens, quod est propter talem finem. Hinc est, quòd licèt (secundùm aliquos) obiecta sint fines extrinseci potentiarum & æquiuoci, quia tamen non sunt per se fines, sed per accidens (per se enim potentiæ ordinantur, vt ad finem, ad animæ perfectionem, ad obiecta verò ordinantur per accidens, mediantibus actibus secundis) ideo non requiritur, quòd obiecta potentiarum debeant esse nobiliora potentijs. Potẽtiæ per se ordinãtur ad animæ pfectionẽ, ad obiecta per accidens.

Opinio Roditonis. Tertia Sententia priori persimilis est Ioann. Roditonis in Prol. 96. artic. 2. qui dicebat, non à fine (vt docebat Henr.) sed ab ipsomet actu practico, seu à consideratione practica denominari habitum practicum.

Impugnatur Rodit. Sed contra. Consideratio illa practica, à qua (secundùm te) habitus est practicus, à quo erit practica? vel à fine, vel ab obiecto, vel ab intellectu: non à fine, vt probatum est contra Henr. nec ab intellectu; quia intellectus quamuis eliciat actiuè actum, & principaliùs quàm obiectum, non tamen illius est specificare actum, & in tali esse constituere, sed obiecti, vt dicitur infra distinct. 3. ergo actus ille quòd sit practicus, habet rationem practici ab obiecto; ergo pari ratione, & habitus.

Ad argumenta Henr. Respondet Doctor ad rationes, nam authoritates supra in meliori sensu vsurpatæ sunt, & explicatæ à nobis, & dicitur infra in responsione ad argumenta principalium, propterea modò in earum resolutione Doctor non immoratur. Ad Primam rationem dicitur. Quòd non possit esse circa idem obiectum, (intellige sub eadem ratione formali) habitus speculatiuus & practicus; quòd an sit verum examinatur infra, in Dubit. super hoc proposita.

Practica notitia alia im pfectè practica, alia pfectè practica. In ista responsione duo sunt Aduertenda circa literam. Primò. Quòd notitia practica possit esse imperfectè practica, vel perfectè practica: quando enim consideratur obiectum operabile, & non dictatur prosecutio vel fuga illius, est imperfectè practica; quando autem dictatur de prosecutione vel fuga obiecti operabilis, est perfectè practica. Secundò Ad-

uertendum est. Quando hìc dicitur, quòd practicum & speculatiuum sunt differentiæ essentiales habituum & actuum, præcedenti autem Articulo docuit non esse differentias essentiales, non contradicere hìc dictis prioribus: ly enim, differentia essentialis, sumitur dupliciter; vno modo, pro differentia essentiali constitutiua essentiæ, & dicitur per se primo modo de suo constituto, vt rationale de homine; alio modo, pro differentia profluente ab essentia non constituente illam, quæ nimirum necessariò conuenit illi essentiæ, & dicitur per se secundo modo de illa, sic risibile potest dici differentia essentialis hominis: hoc igitur secundo modo loquitur hìc Doctor de differentia essentiali; & in priori Articulo negauit, practicum, & speculatiuum esse differentias essentiales, priori modo.

Differentia essẽtialis duplex.

Ad Secundum, de diuisione medicinæ in practicam & speculatiuam, duplex datur responsio. Prima est Henrici quodlibeto 6. quæstione 2. & quodlibeto 12. quæstione 22. quòd habitus medicinæ vniuersalis sit speculatiuus; sed particularis habitus (prout illa communis medicinæ notitia ad particularium obiectorum cognitionem practicam applicatur) est practicus.

Medicinæ in Practicã & Theoricam an sit bona.

Contra hanc responsionem arguit Doctor: quòd tunc sequeretur ex principijs speculatiuis Conclusio practica, quod est inconueniens.

Impugnatur responsio Henr.

Respondet Arimin. quæstione 5. prologi articulo 2. pro Henrico, dicens. Ex vna præmissa speculatiua, & altera practica, verè potest sequi Conclusio practica; ex hoc enim principio practico, Contraria contrariorum appositione curanda sunt, & isto speculatiuo, Sed talis ægritudo, puta febris, est ex superabundantia caloris, sequitur statim hæc Conclusio practica, Ergo talis ægritudo curanda est per appositionem contrariorum.

Respondet Arimin.

Sed ista responsio non valet. Nam non probat id quod Doctor negat; non enim negat posse sequi Conclusionem practicam, ex vno principio practico, & altero speculatiuo, vt ei imponit Arimin.; sed docet quòd ex duobus principijs speculatiuis (& propterea dicitur in plurali ex principijs, non ex principio) non possit sequi conclusio practica, cuius non ostendit oppositum Greg. Et nostrum propositum confirmatur facilè: quia obiectum quod est ex natura sua operabile, semper est operabile; sed subiectum in tali conclusione practica, esset practicum, circa quod posset elici praxis, vt hoc animal est sanabile; ergo illud quantumuis vniuersaliter in principijs sumatur, secundùm rationem sanabilis, semper erit practicum; & ita principium illud erit practicum; & consequenter non poterit sequi Conclusio practica, ex solis principijs speculatiuis.

Impugnatur Arim.

Responsio Secunda ad hoc argumentum, est propria Doct. (cui persimilis habetur 6. Metaphysic. quęstione 1. in responsione ad secundum principale) consistitquè breuiter in hoc. Quòd omnis habitus cognoscitiuus circa obiectum operabile, est ex natura rei & obiecti directiuus in praxim, seu operationem, sed diuersimodè. Aliquis enim habitus est directiuus verè quidem; sed incompletè, & quasi à remotiori, sicut qui est circa magis vniuersalia; aliquis magis perfectè & de propinquo, sicut qui est circa magis particularia: actus enim sunt circa singularia; vnde experientia quæ habetur ex particularibus, magis dirigit in operando, quàm ars sine experientia, vt dicitur 1. Metaphys. in prooemio. Medicinæ igitur habitus vniuersalis est verè practicus, sed incompletè, & à remotiori; habitus autem particularis, est completè practicus: & comparando vniuersalem ad particularem, habitus ille vniuersalis, potest largè & comparatiuè dici speculatiuus, impropriè tamen: Et sic intelligendus est Auic. libro primo suæ medicinæ, quando diuidit medicinam in Theoricam & Practicam; nec plùs verba eius, quæ prolixè allegat Arimin. volunt, nisi quòd speculatiua medicina non doceat operationem, sed scire; scilicet non docet completè & in proxima dispositione operationem, sed docet scire à remotis operationem, quam talis notitia apta est dirigere, licèt imperfectè. Et eodem modo hìc est intelligendus textus Doct. ille, *potest distingui medicina in speculatiuam, quæ scilicet est de vniuersalibus causis & curis, quæ cognitio est remotior à praxi elicienda, & in practicam, quæ de particularibus & de propinquioribus praxi*, quæ verba licèt ab Arimin. loco citato impugnentur verè tamen est nominalis illa impugnatio non realis, & nullo modo officit Scoticæ veritati.

Respon. ipse Doct.

Practicum cõpletè, & incõpletè.

Medicina vniuersalis est verè practica, sed incompletè, particularis autẽ completè.

Arimin. impugnatio cõtra Scot. facta ẽ nominalis nõ realis.

Ad Tertium. In illo argumento inprimis hoc dictum, quòd bonitas & malitia competunt actui ex circumstantia finis, sumptum vniuersaliter, est falsum. Ratio est. Aliquis actus est primò bonus circumstantia obiecti, vt amare Deum, imò vniuersaliter in omni actu bono, præter illam bonitatem, quam habet actus ex circumstantia finis, est prior bonitas ex genere, competens actui ex obiecto, vt declaratur in 2. & 3. senten. & communiter docetur ab omnibus. Vnde malè secundò hìc dicitur ab Henr. quòd inter circumstantias sit prima circumstantia finis, cùm sit prior circumstantia obiecti. Tertiò ostendit Doctor, quòd illud argumentum Henr. directè probet oppositum illius sententiæ: nam esto, quòd ipsa praxis ordinetur vt sit recta) debitis circumstantijs, finis, loci, temporis, & similibus; adhuc tamen quæstio manet de notitia practica, à quo illa habet esse practicum, & illam rectitudinem, quòd rectificet & conformet sibi praxim? Patet quòd non à praxi; ergo ab obiecto. Confirmatur. Quia dictamen illud rationis de rectè elicienda praxi, est necessarium, & necessariò rectum, & non habet notitia necessitatem rectitudinis ab alio, quàm ab obiecto; ergo &c.

Inter circũstantias nõ ẽ prima circũstantia finis (vt male Henr.) sed prior obiecti.

Reliqua quæ in textu apponuntur, sunt clara.

ARTICVLVS QVARTVS.

Datur responsio propria ad Quæstionem.

Concedo ergo quòd habitus non dicitur primo practicus ab actu, &c.

SVMMA TEXTVS.

In priori parte Articuli, dantur tres Conclusiones responsiuæ ad Quæstionem, A quo habeat notitia practica extensionẽ conformitatis ad praxim. Prima Conclusio. *Habitus non est primò practicus ab actu proprio. Ista Conclusio est contra Ioan. Roditonem vt patuit Art præcedenti.* Secũda Conclusio. *Nullus actus vel habitus practicus, habet effectiuè extensionem conformitatis ad praxim, ab ipsamet praxi, vt à fine.* Tertia Conclusio. *Habitus practicus habet rationem practici quandoq; à fine non inquantum finis est, sed inquantum est primum obiectum talis notitiæ. In secunda parte loquitur de alia relatione aptitudinali scientiæ practicæ, nempe de prioritate, vnde & quomodo illa conueniat tali notitiæ, respectu praxis. Quam partem his dictis absoluit.* Primum dictum. *Praxim necessariò præcedit aliqua cognitio directiua praxis vt patuit art.* 1. Secũdum dictum. *Non omnis cognitio prior praxi, est practica; sed illa quæ formaliter siue actualiter siue in potentia propinqua est directiua praxis; aut saltem virtualiter seu aptitudinaliter seu in potentia remota.* Tertium dictum. *Quando notitia est directiua, sed praxis non est dirigibilis, quia illa potentia practicans, puta voluntas, non est regulabilis aliunde, sed est perfectissimè regulata se ipsa qualis est voluntas Diuina respectu suæ volitionis; tunc cognitio illa non est plenè practica, nec est plenè prior praxi, in ratione directiui, vt dicitur quæst. sequent. artic.* Quartum dictum. *Quamuis absolutè ex ordine istarum potentiarum intellectus & voluntatis, intellectio sit prior volitione, tamen intellectio directiua & conformatiua praxis, vt sit prior praxi, supposito ordine potentiarum, requirit præterea obiectum o-*

Practicus habitus habet rationẽ practici à fine aliquãdo, nõ tamẽ inquãtũ finis est, sed inquãtũ obiectũ.

perabile

perabile, in quo est obiectiua rectitudo praxis, vel saltem virtualiter includitur; adhæc requirit voluntatem vel illam potentiam à qua elicitur praxis quòd sit dirigibilis & regulabilis à tali potentia: quod additur, propter dictum tertium, de voluntate Diuina, quæ non est regulabilis. Quintum dictum. Quamuis veritatis necessariæ cognitio, vt quòd Deus est amandus, prior sit omni volitione tam Diuina, quàm creata, vt de se clarum est; tamen veritas contingens, vt quòd Deus in sacrificio altaris sit colendus, non est simpliciter prior omni actu voluntatis, quia vt dicitur infra de notitia futurorum, omnia contingentia determinantur ad alteram partem contradictionis à voluntate Diuina, ita quòd vt intellectus intelligat determinatè hanc veritatem contingentem, præsupponit actum volendi potentiæ volitiuæ, respectu tamen illius voluntatis, quæ non dat determinationem illi contingenti, vt est omnis voluntas creata, cognitio talis voluntatis potest esse prior omni volitione, vt est clarum in textu.

COMMENTARIVM.

Obiectio. CIrca secundam Conclusionem, quæ docet extensionem ad praxim non esse à fine, vt finis est, ponitur vna Obiectio in textu talis. Principia practica semper à fine desumuntur; ergo finis continet virtualiter notitiam practicam, & non obiectum, vt supponis. Antec. Sicut se habent principia in speculabilibus, ita finis in agibilibus; sed à principijs in speculabilibus sumitur notitia Conclusionis practicæ; ergo etiam à fine sumitur notitia practica.

Responsio. Ad hanc obiectionem datur responsio triplex. Primò. Quòd à fine, non vt finis est, sed vt obiectum, sumitur notitia practica. Secundò dicit. Quòd ista propositio, Principia practica semper sumuntur à fine, neganda est vniuersaliter sumpta, & patet in instantia in textu de sanitate & fœlicitate; quæ vera est particulariter, ibi vbi ratio finis non concluditur ex aliquo priore, pertinente ad cognitionem practicam. Sensus est: finis quidam includitur in aliquo priore pertinente ad notitiam practicam, vt finis medicinæ sanitas, includitur in homine, qui est prius cognoscibile (non tantùm primitate perfectionis, sed etiam primitate continentiæ virtualis principiorum scibilium de illo fine) pertinens ad notititiam medicinæ, quæ est notitia practica: alius autem finis est, qui non includitur in aliquo priore, pertinente ad illam scientiam; sed finis & obiectum idem sunt in illa scientia, sic in Theologia finis est Deus, qui in nullo priori includitur, & idem est obiectum Theologiæ. Dicit igitur Subt. Doct. ista enunciatio, Principia practica semper sumuntur à fine, hoc secundo modo accipiendo finem, qui in nullo includitur, vera est; sed de fine qui in altero priori includitur, vt patuit de sanitate, falsa est.

Finis alius est qui includitur in aliquo priore pertinente ad scientiam alius non.

Principia practica sumûtur à fine quo vera

3. Respõsio. Tertia responsio supponit istam distinctionem Actus vel nudè absq; omni circumstantia consideratur, vt dare eleemosynam; vel sumitur bonus secundùm genus, prout circumstantionatur circumstantia obiecti, quando transit super debitum obiectum, vt dare eleemosynam pauperi; vel tertiò accipitur vlteriùs, circumstantionatus alijs circumstantijs, inter quas post circumstantiam obiecti, prima est circumstantia finis, vt dare eleemosynam pauperi, propter Deum. Illa igitur propositio, Principia practica sumuntur à fine, vera est tunc, quando principia sumuntur à fine, ex præsupposita circumstantia obiecti; sic ab isto fine, quòd est propter Deum dare eleemosynam, sumuntur aliæ circumstantiæ, & alia principia, vt hic actus sit perfectè ordinatus, vt dare libenter, tali loco, tali tempore, &c. Sed quando sumitur actus nudè consideratus, cùm prima illius circumstantia, secundùm quam talis actus debet esse bonus, bonitate ex genere, sit obiectum; sequitur quòd principia practica tunc sumuntur ab obiecto, non à fine.

Actus bonus quas debet habere circumstãtia.

Cætera sunt clara in textu.

RESPONDETVR ARGVMENTIS in principio Quæstionis adductis.

Ad Argumenta huius Quæstionis. Ad authoritatem 3. de anima, &c.

IN responsione ad Primam authoritatem dicit Doct. Quòd finis habitus cognoscitiui accipitur dupliciter; vno modo, pro ipsa operatione & pro vsu habitus, vt idem sit habitum practicum à speculatiuo differre fine, quod habere distinctionem ab operatione seu à praxi: alio modo accipitur finis, pro ipso obiecto cognito, ad quod ordinatur talis habitus, quodq; est finis illius. Licèt igitur habitus practicus à speculatiuo differat fine, priori modo; Arist. tamen intelligendus est secundo modo, non primo, idq; propterea, quia loquitur de distinctione prima habitus practici à speculatiuo, & cùm prior distinctio habitus sit ab obiecto, quàm ab operatione, Arist. intelligendus est de distinctione prima per obiectum. Ista tamen prima distinctio, non est distinctio simpliciter prima, sed est prima inter distinctiones nobis notiores; quidditatiua autem habitus ab habitu distinctio, simpliciter prima, sed nobis ignota, est alia, prior quàm sit distinctio ex obiectis, vt dixi Art. 2.

Practicus à speculatiuo habitu distiguitur fine, quomõ.

Finis habitus cognoscitiui duplex.

Istam subtilem responsionem Doct. non intelligens Thom. Anglicus quæst. præsen. multa dicit contra hunc Doct. sed cùm omnia dicta ipsius procedant ex non intellectione literæ, ideo omitto.

Tho. Angl. multa contra Scot. dicit quia illũ non intelligit.

Ad Secundum arg. de 1. Metaph. vbi dicitur, Practica est minus nobilis quàm speculatiua; quia practica est gratia vsus; hæc ratio Philosophi non concluderet, practicam esse ignobiliorem speculatiua, nisi vsus esset finis per se habitus practici. Resp. Doct. Primò, si authoritas Philos. esset intelligenda de vsu propriè sumpto pro actu operadi, tunc distinctio scientiæ practicæ à speculatiua penes vsum vera erit, sed accidentalis, sicut & penes finem, non aũt per se & prima; ac proinde non est ad propositũ sententiæ oppositæ. Dicit Secundò. Quòd per se finis practici habitus, est vel vsus, vel aliquid virtualiter includens vsum, (quatenus videlicet includit virtualiter principia directiua praxis) non autem est vsus; ergo est virtualiter includens vsum, istud autem est obiectum; ergo, &c. Dicit Tertiò. Quòd obiectum operabile circa quod potest elici praxis, est tantùm Ens ad finem, secundùm Arist. non autem ipse finis vltimus, qui est Deus: cùm ergo Entia ad finem sint ignobiliora fine vltimo, consequenter dicit Aristot. quòd practica sit ignobilior speculatiua: circa finem autem vltimum, putat Philosophus non elici praxim, quia quæuis intelligentia, alia à prima, diligit primam naturaliter & necessariò, secundùm Arist. vt deducit Doct. Subt. 12. Met. & infra dist. 8. quæst. 5. atq; ita ista dilectio non erit praxis.

Practica est minus nobilis quàm speculatiua secundũ Aristot. quomodo.

Istud tamẽ Tertium dictum videtur habere in Arist. instantiam. Is enim ponit aliquam scientiam conformem praxi voluntatis circa finem vltimum: nam 1. Ethic. c. 7. 8. & 9. tractans Philosophus de fine vltimo, diuersos errores reprobat circa finem vltimum; illa autem scientia est practica; ergo est scientia practica de fine vltimo, secundùm Arist. & consequenter est praxis circa finem vltimũ, secundùm eundem Philosophum; cùm notitia practica sit directiua praxis dirigibilis. Nec potest dici: quòd Arist. non ponit finem vltimum Deum, quia 4. Ethic. expressè vult fælicitatem consistere in speculatione obiecti nobilissimi; sed nobilissimum obiectum est Deus; ergo de Deo vt est obiectum fœlicitatis, & finis vltimus, ponit scientiam practicam. Item. 1 Magn. Moral. c. 3. bonum absolutissimum dicit esse fœlicitatem, quod sanè fatemur esse in bene agendo, ac bene viuendo; sed bene agere, & bene viuere, subsunt nostræ voluntati; ergo actus summæ fœlicitatis non sunt naturales, secundùm Aristot. sed apti sunt dirigi.

Praxim circa finem vltimum an ponat Aristoteles.

Respondeo. Doctrina illa Aristot. est vere Peripateti-

ca, vt constat apertè ex 3. Ethic. c. 5. vbi cùm ostendisset Aristot. omnia, quæ sunt ordinata ad vltimum finem, esse in nostra potestate; de ipso vltimo fine subdit post medium hæc verba, *Appetitio verò finis minimè spontanea est*. Cùm igitur praxis sit operatio libera quæ bene vel malè elici potest, & actus voluntatis non possit elici malè circa finem vltimum, in sententia Arist. quia non est de illa appetitio spontanea, secundùm ipsum, sed quasi naturalis; verè praxis erit respectu aliorum à fine vltimo, non autem respectu finis vltimi, secundùm Philosophum: vnde quia praxis non potest esse circa finem vltimum, nec notitia directiua praxis potest esse de tali obiecto, secundùm ipsum; sed bene de illis quæ sunt ad finem.

Consideratio finis vltimi, est ciuilis facultatis.

Ad authoritates verò contra Doctorem adductas. Ad illam de 1. Ethic. Dico, quòd consideratiò finis vltimi, est ciuilis facultatis, secundùm Arist. non ita quasi ipsa cognitio de fine vltimo sit practica, directiua praxis circa ipsum; sed quia cuiusuis considerationis practicæ, & omnium actionum ciuilium, ipse finis vltimus sit finis, vt apertè ibi docet Arist.

Quando prætereà dicitur: quòd felicitas consistit in bono nobilissimo, hoc autem est Deus; ergo felicitas consistit in Deo, secundùm Philosophum. Respondeo: verum est, quòd in cognitione abstractiua substantiarum abstractarum, & ipsius Dei, consistat felicitas; sed ista consideratio est speculatiua cognitio, non practica, quia non directiua praxis, cùm actus voluntatis sit naturalis non spontaneus, circa finem vltimum, secundùm Arist. Similiter notitia quis sit finis vltimus, & scientia reprobandi errores de fine vltimo, est speculatiua, ob dictam causam.

Felicitas duplex secũ dum Arist.

Ad dictum de 1. Magn. Moral. Respondeo. Duplicem nouit Arist. felicitatem: vnam, non simpliciter vltimam, quæ est in nostra potestate, vt rectè & virtuosè viuere, de qua ibi loquitur, & de tali est notitia practica: alia est simpliciter vltima, & quæ ad nullum vlteriorem finem refertur; & talis est speculatio abstractiua de substantijs separatis: vide Philosophum 1. Ethic. c. 7. vbi docet honorem similiter & virtutem expetere nos propter felicitatem, horum verò causa nullus felicitatem, neq; omnino ob aliud quidpiam expetit, &c.

Ad Tertium principale patet responsio ex dictis.

QVÆSTIO IX.

Vtrum Theologia sit scientia practica.

Quòd non, arguitur. Ioan. 20. Hæc autem scripta sunt vt credatis, &c.

SVMMA QVÆSTIONIS.

Quatuor examinantur in ista Quæstione. Primò, recitantur quinq; Opiniones aliorum, tenentes viam negatiuam de proposita quæstione. Secundò, proponuntur aliæ Opiniones. Tertiò, explicatur sententia propria, an & quomodo Theologia sit practica de veritatibus necessarijs. Vltimò disputatur, an Theologia de veritatibus contingentibus sit practica.

ARTICVLVS PRIMVS.

Recitantur aliorum quinq; Opiniones tenentes viam negatiuam.

Ad istam Quæstionem respondendo, Dico, quòd hic sunt quinque viæ, &c.

COMMENTARIVM.

Diuersitas Opinionum in præsenti quæstione est in triplici differentia. Quidam enim dicunt Theologiam non esse practicam, vt tres Opiniones priores: quidam ponunt esse mediam inter practicam & speculatiuam, neq; affectiuam vel contemplatiuam, vt quarta & quinta docet sententia; & istæ quinq; examinantur in præsenti Articulo. Alij autem affirmant Theologiam esse speculatiuam & practicam vt in sexta & septima opinione art. sequenti explicanda, dicetur.

Opinio prima doct. Theol. est speculatiua quia est de fine vltimo de quo non est praxis. Voluntatis actus est duplex.

Prima Opinio præsentis Articuli est Henr. Gand. in summa, artic. 8. quæst. 3. quodl. 8. quæst. 9. Consistit breuiter in hoc, quòd ista scientia sit speculatiua, non practica. Fundamentum huius positionis est. Actus voluntatis est duplex; vnus quo tendimus in ipsum finem simpliciter, qualis finis est Deus; alius quo tendimus in finem sub fine, hoc est, in aliquid quod habet rationem finis, referribilis tamen ad finem vlteriorem. In primo actu suo, voluntas non indiget cognitione directiua, secundùm Henr. in secundo indiget. Cùm igitur ista scientia versetur circa finem vltimum, & actus iste voluntatis non sit dirigibilis, ista scientia non erit directiua praxis, & consequenter non erit practica. Ad quod probandum adducit tres rationes.

Contra istam positionem arguendo Doctor, quatuor rationibus, prima & secunda impugnatione destruit fundamentum Henr. ostendendo quòd actus voluntatis circa finem vltimum possit errare, & consequenter, quòd indigeat habitu directiuo.

Textus Doct. est clarus, nec alia indiget expositione.

Guil. Var. præceptor Scot. negat esse practicã, quæ notitia practica est de contingenti obiecto.

Secunda Opinio est Guil. Varronis (qui fuit ordinis Minorum, præceptor Subt. Doct.) in prol. quæst. 4. docentis, dilectionem finis vltimi non esse praxim. Ratio est. Quia praxis (secundùm ipsum) est circa obiectum contingens; dilectio autem finis, est circa Ens simpliciter necessarium: si igitur dilectio Dei non sit praxis, neq; notitia Theologica erit practica: quia non erit directiua praxis.

Impugnatio huius opinionis est clara; & non tantùm quarta ratio, vt dicit Doctor (quamuis illa principaliter) sed etiam aliæ tres rationes contra præcedentem opinionem positæ, impugnant hanc sententiam, vt patebit speculanti.

Tertia opinio negat esse praxim actum elicitum voluntatis.

Tertia Sententia quæ in textu ponitur, est quorundam antiquorum, quam postmodum secutus est Henr. quol. 1. q. 3. qui negant actum elicitum voluntatis esse praxim, & consequenter Theologiam negant esse practicam, sed dicunt actum imperatum à voluntate esse praxim. Pro hac sententia arguitur triplici argumento. Primum est. Omnis praxis sequitur electionem; sed electio est actus elicitus voluntatis; ergo omnis praxis est actus consequens actum elicitum voluntatis. Maior est Philosophi 6. Ethic. c. 3. vbi dicit, quòd *actus* (scilicet ipsius praxis) *principium est electio*, quale autem sit principium, explicat Philosophus subdens, *non cuius gratia* (id est non est principium finale) *sed vnde motus*; (scilicet est principium effectiuum) sed principium effectiuum est prius suo effectu; ergo & electio prior est illo actu, qui est praxis.

Non omnis praxis sequitur electionem.

Ad hoc argumentum respondet Doctor infra, negando maiorem, Ad probationẽ dicit, quòd illa verba. Principium actus est electio, accipienda sunt de actu imperato, quod talis actus imperati principium est electio, non autem de omni actu qui dicitur praxis, cùm electio sit primò praxis, vt dictum est quæst. præced. art. 1. Ista responsio innititur authoritati Arist. qui post illa verba, *non cuius gratia, sed vnde motus*, hæc statim subdit, *electionis autem appetitus, & ratio, quæ gratia alicuius principium*. id est, quòd actus imperatus sequitur electionem; *ipsa autem electio habet suam rectitudinem à ratione recta, & ab habitu virtutis existente in appetitu, quæ ratio & virtus gratia alicuius sunt*, id est, practica sunt, & principium rectitudinis in electione: cùm igitur priùs eliciatur à virtute & recta ratione electio bona, quàm ab electione actus imperatus; sequitur quòd priùs erit praxis electio, quàm actus imperatus.

Electio bona a quo duci debeat.

Quòd autem electio debeat produci non tantùm à recta ratione, sed etiam ab habitu morali, confirmatur hoc ex dicto Arist. præf. & ibidem post illa verba, *neque sine habitu* (supple morali) *ẽ electio*, subdit, *bona actio enim sine more nõ est*, istam accipiendo Maiorem Philosophi, infero hanc Minorem; sed bona electio est bona actio; sequitur Conclusio intenta, quòd bona electio non sit, vel non eliciatur sine more, vel morali habitu.

Secun-

Secundum & Tertium argumentum pro hac opinione est euidens in textu.

Praxis est operatio secundum electionem.

Rationes item Doct. contra hanc sententiam non indigent expositione, si illud dictum Auerr. in responsione ad tertium, Praxis est operatio secundùm electionem, intelligatur. Intelligi autem potest tripliciter; primò, quòd ly secundùm, accipitur non præcisè, vt nota causæ efficientis, quasi sensus sit, praxis est illa operatio, quę fit ab electione; hoc enim prædicatum licèt verum sit, non tamen est adæquatum; quia omnis operatio imperata ab electione (pręter intellectionem, vt in præced. quæst. art. 1. dictum est) est praxis, sed non sola; sed accipitur ly secundùm; tam effectiuè, pro actibus imperatis, quàm formaliter, pro ipsa electione. Secundò potest dici; quòd ly electio, accipitur ibi non pro actu elicito voluntatis, sed pro ipsa voluntate, vt est actus primus potens liberè actus elicere; vt sit sensus, quòd praxis est operatio secundùm electionem, id est, est operatio, à libertate voluntatis producta, siue illa sit elicita siue imperata. Tertiò potest ly electio accipi, pro illo qđ communiter dicimus, elicitio seu productio; vt sit sensus, praxis est operatio secundùm electionem, id est, secundũ elicitionem siue productionem, vt ly secundùm, denotet ibi in electione actionem de genere actionis, qua praxis producitur.

Omnis operatio imperata ab electione é praxis, sed non sola.

Electionis acceptio.

Theologia est pure speculatiua opinio.

Ante Quartam Opinionem ponitur Conclusio vna, communis tribus præcedentibus sententijs. Quòd Theologia sit scientia purè speculatiua, esto quòd extendatur ad dilectionem. Probatur Primò. Quia si Theologia esset ideo practica, quia extenderetur ad dilectionem, sequeretur quòd omnis cognitio esset practica; Consequens est inconueniens, & contra Philosophum 6. Met. ergo & Antecedens. Sequela maioris probatur. Quia omnem cognitionem sequi potest aliqua dilectio, vel delectatio; nam Metaphysicam speculationem Entis, postquam intellectus illud considerando acquieuerit eius principijs, bene potest sequi dilectio, & delectatio. Secundò dicitur. 10. Ethic. c. 10. quòd fælix sit Dei amantissimus; ergo fælicitatem consequitur dilectio, & tamen fælicitas nostra naturalis, secundùm Arist. consistit in speculatione, & est notitia speculatiua, non practica; ergo ex consecutione dilectionis ad aliquam notitiam, non bene infertur, quòd illa notitia sit practica; ergo nec in proposito.

Conclusio cōis impugnatur I.

Contra istam Conclusionem arguitur Primò à Doct. Amor seu dilectio, vt distinguitur à delectatione, & est in potestate hominis, vel est praxis vel speculatio; sed non est speculatio, vt patet; ergo est praxis; sed scientia directiua praxis est practica; ergo est scientia directiua dilectionis est practica; talis est Theologia; igitur, &c.

2\. Secundò. Veritas cognitionis practicæ, confessè seu conformiter se habet appetitui recto; siuè quod idem est, est conformatiua appetitus recti, vt vult Arist. 6. Ethic. c. 3. sed cognitio quæ apta est extendi ad dilectionem dirigendam, confessè se habet appetitui recto, cùm rectificet ipsum in actibus suis; ergo est practica.

Ad motiua pro ista communi conclusione adducta.

Ad Primũ. Respōdeo, ideo Theologia est practica, quia extenditur ad dilectionem, vt conformatiua dilectionis; sed nego sequelam Maioris. Ad probationem; dico, delectatio & complacentia illa, quæ consequitur naturaliter speculationem, non est praxis, secundùm Doct. hìc, & quæst. præced. art. 1. Ad secundum. Dicitur, quòd in illa authoritate Fælix est Dei amantissimus; ly amantissimus, passiuè accipitur, non actiuè, id est, fælix maximè amatur à Deo. Litera est clara.

Felix Dei ē amātissim⁹, quis sensus.

Fælicitas intelligētiarũ in speculatione an in praxi consistat, secũ cũ Arist.

Expediuntur tandem; tres Difficultates; quarum duæ possunt loco vnius sic breuiter proponi. Cùm Intelligentia secunda diligat primam, secundùm Philosophum, videtur quòd secundæ Intelligentiæ fælicitas, non deberet consistere in speculatione, sed in praxi, vel notitia practica; imò illa notitia omnino deberet dici practica, iuxta hactenus dicta; & tamen fælicitas secũdæ Intelligētiæ verè consistit in speculatione, secundùm Aristot. & quod dico de secunda Intelligentia, idem dico de prima, & de quauis alia: & consequenter contra Aristot. videtur dicere noster Doct. quòd notitia directiua dilectionis est practica.

Responsio tota consistit in hoc. Quòd descriptionem speculatiuæ, similiter & practicæ notitiæ, vt veram, desumimus ex Arist. vt superiùs est ostensum, & modò ex proposita difficultate possumus deducere. Ponatur enim loco Maioris hęc propositio, Notitia quæ extenditur ad dilectionem obiecti (si tamen illa dilectio est necessaria, & non apta regulari ab intellectu, ob determinatam necessitatem dilectionis ad obiectum) non est practica: in hac Maiori conuenimus cum Arist. sed in Minori, quæ secundùm Arist. inferri debet hæc, Sed notitia quam habet secunda Intelligentia, de dilectione primæ, non est apta regulare illam dilectionem Intelligentiæ, cùm illa dilectio sit absolutè circumstantionata & necessaria, vt infra ex Arist. deducitur; discrepamus: ista enim Minor est falsa, secundũ Theologum; quare & Conclusio illa, quòd notitia in qua consistit fælicitas secundæ Intelligentiæ, sit speculatiua, nō practica, neganda est omnino à Theologo; si quidem sequitur ex falsa Minore: Conueniens enim est Theologũ à Philosopho discordantem in Minore, discordare etiam in Conclusione, quæ ex illa Minori sequitur, quam Conclusionem etiam ipse Arist. negasset, si de Minori aliter sensisset, vt verè sentiendum erat.

Videtur dicere Doct. cōtra Arist. Respōdetur

Theologum discordantē à Philos. in Minore, cōuenit discordare in Concl.

Tertia Difficultas est. Dato quòd secundùm Arist. fælicitas secundæ Intelligentiæ consistat in speculatione, quia illa dilectio non est dirigibilis, quæritur de homine sapiente, an illius fælicitas secundùm Arist. consistat in speculatione? Respondet Doct. Quòd Arist. non negaret, nec negare deberet, fælicitatem sapientis esse practicam, quia est praxis directiua; ponit tamen fælicitatem Sapientis esse speculatiuam. Primò; quia putat obiectum illud à ratione ostensum, necessariò diligi à voluntate sapientis, iuxta illud 3. Ethic. c. 5. *appetitio finis minimè spontanea est*, & ita Arist. intelligit Doctor hìc, & infra in resp. ad 4. principale. Secundò potest explicari non incongruè fælicitatem sapientis dici speculatiuam; latè extendendo nomen speculatiui, prout talis speculatio comprehendit etiam amorē qui per ipsam est regulabilis; hoc autem ideo fecit Arist. quia amor ille sapiētis circa obiectum beatificum, quamuis non necessariò elicitur, nec ex natura sua conformis sit, aliquomodo tamen ob adhærentiam ad obiectum cōuenientissimum, minùs indigens directione, non ita consideratur secundùm quod dirigibilis est, sed maximè ibi attenditur obiecti cognitio; ob quod potiùs speculatiua quàm practica ab Arist. statuitur fælicitas sapientis. Prior tamen responsio est verior, secundùm rem & positionem Philosophi.

Fælicitas Sapientis ē speculatiua secũdum Aristotelē quō.

Quarta via docens Theologiam esse scientiam affectiuam vel affectatiuam, est Doct. Seraphici q. 3. prol. Alb. Mag. art. 4. Argent. q. 4. art. 3. in prologo.

4. Opin. docet Theol. esse scientiā affectiuam.

Quinta Opinio, quæ docet Theologiam esse cōtemplatiuam, est quorundam antiquorum quos citat Varro q. 4. lib. 1.

5. Opin. dic esse con ēplatiuam.

Textus vtriusq; positionis & impugnationis est clarus.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Aliæ Opiniones duæ proponuntur.

Alia Opinio est discordans à præcedentibus in Conclusione, &c.

COMMENTARIVM.

Ista Sexta in ordine Opinio (est Gotf. quod. 13. qu. 1. quem postea secutus est Gabr. q. 12. prol.) dicit, quòd Theologia sit partim practica partim speculatiua: & in hoc distinguitur ista sententia à sequenti, quòd ista ponat Theologiam esse duplicem habitum; vnum de speculabilibus, alium de operabilibus obiectis; sequens autem dicit Theologiam esse speculatiuam & practicam, sed cũ hoc, vnum habitum. Positio istius Opinionis, & eius duo motiua, patent in litera.

Sexta opinio.

Septima opinio.

Impugnat Doct. hanc Opinionem quatuor rationibus; quarum Prima Supponit Primò, quòd habitus scientifici, quidam habent euidentiam ex obiecto, vt habitus natu-

rales, quidam non habent, vt habitus reuelatus Theologiæ, iuxta dicta ſupra.q.3.Secundò ſupponit;quòd ſcientiæ vnitas eſt ex obiecto,vt etiam q.3.dubit. de hoc habita oſtendimus.Tertiò ſupponit,communem doctrinam,quę à Doct.in 3.ſentent. oſtenditur, quòd habitus fidei infuſæ ſit vnus.

Impugnatur prima opinio.

His ſuppoſitis, ſic argumentatur. Ille habitus eſt vnus, & non diſtinctus, qui non habet diſtinctionem ex obiecto; patet ex ſuppoſit.2. Sed habitus Theologiæ non habet diſtinctionem ex obiecto. Iſta Minor probata eſt ſupra q.3. & Confirmatur breuiter.Quia ſi de vno reuelato obiecto poteſt haberi diuerſus habitus, ſequitur quòd habitus fidei infuſæ deberet poni diuerſus; conſequens eſt contra tertiam ſuppoſitionem; ergo & Anteced. Sequela iſtius Cōfirmationis; Tum quia idem eſt obiectum Theologiæ & fidei; Tum quia ſicut ſub vna ratione formali reſpicit fides ſuum obiectum, ita & Theologia ſub vna ratione formali reſpiciet; ſi igitur Theologia poteſt ſecundū rationem formalem habitus diuerſificari, pari modo & habitus fidei.

Cautela. Habitus nō habens euidentiam ex obiecto, nō diſtinguitur ſecundū diſtinctionem obiectorū; qūo eſt verum.

Hic tamē in litera,circa illam propoſitionem Doct. Habitus non habens euidentiam ex obiecto, non diſtinguitur ſecundùm diſtinctionem obiectorum,eſto cautus: nō enim vult dicere Doct.(vt quidam malè exponunt ipſum) quòd habitus habentes euidentiam ex obiecto,diſtinguūtur penes obiecta, quales ſunt habitus acquiſiti; habitus autem non habentes euidentiam ex obiecto, vt reuelati, non ſunt diſtincti ſecundùm obiecti ſaltem formalis diſtinctionem; hoc enim dicere eſt apertè cōtradicere Doct. ſupra qu.3.vt oſtendi ibi, Dub.2.Concl.4. & Dubit.3.Cōcl.5.ſed ſenſus eſt,quòd habitus reuelati totales, non debēt diſtingui ſecundùm diſtinctionem obiectorum partialium,quia pari modo habitus fidei,cùm ad plura ſe extendat obiecta partialia,non eſſet vnus habitus; & hoc dictū eſt expreſsè contra Gotfr.q dicit,propterea quia varia cōſiderantur obiecta in Theologia, quædam ſpeculabilia, quædam practica, debere poni diuerſos habitus totales, alium ſpeculatiuum alium practicum; Doctor autem dicit non debent poni diſtincti habitus totales, propter diſtinctionem obiectorum partialium,cùm omnia illa obiecta partialia, dicant attributionem ad aliquod vnum, à quo habitus totalis dicitur vnus, vnitate generis vel proximi vel remoti,iuxta aliàs dicta.

Theol. Dei eſt de vno obiecto, noſtra autem de multis alijs ſimul.

Secunda ratio ſupponit diſtinctionem ſuprapoſitam de Theologia Dei, & noſtra. Theologia Dei eſt de vnico obiecto, nempe de Eſſentia Dei, noſtra autem eſt etiam de illo eodem obiecto,tamen ſimul & de multis alijs, quę dicunt attributionem ad illud: vnde ſi Theologia noſtra nō eſt vnus habitus,quia non præcisè rem vnam conſiderat, adhuc de Diuina Theologia eſſet falſa doctrina Gotfr: Vltimæ duæ rationes claræ ſunt,cum reſponſione ad argumentnm pro hac Opinicne poſitum.

Arim. & Ocam inſurgūt contra Doct.

Contra hìc dicta ratione quarta à Doct. quòd iſtæ propoſitiones ſint practicæ, Deus eſt Trinus & vnus, Pater generat Filium, propterea quòd prima includit notitiam actualiter rectitudinis dilectionis tendendis in tres Perſonas, ita quòd ſi actus eliceretur circa vnam ſolam,excludendo alias,dilectio quæ eſt praxis,non eſſet recta: ſecunda etiam includit notitiam rectitudinis circa duas Perſonas,quarum vna ſic eſt ab alia: arguitur ſic ab Arimin.q.5. prol. art.2. Ocamo q.vlt. Si hæc ratio eſt vera,ſequitur ꝙ quæcunque notitia de Deo, Phyſica vel Metaphyſica, eſt verè practica, & ſic iſta, Deus eſt Ens ſummè perfectum, actus purus, neceſſe eſſe,prima cauſa, & aliæ quælibet,eſſent propriè practicę; & ſcientiæ in quibus tales veritates conſiderarentur,eſſent verè practicæ; quare Metaphyſica, in qua talium veritatum habetur cognitio, eſſet practica, quod eſt & contra Ariſt.1.& 6.Metaph. & directè contra ipſum Doct.Sub.Conſequentia probatur. Quia quælibet talis enunciatio, ita bene virtualiter includit notitiam rectitudinis dilectionis tendentis in Deum, ſicut iſta, Deus eſt Trinus & vnus. Similiter quęlibet harum, Angelus eſt natura intellectualis, Angelus eſt creatura, Cælum eſt cauſa generationis plantarum, & multæ aliæ conſimiles, poſſent dici practicæ. Ratio eſt. Quia prima propoſitio virtualiter continet notitiam rectitudinis, dilectionis tendentis in Angelum, per illam enim poſſum ſcire,quòd Angelus magis ſit diligendus quàm Leo, qui nō eſt intellectualis,ſed minùs quàm Deus,quia eſt creatura, vt docet ſecūda enunciatio; & per tertiam ſcio,quòd cælum ſit magis diligendum quàm plumbum. Dices. Deus eſt obiectum operabile,quia eſt attingibile per operationes noſtras.Cōtra.Iſto modo Angelus eſt operabilis à nobis, ſimiliter aurum,& omnia intelligibilia.

Veritas eadē conſiderata a Theologo & à Metaphyſico; apud Theologū eſt practica,in Metaphyſica eſt ſpeculatiua, quomō

Tho. Angl. peſſimè detorquet textum Sco. Practica cognitio finis quæ requirit.

Ad has & cōſimiles Obiectiones Nominalium & Tho. Angel.qu.9.prolo.peſſimè detorquentis textū huius Doct. ad ſua ſophiſmata,haberi poteſt ſufficiens reſolutio,ex dictis hìc à Doct.ſuppoſito illo fundamento. Quòd practica cognitio alicuius finis,qui ſit ex natura ſua finis, neceſſariò requirit, primò cognitionem ipſius finis; deinde mediorū quæ ſunt ad conſequendum finem; tertiò conditionum illarum,quæ finem reddunt appetibilē.Cùm igitur Deus, qui eſt obiectum Theologiæ, ſit finis noſter vltimus, ſequitur quòd notitia Theologica, ad hoc vt ſit verè, & perfectè practica, debet inueſtigare cognitionem finis, mediorum,& conditionum,quæ vel finem reddant appetibiliorem,vel dirigant potentiam tendentem in illum finem,vt ſine errore actus ſuos eliciat.

Non oīs cognitio de Deo eſt practica.

Hoc ſuppoſito. Dico. Non omnis cognitio de Deo eſt practica,ſed ſola illa quæ de ipſo eſt ſub ratione finis vltimi,ſummè appetibilis, & boni; Deus autem eſt finis vltimus, & ſummum bonum, non ſub alia ratione formali, quàm ſub ratione Deitatis, vt oſtenditur diſt.1.quare iſta ſententia,quæ conſiderat Deum ſub ratione Deitatis,conſiderat ipſum vt finem vltimum,& ſummum volibile; vnde & alia quæ in ordine ad Deum in Theologia conſiderantur, conſiderantur vel vt media, vel vt conditiones illius finis. Metaphyſica autem licèt conſideret proprietates Dei; quia tamen illum, non conſiderat ſub ratione Deitatis,quæ habet rationem finis, & appetibilis boni, ſed ſub ratione Entis vt qu.3. dictum eſt, hinc eſt ꝙ veritates omnes in Metaphyſica quæ de Deo traduntur, ſunt ordinatæ ad rationem formalem ſui obiecti: ratio autem Entis vt Ens eſt, cùm non ſit obiectum operabile, quia vt ſic ſumptum formaliter non includit rationem appetibilis, ſed eſt merum ſpeculabile; etiam aliæ veritates Metaphyſicæ non erunt practicæ ſed ſpeculatiuæ. Vnde ſi ratio formalis obiecti eſt appetibile quid ex natura ſua, & ſub ratione illa, quæ vt ſic appetibilitatem includit, conſideretur, veritates omnes in tali ſcientia erunt practicæ, ſicut & primum obiectum ipſorum; ſi non,non.

Metaphyſica conſideratio Dei.

Vnde veritates dicuntur practicæ in aliqua ſcientia, & vnde non. Reſpon. Ocam; & Arimin.

Hinc patet ad inſtantiam Nominalium. Quòd illa ſequela,quòd omnis ſcientia eſſet practica,nulla ſit. Ad probationem, de Metaphyſicis exemplis: dictum eſt non eſſe practicas illas propoſitiones, vt Metaphyſicæ ſunt; quia in Metaphyſica non conſiderantur vt ſunt proprietates declaratiuæ appetibilitatis finis, cùm non ſub tali ratione cōſideretur Deus à Metaphyſico, ſed ſunt declaratiuæ entitatis vt entitas eſt, cùm ſub ratione Entis conſideretur ibi Deus,non autem ſub ratione Deitatis. Pari modo reſpondeo ad propoſitiones alias tres,& omnes conſimiles,quòd vel tales veritates ſumuntur ſecundùm ſe, vt nulli ſubordinatæ; vel ſumuntur vt ſunt ſubordinatæ alicui obiecto totali alicuius ſcientiæ. Si ſecundo modo,tunc ſi obiectum habet appetibilitatem, & eſt operabile ſub illa ratione, ſub qua conſideratur, aliæ veritates partiales ſubordinatæ tali obiecto, erunt practicæ, quia ſub ratione operabilis conſiderabuntur; quod ſi non includat ex natura ſua appetibilitatem obiectum, in illa ratione formali, ſub qua conſideratur,non erit obiectum practicum; & conſequēter nec habitus totalis de tali obiecto erit practicus, nec veritates partiales illi ſubordinatæ, vel potius in illo totali obiecto virtualiter incluſæ,dicentur practicæ.Si autem ſumantur ſecundùm ſe;tunc etiam pari modo dicendū eſt,ꝙ Angelus, exempli cauſa, vel conſideratur ſub ratione Entis & ſubſtantiæ præcisè, & ſic omnis cognitio de illo talis, & ſub tali ratione formali, eſt ſpeculatiua; vel conſideratur ſub ratione appetibilis, & veritates de illo enunciabiles ſecundùm illam rationem ſunt practicæ.

Septima Opinio eſt eorum, qui dicunt Theologiam eſſe

ſe

Theologia est scientia simul practica & speculatiua secundū Thomistas, & ē vnus habitus nō duo.

sè scientiam speculatiuam & practicam; & in hoc conueniunt cum Sexta sententia, sed differunt in hoc, quia dicūt esse vnum habitum non duos. Ista opinio est D.Th.& eius discipulorum 1.part.q.1.art.4.vbi dicit. Quòd licèt in Philosophicis scientijs, alia sit speculatiua, & alia practica; Sacra tamen doctrina comprehendit sub se vtramque: sicut Deus eadem scientia se cognoscit, & ea quæ fecit. magis tamen est speculatiua quàm practica; quia principaliùs agit de rebus Diuinis, quàm de actibus humanis, &c.

Contra istam Opinionem non ponit Doctor argumenta specialia; Tum quia argumentum vltimum contra precedentem Opinionem positum, ostendit esse solùm practicam & non etiam speculatiuam; Tum quia in sequenti Art.declarat esse practicam & non speculatiuam. Illa tamē vt meliùs intelligatur.

Dubitatur.

Vtrum de eodem obiecto, sub eadem ratione formali, possit esse habitus speculatiuus & practicus.

Videtur q̄ sic. Primò. Quia sciētia Intelligentiæ motricis de motu cæli, est practica, cùm ordinetur ad opus; de eodem motu nostra notitia, est speculatiua, vt patet ex 8. Phys. ergo de eodem obiecto potest haberi habitus practicus & speculatiuus.

Secundò. De eodem obiecto, potest esse notitia practica & speculatiua; ergo & habitus potest esse practicus vel speculatiuus de eodem. Consequentia Quia habitus practicus generatur ex actibus practicis, & speculatiuus ex speculatiuis. Antecedens. Quia de ira potest quis nosse q̄ est quędam qualitas, & passio animæ, & quòd est ebullitio sanguinis circa cor, quæ sunt notitiæ speculatiuæ; potest etiam scire, pro qua causa, quando & qualiter sit eliciendæ, quæ sunt notitiæ practicæ; similiter de plantis & arboribus, possunt sciri proprietates naturales & passiones, quæ sunt notitiæ speculatiuæ; & potest sciri, qualiter sunt putandæ, inserēdæ, plantādæ, q̄ sunt notitiæ practicæ.

Scibile sum ptū non sub ratione formali potest varie considerari.

Ita arguit Arimin. Oppositum tamen vult Docto. Subt. hìc & quæst. præced. art. 2. Illud hìc tanquam certū Suppono. Quòd de eodem scibili, non cōsiderando rationem formalem sub qua consideratur, potest esse scientia speculatiua & practica, secundùm distinctos habitus: De eodem enim homine potest haberi notitia Physica, quoad rationem substantiæ corporeę, quanti, mobilis, &c. & medicinæ scientia, quoad sanabilitatem eius: medicina autem est practica scientia, sicut Physica speculatiua. Hoc idem probat argum. 2. in principio Dubit. adductum: & si hoc vult Arimin. q. 5. Prol. art. 3. Concl. 1. vera est sententia, & à nostro Doct. conceditur, secundùm quem, de Deo potest haberi notitia Metaphysica, quæ est speculatiua, & Theologia, quæ est practica: Similiter superiùs affirmauit, de homine posse esse scientiam Ethicam, Physicam, & Medicinæ.

De eodem obiecto, sub rōne formali eadem an possit esse idē habit⁹, simul practicus & speculatiuus.

Incertum autem est illud. An de eodem obiecto, sub eodem ratione formali accepto, possit esse habitus vnus & idem, simul speculatiuus & practicùs: & in hoc sensu mouetur præsens dubit. Cui respondent non pauci Theologi, omnes S. Th. sectatores affirmatiuè. Sed in explicanda illa, est diuersitas. Communior tamen modus quē sequuntur alij, est Caiet. 1 part. q. 1. art. 4. dicentis. Quòd practicū & speculatiuum non sunt differentiæ essentiales; nec propriæ passiones scientiæ in communi: sicut nec visiuum & auditiuum primò diuidunt sensum in cōmuni; sed quemadmodum sensus primò diuiditur in communem & proprium, & deinde sensus proprius diuiditur in visum, auditum, &c. sic scientia in communi, non diuiditur primò in practicam & speculatiuam, sed in infinitam & finitam: postea finita diuiditur in speculatiuam & practicam. Ratio est. Quia vna ratio formalis obiecti finita, non potest habere vtramque conditionem, vt sit simul & illud ex quo sumitur regula operandi, & illud quod sit scibile, etiamsi non sumatur regula operādi: sed oportet has duas

Caietani declaratio.

conditiones in duabus fundari rationibus formalibus finitis, vt patet inductiuè. Quòd si ratio formalis obiecti alicuius scibilis est infinita, tamen ex sua infinitate vtramque in se conditionem comprehendit, altiori modo, quàm sunt in rebus finitis, propterea quòd dispersa in inferioribus, vnita præinueniuntur in superiori: & propterea sicut pręter sensus proprios datur sensus altioris ordinis, qui non est visus, auditus, nec alius proprius, ita præter scientias practicas & speculatiuas, datur scientia ordinis altioris, nō speculatiua nec practica, sed eminenter continens vtramque.

Iuxta hunc sensum intelligitur Conclusio S.Tho. loco cit. quæ probatur sic Theologia vna existens extendit se ad ea, quæ spectant ad scientias speculatiuas & practicas; ergo ipsa est altior comprehendens vtramque. Antec. patet. Quia Sacra doctrina attendit vnam rationem formalem in speculabilibus & operabilibus, scilicet inquantum sunt diuinitus reuelabilia. Consequentia. Quia huiusmodi sciētia est persimilis scientiæ Dei, qui eadem scientia, scit se, & opera sua.

Dicit secundò Caiet. cum D.Th. Quòd Theologia magis est speculatiua, quàm practica: Tum quia principaliùs agit de rebus Diuinis quàm de actib. humanis, ergo, &c.

Tum quia de actibus humanis agit propter Dei speculationem; ergo. Dei speculatio principaliter intenditur, consideratio autem actuum humanorum minùs principaliter; quia in speculatione Dei consistit æterna fælicitas.

Addit tandem in fine illius articuli Caiet. Quòd rationes Scoti in prol. q. 4. ex definitione scientiæ practicæ, ex obiecto huius scientiæ, quia ex ipso sumuntur principia regulatiua praxim, non concludunt eam esse practicam; sed si valent, concludunt, eum esse vel practicam, vel eminenter continere rationem practici.

Ista positio Caiet. colorata similitudine, non placet. Primò. Quia malè dicitur, quòd diuisio scientiæ per practicum & speculatiuum, non sit diuisio habitus per proprietates intrinsecas. Tum quia oppositum huius ostensum est quæst. præced. Tum quia diuisio scientiæ per illam rationem, quæ ipsi necessariò inest ab obiecto, est diuisio per proprietatem scientiæ ab obiecto conuenientem; quia sicut actus ita & habitus necessariò vt specificantur, ita & distinguūtur per obiecta; sed talis est ratio practici & speculatiui, vt declaratum est in præcedentibus; ergo, &c. Tū quia si non est diuisio per proprietates, nec per differētias essentiales; sequitur quòd sit per differentias accidentales, neque enim alius modus fingi potest; sed hoc est falsum, etiam secundùm ipsum Caiet. quia scientia quæ est ex obiecto speculatiua, vt est Physica, vel Metaphysica, non potest esse practica, secundùm ipsum; quia vna & eadem ratio formalis obiecti, non potest esse talis, vt ex illa possint principia operandi desumi, & non possint desumi; Tum quia distinctio sensus communis per habitudinē ad omnia obiecta sensibilia, & sensus auditus per habitudinem ad obiectum determinati generis, puta ad coloratum, est distinctio per habitudines intrinsecas, & consequenter per proprietates; ergo & distinctio scientiæ per aptitudinem ad directionem operis, vel per non aptitudinem, est distinctio per proprietates.

Positio Caiet. refutatur 1. Practicum & speculatiuum sūt ꝓprietates habitū i cōi diuidentes.

Secundò. Gratis dicitur, quòd diuisio scientiæ in practicam & speculatiuam, sit diuisio scientiæ finitæ, non autem scientiæ in communi, vt est communis ad finitam & infinitam: imò dico oppositum, scientiæ antequam diuidatur per finitum vel infinitum, conuenit esse practicam vel speculatiuam; ergo scientiæ infinitæ idem conueniet sub disiunctione. Antec. ostendo sic. Scientia in communi conceptu, abstrahendo à finitate vel infinitate, dicit ordinem ad scibile, vt vult Ari. 5. Met. c. de Relatione. Et ratio est. Quia scientia est de scibili scientia; & certè non potest concipi, q̄ sit aliqua notitia positiua, & non terminetur ad aliquid; vel quòd sit scientia, & tamen non de obiecto: sicut igitur hæc vel illa scientia, habet rationem practici vel speculatiui, ab obiecto operabili vel speculabili; ita scientia in communi, cùm non abstrahat ab obiecto in communi, habebit rationem practici vel speculatiui in communi. Confirmatur.

2. Practicū & speculatiuū diuidūt sciētiam in cōi transcēdēti sumptum.

tur. Quia ſciētiam eſſe practicam & ſpeculatiuam,eſt eſſe notitiam de obiecto operabili vel nōn operabili; cùm igitur inter contradictoria non detur medium,etiam ſcientia infinita(dum ratio infinitatis quaſi appropriat ſibi rationē ſcientiæ) neceſſariò erit vel de ratione formali operabili vel non de operabili:ſi primum,eſt practica; ſi ſecundum, eſt ſpeculatiua : ſi vtrumque,tunc duo contradictoria verificantur de eadem ratione.

3. Infinitas nō eſt rō continendi practicū & ſpeculatiuū ſimul.

Tertiò illud dictum Caiet. Quòd Deus propter infinitatem continet vtramque rationem, ſcilicet eſſe regulam operandi, & non eſſe regulam;vel habet veritatem,quòd ratio formalis obiecti ſcibilis infiniti, ſub vna & eadem ratione formali acceptum, habet iſtas duas rationes obiecti operabilis & non operabilis; & ſic de vno, ſub eadem ratione,admittit verificari duo contradictoria: vel ſub diuerſis rationibus; & hoc conceditur, ſed non eſt ad propoſitum.

4. Senſus cōis eſt proprius in quo eſt ſimile.

Quartò. Similitudo illa repetita de ſenſu communi & proprio, non habet quatuor pedes; ſed in hoc habet veritatem; quòd ſicut notitiæ ſenſitiuæ diſtinguuntur per obiecta,ita & notitiæ intellectiuæ per obiecta diſtinguentur. Secundò aliter poteſt comparari : ſicut ſenſus communis extendit ſe ad omnia ſenſibilia obiecta diſcernenda, proprius autem aliquis,puta viſus,ad determinati generis obiectū, puta ad coloratum, aut lucidū vidēdū ſe extendit; ita in nobis vnus eſt habitus communis, quo omnia intelligibilia pro noſtra capacitate intelliguntur, vt ſunt habitus totales primorum principiorum; alij proprij & partiales,reſpectu cuiuſcunque cōcluſionis. Vel aliter: in Deo eſt vna notitia intellectiua communis, qua Deus omnia intelligit; aliæ notitiæ intellectiuæ ſunt intellectus finiti, minùs communes, quæ determinata, & non omnia obiecta percipiūt. Vltra.Sicut ſenſus communis eſt altioris ordinis à ſenſibus proprijs,viſu, auditu, &c. ita illa cognitio Dei eſt altioris ordinis ab omni notitia finita : ſed non valet comparatio iſta,ita præter ſcientias practicas & ſpeculatiuas, datur ſcientia altioris ordinis, nec ſpeculatiua, nec practica, ſed eminenter vtraque : non valet inquam; quia omni notitiæ, & conſequenter etiam infinitæ,cōuenit vna ratio formalis, quæ vel ſe extendit ad obiectum operabile,vel non ad operabile formaliter; ergo formaliter omnis ſcientia,vel ſpeculatiua eſt vel practica.

Senſus cōis eſt altioris ordinis,quā ſenſus proprij.

Secundùm hactenus dicta, patet quod ſit iudicium ferendum de doctrina Caietani. Nam prima Cōcluſio eius eſt falſa. Antecedens in argumento aſſumit negatum, & negandum. Probatio Antecedentis de reuelatione, quòd illa ſit ratio formalis obiecti Theologici, eſt nulla,vt dictū eſt ſupra qu.3.de ratione formali obiecti. Secundam item Concluſionem Caietani, meritò negare debet Scotiſta. Quia Theologia noſtra, ſub ea ratione ſub qua conſiderat Diuina, conſiderat illa vt obiecta praxis; ergo vt practica, non vt ſpeculatiua : de actibus etiam humanis agit principaliter propter fruitionem, in qua primario conſiſtit beatitudo,vt docet Subt. Doct.in 4.ſentent.Malè item torquet argumenta Doct. ad ſuam eminentiam practicā. Quia illa ſcientia eſt verè & formaliter practica, quæ eſt de obiecto verè & formaliter practico; at Theologia eſt de obiecto verè formaliter practico; ergo eſt verè & formaliter practica.Minor. Tum quia circa obiectum Theologiæ,ex natura talis obiecti,apta eſt elici praxis; ergo notitia de tali obiecto eſt formaliter practica; Tum quia verè, & formaliter eſt practicum obiectum illud, quod dat notitiæ duplicem extenſionem ad praxim, nempe relationem cōformitatis & prioritatis;ſed tale eſt obiectū Theologiæ,vt multis in ſequentibus Articulis Doctor declarat, & res eſt euidens; igitur,&c.

Caiet malè torquet Scotum, ad ſuā poſitionē.

Obiectū verè & formaliter practicū quod ē?

Scïētia vna ab alia pōt diſtingui dupliciter.

Vt poſitio Doct. Subt. negatiua intelligatur. Nota 1. Prout Ens ab Ente poteſt diſtingui tripliciter; (loquendo de diſtinctione, per diſtinctiua neceſſaria) primò,quidditatiuè; ſic alia eſt quidditas Dei alia hominis, alia ſubſtantiæ alia accidentis; ſecundò,per modos intrinſecos; vt per finitum vel infinitum; ſic Deus eſt Ens infinitum, homo eſt Ens finitum;tertiò,per proprias paſſiones;ſic homo riſibilitate diſtinguitur à Leone, & Leo rugibilitate ab homine.Ita & ſcientiæ diuiſio: Vna eſt,quidditatiua;ſic ſcientia Dei;quidditatiuè diſtinguitur à noſtra.quia illa eſt ſubſtantia,noſtra qualitas; ſic etiam omnes ſcientiæ ſpecie diſtinctæ, finitæ, diſtinguuntur quidditatiuè, ſed differentiæ illæ nobis ſunt ignotæ,vt ſupra dixi.Secundo modo diſtinguitur vna ſcientia ab altera modaliter;ſic Diuina ſcientia diſtinguitur à noſtra per infinitatem, noſtra ab illa per finitatem;ſic etiam notitia ingenioſioris diſtinguitur penes intenſionē, à notitia minus ingenioſi. Tertiò diſtinguitur per proprias paſſiones;per practicum,& ſpeculatiuum,per vnum & multa. Et quamuis ſecundùm Doct. Subt. infra d. 8.q.vlt.modus ſit intimior rei quàm eius paſſio, & conſequenter prior, quaſi ordine intelligibilitatis, ſit finitas vel infinitas habitui ſcientifico, quàm practicum & ſpeculatiuum, quæ ponunt habitudinem talem vel talem, ad obiectum operabile vel non operabile, & iſtæ habitudines ſunt paſſiones;tamen ſecundùm rem,iſta ſimul cōueniūt, planè ſicut finitas & vnitas ſimul inſunt ſubſtantiæ, licèt aliqua prioritas intelligibilitatis aſſignetur à Doct. ita ſimul ſcientiæ conuenit finitas, & ratio practici vel ſpeculatiui, infinitas, & ratio practici vel ſpeculatiui. Ratio eſt. Quia vtrumque, & modus infinitatis, & proprietas practici vel ſpeculatiui, conuenit ſcientiæ ab obiecto tali vel tali,& hoc ſiue infinitas ſit prædicatum quidditatiuum, & modi tranſcendentes dicantur in Quid, vt habetur infra diſt.8.q.vlt.ſiue non, vt communiter tenent Scotiſtæ.

Scïētia Dei eſt ſubſtantia, noſtra qualitas.

Modus eſt intimior rei quàm eius paſſio.

Nota.

Nota Secundò. Sicut omne diuiſum non eſt aliquod ex diuidentibus ipſum; neque enim animal vt animal,eſt rationale vel irrationale, neque ſubſtantia generica, eſt materialis ſubſtantia vel ſpiritualis; ſed eſt quid commune contrahibile ad illa diuidentia; ita ratio ſcientiæ in communi, abſtrahendo à quolibet diuidente ipſam ex ratione obiecti,ſicut neque eſt finita neque infinita,ſed infinita eſt per infinitatem, finita per finitatem,ita neque eſt practica vel ſpeculatiua, ſed eſt practica per extenſionem ad praxim, ſpeculatiua alia proprietate : & ſicut realiter non eſt diuiſum exiſtens præter diuidentia(neque enim animal eſt quòd ſit nec rationale nec irrationale, neque ſubſtantia, quæ nec ſit materialis vel immaterialis) eſto quòd aptum ſit intelligi abſque diuidentibus; ita neque ſcientia aliqua eſt,quæ non ſit practica vel ſpeculatiua. Ratio eſt. Quia nulla ſcientia realiter eſt quæ non ſit de aliquo obiecto, nullum realiter obiectum eſt, quod non ſit vel operabile, vel non operabile. Tota igitur & præciſa ratio ſcientiæ quòd ſit ſpeculatiua vel practica,eſt ratio formalis obiecti; hæc ſi ſit operabilis,apta dare ſcientiæ rationem directiui voluntatis,eſt practica notitia talis, quodſi non eſt apta dare,eſt ſpeculatiua. Iſtis prænotatis ſit

Diuiſum nō eſt aliquid ex diuidentibus.

Præciſa ratio ſcientiæ quòd ſit practica vel ſpeculatiua eſt formalis ratio obiecti.

Quinta Concluſio. De eodem obiecto, ſub eadem rōne formali, non poteſt eſſe vnus habitus, ſimul ſpeculatiuus formaliter,& practicus formaliter. Ratio eſt. Quia ratio practici formaliter conſiſtit in duplici extenſione intellectus ad praxim, prioritatis & conformitatis; iſta duplex extenſio eſt effectiuè vel originaliter ab obiecto,vt dictum eſt qu.præcedenti. Si igitur idem habitus, de eodem obiecto, ſecundùm eandem rationem formalem, ſit practicus & ſpeculatiuus, tunc ille habitus haberet iſtam duplicem extenſionem effectiuè ab obiecto, quia eſt practicus; & non haberet, quia eſt ſpeculatiuus.

Habitus idē non pōt eſſe formaliter practicus, & ſimul formaliter ſpeculatiuus.

Secunda Concluſio. De eodem obiecto, ſub eadem ratione formali, nō poteſt eſſe vnus habitus, ſimul practicus & ſpeculatiuus eminenter. Ratio eſt. Quia eſſe practicum eminenter,eſt perfectiori, & eminentiori modo contineri rationem illam practici, quæ conſiſtit formaliter in duplici relatione; ſimiliter eſſe ſpeculatiuum eminenter, eſt perfectiori & eminentiori modo non contineri illam duplicē relationem,in ratione formali alicuius obiecti,quàm contineatur formaliter in aliquo; ſed dicere,quòd idem obiectum, ſecundùm eandem rationem, contineat eminenter & non contineat eminenter relationem, eſt concedere contradictoria; ergo verificari de eodem,ſecundùm eandem rationem non poterit.

Nec ſimul eminenter practicus & ſpeculatiuus.

Tertia Concluſio.Probabile eſt,quòd idem ſimul habitus poſſit eſſe eminenter ſpeculatiuus, & formaliter practicus. Ratio eſt.Quia nulla videtur cōtradictio,quòd aliquid ſit virtualiter tale, & formaliter non tale; ſic Sol eſt virtua-

Probabile ē quod idem habitus poſſit eſſe eminenter ſpeculatiuus & formaliter practicus.

virtualiter calidus, non tamen formaliter; sic etiam potest dici de habitu quòd aliquis habitus, puta Theologicus, sit eminenter speculatiuus, & non formaliter, quia formaliter est practicus. Istam Conclusionem puto esse consonam doctrinæ Scotisticæ; nec contrariari illi dicto Subt. Doct. hic, Quòd de eodem obiecto, sub eadem ratione formali, non possit esse vnus & idem habitus speculatiuus & practicus: nam in prædicta propositione, termini illi, speculatiuus & practicus, nō sumuntur vniformiter; scilicet, quòd sit formaliter speculatiuus, & formaliter practicus, vel eminenter speculatiuus & eminenter practicus, hoc enim repugnat vt dixi, sed difformiter accipiendo non erit contradictio, ob diuersitatem modi, prout in simili, quæst. præsenti, art. 4. concedit Doctor Theologiam contingentium in se esse speculatiuam, per accidens tamen in nobis esse practicam.

Sco. nō sibi cōtradicit.

Quarta Conclusio. Probabile videtur quòd de eodem obiecto, sub eadem ratione formali, non potest esse vnus habitus, simul practicus formaliter, & speculatiuus eminenter, vel speculatiuus formaliter, & practicus eminenter. Ratio prioris partis potest esse. Quia quando aliquid est formaliter tale, secundùm aliquam rationem, illud nō potest dici eminenter non esse tale, secundùm illam rationē; ergo si habitus sit formaliter talis, puta practicus, non potest dici eminenter speculatiuus. Consequentia est euidēs. Antecedēs probatur inductione in omnibus proprijs passionibus; quæ dum alicui subiecto conueniunt formaliter, ratione quidditatis talis, illud subiectum non potest dici, quòd eminenter nō habeat illam proprietatem; Ens enim formaliter est vnum, quia habet rationem formalem in se vnius, nempe indiuisionem in se, & diuisionem à quouis alio, (prout hęc notio communiter vnius traditur) & non potest dici eminenter non vnum, cùm ratio vnius sequatur naturam Entis. Similiter risibile conuenit homini per rationale, & est homo formaliter risibilis, quia formaliter includit aptitudinem ad ridendum; sed non potest dici, quòd eminenter non sit risibilis: & ratio huius dicti, & etiam ipsius Antecedentis potest esse; quia cùm risibilitas conueniat homini per rationale, & in homine nihil sit perfectius gradu rationalis, sequitur quòd nihil perfectiùs & eminentiùs in homine continetur, quàm quod continetur per rationem quidditatiuam hominis; cùm ergo risibile sic conueniat, non poterit eminenter irrisibilitas homini conuenire: & ita de quauis proprietate, argui potest. Cùm igitur practicum & speculatiuum, sint proprietates habitus, vt dictum est præcedenti quęstione; si vna proprietas insit habitui formaliter, per rationem formalem obiecti, puta esse practicum, non poterit inesse oppositum etiam eminēter, quale est speculatiuum; quia cùm nihil sit sibi perfectiùs & eminentiùs ratione illa formalis, per quam conuenit esse formaliter practicum, non poterit aliquid oppositum eminentiùs conuenire.

Probabile ē oppositum.

Ens quare dicatur vnū formaliter.

Homo cum sit formaliter risibilis, non pōt dici eminēter non risibilis, quare?

Nec valet hic instantia, quæ posset adduci ex Caiet. Quòd hęc doctrina veritatem habeat in finitis, non autem in infinito: Nam planè eodem modo dicitur de infinito; quia in Deo est formaliter bonitas, sapientia, veritas, &c. istorum attributorum oppositum non inest Deo eminenter; quia Deus non continet eminenter aliquam rationē, ob quam ipsi non conueniat bonitas sapientia, veritas, &c. Ita dico de habitu; quòd si habitus aliquis sit formaliter practicus, ex ratione formali obiecti, non potest esse eminenter non practicus; quia non esse practicum, conueniret deberet illi habitui per rationem formalem obiecti; at per illam est practicus; ergo per illam non potest ipsi inesse oppositus modus essendi, qualis est esse speculatiuum.

Secunda pars Conclusionis, habet euidentiā ex prima. Si enim sit habitus speculatiuus formaliter, ex ratione formali quæ est in obiecto, tunc oppositum, scilicet ratio practici, non poterit ipsi eminenter conuenire; quia modo perfectiori & eminentiori non potest inesse proprietas opposita illi proprietati, quam ex natura sua aliquis habitus, vt est de tali obiecto, determinat, vt patet inductione.

Ad instantiam autem illam. Sol est eminenter calidus, & formaliter non calidus; similiter Luna est humida virtualiter, sed non formaliter; ergo pari ratione aliquis habitus potest esse talis eminenter, puta speculatiuus, & non talis formaliter, quia formaliter est practicus, & non speculatiuus. Respondeo. Concesso Antecedente; nego consequentiam: dispari enim ratione se habet causa æquiuoca ad causatum æquiuocum, & proprietas alicuius rei ad rem. Nam causa æquiuoca, in hoc quia est æquiuoca, perfectiori modo apta est producere effectum, quàm vniuoca; & ex hac perfectione dicitur eminenter continere talem effectum; sic Deus eminenter continet res creatas, Sol calorem, Luna humiditatem, &c. & quia non est eiusdem naturæ cum effectu causa æquiuoca, dicitur formaliter non esse talis, qualis est effectus; sic quia Sol non est calor, nec habet in entitate sua calorem realiter, dicitur formaliter non esse calidus; quia tamen aptus est producere per lumen calorem, & producere per lumen calorem est perfectior productio, quàm caloris à calore, cùm lumen sit qualitas perfectior calore, sequitur quòd Sol sit eminenter calidus. Sed proprietas, cùm realiter & necessariò insit suo subiecto ex natura talis subiecti, non potest ipsi opposita proprietas inesse nec formaliter, quia sic eidem inessent duo opposita; nec vna formaliter, & alia eminenter, quia cùm necessariò insit suo subiecto proprietas, & profluat ex principijs eius, formaliter inerit, & oppositum nullo modo inesse poterit.

Aequiuoca causa ad causatū æquiuocū & proprietas alicuius rei dispariter se habent.

Quare causa æquiuoca dr̄ eminēter cōtinere effectū.

Producere calorē p lumē, est perfectius quā producere p calorem.

Sol quare ē calidus eminenter.

Probari potest Secūdo modo eadem Conclusio ex parte obiecti. Quia obiectum vel est formaliter operabile, & ex natura sua practicum, circa quod elici potest praxis; vel ex natura sua non est operabile: Si ex natura sua operabile; ergo ex natura sua est practicum, & notitia de ipso est practica ex natura obiecti; igitur sicut non potest obiectum esse contra naturam suam non operabile, nec formaliter; quia duo contradictoria conuenirent secundùm idem, nec eminenter; quia nihil perfectiùs & eminentiùs conuenit obiecto, quàm id quod ipsi conuenit formaliter ex natura sua; sequitur, quòd nec habitus possit esse practicus formaliter, & speculatiuus eminenter. Si etiam ex natura sua est obiectum non operabile; ergo nec formaliter potest esse de illo notitia practica, quia talis notitia est de obiecto operabili ex natura sua, vt supra ostensum est ex Arist. nec eminenter dicetur practica, quia illud obiectum, secundùm rationem suam formalem, non est eminenter non operabile.

Ad Argumenta in principio Dubitationis proposita.

Ad Primum. Dixi supra contra Nominales; & dicitur infra à Doct. quòd ista cognitio, Cælum est mouendum ab Angelo, est practica in quocunque intellectu, etiam Dei, de qua responsione vide ibi.

Ad Secundum Argumentū. Hoc probat id solùm, quòd de eodem obiecto materiali, non secundùm eandem rationem formalem, possunt esse habitus distincti, practicus & speculatiuus, quod non negamus; sed non probat quòd secundùm eandem rationē formalem obiecti, possit esse idem habitus practicus, & speculatiuus.

ARTICVLVS TERTIVS.

Ponitur Opinio propria, quòd Theologia de veritatibus necessarijs sit practica.

Ad Quæstionem igitur respondeo. Quòd cùm actus voluntatis, &c.

SVMMA TEXTVS.

Tres sunt partes istius Articuli. In Prima ponitur hæc Conclusio. Theologia de veritatibus necessarijs, in intellectu creato humano, vel Angelico est scientia practica. Ratio est. Quia est conformatiua praxis, habet enim relationem aptitudinalem, tam prioritatis quàm conformitatis, respectu praxis. Totus aiscursus istius rationis à Doct. hic positus, euidens est ex dictis à nobis, tum articulo præcedenti, tum quæst. 8. artic. 1. & alias. Postea ponuntur Obiectiones contra hic determinatam veritatem. Prima Obiectio cum sua solutione, patet ex dictis supra à Doct.

Theologia de necessarijs intellectū creato ē practica.

Doct. contra Henr. Secunda, de virtuali continentia, declarata est sufficienter quæst. 3. dubit. 1. Tertia item obiectio eiusque resolutio, explicanda est secundùm dicta à nobis art. præced. contra Nominalium rationes.

Secunda pars Articuli, sumit occasionem ex obiectione quarta, quæ fuit. Cùm Theologia Dei sit de eodem obiecto, sub ratione formali eadem, de quo est nostra, nempe de Deo sub ratione Deitatis, vt dictum est quæst. 3. & 4 sequitur, quòd sicut Theologia nostra est practica, ita & Dei; consequens est inconueniēs; quia notitia practica est directiua praxis, & praxis est dirigibilis, sed Diuina volitio non est aliunde dirigibilis, cùm sit ex natura sua ita recta sicut & notitia; ergo si volitio Diuina non est dirigibilis, vt de facto non est, nec notitia de tali volitione erit directiua, & consequenter nec practica, cùm esse practicam notitiam & directiuam, sint idem apud Doct. quæst. 8. art. 2. ratione 3. contra Henr. Ad istam obiectionem & simul ad totā quæstionem, An Theologia Dei sit notitia practica, dat Subt. Doct. duos modos respondendi; vnum in præsenti parte articuli, alium in tertia. Pro primo modo ponitur talis Conclusio. Potest dici probabiliter Theologiam Dei de veritatibus necessarijs esse practicam. Probatur ista Conclusio in textu vno discursu; postea tres obiectiones ponuntur & resoluuntur, & quia est textus clarus, ideo non intendo ipsum aliter explicare. Hoc tantùm summatim dico, vt ista Conclusio habeat aliquam probabilitatem. Statuendum est. Quòd notitia Dei de veritatibus necessarijs, prior est aliqua prioritate signi quàm volitio (de qua prioritate vide dist. 1. quæst. 2.) & etiam quantùm est de se, cùm illa sit perfectissima & rectissima, apta esset dirigere volitionem, si volitio esset dirigibilis: verùm quia etiam volitio Diuina est rectissima, & sui regula, à nullo regulabilis, notitia respectu illius non dicetur practica ex hoc, quia illam dirigit, sed quia voluntas non dissentit illi cognitioni. Istud tamen quia non sufficit ad hoc, vt aliqua notitia dicatur verè practica, quia superiori quæstione & præcedenti Articulo requirebat Doct. ad rationem notitiæ verè practicæ, vt esset directiua praxis ab ipsa dirigibilis; ideo non tenet istam Conclusionem Doct. sed sequenti adhæret.

Theologia Dei de necessarijs probabile est quod sit practica.

Tertia pars Articuli habet hanc Conclusionem. Longè probabilius est Theologiam Dei de veritatibus necessarijs, non esse practicam. Ratio est. Quia notitia practica non tantùm debet esse directiua, quantùm est de se, licèt potentia practicans, puta voluntas, non est dirigibilis; sed debet esse directiua alterius potentiæ extra se tendendo, vt superiori quæst. dicebatur. Et quāuis Subt. Doct. in fine huius Articuli videatur esse problematicus in decisione huius quæstionis; videtur tamen isti parti adhærendum esse, & non priori, vt patet ex multis dictis præcedenti quæst. & fortè propterea solutiones obiectionum, pro priori Conclusione adductas, vocat Doctor euasiones, quia videlicet non verè soluunt difficultatem: non item ista positio; & hoc est quod in fine dicitur à Doct. qui alteram partem tenet dicat consequenter, *acsi diceret, si quis vellet defendere notitiam esse verè practicam, quia est de se directiua praxis, licèt praxis non sit dirigibilis; dicat consequenter in definitione & explicatione notitiæ practicæ ac ipsius praxis, quòd ista dirigibilitas in praxi non requiratur, sed secundùm hunc Doct. requiritur, vt patet ex definitione praxis, imò ex tota quæstione præcedenti; ergo cōsequenter dicendum est secundùm Doct. affirmatiuè, quòd notitia Dei, de veritatibus necessarijs, sit speculatiua, non practica. Conclusiones tamen sunt propositæ, secundùm probabile & probabilius; quia si teneantur opposita principia à contraria sententia, nō caret illa sua probabilitate. Imò & in via huius Doct. non est omnino insustentabilis prior opinio, quòd Theologia Dei de veritatibus necessarijs sit practica, supponendo aliqua fundamenta quæ hic supponuntur.*

Probabilius è Theologiam Dei de necessarijs esse speculatiuā nō practicam.

COMMENTARIVM.

Finis est rectificatiuus praxis, quō intelligēdū.

CIrca secundam partem Articuli. Aduerte Primò. Quando hìc in responsione ad primam Obiectionē dicit Subt. Doct. primam regulam rectificatiuā praxis & cognitionis practicæ Diuinæ, esse finem vltimum: intelligendum est primò, quòd hìc non accipitur finis vltimus, sub ratione finis, vt finis dicit relationem, sed sub ratione absoluti, quod est Deitas, vt supra dixit. Intelligendum est secundò, quòd Diuina Essentia non est regula actiua respectu Diuinæ cognitionis vel volitionis, cùm isti actus in Deo non sint regulabiles, sed ex natura sua sunt rectissimi; sed in hoc dicitur regula prima, vt patere potest ex 1. quolib. Doct. quia cùm omnia in Deo habeant necessitatē & perfectionis & rectitudinis; habent tamen illam secundùm ordinem quendam intelligibilitatis; nam Essentia est ibi quasi radix & primum in perfectione & rectitudine, ab illa non causaliter sed formaliter habet quasi in secundo signo omnem perfectionem & rectitudinem intellectus, in tertio voluntas, &c. de quo alibi fusiùs.

Essent... est r... actiua ...ctu c... tionis ... volitio... quomo...

Aduerte Secundò. Quòd ad Obiectionem secundam & tertiam in textu positam, Doct. Subt. non dedit formalem responsionem: tamen per responsionem ad primam posset aliquis satisfacere illis. Breuiter dici potest; quòd secūda instantia concedi posset, nec hoc est contra Doct. quia Doctor non inhæret illi positioni Aristotelicæ. Ad Tertiā autem dici posset; quòd nec distinctio requiritur, nec efficientia, sed illa duo, vt notitia esset quantùm de se directiua, & praxis insit voluntati, licèt non sit dirigibilis, iuxta paulò ante dicta. In additionibus tamen dantur aliæ euasiones pro ista via, vt non omninò improbabili: quæ quia sunt alicuius speculationis, hìc subiunxi.

Dicitur igitur ad Secundum. Quòd non est simile: quia ibi est simplex complacentia; hic verò efficax circumstantionata volitio: Similiter, non solum intellectus Diuinus est ostensiuus, sed etiam est regulatiuus, saltem æquiualenter, quod non posuit Philosophus: vel aliter, quòd est regulatio & determinatio obiectiua, etsi non potentialis (id est volitio Diuina non est dirigibilis sic, sicut aliqua volitio creata, vt sit quasi in potentia ad habere rectitudinem, & non habere rectitudinem, sed est regulatio obiectiua, quia obijcitur intellectui rectissimo volitio recta) quam tamen regulationem obiectiuam non posuit Philosophus.

Ad Tertium dicitur. Quòd si concluderet, sequeretur quòd nec intellectio nec volitio aliqua esset in Deo, cùm Essentia Diuina sit obiectum motiuum ad vtrumque, concurrente potentia vitali vt concausa. Dico igitur; quòd est tantùm ordo (intelligibilitatis puta) quasi effectum eiusdem quasi causæ in proposito, quæ tamen quasi causa non distinguitur à quasi effectibus; quia tam intellectio quàm volitio essentialis, nec propriè causantur, nec producūtur, nec principiantur, nec eliciuntur, sed simpliciter emanant: est igitur causalitas Metaphorica sicut communiter dicitur de Diuinis. Ad Confirmationem. Dico, quòd sufficit ordo naturæ, qui stat cum simultate durationis cognitionis ad praxim, & voluntatis ad velle.

Circa tertiam partem huius Articuli, oritur vna difficultas. Ostensum enim est supra, quòd de eodem obiecto sub eadem ratione formali, non possit esse habitus practicus & speculatiuus; & in priori parte Articuli huius, diximus Theologiam de necessarijs, in creato intellectu, esse notitiam practicam, in tertia autem parte Articuli dicimus Theologiam Dei de necessarijs, esse Theologiam speculatiuam, non practicam: ergo vel ista, vel illa positio est falsa; vel ponis duo contradictoria.

Responderi potest Primò. Notitia practica habet quidem ab obiecto, vt à causa efficiente partiali, extensionem ad praxim, vel enim est obiectum operabile vel non operabile ex natura sua: sed hoc non sufficit, vt dicatur cōpletè & proprijssimè practica, sed præter illud principale, debet etiam hoc connotare, quòd illa notitia apta dirigere praxim sit in eodem supposito, in quo est praxis apta dirigi à notitia illa, qualis non est praxis Diuinæ volitionis, & propterea notitia Diuina non est propriè & cōpletè practica. Vnde quando dicitur. Quòd de eodem obiecto, sub eadē ratione formali, non potest haberi habitus speculatiuus & practicus; subintelligendum est, ab intellectu apto dirigere voluntatem dirigibilem, quia solùm ibi practica notitia completè sumpta habet locum: & ita nulla est contradictio, tenenti hanc tertiam Conclusionem cum dicta limitatione, de notitia practica. Alius modus respondendi est ipsius Doct. Articulo sequenti parte secunda: vide ibi.

Appa... cōtradi... soluitu... Quid r... ritur ad vt no... proprij... mè dic... practica...

ARTICVLVS IV.

Disputatur an Theologia de veritatibus contingentibus sit practica.

Alius Articulus Quæstionis est de Theologia contingentium, &c.

SVMMA TEXTVS.

Tres partes sunt istius Articuli. In prima, ostenditur modus probabilis, quomodo Theologia contingentium in intellectu Diuino non sit practica. In secunda ponitur Conclusio, quòd Theologia contingentium, secundùm se, abstrahendo ab hoc & illo intellectu, est speculatiua. In tertia, ostenditur modus alius, secundùm quem posset dici Theologia contingentium esse practica, tam in increato intellectu, quàm creato.

COMMENTARIVM.

Contingentiũ Theol. in intellectu diuino non est practica.

QVantùm ad primam partem Articuli ponitur Prima Conclusio. Contingentium Theologia in intellectu Diuino non est practica. Ratio est. Quia Theologia contingentium in illo intellectu potest esse, & dici practica, qui potest habere notitiam conformatiuam praxis, elicitam, vt est dictum supra, quia notitia practica debet habere prioritatem & conformitatem ad praxim, atque ita debet esse prior praxi; sed in Deo notitia de futuris contingentibus; non est prior praxi, seu ipsa volitione Diuina, cùm veritas contingentium habeat suam determinationem à voluntate Diuina, & in aliquo signo suppositionis priùs intelligatur determinari à voluntate Diuina veritas contingens, quàm ab intellectu cognosci, de quo distin. 39. ergo cognitio Dei de futuris contingentibus non est practica, sed speculatiua. Ex hac Conclusione apparet manifestè, quòd Doct. tertiam Conclusionem superioris Articuli teneat assertiuè, & non tantùm probabiliter in suis principijs.

Cognitio Diuina de futuris contingentibus tripliciter potest intelligi esse directiua praxis.

Secunda Conclusio. Probabilissimum est, quòd nullo modo Theologia Dei de contingentibus sit practica. Additur nullo modo; quia cognitio Diuina de futuris contingentibus tripliciter potest intelligi esse directiua praxis; primò ad intra, dirigendo actum Diuinæ voluntatis: secundò etiam ad intra, dirigendo actum potentiæ executiuæ: Tertiò ad extra, dirigendo nostras praxes. Prior Conclusio procedit de directiuitate praxis primo modo, quòd cognitio Diuina de futuris contingentibus non sit directiua volitionis Diuinæ: ista autem Conclusio procedit de directiuitate praxis secundo, & tertio modo, vt sit virtualiter ista conclusio geminata.

Practica notitia & praxis ab illa dirigibilis probabile est, quòd debent esse in eodẽ supposito.

Volitio Dei est efficax operatio.

Cuius veritas vt intelligatur, annotas Subt. Doct. duas suppositiones. Prima suppositio est. Quòd cognitio practica, & ipsa praxis, ad quam talis cognitio extenditur, debent esse in eodem supposito. Secunda suppositio est. Quòd in Deo non sit aliqua potentia executiua & operans ad extra, alia à voluntate Diuinæ, ita quòd volitio Dei efficax est operatio. Si prima suppositio sit vera, necesse est quòd vera sit ista secunda Conclusio in hoc sensu, quòd notitia Dei de futuris contingentibus, quamuis sit directiua nostræ volitionis & prior; non tamen in Deo erit practica, quia notitia practica & praxis à tali notitia dirigibilis, debent esse in eodem supposito. Si etiam secunda sit vera, tunc vera erit Conclusio in alio sensu, quòd notitia Dei de futuris contingentibus, vt est quasi potentiæ executiuæ directiua, non sit practica. Ratio est. Quia talis potentia executiua non alia est quàm voluntas, (iuxta secundam suppositionem) à qua primò habet conformitatem & determinationem veritas contingens; sed nec voluntas, nec volitio Diuina est dirigibilis; ergo, &c.

Prima suppositio probatur 1.

Suppositionem secundam non probat Doct. quia est communis sententia Theologorum. Prior autem suppositio probatur dupliciter. Primò ab inconuenienti. Quia si non requireretur vnitas suppositi ad praxim, & ad notitiam practicam, sed in vno supposito esset notitia practica, in altero praxis; tunc sequeretur quòd de ista praxi, Deus creat, & de ista, Intelligentia mouet cælum (creatio enim & motio cæli est praxis) in nobis esset notitia practica, in intellectu autem Diuino speculatiua; sed hoc est inconueniens; ergo & illud ex quo sequitur. Minor probatur. Quia notitia practica debet esse directiua praxis; nostra autem notitia de prædictis praxibus, non est directiua illarum, cùm simpliciter nostra notitia nihil conducat illis, vt per se est euidens: similiter notitia æqualis suppositi, puta Socratis, cùm non dirigat meas praxes, non potest dici practica respectu meæ praxis: item notitia superioris suppositi, puta Angeli, quòd mihi sit feria sexta ieiunandum. cùm nihil influat in meam praxim, non poterit dici practica respectu illius. Probatur secundò eadem suppositio. 2. Omnis notitia practica debet habere aliquam causalitatem respectu praxis: dicitur, aliquam; quia non propriam efficientiæ causalitatem, sed impropriam illam, quod est dirigere ostensiuè & dictatiuè praxim; sed si praxis & notitia practica non sunt in eodem supposito, nullam potest habere causalitatem notitia respectu illius praxis; ergo ad hoc vt dicatur practica, debet esse simul in eodem supposito cum praxi.

Probabile ẽ posse esse praxim in vno supposito, & notitiam practicã in alio.

Postmodum disputatiuè loquitur Subt. Doct. quòd ista suppositio probata videatur esse falsa. Ratio autem negandi illam, potest esse. Si vnitas suppositi requireretur ad notitiam practicam & praxim, tunc sequeretur quòd de eodem obiecto, sub eadem ratione, posset esse habitus in vno intellectu speculatiuus, in quo non esset possibilis praxis, in altero practicus, in quo posset esse praxis; sic ista notitia, Certis temporibus est à quibusdam cibis abstinentia seruanda, esset in me practica; quia posset praxis ieiunandi huic notitiæ conformari; esset autem speculatiua in Angelo, quia non posset ab ipso volitio ieiunandi, vel actus ieiunandi esse: ista autem sequela est contra dicta Doct. superiori quæst. & contra dicta art. 2. huius quæst. ergo illa suppositio prima est falsa, ex qua sequitur hoc inconueniens.

Probabile ẽ Theologiã Dei de contingentibus esse practicam.

Secundùm istam viam poni potest hic Tertia Conclusio. Probabile aliquatenus est, Theologiam Dei de contingentibus esse practicam, quatenus est directiua praxis, in altero supposito existentis, & prior illa.

Istæ Conclusiones, quia probabilitatem suam habent ex suppositione probabili, de requisitione vel non requisitione vnius suppositi ad praxim & scientiam practicam; ideo tenens tertiam Conclusionem debet respondere ad duas rationes pro illa Suppositione prima secundæ Conclusionis; & tenens Conclusionem secundam, debet soluere rationem contra Suppositionem positam ante tertiam Conclusionem, quòd etiam in sequenti textu Doctor facit. Nam ibi *Ad hoc potest dici, &c.* In sententia tenente Conclusionem tertiam, datur responsio ad rationem primam pro Suppositione opposita, ad secundam Conclusionem adducta; & simul eadem responsione ostenditur, quòd illa ratio, quòd de eodem obiecto esset habitus speculatiuus & practicus, bene sequatur in secunda Conclusione, non autem in tertia. Dicit ergo Doctor. Perfecta rectitudo notitiæ practicæ, vt rectitudo istius, Deus est amandus, requirit omnes circumstantias prout dicitur infra distinct. 17. & inter illas est circumstantia agentis. Ergo rectitudo istius praxis requirit circumstantiã agentis, illius quod debet diligere Deum; non enim à lapide, vel ab aliquo irrationali animali, diligendus est Deus, sed à voluntate; quare ista notitia, Deus est amandus, est incompletè practica; completè autem erit practica si addatur, Deus est amandus à voluntate. Talibus igitur circumstantijs ornata notitia, in quocunque intellectu erit practica. Et ita non sequitur, quòd esset de eodem obiecto scientia speculatiua & practica. Et ad illas consequentias in prima ratione adductas, Deus creat animas, ab Intelligentia est cælum mouendum, diceretur quòd ipsæ essent practicæ in omni intellectu: in Diuino quidem, quia posset praxes alterius suppositi,

Perfecta rectitudo practicæ notitiæ, requirit omnes circumstãtias alias erit incõpletè practica.

Notitia prædita circumstantijs debitis in omni intellectu ẽ practica.

nempe creati, dirigere; in Angelico & humano intellectu essent practicæ, quia possent esse directiuæ alicuius volitionis: Et ita Minor illius rationis neganda est à tenente tertiam Conclusionem. Ad Confirmationem Minoris, patebit responsio paulò post, ex dicendis ad secundam rationem.

Quare praxis diuina prior est oĩ notitia practica creata

Ibi, *Et si obijciatur quòd non saluatur prioritas*, ponitur Obiectio contra dicta in præcedenti discursu. Dictum enim est, quòd ista veritas, Deus est amandus à voluntate, est practica in quocunq; intellectu. Contra. Praxis non debet præcedere notitiam practicam, sed debet sequi illam; atqui rectissima illa dilectio Dei respectu sui, præcedit omnem notitiam Angeli, vel hominis, de ista veritate, Deus est amandus à voluntate; ergo talis notitia in intellectu Angeli vel hominis non erit practica, cùm non sit prior praxi. Respondet Doctor. Verum quidem esse quòd cognitio creata, ob sui imperfectionem, posterior sit dilectione Diuina, qua Deus se ipsum diligit; tamen illud obiectum diligibilitatis, Deus, quantùm est ex parte obiecti, prius aliquomodo est aptum determinare intellectum nostrum ad rectitudinem istius veritatis, Deus est amandus à voluntate, & mediante intellectu voluntatem, ex ordine talium potentiarum, & obiecti diligibilis, quod primò est cognoscibile: imò omnem potentiam intellectiuam, illud obiectum quantùm est de se, aptum est determinare primò ad rectam notitiam; ex imperfectione tamen alicuius potentiæ intellectiuæ, qualis est omnis finita, & ex summa perfectione volitiuæ infinitæ, ratione talium potentiarum prior est praxis in potentia perfecta, quàm cognitio in potentia imperfecta. Vnde prioritate obiecti apta est esse omnis cognitio practica priùs, quàm praxis, sed ex perfectione potentiæ practicantis, nempe voluntatis, & ex imperfectione potentiæ cognoscitiuæ in altero, priùs erit praxis in voluntate perfecta, quàm notitia practica in intellectu imperfecto.

Ad Secundam rationem pro Suppositione secundæ Conclusionis, responderet tenens Tertiam Conclusionem, distinguẽdo de notitia practica; quòd illa vel sumitur strictissimè pro immediatè applicabili ad opus, & hoc modo notitia practica requirit identitatem suppositi cum praxi; & de hoc procedebat Confirmatio prioris rationis, & Maior huius secundæ Obiectionis: aliquando sumitur praxis propriè & strictè, sed non strictissimè, quæ non immediatè applicabilis est ad opus; & sic falsa erit illa Maior, quòd notitia practica debeat habere aliquam causalitatem respectu praxis; in Angelo enim, & in nobis, notitia de Deo, quòd creet, est practica, & tamen ista notitia à nobis, vel ab Angelo, non est applicabilis ad opus, seu ad ad praxim creationis.

Practica notitia sumitur strictè & strissimè.

Quænam verò sit notitia practica, immediatè applicabilis ad opus, quæ requirit identitatem suppositi cum praxi, dat regulam Doctor secundùm hanc tertiam viam. Verbum significans praxim in modo Infinitiuo, & constructum cum verbo Scio, denotat notitiam practicam esse immediatè applicabilem ad opus, & praxim vna cum notitia practica esse in tali supposito; aliter non. Exemplum. Creo significat praxim, Creare autem est Infinitiuus, qui copuletur verbo Scio, in quacunq; persona, vt scio creare, scit creare, denotat illam scientiam creandi, esse immediatè aptam exire ad actum creandi, qui est praxis; sed si idem verbum efferatur aliter, vt Angelus scit mundum creatum, Ego scio animam creandam, in huiusmodi locutionibus, verbum hoc, non significat quòd ista notitia sit applicabilis ad opus creationis.

Practica notitia immediatè applicabilis ad opus quæ?

Verbum significãs praxim cõstructam cum verbo Scio, quid denotet? & quõ construi debeat?

Tenendo hanc Tertiam Conclusionem, infert Doctor primum Corrolarium. Quòd scientia practica possit esse in vno supposito, & praxis in altero, ex hoc sequitur, quòd omnes praxes agentium creatorum, siue sint circa finem vltimum, siue circa ordinata ad finem, in omni intellectu notitiæ de eiusmodi praxibus, possunt esse practicæ: nam tam in intellectu increato, quàm in creato possunt habere prioritatem, & conformitatem ad praxes.

Tertiæ conclusionis cõsectaria.

Corrolarium secundum, tenendo eandem Conclusionem. Omnis veritas necessaria de volitione Diuina, vt quòd Deus est amandus, est practica in quocunq; intellectu: esto quòd voluntas in aliquo supposito non sit dirigibilis, ob sui summam perfectionem, qualis est voluntas Diuina.

Corrolarium tertium. Nulla veritas contingens est practica intellectui Diuino, respectu volitionis Diuinæ. Ratio est: quia ante ipsam praxim, volitionem scilicet Diuinam, non intelligitur habere vllam determinationem veritatis ad aliquam partem contradictionis, & ita non habet prioritatem & conformitatem. Additur notanter respectu volitionis Diuinæ; quia respectu volitionis creatæ, est oppositum, vt paulò ante dictum est. Doctrina tota istius partis Articuli, debet moderari & regulari dictis Subtilis Doct. præcedenti quæst. art. 4.

In Secunda parte huius Articuli, de Theologia contingentium in se, an sit practica, ponitur hæc Conclusio. Theologia contingentium secundùm se, non comparando ad hunc vel illum intellectum, non est practica, sed speculatiua.

Secunda pars Articuli huius.

Probatur primò. Theologia contingentium secundùm se, talis debet censeri in ratione practici vel speculatiui, qualis est ex obiecto, cùm ratio practici vel speculatiui principaliter sit ab obiecto, secundùm superiorem Quęstionem: sed ex obiecto non est practica. Ratio est; quia ante praxim, volitionem scilicet Diuinam, non habet rationem prioritatis, & conformitatis ad intellectum & voluntatem, vt diximus sæpè ante; ergo &c.

Theologia secũdum se contingentiũ, est speculatiua.

Secundò. Talis Theologica notitia debet æstimari esse in se, qualis est in aliquo perfecto intellectu habente illam notitiam, puta in Diuino; sed in illo perfectissimo intellectu non est practica; ergo neq; in se erit practica.

Obijces. Ergo cognitio Theologica, quæ secundùm se in intellectu infinito Diuino est speculatiua, intellectui creato, vt nostro vel Angelico, erit practica; ergo de eodem obiecto secundùm eandem rationem, potest esse scientia practica & speculatiua. Respondet Doctor. Dupliciter potest dici habitus practicus: vno modo per se, alio modo per accidens. Per se est practicus, quia ex obiecto est practicus, habendo videlicet prioritatem conformitatis ad praxim ex obiecto, sicut ista veritas, Deus est amandus, in quouis intellectu habet prioritatem conformitatis: Alio modo per accidens; quia videlicet ex obiecto non habet veritas talem conformitatem, sed aliunde, puta à voluntate Diuina, sicut omnes veritates contingentes practicæ; vnde notitia Theologica de contingentibus, per se est speculatiua; quia est speculatiua ex obiecto: sed per accidens, ex determinatione Diuinæ voluntatis, potest esse practica in intellectu creato.

Obiectio

Solutio.

Practicũ per se, & practicũ per accidens.

Contra istam responsionem instatur dupliciter. Primò. Quando aliquod oppositum conuenit alicui per se, aliud oppositum eidem nec per se nec per accidens conueniet. Exemplum: risibile conuenit homini per se, oppositum, scilicet irrisibile, nec per se nec per accidens homini conueniet; sed ratio practici & speculatiui per se conueniunt scientiæ, ex præceden. quæst. & sunt oppositæ; ex dictis ibidem; ergo si per se conuenit Theologiæ contingentium esse speculatiuam, oppositum, nempe esse practicam, nec per se nec per accidens illi conueniet.

Impugnatur responsio.

Respondet Doctor dupliciter. Primò. Aliorum præmittens responsionem, quæ in hoc consistit. Quòd aliquid dicitur per se primo modo, quod conuenit alicui quidditatiuè, vt rationale homini; aliquid per se secundo modo, vt risibile homini, & quæuis propria passio suo subiecto; aliquid dicitur per se tertio modo, & est idẽ ly per se, quod solitariè, sic dicimus animal per se (id est præcisè vel solitariè) sumptum, nec est rationale nec irrationale, sed indifferens ad vtrumq;. Applicando hæc ad propositum. Dici potest, quòd in illa Maiori, Quando aliquod oppositum conuenit alicui per se: ly per se, vel sumitur per se tertio modo, pro eo quod est solitariè: tunc falsò infertur secunda pars Maioris, quòd illi vt est in suis inferioribus

Satis fit impugnatio i Perseitatis accept.

non conueniat oppositum per se vel per accidens; nam paries sic sumptus, per se nec est albus nec non albus, tamen per accidens est albus; item animal per se, seu solitariè consideratum, non est rationale vel risibile, vt tamen est in inferioribus est rationale, risibile, &c. Isto modo sumi videtur illa Maior in proposita Obiectione, non autem per se primo modo vel secundo modo. Hæc responsio bona est, veram continens doctrinam, sed insufficientem; quia si dicatur quòd ly per se, in Maiori accipitur per se primo modo, vel secundo modo, responsio ista erit nulla.

Quãdo aliquid conuenit alicui ꝑ se, oppositũ eius nec ꝑ se nec ꝑ accidẽs poterit inesse, ꝗs sensus ꝑ Prædicatũ per se.

Ideo respondet secundò Doctor ex propria sententia. Quando alicui conuenit aliquid per se secundo modo, illi oppositum nec per se secundo modo, nec per accidens conueniet; at Theologiæ contingentium secundùm se, conuenit per se (quia ex obiecto) ratio speculatiui; ergo oppositum, quod est, non absolutè & indefinitè practicum, sed per se & ex obiecto practicum, nec per se nec per accidens conueniet: sicut enim practicum in communi opponitur speculatiuo in communi, ita practicum per se opponitur speculatiuo per se. In obiectione igitur, opposita sumuntur non vt opposita, non enim sumuntur vniformiter vt sunt opposita, sed difformiter, quomodo se compatiuntur, sicut Ethyops est simpliciter niger, sed albus secundùm quid, scilicet secundùm dentes. Aduerte tamen in ista responsione Primò. Illa verba *Inhærentia est per se & prædicatum determinatum propter se*, ita esse intelligenda, quòd Theologia contingentium ex obiecto est speculatiua per se, ita quòd inhærentia sit per se, id est, quòd ly speculatiua, sit prædicatum per se secundo modo conueniens Theologiæ contingentium: & additur *& prædicatum determinatum propter se*, id est, quòd hoc prædicatum, speculatiua, non solùm est prædicatum per se secundo modo, sed etiam per se conuenit tali Theologiæ. Hoc additur non superfluè: multa enim prædicata sunt per se, vt album, nigrum, &c. cùm de hoc albo, vel illo nigro dicantur per se; non tamen simpliciter per se; quia de homine dicitur per accidens: vnde album in homine est prædicatum per se, sed non dicitur de homine per se; speculatiuum verò, & est prædicatum per se, & dicitur de Theologia contingentium per se, sicut risibile de homine.

Albũ in homine est ꝑdicatũ per se, sed non dicitur per se.

Aduerte secundò. Sensum illorum verborum, *secundum quid enim, & simpliciter determinant prædicata vt denominantia*, hunc esse, quòd denominatio fit à forma aliqua, vt album ab albedine, nigrum à nigredine, vel ab aliqua extrinseca ratione, vt visum esse in pariete est denominatio à visione extrinseca. Quando ergo dico Theologia contingentium est speculatiua per se, & practica per accidens, denominatio speculatiui, prouenit Theologiæ ab obiecto, denominatio autem practici prouenit aliunde, nempe à voluntate Diuina; Denominatio igitur diuersa, secundùm diuersas rationes, non concludit, quod si per se hoc conuenit, aliud non possit affirmari secundùm aliam rationem & denominationem; sicut rationale per se est risibile, per accidens tamen rationale, vt est coloratum, & sub ratione coloris, non est risibile, ista enim non sunt contraria nec contradictoria; ita in proposito dicendum est de practico & speculatiuo respectu Theologiæ contingentium, cui ex alia ratione conuenit, ratio per se speculatiui, & ex alia esse per accidens practicam.

Denominatio à quo fit.

Denominatio quo cõcludit.

Instantiam secundam facit Doctor contra suam solutionem, talem. Theologia contingentium per se, est speculatiua per se, id est, est speculatiua habens vtroque modo perseitatem, & quòd ly speculatiua, sit prædicatum per se, & quòd per se secundo modo insit Theologiæ contingentium; ergo est per se speculatiua; ergo non est practica. Respondeo. Distinguendo secundam consequentiam, vt ante; vel enim intelligitur, quòd non sit practica per se, & sic concedo, vel dicitur non esse practica per accidens, & sic nego, secundùm paulò ante dicta.

Theol. contingent. nõ est practica per se, sed per accid.

Sed hìc est vna difficultas. Dictum est præcedenti Articulo, probabiliorem esse sententiam, quòd Theologia Dei de necessarijs veritatibus sit speculatiua, & non practica, quia non est in eodem supposito, praxis dirigibilis & notitia directiua; & quæstione præsenti artic. 2. dictum est, quòd de eodem obiecto, sub eadem ratione, non potest esse scientia simul practica & speculatiua, imò & hìc dicitur, speculatiuum per se, & practicum per se opponi, ita quòd, cui inest alterum illorum, oppositum nec per se, nec per accidens inerit; ergo si per se & ex obiecto Theologia necessariorum est practica, oppositum, quòd est Theologiam de necessarijs esse speculatiuam, in aliquo intellectu, puta Diuino, nec per se nec per accidens inerit; vnde sententia docens Theologiam Dei esse speculatiuam, non est probabilis, quam tamen diximus esse, probabiliorem sua opposita.

Difficultas singularis soluitur in via Scoti.

Respondeo. Tenendo illã Conclusionem, quòd Theologia Dei de necessarijs sit speculatiua, nostra autem practica; adhuc non sequitur, quòd notitia per se practica & speculatiua, possit haberi de eodem obiecto, sub eadem ratione. Ratio assignari potest. Quia quamuis esse per se practicum, conueniat notitiæ ex obiecto operabili, non tamen totaliter id conuenit & sufficienter; sed tantùm principaliter, secundariò autem conuenit à potentia intellectiua, directiua propriæ praxis in eodem supposito, qualis non est potentia Diuina; quia vt voluntas Diuina practicans non est dirigibilis in suo actu, ita Diuinus intellectus non dicetur directiuus respectu volitionis Diuinæ. Et quòd ista responsio sit sufficiens, probatur ex doctrina multorum Theologorum, & nostri Doct. infra distinct. 3. cùm docent ad causandam notitiam requiri obiectum in se, vel in specie, & secundò requiri potentiam; ergo notitia practica cùm sit necessariò practica, habet esse practicum ab obiecto & à potentia, sed ab obiecto principaliter secundariò à potentia.

Practica notitia habet rationẽ practici principaliter ab obiecto, secundariò á potentia.

Dices. Doctor infra dist. 3. docet ad productionẽ notitiæ principaliter concurrere potentiam, secundariò autẽ obiectum; ergo etiam ad esse practicum principaliter cõcurret potentia, secundariò autem obiectum; ergo non bene dictum est, quòd principaliter ratio per se practici conuenit notitiæ ab obiecto, secundariò autem ab intellectu. Respõdeo. Dicit Subt. Doct. in simili infra distin. 17. q. 3. de actu meritorio, in quo duo possumus distinguere, rõnem actus, & rationem illã meritorij; quæ ratio meritorij in hoc consistit, quòd sit acceptabilis à Diuina voluntate; & ad substãtiam quidem actus, principaliter concurrit potentia, puta voluntas, secundariò autem habitus gratiæ vel charitatis; sed ad rationem meritorij principaliter cõcurrit charitas, secundariò potentia; ita dicendum est hìc; quòd in notitia practica duo possumus distinguere; rõnem actus, & rõnẽ practici: & ad rationẽ quidem actus principaliter cõcurrit potentia intellectiua, secundariò obiectũ; ad rationẽ verò practici principaliter cõcurrit obiectũ, secundariò potẽtia.

Ad actũ meritoriũ duo concurrũt, & quid nobilius potẽtia an obiectum.

Tertia pars Articuli est ibi, *si verò alterum illorum duorũ, qua tenet ista responsio, non teneatur, &c.* repetitur & explicatur clariùs illa tertia Conclusio priori parte huius Articuli posita; si enim teneatur ista Suppositio prima, qđ notitia practica possit esse in vno supposito, & praxis in altero; tunc Theologia Dei de contingentibus, licèt sit ex obiecto speculatiua, per accidens tamen potest dici practica, quatenus est prior & apta dirigere, sibiq; cõformare oẽm praxim creatam. Si etiam teneatur altera Suppositio, videlicet, quòd in Deo sit potentia executiua, alia à potentia volitiua; tunc in Deo potest dici notitia de contingentibus esse practica, etiam ad intra, vt tendit ad operationes illius potentiæ executiuæ, aliquid extra producentis; quãuis .n. nõ sit practica ex obiecto, ĩtellectus tamẽ Diuinus cognoscẽs Diuinæ voluntatis determinationẽ de contingẽtibus, vt de hac, Mũdus est creandus, & similibus, respectu illius potentiæ executiuæ, habet notitiam aliquomodo priorẽ, & conformem actui creandi potentiæ executiuæ. Reliqua litera est clara.

Tertia pars articuli.

Executiua in Deo.

Ex dictis hac quæstione. Constat primò. Quòd Doctor Illuminatus in 1. distinct 48. quæst. 2. artic. 2. conformiter doctrinæ Scoticæ, in præsenti materia, has proponat Conclusiones. Primò. Scientia Theologica quam habemus de Deo in via, est practica. Secundò. Theologia Beatorum est practica. Tertiò. Scientia quam habet

Doct. illuminatus dicit quædã conformiter dictis Scoti.

Deus de sua Essentia, est practica, intelligit secundùm probabilē sententiā, priori articulo propositā. Quarta Theologia quam habet Deus de futuris contingentibus, vt de creatione mundi, incarnatione Verbi, & similibus, non est practica.

Summatim colliguntur oēs conclusiones huius quæstionis.

Constat secundò. Quòd totius Quæstionis resolutio decem Conclusionibus resoluatur, ad mentem Subtilis Doctoris.

1. Cōclusio. Quarum Prima est. Scientia Theologiæ secundùm se, de veritatibus necessarijs, est practica. Ratio. Quia est practica ex obiecto.

2. Secunda Conclusio. Theologia secundùm se, de veritatibus contingentibus per se est speculatiua. Ratio. Quia ante Diuinam volitionem illæ veritates non sunt obiecta intellectus, nec Diuini, nec creati.

3. Tertia. Theologia Dei de veritatibus necessarijs, potest probabiliter dici practica. Ratio. Quia & ex obiecto est practica, & directiua praxis in altero supposito, nimirum creato: vel etiam directiua est actus potentiæ executiuæ Diuinæ: si tamen ista duo supposita teneantur, quorum primum vtcunque probabile est, secundum autem in via Doct. simpliciter negandum est.

4. Quarta. Theologia Dei de veritatibus necessarijs, probabilissimè dici potest speculatiua: idque tenendo, quòd ad notitiam practicam requiratur praxis dirigibilis, in eodem supposito in quo est notitia practica. Cùm igitur praxis dirigibilis non sit Diuina volitio, est enim perfectissima regula sui, sicut & notitia sui, non erit ibi notitia practica. Deinde, negari debet secundùm hanc conclusionem illa Suppositio. Quòd potentia executiua in Deo sit alia à voluntate Diuina: quamuis potentia executiua, vt executiua, non se extendat ad veritates necessarias, sed respectu contingentium dicatur talis.

Diuina volitio sicut ē notitia sui perfectissima, ita & regula sui per fectiss.

5. Quinta. Theologia Dei de veritatibus contingentibus, ex obiecto non est practica. Patet ratio ex secunda Conclusione.

6. Sexta. Eadem Theologia Dei de contingentibus, potest dici aliquomodo practica, tenendo duo supposita expressa in tertia Conclusione.

7. Septima. Theologia Beatorum de necessarijs, est simpliciter practica. Ratio. Quia est & ex obiecto practica, & potentia practicans est dirigibilis in actibus suis, ab intellectu directiuo & regulatiuo.

8. Octaua. Theologia Beatorum de contingentibus, non est practica ex obiecto, ac proinde non est practica per se simpliciter: potest tamen dici quòd sit practica aliquomodo per se, quia habet relationem duplicem prioritatis & conformitatis ad praxim talis notitia.

9. Nona. Conclusio. Theologia viatoris de veritatibus necessarijs, est simpliciter practica. Patet vt Septima.

10. Decima. Theologia Viatoris de veritatibus contingentibus, est aliquomodo practica, licèt non simpliciter per se, quia non ex obiecto. Patet vt Octaua.

Quæstio hæc à multis non intelligitur.

Constat tertiò. Quid dicendū sit ad varias Obiectiones multorū contra hanc determinationem Subt. Doct. vt Argent. q. 4. art. 4. in Prol. Tho. Anglici q. 8. 9. & 10. Arimin. q. 5. Ocami q. vlt. Prol. Gabr. q. 10. Capr. q. 2. Durand. q. 6. & Interpretū D. Tho. 1. part. qu. 1. art. 4. à plerisque enim illorum Subt. Doct. sententia hic expressa non intelligitur: ab alijs impugnatur illis argumentis quæ à Doct. sunt proposita contra propriam sententiam & resoluta, vt videre poterit Scotista apud Arim. Molinam & non paucos interpretes D. Tho. à non paucis verò textus ipse perperam cōtra intentionem huius Doct. torquetur.

RESPONDETVR ARGVMENTIS in principio Quæstionis adductis.

Ad Argumenta principalia huius Quæstionis, &c.

Ad argumēta.

INter Argumēta pro parte negatiua, quæ videlicet Theologia non sit sciētia practica. Primū fuit tale. Hæc scientia de ijsdem est veritatibus, de quibus est fides, Ioan. 20. Hæc scripta sunt vt credatis; sed fides est habitus speculatiuus, sicut & credere actus eius; quod probatur: quia ei succedit in Patria visio, quæ est speculatio; ergo & hæc scientia Theologica est speculatiua. Respondet Doct. Concessa Maiori, negando Minorē; & ratio negationis assignatur optimè in textu.

Ad Secundū, quod erat tale. Practica est de cōtingentibus, vt vult Arist. 3. de anim. tex. 49. & 51. sed obiectū Theologiæ, quod est Deus, nō est contingens; ergo sciētia de illo nō est practica. Rn̄deo: explicando & distinguēdo Maiorem; vel practica est de contingentibus, vt contingentia denominet obiectum, id est, quæ debeat esse de obiecto contingenti; & sic non intelligitur textus Philosophi: vel est de contingentibus, vt contingentia denominet finem habitus practici, qui finis non alius est quàm eius operatio; & sic habitus practicus est de contingentibus operationibus, quæ possūt bene vel malè elici: Nec valet dicere pari modo speculatiuum habitum esse de contingentibus, quia est de speculatione contingenti, quæ potest elici; Tum quia principaliori modo dicitur in agibilibus actio esse finis vltimus, secundùm Philoso. 6. Ethic. c. 5. & 7. Polit. c. 2. & aliàs in pluribus locis, quàm in speculabilibus: Tum quia practica notitia extra se tendit, illud autem est praxis: non sic notitia speculatiua, quæ non tendit nisi in obiectū; vt principalior sit finis speculatiuæ obiectum speculabile, cui vnit speculatio potentiam speculatiuam; practicæ autē principalior finis est praxis ipsa, remotior autē finis, est obiectū.

Practica habitus est de contingentib. quo...

Contingentia vel de nominat fi nē vel operationem.

Obiectiones duæ contra responsionē, & earū solutiones, in textu sunt claræ, vbi illa respōsio ad secūdam Obiectionē de prudentia, magna animaduersione digna est ob suā subtilitatē, quam vide fusiùs explicatam à Doct. 6. Met. q. 1. ad 2. principale.

Ad Tertium: quod erat ex authoritate *Boetij dicentis*, tres esse partes speculatiuæ, inter quas tertiam Theologiā vocat. Respondeo. Per Theologiam intelligit ibi Boetius Metaphysicam, prout etiam Arist. vocat eam Theologiā in Proem. suæ Metaph. idque propterea, quia illa scientia de Deo considerat tantùm, quantùm potest scientia naturaliter inuenta considerare.

Quartum argumētū erat. Omni sciētia practica est nobilior aliqua speculatiua; sed ista sciētia Theologica nulla alia est nobilior; ergo ista sciētia nō est practica. Maior. Tū quia speculatiua est gratia sui, practica autē est gratia operis. Tum quia speculatiua est certior, vt argumentatur Philoso. in Proem. suæ Metaph. Respōdeo, iuxta dicta Artic. 1. Maiorem propositionem huius discursus negandā esse, quia procedit ex falsa suppositione Philosophi, quòd circa finē vltimum, non possit elici bene vel malè praxis, nec indigeat habitu directiuo, sed naturaliter simplici quadā motione fertur voluntas in illum. Cùm igitur Theologi non conueniant cum Arist. in hoc fundamēto, nec in principio ex tali fundamento deducto conuenire debeat: & certum est, si Arist. sensisset circa finem vltimū posse esse praxim, hoc principium, quod speculatiua scientia nobilior esset quàm practica, falsum ipse iudicasset. Ad primam Confirmationē Maioris. Practica est gratia alterius, scilicet operis: distinguenda est; primò enim est aliquid gratia alterius actus, ignobilioris & inferioris suo actu proprio; sicut habitus intellectiuus artis, est gratia alterius, nimirū gratia artificij exterioris, qui actus artificiandi extra, est longè ignobilior actu cognoscendi, cū actus artificiandi sit sensitiuus, actus autē ille artis interior directiuus artificij, est intellectiuus, & de tali, est vera propositio Philosophi: & quia oēs praxes tā actio quā factio sunt actus ignobiliores, secundùm Arist. habitu vel actu speculatiuo aliquo, ideo propositio à Philosopho vniuersaliter sumitur, quia vniuersaliter putauit omnem praxem esse ignobiliorem aliquo habitu speculatiuo. Secundò aliquid pōt esse gratia actus nobilioris, qualis est actus dilectionis Dei, qui est actus nobilissimus, omniq; habitu vel actu speculatiuo nobilior, vt ostēditur à Doct. in 4. sent. & sic nō valet illū habitū esse nobiliorem qui est gratia sui, q̄ ille qui est gratia alterius nobilioris, & sic est in proposito, vt patet. Ad secundam probationē, ista enūciatio, Vna scientia est certior alia: potest dupliciter intelligi; vel quòd sit certior secundùm quantitatem; vel secundùm proportionem. Tunc secundùm quantitatem perfectionis aliqua scientia dicitur perfectior alia secundùm

Omni sciētia practica, est nobilior aliqua speculatiua est falsa.

Aliquid est gratia alterius actus dupliciter.

Habitus qui ē gratia sui non semper est nobilior eo qui est gratia alterius.

Vna sciētia certior alia pōt intelligi dupliciter. Secundùm quātitatem vel secūdū proportionem.

dùm certitudinem, quando perfectius obiectum in entitate conſiderat; Sic Phyſica certior eſt ſecundùm quantitatem quàm Geometria, quia Phyſica perfectius obiectũ conſiderat, quod eſt ſubſtantia corporea, quàm Geometria, quæ conſiderat lineam. Tunc autem vna ſcientia eſt perfectior alia ſecundùm proportionem, quando obiectũ vnius ſcientiæ eſt perfectius attingibile ab intellectu, ſecũdùm veritates mediatas vel immediatas, quàm obiectum alterius; cùm igitur omnis ſcientia poſſit veritates mediatas ſui obiecti reſoluere in principia immediata; non erit propria comparatio in certitudine, hoc modo, quòd aliqua ſcientia ſit in certitudine perfectior alia, ſecundùm proportionem; quia cuiuslibet ſcientiæ principia mediata, apta ſunt reſolui in immediata; & vlterius obiectum non eſt magis attingibile: bene autem poteſt eſſe comparatio certitudinis in quantitate virtutis ipſius obiecti: & ſic cũ Theologiæ obiectũ ſit perfectiſſimũ, & ſub perfectiſſima rõne, erit etiam ſecundùm quantitatẽ certiſſimũ. Et quãuis Ariſt. obiectum principale ſuæ Metaph. ſtatuat Deum, & ſit apud illum omni habitu practico Metaphyſica certior, certitudine ſecundùm obiecti quantitatem; noſtra tamen Theologia longè certior eſt iſta certitudine, quàm Metaph. Ariſtot. Tum quia non tantùm vt principale, ſed vt totale obiectum conſiderat Deum; Tum quia ſub ratione formali longè nobiliori, imò excellentiſſima, quia

Theologia certior eſt quàm Metaphyſ.

1. ſub ratione Deitatis, Metaphyſica verò, ſub ratione Entis;
2. Tum quia ſub ratione formali, quæ dicitur Sub qua, ex-
3. cellentiori, quia conſiderat Theologus veritates ſub ratione reuelationis, Metaph. naturali modo attingibiles.

Quintum Argumẽtum. Ideo Metaph. ſecundùm Ariſt. in Proœm. eſt ſpeculatiua, quia inuenta eſt omnibus neceſſarijs exiſtentibus, propter fugam ignorantiæ; ergo etiam Theologia erit ſpeculatiua, quia inuenta eſt omnibus neceſſarijs exiſtentibus propter fugam ignorantiæ. Reſpõdet Doctor, duo dicendo. Primum, quòd iſta doctrina nõ eſt inuenta omnibus neceſſarijs exiſtentibus, ſi loquamur de neceſſarijs intrinſecis, quæ ſunt ad ſalutem animæ cõſequendam neceſſaria: eſto quòd ſit inuenta omnibus neceſſarijs exiſtentibus extrinſecis, quæ ſunt neceſſaria corpori ſuſtentando: propter priorem ergo neceſſitatẽ Theologia eſt practica, non propter ſecundam, vt bene exemplificatur in textu de morali ſcientia. Secundò dicit, hanc notitiam non eſſe inuentam præcisè propter fugam ignorantiæ, quaſi verò in ſola notitia ſiſtendum ſit; ſed vt talis notitia referatur ad operationem talem, qualem dictat illa notitia. Signum autem eſt non eſſe præcisè propter fugam ignorantiæ, & propter ſolum ſcire iſtam doctrinam; Tum quia multò plura poſſunt reuelari, quàm de facto reuelata ſunt in noſtra Theologia; Tum quia vna res ſæpius inculcatur nobis, quod nõ eſt propter ſcire, quia ſufficiebat ſemel intimaſſe, ſed propter operari, ſicut eſt notitia, de diligendo Deo, & proximo, de bene faciendo inimicis.

Theologia omnibus neceſſarijs exiſtentibus eſt inuenta quomodo.

Theologia non eſt inuenta propter fugam ignorantiæ.

Contra hoc ſecundum dictum arguit Tho. Anglic. hic. Inter omnia peccata peccatum infidelitatis eſt maximum, & per conſequens magis obligatur homo ad credendum & cognoſcendum, quàm ad diligendum; ergo maximè eſt illa ſcientia neceſſaria propter fugam ignorantiæ & incredulitatis; ergo, &c. Iſta impugnatio eſt nulla. Quia nõ negat Doctor quin iſte habitus ſit propter ſcientiam; ſed negat eſſe propter ſcire, & propter fugam ignorantiæ, illo modo, quo eſt propter fugam ignorantiæ ſciẽtia ſpeculatiua, quia eſt propter ſolùm ſcire; hæc autem eſt propter ſcire directiuum, nec enim præcisè propterea eſt fides vt credamus, quia ſuo modo dæmones credunt & contremiſcunt; ſed vt fidem viuam & non mortuam habentes, quod illa docet, & ad quod dirigit, id opere voluntatis exerceamus.

Theologia non eſt pp ſolùm ſcire, ſed pp ſcire directiuum.

Dæmones credunt & contremiſcunt.

Fides noſtra qualis eſſe debet.

Explicit Prologus in libros ſententiarum Doctoris Subtiliſſimi Ioannis Duns Scoti.

THEOLOGIÆ F. IOANNIS DVNS SCOTI EX ORDINE MINORVM. DOCTORIS SVBTILISSIMI

Liber Primus.

DE SVPERBENEDICTA TRINITATE.

DISTINCTIO I.

De materia Quatuor librorum Theologiæ, quæ inquiritur per distinctionem & explicationem, Frui & Vti.

IN HAC DISTINCTIONE QVÆRVNTVR NOVEM quorum duo sunt de obiecto Fruibili, alia duo de ipso Frui in se: & quinque de ipso Fruente, Ac Primò quæritur de obiecto ipsius Frui, & est

QVÆSTIO I.

Vtrum per se obiectum Fruitionis sit Finis vltimus.

Et arguitur quòd non. Quia secundùm S. Augustinum 83. quæstionum, &c.

SVMMA TEXTVS.

Quatuor partes sunt istius Quæstionis, vt ipsamet litera docet. In Prima, distinguitur de fruitione ordinata, & in communi sumpta. In Secunda, differitur de obiecto fruitionis ordinatæ. In Tertia, docetur quod sit obiectum fruitionis in communi. In Quarta, dubium expeditur.

COMMENTARIVM.

Fruitio in cõi quid?



Irca Priorem partem Quæstionis. Aduertendum est. Fruitionem in communi, vt distinguitur contra ordinatam, non vocari hìc à Doct. illam fruitionem quæ est communis ad ordinatam, & inordinatam, sed pro fruitione in communi, communitate obiecti, quæ scilicet non sit determinati obiecti particularis, siue habeat alias circũstantias, siue non. Dicitur siue non, negatiuè, non positiuè: id est, non quòd debeat habere circumstantias oppositas circumstantijs fruitionis ordinatæ; quia sic esset inordinata illa fruitio in communi: sed vel ponendo circumstantias fruitionis ordinatæ alias, non ponendo circumstantiam obiecti: vel nec obiectum ponendo particulare, nec circumstantias illas fruitionis ordinatæ, nec tamen attribuendo contrarias, quæ redderent fruitionem inordinatam. Quare fruitio hìc in communi vocatur; quia habet obiectum fruitionis commune aliquod. Dicitur ordinata; quia habet ex natura sua obiectum fruibile, & quasi ordinatum ad fruitionem.

Fruitionis obiectũ est finis simpliciter vltimus.

In Secunda parte. Primò ponitur Opinio Auic. quæ fuit vt vult Doctor in 4. distin. 1. q. 1. quòd Intelligentia prima creet secundam, secunda tertiam, & sic deinceps: sed secundùm Proclum propos. 35. Vnumquodque in illo quietatur perfectè, & ad illud tanquam ad suum quietatiuum redit, à quo procedit; ergo Intelligentia tertia perfectè quietatur in secunda, quarta in tertia, &c. ergo potest esse obiectum fruitionis, aliquid aliud à fine vltimo, nempe à Deo, secundùm istos Philosophos. Secundò contra istam sententiam arguit Doctor quadruplici ratione, quæ clara est in textu. Vide etiam Doct. Seraphicum, dist. hac, art. 2. q. 2. Richar. art. 2. q. 3. Tertiò dat respõsionem aliorum. Quòd anima cùm sit imago Dei, non potest frui nisi Deo. Est autem Gand. ista responsio, quæ meritò reijcitur à Doct. Quartò datur alia solutio aliorum. Quia anima in illo quietatur, à quo creatur. Est S. Th. 1. part. q. 12. ar. 1. in corpore Articuli: vbi quamuis nõ disputet expresè contra Auic. reprobat tamen sententiam omnem, quæ negaret beatitudinem consistere in Deo, principaliter hoc medio. Quia in illo est vltima perfectio (qualis est beatitudo) hominis, quod est ei principium essendi. Ista tamen ratio non concludit contra Auic. vel alium Philosophum, qui negaret creationem. Quintò ponitur Conclusio ad Articulum. Et præter quatuor prædictas rationes, formatur ista Quinta. Sicut intellectus quietatur in vero, ita volũtas in bono: sed intellectus non potest quietari nisi in summo vero; ergo nec voluntas poterit quietari nisi in summo bono.

Fruitionis ordinatæ, inordinatæ, & cõis quod obiectum.

In Tertia parte Quæstionis triplex obiectum statuitur Fruitionis in communi: vel finis verus, scilicet ex natura rei, vt Deus; vel apparens ab intellectu errante præstitutus, sicut Arist. posuit speculationem; vel finis præfixus à voluntate, sicut Stoici carentiam ægritudinis, Epycurei voluptatem, vt bestiæ statuebãt sibi pro fine vltimo. Fruitio finem verum pro obiecto tripliciter potest habere: Vno modo cum alijs circumstantijs debitis: alio modo sine illis, sed tamen non cum contrarijs: tertio modo cum circũstantijs repugnantibus, tali fini. Priori modo est fruitio ordinata; secundo modo est fruitio in communi, vt est membrum subdiuidens fruitionem in communi, seu vniuersaliter

uersaliter

uersaliter sumptam, in ordinatam, inordinatam, & mediã, quæ media alias vocatur hic Fruitio in communi; & ista Fruitio in communi, aliquando vocatur magis ordinata, quàm inordinata, quando habet circumstantiam debitam solius obiecti, sed caret alijs circumstantijs; aliquando magis inordinata, quàm ordinata, quando non habet obiectũ verum, sed vel apparens intellectui, vel præfixum à voluntate. Quod si careat circumstantijs debitis, & habeat repugnantes, est totaliter inordinata: at si sumatur fruitio sine vllis circumstantijs, etiam sine circumstantia determinati obiecti, talis fruitio est communis ad ordinatam, inordinatam, & illam mediam, quam in præsenti vocat Doctor Fruitionem in communi.

Fruitio in cõi seu media.

In Quarta parte inquiritur. An (supposito quòd obiectum Fruitionis sit finis vltimus) ratio illa finis in isto obiecto, sit ratio formalis obiecti beatifici. Cui dubitationi satisfit his Conclusionibus.

Ratio finis an sit ratio formalis ob iecti beatifici.

Prima Conclusio. Ratio finis, non est propria ratio obiecti fruibilis, in fruitione ordinata. Ratio est Prima. Quia obiectum beatificum, inquantum beatificum, debet esse Ens formaliter infinitum, vt patet ex Secunda parte Quæstionis; sed nullus respectus, est Ens infinitum formaliter, (vt de reali relatione aliàs ostendetur, interim vide quodl. 5. Doct. de relatione autem rationis certum est apud omnes) ergo nullus respectus debet includi formaliter in obiecto beatifico, inquantum beatificũ. Secunda rõ. Obiecti beatifici formalis ratio debet esse realis; sed ratio finis in Deo est relatio rationis, conuenit siquidem Deo per comparationem ad extra, qualis omnis relatio est rationis, vt ostenditur inferiùs dist. 30. ergo, &c.

Secunda Conclusio. Ratio finis in fruitione ordinata, secundum veritatem, sequitur obiectum fruibile, licèt secundùm apprehensionem, fortè præcedit fruitionem. Ratio primæ partis est. Quia ratio finis in obiecto, quæ formaliter est relatio rationis, oritur ex comparatione obiecti fruibilis ad potentiam fruentem. Ratio secundæ partis est. Quia prior est notitia & apprehensio finis vltimi, quã fruitio quæ est actus voluntatis; sicut ergo intellectio præcedit volitionem; ita apprehensio finis vltimi, præcedit fruitionem. Dicitur notanter, fortè; quia non est necessarium vniuersaliter, vt finis vltimus fundamentaliter, nẽpe Essentia Dei, concipiatur sub ratione finis formaliter, hoc est, sub relatione illa ad talem potentiam, vt sub illa ratione proponatur voluntati, ad quietandam potentiam; potest enim absque omni comparatione tam intellectus quàm voluntas, præsertim Beati, ferri in Essentiam Diuinam clarè ostensam.

Ratio finis in obiecto, formaliter est relatio rationis.

Tertia Conclusio. Ratio finis apparentis, in fruitione inordinata, sequitur obiectum fruibile, in apprehensione tamen præuia volitioni, seu fruitioni, fortè præcedit fruitionem eliciendam. Intelligenda est quoad vtramq; partem vt superior Conclusio.

Quarta Conclusio. Ratio finis præfixi, in fruitione inordinata, semper sequitur actum voluntatis. Ratio est. Quia illa ratio finis vt vltimi & vt quietatiui, est ab ipsa voluntate; ergo non antecedit voluntatem.

In responsione ad Argumenta. Illud de materiæ capacitate, similiter & de proportione potentiæ ad obiectum, diligenter est notandum, contra illos qui negant infinitum à finito posse cognosci; vel qui negant, in re finita posse esse aliquam capacitatem naturalem ad formas supernaturales, vel etiam ad infinitam, si sit possibilis.

Deinde aduertendum est. Illa verba circa finem, *materia aũt ad nullam formã determinatè inclinatur, &c.* quamuis ab aliquibus Scotistis adducatur pro illa Opinione, quæ dicit, materiam secundùm se esse in potentia naturali ad formas, de mente nostri Doct. non autem in potentia neutra; dicitur siquidem hic à Doct. materiam sub forma, non violenter, sed naturaliter quiescere; reuera tamen iste textus magis approbat illam sententiam, quæ docet materiam esse in potentia neutra (vt potentia neutra est media inter naturalem propriè sumptam, & violentam naturali oppositam) quod patet dupliciter: Primò; quia naturale opponitur violento, violentum autem hic dicitur illud, quod est contra inclinationem formæ informantis materiam; ergo naturale oppositum violento erit, quod est secũdùm inclinationem formæ materiam informantis: materia igitur secũdùm se sumpta, cùm nullam habeat inclinationem secundùm formã, vel contra formam; cùm vt sic abstrahat à forma, non erit in potentia naturali vel violenta ad aliquam formam. Secundò in illis verbis, *naturaliter quiescit,* ly naturaliter, non accipitur positiuè, pro eo, quod habet naturalem inclinationem secũdùm formam, sed negatiuè, pro eo, quod non habet oppositam inclinationem secundùm formam aliquam sibi intrinsecam, vt manifestè indicant verba sequentia textus, *propter indeterminatam inclinationem ad quamcumq;*: potentia autem indeterminata ad hanc formam vel illam, id est, ad nullam earum habens determinatam inclinationem, non est naturalis, vt opponitur violentæ, sed neutra; sicut potentia superficiei ad hunc vel illum colorem, & substantia Angeli ad hunc vel illum locum. In materia igitur secundùm se sumpta, non est naturalis potentia positiuè, sed naturalis negatiuè, quæ eadem est, quod potentia neutra, media inter violentam & naturalem illi oppositam. De hac materia vide dicta supra. q. 1. prol.

Materia in potẽtia neutra ad formam.

QVÆSTIO II.

Vtrum vltimus finis habeat tantùm vnam rationem fruibilitatis? An in ipso sit aliqua distinctio, secundùm quam voluntas possit eo frui, secundùm vnam rationem, & non secundùm aliam.

Et quòd sit in eo talis distinctio, probo. Quia 1. Ethic. &c.

SVMMA QVÆSTIONIS.

Ista Quæstio posset habere quadruplicem difficultatem, secundùm quadruplicem distinctionem in Diuinis. Prima est distinctio Essentiæ à Personis: Secunda distinctio Personæ à Persona. Tertia Essentiæ ab attributis: Quarta Essentiæ ab Idæis. De tertia & quarta modò non dicam; quia non est ostensum, qualis sit ista distinctio; nec vtrum ista distinctio pertineat ad fruitionem. Tantùm igitur de duabus primis distinctionibus nunc dicendum est. Et quantùm ad istas distinctiones, videndum est: Primò de fruitione Viatoris, quantùm ad possibilitatem eius. Secundò de fruitione Comprehensoris, & hoc loquendo de potentia Dei absoluta. Tertiò de fruitione comprehensoris, loquendo de potentia creaturæ. Quartò de fruitione comprehensoris, & viatoris, loquendo de facto.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum viator possit ordinatè frui Essentia non fruendo Personis, vel è contra?

De Primo dico. Quòd possibile est viatorem frui Essentia, &c.

SVMMA TEXTVS.

Prima Conclusio, *huius Articuli est. Potest viator frui ordinatè Essentia, non Personis. Probatur duplici ratione in textu. Vbi in primo argumento est notabilis doctrina huius Doct. Quòd relatio originis non sit de formali conceptu Deitatis, quod quomodo sit verum, ex sequenti dubitatione patebit.*

Viator põt frui Essentia sine Personis.

Secunda Conclusio. *Viator non potest ordinatè frui Persona, non fruendo Essentia. Ratio est. Quia non possum ordinatè frui aliquo, non fruendo illo quod est de ratione formali talis obiecti; sed de ratione formali Personæ Diuinæ, est Deitas, seu Essentia Diuina; cùm Deitas & relatio originis constituant Personam Diuinam, igitur, &c.*

Nõ tamen Personã possum frui sine Essentia.

Tertia Conclusio. *Potest viator ordinatè frui vna Persona, non fruendo alia. Et intelligitur ista Conclusio sicut & Prima, de fruitione actuali: nam secundum fruitionem habitualem*

Persona vna sine alia possũ frui, fruitione actuali.

tualem ordinatam, nemo fruitur ordinatè Essentia, quin sit in proxima dispositione ad fruitionem Personæ. Similiter nec diligit voluntas aliqua Patrem, nisi sit in proxima dispositione ad diligendum Filium, & Spiritum Sanctum: vt dicitur Articulo Quarto.

Dubitatur.

Vtrum Relationes Originis, sint de ratione formali Essentiæ Dei.

VIdetur quòd sic. Primò. Quia vel relationes sunt de intrinseca ratione Essentiæ, vel de ratione extrinseca: Si primum; habetur intentum: Si secundum; ergo relationes Diuinæ sunt accidentia: illud enim quod extrinsecus conuenit alicui, potest illi non conuenire; quod est impium affirmare de relationibus Diuinis.

Secundò. De ratione Entis simpliciter perfecti, est omnis perfectio illi compossibilis; sed Deus, vt Deus, est Ens perfectissimum: vt infra dist. 2. q. 1. ostenditur; relationes etiam dicunt aliquam perfectionem: Tum quia nulla est imperfectio in Deo; ergo perfectio: Tum quia ratio Personæ dicit perfectionem; de ratione autem formali Personæ Diuinæ est Relatio Originis: cùm per illam in esse personali constituatur; ergo relationes sunt de formali ratione Dei, vt hic Deus est.

Tertiò. Relationes non distinguuntur formaliter ab Essentia; ergo sunt idem formaliter cum Essentia; ergo & de formali ratione Essentiæ.

Ita videtur sentire D. Tho. 1. par. q. 27. art. 2. in respon. ad 3. cùm dicit. In ipsa perfectione Diuini esse, continetur & verbum intelligibiliter procedens, & principium verbi, & quæcunq; ad eius perfectionem pertinent. Quem locum explicans Caiet. dicit. Ipsa enim perfectio Diuini esse, si secundùm se (vt sic liceat loqui) definiretur, hæc omnia in se concluderet: sed id quod in directa definitione includitur, est de quidditate illius rei, quæ definitur; ergo & relationes de quidditate erunt Essentiæ. Quamquam tam D. Thom. quàm Caietanū in oppositam sententiam trahat Molina. 1. par. q. 28. art. 2. disp. 6. Probabilem putat Zumel ibidem disp. 3.

In oppositum est D. Subt. hic, & dist. 26. in responsione ad 3. argum. de Tertia via, & omnes eius sectatores. Item Molina loco cit. & Zumel, putant magis esse probabilem, quàm aliam Zuar. 3. par. q. 3. art. 1. disp. 11. sect. 3., Fauet Vasquez 1. parte, disp. 119. cap. 2. & disp. 121. cap. 2. & 4. Durand. in 1. distinct. 33. q. 2. num. 8. Aureol. in 1. dist. 26. artic. 4.

Pro solutione. Suppono. Non inquiri hìc, Vtrum Essentiæ Diuinæ sit hoc intrinsecum & summè necessariū, quòd illa sit in tribus Personis, vel quòd in ipsa sint Relationes Originis: hoc enim est de fide, & tractabitur infra; sed Quæstio est, Vtrum Relationes essentialiter & quidditatiuè contineantur in Essentia Dei, sic, quòd quemadmodum per se primo modo includitur in conceptu hominis animal, & rationale, an etiam per se primo modo contineatur in Essentia Dei Relatio Originis.

Suppono etiam. Quòd similis quæstio potest fieri de relatione vt relatio est, An in conceptu relationis includatur per se primo modo Essentia. Et tertiò extendi potest Quæstio, An de formali ratione Personæ Diuinæ, sit Essentia.

Prima Conclusio. Relationes Originis, non sunt de ratione formali Diuinæ Essentiæ.

Relationes Originis nō sunt de formali ratione Essentiæ diuinæ. Probatur 1. Probatur Primò, ratione Doct. Quando A. est de ratione formali B. non potest intelligi B. sine A. conceptu distincto. Tum quia non potest conceptu distincto concipi homo, sine rationali, & animali: & ita posset inductio fieri in omnibus alijs rationibus quidditatiuis. Tum quia ratio formalis, rem in tali esse constituit, & distinguit à quolibet alio; ergo non potest concipi conceptu distincto aliqua res, quin concipiatur sub ratione sua formali illam distinguente: Sed Diuina Essentia potest intelligi conceptu distincto, non intellecta Relatione Originis; Tum quia omne absolutum est distinctè intelligibile in esse absoluti absq; relatione; Diuina autem Essentia, vt est quocunq; modo formaliter vel ratione distincta à relatione, est absoluta quidditas. Tum quia Ens simpliciter vnum, & omni modo innumeratum, optimè potest intelligi, absq; illis rationibus, quæ faciunt numerum, & distinctionem, cùm vnitas absq; numero optimè possit concipi; sed Essentia Diuina est simpliciter singularissima & innumerata: relationes autem faciunt ibi numerum, & distinctionem; quia secundùm Boetium de Trinit. in fine, Substantia continet vnitatem, relatio multiplicat Trinitatem; ergo &c.

Secundò. Probatur Secundò. Quicquid est de ratione formali alicuius, impossibile est illud conuenire alicui, quin ratio illa quidditatiua conueniat tali rei; sed potest alicui conuenire Essentia, & non relatio Paternitatis, vt Filio, vel Spiritui S. potest itidem Essentia, & non Filiatio, vt Patri, &c. ergo relationes non sunt de quidditatiua ratione Deitatis. Maior huius argumenti probatur. Tum quia impossibile est sine sua intrinseca ratione essentiali esse in aliquo essentiam, quia hoc includit contradictionem; essentia enim aliqua, si absq; sua ratione quidditatiua sit in aliquo, iam non est essentia illa, quia deest ratio quidditatiua illam essentiam in tali esse essentiæ constituens. Tum quia, si propria passio, quæ per se secundo modo conuenit subiecto, ita necessariò & conuertibiliter ac adæquatè cōuenit suo subiecto omni, soli, & semper, vt non sit possibile subiectum inueniri absq; propria passione, (aliàs scientifica Conclusio in qua passio demonstratur de suo subiecto, esset veritas contingens non necessaria) à fortiori illa ratio, quæ per se primo modo conuenit magis necessariò alicui Enti, non potest illud Ens reperiri, quin ponenda sit statim ratio illa, summè necessariò ipsi conueniens. Tum quia negata ista propositione, sequeretur, quòd potest esse essentia hominis sine rationali, aut animali, & quælibet essentia definibilis, poterit esse absq; sua differentia essentiali, vel absq; genere quidditatiuo: quæ sunt absurdissima.

Instantia. Nec valet responsio, si dicatur. Quòd ista Maior sit vera de ratione formali absoluta, quam meliùs est esse ipsam in quolibet, quàm non ipsam: sed de relatiua ratione formali non valere; quia non est meliùs esse ipsam in quolibet, quàm non ipsam: nec enim meliùs est Filio esse Patrem, quàm non Patrem. Non valet inquam. Quia licèt verum sit, quòd perfectio simpliciter debeat inesse tribus Personis; non sic relatio, quæ abstrahit à perfectione & imperfectione: hoc tamen est impossibile, vt in re, ita & in conceptu, quòd non sit in aliquo relatio, vt in Filio non est Paternitas in quo est Essentia, & tamen supponitur relatio esse de ratione Essentiæ. Impossibilitatis ratio manifesta est. Quia impossibile est Essentiam esse absq; sua ratione essentiali in aliquo.

Tertiò. A quo res denominatur essentialiter talis. Probatur Tertiò. A ratione essentiali, apta est res denominari essentialiter talis: sic à rationali & animali, homo est essentialiter animal, essentialiter rationale; similiter à ratione sensitiui, animal essentialiter denominatur sensitiuum: albedo essentialiter color, à ratione coloris; & sic inductiuè patet in omnibus: si ergo relatio est de ratione essentiali Deitatis, tunc Deitas essentialiter erit relatiua: quod est contra omnem veritatem, & expressè contra Aug. 7. de Trinit. c. 1. Si essentia relatiuè dicitur, non est essentia, quia omnis essentia quæ relatiuè dicitur, est aliquid excepto relatiuo.

Ex quo dicto Aug. duplex sumi potest ratio, contra sententiam oppositam. Prima. Quòd est essentialiter relatiuum, relatiuè dicitur; at per te Essentia est essentialiter relatiua; ergo relatiuè dicitur; sed infert Aug. quòd essentia quæ relatiuè dicitur (scilicet à sua ratione quidditatiua & formali, nam alio modo non negaret) non est essentia; ergo Essentia Diuina, si essentialiter includit relationem, non est essentia. Secunda. Omnis essentia quę relatiuè dicitur, est aliquid excepto relatiuo; Essentia igitur Diuina, quæ relatiuè dicitur identicè (Essentia enim Diuina est Pater, Essentia Diuina est Filius &c.) est aliquid in ratione Essentiæ excepto relatiuo, & consequenter excepra

pta relatione; igitur relatio non est de ratione Essentiæ Diuinæ, vt Essentia est.

Essentia diuina nō est de cōceptu formali relationis.

Secunda Conclusio. Essentia Diuina, est quidem simpliciter vna res simplicissima cum relatione, non tamen est de conceptu formali relationis. Quòd sit simplicissima, declaratur infra, dist. 2. q. 7. & dist. 8. q. 1. Quòd verò non sit de ratione formali relationis. Probatur Primò. Relatio vt relatio, secundùm totum suum esse est ad aliud; Essentia autem vt essentia nō est ad aliud, vt probat Tertia ratio præcedentis Conclusionis; sed si essentia esset de ratione quidditatiua relationis, relatio quidditatiuè & essentialiter esset ad aliud, & non esset ad aliud, quod implicat; ac proinde Essentia non est de ratione formali relationis. Minor. Omne Ens à ratione sua essentiali aptum est denominari tale essentialiter; si ergo de ratione essentiali Paternitatis vt Paternitas, sit Deitas, quæ est absolutissima, vt aliquomodo saltem ratione distincta à Paternitate; sequitur quòd Paternitas essentialiter erit Ens absolutum; quia de essentia eius est absolutum, puta Deitas, & essentialiter relatiuum, quia Paternitas est relatio; & sic idem essentialiter erit ad aliud & non ad aliud, ad se & non ad se: quod concedere, est admittere contradictoria.

Secundò Probatur. Si de ratione formali alicuius relationis est Essentia Diuina, sequitur, quòd omnia prædicata Essentiæ conuenient essentialiter relationi. Cōsequens autem est inconueniens; igitur & Antec. Maior probatur per illud dictum commune Logicorum, De quocunque dicitur prædicatum aliquod, dicitur & illud quod de tali prædicato dicitur. Minor. Quia Essentia est communicabilis, vna numero; at relatio est incommunicabilis, & non vna numero, cùm tres Relationes Originis sint in Diuinis; similiter Essentia est formaliter infinita, non item relatio, nisi identicè; vt declaratur à Doct. quodl. 5. Essentia vna est cōmunis tribus, non item relatio, &c.

Relatio Originis ē de formali ratione Personæ Diuinę, vnà cum essentia. Personæ definitio.

Tertia Conclusio. Relatio orignis, similiter Essentia, est de formali ratione Personæ Diuinæ. Ratio est à priori. Quia Persona, secundùm Richar. 4. de Trinit. c. 22. est naturæ intellectualis incommunicabilis existentia; igitur de conceptu quidditatiuo Personæ, est conceptus existentiæ incommunicabilis, & conceptus naturæ intellectualis; sed Personæ Diuinæ incommunicabilitas prouenit formaliter à relatione Originis: omnia enim Pater communicat Filio, præter esse Patris, seu Paternitatem; quia Relationes Originis, sunt formaliter, & primò, seipsis incommunicabiles: vt dicitur distinct. 2. quæst. 4. dist. 26. & aliàs: ac proinde relatio est de quidditate Personæ Diuinæ. Similiter. In cōceptu quidditatiuo Personæ includitur natura intellectualis; talis in proposito est Deitas; igitur Deitas est de ratione essentiali Personæ Diuinæ.

Confirmatur dicto Damasceni, qui dicit. Proprietates determinant hypostases, non naturam; igitur secundùm Damasc. proprietates relatiuæ, quas Relationes Originis dicimus, sunt de ratione hypostaseon, vt hic dicimus; & non sunt de ratione naturæ, vt Conclusione Prima dictum est.

Materia nō est de quidditate formæ, nec è conuer. Similiter differentia, non est de quidditate generis, nec è contra.

Potest hoc aliquomodo declarari ex rebus Philosophicis. In conceptibus enim finitis, facientibus compositionē Physicam, materia non est de quidditate formæ, nec forma est de quidditate materiæ, sed bene vtrumque est de quidditate compositi Physici, per ipsas constituti. Similiter in compositione Metaphysica, differentia non est de conceptu generis, nec genus est de conceptu differentiæ (nec enim rationale de animali, vel animal de rationali, per se primo modo dici potest) sed vtrumque est de cōceptu speciei, quæ ex ipsis constituitur: ita in proposito, (relictis in cōparatione illis quę sunt imperfectionis in creatura, puta finitate, compositione, partialitate conceptuū, &c.) in istis conceptibus Deitas & relatio, Deitas non est de quidditate relationis, nec relatio est de quidditate Deitatis; sed benè vtrumque est de quidditate Personæ. Nec hìc intendo dicere. Quòd Persona habet aliquam tertiam entitatem ab Essentia & relatione; sed dico illo modo quo S. Hilar. & alij Patres docent (vt refert Magister dist. 2. 5. 6. 7. & aliàs) relationem non esse actum Essentiæ sed Personæ: ita dico hìc, relationem non esse de quidditate Essentię, sed Personæ. Vel quomodo communiter docent Theologi; quòd non Essentia generat nec Paternitas, sed Pater seu Persona Patris, de quo infra.

Esse aliqd de intrinseca rōne alterius, dupliciter intelligitur.

Ad Primū in principio Dubitationis adductum. Esse aliquid de ratione intrinseca alicuius, dupliciter potest intelligi. Primò, minùs propriè: quia conuenit ipsi necessariò, & non contingenter; & sic omne prædicatum non tantùm per se primo modo, sed etiam propria passio, intrinsecè conuenit suo subiecto: & sic concedo quòd Relationes Originis conueniunt intrinsecè Essentiæ Diuinæ, quia necessariò ei insunt, & ex naturali perfectione talis naturæ. Secundò strictè & propriè illud dicitur de ratione intrinseca, quòd conuenit illi per se primo modo, & est de quidditatiuo conceptu illius; & sic relationes non sunt de intrinseca ratione Essentiæ. Quando infers. Ergo de extrinseca. Respondeo. Quòd si per ly extrinseca, intelligis quòd sit de ratione contingenti & accidentali, falsum est; si autē iste terminus accipitur pro eo, quod est esse extra conceptū quidditatiuum, verum est; sed non valet illa sequens improbatio de accidentalitate: dicimus enim Relationes Originis esse intrinsecas Essentiæ Dei, sed non de intrinseca rōne Essentiæ: vt primum denotet Relationes necessariò, & non contingenter Essentiæ Dei conuenire, in secundo autē explicetur, quòd relationes necessariò Essentiæ Dei conuenientes, non sunt de conceptu essentiali & quidditatiuo illius, nec dicuntur per se primo modo de illa.

Relationes Originis rō dicunt aliquam perfectionē formaliter.

Ad Secundū. Nego Minorem; quoad illam partē: quòd Relationes Originis secundùm se dicant aliquam perfectionem. Probatio prima non valet. Quia Relationes formaliter vt sunt relationes, nec sunt finitæ nec infinitæ, licèt identicè propter identitatem realem cum Essentia, quæ est formaliter infinita, sunt infinitæ, vt multis declarat Doct. quodl. 5.

Dices. Inter contradictoria non est medium; sed finitum & infinitum sunt contradictoria; ergo inter illa non est medium; quare si relatio non est formaliter infinita, necessariò erit finita. Dico. Finito non opponitur contradictoriè infinitum, sed non finitum; & infinito opponitur contradictoriè non hic terminus, finitum, sed non infinitum; & sic verè Relationibus Originis competit altera pars contradictionis: nam istius contradictionis, Vel sunt finitæ, vel vel non finitæ formaliter; conuenit ista pars, non finitæ; similiter illius, Vel sunt infinitæ, vel non infinitæ; vera est hæc pars, non infinitæ: sed cùm infertur, Non infinitæ; ergo sunt finitæ: Consequentia est falsa: quia in Antecedente, solùm negatur infinitas, sed non affirmatur modus oppositus illi conuenire, quod infers in tua consequentia. Similiter, si dicas. Non finitæ; ergo infinitæ. Consequentia nulla est. Quia in Antecedente solùm negatur finitas, sed non ponitur oppositus modus, scilicet infinitas, qui infertur in consequenti.

Secunda probatio non valet. Quia Persona dicit formaliter perfectionem non ratione Relationis (quia sic cùm Paternitas non sit de ratione Personæ Filij, Filius non haberet perfectionem infinitam) sed ratione Essentiæ, quę est formaliter infinita.

Neotericorum error.

Ad Tertiū. Negatur Antecedens, vt patebit infra distin. 2. qu. 2. Non video tamen quomodo Neoterici quidam dicunt consequenter ad sua fundamenta, negando Relationes esse de ratione formali Essentiæ. Et postmodum cùm quæritur. An relatio distinguatur formaliter ab Essentia, vel sit idem formaliter Essentiæ. Negant distinctionem formalem, & concedunt identitatem. Hoc enim est idem concedere & negare. Nam aliquid non esse de ratione formali alterius, & illud non esse idem formaliter alteri, sunt idem: vt adnotauit benè Doctor q. 7. dist. 2. huius Primi. Ac proinde, si concedis rationem formalem relationis, non esse de ratione formali Essentiæ, necesse est concedere rationem relationis distingui formaliter à ratione Essentiæ, vel non esse idem formaliter Essentiæ.

AR-

ARTICVLVS SECVNDVS.

Vtrum de potentia Dei absoluta, possit comprehensor frui Essentia, non fruendo Persona?

De Secundo Articulo dicitur. Quòd non est possibile de potentia Dei, &c.

SVMMA TEXTVS.

Tres partes sunt istius Articuli. In Prima, recitatur Opinio Gandau. quodl. 2. q. 7. his contenta Conclusionibus. Prima. *Impossibile est aliquem intellectum videre Essentiam Diuinam nō videndo Personam Diuinam. Probatur hæc Conclusio triplici ratione in textu.* Secunda Conclusio. *Non potest de absoluta potentia Dei comprehensor frui Essentia, non fruendo Personis. Probatur iisdem rationibus quibus prior, & maximè quatuor argumentis pro quarta eiusdem Conclusione positis, quæ etiam proportionaliter ad id probandum applicari possunt.* Tertia. *Essentia non potest videri in vna Persona, quin videatur in alia. Ratio est. Quia æquè immediatè se habet Essentia ad quamlibet personam; ergo si non potest videri sine Persona, non poterit videri absque hac, & illa, & tertia Persona.* Quarta Conclusio. *Non est possibile frui comprehensorem vna Persona quin fruatur alia. Probatur hæc Conclusio quadruplici ratione in textu.*

In Secunda parte. Ponit Doctor quatuor oppositas Conclusiones affirmatiuas, loquendo de potentia Dei absoluta. Prima Conclusio. *Possibile est quòd aliquis intellectus possit videre Essentiam Diuinam, sine Personis.* Secunda. *Possibile est vnam videri Personam, sine altera.* Tertia. *Non implicat contradictionem, comprehensorem frui Essentia, non fruendo Personis.* Quarta. *Non est impossibile, quòd comprehensor fruatur vna Persona, non fruendo alia. Et aduerte, quòd negatio in istis Conclusionibus, non fruendo, non accipitur positiuè, quasi verò possibile sit, frui Essentia non fruendo Persona, id est, diligere Essentiam circa Personam, non modò non eliciendo actum dilectionis, sed etiam eliciendo actum amori contrarium; hoc enim est falsum & impossibile; sed merè negatiuè, non habendo scilicet actualem fruitionem circa Personam, quamuis habitualiter sit in proxima dispositione talis voluntas, ad eliciendam fruitionem circa tale obiectum.*

Frui positiuè & negatiuè quid.

In Tertia parte. Dissoluuntur argumenta adducta pro Opinione Gand.

COMMENTARIVM.

Circa Secundam partem Articuli. Nota Primò. Prædictas Conclusiones non demonstrat Subt. Doct. sed tantùm explicat duos modos, quibus pôt illa possibilitas, seu non repugnantia ostendi. Et notanter dicitur à Doct. *Hoc persuadetur sic*: quamuis enim in quæstione illa, in qua quæritur, an aliquid de absoluta potentia Dei possit fieri, non sufficit parti neganti, tantùm probabiles dare rationes negandi, sed requiruntur demonstratiuæ, ostendentes manifestam contradictionem (quales tamen non sunt rationes prioris Opinionis) ad tenendum tamen partem affirmatiuam, sufficit vel probabiliter ostendere non repugnātiam in terminis, & argumentorum contrariorum ostendere nullitatem. Neque enim decet aliquid derogare Omnipotentiæ Diuinæ, ob probabiles persuasiones, & leues ratiunculas; ad quam extollendam sufficientes sunt probabiles persuasiones; ita tamen probabiles, quòd hactenus non sunt sufficienter solutæ, à tenentibus partem oppositam, vt videre licet Lichet. hìc. Radam. 1. part. Contr. 6. & patebit infra in Dubit.

Ad negādū possibilitaté reqritur demonstratio, ad astruendam sufficit ratio probabilis.

Derogare omnipotentiæ Dei ob leues ratiūculas nō decet, sed extollere per eas sufficit.

Nota Secundò. Quòd primus modus explicandi in textu positus, nō deberet pro litera Doct. accipi & citari. Quia nobilis ille Scoticæ literæ dilucidator Maur. Hybernicus, docuit, quòd iste textus *Pater prius origine, &c.* vsque ad illū secundum modum, qui incipit, *actus omnis habēs, &c.* libro manuscripto ab ipsomet Subt. Doct. fuit cancellatus; quia tamen & antiqua exemplaria illum continent, & interpretes hìc ipsum communiter admittunt, & explicant, & subtilitatem Scoticam redolet, & cancellatio illa ab altero fieri potuit, non immeritò communiter à Doctis Scotistis pro vera Doct. litera vsurpatur; à quorum iudicio non discrepo, maximè quia Conclusioni primæ Gand. oppositam continet doctrinam. Dicit enim ille. Quòd nullus intellectus possit vlla virtute videre Essentiam sine Personis: at Subt. Doctor ostendit hoc esse falsum, quia intelligibilis à nobis est beatitudo Patris, in illo priori Originis, in quo Pater dicitur prior Filio; illa beatitudo consistit in visione & fruitione Essentiæ Diuinæ, & non vt in tribus, quia intelligitur esse beatus in primo signo Originis; ergo est intelligibilis visio & fruitio terminari ad Essentiam, non ad tres Personas.

Nota Tertiò. Contra vtramque persuasionē Doct. multa dici à Caiet. 2. 2. q. 2. artic. 8. sed non ad B. vt in sequenti dubit. patebit. Interim hìc vel illud solum aduertisse sufficit, illam propositionem Doct. ratione prima positam *Non minus ad intellectionem requiritur intelligibile, quàm intellectus*, malè detorqueri à Caiet. dicente, quòd ista propositio falsum assumat, & Sophysma committat in illatione. Falsa quidem est: quia ad operationem vitalem, qualis est intelligere, magis requiritur principium eius vitale quàm non vitale; intellectus autem est principium vitale, intelligibile autem non vitale; ergo, &c. Sophysticè autem infert; quia mutatur non minus, in non aliter: dato enim quòd non minùs, quia tamen aliter requiritur; quia intellectus vt Quo solùm, intelligibile vt terminus: ideo hoc exigit ad hoc, vt perfectè terminet, vt terminet prout est in intelligente, & vt est secundùm se, & in quocunque, &c. ille autem sufficit q principiet, vt inest formaliter intelligenti.

Caiet. multa dicit sed non ad B. & malè detorquet Scotum.

Ista dixisse Caietanum non ad propositum, neque directè ad obiectionem Doct. nec quidquam contra Doctorē concludere ostendo sic. Intentum Doct. est probare, non esse repugnantiam in istis terminis, Videri posse Essentiam sine Personis. Quod probat hac ratione. Pater in illo signo originis, in quo præintelligitur Filio, (iuxta infra dicenda) est perfectè beatus; & non intelligitur pro illo signo Essētia in tribus: quia præintelligitur Filio, & cōsequenter Spiritui Sancto; ergo obiectum beatificum pro aliquo signo non intelligitur Trinitas Personarum, quod sufficit Doct. in præsenti, vt inferiùs ostenditur. Istam rationem probat tali discursu. Sicut quælibet Persona, intelligit intellectu formaliter, vt est in ipsa, non vt est in alia, secundùm Aug. 15. de Trinit. c. 7. sic quælibet Persona intelligit se perfectè intelligendo Essentiam, vt est in ipsa formaliter, non in alia; ergo non vt in tribus. Propositionem secundam istius Antecedentis Confirmat Doctor hoc dicto. Non minùs ad intellectionem requiritur intelligibile, quàm intellectus: Quæ probatio, ex vi discursus & confirmationis, vt declarant præcedentes propositiones non aliud vult, quàm qđ in illo priori originis, in quo Pater est prior Filio, sicut Pater intellectu intelligit, vt in ipso Patre est, ita & intelligibile ipsi Patri præsens erit, vt in ipso Patre est, & non in alio.

Nō ad propositum dixisse Caiet. ostenditur.

Et quia posset quis dicere: intelligibile in alio priori quasi originis concurrere ad intellectionem Patris, in quo Pater & Filius & Spiritus Sanctus intelliguntur esse; hoc amouendo Subt. Doctor dicit, *Non minus ad intellectionem requiritur intelligibile quàm intellectus*, id est, pro illo priori signo originis, pro quo præintelligitur Pater beatus, non minùs necessariò requiritur intelligibile quàm intellectus: ac proinde si requiritur intellectus pro illo signo priori, requiritur & intelligibile pro illo eodem signo, quia vtrumque simul, pro quocunque signo, necessariò requiritur ad habendam intellectionem.

Intelligibile nō minus reqritur ad intellectionem quam intellectus, quis sensus.

Expresse igitur ly non minùs, in litera Doct. sumitur nō pro non aliter, (neque enim hoc est ad propositum) sed pro ita necessariò. Et sanè videre poterat Caiet. in Subt. Doct. expressis verbis exaratam doctrinā infra dist. 3. q. 8. *Non minus requiri ad intellectionem intelligibile, quàm intellectū, paritate necessitatis; aliter tamē, quia intellectus requiritur principaliter & vt principiū vitale, obiectū autē requiritur secūdariò, & vt principiū nō vitale*: quorsum igitur à Caietano imponitur Doct. Subt. negatio eorum, quod expresse docuit?

In

In Tertia parte Articuli. Illa doctrina in solutione Secundi Argumenti de notitia intuitiua, quòd illa terminetur ad existens vt existens est, sed non ad subsistens, diligenter est notanda: Ista enim distinctio, destruit totum ædificium Caiet. 2.2.q.2.art.8. astruentis oppositum, de quo Dubit. sequenti.

Nec hanc distinctionem impugnat Caiet. sed vt solet, cùm Argumentis destituitur, verbo reijcit. Illud etiam dictum Caiet. Quòd de ratione visionis beatificæ est, vt videamus Deum sicuti est, dici potest quòd solùm probat nostram Conclusionem, sequenti Articulo positam, de potentia Dei ordinata, non autem absoluta; quia dum Scriptura dicit, *videbimus eum sicuti est*, non loquitur de visione vel beatitudine quam Deus de absoluta potentia sua dare posset, sed de illa, quam de facto ex præordinatione voluntatis suæ daturus est electis.

Cùm addit Caiet. Cùm visio Dei sit comprehensiua, impossibile est intelligi à nostro intellectu, quòd possit videri Essentia à Patre, & non vt in tribus. Respondeo. Comprehensio Diuini intellectus consistit in hoc, vt intellectus infinitus intelligendo actu infinito, cognoscat obiectum primarium formaliter infinitum; tale autem obiectum est sola Essentia Diuina, non Relationes Originis, quæ sunt obiecta secundaria. Exemplum de albedine in litera Doct. positum, est accommodatissimum, ad ostendendum propositum quòd possit esse visio intuitiua, & non subsistentis; sic albedo separata cum quantitate existens, videri potest, & tamen non est subsistens: imò & in substantia hoc potest esse; quia materia potest videri intuitiuè ab intellectu separato, similiter & anima intellectiua, & tamen neutra prædictarum substantiarum est subsistens; quia est communicabilis vt Quo.

Dubitatur Primò.

Vtrum sit simpliciter impossibile videre Essentiam Diuinam, non videndo Personas.

Videtur quòd sic. Primò. Visio beatifica, est visio intuitiua Dei, sicuti est; sed Diuina Essentia est in tribus Personis, igitur videns Essentiam sicuti est, necessariò videt eam vt in tribus Personis est. Confirmatur Primò. Cognitio intuitiua terminatur ad rem existentem prout existit; ergo intuitiua cognitio Essentiæ Dei, terminatur ad Essentiam prout existit, existit verò formaliter in tribus Personis; repugnantia igitur manifesta, est à Beato videri Essentiam, & non videri Personas. Confirmatur Secundò. Si Deus tantùm existeret in vno supposito, non videretur sicuti est, nisi videretur illud suppositum in quo est; cùm igitur existat in tribus suppositis necessariò, necesse est quòd omnia illa supposita videantur.

Secundò. Essentia Diuina repræsentat se naturaliter; ergo necessariò repræsentabit omne id quod ipsa est, vel in ipsa; sed Personæ sunt in illa, idem realiter cum illa; ergo illi intellectui, cui Essentia seipsam manifestat, manifestabit naturaliter Personas.

Tertiò. Magis distat essentia Angeli à supposito Angeli, quàm Essentia Diuina à Personis; atqui essentia Angeli non potest videri absq; Persona Angeli; nec igitur poterit videri Essentia Diuina sine Personis. Confirmatur. Essentia Diuina est ita eadem Personæ Diuinæ, sicut ego sum idem mihimet ipsi; quemadmodum itaq; non est possibile, vt ego videndo me ipsum, non videam me, ita etiam non est possibile, videre Essentiam Diuinam, & non videre Personas.

Quartò. Deus ex natura sua habet quòd sit Trinus in Personis; ergo in eius definitione quidditatiua, si posset definiri, intrinsecè includuntur tres Personæ Diuinæ; atq; ita non potest videri Essentia Diuina, nisi simul tres Personæ videantur.

Quintò. Quicquid est in Essentia Diuina, est omnino simplex, & indistinctum ab illa vllo modo ex natura rei, sed tantùm ratione; & ita non poterit videri Essentia sine illis, quæ sunt idem realiter cum ipsa. Antecedens. Quia aliàs in Deo esset compositio. Consequentia. Quia aliàs videretur idem sine seipso: nec enim videretur cum illo, quod est idem illi.

Ita sentit Zumel. 1.par.q.12. art.7. disp.2. Vasquez ibidem. disp.48.c.2.& 4. Bannes ibidem. disp.2. Molina. ar.8. disp.4. Sotus in 4. disp.49.q.3. Argent. in prin. dist.1. art.3. & 4. Caiet. 2.2.q.2.art 8.

In oppositum est Doctor Subt. hic. Mayron. dist. præsenti, q.4.& in 3.d.1.q.1. Ant. Andr. q.2. Bassol. q.1. Rada. 1.par. controu. 6.& communiter Scotistæ. Ex Thomistis, subscribit eidem sententiæ, Paludanus in 4. distin. 49. q.5. artic.3.

Aduertendum est Primò. Quòd præsens dubitatio triplicem possit habere sensum. Primum in communi: An videlicet possibile sit, secundùm se, videre Essentiam Diuinam, non videndo Personas Diuinas: abstrahendo Quæstionem ab intellectu tam Diuino, quàm creato. Secundum, loquēdo de intellectu Diuino: An possit intellectus Diuinus videre Essentiam, sine Personis. Tertium. Vtrum intellectus creatus alicuius Beati possit videre Essentiam, sine Personis. *Triplex sensus dubitationis.*

Aduertendum est Secundò. Quòd distincta cognitio alicuius obiecti, propter varias rationes conceptibiles in illo, dupliciter dicitur distincta. Primò. Pro notitia intuitiua & clara ipsius obiecti, etiamsi plurima prædicata ipsius non cognoscantur, sic ad distinctam notitiam sensitiuam, sufficit quòd intuitiuè videamus hominem, quamuis distinctè partes illius interiores, vel exteriores, non videamus; sic etiam intuitiuè, & distinctè videt Angelus notitia intellectiua Angelum, licèt quædam sunt in ipso formaliter, vt cogitationes, volitiones, quæ non cognoscuntur ab illo altero Angelo: diciturq; talis cognitio distincta; quia per ipsam concipitur obiectum clarè, vt distinctum à quolibet alio, quod non est ipsum. Alio modo notitia distincta sumitur; pro cognitione obiecti, secundùm omnes rationes illius, secundùm quas cognoscibile est; & talis cognitio est perfectior longè, quàm prior: quamuis & illa dicat perfectionem vt terminatur ad obiectum existens. Breuitatis gratia, prior cognitio, vocetur cognitio distincta simplex, secunda, cognitio distincta extensiua; quia se extendit ad omnia in illo obiecto cognoscibilia. Et in vtroq; sensu dubitatio potest examinari. *Cognitio distincta dupliciter dicitur distincta.*

Quantùm ad primum. Vtrum sit implicatio in terminis istis, videre Essentiam, non videndo Personas, cognitione distincta, secundùm modum priorem respondendo ad dubitationem, sit

Conclusio Prima. Non est implicatio vlla contradictionis, quòd ab aliquo intellectu possit videri Essentia Diuina, non visis Personis Diuinis. Ista assertio est Doct. in præsenti textu: hoc enim & non aliud hìc intendit vel maximè. *Videri essentiã Dei non visis personis nulla est implicatis i terminis.*

Probatur autem Primò ratione eiusdem. Non implicat Patrem frui Essentia, non fruendo Personis (idem dico de visione) ergo simpliciter non implicat frui Essentia Diuina, & non Personis. Anteced. In illo priori signo, in quo Pater intelligitur prior esse Filio, Pater est perfectè beatus; beatitudo autem consistit in visione & Fruitione. Cùm ergo in illo priori Pater præintelligatur Personis alijs, Pater fruetur Essentia in illo priori, non fruendo Personis.

Ad istam rationem Zumel. loco cit. (quamuis pro suo venditat hoc Argumentum) respondet, negando Anteced. Ad probationem: dicit, in illo signo Patrem non esse beatum, in quo non sit Filius & Spiritus Sanctus: quia aliàs pro aliquo esset Pater, pro quo signo non esset Filius, & sic Filius haberet esse post non esse: deinde sequeretur quòd Essentia esset pro aliquo signo non communicata tribus.

Verùm ista responsio non est Theologica. Primò; quia confundit signa Originis & durationis: de quo infra speciali dubitatione. Deinde non soluit Argumentum: nam Pater est aliqua prioritate prior Filio: non prioritate durationis, sed saltem prioritate naturæ, vel intelligibilitatis. In illo ergo priori intelligibilitatis, in quo intelligitur Pater prior Filio, vel intelligitur Pater beatus vel nō? si beatus; ergo potest saltem intelligi fruitio esse beatifica, quia terminatur ad Essentiam Diuinam, licèt non intelligatur terminari ad Personam: si non intelligitur beatus; ergo in secundo signo Originis intelligitur habere beatitu- *Pater quomodo prior Filio in Diuinis. Et, si intelligitur beatus in illo priori?*

beatitudinem à Personis; quod est inconueniens: quicquid enim Pater habet, habet non ab aliqua Persona, cùm sit simpliciter vt innascibilis, ita omninò improductus, quoad quamlibet perfectionem eius, vt examinatur dist. 28. Si ergo non implicant ista ex terminis; & est intelligibilis antequam actu aliquo intellectus creati concipiatur (quod ideo additur, vt ostendatur, ante operationem intellectus esse ibi non repugnantiam.) Essentia in ratione obiecti beatificans Patrem, non intelligendo alias Personas; sufficienter manet ostensum, hanc dubitationem, si teneatur affirmatiuè, in terminis proprijs nullam contradictionem inuoluere.

In hoc sensu procedit ratio prima Doct. in litera posita, non in illo, ad quem detorquetur à Caiet. & Zumel de duratione; quasi verò Pater sit prior Filio duratione, secũdùm Doct. Subt. qui expressè hanc doctrinam de prioritate durationis, non modò dist. 9. huius Primi, sed frequẽtissimè in tota sua Theologia negauit.

Essentia est obiectũ primariũ Personæ secundarium.

Probatur Secundò ratione Doct. Illam potentiam, quæ habet aliquid pro obiecto primario, & aliquid inclusum in illo obiecto primario, habet pro obiecto secundario, nõ implicat ferri in obiectum primarium, & non ferri in secundarium; sed Essentia Diuina est obiectum primarium beatificum, Personæ secundarium; non implicat igitur potentiam aliquam intellectiuam, vel volitiuam, ferri in obiectum primarium, absque hoc q; feratur in secundarium.

Quod Caiet negat.

Ad istud argumentum respondet Caiet. Negando Minorem. Trinitas enim Personarum, (dicit ille) non est obiectum secũdarium, sed pars obiecti primarij: quia est quasi pars huius, cùm dico, Deus sicuti est: non enim ly Sicuti est, restringendum est ad existentiam, vt distinguitur contra subsistentiam, vt vult Scotus, sed intelligendum est de omni modo substantiæ, tam scilicet Essentiæ, quàm hypostasis; alioquin esset visio Essentię abstractiua ab hypostasi, & in substantijs non esset verè visio intuitiua. Hanc Caiet. responsionem approbat Zumel.

Sed sine fundamento.

Ista responsio est nulla. Sine fundamẽto enim negatur, solam Essentiam Diuinam esse obiectum primarium beatificum, Personas verò secundarium. Tum quia vnius potentiæ, est vnum obiectum primarium, licèt sint plura secundaria, vt haberi potest ex Philosopho 2. de anim. tex. 33. igitur & potentiæ intellectiuæ vel volitiuæ Diuinæ, vnũ erit obiectum primarium. Tum quia potentia formaliter infinita, pro primo obiecto debet habere aliquid formaliter infinitum; Essentia autem in Deo est formaliter infinita, non item Relationes Originis. Tum ob alias rationes expressas dubitatione specialiter de hoc mota inferiùs.

Visio Dei ē sicuti est Deus, quō.

Tertiò probatur. Si quæ esset causa repugnantiæ, maximè illa quæ ponitur à Caiet. Bannes, & alijs Thomistis, q; visio beatifica est Dei sicuti est, est autem in tribus Personis; atque ita visio beatifica erit Dei, vt est in tribus Personis: sed hoc nihil impedit. Primò. Quia hoc dictum veritatem habet tantùm de visione ordinata quæ de facto est; nõ aũt de possibili. Deinde ly: Sicuti est, nõ sumitur ibi, pro

Sicut, &c.

dicit oẽm modũ, quo Essẽtia Dei est cognoscibilis; quia cognoscibilis est cõprehensiuè & infinito actu, non tamen ab intellectu creato: sed sumitur ille terminus, Sicuti est, prout ly sicut, specificat existentiam ipsam, & non modũ existendi, vt sit sensus, visio beatifica terminatur ad Deum existẽtem, non sub modo abstractiuo & præcisiuo illum cognoscẽdo, sed sicuti est, i. immediatè, in sua propria existentia.

Apostoli Verba explicantur.

Ista vtraque expositio est maximè conformis Scripturæ. Quando enim Apostolus dicit *Videmus nunc eum per speculum & in ænigmate, cùm autem apparuerit videbimus eũ sicuti est*; certum est, quòd loquitur de visione quæ de facto Sanctis obueniet. Deinde, illud Sicuti est, dicitur per oppositum ad illum modum, quo nunc in via Deum videmus, quia per speculum & in ænigmate; in patria autem videbimus non in ænigmate abstractiuè, sed intuitiuè, vt cognitio intuitiua terminatur ad existentiam rei: Sed inde inferre: ergo omni modo quo est, videbimus, nec potest alio modo videri: est fallacia à secundùm quid, ad simpliciter: sicut nec valet, Beati vident Deum sicut est; ergo omni modo quo visibilis est, vel, ergo omnia quæ in ipso sunt, etiam secundùm esse possibile.

Hinc etiam patet, ad improbationem Caiet. præcedenti argumento adductam, quòd ly Sicuti est, restringi debeat ad existentiam, non ad subsistentiam, vt optimè docet hîc Subt. Doct. in respon. ad 2. argum. Henrici. Quòd etiam aliæ repugnantiæ, quæ à defendẽtibus oppositã sententiam adferuntur, non concludant; patebit ex responsione ad argumenta infra.

Intellectus diuinus pôt videre Essentiam sine Personis.

Secunda Conclusio. Loquendo de intellectu Diuino, Vtrum possibile sit haberi ab ipso actum cognitionis Essentiæ Diuinæ, sine cognitione Personarum, vel alicuius Personæ. Dicendum est, hoc esse simpliciter impossibile.

Ista assertio non est contra Doct. hoc loco, (esto quòd infideliter Caiet. & quidam alij oppositum Doctori attribuant) vbi tantùm primam probat Conclusionem. Ista autem Conclusio est directè de mente ipsius, dist. sequenti, quæst. 2. vbi ostenditur, intellectionem Diuinam esse vnicam, eaque distinctè cognosci omnia, etiam infinita (loquẽdo extẽsiuè de quouis cognoscibili,) quia sola talis cognitio Deo competit, nec alia est possibilis; quia ibi quicquid est possibile, necessariò est; vt dicitur loco cit. Probatur autem Conclusio. Primò. Diuina cognitio est comprehensiua Essentiæ Diuinæ; at cognitio comprehensiua Essentiæ Diuinæ, non potest esse, nisi cognoscantur tres Personæ in illa Essentia; quare non potest habere intellectus Diuinus cognitionẽ Essentiæ Diuinæ, nisi habeat cognitionẽ Personarũ. Maior est cõmunis Theologorũ. Sola enim cognitio intensiuè infinita, intellectus infiniti, est cõprehẽsiua Deitatis, secundũ illos, & rectè: talis autem sola est cognitio Diuina. Minor. De rõne enim notitię comprehẽsiuę est, non modo cognoscere obiectum, sed &t cognoscere illud, sub omni rõne, sub qua cognoscibile est; vt dicit Doct. in 3. dist. 14. quæst. 1. in respons. ad 2. principale. Si autẽ nõ cognosceretur Essentia sub illo modo secundũ quem est in Personis, non cognosceretur sub omni modo, & consequẽter non comprehenderetur Essentia ab intellectu Diuino.

Intellectus Diuinus Vnica, ad infinita alio...

Sola cognitio intentiua infinita intellectus finiti cõprehẽdit ... Ad non cõprehẽsiuã quiritur...

Secundò. Essentiam Diuinam cognoscit intellectus Diuinus necessariò, & non liberè, vt oẽs admittunt Theologi; igitur visa Essentia, necessariò videt Diuinus intellectus illa, quæ necessariò sunt in illa Essentia; atque ita Personæ cùm sint necessariò idem realiter Essentiæ, visa Essentia, necessariò videbuntur.

Quare Paternitas non communicatur Filio.

Dices. Pater cõmunicat Filio Essentiam, non Paternitatem; ergo pari rõne potest videri Essentia, sine Paternitate. Respondeo. Dispar est rõ. Quia Paternitas, cùm sit rõ formaliter seipsa incõmunicabilis, & &t sit primæ Personæ rõ incommunicabiliter existendi, repugnat q; possit communicari Filio, siquidem formaliter est ratio incommunicabilis: sed si Deus videret Essentiam sine Personis, id non proueniret ex communicabilitate Essentiæ, vel ex incommunicabilitate Personæ, sed vel quia contingenter intellectus Diuinus tenderet in obiectum primarium, nempe in Essẽtiam Diuinam, aut in secundarium, nempe in Personas, vel quia non esset comprehensiuus, & sic vnum posset videre absque alio; sed vtrumque fundamentum est falsum, imò impossibile; ergo comparatio falsa.

Hanc obiectionem audent quidam iactare esse rationẽ pro sententia Subt. Doct. cùm tamen nihil minùs verũ sit.

Hæc eadem Conclusio, probatur duabus rationibus primis in principio huius dubitationis propositis.

Beatus aliquis potest videre Essentiam, non videndo Personas.

Tertia Conclusio. Si sermo sit de intellectu creato, An Deus possit absoluta sua virtute efficere, vt aliquis creatus intellectus intuitiuè videat Essentiam Diuinã, visione beatifica, non videndo Personas: omnino affirmatiuè dicendũ est, id fieri posse. Istã Conclusionẽ videtur Doctor principaliter hic intendere; siquidem qõ principaliter procedit de fruitione & visione creaturæ: quanquam argumenta extendant se ad communiorem Conclusionem, nẽpe primã.

Deus est obiectũ liberè respectu intellectus creati.

Probatur hæc Conclusio. Primò. Quandocũq; aliquod obiectum est liberũ, respectu alicuius potentiæ, necessariò subiectæ dispositioni & ordinationi talis obiecti, & illud obiectũ habet in se rõnes aliquomodo diuersas, secundũ quas est attingibile à tali potẽtia, tunc illa potentia poterit attingere obiectũ sub vna rõne non includente alterã, non attingendo sub altera: sed Deus, respectu intellectus creati, est obiectũ liberè se manifestans, habensq; in se diuersas

rationes intelligibiles; quia est intelligibilis Essentia, est etiam intelligibilis Persona; ergo potest efficaciter velle Deus manifestare seipsum intellectui creato, sub ratione Essentiæ, & non Personæ: atq; ita possibile est ab intellectu creato videri Essentiam, & non Personas.

Dices. Deus est intelligibilis sub ratione diuersa, cognitione abstractiua, non intuitiua. Contra. Concurrat Deus cum intellectu creato, ad videndam illam Essentiam intuitiuè, quam cognoscit nunc abstractiuè, & non concurrat ad videndum intuitiuè Personam, quia nulla est implicatio, quòd concurrat Deus ad visionem Beati, qua videat Beatus in Deo entitatem communicabilem, & non concurrat ad visionem entitatis in communicabilis, puta Personæ; ergo respectu cognitionis intuitiuæ creatæ, sunt ibi distinctæ rationes intelligibiles.

Confirmatur hoc Primò. Quia lumen gloriæ talis vel talis intensionis, secundùm istos, est causa tantæ vel tantæ visionis intensiuæ. Similiter dicunt de extensione. Quòd vnus Sanctus plura alio videat in Essentia Diuina, alter pauciora possibilia, id prouenire, quia vnus habet lumen plurium repræsentatiuum, alter pauciorum; ergo etiam in proposito, nullum est inconueniens, quòd per aliquod lumen gloriæ, possit nostro intellectui repræsentari sola Essentia Diuina, & non Persona.

Confirmatur Secundò. Absoluti cognitio intuitiua, non dependet intrinsecè à cognitione relatiui; cùm omne prius, sicut quoad esse, ita & quoad verum esse, quod est esse cognoscibile, non dependet ab illo, quod est aliquomodo saltem ratione posterius; Essentia autem Diuina est quid absolutum, & prius prioritate intelligibilitatis relationibus; ergo Essentia Diuina in sui cognoscibilitate, respectu nostri intellectus, non includit necessariò cognoscibilitatem Personarum.

Probatur Secundò. Non implicat ex terminis, videri Essentiam intuitiuè non visis Personis; ergo non implicat ab intellectu creato videri Essentiam sine Personis. Anteced. patet ex prima Conclusione. Quia ista implicatio vel est respectu intellectus creati, vel increati: non secundum; quia visio intellectus increati, est comprehensiua, infinita, ac necessaria, & consequenter videndo Essentiam intellectus Diuinus, videt omni modo illam, vt dictum est Concl. 2. ergo respectu intellectus creati.

Dices. Hæc ratio; sicut Conclusionis Primæ rationes, procedunt etiam de visione increata. Tum quia est ibi distinguere obiectum primarium & secundarium. Tum quia Essentia respectu relationum habet aliquam rationem prioritatis. Tum quia non implicat ex terminis videri Essentiam sine personis: atq; ita non implicabit videri ab intellectu increato: vel si istæ rationes de intellectu increato non concludunt, neq; de creato cōcludent. Respondeo. Ex parte ipsius obiecti beatifici, non est repugnantia simpliciter, quominus Essentia videri possit sine Personis ab intellectu Diuino, vt probat Obiectio; repugnat tamen simpliciter, ex parte Diuini intellectus & intellectionis; cùm enim Diuinus intellectus comprehensiuè & infinito modo cognoscat illam Essentiam necessariò, cognoscet necessariò & comprehensiuè quicquid est in illa Essentia. Intellectus autem creatus, cùm possit aliter & aliter videre Essentiam Diuinam, non repugnabit illi habere visionem Essentiæ, non visis Personis.

Tertiò Probatur. Sancti de facto, non vident omnia, quæ videri possunt intuitiuè in Essentia Diuina; ergo possibile est non videre aliquid in Essentia Diuina, quod in illa de facto vident, puta Sacrosanctas Personas. Antecedens communiter admittitur à Thomistis, vt à Capr. Soto, in 4. dist. 49. & ab Expositoribus primæ partis, quæst. 12. art. 8. Vbi docent vnanimiter contra Durand. distin. 49. de facto à Beatis non videri omnia possibilia in Essentia Diuina: imò dicit Bann. Conclu. 5. per Dei potentiam fieri posse, vt Sanctus videat Essentiam, & nullam in ea creaturam videat: Quod ipsum concedit Caiet. 1. p. q. 56. ar. 5. Vbi creaturas in esse intelligibili vocat obiecta secundaria, & cognitionem ipsarum docet non pertinere ad beatitudinem, quæ formaliter est in sola visione Essentiæ Diuinę. Consequentia. Licèt enim creaturæ alio modo sint in Deo, alio modo Personæ; nam creaturæ sunt eminenter, Personæ autem formaliter: tamen comparatio stat in hoc optimè, quòd creaturæ secundùm esse suum Idæale & possibile, necessariò continentur in Essentia Diuina, similiter & Personæ necessariò; creaturæ secundùm illud esse possibile, in Essentia Dei contentę, non faciunt cum Essentia compositionem, nec Sacrosanctæ Personæ; creaturas contineri eminenter conuenit Deo sicuti est, sub omni modo essendi, similiter & esse Essentiam in Personis, conuenit Deo vt est, sub omni modo essendi: quare sicut non implicat videri Essentiam sine creaturis, ita non implicat sine Personis. Et reuera omnia argumenta Thomistarum, quæ militare videntur, contra hanc nostram Conclusionem, si quid concludunt, etiam directè concludunt, quòd impossibile sit videri Essentiam quin videatur omnes creaturæ; vt in solut. Argum. notabo.

Sicut nō implicat videri Essentiā sine creaturis, ita sine Personis.

Probatur Quartò. Vnione maxima & perfectissima, potest immediatè alicui rei vniri Persona, secundùm rationem Personalem, & non Essentia; ergo vnione minori (per proportionem transmutatam) potest vniri Essentia potentiæ alicui, & eidem non vniri Persona. Antecedens patet de vnione Verbi cum natura humana: quæ vnio est maxima, vt dicunt Theologi, & immediatè terminatur dependentia naturæ assumptæ ad subsistentiam Personalem Verbi, & nō ad Essentiam. Consequentia sequitur necessariò. Quia vnio potentiæ intellectiuæ creatæ, est vnio accidentalis, qualis est vnio cognoscentis cum cognito, realiter ab ipso distincto; Si igitur vnio substantialis maxima est possibilis, de minori vnione possibilitas non debet negari.

Dependētia naturæ assūptę ad quid terminetur?

Respondet Vasquez 1. par. disp. 48. c. 4. Istud Argumentum in Antecedente & consequente supponere distinctionem Essentiæ à relatione, ex natura rei: quæ suppositio falsa est; cùm ibi sit tantùm distinctio rationis.

Ista responsio non satisfacit Argumento. Quia non tantùm ex modo nostro intelligendi, sed in re à parte rei, natura humana vnitur Personæ Verbi immediatè & non Essentiæ: quia aliàs si in re terminetur immediatè ad Essentiam, sicut in re Essentia est immediatè in tribus Personis, ita illa vnio naturæ, terminata fuisset ad Essentiam, vt in tribus Personis; & consequenter tres Personæ fuissent incarnatæ. Deinde: illo modo, quo admissa distinctione tantùm rationis inter Essentiam & Relationes Originis, docent illi primò & immediatè terminari dependentiam naturæ assumptæ ad Personam, ad Essentiam autem mediatè, etiam dici posset, quòd vnio ista accidentalis potentiæ intellectiuæ creatę posset esse primò & immediatè ad Essētiā, & postmodum non cōcurrat Deus ad vnionem mediatā cū Personis.

Essentia à relatione distinguitur ex natura rei nō ratione.

AD ARGVMENTA IN PRINCIPIO Dubitationis posita.

AD Primum. Respondeo Primò, iuxta dicta Conclusione Prima. Quòd ista probatio procedit de visione beatifica, quæ est de facto; de possibili autem loquendo, potest esse Essentiæ & non Personarum, visio intuitiua beatifica: quia Essentia sic visa, haberet rationem summi & infiniti boni. Respondeo Secundò. Ly sicuti est, accipitur ibi pro specificatione existentiæ, vt dixi superiùs, & denotat terminus ille additus, Est, de secundo adiacente: non autem significatur modus omnis quo potest existere, & se manifestare. Ac ita nihil concludit iste Achilles authorum oppositæ Sententiæ.

Sicuti est, quo accipitur.

Hinc patet, quid dicendum sit ad vtramq; Confirmationem. Malè enim æquiuocatur in illo termino, Sicuti est: cū ibi sit specificatio existentiæ, non subsistentiæ incommunicabilis, vel omnis modi quo potest existere.

Aduerte. Quòd hoc Argumentum, si quid concluderet, probaret etiam quòd omnes creaturæ necessariò, etiam in esse possibili, viderentur in Deo, à quolibet Beato. Sic enim arguo. Visio beatifica est visio Dei intuitiua, sicuti est: sed Diuina Essentia est continens eminenter omnia possibilia; ergo quilibet Beatus videns Essentiam Dei sicuti est, necessariò videt in illa omnia contenta eminenter.

Ad Secundum. Ista propositio, Essentia Diuina reprę̄sētat se naturaliter: vera est de repræsētari respectu intellectus Diuini, sed falsa de repræsentatione respectu intellectus creati: qa intellectui creato omni repræsentat se cōtingéter, atq; ita

Essentia diuina repræsentat se naturaliter, quo modo?

intellectui Diuino neceſſariò ſe, & Perſonas,& alia obiecta: ita intellectui creato omni repræſentat ſe contingẽter, atq; ſecundaria repræſentat, & non intellectui finito, cui quod vult repræſentat, & poteſt Eſſentiam ſine viſione creaturæ, & etiam ſine viſione Perſonarum repræſentare.

De potētia abſoluta poteſt Deus quęlibet ſubſtātiam aſſumere ad vnionē hypoſtaticam.

Hoc etiam argumentum,ad affirmandam omnium poſſibilium viſionem intuitiuam & diſtinctam in Eſſentia Diuina, poteſt pro Durandi ſententia accommodari, vt patebit ſpeculanti, & ſub illa Maiori aliam Minorem ſub ſumenti.

Ad Tertium. Nego Minorem : quia de potentia ſua abſoluta, poteſt Deus quamlibet ſubſtantiam aſſumere ad vnionem hypoſtaticam, & ita naturam Angeli : quo caſu poſito, videretur hæc natura, huius Angeli, abſq; viſione illius connaturalis perſonalitatis,ſicut videtur modo à Beatis hæc natura humana à Verbo aſſumpta, & non videtur perſona,vel perſonalitas creata illius naturæ.

Eſſentia Diuina eſt perfectiſs. Perſonis idem realiter, nō formaliter.

Ad Confirmationem. Dico. Eſſentiam Diuinam eſſe perfectiſſimè realiter eandem cum Perſona Diuina, longè perfectiori modo, quàm ego ſum mihimetipſi realiter idem, ſed non eſt idem identitate formali Perſonis Eſſentia Diuina, ſicut ego mihimetipſi ſum idem formaliter & realiter. Ad negandum verò aliquod prædicatum de Perſona, & affirmandum de Eſſentia, ſufficit non identitas formalis : vt præclarè docet Doctor infra diſtin.2.quęſt.7.diſt. 8.26. & aliàs : imò ſecundùm Thomiſtas ſufficit diſtinctio rationis. Comparatio igitur ſi debet aliquid valere, debet inferri in Minori ſic : ſed ego non poſſum me videre ſine perſona mea. Ad quam dico. De potentia Dei abſoluta, poſſibile eſt quòd ego videam naturam meam, & non perſonam ; ſi meam naturam priuaret Deus perſonalitate propria humana, vt priuat de facto aſſumptam ad Verbum : vel, eſto quòd haberem perſonalitatem ſeu ſubſiſtentiam poſitiuam, poſſem nihilominus cognoſcendo naturam meam,non cognoſcere ſubſiſtentiam meam, ſi Deus non coageret meo intellectui ad viſionem meæ ſubſiſtentiæ. Ita dico in propoſito.

Videre naturam meā ſine perſona, poſſum per Dei potentiam.

Ex natura ſua;ſumitur dupliciter.

Ad Quartum. Diſtinguo Antecedens : vel ly Ex natura ſua,accipitur pro eodem quod eſt ex ratione ſua formali & quidditatiua ; & ſic falſum eſt, vt oſtendi præceden. Dubit. vel ly Ex natura ſua,idem ſignificat,quòd naturaliter & neceſſariò Deitas eſt in tribus Perſonis; & ſic verum eſt Antec. ſed conſequentia nulla eſt,vt patet ex præced. Dubit.

Hoc Argumentum aduerſariorum promoueret Durandi ſententiam,contra Thomiſtas,de viſione omnium poſſibilium in Eſſentia : quia Deus naturaliter repræſentat omnia poſſibilia,ſecundùm iſtos,in eſſe poſſibili ; ergo non poteſt videri Eſſentia Diuina,niſi omnia poſſibilia videantur.

Simplicitas Dei ſtat cum non identitate formali.

Ad Quintum. Reſpondeo Primò. Eſt quidem Eſſentia Diuina omninò ſimplex,prout ſimplicitas opponitur compoſitioni,vt dicitur diſt.8.cum hac tamen ſimplicitate, ſtat non identitas formalis Eſſentiæ à relationibus, vt dicitur diſtin. 2. q.7. quare Antecedens argumenti, quoad ſecundam partem, negandum eſt. Reſpondeo Secundò. Eſto quòd Anteced.eſſet verum, adhuc Conſequentia eſt nulla. Quia,ſecundùm illos, diſtinguitur Eſſentia Diuina à Perſona, tantùm ratione ; & nihilominus naturæ humanæ vnio terminatur in re,à parte rei, non ad Eſſentiam immediatè, ſed ad Verbū; igitur ēt hìc, ſuppoſita identitate ex natura rei,ſeu formali,Eſſentiæ cum Perſona,poſſet conuenire hoc prædicatum à parte rei, quòd viſio intuitiua intellectus creati poteſt terminari ad Eſſentiam Diuinam, & non ad Perſonas. Adde,quòd Idęæ in mente Diuina,ſecundùm ipſos,ſunt idem omnimodè à parte rei Eſſentiæ Diuinæ; & tamen poſſibile eſt videri Eſſentiam ſine Idæis;ergo & Eſſentiam ſine Perſonis,eſto quòd inter Eſſentiam & Perſonam, ſit omnimoda identitas à parte rei.

Fruitio beatifica in voluntate creata pōt eſſe Eſſentiæ, & nō Perſonę.

Idem iudicium eſt (ad mentem huius Doct.loquendo) de Fruitione beatifica. Quòd illa poſſit eſſe Eſſentiæ, non Perſonarū: idq; à voluntate finita,non tamen ab infinita; quia voluntas infinita reſpectu neceſſariorum,eſt neceſſaria, habens actum neceſſarium;& conſequenter cùm Perſonę ſint Entia ſimpliciter neceſſaria, ſummo actu amoris voluntas Diuina tendet in illas; & quod poſſibile in Deo eſt eſſe ad intra,illud de facto ſummè & neceſſariò eſt.

Sed eſtnè poſſibile videri intuitiuè ab aliquo intellectu Perſonam,non viſa Eſſentia ? vel frui Perſona & non Eſſētia ? Reſpondeo. Impoſſibile eſt. Quia vt dictum eſt ſupra, Eſſentia cum relatione Originis eſt de conceptu quidditatiuo & formali : impoſſibile autem eſt videri intuitiuè rē, abſq; ſua ratione quidditatiua & intrinſeca, imò & intellectum abſtrahentem impoſſibile eſt concipere aliquod Ens, ſine ſua ratione formali & quidditatiua ; quia iam non eſſet illud Ens,quod non includeret in ſe talem quidditatem : ſicut in ſimili, impoſſibile eſt, vt eſſe ita videre, imò & abſtractiuè concipere,hominem in ratione hominis,abſq; rationalitate & animalitate,loquendo de cognitione diſtincta extenſiua : de qua Dubit.ſeq.ſuppoſ.1.

Perſona[...] uinam [...] ri ſine E[...] tia eſt [...] poſſibil[...]

Dubitatur Secundò.

Vtrum poſsibile ſit videri Eſſentiam Diuinam, ſine attributis, vel Idæis.

Videtur quòd non. Primò. Viſio beatifica,eſt clara & diſtincta notitia Dei ; ſed qui non videret omnes proprietates Dei,vel idæas,non videret Deum clarè & diſtinctè: non igitur eſſet viſio beatifica : atqui intuitiua viſio Dei, eſt viſio beatifica ; ergo non eſt poſſibile eſſe viſionem intuitiuam Dei,quin omnia attributa videantur,omneſq; idęæ.

Secūdò. Eſſentia Diuina cum attributis,eſt omnino ſimplex,ſine aliqua partitione & diuiſione ; igitur non eſt poſſibile videre Eſſentiam,ſine attributis.Conſequentia. Quia iam eſſet diſtinctio in illo obiecto ſic cognito ; quod negatur in Antecedente.

Tertiò.Impoſſibile eſt cognoſci diſtinctè hominem,quin cognoſcatur rationale, & illa quæ pertinent ad quidditatem hominis ; ergo impoſſibile eſt, quin cognoſcatur diſtinctè Deus, & non cognoſcantur perfectiones eius, quæ ſunt de ratione eius quidditatiua. Conſequentia. Quia non minorem habent vnitatem, & ſimplicitatem cum Eſſentia Dei, quàm animal cum homine ; ergo ſi ob parem vel minorem vnitatem non poteſt videri Eſſentia hominis ſine ſuis prædicatis, à fortiori, non poterit Eſſentia Dei, ob maiorem vnitatem cum ſuis perfectionibus, videri ſine illis ; vel pari modo,ſi ſit par vnitas.

Ita dicerent conſequenter Authores pro ſuperiori Dubitatione citati. Et apertè docent, Zumel & Vaſquez de attributis, quòd abſq; illis non poſſit videri Eſſentia Diuina.

Oppoſitum tamen videtur dicendum in principijs Doctor. Subt. Qui quamuis Quæſtione præſenti hanc difficultatem non putauerit eſſe ſoluendam ; quia nondum oſtenſum erat quid ſint attributa, quid idęæ, & qualis eorum diſtinctio ab Eſſentia ; nos tamen ob propinquitatem & ſimilitudinem huius difficultatis cum præcedenti, hìc breuiter eam pertractamus. Pro cuius notitia.

Suppono Primò. Attributa vocari communiter à Theologis, illas perfectiones eſſentiales, quæ per modum proprietatum dicunt perfectionem ſimpliciter, vt ſapientia, bonitas, iuſtitia ; quæ ſunt idem, perfectiſſima identitate reali,cum Eſſentia Dei ; diſtinguuntur tamen formaliter, vt quæſtio.4.diſtinct.8.oſtenditur (& non loquor hìc de intellectu, voluntate, infinitate, exiſtentia Dei, quia hæc non numerantur à Doct.inter attributa, vt aliàs videbimus tum in præſenti opere diſt.8.& 26.tum in quodlib.quęſt.5.) Senſus igitur Dubitationis quoad priorem partem eſt, Vtrū Deitas videri poſſit, per abſolutam Dei potentiam,ab aliquo intellectu creato intuitiuè, & non videri Diuina ſapiētia,iuſtitia, veritas,&c. poteſtq; Dubitatio extendi, An omnibus attributis non viſis,poſſibile ſit videri Eſſentiam Dei; vel,An aliquibus tantùm non viſis.

Attribu[...] Deo,qu[...] cuntur. Attrib[...] sūt idē [...] fectiſs.[...] Eſſentiā,[...] qūo di[...] guantur.

Suppono Secundò. Nomen Idęæ Diuinæ,aliter ſumi à Thomiſtis,aliter à Scotiſtis. Illi enim Idęam putant ipſam Eſſentiam Diuinam, cum hoc addito, vt eſt participabilis à creatura : nos verò cum noſtro Doct. infra diſt. 39. Idæas dicimus, eſſe cognitum creaturarum, vt ſunt obiectiuè in mēte Diuina ab æterno.Poteſt igit dubitatio in vtroq; ſēſu procedere de Idęis.An ſcilicet viſa Eſſentia Dei,poſſit nō videri creatura,ſecundū eſſe cognitū,idq; vel omnis creatura, vel aliqua: &,An poſſibile ſit videre Eſſētiā,& nō videre ipſā

Idęæ in[...] quando.

ſecun-

ſecundùm illam rationem, ſecundùm quam eſt participabilis extra.

Prima Concluſio. Impoſſibile eſt, viſione diſtincta extenſiua, cognoſcere Eſſentiam ſine attributis vel idæis. Hanc Concluſionem probat ratio Prima & Tertia in principio huius Dubitationis adducta. Et breuiter. Implicatio eſt manifeſta, quòd intellectus cognoſcat aliquod obiectum ſecundùm omnem rationem, ſecundùm quam cognoſcibile eſt, & tamen non cognoſcat aliquid in illo.

…oſſet Eſſẽ …a Dei vi…eri à Bea…, non vi…s attribu…s diuinis …ea.

Secunda Concluſio. Non inuoluit contradictionẽ, quo minus de potentia Dei abſoluta poſſit intellectus creatus, viſione diſtincta ſimplici, videre Eſſentiam ſine attributis aliquibus, vel omnibus, quæ vera attributa ſunt. Probatur Primò. Non minorẽ identitatem habet Eſſentia cum Perſonis, quàm cum attributis, ſed non eſt impoſſibile videri intuitiuè Eſſentiam, non viſis omnibus Perſonis, vel aliqua, vt præced. dubit. diximus; ergo & Eſſentiam videre ſine aliquibus, vel omnibus attributis, non eſt impoſſibile. Secũdò. Quicquid manifeſtam inconuenientiam vel repugnãtiam non inuoluit, non eſt denegandum omnipotentiæ Diuinæ ex leui fundamento, videri autem Eſſentiam Diuinam ſine Perſonis, nulla eſt repugnantia. Tum quia non repugnat (vt ex terminis patet) videri obiectum primarium ſine ſecundario; Eſſentia autem eſt primarium obiectum, ſecundarium attributa, relationes originis, & ideæ, ſecundùm ordinem quendam immediatioris vel mediatioris, vt dixi in Prologo, & docet Subt. Doctor in quodl. quæſt. 1. Tũ quia non repugnat Deum concurrere ad viſionem Eſſentiæ, & non concurrere ad viſionem proprietatis eſſentialis, cùm Deus concurſum ſuum, ex beneplacito voluntatis ſuæ, liberè creaturæ ſic vel ſic communicet, & ſeipſum in ratione obiecti beatifici exhibeat, non neceſſitate naturæ, ſed voluntariè. Et certè ſi appoſito igne, & combuſtibili applicato, non impedito, ſed benè approximato, poteſt Deus naturalem virtutem ignis ſua voluntate impedire, vt impediuit circa tres iuuenes in fornace Babylonica, & circa multos Martyres; non video quare etiam non poterit impedire virtutem intellectiuam alicuius Beati in intelligendis proprietatibus Diuinis, vel Perſonis.

…d negan… …i aliquid …otétię Dei, …lus requi…tur, quã …d affirmã…tum.

Quamuis autem (vt verum fatear quod ſentio) pro præſenti Concluſione, & præcedentis Dubitationis deciſione, argumenta non habeam demonſtratiua, quæ me conuincant neceſſariò; hoc tamen ſolùm ſemper me conuincebat, & conuincere quemlibet deberet, quòd ad negandum aliquid eſſe poſſibile abſolutę potentiæ Dei, requiruntur aperta argumenta, ſi non oſtenſiua, ſaltem ducentia ad manifeſtum impoſſibile (exaltanda enim eſt Dei potentia quantùm poſſumus, cùm ſit maior omni laude, & non tam facilè noſtris ratiunculis par eſſe putanda eſt) qualia ſimpliciter nulla ſunt pro oppoſita Sententia, vt ex ſolutione eorum patet: ſed ad affirmandum aliquid eſſe poſſibile, ſufficit probabilis ratio, & oppoſitorum argumentorum ſolutio, vt etiam ſupra dixi.

Tertia Concluſio. Poſſibile eſt videre Eſſentiam Diuinam, ſine viſione Idæarum.

…ſſentia po…eſt videri …ne Idæis.

Iſta Concluſio ſi procedat de Idæis, in illo ſenſu in quo à Scotiſtis Idęæ accipiuntur, conceditur communiter à Thomiſtis. 1. par. q. 12. ar. 7. & 8. Et communiter docent Theologi: contra Duran. in 4. diſt. 49. poſſe videri Eſſentiam Diuinã (loquendo de potentia Dei abſoluta) non videndo aliquam creaturam in ipſo.

…dęæ dupli…iter ſumũ…r.

Quodſi Idęæ accipiantur, vt Thomiſtæ accipiunt, pro ipſa Eſſentia Diuina, quatenus eſt participabilis à creatura: quamuis de hac materia communiter non loquantur. Dicendum tamen eſt. Omnino eſſe poſſibile videre Eſſentiam ſine Idæis. Quia Idęæ ſic ſumptæ, dicunt formaliter rationẽ participabilis à creatura, & connotanter includunt Eſſentiã; rõ aũt participabilis in Eſſentia, eſt relatio rõnis, cù illi conueniat ex comparatione ad extra; & Ens reale intuitiuè cognoſci poteſt abſq; omni Ente rationis; quare & Eſſentia Diuina, abſq; cognitione talis rationis participabilis; & cõſequenter abſq; omni idæa cognoſci poteſt.

Confirmatur iſta poſitio. Communiter docent Theologi, non omnes ideas videri à quocunq; Beato (non loquor hic de intellectu animæ Chriſti de quo in 3. diſtin. 14. q. 2.) quia aliàs videret omnia poſſibilia: ergo, qua ratione poteſt videri Diuina Eſſentia ſine hac vel illa idæa, eadem ratione poteſt videri ſine quacunq; idæa, cùm par ratio ſit poſſibilitatis de qualibet.

AD ARGVMENTA IN PRINCIPIO adducta.

AD Primũ. Reſp. Primò. Probat tantùm de facto, non de poſſibili: vt dixi præc. Dubit. Secundò. Approbat noſtrã Primam Concluſionem, ſed non obſtat Secundæ.

Ad Secundum. Patet ſolutio ex dictis pręced. Dubit. in reſpon. ad 5.

Ad Tertium. Solùm probat noſtram Primam Concluſionem, ſed non improbat Secundam.

Ad Confirmationem. Dico, (vt dicit Doctor inf. d. 26. in reſp. ad 3. de tertia via) maiorem eſſe vnitatem Eſſentię Diuinæ cum attributis, quàm generis vel differentiæ cum ſpecie. Rõ eſt. Quia põt aliqua non identitas formalis, eſſe lõgè maior & perfectior vnitas realis, ob infinitatem & nimiam ſimplicitatem vnitorum, vnitate reali aliorum, quæ ſunt finita & compoſita ſaltem Metaphyſicè ex realitatibus: vnde licèt Paternitas non dicatur per ſe primo modo de Deo, dicendo, Deus eſt Pater, vt dixi prima Dubit. & dicatur animal de homine; maior tamen eſt vnitas ſimpliciter (quæ eſt vnitas & identitas realis) Paternitatis cũ Deitate, quàm hominis cum rationalitate. Et ſicut non repugnat ob iſtã ſũmam vnitatem videri Eſſẽtiam ſine relationibus; ita nec ob identitatem Eſſentiæ cum attributis, repugnabit poſſe videri Eſſentiam ſine attributis.

Poteſt eſſe in infinitis non identitas formalis perfectior vnitas realis. q̃ ſit vnitas realis in finitis.

Ad cõparationẽ. Dico. Nõ implicat, cognitione intuitiua ſimplici, tũ ſenſitiua tũ intellectiua, diſtinctè videre hoĩem, non videndo animal & rõnale, vt experimur; ſed implicat cognitione diſtincta extenſiua; ita & Diuinam Eſſentiã poſſe videri diſtincta cognitione extenſiua abſq; attributis, eſt impoſſibile; ſed de cognitione ſimplici non valet.

Videre hominem ſine animali, & rationali; non implicat: ſimiliter & Eſſentiam Dei ſine attributis; quis ſenſus.

Quia in priori perſuaſione, data ad Concluſionem Doct. mentio fit in litera prioritatis Originis, & deinceps erit non infrequens; vt intelligatur quid illa ſit, & quamuẽ prioritatem in Diuinis admittamus, quam negemus: proponitur Dubit. ſequens.

Dubitatur Tertiò.

Vtrum aliqua prioritas in Diuinis, ſit à parte rei.

Videtur quòd non. Primò. Aug. lib. 3. contra Maximum cap. 14. dicit. Genitorem, & genitum eſſe, non eſt inæqualitas ſubſiſtentiæ, ſed ordo naturæ, non quo alter eſt prior altero, ſed quo alter eſt ab altero; ergo in Diuinis eſt ordo originis abſq; prioritate, ſecundùm Auguſt. Idem docet Ambroſ. de fide ad Gratianum c. 5. & videtur expreſſum in Symbolo Athanaſij. In hac Trinitate nihil prius aut poſterius.

Secundò. Si Pater eſt prior origine Filio; ergo Deus priùs eſt quàm Filius: Conſequens eſt falſum. Tum quia origo vt origo, ſimiliter & prioritas, dicunt relationem; ſed Deus vt Deus, non dicit relationem vllam, cùm vt ſic, ſit Ens ad ſe. Tum quia nullum eſt inſtans, nec fingi poteſt, in quo exiſtat Deus, vt non Trinitas; quare &c.

Tertiò. In Deo non eſt niſi Eſſentia, & relationes, ſed prioritas non poteſt eſſe ratione Eſſentiæ, quia illa eſt vnica & ſimpliciſſima; nec ratione relationum, quia relatiua ſunt ſimul natura & intellectu. Hoc argumentum Caiet. confirmatur meliùs à Durand. in 1. diſt. 12. q. 1. numero 15. & 16. & arguitur

Quartò. Si in Diuinis eſſet ordo prioris & poſterioris ſecundùm rem, hoc eſſet comparando abſoluta inter ſe; vel abſoluta ad relationem; vel relationes ad inuicem. Non primo modo, comparando ſcilicet abſoluta inter ſe: quia in Diuinis non eſt pluralitas realis abſolutorum; prius autem & poſterius ſecundùm rem, neceſſariò requirunt realem pluralitatem, quia idem reſpectu ſuiipſius non eſt prius, & poſterius. Nec ſecundo modo, comparando abſoluta ad relationem: quia vel eſſet ibi prius & poſterius natura, vel prius & poſterius duratione, cùm ſic ſufficienter diui-

datur prius & posterius secundùm rem: sed non priùs duratione, quia quicquid est in Deo, est æternum; non etiam prius natura, quia non est ibi pluralitas naturarum; relatio enim non est alia natura ab Essentia: Nec tertio modo, comparando vnam relationem ad aliam; quia vel hoc esset comparando relationes oppositas ad inuicem: & hoc non; quia relationes oppositæ sunt simul omni modo simultatis, natura & intellectu, adeo quòd contradictionem implicat, esse vel præintelligi vnam alteri: vel comparando relationes disparatas, vt sunt Paternitas & Filiatio ex vna parte, & processio ac spiratio passiua ex altera; & neq; inter istas est aliqua prioritas à parte rei, quia vel esset prioritas durationis, vel naturæ, vt arguebatur de substantia & relatione; sed neutro modo, vt patet; ergo &c.

Quintò. Arguitur specialiter de Persona producta & producente, quòd inter illas nulla sit prioritas originis, sic. Vbi producens constituitur in esse personali per suum producere, vel per relationem producentis, & productum constituitur in esse personali per suum produci, vel per relationem producti, ibi vnum non potest esse prius altero secundùm originem; at Pater in Diuinis constituitur in esse personali per generare, Filius similiter in esse personali constituitur per generati, ergo Pater nullo modo est prior Filio secundùm originem. Minor est communis Theologorum, cui subscribit infra Doctor distinctio. 26. Maior probatur. Quia productio neq; re neq; intellectu potest præcedere produci; nec vniuersaliter aliqua origo actiuè accepta, potest præcedere originem passiuè acceptam; alioquin in illo priori aliquis posset intelligi actu producens, & quòd nihil produceretur, quod non est intelligibile.

Sextò. Quando dicitur: vna persona origine est prior altera. Istæ relationes prioritatis & posterioritatis, aut sunt idem cum Paternitate & Filiatione, aut non? Si sunt idem; ergo Pater in eo quòd Pater est, prior est Filio; quod est contra naturam relatiuorum: Si non sunt idem; ergo in Diuinis est alia distinctio realis, quàm per Relationes Originis: quod est inconueniens.

Septimò. Æternitas est tota simul, nullam habens rationem prioritatis vel posterioritatis; & omnia quæ in Deo sunt, æterna sunt; nulla igitur inter illa est ratio prioritatis & posterioritatis.

Negatiuam sententiam in præsenti materia tenent, Caiet. 1. par. q. 42. art. 3. Zumel ibidem disp. 1. Molina & Bann. ibidem. Durand. in 1. dist. 12. q. 1. nu. 15. & 16. Heru. quodl. 1. q. 6. & in 1. dist. 12. q. 1. Alb. dist. 9. ar. 5. Argent. in 3. d. 11. q. 1. art. 1. Quamuis non omnino vniformiter docent. Durand. enim negat omnem prioritatem, tam rationis, quàm naturæ, vel originis. Caiet. tamen & alij, admissa prioritate rationis, negant prioritatem naturæ vel originis, sed docent ibi esse ordinem originis; quia Pater est à nullo, Filius à Patre originatus: & talis ordo, secundùm ipsos, est sine vlla prioritate.

Addit tamen Zum. Bann. & Caiet. Scoti sententiam sanè intellectam, nihil habere periculi: cùm hoc intelligat ille per prioritatem originis, quod ipsi per ordinem. Meliùs tamen debet negari prioritas originis, & concedi ordo originis. Tum quia nonnihil derogat omnimodæ æqualitati Diuinarum Personarum, & videtur insinuare aliquam dependentiam inter Personas Diuinas. Tum quia non videtur intelligibilis ibi prioritas aliqua, vbi non est prioritas naturæ; sed in Deo nulla est prioritas naturæ; ergo nulla est intelligibilis. Vnde non omnino prædicti authores negant prioritatem originis, sed prioritatem naturæ simpliciter negant.

Oppositam sententiam tenet Subt. Doctor hìc, & infra dist. 26. 28. in 2. dist. 1. q. 1. in quodl. q. 4. & alibi sæpiùs. Seraphicus Bonauen. in 1. dist. 12. q. 1. & 4. Richar. in 1. dist. 12. q. 4. art. 1. & expresiùs dist. 20. quæst. 3. & 4. Alexand. de Ales 1. par. quæst. 46. membro 1. Et quamuis iste author neget prioritatem naturæ, talem qualis est inter causam & causatum, vbi est distinctio naturæ; non tamen negat prioritatem naturæ, vt prioritas naturæ pro prioritate originis sumitur: vt expresè ponit membro 1. Bassol. Mayron. Anto. And. & cōmuniter Scotistę, hanc doctrinam amplectuntur. Fauet eidem Valentia 1. par. q. 16. pun. 4. Vasq. disp. 167. c. 2. & aliqualiter Molina 1. par. q. 23. ar. 4. disp. 1. mem. 8.

Addit tamen iste author. Quòd in tribus euentibus prioritates in Diuinis, vel instantia à Scoto vsurpata, negari debent. Verùm de hoc aliàs. Idem Author 1. par. q. 14. ar. 13. dispu. 18. mem. 1. docet, prioritatem intellectionis respectu volitionis in Deo (de illa enim ibi loquitur) nostro modo intelligendi, cum fundamento in re, non esse prioritatem quasi detur instans vel naturæ vel temporis, in quo sit vnū & non sit aliud, vt vult Scotus (inquit Molina:) sed solùm in eo, quòd propter dependentiam actus voluntatis à notitia intellectus, & non è contrariò, concipitur vnum à nobis tanquam præsuppositum, quando nondū concipitur aliud, cùm tamen in re sint semper coniuncta.

Pro resolutione Quæstionis. Notandum est Primò. Ex Aristot. 5. Met. text. 16. qui rationem prioris in communi, in hoc ponit. Quòd illud sit prius, quod est primo propinquius. Cùm enim in vnoquoq; genere sit aliquid vnū primum, secundùm illum, illud erit prius, quod tali primo est propinquius: & illud posterius per oppositum, quod est remotius à tali primo. Ista ratione prioris posita, varios modos enumerat prioris. Primò enim dicitur esse prius secundùm locum. Deinde secundùm tempus. Tertiò secundùm motum, quod nimirum propinquius est primo mouenti. Quartò secundùm ordinem situationis, vel alicuius alterius coordinationis; sic ille qui stat penes Regem, est prior illo secundùm ordinem stationis, qui stat tertius, & dux est prior milite. Quintò est aliquid prius cognitione. Sextò, quando vnum potest esse sine alio, licèt non aliud sine ipso; & vocatur prius, à quo non conuertitur subsistendi consequentia, vt dicitur à Philosopho in prædicamentis; vocaturq; prioritas naturæ, sic animal est prius natura homine, quia ab animali non valet consequentia; est animal; ergo est homo; sed benè valet è contra. Septimo modo, substantia est prior accidentibus; vnde benè dicitur substantia esse Ens primum, accidens verò est Ens secundum. Octauò dicitur aliquid prius, secundùm potentiam & actum: sic partes sunt priores potentia quàm totum, sed totum est prius actu quàm partes. Ex omnibus istis modis prioris, ad præsens negotium non pertinet nisi Sextus. An scilicet in Diuinis, sit prioritas naturæ: quæ prioritas naturæ, secundùm Arist. attenditur penes rerum substantiam & quidditatem, siue penes res ipsas; & non præcisè penes cognitionem nostram. An verò diuisio ista prioris ab Arist. facta, sit adæquata suo diuiso, non est præsentis speculationis. Illud interim certum est: quòd Arist. non nouit originationem in Diuinis; & consequenter non nouit prioritatem originis, si quæ sit in Diuinis.

Prioris ratio in communi, quæsita est.

Prioritatis acceptio multiplex.

Prioritatem Originis in Diuinis non nouit Aristoteles.

Notandum Secundò. Quòd quando aliquid dicitur pręcisè prius natura, & non prius duratione vel tempore: ista prioritas naturæ, non est prioritas secundùm esse, sed tantùm secundùm intelligi. Hæc doctrina est ijsdem ferè verbis apud Doctor. Subt. 3. Metaph. q. vlt. in resp. ad primam difficultatem, dùm dicit, *Prioritas naturæ, non est aliqua prioritas secundùm esse, sed tantùm in intelligi; siue in per se ratione quidditatiua rei.* Idem 5. Metaph. quæst. 14. ante medium, respondendo ad argumentum de prioritate subiecti respectu propriæ rationis, inquit, *Prioritas naturæ, non ponit priuationem posterioris, sed tantùm quòd prius intelligatur sine intellectu posterioris.* Idem habetur tractatu de 1. principio c. 1. & in pręsenti opere dist. 9. 10. & 26. & in 2. dist. 1. q. 2. Item in 1. Report. dist. 26. q. 4. dist. 6. q. 1. & in 3. Report. dist. 2. q. 1. & aliàs.

Vnde immeritò Molina locis superiùs citatis, imponit huic Doct. quòd secundùm illum, instans naturę, secundùm quod Pater priùs dicitur originare Filium, quàm intelligere res creatas in esse intelligibili sit illud instans in quo Pater existat generans, non intelligendo creaturas, similiter, illud instans prioritatis, secūdū quod Pater dicitur prior origine Filio, sit illud instans in quo existat Pater, & non Filius. Hoc enim manifestè est contra sententiam Doct. & contra rationem fundatā in principijs eius. Duratio enim quęcunq;, siue sit æuum, siue æternitas, siue tempus, est modus existētiæ, necessariò concernens existentiam, vt dicitur à Doct. in 2. dist. 2. negando ergo prioritatem cuiuscunq; durationis,

Molina non intelligit prioritatē naturæ secūdū Scoti positionem.

Duratio quęcunq; est necessariò modus existentiæ.

de aliqua Persona, qua duratione non duret alia, negatur etiam prioritas existentiæ, quòd primò existat vna Persona quàm alia; quia non est intelligibilis existentia actualis sine duratione. Hoc idem apertè vult dist. 9. in qua docet omnia quæcunq; conueniunt Deo ad intra, esse æterna; in æternitate autem non est prioritas vel posterioritas durationis, vel existentiæ.

Omnes nominales falsa dicunt.

Fallitur itidem Ocam cum Gabr. Biel. in 1. distinct. 9. quæst. 3. Armin. ibidem, q. 1. dum docent, Scotum sentire talem esse prioritatem in Diuinis, in qua sit, vel existat vna persona sine alia; ex qua falsa impositione omnes Nominalium rationes contra Doct. procedunt, sed non concludunt contra Doctorem.

Prioritas naturæ quo est prioritas à parte rei.

Notandum Tertiò. Dicitur locis prædictis à Doct. Prioritatem istam naturæ esse, non secundùm esse, sed in intelligi, non quòd simpliciter illa non sit à parte rei ante operationem intellectus; sed quia à parte rei non est secundùm esse, id est, secundùm existentiam prioritas, quasi primò existat illud, quod dicitur prius natura: est tamen à parte rei primò hoc secundùm consequentiam intelligibile, absq; illo quòd actu intelligatur posterius; & non è contra, illud est intelligibile sine isto. Exemplum. Essentia Diuina dicitur à quibusdam esse prior natura quàm Personæ; non quòd pro aliquo instanti existat Essentia sine personis, vt malè Ocamistæ & Molina vbi supra, & Zuar. 3. par. lib. 1. disp. 6. sect. 1. Doctorem Subt. intelligunt; sed quia intelligibilis est Essentia, tanquam fundamentum relationum illarum subsistentium in ipsa: omne autem prærequisitum ad aliud, ex ratione sua formali, est priùs natura illo, cui prærequiritur, secundùm Arist. quia ab illo non conuertitur consequentia, nec enim dicendo, Deus est; ergo Pater est; rectè infertur consequentia; licèt benè è contra inferatur, Pater est; ergo Deus est. Additur notanter, intelligibilis, non, intelligitur: quia ante omnem actualem operationem nostri intellectus communicabile vt communicabile, aptum est præintelligi illis quibus communicatur, esto, quòd nunquam sit communicabile absq; illis quibus communicatur. Quia igitur ante nostram considerationem actualem, illa natura apta est intelligi sine relationibus, & ista prioritas intelligibilitatis non est præcisè prioritas rationis, imò verè est prioritas naturæ, quæ secundùm Arist. est in illo à quo non conuertitur consequentia (ab ista enim Pater est; ergo Deus est, quia est bona consequentia, Pater non est priùs natura Deo, vel Deitate; sed hic, Deus est; ergo Pater est, non conuertitur consequentia, debet enim inferri sub disiunctione; ergo vel est Pater, vel Filius, vel Spiritus Sanctus) verè Deus vel Deitas potest dici prior natura relationibus; non pro prioritate naturarum realiter distinctarum accipiendo, vt accipiebat Durand. malè; sed pro prioritate communitatis, quatenus videlicet à communi communitate communicabilitatis, non valet consequentia determinatè, ad hoc determinatè incommunicabile.

Prioritas naturæ vnde infertur?

Deus est prior natu. à relationibus, quis sensus?

Ex isto capite, quòd hæc prioritas naturæ conuenit intelligibili antequam actu intelligitur, dicimus istam prioritatem non esse præcisè rationis, sed aliquomodo ex natura rei. Et sanè dum docent tum Thomistæ tum Neoterici, in Diuinis esse aliquem ordinem, & distinctionem fundamentaliter à parte rei, completiuè autem ab intellectu; non aliud intelligunt, quàm quòd ordo ibi & distinctio sit aliqualis in fundamento à parte rei: & hoc nos volumus in præsenti, cum Doct.

Prioritas naturæ variè nuncupatur.

Verùm ne detur aduersarijs occasio detorquendi literam Doct. (non pauci enim eorum accipiunt prioritatem naturæ vel originis, pro prioritate existentiæ, secundùm viam Scoti, vt ipsi putant, sed malè) vocari potest hæc prioritas, & commodissimè, prioritas intelligibilitatis rerū, vel prioritas rationum conceptibilium realium: vel prioritas consequētiæ, loquendo de prioritate naturæ; vt videre est apud Doct. in 1. Report. dist. 26. q. 4. non tamen erit præcisè prioritas rationis aliquomodo à parte rei.

Notandum Quartò. A quibusdam Scotistis prioritatem naturæ, in prioritatem originis, & hanc in instantia signorum, subdistingui: quòd quemadmodum in vno instanti temporis licèt distinguere plura instantia naturæ (illuminatio enim facta à Sole in medio, fit in vnico instanti temporis, & tamen priùs natura pars Soli vicinior, & posteriùs naturain alio instanti, pars media à Sole remotior, illuminatur) ita dicendum putant de instanti naturæ, quòd in vnico instanti naturæ, sunt plura instantia originis; & in vnico instanti originis, sunt plura instantia signorum, seu plura signa, quæ potest distinguere intellectus cum fundamento à parte rei. Vnde duo tantùm instantia naturæ, quidam ponunt in Diuinis, secuti Doct. in 2. distin. 1. q. 1. vnum, in quo intelligitur tota productio ad intra: secundū, in quo intelligitur Deus produxisse creaturas in esse cognito vel volito.

Duo instantia naturæ in Diuinis.

Sed in illo instanti naturæ primo, sine fundamento in re, plures sunt conceptibiles prioritates originis. Vna in qua Pater est prior origine Filio: alia, in qua Pater & Filius est prior Spiritu Sancto. In illo instanti originis in quo Pater intelligitur prior origine Filio, in primo signo est conceptibilis ratio suppositi quod generat: in secundo, ratio aptitudinis ad generandum: in tertio, actus generandi; quamuis ista omnia sint simul in re, quauis duratione & existētia.

Instans naturæ primū, habet plures prioritates originis in Diuinis.

Similiter in secundo instanti naturæ, ponunt duo instantia originis: (aliqui etiam plura, sed non curo) vnum, in quo Deus producit res in esse possibili seu intelligibili; secundum, in quo Deus intelligitur velle creaturas & acceptare. In isto secundo instanti originis, primum instans signi est, in quo Deus intelligitur velle omnia volitione simplici: in secundo, intelligitur velle vniuersaliter quædam, voluntate beneplaciti; & hìc ponunt prædestinationem: in tertio, vult singulariter hunc & illum, secundùm quòd sunt magis vel minus ordinata ad primum Ens: vt videre potes Doct. in 3. dist. 7. q. 3. in quarto, vult permittere peccatum.

Hæc doctrina, licèt non careat subtili speculatione & veritate, quoad ista instantia signorum, respectu prioritatis naturæ vel etiam respectu prioritatis originis; de ipsa tamen prioritate originis impropriè loquuntur. Vel enim loquuntur in communi, vt talis prioritas est inter indistincta & improducta realiter; & sic prioritas originis sumitur pro prioritate naturæ indifferenter: vt videre licet etiam apud Doct. Subt. hìc, & quodlib. 1. & 5. & in 2. dist. 1. q. 1. Vel origo sumitur in rigore, vt dicit productionem realem, realiter distincti; & sic in Diuinis solummodo prioritas & ordo originis erit inter Diuinas Personas, nullo autem modo inter Essentiam & attributa, vel inter Essentiam & prædicata notionalia. Hec acceptio habetur ex Doct. quodl. 4. 8. & 14. & in præsenti opere dist. 4. 12. 26. & in 2. dist. 1. q. 1. Nos igitur in præsenti accipimus prioritatem originis propriè, eam solùm inter Diuinas Personas admittentes: & non admittentes inter illas prioritatem naturæ propriè acceptā: quia persona producens cum producta sunt simul natura, cùm sint relatiuæ. Breuiter prioritatem naturæ negamus illam, inter personam producentem & productam, quā habet Essentia, tum ad essentialia attributa, tum ad notionalia prædicata. Et non aliud est talis prioritas in proposito nisi præsuppositio huius ab hoc; quæ præsupposito stat cum perfecta identitate reali.

Prioritas originis sumitur propriè & impropriè.

Prioritas naturę ideo è prioritas præsuppositionis, quoad intelligibilitatem.

Et quamuis prioritas naturæ in rebus creatis dicat perfectionem, & posteritas naturæ dicat imperfectionem; prius enim natura in rebus creatis, communiter est independens à posteriori, sed posterius dependet à priori: ista tamen imperfectio est in creatis, propter causalitatem, quia posterius causatur à priori; in Diuinis autem amota omni causalitate ad intra, etiam imperfectionem prædictam ex causalitate prouenientem amouemus; sed sub sola ratione præsuppositionis. (absq; vlla ratione causalitatis) ibi ponitur ista prioritas naturæ.

Prioritas naturæ in creatis dicit īpfectionē, non vero ī creatis.

Notandum Quintò. Quòd sicut prioritas naturæ nullam includit imperfectionem, ita prioritas originis nullo modo derogat æqualitati Diuinarum Personarum: cùm ista prioritas in hoc consistat, quòd istæ Personæ quæ dicitur prior origine, non sit ab illa quæ est posterior origine, sed benè hæc ab illa. Et sicut ordo originis non ponit nec inuoluit vllam dependentiam, secundùm Thomistas; ita & prioritas originis nullam inuoluit dependentiam, secundū Scotistas.

Prioritas originis in quo consistit.

Et sanè concedunt authores oppositæ sententię, Patrē esse principium Filij, & Filium esse Ens à principio; principium verò ex formali conceptu suo inuoluit prioritatem respe-

Prioritas originis non inuoluit dependentiā.

ctu principiati, vel Entis à principio; ergo ſicut concedunt in Diuinis rationem principij, & entis à principio abſq; vlla cauſalitate & dependentia, ſed ex ſola ratione productionis vnius ab altero: ita & concedere debent rationem prioris in Diuinis, abſq; vlla cauſalitate & dependentia &c. imò multò magis; quia principium ſecundùm Ariſt. 5. Met. tot modis dicitur quot & cauſa; & videtur concedere principium cum cauſa, ſecundùm Ariſt. cauſa autem & cauſatum inuoluunt imperfectionem, nempe dependentiam cauſati à cauſa, licèt non è contra; ergo & ratio principiati, ſeu entis à principio, videtur inuoluere imperfectionem, ſecūdùm Philoſophiam Ariſt. & tamen remota omni imperfectione, Deo attribuitur; ergo & prioritas originis, cùm non includat imperfectionem, à fortiori in Diuinis eſt ponenda. Et eſto quòd includeret in creatura aliquam imperfectionem, Deo tamen attribui poſſet ſecluſa omni imperfectione, ſicut & principium.

Ratio prioris magis ad itra Deo conuenit q̄ ratio principij.

Notandum Sextò. Præſentem dubitationem in his terminis propoſitam. Vtrum aliqua prioritas à parte rei in Diuinis ſit concedenda, poſſe habere multiplicem ſenſum. Primò in communi, vt verba ſonant. Secundò, dato quòd ibi ſit prioritas naturæ, quæri poteſt, An Eſſentia habeat rationem prioritatis talis, reſpectu intellectus & voluntatis Diuinæ: & an reſpectu infinitatis, independentiæ, actus, neceſſitatis, ſimplicitatis, vel aliorum modorum intrinſecorum. Deinde, comparando ipſam Eſſentiam ad attributa. Ad Perſonas. Item, comparando Perſonas adinuicem, quæri poteſt, An inter illas ſit prioritas originis. Sextò, comparando perſonas ad creaturam in eſſe intelligibili. Quamuis autem omnium iſtarum dubitationum reſolutio ad mentem noſtri Doct. haberi poſſit ex prænotatis, maioris tamen claritatis & vberioris doctrinæ gratia, ſit

Dubit. multiplex ſēſus

Prima Concluſio. Prioritas naturæ in Diuinis eſt concedenda. Ratio à priori eſt. Primò. Quia priùs natura illud dicitur, à quo non conuertitur conſequentia; ſed in Diuinis ſunt multa prędicata talia, à quibus non datur ſubſiſtendi conſequentia; ergo ibi multa prædicata habent prioritatem naturæ reſpectu aliorum. Maior eſt Ariſt. in poſtpræd. cap. de priori. & 5. Met. tex. 16. Minor eſt clara. Quia non valet conſequentia: Eſt Deus; ergo Pater, ſed bene è contra: ſimiliter non valet, Intelligit Deus peccatum; ergo vult: benè tamen valet, vult huic gloriam vel gratiam; ergo intelligit. Similiter, Perſona incommunicabilis in ſuo conceptu formali includit naturam communicabilem, vt ſupra dixi, non tamen valet; ergo natura cōmunicabilis in ſuo conceptu includit perſonam. Et ita poteſt exemplificari de non paucis rationibus in Dei Eſſentia conceptibilibus, quarum vna non neceſſariò in ſua ratione formali concernit aliam, licèt ſit idem realiter ipſi, vel alicui, cui eſt illa realiter idem.

Prioritas naturæ ī diuinis admitti debet.

Probatur Secundò. In Diuinis conceditur ordo naturæ; ergo & prioritas naturæ concedenda eſt. Anteced. eſt tum Aug. lib. 3. contra Maxim. cap. 19. vt citat Magiſter in 1. diſtinct. 20. Cùm dicitur Filius à Patre genitus, non oſtenditur inæqualitas ſubſtantiæ, ſed ordo naturæ: tum communiter admittitur à Thomiſtis. Conſequentia. Tum quia ordo, vt in ſuis inferioribus, ita & in communi conceptu non præſcindit à prioritate. In inferioribus quidem; nam ſecundùm omnes illos modos prioris, Notab. 1. ex Ariſtot. poſitos, æqualiter diuidi poteſt ordo, vt alius ſit ordo temporis, alius motus, alius ſecundùm locum, alius ſecundùm præeminentiam, alius ſecundùm cognitionem, alius ſecundùm cauſalitatem, alius ſecundùm naturam, vt euidens eſt, & optimè aduertit Alex. de Ales, ſupra membro 1. In communi autem; quia ordo ſecundùm ſuam rationem formalem, includit numerum illorum, quæ habent illum ordinē, vt vult Ariſt. lib. 1. Moral. Eudem. cap. vlt. & declarat noſter Doct. quodl. 1. art. 1. vnde & ordo ſecundùm originem includit numerum, vt communiter docent Theologi cum Magiſtro diſtin. 23. Sed numerus non poteſt intelligi abſq; ratione prioris & poſterioris; ergo neq; ordo poterit intelligi ſine ratione prioris & poſterioris.

Ordo includit numerū

Idem apertis verbis docet D. Thom. 2. 2. q. 26. artic. 1. in corpore Articuli. Vbi quamuis gloſetur à Caietan. quòd id conueniat ordini ratione generis, non ratione conceptus differentialis; adhuc nihilominus ſtat, quòd ſicut genus eſt de intrinſeca ratione ſui inferioris, ita & prioritas conueniens ordini in communi ex ratione generica, erit de intrinſeca ratione huius vel illius ordinis, ſub illo ordine in communi ſubſumpti.

Quòd autem addit ibi Caiet. prioritatem dicere imperfectionem. Falsò dicitur: ſicut enim ordo non dicit imperfectionem, ſic nec prioritas ſine qua ordo intelligi non poteſt. Deinde eſto, quòd diceret imperfectionem in creatura, ſicut & principium & principiatum, ad Diuina tamen ſine imperfectione transfertur, ſicut hoc, ita & illud, vt dixi Notabili 5. Tum quia conceditur in Diuinis Patris Perſona eſſe prima, Filij ſecunda, tertia Spiritus Sancti; & inde eſt Trinitas Perſonarum, vt docet S. Auguſt. 7. de Trinit. cap. 6. Sed omne primum dicit prioritatem reſpectu ſecundi, & ſecundum reſpectu tertij. Patet: quia non datur ſubſiſtendi conſequentia in iſtis rationibus formalibus, Eſt ſecundum; ergo tertium: ſicut nec valet, Eſt primum; ergo & ſecundum. Ergo, &c.

Priori[...] non dici[...] perfectio[...] ſicut nec[...] do, in Di[...] nis præ[...] tim, non[...] creatis.

Secunda Concluſio. Prioritas originis eſt admittenda inter Diuinas Perſonas. Probatur. Admittitur ordo originis inter perſonam producentem & productam; ergo & prioritas originis inter illas perſonas admitti debet. Antec. eſt Aug. & concedunt communiter Thomiſtæ, vt dixi. Conſequentia patet. Tum ex dictis. Tum quia non aliter ponitur ibi ordo originis, ab authoribus oppoſitam ſententiam tenentibus, niſi quia eſt ibi, à quo: hoc eſt, tam à quo alius eſt, & qui à nullo, vt Pater; quàm qui ab alio, & à quo alius, vt Filius, qui eſt à Patre & à quo eſt Spiritus Sanctus; quàm etiam à quo nullus, & qui ab alio, vt Spiritus Sanctus, à quo nulla producitur perſona, ſed bene illius perſona à Patre & Filio: ſed idem nos vocamus priùs origine perſonam vnam eſſe alia, quia iſta eſt à quo alia, vt expreſsè docet Subtil. Doct. infra diſtinct. 28. ergo ibi eſt prioritas originis.

Prioritas originis.

Ordo ori[...] nis ibi p[...] nitur, vbi[...] peritur quo.

Signa Di[...] narum P[...] ſonarum.

Hanc Concluſionem apertè concedere videtur D. Aug. in lib. de tribus tabernaculis cap. 6. cùm inquit. Tunc iuſtis manifeſtum erit, quomodo Deus eſt inuiſibilis, incomparabilis, ſine initio, ſine fine, ante omnia: quid intereſt inter naſci, quod ad Filium pertinet, & procedere, quod ad Spiritum Sanctum: excepto quòd vnus ex vno natus ſit, alter ex duobus proceſſit: & quomodo Pater non præceſſit Filium tempore, ſed origine, nec Spiritum Sanctum, &c. Ergo præceſſionem originis, ſiue quod idem eſt, prioritatem originis negare in Diuinis, eſt contradicere Sancto Auguſtino.

Tertia Concluſio. Quamuis intellectus & voluntas Diuina diſtinguantur formaliter, non tamen realiter ab Eſſentia Diuina, vt dicitur diſt. 2. & 8. Eſſentia tamen non poteſt dici prior natura intellectu & voluntate. Iſta Concluſio eſt omninò de mente Doct. diſt. 26. in ſolutione 2. arg. principalis. Ratio ad hoc ibi poſita eſt. Quia Eſſentia vt Eſſentia, vt quaſi præcedere intelligitur attributa, eſt Eſſentia intellectiua & volitiua, ſic quòd ad rationem formalem & quidditatiuam huius eſſentiæ ſpectat, eſſe intellectiuam & volitiuam: ita quòd quemadmodum rationalitas non eſt proprietas vel attributum hominis, ſed de ratione quidditatiua eius, ita intellectualitas non eſt attributum Dei, vel Eſſentiæ Diuinæ, ſed de formali ratione illius.

Eſſentia [...] ſpectu in[...] lectus & [...] luntatis, [...] habet pri[...] ritatem [...] lā, licèt d[...] ſtinguātur

Quarta Concluſio. Eſſentia Diuina non eſt prior natura ſua infinitate, exiſtentia, vel alio modo intrinſeco. Haberi poteſt tum ex loco citato, tum ex diſt. 8. iſtius primi, tum ex quodl. 5. Probatur Primò. Modus intrinſecus ita eſt intimus rei, quòd non poſſit habere rationem obiecti perfectè intelligibilis aliqua eſſentia, niſi ſimul cum ſuo modo concipiatur, vt dicitur diſt. 8. ergo in illo priori, in quo apta eſt concipi Eſſentia Diuina, non eſt apta intelligi ſine modo ſuo intrinſeco, atq; ita Eſſentia, non eſt prior, prioritate intelligibilitatis, ſua infinitate vel exiſtentia. Secundò. Res nullam habet prioritatem naturæ, ſine illius conceptu, quod eſt de eſſentia eius; ſic homo nullo modo eſt prior animali & rationali; ſed iſti modi ſunt de ratione quidditatiua Eſſentiæ Dei, vt docet Author diſt. 2. q. 1. & 2. & vide fuſiùs diſt. 8. q. vlt. & diſt. 26. circa finem; ergo, &c.

Eſſentia [...] ſpectu mo[...] dorū nō h[...] bet prior[...] tem natu[...] ræ, ſed ſi[...] gnorum.

Modi in Di[...] uinis sūt de[...] quidditati[...] ua rōne D[...]

Quāuis aūt neget in pdictis prioritas naturæ, prioritas tñ

ſigno-

ſignorum, quæ minor eſt prioritate naturæ, conuenienter admittitur à Scotiſtis, prout & ipſe Doctor concedere videtur quodl. 1. Poſſumus enim concipere in Deo, Eſſentiã exiſtentem, intellectiuam, volitiuam, infinitam, & ſimiles rationes quidditatiuas, ſecundùm ordinem quendam præſuppoſitionis: quia intellectus ſupponit exiſtentem Eſſentiam, voluntas præſupponit intellectum, &c. Et in hoc ſenſu Doctor infra diſt. 26. 29. & aliàs, docet Eſſentiam eſſe priorem ſua magnitudine, ſiue perfectione intenſiua infinitatis.

ſſentia di ... æ prior ... natura ſuis ... ibutis.

Quinta Concluſio. Eſſentia Diuina eſt prior natura ſuis attributis, puta ſapientia, bonitate, & veritate, &c. Ratio eſt. Omnis eſſentia reſpectu ſuarum proprietatum eſt prior natura; ergo & Eſſẽtia Diuina reſpectu ſuorũ attributorũ. Antecedens. Omnis Eſſentia reſpectu ſuæ proprietatis, habet ſe vel per modum cauſæ Metaphyſicæ, abſque motu cauſantis, per reſultantiam, à ſe realiter indiſtinctã paſſionem, ſicut omne creatum ſubiectum cauſat ſuam proprietatem, vt rationale riſibilitatem; & dicitur cauſa reſpectu paſſionis, non tamen eſt cauſa Phyſica requirens diſtinctũ realiter cauſatum Phyſicũ (de quo infra:) vel habet ſe per modum principij principiantis proprietatem, non productione reali, vel cauſatione Metaphyſica, ſed ſimplici emanatione & pullulatione: ſic Eſſentia Diuina reſpectu ſuarũ proprietatum, eſt principium principians proprietatẽ; non productione reali, quia talis in Deo nõ alia eſt quàm productio Perſonæ à Perſona; nec etiam cauſatione Metaphyſica, abſque motu, ad indiſtinctum realiter, eo modo quo cauſat Eſſentia creata ſuam proprietatem; quia cauſatum vt cauſatum, etiam Metaphyſica cauſatione, dicit imperfectionem, quia dependentiam, ibi autem nulla eſt dependentia, nulla imperfectio. Quare meritò Theologi non admittunt in Diuinis ad intra ſitos terminos cauſa & cauſatũ, ſed bene principium & principiatum, vel ens à principio. Dixi, ſimplici emanatione & pullulatione, ad eum modũ, quo ſecundùm noſtri Doct. ſententiam, potentiæ animæ ab anima indiſtinctæ realiter, vel proprietates identificatę realiter ſuo ſubiecto, dicuntur emanare ab eſſentia ſine reali productione & motu, ſecluſa tamen omni imperfectione dependentiæ, cauſæ, finitatis, &c. Cùm igitur omnis eſſentia ad ſuam proprietatem habeat ſe vel per modum cauſæ, ſaltem Metaphyſicæ; vel per modum principij & fundamenti: & tam ratio cauſæ ad cauſata, quàm ratio principij & fundamenti ad illa quæ ſunt in tali principio & fundamento, per modum circumſtãtium naturam, habeat prioritatem naturæ; quia cauſa eſt priùs natura cauſato, & principium vel fundamentum eſt priùs natura illo, quod eſt in ipſo principio vel vi ipſius; ſequitur quòd omnis eſſentia reſpectu ſuarum proprietatum; eſt prior natura ipſis: Ergo & Diuina reſpectu attributorum: hæc enim non aliud ſunt quàm proprietates eſſentiales, quæ per modum qualis circumſtant Diuinam naturam, vt dicit Doctor diſt. 8. 26. quodl. 1. & aliàs.

ttributa ... cauſan- ... ntur ab ... ſẽtia ſed ... llulant ... omodo?

ũo ſe ha- ... at ad ſuã ... oprieta- ... quęlibet ... entia?

Hic tamen eſt Difficultas. Quomodo iſta doctrina non contrariatur præcedenti Concluſioni? Quia Doctor diſt. 20. & 26. docet Eſſentiam, vt eſt Quid, eſſe præintelligibilẽ ad ſeipſam, vt eſt Quanta, ſecundùm magnitudinem virtutis, vel Qualis ſecundùm attributa; ergo qua ratione aſtruitur prioritas naturæ in Eſſentia reſpectu attributorum, ita & reſpectu infinitatis poni debet. Reſpondeo. Reſoluitur hæc Difficultas à Doct. quodl. 5. art. 3. vbi poſtquã dixiſſet, quòd Eſſentia habet infinitatem formaliter, propriam & primam, ſiue radicalem & fundamentalem, quia habet illam à ſe, ſubdit poſtea, *ab hac autem prima, ſicut licet loqui, emanant omnia ordinatè: primò quidem intrinſeca eſſentialia, quæ non dicunt reſpectum ad extra; ſecundò notionalia; tertiò & vltimò creata ſiue extrinſeca. & quodlibet emanans recipit illud perfectionis ab ea,* (ſcilicet ab Eſſentia) *cuius eſt capax, ſi ſibi non repugnat: illius autem recepti cauſa quaſi effectiua & primaria, eſt infinitas eſſentiæ; cauſa autem ſiue ratio formalis, eſt ipſa entitas propria cuiuslibet emanãtis.* In his verbis Doct. licèt plura ſint alia dicta præclaræ ſpeculationis, quod tamẽ ad noſtrum inſtitutum ſpectat, hoc eſt præcipuum, quòd prima emanatio ſit proprietatum eſſentialium ab Eſſentia Diuina; infinitas autem (vt hìc, ita & diſt. 26.) præintelligitur emanationi proprietatum, tanquam ratio intrinſeca illius, tum naturæ, tum ad hoc vt intelligantur quaſi effectiuè emanare tales proprietates ab Eſſentia: ergo ſecundùm intelligendi rationem fundatam in re, maior eſt immediatio infinitatis, vel alterius modi intrinſeci ad Eſſentiam, quàm attributi; & cõſequenter prioritas Eſſentiæ ad infinitatem, eſt minor quàm ad attributa: & iſta erit prioritas naturæ, illa autem minor prioritas ſigni. Et tali modo intelligendus eſt Doctor, locis in Obiectione citatis.

ſentia eſt ... æintelli- ... ibilis ad ... ipſam Vt ... t quanta, ... el qualis; ... is ſẽſus?

Immediatio maior ẽ infinitatis Vel alterius modi quàm attributi, & maior eſt prioritas Eſſentiæ ad attributa, quàm ad infinitatem.

Ex dictis conſtat, quòd dicendum ſit affirmatiuè ad Dubitationem, An Eſſentia Diuina ſit prior natura ſuppoſito Diuino. Et vltra, An vnum ſuppoſitum ſit priùs origine ſuppoſito. Illud verò Dubium. An Perſonæ Diuinæ ſint priùs natura vel origine, quàm eſſe intelligibile vel volibile creaturæ, ſpecialem requirit difficultatem examinãdam in 2. Sent. diſt. 1. q. 1. vbi illam ex profeſſo Doctor examinat, & pro nunc ſupponatur pars affirmatiua hìc, vt ibi fuſiùs oſtendemus.

AD ARGVMENTA IN PRINCIPIO dubitationis propoſita.

AD Primum. Reſpondeo, Sicut in Diuinis non eſt ordo abſolutè quicunque, puta ſecundùm dignitatẽ, locum, durationem, &c. ſed tantùm eſt ordo originis, vt omnes admittunt Theologi, vel ordo, naturæ, vt loquitur S. Aug. ita non eſt ponenda in Diuinis prioritas abſolutè, quia iſta communiter accipitur pro prioritate durationis, quæ ſimpliciter nulla eſt in Diuinis: neque eſt ponenda quæuis alia ab iſta, vt prioritas ſecundùm locum, motum, dignitatem, &c. ſed tantùm determinatè ſola prioritas originis vel naturæ. Et hoc expreſsè vult Aug. lib. 3. contra Maxim. cap. 14. ponendo ibi ordinem naturæ, non quo alter eſt prior altero, nempe prioritate durationis, ſed quo alter eſt ab altero; & iſtum ordinem inter Diuinas Perſonas, nos vocamus prioritatem originis.

Et ita Ambr. Athanaſ. alijque Patres intelligendi ſunt, dum negant prioritatem originis. Negant enim prioritatem durationis, quam ponebat Arrius inter Patrem & Filium; non autem prioritatem originis: imò iſtam prioritatem originis expreſsè admittit S. Aug. tomo 3. lib. de tribus tabernaculis, cap. vlt. vt Concluſione ſecunda dixi.

Patres qualẽ prioritatẽ negãt in Diuinis.

Ad Secundũ, Admiſſo Antecedẽti, nego Conſequentiã. Quia prioritas vt naturæ, ſic & prioritas originis in propoſito, non eſt prioritas ſecundùm eſſe, vt dixi Notab. 2. ſed ſecundùm præſuppoſitionem & intelligibilitatem. Et ſic patet ad Confirmationem.

Ad Tertium. Similiter & ad 4. Patet reſponſio ex dictis Notabili 2. & 3. & ex Concluſionibus, quòd ibi ſit prioritas naturæ, comparando Eſſentiam, tum ad abſoluta attributa, tum ad relationes: licèt non Perſonis adinuicẽ, quia ſunt relatiuæ, relatiua autem ſunt ſimul natura: cùm hac tamen ſimultate naturæ inter Perſonas, ſtat prioritas originis.

Quando arguitur. Prius ſecundùm rem, requirit rerum pluralitatem. Dico, falſam eſſe hanc propoſitionem. Quia prius à parte rei, poteſt eſſe non tantùm inter res reales, ſed etiam inter rationes reales, ſiue inter vnitiuè contenta in aliquo: ſicut in anima hominis, idem realiter eſt ſubſtantia, viuens, actus, talis actus, Ens, & tamen ratio Entis eſt primò apta intelligi, quàm ratio ſubſtantiæ, & hæc quàm ratio viuentis: ita licèt Eſſentia & attributa ſit vna res ſimpliciſſima, vna tamen ratio præintelligibilis eſt alteri, quia in ſua ratione formali Eſſentia præſupponitur proprietati, & non proprietas eſſentiæ: iſta præſuppoſitio quoad intelligibilitatem eſt prioritas naturæ.

Prioritas ſecundũ rẽ, põt eſſe, nõ tantũ inter res reales, ſed ẽt inter rõnes reales.

Contra ſecundum probatio non valet; quia eſt inſufficiens diuiſio: cùm prioritas à parte rei ſit vel durationis, vel naturæ, vel originis, vel ſigni. Cùm dicitur. Non eſt prioritas naturæ; quia non eſt pluralitas naturatnm. Dico. Nõ intelligit Durand. prioritatem naturæ, quam nos in Diuinis concedimus, quæ non requirit pluralitatem, ſed vnitatem naturæ.

Contra tertium, probatio concludit, quòd ſint ſimul

natura Personę, per oppositas relationes constitutæ: relatiua enim sunt simul natura secundùm esse, & secundùm intelligi: sed non valet consequentia, Pater est simul natura cum Filio; ergo simul origine: quia cum simultate naturæ, stat ibi prioritas originis, vt declarat Doctor distinct. 28. quodl. 4. Secunda probatio procedit ab insufficienti enumeratione.

Cũ simultate naturæ, stat prioritas originis.

Ad Quintũ. Maior est falsa. Probatio, eius tantùm procedit, quòd nec in re, nec in intellectu productio actiua absque passiua, esse vel intelligi, & similiter quodlibet relatiuum absque correlatiuo, esse vel intelligi potest; quod verum est: sed inde non sequitur; ergo nulla est prioritas originis, quia ista tantùm requirit vt hoc sit ab illo quod accidit in proposito, de quo plura vide. dist. 28.

Ad Sextũ. Argumentum hoc Heru. ex falsa imaginatione procedit. Quando enim nos dicimus, Essentia est prior relatione: non intendimus dicere, quòd relatio prioritatis conuenit Essentiæ, distincta ab Essentia, sed dicimus quòd ista prioritas naturæ, nihil dicit distinctum quouis modo ab Essentia, quæ dicitur prior natura relatione; ita & quandò dicimus, Pater est prior origine Filio, non intendimus dicere, quòd Pater habet aliquam relationem prioritatis distinctam à Paternitate; sed sicut ibi est sensus, Essentia est prior natura relationibus, id est, Essentia præsupponitur relationibus; ita hìc, Pater est prior origine Filio, sensus est, quòd Pater est is, à quo est Filius, & non è contra, Filius est is, à quo est Pater.

Essentia est prior relatione, quis sensus?

Ad Septimũ quod est Alberti. Aeternitas est duratio intrinsecè tota simul & perfecta, & ita nullam habet rationẽ prioris & posterioris, secundùm durationem: vnde omnia in Diuinis cùm sint æterna, nulla est ibi prioritas durationis ad intra; quod certissimum est, sed non ad propositum; quia alia est prioritas originis vel naturæ à prioritate durationis.

Aeternitas quid sit?

Dubitatur Quartò.

Vtrum Essentia Diuina sit obiectum primarium intellectus Diuini.

Videtur quòd non. Primò. Potentia & obiectum debẽt proportionari, & ob id potentia communissima debet habere obiectum communissimum; sed intellectus Diuinus est potentia communissima, quia omnia potest intelligere, imò de facto intelligit; ergo illius obiectum erit communissimum; tale autem obiectum communissimum est Ens; Ens igitur & non Essentia, est primum obiectum intellectus Diuini. Confirmatur. Non potest adæquare virtutem nostri intellectus, nisi Ens, vt dicitur infra, distin. 3. ergo nec intellectus Diuinus alio obiecto ab Ente adæquari poterit.

Potẽtia & obiectũ debẽt proportionari.

Secundò. Primum obiectum debet esse adæquatum potentiæ; sed Essentia non est adæquatum obiectum intellectus Diuini; igitur neque primum. Minor. Quia obiectum adæquatum vni actui, non adęquatur toti potentiæ, vt patet in nobis de quocunque actu, quantumuis excellentis cognitionis sensitiuæ vel intellectiuæ, vbi vnus actus non adæquat potentiam; sed Essentia Diuina est obiectũ vnius actus cognitionis Diuinę, nempe cognitionis intuitiuę, qua Deus intelligit seipsum; ergo non est obiectum adæquatũ potentiæ intellectiuæ Diuinæ.

Tertiò. Obiectum primum intellectus, debet esse declaratiuum & manifestatiuum sui apud intellectum; sed illud quod habet rationem declaratiui, est verum inquantum verum, & non Essentia, vt dicitur infra dist. 2. q. 1. dubit. 2. ergo, &c. Confirmatur. Si Essentia sub ratione Essentiæ est primum obiectum intellectus Diuini, & non sub ratione veri, tunc pari ratione & obiectum primum voluntatis, erit Essentia sub ratione Essentiæ; hoc autem est inconueniens, & contra Philosophum, secundùm quem debent potentiæ distingui per obiecta; ergo, &c.

Negatiuam partem istius Dubitationis, sequitur D. Th. 1. part. q. 12. art. 4. cùm dicit. Obiectum intellectus Diuini esse Essentiam vt subsistens est; subsistit autem in tribus suppositis; quare Essentia vt in tribus est Personis, erit primum obiectum intellectus Diuini. Idem disertis verbis astruit Caiet. 2. 2. q. 2. art. 8. & alij supra citati pro sententia S. Tho.

Oppositam sententiam tenet Doctor Subt. hìc, supra in Prol. q. 5. & fusiùs in 1. Report. dist. 35. q. 2. quodl. 14. art. 2. Mayron. in 1. dist. 36. q. 3. & dist. præsenti q. 4. & 6. Ant. Andr. hìc. Bassol. in 1. dist. 1. q. 1. art. 3. & dist. 15. art. 2. Ioan. Colonien. in compendio Theologiæ quæst. 163. & alij eius discipuli.

Pro resolutione Dubitationis Nota. Quòd primitas, quantùm ad præsens attinet, dupliciter potest accipi. Primò, pro primitate naturæ: secundò, pro primitate adæquationis. De prima loquitur Arist. in postpræd. & 9. Met. De secunda loquitur 1. poster. vt videre licet apud Doct. infra dist. 3. de primo cognito nostri intellectus.

Primitas [du]plex, na[tu]ræ, & ad[æ]quationis

Cùm verò natura dicatur de materia & forma ex 2. Phys. rectè prioritas secundùm materiam dicitur prioritas secundùm generationem, quia propter materiam res dicuntur generabiles: forma verò cùm sit actus rem perficiens, rectè primitas quæ secundùm formam attenditur, dicitur primitas perfectionis. Et quidem in creatura, primum secundùm originem, dicit imperfectionem, & pręcedit primum secundùm perfectionem. ex 9. Met. quia natura ab imperfecto ad perfectum procedit. In Deo igitur cùm nulla sit imperfectio, eadem primitas erit secundùm originem, quæ & secundùm perfectionem.

Primitas [se]cundũ generationẽ, secũdũ perfectionem quæ?

Voco autem hìc prioritatem originis, non qua vna persona est prior origine alia, de qua prioritate dixi præced. Dubitat. sed de intrinseca illa pullulatione, & quasi originatione proprietatum ab Essentia, quòd Essentiæ ratio in Diuinis sit prior secundùm perfectionem, & prior secundùm originationem, à qua videlicet promanant, vt à radice, aliæ perfectiones Diuinæ.

Primitas [in] Deo secũ[n]dũ generationẽ & [se]cundũ perfectionẽ eadem; nõ in creatura.

Potest igitur præsens quæstio procedere de vtraq; primitate, An Essentia Diuina sit primum obiectum intellectus Diuini, tam primitate originis seu perfectionis, quàm primitate adæquationis. Obiectum primarium dicitur respectu secundarij. Quodnam autem obiectum secundarium sit intellectus Diuini, vide dicta à nobis quæst. 5 Prol.

Prima Conclusio. Essentia Diuina sub ratione Essentiæ, est obiectum primum, primitate originis & perfectionis, intellectus Diuini. Probatur Primò ratione Doct. Quęcunque habent ordinem realem, si essent realiter distincta, illa eundem ordinem habebunt secundùm intellectum, si per intellectum distinguantur, vel secundùm rationes formales, si formaliter distinguantur; sed Essentia Diuina si realiter distingueretur à suis attributis vel Personis, esset simpliciter prior perfectione & origine, omnibus tum notionalibus tum essentialibus proprietatibus, vt latè deducitur à Doct. quodl. 1. Et ratio est. Quia illa esset causa respectu suarum proprietatum; ergo modò, cùm Essentia ab attributis & personalibus proprietatibus, ad minùs secundùm aduersarios distinguatur rationis distinctione, erit ibi ad minùs secundùm rationem Essentia prior perfectione & origine alijs proprietatibus. Sed sicut res se habet ad esse, ita & ad cognosci secundùm Philos. 2. Met. ergo Essentia Diuina cùm sit prior secundùm rationem in entitate, primum erit (primitate perfectionis) in cognoscibilitate in ordine cognoscibilium.

Essẽtia D[iuina] est obiectũ primũ pri[mi]tate per[fe]ctionis [&] originis, [re]spectu di[ui]ni intellectus.

Secundò. Seclusa imperfectione ab accidente quòd inhęret; & à substantia quòd substat accidentibus, & ab vtroq; quòd distinguuntur realiter; sicut se habet substantia creata ad suas proprietates, ita substantia increata ad suas; sed substantia creata est prior natura & perfectione, omni accidente, secundùm Philos. 7. Met. Igitur & substantia Dei increata erit prior natura & perfectione suis proprietatibus; & consequenter erit prior in cognoscibilitate, iuxta superiùs dicta.

Substanti[a] est prior o[mni] accidente.

Secunda Conclusio. Obiectum primum primitate adæquationis, respectu intellectus Diuini, non est ratio Entis, vel alia transcendens, conueniens creaturis. Probatur sic. Quandocunque aliquod commune abstractum ab inferioribus est primum obiectum motiuum alicuius potẽtię, tunc omne contentum sub illo communi obiecto erit per

Obiectum adęquatũ intellectus diuini no[n] est Ens v[el] aliud tran[s]scendens.

seob-

se obiectum mouens illam potentiam; at non omne contentum sub Ente, est obiectum mouens intellectum Diuinum; ergo Ens non erit primum obiectum illius motiuũ. Maior patet inductione. Si enim sonorum est obiectũ mouens auditum; & hic & ille sonus mouebit auditum: Si etiã coloratum est obiectum mouens potentiam visiuam, & color albus, & color niger poterunt mouere potentiam, & sic in alijs. Minor. Quia si aliquod creatum Ens esset obiectum motiuum respectu Dei, tunc vilesceret Diuinus intellectus, vt dicit Philos. 12. Met. & actus increatus ac infinitus dependeret à re finita & creata, quod est impossibile. Patet sequela. Quia intellectio sua partialiter causaretur à tali obiecto, prout modo accidit in nostro intellectu.

Non omne contentum sub Ente mouet intellectum Dei.

Tertia Conclusio. Primum obiectum intellectus Diuini, primitate adæquationis, est Essentia Diuina, non sub ratione alicuius attributi, vel notionalis proprietatis, sed Essentia sub ratione Essentiæ. Hæc Conclusio probatur à Doct. in Report. tali ratione. Sub illa ratione est aliquid obiectum primum alicuius potẽtiæ, sub qua continet virtualiter vel formaliter omnia alia, quæ cognosci possunt à tali potentia. Ista propositio patet ex dictis supra in Prolo. q. 3. dubitatione speciali super hac propositione habita: sed nullum attributum continet formaliter vel virtualiter alias perfectiones attributales. Quod ostendo: Quia si bonitas formaliter continet hanc perfectionem, quæ est sapientia, etiam continebit aliam, vt iustitiam; & sic de qualibet, cùm non sit maior ratio de vna, quàm de alia; & sic de omni dicam, quòd omne attributum continebit: sed ipsa bonitas est etiam attributum; igitur ipsa continebit & continebitur formaliter: & sic esset circulus in continentia: pari modo arguo de continentia virtuali. Cùm igitur sola Essentia Diuina, sub ratione Essentiæ, contineat virtualiter vel formaliter omnia, quæ potest intellectus Diuinus cognoscere, vt dictum est supra, sola Essentia sub ratione Essentiæ, erit primum obiectum intellectus Diuini. De proprietate notionali, quòd illa non sit ratio formalis primi obiecti potentiæ cognoscitiuæ Dei. Patet. Tum ex præcedenti ratione. Tum quia ratio motiua intellectus Diuini debet esse communis tribus Personis; at nulla proprietas notionalis est huiusmodi. Tum quia ratio motiua intellectus Diuini, ad actum formaliter infinitum, debet esse formaliter infinita; sed relatio non est formaliter infinita, vt declaratur à Doct. quodl. 5.

Essentia Dei sub ratione Essẽtiæ, est obiectũ intellectus diuini adæquatum.

Sola Essentia vt hæc, cõtinet oĩa sub intellectu Diuino cognoscibilia.

Hæc conclusio desumit suam euidentiam, ex dictis q. 4. Prologi. Vide ibi plures rationes.

AD ARGVMENTA
in principio adducta.

AD Primum. Obiectum communissimum duplex est: vel communissimum prædicatione, vel communissimum virtualitate & perfectione. Primò modo est communissimum Ens, secundo modo Essentia Diuina. Potentia ergo illa quæ mouetur à quolibet contento sub ratione communissima secundùm prædicationem, habet pro obiecto adæquato aliquod commune abstractum ad omnia per se mouẽtia obiecta inferiora; sic noster intellectus, quia moueri aptus est à quolibet Ente, ideo ratio Entis abstracta, est obiectum illius adæquatum; potentia autem non mobilis à pluralitate obiectorum, sed vnum virtualissimum & perfectissimum obiectum cõsiderans, non habet pro obiecto aliquod commune primo modo, sed secundo. Hinc patet quid dicendum sit ad Confirmationem. Est enim dispar ratio.

Obiectũ cõmunissimũ duplex.

Ad Secũdum. Nego Minorem. Ad Probationem. Dico, obiectum adæquatum vni actui in nobis, quòd non adæquetur toti potentiæ, ratio est, quia illa ratio qua cognoscitur vnum obiectum, non est ratio intelligendi aliud obiectum, cùm quodlibet obiectum cognoscatur à nobis, alia & alia ratione cognoscendi, vt dicitur dist. 3. sed in Deo est oppositum: ille enim actus quo Deus se ipsum intelligit, est Deo ratio intelligendi omnia alia à se; & propterea in Deo obiectum adæquatum actui, erit adæquatum potentiæ, non autem in nobis.

Obiectum adæquatũ vni actui, quare est adæquatũ toti potentiæ?

Illo eodem actu quo Deus se intelligit, intelligit oĩa alia à se.

Ad Tertiũ. Quamuis obiectum primum obijciatur intellectui Diuino vt declaratiuum; non tamen ratio declaratiui, est ratio formalis illius obiecti; quia ista ratio declaratiui, seu manifestatiui, dicit in obiecto relationem rationis ad intellectum, vt declaratur dist. 2. q. 1. obiectum autẽ primum intellectus Diuini, & ratio formalis illius, non est tantùm relatio rationis, sed ex natura rei in Deo reperiuntur. Ad probationem. Concedo, quòd voluntatis Diuinæ obiectum sit Essentia sub ratione Essentiæ. Cùm infers. Ergo intellectus à voluntate non distinguitur. Nego Consequentiam: Quia intellectus non est voluntas ex natura rei, vt dicitur infra. Cùm dicis. Potentiæ distinguuntur per obiecta. Respondeo. Illa propositio Arist. etiam in nobis, solùm vera est de potentijs organicis, non autem de inorganicis; vt pluribus declaratur à Doct. infra dist. 3. q. 4.

Potẽtię distinguũtur per obiecto quis sensus?

Ex hactenus dictis patet explicatio totius Articuli.

ARTICVLVS III.

Vtrum Comprehensor, secundùm naturalem virtutem suam, possit frui Essentia sine Personis, vel vna Persona absque alia.

Quantùm ad Tertium Articulum de potentia creaturæ. Dico, &c.

SVMMA TEXTVS.

Prima Conclusio. *Intellectus de potentia sua naturali, non potest videre Essentiam sine Personis.*

Cõprehensoris Visio & fruitio d facto qualis erit.

Secunda Conclusio. *Non est in potestate voluntatis ordinatè fruentis, frui Essentia non fruendo Personis, vel frui vna Persona non fruendo alia. Ratio est. Quia illa fruitio esset contra ordinationem Dei: & sic esset inordinata: & per consequens talis voluntas peccaret. Hæc Conclusio non solùm vera est de voluntate Comprehensoris, secundùm quod conformat se habitui charitatis, sed etiam de potestate absoluta voluntatis comprehensoris, quæ si rectam fruitionem elicere vellet, conformare se obiecto, sicut est, debet: & hoc secundum probat Doctor ibi,* sed de potestate absoluta voluntatis est magis dubium: *vbi est quasi Tertia huius Articuli Conclusio.*

Illud obiter Nota. Quòd iste textus modò citatus, videtur multis esse additio: sed reuera non est vt tum exemplaria antiqua testantur absque additionibus scripta: tum ipsius literæ conformitas ad antecedentia & sequentia dicta. Illa tamen verba, si dicas, quòd ista ratio non concludit, quod non est in potestate Dei, vsque ad finem Articuli, *concesserim facilè nõ esse de litera Doct. vt verborum flexuosus & non Scoticus anfractus indicat.*

ARTICVLVS IV.

Qualis est de facto fruitio Comprehensoris & Viatoris.

Quantum ad Quartùm Articulum, de facto. Dico, &c.

SVMMA TEXTVS.

Prima Conclusio. *De facto Comprehensoris visio intuitiua Essentiæ Dei est, vt Essentia illa est in tribus Personis, & illa fruetur vt est in tribus. Probatur hoc authoritate maximè illa Ioan. 14. vbi roganti Philippo vt ostenderet Apostolis Dominus Patrem, respondet Saluator,* Philippe qui videt me, videt & Patrem meum: *quod intelligendum est de visione, non illa possibili, de qua locuti sumus art. 2. sed quæ de facto Beatis confertur. Et sic nihil colligunt Thomistæ, dum hanc authoritatem opponunt Conclusionibus Doctoris, Articulo secundo positis. Pluribus hanc authoritatem exponit Vasquez. 1. part. disp. 48. c. 3. & ostendit quòd non sit contra Subt. Doct. Sed hoc dictum ad præsens sufficit.*

Secunda Conclusio. *Habitualis fruitio Viatoris, necessariò est trium Personarum.*

Tertia Conclusio. *Actualis fruitio Viatoris, non est necessariò trium Personarum. Istæ duæ Conclusiones patent ex dictis Primo Articulo.*

Soluuntur Argumenta principalia.

Ad Argumenta principalia. Ad Primum de primo Ethicorum. Dico, &c.

COMMENTARIVM.

PRiora tria Argumenta ideo resoluuntur, quia videntur patrocinari sententiæ Henr. art. 2. positæ.

Argumenta etiam ad oppositū resoluit Doctor, inquā- um militant contra eius Primum, Tertium, & Quartum Articulum.

Tota litera est clara, non indigens expositione.

QVÆSTIO III.

Vtrum fruitio sit aliquis actus elicitus à voluntate, vel passio recepta in voluntete, puta aliqua delectatio.

Consequenter quæro de Frui in se. Et primò supposito, &c.

SVMMA QVÆSTIONIS.

In ista Quæstione. Primò videndum est de ipsis conceptibus. Secundò de significato nominis.

ARTICVLVS PRIMVS.

Qui sunt actus eliciti voluntatis, & quid delectatio?

Quantum ad Primum. Dico quòd sicut in intellectu, &c.

COMMENTARIVM.


Ontra hunc Articulum, aliàs clarum in textu. Obijci potest, vt obijcit Tho. Angl. Primò. Illud quod est actus elicitus, malè distinguitur ab actu elicito, & negatur esse actus elicitus; sed delectatio est actus elicitus voluntatis, cùm non sit potentia nec habitus, sed actus secundus; & consequenter erit actus elicitus.

Secundò. Passiones sunt solius appetitus sensitiui, & non voluntatis; ergo malè in titulo Quæstionis supponitur, & in corpore Articuli dicitur, quòd delectatio est passio consequens fruitionem.

Tertiò. Assensus est in intellectu, consensus in voluntate; ergo malè comparatur voluntas in assensu suo, ad assensum intellectus, cùm in voluntate non sit assensus, sed consensus.

Quartò. Prima differentia inter duos assensus intellectus, & duos assensus voluntatis, quòd illi requirant diuersa obiecta, isti non, sed diuersitatem modi tendeudi, malè videtur assignari; quia sicut in potestate nostræ voluntatis est, eidem bono consentire propter se vel propter alium, ita est in potestate nostra, eidem vero assentire vel non assentire; sicut patet de articulis fidei, & authoritate Sacræ Scripturæ, quæ liberè credimus; ergo multò magis possumus liberè propter se vel propter alterum, assentire.

Quintò. In eadem differentia innuere videtur, quòd semper ei cui assentimus propter se, assentimus propter euidentiam eius. Probatur oppositum. In his quæ credimus, oportet necessariò tandem deuenire ad aliquid quod credimus propter se, alioquin esset procedendum in infinitum, si omne quod crederemus, crederemus propter aliud: sed his, quæ credimus, non assentimus propter euidentiam rei; ergo, &c.

Sextò. Differentia secunda assensuum duorum intellectus & voluntatis, non bene assignatur; quia sicut voluntati potest ostendi bonum absolutè, non sub ratione boni propter se, nec sub ratione boni propter aliud; ita potest intellectus apprehendere verum absolutè, absque hoc qđ apprehendat illud sub ratione veri propter se, vel propter alterum: & ita sicut voluntas potest ferri in bonum, & non propter se, nec propter aliud; ita & intellectus potest ferri in verum, nec propter se, nec propter aliud; consequenter ista secunda differentia erit nulla.

Ad Primū. Respondeo. Actus elicitus sumitur vno modo impropriissimè, pro actu producto; & sic omnis actus secundus, etiam imperatus, est actus elicitus: alio modo sumitur, distinguendo actum elicitum contra imperatum, magis propriè comparando ad priorem acceptionem, sed nō ad vltimā; & sic actus volitionis vel notionis, aut alius actus voluntatis, siue immediatè eliciatur ab illa, siue naturaliter consequatur, est actus elicitus; actus verò potentiæ motiuæ, vel cuiusuis alterius potentiæ, quæ subiacet imperio voluntatis, dicitur actus imperatus. Tertio modo actus elicitus dicitur propriissimè, actus voluntatis immediatè à voluntate elicitus; & sic sola volitio siue amor, ac etiam nolitio, sunt actus eliciti voluntatis: quietatio verò, delectatio, & similes actus consequentes volitionem, sunt accidentia talis actus eliciti, realiter distincta ab ipso. Et ista acceptio actus eliciti propria fundatur in Arist. qui 6. Moral. Nicomach. electionem vocat actum potentiæ appetitiuæ; actus etiam elicitus quodammodo ab electione dictus (quia tendit in media electa, vel in ipsum finem ad quem electio media ordinat) est potentiæ appetitiuæ: & sicut electio est actus immediatus voluntatis, ita & actus elicitus voluntatis sumitur pro actu voluntatis immediato.

Actus elicitus sumitur tripliciter.

Doctor igitur in præsenti, sumit actum elicitum tertio modo propriè; in Obiectione autem minor procedit de actu elicito primo modo: vnde si in Maiori actus elicitus vniformiter accipiatur, vera erit Maior, sed falsa Minor; si autem sumatur difformiter, sic, quòd illud, quod est actus elicitus primo modo, non est actus elicitus secundo vel tertio modo, falsa est Maior.

Electio e[st] actus imm[e]diatus vo[lun]tatis.

Ad Secundum. Nomen passionis est æquiuocum apud Arist. vt patet ex 5. Met. tex. 26. vbi Arist. passionem nō restringit præcisè ad solum appetitum sensitiuum; sed potest conuenire omni appetitui, vt ex tertia & quarta acceptione ibidem data constat. Et aduerte quòd iste Thomista directè contradicat S. Th. 1. 2. q. 31. art. 4. in responsione ad 2. Vbi concedit delectationem voluntatis, esse passionem.

Passio est [æ]quiuocum [&] pōt omni appetitui conuenire.

Ad Tertiū. Dictum est in prol. q. 1. dubit. vlt. quòd licèt ista verba distinctim possint accipi, communiter tamē pro eodem accipiuntur: vt notauimus ibidem ex D. Tho. vtēdum est autem nominibus, vt tenet communis vsus.

Consensu[s] & assensu[s] accipiūtur pro eodem communiter.

Ad Quartū. Optima ratio discriminis assignatur. Intellectus enim non potest assignare hoc esse intelligibile propter aliud, supposito quòd sciat illud esse intelligibile propter se, nec visa veritate intelligibili per aliud, potest præbere assensum intellectus, hoc esse intelligibile propter se; cùm intellectus sit potentia naturalis, & modo naturali præbeat assensum veritati, vt supra dixi: sed benè volūtas, ex libero modo tendendi, potest acceptare in sua fruitione aliquid pro vltimo quietatiuo & summo bono, licèt intellectus non dictet illud esse summum bonum, vt patuit q. 1. huius distinctionis. Vnde quamuis in potestate voluntatis sit, intellectum ad actum credendi excitare, vel ab actu credendi auocare, vt probat argumentum, & inde actus credendi sunt liberi: non tamen est in potestate intellectus, vt intellectus distinguitur à voluntate, vt cognita veritate nō assentiat illi.

Intellectu[s] naturaliter assensum [præ]bet verita[ti], volunta[s] liberè, etiā cōtra dictā[men] intellectus.

Ad Quintū. Respondeo. Primò. Exemplum de fide non est ad propositum; quia Doctor loquitur de principijs sciētificis per se notis, & de conclusionibus deductis ex talibus principijs, non autem de habitu fidei. Resp. 2. Esto quòd loqueretur vniuersaliter, adhuc euidentia est duplex: quędam rei, quædam credulitatis rei: licèt ergo non sit euidentia rei, in veritatibus merè Theologicis, vt quòd Deus sit Trinus in Personis, vel quòd Verbum caro factum est; est tamen euidentia credulitatis rei, quæ euidentia credulitatis,

Actus credendi sunt liberi.

Euidentia duplex, rei & credulitatis rei.

Veritas credulitatis in quo fundetur?

tis, fundatur in illo certissimo, & lumine naturæ euidentissimo principio, Prima veritas reuelans aliquid, nec fallit nec fallitur: Minor deinde propositio, quòd istam & illam veritatem reuelauerit suprema veritas, habet aliam euidentiam credulitatis, quæ non fundatur præcisè in lumine rationis, sed in lumine reuelationis, de qua reuelatione dictū est quęst. 1. prol. & fusiùs dicitur in 3. dist. 23.

Assensus intellectus est circa verū cōplexum, voluntatis vero circa bonū incōplexum. Verū cōplexū vel immediatum, vel immediatum.

Ad Sextū. Non valet comparatio in Obiectione posita: quia à Doct. comparatur veritas complexa ad bonitatem incomplexam; assensus enim intellectus est circa verum complexum, sed consensus voluntatis communiter est circa bonum incomplexum: intellectus autem naturaliter fertur in verum complexum, secundùm naturam alicuius veri; & verum complexum vel est immediatū vel mediatum, nec datur inter hæc medium; si immediatum, intellectus illi assentit non propter aliud, sed ob euidentiam ex ipsa simplici terminorum apprehensione habitam; si mediatum, tunc propter aliud præbetur assensus tali veritati, Non sic bonitas incomplexa; quia potest bonum elici sub ratione propter se boni, vel propter aliud, & aliquando potest obijci sub ratione boni, abstrahendo an sit bonum propter se, vel propter aliud; sic quidam diligebant virtutē vt bonum quoddam, ignorantes an sit bonum propter se, an propter aliud, & ita voluntas fruebatur virtute vt bono neutro. Obiectio igitur procedit ex malo intellectu comparationis à Doct. factę in litera.

Bonum pōt esse neutrū. Fruitio & vsus nō distinguunt oēm actum volēdi immediatè.

Ex dictis patet. Quòd malè explicetur, & non intelligatur Doctor Subt. ab aduersarijs. Secundò constat. Quòd fruitio & vsus non diuidunt immediatè omnem actū volendi; quia datur actus neuter, contra Tho. Anglicum hic, & Arimin. dist. præsenti. q. 1. art. 4.

Dubitatur.

Vtrum delectatio distinguatur realiter à dilectione, quæ est Fruitio.

Videtur quòd non. Primò. Illud est indistinctum realiter ab altero, quod impossibile est esse sine illo; sed fruitionem beatificam impossibile est esse absque delectatione; ergo est īdistincta realiter ab illa. Maior videtur esse Doct. in 2. dist. 1. q. 4. Minor probatur. Quia implicat, Frui Deo fruitione beatifica, & habere tristitiam; si autem possibile esset fruitionem beatificam esse sine delectatione, possibile esset ponere ibi habitum tristitiæ, quod est cōtra rationem beatitudinis.

Potest Deus non concurrere ad delectationē fruitionis, non potēdo tristitiā influente.

Secundò. Fruitio beatifica est illud, secūdùm Aug. quod omnes naturaliter desiderant; sed gaudium & delectationem sempiternam omnes naturaliter desiderant; ergo delectatio est fruitio beatifica.

Tertiò. Si Fruitio à delectatione distingueretur, ille cui daretur optio eligendi, eligeret summam delectationem postposita Fruitione; igitur delectatio foret eligibilior Fruitione beatifica: quod est inconueniens.

Quartò. Sequeretur, quòd Deus posset annihilare Fruitionem beatificam manēte delectatione; ergo aliquis Beatus posset delectari, Essentiam Diuinam non amando.

Quintò. Vnius potentiæ & vnius obiecti vnus est actus; sed dilectio & delectatio sunt vnius potentiæ voluntatis, & vnius obiecti fruibilis, nempe finis vltimi; ergo sunt realiter eadem res.

Sextò. Quorum opposita sunt eadem, ipsa sunt idē; sed dilectionis & delectationis opposita, sunt eadem; odisse enim & tristari sunt idem realiter, siquidem vtrumq; importat vnam inquietationem; ergo, &c.

Septimò. Omnis operatio siue actus voluntatis, est dilectio vel odium; & nulla delectatio est odium; igitur omnis delectatio est dilectio. Antecedens quoad primam partem in qua difficultas est, probatur. Omnis actus voluntatis est nolle vel velle, secundùm omnes, seu consensio vel dissensio, secundùm viam Aug. 14. de ciuit. cap. 6. seu prosecutio vel fuga, vt innuit Philos. 6. Ethic. cap. 3. & omnia hæc idem significant; omne autem velle est dilectio & è contra, & omne nolle est odium & è contra, sumendo generaliter istos terminos odium & dilectio. Igitur, &c.

Octauò. Omnis complacentia est dilectio; omnis delectatio est complacentia, ergo omnis delectatio est dilectio. Maior est Aug. 11. de Trinit. c. 5. vbi ait, Placitum, quieta mens, seu voluntas, placitum & complacentia idem; est autem voluntas quieta, qua mens seu appetitus quiescit, nullo autem actu voluntatis appetitus quiescit nisi amore; & in delectatione quiescit; ergo, &c.

Nonò. Omne desiderium est amor; igitur omnis delectatio est amor. Antec. probatur per Aug. 9. de Trinit. cap. vlt. vbi dicit. Quòd appetitus cognoscendi aliquid ignotū, est quid de genere amoris. Et probat. Quia est quædam inquisitio; & omnis inquisitio est voluntas, nam omnis qui quęrit, inuenire vult. Vbi apertè vult, quòd omnis appetitus vel desiderium sit amor. Consequentia. Quia secundū omnes, sic se habet desiderium ad amorem non habiti, sicut delectatio ad amorem habiti.

Decimò. Probatur idem authoritate Aug. 14. de ciuit. Dei, vbi sic ait. Quid est cupiditas & lætitia, nisi voluntas in eorum consensione quæ volumus? & quid est metus atque tristitia, nisi voluntas in dissensione ab his quæ nolumus? sed cùm consentimus appetendo ea quæ volumus, cupiditas est; cùm autem consentimus fruendo his quæ volumus, lætitia dicitur; itemque cùm dissentimus ab eo quod accidere nolumus, voluntas metus est; cùm autem dissentimus ab eo quod nolentibus accidit, talis voluntas tristitia est. Vbi expressè vult Aug. quòd delectatio, & tristitia, & metus, non aliud sint, quam actus volendi vel nolendi; cùm per eos definiantur.

Ita arguit Adam Goddam. in 1. dist. 1. q. 4. & 5. Arimin. q. 2. art. 2. & 3. Aureol. dist. 1. art. 1.

In oppositum est Doctor Subt. hic, & in Report. dist. 1. q. præsenti & in secundò Repert. dist. 42. q. 4. in 4. item, dist. 49. q. 7. & 1. Met. q. 2. Holcot in 1. q. 3. art. 6. Bassol. dist. 1. q. 2. art. 2. Richard. in 4. dist. 49. artic. 3. q. 5 Mayron. hic, q. 2. Gabriel dist. 1. q. 3. Ocam ibidem Petr. Aquil. dist. præsenti. q. 1. Lychet & Tartar. dist. & quæst. præsenti.

Idem videntur docere Ferrar. 1. contra gentes cap. 9. Vbi delectationem dicit in vno sensu esse operationem, si operatio sumatur pro actu elicito à potentia, in altero verò sensu, vt sumitur pro actu quo potentia mouetur in obiectum, non esse operationem, sed sequitur operationem; & in hoc vltimo sensu solùm sumitur à nobis, Capreol. item in 1. dist. 1. q. 1. Concl. 3. delectationem distinguit realiter ab amore, sed non fruitionem. Eidem opinioni subscribit Vasquez 1. 2. disp. 14. c. 4. & docet esse de mente D. Tho. Caiet. 1. 2. quæst. 31. art. 4. docet delectationem distingui à velle.

Aduerte Primò. Varias hic oriri ex propositis rationibus difficultates; vtrum delectatio sit operatio an passio, vtrum eliciatur ab obiecto, vtrum sit subiectiuè in voluntate vel in actu voluntatis, vtrum idem sit quod gaudiū; ista tamen commodiùs tractabuntur in 3. dist. 15. & in 4. dist. 49. Vbi pluribus agit Doctor Subt. de hisce quatuor difficultatibus. Interim supponatur ex Arist. 10. Ethic. c. 4. delectationem posse esse in potentia intellectiua, quæ consequitur speculationem ante actum voluntatis; potest item esse in voluntate, quæ consequitur amorem seu fruitionē; in appetitu sensitiuo, vt sunt delectationes sensus; imò laté extendendo nomen delectationis, potest delectatio esse in merè naturalibus, eo pacto quo Arist. attribuit materiæ appetitum ad formam, qua habita quietatur & quasi delectatur materia. Noster tamen sermo in præsenti est de illa delectatione quæ consequitur amorem seu fruitionem, Vtrum distinguatur realiter amor seu fruitio à delectatione. Suppono præterea delectationem esse passionem ab obiecto productam cum concursu voluntatis, & non operationem siue actionem voluntatis, à voluntate immediatè productam; vt dicitur à Subt. Doct. in 3. dist. 15. Delectatio variè consideratur.

Aduerte Secundò. Dilectionem seu amorem non aliud esse, quàm velle elicitum à voluntate, circa aliquod bonum in ratione boni, realiter, per obiecti approximationem, vel intentionaliter, per intellectus ostensionē, præsentatū. Delectatio verò est appetitus rationalis, passio recepta in voluntate, causata ab obiecto, per quam voluntas complacet, & vltimò quietatur in obiecto volito. Dilectio quid? Delectatio quid?

His

Distinguitur realiter ab amore.

His præmissis sit Conclusio. Amor siue dilectio, distinguitur realiter à delectatione. Probatur. Illa distinguuntur realiter ab inuicem, quorum vnum potest esse realiter absque altero; sed pōt esse dilectio sine delectatione, & delectatio sine dilectione; ergo, &c. Maior istius argumenti probatur copiosè à Doct. in 2. dist. 1. q. 4. & nota est ex terminis, nihil enim est idem realiter A. sine quo realiter potest A. esse; quia oppositum dicere, est concedere contradictoria simul verificari de eodem. Minor, quoad primā partem probatur. Quia dæmones, eliciunt actus volitionis & amoris concordis in decipiendis hominibus; iuxta illud Euangelij, *Si Sathanas in seipso diuisus est, quomodo stabit regnum eius?* non ergo est diuisio sed concordia volitionū, imò Angelus malus secundùm Aug. de Ciuit. Dei lib. 15. potest summè diligere se, & tamen stantibus hisce actibus illorum, nullam habent delectationem, cùm sint in continua tristitia, vt in secunda parte Theologiæ à Doct. declaratur, & communiter conceditur à Theologis, & tristitia vehemens excludit omnem delectationem 3. Ethic. in fine.

Angelus malus pōt se summè diligere, & tamē est in tristitia perpetua.

Quoad secundam partem euidens est Minor, de delectatione sensitiua in parte sensitiua, & nolitione in voluntate, vt frequens declarat experientia; tamen etiam de delectatione spirituali non est difficile ostendere: potest enim cōtingere vt aliquis contemplatiuus in meditatione gloriæ cælestis, exardescat illius amore, & dulcedinem ac delectationem spiritualem experiatur, quam largitur Deus timentibus eum; interim auocatus, & alteri cogitationi ac volitioni intentus, potest illa delectatio in ipso aliquantulū continuari; vel interrupta illa, potest altera delectatio & complacentia aduenire de præterita delectatione, nullum interim actum volitionis circa obiectum præteritæ delectationis eliciendo.

Nolle pōt esse sine tristitia, & velle sine delectatione.

Confirmatur istud argumētum. Eodem modo se habet tristitia ad nolle, quomodo se habet delectatio ad velle, vt concedit Arimin. sed potest esse nolitio absque vlla tristitia, vt patet in Deo, & Beatis qui nolunt peccata, & tamen non tristantur, cùm hoc sit contra statum illorum; ergo & volitio potest esse sine delectatione.

Delectatio producitur ab obiecto, amor á voluntate.

Probatur Secundò Conclusio. Illa quæ à distinctis causis, & in distincta duratione producuntur, sunt realiter distincta, vt de se clarum est; sed amor & delectatio à distinctis realiter causis producuntur; quia amor à voluntate, delectatio ab obiecto, vt declaratur à Doct. in 3. dist. 15. Et ratio est. Quia actus elicitus à voluntate, est totaliter in potestate voluntatis; nihil enim ita est in potestate voluntatis sicut ipsa voluntas, secundùm Aug. quod maximè verū est de actu secundo ab ipsa elicito; delectatio autem non est in potestate voluntatis; sæpiùs enim non potest delectationem & gaudium volūtas cohibere, sępius etiam conatur elicere & non potest, non modò loquendo de gaudio spiritus, quod secundùm omnes ab obiecto spirituali causatur, sed etiam loquendo de alia delectatione circa obiecta naturalia; aliquis enim offensus alteri, & postea reconciliatus eidem, intelligit bonum esse redire in pristinā familiaritatem cum altero, quæ iucunda & delectabilis erat, elicitque actum volitionis huius, & amoris, & tamen experitur se non habere illam delectationem affectus, quá ante. In distincta etiam duratione producūtur. Quia in illis quorum vnum potest esse sine alio, non est dependentia vlla, sicut in esse ita & in duratione vnius ab altero; ista autem possunt esse, vt declaratum est separata ab inuicem; ergo, &c.

Volūtas nō pōt frequēter elicere delectationē, vel eādē cohibere.

Tertiò. Omnis actus quem elicit voluntas, voluntariè elicitur ab ipsa, & potest non elici; quicquid enim vult voluntariè vult, & quidquid non vult voluntariè non vult; sed nullus voluntariè tristatur, non enim est in nostra potestate (secundùm Aug.) quin visis tangamur, & tamen voluntariè elicit nolitionem nostra voluntas; ergo nolitio nō est tristitia, neque contra: ergo pari modo nec delectatio erit realiter eadem cum volitione.

Voluntas oīa vult, vel nō vult voluntariè.

Quartò. Probatur id expresè Philosophi authoritate 10. Ethic. cap. 4. Vbi vniuersaliter loquens de delectatione in omni sensu, & etiam in omni intellectione, & contemplatione subdit. *Operationem voluptas perficit.* Hoc explicans quomodo delectatio perficit operationem, dicit, *Perficit autem operationem delectatio, non vt habitus quidam qui inest, sed vt finis superexoriens, perinde atque venustas ijs qui in flore ætatis sunt.* Quem locum explicans Auer. dicit, non ita perficit delectatio operationem, quasi sit dispositio in actione, & complementum ei (puta intrinsecum) sed secundùm quod res est sequens complementum, vt pulchritudo quæ inuenitur in iuuentute; quoniam pulchritudo est dispositio sequens iuuentutem, non complementum eius.

Delectatio perficit operationem quomodo?

Ex quibus verbis Arist. & Auer. manifestè colliguntur tria. Primò. Quòd dilectio non sit operatio. Secūdò. Quòd sit quid consequens extrinsecè operationem, & ita aliquomodo distincta ab operatione voluntatis, est volitio seu amor. Tertiò. Quòd delectatio realiter distīguitur ab operatione voluntatis. Ratio est. Tum quia secundùm Arist. delectatio non perficit operationem seu amorem intrinsecè, vt complementum eius, sed vt extrinsecum quid & cōsequēs posterius. Tum quia pulchritudo distinguitur realiter ab homine constituto in esse hominis, cùm pulchritudo sit aggregatio multarum qualitatum, & quantitatis ac figuræ, secundùm proportionē, vt dicitur à Doct. dist. 17. huius; homo autem est Ens substantiale per se vnū; sed secundùm Arist. & Auer. ita distinguitur delectatio ab amore, sicut pulchritudo in iuuene ab ipsius substātia, in esse substantiali completo constituta: ergo, &c. Idem docet Philosophus infra capite illo, ac sequenti, vbi delectationē dicit operationi esse affinitate coniunctam, quam perficit.

Pulchri[...] co quid

AD ARGVMENTA IN PRINCIPIO Dubitationis posita.

AD Primū. Respondeo Primò. Falsa est illa Maior loquendo absolutè, nec vllibi hr̄ in Doct. illa propositio, licet non pauci Neoterici illi eam attribuant: in 2. verò dist. 1. q. 4. habetur illa propositio. Quando vnum potest esse sine altero, illa sunt distincta realiter, quod verissimè dictum est: sed non sequitur: Igitur omne quod distinguitur realiter, potest esse absque illo. Quia vnum relatiuum distinguitur realiter ab altero, & tamen non potest esse sine illo: similiter Personæ Diuinæ distinguuntur realiter, & impossibile est vnam esse sine altera: item totum distinguitur realiter à partibus, & tamen non potest esse sine illis: sed de hoc aliàs.

Vnū nō[...] se esse [...] altero, [...] infert id[...] titatem [...] lem: nec [...] siūctio [...] lis infert [...] parabilit[...] tem,

Resp. Secundò. Transeat Maior: & nego Minorem, loquendo de potentia Dei absoluta. Ad probationem. Dico Primò. Posset de potentia absoluta Deus non concurrere ad delectationem, nec tamen ponendo tristitiam in fruēte Beato. Secundò. Non est contradictio, loquendo de possibili (non tamen de facto) quin posset Deus Beatum, qui clarè Deum videt, contristare si vellet. Cùm dicis. Hoc est contra rationem Beatitudinis. Respondeo. Delectatio non est de ratione formali Beatitudinis, vt sufficienter ostendit Doct. in 4. dist. 49. q. 7. sed proprietas eius absoluta, virtute Diuina ab ea separabilis, licèt nunquam separabitur. Sed de hoc alibi.

Deus pot[...] Beatū co[...] tristare.

Delectat[...] non est [...] rōne form[...] li beatitu[...] nis.

Ad Secundū. Distinguo Antec. Vel desiderio elicito, vel naturali inclinatione, eo modo quo omnes homines scire desiderant, secundùm Arist. 1. Met. In primo sensu non est intelligenda authoritas S. Aug. sed in secundo: verùm inde nulla est consequentia hæc: Ergo à fruitione non distinguitur gaudium vel delectatio: quia beatitudinem seu fruitionem, quæ est amor amicitię respectu Essentiæ Dei, principaliter desiderant homines, delectationem verò concomitanter.

Gaudiū [...] delectatio[...] nē qūo o[...] desiderant

Beatitud[...] nē princ[...] paliter, de[...] ctationē [...] comitant[...] desideran[...] Beati.

Ad Tertium. In proposito casu, delectatio non est secundùm se eligibilior fruitione, sed quoad hominē: quod non est inconueniens, vt patet ex prima quæstione, de fruitione inordinata.

Ad Quartum. Argumentum procedit de potentia Dei absoluta, quæ quòd non possit prædicta efficere, nullam video contradictionem: de potentia tamen Dei ordinata ille casus est impossibilis.

Potest De[...] annihilare [...] fruitionem [...] manēte de[...] lectatione [...] quomodo

Ad Quintum. Vnius potentiæ respectu vnius obiecti est vnus specie actus (quia numero possunt esse plures, vt patet de visione vel intellectione eiusdem obiecti ab eadem potentia, sed diuersa vice) principaliter intentus; sed nego

Vnius pot[...] tiæ, & vni[...] obiecti [...] vnus actus [...] quo sensu

quòd

quòd non possit esse alius concomitans. Deinde, ista propositio non habet in præsenti locum; quia delectationem non à potentia,sed ab obiecto effectiuè causari dicimus in potentia,

Ad Sextum.Nego Minorem.Ad probationem.Conueniunt illa in ratione communi, sicut & homo cum bruto in animali,sed bene realiter proprijs rationibus distinguũtur, vt patuit supra in confirmatione primi argumenti; quia odio habet Deus impium & impietatem eius, non tamen tristatur: simile omnimodum est in Beatis.

Deus impium odit, non tamē tristatur.

Ad Septimum.Negatur Minor,quòd omne velle sit delectatio, vel è contra, nec similiter nolle est tristitia vt ostensum est.

Ad Octauum. Complacentia sumitur aliquando pro adhæsione per amorem,& est idem quod dilectio;aliquãdo pro delectatione imperfecta, vt in tertia parte in materia de vitijs notat Alex.de Ales.S.igitur Aug. loco cit.accipit complacentiam primo modo,non secundo: quod non est contra nos.

Complacētia sumitur simpliciter.

Ad Nonum. Illa propositio. Omne desideriũ est amor, absolutè sumpta est falsa, quia & materia appetit formã, & tamen non dicitur amare illam; similiter est desiderium & appetitus animalis vt quæst.1. Prol. dixi, & tamen non amor:si igitur intelligitur limitatè, Omne desiderium voluntatis est amor, concesso Antecedente, nego Consequẽtiam.Ad probationem.Dico,verum est illud dictum,si bene intelligatur;cuius comparatio in hoc consistit,quòd desiderium est respectu non habiti obiecti, delectatio verò est respectu habiti; amor autem cõiungitur cum vtroque: & quidem cum desiderio vniuersaliter cõiungitur amor, quia omne desiderium est amor; sed non adæquatè è contra,est enim amor respectu habiti,& non desiderium : sed inde non valet illatio, ergo sicut desiderium est amor, ita & delectatio erit amor; quia in Antecedente non in hoc fuit comparatio, sed præcisè respectu obiecti, quòd desiderium & delectatio habet se respectu obiecti amati,præsentis vel non præsentis; non autem fuit comparatio respectu amoris, quòd cum illo ista duo identificentur; fuit tamen comparatio cum amore in hoc, quatenus ista duo cum amore concurrunt ad obiectum.

Desideriũ et amor quomodo?

Ad 10.Istæ authoritates, & plures aliæ quas Arimin.adducit,soluuntur responsione vna à Doct.in textu posita.Illas locutiones & descriptiones non esse formales,sed causales: quando enim dicit Aug. Quid est cupiditas & lætitia,nisi voluntas in eorum consensione quæ volumus ? describitur lætitia per causam notiorem,non efficientem vel formalem,sed per occasionalem, quam communiter lætitia consequitur; actum enim voluntatis quo alicui rei inhæremus, in rebus naturalibus, apta est sequi delectatio; non tamen actus voluntatis est, vel formalis causa & idẽtica delectationis,vel efficiẽs; sed illo modo se habet actus volendi ipsaque voluntas ad delectationem, quomodo se habet intellectus & actus intelligendi ad productionem volitionis, non enim est causa efficiens vel formalis, sed tantùm occasionalis,vt dicit Doctor in 2.dist.25.

Volũtas ad delectationem quō se habet.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Cui prædictorum actuum nomen Fruitionis competit.

De Secundo principali, cui scilicet istorum conueniat, &c.

SVMMA TEXTVS.

Quinque Conclusiones à Subt. Doctore in præsenti Articulo ponuntur.

Prima Conclusio. *Aliquæ authoritates S.Aug. videntur dicere, quòd fruitio sit actus elicitus voluntatis, quo voluntas immediatè inhæret alicui bono propter se.*

Secunda Conclusio. *Aliquæ authoritates videntur dicere, quòd fruitio sit formaliter delectatio. Patent authoritates in litera.*

Tertia Conclusio. *Fruitio aliquando sumitur pro actu elicito & delectatione simul, tanquam pro vno principali significato. Hoc modo accipit Aureol. dist. præsenti art. 2.*

Quarta Conlusio. *Fruitio nõ est vsus. Est communis Theologorum & Magistri hic. Et patet ex discursu Doct. Quia Frui est amore inhærere alicui propter se, Vti autem est amare aliquid propter aliud; istæ autem rationes sunt distinctæ: ergo, &c.*

Fruitio nõ est vsus.

Quinta Conclusio. *Frui non est actus neuter voluntatis. Ratio est. Quia Fruitio est actus beatificus, circumstantionatus omnibus circumstantijs, actus verò neuter voluntatis, abstrahit à circumstantijs.*

Frui nõ est actus neuter.

COMMENTARIVM.

Qvamuis Subt.Doctor hìc, tantùm probabilem reputet Primam Cõclusionem, alias verò duas minùs probabiles; in quarto tamen dist.49. q.4.5. & 7. apertè tenet affirmatiuè Conclusionem Primam. Quòd Fruitio consistat formaliter in actu amoris, seu volitionis boni pp se.

Ad authoritates verò omnes, quæ docent Fruitionem consistere in delectatione formaliter (quam sententiam tenet Caiet.1.2.q.11.art.1. & alij Thomistæ ibidem) dicẽdũ est, illas esse intelligendas causaliter vel concomitanter, nõ autem formaliter, vt inquit Doctor Subt.hìc in fine Articuli, hoc est, quòd formaliter fruitio sit actus amoris inhærentis alicui bono propter se, vt vult Aug.1.de doctrina Christiana. c.1.concomitanter tamen includit delectationem, vt ipse vult 10. de Trinit.c.10. Fruimur(inquit)cognitis,in quibus voluntas ipsa delectata conquiescit. Et sic authoritates Aug. intelligendæ sunt, vt etiam dixi Dubit. præced.in simili.

Fruitio formaliter in quo consistit? Fruitio includit delectationē cõcomitãter.

Ratio ad Conclusionem affirmatiuam de Fruitione,qd illa formaliter consistat in actu amoris, non autem in delectatione,potest poni talis. Primò. Beatitudo formaliter consistit in fruitione; sed in delectatione non cõsistit beatitudo formaliter, consistit autem in amore; ergo delectatio non est formaliter fruitio, sed ipsa dilectio, qua Deus clarè visus diligitur, erit fruitio. Maior est Doct.in 4.dist. 49.q.4. Minor est eiusdem ibidem q.7. Et ratio breuiter est. Quia delectatio sicut & gaudium,est passio; illud autẽ in quo consistit Beatitudo formaliter,non est passio, cùm Beatitudo sit vltima perfectio naturæ intellectualis, quã optimo & summo coniungitur.

Secundò. Fruitio est actus amicitiæ, quo Deus diligitur propter se; sed delectatio vt delectatio, non est amor amicitiæ,sed potius amor concupiscentiæ; delectatio enim est bonum amantis non amati,& appetitur propter aliud; igitur delectatio non erit fruitio.

Beatitudo quid sit?

Tertiò. Ad idem potest argui ratione Doct. hìc. Quid aliquod nomen significet, Grammaticorum vsus, & modus significandi est attendendus: cùm igitur secundùm Grammaticos, in ista constructione, Fruor Deo, verbum, Fruor, ex vi transitionis & tendentiæ in Deum, significet actum per modum actus tendentis in Deum,non autẽ per modum obiecti,quasi in me aliquid causantis; videtur iste terminus,Fruor,immediatè significare actum à me procedentem, in Deum, vt in obiectum, non autem passionem. Confirmatur hoc. Quia nomina quæ dicunt passionem, construuntur cum ablatiuo, non ex vi tendentiæ & transitionis in obiectum, sed ex vi causæ, quasi obiectum in me causet talem passionem, sic in ista constructione, Delector Deo,idem est significatum verbi huius cum suo ablatiuo, quod, Deus delectat me: non sic est de Fruitione vt patet.

Fruor grãmaticè qd significat.

Ad hanc vltimã rationẽ Caiet.vbi supra dicit. Quòd hìc cõstructio sit trãsitiua nõ simpliciter,sed possessiua: Frui.n. denotat rẽ,qua fruimur,à nobis possideri:ex hoc aũt nõ sequitur quòd causat actũ.Cõfirmatur hoc ex mõ loquendi Grãmaticorũ secundũ quos dicitur,Fruor cantu,id est,delector cãtu, nõ aũt amo cantum; Similiter cũ Prouerb.c.7. dicitur: *Veni fruamur cupitis amplexibus*; inuitatio est non ad amandum, sed ad delectandum. Et Paulus dum dicit Philemoni Ego te fruar in Domino, non est sensus ego te amabo,sed ego te delectabor.

Caetani responsio ad rationem Scoti reijcitur.

Ista responsio Caietan.est nulla. Inprimis enim esto quòd ista transitio sit possessiua, adhuc non ostendit Caietan. esse passiuam istam transitionem, qualis denotat passionem & delectationem: nec ostenditur quòd iste ablatiuus, Deo, cum verbo Fruor coniunctus,

habet vim efficientis in significato verbi. Præterea possessio boni fruibilis, præsupponit volitionem & amorem illius obiecti; esto igitur quòd fruitio significaret possessionē obiecti fruibilis, adhuc illa possessio præsupponit amorem, in quo formaliter consistit fruitio, & in possessione vel delectatione concomitanter. Adde improprijssimè loqui Caieta. de Fruitione, quòd verbum illius construatur per transitionem possessiuam: tentio enim & possessio sunt idem; sicut igitur visio clara in Patria respondet Fidei in via, tentio seu possessio Spei; ita & de Fruitione loquuntur tum hìc tum in 4. prout Fruitio illa respondet tertio habitui Theologico; siue ille idem ibi intendatur, siue alius infundatur, de quo alibi; non igitur tentio seu possessio intrudenda est, vbi agitur de Fruitione actu charitatis.

Tentio & possessio sunt idem.

In exemplis item à Caietano adductis, nulla est vis. Nā licèt verum sit, quòd in quibusdam locutionibus accipitur Fruor pro Delector, vt in Epistola ad Philemonem, & fortè in illo exemplo Fruor cantu (dico fortè, quia alia acceptio est longè conuenientior, si fruor cantu, pro eo dicatur, quòd audio cum complacentia cantum, audire autem cum complacentia non est fruitio illa, de qua hìc loquuntur Theologi) longè tamen frequentiùs sumitur Fruor, pro Vtor; & tamen omnes Theologi cum S. Aug. Magistro hìc, & in 4. dist. 49. distinguunt Fruitionem ab Vsu: & patet hæc acceptio in istis locutionibus; Fruor aura, non est sensus quòd delectetur aura, sed quòd illa vtatur & viuat: simile est illud apud Ecclesiasten. 2. *Fruar bonis*, pro vtar. Et cap. 7. *In die bona fruere bonis, & malum diē præcaue*: In eodem sensu Sap. 2. dicitur ab impijs. *Venite & fruamur bonis quæ sunt*, & quasi explicans illam fruitionem, quænam sit, subiungitur, *& vtamur creatura tanquam in iuuentute celeriter*. Sicut ergo ex his & consimilibus loquendi modis non licet colligere idem esse Frui quod Vti; ita nec ex illis modis loquendi, in quibus Fruitio sumitur pro Delectatione, inferendum est, idem esse in pręsenti formaliter Fruitionem quòd Delectationem; cùm à Theologis non in communi Fruitio accipiatur, nec quomodocunque, sed pro illa operatione voluntatis, in qua formaliter consistit beatitudo; hæc autem (vt dixi) non est delectatio, quæ est passio.

Licet aliqñ sumāt Fruor ꝑ Delector, sicut & pro Vtor, tamē sunt distincta secundū omnes.

Per eadem dicta patet solutio instantiarum, quas adducit pro Caietano Valen. 1. 2. distin. 2. q. 1. pun. 1. Capr. in 1. distin. 1. q. 1.

SATISFIT ARGVMENTIS in principio Quæstionis adductis.

Ad Primum Argumentum. Dico, quòd fructus est vltimum, &c.

QVÆSTIO IV.

Vtrum fine apprehenso per intellectum, necesse sit voluntatem Frui eo.

Quòd sic. Auicen. 8. Metaph. Delectatio est apprehensio, &c.

SVMMA QVÆSTIONIS.

Subdiuiso sensu Quæstionis, recitatur Opinio aliorum. Deinde refutatur prædicta Opinio, & datur propria Responsio ad Quæstionem. In tertio tandem Articulo, Argumenta Opinionis Articulo Primo posita, resoluuntur. Tandem satisfit Argumentis principalibus.

ARTICVLVS PRIMVS.

Subdiuiso Sensu Quæstionis recitatur Opinio aliorum.

Ista Quæstio potest intelligi vel de fine obscurè apprehenso, &c.

COMMENTARIVM.

OPinio hìc recitata, nō modò est Henr. quodl. 5. q. 12. & quodl. 4. q. 11 sed etiam eandem esse oīno S. Tho. apertè asserit Capr. dist. præf. q. 3. & in 4. dist. 49. Argent. dist. præf. q. 2. & cōmunis Thomistarum 1. 2. q. 10. art. 1. Val. disp. 2. q. 5. puncto 2. Textus Articuli huius est euidens.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Refutatur præcedens Opinio: & datur propria Quæstionis resolutio.

Contra Primum Articulum arguo primò sic, Aug. &c.

SVMMA TEXTVS.

In priori parte Articuli, illa Conclusio Henr. & Thomistarum, Quòd voluntas fine vltimo apprehenso in vniuersali, necessariò fruitur; improbatur à Doct. quatuor rationibus.

In secūda parte Articuli ostendit Doctor quòd rationes præcipuæ pro Prima Conclusione in Primo Articulo adductæ, si quid valent affirmatiuam debent inferre Conclusionem Secundam, non negatiuam; & quamuis Doctor exemplificet in duabus rationibus, omnes tamen accommodari possunt congruè, vt patere potest intuenti. Vbi aduerte quòd Richar. noster in 4. dist. 49. art. 2. q. 1. & 2. conuenit cum Henr in priori Conclusione, sed non in secunda. & quidem conuenienter ad sua principia: vt Doctor Subt. hìc adnotauit.

Tertia pars Articuli, quæ negat, quòd voluntas habitu Charitatis prædita, necessariò Fruatur fine vltimo, est cōtra Henr. Argent. & non paucos infra citandos. Et reuera sufficienter id probatur hìc tribus rationibus.

Aduertēdū est in hac parte illud, ꝙ de potētia Dei absoluta possit esse visio Dei intuitiua, sine fruitione. Rō est. Quia sunt actus realiter distincti, potētiarū ad inuicē tātū accidētaliter, nō essentialiter subordinatarū: imò dicit Bassol. nō implicare cōtradictionem, fruitionem esse absque clara visione: neque ego reuera video impossibilitatem, loquendo de potentia Dei absoluta: quid tamen secundùm Doct dici debeat, dicetur in 4. dist. 49. pro nunc suppono hoc esse in via Doct. sustentabile.

Visio p… esse … fruition… potētia absolut…

Quartum dictum Gand. fuit, Quòd voluntas non eleuata habitu supernaturali, non possit frui fine vltimo clarè viso. Hoc impugnatur à Doct. Tum quia sequeretur charitatem esse potētiam simpliciter: illud enim est potentia, quo aliquid simpliciter (notanter dicitur simpliciter) potest agere; sed secundum Henr. per charitatē est simpliciter fruitio, & absque charitate est impossibilis; igitur charitas est potētia simpliciter, vel ad minimū est pars potentiæ (hoc argumentū meliùs patet infra dist. 17. de charitate) Tum quia obiectū quo est excellentius, & meliùs cognoscitur ab intellectu, eò magis & faciliùs est aptum amari à voluntate, vt de se patet; sed in clara visione Dei, obiectū præsentatū voluntati non informatæ charitate, est obiectū excellentissimum, & perfectiùs cognosceretur quā vlla cognitione viæ; ergo si in via, absque habitu charitatis infuso, imperfectum diligibile imperfectè cognitum potest diligere, sicut & de facto plerumque accidit, à fortiori perfectissimum diligibile perfectè cognitum, longè perfectiori modo diligeret.

Volūtas prędita … bitu su… natural… posset Deo cla… so, co… Gand. Potętia … sit?

Tandem sequitur Epilogatio dictorum hoc Articulo, & pręcedenti, quæ est quinta, vel potiùs secunda pars principalis Articuli huius, vbi Doctor propriam suam Opinionem ponit determinatè, his quatuor Conclusionibus (toti Quæstioni sufficienter respondentibus) contentam.

Epilog… dictoru…

Prima Conclusio. *Voluntas creata fine vltimo in vniuersali apprehenso, non necessariò fruitur: à fortiori, medijs ad talem finem ordinatis, non fruetur necessariò.*

Secunda Conclusio. *Voluntas creata fine vltimo apprehēso in particulari obscurè, non necessariò fruitur. Rōnes tamen ab aduersarijs adductæ, non concludunt.*

Volun… creata, … vltimo … vniuers… non ne… sariò … tur.

Tertia Conclusio. *Volūtas eleuata, quantū est ex parte sui, non necessariò fruitur fine vltimo in particulari clarè ostenso. Additur notanter, quantùm est ex parte sui. Voluntas n. quantùm ad exercitium actus, semper est libera ex parte sui ab intrinseco; quantùm autem ex parte obiecti, habet necessitatem quoad specificationem ex parte illius, quia ad illud habet naturalem inclinationem, vt statim dicam.*

Nec in p… ticulari … scure ap… henso.

Nec … clarè in … ticulari … cet sit … uata, qu… tùm est … se.

Quarta Conclusio. *Voluntas creata, præuia visione clara Dei, posset elicere actum fruitionis circa Deum ita visum, etiāsi non esset informata habitu charitatis supernaturalis.*

COM-

COMMENTARIVM.

Voluntas beatitudinē in cōmuni necessariò appetit, quoad specificatio né potētiæ, ſed nō quo ad exercitium actus. Oēs ſcire deſiderant. quomodo?

Aduerte. Primò. Quòd iſta propoſitio. Voluntas creata beatitudinem in communi neceſſariò appetit & naturaliter, & non contingenter, intelligi poteſt dupliciter. Vno modo, quoad ſpecificationem potentiæ, ſic, quòd potentia volitiua cùm ad obiectum ſuum habeat ordinem naturalem, & obiectum eius ſit bonum, & ſummum bonum, habebit maximè naturalem inclinationem, conſimiliter loquendo ad dogma Philoſophi in principio Metaphyſicę propoſitum; quòd ſicut appetitu, ſeu naturali inclinatione (non tamen actu elicito) omnes homines ſcire deſiderant; & ſummam ſcientiam tali appetitu ſummè appetunt: ita naturali inclinatione (non tamen actu elicito) voluntas noſtra vult bonum, & ad ſummum bonum ſummè inclinatur naturaliter, tanquam ad principale & proprium ſuæ inclinationis obiectum. Alio modo, quoad exercitiuum actus, ſic, quòd voluntas creata actu elicito velit neceſſariò, non liberè beatitudinem in communi. In primo igitur ſenſu vera eſt, ſecundùm Doct. Subt. Apertè enim concedit: Tum in pręſenti Articulo parte 4. & in ſeq. Articulo in reſolutione authoritatis Auguſt. Tum in 4. diſtinc. 49. quæſt. 10. quòd voluntas habeat neceſſariam inclinationem vt ad bonum, ita ad ſummum bonum. Et communiter Scotiſtæ & Thomiſtæ in Concluſione hac conueniunt, præter Nominales, qui negant. In ſecundo tamen ſenſu, negat. Et in hoc ſequitur Doctoris omnes Concluſiones hic recitatas Ocā, diſtinct. præſ. quæſt. 6. Gabr. ibidem & in 4. diſt. 49. Mayr. quæſt. 7. & communiter omnes Scotiſtæ, præter Baſſol. qui neutram partem putat eſſe demonſtrabilem, & Richar. de Mediauil. in 4. diſtinct. 49. art. 2. quæſt. 1. & 2. Adhæret eidem ſententiæ Doctoris Durand. in 4. diſt. 49. q. 8. Holcot in libro ſuarum determinationum q. 9.

Ocam, ſequitur Sco.

D. Th. quid ſenſerit, non certò conſtat inter eius ſectatores. Nam Tho. de Argent. Prier. Capr. & Tho. Anglic. diſt. præſ. defendunt de mente S. Thom. quòd etiam actu elicito neceſſario & non libero, appetamus beatitudinem. Caiet. autem in 1. 2. quæſt. 10. artic. 2. Vaſquez & Val. ibidem, & alij recentiores Thomiſtæ, docent eſſe intelligendam doctrinam S. Tho. affirmatiuam, in primo ſenſu, non in ſecundo, vt ſic D. Tho. & Scotus conueniant in re, & iſta argumenta non contra illum, ſed cōtra Henr. & quoſdam Thomiſtas procedant.

Aduerte Secundò. Quòd plura argumenta impugnantia hanc ſententiam habeantur apud Doct. in 4. diſtin. 49. quæſt. 9. & 10. Interim hic poſita, dicunt oppoſitum ſentientes, vt Capr. & Argent. quòd nō oſtendant propoſitū.

Ad Primam igitur rationem. Reſpondet Capr. diſtinct. præſ. & Argent. hoc argumentum peccare per fallaciam figuræ dictionis; mutatur enim Quid, in Quomodo, & ſubſtantia in modum: non enim ſequitur; Voluntas habet in poteſtate ſua actum; ergo immediatè habet: nec ſequitur, Nihil eſt tam in poteſtate voluntatis, quàm ipſa voluntas; ergo nihil immediatiùs: voluntas ergo primò mouet rationem, ſecundò ipſa mouetur à ratione; quare non rectè dicitur, quòd voluntas poſſit ſe mouere immediatè.

Voluntas immediatè mouet ad actū ſuum.

Contra. Iſta reſponſio peccat contra veritatem: quia innititur huic falſo fundamento, quòd voluntas non immediatè moueat ad ſuum actum, nec immediatè eliciat volitionem. Hoc enim eſt apertè falſum, & multis hæc ſententia reijcitur à Doctore in 2. diſtinct. 25. Interim hic Aug. authoritas & D. Anſel. ſufficit, quorum prior 12. de Trinit. cap. 6. dicit. Si duo ſint æqualiter affecti animo & corpore, & poſtea tententur eadem pulchritudine vel obiecto, vnde eſt quod vnus cadit & alius non? Reſpondet, quòd hoc ſolùm eſt à voluntate. Igitur ſecundùm ipſum actus volendi, quem conſequitur deformitas vel conformitas ad rectam rationem, ſolùm eſt à voluntate, & non ab intellectu, niſi remotè & occaſionaliter, ſicut ad intellectum ſenſus concurrit. Anſel. lib. de Conceptu Virg. cap. 4. dicit, Voluntas inſtrumentum ſeipſum mouens. Stat igitur inſolutū Doct. argumentū; quòd ſi voluntas poteſt auertere actum ſuum circa finem ſuum, auertendo intellectum à conſideratione ipſius, poteſt & immediatè; quia immediatè eliciendo actum, eſt libera ad oppoſitum actus eliciti.

Ad Secundum. Negat Maiorem. Nam appetitus bruti de neceſſitate mouetur ad obiectum appetibile, & tamen non neceſſariò remouet prohibens illum motum, quod prohibens, eſt, non imaginari de obiecto.

Contra. Non rectè intelligitur ratio Doct. à Capreolo. Quando enim dicitur in textu, *quodcunque agens non impeditum. &c.* non eſt ſenſus illius Maioris hic. Quòd quicquid neceſſariò agit, neceſſariò remouet prohibens, in quo accipit Capr. ſed hic, Quicquid non impeditum neceſſariò agit, neceſſariò remouet prohibens; ſupponatur ergo voluntas non impedita (quorum impedimentorum vnum eſt, inconſideratio finis vltimi) tunc illa ſi neceſſariò vult, ſemper hoc prohibens volitionem (ſcilicet inconſiderationem) remouebit, & ita ſemper habebit neceſſariò actum circa finem vltimum, quod falſum eſt.

Exemplum de bruto non eſt ad propoſitum: licèt enim brutum imaginando vnum obiectum, puta lupus imaginando ouem, appetitu animali, non libero actu feratur in ouem, non tamen poteſt ſemper iſtam inconſiderationem amouere, quia imaginatiua vel ſenſitiua exteriori repræſentante paſtorem ad lupum feriendum accedentem, non poteſt non interrumpere conſiderationem priorem, & appetitum animalem ab oue non poteſt non auocare: voluntas autem poteſt libere perſtare in illa conſideratione, intellectum detinendo per ſuum imperium in conſideratione, & ipſa neceſſariò illi conſiderationi adhærendo, ſemper inconſiderationem impediendo. Deinde ſi magna vis in hoc exemplo ſtatuitur, reuera non plus libertatis appetitu i rationali in omni actu ſuo conceditur à Capr. quàm appetitui ſenſitiuo bruti in actibus ſuis.

Lupus cùm in ouē feratur appetitu animali; an illū appetitū poſſit auocare?

Ad Tertium argumentum Doct. Negat Capr. Maiorē. Nam intellectus poſſibilis neceſſariò mouetur à phantaſmate & ab intellectu agente, per ſpeciem intelligibilem; & tamen non neceſſariò agit ſecundùm vltimum ſuæ potentiæ, eliciendo intellectionem, & conſiderando intelligibile: ſimiliter in propoſito poteſt eſſe, quòd voluntas aliquando magis, aliquando minùs in vltimo fine complaceat.

Cōtra. Gratis iſte author negat commune dictum Philoſophorum omnium, & ipſius D. Tho. 1. part. quæſt. 19. art. 4. vbi docet agens naturale eſſe determinatum ad vnū modum agendi; ergo cùm non poſſit ſe aliter determinare ad agendum, tale agens ſemper aget tali modo vno, ſi non impediatur, vt ibidem S. Doctor concedit. Exemplum eſt ad oppoſitum. Quia poſito intellectu & phantaſmate, neceſſariò producitur ſpecies intelligibilis, poſito intellectu patibili & ſpecie intelligibili, intellectus quantùm eſt de ſe, ſecundùm vltimum ſuæ potentiæ elicit actum intelligēdi. Dico quantùm eſt de ſe; quia vt ſubeſt imperio voluntatis, intellectus eſt potentia libera per participationem, & poteſt conatu maiori vel minori elicere actum intellectionis: ſed ſi ſecundùm ſe ſpectetur, ita naturaliter & neceſſariò ac ſecundùm vltimum potentiæ ſuæ operatur, ſicut quæcunque potentia merè naturalis. Si igitur in aliquod obiectum voluntas neceſſariò & non liberè tendit, nulla alia potentia liberè tendet in illud; & ita ſimpliciter tendet ſecundùm determinationem naturæ, quãtum poſſunt naturaliter. Vnde ſicut potentiæ naturales, quòd aliquæ non omnimodò tendant in ſua obiecta, non alia cauſa eſt, quā voluntas liberè imperans de tali vel tali modo tendēdi, intenſo aut remiſſo: ita, quòd aliquæ naturaliter ſemper ſecundùm vltimum potentiæ agunt, vt augmentatiua vel nutritiua potentia, cauſa eſt, quòd non ſubſunt libero imperio voluntatis, ſecundùm quod poſſent agere intenſè vel remiſsè. Negata igitur circa aliquod obiectum libertate voluntatis, ſecundùm intenſè vel remiſsè agere, à nulla potentia talem libertatem habebit; & conſequenter aget ſecundùm vltimum virtutis.

Intellectus eſt potētia de ſe naturalis & libera p participationem.

Ad Quartum. Dicit Capr. argumentum hoc concludere, quòd voluntas poſſit ſuſpendere actum ſuum ab appetitu finis, ſicut intellectus à conſideratione illius. Sed cùm

vlteriùs concludit, quòd ideo immediatè potest voluntas suspendere actum proprium. Committitur fallacia figuræ dictionis; quia mutatur modus non magis, in modum immediationis.

Contra. Sufficit inprimis Doct. ad Conclusionem, quòd vt intellectus potest relinquere considerationem finis vltimi ex imperio voluntatis, ita & ipsa voluntas potest relinquere amorem circa finem vltimum, sibi ab intellectu ostensum. Deinde, cùm dicitur mutari modum non magis, in modum immediationis. Dico. Non legit literam Doctoris, in qua non est ille modus arguendi: sed vis illius termini, Non magis, est in hoc posita, Non magis contingenter tẽdit potentia libera per essentiam, in obiectũ perfectum, quàm potentia libera per participationem; magis enim libertas & contingentia in actibus suis conuenit potentiæ liberæ per essentiam, quàm potentiæ liberæ per participationem: Doctor autem dicit non à maiori ad minus argumentando, quòd potuisset, sed ad summum, loquendo de æqualitate, & ponendo æqualitatem tendendi, sicut potest intellectus tendere in finem vltimum & non tendere, ita & voluntas.

Potẽtia libera duplex.

Dices. Põt tẽdere liberè mediãte alia potẽtia, sed nõ immediatè actu suo immediato. Cõtra. Dicitur à Doct. ratione 1. ex authoritate Aug. 1. retract. c. 9. Nihil ita esse in potestate voluntatis, quàm ipsa voluntas: & patet quòd non in actu primo est in potestate sua, vt sit talis vel talis, quia in actu primo est inuariabilis; ergo in actu secundo: Deinde, sequitur de voluntate distincta à quouis alio actu vel potentia, per ly nihil ita, sicut ipsa voluntas; si igitur potest liberè tendere mediante actu alterius potentię, à fortiori poterit mediante actu proprio: nec enim libertatem habet ab intellectu vel actu eius. Et hìc illud valet, Propter quod vnumquodque tale, illud est magis tale; sed propter actum, voluntatis liberum & contingenter determinantem intellectum ad considerationem vltimi finis, contingenter & non necessariò intellectus considerat vltimum finem; igitur ipse actus voluntatis magis se habebit contingenter respectu vltimi finis. Et sic patet non commutari modum in modum, tali argumentatione.

Nihil ẽ ita in potestate voluntatis, quàm ipsa voluntas, quomõ itelligitur.

ARTICVLVS TERTIVS.

SOLVVNTVR ARGVMENTA Opinionis, Articulo Primo posita.

Ad Argumenta pro Opinione dico. Ad Primum, &c.

COMMENTARIVM.

Plurium Obiectionum solutiones vide in 4. distinct. 49. quæst. 9. & 10. Interim hìc Nota Primò. Illud dictum *Non est probatam quin voluntas possit velle, in quo nulla inuenitur ratio boni*, nõ dici ex propria sentẽtia Doct. de qua tũ in 2. dist. 6. q. 2. tum in 4. dist. 49. quæst. 10. fusior erit sermo contra Ocamum, Gabr. aliosque Nominales pro communi sententia, quòd voluntas non possit velle malum sub ratione mali; sed dicitur, quòd illa propositio non sit demonstrata à priori, licèt in se sit vera.

Nota Secundò. Distinctionem de volitione actuali, & aptitudine siue habituali. Volitione actuali nihil necessariò appetimus; sed bonum in communi, & in particulari, apta est voluntas volitione aptitudinali vel habituali amare aptitudinaliter: quod non aliud est, quàm actu elicito siue exercito nihil amari necessariò à voluntate creata, habere tamen inclinationem naturalem ad bonum quoduis: siue quòd alij dicunt, voluntas est necessaria quoad specificationem. Hac distinctione supposita, multæ authoritates tum Boetij tum Aug. tum aliorum Patrum solui possunt, quæ docere videntur, quòd naturaliter beatitudinem appetamus.

Volitio actualis, & aptitudinalis.

Volitione actuali nihil necessariò appetimus, bene tamen aptitudinali.

RESPONDETVR ARGVMENTIS in principio Quæstionis adductis.

Ad principalia Argumenta respondetur. Ad Primum dico, &c.

QVÆSTIO V.

Vtrum Deo conueniat Frui.

Vltimò circa Distinctionem istam primam, quæritur, &c.

COMMENTARIVM.



OB rerum quæ hìc tractantur facilitatem & breuitatem, nec non ipsarum Quæstionum similitudinem, non est necesse aliter diuidere vel explicare præcedentes Quæstiones.

DISTINCTIO II.

DE VNITATE DEI ET TRINITATE PERSONARVM.

CIRCA ISTAM SECVNDAM DISTINCTIONEM in qua Magister agit de Essentia Dei, & eius vnitate, & Personarum pluralitate, quæruntur Septem: nam circa Primam partem quæruntur tria, duo de eius Essentia, & vnum de eius vnitate.

QVÆSTIO I.

Vtrum aliquod Infinitum esse, siue, An Deum esse, sit per se notum.

Quod sic, Probo. Damasc. lib. 1. c. 1. & 3. eius quod est Deum esse, &c.

SVMMA QVÆSTIONIS.

Istius Quæstionis duo sunt Articuli. In Primo declaratur quid sit Propositio per se nota. In Secundo, datur responsio ad propositam Quæstionem; tandem Argumēta in principio Quæstionis posita resoluuntur.

ARTICVLVS PRIMVS.

Declaratur quid sit Propositio per se nota.

Quoniam secundùm Philosophum 2. Met. absurdum est simul quærere, &c.

SVMMA TEXTVS.

Per se nota propositio definitiuo.

Tria facit Doctor in præsente Articulo. Inprimis dat descriptionem Propositionis per se notæ, dicens, Propositionem per se notam esse illam, quæ habet euidentiam ex suis terminis, apud quemcunque intellectum terminos concipientem: qualis est illa propositio. Omne totum est maius sua parte. Deinde in secunda parte docet, qui sunt illi termini qui faciunt euidētiam in Propositione per se nota. Vltimò ex dictis infert quatuor Corrolaria.

COMMENTARIVM.

Difficultas de cognitione per se nota.

Irca Primam partem Articuli, occurrit difficultas ex Mayron. qui in 1. distin. 2. q. 1. dicit hanc descriptionem per se notæ veritatis, esse veram in notitia abstractiua, & non in intuitiua. Quia in sensu per se notum est, quòd nix est alba, non tamen est hoc euidens ex rationibus formalibus terminorum. Secundò, si ista est definitio bona Propositionis per se notæ, sequitur quòd omnis propositio per se vera, est per se nota, quod est inconueniens, vt dicitur Secunda parte huius Articuli. Sequela probatur. Quia in omni propositione per se vera, prædicatum per se inest subiecto, & per consequens subiectum est aliquomodo causa, & ratio inhæretiæ prædicati ad subiectum; sed vnumquodque natum est cognosci per suam causam, si causa cognoscitur; ergo per subiectum cuiuscunque propositionis per se veræ, natum est prædicatum cognosci inesse subiecto; ergo, &c.

Non omnis per se vera propositio, est per se nota.

Ad Primū. Respondeo. Descriptionem dari hic Propositionis per se notæ scientificæ, quæ sit immediata, & cuius veritas bene apprehensis & cognitis terminis, à quocunque intellectu cognoscitur; non autem est sermo de per se notis sensui, vt bene aduertit Arimin. hîc q. 1. & expresse vult Doctor illis verbis, *quæ ex terminis vt sunt eius termini, nata est habere euidentem veritatem complexionis.* Non igitur per experientiam vel sensum, veritas aliqua cognita est per se nota, sed quæ præcisè ex ipsis terminis cognitis habet euidentiam.

Ad Secundum: clara est responsio ex litera Doct. cùm enim Propositio per se nota, secundùm illum, debeat esse immediata (licèt non omnis immediata sit per se nota) & indemonstrabilis, sequitur apertè quòd non omnis propositio per se vera, erit per se nota.

Conceptus cōfusus definiti nō est subiectum propositionis per se notæ.

In Secunda parte Articuli, proponuntur duæ Conclusiones cum suis probationibus. Quia enim in descriptione Propositionis per se notæ, posuit Doctor illa verba, *ex terminis vt sunt aliquid eius, &c.* consequenter hic intendit declarare, qui sunt illi termini qui talem dant veritati euidētiam; Et respondet tali Conclusione. Quando aliquid est conceptibile conceptu confuso per modum definiti, & iterum est conceptibile conceptu, distincto per modum definitionis, ille conceptus confusus rei per modum definiti, non facit propositionem per se notam; sed bene conceptus definitiuus, expressus per terminos definitionis.

Quòd vero conceptus confusus definiti non facit propositionem per se notam. Probatur. Primò. Quia multæ propositiones per se in primo modo, vt intellectus est substantia, homo est animal, non sunt per se notæ. Et de prima propositione patet propositum, quia de illa est maxima controuersia inter Thomistas & Scotistas, vt latè in 2. distin. 17. ostenditur. De secūda etiam probatur. Quia illa propositio non est per se nota quæ probari potest per aliā; sed hæc (& omnis consimilis) est talis, quia probari potest per definitionē animalis, ergo, &c. Secundò. Quia in scientijs specialibus (dicitur scientia specialis omnis scientia illa quæ speciale obiectum considerat, vt Geometria lineam, Arithmeticus numerum, distinguendo tales scientias speciales contra scientiam communem, quæ est Metaphysica considerans quidditates non modò lineæ, numeri, sed etiā omnium obiectorum aliarum scientiarum) multæ propositiones non sunt per se notæ, habenti talem scientiam, quę sunt per se notæ habenti scientiam communem, vt optimè exemplificatur in litera de Geometra & Metaphysico.

Sciētia specialis quæ

Dicitur i textu notabiliter *aliquibus principijs*: q̄a verū est non paucas propositiones Geometræ esse per se notas, vt dicitur rōne sequenti, aliquę tamen veritates de ipso obiecto Geometriæ enunciabiles, nō sunt per se notæ Geometræ: lineam .n. ille considerat in confuso, non concipiendo distinctè q̄ ipsa sit quantitas, dicens diuisibilitatē longitudinis sine latitudine, quod est per se notum Metaphysico. Tertiò. Aliquod prædicatum dictum de quidditate distinctè concepta, nempe de definitione, facit propositionē per se notam, & tamen illud idem prædicatū dictum de quidditate confusè concepta, nempe de definito, non facit definitionem per se notā: igitur solus conceptus definitiuus, expressus verbis definitionis (in habentibus definitionē, in illis autem quæ non habent, quasi verbis definitionis,) facit propositionem per se notam. Cōsequentia est clara. Antecedens probatur exemplo: hoc enim prædicatum. Habere tres angulos, dictum de definitione trianguli, quæ est omnis figura plana tribus contenta lineis, facit propositionē per se notam, dicendo, Omnis figura plana tribus contēta lineis, habet tres angulos: istud tamen prædicatum si dicatur de definito, nimirum de triangulo, sic, Triangulus habet tres angulos, non facit propositionem per se notam, quia est demonstrabilis per definitionem trianguli.

Quis conceptus faciat per se notā propositionem.

Dices. Ista propositio, Omne totum est maius sua parte, non erit per se nota, quia non per definitionem totius scitur. Respondeo. Quamuis dicat Mayron. istam demon-

strabilem per definitionem subiecti, licèt totius, sic, Omne habens multitudinem partium, est maius aliqua illarum. Istud tamen non est bene dictum; quia definitio debet esse notior definito, hæc autem descriptio, non est notior isto termino, totum, quia hic terminus est notissimus, imò & ipsa propositio, Omne totum est maius sua parte, notissima est; nec illam aliam, Omne habens multitudinem partiũ, est maius qualibet illarum, habet euidentiorem se ipsa.

Propositiones per se notæ sunt in triplici differentia.

Dico igitur, quòd propositiones per se notæ, in triplici sunt differentia. Quædam enim sunt dignitates seu principia; de quibus dicit Arist. 1. Post. quæ neminem latere possunt, quæquè vt dicit Auer. 3. de anima tex. 26. cuilibet naturaliter in mentem veniunt: & tales propositiones sunt p se notæ, nec requiritur quòd sciantur per definitioné; qualia sunt illa principia, Omne totum est maius sua parte; De quolibet est vera affirmatio vel negatio, &c. Alię propositiones per se notæ sunt, non iam communissima principia vel dignitates, sed enunciationes minùs communes, habentes in suis terminis inclusam necessariam veritatem, ita quòd causa connexionis prædicati cùm subiecto, nó sit aliunde petenda, sed immediata connexio in ipsis terminis explicetur; & huiusmodi sunt propositiones in quibus enunciatur definitio de definito, vt homo est animal rõnale; aut illæ, in quibus prædicatũ si non est per se primi modi, per definitionem subiecti necessitas talis prædicati ad subiectum exprimitur, vt animal rationale est risibile: ista enim veritas, nó habet extra, sed ipsis terminis necessitaté connexionis: quod si prædicatum insit subiecto non definibili, & tamen immediatè, ita quòd in terminis sit causa connexionis, etiam dicetur Propositio per se nota: sic ista, Substantia est Ens, est per se nota, substantia enim definiri non potest, cùm nó habeat genus supra se, & quia est Ens, hoc illi conuenit immediatè, & non per aliquam causam formalem.

Propositio per se nota, debet eé indemõstrabilis.

Ex quibus omnibus constat, quod propositiones per se notæ, debent esse indemonstrabiles, vt etiam Arimin. & Gabr. concedunt. Quamuis igitur ista Quæstio, An Deum esse, sit per se notum: à quibusdam examinetur in priori modo, an nimirum sit communis omnium conceptio, & quasi naturaliter ista notitia incurrat, Deus est; Doctor tamen Subt. & illius sectatores, eam in tertio sensu examinant.

Secunda Conclusio istius partis (quæ priùs in litera Doctoris quàm præcedens ponitur) est, quòd definitio distinguitur à definito. Cùm enim illa veritas in habentibus definitionem sit per se nota, quæ per definitionem prædicati vel subiecti definitur; diceret aliquis, quicquid prædicatur de definitione tanquam per se notum, prædicabitur etiam vt per se notum de definito, quia definitio & definitum idem sunt. Negat Subt. Doctor assumptum, & definitionem à definito docet distingui, probatquè id his rationibus. Primò. Quia secundùm Arist. 1. post. tex. 10. & 2. post. tex. 8. medium in demonstratione est definitio alterius extremi, nempe definitio subiecti, vt docet Doctor 2. post. quæst. 9. præmissa igitur illa, in qua prædicatum Cõclusionis coniungeretur cum definitione subiecti Conclusionis, non differret à Cõclusione, quod est inconueniens. Secundò. Præmissa est causa & principium Conclusionis, hæc autem est effectus & principiatum illius; sed causa & effectus non sunt præcisè idem; ergo, &c. Tertiò. Sequeretur quòd in omni demonstratione potissima esset petitio principij: quod est inconueniens. Antecedens. Quia ista Conclusio, Homo est risibilis, si demonstretur potissima demonstratione, debet demonstrari per definitionem subiecti, nempe hominis, sic, Omne animal rationale est risibile; sed per te idem est definitio & definitum; ergo idem probatur de eodé p diuersa Synonima. Quartò. Solũ essent duo & nó tres termini significatiui ĩ demõstratione. Patet. Quia medius terminus est definitio alterius extremi; sed definitio per te est eadem definito; ergo non distinguitur à definito; ergo non dabitur distinctus terminus significatiuus ab extremis Conclusionis. Quintò. Philosophus 1. Phys. & Auic. ibidem tex. 5. dicunt nomina (id est definita) se habere ad definitionem sicut totum ad partes. Et addit, definitionem notiorem esse definito; sed idem non potest esse notius & ignotius, prius & posterius; priùs enim definitum cognoscitur, quàm definitio; ergo, &c.

Definitio distinguitur á definito.

1. Primò.

2. Secundò.

3. Tertiò.

4. Quartò.

5. Quintò.

Definitio notior est definitio.

Supposito quòd distinguatur definitio à definito. Difficultas manet, qua distinctione distinguuntur, realinè an rationis? Doctor enim 7. Met. suæ q. 2. Ant. Andr. ibidem Philip. Fauent. Theor. 16. c. 1. videntur dicere definitionem & definitum esse omnino idem à parte rei. Idem tenet Soncinas 5. Met. q. 20. & Communiter Thomistæ ac recétiores: imò Sonc. loco cit. Concl. 4. ne ratione quidem vult distingui. Fundamentum huius Opinionis est. Quia nulla res distinguitur realiter vel essentialiter ab essentia sua; sed definitio est essentia definiti; ergo definitio non distinguitur essentialiter vel realiter à definito.

Respondeo, & dico Primò. Definitio, non distinguitur distinctione reali vel essentiali a definito. Probatur sufficienter. Tum ratione præcedenti. Tum quia rebus in essentia simplicibus, & realiter indistinctis, vt Angelo, lineæ, albedini, conuenit ratio definitionis & definiti.

Definitio distinguitur à definito ex natura rei formaliter & non realiter vel essentialiter.

Deinde dico. Definitionem à definito distingui ex natura rei. Ita vult hìc Doctor Subt. & clariùs 7. Met. 19. Bassol. in 1. dist. 3. q. 2. Mayr. dist. 2. q. 2. Ioan. Canonic. 1. Physic. q. 5. & communiter Formalitatum Scriptores, dum agunt de distinctione ex natura rei. Probatur Primò. Illa distinguuntur ex natura rei, inter quorum extrema verificari possunt duo contradictoria à parte rei, secluso opere intellectus; sed de definitione & definito verificantur duo cõtradictoria à parte rei. Patet; quia secluso opere intellectus, definitio (sumpta pro conceptu obiectiuo in re) est constitutiua definiti, definitum non est constitutiuum: ité definitum est constitutum Ens, definitio non est constitutum Ens, sed constitutiuum; ergo, &c.

Probatur Secundò. Quando aliqua entitas in re conceptibilis (dico conceptibilis, non concepta, quia illa est ante opus intellectus) apta est habere vnitatem aliam ab vnitate alterius Entitatis conceptibilis, illa entitas à parte rei, distinguitur ab altera; sed entitas definiti habet vnitatem à parte rei talem, qualem non habet definitio; ergo entitas definiti distinguitur ab entitate definitionis. Maior est euidens. Quia diuersæ vnitates à parte rei, non faciunt identitatem à parte rei, saltem omnimodam. Minor autem probatur. Vnitas definiti est vnitas quidditatiua, quia est vna numero, & vna essentialiter quidditas; definitio auté (puta animal rationale) non est vna quidditas, & vnum quidditatiuè. Tum quia differentia est extra rationem generis, vt dicitur communiter in Logica, & declarat Doctor 7. Met. qu. 19. ergo differentia est extra rationem quidditatiuam generis. Tum quia si præcisè esset idem quidditatiuè differentia, quod & genus, in omni definitione nugatio cõmitteretur, bis genus in definitione ponendo, licèt alijs synonimis; imò merè essent nomina synonima omnes definitiones, quia præcisè idem dicerent quod definitum. Confirmatur. Species est vna essentia formaliter, & est vna formalitas (suppono autem quòd species, puta homo, est definitum) genus & differentia distinguuntur formaliter, & sunt duæ formalitates, vt ostendi in Logica, & haberi potest ex Doct. Met. loco alleg. ergo species à genere & differentia constituente ipsam, distinguitur formaliter. Quod verò distinctio formalis sit idem quòd ex natura rei, vide quæst. 7. huius dist.

Differentia est extra ratione generis.

Tertiò. Probatur idem rationibus Doct. in textu pręsenti positis, quarum quælibet bene infert distinctionem à parte rei.

Quartò. Ratio generis & differentiæ, intelligibilis est à parte rei, absque hoc quòd intelligatur definitum; ergo definitum à parte rei, non est idem quòd genus & differentia deffinitiua. Antecedens. Supponendo plures formas esse in eodem composito, accipio corpus animatum, ista separata, dicunt genus, nempe corpus, & differentiam, scilicet animatum; & tamen non dicunt totum definitum, corpus animatum.

Dices. Si ista essent vnita, maneret corpus animatum; & ita genus & differentia simul sumpta & vnita, sunt idé præcisè & quidditatiuè, quod definitum. Contra. Ista vnione facta, aut aliquid aliud ab ipsa vnione & vnitis consequitur; & habetur intentum, quòd definitio aliquid addit

supra

supra definitionis partes, & earum vnionem: aut ratio definiti consistit in vnione: & hoc est inconueniens; tũ quia vnio dicit relationem, vt declarat Doctor in 3. dist. 1. q. 1. & ita ratio absoluti definiti, non potest consistere in vnionis relatione: tum quia etiam sic definitum esset distinctum à definitione, cùm partes vt sic non includant talem vnionẽ: aut tertiò nihil aliud præter genus & differentiam consequitur, & sic quemadmodum partes dum sunt separatæ, non dicunt definitum, ita nec eædem vt sunt vnitæ.

Totum Physicũ est Metaph. distinguitur à partib. etiã vt vnitis, qua distinctione?

Quintò. Totum Physicum distinguitur sine opere intellectus à suis partibus etiam vt vnitis; ergo & totum Metaphysicum. Antec. probat Doctor in 3. dist. 3. Consequentia probatur. Licèt enim non distinguatur realiter totum Metaph. à partibus suis vnitis, sicut totum Physicum, tamen cùm dicat tale totum aliquam compositionem à parte rei, quia dicit compositionem rationum realium conceptibilium, vt dist. 8. ostenditur, aliqua distinctione à parte rei distinguetur hoc totum Metaphysicum; ista autem distinctio est ex natura rei, seu formalis, distincta à reali propria; igitur &c.

Sextò. Quando aliqua duo sunt vnum formaliter ex natura rei alicui tertio, illa eadem identitate formali sunt vnũ inter se, vt expressè infra quæst. 7. in resp. ad 1. princip. Doctor concedit, & Arist. concederet cuius est principium consimile in Logicis; sed animal & rationale, secundũm quosdam Scotistas sunt eadem homini formaliter; ergo animal & rationale inter se sunt idem formaliter. Conclusio est contra Arist. 3. Metaph. tex. 10. & contra Doct. 7. Met. q. 19. & 1. poster. q. 20. art. 23. ergo aliqua ex præmissis est falsa, sed non Maior; ergo Minor.

Ad authoritatem Doct. ex 7. Met. q. 2. adductam. Respondeo. Non loqui ibi Doctorem ex propria sententia, sed disputatiuè referre modos loquendi aliorum, vt patet ex litera & ex illo verbo, *Dicitur*, quod verbum in textu Doct. positum, non indicat communitet illius sententiam, sed aliorum, quam si non impugnat, non ideo totaliter admittit, sed vt disputabilem relinquit.

Ratio autem adducta solùm nostram Conclusionem Secundam de identitate reali approbat, non de formali.

Essentia distinguitur aliquomodo ab illo cuius est essétia.

Dices. Nulla essentia distinguitur à parte rei ab illa re, cuius est essentia; sed definitio obiectiua, est essentia rei definitæ; ergo nulla definitio distinguitur à parte rei à definito, cuius est essentia. Respondeo. Negando Maiorem, quæ in pluribus rebus est falsa: imò quidam etiam de reali distinctione illam negarent, quia partes Physicę sunt de essentia totius Physici, & tamen distinguuntur realiter à toto Physico, vt non modò noster Doctor, sed etiam Caiet. & Conimbric. affirmant.

Dices vltra. Quod est de formali ratione alicuius, non distinguitur formaliter ab illo; sed genus & differentia est de formali conceptu speciei; ergo non distinguitur formaliter à specie. Maior. Quia identitas formalis, opponitur distinctioni formali; si ergo est idem formaliter genus, & differentia speciei, non distingui tur formaliter, seu ex natura rei ab ea. Minor. Quia partes constitutiuæ sunt de formali & quidditatiuo conceptu constituti; ergo ita in proposito. Respondeo. Esse B. de formali conceptu D. & B. esse idem formaliter D. sunt ista diuersa. Primò. Quia primum solùm dicit, quòd B. prædicetur de D. in primo modo dicendi per se, abstrahendo ab hoc, quòd sit idem formalis conceptus istius & illius: secundum autem dicit, quòd B. dicit præcisè eandem rationem formalem intelligibilem quam D. Vnde bene quod est idem alicui formaliter, est de ratione formali illius, sed è contra, non valet. Secundò. Primum docet, B. inesse per modum essentiæ ipsi D, & ita ab intrinseco infert distinctionem illius quod inest, & illius cui inest: secundum verò dicit identitatem talium conceptuum formalium. Tertiò. Primum conuenit pluribus, quia plures rationes formales de vno, & eodem dici possũt formaliter & quidditatiuè; at secundum vni soli conuenit, quia vna sola ratio est eadem sibi identitate formali. Similiter sic dictum de istis propositionibus. B. est de quidditate, vel de ratione quidditatiua D. & B. est idem quidditatiuè D. quòd diuersitatem persimilem important.

Esse aliqd de formali ratione alicuius, & esse alicui formaliter, idé sunt distincta.

Alium modum respondendi ad hanc difficultatem, vide infra quæstio. 7. artic. 3. Interim est sufficiens: licèt enim genus & differentia sint de ratione formale speciei, non tamen sunt idem formaliter illi.

In Tertia parte Articuli infert Doctor Corrolaria quatuor, quibus aliorum dicta refutat, de inani Propositionis per se notæ distinctione. Primum Corrolarium. Malè distinguitur à quibusdam, (vt ab Alex. de Ales) Propositio per se nota, in per se notam, seu actu cognitam, & per se noscibilem, seu cognosci possibilem. Ratio est. Quia Propositio per se nota est illa, (vt dictum est) quæ habet euidentem veritatem contentam in terminis, aptam immediatè per se cognosci, ab intellectu apprehendente terminos; siue ergo illa cognoscatur ab aliquo intellectu, siue non, illa erit per se nota.

Per se nota propositio malè distinguitur.

Ex hoc etiam apparet, quòd illa distinctio Propositionis per se notę à D. Tho. eiusq; sectatoribus vsurpata, in per se notam in se, & per se notam nobis; nulla est: vt etiam nostrũ Doct. secutus Gerard. Senen. in 1. dist. 3. q. 2. art. 3. aduertit. Ratio nullitatis est. Quia Propositio per se nota, abstrahit ab hoc quòd actu cognoscatur veritas illius, & quòd de facili, vel de difficili sit cognoscibilis, aut cognita; sed sufficit quòd in terminis suis non aliunde positis, continet veritatem immediatam, aptam cognosci à quouis intellectu, potente cognoscere illos terminos distinctè. Quod dictum vltimum à Doct. pro tanto additur, quia illa eadem propositio, quæ est per se nota in se, est etiam per se nota nobis, si eius terminos concipimus. Quare non sunt ista membra distincta alicuius diuisi. Quemadmodum enim non distinguimus propositiones veras aut necessarias, in per se veras & necessarias in se, & per se veras & necessarias in nobis; quia vt veritas per se, ita & necessitas per se propositionũ, in ipsa habitudine terminorum consideratur: ita nec debemus in proposito distinguere Propositionem per se notam, in per se notam in se, & notam nobis; quia ibi ly Nota, non dicit actum nostrum cognoscendi (aliàs enim non essent veritates per se notæ, nisi cognoscerentur à nobis, quod falsum est) sed sumitur ibi pro euidentia, abstrahendo vt dixi à facilitate vel difficultate cognoscendi, actu vel potentia cognitionis.

Distinctio Propositio. Per se notum, in per se notam in se, & per se notam nobis, nulla ẽ.

Propositio per se nota, est etiã nota nobis.

Vbi aduerte, non negari à Doct. quòd propositiones aliquæ sunt per se notæ, & tamen non cognoscuntur à nobis, vt expressè concedit sequenti Artic. sed dicit istam distinctionem non esse necessariam, nec ponere necessariò semper membra distincta, cùm quælibet Propositio per se nota, possit esse non nota alicui intellectui crassè, & confusè concipienti, sicut & alicui intellectui abstractissimo, omnis propositio potest esse per se nota secundo modo, respectu illius. Et hoc diligenter est notandum, quia Caieta. & non pauci alij Thomistę malè hic intelligunt, & peiùs impugnãt doctrinam Scoticam.

Tertij Corrolarij (quod est contra dictum Boet. in lib. de hebdom.) similiter Quarti (quod est Guil. Varronis dist. præsen. q. 8.) illatio & probatio, patet ex dictis.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Resolutio datur præsentis Quæstionis.

Ex his ad Quæstionem dico, quòd Propositio illa est per se nota, &c.

SVMMA TEXTVS.

Prima Conclusio. *Ista propositio, Deus est, est per se nota. Ratio est. Quia prædicatum per se primo modo conuenit subiecto, ita, quòd quicunq; intellectus distinctè conciperet hanc Essentiã, quam iste terminus, Deus, significat, statim necessariam & immediatam habitudinem esse ad talem essentiam cognosceret. Et aduerte expressè hic doceri à Doct. Subt. existentiam de esse Essentia Dei, quod quomodo sit verum discutitur infra.*

Deus est, est propositio per se nota.

Secunda Conclusio. *Cognoscendo hanc propositionem confusè, prout nos concipimus in via (nec enim Essentiam Dei distinctè cognoscimus) sic non est ista propositio per se nota. Ratio dicta est priori Articulo Concl. 1. Quia quod confusè concipitur, non est per se notum, cùm possit probari per magis notum.*

Vt nos cõcipimus nõ ẽ per se nota.

Soli Diuino, & Beatorum intellectui, ē per se nota.

ctio quæ contra hanc determinationem adduci posset, quòd illa contradicat Corrolario 2. Artic. præced. soluta est ibidem circa finem. Ista igitur propositio, Deus est, est per se nota intellectui Diuino & Beatorum: sed non est per se nota intellectui viatoris, quod etiam Mayr. Bassol. aliiq; Scotistæ libenter concedunt.

Ens infinitum est, nō est proposi tio p se nota.

Tertia Conclusio. *Istæ propositiones, Ens infinitum est, Ens necessarium est, & consimiles, in quibus esse prædicatur de subiecto per terminos complexos, Diuinam Essentiam explicantes, non sunt propositiones per se notæ. Tum quia quælibet talis, est demonstrabilis per rationem Deitatis, si nosceretur, propositio autem per se nota est indemonstrabilis. Tum quia non statim intellectui apprehendenti tales terminos, euidens est prædicatum necessariò conuenire subiecto, cùm vel per demonstrationem, vel per fidem de talibus veritatibus habeamus euidentiam & certitudinem. Tum quia non est per se notum aliquod prædicatum conuenire alicui subiecto complexo, nisi priùs sit per se notū partes illius subiecti rectè vniri; sed in ista propositione, Ens infinitum est, (idem iudicium est de consimilibus) non est per se notum infinitatem vniri cum Ente, quia hoc est demonstrabile per duas rationes, nempe per vnam ex ratione Entis, cui non repugnat, & per alteram ex ratione infinitatis; quare &c.*

COMMENTARIVM.

Simpliciter simplex cōceptus à nō simpliciter simplici distinguitur.

CIrca Tertiam Conclusionem. Aduerte Primò circa probationem Minoris, Tertij Argumēti, de conceptu simpliciter simplici: quòd is non sit resolubilis in alios. Distinguitur enim hic conceptus à cōceptu simplici, sed non simpliciter, qui per se est vnus, resolubilis tamen in alios, vt benè ostenditur à Doct. in libro Theor. Conclu. 8. & deinceps vsq; ad Conclusionem 14. Istorum autem conceptuum in quos resoluitur conceptus simplex non simpliciter, alter est determinabilis, alter determinās. Quomodo autem in Deo, cùm concedamus illum esse conceptibilem conceptu non simpliciter simplici, & tamen negamus in eo vllam compositionem, etiam rationis, nedum Metaphysicam, dicitur abundè infra dist. 3. & 8.

Deum esse non potest demonstrari á priori ex natura sua.

Aduerte Secundò. Illam Quæstionem à Theologis examinatam, An Deum esse, possit demonstrari sufficienter, resolui hìc à Doct. Quòd à priori non potest demonstrari, neq; est demonstrabilis ex natura sua. Ratio est. Tum quia per se primo modo conuenit immediatè hoc prædicatum subiecto; illa autem quæ per se primo modo conueniunt, non sunt demonstrabilia. Tum quia apertè dicit Doctor propositionem per se notam esse indemonstrabilem, ista autem, Deus est, est per se nota. Hæc tamen eadem propositio, vt confusè à nobis ratio subiecti illius concipitur, demonstrabilis est, vt dicitur Conclusione 2. Et sanè si ista, Ens infinitum est, demonstrabilis est; ergo & ista, Deus est, confusè concepta, erit demonstrabilis. Consequentia. Quia illa magis explicitè ponit in subiecto rationem illius naturę, cui conuenit esse, quàm hìc terminus, Deus; atq; ita magis est quoad nos nota, & tamen est demonstrabilis; ergo & ista quæ est minùs nota, Deus est, erit demonstrabilis.

Propositiones in quibus prædicatum dicitur de subiecto p se primo, nō sūt per se notæ, nec in demonstrabiles.

Hæc doctrina est omnino de mente Subt. Doct. (oppositam tamen illi, sed malè attribuit Gerar. in 1. dist. 3. q. 2. art. 2. & 3.) Quia præced. Artic. docuit, propositiones illas, in quibus prædicatum per se primo modo diceretur de definito, non esse per se notas, nec indemonstrabiles, quia per definitionem subiecti demonstrari posset habitudo prædicati ad subiectum; ita in proposito, cùm illa natura excellentissima importata secundùm hoc nomen, Deus, à nobis confusè & non secundùm distinctam rationem cognoscatur, in hac propositione, Deus est; sequitur quòd ista habitudo prædicati ad subiectum, & è contra, erit demonstrabilis à priori ab illo intellectu, à quo distinctè cognoscetur tale subiectum.

Demōstratio propter qd duplex, & qualis ī Deo.

Amplectitur hoc dictū Mayr. de demōstratione Quia, dist. præs. q. 3. Sed an demōstrari possit demonstratione Propter quid, negat Doct. Illuminatus, ꝓpterea quòd mediū demōstrationis Propter quid, debet esse definitio subiecti, Deus aūt non est definibilis; quia est simplicissimus, non habēs in se rationē generis vel differentiæ. Verùm hoc non contradicit Scoticæ doctrinæ: si enim sit sermo de demonstratione Propter quid, illa quam Philosophus 1. post. definiuit, sicut superiùs in Prol. quæst. illa, An Theologia sit scientia, cum Doct. negauimus esse scientiam, illo modo quo ab Arist. describitur; ita in pręsenti negamus vniuersaliter, quòd aliquid de Deo sciri possit per medium demonstrationis illius, nempe per definitionem; quia nihil in Deo est definibile per genus & differentiam, vt ostenditur dist. 8. si autem sermo sit de demonstratione à priori, illo modo, quo in Diuinis concedimus (& quo supra diximus esse scientiam) quòd vna ratio secundùm modum nostrum intelligendi, reiq; intelligibilitatem, præsupponitur alteri, & est velut principium alterius rationis, quo pacto dicimus, Essentiam Diuinam esse causam existentiæ, hanc durationis, durationem æternitatis &c. Sic concedo, nec Mayr. negare potest, istam veritatem in confuso conceptam, Deus est, esse demonstrabilem à priori, per rationem Essentiæ Diuinæ, si distinctè conciperetur, vt dicit Subt. Doctor.

Aduerte Tertiò. In secunda parte Articuli, proponi has enunciationes, Necesse esse, est; Operans actu, est: (sumendo operans actu pro Deo, secundùm Damascenum) & examinari, An sint propositiones per se notę. Quidam enim censent esse propositiones per se notas: primam quidem, quia prædicatum de necessitate inest subiecto; nisi enim esset, non esset necesse esse, cùm necesse esse impossibile sit non esse: secundam autem, quia operatio supponit esse; si ergo actu operatur, est.

Propos[...] de secun[...] vel de te[...] tio adiac[...] te, quæ [...] tur.

Modificatur tamen hæc secunda propositio à Varr. vel enim (inquit) in hac propositione, Operans actu est, ly est, prædicat secundum adiacēs, vel tertiū adiacens (Tunc verò prædicat secundū adiacens, quando ly est, ponitur loco prędicati vltimi & totalis, sic, quòd nullum aliud verbum ponitur, dicitq; pręcisè existentiam vt Petrus est, homo est, id est, Petrus existit, homo existit: quod si verbo, est, poponitur vel adiungitur aliud pṛędicatum, dicendo, Petrus est albus, homo est animal, sic sunt propositiones de tertio adiacente, quia videlicet subiecto propositionis, & ipsi copulæ, tertius adiacet terminus.) Si prædicat secundum adiacens; dicit existentiam actualem, & non erit propositio per se nota: si tertium adiacens prædicat; dicit existentiam habitualem, & constituet per se notam propositionem.

Verùm ista distinctio non est Logica, vt optimè dicit Doctor ex Arist. 2. periher. in principio. Quia iste terminus, est, loco prædicati totalis sumptus, semper prædicat secundum adiacens, secundùm omnes bonos Logicos; sed ita in proposito ponitur, Operans actu, est, ergo distinctio Varr. nulla.

Oper[...] actu est [...] cesse e[...] est, non s[...] propositi[...] nes p se [...] tæ.

Respondet igitur Doctor, prædictas propositiones non esse per se notas. Ratio est. Quia non est per se notum, partes subiecti complexi in istis propositionibus, per se vniri, vt dictum est 3. Concl. huius Artic. ac per consequens, nec est per se notum, tale prædicatum, nempe existentiam, conuenire tali subiecto complexo.

Quando arguis vltra. Necesse esse, siue Ens necessarium, non habere prædicatum hoc, est, impossibile est. Respondeo. Si Enti conueniret necessitas, sic, quòd esset euidens & per se notum intellectui istud prædicatum, est, necessariò conueniret & euidenter Enti necessario: sed cùm illa connexio partium subiecti, non sit per se euidens, seu per se nota, prædicatum hoc, est, adiunctum tali subiecto complexo, non faciet propositionem per se notam.

Dices. A. est necesse esse; ergo A. est. Ista consequentia est necessaria & euidens, & opposita consequentia scilicet; ergo A. non est, impossibilis: sed consequentia necessaria & euidens, tenet in virtute vnius Cathegoricæ euidentis, nimirum in virtute propositionis vnius conflatæ ex tali Antecedente & consequente, dicendo, A. quod est necesse esse, est; ergo istud Antecedens, Necesse esse, est, est per se notum. Respondeo. Quando in Antecedente includuntur duo opposita, vt in hoc exemplo, Homo irrationalis est, & consequentia infertur vera, dicendo, ergo homo est animal, non infertur ista consequentia, virtute totius Antecedētis, quia hoc est impossibile & falsum, sed virtute vnius partis Antecedentis, nempe istius, homo est, tenet hæc consequentia, ergo animal est: ita in proposito, dum Antecedens est complexum non habens euidentiam suæ complexionis in terminis, sicut hìc, A. est necesse esse, si infertur

Ex Ante[...] dē. includ[...] te duo op[...] posita, qu[...] infertur c[...] seques ver[...]

conse-

consequentia; ergo A. est, ista non infertur in virtute totius Antecedentis ineuidentis; sed in virtute illius partis Antecedentis, quæ necessariò & euidenter in se includit cõsequentiam: nã Esse includit Est: non autem virtute illius termini; Necesse, quia non est euidens quòd Enti conueniat necessitas, atq; ita non est euidens, quòd Ens necessarium sit, siue existat. Quapropter ista necessaria consequentia, tenet in virtute illius Cathegoricæ, A. quod habet esse, est: & non in virtute illius, A. quod est necesse esse, est. Idem dic de illa Consequentia, Est actu operans; ergo est; benè inferri in virtute illius partis Antecedentis, quæ in ly est, in principio Antecedentis posito, includitur, non autem ex virtute totius complexi, quia totum complexum rectè vniri, non est per se notum.

Dubitatur.

Vtrum existentia sit de quidditate Dei.

Videtur quòd non. Primò. Existentiam conuenire Deo, potest probari per necessitatem Dei; ergo non est de quidditate Dei. Anteced. est Doctoris in 4.d.12.q.2. Consequentia. Tum quia id quod est demonstrabile de aliquo, non est de quidditate eius. Tum quia quod est de quidditate alicuius, inest illi immediatè; at existentia, inest Deo mediante necessitate, & per illam est demonstrabilis; ergo, &c.

Secundò. Modus non dicitur in Quid de Essentia, cuius est modus; vt est communis propositio Scotistarum. Et ratio est. Quia modus est posterior quidditate; posterius autem non dicitur in Quid de priori: sed existentia est modus Diuinæ Essentiæ, vt communiter docent Scotistæ; ergo non dicitur in Quid de Diuina Essentia.

Tertiò. Quæcunq; sunt eiusdem rationis formalis, quicquid dicitur in Quid de vno, & de alio dicetur; intellectus autem Diuinus & noster, sunt eiusdem rationis formalis, in ratione intellectus; ergo quicquid dicitur in Quid de vno, dicitur & de alio; sed per te, existentia, dicitur in Quid de intellectu Diuino; igitur & de nostro prædicabitur existẽtia quidditatiuè: quod est inconueniens.

Quartò. Possumus de Deo habere scientiam, vt dictum est in Prol. q. 6. obiectum autem scientiæ abstrahit ab existentia; sed à prædicatis quidditatiuis, siue à prædicatis per se primi modi, non fit abstractio; ergo existentia Dei, non est prædicatum quidditatiuum.

Quintò. Quæ sunt communia Deo & creaturæ, sunt eiusdem rationis, secundùm Doctorem dist. 3. & 8. Cùm igitur ratio existentiæ sit communis ad existentiam Dei & creaturæ, duæ istæ existentiæ erunt eiusdem rationis; sed existentia creaturæ, est modus intrinsecus illius, & non de conceptu quidditatiuo illius; ergo similiter existentia in Deo, erit modus intrinsecus Dei, & non de ratione formali illius.

Sextò. Si de quidditate Dei esset existentia, sequeretur, quòd existentia esset prior Deo: quod est inconueniens. Sequela patet. Tum quia illud quod est de quidditate alicuius, est aliquomodo priùs eo; sic partes constitutiuæ totius essentialis, sunt priores toto essentiali: vnde à simili, Si essentia est de quidditate Dei, erit prior illo. Tum quia substantiale abstractum, est prius suo contracto; sed existentia est quoddam abstractum substãtiale, Deus est concretum; ergo &c.

Ista sententia communiter attribuitur Mayr. in 1. distin. 23. quæst. vnica. Verùm is Author, nullam huius rei facit ibi mentionem: quiq; non vnicam, sed quatuor mouet Quæstiones super illa Distinctione.

Existentia est de quidditate essentiæ Dei.

Oppositum omnino sentit Doctor Subt. hìc, & quodl. 1. art. 1. Bassol. dist. 3. q. 2. art. 2. & dist. 8. q. 1. art. 2. Lichet. hìc, & alij communiter Scotistæ, estq; hæc sententia communis Theologorum. Et probatur Primò. Ratio constitutiua prima (secundùm nostrum modum considerandi) actus purissimi, in ratione actus purissimi, est de essentia talis actus. Prædicatum includit subiectum: quia ratio primò constitutiua est de ratione formali, & de quidditate constituti; sed existentia actualis est primò constitutiua actus purissimi, nempe Essentiæ Diuinæ, in ratione actus purissimi; existentia igitur actualis, est de ratione quidditatiua illius. Minor. Datur ratio aliqua prima in Essentia Diuina, quæ antecedit prioritate considerationis, omnes perfectiones attributales & relationes, vt optimè probat Doctor quodl. 1. hoc autem non aliud est, quàm Essentia, vt existens actu, ac proinde actualis existentia, est primum in Essentia Diuina, constitutiuum illius Essentiæ in esse actuali. Confirmatur id authoritate Damasc. lib. 1. de fide orth. c. 12. qui dicit: *Videtur enim vero principalius, omnium de Deo dictorum nominum esse, Qui est, quemadmodum ipse dans responsum Moysi in monte, inquit, Dic filijs Israel, Qui est misit me: totum enim in seipso comprehendens, habet ipsum esse, veluti quoddam pelagus substantiæ infinitum, & interminum.* Ex qua authoritate Damasc. patet, Esse Dei, seu existentiam Diuinam, esse pelagus continens infinitas perfectiones Diuinas; sed illud quod est ratio proprietatum in aliqua essentia contentarum, est de ratione formali, & quidditatiua illius Essentiæ: ergo ita est in proposito.

Deus est Deus sua existentia, non est autem Pater.

Probatur Secundò. Quo Deus est talis natura, est de ratione Dei, tanquam ratio quidditatiua illius; Deus autem est talis natura, vt formali ratione qua, sua existentia, vt patet ex Aug. 7. de Trinit. cap. 6. *Substantia Patris ipse Pater est, non quo Pater est, sed quo est*; atq; ita secundùm August. cùm essentia vt existens, sit Patri ratio essendi simpliciter, non autem ratio formalis essendi Patrem, sequitur, quòd sit de quidditate Essentiæ. Confirmatur per eundem ibidem, c. 4. cùm dicit; *Ab eo quod est, esse, appellatur essentia; propter quod Deus ipse, cui conuenit verissimè, & proprijssimè esse, verissimè dicitur essentia &c.* Huic dicto Aug. *Ab eo quod est esse, appellatur essentia,* subiungo hanc Minorem; sed Essentia est illud, quo primò & formaliter Deus est talis natura; ergo & esse erit tale primum; quia essentia dicitur ab esse: & hoc videntur significare illi superlatiui *verissimè, & proprijssimè,* in authoritate August posita.

Tertiò. Esse conuenit Deo in primo modo dicendi per se; ergo est de quidditate Dei. Anteced. est Doctoris Subt. hìc, & communis Theologorum. Consequentia autem est Philosophi 1. poster. & Doctoris, tum ibidem, tum quęstio. præsenti.

Quartò. Prædicatum essentiale, quod non est de essentia rei, est tamen illi intrinsecum & essentiale, conueniens per se secundo modo, potest demonstrari de suo subiecto: Esse Dei, non est demonstrabile de Essentia Diuina secundùm se, nisi secundùm modum nostrum concipiendi, vt dictum est art. 2. quare Esse, non erit prædicatum essentiale per se secundi modi, sed de quidditate per se primo modo.

Existẽtia in Deo est ratio quidditatiua non attributa.

Ex dictis infero. Existentiam Dei non esse attributum, seu proprietatem essentialem, nec illo modo ab Essentia distingui, vt vult Vasquez 1. par. disp. 21. c. 3. Sed esse prædicatũ quidditatiuũ, sicut substantia, vel intellectus, vel Ens, &c. Malè etiam ab eodem dicitur ibidem, quòd attributa Dei, cùm sint veluti proprietates per se secundo modo conuenientes, ita & existentiæ attributum per se secundo modo Deo conueniet. Nec enim existentia per se secundo modo, sed per se primo Deo conuenit; nec etiam modi intrinseci (quos ipse confundit cum attributis) per se primo modo dicuntur de Deo: vt videre est dist. 8.

Ad Argumenta.

Ad Primum. Antecedens potest intelligi vel de demonstratione Propter quid, vel de demonstratione Quia: si primo modo, sic negatur: nec sic est intelligenda authoritas Doctoris: si secundo modo demonstretur, conceditur Anteced. & hoc solùm probationes Antec. ostendunt: sed negatur Consequentia: quia bene aliquid indemonstrabile primo modo, potest demonstrari secundo modo; quomodo demonstratur rationale per risibilitatem.

Quæcunq. sunt eiusdẽ rationis formalis, quicqd dicitur in Quid d' vno, & de alio dicetur, quis sẽsus?

Ad Secundum. Respondeo Primò. Negando Minorem, quia apertè docet Scotus hìc, existentiam conuenire Deo immediatè, per se primò, & indemonstrabiliter; & consequenter non erit modus, cùm ista modo intrinseco non cõueniant.

Respondeo Secundò. Supposito quòd existentia est modus supra genus: nego Maiorem: aliqui enim tales modi conueniunt primò per se, & immediatè essentiæ, & sunt de quidditate illius. vt dicitur inf. dist. 8.

Ad Tertium. Respondeo distinguendo Maiorem: vel

enim

enim illæ rationes sunt eiusdem rationis formalis specificæ aut genericæ, aut vnum dicit rationem specificam alterum transcendentalem, vel vtrumq; sumitur sub ratione illimitata: si primo modo intelligitur, Maior est vera, sed Minor falsa: si secundo modo, Maior est falsa: si tertio modo, Maior etiam est falsa, licèt Minor sit vera; quia sapientia, iustitia, & multa alia attributa, in nobis sunt accidentia & per accidens, in Deo sunt necessariò & essentialiter.

Attributa in nobis sunt accidētia in Deo non.

Obiecta sciētiarū in duplici sunt differentia.

Ad Quartum. Resp. Primò. Obiecta scientiarum sunt in duplici differentia; quædam enim sunt, quibus saltem in suis inferioribus non repugnat absolutè non esse; & talia sunt obiecta omnium aliarum scientiarum præter Theologiam; quoddam autem obiectum est, cui repugnat non esse, quale est obiectum huius scientiæ. Cùm igitur scientia sit de necessarijs, quæ impossibile est aliter se habere, & quoad existentiam omnes aliæ res à Deo possunt aliter se habere, quia possunt non existere; non considerabit scientia talis obiectum suum vt existens: quædam autem scientia cùm consideret obiectum, de cuius ratione quidditatiua est existentia, & præterea cùm scientia non abstrahat à prædicatis per se quidditatiuis, sequitur quòd in præsenti obiectum Theologiæ, Essentia Diuina, non abstrahit ab existentia, quæ est de quidditate Deitatis. Resp. Secundò. Secundùm Philosophum 1. Poster. Scientia est de vniuersalibus, eodem modo semper se habentibus in sua connexione, non de singularibus variabilibus; Theologia tamen (vt dictum est supra) est de obiecto singularissimo, nempe de hac Essentia Diuina, quæ quia est simpliciter inuariabilis quoad existentiam, de illa vt existenti erit scientia, quãuis aliæ scientiæ non considerent obiectum singulare.

Quæ sunt communia Deo & creaturæ sunt eiusdem rationis sensus quis?

Ad Quintum. Primò. Concedo quòd sunt eiusdem rationis, secundùm illam rationem communem: sed nego ꝙ sunt eiusdem rationis, secundùm rationem inferiorem, secundùm quam non habent rationem communis & conuenientis, vt paulò ante in resp. ad 3. dixi, de sapientia in Deo & creatura. Quare non valet illa consequentia, quòd si existentia creaturæ, est modus creaturæ, & non quidditatiuum prædicatum, ita debet esse modus in Deo, & nõ prędicatum quidditatiuum. Ratio autem cur ista comparatio negetur, est. Quia non est comparatio secundùm rationem communis & conuenientis, sed secundùm rationem discõuenientis. Secundò. Esto quòd existentia esset modus intrinsecus Essentiæ Dei, adhuc posset prædicari quidditatiuè de illa, non sic de creatura, vt dicitur dist. 8.

Quod ē de quidditate alicuius, est aliquomodo prius eo, sēsus q's?

Ad Sextum. Negatur sequela Maioris. Ad Primam probationem. Dico, illud quod est de quidditate partiali, seu quod dicit partem quidditatis, concedo quòd debeat esse prius quidditate, quia partes aliqualiter sunt priores suo toto: sed illud quod non dicit partem, sed perfectionem absque vlla imperfectione partialitatis, imò potius secūdū rationem totius, vel totalis perfectionis, nego ꝙ debeat esse prius quidditate. Et ita dicimus in proposito, quòd existentia Dei cum sua Essentia, non faciunt compositionem etiam Metaph. quia nullatenus ratio potentia vel actus informatiui, aut ratio partis & partis, conueniunt propter infinitatē Essentiæ, vt optimè deducitur à Doct. quodl. &c.

Substātiale abstractū ē prius suo concreto, sensus quis?

Ad Secundam probationem. Resp. Primò. Ista prioritas non est à parte rei, sed tantū secundùm modum concipiēdi Grammaticum, talis autem prioritas nullam ponit imperfectionem in prædicatis Diuinis. Resp. Secundò. Verū est de abstractis per modum formæ, & consequenter per modum partis, saltem secundùm Metaphysicam considerationem se habentibus: non tamen est verum de abstractis illimitatis & transcendentibus, per modum totius perfecti se habentibus, vt est in proposito.

PRINCIPALIA ARGVMENTA diluuntur.

Ad Argumenta principalia. Ad Primum scilicet ad Damascenum, &c.

COMMENTARIVM.

AD Primum Argumentum. Respõsio est omnino ad mentem S. Damas. (licet aliud malè opinetur Thom. Anglic.) Nam cap. 3. dicit iste Sanctus, quòd ipsa conditionis mundi coaptatio, conseruatio, & gubernatio, nos apertè edocent Deum esse: at talis notitia non est euidens ex terminis huius propositionis, Deus est, & consequenter nõ est Propositio per se nota nostro intellectui.

Secundi argumenti solutio clara est in textu, & patet ex dictis art. 2. parte 2. Ad Tertium. Quod fuit, Veritatem esse est per se notum; sed Deus est veritas; ergo Deum esse, est per se notum. Respondetur dupliciter. Primò. Negando Consequentiam: quia est fallacia consequentis, arguendo à magis communi, ad minus commune: ac si diceres, Animal est in stabulo; ergo homo est in stabulo: magis enim est commune, veritatem esse, quàm Deum esse euidentem intellectui nostro. Secundò. Negatur Maior propositio. Cùm arguis, Nulla veritas est; ergo nullam esse veritatem, est verum. Dico, vel in illo negatiuo Antecedēte (quod est, Nulla veritas est) loqueris de veritate tam rei quàm intellectus componentis & diuidentis (de qua diuisione infra) & sic falsò infertur consequentia affirmatiua, quòd verum sit veritatem non esse, sed debet inferri negatiuè, quòd non sit verum aliquam veritatem esse: peccat autem illa affirmatiua illatio secundùm fallaciam Consequentis, à negatiua habente duas causas veritatis, puta ꝙ nulla est veritas & in re & in intellectu, ad affirmatiuam quæ est vna illarum, puta ad veritatem intellectus, quòd scilicet verū est, veritatem non esse. Quòd si sumatur in Antecedente negatio veritatis, pro sola veritate rei. Dico consequentiam inferri bene, quia illa procedit de veritate in intellectu, non de veritate rei.

Veritas re, & in intellectu.

Caietanus obijcit contra Scotū.

Sed dicit ad hæc Caietanus. 1. part. q. 2. art. 1. A propositione vera de inesse, valere consequentiam ad suam modalem de vero; vt si ista est vera de inesse, Petrus currit, hæc consequentia modalis de vero: Igitur Petrum currere verū est: bona erit. Ita in proposito, benè sequitur, Nulla veritas est; ergo nullam esse veritatem, est verum.

Addit Caietanus, quòd Scotus negando consequentiā, concessit eam nesciens, dum concessit aliam super radice illius fundatam; hæc enim negatiua, Non est verum aliquā veritatem esse, fundatur in ista affirmatiua priori, Verū est nullam veritatem esse: cùm affirmatiua pertineat ad consistentiam propositionis in seipsa, negatiua autem ad destructionem suæ contradictoriæ; ac per consequens affirmatiua erit prior, quàm negatiua: quare si negatiuam Scotus concedit, etiam affirmatiuam concedere debet.

Caietani obiectio destruitur.

Ad Primū Caietani. Respond. Primò. Esto, ꝙ à vera de inesse sequatur modalis de vero, negatur tamen ꝙ in proposito ista negatiua, Nulla veritas est, sit vera de inesse; imò est impossibilis intellecta de omni veritate, & destruit seipsam, ac proinde nullatenus erit vera de inesse, cùm prædicatum repugnet subiecto. Resp. Secundò. Ex vera propositione de inesse, infertur Consequentia modalis de vero, sed diuersimodè; ex negatiua enim de inesse, debet inferri modalis negatiua de vero, sic, Ergo non est verum aliquā veritatem esse, (ex affirmatiuo autem Antecedēte sequitur consequentia affirmatiua) iuxta illud tritum apud Logicos, Conclusio sequitur partem debiliorem.

Ex propositione de inesse quid infertur modalis.

Ad aliud dictum Caietani. Falsò supponitur hanc negatiuam, Non est verum aliquam veritatem esse, fundari super hanc affirmatiuam, Verum est nullam veritatem esse. Ratio est falsitatis. Quia illa negatiua negat omnem veritatem, tam in re quàm in intellectu, componente vel diuidente: affirmatiua verò, illo suo termino, Verum est, concedit veritatem intellectus componentis, & negat solam veritatem rei: cùm igitur negatiua non hoc tantùm neget, quod affirmatiua concedit, sed longè plùs neget; negatiua ista non fundabitur in affirmatiua vt in radice adæquata; ac proinde sciencter Scotus & subtiliter, concessa affirmatiua, non concedit negatiuam; & admitteretur negatiua, optimè docet non inferri affirmatiuam, cùm in negatiua negetur omnimoda veritas, & consequenter etiam illa veritas intellectus componentis, quæ infertur in consequentia affirmatiua, negabitur.

Alia quæ dicit ibidem Caiet. non sunt dicta directè ad propositā Doctoris literā, sed ad contortam, & à Caietano malè intellectam, vt ille in plerisque locis solet.

In

Euidentia prædicatorum immediatorum ad sua subiecta, non est par in omnibus prædicatis.

In solutione clara Quarti principalis. Aduerte. Quòd cũ consimili necessitate aliquorum prædicatorũ ad sua subiecta, non consimilis stat euidentia: atque ita non omnis propositio per se necessaria primo modo, erit per se nota, cuius oppositum vult Capreol. dist. præsenti, quæst. 2.

Dubitatur.

Vtrum veritas sit formaliter in re, vel in intellectu.

Videtur quòd in intellectu. Primò. Arist. 5. Met. docet expressis verbis, verum & falsum non esse in rebus, sed in intellectu. Confirmatur ex 6. Metaph. tex. 8. vbi diuiditur Ens, in Ens verum quod est in anima, & Ens reale quod est extra animam.

Secundò. Sicut bonum dicitur illud, in quod tendit appetitus, ita verum denominabitur illud, in quod tendit intellectus; hoc autem distat inter appetitum & intellectũ, quia cognitio est secundùm quod cognitum est in cognoscente, appetitus autem secundùm quod appetens inclinatur in ipsam rem appetitam: & ita terminus appetitus, est bonum in ipsa re appetibili; sed terminus cognitionis est verum in ipso intellectu.

Tertiò. Persæpe res nullum habent esse existentiæ, præter esse quod habent in intellectu obiectiuum; ergo illarũ veritas, totaliter est ab anima.

Hanc sententiam tuetur D. Tho. 1. par. q. 16. art. 1. Caietan. ibidem, Capreol. in 1. dist. 19. Subscribit Zuar. disp. 8. suæ Metaph. sect. 1. num. 3. & est communis Thomistarũ. Hanc nihilominus adhibent modificationem. Quòd veritas est in intellectu formaliter & completiuè, est etiam nihilominus aliquomodo in re, inchoatiuè & denominatiuè.

Veritas est formaliter & in re & in intellectu.

Doctor Subt. hic in resp. ad 3. principale, & 6. Metaph. q. 3. docet veritatem esse formaliter tum in re, tum in intellectu. Quam sententiam amplexus est Alex. de Ales. 1. par. q. 15. vbi fusissimè hanc materiam de veritate, per nouem membra examinat. Est etiam Doct. Seraphici Bonau. in 2. distin. 30. art. 3. q. 2. Placet eadem nostro Alex. ab Alexandria, in 1. distin. 19. Nec multùm discrepat Durandus in 1. dist. 19. q. 6. Heru. quodl. 3. q. 1. Hæc doctrina vt meliùs explicetur.

Veritas rei est multiplex.

Nota Primò. Ex Doct. 6. Metaph. q. 3. Veritatem aliam esse in re, aliam in intellectu. Veritas rerum subdiuiditur dupliciter: alia enim est veritas absolutè rebus competens, alia per comparationem rerum ad intellectum, prout nimirum res intelligibiles sunt. Veritas absolutè rebus competens, triplex est. Primo modo dicitur veritas, conformitas producti ad producens: secundò dicitur veritas determinatè, conformitas nimirum talis producti, secundùm adæquationem, ita vt productum adæquetur producenti: tertio modo dicitur veritas determinatè, pro conformitate secundùm imitationem. Quamuis autem primus istorũ trium modorum; videtur esse communis secundo & tertio, tamẽ si veri nomen imponatur ad significandũ quodcunque trium prædictorum, secundùm propriam rationem, erit æquiuocum. Secundus modus veritatis est in solo Filio Dei, qui est Veritas, & summa ac perfectissima similitudo sui principij, eique totaliter adæquata: licet etiã ad Spiritum Sanctum accommodari possit, sed non ita appropriatè, bonitas enim illi potius appropriatè conuenit: de quo infra. Tertius modus inuenitur in creatura, quæ imitatur exemplar illud increatum, cui aliquomodo assimilatur cum defectione tamen; aliàs non diceretur imitari.

Filio Dei veritas, Spiritui S. bonitas propriè tribuitur.

Veritas rei per cõparationẽ ad intellectũ, triplex.

Res vera per comparationem ad intellectum, dicitur tripliciter vera. Primò, quia est sui manifestatiua, quantùm est de se, cuicunque intellectui potenti Ens manifestatiuũ cognoscere; sic quodlibet Ens respectu cuiusuis intellectus est verum, mediante actu vel specie. Secundò, quia est assimilatiua intellectus assimilabilis, qualis intellectus est solus creatus. Tertiò, quia facta manifestatione vel assimilatione, res est in intellectu, sicut cognitum in cognoscente. Distinctio istorum trium modorum declaratur. Dato. n. ꝙ nullus esset intellectus, adhuc quælibet res secundùm gradum suæ entitatis esset apta se manifestare: & hæc notitia est, qua res dicitur nota natura, seu ex natura sua noscibilis; non quòd natura cognoscat illam, sed quia ex natura sua est Ens intelligibile aptum cognosci. Deinde esse assimilatiuum, dicit rationem actiui respectu assimilabilis, & consequitur naturaliter ad esse manifestatiuum: hoc esse assimilatiuum, imò & ipsa assimilatio, respectu intellectus passiui, præcedit hoc, quod est esse in intellectu; esse enim in intellectu (qui est tertius modus ex prædictis) est posterius natura ipso actu intelligendi; nam est relatio rationis fundata in obiecto intellecto, ad actum intelligendi, relatio autem est posterior absoluto. Isti igitur modi, vt ex eorum descriptionibus patet, sunt distincti inter se: quòd autem etiam à præcedentibus tribus sint distincti, inde constat; quia alia habitudo in re est ad producens, quatenus producẽs est, secũdùm q̃ habitudinẽ procedunt illi tres modi veritatis in re, secundùm se existentis, alia autem est habitudo rei ad intelligentem, vt intelligens est, secundũ quã habitudinem tres alij modi veritatis assignantur. Et hæc dicta sunt de veritate rei, quæ illi conuenit tum secũdùm se consideratæ, tum per habitudinem ad intellectum.

Veritas in intellectu, Vel est cõplexa, vel incõplexa.

Nota Secundò. Veritas in intellectu duplex est, incomplexa, & complexa. Verum incomplexum, est habitudo conformitatis & similitudinis, actus simplicis ad obiectum simplex intelligibile: Veritas autem complexa, est habitudo conformitatis & similitudinis, actus complexi ad obiectum complexum, siue secundùm compositionem, siue secundùm diuisionem. Inter istas veritates est differentia Primò. Quia veritati incomplexæ non opponitur falsitas, sed tantùm ignorantia: & sic intelligitur illud 3. de anim. tex. 26. quòd *intellectus circa quod quid est, semper est verus, sicut sensus circa proprium sensibile*, idque intelligendum est præcisè de conceptu simpliciter simplici: nam intellectus simplex, siue simplici apprehensione cognoscens, circa cõceptum non simpliciter simplicem, licèt non possit esse falsus formaliter, potest tamen virtualiter esse falsus, apprehendendo aliquid sub determinatione sibi non conueniente: veritati autem complexæ, opponitur ignorantia priuatiuè, & falsitas contrariè. Secunda differentia est, in modo essendi veritatis in hac operatione & in illa: licèt. n. in vtraque operatione sit veritas propria formaliter, non tamen veritas obiectiuè est in cognitione incomplexa, sed solùm in ipsa complexa; hoc etiam dictum fusiùs loco allegato explicatur.

Veritas principaliter est in rebus, secundariò autẽ in intellectu.

Ex dictis elicitur hæc Conclusio. Veritas à qua res dicũtur & denominantur veræ, est formaliter & principaliter in rebus ipsis, siue incomplexis, siue complexis; actus autẽ intellectus dicitur verus, formaliter quidem, secundariò tamen & quasi per accidẽs, quatenus nimirum est de obiecto vero in re.

Quòd Ens incomplexum reale sit formaliter verum, patet ex illa communi propositione Metaphysicorum, Omne Ens est vnum, verum, bonum.

De complexis autem probatur Primò authoritate Philosophi. Tum in Logica cap. de Substantia, vbi dicitur: *Eo quod res est vel non est, oratio etiam vera vel falsa dicitur*; ergo ex veritate vel falsitate rerum, est veritas vel falsitas orationis; igitur in rebus est primariò veritas, in oratione autem secundariò. Tum in Postpr. cap. de Priori, illis verbis, *Si homo est, vera est oratio, qua dicimus quòd homo est, & conuertitur; nam si vera oratio est, qua dicimus, quòd homo est, est homo: est autem oratio vera nequaquam causa, vt sit res*, (scilicet vera) *verùmtamen res quodammodo causa videtur vt sit vera oratio, propterea enim quòd res est, aut non est, oratio vera aut falsa dicitur*. Hæc Philosophus. Tum 9. Met. tex. 21 *quodammodo maximè propriè Ens verum vel falsum* (scilicet dicitur) *hoc autem in rebus est componi aut diuidi*. Et ne dicas, ꝙ sit tantùm ibi veritas inchoatiuè, & non formaliter: subdit Philosophus: *vnde verum est diuisum diuidi, & compositum componi*. Ergo certum est, in diuiso, & composito, esse verum formaliter, secundùm Philosophum. Subdit deinde. *Mentitur autem è contrariò se habens: atque res ipsæ se habeat*: Et paulò post. *Non enim propterea quia nos putamus te album esse, tu albus es, sed propterea quia tu albus es,*

nos

nos qui dicimus, verum dicimus, &c. Ergo verum & falsum est, in rebus componi & diuidi verum, si componantur componenda, & diuidantur diuidenda, vt animal rationale est homo, leo non est lapis: falsum item est in rebus, si diuidenda componantur, vt leo est lapis, vel diuidantur componenda, vt rationale non est homo.

Præterea Secundò probari potest ratione deducta ex hac vltima authoritate Philosophi. Ante omnem considerationem cuiuscunque intellectus possibilis, ista est vera, Homo est animal; ergo ante operationem intellectus veritas conuenit rebus. Antecedens est euidens. Quia ista propositio. Homo est animal, est æternæ veritatis, intellectus autem possibilis non fuit ab æterno hoc actu apprehendens. Cõsequentia est manifesta. Et quidem quòd formaliter cõueniat rebus veritas, patet: quia formaliter vnũ alteri inest, vt animal homini; hoc autem componi secundùm Arist. est verum in rebus: ergo veritas est formaliter in rebus.

Confirmatur Primò. Veritas complexa si positiua sit, nõ alia est, quàm quòd hoc inest illi; si negatiua, quòd hoc nõ inest, vel non conuenit illi; sed hoc rebus conuenit & illud non conuenit formaliter ex se, ante operationem intellectus: ergo veritas positiua vel negatiua, conuenit rebus formaliter ex se, non per operationem intellectus.

Veritas positiua vel negatiua quo rebus conuenit.

Confirmatur Secundò. Si iuxta superiùs dicta doceatur, quòd verum complexum consistit in ratione manifestatiua sui, hoc illi conuenire vel non conuenire; illa ratio manifestatiua sui, est formaliter in rebus, & non in intellectu, atque ita habetur intentum, veritatem esse formaliter in rebus. Intelligo tamen principaliter, nam secundariò formaliter, dixi Notabili 2. quòd possit esse in intellectu.

Confirmatur Tertiò ex authoritate Aug. lib. 2. soliloqu. c. 4. vbi postquam dixisset. Ponitur hoc verum esse, quod ita vt est videtur: & colligitur ex suo opposito; si enim est falsum, quod aliter quàm est, videtur; ergo verũ est, quod ita videtur, vt est. Improbans istam definitionem D. Aug. dicit; Ablato eo cui aliquid videtur, non videtur aliquid vt est, nec videtur aliquid aliter quàm est; ergo ablato eo cui videtur, neque verum est neque falsum; quod est manifestum inconueniens; nam secundùm hoc, lapides in abditissimo terræ sinu, non essent veri lapides, quia non videntur. Hæc August.

Veritas intellectus dependet à veritate rei.

Quòd autem in actu intelligendi sit veritas concomitanter, & quasi per accidens, inde ostenditur, quia consequitur veritatem rei: ista enim propositio ab intellectu cõcepta, Socrates ambulat, est vera in intellectu, si à parte rei Socrates ambulat, falsa, Socrate non ambulante à parte rei: propterea enim, quòd res est talis vel non talis, oratio dicitur vera vel falsa, secundùm Philosophum; igitur veritas orationis & intellectionis, dependet à veritate rei, non è contra; illud autem est prius, vbi non conuertitur consequentia; ergo veritas rei, cùm sit causa veritatis cognitionis, erit prior natura veritate intellectionis seu cognitionis, sicut causa est prior effectu.

Ad Argumẽta. Ad Primũ in principio Dubitationis positũ. Dico. Aristoteles ibi loquitur de vero & falso rõnis, put veritas sumitur pro habitudine cõformitatis & similitudinis, actus complexi ad obiectum complexum, siue secundùm compositionem siue secundùm diuisionem; ista habitudo cùm actui conueniat per operationem intellectus, & sit subiectiuè & formaliter in ipso actu intelligendi, actus verò subiectiuè est in intellectu, rectè ab Arist. dicitur quòd verum & falsum sit in intellectu: sed non concludit contra nos, qui hoc concesso, dicimus in rebus esse principaliùs veritatem.

Verũ in cõi est æquiuocum.

Ad confirmationem. Dico, cùm veritas sit æquiuocum, ad verum reale & rationis, 6. Metaph. tex. 8. accipitur verũ pro vno æquiuocato, nimirum pro vero rationis, vt sit sensus, Ens aliud est verum, habens scilicet veritatem in intellectu, & ab intellectu; aliud autem reale, habẽs vt Entitatem, ita & veritatem à parte rei. Et sic ista authoritas fauet nostræ sententiæ.

Intellectus tẽdit in obiectũ, vt cognitũ est in cognoscẽte dupliciter itelligitur.

Ad Secundum. Respondeo. Malè assignatur illud discrimen inter appetitum & intellectum, quòd appetitus terminetur in rem extra, intellectus verò in cognitum obiectum, prout cognitum est in cognoscente, non extra. Nam inprimis, licèt repræsentatiuè sit obiectum in intellectu, mediante actu intellectionis, vel specie, actu tamen & realiter non est in intellectu; quare intellectus non terminatur ad actum intelligendi, vel speciem, sed ad ipsum obiectum cognitum, quod est extra; & per esse cognitum non aduenit obiecto nisi vel denominatio extrinseca, quia cognitio est de ipso, vel relatio rationis. Quando igitur dicitur: quòd obiectum cognitum est in cognoscente, Distinguendum est; repræsentatiuè in specie, vel in actu, concedo; actualiter terminatiuè, prout actu obiectum est terminus intellectionis, nego quòd sit incognoscente. Et ita est par ratio terminationis in appetitu & in intellectu, quòd vt terminus volitionis est extra voluntatem, ita & terminus cognitionis est extra intellectum: & sicut ibi bonum est extra appetitum, in ipso appetibili, ita hìc verum est extra intellectum, in ipso intelligibili. Alia quæ eodem argumento adferuntur, non valent: quia innituntur huic falso fundamento. Quòd res cognita, est actu & terminatiuè in cognoscente.

Ad Tertium. Quale est rerum esse, talis est & veritas illarum; si igitur esse est rationis, & veritas in ente rationis, erit entitas rationis, in ente autem reali, erit realis. De esse autem obiectiuo rerum realium, dicitur infra d. 36. & 39.

QVÆSTIO II.

Vtrum in entibus sit aliquid actu existens infinitum.

Quòd non, sic arguitur. Si vnum contrarium esset in natura, &c.

SVMMA QVÆSTIONIS.

Diuiditur Quæstio in quinque Articulos. In Primo ostenditur aliquid esse actu in entibus simpliciter primum, secundum efficientiam: secundum rationem finis: & secundùm eminentiã. In Secundo declaratur, illud quod est primum secundum vnam primitatem, esse etiam primum secundum alias primitates. In Tertio docetur prædictam triplicem primitatem Vni soli naturæ conuenire. In Quarto ponuntur Conclusiones de volitione & intellectione primi Entis: ex quarum cognitione, maior euidentia haberi potest de Conclusione principali huius Quæstionis. In Quinto ostenditur intentum principale, quòd detur Ens aliquod simpliciter infinitum actu existens. Tandem Argumenta principalia diluuntur.

ARTICVLVS PRIMVS.

Ostenditur aliquid esse in Entibus simpliciter primum; secundùm efficientiam: secundùm rationem finis: & secundùm eminentiam.

Ad istam Quæstionem sic procedo. Quia de Ente infinito, &c.

SVMMA TEXTVS.

Quatuor pertractantur in præsenti Articulo. Primò enim datur diuisio totalis istius Quæstionis bipartita, quòd in ea actu rus sit inprimis de proprietatibus relatiuis, qualis in Deo est ratio efficientiæ, ratio finis, & ratio eminentiæ: deinde de absolutis: primum præstabit in præsenti & duobus sequentibus Articulis, alterum in Quarto, & Quinto.

In Secunda parte Articuli, dantur sex Conclusiones: tres principales de ratione efficientiæ, quæ Deo conuenit; aliæ tres incidentales, de causis essentialiter & accidentaliter ordinatis.

Prima Conclusio principalis. *Aliqua causa effectiua est simpliciter prima, ita quòd neque effecta ab alio, neque in virtute alterius causans.*

Secunda Conclusio principalis. *Primum effectiuum est incausabile.*

Tertia Conclusio principalis. *Primum effectiuum simpliciter*

pliciter ineffectibile à causis tam extrinsecis quàm intrinsecis, est actu existens.

Conclusio Prima incidentalis. *In causis essentialiter ordinatis, non est processus in infinitum. Ista Conclusio probatur à Doctore quinque rationibus satis efficacibus.*

Concl. Secūda incidētalis. *Nō posito statu in causis essentialiter ordinatis, nō potest poni infinitas accidentaliter ordinatorū.*

Conclusio Tertia. *Negato ordine essentiali, adhuc infinitas est impossibilis.*

In Tertia parte istius Articuli, ponuntur tres assertiones de causa finali, persimiles propositis de causa efficienti. Totidem Conclusiones in Quarta parte, de ordine eminentiæ, examinātur.

COMMENTARIVM.

Inter causas ē aliqua causa effectiua simpliciter prima.

PRimæ Conclusionis principalis ratio fundamentalis est. Quia vel est processus in causis efficientibus in infinitum, & hoc est cōtra Arist. 2. Met. vel standum est ad aliquam simpliciter primam causam effectiuam, & habetur intentum; quia causa effectiua simpliciter prima est illa, quæ non est causata ab alia, nec in virtute alterius causat.

Contra hanc rationem ponuntur duæ Obiectiones. Solutio Secundæ Obiectionis habetur immediatè ante principalem Conclusionem Secundam. Interim vt hæc ratio & sequentes Conclusiones incidentales (quæ positæ sunt ad illustrandam hanc Conclusionem principalem) de causis essentialiter aut accidentaliter ordinatis, percipiantur.

Causa p se & per accidens.

Notandum est Primò. Causam per se alicuius effectus illam esse, cui conuenit vt talis est, illū effectū per se ipsā, non per aliquod extrinsecū, vel p accidēs causare: sicut dicimus ædificator per se ędificat; similiter, calidum per se calefacit. Causa per accidens dicitur illa, quæ coniuncta est causæ per se, & accidit sibi talis effectus; sic dicimus, Musicus per accidens ædificat. Causa igitur per se est illa, quæ causat per propriam rationem formalem sibi intrinsecam, seu per aliquid sibi intrinsecum: causa per accidens est illa, quæ non causat per propriam rationem formalem sibi intrinsecam, sed coniungitur tali per se causæ.

Quomodo causæ essentialiter vel accidentaliter ordinatæ, distinguantur a causis per se et per accidens.

Nota Secūdò. Ex Doctore hic & lib. de 1. prin. c. 1. Aliud dici causas per se, vel per accidens, & causas essentialiter vel accidentaliter ordinatas. Quia in causis per se & per accidens, semper est comparatio vnius ad vnum, vnius scilicet causæ ad vnum effectum, ita quòd vnius & eiusdem effectus, vna est causa per se, & vnius effectus per accidens, vna est causa frequenter, non tamen semper; sed ordo causarum essentialiter vel accidentaliter ordinatarum, semper consideratur in habitudine & cōsideratione plurium causarum, ad vnum effectum concurrentium, ita quòd siue sit ordo essentialis inter causas, siue accidentalis, semper accipiuntur plures causæ, respectu eiusdē effectus: & hoc est de necessitate ordinis, qui non potest esse nisi inter plura, ordo enim vt sic, dicit relationem, & relatio requirit extrema.

Dependentia vnius causæ ab altera, ē triplex.

Nota Tertiò. Circa primam differentiam inter causas essentialiter ordinatas, ab accidentaliter dependētibus. Quòd vna causa ab alia pōt depēdere tripliciter. Vno modo, in essendo; quia sine illa esse non pōt, & hoc vel in fieri tantùm, & non in facto esse, sicut instrumentū aliquod, vt securis, in suo fieri dependet à manu; non tamen in facto esse: vel & in fieri & in facto esse, sicut cōpositū substantiale depēdet à partibus, & homo à Deo. Alio modo in causando; ꝙ videlicet hæc causa nō possit vllatenus causare absq; cōcursu causæ superioris: & hoc dupliciter, secūdùm Doct. dist. 3. q. 8. in quibusdam. n. causis subordinatis essentialiter, superior mouet inferiorē, ita ꝙ inferior non agit nisi inquantū mouetur à superiore; & tunc inferior causa habet à superiore virtutē illam, qua mouet: exemplū est in potētia motiua quæ est in manu, in baculo moto à manu, & pila mota ab vtroq;. In quadam aūt subordinatione causarum, superior causa non mouet inferiorē, nec dat ei virtutē qua mouet; sed superior de se habet virtutem perfectiorē agendi, & inferior habet virtutē imperfectiorē, nec tñ recipit istam virtutem imperfectiorem à causa superiori: exēplum huius est: si mater ponitur habere virtutem actiuam in generatione prolis, illa & potentia actiua patris, concurrunt vt duæ causæ partiales, ordinatæ essentialiter secundùm naturæ cursum, & vna est perfectior altera, non tamen imperfectior recipit virtutem actiuam à perfectiori, nec tota causalitas est eminēter in causa perfectiori, sed aliquid addit causa imperfectior, ita quòd effectus est ab vtraq; simul: aliud exemplū pōt poni de intellectu & specie: de quo dist. 3. q. 8. Tertio modo potest dependere vna causa ab altera, & in essendo & in causando. Et quamuis dependentia alicuius causæ essentialiter subordinatæ in causādo, quandoq; annexam habet dependentiam illius causæ inferioris in essendo, prout homo dependet à Deo vtroq; modo, iuxta illud Apostoli; *In ipso viuimus, mouemur, & sumus*: non tamen vniuersaliter est necessaria talis connexio: nam vera causa instrumentalis dependet à principali in causando; non enim mouet nisi mota; vt patet de securi mota à manu, & tamen non dependet in esse, sicut dictū est. Ac proinde istæ dependentiæ sunt distinctæ. Illa depēdentia, quæ est & in essendo & in operando, est depēdentia essētialis simpliciter, illa aūt quæ est in esse tantū, vel tantùm in causare, est essentialis diminuta, quia non omnimoda. 3.

Nota Quartò. A Doctore Subtili in lib. Theor. prop. princ. 14. 15. & 16. dicitur: quòd istę propositiones. In omni genere causæ, est ordo essentialis: Simpliciter primū in efficientibus, est: Deus est viuens: Deus est intelligens & volens: Deus coagit causæ secundæ, aliqua actione sibi propria: Deus est necessarius ad conseruationem naturæ creatæ in esse: Deus est infinitus intensiuè: & plures consimiles veritates, nō possunt probari. In præsenti aūt Quęstione, & in plerisq; sequentibus, tum has tum alias veritates Theologicas, demonstratiuè nititur concludere: ac proinde sibiipsi videtur contrarius, dum illud hìc demōstrat, quod alibi asserit esse indemonstrabile.

Ad hoc dupliciter potest dici. Primò ex eodem Doct. inf. d. 42. & Theor. 15. Corrol. 3. vbi supradictas propositiones, & alias ex ipsis dependentes, asserit non posse probari, ratione naturali simpliciter necessaria, merè naturaliter acquisita, non præsupposita fide: & hoc verum est. Hìc autem & in lib. de 1. principio easdē probat, fide pręsupposita; vt bene aduertit Andreas à Nouo Castro in 1. distin. 42. quæst. 2. Veritates Theol. an & quō possunt demōstrari ratione naturali.

Secundò dici potest, illas probationes non procedere à priori; & ex simpliciter necessarijs, vt ibidem adnotauit Maur. Hybern. & concedit ipse Doctor in 1. Report. dist. 2. q. 3. tales nihilominus sunt, quæ omnibus Aristotelicis rationibus sunt lōgè euidentiores & fortiores; suntq; necessariæ à posteriori, vel à causis cōmunioribus abstractis, & non ab immediatis, vt inquit Ludou. Medina lib. 2. de fidei defensione: vel ad minimum (vt inquit Bassol. dist. præsenti art. 3. q. 1.) sunt valde probabiles, & magis quàm quæcunq; rationes, quæ possunt adduci ad oppositū; & ad quas difficillimum sit respondere. Et sanè negata impossibilitate ascensus in infinitum, in causis essentialiter vel accidentaliter ordinatis, videtur rationabile dictū Bassolij: illa tamen concessa, vt concedit Arist. 2. Met. & Auic. ibidem, & hìc optimè deducitur à Doctore: dico, ꝙ aliæ rationes à Doct. hic assignatæ pro Conclusionibus principalibus, conuincunt intellectum, & reuera demonstrant: vt vult Andr. à Nouo Castro dist. præf. q. 4. ar. 1. & dist. 20. quæst. 2.: ac proinde rationes istæ ritè à Doct. vocantur demonstrationes.

Idem sit dictum de alijs rationibus Doct. in materia Theologica. Plura de hac materia vide in quodl. 14. Doc.

Ex hactenus dictis cōstat, quid dicendum sit ad omnes Obiectiones, (aliàs à Licheto bene resolutas hic) Ocami in 1. d. 2. q. 10. quas contra determinationem huius Articuli, & contra eius probationes, adducit.

Ostenso igitur, quid sint causæ essentialiter vel accidētaliter ordinatę: ponuntur à Doct. tres Conclusiones incidentales, superiùs nominatæ.

Et qdē Prima cū suis probationib. est euidēs ex dictis.

Vis rationis pro Secunda Conclusione adductæ, in hoc consistit. Infinitas accidentaliter ordinatorum, non est simul, sed successiuè: at non est possibile quòd aliqua successio duret in infinitum, nisi sit aliquod cōtinuans talem successionem, illud autem continuans totam successionē, non potest esse aliquid de numero succedentium; quia cū Secūda Cōcl. incidentalis probatur.

K quod-

quodlibet in tali successione cedat, & aliud succedat, sequeretur quòd perpetuatio seu ista continuatio esset à non Ente: ergo necesse est dari aliquod primū, alterius ordinis à tota illa successione Entiū accidētaliter ordinatorū, à quo primò dependent omnia accidentaliter ordinata.

Tertia Conclusio expli catur. Infinitas est impossibilis negato ordine essētiali.

Illa Tertia Conclusio incidentalis. Negato ordine essentiali adhuc infinitas est impossibilis: differt à præcedenti in hoc; quòd in secunda ex infinitate accidentaliter ordinatorum, inferebatur status in causis essentialiter ordinatis, quòd esset deueniendum ad aliquam causam primam: in præsenti verò intendit probare, quòd negato non solùm statu ad aliquod primum in essentialiter ordinatis, sed ipsomet ordine essentiali, sic quòd nulla sit subordinatio & dependentia essentialis, adhuc dicit Doctor quòd infinitas sit omnino impossibilis in causis. Nam si infinitas accidentaliter ordinatarum causarum & effectuum est possibilis, absq; ordine essentiali, Quæro, vel tota illa infinitas naturarum est causata, vel aliqua est incausata? Si primum; ergo aliquid ibi seipsum causat, vel erit circulus in causatione: Si secundum; habetur intentum, quòd sit aliqua natura extra ordinem accidentalem, ad quam est status, quod negas. Secunda implicatio est. Si negas ordinem essentialem inter causas; vel igitur negas quòd aliqua causa causet in virtute alterius, vt ex prima conditione patet causarum essentialiter ordinatarum: & tunc talis causa, causat independenter ab altera; causa verò independenter causans ab altera, est simpliciter causa prima, quam Conclusio principalis intendit probare: vel concedis quòd aliqua causa in virtute alterius causat; & tunc concedis subordinationem essentialem causarum, & negas talem subordinationem tibi contradicendo. Et sic est intelligenda litera Doctoris hìc.

Causa prima effectiua est simpliciter incausabilis.

Tertia Conclusio principalis. Quòd primum effectiuum est incausabile, probatur tali discursu. Quod est incausabile in quocunq; genere causæ, est simpliciter incausabile: sed primum effectiuum est incausabile, in omni genere causæ; igitur simpliciter est incausabile. Minor patet percurrenti omnes causas. Inprimis enim non esse causabile ab aliqua causa efficiente, vt Concl. præced. ostensū est: quia vel est processus in infinitum in causis effectiuis; vel standum est ad aliquam simpliciter primam, quæ sit independens in esse & in conseruari à quocunq; alio: Primum implicat; igitur secūdum concedendum est. Et de isto effectiuo simpliciter primo, Conclusio hæc procedit, Quòd primum effectiuum ineffectibile, sit omni modo incausabile.

Ineffectibile est infinibile.

De causa finali patet. Quia omne ineffectibile, est infinibile. Ratio est. Quia finis non aliter est causa finibilis, vel finiti (seu Entis propter finem) quam quòd ab ipso vt à priori essentialiter (causa enim est prior natura causato in omni genere causæ) dependet esse finibilis seu finiti: non aliter autem dependet finitum (quantùm ad esse fine, vt sic priore) nisi inquantum finis vt amatus mouet efficiens ad dandum esse suo effectui; ita quòd sicut efficiens non daret esse in suo genere, nisi inquantum motus à fine suo modo; ita & finis non daret esse finito, nisi mediante efficiente amante finem. Sed respectu primi efficiētis non datur efficiens; igitur neq; finis respectu illius dabitur, & consequenter ineffectibile est infinibile. Confirmatur. Finis non est causa finalis efficientis, sed effectus causati ab efficiente: vt dicit Doctor lib. de 1. principio cap. 2. quare prima causa si quid causat propter finem, ille finis erit nō primæ causæ sed effectus; si verò esset causa finalis primæ causæ, daretur & efficiens quod à tali causa finali moueretur ad causandum primum effectiuum; hoc autem est impossibile; ergo &c. Vnde quando dicitur, Agens agit propter finem; non est intelligendum quòd agat propter finem suum, vel sui esse, sed agit propter finem sui effectus: idq; vel maximè verum est de primo agente.

Agens agit propter finē effectus, quomodo?

Ineffectibile est immateriabile.

De causa materiali. Dico, quòd ineffectibile est etiam immateriabile. Ratio est. Quia materia est in potentia contradictionis ad formam; igitur non est ex se sub actu formali nisi per formam: sed non esset sub forma, nisi ab agente reducente illam potentiam ad actum, idem. n. est efficiens compositum, & faciens materiam esse sub forma; ergo respectu cuius negatur esse causa effectiua, negabitur & causa materialis respectu illius: atq; ita omne ineffectibile est immateriabile.

Persimili discursu colligitur de causa formali: quòd ineffectibile est informabile; similiter immateriabile simpliciter, est etiam informabile; si enim debet actuari per formam, debet dari agens, quod coniungat materiæ actum. Vniuersaliter illud Ens quòd est ineffectibile, non esse materiabile neq; formabile, probatur. Quod non est causabile à causis extrinsecis, non est causabile ex causis intrinsecis; sed primum effectiuum non est causabile ex causis extrinsecis, puta efficiente & fine, vt ostensum est; ergo nec ex intrinsecis, qualis est materia & forma. Maior. Tum quia causæ extrinsecæ dicunt perfectionem, non includendo necessariò imperfectionem, causalitas autem cuiuslibet causæ intrinsecæ dicit imperfectionem, quia rationem partis & componibilis; ac proinde si primum Ens est incausabile à causis perfectioribus; à fortiori erit incausabile à causis imperfectioribus. Tum quia causæ extrinsecæ sunt priores in causando causis intrinsecis, sicut perfectum est prius imperfecto; igitur quod non est causabile à causis prioribus, non erit causabile ex causis posterioribus, necessariò requirentibus causas priores. Tum quia causæ intrinsecæ sunt causatæ à causis extrinsecis: de forma patet: quia ab agente educitur: de materia etiam vt est pars compositi, manifestum est, licèt de illa secundùm se accepta, sit aliqualis apud Philosophos difficultas, qui non agnouerunt creationem: & propterea notabiliter dicitur in litera à Doctore, *quòd sunt causatæ* (istæ nimirum causæ intrinsecæ) *vel secundum esse, vel inquantum causant compositum, vel vtroq; modo*; sufficit enim vna pars huius subdiuisionis ad inferendam hanc consequentiam: igitur causæ intrinsecæ sunt posteriores in causando causis extrinsecis.

Quod non est causabile a causis extrinsecis non est causabile à causis intrinsecis.

Causæ intrinsecæ dicunt imperfectionem.

Sequens litera Doctoris, de Tertia Conclusione principali huius Secundæ partis, & de tribus Conclusionibus Tertiæ partis per viam finis, & Quartæ per modum eminentiæ, euidens est in textu.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Declaratur illud, quod est primum secundùm vnam primitatem, esse etiam primum secundùm alias primitates.

Quantùm ad Secundum Articulum. Dico, quòd ista triplex primitas &c.

ARTICVLVS TERTIVS.

Docetur prædictam primitatem triplicem, vnicæ & eidem naturæ conuenire.

Quantùm ad Tertium Articulum. Dico, quòd non tantùm &c.

SVMMA TEXTVS.

Huius Articuli duæ sunt partes. In Prima, datur Conclusio incidentalis, ad probationem Conclusionis principalis scitu necessaria: estq; hæc. Primum effectiuum est necesse esse: Tum quia incausabile ab altero: Tum quia nullo modo potens desinere esse. In Secunda, dantur tres Conclusiones principales pro resolutione Articuli.

Primum effectiuū necesse esse.

Prima autem Conclusio principalis est. *Primum effectiuum est tantum vnum secundum quidditatem & naturam. Ratio est. Tum quia si sint plura, rationes illæ distinguendi, per quas talia effectiua distinguuntur, vel sunt necesse esse, vel non: si sunt necesse esse; ergo quodlibet illorum est duplici necessitate necesse esse, vna videlicet naturæ, altera differentiæ contrahentis: si non; ergo talia entia non essent necesse esse, quod est inconueniens: quicquid enim est in ente simpliciter necessario, est simpliciter necessarium: Tum quia non plures eminentissimę; ergo nec plures effectiua prima: Tum quia non plures fines vltimi; ergo nec plura prima effectiua: Consequentia harum duarum rationum patent ex Artic. 2.*

Primum effectiuū vnum secundum naturam.

Naturæ plures eminentissimæ non possunt esse plures.

Secunda Concl. *Plures naturæ eminentissimæ non possunt esse*

esse in vniuerso. Tum quia non plures naturæ effectiuæ primæ; ergo nec plures eminentissimæ. Tum quia essentiæ (maximè inter quas est ordo) sunt sicut numeri; igitur sicut in numero deuenitur ad vnitatem, quæ à nullo numero dependet, sed bene ab vnitate numeri; ita in essentijs ad vnam naturam perfectissimam independentem, deueniendum est, à qua omnes aliæ dependent.

Tertia Conclusio principalis. *Vni & eidem naturæ, conuenit ratio finis vltimi. Ratio. Quia est vnus ordo rerum totius vniuersi; igitur ad vnum finem ordinantur. Confirmatur. Quia in quocunq; genere causæ, duas esse causas totales, non subordinatas, eiusdem rei, implicat contradictionem; ergo & duos fines simpliciter vltimos.*

Vltimò probantur prædictæ Conclusiones vna ratione satis euidenti in fine Articuli posita, ibi. Hoc etiam confirmatur &c.

ARTICVLVS QVARTVS.

An Ens simpliciter primum, sit intelligens & volens, & qualis sit eius intellectio, ac volitio.

Ostenso esse de proprietatibus relatiuis primi Entis, &c.

SVMMA TEXTVS.

Prima Conclusio. *Deus est intelligens & volens. Probatur tripliciratione in textu. Postea contra Tertium Argumentum, dantur tres instantiæ & resoluuntur. Textus est satis clarus.*

Secunda Conclusio. *Intellectio & volitio primi Entis, non est aliud ab Essentia eius. Ratio in textu est subobscura: sensus tamen illius hic est. Omne simpliciter primum & incausabile, est idem realiter primo Enti, quod etiam est simpliciter incausabile & vnum; sed causalitas primi finis, quæ est mouere primum efficiens, sicut amatum ab ipso, (seu quòd primum efficiens amet primum finem, & consequenter velit, quia amor, & volitio idem sunt) est penitus incausabilis, vt patet ex Tertia parte Primi Articuli; ergo erit idem primo Enti. Cõfirmatur. Quia si amor primi Entis esset causabilis, esset causabilis ab agente ex amore finis, & consequenter præsupponeretur amor primo amori: & hic amor præsuppositus, vel esset causabilis vel non: si non; habetur intentum, quia de isto primo loquor: si esset causabilis; vel igitur erit processus in infinitum, vel statur: erit ad identicum ipsi essentiæ amorem. Similiter argui potest de intellectione. Cætera sunt clara in hac parte.*

Tertia Conclusio. *Nullum intelligere potest esse accidens primæ naturæ. Probatur quadruplici ratione efficaci à Doct. Illæ tres aliæ quæ in textu resoluuntur, tanquam minus euidenter concludentes: sunt F. Alex. de Alex. in 1. dist. 35. q. 2. ar. 5.*

Quarta Conclusio. *Intellectus primi Entis intelligit semper, actu necessario, et distincto, quodcunq; intelligibile prius naturaliter, quàm ista intelligibilia sint in se. Et hoc vltimum intelligitur, de intelligibilibus omnibus alijs à primo Ente.*

Obiectiones, quæ contra hanc Conclusionem, & præcedentes adduci hic possent, commodius proponuntur & resoluuntur infra dist. 39.

Illa autem in textu de arte vniuersali, sufficiente ad producenda singularia, & consequenter inferri posset, quòd sufficeret supremo omnium rerum artifici vis & notitia vniuersalis, non autem distincta omnium singularium; solui debet ex Doct. supra ex quæst. vlt. Prol. & quodl. 8. & in 1. Met. q. 5. quòd ars vniuersalis, est quidem dictatiua de productione alicuius, sed in vniuersali & speculatiuè; notitia verò immediatè directiua, & immediatè ac completè practica respectu alicuius producibilis in particulari, est notitia particularis. Quare ars vniuersalis non est sufficiens ad productionem immediatam alicuius particularis, sine arte vel experientia particulari, vt vult etiam Philosophus in principio suæ Metaph.

Verùm in hoc Articulo non mediocris est difficultas de illa Doctoris propositione, ratione 3 ad Primam Concl. posita, quòd nimirum si prima causa moueret necessariò, & non contingenter, sequeretur, quòd quælibet alia causa necessariò moueretur & necessariò causaret: ista enim consequentia videtur multis Theologis esse nulla.

Dubitatur Primò.

Vtrum si Deus ageret ex necessitate naturæ, sequeretur, quòd nullum esset contingens in rebus.

Videtur quòd non sequeretur. Primò. Quando esse alicuius effectus necessariò dependet à pluribus causis ordinatis, defectus cuiuscunq; illarum potest inducere defectũ erga ipsum effectum: bonum enim ex integra causa, malũ autem ex singularibus defectibus: sed contingentia alicuius rei defectum importat, quia dicit mutabilitatẽ & possibilitatem ad non esse; igitur vt effectus à pluribus causis proueniens sit contingens, satis est quòd aliqua illarũ causarum sit contingens, quamuis aliæ sint necessariæ. Confirmatur. Quia sicut ex duabus præmissis, altera certa & altera incerta, sequitur Conclusio incerta; & ex prima causa perfecta, & secunda imperfecta, sequitur effectus imperfectus; ita ex prima causa naturaliter causante, & secunda liberè, effectus posset esse contingens.

Secundò. Motio primæ causæ non pertingit ad effectũ, nisi recepta in secunda causa; sed omne quod recipitur, ad modum recipientis recipitur; quia actus actiuorum sunt in patiente bene disposito; ergo motio primæ causæ modificat liberè, contingenter, aut etiam necessariò, secundũ modum ipsius causæ secundę, & sic modificata pertingit ad effectum; & ita quia priùs intelligitur motio primæ causæ modificari in causa secunda, quàm impellat causam secundam ad producendum effectum, propterea effectus non necessariò, sed contingenter producitur.

Tertiò. Oportet quòd pluralitas ab vnitate, motus ab immobili, difforme ab vniformi procedat; sed contingens habet rationem pluralitatis, motus, & difformitatis; quia põt aliter se habere; necessarium aũt habet rationẽ vnius, immobilis, & vniformis, quia impossibile est se aliter habere; ergo contingens à necessariò, & non è conuerso, procedit naturaliter; ac proinde non repugnat, sed consonat cõtingenti, quòd à simpliciter necessario ortum habeat.

Quartò. De facto sunt multi effectus contingentes, qui intrinsecè non solùm à causis contingentibus dependent; sed etiam à causis vniuersalibus necessarijs; effectus .n. inferiores dependent à Cęlo, & ab influentijs superioribus, quę necessariò agunt & operantur: sed non obstante multitudine tot causarum vniuersalium necessariò agentium, effectus sunt contingentes in rebus, propter contingentiam causarum secundarum; ergo quamuis causa omnium prima esset necessaria in causando, posset nihilominus existere effectus contingens.

Quintò. Immutabilitas primæ causæ & Diuinæ voluntatis, quæ modò est, non tollit libertatem liberi arbitrij; ergo etiamsi prima causa causaret necessariò, eius necessitas non tolleret contingentiam à rebus in causis & effectibus, propter causas secundas contingentes. Consequentia. Sicut necessitas opponitur contingentiæ, ita immutabilitas opponitur immutabilitati.

Sextò. Probatur experientia. Nam terra optimè sata & culta, fęliciùs & vberiùs fructificat, quàm inculta, licèt cęlorum concursus sit causa necessaria in agendo, & æqualiter se habet ex se ad effectus; ergo &c.

Septimò. Si opposita sententia esset vera, sequeretur, quòd operante Deo necessariò & per modum naturæ, non esset magis libera actio hominis, quàm calefactio ignis; quod est inconueniens.

Octauò. Aristot. concessit Deum agere ad extra, ex necessitate naturæ, vt deducit Doctor inf. dist. 8. q. 5. & tamen admittit contingentiam in rebus; ergo secundùm Aristot. non sequitur, quòd si Deus agit ex necessitate naturæ, tolli debet contingentia à rebus.

Ita arguunt Zumel 1. par. q. 14. art. 13, disp. 4. Concl. 4: & q. 19. art. 8. disp. 2. Caietanus ibidem, & Molina disp. 11. Vasquez 1. par. disp. 100. cap. 3. & 4. Bann. 1. par. q. 19. ar. 8. Ferrar. 1. contra gen. c. 67. Gabr. in 1. dist. 28. quæst. 1. Heru. quodl. 2. q. 4. Zuar. in Metaph. disp. 18. sect. 3.

In oppositum est Doct. Subt. hìc, & inf. dist. 8. q. 5. Item dist. 39. quodl. 7. ar. 2. & quodl. 16. Itẽ tenet Lichet. Bargius. Tartar. Paul. Scriptor, & alij Interpretes hìc. Mayr. d. 9. q. 4. Bassol. dist. 2. q. 2. & 3. Nicol. de Orbel. in 1. d. 2. q. 2. in resp.

ad 1. Ant. Andr. ibidem. Andr. à Nouo Castro in 1. distin. 45. q. 7. quamuis vtramq; Opinionem probabilem reputet, huic tamen magis adhæret. Holcot in 1. q. 3. ar. 6. Imò & multi ex Thomistis, si propositio Scotica intelligatur, huic sententiæ fauent; vt declarabitur infra.

Pro resolutione Nota Primò. In dubitatione non quęri de necessitate entitatis primæ causæ, An si Deus sit Ens necessarium in entitate, omnia alia entia debeant esse necessaria in entitate, vel contingentia? Sed sermo est de causatione primi Entis, Vtrum admissa hac hypotesi impossibili, quòd Deus causat & producat omnia necessariò, necessitate immutabilitatis, & ineuitabilitatis, sequatur ex tali Antecedente hæc consequentia; Ergo nulla causa secunda contingenter causat; ergo nulla est in rebus contingentia.

Si Deus necessariò ageret tali cõcursu quali modo cõcurrit liberè cum causis secundis esset contingẽtia in rebus.

Verùm adhuc tam Antecedens quàm consequens subdistingui debet: vel enim in Antecedente illorum verborũ, Deus causat omnia necessariò, sensus est, Si causaret Deus omnia secundùm istum concursum, secundùm quem modo ad actionem causarum secundarum de facto concurrit, non secundùm vltimum potentiæ suæ, sed secundùm propositum beneplaciti sui, & tali modo causando, causaret non liberè, sed naturaliter, an causæ secundæ liberæ possent agere contingenter? Et dico: quòd agerent contingenter causæ secundæ contingentes, puta voluntas nostra; quia ille concursus causæ primæ, cùm esset æqualis huic, quo de facto concurrit Deus; & iste non necessitat actionẽ causarum secundarum, nec ille necessitaret, si prima causa tali concursu necessariò ageret. Vel secundò sensus est Antecedentis. Si Deus immediatè concurrendo effectiuè ad omnes effectus positiuos causarum secundarum, causaret illos naturali modo, secundùm vltimum potentiæ suæ, alio concursu quàm isto, quo modo influit suauiter, ita quòd non esset in potestate eius liberè causare, sic vel sic, intensè aut remissè; an ex tali causatione Dei sequeretur, quòd nulla causa secunda contingenter causaret: & in hoc sensu accipiendo Antecedens; concedit Doctor consequentiam.

Quòd autem in isto sensu accipit hanc Doctor propositionem, manifestum est: Tum hìc respondendo ad Tertiã instantiam contra Tertiam rationem adductam, vbi docet quòd prima causa necessariò impediret contingentiã causę secundæ, si naturaliter ageret; sed non potest impedire agẽdo tali concursu, quo nunc agit, sed agendo secundùm vltimum potentiæ; ergo tali modo intelligit actionem Diuinam debere concurrere, vt causæ secundæ necessariò agãt. Tum clarissimè infra dist. 8. q. 5. vbi volens ex hoc Antecedente, Aliquod malum fit in vniuerso, inferre hanc Consequentiam; Igitur Deus non necessariò causat: probat illã sic. *Agens necessariò producit effectum suum in susceptiuo, quãtùm potest produci in eo.* Idemq; paulò infra confirmans dicit: *Omnis causa necessariò agens, agit secundùm vltimum potentiæ suæ; quia sicut non est in potestate sua agere & non agere, ita nec intensè & remissè agere; ergo si prima causa necessariò causat, causat quicquid potest causare*, vbi expresè habetur, quòd si prima causa naturaliter causaret, causaret secundùm vltimum potentiæ suæ.

Thomistæ malè intelligunt positionẽ Scoti in præsenti dubit.

Ex his patet. Quòd malè Zuar. & Zumel, atq; his peiùs Molina locis citatis attribuunt Doctori priorem sensum Antecedentis, negando posteriorem: cùm tamen oppositũ expresè habeatur in litera Doctoris.

Contingẽs opponitur necessariò.

Nota Secundò. Contingens (vt hìc sumitur) opponitur necessario: & sicut Ens necessarium illud est, quod ita est, vt repugnet sibi non esse; ita contingens illud erit, quod ex se non necessariò est, & dum est, potest non esse: & sic oĩa pręter Deum sunt contingentia, quia & poterant nõ esse, quæ sunt, & de facto possunt omnia annihilari, & desinere esse. Posito igitur, quòd Deus secundùm vltimum potentię esset actiuus necessariò, & posito, quòd ad productionem cuiuslibet rei concurreret, vt quodl. 8. ostẽditur, sequitur, quòd necessariò & non contingenter omnia fuissent producta; & ita non esset contingentia quoad produci & existere rerum. Secundò potest sumi contingentia in cõsequentia limitatiùs pro omni actu primo vel secundo voluntatis, sic quòd si Deus non ageret liberè & contingenter sequeretur quòd nulla daretur voluntas, à qua actus contingenter & liberè elici posset. Quãuis aũt contingentia in priori modo vel maximè inferatur à Doct. tamen etiam secundus est ad propositum. Et hinc patet quòd vt Antecedens, ita & consequentia pręsentis Dubitationis subdistingui debet.

Nota Tertiò. In ista propositione, Deus ad extra agit necessariò, ly necessariò, potest supponere vel pro modo causandi merè naturali, procedente à principio necessariò, distincto contra liberum, nempe contra voluntatem; & sic iste modus supponeret Deum nõ esse intellectiuum & volitiuũ. Alio modo potest supponi pro actu necessario, procedente à principio necessariò procedente, non distincto contra liberum, quomodo actus sperandi in Diuinis est actus necessarius procedens à principio necessario, libero tamen, nempe à voluntate fęcunda: & iste modus concederet, quòd Deus viuens intellectiuum liberum posset producere ad extra, non contingenter, sed necessariò, liberè tamen, illo modo quo dist. 13. dicitur de productione ad intra Spiritus Sancti. Vtroq; modo in præsenti Dubitatione potest accipi textus. His prænotatis sit

Deus a[d ex]tra agi[t ne]cessariò

Prima Conclusio. Si per impossibile Deus ageret ex necessitate naturæ, ita quòd principium agendi in ipso non esset voluntas, sed merè naturale; sequeretur, quòd nulla esset voluntas nedum contingentia voluntatis ad actus in vniuerso. Ratio habetur: Tum ex 1. Notabili. Tum quia viuens intellectiuum, impossibile est produci à non viuente, nec intelligente: sed ista suppositio, supponit Deum non esse intelligentem aut volentem; ergo non esset possibile produci ab illo viuens intellectiuum; igitur si prima causa non esset productiua volitiui Entis, quæ causa prima in ratione causandi est perfectissima, à fortiori nulla alia causa posset producere Ens intellectiuum & volitiuum: quare si Deus ageret ex necessitate naturæ, ita quòd in ipso non esset principium intelligendi & volendi, nulla voluntas creata possibilis esset in vniuerso.

Si Deus [ag]ẽ[ret] na[tu]rè & non [...]rum, [...] esset [...]tas in [vni]uerso.

Istam Conclusionem acceptat Zumel 1. par. q. 29. art. 8. disp. 2. Bannes supra, &c.

Secunda Conclusio. Siue principium naturale esset, quo Deus res causaret ad extra necessariò, siue voluntas necessariò producens; si Deus secundùm vltimum suæ potentiæ infinitæ causaret, se solo, absq; concursu causarum aliarum extra; sequeretur nullum Ens ab ipso productum existere contingenter. Ratio est. Quia si causa simpliciter necessariò causans necessariò poneret effectum, sequitur quòd quicquid Deus simpliciter necessariò causaret, secundùm vltimum potentiæ suæ, illud simpliciter necessariò esset.

Istam Conclusionem concedit Heru. Gabr. Zuar. Ferr. locis cit. Et res est euidens ex terminis.

Tertia Conclusio. Si Deus ageret ex necessitate naturæ, secundùm vltimum potentiæ suæ, quemcunq; effectum cum concursu causæ secundæ produceret, ille effectus nullo modo contingenter, sed necessariò causaretur, esto quòd causa secunda apta esset causare contingenter. Exemplum. Respectu meę volitionis, voluntas est secundũ se causa libera, & contingenter illam elicit; si igitur Deus, vt de facto concurrit liberè, concurreret cum mea voluntate necessariò necessitate simpliciter, secundùm vltimum potentiæ suæ producendo volitionem meam, dicit Cõclusio, quòd ille actus voluntatis esset productus simpliciter necessariò, nõ contingẽter, ita ꝙ impossibile esset ipsũ nõ esse.

Si Deus [age]ret ne[cessa]riò ex[...] quereti[r] nullum [...] conting[entia in] rebus.

Ista Conclusio differt à præced. in hoc, quia supponit determinatè principiũ operandi in Deo, esse voluntatem necessariò prdducentem res.

Probat hæc Concl. Primò. Cuius effectus causæ oẽs simpliciter necessariò agũt, ille effectus est simpliciter necessarius, (vt est terminus talis actionis necessariæ) & non cõtingens; sed si Deus agit sm̃ vltimum potentiæ necessariò, oẽs causæ illi subordinatæ, agent necessariò sm̃ vltimum potẽtiæ; ergo oĩs effectus productus à causis secundis, & à Deo naturaliter agente, ac talem effectum producente, esset necessarius, non contingens. Maior istius rationis conceditur in Secunda Conclusione, ab aduersarijs. Minor probatur. Causæ in essendo & causãdo subordinatæ causæ primæ, sũt finitæ, vt dictum est Art. 1. & communiter conceditur: Accipio ergo causam immediatè subordinatam causæ primæ, & quæro: Quando illam Deus secundùm vltimum

potētiæ ſuæ mouet ad actionem, vel illa cauſa ſubordinata neceſſariò,& ſcdm vltimū potentiæ mouetur, vel non? Nō poteſt dici negatiuè: Tū quia agens naturaliter & neceſſariò, præſertim ſuperius, producit in inferiori tm̄ effectum, quantus pōt produci in eo: Tū quia maior eſt virtus actiua mouentis ſuperioris, quàm potentia mobilis inferioris, ac proinde neceſſariò virtus actiua ſuperior, vincit omnē renitentiam in agente inferiori, ſi neceſſariò & ſecundū vltimum potentiæ mouetur; ergo neceſſariò cauſat effectum. Vlterius. Prima cauſa cum iſta immediatè ſubordinata, neceſſariò mouet cauſam tertiam: igitur illa tertia neceſſariò mouetur, vt & cauſa immediata: & ita de alijs cauſis arguo concurrentibus ad productionem alicuius effectus: vnde habebitur intentum, quòd omnes cauſæ ſubordinatæ, quia neceſſariò mouerentur à prima cauſa, & effectus earum eſſet neceſſarius.

Confirmatur ratio per dictum Doctoris in textu, cauſa ſecunda quælibet, ita dependet à prima in cauſando, quòd non cauſet, niſi vt mota à prima; ſi igitur prima cauſa neceſſariò moueret, ſecunda cauſa neceſſariò cauſaret.

Caiet. reſpondet ar. m. Scoti.

Ad hanc Confirmationem reſpondet Caietanus Primò. Dupliciter cauſa ſecunda moueri poteſt à prima: vno modo motione præuia actioni propriæ, ſicut baculus mouet lapidem motus à manu; alio modo motione cooperatiua intrinſecè propriæ actioni coagendo ſuauiter: & quicquid ſit de Maiore in primo ſenſu, in ſecundo tamen eſt falſa, in quo tamen verificatur Maior. Reſpondet Secundò. Diſtinguendo ly in quantum mota, qm̄ poteſt denotare cauſam præciſam, & poteſt denotare concauſā: & ſi denotet cauſam præciſam, Minor eſt falſa; ſi cōcauſam, Maior eſt falſa.

Caietani reſponſio eſt inſufficiēs.

Verùm vtraq; reſpōſio Caiet. eſt inſufficiens. Prima. Tū quia, ſi motio accipiatur primo modo (de quo aliàs, interim vide in 2. diſt. 3. q. 8.) in quo ſenſu concedunt Thomiſtæ præuia motione à Deo cauſas ſecundas excitari ad operandum, adhuc Argumētum eſt inſolutum; quia ſi mouens ſimpliciter neceſſarium, moueat motione ſimpliciter neceſſaria cauſam inferiorem, illa cauſa inferior neceſſariò mouebitur, vt etiam Caiet. concedit: Tum quia in ſecundo ſenſu, non eſt ad propoſitum accipere; nam Deus ideo modo ſuauiter omnia diſponit; quia cooperatur cauſis ſecundis, ſecundùm exigentiam cauſarum, modificando cōcurſum ſuum, cum liberis liberè, cum naturalibus quaſi naturaliter: ſed ſi cauſaret neceſſariò, ſecundùm vltimum potentiæ ſuę; non cooperaretur ſecundùm hunc concurſum cauſis ſecundis, ſm̄ quem modò de facto cōcurrit; ſed lōgè alio, nimirū concurſu violētatiuo, & (vt ſic dicam) neceſſitatiuo, determinaret cauſas ſecundas ad agēdū neceſſariò.

Deus agēret ex neceſſitate naturæ, aliter cauſas ſecundas moueret quam nunc mouet.

Reſponſio igitur hæc Caiet. dupliciter deficit. Primò. Quia ſupponit, quòd Deus ita concurreret cū cauſis ſecundis ſi neceſſariò ageret, quomodo nunc concurrit: hæc. n. ſuppoſitio & eſt falſa; quia omne agens neceſſariò, agit ſecundùm vltimum potentiæ, ac proinde non ita vt agens liberū, ſic vel ſic, remiſſè aut intensè agens; & non ad mentē Doct. Subtilis, vt dixi Notabili 1. Secundò deficit. Quia diuiſio motionis Diuinę, eſt inſufficiens; nā quamuis de facto prout Deus liberè concurrit cum cauſis ſecūdis ad actionē earū, poteſt intelligi vel præuia actione mouere, vel ſimul cooperari cum alijs cauſis; hypoteſi tamen hac impoſſibili ſuppoſita (quam ſupponit præſens dubitatio) ꝙ Deus ageret neceſſariò ſecundùm vltimum potentiæ, non ageret Deus tunc ſuauiter cū cauſis ſecundis, iſto modo quo nunc agit, cooperando vel motione prçuia liberè & remiſſè mouendo: ſed vel motione præuia ſummè neceſſaria, vt dixi, violentaret cauſas ſecundas ad neceſſariò agendum; vel cooperando, impediret cauſas ſecundas à propria virtute.

Secunda item reſponſio non eſt ſufficiens. Quia ſiue illa reduplicatio denotet cauſā præciſam, adhuc Minor eſt vera; quia illæ cauſæ ſecundæ nullam poſſent habere actiuitatem contingentem, ob violentiam ſuperioris agentis neceſſitantis illas ad modum ſuæ naturæ in agendo: ſiue ſumit pro concauſa, adhuc non poterit cauſa ſecunda longè inferioris virtutis neceſſitationi primæ cauſæ ſubiecta, non neceſſitari in agendo.

Per idem patet quòd reſponſio Zumel non ſatisfacit, dū negat cauſam ſecūdam motam neceſſariò à prima, debere neceſſariò moueri. Cauſa enim prima (dicit ille) ſtat quòd neceſſariò moueat ſecundam, & ſecūda moueatur contingenter, quia videlicet motio cauſæ primæ, modificatur in cauſa ſecunda, iuxta modum cauſæ ſecundæ: Hæc reſpōſio in hoc deficit. Quia modificatio motionis cauſæ primæ, eſto quòd poſſit concedi, quando cauſa prima vult ſuum concurſum pro nunc ſecundùm exigentiam cauſæ ſecūdæ impendere & modificare: ſi tn̄ neceſſariò moueret cauſa prima, tunc ſimpliciter non à concurſu cauſarum ſecūdarū concurſus cauſæ primæ modificaretur, ſed è cōtra, cōcurſus neceſſarius cauſæ primæ neceſſariò agentis, omnem cōcurſum cauſę ſecūdæ ſuo cōcurſui aſſimilaret, & modificaret.

Deus poteſt omnē contingētiā impedire.

Probatur Secundò Concluſio. Deus habet ita perfectā cauſalitatem (loquendo ſecundùm veritatem Theologicam) quòd, ſi vellet, poſſet omnem contingentiam impedire, vt concedunt omnes Theologi: igitur ſi neceſſariò ſecūdùm vltimum potentiæ ſuæ ageret, omnem impediret cōtingentiam. Conſequentia. Quia ſiue voluntarium illud agēs primum eſſet, ſed neceſſarium (iſta enim duo bene poſſunt eſſe in eodem, reſpectu eiuſdem actus, vt declarat Doctor diſt. 13. & quodl. 16.) tunc ſicut volūtariè agendo poſſet impedire omnem contingentiā, ita & voluntariè neceſſariò agendo violentaret vel impediret; ſiue eſſet agens neceſſarium naturale, & non volūtariū, adhuc quia eſſet virtutis infinitæ tale agens, agendo ſecundùm vltimum potētiæ ſuæ, neceſſitaret cauſam ſecundam finitam ad agēdum.

Neceſſariū & voluntariū poſſunt ſtare ſimul.

Tertiò. Agens neceſſarium non impeditū, remouet omne prohibens actionem, & ita remouet prohibitionem neceſſitationis, atq; adeo neceſſitat alteram naturam ad agēdum ſi poteſt; ſed Deus in ſuppoſitione pręſenti, eſt agens neceſſarium, & nō impeditum, nec impedibile, ob infinitatem virtutis ſuæ, quominus alias cauſas poſſit neceſſitare; ergo Deus ſi eſſet agēs neceſſarium, neceſſitaret alias cauſas ad agendum. Minor patet. Quia ſi aliquid impedire poſſet eius infinitam virtutem, illud eſſet vincēs virtutē eius actiuā; ſed tale vincens eſt impoſſibile, nec enim datur aliquid perfectius & intenſius virtute infinita, daretur autem ſi cōcederetur aliquid vincēs virtutem infinitam neceſſariā; ergo Deus remouet omne prohibens neceſſitationē alterius cauſæ, ſi pōt; ſed poteſt reſpectu omnis cauſæ ſecundæ, quia eſt infinitus in virtute; ergo ſi neceſſariò agit, neceſſariò neceſſitat omnem cauſam ſecundam ad agendum.

Quartò. Si prima cauſa agente neceſſariò, ſecundùm vltimum potentiæ ſuæ, ſecundæ non neceſſariò agerent, ſed contingenter, ſequeretur quòd nullum malum eſſet in vniuerſo, & aliquod malum eſſet; & quod virtus finita eſſet intenſior virtute infinita: quę ſunt impoſſibilia; ergo ſecundæ cauſæ neceſſariò agerent, agēte prima cauſa neceſſariò. Sequela prima oſtenditur. Si prima cauſa naturali neceſſitate agit ad extra; ergo quidquid boni poteſt cauſare, cauſat, & quantùm poteſt ſecundùm vltimum potentiæ ſuæ, tollit omne malū (ſiue naturæ, ſiue culpæ) quod poteſt tollere, & cauſa ſecunda operans contingenter, poteſt deficere à dictamine rectæ rationis, & ſic cōmittere malum culpæ, vel à communi lege naturę producendo monſtrum, quod eſt malum naturale, igitur erit omne bonum auferēs omne malum, & tn̄ exiſtēs malum, quod eſt contradictio aperta.

Malum naturæ, & culpæ, ex quibus cauſis proueniāt?

Confirmatur. Si aliqua malitia poſſet eſſe in Entibus ſecundis; ergo non à cauſa prima, ſed à ſecunda, vt dictū eſt; vel igitur poteſt impedire cauſa prima malum hoc, ne fiat à cauſa ſecunda, vel non poteſt; ſi poteſt, cùm neceſſariò (ex ſuppoſitione loquor) agat, neceſſariò impediet: ſi non poteſt; ergo cauſa ſecunda, erit intenſior ad reſiſtēdum cauſę primę, quàm prima ad producendum ſuum effectum.

Cauſa prima prius naturaliter reſpicit cauſatum, quā poſterior, ſecus quis?

Quinta ratio poteſt eſſe. Cauſa prima prius naturaliter reſpicit cauſatum, quàm cauſa poſterior, vt habetur lib. de cauſis, propoſ. 1. ergo ſi neceſſariò agit ſecundùm vltimum potentiæ ſuę, in illo priori in quo dr̄ eſſe prior, quā cauſa ſecūda, iā pręintelligitur totus effectus cauſatus à prima; igitur ſecunda cauſa non intelligitur cauſare tale effectum.

Ad hanc rōnē reſpondet Caiet. Primò, obijciens modificationē cauſę primę in illo priori. Deinde dicit, procedere primā cōſequētiā ex puerili ſenſu illius propoſitionis, quaſi verò prior cauſa, ſecūdū durationem, in primo inſtāti effectū reſpiciat, & cauſa ſecunda in alio inſtanti. Sed in primis

iſta modificatio (vt dixi in 1. Argum.) non eſt ad propoſitum, quia potiùs concurſus Dei modificaret concurſum cauſæ ſecundæ, quàm è contra. Deinde quòd in ſenſu à Caietano vſurpato procedat Doctoris conſequentia, falsò id attribuit Caiet. Doctori. Nam in 2. diſt. 1. q. 3. §. *Tenentes autem primam Opinionem*, hæc habet Doctor: *Dico de cauſa, quòd cauſa non cauſat inquantum precedit effectum duratione, ſed eſt cauſa inquantum præcedit effectum natura*; Ergo ſecundùm Doctorem, non requiritur, vt cauſa prior priùs duratione cauſet, & poſterior poſteriùs, (vt pluribus ab eodem declaratur infra diſt. 3. q. 9. & in 2. diſt. 3. q. 8.) Sed eſt ratio ſubtiliſſimæ abſtractionis de priori naturæ, quæ eſt prioritas intelligibilitatis rei, in re fundata: cuius vis eſt talis, cauſa prima priùs prioritate naturæ (non durationis) reſpicit cauſatum, quàm cauſa ſecunda: in illo igitur priori naturæ, (non durationis) vel intelligibile eſt, quòd cauſa neceſſariò cauſans, producit neceſſariò effectum, vel nõ eſt intelligibile: non ſecundum; quia in iſto priori intelligibilitatis, intelligitur cauſa prima in ratione actualis cauſæ, & ita in ratione cauſæ actualiter cauſantis: ſi primum; ergo intelligibile eſt ab intellectu hoc, quòd cauſa prima neceſſariò cauſante, cauſæ ſecundæ non modò contingenter non cauſent, ſed quòd nullo modo cauſent; quia vt inquit ibidem Doctor, iam præintelligitur totus effectus cauſatus à cauſa prima. Notanter additur à Doct. *præintelligitur*; quia in priori naturæ, vna cauſa eſt intelligibilis abſq; altera, licèt priùs duratione non cauſat ſine illa.

Reſponſio ad rationé Scoti, reiicitur.

Ad Argumenta.

Ad Primum. Reſpondeo Primò. Negando Minorem; contingentia enim eſt poſitiuus modus Entis, ſub disiunctione Enti conueniens, non aliquis defectus.

Reſpondeo Secundò. Diſtinguendo Maiorem; vel dependet effectus à pluribus cauſis ſubordinatis, mutuam actiuitatem propriam & non impedibilem habentibus, vel impedibilem: ſi non impedibilem, ſic vera eſt Maior, ſed falſa eſt illa Minor, quòd ſi Deus ſimpliciter neceſſariò ageret cum cauſis ſecundis, quòd illæ cauſæ ſecundæ haberent actiuitatem non impedibilem: ſi impedibilem cauſæ ſecundæ habent actiuitatem, Maior eſt falſa.

Effectus à plurib. cauſis ſubordinatis, quomodo depédeat?

Ad Confirmationem. Dico, Concluſio ſequitur partem debiliorem, ſimiliter effectus imperfectus ſequitur imperfectionem cauſæ imperfectæ, quia defectus & imperfectio, eſt à cauſa deficiente & imperfecta: ſed contingentia non eſt defectus vel imperfectio, vt dicitur ſequenti Dubitatione; ergo comparatio non eſt ad rem. Dico Secundò. Si per impoſſibile præmiſſa vera, præmiſſam contingentem poſſet ad veritatem violentare, ſimiliter ſi cauſa perfecta naturalis, violentaret imperfectam ad modum producendi perfectum; verè & Concluſio ſequeretur vera, & effectus perfectus: ita eſſet in propoſito, ſi Deus ageret neceſſariò, quòd violentaret cauſam omnem ſecundam ad modum neceſſariò agendi: quia tamen de facto vtraq: præmiſſa cauſat modo quælibet ſuo notitiam Concluſionis, & duæ cauſæ, quarum vna eſt imperfecta & altera perfecta, cauſant effectum iuxta modum ſuæ naturæ, poteſt effectus aſſimilari cauſæ inferiori, non ſuperiori, vt dicitur diſt. 3. q. 9. ſed non item, ſi ſuperior cauſa totaliter neceſſitaret, & determinaret cauſam ſecundam: prout dicimus in propoſita materia.

Ad Secundum. Motio cauſæ primæ libera & contingẽs, eſto quòd modificatur à tali vel tali paſſo: ſi tamen illa motio eſſet ſimpliciter neceſſaria, ipſa motio ſimpliciter modificaret & determinaret quodlibet paſſum, & non modificaretur à paſſo.

Ad Tertium. Reſpondeo Primò. Si ſub illa Maiori ſubſumeretur iſta Minor; ſed Deus eſt vnus, creaturæ plures, Deus immobilis, creaturæ mobiles, Deus vniformis, creaturæ diſſormes, optimè inferretur iſta Cõcluſio; igitur creaturæ à Deo procedunt; ſed nunc, alio modo vnitas & pluralitas in Maiori accipitur, alio modo in Minori: in Maiori enim accipitur vnitas & pluralitas entitatiua, ſic, quòd pluralitas entium eſt ab vno Ente; in Minori autem accipitur pluralitas modificatiua, quia nimirum res in ſe vna entitatiuè, poteſt ſe habere alio & alio modo, nempe exiſtere vel non exiſtere: idem dico de mobili, & diſſormitate. Argumentum igitur Caietani laborat æquiuocatione.

Reſpondeo Secundò. Argumentum tantùm concludit (ſi quid valet) quòd contingentia ſunt à Deo vno, immobili, vniformi; quod verum eſt: ſed addo, ſunt à Deo liberè cauſante, non neceſſariò: ſi autem cauſaret neceſſariò, nulla eſſet contingentia.

Ad Quartum. Reſpondeo Primò. Omnes cauſæ ſecũdæ, ſicut quoad exiſtentiã ſunt ſimpliciter contingentes, ita & quoad cauſalitatẽ; quicquid.n. cauſant, contingenter cauſant: dicuntur tñ quædã earum naturales; à principio naturaliter non liberè actiuo: ſimpliciter tñ poſſunt in actione ſua impediri, etiam iſtæ cauſæ dictæ naturales, atq; ita ſunt contingentes; vnde nullus effectus de facto dependet à cauſa ſimpliciter neceſſaria in cauſando. Reſpondeo Secundò (iuxta dicta) cauſæ ſubordinatæ, dupliciter poſſunt concurrere ad actionem: vno modo, vt vna non impediatur ab alia, ſicut modò cauſæ naturales & liberæ concurrunt reſpectu vnius effectus, vt probat argumentum: vel ſecundò, quòd vna cauſa alteram ad ſuum agendi modum violentet, ob naturalem propenſionem & vim agendi longè perfectiorem, eamq; neceſſariam; & ſic de facto non eſt actio, eſſet tamen data hypotheſi; ſi Deus ageret ex neceſſitate naturæ, ſecundùm vltimum potentiæ.

Omnes c[…] ſæ ſecu[…] ſunt con[…] gẽtes, qu[…] dam ta[…] dicũtur […] turales, q[…] re?

Ad Quintum. Negatur conſequentia: quia immutabilitas Diuinæ ſcientiæ vel volitionis, non eſt actiua reſpectu noſtri liberi arbitrij, vel actuum voluntatis: ſecus eſſet, ſi eſſet cauſa neceſſaria, neceſſariò cauſans noſtram volitionem, tunc enim ex ſummæ virtutis actiuæ prędominio, neceſſitaret noſtram voluntatem.

Hinc patet reſponſio & ad confirmationem.

Ad Sextum. Patet quid dicendum ſit, ex reſponſione ad Quartum.

Ad Septimum. Imò dico quòd magis eſſet operatio hominis neceſſaria, quàm modò operatio ignis; quia nunc actiuo naturali & paſſiuo applicatis, nec impeditis, naturaliter non tamen ſimpliciter neceſſariò, ſequitur operatio; vt patuit in fornace Babylonica, circa Sanctos iuuenes; operatio autem hominis, ſi Deus neceſſariò ageret, ita neceſſariò eueniret, quòd impoſſibile eſſet ipſam non euenire, ſicut impoſſibile eſſet primam cauſam non cauſare, ſi neceſſariò cauſaret.

Si Deus n[…] ceſſariò […] geret, op[…] tio homi[…] ita neceſ[…] riò eue[…] ret, quód […] poſſibile[…] ſet eam […] euenire. Ariſtot. a[…] miſit cõt[…] dictoria […] tenter.

Ad Octauum. Reſpondet Doctor, Ariſtotelem latenter admiſiſſe duo contradictoria, vt reuera admiſit. Nam Deũ eſſe virtutis infinitæ, docuit Ariſtot. vt dicitur ſeq. Artic. & quòd concurrat ad actionem cauſarum ſecundarum, elicitur ex eodem, tum 8. Phyſ. tum 12. Met. tũ ex 2. Metaph. & ſubordinatione eſſentiali cauſarũ, vt diximus art. 1. Dicere igitur, quòd Deus agat neceſſariò ſecundùm vltimum potentiæ infinitæ, & dicere quòd illa cauſa (quam Deus mouet ſummè neceſſariò) non neceſſitatur, eſt aperta contradictio, prout etiam in hoc paſſu ſubſcribit Doctori Suar. diſp. 19. ſuæ Metaph. ſect. 3. num. 16. De hac contradictione Philoſophi, vide plura diſt. 8. q. 5.

Dubitatur Secundò.

An contingentia agendi, Deo attribui debet?

Videtur quòd non. Primò. Contingentia eſt imperfectionis; ergo non eſt Deo attribuenda. Antec. Contingentia dicit illud quod poteſt eſſe & non eſſe: eſſe autem & non eſſe dicit mutationem, mutatio imperfectionem; igitur & contingentia dicit imperfectionem.

Secundò. Effectus contingens Phyſicè & moraliter, dicit intrinſecè ac formaliter ordinem ad cauſam impedibilem; Deus autem non eſt cauſa impedibilis, ſed cauſa ſecunda; igitur effectus cõtingens erit à cauſa ſecunda, & nõ à Deo.

Ita communiter docent Thomiſtæ locis præced. Dubit. citatis, maximè Caiet. Zumel. & Bann. qui in pleriſq; locis tractando de futuris contingentibus, vel de libera actione Dei, docent Deum cauſare liberè, non tamen contingẽter. Vnde dicunt quòd quamuis Deus ſit prima cauſa & radix contingentiæ, per ſuam efficacem voluntatem, effectus tñ ipſi formaliter dicuntur contingentes, non per reſpectũ & habitudinem ad causã primã, ſed per habitudinẽ ad ſecundam, atq; ita nõ debet Deus denominari agẽs cõtingẽs, cũ nõ ſit agẽs defectibile, bene tamen liberũ agens dici poteſt.

Oppoſitum

Contingentia agendi potest Deo attribui.

Oppositum docet Subt. Doct. tum hic, tū in plerisq; locis alijs. Quòd Deus vt agēs liberū, ita & agens contingēs denominari potest. Quem sequuntur omnes eius discipuli. Et quamuis resolutio huius plenior dependeat ex solutione alterius quæstionis, quæ dist. 39. pertractatur de radice contingentiæ, nunc tamen quantùm ad notitiam præsentis textus attinet. Sciendum est. Quòd causa contingens dupliciter potest dici (vt bene adnotauit Rada Controu. 30. art. 3.) Vno modo communissimè, quia potest agere vel non agere, abstrahendo ab hoc, quòd non agere prouenit ex imperfectione causæ, quia scilicet est impedibilis, & quoad agere proueniat ex perfectione voluntatis: alio modo strictiùs dicitur causa contingens, quæ nimirū potest agere vel non agere, ex imperfectione suæ virtutis. Isto secundo modo dicit contingens imperfectionem, sicut & ipsa cōtingentia; ac proinde meritò negatur à Thomistis talis contingentia conuenire Deo, nec Scotistæ hoc intendunt illi attribuere: Primū modo, cùm nullam includat imperfectionem, Deo attribuitur à Scoto, & Scotistis, tum hic, tum aliàs: nec est quòd negetur à Thomistis.

Contingēs causa duplex.

Ad Argumēta. Ad Primū. Negatur Antecedens, q̄ contingentia præcisè sumpta, in causa contingenter causante, dicat imperfectionem: licèt semper in causato contingentia imperfectionem dicat, quia tale causatum potest esse & non esse. Et hoc non plus probat prima ratio.

Contingentia in causa nō dicit imperfectionem, sed in causato.

Ad Secundū. Omnis effectus in ratione causati, dicit formaliter habitudinem ad suam causam; si igitur sit causa impedibilis, à qua ille effectus est, dicit habitudinem ad causam impedibilem; si non sit impedibilis, dicet habitudinem ad causam non impedibilem. Maior igitur illius argumenti sumpta vniuersaliter, est falsa.

ARTICVLVS QVINTVS.

Ostenditur principale intentum Quæstionis, quòd detur Ens simpliciter infinitum.

Ostensis igitur his præambulis, arguo infinitatem quatuor vijs, &c.

SVMMA TEXTVS.

Datur actu existēs Ens simpliciter infinitum.

Conclusio *huius Articuli, & totius Quæstionis, est: Datur actu Existens Ens simpliciter infinitum. Probatur id per viam efficientiæ: deinde ex modo intelligendi: tertiò per viam finis: quartò probatur idem ex eminentia primi Entis, quadrupliciter: Deinde adfertur modus probandi aliorum ex negatione causæ intrinsecæ, & reijcitur.*

In secunda parte Articuli, epilogatur Articulus, quomodo ostensum sit Deum esse infinitum. Et breuiter, ordo omniū Conclusionum, quæ in hac Quæstione pertractantur, (vt videas ingenij vbertatem in hoc Doctore, eiusque doctrinæ intensionem, quamque multi scientiæ nodi in vna quæstione resoluantur ab hoc subtilissimo Doctore) is assignari potest.

Summatim colligitur totius Quæstionis huius doctrina, per conclusiones.

Prima Cōclusio. *Aliquod effectiuum est simpliciter primū.*

Secunda. *Infinitas essentialiter ordinatorum, est impossibilis.*

Tertia. *Infinitas accidentaliter ordinatorum est impossibilis, si non ponatur status in essentialiter ordinatis.*

Quarta. *Negato ordine essentiali in causis, adhuc infinitas est impossibilis.*

Quinta. *Simpliciter primum effectiuum est incausabile, à causis tam extrinsecis, quàm intrinsecis.*

Sexta. *Primum effectiuum est actu existens.*

Septima. *Aliquod Ens finitiuum, seu in ratione finis, est simpliciter primum.*

Octaua. *Primum finitiuum est incausabile simpliciter.*

Nona. *Primum finitiuum est actu existens.*

Decima. *Aliqua natura secundùm eminentiam & perfectionem, est simpliciter prima.*

Vndecima. *Natura perfectissima est incausabilis.*

Duodecima. *Natura secundùm perfectionem simpliciter prima, actu est in vniuerso.*

Decimatertia. *Illud Ens, quod est primum effectiuum, est etiam primum finitiuum.*

Decima quarta. *Ens primum secundùm efficientiam, est etiam primum secundùm eminentiam.*

Decima quinta. *Prima causa effectiua, est ex se necesse esse.*

Decima sexta. *Prima causa habens ex se necessitatem essendi, est tantùm vna singularis natura.*

Decima septima. *Primum efficiens est intelligens & volens.*

Decima octaua. *Si primum efficiens necessariò ageret extra, omnia euenirent necessariò.*

Decima nona. *Intellectio & volitio primi intelligentis, est idem cum eius Essentia.*

Vigesima. *Primi efficientis intellectus & voluntas, non aliud est ab eius Essentia.*

Vigesima prima. *Ratio intelligendi, est idem intellectui & Essentiæ primæ causæ.*

Vigesima secunda. *Nulla intellectio vel volitio, potest esse accidens primæ causæ.*

Vigesima tertia. *Intellectus primæ causæ intelligit omnia semper, actu distinctò priusquam illa sint in seipsis.*

Vigesima quarta. *Prima causa (de qua tot admirabiles proprietates sunt declaratæ) est simpliciter infinita infinitate virtutis.*

Ex his Conclusionibus omnia quæ ab alijs Theologis, fusè per multas Quæstiones tractantur, de Deo absolutè considerato, resolui possunt sufficienter.

COMMENTARIVM.

Prima probatio per viā efficientiæ desumpta ex Arist. quæ aliquantùm in textu subobscura est, ita breuiùs summari debet. Ex 8. Physicor. tex. 78. & ex 12. Metaph. tex. 41. & 42. haberi potest, quòd secundùm Aristot. primus motor mouere possit motu infinito, vt expressè eisdem locis meminit Auerr. (cuius oppositum malè docet Thom. Angl. hic, quæst. 4. nec ei suffragatur textus 80. lib. 8. Physic. quia ibi vult cum Arist. Auer. quòd virtus infinita, non sit in magnitudine infinita, cùm repugnet magnitudo infinita secundùm Aristot. 3. Phys.) ex hoc igitur Antecedente Philosophi, Primus motor mouet, vel potest mouere (pro eodem enim ista sumuntur antecedente in textu Doctoris, nam quamuis prima causa non mouet motu infinito, posset tamen mouere) motu infinito; infertur hæc Consequentia; Ergo habet potentiam infinitā. Ista consequentia probatur. Primò. Illud quod potest non dependenter ab altero, seu non virtute alterius mouere motu infinito, habet potentiam infinitam; sed primū mouens est taliter motiuum, vt patet ex Art. 1. igitur habet virtutem infinitam. Maior huius rationis euidēs est: Tum quia quod simul in virtute sua habet effectum infinitum, ipsum est infinitum; sed virtus motiua primi mouētis habet virtutem ad semper mouendum motu infinito, ergo, &c. Tum quia omnis effectus est æquè perfectè in causa sicut in seipso, si causa sit vniuoca; vbi est longè eminentiùs in causa, si causa sit eminentior & æquiuoca: at nulla virtus est æquè perfectè in effectu, sicut in causa prima; igitur si in effectu, puta in motu, est aliqualis infinitas, illa perfectiùs & eminentiùs erit in causa prima, quæ est eminentissima.

Primus motor pōt mouere motu infinito, ergo habet potentiā infinitā, probatur quadrupliciter.

Secundò. Probatur eadem Consequentia. Illud habet virtutem infinitam intensiuam, quod potest producere Entia infinita; sed primus motor potest producere Entia infinita; quod enim potest ex se in motum infinitum, potest ex se in effectus infinitos, per talem motum producibiles: primus igitur motor habebit virtutem infinitam intensiuam.

Istæ probationes consequentiæ, quamuis aliquid declarent probabiliter, non tñ sunt sufficientes, vt patet ex instantijs, in textu ab ipsomet Doctore contra se adductis. Quare cæteris probabiliores illius consequentiæ principalis probationes, hæ adferuntur à Doct. Tertiò. Vbi pluralitas numeralis requirit respectu effectuum maiorem perfectionem in agente, ibi infinita pluralitas, seu numeralis infinitas effectuum ab eodem agente, requirit infinitam perfectionem & virtutem in agente: sed quòd causa pri-

Pluralitas numeralis effectuū, requirit maiorem perfectionē in agente.

ma possit producere aliquid, dicit in illa aliquam perfectionem, & quòd plura possit, dicit maiorem perfectionē; igitur si quantùm est de se, possit producere infinita (licèt ex parte effectuum infinitas repugnaret) illa haberet perfectionem infinitam; sed potest producere infinita, quantùm est de se; ergo est infinitæ virtutis. Aduerte: notabiliter dici, *vbi requirit pluralitas perfectionem;* nam non omnis pluralitas requirit perfectionem, vt patet de intellectu nostro, vel alia potentia potente plura vel pauciora cognoscere, imò intellectus noster potest infinitas recipere cognitiones, vt dicit Doctor in 3. dist. 14. q. 2. & tamen non arguetur illa potentia infinitatis. Solùm igitur tunc infinitas arguitur in potentia ex infinitate effectuum, quando quilibet effectus requirit perfectionem in causa; Propositio igitur est vera ex suppositione conditionis, non autem absoluté, vt malè intelligit Doctorem Caietanus & Valen. in præsenti.

Infinitas in potentia ex infinitate effectuũ quãdo arguitur.

Secunda probabilior consequentiæ principalis probatio est. Si primum mouens haberet formaliter virtutē pro ductiuam omnium posteriorum, posset simul infinita, & esset in se formaliter tale mouens infinitum; sed habet oēm causalitatem cuiuscunque rei eminentiùs & perfectiùs, q̃ si quælibet res esset in eo formaliter, vt patet ex art. 1. igitur est in se infinitum. Ratio igitur ista tota desumpta ex Arist. est multùm probabilis, non necessariò demonstratiua; Vnde hæ probationes dicuntur colorationes à Doctore hic, & in lib. de 1. princ. c. 4. Concl. 9.

Aliorũ modus probãdi minùs efficax.

Ex eodem medio scilicet ex ratione efficientiæ primi Entis, probatur aliter per alios hæc Conclusio, sic. Primũ Ens est creatiuum; ergo est potentiæ infinitæ. Consequentia. Virtus quæ potest super infinitam distantiam, est infinita; sed virtus creatiua potest super infinitam distantiam, quia inter aliquid & non Ens, est infinita distantia; ergo virtus potens supra talem distantiam, est infinita.

Hæc ratio est Gand. quodl. 4. q. vlt. Richar. de Media Vil. in 2. dist. 1. artic. 4. q. 4. D. Th. 1. contra gen. cap. 43. Dupliciter tamen non persuaderet Philosopho hæc ratio. Primò. Quia Antecedens eius est tantùm fide creditum. Secundò. Consequentia non valet. Ad eius probationem, de distantia infinita: dicitur, quòd contradictoria distant immediatè seipsis, & tanta est inter illa distantia, quantum est alterum extremum positiuum, si extremum est infinitum, vt in hac contradictione, Deus, non Deus, distantia est infinita, si finitum, vt homo, non homo, distantia est finita. quæ omnia quamuis clarè hic in textu habeantur, longè tamen fusiùs & clariùs in 4. dist. 1. quæst. 1. pertractantur.

Cõtradictoria qualem inter se habent distantiam.

Sed instat Ferrar. loco cit. Licèt Entis finiti ad non Ens sit distantia finita, è conuersò tamen non Entis ad Ens, est distantia infinita; quia à quocunque Ente nihil magis distat, quàm non Ens; ad istam ergo distantiam infinitam superãdam requiritur virtus infinita, qualis enim est proportio distantiæ vnius ad aliam distantiam, talis est proportio virtutum actiuarum inter se; quare consequentia illa videtur tenere.

Ista responsio est insufficiens. Tum quia non Entis ad Ens nulla est distantia, cùm distantia sit quid relatiuum, & relationem realem implicat esse sine fundamento reali, & consequenter implicabit distantiam fundari in non Ente; distantia enim vera, vel est entitatiua entitatis ab entitate, vel quantitatiua ratione medij, quarum nulla hìc potest poni: si autem ponatur distantia non mutua priuatiua, vt ponit Subt. Doctor. in 4. dist. 1. q. 1. illa est ex parte vnius termini realis, ex parte autem non Entis, nulla est. Tum quia eodem modo, inter album & non album, est contradictio, & distantia priuatiua, & tamen non requiritur ad superandam distantiam negatiuam non albi, virtus infinita.

Distãtia triplex.

Ex modo intelligendi probatur infinitas primi Entis. Primò sic. Intellectus primi Entis intelligit actu omnia intelligibilia infinita; ergo intellectus primi Entis est infinitus; & consequenter ipsum primum Ens erit infinitũ. Consequentia probatur, per illud dictum ante. Vbi pluralitas intelligibilium actu (scilicet quòd simul actu intelliguntur plura) arguit perfectionem intellectus, infinitas intelligibilium arguet infinitam perfectionem intellectus.

Infinitas Dei, ex mõ intelligẽdi probatur.

Secundò probatur ex eadem via. Vnam rationem intelligendi habet intellectus primi Entis, respectu omnium intelligibilium; igitur illa ratio intelligendi, est infinita. Antecedens. Primi Entis intellectus, intelligit actu omnia, antequam sint; igitur antequam omnia alia à primo Ente sint, conuenit Deo ratio intelligendi; ergo illa est vna, sicut & ipsum primum Ens, & idem illi; idque respectu omnium intelligibilium, vt dictum est art. præced. Consequentia, vt prioris rationis probatur.

Tertia ratio in textu aliquantùm subobscura, & à Tho. Angl. dist. 2. q. 5. non intellecta, hunc sensum habet. Primũ Ens, priùs natura quàm res sint in se ipsis, cognoscit eas distinctè; igitur cognitio rerum, non causatur à rebus cognitis, ex quo ipsæ res cognitæ non præexiguntur cognitioni; igitur causatur ab alio quod est obiectum sui intellectus; sed tale obiectum non potest esse nisi sua essentia, ex quo nulla alia res suæ intellectioni præexigitur; ergo essentia primi Entis ex se potest sufficienter causare cognitionem cognoscibilium; & qua ratione vnius, eadem ratione & alterius, ex quo illud non præexigitur; & ita omnium intelligibilium; sed omnia intelligibilia sunt infinita; ergo illa essentia est infinita. Ista vltima consequentia, probatur: Tum vt prioris rationis consequentia: Tum quia vnumquodque sicut se habet ad esse, ita & ad cognoscibilitatem ex 2. Met. tex. 4. sed quoad cognoscibilitatem illa essentia est infinita; ergo & quoad entitatem.

Contra primam rationem huius viæ instari potest, vt instat Molina 1. part. q. 7. de anima Christi, quæ intelligit infinita, & tamen non est infinita. Sed ista instantia ex Fidei principijs deducitur; hìc autem loquimur de ratione naturali, qua suaderi possit alicui Philosopho. Deinde illa visio infinitorum est in altero, nempe in Verbo, non autē anima ex se habet talem cognitionem; argumentum autē primum Doctoris supponit hoc, quòd intellectus primi Entis, ex se habeat cognitionem omnis cognoscibilis. Præterea. Recipere visiones infinitas, vel vnam respectu obiectorum infinitorum, non arguit infinitatem potentiæ receptiuæ, vt concedit Doct. in 3. distin. 14. q. 2. sed bene per modum causæ principalis elicere visionem infinitorũ obiectorum, arguit infinitatem illius causæ, qualis causa in proposita instantia, est ipsum obiectum beatificum. Denique. Intelligere omnia non varijs intellectionibus, realiter distinctis ab intellectu, sed vna eaque indistincta ab essentia intelligentis, arguit infinitatem intellectionis & intelligentis, vt dictum est art. præced. ex qua præsuppositione hoc argumentum procedit.

Instatur contra rationes Doctores eodemque instãtiæ soluuntur.

Contra secundam rationem, dat instantiam Tho. Angl. de Angelo, qui per eandem speciem intelligibilem omnia intelligit, eiusdem speciei vel generis, & tamen illa ratio intelligendi, non est perfectior alijs. Hæc instantia est falsa, vt videre licet apud Doct. in 2. d. 3. q. 10. Deinde illa species est alia ab intellectu & essentia Angeli; ista autem rõ intelligendi omnia, ex qua arguitur infinitas, debet præsupponi omni causæ secundæ, & debet esse eadem intellectui & essentiæ primi Entis, vt dictum est art. præced.

Sequens litera est clara in textu.

Ille modus probandi ex negatione causæ intrinsecæ, positus post Quartam probationem, est D. Tho. 1. par. q. 7. art. 1. & 1. contra gen. cap. 43. vbi docet; formam finiri per materiam; cùm igitur Diuina Essentia non sit apta esse in materia, consequens est, quòd non erit finita. Impugnatio huius rationis in textu est euidens.

Sed ad illam priori loco Caietanus & in altero Ferrar. respondent. Duo posse in forma considerari: rationem formæ seu naturam specificam: & secundò, esse illi naturæ debitum (quod esse secundùm ipsos in rebus creatis, ab essentia distinguitur realiter,) cùm ergo dicitur à D. Tho. quòd forma finitur per materiam: non est intelligendum, quãtùm ad eius formam specificam; per suam enim propriã differentiam est ad hanc speciem, & ad hunc gradum Entis determinata, non autem per materiam: sed intelligendum est de forma quantùm ad eius esse, quòd ipsius essendi modus limitetur per materiam.

Forma finitur non per materiam.

Ista responsio non satisfacit. Quia eodem modo arguã de

de esse formæ, sicut de natura formæ. Tum quia esse formæ, priùs natura conuenit formę, quàm materiæ, maximè secundùm illos, secundùm quos materia existit existentia formæ; prior autem natura est causa suo causato & effectu; in illo ergo priori, forma finita est per esse suum, & non per materiam, Tum quia priùs res est in se finita, quã per ordinem ad aliud. Tum quia animæ rationales & Angeli, etiam secundùm esse sunt finiti, licèt non sint in materia; ergo materia non est causa, cur aliqua essentia secundùm suum esse sit finita.

Caietani responsio alia.

Aduertit hanc difficultatem Caiet. propterea respondet Secundò. Quòd infinitum, sicut & immateriale, est prædicatum negatiuum, fundamentaliter tamen est positiuum: & sicut positiuum clausum in ly immateriale, bene probatur ex naturali negatione materiæ, tam actu quàm in potentia; ita positiuum clausum in significatione infiniti simpliciter, optimè demonstratur conuenire Deo ex negatione terminorum essentialium, vt facit S. Tho. Vnde concedit Caiet. (quod negat Ferrar.) quòd esse, priùs natura in seipso perfectionis finitæ vel infinitæ, quàm sit receptibile vel irreceptibile, in hoc aut in illo; addit tamen quòd hæc se mutuò consequuntur, ita quòd si esse est omnino irreceptibile, est infinitum simpliciter, & è cõuerso, & propterea potest argui à destructione Anteced. ad destructionem Consequentis sine Sophismate, vt in conuertibilibus contingit.

Caietani responsio nõ est sufficiẽs. Infinitus dicit modum positiuũ Essentiæ Dei.

Verùm ista responsio non est melior priori. Nam inprimis infinitas pro formali significato, dicit modum positiuum Essentiæ Dei, vt dicitur infra dist. 8. igitur est formaliter prædicatum positiuum, non negatiuum. Deinde illa comparatio infiniti cum immateriali, si quid valet, illa esse debet secundùm conuenientiam, quòd sicut positiuũ clausum in ly immateriale, probatur ex negatione materiæ, ita positiuum clausum in ly infinitum, probari debet ex negatione finiti: vt enim immateriale negat materiam actu vel potentia, ita infinitum negat finitatem actu vel potentia. Præterea, esto quòd infinita natura actu vel potentia, non sit apta finiri per materiam; infinitas tamẽ ista non præcisè conuenit naturæ Diuinæ per negationem, sed per aliquid positiuum; igitur assumere medium negatiuũ, non est ad propositum. Denique quòd dicit ista esse conuertibilia, Est omnino irreceptibile in materia; ergo est infinitum; & è contra, Est infinitum; ergo irreceptibile in materia. Patet non esse conuertibilia. Quia Angelus est actu & potentia irreceptibilis in materia; quia nullo modo potest esse forma informans materiam, & tamen est intrinsecè finitus. Vnde quamuis ex infinitate bene probari possit simplicitas Dei, vt facit Doctor dist. 8. ex simplicitate tamen Physica (quam sola irreceptibilitas in materia dicit) non potest probari infinitas.

Sic igitur non soluuntur rationes Doctoris hìc contra D. Thomam.

ARGVMENTA PRINCIPALIA diluuntur.

Ad Primum Argumentum huius Quæstionis principale. Dico quòd causa, &c.

COMMENTARIVM.

Soluitur Primum principale.

PRima responsio consistit in hoc. Quòd illa propositio argumenti Maior, Si ex contrarijs, vnum contrarium sit actu infinitum, nullum aliud contrarium in natura compatietur: non solùm est vera de contrario formaliter, sed etiam de contrario virtualiter; hoc tamen addito, si illud contrarium, sit agens ex necessitate naturæ, non autem liberè. Sunt autem contraria formaliter, (secundùm Doct. in 4. d. 49. q. 16.) quæ ex rationibus suis formalibus habent repugnantiam, vt album & nigrum: virtualiter verò contraria sunt, quando vnum est productiuum effectus formaliter contrarij, effectui alterius causæ, sic ignis aquæ contrariatur virtualiter; quia ignis est productiuus effectus, nempe caloris, formaliter contrarij effectui aquæ, nempe frigiditati.

Contraria formaliter & Contraria Virtualiter quæ sũt.

Ponitur deinde vna instantia contra responsionem talis. Arist. concessit Deum esse infinitum, & agere ex necessitate naturæ, esseque bonum infinitum, & tamen non negauit aliquod malum esse in vniuerso; igitur responsio Doct. videtur mala, qui dicit, quòd illa propositio esset vera, si tale contrarium ageret ex necessitate naturæ. Respõdeo. Qui concedunt Deum agere ex necessitate naturę, necesse est quòd concedant omnia mala naturalia, puta mõstra, euenire necessariò & non per accidens: & dum negãt euenire necessariò, concedunt duo contradictoria, vt artic. 4. dixi.

Duplex ordo causarũ.

Ista tamen mala naturalia, non ab agente primo, sed à causa secunda proueniunt, secundùm Philosophos, qui in præsenti duplicem ordinem causarum statuunt; vnus earũ causarum, quæ ex perfecto modo causandi, non possunt deficere, vt causæ effectiuæ: alius earum, quæ imperfecto modo causant, vt causæ intrinsecæ, maximè materia, quæ per defectum vel excessum sui in aliqua specie, monstrum faceret, sic per excessum materiæ est homo biceps, per defectum est monoculus.

De malitia autem morali, quid dicendum sit, secundùm Philosophos, quamuis aliàs in varijs locis, lib. 2. senten. doceat Subt. Doctor, tamen sufficienter est declaratum art. 4. quòd illa necessariò eueniant, secundùm Philosophos, & dum negant necessariò euenire, contradicunt suis principijs.

In responsione ad Secundum, dicendo ad secundã consequentiæ probationem, videtur Doct. negare possibilitatẽ infiniti in magnitudine, etiam secundũ Theologos: quod an verum sit in via Doct. ostenditur Dubit. sequenti.

Quartũ argumentum ex 8. Physic. tex. 78. desumitur. Dicit enim Arist. ibi, Virtus infinita si esset, moueret in non tempore; sed nulla virtus mouet in nõ tempore; ergo nulla virtus infinita est. Isti persimilis argumentatio habetur 12. Met. tex. 47. Ad istud argumentum, licèt breuiter responderi posset, negando Maiorem; nec enim dicit Philosophus absolutè, quòd si virtus infinita esset, moueret in non tempore; sed dicit ibi, si virtus infinita esset in magnitudine, id est, extensa per accidens, moueret in non tempore. Doctor tamen fusiùs respondet, explicando consequentiã illam Philosophi ex occasione argumenti.

Si Virtus infinita esset ĩ magnitudine, moueret in non tpe, quomodo?

Inprimisque supponendum est ex doctrina Sub. Doct. in 2. dist. 2. q. 11. 12. & hìc in responsione, quòd motus, vel moueri, sumitur vno modo propriè, pro motu successiuo, distincto cõtra mutationem instantaneam: alio modo sumitur impropriè, pro mutatione qualis est generatio, vel aliqua alteratio instantanea, vt illuminatio; vel quo pacto est simplex positio in termino ad quem, absque hoc quòd illud sit vel fuerit in medio, vt in 2. loco allegato, & in 4. in materia de Sacrosancto Eucharistiæ Sacramento docetur. In Consequentia igitur illa Philosophi. Quòd si virtus infinita esset in magnitudine, sequeretur quòd moueret in non tempore, ly moueret, accipitur pro motu propriè dicto, nimirum pro motu successiuo, quem posse esse in instanti est impossibile. Et probatur à Philosopho sic: Si virtus infinita extensa per accidens agendo ex necessitate naturæ, non moueret in instãti, sequeretur quòd moueret in tempore: sed consequens est falsum. Cuius falsitas probatur. Istud enim tempus sit A. vel tempus vnius horę, qua hora virtus infinita in magnitudine mouet primum mobile. Accipio alium motorem, qui idem corpus possit mouere intra 24. horas; tunc si istius finiti motoris, secundùm proportionem temporis, ipsa virtus motiua augeretur, hoc est, si virtus motiua ipsius intenderetur in 24 gradibus, ista virtus finiti agentis, moueret vna hora primum mobile; & ita æquali tempore virtus finita moueret idem mobile, & virtus infinita agens secundùm vltimum potẽtiæ: quod est inconueniens. Si ergo in tempore non potest mouere virtus infinita existens in magnitudine, mouebit in instanti, sed in instanti motum successiuum posse esse, est impossibile. Et ratio breuiter est. Quia tempus est numerus motus secundùm prius est posterius; sicut igitur motum successiuum sine priori & posteriori in motu posse esse, est impossibile: ita & impossibile est motum posse esse successiuum sine tempore, vel non in tempore.

Motus sumitur dupliciter.

Motũ successiuum esse in instanti, est impossibile.

Quod

Successio in motu vnde prouenit.

Quòd verò motus ille primi motoris, si in magnitudine virtus illius esset, esset motus successiuus, ostendit Doctor in responsione, ibi. *talis autem si ageret circa corpus, &c.* Sensus verborum est: successio in motu potest prouenire, vel ex inæquali approximatione partium mobilis, ita quòd priùs priores partes, deinde posteriores aptæ sunt moueri: vel ex resistentia ipsius mobilis; quia videlicet resistit virtuti motiuæ aut motori; sed si virtus infinita esset in magnitudine, vtraque causa successionis esset in primo mobili; ergo, &cet. An verò istæ sint præcisæ & sufficientes causæ successionis in motu, vide in 2. dist. 2. q. 10. Quando igitur virtus infinita esset in magnitudine, haberet istas causas successionis: quando verò non est, vt de facto, non debet moueri motu successiuo.

Primũ mobile mouetur à duobus mouentibus.

Dices. Ergo de facto, secũdùm Arist. primus motor mouet primum mobile, motu nõ successiuo, sed instantaneo. Respondeo. Si primus motor immediatè se solo moueret primum mobile, secundùm vltimum potentiæ suæ, deberet concedere Philosophus consequentiam: verùm quia secundùm eius principia (vt ex 12. Met. tex. 44. colligitur) primum mobile habet duo mouentia, vnum separatum, quod est Deus, mouens in ratione amati, vt dicit ipsemet Arist. 12. Met. tex. 36. aliud coniunctum, quod est secunda Intelligentia, quæ vocatur anima cæli, non in ratione informantis, sed in ratione motricis: & ab hac secunda Intelligentia, primum mobile mouetur immediatè, in ratione amantis, secundùm Aristot. quatenus nimirum hæc Intelligentia amat & desiderat primum motorem, qui illam mouet in ratione amati: ideo successio in motu est à secunda Intelligentia immediatè mouente, non à prima. Ita explicat Arist. Doctor Subt. hìc & 12. Met. in expos. tex. 44. Auic. 9. Met. cap. 4. Auer. 12. Met. tex. 41. & necessariò sic exponi debet: Cùm enim 8. Phys. tex. 78. & deinceps doceat Philosophus, quòd si virtus infinita, aliquid moueret immediatè, secundùm vltimum posse, moueret in instanti; & primum mobile impossibile sit moueri in instanti; consequens est, quòd non mouetur immediatè primum mobile à prima Intelligentia, sed à secunda, secundùm Aristotelem.

Deũ ad aliquã actionẽ nõ cõcurrere immediatè, potest in aliquo sensu concedi. Immediatè dupliciter sumitur.

Hic Aduerte: immeritò dictum hoc de immediata & mediata motione carpi ab Ocamo, dum dicit, quòd Deus immediatè mouet quemlibet orbem, cum immediatè ad omnem actionem causæ secundæ concurrat. Nam licèt hoc secundùm Theologos verum sit; non tamen concederet Arist. quem explicando Subt. Doctor hæc docuit in sententia illius. Imò & secundùm Theologos ista propositio, Deus orbem mouet non immediatè, in aliquo sensu vera est: dupliciter enim ly immediatè in præsenti accipi potest: vno modo immediatè moueri idẽ significat, quod esse intimè præsens mouens mobili, & non per aliquod medium, vel instrumentum mobile moueri à tali mouẽte; & sic secundùm Theologos, Deus immediatè mouet quẽlibet orbem. Alio modo dicitur ab hoc agente immediatè moueri cælum, quia nullum aliud agens cum eo simul cõcurrit, attingendo simul cum ipso illam motionem; & sic non mouet Deus immediatè vllum orbem, quamuis possit mouere: in quo sensu dicimus, Deum agere mediantibus causis secundis, non quòd Deus intimè & immediatè non attingat effectum causæ secundæ, sed quia non ipse solus, sed simul cum altera causa concurrit ad talem effectum. In hoc secũdo sensu terminus ille immediatè, etiam à Theologo concederetur: à Philosopho autem accipitur ly immediatè, quia nimirum ipse non mouet virtute sua efficienti, illam applicando mobili primo efficaciter, sed est causa finalis, quare secunda Intelligentia mouet efficaciter, & sine qua non moueret.

Dubitatur.

Vtrum Deus possit actu infinitum producere.

Infinitũ secundũ perfectionẽ essentialem an sit producibile.

Videtur ꝙ Deus possit producere aliquid infinitum secundùm perfectionem essentialem.

Primò. Quodcũque intellectus humanus potest cognoscere non esse impossibile fieri, id Deus potest facere; sed aliquod infinitum secundùm perfectionem intensiuam potest intellectus humanus cognoscere; ergo Deus potest facere. Maior est August. epist. 3. ad Volusianum, vbi dicit: Demus Deum aliquid posse, quod nos fateamur inuestigare non posse, in talibus rebus tota ratio facti, est potẽtia facientis. Minor. Quia intellectus in tali infinito non cognoscit repugnantiam vel incompossibilitatem, nec enim sequitur tale infinitum producibile esse Deum: nam Deus in ratione sua est simpliciter Ens independens à se, necessarium, illud autem esset dependens, ab altero, contingẽs; quia posset à Deo produci, & productum annihilari.

Secundò. Quòd non repugnat quantitati, nõ repugnat Enti producibili à Deo; sed infinitum secundùm essentiam non repugnat quantitati; nam finitum & infinitum conueniunt quantitati ex 1. Physic. ergo non repugnat Enti in ratione Entis, esse infinitum, aliud à Deo.

Infinitũ secundũ magnitudinem an sit possibile.

Deinde probatur specialiter quòd Deus possit facere infinitum in actu secundùm magnitudinem.

Primò. Non implicat contradictionem; ergo est possibile. Anteced. si implicaret: aut hoc esset ratione magnitudinis; aut ratione infinitatis in actu, aut ratione vtriusque. Non ratione magnitudinis; quia tunc omnis quãtitas implicaret contradictionem, & esset impossibilis: nec ratione infinitatis in actu; quia tunc omne infinitum, esset impossibile; & consequenter Deus nõ esset infinitus in actu; nec ratione vtriusque; quia infinitas actualis, nõ negat quamcunque quantitatem, sed tantùm negat quantitatem finitam.

Secundò. Lineæ, vel superficies possunt esse actu infinitæ, secundùm multitudinem, vt probabitur; sed de omnibus lineis potest Deus facere vnam lineam, & de omnibus superficiebus potest facere vnam superficiem, & idem potest dici de corporibus; ergo Deus potest facere lineam infinitam in actu, & similiter superficiem vel corpus. Probatur ptereà de multitudine infinita, quod illa sit possibilis.

Pro infinito secundùm multitudinem argumentatur.

Primò. Quæcunque Deus simul nouit scientia visionis, potest illa simul producere; sed Deus scientia visionis intelligit intelligibilia secundũ multitudinem infinita; igitur Deus potest producere secundùm multitudinem infinita. Maior. Illa enim quæ nouit, sunt possibilia, nõ impossibilia. Et Richar. de Trinit. dic. Non maius eius est intelligere, quàm posse. Minor. Quia Deus omnes cogitationes Angelorum & hominum in perpetuum futuras, cognoscit simul & distinctè; istæ autem non sunt finitæ; igitur, &c.

Secundò. Qua ratione potest esse multitudo infinita in rebus spiritualibus, eadem ratione & in materialibus; cùm par sit ratio vtrobique possibilitatis vel impossibilitatis: sed possibilis est secundùm Philosophum multitudo infinita animarum intellectiuarum, imò & de facto sunt infinitæ, secundùm ipsum, qui mundum & generationem posuit ab æterno; & consequenter de mortuos non negaret infinitos homines, eorumque animas, vtpote immortales permanere infinitas.

Pro infinito secundũ intensionẽ arguitur.

Vltra, ꝙ Deus infinitum secundùm intensionem possit producere, puta calorem infinitè intensum, vel charitatẽ. Probatur. Primò. Si hoc impossibile est: aut ideo erit impossibile, quia non potest esse infinitè perfectum, seu habens infinitam perfectionem; quia sic esset Deus: aut secũdò, quia impossibile est simul esse infinitas partes in eodẽ: aut tertiò, quia impossibile est aliquid infinitæ perfectionis esse minùs perfectum aliquo eiusdem rationis, vel partem esse æqualem toti: sed propter nullum istorum est impossibile, ergo, &c. Minor. Non propter primum: quia dato ꝙ calor esset infinitus, non ideo esset Deus: cùm Deus sit perfectio simpliciter in ratione Entis nullo modo depẽdentis, calor autem esset infinitus in certo genere Entis, essetque simpliciter dependens, non necessarium. Nec secũdum obstat: hoc enim non est impossibile, vt patet in omni Philosophia de partibus continui. Non denique tertiũ: quia hoc non sequitur.

Secundò Probatur. Deus potest infinitas animas simul producere, vt probatum est, & cuilibet earum charitatem infundere: quælibet ex his charitas, est per Dei potentiam

ab anima separabilis, & separatim conseruabilis, vniat ergo Deus omnes istas simul, & patet quòd ex gradibus infinitis, erit charitas infinitè intensa.

Sententiam hanc affirmatiuam defendit Bassol. in 1. dist. 42. q. vnica. Mayr. in 1. dist. 43. q. 10. Ocam in 2. q. 8. Henr. quol. 8. q. 3. Vasquez 1. par. disp. 26. Arimin. in 1. dist. 42. q. 4. Cui non pauci fauent Neoteriti.

[In]finitum [possi]bile ne[g]ntes au[th]ores.

Oppositum sentiunt, Seraphicus Bonauent. in 1. dist. 43. q. 3. Alen. 1. part. q. 21. mem. 2. D. Th. 1. part. q. 7. art. 3. & 4. quem sequuntur Thomistæ ibidem, Richar. in 1. distin. 43. q. 4. 5. & 6. Aquilan. ibidem, Gerard. in 1. dist. 17. q. 2. ar. 10. Capr. in 1. dist. 43. q. 1. Ferrar. 2. con. gen. cap. 80. Argent. in 1. dist. 44. artic. 2. Sonc. 12. Met. q. 31. Quid autem sentiat Subt. Doctor dicam infra.

[Q]uod nul[lu]m corpus [possi]bile sit [inf]initum.

Ac inprimis ostenditur secundùm hanc viam, nec corpus naturale, nec corpus Mathematicum posse esse infinitum.

Primò. Omne corpus secundùm substantiam suam consideratum, habet determinatam formam substantialem; igitur omne corpus habet determinata accidentia, & inter illa habet determinatam quantitatem. Consequentia. Quia accidentia consequuntur formam, ac proinde debēt esse illi proportionata.

Secundò. Omne corpus naturale, habet aliquem motū naturalem; sed infinitum secundùm magnitudinem, non potest vllo motu moueri; ergo nullum corpus potest esse infinitæ magnitudinis. Maior est certa. Minor probatur. Non enim posset moueri motu recto; quia sic non mouetur corpus, nisi quando est extra locum aliquem; corpus autem infinitum repleret omnia loca: nec posset moueri motu circulari; quia quod sic mouetur, necesse est vnam partem eius transferri in locum alterius partis; sed hoc non esset possibile in corpore infinito, cuius partes distarent infinitè, atque ita vna in locum alterius succedere nō posset; quod tamen cōtingere debet in mobili circulariter moto.

Tertiò. Quantitas non potest existere nisi habeat figuram; sed quæcunque figura terminis clauditur; igitur quātitas necessariò est terminata, ac proinde finita. Maior. Nihil est in actu, nisi per suam formam; sed forma quanti vt quantum est, est figura; ergo quantitas existit per figuram.

Quartò. Si daretur infinita magnitudo; vel illa constaret ex partibus finitis, vel ex partibus infinitis: si ex finitis; igitur ipsa magnitudo erit finita; si ex infinitis; ergo vnum infinitum, nempe illa magnitudo, esset maior alijs infinitis ipsam constituentibus; quod falsum est, quia infinito nihil est maius.

Quintò. Si aliqua magnitudo est possibilis infinita; ergo & corpus substantiale poterit produci infinitum; ergo potest produci homo infinitus: quod est inconueniens.

[C]ōtra infinitā multitudinem ar[gu]itur.

Secundò ostenditur, quòd non sit possibilis multitudo actu infinita.

Primò. Data infinita aliqua multitudine, puta animarū. Quæro, vel potest Deus adhuc aliquam vnam creare, vel non? Si non potest; ergo nō est omnipotens, & erit exhausta potentia Dei: si potest; ergo infinito aliqnid addi potest; & ita potest esse maius infinitum: quod est contra rationem infiniti.

Secundò. De ratione numeri & multitudinis est, quòd addita vel detracta vnitate, varietur numerus, seu multitudo; sed posita multitudine infinita in actu, quibuscunq; detractis vel additis, non soluitur ratio numeri, vel multitudinis infinitæ; ergo infinitas est contra rationem numeri vel multitudinis.

Tertiò. Omnem multitudinem oportet esse in aliqua specie multitudinis; sed quælibet species multitudinis est finita, quia species multitudinis sunt proportionatæ speciebus numerorum, omnis autem species numeri est finita, quia est multitudo facta per vnū; igitur quælibet multitudo est etiam finita.

Quartò. De ratione numeri vel multitudinis est, quòd sit par vel impar; sed si daretur infinita multitudo, non esset par vel impar; ergo, &c.

Cōtra infinitè intēsū possibile arguitur.

Dicunt tertiò consequenter prædicti authores, quòd non sit possibile aliquid infinitum secundùm intensionem.

Primò. Nullum accidens est perfectius substantia; sed si daretur infinitæ intensionis qualitas, illa esset perfectior substantiā; quia substantia est finita secundùm intensionē, qualitas verò talis esset infinita ex suppositione; ergo eiusmodi qualitas est impossibilis.

Secundò. Si possibilis sit charitas infinita, det illā Deus alicui creaturæ intellectuali; tunc talis creatura esset infinitè chara Deo, & ita diligibilis sicut Deus: quod est repugnans.

Tertiò. Quæ ratio est de qualitate intensiua, eadem rō & de aliquo intellectu creato esset, quòd is esset creabilis infinitus intensiuè; atque ita infinitam perfectionem haberet intelligendi: imò esset æqualis Deo in intelligendo, & consequenter comprehenderet Essentiam Dei: quę sunt impossibilia.

Infinitū dr̄ tripliciter, Negatiuè, Priuatiuè & Contrariè.

Pro resolutione huius difficultatis. Aduertendum est Primò. Secundùm Doct. 2 Met. q. 6. tripliciter aliquid dici infinitum. Negatiuè, Priuatiuè, & Contrariè. Negatiuè dicitur infinitum, quod non est aptum natum finiri, sed sibi repugnat, sic 3. Phys. tex. 36. dicitur à Philosopho, punctus esse infinitus, sicut vox est inuisibilis. Infinitum priuatiuè dicitur, quod priuat finem vel finitatem in subiecto apto finiri, sic linea, separato ab eius extremitate puncto, esset infinita priuatiuè, secundùm quosdam. Infinitum autem contrariè est illud, quod negat finitatem, non absolutè, nec in apto nato, sed ponendo modum oppositum finitati, nempe infinitatem. In proposita igitur dubitatione, nō est sermo de infinito secundùm primum vel secundū modum, sed de infinito contrariè.

Infinitum Syncathegor. vel Cathegor. 9?

Rursus hoc infinitum Contrariè duplex est; vno modo, quod est actu existens sine fine & terminis, siue in magnitudine, siue in multitudine, siue etiam in intensione; & vocatur infinitum Cathegorematicè; alio modo, quod sit infinitum in potentia, ita quòd secundùm entitatem suam est Ens finitum, si tamen diuideretur in partes proportionales, nunquam deueniri posset ad aliquam partem vltimam; & hoc vocatur infinitum Syntathegorimaticè. Dubitatio igitur præsens, mouetur de infinito Cathegorematico non Syncathegorematico.

Scotus ī nō nullis locis negat infiniti possibilitatem.

Aduertendum est Secundò. De hoc quæsito, quid senserit Subt. Doct. non esse adeo certum, apud eius discipulos. Nam pro Opinione negatiua adduci possunt varia loca. Primus contra magnitudinem infinitam, hìc in resp. ad Secundum: vbi dicit, *Si corpus actu infinitum esset cum alio corpore*, dicit quòd *totum esset maius vtroq; singillatim sumpto; quia totum est maius quauis parte, & non esset maius; quia maius excedit minus: infinitum autem non potest excedi*. Cùm ergo ex positione infinitæ magnitudinis, sequatur aperta contradictio, & negatio communissimi principij, quòd totum non sit maius sua parte; sequitur, quòd positio infinitæ magnitudinis, secundùm Doctorem est impossibilis.

Secundus locus est contra multitudinem infinitam in 2. distin. 1. q. 3. in resp. ad 5. secundę opinionis, vbi dicitur, *quicquid non potest fieri à Deo in vno die, quia includit contradictionem, hoc non posset fieri in infinito præterito, si fuisset, propter eandem repugnantiam; in ista enim die sunt infinita instātia, imò in vna hora vnius diei in quorum quolibet posse creare animam sicut in vno die totius temporis infiniti, si esset: & ita si in infinitis instantibus huius diei non potest creare animas infinitas, quia hoc non est factibile: nec in infinitis diebus totius præteriti, posset infinitas animas creare*. In textu, non modò infinitas animas negat Doctor factibiles, sed etiam vnam Obiectionem sufficienter resoluit, quæ solet opponi à cōtrarium tenentibus, talem. Mundus potuit esse ab æterno secundùm Philosophos & Theologos, & secūdùm ipsum Doctorem in 2. dist. 1. q. 3. potuit ergo Deus per illam totā æternam durationem, qualibet hora vnam animam creare, & sic essent infinitæ animæ. Dicit Doctor: Quod repugnat hodie, repugnat semper, & per æternitatem. Idem vult Doctor 2. Met. q. 6.

Tertius locus est contra intensionem in infinitum, in 3. dist. 13. q. 1. art. 1. vbi ex professo probat summam gratiam creabilem posse à Deo produci: istam autem summam gratiam, apertis verbis ibidem vult esse finitam; imò infinitam gratiam intensiuè, dicit esse impossibilem.

Pro Sententia prima affirmatiua. Quòd infinitum de abso-

In aliquib. etiam cócedit.

absoluta Dei potentia est possibile. Primus locus ex doctrina huius Doctoris haberi potest, de infinita magnitudine, ex 3.dist.13.q.1. Vbi explicans illam propositionem de 3.Phys.tex.69. Quantùm contingit esse in potentia, tantùm contingit esse in actu, siue, quòd quantitas nō crescat ī infinitum actu, *quia quantitas* (inquit ille) *secundùm Philosophū non aliter cresceret, nisi quòd partes ablatæ ab vno continuo per diuisionem, apponuntur alteri, continuo crescenti, & ita hæc quantitas cui fit additio, non esset maior illa quantitate à qua est partium ablatio:* Subinfert postea Doctor, *quòd secūdùm Theologos loquendo de potentia Diuina, potest esse aliquod quantum maius in potentia quàm sit in actu: quia potest Deus maiorare aliquod quantum, non apponendo partes ablatas ab alio quanto.* Igitur secundùm Theologos concedit Doctor, ꝙ quantitas possit crescere in infinitum, quia ad hoc negādum assumitur illa propositio ab Arist.

Item in 2.dist.1.q.3. concedit Doctor mundum potuisse esse ab æterno; ergo duratio potuit esse æterna: similiter motus cœlorum poterat esse æternus, & consequenter ipsum tempus; sed motus & tempus est magnitudo successiua; igitur qua ratione magnitudinem successiuam nō implicat esse infinitam, eadem ratione & quantitatem permanentem non implicat esse infinitam in magnitudine.

Multitudo infinita secundū Scotū est possibilis.

Quòd verò possibilis sit multitudo infinita, secundùm ipsum, expresse concedit in 2.dist.3.q.6. respondendo ad argumenta pro Opinione, Cùm dicit, *non est ex parte indiuiduorum, vnde sit eorum numerus certus, sed possunt esse infinita, non repugnante ratione eorum.*

Idem dicit fusiùs quodl. 2. igitur secundùm Doctorem possunt esse infinita indiuidua: imò hinc optimum deduci potest argumentum tale. Natura specifica hominis, nō est determinata ad certam multitudinem indiuiduorum, (vt dictum est) Et ratio est. Si enim esset determinata, sequeretur quòd Deus in hoc mundo generationem non posset continuare in æternum, sed tantùm vsque ad illum numerum, quem sibi natura determinaret. Tunc sic. Quādocūq; est aliqua natura, cui ex se non repugnat communicari infinitis indiuiduis simul, illam potest Deus communicare infinitis. Patet ista sequela. Quia infra dist.43. dicitur ratio impossibilitatis esse formaliter in ipsa re impossibili, non autem in Deo; sed natura hominis, imò quæcunque alia creata, est de se talis, cui non repugnat communicari simul infinitis indiuiduis, vt concedit Doctor; ergo potest illam Deus communicare infinitis indiuiduis.

Idem deduci potest ex dictis quæst. præsenti artic. 1. vbi secundùm Auicen. & rei veritatem, non negat Doctor infinitatem in accidentaliter ordinatis, supposito statu in essentialiter ordinatis: igitur secundùm ipsum, infinitas accidentaliter ordinatorum est possibilis. Præterea in lib. Theor. prop. princ. 16. dicitur, non posse demonstrari ordinem essentialem esse in efficientibus, vt sit aliquis status ad primum effectiuum; à fortiori hoc concederet Doctor de ordine essentiali: si igitur non est demonstratio, dari statum in ordine accidentaliter ordinatorum, ista per accidēs ordinata, non posse esse infinita, non est demonstrabile.

Clariùs hanc doctrinam putat esse probabilem Doctor in 3.distin.14.q.2. vbi non omnino improbabilem reputat illum modum, qui dicit naturam humanam assumptam à Verbo, infinitis visionibus infinita obiecta intelligibilia cognouisse.

Qualitas in infinitū intensa secundū Scotum est possibilis.

Si etiam loquamur de intensionis infinitate, videtur in sententia Doctoris valde probabile, hoc esse possibile; nam infinitas animarum, secundùm Doct. est possibilis, vt iam ostensum est. Quòd verò cuilibet earum Deus possit infundere gratiam, certum est; & quòd eandem gratiam à qualibet anima separare de potentia sua absoluta, separatamque adinuicem vnire possit, in via Doctoris certissimum est: igitur & Conclusio videtur euidens, quòd talis gratia esset infinitè intēsa, quia esset infinitorum graduum ad inuicem vnitorum. Fauet eidem Sententiæ Doctor in 3.dist. 14.q.2. dum creatam visionem animę Christi, putat esse de omnibus obiectis intelligibilibus infinitis, per vnum ac eūdem actum, & consequenter illa visio videtur esse intensa infinitè. Consequentia hæc confirmari pōt, dicto Doctoris Subt. quæst. præsenti, ar.4. de intellectione Diuina; vide ibi.

Aduertendum est. Tertiò. Quosdam Scotistas authoritati Doctoris in 3.dist.13.q.1. inhęrentes, de mente Doctoris Subt. docere, ꝙ infinitas quæcunque, tam scilicet secundùm magnitudinem, quàm etiam secundùm multitudinē & intensionem, est impossibilis: vt vult Ant. Andr. Lichet. & Tartar. ibidem Ioan. Canon. 3.Phys.q.3. Alij putant esse tenendam sententiam affirmatiuam, vt Mayr. & Bassol. superiùs citati docent. Alij demum locorum diuersitatem in Scotica doctrina considerantes, dicunt Scotum hanc sententiam defendisse problematicè, ita quòd vtramque viam putat esse probabilem, & nullam demonstratam sufficienter. Ita docet Maur. Hibern. in explic. 2. Met.q.6. imò ipse Doctor Subt. in eo loco, pro, & contra infinitam magnitudinem, argumenta ponendo & resoluendo, satis indicat hoc esse problema. Idem docet Ioan. de Colonia, in suis quæstionibus Theologicis, quęst.221. Quam sententiam puto esse veram: illamque explico. Primò sic. De infinito in quantitate dupliciter loqui possumus: Vno modo secundū principia Arist. An hoc sit possibile; alio modo secundùm Theologos, An Deus possit facere, per absolutam omnipotentiam suam (notam solis Theologis, vt dicitur infra d. 42. & quodl.7.) infinitum secundū quantitatem infinitam magnitudinis, aut intensionis, vel secundū quantitatem discretam multitudinis; esto quòd Arist. oppositum sentiat. Quando igitur Subt. Doctor negat possibile esse infinitum hoc vel illo modo, intelligendus est, quòd loquitur secūdū Philosophos, de potentia Dei ordinaria, qui non nouerunt absolutam. Quando autem affirmat cum prima Opinione, hoc esse possibile; intelligendum est, quòd loquatur de potentia Dei absoluta, secundùm scientiam Theologicam.

Scotistæ uersimo[de] loquūtur [in] presenti[quæstio]ne.

Scotus problem[ati]cus in [præsen]ti qōne.

Ista distinctio videtur esse necessaria in doctrina huius Doctoris, qui non rarò probare volens aliquam Theologicam Conclusionem, innititur sæpe rationibus Philosophicis, & merè naturalibus, vt videre est in locis pro secūda Opinione citatis: quæ rationes Philosophicæ, quia supponunt ex discursu Arist. non esse possibile aliquod infinitum in quantitate molis, vel intensionis; rectè Doctor talibus vtendo rationibus, negat infinitatem. Idem tamen, auocando scientiam Theologicam vel Metaphysicam à principijs Aristotelicis, dicit quandoque in suis demōstrationibus & discursibus oppositum doctrinæ Aristotelicæ: multa enim Theologi vera intellexerunt, quæ non erant cognita Philosophis; ad quæ confirmanda, oppositas quādoque Philosophorum dictis assumunt propositiones; vt patet ex dictis ipsius Doctoris pro prima Opinione citatis. Dico præterea Secundò. Auocando à Philosophis & Theologis pręsentem quæstionem, & innitendo rationi, vtraque Opinio probabilis est: magis tamen est probabilis sententia prior affirmatiua, quàm negatiua, vt bene aduertit Gabr. in 2.dist.1.q.3. qui problematicè propositā Quæstionem defendit. Quæ positio vt meliùs intelligatur.

Qui[d] tenere [debea]tē nega[tiuam] quæ d[ebeat] suppone[re].

Aduertendum est. Tenenti infinitum effectum non esse possibilem, dicendum est cōsequenter ad dicta Doct. Subt. quæst.5. qui ex illa descriptione infiniti Syncathegorematicè 3. Phys.tex.63. tradita. Infinitum est, cuius quantitatē accipientibus (id est, quantumcunque accipientibus) semper aliquid restat accipere: sicut ergo infinitum Syncathegorematicè, quia semper est in fieri, & in potentia ad partes vlteriores, propterea non habet rationem totius: (totū enim secundùm Arist. est cuius nihil est extra; sed extra infinitum Syncathegorematicum semper est aliquid extra) nec præterea tale infinitum est perfectum; perfectū enim est, cui nihil perfectionis deest; sed tali infinito semper aliquid deest: ita infert Doctor de infinito actu & Cathegorematicè, quòd si tale infinitum concederetur, verè esset totum, & verè perfectum: totum; quia nihil sui est ad extra: perfectum esset; quia nihil sibi deesset, imò nihil posset addi, secundùm rationem quantitatis; quia tunc posset excedi. Infinitæ igitur quantitati (siue illa sit magnitudinis, siue multitudinis, siue intensionis,) repugnat additio. Tum quia aliàs infinitum Cathegorematicum non esset totum. Tum quia non esset perfectum. Tum quia excederetur, vt supra pro Opinione negatiua ratio prima deducebat: quod est contra rationem infiniti.

Infinitū [quid] sit?

Totū qu[id?] Perfectu[m] quid?

Qua-

…e rône in …iti códi- …ones tres.

Quapropter, iſta poſitio negatiua poneret de ratione infiniti, iſtas eſſe conditiones, quòd eſſet totũ, perfectũ, excedens & nullatenùs exceſſum: & quòd poſito infinito in actu, neceſſariò ſequatur exceſſus infiniti Patet; parte.n.ſuperaddita, vel gradu, exceditur præcedens quãtitas in magnitudine aut multitudine, & qualitas exceditur in intenſione: nec etiam erit perfectum; quia aliquid tali infinito deerit; nec denique erit totum; quia eſt vnibile cum aliquo quod eſt extra illud: conſequenter dici debet, quòd ſit impoſſibile infinitum, quia conditiones eius principales tres, nequaquam creato Enti competere poſſunt.

…ffirmati- …j parté te- …ens q̃ ſup- …onere dét.

Suſtinens autem affirmatiuam ſententiam de producibilitate infiniti, dicat oppoſitum; quòd.ſ.nec ratio totius, nec rõ perfecti, vel negatio exceſſus, ſit de rõne infiniti. Nõ ratio totius; quia quantitas ex natura ſua habet inhærentiã aptitudinalem, ſecundũ quam apta eſt inhærere ſubiecto, & ita cũ illo facere vnum totum accidentale; ac p cõſequens non requiritur in quantitate rõ totius comparando illam ad ſubiectum; nec requiritur rõ totius comparando illam ad inferiora, quia infinita quantitas nõ eſſet aliquid vniuerſale ſed ſingulare; nec denique requiritur rõ totius, ſecundùm ſe conſiderando quantitatem, quia ſufficit vt dicatur infinita, quòd in illa non ſunt continuæ vel cõtiguę partes pertranſibiles. Ob eaſdem cauſas non requiritur rõ perfecti in Ente infinito. De non exceſſu autẽ. Quãuis dici poſſet ſecundũ Arimin. quòd exceſſus vnus eſt ſecundùm certam & determinatam quantitatem, alius abſtrahit à quantitate determinata: prior repugnat infinito, quia non exceditur infinitum, ſecundùm determinatam quantitatẽ; ſecundus autẽ concederetur; meliùs tamen longè dicitur ſecundùm Doctorem in 2.d.1.q.3. quòd ſicut æquale & inæquale, maius & minus, ſunt differentiæ quantitatis finitæ, non infinitæ; ita excedere & excedi, cũ intrinſecè includant inæqualitatem & maioritatem ex parte vnius, & minoritatem ex parte alterius, erunt differentiæ quanti finiti, non infiniti. Ac proinde, ſi eſſent homines infiniti, non valeret ibi illa dubitatio, an tot ſint homines quot oculi, & oculi an tot quot digiti, an verò ſint plures & excedant illam infinitatem hominum; iſta n. imaginatio à multitudine finita, malè transfertur ad infinitam; ſed ſimpliciter tã digitorum, quàm hominum eſt infinitum, non maius vel minus vnum alio, quia iſta repugnant infinito, quatenus infinitum eſt. His prænotatis ſit.

…xceſſus du…lex ſecun… Arimin.

…xcedere … excedi …nt diffe-…tiæ quãti …niti, nõ in…niti.

Prima Concluſio. Impoſſibile eſt quòd Deus aliqđ producat infinitum, ſecundũ rationem eſſentialem, continẽtẽ in ſe perfectiones oĩum Entium formaliter, vel eminẽter. Iſta Concluſio eſt communis omnium Theologorum. Et ratio eſt. Primò. Quia ĩpoſſibile eſt poſſe eſſe plures Deos, vt dicitur quæſt. ſequenti; talis autem creatura eſſet Deus, vt patet ex lõga deductione Doct. quodl. 1. & 5. ergo, &c.

…finitũ in …mni perfe…tione En…s, aliud à …eo eſt im…oſſibile.

Secũdò Effectus æquiuocus, nõ põt adæquare ſuã cauſã ęquiuocã, vt docet Doctor multis locis. Et rõ eſt. Quia cauſa æquiuoca, cõtinent eminenter effectum in virtute ſua; ergo excellentiori mõ cauſat, q̃ cauſa vniuoca; modus aũt cauſandi ſequitur modũ eſsẽdi, igitur cauſa æq̃uoca excellẽtior ẽ in ſua entitate effectu ab illa pducto; ſed omne Ens creatũ vel creabile ẽ effectus Dei, & patet qđ nõ vniuoc⁹, q̃a aliàs eſſet Deus, vt deducebat prima rõ; eſt igitur effectus æquiuocus; ergo non põt adęquari Deo in infinitate.

Tertiò probari poteſt rõne 2um. Quicquid Deus poteſt creare, neceſſariò dẽt eẽ in aliqua ſpẽ, & ĩ aliquo gñe; ergo neceſſariò dẽt eẽ cõtractũ & limitatũ ad tale genus, & talẽ ſpeciem; ergo non poteſt eſſe infinitum, ſm̃ ſuam ſpeciem.

Quartò Nullum creatũ à Deo, eſt neceſſe eſſe ex ſe, cùm poſſit non eſſe; igitur non habet perfectionem neceſſitatis; & ita eſt limitatum.

Quintò. Si daretur infinitũ, ſm̃ eſſentiã, talis eſsẽtia hẽret virtutẽ cõſeruãdi ſeipsã, alioq̃n nõ eẽt ĩfinita eſſentia ſi careret hac virtute; ſed omni creato quod creatum eſt, repugnat quòd conſeruetur à ſeipſo, ſicut repugnat quòd ſit à ſe ipſo; ergo repugnat quòd ſit infinitum ſecundũ eſſentiã.

Rónes vltimę alio-rũ ſunt obſcurę parũ concludentes.

Verùm iſtæ tres vltimæ rationes ſunt valde debiles, & ſubobſcurè probant veritatem certiſſimæ Concluſionis. Nam Primæ Antecedens à multis in dubium vocatur, ab illis nimirum qui docent cum Zabarella, Subſtantiam materialem tantùm poni in prædicamento ſubſtantiæ: & conceſſo. Antecedente, negarent Nominales Conſequentiam, qui etiam Deum ſtatuunt in pręcicamento ſubſtantiæ. Quartæ item rationis conſequentia ſecunda, non habet euidentiam etiam in via Ariſt. qui Intelligentias alias à prima, ſtatuebat Entia neceſſaria, nec tamen affirmabat illa eſſe infinita, vt dicitur diſtin. 8. Vltimę demum rationis ſequela non eſt euidens; quia diceret aliquis, quòd talis creatura dependeret à Deo: nec neceſſariò ad infinitatem debere conſequi independentiam. Deinde conceſſo, quòd haberet virtutem conſeruandi ſeipſam, adhuc negari poſſet quòd ſit à ſeipſo, ſicut concedit Ariſt. ſecundam Intelligentiam conſeruari à ſe ipſa, non tamen eſſe à ſeipſa, ſed à prima, vt deducit Doctor diſ. 8. Sicut in ſimili dicũt Theologi, quòd Verbum Diuinum habet formaliter ex ſe neceſſe eſſe, & vim ſui conſeruatiuam, & tamen eſt principiatiuè à Patre.

Ad rationes in principio Dubitationis contra hanc Cõcluſionem propoſitam.

Ad Primam. Reſpondeo. Si ſub illa Maiore, ſubſumatur iſta Minor (quæ deberet ſubſumi; nam illa ſubſumpta, eſt quidem probabilis, non tamen infert intentum Concluſionis) ſed aliquod infinitum ſecundùm eſſentiam, poſſe à Deo produci, continens omnem perfectionem, eſt ab intellectu noſtro intelligibile. Nego illam: Eſt enim iſta intellectio ita vera, ſicut cognitio Chymeræ.

Ad Confirmationem. Reſpondeo: Si infinitum eſſet ſecundùm omnem rationem Entis aliud à Deo, illud de neceſſitate eſſet Ens independens, neceſſarium, & alius Deus, vt patebit legenti quæſtionem ſequentem: ſi autem ſit infinitum tantùm ſecundùm quantitatem, vel ſecundũ qualitatem intenſam, non ſequitur tale infinitum eſſe Deũ; & propterea hoc infinitũ eſt poſsibile, illud aũt impoſsibile.

Hinc patet reſponſio etiam ad Secundum argumẽtum.

Infinitũ actu ſecũdũ magnitudinẽ, an poſſit à Deo produci, problema.

Secunda Concluſio. Probabile eſt non poſſe produci infinitum, ſecundùm magnitudinem. Probatur iſta Cõcluſio rationibus quinque pro Secunda Opinione poſitis: quamuis tres priores ſint valde debiles.

Ad Argumenta alterius Opinionis.

Ad Primum. Diceretur, negando Antecedens. Ad probationem: Dicitur, repugnare ratione vtriuſque: quamuis enim nec magnitudinem eſſe, nec infinitum eſſe, repugnet: tamen iſta coniunctio, magnitudo eſt infinita, eſt repugnans: ſicut Deum eſſe non repugnat, item creaturam eſſe non repugnat, tamen iſta coniunctio, Deus eſt creatura, eſt ſimpliciter impoſsibilis.

Ad Secundum. Negatur Maior.

Tertia Concluſio. Probabile, eſt poſſe abſoluta Dei potentia, produci magnitudinem infinitam.

Ad Argumenta in oppoſitum.

Ad Primũ. Diſtinguo Antecedens: vel eſt determinatio ad ſpeciẽ, vel ad genus: vel ad finitatẽ vel ad infinitatẽ: & q̃libet harũ determinationũ, aut fit mõ naturali, aut ſupernaturali. Quãuis ergo ſit forma determinata ad certũ genus, certãq; ſpeciẽ, imò & ad finitatẽ naturaliter; mõ tamẽ ſupernaturali, vt forma aliqua ſubſtãtialis inanimata, puta ignis, aut aquæ, põt eſſe infinita, ita & eius accidẽtia ipſaq; quãtitas poterit eſſe infinita. Deinde dico, licèt infinitũ ſimpliciter, vt eſt Deus, nõ ſit in genere, infinitũ tamẽ ſecũdùm aliquod genus Entis, põt eſſe in determinato genere, vel ſpecie: nã ſecundũ Philoſophũ 6. Ethic. linea infinita ſi daretur, eſſet in genere quantitatis, ac proinde ſufficeret ſubſtantiæ finitæ, quòd aliquas determinatas partes quantitatis infinitæ, poſsit ſibi determinare, & quoad finitatẽ proportionatas reddere, nõ autem requirit vniuerſaliter omnem quantitatem poſsibilem determinare.

Infinita linea ſi daretur, eſſet in genere.

Ad Secũdũ. Nõ eſt neceſſaria paſsio corporis naturalis, motio actualis; ſed aptitudo ad moueri, ſiue mobilitas, eſt paſsio: corpus ergo infinitum ſi eſſet (ſiue illud eſſet Phyſicum, ſiue Mathematicum) eſſet ab intrinſeco mobile motu recto non circulari, is enim repugnat; ſed non poſſet prodire in actum ſecundum motionis, propter negationem ſpatij per quod moueri deberet: & ita ab extrinſeco impediretur, non poſitiuè, ſed negatiuè.

Motio, an ſit paſſio corporis naturalis?

Ad Tertiũ. Maior cũ ſua probatione eſt falſa, quantitas

enim est accidens simplex Physicè, nõ cõpositũ ex materia & forma: figura etiã est accidens realiter distinctum à quãtitate, magis habens esse à quãtitate, quã quantitas ab illa.

Ad Quartum. Dico: quòd constaret ex partibus infinitis. Ad probationem. Negatur assumptum, quòd esset maior. Ratio negationis, dicta est Notabili 4. Deinde Secundò dici posset: quòd constaret ex partibus non proportionalibus finitis, sed in infinitum; ac proinde constitutum ex illis partibus in infinitum, erit infinitum.

Ad Quintum. Concedo quòd aliquod corpus substantiale homogæneum possit esse infinitum; sed nego vltimã consequentiam, de homine vel alio animali; quia animal necessariò est figuratum, habens certo situ & ordine dispositas partes corporis; figura autem terminat & finit quantitatem: quare non potest animal esse infinitum: sed corpus homogæneum, quamuis de facto vt finitum est, habet terminatam quantitatem suam superficie; posita tamen quantitate infinita, illa esset absq; omni figura, & absq; omnibus terminis; hoc enim vt infinito conuenit, ita possibile est ex parte potentiæ Dei.

Infinitum ĩ multitudine posse esse, p potẽtiã Dei, probabile ẽ. Quarta Conclusio. Probabile est, quòd multitudo actu infinita sit impossibilis.

Ad Argumenta in contrarium.

Ad Primum. Respondet Richar. dist. 43. 1. lib. q. 6. negando Maiorem: quia omnia distinctè intelligere, nullam dicit repugnantiam; sed ponere illa intelligibilia simul in effectu, repugnat; quia pars esset æqualis toti, vt deducebatur Notabili 4. Ad probationem. Dico: Illa intelligibilia sunt possibilia, non simul omnia, sed non tot quin plura, produci. Ratio diuersitatis potest accipi quasi intrinseca, ex ipso esse possibili rerum, quod cùm sit potentiale, & infinitum potentiale sit Syncathegorematicum; quoad produci ex esse possibili, erit finitum in infinitum: vt verò sunt res in intellectu Diuino, habent esse obiectiuum & intelligibile actu, quod esse obiectiuum vt abstrahit à possibilitate vel actualitate existendi, vt dicitur dist. 36. infra, ita abstrahit ab infinitate Syncathegorematica.

Nota.

Ad Quintum. Respondet Doctor in 2. Report. dist. 1. q. 3. Quòd Arist. vel nolens contradixit suis principijs de impossibilitate infiniti; vel dicere debuit magis consequenter (licèt falsò) ad sua principia, quòd anima rationalis esset corruptibilis. Quòd an Arist. conformiter dicere debuerit suis principijs, vide Doctorem in 4. dist. 43. q. 1.

Quinta Conclusio. Probabile est, quòd multitudo actu infinita, sit possibilis.

Ad Argumenta in oppositum.

Si Deus crearet infinitã multitudinem, Virum exhauriretur potẽtia Diuina. Ad Primum. Respõdeo Primò. Si creet Deus omnes possibiles animas, quæ erunt infinitæ, non poterit creare vllam supra infinitas; quia implicatio esset in adiecto, quòd creet omnes possibiles, & adhuc sit creanda possibilis. Ad probationem, de exhaustione. Dicit Doctor quodl. 2. Verbũ istud, exhauritur, si propriè accipitur in corporalibus, denotat nihil illius quod exhauritur, remanere in illo in quo præfuit, vt patet de aqua in puteo; isto modo non exhauritur potentia creandi in Deo, quia tota semper in eo manet. Oportet igitur quòd secundùm alteram similitudinem intelligatur, vt videlicet dicatur exhauriri, pro quanto non manet ad alium actum producibilis animæ. Et isto secundo modo conceditur, quòd potentia Dei creatis omnibus animabus possibilibus, esset exhausta, id est, non posset alias animas producere. Nec hoc est inconueniens, vt patet: Tum in generatione Diuina, vbi potentia generanda Patris sic ẽt exhauritur secundùm Theologos, quia non potest in secundum actum generationis: Tũ ratione; quia potentiam creatiuam adequari obiecto, & non posse vltra latitudinem sui obiecti, necessarium est; potentia ergo creatiua Dei, cùm sit infinita, & producat animas omnes possibiles, quæ sunt infinitæ; nõ mirum est, quòd vltra latitudinem talium animarum possibilium, non possit.

Exhauritur, dupliciter intelligitur.

Resp. Secundò. Dato ꝙ creet infinitas animas, & non oẽs possibiles, dico quòd posset creare adhuc animã. Cùm infers. Ergo infinito poterit esse additio, & ita excessus. Dico, poterit esse additio; sed nego quòd sit excessus; quia additio cum excessu, est in sola multitudine finita, vt dixi Notabili 4. ex Arimin.; in proposito autem esset additio sine maioritate & excessu: nec hoc est inconueniens, imò necessarium est, si ratio infiniti, & ratio excessus, bene concipiantur.

Ad Secundum. Aliter dicendum est de numero numerante, & aliter de numerata multitudine actu existenti: numerus enim numerans, est intrinsecè quantum potentiale, & ideo infinitum Syncathegorematicè, & impossibile est assignare numerum numerantem, (siue quo numeramus) cui non possit ratio vnitatis in infinitum addi; non sic de multitudine in actu, quæ cùm sit quantitas Cathegorematica, omnes partes potest simul ponere infinitas, extra quas nihil possit esse eiusdem rationis. Vnde non bene ista ab alijs coniunguntur, vt aduertit optimè Subt. Doctor. Tum in 2. dist. 1. q. 3. Tum 2. Metaph. q. 6.

Numerus numerans infinitus syncathegorematicè, Numerus aũt numeratus est infinitus Cathegorematicè, si detur infinitus.

Ad formam igitur Argumenti. Dico, quòd de ratione multitudinis finitæ est, vt detracta vel addita vnitate, varietur multitudo in ratione tantæ vel tantæ multitudinis: non sic est in infinita multitudine, cui vt additio maioritatem, ita subtractio partium non facit minoritatem; quia contra rationem infiniti est, in ratione infiniti, augeri vel minui, excedere vel excedi, vt dictum est.

Ad Tertium. Negatur Minor. Ad probationem. Dixi esse disparem rationem numeri numerantis, & numeri numerati, seu multitudinis; quia iste numerus est actualis & permanens, ille potentialis & quasi successiuus; non tamen cõtinuus, sed discretus; vt alibi dicetur.

Ad Quartum. Par vel impar, tantùm dicuntur de multitudine finita, non de infinita.

Infinita qualitas intensa est possibilis probabiliter loquendo. Sexta Conclusio. Probabile est, quòd nulla vi qualitas infinite intensa dari possit.

Ad Argumenta alterius Opinionis.

Ad Primum. Nego Minorem: & dico, repugnat propter tertiũ; quia data qualitate infinitè intensa, si adimatur gradus, illa alteri qualitati infinitę (vt infinita frigiditas infinito calori) erit æqualis; & ita pars erit æqualis toti, quia frigiditas remanens, est pars respectu gradus adempti, cum quo faciebat totum; vnde sicut cum illo gradu, ita & sine illo, esset æqualis infinito calori, qui calor est quoddam totum; & sic pars esset æqualis toti, quod est impossibile.

Ad Secundum. Negatur Antecedens: & consequentia est nulla.

Septima Conclusio. Probabile est, posse absoluta Dei potẽtia, aliquam qualitatem intendi in infinitum, ita quòd esset actu infinita, secundùm gradus intensionis.

Ad Argumenta in oppositum.

Ad Primum. Respondeo Primò. Negãdo Minorem. Ad probationem. Dico: in ratione entitatiua, omne accidens, etiam infinitum, si daretur, est simpliciter imperfectius substantia; ita quòd vltima substantia est perfectior in ratione Entis, quouis accidente: secundùm aliquam tamen rationem accidentalem, siue secundùm quid, potest accidens esse perfectius substantia; sic, quia minus est compositum in entitate sua accidens, quàm substantia corporea composita ex materia & forma, potest dici, quòd accidens secũdùm quid sit perfectius substantia corporea, nempe ratione simplicitatis: similiter dico & de infinitate accidentis. Resp. Secundò. Cùm comparatio debeat esse secundùm Philosophum in vniuoca specie, substantia autem & accidens non vniuocantur etiam in genere, nedum in specie, non rectè in perfectione comparatur qualitas cum substantia: sed bene cõparari potest qualitas infinita cum finita, quam excedit infinita in perfectione intensionis.

Accidẽs potest esse perfectius substantia quo.

Cõparatio debet esse in vniuoca specie.

Ad Secundum. Negatur sequela Maioris. Ad hoc enim vt aliquid sit infinitè diligibile, requiritur vt sit per se, & non per accidens diligibile. Deinde vt necessariò & non contingenter insit illi ratio diligibilitatis. Tandem vt sit ex se bonum, ad aliud ex natura sua irreferibile; quæ omnia repugnant infinitę charitati creabili: atq; adeo non erit talis creatura diligibilis infinitè, vel sicut Deus. Et sic explicari debet Doctor in 3. distin. 19. quæst. vnic. artic. 1. de quo aliàs.

Infinitè diligibile quid requirit.

Ad Tertium. Negatur paritas: quia si substantia intellectiua esset infinita, illa esset simpliciter necessaria, quia infinitam haberet virtutem resistendi, omni corrumpere vel annihilare ipsam volenti; & ita esset tantæ potentiæ quantæ Deus: imò quæst. sequenti, ratio probans vnita-

vnitatem Dei ex eius infinitate, expresſè oſtendit, impoſsibile eſſe duas ſubſtantias intellectiuas eſſe infinitas; & in hoc ſenſu procedit prima Concluſio ſuperiùs: hoc autem non ſequitur ex poſitione ſubſtantiæ inanimatæ, vel quantitatis vel qualitatis infinitæ, vt euidens eſt.

QVAESTIO III.

An ſit tantùm vnus Deus.

Et quòd non, arguitur 1. ad Corin. 8. Si quidem ſunt Domini multi, & Dij multi, &c.

SVMMA TEXTVS.

num eſ- / Deū eſ- / demon- / rari.

Tres partes ſunt huius Quæſtionis. In Prima, proponit Doctor Opinionem Varronis in 1. diſt. 2. q. 1. quòd hæc veritas, Deus eſt vnus, non ſit demonſtrabilis. In Secunda, demonſtrat Doctor hanc veritatem varijs medijs. In Tertia: reſpondet argumentis à Varr. propoſitis. Vltimò tandem reſoluuntur Argumenta principalia.

Totus textus eſt clarus.

An verò hæ demonſtrationes ſint à priori, dictum eſt quæſt. præced. art. 1. ex quo loco conſtat, quid dicendum ſit ad omnes rationes Ocami, quas facit tum in 1. ſent. tum in quodlib. quæſt. 1. contra rationes Doctoris. Interim breuiùs ſummatas has rationes vide apud Ant. Andr. & Baſſol. quæſt. præſenti Mayr. diſt. 2. q 4.

Quidnam verò vnitas dicat in Deo, prædicatum ne poſitiuum, an aliquid negatiuum, commodiùs explicatur infra d. 24.

QVAESTIO IV.

Vtrum Eſſentia Diuina poſsit ſtare in aliquo, & ipſum eſſe productum; ſeu, Vtrum in Diuinis poſsit eſſe aliqua productio intrinſeca.

Arguo quòd non. Primò ſic. Nullum productum eſt ex ſe neceſſarium, &c.

SVMMA QVAESTIONIS.

In Primo Articulo tenetur Concluſio affirmatiua, & demonſtratur efficacibus quatuor rationibus. In Secundo ponuntur probationes aliorum; quæ quia ſunt minùs efficaces, reijciuntur. Vltimò ſoluuntur Argumenta principalia.

ARTICVLVS PRIMVS.

Satisfit propoſitæ Quæſtioni per Concluſionem affirmatiuam.

Dico, quòd in Diuinis eſt & poteſt eſſe productio. Quod probo ſic, &c.

COMMENTARIVM.

n Diuinis / pōt eſſe p- / ductio ali- / quius ſubſi- / tentis infi- / niti.

PRima rō cum ſuis probationibus hunc ſenſum habet. Quicq̄d ex rōne ſua formali eſt principiū productiuum, illud in quocunq; erit ſine imperfectione, erit ei principiū productiuū: ſed memoria perfecta, nō reducta ad actū ſecundū (hoc additur ob quaſdā aduerſariorū cauillationes) ſiue intellectus, habens eſſentiam ſibi præſentē in rōne obiecti, eſt principiū productiuū notitiæ genitæ ex rōne ſua formali; igitur in quocunq; erit memoria, nō reducta ad actū ſecundum, erit in eo principium productiuū notitiæ genitæ: at in Deo eſt memoria; vt clarū eſt; ergo erit in eo principium productiuum notitiæ genitæ. Eſt autē in Deo memoria infinita; igitur poterit producere notitiā ſibi adęquatam, nimirū infinitam: ſed nihil eſt infinitū intēſiuè niſi in Deo; ergo illa notitia infinita genita erit in Deo: nō pōt aūt eſſe per modū inhærentis (cū & infinitæ notitiæ repugnet eſſe actū informantem ex rōne infinitatis ſimpliciter, & Deo repugnet potētia paſſiua recipiendi;) ergo iſta notitia genita infinita, erit in Deo per modū ſubſiſtētis. Eodē mō poteſt probari de voluntate, ponendo inprimis illam Maiorem. Quicquid ex ratione ſua formali eſt principiū productiuum, &c. & ſubſumendo hanc Minorem: ſed voluntas habens obiectū infinitū ſibi præſentatum, ex rōne ſua formali eſt productiua amoris infiniti; ergo, &c.

Proponūtur deinde contra Minorē huius argumēti q̄dā dicta, ob q̄ poſſet illa negari, & deinde reſoluūtur. Dici igitur poſſet Primò ad Minorē. Quòd memoria ſit principiū productiuum notitiæ genitæ in intellectu receptiuo intellectionis, Diuinus aūt intellectus non eſt receptiuus, quia non eſt paſſiuus; quare, &c. Secundò dici poſſet. Tūc à memoria poſſe produci notitiam, quando pōt memoria pfici per notitiā, vt in nobis accidit; Diuinus aūt intellectus non eſt perfectibilis. Tertiò dici pōt. Ibi ſolùm neceſſariam eſſe notitiam productā, vbi non pōt intellectus exire in actum cognitionis, ſine tali notitia producta; ſed Diuinus intellectus, intelligit oīa intellectione eſſentiali improducta; ergo fruſtra ponitur ibi notitia producta. Quartò dici pōt. Iſtā propoſitionē. In Deo memoria eſt principiū productiuū: eſſe impoſſibilē dupliciter. Tū quia memoria fęcūda habet actum adæquatū, nempe notitiā ingenitam; igitur non eſt poſſibilis alter actus adæquatus, puta notitia genita, quia aliàs ille prior eſſet inadęquatus, vel duo actus eſſent adæquati: quod eſt impoſſibile. Tū quia intellectus eſt potētia actiua, diſtinguendo contra factiuam; ergo produceret in ſe illam notitiam genitam, & ſic ille intellectus Diuinus eſſet paſſiuus & receptiuus: quod eſt impoſſibile. — Obiectiones contra Minorē rōnis primæ.

Ad iſta reſpondet Diuinum huius Doctoris ingenium. — Diuinū Scoti ingenium. Soluūtur obiectiones.

Ad Primū. Reſpondet ibi: *Iſtas rōnes excludendo, &c.* Qñ aliqua duo ſunt per accidens coniuncta, & vnū illorū non dicit imperfectionem, alterum verò dicit imperfectionē; tunc illud quod dicit imperfectionē, pōt ſeparari ab altero, quod non dicit imperfectionē: ſed principium productiuum, inquantum productiuū (& conſequenter memoria productiua inquantū productiua) per accidens coniūgitur potentiæ paſſiuæ, in qua pōt producere; & hæc potētia paſſiua dicit imperfectionē, principiū autem productiuum nō dicit imperfectionem (nec tamen dicit perfectionem ſimpliciter, vt infra oſtenditur) ergo in Ente perfectiſſimo, cùm nulla debeat poni imperfectio, poterit poni principium productiuum notitiæ, abſque potentia paſſiua receptiua talis notitiæ, dicente imperfectionem. — Principium productiuū per accidēs coniungitur potētiæ paſſiuæ.

Ad Secundā Obiectionē. Dicitur ibi à Doctore. *Ad cōfirmationē illius gloſæ, per fruſtra, &c.* ꝙ non fruſtra p̄ter notitiam ingenitam, ponitur in Diuinis notitia genita: cū.n. ſit ſtatus in perfectione Entiū, iuxta dicta q. 2. huius d. art. 1. deueniēdū eſt ad aliquē intellectū perfectiſſimū, qui ex liberalitate, hoc eſt, ex infinita plenitudine pfectionis ſuæ, producit notitiā; & conſequēter, non producet illā ob indigentiam aliquam, tanquam perfectibilis à tali notitia. — Notitia genita prę̄ter ingenitam cur ponitur in Diuinis?

Ad Tertiū. Falſa eſt Maior vniuerſaliter ſumpta, licèt ſit vera in intellectu creato. Quāuis.n. Diuinus intellectus intelligat oīa, intellectione eſsētiali improducta (quę ſm̄ modū noſtrū concipiendi, quia cōcipitur quaſi actus ſecūdus productus, dicitur in litera *quaſi producta*, licèt verè ſit improducta) quia tamen illa notitia eſſentialis non eſt producta, & memoria ibi eſt principium productiuum neceſſariò, requiritur neceſſariò notitia producta, adæquata tali principio productiuo infinito.

Hinc patet ad Primā probationē Quartæ Obiectionis. Quòd quāuis memoria habeat adęquatā notitiā ingenitā, in rōne notitiæ eſsētialis, nō tamen exinde habet notitiam productam adęquatam, cùm illa non ſit producta. Eſſe verò duos actus adęquatos ſic difformiter, quòd vnus ſit improductus, alter productus, nullū eſt incōueniens, ſicut eſſet, ſi vniformiter eſſet adæquatus vterque, vel in ratione actus producti, vel in ratione improducti. Ad Secūdā Cōfirmationē. Dicitur: q̄d illa potētia productiua, neq; ē actiua neq; factiua, illo mō quo vocat illas Ari. 9. Met. tex. 26. Siquidē & actiua ſumitur ibi pro potētia trāſmutatiua in ipſo agente, factiua autem pro potentia tranſmutatiua in paſſo, realiter & eſſentialiter diſtincto ab agente; in Deo verò ad intra, nec actiua tranſmutatiua, nec factiua talis, — Actus adæquatus eſſe duos, quō ſit poſſibile. — Potētia productiua Dei ad intra; neque eſt actiua neq; factiua.

concedi poteſt,ſed eſt ibi potentia productiua,abſque omni limitatione & imperfectione.

Aduerte tamen Primò circa immediatè dicta. Quòd nō abſolutè negat Doctor in Deo non dar potentiam actiuam. Dicit enim Doctor,in 4. diſtinct. 13.q.1.artic.1.quòd *hoc nomen, potentia actiua, æquiuocè dicitur; non ſolùm enim dicitur de potentia tranſmutatiua, ſed etiam de potentia productiua,& quidem Deus habet potentiam vtroque modo.* Hæc ille. Et quidem potentia actiua tranſmutatiua, eſt in Deo reſpectu creaturæ; potentia autem actiua productiua, vel eſt reſpectu eiuſdem termini formalis & eſſentialis; & ſic eſt ad intra: vel reſpectu diſtincti eſſentialiter, & ſic Deus habet potentiam productiuam actiuam reſpectu creaturæ. Idem infra diſt.7. concedit in Deo ad intra potentiam actiuam productiuam, licèt non tranſmutatiuam.

Nota. Actiua potentia quo ſenſu eſt in diuinis.

Aduerte Secundò. In reſponſione ad Primum dictum. Quamuis indeterminatum relinquat Subt. Doctor, An intellectus agens vel poſſibilis producat actiuè intellectioné, manet tamen ſufficienter determinata hæc quæſtio ab illo,tum infra diſt.ſequenti q.8. tum,& clariùs in quodl.qu. 15.art.1. & in quæſtionib. diſp.qu.7. In quibus duobus vltimis locis, etſi problematicè defendat de intellectu poſſibili,an concurrat actiuè,ſimiliter & de agenti;reſolutio tamen ad mentem illius propriam, ſtat in his dictis.

Primum Dictum. Producere actiuè intellectionem,cōuenit intellectui tam agenti quàm poſſibili tanquā principaliori,poſſibili, tanquam minùs principali.

Vtrum. Intellectus agēs & poſſibilis concurrat ad productionē intellectionis, problema.

Dices. Cùm intellectus agens & patiens ſint vna natura, & vnum realiter, non poterit reſpectu eiuſdem, vnum habere cauſalitatem principaliorem, aliud minùs principalem. Reſpondeo. Nego conſequentiam. Et manifeſta inſtantia poteſt eſſe de intellectu & voluntate; quæ potentiæ ſecundùm Doctorem in 2.diſt.17.ſunt idem realiter,& tamen reſpectu eiuſdem actus volitionis, vna harum potentiarum habet rationem cauſæ principalis, alia rationē cauſæ minùs principalis, ſecundùm quorundam opinionē recitatam à Doctore in 2.diſt.25.

Secundū Dictum longè conformiùs eſt doctrinæ Scoticæ. Quòd vt ſolus intellectus poſſibilis cōcurrit paſſiuè & receptiuè reſpectu intellectionis, ita ſolus intellectus agens cōcurrit ad illā elicitiuè ſiue effectiuè: vnde & nomen deſumpſiſſe videtur. Dixi, conformiùs. Quia dicit Doctor in quodl.loco allegato: *Si non tenetur diſtinctio potentiarū nec re abſoluta,nec relatione reali* (quod Doctor non tenet, vt patet in 2.) diſt.17. *ſed tātum quòd idem abſolutum quodammodo illimitatum eſt principium immediatum multorum actuum* (quod concedit Doctor ibidem) *& ſic reſpectu alterius & alterius dicetur alia potentia; tunc* (conſequenter dicendo) *primaria* (ſcilicet quòd ſolus intellectus agens concurrit actiuè) *probabilis videtur.*

Aduerte Tertiò. De hac probatione & ſequentibus in iſta materia, idem debere ferri iudiciū,quod ſuperius docuimus quæſt.2. art.1.de probantibus Dei infinitatem; eas nimirū non eſſe demonſtrationes Propter quid(vt arbitratur Argent. in 1. d.2.q.2.art.2.) ſed eſſe rationes omnibus alijs quæ adferri in hac materia ſolent, longè probabiliores,imò tales, vt quæcunq; illarū propoſitionū negetur,de facili probari poſſit. Exemplum. Dum Baſſol. in 1.d.1.q.6. negat Minorem huius argumenti,dicens,ibi ſolùm voluntatem & intellectū eſſe principium productiuū, vbi eſt diſtinctio eſſentialis,qualis non eſt in Diuinis: optimè impugnatur hæc reſpōſio à Doctore. in reſp.ad primā obiectionem. Quòd quando aliqua duo ſunt per accidens coniuncta,&c. vt ſupra; ſed principiū productiuū & diſtinctio eſſentialis ita ſe habent,quòd diſtinctio eſſētialis dicit imperfectionē (quia dependentiā producti ad producēs) principium autem productiuum non dicit imperfectionē; ergo principium productiuum,& non diſtinctio eſſētialis, Deo debet attribui.

Impugnationes aliorū cōtra argumēta Scoti adducta, nō debilitāt rōnes p̄ſentes.

Quando itē Argentinas loco cit. dicit; Quòd ſi rō hęc vel aliqua demōſtraret Trinitatē, tunc fides periret. Deinde: ſi hæc Scoti rō probat aliquid, non ſolū trinitatē realiter diſtinctorū in Diuinis cōcluderet, verū ēt millietatem, vel potiùs infinitatem realiter diſtinctorū neceſſariò in Diuinis poneret: quia ſi à p̄fecta memoria generatur Verbū,& Verbū habet memoriā, Verbū generabit Verbū, & ſic ī īfinitū.

Nihil iſtorū officit Scoticæ ſubtilitati. Nō primū. Quia Scotus,& quilibet Theologus, nō pp rōnes credit articulū hūc,vel aliud verū reuelatū,ſed propter infallibilē veritatē reuelātis: ad illud tamen verū reuelatū declarandū, quòd ſit verum ſecundū rōnem,quamuis intellectus illuminatus fide,poteſt aliquas rōnes adinuenire, quibus fidelis in articulo fidei,ſi nō certior reddatur(cū certiùs vero reuelato,q̄ alicui demōſtrationi Ariſtotelicæ, vel omnib. eius probationib. adhæreat) ſaltē maiorē habeat euidentiā de illo,quā ante: infidelis autem ſi audiret,maximam probabilitatē de veritate propoſitionis reuelatæ (quā ante falſam putabat) conciperet. Non ſecundum. Tum quia memoria fæcunda in primo producente, cū habeat actum adæquatum intenſiuè & extenſiuè; eſto quòd productum habeat memoriā, non tamen habet memoriam in ratione principij productiui. Tum ob alias rationes poſitas ſequenti quæſtione.

Rō ad declarandū verū reuelatū, eſt o... ptima, & neceſſaria.

Secunda ratio principalis ad Concluſionem huius Articuli data, vt intelligatur.

Suppono Primò. Quòd Intelligentia (præter illā ſignificationē, in qua à Philoſophis, quilibet Angelorum dicitur Intelligētia; imò & ipſe creator Angelorū, dicitur Intelligētia prima, ab Auic.6. Met. alijſq; Peripateticis) accipitur aliquādo pro ipſa potētia intellectiua, prout eſt informata actu intellectionis; & ſic nō accipitur in p̄ſenti textu: aliter ū aūt ſumitur, pro ſola & ipſamet īntellectione producta: hęc aūt vel eſt in altero exiſtēs, vt oīs notitia creata: vel per ſe ſubſiſtēs, vt eſt Verbū Diuinū: hoc vltimo modo Intelligētia ſumitur in textu, circa finem huius rationis.

Intelligē... acceptio... ria.

Suppono Secūdo. Tripliciter poſſe eſſe obiectum in memoria. Primo mō, ſecundū quid: quādo videlicet obiectum nō eſt ſecundū eſſe reale propriū in intellectu, ſed ſecundū rōnem repræſentatiuam, puta ſecundū ſpeciem, in qua ſecundū quid, hoc eſt, quoad repræſentari, & nō ſimpliciter, quoad eſſe reale, cōtinetur obiectū: ſic in noſtro intellectu, pro ſtatu iſto, ſecundū cognitionem abſtractiuā, omnia obiecta habent eſſe ſecundū quid: iſte tamen modus continendi obiectum cognitum eſt imperfectus, vt patet, & diſtinguitur realiter tum à notitia producta, tum ab obiecto reali, habente verum eſſe ſuum extra intellectum. Secundo modo poteſt obiectum eſſe in memoria, ſimpliciter, hoc eſt ſecundùm verum eſſe reale; ſimiliter & ipſa Intelligentia, erit Intelligentia ſimpliciter per ſe ſubſiſtens, habens identitatem realem cū ipſa memoria, hoc ſoli infinitę memoriæ conuenit: licèt enim Angelus poſſit in memoria habere eſſentiam ſuam loco obiecti, ſecundùm verū eſſe reale,& non ſecūdùm eſſe diminutum, cùm intelligit ſeipſum per eſſentiam ſuam,& non per ſpeciem, vt dicitur in 2.diſt. 3.q.8.(idem dico de anima noſtra ſeparata à corpore, dum ſeipſam intelligit, vt dicitur in 4. in materia de beatitudine) non tamen illud obiectum eſt ita perfectè præſens ipſi notitiæ productæ, ſicut Eſſentia Diuina eſt p̄ſens Diuinę notitiæ productæ: quia eſſentia Angeli non identificatur realiter notitiæ Angeli productæ, ſicut identificatur Eſſentia Diuina notitię Diuinæ productæ. Sicut igitur perfectionis eſt in memoria, quòd obiectum ſit in illa ſecundùm verum eſſe,& non ſecundùm diminutum (quale eſſe diminutum, ſiue ſecundùm quid, eſt eſſe per ſpeciem) ita perfectionis erit in actu intelligendi producto, quòd in illo obiectum continebitur identicè realiter, ſecundùm verum eſſe reale ſimpliciter,& non præciſè ſecundùm eſſe cognitum vel repræſentatum, quod eſt eſſe diminutum. Cùm ergo in Deo ſit memoria perfectiſſima, obiectum illius memorię, quod eſt Eſſentia Diuina, continebitur in illa perfectiſſime, ſecūdùm verum eſſe reale: & cùm itidem notitia producatur perfectiſſima, à perfectiſſima memoria; notitia illa non continebit (vt noſtra) obiectum ſecundùm eſſe repræſentatiuum, quod eſt eſſe diminutum & imperfectum; ſed ſecundùm eſſe verum reale & ſimpliciter, identificatum realiter. Et hoc vult textus ille Doctoris: *quòd autem obiectum habeat eſſe vtrobique)* id eſt, in memoria per ſpeciem, in intellectione ſecundùm eſſe cognitum) *ſecundùm quid; vel ab eis differens* (quia obiectum in nobis, & in ſpecie, differt realiter ab intellectu noſtro, & prout obiectū eſt extra, diſtinguitur realiter ab intellectione

Obiectū in memoria tripliciter poteſt eſſe.

Obiectum perfectiſſimū, in memoria perfectiſſimo modo perfectiſſimo.

A p̄fectiſſima memoria notitia producitur perfectiſs.

ne

ne creata) *hoc est imperfectionis*. Iste igitur secūdus modus, esse obiectum in memoria, subdiuisus, constituit triplicem modum essendi obiectum in memoria.

Ex his patet vis argumenti Secūdi: quod est tale. Obiectum vt est in intellectu, vna cum intellectu, constituit memoriam productiuam intellectionis, in qua intellectione potest esse obiectum vel in esse cognito realiter distincto, vel secundùm esse verum reale, identificatum intellectioni, vt dixi: Tunc sic. Obiectum prout est in intellectu, est productiuum suiipsius, prout in intellectione, & imperfecta memoria est productiua obiecti in intellectione modo imperfecto, qui est esse secundùm quid, non simpliciter; perfectissima autem memoria habens obiectum sibi præsens modo perfectissimo, producet illud obiectum in intellectione perfectissimè, nempe secundùm verum esse: sed memoria in Deo est perfectissima: igitur producet obiectum in ratione termini formalis, in producta intellectione, secundùm esse perfectissimum: sed hoc tunc est, quando intellectio producta est idem realiter cum obiecto: ergo memoria Diuina, est productiua notitiæ genitæ, cui notitię genitæ, obiectum intellectus Diuini primarium, quod est Essentia Dei, identificatur realiter; & sic habetur intentum.

Rōnē hanc Scoti multi nō intelligunt.

Hic Aduerte. Quod non modò Argent. loco cit. vim huius rationis non percepit, sed nec ipse discipulus Doctoris, Bassol. cognouit, decepti illis verbis textus: *Ablata omni imperfectione, reseruando illud quod est perfectionis*. Prior enim sic proponit hanc rationem Doctoris. Omnis perfectio simpliciter, est ponenda in Deo, secundùm Ansel. sed productio ad intra, dicit perfectionem simpliciter, propterea, quia est necessaria, & necessitas dicit perfectionem, sicut contingentia dicit imperfectionem: præterea, productio dicit perfectionem; ergo necessitas cum productione, siue (quod idem est) necessaria productio, dicit perfectionem simpliciter.

Respondet Argent. Minorem huius argumenti, non solùm esse falsam, sed etiam periculosam; quia si productio necessaria dicit perfectionem simpliciter; tunc sequitur, Spiritum Sanctum esse imperfectum; quia nihil producit ad intra, nec per consequens necessariò. Simili modo proponitur argumentum à Bassolio, & negatur Minor.

Isti Impugnatores, reuera non intellexerunt textum huius Doctoris. illa enim verba; *Ablata omni imperfectione, reseruando illud, &c.* non hoc volunt, quòd generare vel generari, necessariò sit perfectionis simpliciter: hoc enim expresè est contra Doctoris sententiam infra, distin. 13. & quodl. 5. & hìc non absque causa, priori ratione non affirmat, memoria vt est principium productiuum, quòd dicat perfectionem simpliciter, sed dicit, *non dicit imperfectionem*, vt denotet quòd producere abstrahat à perfectione sicut & produci, non tamen inferat vllam imperfectionem, prout de relationibus Originis dicitur à Doctore quodl. 5. Hoc igitur solùm ille textus vult, obiectum esse in memoria, secundùm verum esse reale: esse etiam in intelligentia, siue in actu intelligendi, secundùm illud esse reale, identicè realiter cum intellectione, hoc est perfectionis simpliciter, vt dixi; nec ab ipsis negari potest.

Necessitas secundū se, dicit perfectionem, sicut contingentia imperfectionem. Meliùs est producere Deū necessario, quam contingenter.

Tertij argumenti principalis vis consistit. Primò in ista Suppositione. Quòd necessitas, secundùm se, sit perfectionis, sicut contingentia est imperfectionis: vt bene probatur in litera, & conceditur ab aduersarijs: Secundò: quòd Deo conueniat ratio productiui principij vt Quo & vt Quod: vt communiter concesserunt etiam Philosophi, nedum Theologi, vt bene probat argumeutum Primum. Cùm igitur Deus producere possit, & aliquid de facto producat, meliùs est quòd producat necessariò, quàm contingenter, sed hæc productio necessaria non potest esse ab extra, vt probatur dist. 8. huius; ergo est ab intra. Ista ratio sicut & precedens, licèt necessitatem agnoscat dicere perfectionem simpliciter, producere tamē ad intra, nec docet nec supponit esse perfectionem simpliciter.

Quartæ rationis energia optimè intelligitur, si compossibilitas, vel incompossibilitas relationum realium in eodē intelligatur: de qua re vide infra dist. 3. q. 8. in resp. ad argumenta Secundæ Opinionis.

Scot° à multis non intelligitur.

Rationes Thomę Anglici hìc, Ocami in 1. dist. 9. qu. 1. Alphon. Tolosani, & aliorum, quæ adferri possent contra Subtilem nostri Doctoris doctrinam, eiusque explicationem, non intendo hìc referre: quia ex falso intellectu literæ procedunt.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Proponuntur rationes aliorum, & ponderantur.

Arguit aliter quidam Doctor, sic. Prima persona constituit, &c.

COMMENTARIVM.

DOctor priori loco citat Henr. Gand. quodl. 6. q. 1. Rōnes eius sunt claræ. Quando autē dicitur; *Arguunt alij per rationem boni.* subintelligit D. Bonauenturam, hìc, art. 3, q. 2. Richar. de Mediavil. ibidem q. 1.

Totus textus est clarus. Illud solùm hìc Aduertendum est. Non ideo à Doctore has reijci rationes quòd aliquomodo non probent intentum; sed quia Primi argumenti medium est obscurius (siue fideli siue infideli probetur) q̄ Conclusio. Secunda autem argumentatio, ex ratione summæ diffusionis, Tertia, ex ratione summæ communicationis, & Quarta, ex ratione perfectionis, fideli quidem aliquantulùm probant, sed infideli nullam probabilitatem facerent.

RESPONDETVR AD ARGVMENTA principalia.

Tenendo igitur quatuor rationes primas, & præcipuè duas primas, &c.

COMMENTARIVM.

OB aliqualem literæ Doctotis obscuritatem, eandē pro Nouitijs breuiter expono.

Argumentū principale primum ponitur. Nullū productū est ex se necessariū probatur. I.

Argumentum Primum principale fuit. Nullū productū
est ex se necessarium; sed quicquid est in Essentia Diuina,
est ex se necessarium; ergo nihil existēs in Essentia Diuina,
est productum. Minor ex dictis, & ex se est euidens. Maior.
Probatur quintupliciter. Tum quia, nihil est necessariū ex
se, & ab alio: quod. n. ex se necessarium est, est necessarium
circumscripto omni alio, & ita circūscripto quocunq; pro- 2.
ducente. Tum quia, omne productū includit possibilitatē
ad produci, possibilitas autē repugnat, ex se necessario. Tū
quia producens cū aliquomodo sit prius producto, sequi-
tur, quòd productum in Diuinis esset posterius producen- 3.
te; & ita esset mutatio. Tum, quia productum habet esse p 4.
productionem; ergo sine illa nòn habet; igitur mutatur, 5.
quia ex non habente est habens. Tum quia, si quæ pro-
ductio poneretur in Diuinis, illa esset generatio; sed hęc est
impossibilis, quia generatio est intrinsecè mutatio, cū mu-
tatio in generationem, lationem, augmentationem, & al-
terationem, tanquam in species essentiales distinguatur:
impossibile autem est mutationem esse in Deo; igitur im-
pòssibile erit & generationem esse.

Soluitur primum argumentum. Nihil est necessariū ex se, & ab alio, quis sensus. Esse formaliter ex se necessariū, & ab alio productiuè, sunt cōpatibilia. Relatiuū intelligi sine correlatiuo includit cōtradictionē.

Ad hoc argumentum respondet Doctor: negādo Maiorem. Ad Primā probationem. In ista probatione, Nihil est necessariū ex se, & ab alio: vel sumūtur isti termini in eodē genere, quasi causæ formalis, vel quasi efficientis, vniformiter, sic qđ ē ex se formaliter necessariū, nō est formaliter necessariū ab alio, & quod est ex se principiatiuè & productiuè necessarium, non est ab alio productiuè & principiatiuè necessariū; vera est propositio, sed nihil ad propositum; vt patet: vel sumuntur difformiter, ita quòd ly ex se, accipiatur quasi in genere causæ formalis, ly autem ab alio, in genere causæ quasi effectiuæ, vt sit sensus, Nullum Ens quod est ex se formaliter necessarium, est ab alio productiuè: hoc modo est quidem ad propositum, sed est falsa; nam etiam Arist: vt dicitur dist. 8. non negat aliqua entia (puta Intelligentias alias à prima) esse ex se formaliter necessaria, & tamen principiatiuè ab alio; nempe à prima; vel secūdū Auic. vna ab altera. Ad illam propositionem. Quòd est ex se necessarium, est necessarium circumscripto omni alio, & ita circumscripto producente. Respondeo: aliquid potest circūscribi; cuius circūscriptio nō īcludit cōtradictionē; ali-

Circumscri bi q̄ possũt

quid autem potest sic circumscribi, quod eius circũscriptio includit contradictionem: primo modo aliquod absolutũ, potest intelligi circumscripto quocunq; alio quod non est ipsum: secundo modo, intelligendo relatiuum, & circumscribendo à correlatiuo, est circumscriptio claudens contradictionem. Necessarium igitur ex se formaliter & non ab alio, potest intelligi circumscripto quocunq; alio; sed necessarium ex se formaliter, & principatiuè ab altero, non potest intelligi quin includat talis conceptus contradictionem.

Possibile accipitur quadrupliciter.

Ad probationem Secundam Maioris. Respondeo cum Doctore hìc, & in Report. q.5. Possibile accipitur quadrupliciter. Primo modo, vt opponitur impossibili. Secundo modo, vt opponitur necessario. Tertio modo, vt opponitur Ens possibile Enti in actu, vt idem sit ens possibile, quod in potentia. Quarto modo, vt potens, & possibile, sunt correlatiua. Primò modo includit possibile, siue possibilitas totum Ens, quia nullum Ens est impossibile. Secundo modo, Ens possibile ex se est indifferens ad esse vel non esse. Tertio modo, opponitur Enti in actu. Quarto modo, opponitur correlatiuè potenti. Productum igitur in Diuinis includit possibilitatem primi modi, quæ conuenit Enti summè necessario; non autem possibilitatem secundo aut tertio modo: & hoc vult Doctor in litera, ibi *sed possibile reale est quod accipitur ab aliqua, &c.* Vbi aduertat Scotista, quòd potentia Dei productiua, abstrahit à ratione potentiæ effectiuæ, secundum Doct. hìc: nec mirum, quia secundùm Latinorum Theologorum sentẽtiam, in illa ineffabili productione Diuina, nulla causa vel causalitas reperitur; & consequẽter nec causa effectiua, nec ipsa efficientia, sed tantùm ratio principij & principiati; vel vt quidam dicũt, Entis à principio, cuius productio dicitur principiatio. Alijs terminis hæc explicando. Dico in Diuinis esse producens, cui respondet productum, quod productione vt formali actione, & nòn vt principio Quo producitur, de quo inferiùs fusiùs.

Productio Prima ad intra, abstrahit à causa & effectu.

Ad Tertiam probationem. Responderi posset breuiter, ibi esse ordinem prioris & posterioris secundùm originem, vt dictum est dist. præcedenti, sed negatur quòd sit mutatio. Aliter tamẽ dicit Doctor. Primò. Ibi prius potest intelligi sine posteriori, vbi prius est absolutum; sed in proposito prius non est absolutũ, sed est relatiuũ, quia est producens; igitur non potest intelligi sine producto. Secũdò. Esto, quòd intelligatur prima persona absq; secunda; sed inde inferre hanc consequentiam; Ergo secũda persona, nempe producta, tũc non est. Est illatio à secũdùm quid, ad simpliciter, siue vt dicit Doctor, ab abstractione intellectus non mendace (quæ consistit in consideratione huius & non illius, nec tamẽ negando illud, quod non consideratur in tali abstractione) ad intellectionem mendacem, negando illud esse; dum enim ego cõsidero abstractiuè solam rationem substantiæ in homine, abstrahendo à ratione corporis; nõ rectè infertur, Ergo homo manet aliquando substantia, & non corporea, & deinde ex non corporea fit corporea: ita hìc &c.

Primũ vbi intelligitur sine posteriori.

Prioritas originis nõ infert prioritatem durationis.

Per idem respondetur ad Quartam probationem: ex isto enim Antecedente, Persona producta habet Essentiam per productionem; inferre hanc consequentiam; ergo essentia ex non habente fit habens Personam. Est fallacia à secundũ quid, ad simpliciter: nimirum ab abstractione præcisiua, ad non esse simpliciter: est etiam fallacia, à negatione Antecedentis, seu minoris continentiæ formalis (quia Essentia in ratione sua formali non includit Personam productam) ad negationem Consequentis, siue maioris continentiæ, nimirum realis; mutatio enim supponit reale non esse, præcedere formam realem in re, ad quam dicitur subiectum mutari.

Generatio creata duo includit.

Ad Quintam probationem. Generatio creata duo includit: primò mutationem subiecti, de non esse sub tali forma, ad esse sub tali forma: deinde productionem: quia tale ens substantiale producitur per generationem: primum, quia dicit potentialitatem passiuã, est intrinsecè imperfectionis, & secundùm istam rationem non transfertur generatio ad Diuina: secundùm autem rationem posteriorem, cùm illa non dicat imperfectionem, reperitur in Deo: atq; ita cùm generatio creata sit mutatio secundùm priorem rationem, & non secundùm rationem productionis, patet quòd in Deo erit generatio præcisè sub ratione productionis, & nullatenus sub ratione mutationis; quod clariùs patebit ex sequenti dubitatione.

Inter nas p... est præ gẽtia ... ab alia non es... pende...

Secundum Argumentum principale cum sua solutione clarum est, hoc solo prænotato. Quòd in Diuinis nulla est dependentia, sed est aliqua præexigentia. Ratio prioris dicti est. Quia dependẽtia est posterioris essentialiter ad prius distinctum essentialiter, quale posterius distinctum essentialiter nullum est in Diuinis. Quòd autem sit præexigentia, probatur. Productum necessariò præexigit producens, similiter principiatum, siue ens à principio, præexigit principians; sed in Diuinis est producens & productũ; igitur &c.

Gene... transf... ad diu... cur no... tio vel... ratio?

Ad Tertium. Dicitur, cùm generatio secundùm rationem termini producti, & non secundùm rationem mutationis sit in Diuinis; omnes autem aliæ ex enumeratis speciebus mutationis, intrinsecè includant terminos imperfectos, quia accidentales, & ratione subiecti dicant potentialitatem passiuam; secundùm nullam rationem alteratio, augmentatio, vel latio poterit tranferri ad Diuina.

Dubitatur.

Vtrum in Diuinis sit generatio.

Videtur quòd non. Idem non potest generare seipsum, vt vult August. in pluribus locis, & ex se euidens est; sed Pater est idem cum Filio, quorum enim eadem est vnitas, est eadem identitas, Patris verò & Filij est eadem vnitas, vt dicitur Ioan. 10. *Ego & Pater vnum sumus*; non igitur Pater poterit generare Filium.

In Di... est vera ... neratio

Veritas Catholica affirmatiua, contra Arrianos, est certa in hac materia. Cuius resolutio est plana in litera Doctoris qu. præced. art. 1. & in sequentibus. Declaratam enim est veram ibi esse productionem, vnam per modum naturæ, quæ dicitur, & est, vera generatio; alteram per modum voluntatis, quæ est spiratio: quomodo autem hæ productiones distinguantur, vide Distinctionem 13. Ostensum etiam est, illam productionem in Diuinis, cuius principium productiuum est memoria fæcunda Patris, esse generationem perfectissimam, abstrahentem ab omni imperfectione; & consequenter à mutatione, quæ ex intrinseca ratione sua inuoluit imperfectionem; ac proinde generatio Diuina nullo modo est species mutationis: sed est æterna & transcendens per memoriam productio, suppositi intellectualis infiniti, à supposito intellectuali infinito, in vnitate eiusdem singularissimæ Essentiæ.

Mutati... trinsec... cti imp... ctione... Quid ... neratio... uina?

Verùm aliæ hìc occurrunt difficultates examinandæ. Quarum Prima est. An generatio abstrahere possit à mutatione. Secunda. An generatio dicat vniuocum conceptum ad generationem Diuinam & creatam. Tertia. An generationis creatæ conceptus, seclusis omnibus imperfectionibus per intellectum, transferri possit ad Diuina.

Primam difficultatem, quamuis Ethnici Philosophi ex principijs Aristotelis aliquomodo negatiuè resoluere debent, qui sicut alterationem esse mutationem ad qualitatẽ, augmentationem esse mutationem ad quantitatem docuit; ita generationem esse mutationem ad substantiam diceret. Quia tamen & Arist. nusquam negauit productionem absque mutatione, imò optimè ex eius principijs deduci potest, Intelligentiarum necessaria productio, absq; principio durationis; & consequenter talis productio, apud illum, est absque mutatione, vt bene infra d. 8. q. 5. deducitur; & veritas ipsa docet, in causis Metaphysicis, quæ abstrahunt à motu & mutatione: secundùm vera principia Aristotelica; & quod maius est, secundùm verissimam rationem, dicunt Theologi, quòd generatio vt sic, abstrahat à mutatione.

Gene... Diuina ... strahit ... tatione.

Probatur hoc dictum Primum ex natura mutationis. Mutari est aliter se habere nunc, quàm priùs, vt 5. & 6. Physic. dicitur; sed generari non est aliter se habere nunc quàm priùs. Patet: quia etiam in Physicis quod generatur, est cõpositum: compositum autem non aliter se habet nunc quã priùs; quia aliter se habere, præsupponit esse: cùm igitur cõpositum ante non fuerit, non aliter se habebat ante, quàm nunc: nec vice versa, aliter se habet nunc quã ante: ergo &c.

Secundò. Potest aliquid mutari, & non generari: ergo mutatio non est generatio. Consequentia est euidens, ex illa regula distinctionis. Quando vnum põt esse realiter sine alio, est distinctũ realiter ab illo. Antec. patet de materia, quę

muta-

mutatur subiectiuè ad varias formas, non tamen generatur, cùm sit ingenerabilis, & incorruptibilis.

Tertiò. Ratio. Nō includens in conceptu suo imperfectionem, est alia à ratione includente imperfectionem; generatio non includit in sua ratione imperfectionem, mutatio autem dicit processum à priuatione ad formam, & ita intrinsecè dicit imperfectionem; igitur ratio generationis est abstrahibilis à ratione mutationis.

Dico igitur cùm Doctore Subtili hìc, Bassolio, Mayr. Aureolo, alijsq; Scotistis distinct. 4. huius, generationem abstrahere à mutatione, imò in quibusdam productionibus Physicis distingui realiter, vt patet ex ratione Prima & Secunda.

[Ge]neratio [n]on commu- [niv]el est vni- [uo]ca ad ge- [ne]rationem [cr]eatam, & [in]creatam.

Ad Secundam Difficultatem respondere debet Scotista affirmatiuè. Probatur hæc veritas ijsdem rationibus, quibus inf. distin. 3. quæst. 1. probatur vniuocatio Entis: vide ibi.

[G]eneratio- [ni]s creatæ [co]nceptum [se]clusis im- [pe]rfectioni[bu]s, negat [A]ureol. pos[se] transfer- [ri] ad Diui[na].

Tertiæ Difficultati respondet Aureol. dist. 9. artic. 2. negando quòd generationis creatæ conceptus, seclusis omnibus imperfectionibus per intellectum, transferri possit ad Diuina. Rō eius est. Prima. Quia Filius in Diuinis, eo Verbum quo Filius, & eo Filius quo Verbum, secundùm August. ergo & in nobis deberet esse eo Verbum quo Filius, & eo Filius quo Verbum: hoc autem est falsum; quia filius in creatis est substantia, verbum est accidens.

Secunda. Via in substantiam intellectualem, est generatio in creatis, & secundùm istam acceptionem transfertur generatio ad Diuina. Tunc sic. Cui competit definitio, & definitum; sed in Diuinis æquè spiratio terminatur ad substantiam viuam, & intellectualem, sicut productio Filij, quia Spiritus Sanctus est intellectualiter viuens substantia; ergo si hæc est ratio generationis in Deo, Spiritus Sanctus æquè genitus dici posset, sicut & Filius, & spiratio posset dici generatio.

Tertia. Generatio, quæ est via in substantiam intellectualem viuentem, sic attingit substantiam, vt per eam capiat substantia quòd sit res; sed per generationem Deitas non capit esse, cùm sit improducta; igitur in Deo non est generatio secūdùm rationem dictam de creatura.

[G]eneratio- [ni]s conce- [pt]us à crea- [tis] reb. de- [su]mptus, se- [cl]usis imp- [erfe]ctionib., [p]otest trā- [sfe]rri ad di- [ui]na.

In oppositum est Doctor Subt. hìc, Mayronius, alijq; Scotistæ, docentes ipsam rationem generationis creatis rebus cōuenientem, sumptam absq; mutatione, & absq; partis communicatione in distinctione numerali, & absolutè seclusis omnibus imperfectionibus per intellectū, optimè transferri ad Diuina; & in illa ratione conuenire Diuinam generationem: imò hunc esse modum nostrum cognoscendi supernaturalia, optimè declarat Doctor distin. sequenti. quæst. 1. 2. & 7.

[G]eneratio [a]ccipitur [tr]ipliciter.

Pro intellectu huius positionis. Obserua. Generationem in creatis tripliciter dico. Primò: communissimè, pro omni productione substantiæ; sic productio ignis ab igne, dicitur generatio ignis. Secundò: minùs communiter, pro substantiæ viuētis productione; magis enim propriè dicitur generatio in viuentibus, quàm in non viuentibus. Tertiò: strictè & maximè propriè, inuenitur generatio in substantia intellectuali, in quibus seruatur habitudo Paternitatis & Filiationis, qualis est generatio inter homines, quæ non aliud est, quàm productio viuentis intelligentis. Quamuis autem in generatione hominis, illa productio hominis, prout consideratur in primo instanti naturæ in fieri, commodè dici posset generatio esse via in substantiam intellectualem, quia tunc quasi in via concipitur substantia ad terminum; prout tamen concipitur in secundo instanti in facto esse, non dicitur illa generatio via, sed productio. Cùm igitur Diuina generatio sit æterna ex dist. 9. & ab æterno in facto esse, nec vnquam in vllo instanti concipi potest præcisè in fieri (quia hoc intrinsecè dicit inceptionem imperfectam, atq; adeo imperfectionem) & non in facto esse; consequens est, quòd generatio creata, non sub hoc modo concepta, vt est via in substantiam intellectiuam, sed vt est productio substantiæ intellectiuæ, transferri debet ad Diuina. Adde non qualemcunq; productionem substantiæ intellectiuæ dici generationem, sed solam illam, quæ fit per modum naturæ: productio enim substātiæ intellectualis per modum naturæ, est notificatio generationis in communi acceptæ; & hoc distinguendo generationem à spiratione penes principia productiua; accipiendo autem distinctionem formaliter, prout generatio formaliter seipsa distinguitur à spiratione, ita quòd generatio non sit formaliter spiratio, nec è contra: dico quòd generatio est productio, ex ratione sua formali assimilatiua producti, ipsi producenti in natura: Verbum enim est imago rei intellectæ & intelligentis: spiratio autem non est ex ratione sua formali productio assimilatiua producti, ipsi producenti, & ob hoc Spiritus Sanctus procedens à Patre per spirationem, non dicitur imago Patris, sicut Verbum dicitur imago Patris: Vtrumq; horum dictorum est de mente Subt. Doctoris inf. dist. 10. & 13.

[G]eneratio [d]iuina non [e]st via ad [s]ubstātiam, [s]ed est pro- [d]uctio in fa- [c]to esse.

Generatio à spiratione distīguitur, & principiatiuè & formaliter.

Motiua Aureoli soluūtur.

Ex his patet ad motiua Aureoli.

Generatio diuina quo differt à creata.

Ad Primum. Aliqua repugnant generationi Diuinæ, quæ non repugnant generationi creatæ, vt est mutatio, dependentia, contingentia &c. & aliqua conueniunt generationi Diuinæ, quæ non conueniunt generationi creatæ, vt infinitas, necessitas, identitas realis eiusdem naturæ, in producente & producto &c. verùm non in quantum generatio est præcisè ista conueniunt, aut non conueniūt generationi in communi acceptæ; sed inquantum est talis generatio. Vndè absolutè verum est, quòd generatio Diuina, nullo modo est talis qualis est creata, vt vult argumentum; sed quòd generationis conceptus transcendenter sumptus, seclusis imperfectionibus, non possit Deo attribui, hoc non probat Aureolus.

Generatio ī diuinis nō est ꝑductio quæcunq. ī natura intellectuali.

Ad Secundum. Patet, quòd generatio in communi sumpta, non sit via ad substantiam intellectualem, sed est productio substantiæ intellectualis. Vt autem generatio est productio in Diuinis secundi suppositi, non est productio quęcunq; in natura intellectuali, vt arguit Aureolus, sed est productio suppositi in natura intellectuali ꝑ modū naturæ; siue quod idem est, est productio, ex ratione sua formali assimilatiua producti, ipsi producenti in natura: si primo modo generatio explicetur, per distinctum principium à principio spirationis, patet ex litera Doctoris, quòd productio per modum naturæ, qualis est generatio, & productio per modum voluntatis, qualis est spiratio, sūt distinctæ productiones, à distinctis principijs procedentes: si secundo modo generatio explicetur, secundùm rationem suam formalem, constat, quòd productio ex ratione sua formali assimilatiua in natura, & productio ex ratione sua formali non assimilatiua in natura (esto quòd assimilet realiter, de quo infra) sunt distinctæ productiones: atq; ita argumentum Aureoli non includit.

Ad Tertium. Si per ly Capit esse, intelligit, incipit habere esse, seu existentiam ante non habitam; sic Maior est falsò dicta, de generatione in communi accepta: si verò capere esse, in præsenti accipitur sub disiunctione, pro habere esse productum ab alio, vel habere esse communicatum ab altero; sic cōcessa Maiori, negatur Minor: vt enim est vera hæc negatiua; Deitas non generatur (siquidē Essentia nec generat nec generatur, ex dist. 5. huius, & communi sententia Theologorum cum Damasc.) ita hæc affirmatiua est verissima, Deitas communicatur Filio à Patre, &, Filius habet Essentiam communicatam à Patre.

Ad rationem in principio Dubitationis adductam.

Respondeo. Qua ratione Pater est vnum & idem cum Filio, ea ratione nō generat; sed qua ratione distinguitur à Filio, generat Filium: cùm igitur sit vnum in identitate Essentiæ, non generat Essentiam, nec essentialiter distinctum suppositum; quia verò distinguitur Pater suppositaliter seu personaliter à Filio, distinctum generat suppositum à sua Persona: ac proinde non generat se, vt optimè in- infra distinct. 6. declaratur in litera Doctoris.

QVÆSTIO V.

Vtrum tantùm sint duæ productiones in Deo intrinsecæ.

Quòd non, arguo sic. Quia vnius naturæ videtur esse vnus modus communicandi &c.

SVMMA QVÆSTIONIS.

Primò adducitur modus explicandi, & probandi Henr. Gand. Secundò modus prædictus, vt insufficiens, & falsus, reijcitur. In Tertio Articulo, Conclusio ponitur affirmatiua ad Quæstionem. In Quarto, duplicis generis Obiectiones contra prædicta adferuntur, & resoluuntur. Tandem satisfit Argumentis in principio Quæstionis adductis.

ARTICVLVS PRIMVS.

Proponitur modus explicandi aliorum.

Ad Quæstionem hanc de numero productionum, patet veritas &c.

COMMENTARIVM.

DVas tantùm in Diuinis esse productiones, vt certum & infallibile dogma fidei ab omnibus admittitur. Sed in modo explicandi, & probandi est diuersitas. Quidam enim putãt hoc nulla ratione posse ostendi. Quidam dicunt posse ratione necessaria, saltem fideli declarari, vt dicit Doctor quodlibet.2. Alij putant ex vna certa Suppositione, illa nimirũ, Quòd sunt duo actus essentiales in Diuinis, nempè intellectio improducta, & volitio improducta, posse optimè probari, quòd tantùm sunt duæ productiones in Diuinis. Vna ad intellectionem productam, seu ad Verbum, altera ad volitionem, siue ad amorem productum; qui amor est Spiritus Sanctus. Prioribus duobus loquendi modis pro nunc omissis, tertius est hìc explicandus.

Henr. duos esse in Deo productiones asserit, ex hoc, q̃a duo sunt actus essentiales imꝑducti.

Henricus igitur Gand. in sua Summa, art.54. & quodl. 6.q.1. istam propositionem Catholicam, In diuinis tantũ sunt duæ productiones, probat hoc modo: Quot sunt actus essentiales in Diuinis, tot sunt & actus notionales; sed tantùm sunt duo actus essentiales, nempe intellectio & volitio improducta; ergo tantùm duo erunt actus notionales, puta elicere Verbum, siue generare, & spirare amorem. Minor est communis Theologorum. Maior probatur. Quia actus notionales, fundantur super actus essentiales, & sunt illis adæquati; si ergo illi sunt duo tantùm, & actus notionales tantùm duo erunt.

Intellectus & volũtas ĩ Deo sũt potentiæ operatiuæ & ꝑductiuæ.

Pro hoc discursu intelligendo (quem satis confusè proponit Henricus) Aduerte, Quòd in Deo intellectus & voluntas dicuntur potentiæ tum operatiuæ, tum productiuæ, vt dicitur à Doctore infra ar.4. Intellectus dicitur potentia operatiua seu potiùs operans ad intra, quatenus habens intellectionem essentialem, seu improductam, identificatam realiter Essentiæ, & existentem in qualibet Persona, consideratur: dicitur autem intellectus potentia productiua, vel potius producens, quatenus actu producit notitiam personalem, identificatam quidem essentiæ realiter, per se tamen subsistentem. Ita voluntas est potentia operatiua, dum essentiali amore improducto, & communi tribus Personis prędito, consideratur: est productiua, dum est principium producendi amorem infinitum per se subsistentem, nempe Spiritum Sanctum. Quare intellectio in Diuinis est duplex: vna essentialis improducta, communis tribus Personis: altera producta personalis, constituens vnam Personam Verbi: amor item vnus est essentialis, conueniens Patri, Filio, & Spiritui Sancto: alter personalis productus, qui est ipse Spiritus Sanctus. Quare autem isti actus productiui dicantur notionales, dicam infra tractando de notionibus.

Intellectio & volitio ĩ Diuinis duplex.

Dicit igitur Gãdau. (à quo non multùm dissidet Barth. Torres 1.par.q.27.art.5.) cùm vna sit tãtùm notitia essentialis, vna tantùm poterit produci notitia personalis: similiter cùm vnus sit tantùm amor essentialis, vnus tantùm poterit esse amor productus. Ratio est. Quia actus producendi fundantur in operatione essentiali; sed duæ sunt tantùm operationes essentiales; ergo & duo actus producendi.

Henrici sententia e[xpli]catur.

Modus quo explicatur ab Henr. sua positio, est summatim collectus, iste. Intellectus noster habet primò notitiam simplicem (siue quasi confusam) istum actum habendo, potest se per actum reflexiuum conuertere super illum actum simplicis notitiæ, & super obiectum talis actus simplicis; & tertiò potest se intellectus, notitia simplici informatus, reflectere supra seipsum. Intellectus igitur sic conuersus super actum & super obiectum, est elicitiuus notitiæ genitæ, & eiusdem receptiuus. Diuersimodè tamen. Potest enim dupliciter intellectus considerari; vel vt est secundùm se, nõ intelligendo simplicem notitiam in illo, & sic est quoddam potentiale passiuum, & receptiuum intelligentię genitæ; & ita simplex notitia, est intellectui creato ratio exprimendi notitiam productam, quæ notitia producta, dicitur verbũ creatum. Inter notitiam simplicem & notitiam genitam, est media habitudo, quæ est actio de genere actionis, quæ actio notatur per istum terminum, dicere; intellectus enim vt informatus notitia simplici, dicit, id est, exprimit & imprimit notitiam genitam. Ita dicitur de intellectu Diuino, quòd is habendo notitiam essentialem simplicem, conuertit se supra obiectum talis notitiæ, & super ipsam notitiam, & deniq; supra seipsum; qui intellectus Diuinus secundùm se, vt nudus acceptus, est receptiuus notitiæ genitę, vt autem est sub illa notitia essentiali, est ratio imprimendi notitiam genitam. Persimili modo dicitur de voluntate, quòd illa habet amorem simplicem; & cùm sit potentia reflexiua, potest se reflectere supra se, supra amorem simplicẽ, & super obiectum talis amoris: in ista reflexione voluntas, vt nudè considerata, est principium productiuum amoris incẽtiui, qui est Spiritus Sanctus: ad quam productionem ipsa voluntas, vt informata amore simplici, concurrit vt principium actiuum.

Intelle[ctus] respect[u] Verbi, si rece[ptiuus], vo[lun]tas aut[em re]spectu [amo]ris est a[cti]ua, secu[ndum] Gandau[ensem].

Ratio autem quare intellectus vt nudus, est quasi passiuus & receptiuus respectu Verbi, vt dixi, voluntas autem vt nuda, est actiua, est; quia vt verbum nostrum procedit per veram intellectus nostri informationem; ita Verbum Diuinum, siue Filius, procedit à Patre, secundùm quandam quasi informationem (dicit Henricus) siue per quãdam impressionem factam intellectui Paterno conuerso; amor autem non per impressionem factam in voluntate, sed per quandam excussionem & expulsionem à voluntate procedit.

Hæc est summa positionis Henrici.

Vt tamen textus clariùs intelligatur, qui subobscurus est, ordine illius seruato, his propositionibus litera explicatur.

Litera [Do]ctoris [sum]matim [de]claratur.

Prima Propositio. Tam intellectus, quàm voluntas, sunt potentiæ conuersiuæ, seu reflexiuæ: quod illis conuenit ob immaterialitatem earum. Conuertunt autem se istæ potentiæ supra seipsas, super actus suos simplices, & super obiectum actuum simplicium.

Secunda Propositio. Intellectus & voluntas, eodem modo se conuertunt super prædicta, sed non eodem modo se habent in ipsa conuersione ad obiecta. Prior pars istius propositionis declaratur. Quia vt intellectus sua vi naturali est conuersiuus; ita & voluntas sua vi naturali est reflexiua: deinde vt intellectus conuertit se, quatenus est nudus, non quatenus informatus simplici notitia, esto quòd sit informatus; ita voluntas reflectit se vt nudè accepta, non autem vt est habens amorem simplicem, esto quòd talem amorem habeat: in his ergo est conuenientia. Secunda pars ostenditur. Quia intellectus vt nudè acceptus, respectu illius obiecti, & actus supra quem se reflectit, est potentialis respectu notitiæ genitæ; voluntas autem vt nudè accepta, est actiua respectu amoris producti; & hoc ex vi potentiarum sic vel sic producentium, vt paulò ante dictum est. Deinde intellectus vt est sub notitia simplici, est actiuus respectu Verbi seu notitiæ genitæ; voluntas autem vt habens amorem simplicem, est potentiale & passiuum, respectu amoris producti.

Tertia Propositio. Aliud est in Patre æterno intellectus

vt

vt intellectus, & aliud intellectus vt natura. Intellectus enim vt est in potentia receptiua ad notitiam genitam, est intellectus vt intellectus; intellectus autem notitia essentiali informatus, vt est principium productiuũ respectu Verbi, est intellectus vt natura.

Quarta Propositio. Eodem modo formatur Verbum in nobis, quo in Deo. Constat ex dictis.

Quinta Propositio. Priùs conuenit intellectui ratio intellectus, vt intellectus est, quàm ratio intellectus vt natura est.

Ex his est clara tota litera Doctoris.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Modus prædictus, vt insufficiens & falsus, reijcitur.

Ista Opinio ponit tres Articulos, quos non credo esse veros, &c.

SVMMA TEXTVS.

…sitio Hē-ci impu-…atur.

Tres sunt partes istius Articuli, iuxta tria dicta Henr. ad impugnandum à Doctore assumpta. In Prima, istud dictum Henr. Intellectus vt nudus, conuersus super intellectum formatum notitia simplici, producit notitiam genitam: impugnat Doctor deducendo ad hoc inconueniens. Quòd illa notitia producta deberet esse illius suppositi, cuius intellectus quasi informaretur tali notitia producta secundùm Henricum: Sed ille intellectus conuersus vt nudus, est Patris vt Patris; ergo intellectus Patris vt Patris, informabitur notitia genita; & ita Pater dicetur notitia genita: quod est inconueniens.

…otitia essẽ…alis Dei nõ principiũ…oductiuũ…erbi.

In Secunda parte, illa propositio Henr. Intellectus Diuinus, informatus notitia actuali essentiali, est principium actiuum & elicitiuum notitiæ genitæ: improbatur sex rationibus.

…Ad produ-…ionẽ Ver-…non req.…ur refle-…o intelle-…us.

In Tertia parte Articuli, infringitur illa positio Henr. asserentis necessariam esse conuersionem intellectus nudi supra se formatum, ad hoc, vt intellectus nudus formetur ab intellectu formato, id est, ad hoc, vt producat notitiam genitam. Improbatur autem. Tum quia circumscripta reflexione, si intellectus habet essentiam præsentem in ratione obiecti, est sufficienter productiuus notitiæ genitæ, vt præcedenti quæstione dictum est; ergo reflexio frustra requiritur. Tum quia in nobis erit perfectum verbum in Patria & tamen ad formationem illius non erit necessaria reflexio; quia verbum illud habebit pro obiecto ipsum Deum, non autem rem creatam, puta ipsum intellectum, qui se supra seipsum reflecteret.

COMMENTARIVM.

…eflexio in…tellectu pa-…ernofrustra…onfingitur.

IN Prima parte Articuli, vltra literam addi potest, falsam esse imaginationem Henrici de notitia simplici in nobis, alia à verbo nostro, vt dicitur infra dist. 27. quæst. 1. Deinde ista reflexio in intellectu Paterno, frustra confingitur. Intellectus enim Patris, habens obiectum sibi præsens, est principium nõ solùm operatiuum respectu intellectionis essentialis, sed etiam productiuum respectu notitiæ genitæ, vt dictum est supra; igitur circumscripta illa reflexione, est principiũ productiuum in Patre, respectu Filij. Item. Ista conuersio in Deo, dicit aliquam actionem; ista autem actio vel ponitur operatio, & hoc dici nõ potest, quia operatio est intellectio essentialis, & volitio, quæ operationes non sunt reflexiones; vel ponitur productio, & neq; hæc dici potest reflexio siue conuersio, quia productio est dicere vel spirare, qui etiam actus vt patet non sunt reflexiones.

Principium Quo, generationis, & spirationis, quodnã sit.

In Secunda parte Articuli, intentio Doctoris est ostendere, quòd principium formale, quo Pater producit Verbum, non est intelligentia, nempe intellectus, vt est sub actu essentiali intelligendi; sed vt est memoria: intellectus nempe habens essentiam in ratione obiecti, constituit rationem principij formalis, quo Pater generat Verbum. Idem dicendum est de spiratione, quòd principium formale, quo vt principio spirandi, Pater & Filius spirant Spiritum Sanctum, non est voluntas inquantum actum amoris essentialis habens, sed est voluntas habens Essentiam sub ratione obiecti infiniti volibilis. Hoc intentum probatur sex rationibus in textu. Priores tres sunt claræ. Quartæ sensus est. Verbum est expressiuum & declaratiuum illius cuius est verbum; ergo si notitia actualis essentialis est principium Quo respectu verbi, sequitur, quòd verbum erit expressiuũ & declaratiuum notitiæ essentialis: Vltra. Ergo debet poni aliud verbum expressiuum & declaratiuum Essentiæ. Confirmatur. Quia saltem per priùs & immediatiùs verbum est illius verbum, à quo exprimitur; sed per te priùs & immediatiùs est à notitia essentiali, quàm ab ipsa essentia; ergo priùs & immediatiùs verbum erit expressiuum notitiæ essentialis, quàm ipsius essentiæ; atq; ita verbum immediatè & primò essentiæ expressiuum & declaratiuum, debet poni aliud ab illo, quod est primò & immediatè expressiuum notitiæ essentialis.

Ratio quarta declaratur. Verbum est expressiuũ illius cuius est Verbum.

Quinta rõ Doct. explicatur.

Probatur Quintò intentum Doctoris. Si notitia essentialis Patris distingueretur realiter à Patre, illa fuisset à Patre producta principio formali, non actu intelligendi; sed memoria; vt patet tum ex concessione Henrici; tum quia aliàs vel esset processus in infinitũ, qui negatur; vel status in prima intellectione, quæ esset immediatè à memoria; ergo respectu intellectionis genitæ, principium formale Quo, producenti, non erit actus secundus, seu intellectio essentialis, sed memoria. Consequentia. Illa quæ sunt eiusdem rationis, apta sunt habere sui principium eiusdem rationis, præsertim in necessarijs; sed intellectio essentialis, si esset producta, & notionalis nunc de facto, sunt intellectiones eiusdem rationis; ergo &c. Aduerte notanter dici a Doctore, si notitia essentialis esset producta à Patre, esset eiusdem rationis cum Verbo: & ita quo, vt formali principio, produceretur illa notitia essentialis, eodem principio produceretur & ipsum Verbum; tale autẽ principium esset ibi memoria, igitur & hìc: non dicitur quòd notitia essentialis de facto est eiusdem rationis cũ Verbo, quod est notitia producta. Tum quia notitia producta est entitas relatiua, essentialis autem notitia est entitas absoluta; absolutum verò & relatiuum non sunt eiusdem rationis: Tum quia essentialis notitia de facto est communis tribus, dicens perfectionem simpliciter, vt habetur dist. 8. non sic producta notitia includens relationem originis, quæ non dicit perfectionem simpliciter, vt quodl. 5. à Doctore declaratur; igitur istæ notitiæ non sunt eiusdem rationis. Si tamen notitia essentialis esset producta, verè esset eiusdem rationis cũ notitia notionali producta; imò illa notitia essentialis producta, esset ipsamet notitia notionalis genita, quæ dicitur Verbum. Argumentum igitur procedit ex Suppositione impossibili.

Nota.

Notitia essentialis cũ notionali non est eiusdem rõnis.

Sextò probatur. Iste articulus est in nobis falsus: cùm igitur proportionaliter loquendum sit de Diuinis, & ibi erit falsus. Antecedens probatur tribus rationibus satis claris in textu.

Ista ratio directè infringit Quartam propositionem Henrici. Istis etiam argumentis probatur. Quod principium formale Quo, spirandi Spiritum Sanctum, non est voluntas habens amorem essentialem, sed voluntas fæcunda, id est, voluntas habẽs essentiam in ratione obiecti summè diligibilis, atq; ita voluntas cum essentia, constituunt rationem principij formalis Quo.

Ista fusiùs examinata, vide infra post Articulum Quartum.

ARTICVLVS TERTIVS.

Datur responsio ad Quæstionem.

Dico tunc ad Quæstionem, quòd tantùm sunt ibi duæ productiones, &c.

SVMMA TEXTVS.

Duæ tãtum pductiones sunt in Deo ad intra.

Conclusio. *Duæ tantùm sunt Diuinæ productiones ad intra.*

Fundamentum huius veritatis est. Quia in Deo sunt tantùm duo principia productiua, nempe memoria fæcunda, seu intellectus habens essentiam in ratione obiecti, & voluntas fæcunda, habens essentiam in ratione obiecti; istis igitur principijs productiuis,

ctiuis, possunt produci actus perfecti & adæquati: per memoriā notitia infinita, & per voluntatem amor infinitus; erūtq; actus isti adæquati, & intensiuè, quia infiniti; & extensiuè, quia vnicæ memoriæ, vnica intellectio producta respondebit; & vnicæ voluntati, vnicus amor productus.

COMMENTARIVM.

Rō Scoti explicatur.

Pluralitas debet reduci ad tātam paucitatem ad quātam potest.

DOctoris ratio in textu sic est ordinanda & intelligenda. Omnis pluralitas reduci debet ad aliquod vnum, si possibile est, vel ad tantam paucitatem, ad quantam reduci potest; sed pluralitas principiorum actiuorum, non potest reduci ad vnitatem, quia naturaliter & voluntariè agere, sunt modi agendi contradistincti; neq; consequenter poterit reduci ad minorem paucitatem quàm ad dualitatem; sed hęc principia actiua sunt in Deo, nempe memoria & voluntas fęcunda; ergo apta sunt producere actus sibi adæquatos &c.

Contra illam Doctoris propositionem. Quòd pluralitas principiorum actiuorum non possit reduci ad vnitatem: Arguit Caietanus 1.par.q.41.artic.2. Verùm hoc commodiùs infra dist.10. quæstione vnica, art.1. proponitur, & expeditur.

Duæ sūt productiones ī Deo ad intra.

Aduerte Primò. Hanc Conclusionem esse communem omnium Theologorum. Quòd duæ tantum sunt productiones in Diuinis. Fundamentum autem illius hoc, Quòd principium productiuum in Diuinis sit memoria & volūtas, ita quòd vna productio est per modum naturæ & intellectus, alia per modum voluntatis. Est etiam communis Scotistarum & Thomistarum: sed illis aduersantur Durand. in 1.dist.2.q.2. Arimin. in 1.dist.10. Ocam dist.2. & 9. primi, Gabr. in 1.dist.1.q.2.& dist.10.q.1. dicentes, principium Quo in Diuinis, esse ipsam Diuinam Essentiam, sic, quòd si per impossibile Pater non esset intelligens vel volens, adhuc ex fæcunditate naturæ, communicasset Essentiam Filio. Authoritates verò, quæ sonant Verbum Diuinum produci à memoria, vel Spiritum Sanctum à voluntate fæcunda, dicit Durand. ibidem num.18. non esse propriè accipiendas, sed per quandam accommodationem & adaptationem, ad ea quæ inueniuntur in imagine creata. Ista sententia meritò omnibus Theologis displicet, & in consimili reijcitur à Doct. quodl.1. & 2. opinio Henrici. Tum quia aduersatur multis Sanctis Patribus. Præsertim August. in plerisq; locis docenti, Verbum esse prolem memoriæ. Tum quia hac sententia admissa, non poterit vlla ratio reddi, cur Filius dicatur Verbum, & non Spiritus Sāctus? similiter, cur non dicitur de Spiritu Sancto per appropriationem imago & figura Patris, sicut dicitur de Filio. Tum quia nullam rationem reddet Durandi sententia, & sequacium eius, quare in Diuinis sunt tantùm duæ productiones. Tum quia non explicat, quomodo priùs origine generetur Filius, quàm spiretur Spiritus Sanctus, & quomodo generatio non sit spiratio; vt videre licet distinct.13.

Principium Quo productiuū ad ītra ī Deo, non est præcisè sūpta essentia.

Principium productiuū per modum naturæ in Deo, quale.

Aduerte Secundò. Quando dicitur à Doctore, duo esse principia in Diuinis productiua: Vnum per modum naturæ, alterum per modum voluntatis; non intelligi ibi, quòd natura secundùm se, præciso intellectu, sit productiua. Hoc enim est falsum, vt dixi contra Durand. sed quòd memoria fęcunda, intellectus scilicet habens essentiam in ratione obiecti sibi pręsentem, sit principium producendi, non liberum, sed naturale, cùm intellectus sit potentia naturalis, prout naturale opponitur libero; voluntas autem fęcunda, vt est ad intra principium productiuum, dicitur libera, non libertate contradictionis, quòd possit producere vel non producere Spiritum Sanctum, vt malè totam literam huius Articuli & sequentis, detorquet Tho. Anglic. sed libertate potestatis, ita quòd in potestate voluntatis sit producere Spiritum Sanctum, & necessariò producere: etsi enim libertas contradictionis, non stat cum necessitate respectu eiusdem; libertas tamen potestatis stat cum necessitate producendi vel producti: quod pluribus declaratur à Doct. in quodl.q.16. interim vide dist.10.

Libertas stat cum necessitate.

Dubitatur.

Vtrum possint esse plures productiones intrinsecæ, eiusdem rationis.

Videtur quòd sic. Idem principium creatum, potest esse principium respectu multarum productionum eiusdem rationis; igitur à fortiori principium increatum, productiuum, potest habere plures productiones eiusdem rationis.

Productio vnius rationis est tantū vna in diuinis: probatur rationibus naturalibus.

Veritas Fidei, quòd in Diuinis sit tantùm vnica productio eiusdem rationis, ita quòd sit tantùm vna Generatio & vna Spiratio, est certa & in ea cōcordant omnes Theologi: sed quare non possint esse plures, variæ à varijs adferuntur rationes, quæ tamen minùs concludunt.

Optimæ videntur esse illæ Doct. quodl.2.

Prima, ducens ad impossibile. Si in Diuinis essent plures productiones eiusdem rationis, sequeretur quòd essent infinitæ. Consequens est impossibile; ergo & Antecedēs. Minor patet. Quia tales productiones essent necessariæ, & non contingentes; ergo necessariò entia illis producta, essent infinita in numero. Sequela Maioris probatur. Primò, per August. lib.1. contra Maximin. vbi cùm docuisset, quòd Filius non possit generare, subdit causam, Immoderata enim esset Diuina Generatio, quòd nec impleretur Generationis series, si semper alter ab altero gigneretur; nec eam perficeret vllus, si non sufficeret omnipotens. Ex istis verbis Aug. habetur, quòd si vna Persona tali productione in Diuinis, non sufficit ad complendum totam productionem, pari ratione nec aliqua Persona: & ita siue ab vna Persona aliæ producantur productionibus eiusdem rationis, siue ab vna Persona producatur altera, & ab altera producatur tertia, à tertia quarta &c. non poterit vitari infinitas. Probatur eadem sequela, ratione. Quicquid eiusdem rationis est plurificabile ex se, non determinat se ad certam multitudinem illorum, in quæ est plurificabile; & ita debet aliunde determinari ad certum numerum: si igitur secundùm idem principium productiuum, possunt esse plures productiones eiusdem rationis, illæ non habent à quo determinentur ad certam multitudinem: igitur possunt esse infinitæ, sed quod in Deo ad intra est possibile, necessariò est; ergo necessariò in Deo sunt productiones infinitæ. Minor istius probationis confirmatur. Vel enim potest determinari ad certam multitudinem talis productio, per aliquid posterius ipsa productione; & hoc non, quia à posteriori prius, sicut non habet suam entitatem, ita nec vnitatem, vel pluralitatem habebit: vel determinatur per aliquid, quod est simul natura cum productione; & neq; hoc dici potest, quia qua ratione vnum tale determinatiuum est possibile, eadem ratione & aliud, & sic in infinitū: vel tertiò determinatur per aliquid prius; & hoc non, quia talis productio nihil prius supponit, nisi principium productiuum, quod videtur ita esse indeterminatum ad plures productiones, sicut & ipsæ productiones sunt indeterminatæ, si non determinentur ab aliquo. Neq; potest dici quòd sit determinatio à supposito; quia suppositum ad tot productiones est determinatum vel indeterminatum, ad quot ipsum principium producendi est determinatum vel indeterminatum: si igitur principium productiuum non habet rationem, à qua determinetur tantùm ad vnam productionem eiusdem rationis, neq; suppositum determinabitur ad talem productionem.

Ratio secunda

Secunda Probatio aliquomodo coincidens cum priori, est tamen ostensiua, talis. Omnis pluralitas necessariò finita, vel est aliquorum alterius & alterius rationis; vel necessariò præexigit aliquid alterius & alterius rationis, per quod determinetur; quia cùm pluralitas eorum quæ sunt eiusdem rationis, repugnet ex se, oportet quòd necessariò pluralitas certa, vel sit aliquorum alterius rationis, vel præsupponat aliqua per quæ determinetur: sed omnis pluralitas quæ in Deo finitur, est necessariò finita; ergo vel est aliquorum diuersæ rationis, vel præsupponit diuersa; sed non præsupponit nisi principium vnicum eiusdem rationis, vnica enim est memoria fęcunda, & vnica voluntas fęcūda; ergo vnica tantùm erit productio per memoriam, & vnica per voluntatem.

Ex

Ex his patet. Cùm principium productiuum in Diuinis, vnius rationis, puta memoria, non determinetur aliunde ad certam productionem, debet esse ex se determinatũ; vel igitur est determinatum tantùm ad vnum, & habetur intentum; vel ad infinita, & hoc est impossibile; vel ad finitam aliquam pluralitatem, & hoc etiam repugnat, quia talis determinatio non est Essentiæ secundùm se, vel principij productiui secundùm se, sed aliunde, vt declaratur à Doct. in 2. dist. 3. q. 1.

Tertia ratio. Tertia Ratio addi potest. Principium productiuum alicuius actus sibi adæquati, tam intensiuè quàm extensiuè, non potest habere nisi vnicum actum, quia si haberet plures, iam primus non esset adæquatus, imò & quilibet illorum; sed principium productiuum in Diuinis quodlibet, tam intellectus quàm voluntas, habet actum sibi adæquatum, vt dictum est Quæst. præcedenti, art. 1. ergo non possunt esse plures productiones eiusdem rationis.

Contra duas priores rationes arguit Heru. quodl. 1. q. 2. eiusq; Obiectionibus respondet Aureol. in 1. dist. 7. art. 2. Verùm hæc cùm ex professo tractentur à Doctore Subt. in quodl. q. 2. & in 1. Report. dist. 2. q. 7. vsq; illuc differantur, interim hæc breuiter attigisse sufficiat. Vide Bass. in 1. d. 4. q. 2. & d. 7. q. 2.

Ad Argumentum in principio Dubitationis propositũ. Concedo assumptum, de creato principio, quod sicut non est de se hoc, sed aliunde, nempe per differentiam indiuidualem, ita neq; de se determinatur ad vnum numero actum: Essentia autem Diuina, similiter intellectus & voluntas Diuina; cùm sit de se hoc, ad hunc tantùm actum eiusdem rationis ex se determinabitur, & non ad alium.

ARTICVLVS QVARTVS.

Duplicis generis Obiectiones contra prædicta adferuntur.

Obiicitur contra istam deductionem sic. Natura ex se est principium determinatum &c.

SVMMA TEXTVS.

In priori parte Articuli, quinq; difficultates contra dicta præcedenti Articulo proponuntur. In Secunda, quatuor Obiectiones recitantur pro sententia asserente, quòd actus essentiales sunt principia actuum notionalium, vel potiùs notitiæ productæ, & amoris spirati.

COMMENTARIVM.

Memoria fecunda in Deo quid? IN responsione ad Primam Difficultatem. Nota singularem doctrinam. Quid sit memoria fecunda? Intellectus nimirum habens Essentiã in rõne obiecti: ita quod quodlibet istorum habet rationem principij partialis, simul autem sumpta, constituunt rationem principij totalis.

Si autem quæras. Quodnam horum habeat rationem principij principalis, secundùm nostrum modum intelligendi? Respondeo cum Doctore quodlib. 2. Quòd Essentia, & cum intellectu in productione Filij, & cum voluntate, in productione Spiritus S. habet rationem principij magis principalis. Istud tamen dictum non sic accipias, quasi duo sint principia productiua respectu Verbi, vnum intellectus, alterum Essentia; vel quòd vnum sit principium propinquum, alterum remotum; vel vnum per se, alterum per accidens; hoc enim nequaquam dici potest: sed dicimus, istud totum. *Essẽtia quomodo sit magis principale principium.* Intellectus infinitus, habens Essentiam infinitam, in ratione obiecti sibi præsentem, est vnum per se principium, ita quòd alterum sine altero, non est principium producendi. In hoc principio perfecto, potest intellectus noster, ex suo modo intelligendi imperfecto, subdistinguere partialia principia, quorum neutrum sine altero potest esse principium verum. Et hac distinctione supposita nostri intellectus, dici posset; quòd Essentia habet rationem principij partialis principalis, intellectus autem vel voluntas rationem principij minùs principalis, quod tamen sit dictum, absq; vlla inæqualitate.

In responsione ad Secundam Difficultatem. Aduerte Primò. Quòd notitia & amor essentialis, præsupponitur notitiæ productæ, & amori producto: quod quia à multis vocatur in dubium, fusiùs explicatur inf. distinct. 27. quæst. 1. art. 1.

Aduerte Secundò. Quamuis præexigitur notitia essentialis ad notitiam productam, non tamen præexigitur in ratione principij formalis, vt probatum est contra Henric. artic. 2. nec præsupponitur in ratione actus formalis, quo producitur Verbum, vt imaginatur Caiet. 1. par. q. 27. ar. 5. & multi Thomistæ, contra quos infra disputatur: sed prerequiritur tanquam perfectio suppositi, vt optimè declaratur in textu exemplo corporis lucidi, in se lucentis, & aliud illuminantis. Quod vltimò additur in resolutione eiusdem Difficultatis, de quasi producere, & producere realiter, quòd sunt actus eiusdem rationis; intelligatur iuxta superiùs dicta, ar. 2. argum. 5. *Intellectio essentialis cur prærequiritur notionali?*

Operatiuũ principium dicit perfectionem nõ productiuũ In responsione ad Tertiam Difficultatem. Notabiliter dicitur, *quando principia nullam dicunt imperfectionem*, non autem dicitur, quando principia dicunt perfectionẽ, quia memoria vt est principiũ operatiuum, dicit perfectionẽ, & conuenit tribus Personis: memoria autem vt est principium productiuum, conuenit soli Patri, & sic non dicit perfectionem: quia aliàs cùm non sit in Filio, vel in Spiritu Sancto memoria vt est principium productiuum, sed solùm vt operatiuum, deesset aliqua perfectio Filio & Spiritui Sancto. Et quamuis non dicat memoria vt est principium productiuum perfectionem, non tamen dicit imperfectionem, vt dicitur infra, & copiosè differit Doctor quodlib. 5.

Ad Quartam & Quintam Difficultatem, non respondetur in textu, sed remittit se Doctor ad dist. 7. Verùm in illa Distinctione, neq; illa Quæstio mouetur, quæ à Doctore citatur, neq; satisfit directè istis Dubitationibus: sed in 1. Report. dist. 7. q. 2. mouetur hìc memorata Difficultas, An plures possint esse Filij in Diuinis. Vnde arbitror scriptum hoc Oxoniense cum illo Parisiensi, quod communiter appellatur Reportata, accipi à Doct. pro vno opere totali suæ Theologiæ. *Scriptũ Oxoniense & Paris Scoti est eius vna Theologia totalis.*

Secundùm dicta igitur ibi, & in quodl. q. 2. Respondeo ad Quartam Difficultatem, sumi ibi adæquationem omnimodam, & intensiuè & extensiuè. Quando dicis. Petitur principium. Respondeo. Non esse petitionem principij; quia ista propositio, Productio vnius rationis, est tantùm vnica in Deo, potest probari, vt aliquomodo præced. Dubit. dictum est. *Adæquatio in productionib. q̃d?*

Hinc patet, quòd Prima instantia nõ sit ad propositum. Quia intellectio animæ Christi, non est ex se, & ex formali ratione sua hæc numero, sed per differentiam indiuidualem contrahitur ad esse numericum, ex se autem est plurificabilis, vt de omnibus creatis dicitur à Doctore in 2. distinct. 3.

Ad Secundam instantiam. Dico: notitiæ Diuinæ obiectum motiuum & terminatiuum simul, adæquatum, sola & vnica est Essentia Diuina, vt dictum est dist. præc. quæst. 2. & ita si quid comparatio valet, inferri deberet; ergo solus & vnicus erit terminus productus ab intellectu Diuino.

Ad Quintam Difficultatem, per idem patet. Quòd in illo priori, in quo Pater intelligitur productiuus, est ex se determinata illius memoria ad producendum hoc solum vnicum Verbum, & non aliud. Vnde, esto quòd non se aliter habet, vel Pater producens, vel memoria in Patre, qua vt principio formali producit Verbum; non poterit tamen iam posito adæquato actu producto, alium producere; quia ad hunc solum, & vnicum actum productum, determinatur memoria Patris.

In Secunda parte Articuli, totus textus reddetur clarus, si in responsione ad Primam instantiam intelligatur illud dictum, *Verbum non est proprius actus intelligentiæ.* Et illa in responsione ad Quartum, *Nullus actus intelligendi, est formaliter productiuus*, Et, *Dicere non est aliquis actus intelligendi formaliter*, quæ omnia idem significant, eorumq; Dubitatio, patebit ex Dubitatione sequenti.

Dubitatur.

Vtrum actus quo Pater generat Verbum, sit intellectio essentialis.

Videtur quòd sic. Primò. Pater actu dicendi generat Filium; sed iste actus dicendi, est intellectio essentialis; ergo intellectione essentiali generat Filium. Minor. Omnis actus realiter ab intellectu elicitus, est intellectio; ergo & actus dicendi, cùm sit actus intellectus, erit intellectio. Antecedens probatur inductione. Quia omnis actus auditiuæ potentiæ, est auditio, & omnis actus visiuæ, est visio; & sic de alijs potentijs; ergo omnis actus potentiæ intellectiuæ, est intellectio.

Secundò. Quòd intellectus Diuinus, per eundem actum per quem intelligit, producat Verbum, possibile est, & conuenientissimum: ergo frustra confingitur alius actus quo intelligit Diuinus intellectus, & alius quo dicit Verbũ. Anteced. patet. Tum quia nulla ratio impossibilitatis adfertur. Tum quia actus dicendi, quo Pater dicit Verbum, & actus intelligendi, sunt idem realiter; ergo possibile est vt quod conuenit vni, conueniat alteri.

Tertiò. Opposita sententia, quæ docet, non intellectione essentiali, sed actu dicendi generari Verbum, debet concedere, vt concedit, quòd actus intelligendi sit prior, quàm actus dicendi, & quòd actus dicendi sit actus intellectus non tamen intellectio; sed hoc est falsum, & contra sic opinantem, nempe contra Scotum. Quod ostendit Caiet. sic. Causa habẽs effectus duos inter se ordinatos, ita quòd neuter est alterius causa, sic se habet, quòd essentialior est comparatio vtriusq; ad causam, quàm inter se; ita quòd si per impossibile adimeretur primus effectus, non propter hoc neganda esset comparatio secũdi effectus ad illam causam: sed intellectus in actu primo, est vt causa habens hos duos effectus, nimirum intelligere & dicere, ordinatos inter se; ita quòd neuter est causa alterius; ergo si p impossibile subtraheretur intelligere, non propter hoc sequitur, quòd subtrahatur dicere: & sic ista conditionalis est possibilis: Si intellectus non intelligeret, diceret; quod manifestè implicat contradictionem: quid enim diceret, si nihil consideraret? Maior huius discursus, est ipsius Scoti, in 2. dist. q. 1. art. 3. Min. est eiusdem in pluribus locis. Impossibilitas autem cõsiderationis est euidens.

Ista arguunt Ban. 1. part. q. 27. art. 1. dub. 2. concl. 3. Caiet. ibidem dubit. 2. Zum. ibidem disp. 4. Torres, & alij Thomistæ ibidem. Heru. quodl. 2. q. 8. Zoar. lib. 1. de Trinit. c. 6. & 7. Capr. in 1. dist. 27. q. 2. Prierius ibidem.

In oppositum est Doctor Subt. hic: Item, dist. 3. q. 7. dist. 6. 27. quodl. 1. & aliàs, in quibus locis docet actu dicendi ꝓduci Verbum, non intellectione essentiali.

Eandem sententiam defendit Alex. de Ales 1. part. q. 42. membro 2. Molina 1. part. q. 27. art. 1. disp. 8. memb. 2. Richar. de Mediavilla in 1. dist. 27. art. 2. q. 2. S. Bonau. ibidem part. 2. q. 1. vbi distinguit intellectionem essentialem à generatione. Et d. 32. ar. 2. q. 1. in respons. ad 5. Bassol. in 1. dist. 2. q. 6. & dist. 7. q. 3. & 4. Mayron. & alij Scotistæ sequuntur in eadem Sententia Doctorem.

Intellectio essentialis dupliciter põt intelligi concurrere ad ꝓductionem Verbi.

Nota Primò. Intellectionem essentialem concurrere ad productionem Verbi, dupliciter põt intelligi. Primo modo, in rõe principij Formalis Quo, quo scilicet vt principio formali Pater producit Verbum; & sic superiùs contra Henr. & Nominales ac Durandum, ostensum est art. 12. quòd intellectio essentialis, non est principium formali producendi Verbum: in ista Sententia conueniunt nobiscũ Thomistę 1. part. q. 27. & Neoterici. Alio modo potest intellectio concurrere ad productionem Verbi, in rõe actus vel actionis, quo actu producitur Verbum: & sic dicunt Thomistæ intellectionem essentialem esse actionẽ intellectus, qua intellectus producit Verbũ: Scotus verò eiusq; sequaces dicunt, non actu intelligendi, sed actu dicendi, distincto ab intellectione essentiali, produci Verbum; qđ clariùs intelligitur in dato à Doct. Subtili exemplo: Ignis est calefaciens; principiũ formale illius quo calefacit, est calor, quia ignis calore vt principio formali Quo calefacit; actus verò seu actio qua formaliter calefacit, & à qua denominatur ignis calefaciẽs, est calefactio; quia ignis calefactione calefacit, & à calefactione denominatur actu calefaciens: ita dicimus, ꝙ in Diuinis Pater est generans Verbũ; principium formale quo generat, est memoria fæcunda, vt dictum est. De actu verò generandi, quo generat, & à quo formaliter denominatur generans, est cõtrouersia. Nã nos dicimus, ꝙ Pater dictione seu actu dicendi, distincto ab intellectione essentiali, generat. Thomistæ verò dicunt, ꝙ actu intelligendi, seu intellectione essentiali generat. Diuersimodè tñ diuersi dicunt. Vt ,n. omittã Duran. in 1. d. 27. q. 2. nu. 31. docẽtem, verbũ mentis, nõ produci per actum dicẽdi (& cõsequenter Dicere de Verbo Diuino) Dicere. n. secundũ illum, non est producere verbũ mentis, sed est habere in se notitiã rei, per q̃ homo cogitãs sibiipsi loquitur. Loquendo de veriorib. Thomistis, quidã eorũ volunt, ꝙ quãuis isti actus sint vnũ realiter, sunt tamẽ distincti formaliter, formalitate rõnis, habente distinctas rões formales: Verbũ igitur dicũt ꝓduci intellectione, non quatenus est intellectio, sed quatenus est dictio. Huius opinionis sunt Barth. Torres, & Turrianus 1. par. q. 27. Ferrar. 4. contra gen. c. 13. Alij aũt sequũtur Caiet. & dicunt, ꝙ Dicere, includit in sui rõe formali intellectionem; & consequẽter si actu dicẽdi formaliter Pater dicit Verbum, ẽt formaliter actu intelligendi generat Verbũ; cũ actus intelligẽdi, sit de ratione formali actus dicendi, secundùm ipsos.

Pater ītel... ctione es... tiali, vt a... producẽ... generat V... bũ, secun... Thom. ... Sco. mem... ria fæcũ...

Nota Secundò. Quòd intellectio essentialis in Diuinis (secũdùm Doctorem in pluribus locis) est operatio improducta cõmunis tribus Personis Diuinis, qua, vt actu noscẽdi, tres Personæ cognoscunt Essentiam Diuinam, & omnia in Essentia. Respectu igitur istius actus, nullum est Dicere, seu nulla productio: cùm sit actus vt dixi improductus; sed Verbũ cùm sit notitia producta, aliqua actione debet produci: quæ actio vel productio respectu Verbi, non est tanquam prior effectus respectu secundi (loquor secundùm modum nostrum intelligendi) sed est tanquam via ad terminum, eo modo quo se habet calefactio ad calorem, seclusis imperfectionibus. Ista actio qua producitur Verbum, nominatur Dictio, seu actus dicendi: vnde idem est Dicere Verbum, quod producere, & Dictio Verbi, quòd productio Verbi.

Dicere ... sit?

Iste tamen terminus, Dicere, quadrupliciter potest accipi in Diuinis, vt infra declaratur à Doct. dist. 32. & in Repor. ibidem, q. 2. Primò, merè essentialiter, quomodo accipitur ab Ansel. in monol. capit. 63. Nihil aliud est summo Spiritui dicere, quàm cogitando intueri: hoc non aliud est dictu, quàm actu intelligere: & sic quælibet Persona dicit suam intellectionem, & dicit aliam Personam, id est, intelligit aliam. Alio modo Dicere accipitur, merè personaliter, & hoc est idem quod generare intellectualiter: & sic solus Pater dicit Filium, quia solus Pater generat. Tertiò accipitur Dicere, pro declarare formaliter, respectu intellectus: & sic dicere est essentiale, quia Pater declarat seipsum formaliter, similiter Filius & Spiritus Sanctus, declarant seipsos formaliter. Quamuis autem hoc modo Dicere, sit formaliter essentiale, per appropriationem tamen attribuitur Verbo; quia Verbum ex vi Verbi, & ex vi processionis per intellectum, vt intellectio, est declaratiuum formaliter obiecti, de quo obiecto est illud Verbum, seu illa intellectio genita. Quarto modo accipitur Dicere, pro declarare effectiuè, sicut producens speculum, declarat se speculo effectiuè. Et isto modo Dicere connotat essentiale, nempe ipsam Essentiam: quantùm autem ad principale significatum, est notionale; quia secũdùm istum modum, ille dicit, qui principiat illud quod est declarans, vt dicitur infra dist. 18. & 32. sic Pater dicit Verbo, sicut producens speculum, declarat speculo imagines.

Dicere q... tuor mo... accipitu... diuinis.

1.

2.

3.

4.

Ex istis quatuor dicendi modis, patet quòd Primus & Tertius, non sunt ad propositum, nec in Quarto sensu accipitur ly Dicere; quia non quærimus, quo Pater declarat principiatiuè seipsum; sed est quæstio, quo actu Pater principiat, seu generat Verbum: Et dicimus, quòd actu dicendi. In præsentis igitur Dubitationis resolutione, accipitur terminus, Dicere, in sola acceptione Secunda.

Nota Tertiò. Distingui actum Dicendi, sic acceptum, ab intellectione essentiali. Primò. Quia intellectio est communis tribus, Dicere autem soli Patri conuenit: Illa est absoluta, hæc relatiua: illa essentialis, dictio est notionalis: illa

Dicere, ... stinguitur ... in Patre ... intelliger...

est

est perfectio simpliciter, ista abstrahit à perfectione: illa non est actio, qua dicitur agens producere aliquid, hæc est actio. Ratio est. Quia actio non potest intelligi, quin illa aliquis terminus producatur, vt dicitur infra distin. 3. post Quæstionem Octauam; intellectio autem optimè intelligitur, quin per illam aliquis terminus producatur; quia intellectio ex vi intellectionis, est vltima perfectio, qua intelligẽs vel intellectus, intelligitur esse perfectus in actu secundo; Dicere aũt intellectionẽ cũ sit producere notitiã genitã, Dictio formaliter erit actio, quæ vt actu producitur notitia genita. Et cũ actio, ex rõne sua formali & intrinseca, sit Ens relatiuũ, nõ absolutũ, Dicere ex sua rõe formali & intrinseca, in præsenti significatione, erit merè psonale, & nõ essentiale: atq; ita intellectio essentialis non includetur per se in rõe actus dicendi, sicut nec Essentia est de formali conceptu relationis in Diuinis; iuxta superiùs dicta. His prænotatis sit

Intellectio et vltima p[er]fectio.

Prima Cõclusio. Intellectio essentialis non est de rõe formali actus Dicendi. Probatur Primò. Nulla rõ absoluta, est de formali rõe & quidditatiua, alicuius relatiui; sed actus intelligẽdi essentialis, vt quocunq; modo distinguitur ab actu Dicendi, est quid absolutũ, Dicere aũt vt quocunq; modo distinguitur, est quid relatiuũ, vt ẽt ipsi Thomistæ concedunt; intellectio igitur essentialis, nõ erit de rõe formali actus dicẽdi relatiui. Maior probatur. Impossibile est de vno & eodẽ actu, secundũ eandem rõem formalẽ, verificari duo cõtradictoria: quia dato opposito, destruitur primũ principiũ Metaphysicũ: sed si de rõe actus productiui Verbũ, sit intellectio essentialis, tũc de illo vno actu productiuo, secũdùm eandẽ rõem formalẽ (quia supponitur ab aduersarijs, ꝙ intellectio essentialis, est de essẽtia & de rõe formali actus dicendi,) verificabũtur duo cõtradictoria: nẽpe ꝙ ille actus productiuus, de ratione sua formali erit ad se; quia est intellectio absoluta ad se; & non erit ad se; quia est actus dicendi, seu producendi aliud.

Intellectio essentialis nõ de ratione formali actus dicẽdi.

Secundò. Illud non est de ratione formali actus producẽdi, sine quo actus producendi potest intelligi, vt probatum est Dist. 1. quæst. 2. actus autem Dicendi, qui est ab intrinseco productio & relatio, põt intelligi sine intellectione essẽtiali, imò absq; omni absoluto põt intelligi relatio; ergo, &c.

Tertiò. A rõe formali, apta est res dici formaliter & essẽtialiter talis, vt patet inductiuè in omnibus; homo enim formaliter est animal, & rationale; quia ista sũt de rõe formali hominis; albedo itẽ est formaliter accidẽs, qualitas, color; quia istæ rões sunt de ratione formali albedinis, & ita de alijs, quæ sunt de rõe formali aliquorũ: si ergo intellectio absoluta & essentialis, est de intrinseca & formali rõe actus dicendi relatiui & notionalis, iste actus relatiuus & notionalis dicendi, erit formaliter absolutus & essentialis; quod falsum est. Ex quo infero. Falsam esse Sententiam Caietani, asserẽtis, intellectionem esse de rõe formali actus generãdi.

Intellectio essentialis, nõ actus ille quo Pater dicit Verbũ.

Secunda Conclusio. Intellectio essentialis, nõ est formaliter actus ille quo Pater dicit Verbũ. Ista Cõclusio patet ex Notab. 3. Tũ quia intellectio, est vltima pfectio intelligẽtis, & nõ actus productiuus. Tũ quia actus pductiuus Verbi, debet vni soli Personæ Patris cõuenire (quia solus Pater generat actu, vel dicit Verbũ) non sic intellectio essentialis, q̃ conuenit trib. Personis. Tũ quia dictio Verbi nõ aliud est, q̃ generatio Verbi, vt patet ex Notabili secũdo; sed generatio non est intellectio essentialis, vt de se manifestũ est. Tũ quia Dicere Verbũ, est actus notionalis, non sic intelligere. Tũ q̃a Dicere Verbũ, abstrahit à perfectione simpliciter, quia aliàs Verbum, q̃d nõ dicit aliud Verbũ, non haberet perfectionẽ simpliciter: intellectio aũt essentialis dicit perfectionẽ simpliciter, secundũ oẽs. Tũ quia verbum creatum nõ producitur intellectione, vt clarè declaratur dist. 27. q. 1. ergo neque Verbũ Diuinũ. Tũ quia intelligere ex ratione sua formali, non est producere; quia intelligere ex rõe sua formali conuenit Filio & Spiritui Sancto, quibus Personis nõ cõuenit producere Verbũ: Tum quia in creaturis nulla intellectio actualis est actio productiua, vt dicitur dist. seq. q. 7. ergo similiter Philosophandum est de Diuinis.

Actu dicendi producit Pater Verbũ.

Tertia Cõclusio. Actu dicendi (distincto aliquomodo ab intellectione essentiali) pducit Pater Verbũ. Probatur Primò ex dictis. Quia cũ in Patre sit actus intelligendi, & actus dicendi, & iste nõ sit formaliter ille, saltẽ formalitate rationis, vt volunt quidam Thomistæ, & patet ex Conclusione Prima; & intellectione essentiali Pater non producat Filiũ: relinquitur, quòd actu Dicendi producit ipsum.

Secundò. Illo actu Pater generat Verbum, qui soli Patri conuenit & non alteri; actus autem Dicendi soli Patri conuenit, & non alteri supposito; quare &c.

Tertiò. Quia dum dicitur, Pater dicit Verbum, idem est, ꝙ generat Verbũ, & generatio idẽ est formaliter ꝙ Dictio; sed Pr̃ formaliter vt actu, generatione generat, sicut ignis calefactione calefacit; igit̃ Pr̃ etiã Dictione dicit, seu actu Dicendi Verbũ producit, quia ista idẽ sũt formaliter; Ergo.

Ad Argumenta in principio posita.

Ad Primũ. Nego Minorẽ. Ad probationẽ. Dico: omnis actus ab intellectu elicitus est intellectio; sed actus ille quo intellectus dicit intellectionẽ, seu ipsa elicitio ĩtellectionis, vel alijs terminis vtendo, ipsa productio intellectionis, non est intellectio; sed est actus vel actio intellectus, qua actione ille producit, seu elicit intellectionẽ. Et per idẽ patet ad probationẽ inductiuam: ꝙ oĩs quidem actus secundus elicitus à potentia auditiua, vt perfectio eius est auditio, & visiuę est visio, sed causatio actus vidẽdi, vel causatio actus audiendi, non est visio vel auditio, sed sunt actiones de genere actionis, quibus producũtur visio vel auditio: sicut ergo sunt actiones ipsæ, videlicet productiones actus vidẽdi, & actus audiendi, in potentia visiua, vel auditiua, qui tñ actus non sunt visio vel auditio, sed actus productiui visionis vel auditionis; ita proportionaliter dic de intellectu, ꝙ omnis actus ab illo elicitus vt terminus, quo in actu secũdo perficitur, est intellectio; sed intellectionis ipsius productio, siue elicitio intellectionis, est qui ẽ actio, vel actus intellectus, non tamen est intellectio, sed est productio intellectionis: ista productio notitiæ in Diuinis, appellatur Dictio, & producere nominatur Dicere.

Ad Sm̃. Negatur Antec. Ad Primã prob. Dico, ab intrinseco intellectio non est productio, vel actio qua aliud vt actu producendi producitur: & ita intellectio non est actus productiuus in Diuinis. Repugnat ẽt ob alias causas Cõcl. 2. positas, intellectionẽ essentialẽ esse actũ illũ quo Pr̃ producit Verbũ. Secũda probatio nulla est. Quia intellectus & voluntas idẽ sunt realiter, & tñ ipsi ẽt Thomistæ non cõcedũt, ꝙ cuius est principium productiuum intellectus, illius & voluntas ob idẽtitatem realẽ; ita & in proposito, sufficit nõ identitas formalis, vt aliquid attribuatur vni rõni & nõ alteri; vel sufficit saltem non idẽtitas rõnis ſm Thomistas.

Ad Tertiũ. Concedo ꝙ intellectio essentialis in Diuinis, sit aliquõ prior, actu Dicẽdi, vt dist. 27. q. 1. ostenditur (dixi in Diuinis, quia in creaturis cũ nulla sit intellectio improducta essentialis, non præcedit intellectio Dictionẽ, sed Dictio intellectionem; sicut ẽt & in Deo, notitiam productã præcedit Dictio, sm̃ modum nostrum intelligendi). Cõcedo ẽt secũdum dictũ, ꝙ actus Dicendi sit actus intellectus, non tñ intellectio, prout ẽt concedimus & verè, quod productio intellectionis vt productio, est actio intellectus, sed nõ intellectio. Ad improbationem. Concessa Maiori, vt vera, ad Minorem respondeo, ꝙ intelligere & dicere respectu eiusdem, non sunt duo effectus subordinati, nec vllibi hoc Caiet. vidit in Doctore Subtili, quòd dicere respectu intelligere, sint duo effectus subordinati: sed se habẽt ista, sicut actio & terminus productus per talem actionẽ; actio autem vt actio, non est effectus productus, sed est ipsa productio; productionem autem intelligere sine producto, & actionem sine termino, est impossibile, non item vnum effectum sine altero. Dixi respectu eiusdem, ita quòd Dicere, cõparetur ad illam notitiam, quæ producitur per ipsũ Dicere; tale.n. dicere, habet se vt actio ad talem notitiam vt ad terminum; hoc idem Dicere, si comparetur ad causam, nõ se habet ad illam vt effectus productus; quia esset productione productus, & sic in infinitũ; sed se habet vt actus, quo primus effectus producitur: si aũt comparemus Dicere ad intelligere, quæ intellectio non producitur per illud Dicere, sicut in Diuinis essentialis intellectio non producitur vllo actu, cùm sit improducta, tunc Dicere respectu illius, cũ non sit actio, põt intelligi sine tali intellectione, & è contra: sed non poterit intelligi actus Dicendi sine illo termino, cuius est productiuus, nempe sine Verbo producto.

Productio intellectionis ẽ actus intellectus non tamen est intellectio.

Nota. Intelligere & Dicere, qũo se habeant.

RESOLVVNTVR ARGVMENTA PRINCIPALIA.

Ad Primum Argumentum principale quod Auer. in com. 46. &c.

SVMMA TEXTVS.

In Prima parte huius Articuli, Argumenta pro Auer. Conclusione illa (vnius naturæ est vnus modus communicandi) posita resoluuntur.

In Secunda, duæ difficultates proponuntur, & resoluuntur. Prima Difficultas est. Esto, quòd aliqua natura possit communicari æquiuocè & vniuocè à diuersis specie causis, vt declaratur hìc in priori parte; aliquod tamen agens vnius speciei, vt mus, non habet modum causandi nisi vnius speciei; quia solùm causat vniuocè: ergo cùm in Diuinis suppositum Patris sit vnius rationis, non poterit communicare naturam nisi vno modo. Respondet Doctor. Disparem esse rationem, de modo communicandi naturam creatam & increatam. Nam in rebus creatis principium formale producendi aliquid, est ipsa natura agentis, & sic cùm vnum sit principium Quo, respectu producti, vno modo communicabit naturam agens creatum; in natura autem increata, cùm principium formale Quo, non sit præcisè natura, sed memoria & voluntas fæcunda, iuxta dicta, dupliciter ibi poterit communicari natura, & per modum memoriæ, & per modum voluntatis.

Suppositũ creatum cur vno modo communicat naturã; & non vno suppositũ increatum Patris æterni.

Secunda Difficultas insurgit, ex modò dicta responsione. Dictum enim est, in Deo ob duplex principium communicandi naturam, duplici modo communicari naturam tum per intellectũ, tum per voluntatem: infero ego Minorem; Sed in nobis est duplex principium operatiuum & productiuum, nempe intellectus & voluntas; ergo in nobis duplex erit principium communicandi naturam. Respondet Doctor. Negando Minorem. Quamuis enim in nobis intellectus vel voluntas possit producere operationem in ratione operationis, non tamen in ratione naturę, id est, licèt intellectus sit principium quo producitur intellectio, aliud à principio quo producitur volitio, istæ tamen operationes producibiles ab intellectu & voluntate, non sunt adæquatæ secundùm perfectionem & secundùm esse naturæ principijs suis; quia principia, nempe potentiæ, secundùm Doctorem in 2. dist. 17 idẽ sunt substantialiter & realiter quod anima, & ita sunt substantia; operationes autem sunt accidentia: sed in Diuinis notitia producta, vel amor productus, æquantur suis principijs, non tantùm in ratione operationis, sed etiam in esse & in natura; quia notitia producta ita est suppositum, sicut & producens illam, & ita substantia, sicut & principium quo producitur: quod autem noster intellectus vel voluntas, non possint actum perfectè sibi adæquatum, etiam in essendo seu in ratione naturæ producere, & possit Diuinus intellectus, vel voluntas, esse principium perfectè sibi adæquati actus, prouenit hoc ex infinita perfectione naturæ Diuinæ; sicut è conuerso in nobis ex imperfectione, est impotentia ad producendum actum intellectus, perfectè adæquatum intellectui.

Nota.

Intellectus noster cur nõ põt producere sibi adæquatã intellectionẽ substantialiter.

In Tertia parte Argumenta illa, quæ plures productiones duabus in Diuinis astruebant, refelluntur.

Textus est clarus, quomodo natura non debeat poni distinctũ principium producendi ab intellectu & voluntate: quia (vt supra dictum est) non intellectus præcisè est principium Verbi, sed hoc totum intellectus habens Essentiam in ratione obiecti; similiter nec voluntas precisè est principium spirandi, sed voluntas habens Essentiam obiecti diligibilis.

Ad illa dicta, vltra hìc addit, quòd intellectus seclusa voluntate, est principium merè naturaliter productiuum: si autem distinguitur ab Arist. principium actiuum in naturam & intellectum, sumitur ibi intellectus, prout is cum voluntate constituit vnum principium respectu artificialium, & non vt est naturaliter elicitiuus suæ intellectionis præcisè.

Intellectus seclusa volũtate est principiũ merè naturale.

Responsio ad Secundum. Patet ex dictis, Artic. præced. Dubit. 1. Concl. 5. & clariùs patebit ex dicendis in 2. dist. 1. q. 1.

COMMENTARIVM.

PRior pars huius literæ, vt est magnæ speculationis, ita declaratione indiget maiori ipsius textus.

Antequam autem respondeatur Argumentis Commentatoris, præmittũtur à Doct. tria. Primò. Quòd illud dictum Auerr. Vnius naturæ est vnus modus communicãdi, verificetur solũ de homine, de quo solo ibi expressè loquitur; & fortè vltra, de animalib. perfectis, quòd ipsa naturaliter generetur ab vniuoca causa, & ꝙ vnus sit modus cõmunicandi naturã hominis, s. à generãte homine, leonis à leone, & sic de alijs perfectis. Et quis sufficeret citare librũ Auer. & numerũ textus, nõ sine causa tñ additur ipsa citatio à Doct. cũ dicit, *cuius textus sic incipit. Vtrum autem vnũquodq; &c.* Nã quis textus illius 46. initium sic incipiat, Vnũquodq; igitur perpetuũ esse immobiliũ &c. circa medium tñ illius textus, ista quæstio proponitur ab Arist. istis verbis. Vtrũ aũt vnũquodq; mouentiũ &c. & explicatur ab Auer. quare secũdã partẽ, nõ initiũ illius textus, citat Doct. Quod dictum sit ꝓpter Maur. Hybernicum, qui hìc citandum & legendũ putat, Vnumquodq; igitur &c. non, Vtrũ aũt vnũquodq; &c.

Dictũ A[…] Vnius na[…] ræ, est v[…] modus […] municã[…] qũo int[…] gendum

Secũdò dicit Doct. Si ꝓpositio illa ab Auer. sumatur vniuersaliter, ita ꝙ quæcunq; natura cõmunicetur, semper cõmunicatur vno modo à causa vniuoca; tunc est falsa: cuius oppositum probatur experientia, authoritate Patrum, Aristot. imò & contradictione ipsiusmet Auer.

Tertiò docet. Quòd natura ab æquiuoca causa ꝓducta, & ab vniuoca propagata, exẽpli causa, mus à mure genitus, vt à causa vniuoca, & mus in fimo productus à Sole, vel à Deo, sint duo mures tantùm numero, non specie distincti. Textus Doctoris est clarus.

Produ[…] mus à […] re & a[…] ex putr[…] teria p[…] ctus a […] numer[…] tũ, non […] cie dis[…]

Primũ Argumentũ Auerr. hunc habet sensum. Diuersis materijs debent assignari diuersæ formę specie, sed si viuẽs, Verbi causa, mus, producatur per propagationẽ, & ex putri materia: tunc ibi erit alia & alia materia; quia muris geniti per propagationẽ, materia est semẽ; mus aũt productus ex fimo, fimũ habet ꝓ materia, quæ patet esse distincta; ergo erunt & distinctæ formæ. Maiorẽ huius argumẽti, ꝙ distinctis materijs debẽt distinctæ formæ specie assignari, probat. Tũ quia forma aliqua, vt hominis, nõ cuilibet, sed propriæ cõuenit materiæ; ergo distinctæ formæ, distinctis materijs. Tũ quia, si materia diuersa non requireret distinctã formã, quodlibet generaretur ex quolibet; quia videlicet indifferenter quæcunq; materia esset formæ cuiusuis receptiua. Tum quia diuersitas materiæ frustra requireretur, si non propter distinctionem formarum.

Rõ p[…] Auer. […] tur. Materi[…] stictis […] distin[…] mæ as[…] ri.

Respondet Doct. & benè. Quòd materiã, vel sumis pro illa entitate, quæ est altera pars cõpositi substãtialis, distincta à forma; & cõstituẽs cũ illa totũ Physicum: tũc vel loqueris de materia prima vt prima est, & sic est eiusdẽ rõnis, & speciei in oĩbus; sed quia non in hoc sensu accipitur ab Auer. Doct. istã partem subdiuisionis, nõ ponit in textu: vel loqueris de materia secunda, affecta dispositionibus, ad introductionẽ formæ inducẽdæ necessarijs: & sic concedo Maiorẽ, ꝙ si sint materiæ secundæ distinctæ, immediatè receptiuæ formarũ, ꝙ distinctas specie formas recipiẽt: Sed nego Minorẽ, ꝙ materia secunda, verbi causa, à Sole, vel à Deo, in fimo cõtẽperata, ad immediatã formæ muris inductionẽ, & materia secũda in ipso mure disposita, ad immediatã formę muris eductionem, sint alterius speciei, cùm habeãt simpliciter easdẽ qualitates, organa, ceterasq; dispositiones, vt optimè Doct. paulò ante explicauit. Vel accipis materiã in illa ꝓpositione non pro parte constituente, sed pro illo ente ex quo corrupto res fit, prout etiã dicitur à Philosopho, Vnius corruptio est alterius generatio, prout aer fit ex aqua, fit ẽt & ex igne, & sic illa Maior, est absolutè falsa.

Resp[…] Mater[…] mitur[…] citer.

Secunda ratio Auer. eiusq; solutio erit clara si verba illa in responsione, *accipitur ẽt rarò vel vt in pluribus prout disiũgit inter opposita contradictoria, non prout inter disparata*, intelligãtur. Ita igitur ꝓpositio disiunctiua, Generatio viuẽtis nõ ex semine, à causa æquiuoca, vel in plurib. euenit, vel euenit nõ in pluribus; aut quærit contradictoriè de materia disposita ab æquiuoco agẽte, sic, An in materia disposita ab agẽte æquiuoco vt in pluribus, euenit generatio, an non vt in pluribus? Et respondeo: ꝙ vt in pluribus euenit. Aut secũdò, quærit illa disiunctiua disparatè, scilicet, de materia disposita ab agente æquiuoco, & de materia disposita per generationem ab agente vniuoco, sic, An in materia disposita ab agente æquiuoco, vt in pluribus, seu frequentiùs inducatur forma æquiuoca, quàm ab agente vniuoco, inducatur

Secu[…] Auer[…]

tur forma in materiam, ab illo met agente vniuoco dispositam? Et respondeo: quòd non; quia frequentiùs, & vt in pluribus prouenit effectus à causa vniuoca quã æquiuoca. Idem dicendum est de ly rarò, quòd potest accipi disiunctiuè, vel contradictoriè, vel disparatè. Cõtradictoriè, An in materiam dispositam ab agente æquiuoco, rariùs vel non rariùs inducitur forma æquiuoca? Et dico: quòd non rariùs; non enim rarò, sed frequenter inducitur in materiam dispositam talis forma. Disparatè autem, comparando ad productionem vniuocam, An rariùs producatur effectus æquiuocus, puta mus à causa æquiuoca, vt à Sole, quã effectus vniuocus à causa vniuoca, vt mus à mure? Respondeo, rariùs produci viuens à non viuente, quàm viuens à causa vniuoca.

Raro quo. simpliciter impossit?

Hinc patet, quòd tales effectus æquiuoci, cùm habeant causam intentam & determinatam, non erunt casuales & monstruosi: vt optimè deducit Subt. Doctor.

In responsione ad Tertium. Nota singularem explicationem illius propositionis Aristotelicæ, ex 5. Phys. tex. 31. & 48. Motuum specie differentium, sunt termini specie differentes. Dicit enim Doctor, propositio hæc vt sonat accepta, habet manifestam instantiam in doctrina ipsius Philosophi 7 Phys. tex. 21. vbi docet, Motuum specie distinctorum, puta motus localis recti, & motus circularis, posse esse eundem terminum, tum extrinsecum, nempe locum, tum intrinsecum, nempe Vbi. Vt igitur sit vera ista propositio, dantur duę aliæ propositiones, quibus subintellectis & suppositis, illa Philosophi propositio ex 5. Phys. veritatem habet, alias non. Primæ propositionis sensus est iste. Motuum specie differentium, debent esse formæ distinctæ specie, vt sunt in fieri; & consequenter motuum specie distinctorũ, erunt termini distincti specie.

Motuũ specie differentium, sunt distincti specie termini.

Dices. Ista propositio non valet: quia ego volo cum Arist. probare esse distinctos terminos, per hoc medium, quia sunt distincti motus. Respondeo Primò. Licèt esse termini dependeat à motu, in fieri, specificatio tamen & distinctio motus, dependet à termino, ita quòd à termino specie distincto, dicitur motus specie distinctus. Propterea bene dicitur in textu, quòd ista propositio, Motuum specie distinctorum sunt termini specie distincti, dependet ab illa, Formæ, seu termini, ad quas sunt motus, si sunt specie distincti, motus erunt specie distincti: ista enim enumeratio est absolutè vera, & vniuersalis, illa nõ nisi supposita ista, aliàs falsa.

Quare propositio ista prima Doctoris, p quam ille modificat propositionem Aristotelis, sic est construẽda. Primò. Motuum differentium specie, sunt fluxus secũdùm formas differentes specie. Secundò sic. Motuum differẽtium specie, formæ secundùm quas fit fluxus, differunt specie, id est, debent differre specie, vt motus differant specie ob cãm dictã.

Secunda propositio est, per quam regulatur illa, Motuũ specie differentium &c. Quòd forma secundùm quàm est fluxus, vt est in fluxu, & vt est in termino, sit eiusdem rationis: sic calor vt est sub fluxu, nempe sub calefactione, est eiusdem rationis cum forma caloris, vt est sub esse quieto. Cũ igitur in Diuinis, productio, quæ est quasi forma fluens; (dico quasi; quia non est ibi verus fluxus, vt dixi quæst. pręced. circa finem) non sit eiusdem rationis cum termino formali, nempe cum Essentia, (quia Essentia est absolutũ, productio autem est relatio) pater motus valet argumentũ.

Propter maiorem literæ euidentiam. Aduertendum est. Aliud esse fluxum formæ, aliud formam fluentem. Nam secundùm Ant. And. in lib. de sex principijs, duæ sunt Opiniones de motu famosæ, & antiquitùs agitatæ. Prima dicit, esse fluxum formæ: vt pro formali & principali significato, importetur fluxus dicens quandam cõtinuitatem actionis, & consequenter secundũ hanc rationem, motus est in Quãtitatis prædicamento reponibilis; connotãter autem infert formam, secundùm quarum diuersitatem in diuersis reponeretur prædicamentis. Alia Sententia dicebat oppositum. Motum esse formam fluentem, seu formam vt est sub fluxu: vt forma principaliter & formaliter in motu significetur; fluxus autem secundariò connotetur. Iuxta Sententiã nostri Doctoris prior Opinio est vera, vt patet in 5. Met. illius, quæst. 10. vbi efficaciter probat, Motum vt motus est, formaliter esse speciem Quantitatis.

Fluxus formæ & formæ fluẽs sũt distincta. Motus duo sit.

Motus é species Quãtitatis.

QVAESTIO VI.

Vtrum tantùm sint tres Personæ in Essentia Diuina.

Et arguo quòd non. Primò sic. Relationes oppositæ sunt æqualis dignitatis, &c.

SVMMA TEXTVS.

Conclusio principalis *huius Quæstionis, est. Tres tantùm sunt Personæ in Essentia Diuina: quia duæ productæ & vna improducta.*

Personæ tres sunt in Essentia Diuina.

Conclusio incidentalis Prima. *Est aliqua Persona in Diuinis producta actu intellectus. Istius Conclusionis ratio, & sequentis, clara est ex dictis, quæst. 4. art. 1.*

Secunda Conclusio incidentalis. *Est aliqua Persona in Diuinis, actu voluntatis producta.*

Tertia. *Persona producta actu intellectus, est distincta ab illa, quæ producitur actu voluntatis. Ratio. Quia eadem Persona non potest produci duabus productionibus totalibus; in Diuinis autem sunt duæ productiones totales.*

Quarta. *Non possunt esse plures Personæ productæ, quàm duæ. Ratio est Quia non possunt esse plures productiones, quàm duæ vt dictum est quæst. 4. art. 1. & quæst. praeced. art. 3.*

Quinta Conclusio incidentalis. *Vna tantùm in Diuinis est Persona improducta.*

Persona vna est tantũ improducta in Diuinis.

COMMENTARIVM.



AD probandam vltimam Conclusionẽ. Primò adferuntur rõnes Henrici quodl. 6. q. 1. Deinde illis vt minùs sufficientibus & ineuidẽtibus reiectis, ponit tres rõnes proprias, quas vocat persuasiones nõ demõstrationes, multò tamẽ euidẽtiores prioribus. Et aduerte quòd Primum argumentum, quod hìc vocat Doctor persuasionem, quodl. 2. vocat rationẽ necessariam, intelligendũ est non absolutè necessariam, quę conuincat omnem intellectum, sed magis necessariam, quàm aliam quamcunque quæ adfertur ab alijs vt dixi dist. 1. q. 1. & dist. pręsenti q. 2.

Secunda ratio & Tertia, est satis clara in textu.

Solutiones Argumentorũ principalium sunt subtiles, & satis euidentes; illa dũtaxat respõsio Secunda ad Primũ intelligi debet. Argumentũ fuit. Relationes oppositę, vt producentis & producti, sunt æqualis dignitatis, ergo sicut vnum est primò producens, nempe Pater, ita & vnum est productum.

Ad hoc respondetur Primò. Per negationẽ consequẽtię: quia Quale Antecedentis, æqualis nimirũ dignitas, mutatur in Tot, in consequentia, dicẽdo si hoc vnũ, & illud vnũ. Respondetur Secundò. Quòd illa consequentia, vel loquitur de productiuo de se hoc, vel loquitur de productiuo in cõi: quia sicut rõ personæ potest abstrahi in cõi, vt dicitur infra, d. 23 & ab hoc principio, & ab illo, potest abstrahi rõ principij, vt habetur dist. 29. ita ab hoc productiuo, qđ est per intellectũ, & ab illo, quod est per volũtatẽ, potest in cõi abstrahi vna ratio producẽtis siue productiui: similiter, nõ negamus quòd ab hoc producto & ab illo, potest in cõmuni abstrahi ratio producti; & in hoc sensu concedo, quòd sicut est vna rõ producentis in cõi, ita & vna ratio producti; non tamen est vna ratio producentis, per intellectum, & per voluntatem, sicut nec est vna ratio producti in producto per voluntatem, & in producto per intellectum.

Persona vna improducta non infert tantũ vnam productam

In responsione ad Tertium, illa veritas, Potentia finita non potest habere simul duos terminos adæquatos in producendo, exemplum, quòd intellectus noster non potest duas perfectas & intensas intellectiones habere, patebit in 2. d. 26. Absolutè tamen loquendo, nullum Ens finitum potest producere terminum ita adæquatum, quòd illi repugnet alium, vel tertium, vel quartum producere, vt dicit Doct. in 3. d. 18. in solut. 2. princip. quia potentiæ finitæ, sunt determinatæ ad actus certos, à voluntate causæ primæ: potẽtia Diuina ex se est determinata, & necessariò, ita ad vnũ actum adæquatum, quòd impossibile est ad plures, vt dixi quæst. præced. art. 3. in Dubit. ibidem adducta.

Potẽtia finita nõ potest habere duos simul adæquatos terminos.

QVAESTIO VII.

Vtrum possibile sit cum vnitate Essentiæ Diuinæ, stare pluralitatem Personarum.

Arguitur quòd non, sic. Quia quæcunq; vni & eidem simpliciter &c.

SVMMA QVAESTIONIS.

Præsens Quæstio habet tres Articulos. In Primo, datur responsio affirmatiua ad Quæstionem. In Secundo, inquiritur, an inter Essentiam Diuinam, & relationem, sit aliqua distinctio præter opus intellectus. In Tertio examinatur qualis sit illa distinctio præter opus intellectus, & quomodo vocanda. Vltimò argumentis in principio Quæstionis adductis respondetur.

ARTICVLVS PRIMVS.

Satisfit propositæ Quæstioni.

Ad hanc Quæstionem. Dico, quòd simul stant vnitas Essentiæ, & pluralitas Personarum &c.

COMMENTARIVM.



Iteram Doctoris, vt planior legenti reddatur, declaro. In qua hæc Conclusio, Cum vnitate Essentiæ Diuinæ, possibile est stare Personarum Trinitatem: probatur quadruplici ratione. Prima procedit ex dictis hactenus. Cùm enim ostensum sit illam Essentiam esse simpliciter vnam numero, & declaratum est, quòd in illa Essentia sit productio ad productum perfectum, & per se subsistens in natura intellectuali, quæ est descriptio Personæ; consequenter conclusum manet, cum vnitate Essentiæ Diuinæ stare de facto pluralitatem Personarum.

Essentiæ Diuinæ vnitas compatitur Trinitatem Personarũ.

Probatur 1.

Probatur 2.

Probatur Secundò. Quæcunq; sunt incompossibilia, ex suis rationibus formalibus sunt incompossibilia, vt clarum est, & declaratur hæc propositio, infra dist. 43. sed tres Personas esse in vna Essentia, nulla est formalis incompossibilitas; ergo hoc non est impossibile. Minor ista erit euidens, si cognoscatur ratio suppositi, & quomodo se habeat natura ad suppositum.

Suppono igitur Primò. Quia isti termini, singulare, suppositum, Persona, habent se secundùm ordinem magis communis, & minùs communis. Ratio enim singularis conuenit omni illi, quod est in se indiuisum, & distinctum numero à quocunq; alio, sic ratio singularis, conuenit omni naturæ numericæ, tam substantiali quàm accidentali. Suppositum est substantia singularis per se subsistens, completa, incommunicabilis; vnde nec forma, nec materia est suppositum, sed totalis substantia. Persona autem, (secundùm Boetium) est naturæ rationalis indiuidua substantia, vel meliùs (secundùm Richar. de S. Victore) Persona est naturæ intellectualis incommunicabilis existentia: quæ definitio fusiùs explicatur dist. 23. & sic nomen Personæ soli substantiæ incommunicabili intellectuali conuenit. Ex his constat quòd omnis Persona sit suppositum, sed non è contra; quia lapis est suppositum & non persona; similiter omne suppositum est singulare, non tamen è contra. An verò ratio Personæ consistat in duplici incommunicabilitate, vide infra dist. 23. art. 2. Et quamuis hæc sit acceptio horum terminorum, suppositi, & personæ, Theologi tamen promiscuè vtuntur in hac materia istis nominibus, dum dicunt in Diuinis esse tria supposita relatiua, tres Personas; nominum aũt acceptione sic est vtendum, vt cõiter accipiũtur.

Singulare quid?

Suppositũ.

Persona.

Nota.

Suppono Secundò. Natura quęcunq; vt est in supposito, non se habet ad suppositum vt vniuersale ad singulare, quasi suppositum sit singulare, & natura vniuersale: Tum quia in accidentibus est ratio singularis, vt in hac, vel in illa albedine, & tamen non est ratio suppositi. Tum quia hæc numero natura singularis humana est assumpta à Verbo, & tamen non est assumptum suppositum humanum. Neq; se habet natura ad suppositũ vt Quo formale, ad suũ Quod, quo pacto dicimus albedinem se habere ad album, vt Quo ad Quod; albedo enim est, qua album est album, & album est Quod: similiter vita est Quo, viuens autem Quod viuit vita; non igitur tali modo se habet natura ad suppositum vt Quo ad Quod. Ratio est. Quia suppositum non est suppositum, vt ratione formali Qua, natura; sed est suppositum suppositalitate, vel est, vt Quod subsistens; subsistentia vt Quo; vnicuiq; enim Quo, respondet suum Quod, sic Deitati, vt Quo, respondet Deus, vt Quod, Paternitati, vt Quo, respondet Pater, vt Quod; sic etiam naturæ cuicunq;, puta humanitati vel equinitati, debetur vt Quod, homo vel equus; ita etiam quodcunq; subsistẽs seu persona, est Quod; illius autem proprium & formale Quo, est subsistentia vel personalitas. Quamuis igitur huic supposito Socratis, humanitas sit Quo Socrates est homo, non tamẽ est Quo Socrates est Socrates, vel Quo Socrates est Persona; ita licèt Deitas sit Quo Pater est Deus, non tamen est Quo Pater est Pater, quia formaliter vt Quo, Paternitate Pater est Pater, nec Deitas est, vt Quo Pater est Persona, sed personalitate vt Quo Pater est Persona. Quomodo igitur natura se habet ad suppositum? Dico, habet se vt quidditas & essentia, ad illud, quod subsistit per se incommunicabiliter in illa natura.

Natura Diuina quõo se hẽt ad suppositum.

Suppono Tertiò. Quęlibet natura dupliciter est communicabilis supposito, vt Quod, & vt Quo. Nec hìc contradicitur superiori Suppositioni. Ibi enim dicebatur naturam nõ esse formale Quo, respectu suppositi, quo formaliter suppositum est suppositum; hìc autem dico, quòd natura est communicabilis supposito, vt Quo, non quo suppositum est suppositum, sed quo suppositũ est Quod in natura; humanitas. n. in me est vt Quo, homo sum vt Quod: meo igitur supposito cõmunicatur humanitas, qua suppositum est Quod in natura humana, quia sum homo, q̃ est esse Quod respectu humanitatis. Communicatur præterea aliquid vt Quod, sic superiora in concreto accepta, communicantur inferioribus, substantia enim, animal, homo, communicantur supposito Socratis, quia Socrates, vt Quod est substantia, homo, animal: (& talis cõmunicatio est semper per veram idẽtitatem realem; quia idẽ est realiter quod communicatur, & cui cõmunicatur, vnde falsò requirit Ocam distinctionem realem inter illud quod cõmunicatur, & cui.) Ita dico q̃ natura Diuina communicatur vt Quo, supposito Diuino: Deitate. n. vt Quo, suppositum Patris est Deus. Istius etiam Quo, nempe Deitatis, formale Quod, est Deus; & hic Deus communicatur vt Quod supposito, quia Pater est Deus vt Quod. Et quemadmodũ natura est communicabilis vt Quo, & vt Quod, vt patet ex dictis; ita suppositũ non est alteri cõmunicabile, imò est incõmunicabile & vt Quo, & vt Quod: incõmunicabile est suppositum vt Quo, quia suppositum nullo modo est Quo, sed est Quod per se subsistens, vt patet ex Notabili Primo: incommunicabile est est suppositum vt Quod; quia est Ens in se subsistens, non in alio existẽs; quod autem communicatur vt Quod, (sicut animal communicatur Socrati) debet esse non in se subsistens, sed in alio existens.

Natura duplicitèr est cõmunicabilis vt Quo & vt Quod supposito.

Omni Quo respondet suum Quod.

Suppositum est incõmunicabile vt Quo, & vt Quod.

Ex istis Suppositionibus, maximè ex Tertia & Secunda patet. Quòd cùm nulla repugnantia sit in terminis, naturã communicari pluribus suppositis; ita nulla erit impossibilitas hanc numero naturam Diuinam, communicari pluribus suppositis: atq; ita patet Minor huius Secundi Argum.

Probatur Tertiò Cõclusio. Omnis perfectio simpliciter, est cõmunicabilis pluribus suppositis; natura autẽ Diuina, & quicquid est in natura vt natura est, siue oĩs pfectio essentialis, est perfectio simpliciter: natura igitur Diuina est cõmunicabilis pluribus suppositis. Minor est certa; & constat, tũ ex dictis quæst. 2. huius dist., tum ex dicendis infra dist. 8. Maior aũt probatur ex descriptione Perfectionis simpliciter, tradita ab Ansel. in Monol. cap. 15. vbi dicitur: Perfectio simpliciter, est illa, quã in quolibet, meliùs est esse ipsam, quã nõ esse: id est, q̃ meliùs est inesse cuilibet supposito sub ente cõsiderato, q̃ nõ inesse. Dico, sub ente cõsiderato, quia absolutè nõ in quolibet supposito, meliùs est esse pfectionẽ simpliciter, q̃ nõ esse; sed debet intelligi, in quolibet supposito, absolutè cõsiderato, sub rõe Entis; vt bene exemplificatur à Doct. hìc, in pfectione sapiẽtiæ, q̃ non est meliùs inesse supposito lapidis, vt est suppositũ lapidis, meliùs tñ est supposito lapidis, non inquantum illud suppositum est naturæ lapidis, sed inquantum est suppositum sub ente conceptum: quod pluribus explicatur dist. 8. quæst. 1.

Ratio 3.

Perfectionis simpliciter descriptio.

Confir-

Confirm. 1. Confirmatur Primò ex opposito. Si natura Diuina esset ex se determinata ad vnum suppositum tantùm, illam naturam non esset meliùs esse in alio supposito, quàm non esse; atq; ita illa natura non esset perfectio simpliciter.

Confirm. 2. Confirmatur Secundò. Quia perfectio simpliciter secundùm se considerata, melior est cuilibet supposito absolutè accepto, quàm quodlibet sibi incompossibile, id est, meliùs est inesse pluribus suppositis, quàm non inesse: ergo natura Diuina si non inesset pluribus suppositis, non esset perfectio simpliciter.

Confirm. 3. Confirmatur Tertiò ex negatione perfectionis simpliciter à supposito. Quia iuxta inferiùs dicenda d. 23. ratio formalis suppositi in creaturis, probabile est quòd non dicit aliquid positiuum, sed duplicem negationem incommunicabilitatis, vt Quo & vt Quod importat, in Diuinis autem ratio formalis suppositi dicit relationem: sed neq; negatio, neq; relatio, dicit formaliter perfectionem simpliciter, vt ostenditur dist. 8. q. 1. numeratio igitur & distinctio suppositorum non dicit, nec includit numerationem vel distinctionem perfectionis simpliciter; nec per consequens distinctio Personarum in Diuinis, dicet aut includet distinctionē Essentiæ, quæ Essentia est perfectio simpliciter, atq; ita non repugnat perfectionem simpliciter vnam numero, stare in pluribus suppositis, non dicentibus perfectionem simpliciter.

Quarta. Probatur Quartò. Quòd aliqua essentia creata non potest esse simul in pluribus suppositis, hoc conuenit essentiæ creatæ, ex limitatione, finitate, & imperfectione eius: ergo Essentia infinita, & omnimodè perfecta, potest esse vna & eadem in pluribus suppositis. Anteced. Quia forma quæ fine sui extensione apta est plures partes materiæ extensæ informare, habet istam aptitudinem ex perfectione, vt patet de anima intellectiua: auferendo igitur per impossibile ab anima omnem imperfectionem, & ponendo infinitam perfectionem, ipsa esset non forma informans materiam, vel dans esse partiale composito, quia ista sunt intrinsecè imperfectionis; sed esset dans totale esse, identificata realiter supposito: ita est in proposito &c.

Considera huius exempli profundam in textu speculationem, & abstractionem.

ARTICVLVS SECVNDVS.

An inter Essentiam Diuinam, & Relationem Originis, sit aliqua distinctio præter opus intellectus.

Sed hîc restat vlterior difficultas. Non enim videtur intelligibile &c.

SVMMA TEXTVS.

Proprietas personalis relatio, distinguitur ab essentia, secundū rationem. Ratio 1. Conclusio. *Sine assertione & præiudicio sententiæ melioris, ratio relationis qua formaliter suppositum est incommunicabile, & ratio Essentiæ Diuinæ vt Essentia est, distinguuntur aliqua distinctione præcedente omnem actum intellectus creati vel increati. Probatur hæc assertio duabus rationibus in textu. Primò. Ante omnem considerationem intellectus est in Patre ratio communicabilis, nempe Essentia, & est ratio non communicabilis, nempe relatio; ergo ante omnem considerationem intellectus est ibi aliqua non identitas. Antecedens conceditur ab omnibus Theologis. Consequentia probatur. Impossibile est eidem præcisè in re, ante omnem considerationem intellectus, conuenire duo contradictoria; (vt docet primum principium Metaphysicum) ergo si ibi verificatur contradictio, communicabile scilicet & non communicabile, ibi ante considerationem intellectus, est aliqua distinctio.* Ratio 2. *Probatur Secundò. Pater cognoscendo proprium suppositum cognitione intuitiua, vel cognoscit in seipso duo obiecta formalia intuibilia; & habetur intentum quòd ibi sunt duæ rationes formales, distinctæ formaliter, licèt realiter sint idem: vel cognoscit vnum ibi præcisè obiectum formale, & ita intellectus Patris in suo supposito, non maiorem distinctionem videbit relationis ab Essentia, quàm Deitatis in abstracto: & Dei in concreto; atq; adeo non magis relationem incommunicabilem ibi videt quàm Deitatem, quia relationem ibi* Confirmatur *præcisè idem videt in re, quod Deitatem. Confirmatur. Quia vel relatio est ibi à parte rei, & absolutum à parte rei; relatio autem à parte rei non est absolutum à parte rei; quia idem à parte rei erit ad se & non ad se, absolutum & non absolutum, communicabile & non communicabile: vel Essentia est à parte rei, & relationem facit intellectus concipiens; & ita proprietas constitutiua Personæ in Diuinis, erit Ens rationis: quod est impossibile, quia & ipsum constitutum erit Ens rationis.*

COMMENTARIVM.

Veritas istius Conclusionis, vis rationum illius, & inualiditas responsionum quæ dantur à multis ad eas, patebit meliùs infra in Dubitatione de eadem materia proposita, dist. 24.

Interim Aduerte Primò. Quamuis Doctor in Conclusione dicat, sine assertione ab eo istud dici, nimirum quòd Essentia Diuina à relationibus distinguatur aliquomodo ex natura rei: istud tamen ob maximam animi eius demissionem dictum est ab eo, ne communi illius (quo vixit) sæculi Theologorum sententiæ in materia graui contraire videretur: re tamen vera Conclusio hæc, est omnino propria eius, & assertiua, quam postmodum graues non pauci amplexi sunt Theologi, vt dicitur infra. Scoti humilitas.

Aduerte Secundò. Mauricium Hyber. & nonnullos alios Scotistas, scriptores Formalitatum, ex præsuppositione illa Secundi Argumenti in textu Doctoris, de distinctione in modo concipiendi, & in obiecto cognito, deducere, quòd secundùm Doctorem Subt. distinctio ex natura rei, sit alia à distinctione formali. Sed id nullatenus deduci potest; imò oppositum: quòd sic ostendo. Vel distinctio ex natura rei est illa, quæ se tenet ex parte modi concipiēdi Grammaticè aut Logicè, vt dicitur in textu: vel secundò est illa, quæ se tenet ex parte obiecti cogniti: primum dici non potest, quia illæ distinctiones à modo cognoscendi cùm dependeant totaliter, sunt ab intellectu duæ distinctiones rationis, & non in re ex natura rei: nec secundum dici debet; quia istarum distinctionum (dicit Doctor) vna est maior, quando duobus actib. duo obiecta formalia cōcipiuntur, quibus conceptibus correspondent distinctę res, vt dum intelligo hominem & leonem, & sic certum est, talia non distingui distinctione ex natura rei, minori quàm sit formalis, sed verè realiter: altera distinctio in obiecto cognito, est minor reali, quando duobus actibus duo obiecta formalia concipiuntur, quibus actibus non correspondet nisi vna res extra; vt dum in simplici qualitate albedinis concipio rationem coloris, qualitatis, rationem disgregatiui; & neque ex hoc loco illa distinctio minor quàm formalis, elicitur; quia secundùm Formalistas, illa distinguuntur formaliter (prout distinctio formalis est distincta à quouis modo, in illo septenario distinctionum ab ipsis conficto) quæ habent distinctas formalitates, seu distinctas rationes formales: infero Minorem hìc à Doctore positam; sed coloratum & disgregatiuum dicunt rationes distinctas formales, seu distinctas formalitates; Conclusio hæc sequitur, quòd coloratum & disgregatiuum, distinguuntur formaliter, & non alia conficta distinctione. Ex hoc igitur loco, rectè colligendo, illud solùm elicitur (quod à nobis distin. 34. fusiùs ostenditur) de mente Subt. Doctoris, tria tantùm esse genera distinctionum. Vel enim concipiuntur ex modo concipiendi; & sic est distinctio rationis: vel ex obiecto, ita quòd obiecta sunt res diuersæ; & talis est distinctio realis: vel tertiò distinguuntur in vna re plures rationes formales; & hæc est distinctio formalis, quæ à Bassolio dist. 33. & ab alijs bonis Scotistis vocatur distinctio formalis ex natura rei, quæ videlicet est formalium rationum, non à ratione factarum (quia sic esset distinctio ex modo concipiendi,) sed in natura rei, in qua talis distinctio cognoscitur, fundatarum.

Distinctio ex natura rei, non est alia secundū Scotū, à distinctione formali.

Tria genera distinctionū, de mēte Scoti ponuntur tantùm.

ARTICVLVS TERTIVS.

Qualis sit illa distinctio præter opus intellectus, quæ ponitur inter Relationem, & Essentiam.

Secundò oportet videre qualis sit illa differentia quæ ponitur &c.

SVMMA TEXTVS.

Quatuor partes sunt istius Articuli. In Prima, natura huius distinctionis inuestigatur. In Secunda, de nomine, quo vocanda sit, differitur. In Tertia, exempla ad manifestandam distinctionem ponuntur. In Quarta, adducuntur quædam authoritates S. August. quæ directè concedunt distinctionem inter Essentiam Diuinam & Relationem.

COMMENTARIVM.

PRimæ partis discursus est hic. Distinctiones quædam sunt nobis notæ & euidentes, sicut distinctio realis essentiarum & suppositorum: similiter distinctio in intellectu, modorum concipiendi, & obiectorum formaliū. Istud tamen vltimum dictum, non ita accipias, quasi distinctio obiectorum formalium in re reali, sit distinctio merè rationis, talis enim sensus repugnat præced. Articuli; sed in hoc sēsu, quòd cognitio distincta, distinctorum obiectorum formalium, manifesta est in nostro intellectu; quia possumus cognoscere vnum obiectum formale in re simplici, vt in albedine colorem, non cognoscendo aliud, vt rationem disgregatiui: in ipsa tamen albedine ratio coloris, & ratio disgregatiui, distinguuntur formaliter ex natura rei ante cognitionem intellectus. Ex istis igitur manifestis distinctionibus, licet colligere immanifestam hanc in Diuinis: isto enim modo colligendi vel inferendi, distinctionem aliqualem Idæarum in mente Diuina infert August. lib. 83. qq. q. 46. ex euidenti distinctione obiectorum cognitorum; quæ Deus in sua Essentia eminenter continenda, distinctè per ipsammet Essentiam, tanquam per rationem formalem intelligendi, ab æterno cognouit.

Essentiæ Diuinæ distinctio à relatione, quomodo inuestigatur? Primò. Colligitur autem aliqualis in re distinctio Essentiæ Diuinæ à Relatione personali. Primò ex nota distinctione reali suppositorum; supposita enim distinguuntur realiter etiam in Diuinis. Cùm igitur hoc sit certum, & illud etiam certissimum, quòd Essentia ibi est simpliciter vna, & singularissima, ante considerationem cuiusuis intellectus, necessariò poni debet aliqua distinctio ibi, præcedēs omnem considerationem intellectus: quia vnam & eandem præcisè rationem formalem, seu entitatem formalem in re, esse vnam in re, & non vnam, sed tria realiter distincta in re, est impossibile, & includens manifestam contradictionē. Iste modus inferendi, fundatur in Prima ratione Doctoris, posita Articuli præced.

Secundo. Secundò, ex manifesta distinctione rationum formaliū cognitarum, cognoscitur aliqua distinctio in cognito: ita hic. Patet enim æternus cognoscit rationem formalem illius entitatis in se, quam Filio communicat; cognoscit etiā rationem formalem entitatis Filio nō communicatę, neq; enim communicat suam Paternitatem: istæ autem entitates sunt re ipsa in Persona Patris; ergo est re ipsa in Patris Persona, distinctio entitatum, seu rationum formaliū. Iste modus arguendi fundatur in Secunda ratione præcedentis Artic.

Dices. Si prior modus arguendi est bonus, concludit quòd relatio ab Essentia distinguitur realiter, vt ipsæ Personæ relatiuæ distinguuntur realiter: quod est impossibile. Probatur sequela. Quia supposita Diuina, per relationes reales, distinguūtur ab inuicem realiter, per Essentiam non distinguuntur realiter, atq; ita relationes ab Essentia erunt distinctæ realiter. Respondeo. Negando consequentiam. Ratio autem cur non ita relationes distinguuntur ab Essentia, sicut distinguuntur inter se, assignari potest duplex. Vna, ex parte Essentiæ: quæ cùm sit formaliter infinita, ob infinitatem suam, quicquid est in illa, apta est sibi identificare realiter; atq; ita & relationes cùm sint in Essentia formaliter infinita, idem erunt realiter infinitæ Essētiæ Dei: sed relationes secundùm se non sunt formaliter infinitæ, sed tantùm identicè, propter Essentiam infinitam; quare non poterit vna relatio personalis, alteram identificare sibi realiter. Altera causa posititua est, ex parte relationum: relationes enim inter se cùm sint oppositæ, vt Paternitas & Filiatio; & vnum eiusmodi oppositorum non potest identificare sibi aliud, sequitur quòd manebunt, oppositæ relationes ad inuicem distinctæ realiter: relationes verò comparatæ ad Essentiam, nullam habent oppositionem cum illa; propterea optimè identificantur illi realiter, licèt non formaliter.

Relationes diuinæ plus distiguūtur inter se, quā ab Essentia Dei.

Distinctio inter essentiam & Relationem, non actualis.

In Secunda parte Articuli. Dicitur Primò. Ista distinctio, quæ ponitur inter Essentiam & relationem, non est realis actualis, quasi res sint duæ reales, actu existentes, sicut concedimus ibi esse tres actu Personas, realiter distinctas, vel sicut in composito substantiali sunt actu duæ partiales substantiæ. Ratio est. Quia Persona Diuina est ita simplex, quòd illi repugnat quæcunq; compositio, etiam Metaphysica, nedum Physica, vt dist. 8. q. 1. declaratur.

Non potentialis. Dicitur Secundò. Quòd illa distinctio non sit realis potentialis, eo modo quo partes sunt in aliquo continuo realiter potentialiter. Ratio est. Quia infinitè actualissimo & perfectissimo enti, repugnat prorsus talis potentialitas.

Est aliquo modo distinctio rationis citerat. Dicitur Tertiò. Ista distinctio potest vocari rationis. Porrò distinctio rationis inter aliqua esse, potest dupliciter intelligi, vt dicit Doctor. Vno modo, vt distinctionem fingat intellectus, qui dicitur ratio; & talis distinctio rationis dicitur distinctio intellectus, & ante illius considerationem nulla est: in tali sensu non accipitur hoc dictum. Alio modo sumitur distincta ratio, pro ratione obiectiua siue obiicibili, apta concipi distincta & propria intellectione, sic in vna simplici Physicè albedine, considerabilis est ratio entis, ratio accidentis, ratio qualitatis, ratio coloris, ratio disgregatiui; hoc modo accipitur ratio ab Arist. in antepræ-dicamentis cap. de Vniuocis, cùm dicitur, *quorum nomen commune, & ratio obiectiua in obiecto cognoscibili, seu conceptus obiectiuus est idem*: & secundùm istum sensum dicitur à Doctore Subtili quòd distinctio Essentiæ & relationis, potest vocari distinctio rationis; quia nimirum hæ rationes obiectiuæ, Essentiæ & relationis, sūt rationes cognoscibiles distinctæ, vt etiam tenet Varro lib. 1. dist. 3. q. 2. cuius Doctor suppresso nomine hic meminit, vocans quendam Doctorem.

Pōt dici distinctio virtualis, vel eminentiæ. Dicitur Quartò. Quòd hæc distinctio possit dici virtualis, vel distinctio eminentiæ. Ratio est. Quia licèt vnica res, Persona Patris, nullam in se habet distinctionem vel compositionem rei & rei; virtualiter tamen & eminenter, ita se habent istæ realitates, ac si essent duæ res; ita enim modò Paternitas distinguit, & Essentia non distinguit Personam Patris, ab alijs Personis Diuinis, ac si esset in Patre relatio realiter distincta ab Essentia.

Pōt dici formalis. Dicitur Quintò. Hanc distinctionem posse dici formalem. Quod vt melius intelligatur, ex suo opposito, nempe ex identitate formali, illam Doctor definit dicens, *Formalem identitatem esse ibi, vbi illud quod dicitur esse formaliter idem, includit illud cui sic est idem, in ratione sua formali; & per consequens per se primo modo;* ac si diceres in proposita materia: Relatio esset idem formaliter quod Essentia, seu esset idem formaliter Essentiæ, si relatio includeret Essentiam in sua ratione formali, & per consequens, si diceretur Essentia de relatione per se primo modo. Cùm igitur ostēsum sit quæst. 5. artic. 4. essentialia vel ipsam Essentiam, non includi in ratione formali relationis, & dist. 1. q. 2. art. 1. declaratum est, relationes non includi in ratione formali Essentiæ; consequens manet, quod cùm non sit idem formaliter relatio Essentiæ, vel Essentia relationi, erit inter illa nō identitas, seu distinctio formalis.

Identitatis formalis declaratio sufficiēs. Descriptio identitatis formalis hic data, optimè notificatur per illud dictum Subt. Doctoris infra dist. 8. quæst. 5. *includere formaliter est, includere aliquid in ratione sua essentiali; ita quòd si definitio includentis assignaretur, inclusum esset definitio, vel pars definitionis*. Ex quibus verbis tametsi colligi posset, superius & differentiam constitutiuam, esse idem formaliter inferiori, vt animal vel rationale bonum;

cùm

cùm ista essentialiter, & in primo modo per se, conueniant homini; hæc tamen positio repugnare videtur dictis eiusdem Doctoris supra, dist. præsenti q. 1. & in 2. d. 17. Vbi docet superiora contenta in inferioribus, distingui ab illis formaliter.

Vt igitur hoc explicetur. Aduertendum est. Quòd idētitas formalis stat cum distinctione formali, non tamen respectu eiusdem simpliciter est identitas & distinctio, hoc enim concedere, est admittere contradictoria: sed sic intelligo. Identitas formalis duplex est. Vna adæquata, quando illud quod est alicui idem formaliter, nihil includit in sui ipsius conceptu, quod non includitur in conceptu illius, cui sic est idem formaliter; sic in conceptu hominis, quatenus homo est, nihil includitur, quod non includatur in cōceptu humanitatis, vt humanitas est; ac proinde homo & humanitas, erunt perfectè & adæquatè idem formaliter. Alia identitas formalis est inadequata, quando identificata formaliter sic se habent, quòd vnum est quidem de conceptu alterius, non tamen è contra, & conuenit aliquid vni, quod non conuenit alteri: sic superiora sunt de formali & quidditatiuo conceptu inferioris, vt substantia vel animal, est de quidditatiuo conceptu hominis, sed non è contra; & conuenit aliquid animali, vt esse communicabile speciebus, esse partem constituentem hominis, quæ non conueniunt homini. Illa igitur quæ sunt idem formaliter identitate formali adequata & perfecta, non compatiuntur adinuicem vllam distinctionem formalem, quia hoc repugnat. Illa autem quæ sunt idem identitate formali inadæquata, sunt etiam distincta formaliter. Cùm enim inferius in suo conceptu formali includat aliquam rationē formalem, quæ non includitur in superiori vt sic accepto (vt homo includit rationale, quod non includit animal vt sic) ratione illius gradus, ratione cuius non idētificatur inferius adæquatè superiori, inferius distinguitur formaliter à superiori: similiter superius includit aliquam rōnem quā non includit inferius (vt animal prout est in homine, includit in sui ratione, quòd sit pars constitutiua hominis, non sic homo) sequitur quòd ratione illius gradus, qui affirmatur de superiori, & negatur de inferiori, superius nō erit idem formaliter inferiori. Verum igitur est, secundùm Doctorem supra, quòd superiora, quæ in primo modo dicendi per se, conueniunt inferiori, sunt idem formaliter inadæquatè inferiori: nec huic contradicitur, quando in 2. dist. 17. asseritur, superiora in inferioribus vnitiuè contineri, & distingui formaliter; quia identitas formalis nō adequata, compatitur distinctionem identificatorum propter illam rationem, propter quam non est adæquatè idē; vt dictum est.

...inus explicandi modo Identitatē formalē, & distinctionem.

...ētitas formalis adæquata & inadæqua...

Simili modo dicendū est de distinctione formali. Quòd alia sit distinctio formalis simpliciter, quæ non compatitur secum vllam identitatem formalem; quando nimirum nec hoc de illo, nec illud de isto, dicitur in primo modo per se, sic nec subiectum de passione, nec passio de subiecto dicitur per se primo modo. Alia distinctio formalis est secūdùm quid; quia scilicet dicitur in primo modo secundùm vnam rationem, vt animal de homine, quatenus homo est viuens & sentiens; secundùm aliam verò rationem, vt quatenus animal est pars constitutiua hominis; vel vt est communicabile speciebus, secundū has inquam rationes non dicitur animal de homine, in primo modo per se. Prior distinctio formalis est vera distinctio formalis, opponiturque identitati formali adæquatæ: secunda distinctio conuenit cum identitate formali inadæquata, nō tamen ea parte qua idem est, sed qua diuersum: vt patet ex dictis.

...istinctio formalis simpliciter, secundū quid.

Aliter hæc definitio idētitatis formalis notificari potest, per dictum Doctoris in 1. Repor. dist. 3. q. 2. Esse aliquid idem formaliter alteri contingit dupliciter: vel tantū terminatiuè, vel formaliter, identitate formali sibi formaliter inexistenti. Inferius igitur est idem formaliter superiori, tantùm terminatiuè: at superius est idem inferiori, identitate formali, sibi formaliter competenti. Dum igitur Doctor Subt. in præsenti describens formalem idētitatem dicit, *voco identitatem formalem, vbi illud* (intellige inferius) *quod dicitur sic idem* (scilicet formaliter) *includit illud* (hoc est superius) *cui est sic idem* (nimirum identitate formali) *in ratione sua formali, per se primo modo*. Illa verba huius descriptionis, *quod dicitur sic idē*, sic sunt intelligēda: quòd inferius est idem formaliter tantùm terminatiuè suo superiori: superius verò quod est quidditatiuū prædicatū inferioris est idē īferiori, formaliter, propria & vera formalitate īferiori cōpetente. Malè igitur ex hac definitione colligunt quidam Scotistæ, vt Vallo & Sirectus, quibus fauet Lychetus, quòd inferius est idem formaliter suo superiori, vt homo animali, & quælibet species suo generi. Id inquam malè colligunt. Tum quia inferius accidit suo superiori; illud autem quod accidit alicui, extraneatur à ratione formali illius; ac proinde inferius non erit idem formaliter suo superiori. Tum quia, secundùm Doctorem in 4. dist. 12. q. 1. & 7. Met. q. 1. esse idem formaliter alicui, formalitate sibi inexistēti, est esse de essentia eius; atqui inferius non est de essentia superioris; neque enim homo est de essentia animalis, cùm & concipi & definiri possit animal sine homine; bene autem superius est de essentia inferioris, vt animal est de quidditate hominis, sine quo nec concipi nec definiri potest, quare, &c.

...cūdus modus explicādi formalē identitatē.

Inferius nō est idem formaliter suo superiori.

Tertio modo dici potest. Quòd B. sit idem formaliter ipsi D. propterea quòd in suo conceptu obiectiuo B. includit formaliter conceptum obiectiuum D. & ita in primo modo dicendi per se includitur D. in B. consequenter, ita vt primum (nimirū includi in ratione obiectiua alterius) sit intrinsecum, & per se primò conueniens identitati formali, quòd autem dicatur de illo per se primo modo, hoc illi consequenter conueniet, & inconuertibiliter. Nam licèt omne illud, quod includitur in ratione formali obiectiua alterius, sit idem formaliter illi in quo includitur, & dicatur per se primo modo de includente, non tamen omne quod dicitur de aliquo per se primo modo, est idem formaliter illi de quo dicitur, vt patet de definitione & definito, ex supra dictis quæst. 1. & ex modò recitatis, de superiori respectu inferioris.

Tertius modus explicandi identitatem formalem.

Secundùm Primum explicandi modum identitatem & distinctionem formalem, definitio est definito idem formaliter idētitate inadæquata; quia rō partiū constituentiū (& similium iuxta supra dicta) conuenit à parte rei definitioni, non definito: ac proinde compatitur secū talis identitas distinctionem formalem, respectu diuersorum. Iuxta Secundum modum, definitum est idem formaliter tāntùm terminatiuè suo generi, vt homo animali; sed animal erit homini idem, formalitate vera, formaliter sibi inexistenti, inadæquata tamen: definitum autem suæ differentiæ, vt homo rationali, erit quidem idem identicè realiter, non tamen erit identitas formalis vtrinque adæquata: vt patet; quia plures continet conceptus formales obiectiuos definitum, quàm differentia; & differentiæ aliqua prædicata conueniunt, vt esse partem, esse constitutiuum, &c. quæ non conueniunt definito. In tertio item modo, distinguitur definitum à definitione formaliter, & è contra: vt dictum est supra, q. 1. art. 1.

Definitio à definito quō distinguitur vel identificatur.

Hæc ideo hìc adnotare voluimus, quia communiter à Formalitatum Scriptoribus malè in hoc passu Doctor intelligitur, & apparentes in litera eius contradictiones, nullatenus secundùm dicta eorum resoluuntur.

Dicitur 6. Meliùs dicitur, quòd relatio in Deo non est idem formaliter Essentiæ Diuinæ, quàm quòd sit distincta formaliter ab Essentia. Ratio est. Quia primum negat hoc esse de ratione formali illius, quod verum est: secundus autem modus dicendi, quando affirmat esse distinctas rōnes formales, licèt sit verus in se, quia tamen quoad nostrum modum intelligendi, quandam quasi compositionem rationum formalium videtur inferre, quam non infert non identitas, propterea meliùs est quoad nostrum modū intelligendi dicere. Relatio non est idem formaliter Essentiæ, quàm quod est distincta formaliter ab Essentia.

Nō idētitas formalis meliùs admittitur īter Relationem & Essentiam Dei, quā distinctio formalis.

Obijcies. Relatio non est idem formaliter Essentiæ; ergo est distincta formaliter ab illa: igitur ex non identitate formali, bene infertur distinctio formalis. Respondet Doctor. Negando consequentiam: *quia in Antecedente, dum dico, non est idem formaliter, nego formalitatem: cum autem dico; ergo distinguitur formaliter, concedo formalitatem.* Vult

dicere, quemadmodum aliud eſt dictū, relatio formaliter non eſt finita, & aliud, relatio formaliter eſt infinita; quia primum negat relationi conuenire formaliter finitatem, ſecūdum autem concedit relationi formaliter conuenire infinitatem tanquam modum intrinſecum: ita aliud eſt dicere, relatio non eſt formaliter Eſſentia, &, relatio eſt diſtincta formaliter ab Eſſentia, ſeu eſt diſtincta formalitas ab Eſſentia; quia primum negat eſſe eandem formalitatē eſſentiæ & relationis, nec tamen ponit poſitiuè diſtinctas formalitates: ſicut ſecundus modus dicendi ponit formalitates poſitiuè diſtinctas.

Diſtinctio formalis negatiua malè ex hoc loco deducitur à quibuſdā Scotiſtis.

Hic tamen Aduerte Primò. Malè à pleriſque Scotiſtis hinc colligi, diſtinctionem formalem poſitiuam & negatiuam. Poſitiuam dicunt eſſe, inter duas formalitates, ſicut eſt inter intellectum & voluntatem, inter ſubiectum & propriam paſſionem: Negatiuam autem, ſecundùm illos, diſtinctio formalis eſt, quando vnum extremum dicit formalitatem veram, & aliud tantùm gradum intrinſecum illius formalitatis; talis diſtinctio eſt inter ſubiectum, & modum illius intrinſecum, puta, inter hominem & eius finitatem, inter Deum & eius infinitatem: dicuntur autem modi negatiuè diſtingui; quia non ſunt idem formaliter cum illo cuius ſunt modi, nec includuntur quidditatiuè in conceptu illius.

Iſtud tamen dictum illorum dupliciter deficit. Primò. Quia diſtinctio formalis, quòd alia ſit negatiua alia poſitiua, nullo modo ex hoc loco colligi poteſt. Ratio eſt. Tum quia non identitas formalis, quamuis non dicat in ſuo cōceptu formali, duas formalitates poſitiuas, quas dicit diſtinctio; non tamen ex hoc ſequitur, quòd non identitas, non ſit inter duas veras formalitates: nam relatio & Eſſentia Diuina, de quibus realitatibus in præſenti eſt ſermo, ſunt verè duæ formalitates poſitiuæ, etiam ſecundū Formaliſtas; & tamen Doctor dicit hìc, meliùs inter iſtas formalitates poſitiuas ponere non identitatem formalem, q̄ diſtinctionem: igitur non identitas formalis, cuius hìc eſt mentio, non eſt præcisè idem, quod apud ipſos diſtinctio formalis negatiua. Tum quia hoc ſolùm dicitur à Doctore propterea, quòd diſtinctio in aliquo vno, videtur aliquo modo importare compoſitionem; quia eo ipſo quòd ponitur pluralitas rōnū intelligibiliū in vno ente reali, videtur multis, qđ talis pluralitas in vno exiſtens, facit aliquā ſaltem rationis compoſitionem: non ſic non identitas, q̄a iſta negat hoc eſſe idem illi formaliter, licèt ſit diſtincta formalitas: ac proinde cùm ex vi vocis, non identitas, non ita apertè inferat pluralitatem rationū, meliùs poteſt admitti in Diuinis, quàm diſtinctio. Tum quia diſtinctio à pleriſque accipitur immediatè, vel pro præciſa diſtinctione rōnis, vel pro vera diſtinctione reali rerum: non item non identitas, quæ poteſt etiam in rationibus formalibus obiectiuis vnius rei, realis reperiri, & ita meliùs debet dici non identitas, quàm diſtinctio.

Cur meliꝰ eſt vti non identitate, q̄ diſtinctione in Deo.

Secundò deficit hoc dictum illorum in exemplo, Quia d.8.q.3. oſtēditur ſufficienter, modos eſſe veras formalitates poſitiuas; atque adeò inter ſubiectum & modum intrinſecum eſſe veram poſitiuam diſtinctionem formalem.

Alius modꝰ explicandi dicti præcedentis. Formalitas ſumitur variè.

Aduerte Secundò. Formalitatem aliquando ſumi pro quidditatiua ratione, vt animal & rationale in homine, ſunt duę formalitates, ſiue rationes quidditatiuæ, dictæ in Quid de homine: aliquando pro ratione non quidditatiua, ſic finitas eſt formalitas (vt oſtenditur infra diſt.8, q.3.) ab intrinſeco homini conueniens, non tamen quidditatiuè. Quando igitur dicitur hìc à Doctore, ex non identitate formali, non inferri diſtinctionem formalem: præter dicta ſic intelligi poteſt. Nō identitas formalis, conuenit formalitatibus, & quidditatiuis & non quidditatiuis: diſtinctio autem formalis, ſolùm conuenit formalitatibus priori modo acceptis. Quare non valet ex hoc Antecedente. Sūt non idem formaliter, iſta cōſequentia, Ergò ſunt diſtincta formaliter; quia eſt argumentatio, à poſitione conſequentis, vel magis communis, ad poſitionem antecedentis, ſeu minus communis. Vterque modus explicādi bonus eſt, prior tamen videtur eſſe magis conſonus propoſito Doctoris.

Aduerte Tertiò. Licèt hìc à Doctore dicatur, Meliùs eſſe vti hac negatiua in Diuinis; hoc non eſt idem formaliter illi, quàm hoc eſt ab illo formaliter diſtinctum, ob cauſas immediatè dictas; ipſe tamen Doctor Subt. in antecedenti textu & ſubſequenti, vtitur hoc nomine diſtinctio formalis ex natura rei: accipiendo in vero ſenſu determinato, prout illa diſtinguuntur formaliter ex natura rei, quorum vnum non includitur in formali conceptu alterius, nec conſequenter ineſt illi, vt prædicatum primi modi per ſe: & ſecludendo omnem imperfectionem compoſitionis, vel quaſi compoſitionis, inter ſic diſtincta, quia poteſt eſſe vnio diſtinctorum abſque vlla compoſitione, vt videre licet infra diſt.34. dubit.1.

Nō idē formali... eodē ſ... ſumitur Scoto q... diſtinctio formali...

Hoc immediatè dictum, eſt contra Zumel 1. par. q.28. art.2. diſp.2. vbi docet, quòd Scotus concedit non identitatem ex natura rei, inter Eſſentiam Diuinam & relationem, non autem concedit diſtinctionem. Oppoſitum huius patet ex dictis, etiam diſtinctionem à Doctore concedi in recto ſenſu.

Aduerte Quartò. Multas in hoc Articulo & pręcedenti ſuboriri difficultates tum de illis terminis, realitas, entitas, formalitas, quorum mentio facta eſt, & fit in ſubſequentibus; tum circa hanc ipſam diſtinctionem, ſiue ex natura rei, ſiue formalem; cuius diſtinctionis natura & ratio, quia non intelligitur tum à Thomiſtis, tum à Neotericis, multa fruſtra ab eiſdem Doctori attribuuntur. Quare opportunè hoc loco pertractare deberemus; ſed ne nimia prolixitas faſtidium lectori adferat, opportuniùs hæc omnia examinantur diſt.34. Vbi Doctoris breuitatem noſtra nō ſuperflua ibidem prolixitate ſuppleuimus. Quare hæc omnia vide ibi fuſiùs.

Tertia & Quarta pars Articuli habet euidentiam in litera Doctoris.

Illud obiter Notandum eſt, his authoritatibus reſponderi à Caietano 1. part. q.39. art.1. Quòd Auguſt. & Doctores alij de Eſſentia & Relatione, vt de diſtinctis formaliter loquuntur. Iſte autem modus loquendi, ex parte rei fundatur ſuper hoc, quia ſunt formaliter diſtincta virtualiter, quamuis non actualiter; ex parte autem noſtri, quia ratione obiectiua, apud nos diſtinguūtur actualiter; ſed hoc nihil in Deo ponit, niſi relatiuam denominationē Entis rationis.

Caiet. ponit di... ctioni... omne... intelle... inter E... tiā & R... tione D...

Iſta reſponſio Caietani, ſupponit quòd ante actum intelligendi noſtrum, eſt ibi ex parte rei formalis diſtinctio virtualis, & hoc ſufficit nobis, quòd ibi eſt, aliqua diſtinctio minima ex parte rei. Cū poſtea dicit. Eſt virtualis nō actualis. Dico verum eſt, quod eſt tantùm virtualis & non actualis realis, ſed eſt virtualis realis illo modo, quo virtuale accipitur in litera Scoti: & ex ea deſumit Caietanus, non quòd Relatio & Eſſentia non ſint actualiter & realiter in Perſona Diuina, ſed quòd diſtinctio inter illa, ſit virtualis realis; quia nimirum ita ibi ſunt, & rationes ſuas formales retinent, ac ſi eſſent diſtincta realiter. Ratio tamen obiectiua Eſſentiæ communicabilis in Perſona, & ratio obiectiua relationis incommunicabilis, ſunt actu rationes diſtinctæ à parte rei priuſquam intelligantur: ergo eſt inter illa diſtinctio actualis rationum intelligibilium, ante intellectionem; & ita eſt actualis diſtinctio formalis à parte rei; completiuè tamen & quoad ſeiunctionem quaſi realem, per intellectum, eſt illa diſtinctio actualis realis per intellectum; vt dicitur diſtin.34. dubit.1. in explicātione Difficultatis Quintæ.

ARGVMENTA IN PRINCIPIO
huius Quæſtionis propoſita, reſoluuntur.

Ad Primum Argumentum principale Dico: quòd Maior ſic eſt intelligenda, &c.

SVMMA TEXTVS.

Argumenta in principio Quæſtionis propoſita, ſunt quatuor, quæ probabant non poſſe ſtare cum vnitate Eſſentiæ Perſonarum Trinitatem. Ea hìc reſoluuntur. Poſt ſolutionem tamen Primæ rationis, longam facit Doctor digreſſionem de ſophiſmatibus, quæ in hac materia ab aliquo infideli Arriano obyci

obijci possent, & subtilissimas eorundem solutiones adhibet, quibus bene cognitis, omnia sophismata, quæ contra hanc veritatem Catholicam adferri possent, sufficienter resoluuntur.

Textus ob rerum profunditatem & subtilitatem, non omnino est peruius.

COMMENTARIVM.

mandocũ ie aliqua ro sũt idẽ i tertio, nt idẽ in- r se: qũo Diuinis verum.

IN responsione ad Primum. Nota Primò. Singularem responsionem ad illud dictum Philosophicum, Quādo aliqua duo sunt eadem vni tertiò, sunt eadem inter se; ergo, si relationes originis in Deo, sunt idem realiter Essentiæ Diuinæ, erunt idem realiter inter se. Respondet Doctor, præmittens quoddam Notabile, nempe, vt prædicta Philosophi propositio sit vera, debet habere has duas conditiones; Primam, vt illa & non alia identitas extremorũ inter se inferatur ex identitate cum medio, quam habebāt cum medio; quia si alia inferatur, iam non infertur ex vi identitatis cum medio. Secunda conditio est, vt illud medium sit idem in se, vniuocum dicens conceptum; si enim non eodem modo accipitur illud medium, coniungi cum hoc & illo extremo, erit Syllogismus Sophisticus in quatuor terminis (Exemplum. Homo est species; Socrates est homo; ergo Socrates est species. Hìc medius terminus, homo, aliter accipitur in Maiori, in suppositione nempe simplici abstracta, cui vt sic sumpto homini, conuenit rō speciei; aliter in Minori, quia in suppositione personali, cui vt sic non competit species.) His duabus conditionibus modificata illa regula Syllogistica est vera, aliàs ex defectu cuiuscunque non concludet. Nunc igitur illa Maior sic accipiatur. Quæcunque vni & eidem simpliciter, sunt eadem, illa erunt tali identitate eadem inter se, quali identitate sunt eadem tertio. Concedo. Sed cùm infertur Minor. Relationes sunt idem identitate formali Essentiæ Diuinæ. Patet ex dictis, quòd sit falsa. Quare Conclusio non potest inferri, quòd relationes sunt idem formaliter inter se. Dices. Sub illa Maiore, subsumatur ista Minor. Sed relationes sunt idem identitate reali Essentiæ Diuinæ: sequitur hæc Conclusio; Ergo relationes inter se sunt idem realiter.

Identitas realis vel essentia vel personalis.

Respondeo. Non quęcunque est ibi realis identitas relationum cum Essentia, sed est realis essentialis; propterea & Conclusio hæc, Ergo relationes sunt idem essentialiter inter se, vera est; quia relationes non sunt in distinctis essentijs: sed si inferas: Ergo relationes sunt idem suppositaliter inter se, Conclusio est nulla; quia talis Conclusio sequeretur ex hac Minori, Relationes sunt idẽ realiter identitate suppositali, seu identitate personalis subsistentiæ cũ Essentia Diuina. Quæ Minor est falsa; quia Essentiæ vnitas, & identitas, non est identitas personis incommunicabilis, sed est identitas realis essentialis; quare etiam identitas essentialis relationum debet inferri, non autem personalis inter se. Quare autem non tanta est relationum identitas inter se, quanta est cum essentia, vide dicta art. 3. parte priori.

Suarez ma intelligit Scotũ.

Ex hac responsione, clarè colligitur, quòd in resolutione huius propositionis, non fideliter citetur Doctor à Zoario lib. 4. de Trinit. cap. 3. dum dicit Scotum respondere sic. Quæ ita sunt vni tertio eadem, vt ab illo nec realiter nec formaliter distinguantur, etiam ita esse inter se: quæ verò ita identificantur vni tertio, vt ab eo ex natura rei, modaliter vel formaliter distinguantur, posse distingui realiter inter se. Personas autem Diuinas comparari ad Essentiam posteriori modo, non priori. Hæc Zoar. Ex dictis autem hìc à Doctore constat. Quòd licèt relationes non sint idẽ formaliter inter se, quia non sunt etiam idem formaliter cum Essentia: non identitatis tamen realis Personarum ad inuicem alia causa redditur, quàm distinctio formalis, nimirum quòd illa debet inferri identitas in Conclusione, quæ fuit in præmissis, illa autem fuit identitas essentialis, non personalis; ergo, &c.

Mayronius videtur Scoto contradicere.

Nota Secundò. Mayronij doctrinam in 1. dist. 2. q. 14. circa præsentem propositionem, quòd illa sumi potest dupliciter. Vno modo simpliciter, non determinando modũ, quòd illo modo debēt identificari inter se aliqua duo, quo sunt idem in tertio; & sic est vera & necessaria enunciatio Philosophi. Secundò sumitur cũ modo, ita quòd illa identitate sunt inter se eadem aliqua duo, qua sunt idem in tertio, vt sumendam docuit Subt. Doctor præcedenti Notabili; & in hoc sensu falsam esse docet propositionem Mayronius: datque instantiam primò de genere & differentia, quæ sunt idem identitate quidditatiua primo modo dicendi per se ipsi speciei; & tamen isto modo nõ sunt idem inter se; quia neque genus de differentia, neque differentia de genere, dicitur in primo modo per se: vt docēt Logici. Idem patet in differentijs subalternis: rationale siquidem & sensibile, conueniunt speciei in primo modo per se, non autem habent talem idẽtitatem inter se; Deinde ratio mobilis, inest cælo in secundo modo dicendi per se; mutabile etiam quoad locum, inest eidem in secundo modo dicendi per se; & tamen ista inter se, mobile est mutabile, identificantur identitate quidditatiua, in primo modo dicendi per se, qualem non habent in tertio, nempe in cælo. Multò id clariùs apparet in accidentibus: parieti enim albo, conuenit album esse, & coloratum esse: nec tamen valet, quòd album & coloratum, sunt tali identitate inter se idem, quali identitate sunt idem tertio, nempe parieti, quia parieti per accidens conuenit, vt album esse, ita & coloratum esse, album tamen esse coloratum sunt inter se idem, identitate essentiali & quidditatiua, ita quòd in primo modo dicendi per se, coloratum prædicatur de albo.

Mayronius illustrat hãc responsionẽ Scoti & cũ illo concordat.

Ista doctrina Mayronij, quamuis videatur contradicere positioni Doctoris Subtilis, qui vult quòd illo modo inter se aliqua duo sunt idem, quo modo sunt idem in tertio, quod videtur negare Mayronius: volenti tamen concordare discipulum cum Magistro, facilis via est, si dicatur, quòd loquitur Doctor inprimis de identitate simpliciter duorum in tertio, non autem de identitate per accidens, sicut exemplificat, Mayronius de albo & colorato in pariete. Deinde loquitur de identitate reali, vel essentiali vel personali, non autem de modo prædicandi, an eodem modo superiora prædicentur de seipsis, quomodo de suo inferiori, quod constituunt: Nec est sermo, an eodem modo passiones de seipsis dicantur, sicut dicuntur de subiecto; quia vna passio respectu alterius, potest esse genus, & prædicari in Quid de illa, vt mutabile de mobili; respectu autem subiecti dictæ proprietates in secundo modo per se dicuntur.

Nota.

Sed difficultas tota est, Vtrum eandem identitatem inter se debent habere aliqua, quam habent in tertio, cui sunt simpliciter eadem. Et concedo, quòd eandem: nec vlla contra hoc instantia adferri potest. Hoc tamen superaddendum est. Quòd licèt aliqua habent illam identitatē, qua sunt idem in tertio; possunt tamen habere inter se non identitatem, quæ illis conuenit, non à tertio cui sunt idẽ, sed ex se: sic quamuis Relationes Diuinæ, idem sunt identitate essentiali, sunt tamen distinctæ distinctione suppositali reali, quæ distinctio non ratione tertij, nempe Essentiæ conuenit, sed ex ipsis præcisè rationibus relationum oppositarum.

Rõnes quę ex idẽtitate relationũ cũ Esẽtia, inferũt idẽtitatẽ Relationũ inter se, sunt oẽs Sophisticę. Primo commutatur ibi Quale qd, in Hoc aliquid.

Nota Tertiò. Omnes illæ ratiunculæ, quæ ex identitate relationum Diuinarum cum Essentia, inferunt identitatē suppositorum, sunt Sophisticæ: vt si dicas, Hic Deus est Pater; hic Deus est Filius; ergo Filius est Pater. Vel, Deitas est Pater; Filius est Deitas; ergo Filius est Pater.

Istæ & cõsimiles argutiæ Sophisticæ multipliciter peccāt. Primò. Quia arguitur à Quale quid, ad Hoc aliquid: commutando Quale quid in Hoc aliquid.

Fallacia figuræ dictionis.

Quale quid dicitur, aliquis terminus communis vel communicabilis; Hoc aliquid, est terminus singularis, dicens determinatum singulare incommunicabile: commutatur igitur tũc Quale quid, seu commune, in Hoc aliquid seu in incommunicabile; quando ex vi vnionis & identitatis alicuius incommunicabilis, cum communi vel communicabili, infertur vnio & identitas illorum incommunicabilium. Exemplum. Homo est terminus communis, & Quale quid, Andreas est suppositum incommunicabile, & Hoc aliquid, similiter Iacobus. Ex hoc igitur quia Andreas & Iacobus communicant in homine, inferre identitatem Andreę & Iacobi inter se, dicendo, Homo

est

est Andreas; sed Iacobus est homo; ergo Iacobus est Andreas: est sophisma à commutatione Qualis cuius, in Hoc aliquid. Cùm igitur Essentia Diuina sit Quale quid; quia est communis, communitate non vniuersalitatis, cùm sit natura singularissima, sed communitate communicabilitatis, quia est communicabilis tribus suppositis; relationes autem Originis sunt incommunicabiles, inferre identitatem relationum inter se, vel Personarum relatarum inter se ex identitate in Essentia, est commutare Quale quid in Hoc aliquid, quæ fallacia est figuræ dictionis.

Secūdò est fallacia accidentis.

Secundò. Peccant secundùm fallaciam accidentis. Concludit enim identitatem extremorum in Conclusione, puta Patris & Filij, cùm tamen extraneetur Filius Patri in præmissis. Quādo enim dicis, Hic Deus est Pater: & subsumis, Filius est hic Deus, Ly hic Deus, in Minori, vel sumitur in suppositione essentiali, quòd sit vnus Deus cum Patre, & verum est; sed vt dixi consequentia non valet; quia ex suppositione simplici, siue essentiali, inferre identitatem personalem, est fallacia figuræ dictionis, commutando Quale quid, in Hoc aliquid: vel sumitur secundo in suppositione personali, quòd Filius sit hic Deus Pater; & sic istud subiectū Minoris, Filius, extraneatur ab hoc prædicato, hic Deus Pater, & absolutè ista propositio, Filius est hic Deus Pater, est falsa: inferre igitur Conclusionem hanc; Ergo Filius est Pater, est fallacia accidentis, inferendo identitatem personalem siue suppositiuam Patris & Filij in Conclusione, à qua extraneabatur Filius, in altera præmissarum.

Tertiò Consequentis.

Tertiò. Peccant secundùm Consequentiam, à positione Consequentis ad positionem Antecedentis. Sicut enim non valet, Est animal, Ergo homo; nec valet, Est homo; ergo Christophorus. Et vniuersaliter, ab omni communi, arguendo ad minus commune affirmatiuè, est fallacia consequentis: ita in Diuinis, Deitas est terminus communis, communitate communicabilitatis, non vniuersalitatis, vt dixi. Argumentari igitur ab hac Deitate, vel hoc Deo, affirmatiuè, ad vnum suppositum incommunicabile, est fallacia consequentis.

Expositorius syllogismus quomodo valet.

Quartò. Dicunt aliqui & conformiter doctrinę Arist. in 2. Priorum, Quòd Syllogismus Expositorius habens medium singulare, non cōcludit nisi sit reducibilis ad tertiam figuram, per Maiorem vniuersalem, sic, Omne quod est Deus, est Pater. Sed ista propositio est falsa, vt patet, quare Expositorius in ista materia nihil valet. Vide alios dicendi modos de hac re apud Mayranium in 1. distinct. 2. quæstio. 14.

Cōtradictoria quō veri ficantur?

Nota Quartò. Illorum verborum textus, *quodsi adhuc confirmetur illa Maior argumenti principalis* hunc esse sensum. Si illa propositio, Quæcunq; vni & eidem &c. non habet in Diuinis locum; tunc erit de eodem affirmatio & negatio vera, puta communicabilitas de Essentia, & non communicabilitas de eadem Essentia, vt est Relatio. Respondet Doctor. De eodem, secundùm eandem rationem formalem, verificari duo contradictoria realia, est impossibile; sed de eodem realiter, habente in se rationes formales distinctas, verificari à parte rei contradictoria, à ratione diuersarum formalitatum, vt in præsenti accidit, nullum est inconueniens.

Obiectio.

Obijcies. Videtur quòd sit distinctio realis, inter Essentiam & Relationem. Quia affirmatio differt ab affirmatione, cuius vnius affirmationis, seu rationis positiuæ negatio, dicitur de alia affirmatione, vel stat cum alia affirmatione. Sensus propositionis est. Quando aliquæ rationes positiuæ ita se habent, quòd vna ratio non stat cum alia, in aliquo tertio, tunc illæ rationes inter se vnitæ in aliquo, non erunt idem, & affirmatio vnius seu ratio positiua vnius, differet à ratione positiua, seu ab affirmatione alterius: sed istæ rationes positiuæ duæ, Essentia & Paternitas, ita se habent, quòd vna ratio, nempe Paternitas, non stat cum alia ratione, nempe cum Deitate in Filio; igitur Paternitas & Essentia, vt vnitæ in Patre, non erunt idem realiter.

Solutio.

Rn̄det Doctor. Vel illa Maior, Affirmatio differt ab affirmatione &c. intelligit de differētia, seu distinctione reali; & sic sumpta, est falsa, esto quòd in aliquibus, gratia materia teneat, in illis quæ distinguuntur realiter, albedo enim in quantitate separata, negat materiam cui inhæreat, dum etiam vnitur materię, affirmatio albedinis ab affirmatione materiæ, distinguitur realiter: vel intelligitur de distinctione formali, & sic conceditur totum argumentum, loquēdo de nō identitate formali adæquata, qualis est inter magis & minùs commune, aut inter communicabile & non communicabile: vide dicta superiùs.

Reduplicatio dupliciter sum[itur].

Nota Quintò, cum Doctore hic, & in plerisq; locis infra, ac in Metaphysica. Notā reduplicationis, vt, inquantum, quatenus, dupliciter accipi; & consequenter duplicem posse reddere sensum propositionis. Primò potest solùm denotare, illud quod tale signum reduplicationis sequitur, accipi secundùm suam rationem formalem. Secūdò vltra hoc, potest denotare rationem formalem inhærentiæ prædicati ad subiectum; & isto modo secundo sumitur proprijssimè reduplicatio. Exemplum Primi. Paries quatenus habet colorem, albus est; non enim ratione quātitatis vel substantiæ, dicitur albus paries, sed ratione coloris sibi inhærentis. Exemplum Secundi. Homo quatenus rationalis, est risibilis: hic ly quatenus, denotat quòd immediatè sequens ratio, nimirum rationale, est causa formalis inhærentiæ prædicati ad subiectum, siue risibilis homini. Dialectici dicunt primo modo propositionem enunciari specificatiuè, secundo reduplicatiuè.

Paterni[tas] quatenu[s Pa]ternitas est idem [Es]sentiæ, [aut] diuersu[m].

Si igitur, (loquendo de Diuinis) tali vtaris reduplicatione in præsenti negotio, Pater à Filio distinguitur Paternitate, non Essentia. Tunc quæro. Paternitas inquantum Paternitas, aut est idem Essentiæ, aut aliud ab Essentia? Si idem; ergo Paternitas inquantum distinguit, est idē quod Essentia; & sic Essentia distinguit Patrem à Filio: quod est inconueniens: Si aliud; hoc etiam est inconueniens, quia illud aliud non esset Deus, cùm per te sit aliud à Deitate. Respondeo. Vel sumitur reduplicatio in hac argumentatione secundo modo, nempe reduplicatiuè & propriè; & sic Paternitas quatenus Paternitas, nec est idem Essentiæ, nec non idem; quia contradictoria cum reduplicatione rationis formalis, non sunt contradictoria, & habent medium, vt dictum est supra dist. 1. q. 2. in solutione tertij argumenti principalis. Et ratio est. Quia Paternitas non conuenit per se primo modo Essentiæ, vt dictum est supra, hoc autem vult ista reduplicatiua, Paternitas quatenus Paternitas est idem Essentiæ; nec Paternitati conuenit negatio Essentiæ in primo modo per se, quod per aliam reduplicatiuam infertur de prædicato negato; quia si sic, tunc impossibile esset Paternitatem identificari realiter Deitati. Vel vltra sumitur reduplicatio specificatiuè, & tunc Paternitas, quocunq; modo secundùm suam rationem formalem accipitur, est verè idem Essentiæ, identitate vera & proprijssima reali, sed distincta formaliter.

Obiecti[o] notabil[is].

Nota Sextò. Resolutionem huius Obiectionis, Paternitas est per se res, & non per se essentia; ergo per se alia res: & secundò infero absolutè; ergo Paternitas est alia res ab Essentia. Illa prima consequentia, quòd Paternitas sit per per se alia res, probatur tripliciter. Primò. Quia idem & diuersum, circa idem Ens non possunt verificari, quia sunt opposita; ergo est per se res, quæ est essentia; vel per se non idem, sed aliud ab essentia. Secundò. Per rationem contradictionis. Aut enim Paternitas est per se res, quæ est Essentia; & sic habetur intentum, quòd nullo modo distinguatur ab Essentia; aut per se res, quæ non est Essentia; & sic est per se alia res ab Essentia. Tertiò. Essentia est per se res, proprietas est per se res; & non sunt per se cadem res; ergo sunt duæ per se res. Secunda consequentia, quòd Paternitas sit alia res absolutè ab Essentia probatur. Iste terminus, per se, additus in Antecedente, vel in prima consequentia, non est terminus distrahens, qui verum & proprium sensum subsequentium terminorum posset diminuere, imò magis est restringens, pro vera rei acceptione.

Paterni[tas] est alia [res] ab Essen[tia]. Probatu[r]. 2 3

Ad hanc Obiectionem Primò datur in textu Guil. Varronis Responsio, sed vt insufficiens reijcitur. Secundò de mente Doctoris resoluitur.

Respōsi[o Var]ronis in[suf]ficiens.

Varro igitur concesso Antecedente, distinguit primam consequentiam. Vel enim est sermo de alietate perseitatis, quia videlicet alia ratio perseitatis conuenit Paternitati, &

alię Essentiæ; & sic vera est consequentia: sed non plùs infert, nisi distinctionē formalem, quòd Paternitas sit per se alia res formaliter, non realiter ab Essentia. Vel consequētia intelligitur de perseitate alietatis, quia nimirum per se, & ab intrinseco, conuenit Paternitati esse aliam rem ab Essentia: & in hoc sensu consequentia est falsa.

ietas per ...tatis & perseitas a...litatis sunt distincta.

Hoc modo intelligenda est litera Doctoris hìc: quando enim dicitur: quòd *in alietate perseitatis, negatur ly per se per negationem inclusam in alietate*: sensus est; in ista propositione, Paternitas est per se alia res, tunc est alietas perseitatis, quando negationem inclusam in ly alia (quæ negatio est non idem) non refero ad terminum hunc, res, quasi sit alia res, vel non eadem; sed refero ad ly per se, & affirmo quòd perseitas alia est Paternitatis à perseitate Essentiæ: & hoc modo vera est consequentia prima; sed secunda consequentia erit falsa, procedens à destructione antecedentis, seu minùs communis, ad destructionem consequentis, seu magis communis; sicut enim non valet, Non est homo; ergo non est animal: ita non valet, Non est eadem perseitas Paternitatis quæ Essentiæ; non valet, ergo alia res est Paternitas ab essentia; non valet, quia perseitas dicit rationes formales distinctas, minima distinctione, & tu ex minima non identitate, postea infers maximam realem, dicendo, ergo est alia res.

Quando autem secundo modo sumitur illa prima consequentia secundùm perseitatem alietatis, tunc non negatur perseitas; id est, negatio inclusa in ly alia, non refertur ad perseitatem vt in priori modo, sed ad terminum subsequentem, qui est, res: vt sit sensus, quòd sit non illa res, quæ est Essentia, sed alia: & sic est falsa consequentia, peccatq; secundùm fallaciam consequentis, quia ex Antecedente, in quo negabatur alietas perseitatis, dicens non identitatem formalem, infertur perseitas alietatis, dicens distinctionem per se realem.

Varr. respō. non placet Scoto.

Ista responsio Doctori non placet, propter duo. Primū est: quia secundùm bonam Logicam, negatio identitatis duo concernit, terminum cui non est idem, & secundò formam, seu rationem illam, quæ dicitur non esse eadem alteri: ista autem responsio Varronis, non necessariò addit tertium, nempe perseitatem, quòd etiam hanc attingat negatio. Secundò non est Logicè dictum, quòd negatio posita in prædicato, afficiat subiectum & non prædicatū, secundùm alietatem perseitatis; nam iuxta commune dictum Logicorum, Negatio post se tollit, non ante.

Negatio post se, non ante se, tollit.

Doctor Subt. Concesso Anteced. Obiectionis, negat primam consequentiam. Ad Primam probationem. Idem & diuersum, absolutè sumpta, non possunt verificari de aliquo, sicut nec contradictoria; sed sumpta cum determinatione modi, vel reduplicationis, vel perseitatis, neque erit per se idem, quia nec primo nec secundo modo perseitatis, Paternitas est per se eadem Essentiæ, neque erit per se non idem, quia ista negatio identitatis, non conuenit Paternitati per se primo modo, vel secundo, vt patet ex dictis.

Responsio Scoti.

Idē & diuersum sumpta cū determinatione modi possunt verificari de eodem.

Ad Secundam probationem. Dat duas responsiones Doctor, quarum euidentia patet ex dictis.

Ad Tertiam non respondet Doctor in textu; quia sufficiens eius solutio habetur, ex responsione ad Primam & Secundam; quia Relatio & Essentia, nec per se sunt eadem res, nec per se duæ res; sed bene amoto hoc Syncathegoremate, per se, est vera affirmatiua, quòd sunt eadem res.

Solutio Argumenti Secundi principalis, Tertij, & Quarti, clara est in textu.

Ad illā verò Obiectionē in fine positā. An relationi quatenus relatio est, repugnet posse deficere, an non? Rñsio pt haberi ex dictis: quòd nec repugnet, nec non repugnet, cum ly inquantum, sine ly inquantum, relationes Originis non sunt possibiles seu contingentes, sed necesse esse, & hoc per identitatem cum Essentia.

Dices. Sumo relationem, vt relationem specificatiuè: illa ratio vt distincta aliquomodo ab Essentia, vel est ratio necessaria vel possibilis. Respondeo. Sicut relatio Originis, in sua ratione formali, abstrahit à perfectione vel imperfectione; ita formaliter accepta Paternitas, abstrahit à possibilitate & necessitate; identicè tamen, vt est infinita, ita & necessaria.

Relatio Diuina quatenus relatio an includat necessitatē.

Respondent alij. Vnicum esse in Diuinis necesse esse essentiale: vel vt alij dicunt, radicale, & à se, de quo dixerat supra Doctor quæst. 2. & 3. arguendo vnitatem Dei, ex necesse esse: sed non vnicum est necesse esse personale. Rationes aliorum contra Doctorem Subt. commodè proponuntur, & resoluuntur infra dist. 34.



DISTIN-

DISTINCTIO III.

DE COGNOSCIBILITATE DEI, QVOMODO est à nobis cognoſcibilis.

QVAESTIO I.

Vtrum Deus ſit naturaliter cognoſcibilis ab intellectu viatoris?

Arguo quòd non. Philoſophus 3. de anima. Phantaſmata ſe habent ad intellectum, &c.

SVMMA QVAESTIONIS.

Tres Articuli ſunt huius Quæſtionis. In Primo explicatur titulus Quæſtionis. In Secundo, proponitur Opinio aliorum. In Tertio, reſpondet Doctor propoſitæ Quæſtioni iuxta propriam Sententiam. Tandem Argumenta principalia, & pro Opinione, Articulo Secundo adducta, reſoluuntur.

ARTICVLVS PRIMVS.

Explicatur ſenſus Quæſtionis.

In prima Quæſtione non eſt diſtinguendum, quòd Deus poſſit cognoſci, &c.

SVMMA TEXTVS.

Sex modos cognoſcendi Deum enumerat in præſenti Articulo Doctor, eoſque ad præſentem Quæſtionem non pertinere oſtēdit. Primus modus eſt D. Tho. 1. part. q. 12. art. 12. ſicut & Tertius eſt eiuſdem 1. part. q. 3 art. 4. in ſolutione arg. 2. Alij quatuor modi ſunt Henr. Gand. in ſumma art. 24. q. 3. 4. 5. & 6.

COMMENTARIVM.

Irca iſtum Articulum hoc ſolum Notandum eſt, Iſtos modos intelligendi Deum, per affirmationem vel negationem, naturali cognitione vel ſupernaturali, cognoſcendo Quid eſt, vel Quia, & alios hìc enumeratos, non ideo à Doctore reijci, quia iſtæ diſtinctiones abſolutè friuolæ ſunt, & non admittendæ in Theologia; cùm illas non rarò in ſequentibus Doctor admittat: & illa prior diſtinctio cognitionis de Deo, per negationem & affirmationem, haberi poteſt à Damaſceno, lib. de Fide Ortod. c. 4. Sed ad explicandum in quo ſenſu titulus Quæſtionis accipiendus ſit, varios cognoſcendi modos enumerat.

Senſus præſentis qōnis explicatur.

Ac inprimis docet, non procedere quæſtionem, An intellectus viatoris, naturaliter poſſit cognoſcere de Deo aliquam negationem; quia cognitio hæc vt imperfecta eſt, ita non demonſtrat naturam & quidditatem obiecti cognoſcibilis; quæſtio autem procedit de poſitiuo conceptu: Nec ſermo eſt de cognitione complexa, An videlicet iſta veritas, Deus eſt, ſit naturaliter cognoſcibilis; de hoc enim dictum eſt præcedenti diſtinctione quæſt. 1. interim autem quærimus de ipſo ſubiecto veritatis complexæ, An de illo aliquis conceptus poſitiuus ſimplex, à viatore haberi poſſit. Deinde quāuis verum ſit Deum aliter cognoſci cognitione ſupernaturali à nobis, aliter naturali, aliter pro ſtatu iſto, aliter pro ſtatu innocentiæ; ad præſentem tamē Quæſtionem non pertinent iſtæ diſtinctiones; quia determinatè dicitur in titulo Quæſtionis, *naturaliter ab intellectu viatoris*. Similiter, quamuis ſit verum, Deum poſſe cognoſci à creato intellectu, immediatè, cognitione intuitiua, vt vident Beati, vel cognitione imperfecta abſtracta per diſcurſum; in præſenti tamen quæritur de termino ſecundæ cognitionis, An poſſit noſter intellectus deuenire ſuo diſcurſu, ad aliquam rationem conceptibilem poſitiuam, verè & quidditatiuè Deo conuenientem.

Patet itaque quòd illa diſtinctio D. Th. 1. part. q. 3. ar. 4. Eſſe dupliciter dicitur, vno modo ſignificat actum eſſendi, alio modo ſignificat compoſitionem propoſitionis, quam anima adinuenit, coniungendo prędicatum ſubiecto, &c. non reprehenditur hìc à Doctore Subt. vt ipſi Caietanus ibidem & Ferrar. 1. Contra gen. cap. 12. imponunt; imò ferè eadem diſtinctione Doctor ſuperiùs vtebatur, diſtin. 1. q. 1. dubit. vlt. & infra q. 3. ar. 3. ſed docet hic Magiſter Subtilitatis, ſe loqui determinatè de cognitione ſimplici, reſpectu conceptus obiectiui ſimplicis, An aliquis talis poſſit haberi à noſtro intellectu.

Magiſter Subtilitatis Scotus.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Proponitur modus dicendi aliorum.

Ad hoc dicit quidam Doctor ſic. Quòd loquendo de cognitione alicuius, &c.

SVMMA TEXTVS.

Opinio Henrici.

Opinio hoc Articulo explicata, eſt Henr. Gand. in Sum. art. 24. quæſt. 6. habetque duas partes. In Prima præmittuntur diſtinctiones, quarum Prima eſt. Cognoſcitur aliquid per ſe vel per accidens: per ſe illud cognoſcitur, quod in eſſentia ſua & in prædicatis quidditatiuis cognoſcitur; ſic homo eſt cognoſcibilis ſecundum animal & rationale: per accidens autem quod non in eſſentialibus ſed accidentalibus prædicatis cognoſcitur, ſic homo eſt cognoſcibilis ratione actualis intellectionis, viſionis figuræ, &c. Alia diſtinctio eſt. Aliquid cognoſcitur in particulari, vel in vniuerſali: & hoc tripliciter; generaliſſimè, generalius, & generaliter.

Concluſiones Henrici.

In Secunda parte, aſſignantur Concluſiones. Prima eſt. *Deus non cognoſcitur realiter per accidens. Ratio. Quia nullum eſt in illo accidens: Additurque realiter, quia ratione Entis rationis, in Deo conceptibilis, poteſt dici, quòd Deus eſt à nobis intelligibilis per accidens intentionale ſeu rationis.*

Secunda Concluſio. *Deus quandoque intelligitur quaſi per accidens. Dicitur, quandoque: quia non in omni cognitione de illo, eſt iſta notitia quaſi per accidens, ſed tantùm quando attributa intelliguntur. Dicitur, quaſi per accidens: quia noſtro modo imperfecto intelligendi, attributa Dei ſunt quaſi proprietates aduenientes naturæ Diuinæ.*

Tertia Concluſio. *In particulari non cognoſcitur Deus, nec poteſt cognoſci ex creatura. Ratio. Quia non ducit aliquid in cognitionem alterius particularem, niſi habeat ſimilitudinem eius: creatura autem non habet ſimilitudinem cum Deo.*

Quarta. *In vniuerſali aliquo conceptu, poteſt cognoſci Deus: non quòd ille conceptus ſit vniuocus Deo & creaturæ; ſed analogus tantùm, dicens immediatè duos conceptus, qui nobis ob ſimilitudinem & propinquitatem, videntur quaſi vnus.*

Quinta. *In vniuerſali poteſt cognoſci Deus, generaliſſimè, generalius, & generaliter: generaliſſimè autem concipitur tripliciter.*

Sexta. *Deus non cognoſcitur per ſpeciem. Ratio. Species debet eſſe ſimpliciter re illa, cuius eſt ſpecies, vt patet in ſpeciebus ſenſuum externorum, & internorum, imò & ipſius intellectus: quarum potentiarum ſpecies ſunt ſimpliciores rebus intellectis. Deo autem nihil eſt ſimplicius.*

Septima. *Cognoſcit noſter intellectus Deum, per modum potentiæ æſtimatiuæ, per quandam ſuffoſionem, ſpecies inſenſatas ſuffodiendo, ſub intentionibus, ſeu ſpeciebus ſenſatis.*

COMMENTARIVM.

PRo intelligentia faciliori textus, quomodo ſecundùm poſitionem Henrici Deus cognoſcitur in vniuerſali vario modo, iuxta eius Quintam Concluſionem Aduertendū

eſt

Generalissime, generaliùs & generaliter cognosci Deus secúdú Henricum.

est. Primò. Quòd Deus possit concipi in conceptu cõi, & valde remotò à repræsentatione propria; vt si concipiatur Ens, in isto conceptu remotissimè concipitur Deus. Secũdo modo potest concipi sub ratione cõi alicuius attributi, cognoscendo illud in summo gradu perfectionis, vt si cõcipias summam bonitatem, summam sapientiam. Tertio modo potest intelligi Deus sic, quòd ista attributa secũdo modo cognita attribuantur Enti primo modo cognito, identificata realiter infinitæ & necessariæ eius existentiæ. Primo modo cognoscitur Deus secundùm Henricum, generalissimè, secundo generaliùs, tertio generaliter.

In cõceptu Entis potest Deus cognosci tripliciter secundũ Henricum.

Aduertendum est Secundò. In conceptu Entis, potest Deus cognosci tripliciter, secundùm Gand. vel enim cognoscitur Deus in conceptu huius Entis creati: vel in cõceptu Entis indeterminati priuatiuè: vel tertiò in conceptu Entis indeterminati negatiuè. Quod sic intellige. Cũ dico, Hoc Ens (sub intelligendo creatum) duo conceptus formantur in intellectu, & hæcceitatis, & Entis: & cùm Entis conceptus etiam Deo conueniat, in conceptu, Huius Entis, ratione ly Entis, remotissimè, in conceptu vniuersalissimo, cognoscitur Deus. Abstrahendo autem Ens ab hæcceitate, imò ab omni determinatione & limitatione, induiduationis, speciei, & generis; dupliciter Ens potest esse indeterminatum; priuatiuè, & negatiuè: priuatiuè, si illud nullam includat ex prædictis determinationem, sit nihilominus aptum contrahi, & potentiale; qualis est ratio Entis contrahibilis à creatura: negatiuè autem, si ratio Entis non intelligatur esse determinata limitatione indiuiduali; specifica vel generica, & præterea non habeat vllam potentialitatem ad contrahi, vel ad prædictas determinationes. In ratione Entis indeterminati priuatiuè cognoscitur Deus remotiùs, non tamen remotissimè; sicut dum hoc Ens cognoscit; minùs autem remotè dum cognoscit in ratione Entis indeterminati negatiuè.

Ex his constat, quòd secundùm Henr. Deus est cognoscibilis vniuersalissimè tripliciter; vel remotissimè in ratione Huius Entis; vel remotiùs in ratione Entis priuatiuè indeterminati; vel tantùm remotè in ratione Entis negatiuè indeterminati.

ARTICVLVS TERTIVS.

Respondetur propositæ Quæstioni.

Respondeo aliter ad istam Quæstionem: & in quibusdam contradicam, &c.

SVMMA TEXTVS.

Quinque Conclusionibus deciditur præsens Quæstio.

Prima Conclusio est. *Deus cognoscibilis est ab intellectu viatoris, non tantùm sub cõceptu attributali, & quasi per accidens, vt præcedens Opinio dicebat, Conclusione 2. & docet S. Damasc. lib. 1. de Fide Ort. c. 4. sed etiam in conceptu aliquo quidditatiuo & essentiali.*

Secunda Conclusio. *Deus in conceptu aliquo vniuoco sibi & creaturæ potest cognosci, & cognoscitur de facto.*

Tertia Conclusio. *Deus naturaliter à Viatore nec cognoscitur, nec potest cognosci sub propria ratione Dei, vt est hæc Diuina Essentia.*

Quarta Conclusio. *Conceptus communiores Deo, tamen ita proprios vt nulli alteri conueniant, possumus naturaliter cognoscere de Deo.*

Quinta Conclusio. *Illa quæ cognoscuntur de Deo, cognoscuntur per species creaturarum.*

COMMENTARIVM.

Circa Primam Conclusionem. Nota, illam fundari in duabus propositionibus alijs à Doctore Subt. in lib. Theor. traditis; quarũ Prima est. Conceptuũ resolutio statum habet. Secunda. Conceptus qualitatiui (puta sapientia, bonitas, iustitia in Deo) attribuuntur alicui vni conceptui quidditatiuo, cui vt quidditati, immediatè tales proprietates attribuuntur. Prior propositio est expresse Doct. Subtilis Theor. 9. & 13. Secunda autem clarè deducitur, ex propositione 4. Theor. 13. vbi dicitur. Cuiuslibet resolubilis conceptus, est aliquid vltimũ determinans, nempe ipsa quidditas, seu essẽtia taliũ proprietatũ, cui primò & vltimatè debent tales ꝓprietates. Porro q̃dditas alicuius, dupliciter põt cognosci. Primò, sciẽdo illius rõnẽ definitiuam, qua explicatur quidditas & essentia rei, secundùm Philosophum: secundò, habendo notionem ipsius naturæ, qua res est, id quod est, esto quòd illa natura non sit definibilis per genus & differentiam, & hoc vel in vniuersali, vel sub propria ratione. Deus igitur est cognoscibilis sub ratione quidditatiua vniuersali, sumendo quidditatem secundo modo, non primo.

Quidditas alicuius potest dupliciter cognosci.

Deus est cognoscibilis à nobis sub rõne quidditatiua vniuersalis non propria.

Circa Secundam Conclusionem. Aduertendũ est. Quòd illa ratio procedat non solùm de vniuocatione vera Entis, sed etiam præsupponat veram præcisionem Entis à suis inferioribus, cùm dicat alium conceptum præcisum à conceptibus suorum inferiorum. Quomodo autem sit hoc verũ, patet infra in Dubitationibus.

Circa Tertiam Conclusionem. Aduerte. Quòd illa procedat de conceptu vno simplici, & proprijssimo Essentiæ Diuinæ, quòd tali conceptu non possimus Deum cognoscere naturaliter. Quarta autem procedit de conceptibus complexis, quales sunt summum bonum, Ens infinitum, Ens independens, & consimiles, quæ veritates soli Deo cõueniunt; vide de hac materia plura, supra Quæst. 4. proœmiali. Quomodo verò de infinitate, quòd illa sit modus Entis, & non passio: & in concipiendo Ens infinitum, quomodo non concipiatur ens per accidens, ex subiecto & accidente (vt dicitur à Doctore hîc Conclusione 4.) vide inf. distinctio. 8. in Dubit. de modis intrinsecis. Illud tertium, quod ibidem additur; Conceptum Entis infiniti, omnibus alijs conceptibus complexis esse perfectiorem, quos naturaliter de Deo habere possumus; sufficienter explicatum est à Doctore supra, quæst. 3. proœmiali, & hîc clarum est in litera: quod si plura velis cognoscere, vide Mayr. in 1. dist. 2. q. 6.

Dubitatur Primò.

Vtrum conceptus Entis sit abstrahibilis à rationibus suorum inferiorum.

Videtur quòd non. Primo. Si Ens dicit conceptum præcisum, sequitur quòd Deus non sit Ens simplicissimum. Consequens est falsum, & contra Aristot. 12. Metaph. text. 50. ergo & Anteced. Sequela Maioris probatur. Omnis conceptus qui ad alium contrahitur, est extra rationem illius qui contrahit; sed Ens contrahitur ad Deum per infinitatem, vel per aliquid huiusmodi; ergo aliquid includitur in Deo, quod non includitur in Ente; atq; ita Ens est simplicius Deo.

Secundò. A contradictorijs non potest præscindi vnus conceptus, quia inter contradictoria non datur medium; sed Ens dependens, & Ens independens, sunt contradictoria; ergo non datur aliquis conceptus, qui sit neq; dependens neq; independens, qualis fingitur conceptus Entis. Confirmatur à Soncinate. Omne absolutum prius natura altero, potest esse sine eo, vt sæpe docet Subt. Doctor; sed Entis conceptus est absolutus, prior naturaliter Ente depẽdenti & independenti; ergo potest esse aliquod Ens, neq; dependens neq; independens, atq; ita neq; Deus neq; creatura: quod est impossibile.

Tertiò. Conceptus Entis est realis, vt dicunt communiter Scotistę, quia Metaphysica denominatur scientia realis, ab obiecto reali, nimirum ab Ente: sed conceptus Entis est prior conceptu Dei, quia cõmuniora sũt priora minùs cõibus: ergo datur aliquid reale prius Deo: q̃d est impossibile.

Quartò. Si Ens dicit cõceptum præcisum, sequitur quòd Deus & creatura non distent in infinitum. Consequens est falsum: ergo & Antec. Sequela Maioris. Illa quę conueniũt in vno cõceptu reali, & in quibus est actu eadem realitas, non distant in infinitum, siquidem in hoc reali in quo conueniunt, non distant in infinitum: at si Ens dicit conceptũ præcisum, Deus & creatura conueniunt in vno conceptu reali: ergo non distat à creatura in infinitum. Minor. Ibi est distantia infinita, vbi alterum extremum est infinitum: sed ita est in proposito de Deo: ergo &c.

Quintò. Si Ens dicit conceptum obiectiuum præcisum, sequitur ꝙ dicat vnam naturam communem decẽ prædicamentis, sed hoc est falsum: ergo & illud ex quo sequitur. Minor. Quia s̃m Auer. 3. Met. comm. 10. hoc nomẽ Ens, nõ notificat vnam naturam communẽ decem prędicamentis.

Sextò. Causa est prior suo effectu; sed Deus est causa omnis entis realis, quilibet verò cõceptus ex parte rei cõceptibilis, est Ens reale; ergo Deus est prior conceptu Entis realis; ergo Ens reale nõ põt eẽ prius Deo, & cõmunius. Ita arguit Soncinas 4. Met. q. 3. Caiet. de Ente & Essentia quæst. 2.

In oppositum est Doctor Subt. hìc, & quæst. 3. Item d. 8. 24. & alijs plurib. in locis. Mayron. in tractatu de Vniuocatione Entis. Ant. Andr. 4. Met. q. 1.

Conceptus formalis & obiectiuus.

Pro resolutione Qõnis. Nota Primò ex lib. Theor. Doctoris Sub. Theor. 8. Quòd cõceptus dr̃ æquiuocè de actu cõcipiendi, & de obiecto cognito. Prior conceptus vocatur formalis, qui non aliud est, q̃ actus intelligendi obiectum, elicitus principaliter ab aĩa, secũdariò ab obiecto, simul tñ ab vtroque: diciturque formalis, quia est forma accidentalis, inhærens in anima, mediãte potẽtia intellectiua. Obiectum verò quod actũ concipiẽdi terminat, dicitur conceptus obiectiuus, & non vt obiectum est intelligibile, dicitur cõceptus, sed vt est actu cognitum, & actu intellectum. Esse verò obiectum in intellectu, non aliud est, quàm habere relationem actualẽ ad intellectum cognoscentem, & intellectum ad obiectum cognitum.

Qõ igitur nostra, & si possit extendi ad vtramq; cõceptus significationẽ. An videlicet conceptus Entis, tam formalis, q̃ obiectiuus, possit esse alius à conceptu inferiorũ, vt Dei & creaturę, substantiæ & accidentis; principaliter tñ mouetur de conceptu obiectiuo: si. n. hunc ostenderimus esse vnũ, necessariò consequentia inferri potest, quòd etiam vnus sit formalis, quia vnum simplex intelligibile, aptum est vnico actu intelligi. Quare sensus Questionis propositæ, est iste: Vtrum huic nomini Ens, correspõdeat aliqua ratio obiectiua, seu aliquod significatum obiectiuum, quod de se possit terminare vnum actum intelligẽdi, quę tamen ratio obiectiua, non includat in suo conceptu, Deum vel creaturam, substantiam vel accidens: & in hoc sensu procedunt argumenta negatiua.

Abstractio Præcisiua & disiunctiua.

Nota Secundò. Abstractionem esse duplicẽ; vna est p̃cisiua, altera verò disiunctiua. Abstractio p̃cisiua vocatur illa, qñ intellectus considerat vnũ, non considerando aliud, cũ quo illud habet in re connexionẽ; sic Mathematicus considerando quantitatẽ, non considerat corpus, in quo est quãtitas, imò nec considerat illã vt est superficies, vel terminus superficiei in corpore, sed ipsam præcisè sm̃ se quantitatem: & de hac abstractione verificatur illud dictum Philosophi, *Abstrahẽtiũ non est mendacium*, siquidẽ talis abstractio, pertinet ad primam intellectus operationem, nempe ad apprehensionem, in qua non est veritas vel falsitas. Disiũctiua abstractio est illa, qñ intellectus comparando vnum ad aliud, vnum diuidit sua negotiatione ab illo, siue illa in re sint realiter distinguibilia, siue aliquo alio modo ex natura rei. Exemplum primi. Albedo non est quantitas realiter. Exemplum secundi. Vnitas non est entitas ex natura rei: & huic abstractioni potest subesse verum vel falsum.

Hæc ad propositum applicando. Dico, Quæstionem hanc nostram inquirere de conceptu Entis abstracto, præcisiua abstractione. An videlicet Ens dicat aliquod considerabile, quomodocunque distinctum (modò enim hoc non examino) ita vt ipsum possit per se solum considerari, absque consideratione illorum, cum quibus habet connexionem necessariam.

Abstractio Præcisiua, alia est Simplex alia reflexa.

Aduertendum vlteriùs. Quòd ista abstractio præcisiua duplex est; vna simplex, altera reflexa. Simplex est, quando considero hoc, absque illo, non resoluendo ipsam rationem consideratam, in omnes conceptus, in quos resolui potest. Reflexa est, quando illam rationem consideratam absque alijs illi identificatis, vel coniunctis, aduerto continere aliquas rationes, ob quas rationes contentas, retinet naturam illius à quo abstrahitur: & tandem concipio illam secundùm rationem abstractissimam, vt penitus non concernat, nec per se, nec connotatiuè naturam illius à quo abstrahitur. In exemplo res est clara. Video hominem sapientem, & deinde concipio sapientiam, non concipiendo subiectum, in quo est, & cui est coniuncta; nec rationem numericam idẽtificatam illi realiter: ista est abstractio præcipua simplex. Ista igitur sapientia sic abstracta, non est abstracta à rõne habitus, qualitatis, accidentis; Entis finiti, ob quas rationes sapientia abstracta præcisione simplici, nondũ amisit rationem sapientiæ creatæ, & accidentalis: quare intellectus in sapiẽtia sic abstracta, rationem qualitatis, accidentis, & finitatis, negligit cõsiderare, cùm dicant prædictæ rationes imperfectionem; & solã rationem sapientiæ immediatè sub Ente considerat: talis abstractio dicitur collatiua. Similiter accidit in Diuinis: nam Paternitas verbi causa, primæ Personæ, põt considerari ab intellectu nostro, absq; Essentiæ Diuinæ cognitione actuali; & dicitur abstractio præcipua simplex: & in hac cognitione intellectus noster, non abstrahit illam Paternitatem à necessitate, independentia, incommunicabilitate, infinitate, & alijs proprietatibus, quæ relationi Diuinę, ex identitate cum infinita Essentia, conueniunt: & cõsequenter in tali abstractione, nõdum relatio illa abstrahitur, completa abstractione, à natura Diuina; quia licèt per se ab illa abstrahat, non tñ connotatiuè; quia à proprietatibus naturam Diuinã intrinsecè concernẽtibus non abstrahit, vt ab infinitate, independẽtia, necessitate: & esto, quòd ab his abstracta sit, si nondum abstrahitur ab incommunicabilitate, vt Quo & vt Quod, nondum abstrahitur perfectè relatio illa in esse relationis, à Diuina.

Abstr. p̃cisiua plex d à coll. siue R xa, modo.

Istæ abstractiones sunt valde distinctæ. Tum ratione obiectorum; nam inprimis abstractioni simplici de obiecto reali; necessariò ĩñdet aliqua realitas in obiecto, seu rõ intelligibilis, ab omni alia distincta, abstractioni autẽ reflexæ sufficit ratio obiectiua concepta; esto q̃ non sit talis realitas in obiecto. Secundò; simplicis abstractionis obiectum, põt esse obiectum cognitionis intuitiuæ, vt dictum est à Doct. in 1. distin. 1. & 2. q. 2. art. 3. Collatiua autem abstractione, abstractum obiectum, non potest esse obiectum cognitionis perfectæ, puta visionis, vt sic considerabile, sed tantùm abstractæ; quia relatio absq; infinitate, independentia, & alijs modis intrinsecis, impossibile est quòd possit intuitiuè videri; & ita solùm intellectus creatus præfigit sibi obiecta vltimatè transcendentia. Tertiò; quia cognitione præcisiua simplici, magis cognoscitur obiectũ in sua entitate; quã collatiua; quia omnes rationes cognitæ in obiecto, per notitiam abstractiuam simplicem, amouentur in cognitione abstractiua reflexa. Tum ratione actus: Primò; quia illius abstractionis actus est perfectior, quia de perfectiori obiecto, magisq. actuali; istius autẽ imperfectior; quia de magis de potentiali obiecto. Secundò; quia actus cognitionis præcipuæ simplicis, magis actuat & perficit intellectum, cũ plura illo cognoscantur; quàm reflexæ. Sicut ergo Paternitas Diuina, accepta secundùm præcisionem simplicem, nõ abstrahitur totaliter à Diuinitate, vel saltem à cõceptu Paternitatis Diuinæ, vt sit merè Paternitas communis Diuinæ & humanæ, sed hæc vltimata abstractio est reflexa: ita dicimus in pręsenti, quòd ratio Entis, potest abstrahi à Deo, vel abstractione simplici; & sic illa cùm sit necessaria, indepẽdens &c. creaturæ autem entitas dependens, contingens, nõ dicent aliquem vnum conceptum abstractum. Si verò sit reflexa abstractio, abstrahẽdo entitatem, à conceptu finitatis, vel infinitatis, dependentiæ vel independentiæ; imò à quocunq. alio, quod non est formaliter Ens, tunc erit abstractum aliquid vnum.

Vniu transf tia n aliqu turæ Scot Reali plex.

Ex his patet. Quòd transcendentia talia, communia Deo & creaturæ, non sunt aliquæ naturæ, vt imponunt quidam Subtili Doct. sed sunt conceptus obiectiui: dicunturq. reales, non à realitate naturæ, & rei communis: sed à realitate fundamenti, à quibus realibus abstrahuntur tales conceptus: vnde realitas obiectiua duplex est; vel rerum vel conceptuum; non igitur quærimus de abstractione rei vel naturæ alicuius, quæ neque sit Deus, neque creatura; sed de realitate conceptus Entis, An sit abrahibilis.

Entis ceptu abstr lis à c ptib. inferi

His prænotatis sit Conclusia Primò. Conceptus Entis obiectiuus, potest abstrahi abstractione præcisiua reflexa, alius à conceptibus omnium inferiorum sub Ente contentorum. Qualis verò sit iste conceptus, vtrum perfectus vel non: dicam sequenti Dubitatione: interim Conclusio. Probatur Primò ratione Doctoris. Impossi-

bile

bile eſt,ꝙ idē intellectus, ſit certus & dubius de eadē rōne formali;ſed vnus atque idē intellectus, pōt eſſe certus de aliquo,ꝙ ſit Ens, dubitando ꝙ ſit ſubſtantia vel accidens; ergo cōceptus Entis, eſt alius à Subſtantia vel accidente. Similiter poteſt eſſe certus,quòd Deus ſit Ens,dubitando an ſit Ens finitum, vel infinitum; ergo conceptus Entis eſt alius,à cōceptu Entis finiti vel infiniti. Vtraque Minor probatur exemplis in textu à Doctore poſitis.

pondet cinas. Ad Argumentum rñdet Soncinas.Concedendo totum argūm,eiuſq; Cōcluſionē,ꝙ rō Entis ſit alia à cōceptu ſubſtantiæ & accidentis: verū non alietate præciſionis Ens eſt aliud ab eis,ſed alietate diſiūctionis. Senſus eſt Quòd cōceptus Entis tali mō ſit alius, quali mō eſt aliud diſiūctū totum à ſuis partibus: vt hoc,Vel dies eſt,vel nox eſt:neq. dič ponit neque noctē, neque tñ ponit aliquid iſta veritas, qđ neque ſit dies,neque nox:ita eſt in ꝓpoſito,&c.

Contra reſponſionem Soncinatis arguitur. Contra Primū.Quia iſta cauillatio eſt cōtra experiētiā; ergo nihil valet. Anteced. Nā cū dicit aliqs Ens,experimur nos cōcipere vnū ſignificatū huiꝰ vocis, i quo ſignificato, neq. cōiūctim neq. diſiūctim, cōcipitur rō ſubſtantiæ vel accidētis, ſed ipsū qđ ē res, ſeu realitas obiectiua,vt cū dr̄, Extra vltimum cælum,eſt aliqua res,vel poteſt eſſe.

1\. Secundū eſt contra rōnem. Nā quæro primò, aut Ens dicit ſubſtantiā & accidens, vt totū diſiunctum ſimul, vel partē diſiūcti determinatam? Si totū diſiunctum;ergo vt totū diſiunctū,eſt Ens aggregatū(hæc.n. veritas, ſubſtantia vel accidens,eſt quid aggregatū,cū intrinſecè dicat res in nullo genere conuenientes)ita & ille conceptus erit intrinſecè aggregatus; atq; ita de illo nō poterit eſſe ſciētia; quia de Ente per accidēs nō eſt ſcientia, quale eſt Ens aggregatū. Si alterā partē diſiūcti determinatā dicit, hoc eſt incōuenēs: Tū quia diſiūctū vt diſiūctū,æqualiter ſignificat vtrumq; extremū diſiūctionis: Tū quia ſic Ens nō cōciperetur ſub mō diſiunctionis; quia ſub vna parte determinata, ſecundum ſuppoſitionem,conciperetur.

2\. Deinde,qro Secundò.Quando dico de ſubſtātia creata, Subſtantia eſt Ens,vel prædicatū hoc,dicit totum illud diſiunctū,ſubſtantia vel accidēs, Deus vel creatura; vel partem; vel vnum conceptū præciſum, aliū à Deo & creatura,à ſubſtantia & accidente? ſi totū diſiūctū,cū prædicatū Entis ſit quidditatiuū & eſſentiale ſubſtātiæ,Deus & accidēs erūt prædicata quidditatiua ſubſtantiæ creatæ, cū intrinſecè in illo prædicato per te hoc ſignificetur, Deus vel creatura, ſubſtantia vel accidens:ſi partem determinatā; Ens non dicit plura ſignificata per modum diſiunctionis, ſed vnum determinatē;quod eſt contra tuam ſuppoſitionem: ſi præciſum; habetur intentum.

3\. Exemplū Sōcinatis nō eſt ad propoſitū.Tū q̄a vna pars diſiūctionis eſt determinatè vera,altera falſa;in propoſito aūt vtraq; pars eſt vera, quia & ſubſtātia eſt Ens, & accidēs eſt Ens,&c. Tū quia illa vt ſic accepta,nō habent cōe ſignificatū, & propterea alterū illorū eſt verū, alterū pro eodē inſtanti eſt falſum;at ſubſtātia & accidens,habēt cōe ſignificatū,& vtrūq; eſt Ens: quare licèt in mō eſſendi cōſideratū Ens, vel eſt ſubſtātia vel accidens,quia vel eſt p ſe Ens,vel in alio; tñ sm̄ ſe,neq; ē ſubſtātia neq; accidēs: ſicut in ſimili dicimus, quòd ratio animalis, vt eſt in inferioribus, vel eſt animal rationale, vel irrationale: ipſum tamen animal sm̄ ſuam præciſam rōnem, neque eſt rōnale neq; irrationale,ſed abſtrahit ab vtroque;ita Ens,vt eſt in inferioribus,vel eſt Ens p ſe,vel Ens in alio;vel independēs vel depēdēs;ſed Ens sm̄ ſe,abſq. omni cōtractione acceptū,neq, eſt idepēdēs,neq; depēdēs,neq. p ſe,neci alio.

4\. secūda. Probatur Secūdò. Oē p̄dicatū quidditatiuū cōe pluribus entibus, pōt cōcipi preciſiuè abſque eo,in quo illud p̄dicatū includitur, ſed Ens eſt p̄dicatum quidditatiuum cōe pluribus entibus, vt cōiter conceditur ab omnibus: ergo Ens poterit concipi præciſiuè, abſque omni illo,in quo rō Entis includitur. Maior patet.Tum inductione in omnib. alijs prædicatis cōibus;rō.n.animalis,poteſt concipi abſq; omnib. ſpeciebus, in quib. talis rō inuenitur, & de quib. quidditatiuè prædicatur; ratio ſubſtantiæ, abſque omni eo de quo prædicatur; rō quantitatis abſque omni ſpecie ſibi ſubiecta,& ſic de alijs.Tum rōne. Omne prædicatum cōmunius, eſt prius termino minùs cōi de quo dr̄,vt docet Ariſt.tum in Metaphyſica, tum in Logica,loquēdo de prioritate naturæ, ꝙ illa ſit inter ea, qñ ab vno non valet conſequentia, quale eſt maius cōe reſpectu minus cōis; prius.n.in ſui cōceptu non depēdet à poſteriori, licèt poſterius bene dependeat à priori: vt patet de corpore, qđ nō pōt concipi abſque ſubſtantia, ſed bene ſubſtantia ſine illo;ſic in propoſito,non pōt concipi ſubſtantia vel accidēs, quin intrinſecè in illorū conceptu includatur rō Entis, ſed bene poteſt concipi ratio Entis, abſque hoc quòd ſit ſubſtantia vel accidens.Minor argumenti conceditur ab omnibus: ergo habetur intentum.

Tertiò Probatur. Qñcunq; vni rōni formali competit aliquid sm̄ ſe, quod non cōpetit alteri, illæ rōnes ſunt diſtinctæ & præciſæ; ſed Deo inquantū Deus, cōpetit intelligere & velle,Enti aūt inquantū Ens non competit; quia ſic omni Enti conueniret: ergo rō Entis vt Ens eſt, eſt diſtincta à rōne Dei vt Deus eſt: ergo & diſtinctè conceptibilis.Maior probatur illo principio Metaphyſico,Impoſſibile,eſt,de vna eademq. rōne formali, verificari duo contradictoria, ergo cōpetere aliquid & non cōpetere, cùm ſint contradictoria, non pōt dici de vna & eadē rōne formali. Minor eſt euidēs. Simili mō pōt probari de creatura, qđ illa ſit dependens. Ens aūt inquantū Ens,non dicit depēdentiā,quia ſic omne Ens eſſet depēdens:itē de ſubſtātia & accidēte,q̄a ſubſtātiæ cōuenit p ſe eſſe,accidēti in alio eſſe, quæ non conueniunt Enti, quatenus Ens eſt. Rō tertia.

Quartò Probatur. Cōceptus cōtrahibilis, eſt diſtinctus & pciſus ab oībus cōceptibus cōtrahentib. ipſum, ſed cōceptus Entis eſt cōtrahibilis, conceptus inferiorū entium proprij,ſunt contrahentes: ergo cōceptus Entis,eſt diſtinctus & præciſus à conceptibus inferiorū.Maior eſt euidētiſſima.Quia potētiale & actuale, determinabile & determinans,dicūt diuerſos cōceptus, vt docet Subt.Doctor in lib.Theor.Theor.11.Minor probatur.Primò authoritate Philoſophi, qui Ens diuidit in decē prædicamēta, 6.Met. diuiſibile aūt dicit determinabilē conceptū & potentialē, ad diuidentia.Idē ēt Thomas 1.par.d.5.art.3. ad primū,illis verbis:Ad Primū dicendū:ꝙ ſubſtantia,quantitas,qualitas,& ea q̄ ſub ipſis continent,contrahunt Ens;applicando Ens ad aliquā quidditatē ſeu naturā: ergo sm̄ Thomā conceptus Entis eſt cōtrahibilis. Idē tenet Doctor Subt.in plurib.locis. Probatur eadem Minor Secundò. Cùm dr̄, Subſtantia eſt Ens per ſe, ly per ſe,aut contrahit ſubſtātiā, aut accidens, aut diſiunctū, prout dicit Sonc.aut aliquid præciſum: non ſubſtantiam, quia idē eſſet contrahens & contrahibile: non accidens, quia ſicuti ſubſtantia verè & quidditatiuè eſt Ens,ita verè & quidditatiuè eſſet accidēs. Non diſiunctum: Tum quia contrahibile cōe, eſt vnum vnitate obiectiua,hoc aūt diſiunctū non eſt ſic vnum,ſed aggregatum.Tum quia nec totum diſiunctum contrahitur, nec pars, vt patet ex dictis: Tum quia contrahibile dicit aliquam prioritatem, ſaltem rationis ad contrahens; hoc autem diſiunctum,ſubſtantia vel accidens,nullo modo eſt prius,quàm ſubſtantia & accidens. Reſtat igitur,ꝙ ly per ſe, contrahit aliquid præciſum, ſecundùm intellectum,à Subſtantia & intellectu. Rō quarta.

Quintò Probatur. Qñ aliquid realiter repugnat alicui, ex rōne aliqua formali, & idē non repugnat ex alia rōne, iſta rō eſt diſtincta ab illa, & pciſè cognoſcibilis ſine illa, vt patet per naturā contradictionis, & lumine naturæ eſt manifeſtū; Deo & creaturæ, ſubſtantiæ & accidenti,multa repugnant ex rōne propria, quæ nō repugnant ex rōne Entis; ac proinde rō Entis, eſt diſtincta ab alijs rationibus proprijs aliorum, & præciſè cognoſcibilis ab illis.Minor. Nam Deo repugnat finitas ex rōne propria Deitatis,q̄ tñ nō repugnat ex ratione entitatis: quia ſi ex formali rōne Entis vt Ens eſt,repugnaret,omni Enti repugnaret,atque ita & creaturæ. Similiter creaturæ repugnat independentia, neceſſitas ſimpliciter, ex ratione intrinſeca creaturæ, ſed non repugnat ex ratione Entis,quia Deo repugnaret. Similiter etiam repugnat inhærere ſubſtantiæ, ex ratione propria, ſed non ex ratione Entis, quia aliàs accidens inhærere implicaret: & plura his ſimilia dici poſſunt. Rō quinta.

Concluſio Secunda. Conceptus formalis Entis,eſt diſtinctus à quolibet alio cōceptu formali.Probatur Primò. Conceptus formalis Entis,eſt alius à cōceptus inferiorum.

Vnū diſtinctū conceptibile, aptū eſt intelligi vna diſtincta intellectione; ſed Ens eſt vnū diſtinctū intelligibile; ergo Ens aptū eſt intelligi vna diſtincta intellectione; ſed talis intellectio eſt cōceptus formalis Entis, vt patet ex Primo

Probatur primò.

Notabili; ergo conceptus formalis Entis, eſt diſtinctus ab alijs cōceptib. inferiorū. Maior patet. Tū ex illo dicto Philoſophi, Actus ſpecificātur p obiecta; ergo de vno numero cōceptu obiectiuo Entis, erit vna numero intellectio. Tū quia ſciētiæ, & cuiuſuis cognitionis vnitas, deſumit̃ ab vnitate obiecti, quare cū Ens obiectiuè ſumptū, ſeu ī rōne obiecti, ſit vnū, ab vnitate eius deſumetur vnitas act⁹ cognitionis. Tū quia motus diuerſificantur à diuerſitate terminorū, ſm̄ Philoſopſſū; igitur ad vnū terminū erit vnus motus; ſed intellectio eſt motus potentiæ cognoſcentis ad obiectū cognitum; ergo ſicut ſm̄ diſtinctionem terminorum cognitorum, diſtinctæ ſunt cognitiones, ita ad vnum terminum cognitum, erit vna cognitio. Tum quia intellectio vt intellectio, dicit rationem menſurati ad obiectum, vt ad menſuram. quod cum Ariſtotele docet Doctor, quodl. 13. ſed relatio menſurati eſt vna, quia eſt ad vnum terminum; ergo & fundamentum talis relationis erit vnum, atque ita vna intellectio, reſpectu Entis cogniti. Minor huius argumēti cōſtat ex p̄ced. Cōcluſione.

Nota.

Et ſanè hic modus argumētandi, ex diſtinctione cōceptus obiectiui Entis ab alijs conceptibus, probare diſtinctionem conceptus formalis Entis, melior eſt, q̄ ille inuerſus Zoarij Diſp. 2. ſuę Metaph. ſect. 2. nu. 8. vbi ex vnitate cōceptus formalis, infert vnitatem conceptus obiectiui. Melior inquam eſt; Tum quia cùm intellectio ſpecificetur ab obiecto, ſiue ab obiectiuo cōceptu, tanq̄ à cauſa formali, extrinſecus afficiente terminatiuè intellectionē, iſta probatio noſtra erit per cauſam, oppoſita per effectū; Tum quia obiectum concurrit effectiuè cum potentia ad eliciendam intellectionem, vt cum communiori ſentētia docet Doctor infra; ergo vnitas intellectionis debet probari per vnitatem obiecti, tanquam per cauſam; vnitas autem obiectiua conceptus, dum probatur ex vnitate conceptus formalis, eſt probatio cauſę per effectum.

Probatur ſecundò. Voces ſunt ſigna conceptum.

Probatur. Secundò. Voces ſunt ſigna conceptuū, quę in mente ſunt; ſicut conceptus mētales ſunt ſigna cōceptuū obiectiuorū extra, vt docet Philoſophus 1. Periher. ita & huic voci ſignificatiuæ, Ens, reſpondet aliquis conceptus in mente; & certū eſt per experientiam, ꝙ non reſpondeāt multi conceptus formales, ſtatim ſiquidem occurrit mēti ratio quædam realitatis vna, eaque neque ſubſtantia determinatè, neque accidens, neque finitum quid, neq; infinitum; ſed per modum exiſtentis actu realiter vel aptitudinaliter, ergo actus intelligendi ipſum Ens, ſeu formalis conceptus illius, erit vnus: & quia non dicit repræſentatiuè alias quidditates, inferiorū, erit diſtinctus ab omnibus formalibus conceptibus inferiorum. Confirmatur. Quia cōceptus formalis, eſt naturalis quædā ſimilitudo, repræſentans obiectū naturali modo: ſi igitur conceptus Entis formalis, eſſet immediatè multiplex, tūc immediatè multa obiecta ſignificaret: quod eſt contra experientiam

Simplicitas ſubiectiua, & obiectiua.

Ad Argumenta in principio Dubitationis poſita.

Ad Primū. Diſtinguo Sequelam Maioris. Vel ſermo eſt de ſimplicitate ſumma ſubiectiua, quæ in re à parte rei cōuenit, cui repugnat omnimoda compoſitio; vel eſt ſermo de obiectiua ſimplicitate quoad conceptum, cui repugnat vnio conceptuum plurium. Deum igitur non eſſe ita ſimplicem in conceptu obiectiuo, ſicut eſt Ens ipſum obiectiuè, verum eſt; neque hoc vllum eſt inconueniens, vt multis oſtendit Doctor infra diſt. 8. q. 3. Lichet. alijque

Simplicitas obiectiua cōceptuū in Deo negatur, ſed non ſubiectiua. Conceptus ſimpliciter ſimplex, & abſolutè ſimplex q̄d ſint

Expoſitores ibidē. Ioan. Canonic. 1. Phyſ. q. 3. Sed loquēdo de ſimplicitate ſubiectiua, nego Sequelā Maioris: hoc enim eſt impoſſibile, vt aliquid exiſtēs poſſit eſſe nedum ſimplicius Deo, ſed nec ita ſimplex, vt oſtenditur d. 8. q. 1. Hoc optimè intelligitur, ſi cognoſcatur quid ſit conceptus ſimpliciter ſimplex, quid abſolutè ſimplex & nō ſimpliciter. Eſt. n. conceptus ſimpliciter ſimplex, vt dicit Doctor in lib. Theor. propoſitione 8. qui nō eſt reſolubilis in alios conceptus, ſicut eſt conceptus Entis vel vltimæ differētiæ. Cōceptus ſimplex nō ſimpliciter, qui p ſe eſt vnus, tn̄ reſolubilis in conceptus plures: ſicut ſubſtantia dicit vnum cōceptum per ſe, tamē ille cōceptus, eſt reſolubilis in rationem Entis, & in rationē per ſe exiſtere; ſic Deus eſt Ens ſimpliciſſimum in re, de illo tamen plures conceptus ſunt formabiles, ſecundùm omnem ſententiam Theologorum.

Quamuis aūt de Deo plures conceptus habere poſſimus, non tamē ibi erit vlla compoſitio, ēt vel minima conceptuū. Ratio eſt. Quia nullus ibi eſt cōceptus reſpectu alterius, potentialis vel actualis, quod requiritur ad compoſitionem qualemcunq; etiam minimam; ſed in re ſimpliciter ſimplici eſt plurium rationum intelligibilium vnio, vt dictum eſt præced. diſt. q. 7. & pluribus declaratur diſt. 34. Quamuis igitur, concedatur à Scotiſtis conceptum Dei non eſſe ſimpliciter ſimplicē, quia reſolubilis eſt in rōnes plures de Deo intelligibiles: Deum tamē dicimus eſſe ſimpliciter ſimplicē Phyſicè; q̄a Diuina illa natura in nullas res plures, eſt reſolubilis: & ēt Metaphyſicè ſimpliciter ſimplicem dicimus, quia nulla eſt ibi cōpoſitio ex actu & potētia, ex conceptu determināte & determinabili, ſed ſolùm eſt ſimplex cōceptuū ibi vnio, quæ aliud oīno eſt à cōpoſitione; cū compoſitio dicat imperfectionē, non itē vnio: vt aliàs dictum eſt. Et fortè meliùs eſſet dicere cū Mayr. in 1. diſt. 3. q. 2. Deū eſſe omnimodè ſimplicem, ſed non ſimpliciter ſimplicē dicere cōceptū, vt in priori affirmatione ponatur ſimplicitas omni cōpoſitioni vel quaſi cōpoſitioni contraria; in ſecūda aūt parte negante, ponatur pluralitas rationū intelligibiliū, ſeu plurium

Dil[…] cōce[…] Deo faci[…] ſitio[…]

Ens nō c[…] tur.

cōceptuū vnio. Ad probationē Maioris. Reſpōdeo. Ens non propriè cōtrahi ad Deū, ſed improprijſſimè: quia cōtractio alicuius cōis, ſupponit cōtrahibile eſſe potētiale, & contrahēs actuale; potentiale aūt ſiue contrahibile ſm̄ ſe, negat actū, & conſequēter dicit imperfectionē; actuale licèt ſit perfectio aliqualis, dicit tn̄ impfectionē, quia eſt pars illius totius: in Deo aūt cū nulla ſit rō potentialis, nulla erit contrahibilis. Præterea vt bene docet Alex. de Ales. 1. par. q. 5. Oīs cōpoſitio dicit dependentiā ad partes cōponentes; cū igitur in Deo nulla ſit depēdētia, nulla erit cōpoſitio, ēt Metaphyſica; & cōſequenter nulla erit rō determinabilis & determinās. Dices. Eſt in Deo Ens, q̄d eſt conceptus determinabilis, & infinitas, determinās. Dico. Eſt quidē in Deo rō formalis Entis, & rō infinitatis; ſed neq; rō Entis eſt potentialis, nec ratio infinitatis eſt actus determinās. Tū propter infinitatē ſimpliciter. Tū propter ſummā ſimplicitatem; vt dictū eſt.

Ad Secundū. Nego Minorē; dependēs. n. & independēs, non ſūt cōtradictoria, ſicut nec animal rōnale & animal irrationale: ſed ſicut animal ſm̄ ſe, nec eſt rationale, vel irrationale, ſed indifferēs ad vtrumq;: ita Ens ſm̄ ſe, neq; eſt dependens nec independens, ſed concipitur vt indifferens ad vtrumq;. Vera igitur contradictio vt ſit in aliquo, requirit vt negatiua particula, Non, neget illud in altero extremo, eo modo, quo fuit affirmatum in aliquo: cū igitur Ens dependēs, dicat intrinſecū quendā & poſitiuū gradū, quo formaliter Ens tale eſt depēdens, negatio alteri extremo addita, hoc tm̄ debet negare, q̄d ab intrinſeco nō habeat dependentiam; qualis forma negādi & cōtradicendi eſt hæc, Non dependens, nō aūt illa, Independens. Cùm enim dico, Non dependens, dico Ens nō habere aliquid intrinſecū, à quo limitetur intrinſecè, vt ſit dependens; nec tn̄ affirmo, quòd ab aliquo intrinſeco determinetur poſitiuè, vt ſit independens. At cū dico, Indepēdens, nego dependentiā, & affirmo poſitiuū quid, ratione cuius ab intrinſeco cōuenit independentia, ita vt nō poſſit eſſe independens. Ens igitur in communi ſumptum, neq; eſt dependens neq; independens.

Quodſi aliquis inſtet, arguendo per vera contradictoria, Vel eſt Ens depēdens, vel nō dependēs. Dico. Eſt nō dependens. Inferes. Ergo eſt independens. Negatur Cōſequētia: quia eſt argumētū ab independentia negatiua, quæ tantū negat dependentiā, ad poſitiuam, quæ negat dependentiam, & ponit poſitiuā ac intrinſecam independentiam, ita vt non poſſit dependere. Iſta reſponſio eſt ad mentem Doctoris infra diſt. 8. q. 3. circa finem, quæ diligenter notanda eſt ad cognoſcendam veram contradictionem.

Ad Cōfirmationē. Reſpōdeo. Oē abſolutū priùs naturaliter altero, & diſtinctū realiter ab illo, pōt eſſe ſaltē per Dei potētiā ſine illo, ad q̄d q̄dē prius nō habet depēdētiā poſterius: ſic cōcedo Maiorē, & in hoc ſēſu debet intelligi Doct. Subt. vt exponūt eū ſui Cōmētatores; licèt ego aliq̄d aliud

aaden-

addendum existimauerim, de quo aliàs: ſed nego Minorẽ; quòd ratio, ſeu conceptus Entis, ſit realiter diſtinctus, & ad quod non dicant dependentiam inferiora.

Ad Tertiũ. Prima rñſio haberi põt ex Doctore Subt. infra, d. 26. in reſpon. ad 2. Tertiæ viæ. Quòd licèt aliq̃s cõceptus cõis poſſit haberi, qui dicatur de Deo in Quid: illi tñ conceptui nõ correſpondet aliqua realitas cõtrahibilis ex parte rei, q̃ dicatur in Quid, & altera realitas contrahens; ſicut cõceptus creaturarum cõis, eſt determinabilis quoad noſtrum modũ intelligendi, per aliũ conceptum determinantem. Rõ autem ſumitur huius. Tũ ex parte ipſius rõnis Entis, vt in Deo eſt, quod eſt actualiſſimũ, & nullo mõ potentiale ac determinabile. Tum ex parte infinitatis ſimpliciter, cui repugnat actũ eſſe contrahentẽ, vel partẽ. Tũ ex rõne ſimplicitatis omnimodæ: Secus eſt in creaturis; in quibus gradus cõmuniores, ſunt potentiales, reſpectu inferiorum, qui actuant & contrahunt ſuperiora; & rõ partium ac compoſitionis conuenit illis. Et ita negatur quòd aliquid reale ſit prius vel communius Deo.

Secundò dici põt. Ens comparatũ ad illa de quibus dr̃, vel cõparatur ad Ens limitatũ: vel ad illimitatum & perfectiſſimum, in quo rõ Entis perfectiſſimè continetur: ſi ad limitatum; tunc cõceptus Entis omni Ente limitato, eſt communior, & prior, prioritate rõnis obiectiua: ſi ad illimitatũ & perfectiſſimum; tunc etiam ſꝫm rationem, illud Ens perfectiſſimum & illimitatum erit prius, q̃ rõ Entis obiectiua, potentialis & contrahibilis, iuxta illud Philoſophi 9. Metaph. Actus eſt prior q̃ potẽtia, & perfectũ prius q̃ imperfectum. Iſtæ duæ rñſiones ſunt ſolidæ & Scoticæ

Reſpondent quidam Tertiò aliter, vt Mayr. Aliquid eſſe reale in prædicando, aut in eſſendo: eſſe igitur aliquid prius & communius Deo in eſſendo, implicat contradictionem; eſſe autem communius & prius in prædicando, veriſſimum eſt; cùm Ens ſit communius prædicatũ, quàm hic terminus, Deus.

Rñderi põt Quartò. Eſſe aliquid prius Deo, poſſumus intelligere dupliciter: vno modo, realitate ſubiectiua, ſeu exiſtentiæ; & hoc eſt impoſſibile: vel realitate obiectiua conceptus; & ſic aliquid eſſe communius Deo, & prius prioritate non durationis, ſed communitatis, & quaſi vniuerſalitatis, iuxta Ariſtotelem cap. de Priori, 5. Met. & in poſtpræd. Logicæ, nullum eſt inconueniens.

Ad Quartũ. Nego ſequelã. Ad ꝓbationẽ. Deus & creatura in cõceptu obiectiuo Entis, cũ conueniant, nõ diſtant in infinitũ, neq; ẽt in finitũ; ſed ĩ realitate ſubiectiua bene diſtant in infinitũ: Argumentũ igitur peccat à ſꝫm quid, ad ſimpliciter, qñ infertur non diſtantia in infinitũ, in exiſtẽtia reali, ex non diſtantia in infinitum, in conceptu.

Ad Quintum. Nego ſequelam. Non enim Ens quatenus Ens, dicit aliquam naturam communem decem prędicamentis, vel Deo & creaturæ, quia hoc eſt impoſſibile: ſed vnum conceptum obiectiuum.

Ad Sextum. Cõcedo Maiorẽ, ꝙ cauſa quatenus eſt cauſa, eſt prior ſuo effectu. Ad Minorem. Dico, Deus eſt cauſa oĩs Entis realis exiſtẽtis, ſeu entis realis realitate ſubiectiua, ſed nõ entis realis realitate obiectiua conceptuum: hoc enim ens abſtrahit à producto & improducto, vt dicitur infra. Reſpondeo Secundò iuxta dicta ad 3. quòd Deus ſit priùs, q̃ talis cõceptus Entis; nihilominus poteſt abſtrahi ab illo ratio Entis, abſtractione præciſiua reflexa.

Dubitatur Secundò.

Vtrum ratio Entis, ſit aliquomodo diſtincta formaliter, ab alijs inferioribus.

Videtur ꝙ non. Primò. Diſtinctio Entis à rõnibus inferioribus, eſt impoſſibilis; ergo nõ eſt inter Ens & ĩferiora, diſtinctio formalis ex natura rei. Antecedẽs. Si Entis cõceptus ꝑciſus ex natura rei, eſt diſtinctus à ſuis paſſionibꝰ vel modis: Tunc quæro. Vel modi qui rationem Entis cõtrahunt, vt finitas, dependentia, ſunt Entia, vel non Entia? Si Entia; ergo conceptus Entis nõ eſt præciſus ab iſtis, nec diſtinctus ex natura rei; ſi non Entia; ergo nihil; ergo à nihilo aliquid determinabitur; quod eſt ridiculum.

Secundò. Si Ens & Subſtantia ex natura rei diſtinguũtur, vel ſe habent vt totum & pars, ſeu includens & incluſum; vel vt omnino condiſtincta: ſed primũ dici non põt; Tum quia ſi conceptus Entis in re ipſa præſcinditur & diſtinguitur à modo contrahente ipſum Ens, ad eſſe ſubſtãtiæ: Quæro. Quale eſt Ens illud, quod manere intelligitur ꝑciſo illo modo? Aut. n. eſt Ens cõe abſtractum à ſingularitate: & hoc non; quia implicat exiſtere rẽ abſq; ſingularitate: aut determinatũ ad ſingulare ens; & ſi hoc eſt verum; Tũc vlterius q̃ro. An in Ente ſic præciſo à rõne ſubſtãtiæ, ſit aliqua diſtinctio ex natura rei, inter rõnem entis cõis, & rationem huius entis, vel non? Si eſt diſtinctio: redit idẽ argm̃; quia oportebit illũ conceptum in duos reſoluere, & ſic vel proceſſus erit in infinitum, vel deueniendum eſt ad aliquã naturã nõ ſingularem exiſtentem: ſi verò nõ ſit diſtinctio: ergo vt cõis ratio Entis determinetur ad tale Ens, non oportet in illa diſtinctionẽ ex natura rei fingere. Tũ quia ille modus contrahens, vel includit in ſe Ens, vel non: ſi non; ergo eſt nihil: ſi includit: reſoluo in duo, & quæro de ipſo modo; & ſic vel proceſſus erit in infinitum, vel ſi non diſtinguitur modus ab Ente, idem dici debet de ſubſtantia, quòd non diſtinguitur ex natura rei ab Ente.

Tertiò. Conceptus Entis non ſolũ à creaturis, ſed etiã à Deo prȩſcinditur: ſed in Deo nõ diſtinguitur ex natura rei conceptus Entis, vt ſic, à conceptu talis Entis increati vel infiniti; ergo neque in creaturis. Maior patet ex dictis prȩcedenti Dubit. Minor probatur. Tũ quia Deus eſt ſummè ſimplex. Tum quia aliàs daretur in rebus aliqua ratio realis, ex natura rei diſtincta ab omnibus alijs, ex ſe & ex natura rei prior Deo, vt Deus eſt: quod eſt impoſsibile. Tum quia ratio Entis, quæ in Deo eſt, eſſentialiter habet Diuinas proprietates, vt eſſe independentem & increatam; vñ etiam ſecundùm illam rationem Entis prout eſt in re, Deus infinitè diſtat à creaturis.

Quartò. Sola diſtinctio conceptuũ noſtrorũ, quibus aliquid concipimus per modum cõis & particularis, non indicat ſufficientem diſtinctionem ex natura rei in re concepta; ergo neque illam indicat in cõceptu Entis, reſpectu inferiorũ; ergo nulla talis eſt diſtinctio. Anteced. patet. Tũ in rebus Diuinis, vbi conceptus Perſonæ Diuinæ cõis eſt tribus Perſonis Diuinis, in quo conceptu conueniũt Perſonæ Diuinæ, & in proprijs diſtinguuntur; & tamen in vnaquaque earum, ratio Perſonæ, & ratio talis Perſonæ, non diſtinguuntur ex natura rei, ſed tantùm ratione: ſimiliter datur conceptus ſapientiæ, & tamen nec ſapientia increata, nec creata, habet diſtinctionem ex natura rei à ſapientia, vt ſic conſiderata. Tum in rebus creatis. Exemplum eſt in luce Solis: vbi eſt virtus illuminandi, in qua conuenit cum ſplendore ignis; & calefaciendi, in qua conuenit cum calore; & exſiccandi, in qua conuenit cũ ſiccitate: à quibus omnibus poteſt intellectus varios cõceptus abſtrahere, quos omnes in luce ex natura rei exiſtimare diſtinctos, friuolum eſt & ſine fundamento.

Ita arguit Zuar. in Metaph. Diſp. 2. ſect. 3. num. 7. & non pauci Thomiſtæ ibidem, ab eodem citati.

In oppoſitũ eſt D. Subtilis, tum hìc, tum in 2. diſt. 17. vbi docet ſuperiora diſtingui ab inferiorib. formaliter. Idẽ hr̃ 5. Metaph. eius, q. 5. & 6. Et cõis eſt Scotiſtarũ, cùm tractant de diuiſione Entis finiti in decem prædicamenta.

Hic inprimis Præmittẽdũ eſſet, qualis ſit iſta diſtinctio ex natura rei. Deinde inq̃ri deberet, qũo Ens cõtrahatur ad ſua inferiora, quãq; diuerſimodè ab illa contractione, qua cõtrahitur genus ad ſuas ſpẽs. Sed de primo horũ, cõſule d. 34. De ſecũdo aũt, hr̃ ſufficienter d. 8. quęſt. 3. & 4.

Concluſio. Conceptus Entis obiectiuus, vt eſt obiectum conſiderationis Metaphyſicæ, non tantùm diſtinctione rationis diſtinguitur à conceptibus inferiorum, vt ſubſtãtiæ & accidentis, ſed etiam ex natura rei. Probatur Primò. Ratio Entis, ante omnem operationem intellectus, ſupponit aliquam diſtinctionem, à ratione Subſtantię, Quantitatis, &c. ergo ratio Entis à Subſtantia, alijſque inferioribus, non tantùm ratione diſtinguitur. Antecedens probatur. Illa extrema diſtinctionis ſunt diſtincta ante omnem operationem intellectus, de quibus verificari poteſt contradictio, ante omnem operationem intellectus; quia impoſsibile eſt quòd contradictoria in re, vni eidemque rei conueniãt, & impoſsibile eſt de vno eo-

Conceptus Entis diſtinguitur ex natura rei, à conceptib. inferiorum creatorum.

denique ſimpliciter in re, aliquid affirmare ſimul & negare, cũ hoc ſit principiũ Metaphyſicũ, in quo fundatur oĩs diſtinctio: ſed de Ente & ſubſtantia poſsũt verificari cõtradictoria, ante oẽm operationem intellectus; ergo iſta ſunt aliquomõ diſtincta ante oẽm operationẽ intellectus. Aſsũptum patet. Quia ante oẽm operationem intellectus verè Subſtantia cõuenit cũ Quantitate in Ente, nõ conuenit in rõne propria Subſtantiæ: ſimiliter Quantitas cũ Qualitate cõuenit in Ente, cũ ante oẽm negotiationem rationis ſint entia; non aũt conueniunt in rõne propria Quantitatis vel Qualitatis; ergo ante oẽm operationẽ intellectũs eſt ĩ Subſtãtia aliqua diſtinctio Subſtãtiæ & Entis, ſimiliter in Quãtitate, ratio Quantitatis & ratio Entis, diſtinguentur.

Rõ prima.

Nec valet reſponſio Zoarij; qui docet, contradictoria conuenire alicui omnino indiſtincto à parte rei, vt Quantitas & Qualitas, conueniunt in ratione communi accidẽtis, & differũt rationibus proprijs; cùm tamen ratio accidentis in Quãtitate, nullo modo ſit diſtincta à Quãtitate vel Qualitate, ſecundùm rationes proprias earũ. Non valet inquã. Tum quia manifeſtã concedit implicationẽ; implicat enim duo contradictoria à parte rei, conuenire vni ſimul eidemque à parte rei; cõtradictoria.n. ſimul eſſe vera, eſt impoſſibile, quod ipſe oĩno concedit. Tum quia exemplũ eſt non ad propoſitũ, ſed ad oppoſitum; par.n. eſt ratio accidentis in conceptu cõi, in quo ante omnem operationem intellectus accidentia conueniunt, & de conceptibus proprijs quib. differunt; ſicut de conceptu Entis & inferiorib. eius.

Zuar. admittit contradictoria ante operatiõné intellectus veri ficari de eodem.

Probatur Secundò. Rõne Subt. Doctoris infra d.8.q.4. Si rõ Entis in Subſtantia eſſet idem formaliter ex natura rei quod Subſtantia, ſequeretur ꝙ rõ Entis in cõi, eſſet formaliter Subſtantia in cõi; Conſequens eſt falſum, & contra opinantis propoſitum; ergo & antecedens. Sequela Maioris probatur. Sicut infinitas contrahens quaſi rationẽ Entis, non deſtruit illius rationem formalem; ita & vnio illa intrinſeca Entis & ſubſtantiæ, non tollit rationem formalẽ Entis & Subſtantiæ. Ratio huius eſt. Quia in quocunque gradu intelligatur eſſe aliqua perfectio, non tollitur ratio formalis iſtius perfectionis, propter iſtum gradum: ſicut igitur in communi ratio Entis eſt formaliter diſtincta, à ratione Subſtantiæ, ita & in ipſa ſubſtantia non amittit ſuã diſtinctam rationem formalem: quodſi amitteret, nõ poſſet concipi illa ratio communis, niſi conciperetur hæc rõ, quod eſt falſum. Confirmatur. Hoc eſſe aliquid idem formaliter alteri, eſt includere aliquid in ratione ſua eſſentiali, ita quòd ſi definitio includentis aſſignaretur, incluſum eſſet definitio vel pars definitionis, vt dictum eſt diſt. præced. q. vltima: at ſi definitio Entis eſſet poſſibilis; vt ipſe cõceptus quidditatiuus Entis nõ includit Subſtãtiã formaliter in ſe (& idẽ dico de alijs inferiorib. Ente) ergo neq; vt eſt in Subſtantia: ac proinde rõ Entis in Subſtãtia, formaliter ex natura rei, nõ eſt idem propriè rationi Subſtantiæ.

Rõ ſecũda.

Probatur Tertiò. Conceptus obiectiuus, eſt ipſum obiectum actu intellectum, vt dictum eſt pręcedenti Dubitatione, & concedit Zuar. Vel igitur intelligendo rõnẽ Entis in Subſtantia, intelligo illud idẽ obiectũ in re, quod intelligo, propriam rationem ſubſtantiæ intelligendo, nullo mõ à parte rei diſtinctam; vel non idem, ſed aliquo modo diſtinctum in re: ſi ſecundo modo; habetur propoſitũ, qđ ibi ſit aliqua diſtinctio in re, Entis & Subſtãtię: ſi primũ detur; tũc Ens & Subſtãtia sũt Sinonyma vnius eiuſdẽq; rei, quia plures voces eandẽ ꝑcisè rẽ exprimentes, ſunt Sinonyma.

Rõ tertia.

Dices. Nõ ſunt Sinonyma: q̃a in re rñdent diſtincta extrema per rõnẽ, & ita Ens erit diſtinctũ rõne à Subſtantia. Cõtra Primò. Voces primæ intẽtionis primò & immediatè ſignificãt res à parte rei, vnde & nomina primæ intẽtionis vel impoſitionis dñr; ergo nomẽ Entis & Subſtãtiæ, cũ ſint noĩa primæ intẽtionis, nõ ſignificabũt entia rõnis (quæ ſignificantur nominib. ſecũdæ intentionis;) ſed entia realia, vel entitates, ſeu realitates à parte rei. Secundò. Adhuc ſtat rõ, qđ iſtæ voces, Subſtãtia, Ens, Corpus, ſint Sinonyma ſignificati realis, licèt nõ ſignificati rõnis. Tertiò. Intellectio eiuſmodi rerũ eſſet oĩno falſa, quia intelligeret intellectus diſtinctionẽ in re, in qua nulla eſſet diſtinctio, & ita intellectio nõ eſſet cõformis re intellectæ. Deinde cũ dicitur, qđ ſit diſtinctio rõnis inter rõnem Entis & Subſtãtiæ. Quæro. Iſtius diſtinctionis extrema, ſuntne realia vel rõnis? Non realia ꝑ te; quia in vno omnimodè Ente eſt talis diſtinctio: nec rationis; quia tunc ſcientia Metaphyſica, quæ eſt de Ente, & Phyſica quę eſt de ſubſtantia corporea, eſſent ſciẽtia non reales, quia non de obiecto reali, ſed de obiecto conſtituto per rationem verſarentur.

Oppoſitã ſentẽtiã tenẽtes debẽt dicere gradus Metaphyſicos eẽ ſynonima rei vnius.

Quare doctrina illa Zoarij, q̃ docet, argumẽtationem à rõne obiectiua vt ꝑciſa ab intellectu, ad rõnẽ rei in ſe, eſſe æquiuocã, eſt oĩno reijciẽda. Quia verè illud ipsũ eſt ratio obiectiua realis, qđ eſt in re intelligibile; ſi igitur ratio illa terminans intellectionem, eſt diſtincta ab alia, vt ratio Entis à ratione Subſtantiæ; aliquid in re cognitum vt Ens, & cognitum vt Subſtantia, ſunt rõnes diſtinctæ à parte rei: quia cognitio noſtra terminatur ad res à parte rei.

Zuarij bięctio futatur.

Et ſanè (vt loquar cũ Doctore Subt. loco citato) ſi cõceptus Entis eſt diſtinctus ſolũ rõne à Subſtãtia: vt q̃d Zuar. & cæteri, implẽt tot quaterniones, oſtẽdendo de Ente paſſiones & modos, cũ illa ſit tm̃ diſtinctio à noſtro intellectu fabricatã? Nã ita bene vna ſubſtantia ſpecifica, intelligitur quantũ ad oẽm cognitionem realẽ ſui, prout cognoſcitur ſub vna proprietate, vt ſub vnitate, aut ſub vno ꝓdicato eſſentiali, vt ſub cõceptu ſubſtantię; ſicut ſi cognoſcatur ſub rõne oĩum proprietatũ, vel prædicatorũ eſſentialiũ (hæc.n. sm̃ illos nõ diſtinguũtur ex natura rei ab illo, de quo ꝓdicantur per ſe primo, vel ſecundo modo, quia cognitio plurium entium rationis, non facit ad perfectiorem cognitionem realem habendam de aliquo.

Probatur Quartò. Qñ aliqua duo ita ſe habẽt, qđ vnum ſit in aliquo, ĩ quo nõ eſt alterũ, illa ẽt inter ſe, cũ ſunt ĩ aliquo vnita, ſeu vnitiuè cõtenta, diſtinguũtur ex natura rei; ita eſt ĩ propoſito, q̃a eſt ibi aliqua rõ Entis, vbi nõ eſt Subſtãtia, vt in accidẽte, ſimiliter eſt rõ Entis, vbi nõ eſt conceptus accidẽtis, vt in Subſtãtia; rõ igitur Entis ẽt vnita cum Subſtãtia & accidẽte, diſtinguitur aliquo mõ ex natura rei. Maior probatur. Quia vnio illa, vel cõtinentia virtualis, nõ deſtruit rõnes formales & intrinſecas Entis ac Subſtãtiæ, Entis & accidẽtis, & ſic de alijs; ergo illæ rõnes ẽt vt vnitę, manẽt aliquomõ diſtinctæ: nõ aũt tanta diſtinctione quãta in ſeparatis, vt rõ Entis in Subſtãtia & in accidente, neq; præcisè diſtinctione rationis, vt patet tũ ex dictis, tũ quia vnio eſſentialis & dependens ſupponit vnibilia, ſi non sm̃ rem, ſaltem ſecundùm rationes formales, diſtincta.

Rõ qua

Inſtãtiæ Zoar. cõtra hoc argumentũ nõ valẽt. Nã quod dicit, rõnẽ Entis q̃ in ſubſtãtia reperitur, nõ reperiri eandẽ sm̃ rẽ in accidente, neq; è cõuerſo, ſed eandem tm̃ sm̃ rõnẽ, ſeu sm̃ quandã conuenientiã, & ſimilitudinẽ, quã põt intellectus per modũ vnius præcisè concipere. Verũ eſt: ſi rectè intelligatur, nimirũ qđ non ſit illa entitas realis in accidente, q̃ in ſubſtãtia, ſicut nec illa humanitas eſt in Iacobo, q̃ in Chriſtophoro realiter; tñ illa rõ conuenientiæ & ſimilitudinis, cũ ſit in re, ante oẽm operationẽ intellectus, ſine ſubſtãtia vel accidẽte conceptibilis, ante operationẽ intellectus eſt aliqua diſtinctio entis ab inferioribus: Deinde, argumentũ noſtrũ nõ probat eandẽ rõnẽ Entis realiter incluſi in Subſtãtia, eſſe ĩ accidẽte, hoc.n. & falsũ eſt, & extra argumentũ; ſed oſtẽdit à poſteriori, ex ſeparabilitate vnius ab altero, diſtinctionẽ tertij, ſic. Si à parte rei ratio Entis in Subſtantia, idem eſſet quod ratio Subſtantię, vbicunq; eſſet ratio Entis, eſſet ratio Subſtantiæ, pp iſtã omnimodã à parte rei idẽtitatẽ. Conſequens eſt falſum, vt probatũ eſt; ergo & Antecedens, vt ſimiliter eſt oſtenſum.

Inſtanti Zoar. ſo tur.

Quintò. Qñ vnũ in ſuo formali cõceptu nõ ĩcludit aliud, illa diſtinguũtur ex natura rei, ante operationẽ intellectus, vt cõſtat ex Quid noĩs Diſtinctionis formalis ex natura rei, ſed rõ Entis nõ includit ĩ ſuo cõceptu alia ĩferiora, vt ſubſtantiã vel accidens; ergo rõ ſeu cõceptus Entis, diſtinguitur ex natura rei à conceptibus inferiorum.

Rõ quir

Dices. Sed in conceptu inferiorum includitur ratio Entis quidditatiuè; Ergo inferiora non diſtinguentur ab Ente ex natura rei, & tñ Ens diſtinguetur ab illis formaliter, qđ videtur eſſe incõueniens. Reſolutio huius ſufficientiſſima, dicta eſt diſtinct. præced. quæſt. 7. art. 3. concl. 5.

Ad Argumenta in principio poſita.

Ad Primũ. Nego Antecedẽs. Ad Probationem. Rñdeo. Modi q̃ rõnẽ Entis cõtrahũt, vt depẽdẽtia, finitas, &c. non for-

formaliter,sed idēticè & realiter sunt idē qd Ens:quare cōceptus Entis,nō est pcisus realiter ab illis, sed formaliter, imperfecta formalitate: vt d.8.q.3.dicit. Porrò dictū illud,Modū non esse formaliter Ens, licèt sit realiter Ens,sic intelligi debet. Quòd tametsi modi Entis, tam inferiora sint intrinsecè entia, ita quòd impossibile sit esse substantiam vel accidens, & non esse Ens;tamen illud conceptibile, seu intelligibile, secundùm illum proprium conceptum inferioris, non dicit illum conceptum formalem Entis, præcisum ab inferioribus,atq; ita dicitur Ens non formaliter.

Hunc modum respōdendi Doctoris Subt. sequitur Ant. Trombeta 4.Met.q.3.& non pauci recentiores.

Ad Secundum. Illa diuisio est insufficiens. Nam subiectū ad propriam passionem, vel ad modum intrinsecum, neq; se habet vt includens & inclusum (quia neutrum est pars,) deinde quia inclusum essentiale, dicitur in Quid de includente; at neq; subiectum de modo, vel passione, neq; passio vel modus dicitur in Quid de subiecto (& loquor de modis ex sententia communi) neq; vt contradistincta realiter,vt dist.8.& 30.ostenditur: ac proinde iste modus essendi rerum,est alius ab illis duobus.

Ad Primam Confirmationem. Dico nullo modo sequitur infinitas. Nam ratio Entis vt est in Substantia,non est ex se singularis, & indiuidua, sicut nec ipsa Substantia est ex se,& à se indiuidua,vt dicitur in 2.dist.3.à Doct.sed per differentiam indiuidualem; siue igitur ratio Entis in communi, abstrahatur à ratione Substantiæ in communi, siue ab hac Substantia, hæc ratio Entis,præcisè & ex natura rei,ratio substantiæ non est ratio Entis,& è conuerso. Cùm dicis. Ergo ratio talis Entis, si distinguitur à ratione Entis, erit resoluenda in duo ex natura rei distincta. Concedo. Quia aliud est differentia indiuidualis contrahens rationem Entis, aliud ratio Entis absq; illa: sed hac facta resolutione, est status.

Ad Secundam Confirmationem. Tam modus Entis, quā aliqua ratio inferior ipsum contrahens,vt Substantia,est includens rationem Entis realiter, sed non formaliter, vt dixi ad Primum: quanquam propriè & Philosophicè loquēdo, modus Entis non includit Ens, cùm includens habeat se per modum totius, inclusum verò per modum partis; sed modus nullo modo potest dici totū, respectu rei cuius est modus:quare meliùs interrogaretur. Vel est idem,vel non?Et dico,quòd est idem realiter,sed non formaliter.

Ad Tertiam. Concessa Maiori. Ad minorem respondeo. In Deo conceptus Entis,& conceptus talis Entis, non sunt duo conceptus in ratione Entis: quia illa ratio Entis, est tale Ens: quanquam ly tale, dicat aliquid quasi superadditum ad Ens,quod non dicit ratio Entis.

Dices. Saltem ratio Entis, à ratione Deitatis,videtur distingui ex natura rei; quia hoc est conceptibile sine illo, neque enim Ens,in suo conceptu præciso,dicit Deitatem. Respondeo cum Doctore Subt. in 1. d.8.q.4. quòd distinguatur ex natura rei: cùm hac tamen distinctione, vel potiùs non identitate ex natura rei,stat omnimoda simplicitas Diuina: quia ibi nulla est realis compositio,imò neq; ex natura rei,actualis vel potentialis,vt multis ibi ostendit Doctor.

Neque illa Secunda confirmatio argumenti valet. Quia impossibile est, esse aliquam realitatem subiectiuam priorē Deo,non realitatem obiectiuam. Vel si non placet prioritas obiectiua,quam communiter admittunt Scotistæ. Dic iuxta dicta præcedenti Dubit. Notabili 2.quòd conceptus Entis, erit prior omni conceptu substantiæ finitæ, vel accidentis,non autem respectu Dei.

Tertia confirmatio huius argumenti verissima est, quòd ratio Entis quæ est in Deo, est realiter infinita & independens, secundùm præcisionem simplicem loquendo; verùm nos loquimur de ratione Entis obiectiua, secundùm præcisionem reflexam Ens considerando: est igitur realiter infinita ratio Entis in Deo, sed non ratio Entis sumpta formaliter, secundùm se præcisè iuxta abstractionem (vt dixi) reflexam.

Ad Quartam. Sola distinctio conceptuum formalium, ab intellectu productorum, non indicat distinctionem ex natura rei in obiectis cognitis, quia etiam in ipso Ente, potest concipi ratio Entis & ratio entitatis, quæ sunt ratione tantùm distinctæ; sed bene indicat distinctionem ex natura rei,in re distinctio conceptuū obiectiuorum, vt sit in obiecto antequam actu concipiatur, ratio conceptibilis vna & altera,qualis est in proposito; alia enim est ratio obiectiua Entis in Substantia, alia Substantiæ vt Substantia est.

Ad Primam Confirmationem Antecedentis. Respondeo. Ratio illa Personæ, vt dicit aliquid commune Patri, Filio & Spiritui S.non significat secundam intentionem, vt ostendit Subtilis Doct. infra dist. 25. Lichet.ibidem.Rada. Controu. 22.& consequenter ratio Personæ, & ratio talis Personæ, non essent præcisè idem ex natura rei, secundùm illos.

Ad illud de sapientia, vt abstrahit à creata & increata. Dicit Lichet. in 1.dist.8.q.2.circa finem. Quòd à sapientia creata & increata, non possit abstrahi vnus conceptus sapientiæ, qui de vtraq; dicatur in Quid, nam conceptus Sapientiæ abstractus à sapientia creata, intrinsecè est generis determinati, nempe Qualitatis, atq; ita non transcendens: sapientia verò vt abstrahitur à sapientia increata, est quid transcendens: ac proinde tantùm prædicabitur in Quid de illa sapientia à qua abstrahitur transcendenter, non autem à sapientia creata. *Licheti responsio. Sapientiæ cōceptus vnus an possit haberi,qui abstrahat à sapientia creata & increata.*

Hæc tamen responsio Licheti non est sufficiens, nec Scotica, nam infra Doctor dist.26.in respon. ad Primum Tertiæ viæ,videlicet art. 5. concedit à paternitate creata & Diuina, abstrahi posse vnum conceptum communem paternitatis: & tamen certum est, quòd paternitas creata, sit de genere Relationis, & intrinsecè accidens, paternitas autem Diuina est ens subsistens, transcendens. Vnde si quid concluderet discursus Licheti, concluderet pari modo de conceptu paternitatis, imò & de ipso conceptu Entis, quia ratio Entis est in Deo simpliciter necessaria, independens, infinita;in creatura est contingens,dependens,finita. *Respōsio Lichet.non est Scotica.*

Respondeo igitur, iuxta dicta præcedenti Dubitatione. Esto quòd sapientia præcisa à Deo, præcisione simplici,non distinguatur ex natura rei ab hac sapientia Diuina, indepēdenti, & necessaria; sapientia tamen præcisa, præcisione reflexa (quatenus in ea non consideratur aliquid, necessariò ipsi adiunctum, sed solus duntaxat conceptus formalis sapientiæ) distinguitur formaliter à sapientia vt sapientia est Diuina. Neq; hoc est vllum inconueniens; quia ex tali non identitate,relationis in communi,ad relationes personales, vel sapientiæ in communi, ad sapientiam hanc Diuinam, neq; sequitur vlla compositio, neq; ponimus in Deo duas sapientias, aut quatuor Personas, sed dicimus quòd ratio primæ intentionis, abstracta à tribus Personis vt Personæ sunt, non est ratio obiectiua huius vel illius Personæ existētis: similiter ratio sapientiæ,ab omni modo præcisæ,ita cōuenit sapientiæ finitæ,sicut infinitæ. *Responsio de mente quorundam Scotistarū.*

Meliùs tamen longè, affirmatiuè debet dicere Scotista, ad mentem Scoti, de omnibus transcendentibus abstractis in Diuinis,quòd illa verè non distinguuntur ex natura rei, ab illis à quibus abstrahuntur. Cuius dicti ratio potest esse duplex. Prima. Quia vt dixi ex Doctore dubitat.præced. in respon. ad 3.prior est re & ratione obiectiua bonitas infinita,& sapientia infinita existens,quàm bonitas vel sapiētia abstracta: quia illud Ens, quod est à se, & necesse esse simpliciter, est prius omni alio quod nō includit necesse esse:cùm igitur sapientia Dei,& omnis alia perfectio, sit simpliciter independens, & ex se necesse esse, erit simpliciter prior omni alio Ente, etiam obiectiuè considerato. Intellectus tamen noster,suo modo imperfecto cognoscendi,hoc facit prius esse & communius, quod est abstractius à pluribus. Sed in creaturis est alia ratio:ibi enim vera est compositio rationum formalium superioris & inferioris, vt dicitur dist.8.quæst.2.Secundò.Quia Essentia Diuina,est hæc numero quidditatiuè, & omne quod in illa est eiusdem rationis,est de se hoc numero & singulare, non per aliquam rationem contrahentem, vt dictum est dist.2.q.1.art.2.& quæst.5.art.3.non item in creaturis, vt docet Subt.Doctor. in 2. dist.3. ac proinde in creaturis est ratio vniuersalis & communis, distincta à singulari, non item in Deo: licèt ex imperfecto modo nostro cognoscendi,per præcisionem reflexam,possimus Diuinam sapientiam,vel aliam perfectionem cognoscere, absq; singularitate; non tamen vt vniuer- *Responsio propria.* *Quod est in Diuina essētia est de se hoc & singulare,quō.*

ſalem & potentialem, quia hoc repugnat illi entitati, quæ eſt de ſe hæc; ſed vt communem communitate communicabilitatis: de quo aliàs.

Dubitatur Tertiò.

Vtrum conceptus Entis, ſit vniuocus Deo & creaturæ, Subſtantiæ & accidenti.

Videtur quòd non. Primò. Si Ens eſſet vniuocum ad decem genera; ergo deſcenderet in illa, per aliquas differẽtias; ſint igitur duæ tales differentiæ, quarum vna vocetur A. altera B. Tunc quæro. Aut iſtæ differentiæ includent Ens quidditatiuè, aut non? ſi primum; ſequitur quòd in conceptu cuiuslibet generis generaliſſimi, includitur nugatio, quia bis ponitur Ens: ſi ſecundum; ergo non Ens erit de conceptu eſſentiali Entis; quorum vtrumq; eſt falſum; ergo Ens non eſt vniuocum ad decem genera, conſequenter ad Deum & creaturam.

Secundò. Effectus non adæquans virtutem ſuæ cauſæ, non conuenit in aliquo vniuocè cum ſua cauſa; nam ignis genitus à Sole, non dicitur vniuocè calidus cum Sole; ſed creatura eſt effectus Dei, non adæquans virtutem illius; ergo nihil dicitur vniuocum Deo & creaturæ.

Tertiò. Quæ non habent ſimilem modum eſſendi, non vniuocantur in aliquo. Patet de domo exteriùs facta, & de domo in mente concepta; ſed Deus & creatura, non habent ſimilem modum eſſendi; quia Deus eſt à ſe, creatura ab aliquo; ergo non vniuocantur in Ente.

Quartò. Vniuoca ſunt paria in nomine & in ratione; ſed impoſſibile eſt, Deum eſſe parem creaturæ, in aliqua ratione; ergo impoſſibile eſt Deum vniuocari in aliquo.

Quintò. Conceptui comprehenſiuo & non comprehenſiuo, nihil eſt commune vniuocum; conceptus Dei eſt comprehenſiuus, creaturæ non comprehenſiuus; igitur &c.

Sextò. Illa ratio Entis vniuoca, vel eſſet neceſſe eſſe, vel non neceſſe; ſimiliter vel eſſet dependens vel non dependens; quia inter contradictoria non datur medium: ſi eſt neceſſe eſſe, & independens; ergo in creatura ratio Entis erit neceſſe eſſe, & independens: ſi non neceſſe eſſe, & dependens; ergo ratio Entis cùm ſit in Deo, erit non neceſſe eſſe, & dependens.

Septimò. Illa ratio Entis vniuoca, eſt potentialis, contrahibilis, & determinabilis; omnis autem ratio potentialis & determinabilis, repugnat Deo; ergo ratio Entis vniuoca, repugnat Deo. Minor. Tum quia omnis potentialitas paſſiua, dicit imperfectionem. Tum quia Deus eſt actus puriſſimus, & conſequenter nihil eſt in Deo ſic potentiale. Tũ quia in Deo ſic eſſet compoſitio; quia nimirum eſſent principia compoſitionis, gradus potentialis & actualis.

Octauò. Nullum vniuocatum, in ratione ſui vniuoci, habet aliquid plus quàm reliquum vniuocatum; ſubſtantia & accidens ſunt vniuocata in Ente; ergo ſubſtantia non habet aliquid plus in ratione ſui vniuoci, nempe in ratione Entis, quàm accidens: hęc concluſio eſt falſa; ergo aliqua præmiſſarum; non Maior, quia illa habetur in anteprædicamentis; ergo Minor.

Plures rationes vide apud Doctorem Subt. tum hìc, tum diſt. 8. q. 3. & diſt. præſ. q. 3. art. 4.

Iſtam viam negatiuam defendunt, Caiet. lib. de Ente & Eſſentia c. 2. q. 3. Bánes, & Zum. 4. part. q. 13. art. 4. Capreol. in 1. diſt. 2. q. 1. concl. 8. Ægid. 6. Met. q. 1. Gerard. Senen. diſt. præſenti, q. 1. Soncin. 4. Met. q. 3. Fonſ. ibidem, cap. 2. q. 2. quam communiter amplectuntur Thomiſtæ & Neoterici.

Affirmatiuam Sententiam defendit D. Subt. hìc & q. 3. art. 3. & 4. & diſt. 8. q. 3. lib. de ani. q. 21. 4. Met. q. 1. & lib. 3. Metaphyſicæ, expoſit. tex. 10. Ant. Andr. hìc, & 4. Met. q. 1. Ioan. Canon. 1. Phyſ. quæſt. 3. Ant. Tromb. q. 2. ſuæ Met. Mayr. Lichet. Vorrillonis, Tartar. & alij Scotiſtæ hìc. Ocam in 1. diſt. 2. q. 10. Gabr. ibid. Ioan. de Colonia q. 157.

Pro reſolutione. Nota Primò. Huius Dubitationis reſolutionem conſtare ſufficienter, ex dictis Dubitat. 1. in præſenti Articulo. Cùm enim probatum ſit conceptum Entis realem, eſſe præciſum & diſtinctum ab omnibus inferioribus, eumq; vnum; conſequenter oſtenſum eſt eſſe vniuocum; quia conceptus vniuocus ille eſt, qui habet nomen commune, & ſecundùm illud nomen rationem eandem; ita autem eſt in propoſito, quia huic nomini, Ens, reſpondet ratio quędam communis vna, diſtincta à rationibus inferiorum; ergo Ens eſt vniuocum, vel dicit conceptum vniuocum, quamuis autem ex ibi dictis ſolutio haberi poſſit, tamen propter reſolutionem multarum difficultatum in hac materia occurrentiũ, non incõgruè ſeorſim explicatur.

Inprimis igitur. Suppono hìc Ariſtotelicam doctrinam ex anteprædicamẽtis de vniuocis & ęquiuocis. Quòd Vniuoca illa dicuntur, quorum nomen commune eſt, & ratio ſubſtantię, ſecundùm illud nomen, eadem. Æquiuoca, quorum nomen commune, ſed ratio ſubſtantiæ non eadem. Sumitur vero hìc ratio ſubſtantiæ, pro conceptu eſſentiali, ita vt duo ſint de ratione vniuoci. Primò quòd habeat vnũ nomen. Secundò quòd illi nomini correſpondeat ratio ſubſtantiæ, ſeu conceptus eſſentialis idem, qui poſſit eſſe communis multis, vel qui de facto eſt in multis. Siue igitur illa ratio, eodem modo ſit in vniuocatis, ſiue non; nihil obeſt vel prodeſt vniuocationi: dummodo dicat vnum conceptũ communem, abſtrahibilem ab vniuocatis. Similiter dico de æquiuocis, dummodo ſit nomen commune, cuius immediatum ſignificatum ſecundùm illud nomen non ſit vnum, ſed multiplex, verè erit æquiuocum, etiamſi hoc ęquiuocatum ſit magis & formaliùs tale, quàm aliud; hoc enim non impedit æquiuocationem.

Ex quo manifeſtè colligitur veritas illius doctrinæ. Quod inter vniuocum & æquiuocum, non detur medium Analogum; idq; propterea, quia inter contradictoria non datur medium: Vniuocum verò & æquiuocum contradictoria ſunt, vt patet ex eorum definitionibus. Hoc nihilominus dictum, intelligendũ eſt de vniuoco & æquiuoco in ratione vniuoci & æquiuoci: non de participatione rationis vniuocæ vel æquiuocæ. Quod ſic explico. Vniuocum in ratione vniuoci, tantùm dicit nomen commune, & ratione ſubſtantiæ eandem in vniuocatis, ſecundùm illud nomen. Æquiuocum verò dicit nomen commune, & rationem non eandem, ſecundùm illud nomen in æquiuocatis. Inter vniuocum igitur & æquiuocum ſic acceptum, non eſt medium analogum: quia vel nomen analogum dicit eandem rationem, & ſic eſt vniuocum; vel non eandem, & ſic eſt æquiuocum, medium inter hæc contradictoria fingi non poteſt. Vniuocum autem participatione rationis vniuocæ eſt, quãdo vniuocè & eodem modo participatur illa ratio vniuoca: ſic, quia natura humana eodem modo eſt in Chriſtophoro quo in Iacobo, & ſic in alijs indiuiduis; dicitur homo eſſe terminus vniuocus, non tantùm in ratione vniuoci obiectiuè, ſed etiam in ratione participationis, quia eodem modo participatur illa ratio vniuoca à ſuis indiuiduis: Ens verò licèt ſit vniuocum obiectiuè, & in ratione vniuoci (quomodo quidquid eſt vniuocum, eſt verè & abſolutè vniuocum) non tamen eſt vniuocum participatione; quia alio modo participatur à Deo, independenter videlicet & infinitè, alio modo à creatura, dependenter & finitè. Proportionaliter dicendum eſt de æquiuocis in ratione æquiuoci, & de æquiuocis participatione: quod illa ſunt æquiuoca participatione, quæ non tantùm non habent commune ſignificatum, ſecundùm nomen æquiuocum, ſed etiam omnino diuerſo modo participantur illa diuerſa ſignificata ab æquiuocatis. Cùm igitur vniuocè participare, ſit eodẽ omnino modo participare rationem vniuocam, & æquiuocè participare ſit omnino diuerſo modo participare vocem æquiuocam, ſecundùm diuerſa ſignificata: poterit aſſignari medium, quod nec omnino eodem modo participat rationem communem, nec omnino habet diuerſam; ſed quodammodo eandem, propter attributionem ad vnum, vel propter proportionem: & hæc dicuntur Analoga. Verùm tamen ab his Analogatis, vel eſt abſtrahibilis vnus conceptus, vel non: ſi primum; eſt vniuocus ille conceptus, licèt nõ omnino vniuocè participetur à ſuis vniuocatis, ob quem diſſimilem modum participandi illa vniuocata dicuntur Analogata: ſi ſecundum; erit æquiuocum, licèt non omnino illa æquiuocata ſint diuerſa. Et ſic intelligi debet dictum Doct. Subtilis, quòd vnitas attributionis ſit minor vnitate vniuocationis: licèt aliter intelligat Philip. Fauent. Theor. 96. cap. 10. ſed non ad mentem Scoti. Hoc dictum vt clariùs intelligatur.

Nota

…iuocatio …cta qua …r habet …dictio…s.

Nota Secundò. Perfectiſſima vniuocatio, quatuor debet habere conditiones (vt refert Ioan.Canon.1.Phyſ.q.3. ex Franciſco de Marchia, Ordinis noſtri Theologo, & acceptant communiter Scoti ſequaces) Primò. Vniuocationem conceptus, ſeu rationis intelligibilis, aut quidditatis. Secundò. Eundem modum exiſtentiæ in vniuocatis. Tertiò. Eundem ordinem deſcendendi in vniuocata. Quartò. Vt ſit in vniuocatis, ſecundùm eandem perfectionem eſſentialem: ſic humanitas habet inprimis eundem conceptum hominis in communi: deinde eundem modum exiſtendi in Petro & Paulo: tertiò habet eundem ordinem, quia æquè primò humanitas apta eſt ineſſe huic ſuppoſito humano, ſicut illi; nec enim eſt inter ſuppoſita eiuſdem rationis accidentaliter ordinata, ordo eſſentialis, vt dictum eſt diſt.2.q.2. quartò non plus eſt de perfectione eſſentiali, in vno indiuiduo humano, quàm in altero.

…o vniuo…tione per…ta, quō …quid defi…t.

Ab iſta perfectiſſima vniuocatione poteſt aliquid deficere. Primò, ratione vltimæ conditionis, quia ſcilicet vniuocum erit in vniuocatis ſecundùm eandem rationem, & eundem modum ac ordinem, ſed non ſecundùm eandem perfectionem eſſentialem; ſic genus, puta animal, eſt in ſpeciebus, vt in homine & in Leone: quia genus ſubalternum ex differentijs ſpecificis ſibi adiunctis, dicit in vna ſpecie maiorem perfectionem, quàm in altera, vt animal perfectius eſt in homine, ex rationali ſibi adiuncto, quàm in bruto. Ratione huius, verificatur dictum illud Philoſophi 7.Phyſic. *In genere latent æquiuocationes*, quam quidam vocant analogiam Phyſicæ inæqualitatis; quia analogia vel æquiuocatio, ſtat cum vera vniuocatione generici conceptus obiectiui, ſecundùm omnes. Secūdò, poteſt aliquid deficere à perfectiſſima vniuocatione, ratione ordinis; quia videlicet non eodem ordine inerit vniuocatis, ſed priùs vni quàm alteri: ſic Ens finitum, ſecundùm eundem conceptum Entis finiti, & ſecundùm eundem modum (quia finitè & dependenter) ineſt tam ſubſtantiæ, quàm accidenti, ſed priùs ſubſtantiæ, quàm accidenti, iuxta illud Philoſophi 7.Metaph. *Subſtantia eſt prior accidente natura, tempore, & cognitione.* Tertiò, poteſt deficere ratione modi, & aliarum duarum conditionum, ſeruando primam: ſic ratio Entis cōuenit Deo & creaturæ: licèt enim Ens dicat vnam rationem intelligibilem, ſeu vnum conceptum obiectiuū, non tamen ineſt eodem modo; quia Deo neceſſariò, infinitè, & independenter; creaturæ finitè, contingenter, & dependenter: à fortiori, non ſecundùm eundem ordinem, nec ſecundùm eandem perfectionem eſſentialem.

…ra vniuo…tio i quo …nſiſtit.

Ex his modis, vt vltimus modus eſt perfectiſſimus, vbi vniuocum & in ſe dicit vnum conceptum obiectiuum, & vniuocatis conuenit ſecundùm eandem perfectionem eſſentialem, & ſecundùm eundem modum, & ſecundùm eūdem ordinem; ita primus eſt longè imperfectior ſecūdo, ſecundus autem tertio imperfectior, ſicut tertius quarto: vera tamen propria ratio vniuocationis, primario attenditur in vnitate rationis intelligibilis, ſeu conceptus; vt patet ex definitione Philoſophi, quam dat de vniuocis, vbi rationem eandem præciſè, ſeu conceptum eundem requirit obiectiuum, cum identitate nominis, non alia; ſecundariò autem per accidens, complementum perfectionis vniuocationis ſecundùm magis vel minùs, attenditur penes deſcenſum illius vniuoci in vniuocata, an ſcilicet deſcendat ſecundùm eandem perfectionem eſſentialem, ſecundùm eundem modum, & ordinem.

…on im,p. …nt aduer…ij Entis …inocatio …directè.

Eſto igitur quòd iſta tria non ſint in conceptu Entis, vt eſt communis Deo & creaturæ; cùm tamen ſit vnitas conceptus obiectiuè ſumpti, abſtracti ab vniuocatis, verè & propriè Ens erit vniuocum: licèt non ita perfectè, ſicut genera ſubalterna ſpeciebus, vel ſpecies indiuiduis. Et in hoc eſt magnus error aduerſariorum: qui dum volunt probare Entis Analogiam, vel æquiuocationem, probant, quòd nec eodem modo, nec eodem ordine, nec ſecundùm eandem perfectionem eſſentialem, inſit ratio Entis Deo & creaturæ, ſubſtantiæ & accidenti; quod nos vltrò illis damus: ſed loquendo de ipſo conceptu, non conſiderando modum, ordinem, & perfectionem, ille in ſe dicit vnam rationem communem multis: & hoc dicimus eſſe vniuocum ſecundùm rationem vniuoci formalem conſiſtentem in vnitate conceptus obiectiui; non tamen vniuocè, ſeu non eodem modo, ineſſe illis quibus conuenit; ac proinde vniuocata ſolùm vniuocantur in ratione obiectiua Entis, & non in alijs rationibus: quarum rationum aliarū diuerſitas, attenditur, non in ipſa ratione obiectiua Entis, ſed prout in ſuis vniuocatis eſt, tali vel tali modo, aut perfectione, aut ordine.

Nota Tertiò ex Doctore lib. de anim. q.1. quem ſequitur Ant.Andr.4.Met.q.1.Canon.ſupra, Rada Controu.21. art.1. Vniuocationem aliam eſſe Phyſicam, aliam Logicā, aliam Metaphyſicam. Tunc autem dicitur conceptus vniuocus, vniuocatione Phyſica, quando illud conceptibile habet vnitatem ex natura rei, circumſcripto omni opere intellectus, ſic quòd tale conceptibile, non ſit diuiſibile in plura alterius & alterius rationis: & tali vniuocatione, ſola natura ſpecifica eſt vniuoca, quia habet eandem rationem communem ad indiuidua, contractam ſecundùm eandem perfectionem, modum, & ordinem; quæq; licèt in plura numero diuidi poſſet, non tamen poteſt in plura diuerſæ rationis, ſed in plura numero diſtincta. Vniuocatio Logica, attenditur in rebus primæ intentionis, quando aliqua realitas primæ intentionis, concipitur ſub conceptu alicuius ſecundæ intentionis, vt animal ſub conceptu generis, vel hominem ſub conceptu ſpeciei. Metaphyſica vniuocatione tunc aliquis conceptus dicitur vniuocus, quando ex natura ſua abſtrahibilis eſt aliqua prima intentio ab inferioribus, non ſub ſecunda intentione, ſed ipſa realitas concepta præciſè: & ſic vniuocatio conuenit tam realitatibus tranſcendentibus, quàm ſub aliquo genere contentis vel ipſis generibus. Ad hanc etiam diſtinctionem pertinet, illa ab Aquilano tradita diſtinctio vniuocationis, in prædicamentalem & tranſcendentalem. Vniuocatio prædicamentalis reperitur in terminis prædicamentalibus, tranſcendentalis in tranſcendentibus. Iſtis prænotatis ſit.

Vniuocatio, Logica, Phyſica, & Metaphyſica.

Vniuocatio prædicamētalis & trāſcendētalis

Concluſio Prima. Ens vt eſt commune ad Ens reale & rationis, nullo modo eſt vniuocum, tā vniuocatione Phyſica, quàm Metaphyſica, imò nec Logica. Quòd non ſit vniuocum vniuocatione Phyſica. Probatur. Illud quod eſt vniuocum tali vniuocatione, debet habere vnam naturā, abſq; omni opere intellectus; ſed Ens ita communiter sūptum, non dicit aliquam naturam præter opus intellectus; ergo Ens non eſt vniuocum vniuocatione Phyſica. Imò non tantùm in hac latitudine non eſt vniuocum vniuocatione Phyſica, ſed & in alijs duabus, cùm ſola natura ſpecifica ſit vniuoca tali vniuocatione.

Ens vt eſt cōmune Enti reali & rationis non eſt vniuocū

Quòd non Metaphyſica. Probatur Primò. Illa quæ in nullo conceptu reali conueniunt, nullum habent vniuocū conceptum, vniuocatione Metaphyſica: ſed Ens reale & rationis in nullo conceptu reali conueniunt; ergo Ens reale & rationis, non habent aliquid vniuocum vniuocatione Metaphyſica. Maior patet ex Notab. 3. quòd vniuocum Metaphyſica vniuocatione, requirat conceptum obiectiuum realem, abſtrahibilem ab entibus realibus. Minor. Quia illa ratio vniuoca, eſſet intrinſeca ſuis vniuocatis: atq; ita ille conceptus realis, vt eſt communis ad Ens reale & rationis, eſſet intrinſecus enti rationis, quod eſt falſum: nullum enim ens reale eſt intrinſecum enti rationis, vel è conuerſo. Secundò. Vniuocum Metaphyſicum eſt, quod habet nomen commune, & rationem ſubſtantiæ, ſeu conceptum eſſentialem eundem, ſed Ens tali modo ſumptum, vt eſt commune ad Ens reale & rationis, non habet aliquē conceptum eſſentialem vnum, quia ille neceſſariò ſi eſſet Metaphyſicus deberet eſſe realis, & ita idem eſſet diuiſum & membrum diuidens; deinde eſſet de intrinſeca ratione entis rationis; vel ſi eſſet conceptus rationis, tunc ens rationis eſſet de intrinſeca ratione entis realis.

Dices. Nec eſt Ens reale, nec rationis. Reſpondeo. Sic eſt Chymera, de qua non diſputat Metaphyſicus.

Quòd verò Ens commune reali & rationis, non ſit vniuocum etiam vniuocatione Logica. Probatur. Vniuocum dicitur vniuocatione Logica, aliqua vna realitas, ſub ſecunda aliqua intentione concepta, vel plures realitates reales, ſub vna ſecunda intentione conſideratæ; ſed Ens in iſta latitudine ſumptum, nullam dicit realitatem primæ intentionis, quæ ſubſit ſecundæ intentioni; nec plures realitates

ſub

sub vna secunda intentione contentas, vt patet ex dictis; ergo non est vniuocum vniuocatione Logica.

Ens reale, vt est cōmune Deo, & creaturę, est vniuocum Metaphysicū, licèt non Physicum.

Conclusio Secunda. Ens secundo modo sumptum, pro Ente reali, vt est commune ad Deum & creaturam, est verè vniuocum, tam Logica vniuocatione, quàm Metaphysica, at non Physica.

Quòd non Physica: patet ex Prima Conclusione; quia vt sic, non dicit vnam aliquam naturam, præter opus intellectus.

Quòd Logica vniuocatione sit vniuocum; ostendit Anton. Andr. sic. Illud quod dicit aliquam vnam realitatem, vel primam intentionem, conceptam sub aliqua intentione secunda Logica, est vniuocum vniuocatione Logica, vt patet ex Notab. 3. sed Ens reale communissimè sumptum est eiusmodi; ergo est vniuocum vniuocatione Logica. Minor. Quia licèt Ens ita acceptum, non concipiatur sub intentione generis vel speciei vel alterius alicuius secundæ intentionis intra genus; concipitur tamen, vel potest concipi, sub intentione vniuersalis, quæ est secunda intentio Logica, extra genus.

Ratio 1. Quòd verò conceptus obiectiuus Entis, sit vniuocus Deo & creaturæ, vniuocatione Metaphysica, de quo specialiter procedit hæc tota Quæstio. Probatur Primò ratione Subtilis Doct. Omnis intellectus certus de vno conceptu, & dubius de diuersis, habet conceptum de quo est certus, alium à conceptibus de quibus est dubius; sed intellectus hominis potest esse certus de aliquo quòd sit Ens, dubitando, an sit Ens finitum vel infinitum, creatum vel increatum; ergo conceptus Entis est alius à conceptibus eorum de quibus est dubius, & vniuocus eis, ita quòd ex se, est neutrum inferiorum, & includitur in vtroq; illorum. Maior. Quia nullus idem conceptus obiectiuus, est certus & dubius: igitur vel alius est certus conceptus à conceptibus dubijs, & habetur propositum; vel nullus, & tunc non erit certitudo de aliquo conceptu. Minor. Quilibet Philosophus fuit certus, illud quod posuit primum principiū esse Ens, puta vnus de igne, alius de aqua, certus erat quòd esset Ens; non autem fuit certus quòd esset finitum vel infinitum, creatum vel increatum, primum vel non primum; non enim erat certus quod erat Ens primum: quia tunc non posuisset illud pro Ente non primo.

Resp. Thomistarū reijcitur. Caietanus in lib. de ente & essentia cap. 2. q. 3. Zumel. & alij Thomistæ, 1. par. q. 13. ar. 5. dicunt hoc argumentū bene probare, alietatem conceptus Entis ab alijs conceptibus, non vniuocationem. Sed contra. Tum quia ille conceptus Entis est vnus, secundùm rationem præcisam, & secundùm illam rationem est in inferioribus, vt dixi Notab. 2. circa finem, & patet ex dictis; ergo verè est vniuocus: nihil enim plus ad vniuocationem requiritur veram, licèt non perfectam. Tum quia hoc nomen Ens, significat nomen commune, & secundùm illud nomen eandem rationem, seu eundem conceptum essentialem: si eundem; ergo vnum, si vnum præcisum ab omnibus; ergo vniuocum. Vide fusiorem huius rationis probationem in Rada, Canon. Anto. Andr. Mayr. & in ipso Doctore Subtili.

Ratio 2. Secundò Probatur. Si Ens non esset vniuocum Deo & creaturæ; sequeretur quòd non possemus habere aliquem conceptum quidditatiuum & essentialem de Deo. Consequens est falsum: ergo & Antecedens. Sequela Maioris probatur. Nihil causatur naturaliter in intellectu nostro, nisi ab his quæ sunt naturaliter motiua intellectus nostri: Sed talia motiua sunt phantasmata, & obiectum relucens in phantasmate; ergo nihil causatur in intellectu nostro naturaliter, nisi virtute istorum: sed negata vniuocatione Entis, obiectum non poterit mouere ad conceptum quidditatiuum Dei: quod sic ostendo. Obiectum mouens ad conceptum quidditatiuum Dei, vel continet illum conceptum formaliter, seu essentialiter, vel virtualiter, seu eminenter: non essentialiter, quia per te nihil est vniuocum Deo & creaturæ; nec virtualiter, quia nullum imperfectū continet virtualiter suum perfectius. Minor communiter conceditur ab omnibus.

Resp. Ferr. Ad hoc Argumentum respondet Primò Ferrar. 1. contra gen. cap. 32. Adæquatum conceptum simplicem nunc de Deo non habemus; inadæquatos autem possumus habere multos, communes illi, & creaturæ: nec est inconueniens talem conceptum contineri virtualiter in phantasmate; potest enim prius in posteriori, quantùm ad aliquem imperfectum conceptum vtriq; communem, contineri, inquantum res per phantasma repræsentata, est quædam similitudo participata prioris.

Resp. Caiet. & Fons. Respondet Secundò Caieta. loco citato, docens conceptum simplicem dictum de Deo, contineri in creatura, non formaliter nec virtualiter, sed participatiuè: similiter continetur accidens in substantia. Hanc responsionem sequitur Fons. sect. 11. loco cit.

Resp. Zum. Respondet Tertiò Zumel, contineri in phantasmate, quatenus phantasma est instrumentum rationis, ex creaturis Dei conditiones inuestigantis. Addit vltra. Quicquid cognoscitur per aliud, continetur in illo formaliter aut virtualiter: & id satis est, vt dissoluatur argumentum Scoti.

Sed istæ rationes non satisfaciunt. Quod ostendo.

Reijcitur responsio Thom. Non Prima. Tum quia conceptum inadæquatum Dei (de hoc enim Subt. Doctor hìc loquitur) contineri virtualiter in phantasmate obiecti creati, est impossibile. Ratio est. Quia continentia causæ æquiuocæ respectu effectus æquiuoci, semper dicit continens esse præstātius & nobilius, illo quod virtualiter continetur; causa enim æquiuoca, est perfectior effectu æquiuoco, vt & in Prologo declaratum est, & sufficienter ostenditur à Doct. in 4. dist. 1. & dist. 12. Tum quia conceptus prior, qui neq; formaliter, neq; virtualiter est in phantasmate, contineri non potest secūdùm quemcunq; vel imperfectum gradum, nisi vel formaliter, & habetur intentum; vel virtualiter, & hoc implicat, prius & perfectius contineri virtualiter, à posteriori & imperfectiori: iste autem conceptus quem de Deo habere possumus, est perfectior phantasiatione.

Caietani etiam responsio non satisfacit. Quia innititur falsæ additioni & fundamento. Modus enim continendi participatiuè, non est distinctus ab altero prædictorum, licèt enim Sol participatiuè sit substantia, verè tamen actualiter, & formaliter est substantia; idem etiam Sol habet participatiuè posse causare, in terra calorem, verè tamen virtualiter, est calidus. Modus igitur continendi participatiuè, non est modus distinctus inter istos modos continendi virtualiter vel formaliter, sed est modus vniuersalis, & omni enti creato conueniens vniuersaliter; cùm omne ens tale sit participatum; & sic quicquid in ipso est, participatiuè est, cùm depēdenter ab altero habeat: nos autem supposita entis creati, puta phantasmatis, dependentia & participatione, quærimus conceptum simplicem de Deo dicibilem, quem continet, vel continet virtualiter, vel formaliter; neutrum dici potest; ergo. Et quòd ista diuisio continentiæ creatæ, in formalem virtualem & participatiuam, non sit bona, patet ex duabus regulis Logicorum. Quarum Prima est: vt membra diuidentia sint distincta, nec vnum includatur in alio; continentia autem participatiua, includitur & in formali & in virtuali creata: dico creata, quia de hac est sermo in argumento, & in responsione Caietani. Secunda regula est: vt pars quælibet diuisionis, sit minor & angustior diuiso, continentia autem participata, conuenit omni enti creato, & conuertibilis est cum eo.

Tertia Responsio est nulla. Quia si intellectus per discursum deuenit ad aliquem conceptum de Deo complexum, ille complexus conceptus, debet resolui in simplices. Et quæro. An ille simplex conceptus inadęquatus de Deo, contineatur in phantasmate vel non. Si non; habetur intentum, quòd nullatenus cognoscibilis est pro statu isto, secūdùm illos; cùm nihil cognoscatur nisi quod in phantasmate continetur: & hoc vel formaliter, & habetur intentum, quod in phantasmate formaliter actualiter, ille conceptus phantasiabilis Entis, abstractus vlteriori abstractione, vt dictum est Dub. præceden. Notab. 2. sit conceptus vnus, dictus de Deo & creatura: Vel virtualiter; & hoc non, vt etiam declaratum est.

Secūda responsio, patet ex prædictis, ꝙ nulla sit. Quia illa distinctione vtitur Doctor, & neutro mō est ad itētionē nō tenētium vniuocationē Entis, respectu Dei & creaturæ.

Tertiò

tertia. Tertiò. Probatur ratione Doctoris Subt. hæc Concluſio. Secundùm Metaphyſicam conſiderationem, illa ratio quæ eſt perfectionis in creatura, vt eſt ſapientia vel intellectus, attribuitur Deo in ſummo, denudata omni imperfectione à tali ratione, quę ipſi conueniebat in creatura: ergo eadem ratio ſapientiæ abſtractiſſimè acceptæ, attribuitur Deo & creaturæ; ergo illa ratio eſt vniuoca. Anteced. patet in litera, & conſtat ex dictis Dubit. 1. Notab. 2. & diſt. præced. quæſt. 4. & concedit ipſum Zumel. Conſequentia prima, eſt manifeſta: quia illa ratio ſapientiæ, quæ cognoſcitur in creatura, denudata imperfectionibus accidentalis finitatis, & ſimilibus, attribuitur Deo. Conſequentia ſecunda, eſt Ariſtotelis in Anteprædicamentis: ſecundùm cuius ſententiam, vniuocum per ſe & quidditatiuè, non plùs requirit, quàm quòd ſit vnum nomen, & ſecundùm illud nomen ratio eadem, ita eſt hìc, ex conceſſis.

Dices. Non eodem modo. Reſpondeo. Hoc iam eſt deſcendere ad vniuocata, non vniuocum ſecundùm ſe conſiderare: nos autem Ens abſtractum à Deo & creatura, dicimus vniuocum ſecundùm ſe, non ſecundùm participationem, vel ſecundùm quod eſt in vniuocatis.

ſponſio pr. nõ ſa acit. Reſpondet Capreol. licèt ſit aliquo modo idem conceptus confuſus, communis Deo & creaturæ, non tamen eſt vniuocus; quia ad vniuocationem requiritur, quòd vniuocum ſit aliqua natura communis vniuocatis; nulla autem eſt communis Deo & creaturæ, ſubſtantiæ & accidenti.

Sed iſta reſpõſio falſo innitur fundamẽto, ꝙ ad vniuocationem, requiratur naturæ communitas & vnitas; cùm Ariſtoteles ſolam vnitatem rationis obiectiuæ, ſeu vnitatem conceptus obiectiui requirat, vt conſtat ex definitione vniuocorum.

quarta. Probatur Quartò. Quæcunq; propriè comparantur in aliquo tertio vniuocè, in illo ſunt vniuocata; ſed ens creatũ & increatum propriè comparantur in Ente; ergo ens creatum & increatum, ſunt vniuocata in Ente, & per conſequens Ens illis eſt vniuocum. Maior patet. Tum ex 7. Phyſic. tex. 22. Tum exemplo. Nam hæc non eſt vera. Albedo eſt magis color, quàm ſonus. Cuius ratio eſt. Quia color, non habet aliquam vnitatem ad albedinem & ſonũ. Minor. Quia propriè Ens increatum eſt magis Ens, & perfectiùs quàm creatum.

r. reſp. Ad hoc argumentum reſpondet Capreol. Illum conceptum in quo eſt comparatio, eſſe vnum, ſed non vniformiter participari à ſubſtantia & ab accidente, & propterea non eſſe vniuocum. Verùm ex dictis Notab. 2. patet, non requiri ad vniuocationem neceſſariò, vt vniformetur participetur, niſi ad perfectiſſimam; ſed ſufficit vnitas conceptus & rationis.

quinta. Quintò. Conceptus prædicabilis de pluribus, ſecundùm nomen & rationem, eſt vniuocus; ſed conceptus Entis, eſt prædicabilis de omnibus inferioribus, ſecundùm nomen & rationem Entis; ergo conceptus Entis eſt vniuocus. Maior conſtat ex definitione vniuoci in anteprædicamentis. Minor etiam eſt euidens. Quia Ens prædicatur de ſuis inferioribus, in quibus quidditatiuè includitur: vel denominatiuè ad minùs, in quibus includitur identicè, non quidditatiuè: de quo inferiùs.

ſexta. Sextò. Vel conceptus Entis obiectiuus, eſt vniuocus vel æquiuocus; quia non datur medium, ſecundùm dicta Notab. 1. ſed non eſt æquiuocus; Tum quia de æquiuoco non eſt ſcientia, cùm æquiuocum in actu exercito definiri non poſſit, atq; ita neq; ſciri; de Ente verò eſt ſcientia Metaphyſica; Tum quia nullum æquiuocum poteſt eſſe medium demonſtrationis, quia aliàs ex pluribus terminis, non ex tribus tantùm talis argumentatio conſtaret; Ens autem poteſt eſſe medium demonſtrationis, veluti ſi dicas, Omne ens eſt vnum; lignum eſt Ens; ergo lignum eſt vnum, loquendo de vnitate entitatiua, non illa prædicamentali diſcreta; ſi igitur conceptus Entis non eſt æquiuocus; ſequitur quòd ſit vniuocus.

ſeptima Septimò. Quando aliqua ſic ſe habent, quòd quicquid vni inquantum tale, conuenit, & alteri etiam inquantum tale, conuenit illis ſecundùm eandem rationem formalem in eis repertam (reduplicatio enim fit ſecundùm rationem formalem: & ratio eſt; quia ſi quid conuenit huic inquantum tale, & etiam idem conuenit alteri inquantum tale, & non propter rationem formalem eandem; idem conueniret eidem ratione formali, & non conueniret,) ſed quicquid conuenit Deo inquantum Ens, conuenit etiam creaturæ; ergo Ens eandem dicit rationem formalem Deo & creaturæ; quod ſi eandem, neceſſariò vniuocam.

Octauò. Quando aliquid diuiditur per rationes diuiſiuas, illud diuiſum habet rationem formalem vnam; ſed Ens diuiditur per Ens infinitum & finitum, in Deum & creaturam; ergo Ens dicet rationem formalem vnam. Rõ octaua.

Dices. Eſſe diuiſionem vocis in ſua ſignificata.

Contra. Omnis diuiſio vocis, eſt ad placitum, & non eadem apud omnes gentes; ſecus eſt de Ente, quia ex natura ſua Ens, eſt diuiſibile apud omnes in infinitum & finitũ; ergo non eſt diuiſio vocis. Deinde: Metaphyſica eſt ſcientia realis, ex obiecto reali; ergo Ens quod eſt obiectum Metaphyſicæ, dicit conceptum realem, non tantùm vocem.

Nonò. Probatur idem ex natura definitionis, ſic. Quando aliquid definitur per commune & per contrahens, neceſſariò illud commune conuenit alicui, cui non conuenit contrahens; vt patet in omni definitione, vbi ratio generis conuenit alteri à definito, non tamen ratio differentiæ; ſed creatura definitur per Ens, & aliquod contrahens, vt per finitatem, creatura enim eſt Ens finitum; ergo Ens cùm ſit communius, conuenit alicui cui repugnat contrahens, nempe finitas; ſed contrahens hoc non repugnat niſi Deo; ergo commune conuenit Deo. Rõ nona.

Decimò. Vnius ſcientiæ, eſt vnum obiectum adæquatum, & ſub vna ratione formali; vt patet ex dictis in prologo, de vnitate ſcientiæ; ſed Metaphyſica eſt vna ſcientia, cuius obiectum eſt Ens, ſub ratione Entis; vt viſum eſt ſupra in procemio, & oſtenditur à Doct. Subt. infra q. 3. & 4. & 6. Metaph. q. 4. ergo Ens habet vnam rationem communem. Rõ decima

Reſpondent Thomiſtæ. Sufficit vnitas attributionis. Contra. Non quæro de vniuocatis ipſis, ſed de ipſo præciſo gradu Entis, An hoc præciſè ſumptum, vt conſiderat illud Metaphyſicus, abſtrahendo à ſubſtantia & accidente &c. ſit ita vnum, quòd non dicat niſi vnum conceptum; vel immediatè plures: ſi vnum, habetur intentum; quia hoc eſt eſſe vniuocum, vt patet ex Notabili 1. & 2. ſi duos; tunc eſt æquiuocum, nec poteſt de illo eſſe ſcientia. Reſponſio Thomiſtar. non ſatisfacit.

Plures rationes ad id inſtitutum probandũ vide in Mayronio, in Prol. Sentent. q. 2. 3. & 4. quibus in locis adducit viginti quatuor argumenta, ad ſtabiliendam Entis vniuocationem.

Concluſio Tertia. Ens tertio modo ſumptum, pro ente finito, vt eſt commune ad ſubſtantiam & accidens, eſt vniuocum, vniuocatione Metaphyſica & Logica, ſed non Phyſica. Poſteriora duo membra patent ex dictis Prima & Secunda Concluſione. Primum de vniuocatione Metaphyſica, probari debet ijſdem argumentis, quibus & pręcedens Concluſio, quæ ex æquo illam met & hanc probant veritatem, vt patebit ſpeculanti: & ſpecialiter argumentũ ſecundum poteſt ſic reduci ad propoſitum. Si Ens non eſſet vniuocum ſubſtantiæ & accidenti; ſequeretur quòd intellectus noſter, non poſſet habere conceptum quidditatiuum de ſubſtantia; Conſequens eſt euidenter falſum, & contra aduerſarios; ergo & Antecedens. Sequela Maioris. Quia ſubſtantia non immutat immediatè intellectum noſtrum ad ſui intellectionem, cùm non intelligatur pro ſtatu iſto, niſi per ſpeciem accidentis ſenſibilis; ſed accidens ſenſibile, ad nullum conceptum quidditatiuum ſubſtantiæ poteſt intellectum immutare, quàm ad conceptum Entis; ergo ille conceptus Entis qui dicitur quidditatiuè de ſubſtantia, continetur etiam quidditatiuè in accidente: quia aliàs accidens non produceret intellectionem illius, niſi in ſe contineret. Quòd verò ſubſtantia pro ſtatu hoc non intelligatur immediatè, probatur hac ratione Doctoris Subt. Quicquid præſens & immediatè immutat intellectum, illius abſentia poteſt naturaliter ab intellectu cognoſci, quãdo is non immutatur, ſicut apparet 2. de ani. quòd viſus percipiat tenebras, quando lux non eſt, & viſus non immutatur: ergo ſi intellectus immutatur à ſubſtantia immediatè ad actum circa ipſam, ſequitur quòd quando ſubſtantia

Ens finitũ commune ſubſtantiæ & accidẽti, eſt vniuocũ

Subſtantia non intelligitur immediatè ꝓ ſtatu iſto.

non

non eſſet præſens, poſſet eius abſentia naturaliter cognoſci; & ita poſſet naturaliter cognoſci in hoſtia conſecrata non eſſe ſubſtantiam panis: quod eſt manifeſtè falſum.

Caietani reſpōſio nō ſatisfacit.

Reſpondet Caietanus ad hanc rationem: negando Sequelam. Ad probationem dicit. Quòd ſubſtantia immutat immediatè intellectum per propriam ſpeciem. Ad exēplum reſpondet. Quòd quantitas & accidentia in Euchariſtia, agunt & patiuntur totum, quod ageret & pateretur ſubſtantia, ſi eſſet; vnde panis abſens, immutat intellectum, quia non omnino eſt abſens, remanſit ſiquidem accidens ſuum, quod eſt vice panis. Et non eſt ſimile de viſu reſpectu tenebræ: nec eſt contra nos Ariſtotelis authoritas, quoniam hæc omnia habent locum vbi eſt ſimpliciter abſentia obiecti, quam hic non concedimus quoad operationes.

Iſta reſponſio multipliciter deficit. Primò. Quia ſicut accidentia illa ſumpta in abſentia panis nutriunt, acſi eſſet panis; ita etiam mouent potentiam intellectiuam, acſi eſſet panis, & hoc verum eſt: ſed vlteriùs hoc etiam veriſſimum eſt, quòd ſicut ibi non nutrit ſubſtantia panis, quia illa non eſt, ita hìc non mouet ſubſtantia panis potentiam intellectiuam, quia illa non eſt; atq; ita illa ſubſtantia nō cognoſcitur: ſed tantùm accidentia cognoſcuntur, acſi eſſent in ſubſtantia panis: quare ſola accidentia immutabunt ad ſui cognitionem intellectum, & non ſubſtantia. Secundò. Impoſſibile eſt quòd ſpecies intentionalis quæ eſt naturalis imago & ſimulachrum obiecti, repræſentet aliud, quā illud à quo immediatè producitur, & cuius eſt ſpecies, cū ipſemet Caietanus in 1. par. ſuperexcellentes ſpecies varia repræſentantes, ſolùm in Angelis agnoſcat, non in iſtis ſenſibilibus: ſed ſpecies accidentium ſeparatorum, ſunt imagines determinatæ, & naturaliter repræſentantes ipſa accidentia, à quibus producantur; ergo ſola accidentia cognoſcuntur per tales ſpecies, & nullatenus ſubſtantia. Tertiò. Iſta propoſitio Quicquid præſens & immediatè immutat per propriam ſpeciem intellectum, illius abſentia poteſt naturaliter ab intellectu cognoſci, eſt vera ſecundùm Caietanum tunc, vbi eſt ſimpliciter abſentia obiecti; non autem vbi eſt abſens obiectum ſecundùm eſſe, ſed non ſecundùm operationes. Infero ego Minorem: Sed in hoſtia conſecrata, eſt ſimpliciter abſentia ſubſtantiæ panis, & quoad eſſe, vt certum & indubitatum eſt, & quoad operationem; quia illud quod non eſt, non poteſt cauſare aliquid effectiuè; ſed ſubſtantia panis ibi non eſt; ergo non poteſt cauſare effectiuè ſui ſpeciem, nec conſequenter mediante illa poterit concurrere ad eliciendam intellectionem. Quartò. Falſum aſſumit, quòd ſubſtantia per propriam ſpeciem intelligatur immediatè. Quod probo ratione Doct. Subtilis 7. Met. q. 3. Nihil eſt in intellectu quin priùs fuerit in ſenſu, vt dicitur 1. Poſter. tex. Comm. 1. & 43. ſi ergo propria ſpecies ſubſtantiæ alicuius ſit in intellectu, priùs erit in ſenſu, & cognoſcetur ab eo: quod eſt falſum, cùm omnia ſenſibilia ſint accidentia, puta Quantitas, Qualitas &c.

Dices. Subſtantia facit ſpeciem in ſenſu & in intellectu; ſed in ſenſu non eſt principium ſentiendi, ſed bene in intellectu eſt principium intelligendi: ſicut ſpecies accidentis eſt in medio & in organo, ſed in medio non eſt principium ſentiendi, ſed bene in organo.

Hoc non valet. Tum quia intellectus ad cognitionem ſubſtantiæ per propriam ſpeciem determinatus, abſente illa ſpecie & ſubſtantia, cognoſceret abſentiam ſubſtantiæ panis in Euchariſtiæ ſacro myſterio. Tum quia ſubſtantiæ materialis ſpecies, debet eſſe quanta, & materiali modo ſe habens: quare poteſt à phantaſia formari phantaſma ſubſtantiæ materialis vt ſubſtantia eſt, præter ipſius accidentis phantaſma: cuius oppoſitum experimur.

Entis finiti vniuocatio ad ſubſtātiā & accidens eſt maior, q̃ Entis ad Infinitū, & Finitum.

Concluſio Quarta. Maior, & perfectior eſt vniuocatio Entis finiti, reſpectu ſubſtantiæ & accidentis, quàm Entis communiſſimè ſumpti, reſpectu finiti & infiniti.

Iſta Concluſio patet ex Notab. 2. Quia Ens finitum, & ſecundùm eandem rationem obiectiuam, & ſecundùm eundem eſſendi modum, conuenit ſubſtantiæ & accidenti; Ens verò ſumptum communiſſimè, conuenit Deo & creaturæ vniuocè, ſecundùm eandem rationem obiectiuam, ſed non ſecundùm eundem eſſendi modum, nec ſecundùm eundem ordinem, nec ſecūdùm eandem perfectionem eſſentialem.

Ad Argumenta in principio Dubitationis poſita.

Entia trahe[...] Ens a[...] gener[...] ma [...] ſunt?

Ad Primum. Dico, illas rationes quæ contrahunt ens ad decem generaliſſima, eſſe entia realiter & denominatiuè, non quidditatiuè & formaliter, vt dixi præcedenti dubitatione.

Ad Secundum. Maior abſolutè ſumpta, eſt falſa: quia dum calidum vt octo producit calidum vt duo, iſtud productum, quod eſt effectus illius calidi vt octo, non eſt effectus adæquatus illius, & tamen vniuocatur cùm illo, in ratione caloris vel calidi. Quodſi ſermo ſit de cauſa æquiuoca, reſpectu effectus æquiuoci, vt exemplum argumenti videtur ſupponere; etiam ſic eſt falſa Maior; nam Sol eſt cauſa æquiuoca muris, in illorum ſententia, & tamen vniuocātur tum in ratione corporis, tum in ratione ſubſtantiæ.

Ad Tertium. Nego Maiorem. Quia licèt ad perfectiſſimam vniuocationem, requiratur ſimilis modus eſſendi vniuocatorum, non tamen requiritur ad vniuocationem ſimpliciter; iuxta dicta.

Ad Quartum. Negatur Maior. Quia homo & formica, vniuocantur in ratione animalis, & tamen non pacificātur; quia homo perfectiùs participat rationem animalis, ratione perfectioris differentiæ, quàm formica. Ad hoc ergo, quòd aliqua vniuocentur in aliquo, ſufficit, quòd illa ratio per indifferentiam ſe habeat ad ea.

Ad Quintum. Totum argumentum eſt verum, loquendo de vniuocatione prædicamentali, falſum de tranſcendentali.

Ad Sextum. Illa ratio Entis, neq; eſt dependens, neq; independens, neq; neceſſe eſſe, neq; non neceſſe eſſe, ſed abſtrahit ab vtroq;: ſicut ſubſtantia ſecundùm ſe, neq; eſt corporea neq; incorporea: proinde non ſequuntur illa inconuenientia.

Ad Septimum. Ratio illa obiectiua Entis, eſt quidem potentialis & contrahibilis; ſed vt eſt in Deo nullo modo eſt potentialis, quia tranſit in identitatem realem Deitatis, quæ eſt actus puriſſimus: ſecus eſt in creaturis, in quibus cū omnis perfectio ſit finita, etiam ratio Entis erit potentialis, ſicut & aliæ rationes minùs communes: at in Deo omnes rationes tranſcendentes ſunt abſq; vlla potentialitate; Ergo.

Ad Octauum. Reſpondeo Primò. Negando Maiorem. Et nuſquam habetur in Ariſtotele. Secundò. Eſto quòd haberetur, procederet de vniuocatione perfectiſſima Notab. 2. expreſſa. Tertiò. Concedi poteſt totum argumentum, cum ſua Concluſione: quæ non eſt falſa, bene intellecta: de ratione enim Entis vt Ens eſt, non plùs includit ſubſtantia quàm accidens; ſed ratione modi per ſe ſubſiſtendi, ſeu ratione talis Entis, plùs includit ſubſtantia quàm accidens: & propterea cadit vt additum in definitione accidentis.

ARGVMENTA PRINCIPALIA
& pro Opinione adducta, reſoluuntur.

Ad Argumenta principalia illius Quæſtionis. Ad Primum. Dico, quòd illa comparatio &c.

COMMENTARIVM.

IN reſponſione ad Tertium principale, ſingularis doctrina aduertenda eſt. De illa (quæ multos doctos ad magnas ingenij adegit anguſtias) difficultate. Vtrum in aliquo continuo videat diſtinctè determinatè Deus omnes partes continui? Si enim videt continuum, poterit ſaltem à Deo diuidi in omnes partes: ſi non videt; ergo cognitio Diuina erit confuſa & potentialis, quod eſt falſum.

Partes [...] nui oēs [...] Deus vi[...]

Reſponderi debet, ſecundùm doctrinam Subtiliſſimi Doct. Quòd aliquod continuum intelligi ab intellectu Diuino poteſt dupliciter. Primò, ſecundùm ſe totum; ita, vt totum continuum intelligatur, & ſimul omnis pars continui: alio modo, potentialiter; vt intelligatur pars poſt partem. Secundus modus intelligendi repugnat Deo, quia dicit imperfectionem, vt probat argumentum: priori autem ratione diſtinctè cognoſcitur à Deo omne continuum.

Dices. Iſto modo cognitæ omnes partes, vel ſunt diuiſi-

biles,

biles,vel indiuisibiles? si secundum; ergo constat continuũ ex indiuisibilibus: si primum; ergo cognoscuntur confuse & potentialiter.

Respondeo. Cognoscuntur partes diuisibiles simul & semel omnes, diuisibiliter, diuisibilitate non se tenente ex parte intellectus cognoscentis, quasi is vnam partem post aliam intelligat, sed se tenẽte ex parte cogniti; non autem indiuisibiliter, quia tale continuum cognitum non est indiuisibile. Sed de hac materia plura in 2.dist.2.quæst.9.

QVÆSTIO II.

Vtrum Deus sit primum cognitum à nobis naturaliter pro statu isto?

Et arguitur quòd sic. Vnumquodq; sicut se habet ad esse, sic ad cognitionem &c.

SVMMA QVÆSTIONIS.

Duo Articuli sunt huius Quæstionis. In Primo, proponitur modus loquendi aliorum. In Secundo, datur resolutio propria Quæstionis. Tandem in fine soluuntur argumenta principalia.

ARTICVLVS PRIMVS.

Proponitur Opinio aliorum.

Ad istam Quæstionem, secundùm Opinionem priùs citatam, distinguendum est.

COMMENTARIVM.



Opinio ista est Henr. de Gand. in Summa art. 24.q.7. vbi loquens de primo comprehensibili per intellectum, dicit. Duplicem esse cognitionem Dei ex creaturis, vnam naturalẽ, alteram rationalem. Naturalis est cognitio Dei, quando in primis intentionibus Entis, statim quasi naturaliter, concipitur Deus. Rationalis verò est cognitio, via ratiocinatiuæ deductionis animaduersa. (Cognitio rōnalis & naturalis s̄m Henricum.)

His suppositis, datur Prima Conclusio. Primum cognitum quod cognoscitur cognitione rationali, est creatura: & Deus est potiùs vltimum in tali cognitione. Ratio est, Quia in tali cognitione primò cognoscitur Quod quid est ipsius creaturæ, & p illud cognoscimus quid est Deus, per viam eminentiæ, & remotionis imperfectionum.

Secunda Conclusio. Primum cognitum quod cognoscitur cognitione naturali, in primis intentionibus Entis, veri, boni, &c. cognoscendo Deum primo & secundo modo generalissimo, sub ratione indeterminati priuatiuè vel negatiuè, est ipse Deus. Ratio est. Quia cognitionis nostræ à sensibus acceptæ, talis est natura, quòd semper ab indeterminato incipit; & quantò intelligibile magis est indeterminatum, tantò priùs intellectus noster naturaliter intelligit. Cùm ergo inter obiecta indeterminata, illud sit magis indeterminatum, quod est indeterminatum negatiuè, quàm quod priuatiuè; & in Deo ratio Entis, Veri, boni, sit indeterminata negatiuè; consequens est, quòd priùs natura intellectus noster cognoscet indeterminatum negatiuè, nempe Deum, vel rationem Entis, Veri, &c. vt sunt in illo; & postea rationem entis indeterminati priuatiuè.

Hæc dicta, & literæ ipsius expositio, patet ex dictis quæst. præced. art.2.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Propria datur resolutio Questionis.

Ad Quæstionem. Dico, quòd triplex est ordo intelligibilium &c.

SVMMA TEXTVS.

Primò distinctiones præmittuntur: deinde dantur Conclusiones responsiuæ.

Prima distinctio est. *Primum cognitum, seu primum cognoscibile, potest dici tripliciter primum. Primo, primitate generationis, quia scilicet primò, & priùs quocunq. alio perficit intellectum: & hoc vel actualiter, dum actu cognoscitur: vel habitualiter, dum per speciem sic est in intellectu, quòd immediatè aptum est cognosci: vel tertiò virtualiter, quando aliquid in altero, vt pars intellecti obiecti est cognoscibile. Secundò dicitur primum cognitum primitate perfectionis: quod est perfectissimum cognoscibile, & primum in perfectione. Tertiò dicitur primum primitate adæquationis. De prima & secunda primitate loquitur Doctor in præsenti quæstione: de tertia agit in sequenti & in quarta.* (Primitas primi cogniti triplex.)

Secunda distinctio est. *Conceptus alius est simpliciter simplex, alius est simplex, sed non simpliciter. De qua distinctione vide dicta præcedenti quæst.*

Tertia. *Aliud est confusum concipere: aliud confusè. Confusum enim concipitur, quando aliquid indistinctum vt totum essentiale, vel totum vniuersale, cognoscitur. Confusè autem, quando de aliquo cognoscitur quid nominis, & non quid rei. Distinctè autem cognoscitur aliquid, dum quid rei per definitionem intelligitur.* (Confusũ, & cõfuse cõcipere sũt distincta.)

Prima Conclusio. *Primum cognitum primitate originis, quod actuali cognitione primò sed confusè cognoscitur, est species specialissima, cuius singulare in debita distantia fortiùs mouet sensum. Probatur tribus rationibus in textu.*

Secunda Conclusio. *Primum cognitum quod actuali cognitione distinctè cognoscitur, est Ens: & quæ sunt illi propinquiora, secundum communitatem, sunt priora intelligibilia, quàm illa quæ sunt minus communia, & remotiora. Probatur duobus argumentis.*

Tertia. *In cognitione habituali, & virtuali, primum cognitum habitualiter, vel virtualiter, est Ens, & quæ sunt illi propinquiora, &c.*

Quarta. *Primum cognitum primitate perfectionis simpliciter, est Deus.*

Quinta. *Primum cognitum primitate perfectionis proportionalis, quòd scilicet sit proportionatum nostræ potentiæ intellectiuæ, pro statu isto, est perfectius aliquod sensibile alijs, quod efficacius sensum mouet.*

COMMENTARIVM.

In his positionibus sequũtur Doct. Subt. nõ modò Scotistę hic, & in Metaphys. Ioan. Canon. 1.Phys.q.2. Philip. Fauent. Theor.84. sed et placet Fonsecę 1.Met.c.2.q.2. sect.3. Vbi pro Prima Conclusione huius Articuli, adducit etiam authoritatem D.Tho. Heru. quodl. 3.q.12.

Contrarij tamen sunt Ocam, & Gabr. hic.q.5. Sonci.7. Met.q.12. Picolomin. de humana mente, lib.3.c.15. Perer. lib.3.Phys.c.14. Penda sius 1.Phys. parte 16.

Vt veritas huius doctrinæ intelligatur.

Aduertẽdum est Primò. Circa illam suppositionem in litera, Primæ Conclusionis, Quòd singulare nõ possit à nobis intelligi, sub propria rõne singularis; posse videri alicui dubiũ. Tum quia intellectus concipit differẽtiam inter vniuersale & singulare; igitur cognoscit vtrumq; sub ꝓpria ratione. Consequentia. Quia quodlibet eorũ ab altero distinguitur, sm̃ propriam rõnem. Tũ quia discurrit intellectus ab vniuersali ad singulare; ergo vtrumq; extremũ discursus cognoscit. Tũ quia sensus põt cognoscere singulare; ergo & intellectus; cũ hoc sit perfectionis. Tũ quia species per se repræsentat illud à quo gignitur; sed quælibet species intelligibilis, primò gignitur à singulari; cũ actiones sint singularium ex 1.Metaph. igitur &c. Tũ quia nullius est distincta memoria, cuius nõ præcessit distincta cognitio; sed intellectus suorum actuum, qui non sunt sensibiles, habet distinctam memoriam, & hoc inquãtum singulares sunt: igitur singulare sub propria ratione singularis, est ab intellectu nostro cognoscibile.

Resp. ex Doctore Subt. hìc, & 1.Met. suæ q.6. & clariùs. 7.Met.q.15. (vide ibidem Tromb. & Ant. Andr.) Quòd intellectus noster, pro statu isto, non intelligit singulare, sub propria ratione singularitatis; nec etiam sensus sentit sensibile singulare, sub propria ratione singularis. Probatur. Omnis potentia cognoscens aliquod obiectũ sub propria rõne, potest illud cognoscere, & ab alijs distinguere, oĩ alio circũscripto, ipso solo manẽte: sed nec ĩtellectus nr̃, nec sẽ- (Singulare quatenus singulare, nõ ẽ à nobis itelligibile ꝑ statu isto.)

sus pōt distinguere singulare, à quocunq; alio, per rationē propriam singularis; igitur nec sensus nec intellectus cognoscit singulare sub ratione singularis. Maior est euidēs. Minor de intellectu probatur. Cognitio singularitatis, est cognitio alicuius intentionis seu rationis obijcibilis in re cognita, qua formaliter res est hæc numero; illa autem ratio, (amouendo circumstantias loci, temporis, figuræ, & omnes alias conditiones, quæ non sunt formaliter singularitas) non poterit intelligi esse distincta, ab altera consimili ratione, eiusdem speciei; quia pro statu isto intellectus noster cognoscit singularia, vt sunt sub accidentibus communibus. De sensu idem ostenditur. Ponantur per Dei potentiam duæ albedines simul, in eodem subiecto, æqualiter intensæ; non poterit sensus diiudicare distinctionem numericam vnius ab altera: idem patet de duobus luminibus, in eodem medio productis, à duobus corporibus luminosis: propositis etiam ordinatè secundū numerum pluribus ouis, in eadem intensione coloris, & extēsione oualis figuræ; si postmodum permutentur, altero nō aspiciente, non poterit ab illo diiudicari quodnam eorū ante fuerit primum, quod secundū: quod non aliūde prouenit, quàm ex ignorantia singularitatis propriæ cuiusq;.

Singulare accipitur tripliciter.

Quomodo igitur cognoscitur singulare? Respondeo. Singulare accipitur tripliciter. Primò: pro ente indiuiduo, abstrahente ab existentia, nihilq; includente, præter naturam speciei, & proprietatem indiuidualem, siue hæcceitatem: & hoc modo singulare ponitur in prædicamento. Secundò accipitur singulare; pro ente contracto, per hęcceitatem, & in re existente, abstrahendo ab omni alio eius accidente. Tertiò: sumitur singulare, vt non modò existētiam, sed etiam alia accidentia includit, vt quantitatem, tempus, locum, aliasq; circumstantias; & sic sumptum singulare, est ens aggregatum, vnum per accidens.

Singulare quale & qūo nunc cognoscimus.

Quāuis igitur singulare primo modo, sit per se cognoscibile, cognitione abstractiua, non intuitiua, & hoc secūdùm rationem singularitatis in cōmuni, non autem huius vt hæc est; quia tamen illa singularitas concipitur in abstracto, & nō per modū determinati indiuidui, sed vagi; non cognoscitur singulare determinatum, secundùm propriam rationem singularis. Secundo modo concipiendo singulare, vel tertio; patet, quòd cognoscitur singulare determinatum, & cognitione intuitiua; sed nō secundū propriam rationem huius singularitatis, sed per accidēs; quatenus existentia, & aliæ conditiones indiuiduantes accidētales, insunt rei singulari; ipsa tamen ratio singularitatis determinatæ, (sicut & forma substantialis; immediatè per speciem propriam, & secundùm propriam rationem, non intelligitur.

Argumenta in principio difficultatis posita: solùm concludunt de cognitione abstractiua singularis, vel de intuitiua per accidens.

Primum cognitū in via generationis ī cognitione cōfusa, ē species specialissima.

Conclusio principaliter intenta in hoc Articulo, est Prima, superiùs posita. Cuius veritas vt intelligatur. Vidēdum est, an rationes pro illa positæ concludant. Quod facilè ostendetur, dum aliorum, contra illas, obiectiones, resoluerimus.

Contra 1. rōnē Scoti instatur 1.

Circa primam igitur rationem. Aduerte. Quòd illa videtur Tho. Anglico esse insufficiens. Primò. Quia videmus per experientiam, quòd causa naturalis, priùs producit effectum imperfectum, & deinde perfectum; vt patet in generatione ignis vel hominis. Sic in proposito: primò generabitur in intellectu, primò notum imperfectum, confusum, & potentiale, quale est Ens; & postmodum cognitio minùs communis, & minùs potentialis.

2 Secundò. Instat Pererius ex Ocamo. Si ista rō Scoti cōcludit, cōcludet primum cognitum esse singulare; quippe cùm sit perfectius, quàm vniuersale; vnde & Arist. primā substantiam præfert secundæ, in suis prædicamentis.

3 Tertiò. In Maiori propositione istius rationis, illa verba, *agit ad effectum perfectissimum*: vel intelliguntur de effectu simpliciter perfectissimo; & huius oppositum est in multis naturalibus, vbi formę ab imperfecto procedūt ad perfectum: vel intelliguntur de effectu perfectissimo, quē possunt obiecta in intellectu producere; & sic dicet Thomista, perfectissimum conceptum, qui potest in nostro intellectu effici, esse conceptum Entis; prout etiam dicit Caiet. quia sufficit, secundùm illum, quòd causa perfectissima producat effectum perfectissimum postea, primò aūt imperfectum; vt patet in omni generatione animalis.

Soluu instant

Sed istæ instantiæ, ex nō intellectu literæ Doctoris procedunt. Cùm enim Doctor in præsenti, non loquatur de cognitione singularis, (quia hoc est controuersum apud multos, an hoc sit per se intelligibile, vt patet ex Metaph. Doctoris lib. 7. q. 14.) vt apertè dicit in textu; *loquor modo de illis* (nempe de cognitione vniuersalium) *quæ certum est posse intelligi secundùm communem opinionem*: igitur prima instantia Pererij & Ocami, non est ad propositum. Secundò, dico loqui Doctorem de effectu perfectissimo simpliciter. Exemplum autem de naturalibus, non est ad propositū. Quia istæ causæ sunt impedibiles & imperfectè agentes, ob imperfectam virtutem in causando: intellectus autem habita specie, est potentia naturalis, & non impedita, & causans statim immediatè, secundùm vltimum potentiæ suæ, effectum siue intellectionem perfectam; nec requirit, vt præuiam aliquam dispositionem inducat obiectum, & postea producat intellectionem, sicut agētia naturalia ex imperfectione habent, vt mediantibus & pręuijs dispositionibus substantiam producant.

Hinc patet responsio ad Primum. Vera enim est illa experientia; quod accidit in entibus naturalibus; tum propter passi indispositionem: tum ob contrarietatem qualitatum, vt in aqua & in igne; at verò Scotus in præsenti, loquitur de causa naturali, perfectè disposita, & nullo modo impedita.

Sed dices. Quantò aliquid est perfectius, tantò à remotiori potest agere; vt patet de igne maiori, qui à remotiori distantia agit, quàm minor: si igitur species specialissima est perfectior, in ratione obiecti, quàm ratio Entis, in maiori distantia causabit species specialissima sui notitiā, quā Ens: quod est contra experientiam.

Ad hanc Obiectionem Ocami. Respondeo cum Mayronio. Illam propositionem verificari de agentibus eiusdē rationis, quorū vnum sit altero intensius, vt probat exemplum de calefactione; non autem de agentibus diuersę rationis. Nā in igne, ratio illa qua ignis ignit, est perfectior, quàm illa, qua ignis calefacit; quia illa est substātia, & ista accidens; & tamen potest calefacere ista ratio caloris, in tanta distantia, in quanta nō potest ignis ignire. Perfectius etiam est Ens homo, quàm Sol; & tamen non potest ita in remotum agere productiuè homo sicut agit Sol in istis inferioribus, minæram & alia mixta producendo.

Secun tio D ris ad rijs nō cet.

Secunda ratio Doctoris videtur aduersarijs non cōcludere. Primò dicit, Sonc. Metaphysicam ideo dici vltimam ordine, quia præsupponit multa, quæ probantur in alijs scientijs; sicut substantias separatas esse probatur à Physico, non à Metaphysico.

Resp nes T starum solutio earum

Resp. De obiecto Metaphysicæ, vt de Ente, eiusq; diuisionibus, & passionibus, in nulla alia scientia, cognitio pręsupponitur, vel tractatur; vt dictū est in Prol. q. 1. ar. 3. q. 3. Deinde de Intelligentijs Physicus tractat; nō vt sūt substātiæ. separatæ, rōnes vniuersales in eis considerando; (hoc. n. præstatur in Metaph. lib. 11. & 12.) sed quatenus habēt in se principium motus, eatenus considerantur in 8. Physic.

Dicit Perer. Secūdò. Si termini vniuersales non sunt superiores, sequitur, quòd falsa sit doctrina Arist. in Proęmio Physicæ, vbi docet à magis vniuersalibus esse ordiendum.

Confirmatur. Quia in tractandis doctrinis priùs explicandi essent libri de cęlo, quàm de principijs Physicis, & priùs natura speciei, quàm generis; quod qui nō videt esse contra omnem ordinem doctrinæ, nihil planè videt.

Respondeo. Philosophus est intelligendus loco alleg. de cognitione distincta, non confusa: distinctam enim cognitionem intendebat dare in libris Physicorū, de principijs, & proprietatibus corporis naturalis.

Ad confirmationem. Dico. Quæstionem hanc de primo cognito, procedere de cognitione incomplexa, non aūt de complexa alicuius, & aliquarum propositionum: deinde de cognitione confusa non distincta; vt apertè hìc Doctor loquitur; cognitio autē doctrinalis & scientifica de genere & speciebus, vel cognitio scientifica de corpore naturali

in

in communi,& poſtea de cęlo, eſt diſtincta & complexa: quam confirmationem (imò totum argumentum Pererij,) qui non videt nihil eſſe ad propoſitũ, nihil planè videt.

Reſpondet Tertiò Pendaſius. Confuſa cognitio terminorum ſimplicium, qui termini etiã Metaphyſica principia conſtituunt, poteſt ex alijs ſcientijs haberi; vt ratio totius, partis, æqualis, &c.

Iſta reſponſio non valet. Illius enim incomplexi doctrina, ordine naturali, ac methodico docendi & diſcendi, tradenda eſt, quod primò ordine naturali occurrit; ſi ergo primò occurrit Ens, in cognitione confuſa, primò illius doctrina tradenda eſt, ordine naturali docendi & diſcendi: quod falſum eſt. Non igitur Doctor negat, poſſe aliquos conceptus Metaphyſicos confuſè concipi, antequã habeatur Metaphyſica cognitio de eis diſtincta; ſed docet, ſi illi conceptus in cognitione confuſa naturaliter primò occurrerent, naturali via & ordine, priùs deberet tradi diſtincta cognitio doctrinalis, de iſtis tranſcendentibus, quã de vllis alijs inferioribus obiectis: quod eſt & contra Auicennam, & contra veritatem; vt multis probat Zabarel. in lib. ſuo de Methodis.

...ſpódent ...ad rõ- ...Scoti. Tertia ratio non euacuatur quorundam reſponſione. Dum dicunt. Pari ratione ſi primum cognitum eſt ſpecies vltima, ſi occurrat intellectui hõ, is priùs eum cognoſcet eum eſſe hominem, deinde animal, tandem corpus; itaq; non niſi multò tẽpore poteſt animaduertere ipſum eſſe Ens; ac proinde ſi inconueniens eſt ab Ente ad hominem, deuenire, medijs non paruo tempore interceptis conceptibus, ita videtur inconueniens, ab homine ad Ens, multo tempore debere commorari, in prædicatis intermedijs.

...nitur p̃- ...a reſpõ Iſta comparatio eſt nulla. Quia dum confuſum concipitur confuſè, vt homo, non opus eſt concipere ipſum eſſe Ens, & prædicata intermedia inter hominem & Ens; quia talis cognitio reſolutoria, eſſet diuiſiua & diſtincta. Sed dum in cognitione confuſa concipitur primò communiſſimum, poſtea minùs commune; & tandem interiectis prædicatis alijs minùs communibus, ſecundùm deſcenſum ad ſpeciem ſpecialiſſimam, cognitione deuenitur; certum eſt quòd in tali cognitione confuſa prædicatorum communium, antequam indiuiduum determinatæ ſpeciei cognoſceretur, ſatis perceptibile interueniret tempus: quod eſt contra experientiam.

Quoniam verò in iſta concluſione, & in alijs, conceptũ Entis vocat Doctor communiſſimum, meritò

Dubitatur.

Vtrum aliquis conceptus realis ſit communior Ente?

Videtur quòd ſic. Primò. In eſſentialiter ordinatis, effectus formalis eſt poſterior ſua cauſa formali; ſed Ens eſt effectus formalis entitatis; ergo eſt poſterius entitate.

Secundò. Omne diuiſum eſt cõmunius quolibet membro diuidente; Ens autem diuiditur in Ens reale & rationis; igitur Ens tranſcendentiſſimè ſumptum, eſt communius Ente reali.

Tertiò. Omnia quæ enumerantur in aliquo termino, habent terminum communiorem, quàm ſint illa numerata, Exemplum. Si Petrus & Paulus, numerantur in iſto termino, Hòmo, quòd ſint duo homines; terminus Homo, erit communior, quàm quæ numerantur in homine; ſed Ens, vnum, bonum, numerantur in iſto termino, Ratio; dicimus enim iſta eſſe quatuor rationes; ergo Ratio, eſt quid communius Ente.

...s cõce- ...nihil eſt ...s & cõ- ...nius. Prima Concluſio. Nulla ratio primæ intentionis, eſt prior & communior Ente, in tranſcendentibus. Ita docet Doctor hìc, & lib. Theor. propo. 6. & 13. Mayr. q. 13. Prolo. Non communior. Quia vel illa ratio eſſet ens reale, vel non reale; ſi Ens reale; ergo iſtud eſſet communiſſimum quod volo; ſi non reale, non eſt primæ intentionis illa ratio. Non prior. Quia in omni prædicato vniuerſali, id quod eſt cõmunius & vniuerſalius, eſt prius; ſed ente reali nihil eſt cõmunius & vniuerſalius inter conceptus primæ intẽtionis; ergo ente reali nihil eſt prius primæ intẽtionis.

Cõceptus igitur Entis, eſt communiſſimus & ſimpliciſſimus, ita ꝙ nullo modo ſit actu compoſitus; gradus enim illum contrahentes, non ſunt priores, quia componentia ſunt priora compoſito, qđ in Ente falſum eſt: cùm reſolutio conceptuũ versùs ſummum in Ente ſtatum habeat. Et quãuis iſte conceptus Entis ſit ſimpliciſſimus vt ſimplicitas opponitur actuali compoſitioni; eſt nihilominus ſummè cõponibilis cũ alijs conceptibus; ac proinde nullo modo conceptus Entis eſt ita ſimplex, ſicut Deus; Deus enim & actu non eſt compoſitus, & potentia non componibilis: non ſic ratio Entis, quæ licet ſecundùm ſe non includat rationes inferiorum, potentià tamen includit illas, & ipſa includitur componibiliter in illis. *Conceptus Entis quõ ſimplex?*

Poteſt ẽt dici aliter, quòd ſimplicitas aliquando opponitur cõpoſitioni, aliquando diſtinctioni, vel vnioni: (neq; enim omnis diſtinctio, vel vnio, eſt cõpoſitio, licèt omnis cõpoſitio ſit diſtinctio & vnio.) Ens igitur in cõceptu obiectiuo eſt ſimplicius Deo, ſimplicitate oppoſita diſtinctioni, ſeu vnioni; quia Deus in plures cõceptus diſtinctos eſt reſolubilis, nõ ſic Ens; non tñ eſt ſimplicius Deo, ſimplicitate oppoſita compoſitioni; quia Deus neq; eſt actu cõpoſitus, neq; potentia componibilis; Ens aũt, Metaphyſicè conſideratũ, licèt actu nõ ſit cõpoſitũ, eſt tñ cõponibile. *Simplicitas dupliciter ſumitur.*

Secũda Cõcluſio. Aliqua ſecunda intentio põt eſſe cõior Ente, licèt non prior. Primũ oſtendo. Ens aliquomodo diſtinguitur à ſuis paſſionibus; ergo diſtinctio eſt cõis Enti & paſſionibus. Similiter rõ vniuerſalis, ratio tranſcendentis, ſunt, vt ſic ſumptæ, ſecundæ intentiones, cões Enti & paſſionibus. Idẽ dici põt de negationibus, quæ poſſunt attribui enti reali, & enti rõnis; ſimiliter priuatio põt dici de nõ Ente & Ente. Secundũ probo. In prædicatis cõibus q̃dditatiuis, quò aliquid eſt cõius, eò prius; vnde cũ Ens ſit cõmuniſſimũ, eſt ẽt primũ; non tamẽ id valet in ſecundis intentionib. vel negationibus; quia ſecundæ intentiones cũ fundentur in primis, & producantur ab illis, erunt poſteriores illis; negatio etiã eſt poſterior affirmatione, quæ negatio conuenit reb. per aliquid poſitiuum. *Secũda intẽtio põt eſſe cõior Ente, ſed nõ prior*

Aduertendũ tñ hìc eſt. Quòd Ens præciſum à conceptibus inferiorũ, non eſt abſtractum vltima abſtractione (de qua vltima abſtractione vide infra d. 5.) nã Ens ſumptum in concreto, dicitur quidditatiuè de ſuis inferioribus: atq; ita concernit ordinem ad illa de quibus dicitur. *Ens non eſt abſtractũ vltima abſtractione.*

Vltimata ergo Entis abſtractio eſt, quando nõ põt ampliùs reſolui ratio Entis, & qñ cõcipitur ipſum p ſe abſq; omni cõcernentia aliorũ. Sic in Ente poſſumus abſtrahere rõnem formalẽ, ſeu quidditatẽ Entis, quæ vocatur Entitas. Quamuis autem vltima reſolutio & abſtractio cõceptuũ, ſtet in Entitate, non in Ente; communiter tamen dicit Doctor Subt. & eius diſcipuli, conceptuum reſolutionẽ ſtatũ habere in Ente; quia nimirũ conſiderant conceptus ſuperiores & inferiores, ſecundùm ſubiectionem & prædicationem, prout ſuperiores conceptus dicuntur formaliter de inferioribus: qualis eſt conceptus Entis, non Entitatis: Entitas ſiquidem cùm non concernat inferiora, vel ordinem ad illa, non dicitur de illis formaliter: ſecus eſt de Ente. *Entitas.*

Dices. Nonnè hæc eſt vera. Subſtantia eſt entitas? Dico. Eſt vera realiter & idẽticè, quia eſt idẽ realiter qđ Ens: nõ tñ eſt vera formaliter: Entitas. n vt Entitas, non eſt apta p̃dicari de inferioribus tãquam prædicatum illis inexiſtẽs: quia non dicit ordinem ad illa, ſed abſtrahit ab ordine.

Porrò abſtractio hæc vltimata Entitatis ab Ente, (& idẽ dico de qualibet vltimata abſtractione, vt humanitatis ab homine, equinitatis ab equo) nullo modo ſupponit in re, diſtinctionem ex natura rei, ſed tantùm ex modo noſtro concipiendi, vt docebat Doctor ſuperiùs d. 2. q. 7. Cũ hac nihilominus identitate ex natura rei, põt ſtare aliqualis prioritas Entitatis ab Ente, non realis, ſed rõnalis obiectiua, quatenus eadẽ formalis rõ eſt prior sm̃ ſe, q̃ in alio.

Ad Argumenta.

Ad Primũ. Patet ex modo dictis, quòd ſit prioritas rationis, & nulla à parte rei.

Ad Secũdũ. Diuiſio eſt rei vel nominis. Ens igitur cũ diuiditur in reale & rõnis, eſt diuiſio vocis æquiuocę, in ſua æquiuocata, non rei conceptæ, ſeu conceptus vniuoci, in ſua vniuocata, de quo præſens dubitatio procedit.

Ad Tertium. Nego Maiorem. Per accidens enim est numeratis, quòd in aliquo communi conueniant; sicut exemplificatur de homine: nam potest etiam numerari ens reale & rationis; similiter vnum positiuum & alterum negatiuum; & tamen ista numeratio non fit in aliquo cōmuni conceptu, nisi in voce.

ARGVMENTA, TVM PRINCIPALIA, tum pro Opinione adducta, soluuntur.

Ad Argumenta huius Quæstionis. Ad Primum. Dico, quòd consequentia &c.

COMMENTARIVM.

TExtus literæ est clarus.

Henr. quō Doct impugnat.

Illud solùm aduertendum est. Impugnationē Primæ Conclusionis datæ Primo Articulo ab Henrico, non in hoc sensu procedere: quasi secundùm Doctorem nostrum sit falsa doctrina, quòd cognitione rationali abstractiua, priùs cognoscatur creatura à qua est abstractio, quā Deus: sed in hoc. Primò. Quia in præsenti est sermo de notitia simplici primi cogniti, illa autem cognitio rationalis abstractiua, est discursiua, secundùm Henr. non simplex. Secundò. Quia cognitio abstractiua præsupponit notitiam simplicem intellectiuam: & de hac est sermo. Cùm autem Henricus in Secunda parte textus Primi Articuli docuerit, quòd ratio Entis vel boni, vt concipitur indeterminata negatiuè, soli Deo conuenit, vt etiam præcedenti quæst. art. 1. dictum est: & postea idem Henr. subdit, quòd Deus vt cognoscitur sub ratione Entis, vel boni, indeterminati negatiuè, non distinguatur ab alijs cognitis, propter simplicitatem: meritò Subt. Doctor adscribit Hērici dictis contradictionem, quòd scilicet, secundùm eius doctrinam, Deus sit primum cognitum, sub ratione distincta, & non sub ratione distincta, ratione eorundem conceptuum Entis vel boni, & eodem modo sumptorū, nimirum indeterminatè, indeterminatione negatiua.

QVAESTIO III.

Vtrum Deus sit obiectum adæquatum intellectus creati?

Iuxta illud quod tactum est de obiecto adæquato intellectus &c.

SVMMA QVAESTIONIS.

In Primo Articulo, Opinio enarratur & refutatur, eorum, qui obiectum adæquatum intellectus statuunt, quidditatem rei materialis. In Secundo, altera Opinio, asserens Deum esse obiectum adæquatum, reijcitur. In Tertio, propria Sententia ponitur. In Quarto, Argumenta contra vniuocationem Entis proponuntur & resoluuntur. Vltimò, satisfit principalibus Argumentis.

ARTICVLVS PRIMVS.

Opinio enarratur & refutatur, eorum, qui obiectum adęquatum nostri intellectus statuunt, quidditatem rei materialis.

In ista Quæstione est vna Opinio, quæ dicit, quòd primum obiectum &c.

SVMMA TEXTVS.

Quidditas rei naturalis, nō ē obiectū adæquatum nostri intellectus.

Opinio hìc relata, est S. Tho. 1. part. q. 12. art. 4. & q. 85. art. 1. quam ijsdem ferè verbis D. Subt. refert. Deinde impugnatur illa positio aliquot argumentis à Doctoris. Vltimò, congruentia à D. Tho. posita, inter cognitum & cognoscentem, conuellitur.

COMMENTARIVM.

Thomi variant i plicāda te D. T mæ hìc.

CIrca Primam & Tertiam partem Articuli. Nota, in explicanda Opinione, & congruentia D. Tho. Thomistæ inter se non conueniunt, vt videre licet in Caiet. in 1. p. q. 12. art. 4. Zum. & alijs Expositoribus ibidem. Ferrar. 3. contra gen. c. 52. Capr. in 4. d. 49. q. 4.

Quidam. n. dicunt. Quòd D. Th. loquitur de cognitione naturali, perfecta & euidenti: & in tali cognitione cognoscens debet perfici specieb. sibi conuenientibus, & proportionatis, ad intelligendum & cognoscēdum rem aliquam naturalem; illæ verò sūt species proportionatæ, quæ desumuntur à rebus, similem modum essendi habentibus, cum natura cognoscēte; prout in litera à Doct. nostro ponitur.

Alij dicunt, cū Caietano. Quòd proportio inter cognoscens & cognitum, debet esse in modo essendi generico, nō specifico; qui modus essendi, consistit in esse immateriali, vel actuali, aut è contra: loquitur præterea de modo cognoscēdi naturali, non supernaturali; supernaturalis enim cognitio, non debet proportionari naturæ cognoscentis.

Thomi rū expli tiones i bantur.

Verùm in istis explicandi modis latet falsitas. Primò. Quoad illud, quòd D. Thomas istam proportionem requirat in cognitione perfecta & euidēti. Nam licèt hoc dictum illorum, aliqualiter probari posset, ex 1. par. q. 12. art. 4. vbi directè inquiritur, an intellectus creatus per sua naturalia videre Diuinam Essentiam posset; per naturalia autem videre Essentiam Dei, est habere perfectam, euidentem, eamq; naturalem cognitionem; in altero tamen loco idem Doctor, nempe 1. par. q. 85. art. 1. vtitur eodem modo arguendi, eademq; congruentia, de modo cognoscendi abstractiuè res materiales; & q. 89. art. 2. de modo cognoscendi abstractiuè substantias immateriales: hęc autem cognitio abstractiua, naturalis quidem est, sed nō perfecta, neq; euidens, qualis est sola intuitiua: igitur doctrina illius non potest limitari ad perfectam & euidentem tantummodo cognitionem.

Secundò. Dum dicunt esse sermonem in tali comparatione cogniti & cognoscentis respectu cognitionis naturalis, non supernaturalis. Hoc debet clariùs explicari. Naturalis enim cognitio nostri intellectus potest esse duplex.

Cogniti naturali duplex.

Vna quæ conuenit intellectui nostro, pro statu isto imperfecto, in quo secundùm Aug. 15. de Trinit. c. 27. *non possumus lucem increatam aspicere propter infirmitatem; & quis eā tibi fecit? nisi iniquitas;* inquit ille. Et sic verū est, vt in pluribus locis, & nominatim quodl. 14. concedit Doct. Subt. obiectum adæquatum, attingibile naturaliter ab intellectu nostro, pro statu isto, esse quidditatē rei materialis; vel fortè adhuc specialiùs, quidditas rei sensibilis; intelligēdo non de sensibili propriè solùm, sed etiam de incluso virtualiter vel essentialiter in sensibili. Alio modo cognitio potest dici naturalis nostri intellectus, ex natura potentiæ; non considerando illum in statu supernaturali, vel naturali corrupto, vt nunc; sed abstrahēdo ab omni imperfectione status, vel dependentia ad phantasmata, quæ propter peccatum datur pro statu isto; nō sic erit in alio, vt dicitur in 4. dist. 49. & considerando naturam intellectus nostri secundùm se, & sic accepti nostri intellectus obiectum adæquatum, non est inferius, & minùs commune obiecto adæquato intellectus Angelici. Si igitur loqui putant D. Thomam sui interpretes de intellectu nostro, cognoscente naturaliter primo modo; patet quòd non cōtrariatur tali doctrinæ Subt. Doct.: Si secundo modo, (prout omnino loquitur S. Thomas, quia loquitur de intellectu creato indefinitè) negatur quòd ipsius naturale obiectum, sit quidditas rei materialis, sed est Ens in tota latitudine sumptum.

Cogni nō debe similari gnoscēti modo e di, etian nerico.

Tertiò. Dum dicunt cognitum debere assimilari cognoscenti, in simili modo essendi generico, non specifico.

Cōtra. Albedo in pariete, habet modū essendi, genere distinctum, ab homine cognoscente; quia albedo habet modum genericum essendi per inhærentiam, homo cognoscens per subsistentiam; inter quos modos essendi, nec generica, ne dum specifica est similitudo, vt patet; quia accidens à substantia, & modi essendi eorum, sunt aliorum summorum generum; ergo non requiritur similitudo generica in modo essendi, inter cognoscens, & cognitum.

Dices. In rōne materialis est similitudo; quia sicut albedo est Ens materiale vel in materia, ita & cognoscens.

Cōtra Primò. Actus intelligendi nr̄, nec est accidēs ma-

teriale

teriale, nec in materia ſubiectiuè, ſed immediatè in potẽtia ſpirituali indiuiſibili, vel in anima; & tamen is cognoſcitur à nobis: ergo æqualitas materialitatis, non requiritur in cognoſcente & cognito.

Secundò. Illud quod in entitate ſua ſpecifica & generica, eſt ſimplex Phyſicè, diſtinguitur in modo eſſendi materialiter, ab eo, quod in entitate ſua ſpecifica vel generica, eſt compoſitum ex materia & forma; vt de ſe euidens eſt: accipio igitur albedinem cognitam; hæc in entitate ſua ſpecifica eſt ſimplex Phyſicè, vt euidens eſt, & etiam identitate generica coloris, non componitur ex materia & forma, vt patet; homo autem cognoſcens, eſt compoſitus ex materia & forma in entitate ſua ſpecifica; & in entitate generica animal Phyſicè materiam & formã includit, à quibus gradus Metaphyſici viuentis & ſentientis abſtrahuntur; patet igitur quòd in modo eſſendi materialiter, accidẽtia diſtinguuntur genere, à ſubſtantia hominis cognoſcentis; atq; ita non requiritur proportio generica in modo eſſendi inter cognoſcens & cognitum

...cut cũ ſu ...ernaturali ...is noſteri ...llectus nõ ...quirit ſi... ...ilé modũ ...ſendi, ita ...c cum na... ...ralibus.

Tertiò. Oſtendo, quòd vniuerſaliter, non requiritur perſimilis modus eſſendi genericus vel ſpecificus, cogniti & cognoſcentis ſecundũm materialitatem vel actualitatẽ. Ita ſe habet non exceſſus rei cognitæ naturalis, in modo eſſendi, ad potentiam cognoſcentem naturaliter, ſicut ſe habet non exceſſus rei cognitæ ſupernaturalis, in modo eſſẽdi, ad potentiam cognoſcentẽ ſupernaturaliter; ſed fruſtra requiritur non exceſſus in modo eſſendi, rei ſupernaturalis, ad potentiam cognoſcentem ſupernaturaliter, vt patet de intellectu noſtro cognoſcẽte, informato lumine gloriæ, qui ſimul cum lumine iſto ſumptus, infinito modo exceditur in modo eſſendi à Deo, quem cognoſcit: ergo fruſtra in cognito naturali, & cognoſcente naturaliter, requiritur non exceſſus qualiſcũq; in modo eſſendi. Maior iſtius diſcurſus probatur. Quia ſicut requiritur aliqualis proportio, inter cognitum ſupernaturale, & cognoſcens ſupernaturaliter, (quia ſi ſit omnimoda improportio, nullatenus ſupernaturaliter cognoſcetur cognitũ ſupernaturale) & iſta proportio cognoſcentis ad cognitũ, poteſt ſtare ſine vlla proportione modi eſſendi cogniti ſupernaturalis, ad modũ eſſẽdi cognoſcentis intellectus creati, ſed præciſè conſiſtit in hoc, quia intellectus eſt aptus intelligere, & Deus eſt aptus intelligi, & vult ſeipſum intelligi à tali intellectu: ita requiritur proportio inter cognoſcens naturaliter, & cognitum naturale, quæ poteſt ſtare cum diſproportione in modo eſſendi, huius & illius: vnde gratis à Caietano hæc comparatio & ſimilitudo negatur.

...rrariẽſis ...trariatur ...ietano, ...fauet Sco...

Et reuera hoc vult Ferr. ſupra, cũ ait. Nõ intẽdit S. Th. (vt Scotus putat) oportere eſſe inter naturã intelligentis, & obiectum naturaliter & quidditatiuè cognitum, æqualitatem abſolutè, vel exceſſum naturæ intelligentis, ſed intelligit oportere eſſe inter obiectum & naturam cognoſcẽtis, talem proportionem, vt illud obiectum natum ſit cognoſci, per ſpecies naturæ intellectuali conuenientes &c.

...omiſtæ ...lè Scotũ ...glosãt.

Hęc doctrina Ferrar. ponit proportionẽ inter cognoſcẽs & cognitum, ſine æqualitate in modo eſſendi: ꝙ verum eſt; & affirmat Doctor noſter, tũ in præſenti, tum 6. Met. q. 3. Sed quòd D. Tho. non intendat eſſe debere ſimilitudinem modi eſſendi inter cognoſcens & cognitũ, contradicit Ferrariẽſis, D. Thomę, Caietano, & alijs Thomiſtis: ac proinde bñ putauit illud eſſe de mẽte D. Th. qđ alij Thomiſtę putãt.

Hic tñ Nota. Quòd quãuis in litera Doctoris, aliqua dicta procedant contra D. Th., quæ impugnẽt æqualitatem modi eſſendi ſpecificam, nõ genericam; vt patet circa finẽ, de viſione cęli incorruptibilis, & viſione terræ corruptibilis: id tñ non dicitur à Doctore, quaſi hunc ſolum ſenſũ D. Thomæ attribuat, vt malè explicant Doctorem Thomiſtę; ſed procedit primò in cõmuni, declarando non ſolũ quidditatẽ rei materialis, ſed rõnẽ Entis, eſſe obiectũ intellectus adæquati; qđ optimè probat tum ratione prima Theologica, tum alijs ſequentibus Philoſophicis. Deinde oſtẽdit, nõ requiri ſimilẽ modũ eſſendi, inter cognoſcẽs & cognitũ: & hoc ꝓbat à ſufficiẽti diuiſione; vel. n. requirit̃ ſimilis modus eſſendi ſpecificus; & hoc nõ, vt oſtẽdit exẽplũ datũ de oculo vidente cęlũ: vel ſimilis modus eſſendi genericus; & hoc nõ, vt dr̃ à Doctore in fine; quia modus eſſendi Dei cognoſcẽtis, nullã habet ſimilitudinem cum modo eſſendi lapidis quẽ cognoſcit, nec intellectus noſter habet cũ Deo cognito. Doctrinæ huic Scoticæ fauet ex Thom. Heru. qđl. 9. q. 9.

Aduerte præterea, ad rationes illas Doctoris, quæ concludunt, quòd Ens ſit obiectum adęquatum potentiæ intellectiuæ, à Thomiſtis dici vniformiter cum Caietano, ꝙ procedunt de obiecto adæquato extenſiuè, quod concedunt eſſe Ens; obiectum tamen adæquatum intenſiuè, cognoſcibile cognitione diſtincta & quidditatiua, eſſe quidditatem rei materialis.

Hæc reſponſio dupliciter deficit. Primò. Quia impropriè ſumitur adæquatum, pro adæquatione intenſiua; cùm nõ de illa ſit ſermo, quando communiter quæritur de obiecto adæquato. Obiectum enim adęquatum illud propriè dicitur, quòd neque excedit potentiam, neque exceditur ab illa: ita quòd nihil conſideret potentia, nec conſiderare poſſit, quod non contineatur in tali obiecto, & nihil continetur, quod non poſſit percipi à potentia. Propriè igitur adæquatum obiectum accipitur, pro adęquato extenſiuè; vt etiam hìc accipit Doctor: adæquata autem intenſiuè, impropriè adæquata dicuntur; nec requiritur reſpectu intellectus creati, vnum neceſſariò obiectum intenſiuum, ſed poſſunt eſſe plura; illa nimirum quorum ſingularia fortiùs mouent ſenſum; vt dictum eſt quæſt. præced. Ens eſſe adæquatum noſtri intellectus, cõcedunt Thomiſtæ, qũo? Obiectũ adæquatũ ꝓpriè quod?

Secundò deficit, quòd cognitio diſtincta & quidditatiua ſit ſolùm quidditatis materialis. Nã Metaphyſica ſciẽtia, ordine docendi diſtinctè, eſt prima ſcientia; vt dictum eſt quæſt. præced. cum Auicenna; hęc autem non conſiderat quidditatem materialem, ſed Ens vt Ens in communi; ergo poteſt eſſe perfecta & diſtincta ſcientia quidditatiua, de Ente in communi.

Abſtrahendo pręſentem Quęſtionem à modo dicendi, & explicãdi Thomiſtarum. Videtur mihi, quòd in re nulla ſit difficultas, vel diſſenſio, inter Scotum & D. Thomã, ſed tantùm in modo loquendi. Nam inprimis, Ens eſſe obiectum adæquatum potentiæ intellectiuæ, ſecundùm ſe acceptæ, concedit vtraque Schola; deinde quidditatem rei materialis, vel ſenſibilis, fortiùs mouẽtem intellectum, eſſe obiectum illius adæquatum, (loquendo de cognitione intuitiua) pro ſtatu iſto perfectè, per ſpecies proprias cognoſcibile, vt D. Thomas concedit, ita Subt. Doctor libẽter fatetur. In explicãdis tũ huiuſmodi Concluſionibus, fundamentiſque iaciendis, eſt diſſenſio, vt viſum eſt. Parua diſſenſio ẽ inter D. Thomã & Scotum.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Altera Opinio, affirmans Deum eſſe obiectum adæquatum noſtri intellectus, reijcitur.

Alia eſt Opinio quæ ponit Deum eſſe primum obiectum intellectus, &c.

SVMMA TEXTVS.

Opinio hic relata eſt Henrici Gand. quodl. 13. q. 9. & quodl. 15. q. 9. Cui has Concluſiones Doctor opponit.

Prima Concluſio. *Deus non eſt obiectum adæquatum intellectus noſtri. Probatur id duplici ratione in textu.* Deus non eſt obiectũ adęquatum noſtri intellectus.

Secunda. *Deus ſub ratione Deitatis eſt obiectum adæquatum intellectus ſui infiniti; ut probatum eſt diſt. 1. q. 2. art. 2. dubit. 4.*

Tandem ponitur quaſi Concluſio incidentalis. *Corrolariè. Deus ſub ratione alicuius attributi generalis, ut ueritatis, uel bonitatis, non ut in Deo eſt, ſed ſecundùm ſe ſumendo illud attributum, uel in aliquo creato inferiori, & depurando illud ab omni imperfectione, poteſt impropriè dici obiectum motiuum, inadæquatum tamen, intellectus creati, ſed uerius & propriè illa ratio tranſcẽdentaliter ſumpta, dicitur obiectum motiuum.*

Tertia Concluſio. *Subſtantia in communi, non eſt obiectum adæquatum intellectus noſtri.* Subſtãtia i cõi non eſt obiectũ adæquatum intellectus noſtri.

COMMENTARIVM.

NOta Primò. Obiectum potentiæ habere naturalẽ ordinem ad potentiam, non aliud eſſe, quàm quod potentia naturaliter refertur ad obiectum, & obiectum ad potentiam, ita quòd vt potentia naturaliter apta eſt cognoſcere tale obiectum, ita obiectum naturaliter aptum Obiectũ habere naturalẽ potentiã ad intellectũ, quid ſit?

eſt cognoſci. Non tamen ſic intelligas: quòd obiectum in communi, aptum eſt mouere potentiam; ſed illa ratio communis, exiſtens in ſuis inferioribus, mouet ad cognitionem ſub illa ratione communi; ſingularitas enim eſt conditio obiecti, ſine qua obiectum non moueret potentiam, ſed natura in ſingulari eſt illud, quod formaliter mouet; vt videre eſt apud Doctorem 1. Met. q. 6. Deus igitur cùm ſit obiectũ voluntarium, non naturaliter ordinatum ad potentiam noſtram cognôſcitiuam, non poteſt eſſe eius obiectum primum.

Adæquatio communitatis & virtualitatis.

Nota Secundò. Adæquatio obiecti intelligibilis eſt duplex: communitatis, & virtualitatis. Obiectum intelligibile adæquatum adæquatione communitatis eſt, obiectum cuiuſuis potentiæ creatæ, naturaliter aliquid intelligentis: Dico creatæ; quia increatæ obiectum adæquatum, eſt Eſſentia Diuina; quia omnes perfectiones ſimpliciter continet formaliter, alias autem virtualiter: & propterea obiectum intellectus Diuini, dicitur adæquatum, adæquatione virtuali, non autem obiectum intellectus creati.

Ex hoc dicto conſtat, quàm non conformiter ad veram acceptionem terminorum loquantur Thomiſtæ, Articulo præced. cùm obiectum adæquatum in creatura, diſtinguũt in adæquatum extenſiuè & intenſiuè; cùm intenſiui obiecti adæquatio, ſolùm habeat locum in Diuinis.

Obiectũ adæquatum itẽſiuè tãtũ ẽ ĩ Diuinis.

ARTICVLVS TERTIVS.

Vera Sententia ponitur.

Ad Quæſtionem igitur reſpondeo. Quòd nullum poteſt poni primum obiectum, &c.

SVMMA TEXTVS.

obiectũ noſtri intellectus adæquatũ qđ?

Prima Concluſio. *Obiectum intellectus noſtri naturale non poteſt ſtatui aliquid vnum, formaliter quædam, & alia virtualiter continens. Ratio eſt. Quia tale obiectum, ſolùm eſt Eſſentia Diuina, quæ non mouet naturaliter noſtrum intellectum.*

Secunda Concluſio. *Ponendo conceptum Entis non eſſe vniuocum ſubſtantiæ & accidenti, Deo & creaturæ, nullum obiectum vnum commune ſtatui poteſt noſtri intellectus, ſecundũ ſe. Non enim eſt quidditas rei materialis, vt oſtenſum eſt art. 1. non ſubſtantia ſola, vt dicitur præcedenti art. non Deus, vt ibidẽ dictum eſt, & hìc in principio: nec aliquid vnum commune, quia hoc in propoſito negatur.*

Tertia. *Admiſſa vniuocatione Entis, obiectum adæquatum (adæquatione communitatis) noſtri intellectus, eſt Ens inquantum Ens.*

Ens nõ pđicatur vniuocè de paſſionib. ſuis, & de differentijs vltimis.

Quarta. *Ens etſi vniuocum ſit prædicatum non tamen vniuocè, ſeu non quidditatiuè prædicatur de differentijs vltimis.*

Quinta. *Ens vniuocum omnibus inferioribus, non prædicatur vniuocè, ſeu quidditatiuè de paſſionibus ſuis tranſcendentibus: nempe de vno, vero bono.*

Sexta. *Ens eſt obiectum intellectus adæquatum adæquatione diuiſiua: vel communitatis, vt in pleriſq; quæ includunt rationẽ Entis quidditatiuè, ſicut Deus, genera, ſpecies, indiuidua, differentiæ non vltimæ: &c. vel adæquatione virtualitatis, ſicut in differentijs vltimis, & proprijs paſſionibus. Quamuis enim differentiæ vltimæ includantur in generibus ſubalternis, vel ſpeciebus quidditatiuè, ipſum tamen Ens, ſicut & genus, non includitur in differentijs vltimis quidditatiuè, ſed virtualiter: paſſio autem propria Entis, vt bonitas, vel veritas, etſi ſit formaliter in Ente aliquo generis vel ſpeciei; accipiendo formale pro actuali, contra potentiale; non tamen eſt formaliter, accipiendo formale pro quidditatiuè.*

Septima. *Entis conceptus, qui non dicitur de omnibus vniuocè, ſeu quidditatiuè eſt communis vniuocus. Probationes ſunt claræ ex dictis quæſt. 1.*

Octaua. *Entis vniuocatio in conceptu obiectiuo non impedit quominus Ens non prædicetur quidditatiuè, ſed denominatiuè, de differentijs vltimis, & proprijs paſſionibus.*

COMMENTARIVM.

TErtia Concluſio non probatur hìc: quia ſequitur ex prædictis.

Vniuocè prædicatum, & vniuocè prædicari, ſũt diuerſa.

Ad intellectionẽ verò Quartæ, Quintæ, & Octauæ Concluſionis. Nota Primò. Ex ipſomet Doctore in 3. diſt. 7. q. 1. Aliud eſſe vniuocum prædicatum, aliud vniuocè prædicari. Vniuocum enim prædicatum illud eſt, quod dicit vnum conceptum obiectiuum, communem multis; ſiue ille conceptus prædicetur de illis inferioribus eſſentialiter, ſiue denominatiuè & accidentaliter; ſic album reſpectu ligni, & lapidis, eſt prædicatũ vniuocum, ſuppoſito ꝙ lapis & lignũ ſint alba; imò omnia denominatiua ſic ſunt vniuoca prædicata ſuis denominatis. Vniuocè verò prædicari eſt, ita prædicari, quòd nomen prædicati ſubiecto accommodetur, & ratio eius, ſeu conceptus eſſentialis, includatur in ratione formali & quidditatiua ſubiecti: ſic genera, ſpecies, & differentiæ, prædicantur de ſuis inferiorib. quib. inſunt.

Prædicatum Quid, & prædicari In Quid, diuerſa ſunt.

Hanc doctrinam de vniuoca prædicatione, deducit Doctor ex Philoſopho in Logica c. de ſubſtantia, vbi dicit Ariſt. aliud eſſe prædicatum Quid, & aliud In quid prædicari. In omni enim genere poſſumus inuenire Quid, vt habetur 1. Topic. ca. 7. nec tamen quodlibet cuiuſcunq; generis prædicatur In quid, & de quocunq; ſed tantùm de ſuo inferiori, in cuius ratione eſſentiali includitur.

Caietanus & alijs, non intellexit dictã diſtĩ...

Iſtam doctrinam Caietanus loco ſupra cit. nõ intellexit, & alij non pauci aduerſarij, dum docent rationes ſupra poſitas à Doctore, & hìc de nouo citatas, de vniuocatione Entis, non includere vniuocationem conceptus. Addunt enim Thomiſtæ, quòd ipſemet Scotus quæſt. præſenti fatetur, illis rationibus non concludi vniuocationem Entis.

Sed iſta citatio, quàm longè à vero abſit, vel modicũ hìc Doct. Subt. legenti clarum erit. Aliud enim eſt, Ens non eſſe conceptum vniuocum, quod nuſquam Doct. Subt. hìc vel in Metaphyſica ſua affirmat: aliud conceptũ Entis non dici vniuocè de differẽtijs vltimis, & paſſionibus Entis, vt dr̃ in textu. Primum enim, nempe eſſe vniuocũ, ſtat cum ſecũdo, cum non vniuocè, ſeu non quidditatiuè (idem n. eſt apud Doct. non vniuocè, ꝙ nõ quidditatiuè, vt docui ex ipſomet) prędicari de differẽtijs vltimis, & paſſionib. ſuis trãſcẽdẽtib.

Vniuocè & quidditatiuè idẽ.

Secundò non intellexit eam Philip. Fauent. in Phyſ. Theor. 96. c. 4. vbi dicit, hoc eſſe quorundam Scotiſtarum non intelligentium commentum. Verùm is meliùs dixiſſet, ſi faſſus fuiſſet, ſe in Scoto hanc doctrinam non legiſſe.

Prædicationis varij.

Nota Secundò. Secundùm ſententiã Scotiſtarum, prędicationẽ eſſe variam. Primò namq; diuiditur in exercitã & ſignatã. Prædicatio exercita, diuiditur in formalẽ, & identicam. Formalis poſtea, in eſſentialem & denominatiuã. Eſſentialis in quidditatiuam & ſubſtantialem. Denominatiua in neceſſariam & contingentem.

Prædicatio Exercita.

Prædicatio Exercita, in qua hoc verbum, Eſt, genuinam natiuamq; retinet verbi ſignificationẽ, vt Deus eſt ſapiens. Huius primum membrum eſt prædicatio Formalis, in qua prædicatum denotat ſubiecti formam in ſubiecto exiſtẽtẽ; talis eſt hæc prędicatio, Homo eſt animal, Homo eſt albus. Hæc prædicatio Formalis, ſeu per modum formæ: vel dicit formam eſſentialem ſubiecto; & eſt prædicatio Eſſentialis, vt Homo eſt animal: vel non eſſentialem; & dicitur prædicatio Denominatiua, vt Homo eſt iuſtus. Rurſus illud prædicatum formale eſſentiale: vel eſt quidditatiuũ, ita quod dicitur in Quid de ſubiecto, ſicut dicitur Ens de Deo & creatura, genus de ſpecie, ſpecies de indiuiduis; & dicitur prædicatio Quidditatiua: vel eſt prædicatum qualitatiuũ, quia dicitur in Quale eſſentiale, ſicut differentia dicitur de ſuo conſtituto, vt rationale de homine, & ſicut modus intrinſecus prędicatur de re, vt creatura eſt finita, Deus eſt infinitus; & hæc eodem nomine appellatur qualitatiuo. Tertia eſt formalis Subſtantialis, ſolis nota Theologis; qualis prædicatio eſt in propoſitionibus illis, in quibus conſubſtãtialitas denotatur Diuinarum Perſonarũ, & origo vnius ab alia; talis prędicatio eſt in hac propoſitione, Filius eſt de Eſſentia Patris. Prædicatio denominatiua neceſſaria dicitur; quãdo propria paſſio de ſuo ſubiecto prædicatur, vt Hõ eſt riſibilis; vel attributa de Eſſentia Diuina, vt Deus eſt iuſtus, vel appropriata Perſonarum, de ijs quibus præcipuè attribui ſolent, vt Pater eſt omnipotens, Filius eſt ſapiens Spiritus S. eſt bonus. Prędicatio denominatiua contingens eſt; ſi id de ſubiecto dicatur, quod adeſt, & abeſt præter ſubiecti corruptionem, vt Ioannes eſt Muſicus, Petrus eſt pius.

Formalis. Denominatiua. Quidditatiua. Qualitatiua. Subſtãtialis. Denominatiua neceſſaria. Denominatiua contingens. Idẽt.

Prædi-

Prædicatio identica dupliciter accipit: aliqn pro ea,in qua idem de seipso prædicatur,vt Homo est homo:quandoq; autem pro illa, cuius extrema sunt formaliter infinita, vt Essentia Diuina est bonitas; vel alterum tantùm est formaliter infinitum, vt Essentia Diuina est Paternitas; vel alterum extremum est permissiuè infinitum, vt Paternitas est Entitas, Humanitas est Entitas. Hæc prędicatio identica,secundo modo sumpta,non inuenitur nisi in trãscendentibus, in quibus vel formaliter infinitas reperitur, vt in Diuinis; vel permissiuè,vt in alijs transcendentibus: quæ infinitas ex se, & ex natura sua, habet hoc,quòd sibi identificet quodcunque compossibile.

Prędicatio signata.

Prædicatio signata est: quæ fit per hæc verba, Significo, Fundor, Prædicor, Dicor, Affirmor,& similia secundarum intentionum verba;vel per verbum,Est,loco horum positum, & non in propria acceptione sumptum; vt Homo significat hominem, Homo est species; quæ æquiualet huic, Secunda intentio, quæ est species,fundatur in homine.Quando igitur in præsenti dicitur, quòd Ens non prædicetur vniuocè de differentijs vltimis, & passionibus Entis,sermo est de prædicatione formali Entis, eaq;essentiali & quidditatiua, non de identica.

Nota Tertiò. In specie esse duplicem conceptum: alterum determinabilem, qualis est conceptus generis;alterũ determinantem, cuiusmodi est conceptus differentiæ determinantis genus ad speciem; vt in homine, animal est determinabilis conceptus, rationale est determinans conceptus,animal ad hominem.

Differentię sunt duplices.

Verùm illud est maxima consideratione dignũ. Quòd differentiæ tam vltimæ,quàm intermediæ, sunt in duplici differentia: aliæ enim sunt quæ desumuntur à tota realitate formæ, aliæ quæ desumuntur ab vltima realitate formæ. Quod sic explico.

In mixto heterogeneo, rõ generis desumitur à formis partialibus.

Admittendo Doctoris Subt. Opinionem communiter à plurimis receptam, de pluralitate formarum in eodem composito: sic est speculandum. Quòd ratio generis desumatur à prima forma; ratio verò differentiæ ab vltima forma. Exempli causa. In homine,sunt plures formę partiales substantiales, vt forma carnis,ossis,nerui,&c. Deinde vna est forma totalis, dans esse specificum, vt anima intellectiua. Ab illis formis partialibus, ordinem & attributionem inter se habentibus,desumitur ratio generis,vt animalis; ab anima verò intellectiua, desumitur conceptus differentiæ.

Differẽtiæ quæ desumuntur à tota realitate formæ non sunt vltimæ.

Illa igitur entitas in re, à qua desumitur differentia, si sit Ens quidditatiuè, de differentia etiã dicetur Ens quidditatiuè, sicut & de tali entitate; vt si anima intellectiua, est Ens quidditatiuè, etiam differentia desumpta ab ea, includet Ens quidditatiuè; sicut de facto ista differentia, rationale, vt desumitur ab anima intellectiua, includit Ens quidditatiuè,& dicitur de illa Ens in Quid, quia & de ipsa anima intellectiua Ens prædicatur in Quid. Quanis enim anima intellectiua sit vnica & simplex Physicè forma; sunt tamen in illa plures formalitates in quas resoluitur, sic & conceptus differentiæ à tali re desumptus, non erit simpliciter simplex,sed resolubilis in alios. Et sicut anima intellectiua, continens virtualiter & eminenter rationem animæ sensitiuæ, habet rationem Entis, in qua conuenit cum anima sensitiua, & etiam habet in entitate sua positiuam realitatem, per quam differt; ita differentia Metaphysica, desumpta ab anima intellectiua, sic accepta, (vt vnitiuè continet perfectiones sensitiuæ) continet in se quidditatiuè illam rationem in Ente, & differentiam à sensitiua.

Illa ergo differentia, quæ ab anima intellectiua sic accepta desumitur,continet in se quidditatiuè Ens,& etiam includit alias differentias, atque ita non est simpliciter simplex. De talibus differentijs dicit Subtilis Doctor articulo præsenti, quòd in eis Ens quidditatiuè includatur, & in Quid de ipsis prædicetur: & hæ sunt differentiæ quæ desumuntur à tota realitate formæ.

Differentię desumptæ ab vltima realitate formæ, sunt vltimæ.

Aliæ differentiæ sunt, quæ desumuntur ab vltima realitate formæ. In exemplo est clarum. Anima intellectiua, vt continet sensitiuam, conuenit cum sensitiua in Ente,& differt à sensitiua; illa realitas in anima intellectiua, per quam talis anima differt à sensitiua, vocetur B. & realitas in sensitiua anima, per quam hæc differt ab intellectiua vt sic,dicatur C. tunc differentia desumpta ab hac vltima realitate B. erit primò diuersa à differentia, quę desumitur ab vltima realitate animæ sensitiuæ, quę realitas est C. Et ab his vltimis realitatibus in formis,vel in rebus,dicuntur differentię vltimæ; (non vt pessimè Thomistæ cũ Zuar.disp.2.in Metaph. Fons.4.Metaph.c.2.q.2. & recẽtiores multi, Doctoris mentem non intelligentes, neque verba: adscribunt illi per differentias vltimas eum intelligere differentias speciei athomæ;) scilicet differentias oẽs, tam intermedias, quàm specificas, quàm etiam numericas, desumptas ab vltima illa realitate, per quam res vltimò differt, vltimas vocari.

Nõ intelligitur à Thomistis & Neotericis.

Breuiter. Illa dicitur vltima differentia à Doctore,quę ita est differentia, vt non resoluatur in conceptum quidditatiuum & qualitatiuum, determinabilem & determinantem; sed tantùm est conceptus eius qualitatiuus, sicut vltimum genus habet tantùm conceptum quidditatiuũ.

Et nota hunc passum in Doctore, vt subtilissimum, ita à pluribus non intellectum; qui habetur paucioribus quidem,sed aliquantum obscurioribus verbis in præsenti articulo.

Rõ prima Scoti impugnatur.

Nota Quartò. Primæ rationi Quintæ Conclusionis responderi à Soncinate 4.Met.q.19.Zuar.disp.2.q.5.nu.18. Non repugnare vt aliqua primò diuersa,in vno conceptu conueniant. Nam prædicamenta sunt primò diuersa, secundùm omnes, & tamen conueniunt in Ente, secundùm Scotum; ergo à simili, & differentiæ vltimę, possunt esse primò diuersæ, & tamen conuenire in Ente. Et Soncinas quidem negat differentias vltimas differre per alias differentias, propterea quòd illis alia differunt; Zuarez verò negat propriè differre, sed dicit esse diuersa.

Reijcitur illa impugnatio.

Contra Primò. Instantia illorum de decem prædicamentis non est ad propositum. Nam alio modo sunt primò diuersæ differentiæ vltimæ, alio modo decem generalissima. Differentiæ vltimæ sunt primò diuersæ se totis obiectiuè; quia videlicet in nullo conceptu obiectiuo, dicto de illis in Quid, conueniunt: prædicamenta verò sunt primò diuersa totis subiectiuè, quia scilicet in nulla realitate per differentiam contrahibili conueniunt, cũ non habeant supra se aliquod genus.

Prędicamẽta aliter sunt primò diuersa, quã differentiæ vltimæ.

Cùm dicit Sonc. differentias non differre, propterea, quòd sint ea, quibus alia differunt. Non satisfacit argumento. Quia licèt in simili, albedo & nigredo, sint ea, quibus albũ differt à nigro; non propterea seipsis albedo & nigredo differunt, sed per proprias differentias; Ita & hic argui potest.

Tertiò. Cùm dicit Zuar. Differentias non differre, sed esse diuersas. Nõ satisfacit argumento Philos. & Doctoris Subt. Quia differre illa dicuntur, quæ sunt diuersa aliquid idem entia, secundùm Arist. sed ita in differentijs vltimis ipsi concedunt; ergo verè different differentiæ vltimæ. Nec valet instantia de prædicamentis. Quia prædicamenta ex hoc quod conueniunt in Ente quidditatiuè, non sunt primò diuersa; sed sunt primò diuersa, quia in nullo conceptu generico conueniunt, vt dixi.

Rõ secũda Doct. defenditur.

Nota Quintò. Ad Secundum argumentum Doctoris, de compositione Metaphysica. Quòd cõceptus potentialis & cõtrahibilis (sicut & in Physica compositione, materia non est de ratione formæ) nõ est de quidditatiua ratione conceptus contrahentis & actuantis; vt patet in omni genere & differẽtia, vbi genus non dicitur in Quid de differentia. Cùm ergo conceptus Entis sit potentialis & contrahibilis, differentia verò vltima dicit actuantem conceptum, & contrahentem, sequitur quòd Ens non dicetur de illa.

Ad rõne 2. Sco. respondet Suar. 1.

Respondet Zuar. Primò. Non esse necessariam istam proportionem, inter compositionem Physicam & Metaphysicam. Alioqui sicut de omni forma verum est, quòd nihil includit materiæ, & de materia quòd nullã includit formam, ita de omni genere, seu conceptu determinabili, verificãdum esset, quòd nullam includat differentiam, & de omni differentia, quòd non includat Ens, quod est primum determinabile.

Respondet Secundò. Istam comparationem tenere in hoc, quòd sicut materia formam, & forma non includit materiam; ita nec genus includit differentiam, nec differentia genus: non verò debere fieri proportionem in transcendentibus conceptibus simplicioribus respectu inferiorum, in quibus non est similis determinationis modus.

Impugnatur responsio Zuar. 1. Contra Primò. Conceptum resolutio statum habet, sicut & Physica resolutio; ergo sicut in Physica resolutione deuenitur ad aliqua primò diuersa, se inuicem non includentia; ita & in resolutione conceptuum Metaphysicorũ, deueniendum est ad aliquos conceptus primò diuersos: & sicut in Physica est resolutio ad primũ principium primò potentiale, & ad aliud primò actuale; ita & in conceptibus debet fieri resolutio vltima ad conceptum primò potentialem, qualis est conceptus Entis, non alicuius generis, & differentiam vltimam, non aliam. Stat igitur comparatio.

2. Secundò. Cùm dicit Zuar. Sicut de omni materia verum est, quòd nihil includit formæ, ita & de omni differentia verum esse quòd nihil includat Entis. Antecedens meritò negatur; de omni materia. Corpus enim in homine, est pars materialis hominis, sicut anima est pars formalis; & tamen ista secunda materia (quæ est corpus humanum) vt sic, includit formas, etiam secundùm Zuariũ, qui non omnino negat formarum pluralitatem. Similiter formæ subordinatæ in mixto, cùm sint potentiales, & determinabiles per formam vltimam totalem, verè includunt aliquid de materia, non Physica, in entitate sua, sed Metaphysica, quæ est potentia: sic & conceptus contrahibiles, sunt verè potentiales, conceptus verò tantùm contrahentes, & nullo modo potentiales, erunt tantùm actuales.

3. Tertiò. Cùm dicit istam comparationem valere in genere & differentia, non in transcendentibus, respectu inferiorum. Inprimis hoc gratis dicitur. Esto enim quòd alius sit modus contrahendi aliquod transcẽdens, & alius contrahendi aliquod genus; hic tamen modus contrahẽdi non impedit, quominus ita genus sit intrinsecum, & idẽ reale cum differentia, sicut ens cum illa: & sicut cum identitate reali generis & differentiæ, est non identitas quidditatiua; quia genus non est de quidditate differentiæ; ita cum identitate reali vltimæ differentiæ & Entis, stat identitas quidditatiua. Modus igitur contrahendi aliquod transcendens diuersus à modo contrahendi aliquod genus, non impedit similitudinem in identitate reali, & non identitate quidditatiua; quia contrahibile vt contrahibile, non est de quidditatiuo conceptu contrahentis, siue illud contrahens sit modus, siue differentia. Deinde ostendere deberet, cur ista comparatio valeat in genere & differentia, & non debet valere in Ente & vltima differentia.

Ex his patet. Quomodo aliæ rationes Doctoris concludant: & quomodo non impugnentur directè ab aduersarijs rationes tùm prædictæ, tum pro Conclusione Quinta in textu positæ.

Dictum Doctoris Conclusione Octaua; quòd in intellectione simplici non sit verum vel falsum, quamuis sit desumptum aliquomodo ex Arist. & admittatur à plerisq: tum Philosophis, tum Theologis, quia tamen patitur aliquas difficultates, meritò.

Dubitatur.

Vtrum veritas cognitionis formaliter in sola secunda operatione intellectus inueniatur?

Videtur quòd sic. Primò. Quia Arist. 1. Periher. cap. 1. dicit. *Est autem quemadmodum in anima, aliquando quidem intellectus sine vero & falso, aliquando verò cùm iam necesse est horum alterum inesse; sic etiam in voce circa compositionẽ & diuisionem est verum uel falsum.* Hæc ille: Sed compositio & diuisio est solius secundæ operationis intellectus; ergo, &c. Confirmatur idem ex 6. Met. tex. 8. vbi dicitur, Ens verum, & non Ens, vt falsum, fieri circa compositionem & diuisionem, Idem dicit 9. Met. tex. 21.

Secundò. Voces sunt signa conceptuum, si igitur veritas vel falsitas esset in simplici rerum apprehensione, etiã in vocibus tanquam in signis esset veritas vel falsitas: Cõsequens est falsum; quia voces id significant verè, ad quod significandum sunt institutæ; ergo & Antecedens erit negandum.

Prima Conclusio. Veritas cognitionis, inuenitur etiam in prima operatione intellectus, imò & in sensu. Hęc Conclusio quoad Primam partem, est expresse Doctoris. 6. Met. q. 3. vbi distinguit veritatem in intellectu existentem, in complexam & in incomplexam; vt etiam superiùs dist. 2. q. 1. dixi; ergo est veritas notitiæ incomplexæ respectu obiecti incomplexi. Probatur authoritate Philos. 9. Met. tex. 22. vbi docet, alio modo verum vel falsum reperiri in substantijs simplicibus quàm in compositis: in substantijs enim compositis, verum vel falsum, est circa compositionem & diuisionem; in simplicibus autem, verum vel falsum, non est propter compositionem & diuisionem, quæ sit in rebus, sed est verum, quando cognoscitur de eis quid est; cùm verò non cognoscit, sed fortè simplici apprehensione attribuit sibi aliud, tunc intellectus est falsus. Ex hac doctrina Philos. apertè colligitur, quòd veritas, vel falsitas, in prima operatione intellectus inueniatur. Veritas cognitionis inuenitur [in] prima [operatione intel]lectus [&] ratione

Probatur eadem veritas, ratione. Verum incomplexũ est, habitudo conformitatis & similitudinis, actus simplicis, ad obiectum simplex intelligibile; plurimi autem actus simplices, sunt similes & conformes obiectis simplicibus intelligibilibus, siue, habent ad talia obiecta habitudinem conformitatis; vt patet in vera apprehensione hominis, leonis, & similium: quare in pluribus actibus simplicibus intelligendi, inuenitur verum incomplexum.

Secunda pars Conclusionis est Arist. 3. de anim. tex. 26. Intellectus circa Quod quid est, semper est verus, sicut sensus circa proprium sensibile. Est etiam Doctoris Subt. dist. præsenti, q. 5. vbi vult, quòd *notitia certa & vera, potest haberi per experientiam*; experientia autem fit mediantibus sensibus, vt declarat ibidem Doctor. Probatur hoc ratione. Notitia sensualis, vt visio, quoties est conformis obiecto visibili, toties est vera notitia; non enim aliud est, veram esse notitiam, quàm suo obiecto cognito esse conformem, & mensuratam ab illo; at plurimi actus sensus sunt conformes suis subiectis cognitis; est igitur in actibus sentiendi veritas. Veritas [co]gnition[is] in sensu

Secunda Conclusio. Quamuis inueniatur veritas in prima operatione intellectus; peculiari tamen modo reperitur in secunda, secundùm affirmationem vel negationem. Hæc Conclusio est Doctoris hìc, & in Metaphysica loco alleg. vbi dantur ab illo duæ causæ, ob quas speciali modo attribuitur secundæ operationi intellectus veritas vel falsitas. Prima. Quia verum illud propriè est in cognitione, cui opponitur falsum: cùm igitur veritati compositionis vel diuisionis opponatur falsitas, veritati autem incomplexæ non opponatur falsitas, vt docet Philos. 3. de anim. tex. 26. sed ignorantia quæ minùs propriè dicitur falsitas; vt infra explicatur, & docet Phil. 9. Metaph. tex. 22. sequitur quòd verum propriè reperitur in compositione & diuisione, non item in simplici cognitione. In secu[nda] operatio[ne] intellect[us] speciali modo e[st ve]ritas cog[ni]tionis.

Sed ista ratio parum valet: vt vult ipse Doctor, in Metaph. loco citato.

Secũda. Licèt veritas subiectiuè sit tam in simplici cognitione quàm in complexa, obiectiuè tamen, vt cõcipitur ab intellectu, nõ est nisi in cognitione complexa. Veritas enim in intellectu obiectiuè est tunc, quando intellectus reflectit se supra actum suum, comparando illum ad obiectum; ista autem reflexio, quòd actus sit talis, similis vel dissimilis obiecto, non potest esse sine compositione vel diuisione: ergo veritas obiectiuè, non potest cognosci, nisi per secundam operationem.

Nec argumentum Zuarij in sua Metaph. disp. 8. sect. 3. num. 14. aliquid officit huic veritati: dum dicit. Si notitijs reflexis cognosceretur veritas, sequeretur nõ esse vniuersaliter verum, quod ait Arist. Veritatem & falsitatem, in compositione & diuisione reperiri. Dico enim Sequelam nullam esse. Quia verè in omni compositione vel diuisione, veritas vel falsitas reperitur; sed illa veritas, siue in

men-

mentali siue in vocali consistat oratione, non percipitur nisi cognitione reflexa.

Deinde: quando addit. Quòd etiam per simplicem notitiam reflexam, potest veritas formaliter & verè concipi. Dico. Veritas Entis, cùm sit passio simplex, potest directa vel reflexa notitia cōcipi, sed veritas cognitionis, etiā simplicis, nullo modo potest concipi cognitione vel directa vel reflexa simplici. Ratio est. Quia intellectus, reflectens se supra veritatem incomplexam, vt cognoscat illam esse cōformem obiecto incomplexo, debet comparare ipsam ad obiectum: & vel formaliter, vel virtualiter, hanc compositionem facit. Iste actus intelligendi, est conformis huic obiecto.

Dices. Principia statim cùm apprehenduntur, cognoscuntur esse vera; ergo sine reflexione. Respōdeo. Propter euidentem habitudinem terminorum in principijs, statim intellectus componens, percipit actum componentem, esse conformem entitati compositorum: alius igitur ibi est actus directus cognitionis, alius reflexus; iste tamen actus reflexus, est imperceptibilis, quia simul tempore; in alijs tamen, vt in Conclusionibus, posterior est tempore.

Aristoteles igitur, quando loquitur de veritate & falsitate, quòd illa in secunda operatione inueniatur, siue loquitur cum exclusione aliarum operationum, siue non; intelligendus est loqui de veritate Anthonomasticè, hoc specialiori modo, non verò de veritate absolutè; quia aliàs sibi contradiceret; vt patet ex prima Conclusione.

Hinc etiam constat, quid dicendum sit ad Argumenta, in principio Dubitationis adducta. Addendum tamen hìc est. In obiecto incomplexo non simpliciter irresolubili, posse contineri veritatem complexam, vel formaliter vel virtualiter. Vel enim concipitur obiectum illud simplex, secundùm se, notitia simplici, non referendo illud actu ad alterum terminum, sibi conuenientem, cū quo facit vnionem, cui attributum erit materia propositionis; & est tunc veritas complexa virtualis, quia videlicet conceptus ille est referibilis ad alterum, cum quo est coniunctus: vel cōsideratur illud obiectum, vt relatum actu, ad alium terminum sibi conuenientem (& non tantùm vt referribilis est) & tunc est veritas formalis in obiecto incomplexo. Similiter dic de falso enunciatiuo, quòd hoc, in simplici notitia alicuius incomplexi, vel est formaliter, aliquid attribuendo, quod in re non conuenit, vel est falsum enūciatiuum virtualiter, quando scilicet incomplexum, nō simpliciter simplex, concipitur prima apprehensione malè; tunc enim illi obiecto malè apprehenso, de facili intellectus attribueret aliquid inconueniens, pro conuenienti, ob suppositionem falsi fundamenti apprehensi.

In obiecto cōplexo, cōtine- Veritas reflexa, formaliter vel virtualiter.

Quando igitur à Doctore Subt. in textu dicitur. Quòd Ens simpliciter simplex, non includit nec formaliter, nec virtualiter, propositionem falsam. Sensus est. Siue ratio aliqua simplicissima, & irresolubilis, secundùm se consideretur, non est illa referribilis ad alium terminum; & sic non includitur virtualiter, veritas vel falsitas enunciatiua, in tali obiecto; siue cum actuali cōuenientia & connexione cum alio consideretur; & talis consideratio non valet in Ente simpliciter simplici, quod supponitur esse abstractum ab omni ratione, & consequenter non includitur in tali Ente simpliciter simplici, veritas aut falsitas enunciatiua formaliter. Et sic vel totaliter scitur, vel totaliter ignoratur, conceptus simpliciter simplex, cùm non sit partibilis & resolubilis in plures rationes, vt secundùm vnam sciatur, & secundùm aliam non.

Ens simpliciter simplex nō includit propositionem formaliter virtualiter falsā.

Quamuis autem circa talem conceptum, non sit veritas vel deceptio enunciatiua & complexa, quod solùm Doctor intendit in præsenti litera; potest nihilominus esse veritas vel falsitas incomplexa, vt patet ex dictis Prima Conclusione.

Ens simpliciter simplex vel totaliter scitur, vel totaliter ignoratur.

Et aduerte, contra Caietanum, Doctorem hìc loqui, nō de conceptu simplicissimo, qui nullam dicit compositionem, quia talem conceptum dicit Deus (cùm nullam dicat cōpositionem) & tamen in illo, cùm sint rationes plures intelligibiles, est obiectiuè veritas enunciatiua, sed sermo hìc est de conceptu simpliciter simplici, qui nullam dicit conceptuum vnionem, sed est simpliciter irresolubilis in plures: tales conceptus sunt Entis, secundùm se acceptì, conceptus veri, boni, vnius, in ratione formali passionum Entis hæc considerando: & tandem conceptus vltimarum differentiarum.

ARTICVLVS QVARTVS.

Proponuntur præcipua argumenta, contra vniuocationem Entis, & resoluuntur.

Contra istam vniuocationem Entis arguitur multipliciter. Primò, &c.

SVMMA TEXTVS.

Sex rationes proponuntur cōtra vniuocationem Entis. Quatuor priores, procedunt ex authoritate Arist. Quinta ex dicto Porphyrij: Sexta & vltima per discursum naturalem. Respondetur deinde his argumentis clarè in litera. Solutio verò vltimi Argumenti, clarior euadet infra, ex cognitione modi intrinseci, dist. 8. q. 3.

COMMENTARIVM.

CVm à Doctore Subt. & præcedenti Articulo, & præsenti, concessum sit, Ens in differentijs non vltimis, & in generibus, includi quidditatiuè: Quomodo non sequitur illud inconueniens, quòd in definitione Ens bis dicatur quidditatiuè, semel in genere & secundò in differentia?

Solutio notabilis difficultatisquō Ens inclusū in oī Ente nō dicitur bis in propositione aliqua.

Ad hanc difficultatem. Respondet Doctor in præsenti, per hanc regulam. Quando aliqua duo inferiora, vt homo, & album, comparata ad tertium superius, nempe ad Ens, sic se habent, quòd vnum inferius denominat aliud, sic album denominat hominem, cùm dico, Homo albus; tunc illud commune, nempe Ens, in suis inferioribus sumptum (prout Homo est Ens, & Album est Ens) particulariter denominat seipsum sine nugatione, non tantùm secundùm rationem inferiorem albi vel hominis, sed secundùm illam rationem communem Entis, sumptam particulariter. In ista enim propositione. Homo est albus; certum est quòd Ens quidditatiuè includitur, & in homine, & in albedine; & tamē cū dico, Homo est albus: nulla est nugatio; quia non est prędicatio eiusdem de eodem, secundū eundem modum; quia Ens inclusum in albo quidditatiuè, prædicatur denominatiuè de Ente, incluso in homine quidditatiuè: sicut enim album de homine dicitur denominatiuè, ita ratio Entis in albo, dicitur de Ente in homine denominatiuè. Quod clarè percipi potest, si prędicatum denominatum de Ente, constituatur entale, vt possit hæc enunciatio efferri, Ens est entale: in hac propositione, Ens pdicaretur denominatiuè de se, & tamen sine nugatione: quia nō secundùm eūdem modū sumitur Ens in subiecto, & prædicato. Ita eadem ratio Entis inclusa in prædicato, non inaniter prædicatur denominatiuè de Ente incluso in subiecto. Prout etiam in secundo exemplo patere potest, dicendo; Animal est rationale: ista prædicatio est denominatiua, & Ens in animali includitur quidditatiuè, in rationali autem (vt rationale sumitur pro vltima differentia) includitur non quidditatiuè, sed denominatiuè, iuxta dicta. Non igitur inconueniens erit, vt Ens denominatiuè acceptum, dicatur denominatiuè de Ente secundùm quidditatem accepto, incluso quidditatiuè in alio.

Hic aduerte. Primò. Licèt prædicatum sit quidditatiuū aliquod, vt dum dico, Homo est animal; quia tamen hoc prædicatum quidditatiuum, habet se non abstractè, vt animalitas, sed denominatiuè & concretè, concernendo illud de quo est dicibile; hinc sequitur, quòd non modò Ens dicitur denominatiuè in vno inferiori, respectu alterius, prout dictum est de differentijs vltimis & passionibus: sed etiam in quo includitur quidditatiuè, sic in rationali (vt est non vltima differentia) inclusum Ens, dicitur de Ente incluso in homine denominatiuè: vt patet ex dictis.

Aliquando Ens prædicatur denominatiuè, et de illis quib. inest quidditatiuè.

Aduerte Secūdò. Ens particulariter accipi in suis inferioribus, potest tripliciter. Primò: secundùm rationes pro-

Ens particulariter accipitur in suis inferioribus, tripliciter.

prias

prias inferiorum; vt secundùm rationem albi; aut hominis; & sic certum est quòd vnum de altero prædicatur denominatiuè, vt album de homine. Secundo modo, accipitur Ens particulariter in suis inferioribus, secundùm propriam rationem Entis; & hoc dupliciter: vel secundùm rationem Entis in communi, ab inferioribus abstractam, vel secundùm rationem Entis in inferioribus existentem: Si priori modo accipiatur ratio Entis; illa cùm sit abstracta, non concernit inferiora, nec prædicatur de illis, nisi de passionibus proprijs: si secundo modo, vt ratio Entis est in inferioribus; sic prædicari sequitur ad inesse, & prædicatur verè Ens illud vniuocum, à Metaphysico consideratum, licèt non sub illa consideratione & indifferentia.

Hinc collige instantiam Caietani lib. de Ente & Essentia cap. 2. q. 3. non esse ad propositum. Cum dicit. Aliud esse loqui de Ente in sua ratione communi, in qua indistinctè vniuocantur prædicta, & aliud est loqui de Ente particulariter accepto. Licèt enim palliari posset, quòd Ens particulatum ad album, & rationale, denominet Ens particulatum ad animal; non tamen potest intelligi, quòd prima pars rationis albi, formaliter sumpti, denominet primam partem rationis animalis; ea enim est Ens, eodem modo sumptum, cùm vniuocum sit. Hæc Caietanus. Patet quòd Ens illud vniuocum, abstractissimè sumptum, secùdùm illum modum, non prædicetur de inferioribus, nisi de suis passionibus, sed illud Ens, vt est in suis inferioribus, dicitur de illis denominatiuè, non secundùm illam indifferentiam Metaphysicam, sed prout est in illis.

Deinde respondeo Secundò. Sicut ratio Entis contracta ad rationale, dicitur de ratione Entis contracta ad animal, denominatiuè; ita ipsa ratio Entis finiti, communissimè sumpti, dicitur denominatiuè de substantia, cùm dico, substantia est Ens finitum, accidēs est Ens finitum: ratio enim Entis finiti, immediatè descendit in substantiam & accidens, de quibus immediatè prædicatur; quare non modo ratio contracta Entis, sed etiam illa communis vniuoca, dicetur denominatiuè, non de illo cui conuenit quidditatiuè, & includitur in eo in primo modo dicendi per se, sed de illo, de quo suum includens, quantumuis supremum, dicitur denominatiuè.

Respondeo Tertiò. Secundùm omnem sententiā, substantia est de quidditate hominis, est etiam de quidditate animalis; & licèt quidditatiuè includatur ratio substantiæ in homine, & quidditatiuè in animali; non tamen in definitione hominis, Homo est animal, ponitur nugatoriè bis ratio substantiæ, sed in homine est per modum quidditatis, in animali per modum concreti, denominantis quidditatem; ac si diceres, substantia est Ens substantiale: vnde sicut non est inconueniens genus summum vniuocum, includi in omni genere subalterno, infimo, & specie athoma: ita nullum est inconueniens, Ens vniuocum includi quidditatiuè in subiecto & prædicato, & tamen in definitione subiecti non esse petitionem principij; quia vt in prædicato ibi Ens includitur, denominatiuè accipitur; vt autem in subiecto includitur, accipitur absolutè vt quidditas, ac si diceres, Ens est entale.

Patet igitur responsio ad difficultatem. Quòd dum dico, Homo est animal rationale, quamuis includatur Ens in animali quidditatiuè, sicut & in rationali: (accipiendo rationale, non pro vltima differentia (vt tamen rationale de animali dicitur denominatiuè, ita Ens inclusum in rationali, aliter dicitur & de animali, & de homine, quàm Ens inclusum in animali; quia vt in animali inclusum est, dicitur absolutè quidditatiuè, in rationali dicitur denominatiuè.

RESOLVVNTVR ARGVMENTA principalia Quæstionis.

Ad Argumenta principalia istius Quæstionis. Dico. Ad Primum. Quòd non semper perfectissimum, est causa respectu imperfectorum, &c.

COMMENTARIVM.

Textus est clarus. Authoritas verò D. August. intelligetur meliùs, ex dicendis q. 6. huius distinct.

QVAESTIO IV.

Vtrum aliquod aliud transcendens, adæquatum Enti, possit poni obiectum adæquatum intellectus?

His visis, restat vlterior dubitatio. Vtrum possit poni, &c.

SVMMA QVAESTIONIS.

Duo sunt Articuli. In Primo, ostenditur, quòd verum vt est passio Entis conuertibilis cum eo, non sit obiectum adæquatum & primum. In Secundo, expeditur dubium: cur non omne cōtentum sub Ente, naturaliter est motiuum intellectus nostri.

ARTICVLVS PRIMVS.

Verum transcendentaliter acceptum, non est obiectum adæquatum intellectus nostri.

Sed contra istam Conclusionem de veritate, arguo sic. Primum obiectum, &c.

SVMMA TEXTVS.

Conclusiò. *Verum passio Entis, non est obiectum adæquatū nostri intellectus. Probatur tribus rationibus positis claris in textu.* Verū p[assio] Entis est ob[iectum] adæqu[atum] nostri [intel]lectus.

Tandem tria Argumenta (quæ communiter dicuntur esse Aegidij Romani quodl. 4. q. 10. sed nihil ibi de hac materia: veriùs ex quodlib. 3. eiusdem q. 18. elici potest) mira subtilitate detorquet in aduersam Opinionem. Vbi Nota singularem explicationem illius dicti Arist. 2. de anim. tex. 33. & 38. Potētiæ distinguuntur per obiecta.

Verum an dicat absolutum vel relatiuum: vide dicenda infra, post Articulum 2.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Expeditur dubium. Cur non omne contentum sub Ente, naturaliter est motiuum nostri intellectus?

Sed restat vnum dubium. Si Ens secūdùm rationem suam, communissimam sit primum, &c.

SVMMA TEXTVS.

Respondetur inprimis Dubitationi. Id propterea accidere. Quia licèt Ens vt Ens, sit obiectum intellectus nostri, considerando intellectum absque vlla imperfectione, intellectus tamen noster, pro statu isto, hēt obiectū motiuū, quidditatē rei materialis, vt dictum est quæst. 2. ac proinde alia obiecta materialia, pro isto statu, non sunt naturaliter motiua intellectus nostri. Deinde exponitur clarè, in quo consistat ratio istius status.

COMMENTARIVM.

QVòd intellectus noster non habeat necessariam & intrinsecam dependentiam conuertendi se ad phantasmata, & intelligere dependenter ab illis, vniuersaliter & necessariò, communis est Scotistarum & Thomistarum Opinio. Et bene probatur ex statu gloriæ post resurrectionem: vbi noster intellectus, independenter à corpore, potest elicere actus suos, vt cōmuniter tenetur in 4. Et quidam idem affirmant probabiliter de statu innocentiæ. Quòd si is perseuerasset, hæc dependentia nostri intellectus ad formas corporeas, non fuisset. Intelle[ctus] noster [in sta]tu glor[iæ] depend[ens] à phan[tas]mate, i[n]telligen[s].

Cur autem dependeat pro nunc. Subt. Doctor varias causas enumerat, vt probabiles. Vel enim hoc est, ex mera Depen[den]tia inte[lle]ctus ad [phan]tasmat[a vn]de.

ra voluntate Dei; vel ex mera iustitia punitiua, vt dicunt illi probabiliter, qui alium modum cognoscendi in statu innocentiæ statuebant, à phantasmate non depēdentem, quamque etiam S.Aug.15.de Trinit.cap.vlt.innuit, vt citatur in textu.

...es ma- ...guit cō Scotū.

Vnde malè Bannes 1. part. q.84.art.7. dub.2. notauit, Doctorem Subt. absque fundamento locutum fuisse, ꝙ ista dependentia à phantasmate pro nunc, sit in pœnam: cùm hoc velit apertè Aug.authoritas. Nec valet, quòd ex 3.de an.cap.7. & 8. infert Aristotelem, hanc necessitatem conuersionis ad phantasmata, docuisse tanquam aliquid connaturale intellectui nostro;cùm is nesciuerit peccatum originale aut pœnas illius.Hoc inquam non valet:quia secundùm eundem Arist.in lib.de vita & morte,mors nobis est naturalis; & tamen secundùm veritatem Theologicā inflicta est in pœnam peccati originalis:iuxta illud,*In quacunque hora comederitis, morte moriemini*; ita hic non valet, ab authoritate negatiua: Aristoteles ita non sensit, & causam istam non nouit; ergo non est ista causa: cum authoritas longè maior S. Aug. & Scripturæ conformior, oppositum doceat. Quod etiam addit ibidem Bannes, Doctorem posuisse inter intellectum & phantasiam concordantiam & concomitantiam,non subordinationem & dependentiam: Si loquitur de depēdentia necessaria simpliciter;concedo,quòd illam non posuit Doctor: nec hanc sentētiam negatiuam improbare potest vllus verus Theologus; quia post resurrectionem non erit ista dependentia in statu beatitudinis: vel loquitur de dependentia pro statu isto necessaria, & tunc Bannes apertè contrarium attribuit Doctori,quàm eius hic textus habet; imò talem subordinationem & dependentiam, expressiùs infra concedit, quæst.8. & 9. Et lib.3.de anim.q.18.ex professo hanc quæstionem examinat; & dependentiam intellectus nostri ad phantasiam pro statu isto, non tamen absolutè, agnoscit.

...nè me- ...m inter ...rale & ...i & in- lumen ...riæ po- ...at Gan

Illud dictum Doctoris in litera, *Nisi in maiori lumine, quàm sit lumen naturale intellectus agentis*: quidam interpretes volunt intelligi de lumine gloriæ: alij autem putant intelligi de lumine medio, inter lumen naturale intellectus,& lumen gloriæ:(de quo lumine in sententia Gādau. videndus est Doctor in 3.dist.23.& quodl.12. artic.2.& quodl.14.)quod aliquis habens pro statu isto, potest Deū abstractiuè intelligere perfectiùs, quàm alter per lumen naturæ intellectus cognosceret, imperfectiùs tamē quàm per lumen gloriæ. Ista explicatio magis mihi placet: vt patet, Tum ex duabus rationibus hîc in responsione positis, quæ lumen gloriæ nullatenus, hoc autem lumen medium optimè,improbant:Tum ex processu literæ; cùm in isto Articulo intentum Doctoris sit,ostendere quòd Deus pro statu isto, non sit naturale obiectum motiuum intellectus nostri.Cōtra hanc determinationem,nullus Theologus obijcit Doctori,nec obijcere potest: quòd pro statu isto,in maiori lumine, scilicet gloriæ, quàm sit lumen intellectus agentis, mouent aliquando nostrum intellectum substantiæ separatæ;hoc enim falsum est:sed si dicas quòd in cognitione abstractiua, Deus vel alia substantia separata,mouet nostrum intellectum ad sui cognitionem,nō vt intellectus est constitutus in merè naturali lumine, sed vt est præditus illo medio lumine, de quo sensit Gandau. In hoc sensu bene procedunt rationes Doctoris hæ assignatæ.

Dubitatur.

Vtrum ratio veri, vt est passio Entis, sit quid absolutum.

Videtur quòd sic. Primò. Secluso omni respectu,adhuc Ens est verum;ergo verum non significat respectum. Antecedens. Nam dato per impossibile; quòd nullus intellectus intelligeret lapidem, & lignum, adhuc verè lignum esset lignum.

Secundò. Par est ratio vnius passionis & alterius, loquendo de passionibus eiusdem subiecti; sed Vnum est passio Entis, cuius ratio non est formaliter respectiua; sequitur quòd & Verum,eiusdem Entis passio,non erit quid respectiuum,sed absolutum.

Tertiò.Vel ille respectus est rationis,vel realis? Non rationis; cùm Entis realis passiones sint reales, vt ostensum est in Metaphysica: non realis; quia sequeretur quòd Essentia Diuina, vt distinguitur à relatione Originis, esset Ens relatiuum, quod est contra Theologos.

Conclusio Doctoris 6.Met.q.3.conformis præsenti literæ est. Ratio Veri, consistit in relatione, non rationis, sed in reali. Estque intelligenda de Vero, vt præcisè ratio Veri est passio Entis,distincta ab Ente aliquomodo. — Veri ratio cō-sistit in relatione reali.

Quòd sit relatio probatur. Tum quia ratio Veri, addit supra Ens rationem manifestatiui, vt dictum est dist.præced.quæst.1.ratio autem manifestatiui,est intrinsecè quid relatiuum,cùm sit ratio relata ad id cui manifestatur: Tū quia veritatem communiter definiunt, esse conformitatē intelligibilis ad intellectum; conformitas autem est relatio. Tum quia abstracto omni absoluto ab Ente, adhuc Ens est intelligibile, & ex se manifestatiuum sui, cuilibet intellectui, potenti cognoscere illud; hoc autem est esse verum; atque ita Enti conuenit verum, abstracto omni absoluto.

Quòd non sit relatio rationis, patet. Tum ex dictis in Metaphysica, de passionibus Entis in communi, quæ dicunt aliquas rationes positiuas in re ex natura rei. Tū quia ante omnem operationem intellectus res sunt veræ; quia ante rationis considerationem,Ens est manifestatiuum sui cuilibet intellectui. Est igitur relatio realis: non prædicamentalis; cùm hæc distinguatur realiter à subiecto; sed est relatio transcendens, conueniens omni Enti; eaque non actualis, sed aptitudinalis; non enim ideo Ens est verum, quia actu se manifestat alicui intellectui;(quia sic res ante intellectionem actualem,non essent veræ) sed quia aptum est se manifestare. Illa igitur ratio manifestandi,cùm sit tā respectu intellectus existentis, quàm respectu possibilis; ideo relatio talis, quæ est indifferens ad terminum existētem vel non existentem, non est actualis, sed aptitudinalis.

Nec tamen ex hoc sequitur, quòd veritas non sit actualis,& Ens non sit actu verum,sed aptitudine. Non sequitur inquam: quia relatio illa aptitudinalis, actu inest Enti, quamuis non determinetur ad actualem terminum, vt supra dixi, quęst.8. prol. de conformitate & prioritate in relationibus aptitudinalibus scientiæ practicæ. — Aptitudinalis Relatio quæ.

Infero Primò.Doctrinam Fonsecæ 4. Met.c.2.;q.6.sect. 10.dicentis.Quòd veritas,vt est passio Entis,sit conformitas rerum cum intellectu Diuino, hoc est,cum rationibus formalibus earum,quæ sunt in mente Diuina; non esse à Scotista tenendam. Tum quia Deus est verè, Ens verum, & tamen illa veritas Entis competens Deo, non conuenit Deo per conformitatem cum ratione formali, quæ sit in mente Dei,cùm tales rationes formales solùm Entis creabilis sint in mente Diuina, non verò ipsius Dei; nam illæ rationes idem sunt quod Ideæ Diuinæ, Ideæ autem sunt res creabiles in esse obiectiuo. Tum quia veritas consistit in ratione manifestatiui, respectu cuiuscumque intellectus; ergo non respectu solius intellectus Diuini: verum quidē est, quòd primò sit Ens quodlibet manifestatiuum respectu primi & summi intellectus,secundariò autem respectu intellectus creati; tamen respectu vtriusque intellectus, conuenit illi ratio manifestatiui, vt etiam aduertit Zuar. disp.8.suæ Met.Sect.7.num.26. — Fōsecę opinio de Vero. reijcitur.

Infero Secundò. Non bene dici à Soncinate 6.Met.q. 17. Verum significare duo Primum est res absoluta, siue illa sit entitas rei, siue species intelligibilis, aut actus,aut conceptus intellectus:secundum est,respectus rei ad intellectum & speciem, & actum, & conceptum. Differenter tamen hæc duo includuntur à veritate, secundùm illum. Nam in recto & principaliter veritas includit tantū rem absolutam, sed in obliquo dicit respectum conformitatis. — Soncinatis opinio de Vero improbatur.

Hæc inquam non bene dicuntur.Primò. Quia hîc cōsideramus veritatem quæ est passio Entis, & consequenter consideramus veritatem aliquomodo distinctam à qualibet Entitate rei,specie,actu,vel conceptu: quare malè dicitur, ꝙ veritas, vt est passio Entis, includit speciem, actum, &c. Secundò. Nunquam subiectum includitur in ratione formali suæ passionis, in recto, & principaliter:

quia

quia subiectum in definitione proprietatis cadit vt additum, secundùm Aristotelem; & consequenter non includitur in ratione formali proprietatis: ergo entitas rei, non continetur in recto & principaliter à veritate, quę est passio Entis. Tertiò. Passiones Entis, nō essent simplices, prout ipsum Ens, sed essent compositæ, vt patet in hac sententia; includerentque Ens quidditatiuè: quod est contra superiùs dicta.

Ad Primum. Nego Anteced. Ad probationem illius. Dico. Secluso omni intellectu, res est vera: quia est sui manifestatiua, intellectui possibili, in tali casu, & sic non præscinditur à termino possibili.

Ad Secundum. Non in hoc consistit paritas, vt si vna passio non sit quid relatiuum, nec alia debet esse relatiua, sed in hoc qđ si vna passio est indistincta realiter ab Ente, & altera erit indistincta, si vna dicit quid positiuum, & altera: & ita non est argumentum à paritate; quia hęc passio conuenit Enti, per comparationem ad aliud non item vnitas.

Esśētia Diuina nō est relatiua ad aliquid extra se q̄uo? Ad Tertium. Dico relationem esse transcendentalē realem. Ad probationem. Theologi negant Essentiam Diuinam, secundū esse suum formale acceptam, esse relatiuam ad terminum alterum Essentiæ oppositum, quia Essentiæ Diuinæ nihil opponitur relatiuè: idque loquendo de relatione actuali ad realiter distinctum terminum; non autem negant inesse Essentiæ relationem fundamentalem, quæ formaliter Essentia Dei, est sui manifestatiua, sicut est intelligibilis à suo Diuino intellectu.

QVAESTIO V.

Vtrum aliqua veritas certa & syncera possit naturaliter cognosci ab intellectu Viatoris, absque lucis increatę speciali illustratione?

Et arguo quòd non. August. 9. de Trinit. c. 8. Sed intueamur inquit inuiolabilem, &c.

SVMMA QVAESTIONIS.

Articuli Septem hìc declarantur. In Primo recitatur vna Opinio cum suis motiuis. In Secundo, ostenditur quòd rationes pro Opinione Primi articuli adductæ, non sunt rationes fundamentales alicuius Opinionis veræ, nec secūdùm intentionē Augustini, sed pro Opinione Academicorum. In Tertio, ostenditur quomodo illa Opinio Academicorum, quæ videtur concludi per rationes Primo articulo positas, falsa sit. In Quarto, responsio datur ad illas rationes quatenus minùs concludunt. In Quinto, arguitur contra Conclusionem illius Opinionis. In Sexto, soluitur Quæstio. In Septimo, declaratur quomodo dicta quędam Augustini Articulo primo allegata, concludunt aliā intentionem August. non autem illam ad quam ab Opinione præallegata inducuntur.

ARTICVLVS PRIMVS.

Recitatur vna Opinio, cum suis motiuis.

In ista Quæstione est Opinio vna talis. Quòd inter intentiones generales, &c.

SVMMA TEXTVS.

Titulus Quæstionis est iste. Vtrum noster intellectus, pro statu isto, præter generalem concursum Dei, requirat illius specialem influentiam, ad hoc vt possit veritatem certam & synceram cognoscere? Vocatur autem hìc nomine veritatis synceræ, omnis veritas tam necessaria, quàm contingens, absque errore conceptibilis: vt sic in plus se extendat syncera veritas, quàm propositio per se nota, quæ de solis necessariis dicitur. Syncera autem veritas, etiam contingentibus de facili intelligibilibus, secundùm communem omnium conceptionem, vt quòd nix sit alba, quòd ignis calefaciat, applicatur.

Ad hanc Quæstionem respondendo Henr. in Summa art. 1. q. 2. has proponit Conclusiones.

Prima Conclusio. *Intellectus noster cognitione intellectiua absq. speciali auxilio Diuino, potest intelligere rationem Entis.*

Secunda. *Intellectus noster cognoscendo veritatem rei, cognitione componente, vel diuidente, respicere debet ad exemplar creatum vel increatum.*

Tertia. *Cognitio veritatis per exemplar creatum impossibile est quòd habeatur certa & infallibilis.*

Quarta. *Cognitio veritatis infallibilis, per solum exemplar increatum cognosci potest.*

Ex his colligitur vna Conclusio totalis *hæc. Veritas certa & sincera, non potest naturaliter cognosci à viatore, absq. speciali lucis increatæ illustratione, & auxilio.*

COMMENTARIVM.

Circa Primam Conclusionem Henrici. Aduertendum est. Quòd secundùm eius doctrinam, loco cit. Aliud est cognoscere de creatura, id quod verum est in ea, & aliud est scire eius veritatē: vt alia sit cognitio qua cognoscitur res, in ratione rei, siue Entis, alia qua cognoscitur veritas eius. Priori cognitione, cognoscitur simplici intelligētia id qđ res est: alia aūt cognitione, cōponente & diuidente, veritas rei cognoscitur.

Quòd verò illa cognitio, qua cognoscitur res, seu Ens, sit prior quā illa qua cognoscitur veritas rei, probatur tripliciter. Tū authoritate libri de Causis, propositione 5. *Prima rerum creatarum est esse.* Ac si diceret. Prima rō intelligibilis, est rō Entis. Tum authoritate Cōmentatoris, super primā propositionem de Causis dicentis, *Esse est vehementioris adhærentiæ in re, quàm aliæ intentiones, quæ sunt in ea.* Acsi apertè diceret: ꝙ intellectus, per prius & vehementiùs intētioni Entis adhęreat, postmodū alijs intentionib. transcendentibus, vt intentioni veri, boni, vnius. Tū tertiò. Quia illa est notitia simplex, hęc aūt qua cognoscitur veritas est cōpositiua, vel diuisiua: simplex verò notitia est prior quàm cōponēs; & cōsequēter obiectū illius est priùs intelligibile.

Hoc dicto præmisso. Infert Gandau. hanc Conclusionē. Quòd priorē cognitionem intellectiuā simplicē, possumus in hoc statu habere, absq; speciali ope & auxilio Diuino.

Circa Secundā Conclusionem. Notandū est. Quòd post intentionem Entis cognitam, proximiores sunt in re creata aliæ intentiones vniuersales, sm̄ Henricum, idq; secūdū ordinem, vt primò vnitas, secūdò veritas, tertiò bonitas sit cognoscibilis; & omissis alijs, ad præsens negotiū non spectantibus: de veritate docet: ꝙ verum dicat intentionē rei ad suum exēplar, quæ intentio non est prima sed secundaria: Ens. n. dicit intentionem rei primam. Estq; relatiua intentio veri; cùm dicat ordinem ad exemplar, non sic ratio Entis quæ est absoluta. Vnde ratio Entis pōt concipi absq; veritate, & quouis alio; non sic ratio veritatis, absq; exemplari suo; quia relatio nō cognoscitur absq; termino, & veritas sm̄ Ansel. in lib. de veritate, est conformitas rei ad suū exemplar verissimum. Secūdùm aūt Platonē in Thymęo, duplex est exemplar: quoddam creatum, vt est species intelligibilis in anima existens, quæ est intellectui nostro ratio cognoscendi; quoddam autem increatum, & est ars diuina increata, continens omnium rerum idæales rationes. Per speciem igitur intelligibilem negat Henr. Conclusione 3. posse à nobis haberi certam & synceram veritatem. Tū ob mutabilitatem obiecti & speciei. Tum ob mutabilitatē animæ. Tum ob repræsentationem speciei falsam, quæ quandoq; seipsā loco rei cuius est similitudo repræsentat.

Circa Quartā Concl. Aduerte. Quòd syncera veritas, scd̄m Henr. ad increatum exēplar, cōspici possit dupliciter. Vno modo, aspiciendo ipsum tanquā obiectū cognitū, & in ipso vt in obiecto cognito, vidēdo exēplatū; alio modo, aspiciendo ad exemplar illud, tanquā ad rōnē cognoscendi tantùm, & non tanquā ad obiectū cognitum. Priori modo à Beatis cognoscitur syncera veritas in Essentia Diuina, tāquam in speculo manifestè & distinctè repræsentante veritatem quamcunq; intellectui Beatorum; secundo autem modo cognoscitur à viatore: hoc autem fit, (dicit Henr.) cū veritas increata in conceptu nostro se imprimit, & ad characterem suum conceptum nostrum transformat, & sic mentem nostram expressa veritate de re informat, similitudine illa quam res habet apud primam veritatem.

Perfectæ

Perfectæ igitur veritatis informatio, cum ex similitudine veritatis mẽti impressa de re cognoscibili ab ipsa prima & exemplari veritate increata habeatur, certum relinquitur, quòd perfectæ syncerae veritatis cognitio, absq; lucis increatæ speciali influentia, non potest haberi.

Quomodo vero ars Diuina, increata in se, ab intellectu viatoris non cognita, sit ratio cognoscendi synceram veritatem de re creata. Exemplificat Gand. quæst. 3. de visione oculi corporalis: in quo ad videndum, tria requiruntur: Primum est, lux illuminans organum ad acuendum: Secundum est, species coloris immutans eum ad videndum: Tertium est, figuratio determinans eum ad discernendũ. Lux autem illa, quæ primò requiritur ad visionem, potest se diffundere in corpore luminoso dupliciter. Vno modo aspectu directo; sic lux non solùm immutat oculum ad videndum alia se, sed etiam ad seipsum videndum immutat. Alio modo potest se diffundere aspectu obliquo, quo pacto immutatur visus ad videndum alia, & non ipsum corpus lucens. His tribus respondent tria in visione intellectuali ex parte Dei. Est enim Deus primò lux oculum mentis illuminans, iuxta illud: *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*. Est secundò species, siue forma immutans ad intuendum. Est tertiò figura, siue character immutans intellectum ad discernendum. Porrò lux ista increata, illuminat mentem duplici aspectu: vel directo; & tunc illuminat ad videndum tanquam obiectum ipsam Essentiam Diuinam; & sic Beati illuminantur; vel illuminat aspectu obliquo à suo fonte; & tunc illuminat illa lux increata ad videndum alia à se.

Ex his dictis intelligitur litera Doctoris.

Illud vltimum, quod additur in textu, de duabus speciebus exemplaribus, concurrentibus in mente; intellige secundùm Henricum, quòd vna species creata accepta à re, & inhærens intellectui, debet concurrere; altera increata & causa rei, ipse nimirum Deus, illabendo intellectui, eiq; lucendo, debet concurrere ad hoc, vt intellectus producat cognitionem veritatis synceræ: & ob istam specialem illuminationem lucis increatæ, respectu nostri intellectus, dicitur, quòd nulla syncera veritas absq; speciali Diuina irradiatione possit cognosci ab intellectu viatoris.

Qualis autem speciei Henr. meminit in præsenti, vide infra quæst. 7.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Rationes pro Opinione prædicta adductas, non esse fundamentales alicuius sententiæ veræ, nec secundum intentionem esse Augustini, sed pro Sententia Academicorum concludere ostenditur.

Contra istam Opinionem. Ostendo Primò, quòd istæ rationes, &c.

SVMMA TEXTVS.

Duæ partes sunt istius Articuli. In Prima, rationes tres pro Tertia Conclusione Henrici artic. præcedenti adductas nullius momenti esse, & impossibilitatem sciendi inducere, ostenditur. In Secunda, probat Doctor, quòd ex intentione Sãcti Augustini multa possimus scire certò & infallibiliter, vt principia per se nota, cognita per experientiam, actus nostros vitales, absq; speciali concursu Diuino, siue absq; speciali irradiatione lucis increatæ.

ARTICVLVS TERTIVS.

Declaratur quomodo Opinio Academicorum negans notitiam certam (quia videtur posse probari per rationes Articulo primo positas) falsa sit.

Quantùm ad Tertium Articulum, vt in nullis cognoscibilibus locum habet &c.

SVMMA TEXTVS.

Prima Conclusio. *Intellectus naturaliter apprehensis terminis principiorum, potest naturaliter, absq; speciali illustratione Diuina cognoscere principia, & ex illis deducere conclusiones. Ratio est. Quia conformitas compositionis termini ad terminum, (in qua conformitate consistit veritas compositionis) habet causam necessariam & euidentem in re aptam mouere intellectum, vt intellectus conformiter rebus enunciet vnum de alio.* Veritas syncera quatuor modis potest cognosci à Deo à viatore.

Secunda Conclusio. *Multa possumus certò & infallibiliter cognoscere, per experientiam.*

Tertia Conclusio. *De pluribus actibus nostris, possumus habere certam notitiam.*

Istis Conclusionibus oppositum sentiebãt nonnulli antiqui; vt videre est apud Aristot. 4. Met.

Illud quod dicitur in contingentibus est ordo; declaratum est in Prol. quæst. 4.

Totus textus in ista Quæstione est clarus.

ARTICVLVS QVARTVS.

Soluuntur rationes Academicorum Primo Articulo positæ, quatenus malè concludunt.

Quantùm ad quartum Articulum. Ex istis respondendum &c.

COMMENTARIVM.

PRocessus istius Articuli differt à disputatione Secundi Articuli. In Secundo enim rationes eædem annullabantur in hoc, quòd concluderent absolutè impossibilitatem sciendi aliquid certò: quod est inconueniens. Hîc autem declaratur, illas rationes non esse efficaces, nec conclusionem intentam posse probare, cùm sint falsæ; vt patet ex resolutione earum.

Litera est clara.

ARTICVLVS QVINTVS.

Arguitur contra Conclusionem Henrici, datam pro resolutione præsentis Quæstionis.

Circa Quintum Articulum. Contra Conclusionem Opinionis, arguo sic &c.

SVMMA TEXTVS.

Cùm Articulo Secundo parte Secunda, & Articulo Tertio, declaratum sit, tum authoritate, tum ratione, posse non modò cognitionem Entis simplicem, sed etiam notitiam complexã de multis veritatibus haberi naturaliter; & in hoc contradixisset Doctor quatuor partialibus Conclusionibus Henrici art. 1. citatis; nunc illam totalem cõclusionem eius negatiuam, quòd nulla certa & syncera veritas, pro isto statu, possit naturaliter à nobis cognosci, habito concursu Dei naturali, sed requiri lucis increatæ, seu ipsius Dei specialem in nostrum intellectum illapsu, in eoq. irradiationem seu illuminationem. Hoc inquam dictum Henrici Doctor hic refutat.

Textus est euidens.

ARTICVLVS SEXTVS.

Soluitur Quæstio: & quomodo veritates videantur in regulis æternis, secundùm Augustinum, explicatur.

Ad Quæstionẽ igitur dico. Quòd propter verba Aug. etc.

SVMMA TEXTVS.

Prima Conclusio. *Veritates infallibiles videntur in regulis æternis nẽpe in ipso intellectu Diuino, sicut in obiecto proximo.*

Secunda. *Veritates infallibiles videntur in Deo, sicut in cõtinente obiectum proximum.*

Tertia. *Veritates de rebus creatis, vel creabilibus, videntur in Deo sicut in eo, virtute cuius obiectum proximum mouet.*

Quarta. *Videntur item in Deo veritates eædem, vt in obiecto remoto.*

COMMENTARIVM.

CIrca hunc Articulum. Notandum est Primò. Quòd istæ omnes Cõcl. dupliciter possunt intelligi. Vno modo: quòd

res creatæ, & veritates illarū, quæ sunt obiecta secundaria intellectus, tū Diuini, tum Beatorum, videātur à Beatis in Essentia Diuina iuxta prædictas Conclusiones, earumq; declarationes, in textu positas; & hoc facile est intelligere. Alio modo: quod à viatore intelligātur sic; & cùm in hoc sensu procedat præsens Quæstio, & iste Articulus, grauis est hìc difficultas, qualiter prædictis modis veritates à viatore videantur in Deo, cùm Deus non videatur ab illo.

Effectus in causa cognoscitur tripliciter.

Nota igitur Secundò. Quòd effectus in causa possit videri tripliciter: potentialiter, actualiter, & virtualiter. Dū enim video florentem in Vere arborem, cognosco in illa fructū potentialiter: quia est ille fructus in potentia; dum actu fructus est in arbore, tempore æstatis, & video illum, cognosco eum actualiter; dum verò tempore autumni vel hyemis, fructum video, non arborem, cognosco tunc fructum hunc in arbore, non actualiter neq; potentialiter, quasi iste possit produci, sed virtualiter, quia iste fructus est virtute suæ arboris, & de virtute illius procedens, ducensq; me in cognitionem virtualem suæ causæ.

Res in esse intelligibili, seu diminuto, (quod infra dari probatur) possunt in Deo videri. Non potentialiter; quia Deus nunquā fuit in potentia, respectu intellectionis creaturæ; & consequēter non præcessit esse intelligibile potētiale. Sed videntur in Deo vel actualiter, prout vidēt actu Sancti in cælo Essentiam Dei, & creaturā vt obiectum secundariū, veritatesq; de illis dicibiles; vel virtualiter nō visa Essentia Dei; sicut fructus videtur, non visa arbore. Et sic à viatore intelligitur res in esse intelligibili obiectiuo, non intellecta, nec visa causa earum, immediata. Et non plus est videre sic veritates in Essentia Diuina, vel in intellectu Diuino, quadruplici modo prædicto; quā quòd illæ veritates sic contineantur, & quasi producantur ab intellectu Diuino. Hoc vult Doctor hìc post Cōclusionem secundam *§. contra tamen primum modum est dubium.* Et hoc modo Doctor est hìc intelligēdus: sed ad talem visionem veritatum in luce increata, nempe in Diuina Essentia, vel in intellectu Diuino, non requirit intellectus noster specialem Dei illuminationem.

Veritates videri à viatore in Essentia Dei, quid est?

Nota Tertiò. Totam huius Articuli copiosiorem decisionem, & explicationem dependere ex intellectu infra dictorum, dist. 36. quæ consulas.

Interim hic suppone. Quòd esse obiectiuum, rerū creatarum vel creabiliū, seu esse intelligibile, quod vocatur esse secundùm quid & diminutū, & esse rerū non simpliciter sed in esse cognito, potest esse vel veritatum contingentium, vel necessariarū. Esse secūdū quid veritatum cōtingentium, in esse determinato, & quasi complexo veritatis, est principaliter à voluntate Diuina, determināte futurum contingens ad alteram partem contradictionis, vt dicitur infra, d. 39. concomitanter verò & secundariò est ab intellectu Diuino in esse intelligibili, licèt esse cognitū sit principaliter ab intellectu. In præsenti tamen Articulo dicitur communiter, ꝙ veritates infallibiles de creaturis, videantur in Diuino intellectu, & non in voluntate: & intellectus est prima causa non voluntas: quia nimirum esse intelligibile incomplexū, tā veritatū necessariarū ꝗ cōtingētiū in esse intelligibili ꝓductū, sit primò ab intellectu: esse aūt intelligibile determinatū, & quasi cōplexū in necessarijs, est in complexione veritatis, quasi effectiuè ab intellectu Diuino, formaliter autem ex se; in contingentibus autem, tota ratio determinationis & complexionis, est à voluntate Diuina: & propter hāc intellectus Diuini prioritatem, respectu productionis omnium, in esse intelligibili simplici, attribuitur hìc & infra, communiter intellectui Diuino, quòd in illo, & non in voluntate videantur veritates infallibiles. Et hoc modo intelligēdus est hìc textus Doctoris ille: *Etsi obycias contra istos duos modos integrantes, &c.*

Veritates dicuntur videri in intellectu diuino, nō in voluntate.

Prima conclusio, & tertia exponitur.

Circa Conclusionem Primam. Aduerte. Veritates infallibiles non aliter contineri in intellectu Diuino, tanquā in obiecto proximo, quàm quòd intellectus Diuinus dat immediatè primum esse intelligibile, omni incomplexo intelligibili, & omni cōplexo necessario; quæ veritates, tū incomplexę tum complexę, sunt conformes intellectui Diuino; & ob id dicuntur veritates: quia verò sunt manifestatiuæ tum intellectionis Diuinæ, tū rerum intellectarum, dicuntur prædictæ veritates, lux. Quomodo autem habent tales veritates in Diuino intellectu esse necessariū immutabile, & æternum: vide infra dist. 36.

Videmus igitur in luce increata veritates de re creata, quia veritates tales habent esse intelligibile, immediatè ab intellectu Diuino: & hoc vult Prima Conclusio. Deinde virtutem motiuā nostri intellectus ad intellectionem earundem, habent prædictæ veritates, ab eodem intellectu Diuino: vt vult 3. Conclusio. Et sic patet distinctio Conclusionis Primæ à Tertia.

Conclu[…] nis sec[…] sensus.

Circa Conclusionem Secundam. Nota. Veritates infallibiles videri in Deo, tanquam in continente obiectum ꝓximum: in hoc sensu. Quia intellectus Diuinus, (iuxta Primam Conclusionem) est obiectum proximum continens tales veritates actualiter, quæ à nobis ꝓ isto statu cognoscuntur actualiter, cognitione nō actualiter terminata ad illum intellectum Diuinū, sed virtualiter tātùm. Cùm igitur Deus contineat intellectum suum, dicuntur veritates cognosci in Deo, tanquam in continente obiectum proximum, nempe intellectum suum infinitum. Et in hoc sensu bene dicuntur veritates cognosci in Deo, tanquam in luce increata; quia ipse *Deus lux est, & lucem habitat inaccessibilem.*

Expon[…] textus.

Post hanc Conclusionem, in illis verbis textus: *& licèt ille liber non videatur, videntur tamen illæ quidditates &c.* proponit Doctor hanc Obiectionem. Quomodo cùm intellectus Diuinus à nobis nō intelligatur, nec videatur, intelligi vel videri possit aliqua veritas infallibilis in illo cōtenta? Respondet Doctor, dando duas solutiones. Vnam. Quòd is videat virtualiter in intellectu Diuino veritates, (secundùm dicta Notabili 2. & Concl. 1.) non videndo intellectum Diuinum actualiter. Secundam dat ibi *vel etiam in illis veritatibus, quæ sunt lux æterna secundùm quid &c.* talem. Cùm istæ veritates, quas noster habet intellectus ꝓ nunc, contineantur in illis, quæ habēt esse cognitum ab æterno à Deo; & illud esse cognitū rerum in Deo, suo modo potest dici lux; illæ idææ Diuinę, seu esse cognitum rerum in mente Diuina, erit lux continens nostras veritates, à nobis scibiles, quæ sunt eiusdem rationis cum illis Diuinis; imò idem in ratione obiectiua, quod illę, licèt non in ratione participatiua, & modo essendi in intellectu.

Verit[…] nostri i[…] lectus […] eiusdē r[…] cū Diu[…] quomo[…]

Mouentur deinde in textu duæ Obiectiones. Prima ibi. *Contra tamen primum modum est dubium &c.* Secunda ibi, *Et si obycias contra istos duos modos &c.* Verùm primæ Obiectioni, satisfacit dictum in priori parte Articuli, Notab. 2. Secunda itidem dubitatio, eiusq; solutio, plana est ex dictis paulò ante, Notab. 3.

Postmodum §. illo, *Ex isto apparet, qualiter non est necessaria specialis illustratio &c.* probatur tum ratione, tum authoritate August. non esse necessariam specialem illustrationem, ad cognoscendas veritates infallibiles, quæ sunt in Deo; vel vt in obiecto proximo, vel vt in continente obiectum proximum, vel tertiò, vt in eo, virtute cuius obiectū proximum mouet.

Tandem illis verbis. *Quid igitur dicit Aug. 12. de Trinit.* aperit Doct. singularem modū de mēte Augustini, qua ratione mentes paucæ, illęq; purę, (puritate non cōscientię, sed intellectus, multùm à sensibilibus abstrahentis,) attingunt veritatis syncerę & infallibilis cognitionem, in rebus pręsertim à sensu remotis.

Explica[…] quarta c[…] clusio.

Conclusio Quarta, quę docet cognosci veritates synceras in luce increata, sicut in obiecto remoto cognito: non aliud vult quàm hoc. Quòd Essentia Diuina, quę est lux increata, cùm sit principium, continens omnia principia speculabilia, & cùm sit finis omnium practicabilium, vt patuit in prol. & dist. 1. Sequitur, quòd tam practica quàm speculatiua principia, etsi perfectè cognoscantur, dum cognoscuntur in genere proprio, multò tamen perfectiùs cognoscuntur, si per lucem increatam cognoscantur. Per lucem autem increatam possunt cognosci dupliciter talia principia. Primò immediatè, sicut vident Beati in Essentia Diuina; & in hoc sensu quidam Scotistę hìc intelligendū putāt Doct. Sed hoc illorū placitum,

Duplici[…] cognosc[…] tur prin[…] pia in l[…] increata.

tum, est contra intentum Quæstionis, quæ procedit de intellectu viatoris: deinde Beati vident in Essentia Dei veritates synceras, non vt in obiecto remoto, sed vt in proximo, vel vt in continente obiectum proximum, iuxta Secundam Conclusionem. Alio modo mediatè, possunt cognosci talia principia; non præcisè mediante habitu, vel gratiæ, vel fidei, (quamuis isti habitus in plerisq; sint,) sed referendo tam principia speculatiua ad illud incommutabile principium rerum, & veritatum omnium, Deum; quã practica, ad illum tanquam ad finem vltimum, omnium principiorum, & conclusionum practicabilium. Et hunc sensum directè intendit Doctor, cùm docet hoc principiũ practicum: Temperatè est viuendum: perfectiùs cognosci ab intellectu, si cognoscatur in ordine ad finem vltimum, siue ad beatitudinem consequendam, quàm si cognoscatur in ordine ad finẽ sub fine, siue in ordine ad honestatẽ.

ARTICVLVS SEPTIMVS.

Declaratur, quomodo dicta quædam Augustini, pro Primo Articulo adducta, concludant aliam intentionem Augustini, non autem illam, ad quam ibi Opinans inducit.

De Septimo Articulo videndum est. Quomodo illæ tres rationes &c.

COMMENTARIVM.

Textus præsentis literæ est clarus.

Illud solùm Notandum est. Quotiescunq; August. docet veritates synceras intelligi in luce increata, vel in regulis æternis; id intelligendum est, vno aliquo ex prædictis quatuor, Articulo præced. assignatis, modo.

Dicit tamen Mayr. Augustini authoritates non procedere affirmatiuè, & determinando in hac materia; sed disputatiuè, & inquirendo. Melior tamen est Subt. Doctoris solutio.

QVÆSTIO VI.

Vtrum in omni creatura sit vestigium Trinitatis?

Quòd non. Quia per vestigium potest inuestigari naturaliter illud &c.

SVMMA QVÆSTIONIS.

In ista Quæstione tria sunt videnda. Primò. Quia secundũ Philos. Omnes transferentes, secundum aliquam similitudinem transferunt. Videndum primò est de ratione vestigij in corporalibus vnde translatum est nomen eius ad propositum. Secundò videndum est, quæ sit ratio vestigij, secundum quam transfertur ad propositum; & in quo consistat, & respectu cuius in Deo sit ratio vestigij in creatura. Tertiò videndum est, in quibus fundatur respectus vestigij, siue creaturæ ad Deum, siue è conuersò, cuius dicitur vestigium.

ARTICVLVS PRIMVS.

Quæ sit ratio vestigij in corporalibus?

Quantùm ad Primum. Dicitur, quòd vestigium est impressio &c.

SVMMA TEXTVS.

Primò proponitur Opinio Rich. de Mediavil. dist. præsenti, art. 3. q. 1. & vt insufficiens reijcitur. Deinde explicat Doctor, in quo consistat ratio vestigij in corporalibus. Textus est clarus.

ARTICVLVS SECVNDVS.

In quo consistat ratio vestigij in creatura, respectu Dei.

Quantùm ad Secundùm Articulum. Dicitur quòd creatura ad Deum &c.

SVMMA TEXTVS.

Proposita Opinione Henrici Gand. quodl. 1. & 2. eaq. refutata, respõdet propositæ Dubitationi, his Conclusionibus, Doct. Subt.

Prima Conclusio. *Omnis respectus creaturæ, realis ad Deum, pertinet ad tertium genus relationum, 5. Met. tex. 20. positum: vbi est relatio non mutua, sed eò quòd alia ad ipsum.*

Secunda. *Vestigium non consistit præcisè in relationibus, sed in aliquibus absolutis; vt in vnitate & specie, & in tertia relatiua, nimirum in ordine. Tres enim sunt partes vestigij, secundum Aug. 6. de Trinit. c. 10. Vnitas, species seu forma, & ordo.* Vestigiis partes in creatura respectu Dei in quib. cõsistunt.

Tertia. *Vnitas creaturæ, repræsentat vnitatem Dei: species creaturæ, in summam pulchritudinem Dei, sicut ordo creaturæ, in perfectissimam Dei operationem ducit intellectum nostrum: vt per vnitatem, pulchritudinem, & ordinem creaturæ, discat creatus intellectus aliqualiter, cognoscere Deum esse perfectissime vnum, perfectissimè pulchrum, & perfectissimæ virtutis in operando.*

Quarta. *Vnitas, veritas, bonitas, possunt statui partes vestigij, à remotis aliqualiter repræsentantes intellectui nostro Personas Diuinas. Vnitas Patrem, veritas Filium, bonitas Spiritum Sãctum, per appropriationem: quia veritas intellectui, bonitas voluntati conuenit, Filius autem per intellectum, Spiritus S. per modum voluntatis procedit. Esto ergo quòd veritas sit Pater, veritas Spiritus S., specialiter tamen appropriatur ratio veri Filio, qui à Patre per modum intellectionis, & veritatis productæ, procedit.*

Quinta. *Modus, species, & ordo: item, mensura, numerus, & pondus: tanquam partes vestigij, meritò à multis Doctorib. assignantur, & à Doctore Subt. hic, Alex. de Ales 2. par. q. 7. & 8. Modus significat limitationem creaturæ, & finitatẽ: idem in altera diuisione significat Mensura: Species significat formã & pulchritudinem, vt prius: Ordo significat connexionem & ordinationem ad finem vltimum; idem in altera diuisione significatur nomine Numeri & Ponderis: Numerus enim de omni creatura dictus, iuxta illud Sapientiæ 11. Omnia in numero, pondere, & mensura fecisti) significat formam & speciem rei, qua qualibet res creata secernitur ab alia. Pondus dicitur eiusdem creaturæ dispositio, secundum quam ordinatur ad finem vltimum.*

COMMENTARIVM.



Quatuor sũt hìc breuiter notãda. Primum est. Qđ rõ mẽsuræ vel modi, sit vestigiũ cognoscẽdi Diuinã Essẽtiã infinitã: non sm̃ similitudinẽ; quia finitas & limitatio, nõ habet similitudinẽ, cum infinitate & illimatione; sed sm̃ proportionẽ, vt hìc dicit Subt. Doct. & irrefragabilis Alen. 2. par. suæ Sũmæ Theologicę, q. 7. mem. 4. qualis ꝓportio requirens dissimilia, est inter causatũ & causam ęquiuocã: vbi nõ est repręsentatio vniuoca, sicut est in vnitate, veritate, bonitate, Diuinã vnitatẽ, veritatẽ, & bonitatem repræsentante; sed æquiuoca, quia mẽsura seu modus, æquiuocè repræsentat infinitatẽ. Similitudo vel æqualitatis vel ꝓportionis.

Secundò obseruãdum est. Ratio Mensuræ, Numeri, & Põderis, dicuntur propriè de reb. corporalibus, per quandam tñ similitudinem transferuntur ad res spirituales; vt bene adnotauit Alen. supra, memb. 1. Mensura enim inest animæ secundũ capacitatẽ, Numerus secundùm virtutum seu potentiarũ diuersitatẽ, Pondus secundùm appetitum in id in quod tẽdit: sic per accommodationẽ, anima in tribus potentijs memoria, intellectu, & voluntate subsistit, quibus capax est numeri, mensuræ, & ponderis.

Tertiò obseruari potest. Quòd vestigiũ in creatura, debet aliqualiter repræsentare, tum Trinitatem Personarũ, tum Essentiam Diuinam. Hoc dictum est Alen. 2. par. q. 8. mem. 5. & Doctoris Subt. hic: dum docet, vestigium esse respectu appropriatorũ in Diuinis Personis. Essentiæ igitur Diuinæ singularissimæ, vestigium repræsentans, tum indiuisibilitatem eius, tum quasdam attributales perfectiones, potest statui vnitas, species, ordo, iuxta Secũdam Conclusionem. Similiter aliæ duæ diuisiones, continentes aliqualiter, saltem voce, in aliquo diuersas partes vestigij: vt Modus, Species, Ordo, &, Mensura, Numerus & Pondus, secundùm illam considerationem, secundùm quã in rebus corporalibus reperiũtur, sunt aliquomodo vestigiũ Vestigiũ repræsentat Essẽtiam & aliquomodo Trinitatẽ.

Essentiæ Diuinæ, eiusq; proprietatum. Vnitas autem, veritas, & bonitas, possunt imperfectè per modum vestigij repræsentare Trinitatem. Per vestigium autem cognoscimus vestigiatum, non distinctè, sed indistinctè & arguitiuè; vt docet Doctor in respons. ad 1. principale. Dicuntur etiam vestigia esse appropriatorum, non inquantum appropriata sunt, sed quatenus appropriabilia; hoc est, non sunt formalia signa & vestigia proprietatum personaliũ, vt Paternitatis, vel Filiationis, sed proprietatum essentialium Personis appropriatarum, vt veritatis, & bonitatis: & hoc modo est vestigium Trinitatis, per appropriata nõ per propria.

Vestigium omni creaturę conuenit.

Obseruandum est Quartò. Illas quæstiones, An vestigium omnibus creaturis conueniat, An conueniat illis secundũ magis & minùs, An possit tolli ratio vestigij à creatura. Sic esse resoluendas, vt dicamus ad Primam omnino affirmatiuè: quia vt ratio vnius, veri, boni, ita ratio mensuræ, ponderis, & numeri, secundùm Theologos, omnib. rebus conueniunt. De Secunda dici potest, ꝙ ratio boni, pulchri, & ordinati ad finem, participant magis & minùs; & consequenter ratio vestigij in illis consistens, admittit intensionem. Confirmatur id per August. de ciuit. Dei, dicentem. Creatoris, tanquam per omnia quæ fecit, mirabili stabilitate currentis, quasi quædam eius alibi magis, alibi minùs impressa vestigia colligimus. Ex quib. verbis apertè constat, ꝙ vestigium in quibusdam creaturis sit magis, vt in spiritualibus & incorruptibilibus, in quibusdam minùs, vt in corruptibilibus & corporalibus. Tertiæ dubitationi omnino negatiuè respondendum est: quia vt ratio vnius, veri, boni, ita aliæ rationes, in quibus vt in partibus, totalis ratio vestigij, iuxta dicta, consistit, non potest tolli à re, nisi res tollatur. Vide hæc omnia fusiùs in Doct. Irrefragabili 2. par. q. 8.

Suscipit magis & minus.

Vestigium non potest tolli à creatura.

ARTICVLVS TERTIVS.

In quo fundatur respectus vestigij ad Deum, cuius creatura dicitur vestigium?

Quantùm ad Tertium Articulum. Dicitur secundùm Boet. &c.

SVMMA TEXTVS.

Tres sunt partes istius Articuli. In Prima, recitatur Opinio Henr. Gand. ex suo quodl. 3. q. 9. & quodl. 4. q. 7. & quodl. 5. q. 2. In Secunda parte, impugnatur illa positio Henr. In Tertia, satisfit propositæ difficultati.

COMMENTARIVM.

CIrca Primam partem Articuli. Aduerte, hãc positionem impugnari Henr. à Doctore nõ solùm hic, sed etiam in qq. disputatis. q. 36.

Aliquitas, ratitudo, & esse, distinguuntur secundũ Henricum.

Sententia Hẽrici subobscura his dictis continetur. Primũ Dictum. Ista tria sunt distincta; Esse, Esse ens ratum, & Esse aliquid. Esse præcisum a ratitudine, & aliquitate, est commune figmentis & nõ figmentis, secundùm Henricũ. Ratitudo, super Esse addit, ꝙ Ens ratum, sit firmũ & fixũ Ens reale, habens quidditatem possibilem actu existere. Et sic ratitudo super Esse, quasi gradum realitatis addit, secundùm istum authorem, quo gradu realitatis, Ens ratum distinguitur, vt à figmentis, ita & ab Ente rationis. Esse aliquid, seu aliquitas, quid significet; licèt non explicet seipsum Henr. si tamen dicit aliquid distinctum à præcedentibus, dicit existentiam actualem, vt in secunda parte huius Art. explicat Doctor Subt. Vel secundò possumus imaginari, secundùm positionem Henr. in quidditate reali, duo esse conceptibilia; vnum Quod, alterum Quo. Exẽplum. Homo est Quod, humanitas est Quo. Illa igitur ratio quæ est Quod, vel Quid, in quidditate conceptibili, est ratitudo superaddita ipsi Esse; illa verò ratio, quæ est Quo, est aliquitas; vt quemadmodum ratitudo, superaddit gradum realitatis, illi communissimo conceptui Esse, (qui est communis figmentis, enti rationis, & enti reali) ita aliquitas addat possibilitatem ad existendum illi quidditati, per ratitudinem in esse reali constitutæ. In priori explicandi modo, procedit Doctoris prima ratio contra Henricum. Secundus etiam explicandi sensus, quòd sit non ad rem, ostendit optimè Doctor Subt. in secunda ratione contra eundem posita. Quisnam verò modus ex prædictis, meliùs explicet terminum ratitudinis, & aliquitatis, non est curandum, in explicandis ænigmaticis & parabolicis dictis. Illud vt certum hìc supponendum est. Quòd Ens ratum, tam ab Henr. quàm à nostro Doctore accipitur pro ente firmo, fixo, reali: & sic ratitudo accipi debet, pro illa ratione, per intellectum quasi superaddita, qua formaliter ens reale, est quidditas realis, seu qua est fixum & ratũ in realitate: quam rationem non habẽt entia rationis vel figmenta, quia non sunt quidditates reales.

Respect[us] vestigial[is in] creatura [tri]plex, Op[i]nio Hen[r.]

Secundum Dictum Henr. est. Respectus vestigialis in creatura triplex, producti ad producens, exemplati ad exemplar, finiti ad finem vltimum, non fundantur in ratitudine, sed in aliquitate, & est formaliter ratitudo eius: hoc est, prædictus triplex respectus, est formaliter ratitudo entis, siue est illud, quo Esse in communi acceptum, constituitur in esse rato & firmo, possibili ad existendum. Quòd autem res sit rata formaliter alio, quàm suo esse essentiali, patet per Auicen. 5. Met. dicentem, *equinitas est tãtùm equinitas, & humanitas est tantum humanitas*; ergo ratio humanitatis vel equinitatis, cùm vt sic sumpta, seipsã tantùm dicat, aliquo alio humanitas erit res rata formaliter, & non præcisè ipso esse essentiali: idem dico de equinitate, & de qualibet natura possibili.

Tertium Dictum. Illud quo formaliter aliquod ens est ratum & reale, est triplex respectus vestigialis citatus. Probat hoc dictum tripliciter Henricus. Primò. Respectus vestigialis, includitur in ratione essentiali cuiuslibet entis rati; ergo talis respectus erit, quo formaliter est ens ratum. Antec. Omne ens ratum aliud à Deo, est ab intrinseco ens per participationem; cùm esse non habeat ex se, sed participet illud à Deo; illa igitur participatio includitur essentialiter in omni ente rato, alio à Deo; sed talis participatio in creatura, non aliud est, quàm iste triplex respectus exemplati, producti, finiti, ad ipsum Deum vt ad exemplar, producens, finem vltimum. Secundò. Illud est de ratione quidditatiua, sine quo non potest res perfectè cognosci; sed sine respectu vestigiali, non potest res rata perfectè cognosci. Patet. Quia perfecta cognitio habetur de re, cùm omnes causæ illius rei cognoscũtur. Arist. 1. Phys. tex. 1. si ergo cognosceretur res, sine respectu ad causam efficientem vel finalem, non esset illa cognitio perfecta, & ita non quidditatiua. Tertio, probatur authoritate, tum August. dicentis, *Videbis bonum omnis boni*; ergo ad Diuinam bonitatem, respectus in bonitate participata creaturæ, est de essentia rei ratæ participatæ. Tum Boetij, qui bonitatem participatam videtur constituere formaliter in respectu, siquidem amota per intellectum bonitate Diuina, tanquam termino, dicit non manere bonitatem Diuinam.

Henrici po[]sitio impu[]gnatur.

In Secunda parte Articuli, ponuntur septem rationes, contra superiorem positionem. Quarum Prima ostendit, quòd aliquitas distincta à ratitudine, vel nihil sit, vel idem quòd ratitudo; & sic indistincta: vel existẽtia; & neq; hoc est ad rem. Secunda ratio & Tertia, est contra Secundum & Tertium dictum Henrici, ostendens, quòd humanitati quatenus humanitas, ratitudo realitatis ad existendum, absq; omni respectu conuenit; & consequenter ratitudo, non est triplex respectus. Quarta ratio deducit ad hoc Henricum, quòd cùm secundùm dictum illius Tertium, triplex respectus sit de essentia cuiuslibet entis rati, sequitur quòd omnia erunt essentialiter ad aliquid: quod etiam secundùm rationem inconueniens est; quia sic nullum ens essentialiter esset absolutum: & hanc ipsemet Aristoteles sequelam, pro magno absurdo infert, 4. Met. tex. 26. & 27. Tres vltimæ rationes procedũt ex dictis Henrici, pręsenti illius imaginationi repugnantibus.

Litera clara est, & patet ex dictis.

Tertia

Sufficit pro positæ quo.

Tertia Articuli pars, hoc vult. Quòd cùm rationes vestigij, ab aliquibus,in rationibus relatiuis,puta mensuræ, speciei, & ordinis constituantur;istæ tamen rationes, non sunt formaliter ratitudo rei: imò nullus respectus vestigialis est de ratione essentiali alicuius absoluti: atq. adeò ens absolutum, est ens reale, & verum ens possibile: non respectu aliquo formaliter, sed seipso:vt patuit immediatè ante, parte 2. ratione 2.& 3. Quòd verò respectus non possit esse ratitudo Entis absoluti,inde patet.Quia relationis realis debet dari fundamentum reale; ergo illud Ens absolutum reale, priùs natura est ens ratum & fixum, q̃ intelligatur relatio realis fundari in illo; quia relatio non intelligitur habere suam ratitudinem,nisi in fundamento; si itaque fundamentum sit non ratum, in ente non rato, imò in nihilo,non fundabitur relatio realis.

Illud dictum, Causatio priùs natura ad absolutum terminatur in effectu, quàm ad aliquem respectum, patebit ex illa doctrina huius Præceptoris Subt. quòd relatio non terminatur ad suum relatiuum sub ratione relationis, sed sub ratione absoluti. Vbi vult dicere,quòd nulla inter producens & productum relatio mediet, quæ dicatur actio vel causatio; actio enim vel causatio formaliter sumpta, pro relatione, terminatur ad absolutum producti seu causati,& est tali absoluto posterior:si verò actionem vel causalitatem sumas vt priorem absoluto, producto per talem actionem, tanquam viam & dispositionem ad terminũ; talis causatio siue actio nihil aliud est, quàm ipsum agens absolutum,vt ponit effectum in actu.

ARGVMENTA DVPLICIA resoluuntur.

Ad rationes pro Opinione opposita, quantùm ad istum Tertium Articulum, &c.

COMMENTARIVM.

IN Quarta parte istius Quæstionis, priùs Argumenta resoluuntur pro Opinione Henrici art. præced.adducta. Vltimò Argumenta principalia.

Realitas seu ratitudo Entis, non est modus Entis.

In priori parte,ex responsione ad Primum. Colligitur, quòd ratitudo siue realitas, sit de ratione per se humanitatis vel equinitatis. Et ita malè Mayron. in suis Formalitatibus ponit,realitatem seu ratitudinem,esse modum Entis;imò ens reale seipso,vt est formaliter ens,ita seipso formaliter est reale,& non aliquo modo determinante; quia tale determinabile per ratitudinem simpliciter,vel est figmentum,vel nihil: vt bene deduxit Subt. Doctor hic,parte 2.ratione 1.

Nota. Differentia de quidditate, & denominatiuè quidditatiuã, sunt distincta.

In responsione ad Secundum. Aduerte Primò. Quòd ista duo. A.est de quidditate B. & A.est ratio quidditatiua B.qua B.est formaliter tale, sunt diuersa. Primum enim est commune tum generi, tum differentiæ, quæ sunt de quidditate alicuius; tam enim animal, quàm rationale, sunt de essentia hominis; sed secundum est limitatum ad solam differentiam vltimam,vel ad rationem vltimò constitutiuam alicuius in esse formali: sic solum rationale est illud,quo homo formaliter est homo, non autem animal. Et sic patet quòd meritò ista negetur propositio.

Aduerte Secundò. In ista propositione, Ens cui contingit esse, non est ens ratum, nisi quatenus participat ipsum esse: signum reduplicatiuum quatenus,vel reduplicat in re causam,& rationem formalem, sic,quòd sicut formalis ratio cur homini conuenit risibile, est causa formalis rationale;ita ratitudo enti,ratione participationis,per se primo modo& quidditatiuè conueniat, ex hoc, quia est ens participatum; & in hoc sensu propositio ista est falsa: vel secundò reduplicat aliquid concomitans per se secundo modo, ita quòd participatio conuenit enti rato,sicut proprietas per se secundo modo; & hoc verum est, sed non ad propositum.

Aduerte Tertiò. Istas propositiones, Lapis inquantum lapis participat esse: &,Lapis quatenus participat esse,est ens: esse diuersas. Et prima est vera; quia lapis denotatur esse formalis causa participationis, cui lapidi participatio per se secundo modo conuenit: secunda verò propositio est neganda; quia denotat quòd participatio sit causa formalis & per se primò immediata, respectu esse vel entis rati. Sic patet resolutio istius rationis Secundæ.

In responsione ad Tertium, quod est argumentum Secundum Tertij dicti. Maior illius rationis distingui debet. Vel enim aliquid cognoscitur perfectè quidditatiuè, secundùm sua prædicata essentialia, & quidditatiua: vel cognoscitur perfectè, secundùm omnem modum,etiam secundùm habitudinem ad causas extrinsecas. In priori sensu Maior est vera, sed Minor falsa: in secundo sensu, Minor est vera,& Peripatetica, sed Maior falsa.

In explicatione authoritatis Boetij, concedit Doctor, quòd secundùm Boetium,ratio bonitatis increatura,cùm consistat in fluxu à summo bono, & dicat relationem ad summum bonum, consequenter non potest intelligi creatura,secundùm talem bonitatem,quin intelligatur terminus eius.Si tamen præcisè intelligatur creatura,sine respectu ad Deum, & sine illo fluxu, quem habet à primo bono,tunc creatura non erit bona, accipiendo bonitatem illo modo quo accipiebat Boet. erit tamen bona, bonitate absoluta intrinseca.

Hic tamen aliquę difficultates sunt explicandæ.

Prima difficultas est. In quo consistat ratio bonitatis entitatiuæ? de illa enim in præsenti est sermo, non de morali. Ratio difficultatis potest sumi Primò ex 2. distinct.7. quæst.1. vbi dicit Doctor, quòd *vltra bonitatem naturalem volitionis,quæ competit sibi inquantum est ens positiuum, quæ etiam competit cuicunque enti positiuo, secundum gradum suæ entitatis, magis & minus, præter illam est triplex bonitas, &c.* Ex quibus verbis hoc manifestè colligitur: quòd enti non absolutè competat bonitas, sed inquantum est positiuum, & actu existens. Hoc autem non videtur bene dictum. Quia Metaphysicus,vt Ens considerat abstractum ab existentia, ita & passiones Entis considerat, vt conueniunt Enti in esse obiectiuo, præciso ab existentia. Bonitatis entitatiuæ rō in quo sita est.

Secunda ratio difficultatis oritur, ex dicto eiusdem Doctoris, in quol. 18. cùm comparat bonitatem moralem cum essentiali,dicens. *Sicut bonitas primaria Entis,quæ dicitur bonitas essentialis, quæ est integritas & perfectio entis in se, importat positiuè negationem imperfectionis, per quod excluditur imperfectio & diminutio; sic bonitas Entis secundaria, quæ est accidentalis superueniens Enti, est integritas conuenientiæ:* Ex qua authoritate colligitur, bonitatem Entis non aliud esse, quàm perfectionem Entis in se, quæque importat positiuè negationem imperfectionis. Cùm ergo bonitas conuertatur cum toto Ente, sicut & aliæ passiones; sequitur quòd falsa erit illa nostra doctrina,cum Doctore quodl.5.Dari entia non quanta, nullam includentia formaliter perfectionem: falsa inquam erit ex eo; quia bonitas est perfectio Entis in se, sed bonitas conuertitur cum omni Ente; ergo est perfectio; ergo & quantitas virtutis, atque adeò relationes Originis, erunt entia quanta.

Ad hanc Difficultatem. Respondeo cum Lycheto quodl. 18. Bonitas naturalis dupliciter sumitur. Vno modo, pro actualitate rei, secundùm quod dicimus, Meliùs est rem esse, quàm non esse: ipse igitur gradus essendi rem extra causas, & positiuè, est bonitas Entis, quæ dicitur passio Entis, cum illo conuertibilis. Alio modo sumitur bonitas naturalis, pro naturali perfectione rerum in se: cùm enim illud dicatur perfectum, cui nihil deest debitum inesse; tunc bonitatem dicetur Ens habere talem, quando omnia habebit sibi debita naturaliter, & ab intrinseco; quam positiuam bonitatem, benè sequitur imperfectionis negatio, quia omnis perfectio tollit imperfectionem.Ista bonitas ab illa priori distinguitur:hæc communiter à Doctore Subt.& ab alijs Scotistis, vocatur bonitas essentialis,illa bonitas entitatiua; estq; inter illas ordo naturæ is, quod bonitas entitatiua, sit prior natura bonitate essentiali, sicut esse est prius natura, quàm Bonitas naturalis dupliciter accipitur.

perfectũ esse; & sicut esse, est aliud à perfecto esse, ita bonitas entitatiua, est alia à bonitate essentiali. Priori igitur loco, nempe in 2. dist. 7. q. 1. loquitur Doct. de bonitate naturali prioris modi; in quodl. autem 18. sermo est de bonitate Essentiali.

Ad Primam rationem difficultatis. Dico. Metaphysicus sicut potest considerare existentiam in abstracto, & de facto considerat, absq; eo quòd cõsideret illud Ens, quod tali existentia existit; ita põt considerare bonitatem seu actualitatem possibilem Enti cõuenire, absq; eo quòd Ens existens consideret: & cùm omne ens & actu existens & possibile sit positiuum; illud quidem actu, hoc verò potẽtia, & Metaphysicus consideret Ens abstractũ ab actu & potentia, rectè bonitas conueniens Enti vt Ens est, abstrahit tam ab actuali existentia quàm à possibili.

Ad Secundum. Dictum est, loqui ibi Doctorem non de entitatiua bonitate, sed de essẽtiali, quæ idem est quòd perfectio alicuius Entis. Illam igitur bonitatem relationibus originis conuenire concedimus, hanc negamus.

Bonitas entitatiua hẽt magis & minus: quõ.

Dices. Si esse positiuum sit bonitas Entis, quomodo verificabitur illud dictum Doctoris, in 2. dist. 7. q. 1. *Bonitas entitatiua, secundùm gradum suæ entitatis, magis & minùs cõuenit*; cùm esse positiuum videatur consistere in indiuisibili? Respondeo. Optimè potest verificari. Nam entitatẽ rei, sequitur modus illius essendi, positiuus; vnde successiua entia, sicut inesse sunt imperfectiora permanentibus, ita & quoad esse positiuũ. Deinde inter entia permanentia, quędam vi sua existunt, quædam in alio. Esse igitur positiuũ, per se existentium, magis erit bonum, quàm existentium in alio; & sic de alijs. Quod dico de esse positiuo, idem dico de bonitate entitatiua, quæ non distinguitur ab esse positiuo.

Secunda difficultas est. Vtrum ratio boni formalis, sit absoluta vel relatiua?

Bonitas entitatiua, an absolutũ q̃d dicat, vel relatiuũ, opiniones varię.

Videtur quòd relatiua. Primò. Quia bonum & finis, sũt idem; vt docet Philos. 2. Met. tex. 8. finis autem est quid relatiuum, respectu eius quod est ad finem; ergo & bonũ est quid relatiuum. Secundò quia vt verum est obiectum intellectus, ita bonum est obiectum appetitus: illud autem est relatiuum, vt superiùs est declaratum; quia consistit in ratione manifestatiua; ita & bonum erit relatiuum, quia refertur sub ratione conuenientiæ ad appetitum.

Varia videntur varijs de hac difficultate. Quidã enim docent rationem boni esse absolutam, & attribuitur à Capreolo, Zuario, & Fonseca, nostro Doctori Subt. Quidam tantùm volunt esse relatiuam, vt tenet Fons. 1. Met. c. 2. q. 7. sect. 5. Alij dicunt bonũ nihil addere Enti, sed esse ipsum Ens, connotãdo ordinẽ aliquem ad alia, nimirum, quatenus illud Ens, est bonum alteri. Sic tenet Zuar. disp. 10. suæ Met. sect. 1. nu. 14. Alij deniq; docent, bonũ esse quandam rationẽ positiuã, distinctam ex natura rei ab Ente; quæ ex se neq; sit absoluta, neq; relatiua, sed vtrumq; sit permissiuè: sicut ipsum Ens vt Ens, neq; est absolutum quid, neq; relatiuum, sed vtrumq; permissiuè.

Conclusio. Ratio formalis boni, non est præcisè absoluta, nec relatiua tantùm, nec etiã est ipsum Ens connotans quòd sit alteri bonum; sed est ratio positiua, in relatiuis relatiua, in absolutis absoluta, ex se autẽ neutrũ formaliter, sed vtrumq; permissiuè. Quod non præcisè absoluta, probatur. Multa sunt entia formaliter relatiua; ergo etiã bonitates entitatiuæ, sunt etiam formaliter relatiuæ. Consequẽtia. Quia si bonitas illius erit absoluta, & ipsum Ens in se sit respectiuum, illud Ens erit aggregatum, & non ens per se. Deinde, erit compositũ, nõ simplex: nos autem hìc accipimus relationẽ simplicem, vt Paternitatem Dei; Paternitas enim Diuina est Ens; & cũ omne Ens sit bonum, Paternitas Diuina erit bona, bonitate entitatiua; Si ergo bonitas hæc sit absoluta, tunc Paternitas erit relatiua, vt oẽs docent Theologi; & non relatiua, quia intrinsecè includit absolutũ. Quòd non præcisè relatiua, probatur. Tũ quia ante oẽm relationem, Ens habet suũ esse positiuum; hoc aũt est bonum entitatiuũ; quare bonum entitatiuum non cõsistit in relatione. Tũ quia Deus ab æterno erat bonus entitatiuè, & tamen nõ referebatur ad aliud. Tũ quia Ens transcendenter acceptum, & non comparatum ad aliud, vel est bonum, vel non? si non; ergo bonum non est conuertibile cum ente; si bonum; ergo ratio boni conuenit Enti, absq; relatione.

Per idem improbatur Zuarij Opinio: illo superaddito; quòd cũ bonum nihil superaddat Enti, in illius sententia, nullo mõ erit passio Entis; q̃a nihil, nõ est passio alicuius.

Dices: significat ipsum Ens. Infero. Ergo idem erit formaliter subiectũ & passio; & idem erit passio suiipsius. Dices. Ens cum connotato est bonũ, & passio. Contra. Ens est quid reale, illud verò connotatum, vel est ens rationis vel negatio: (nam esse quid reale negatur ab illo) quodcunq; istorum detur; sequitur quòd passio Entis, sit quid aggregatum ex ente reali & rationis, vel ex ente reali & negatione; sed de aggregato non est sciẽtia; ergo de tali passione, non erit scientia.

Bonitas [...] tis est ra[...] neutra, pe[...] missiuè [...] men est [...] absoluta [...] relatiua.

Quarta pars Conclusionis, est omnino Doct. superiùs d. 1. q. 2. in respons. ad arg. princ. vbi docet, Bonum, vt cõuertitur cum Ente, posse poni in quolibet genere: illud autem quod põt poni in quolibet genere, tã absoluto, quã relatiuo, est potentialiter seu permissiuè, tam absolutum quàm relatiuum: vt euidens est ex terminis.

Isti dicto non contrariatur hìc textus Doctoris: cũ dicitur post authoritatem Boetij. *Ista non est perfectio absoluta & intrinseca creaturæ, & ideo bonitas secundùm aliam rationem absolutam non dicit respectum ad creatorem, licèt bonitas vt accipitur à Boet. dicat.* Quibus verbis moti Capreolus, Zuar. & Fons. dixerunt. Quòd Doctor bonitatem Entis arbitratus sit esse quid absolutũ, non relatiuum, nec vtrũque permissiuè.

Verũ hìc textus, vel cõsultò malè torquetur ab istis: vel non bene intelligitur. Non. n. plùs ex hoc loco haberi põt, nisi q̃d in lapide, vel in aliqua alia natura absoluta; præter bonitatẽ, quã Boetius in fluxu à summo bono, & in relatione constituit, dari aliam bonitatem positiuam intrinsecã absolutã, in talibus entibus absolutis: sed inde nõ sequitur, quòd bonitas entitatiua in relatiuis, non sit relatiua.

Ad motiua huius difficultatis. Ad Primum. Respondeo Primò cũ Doct. q. 3. Prol. Bonitas est idẽ q̃d finis: nõ quatenus est bonitas formaliter, sed substractum bonitatis, seu ipsa rei natura, & finis, sunt idẽ. Secũdò. Esto q̃ bonitas esset idẽ quod finis, adhuc sicut finis non rõne relationis est causa, sed rõne absoluti: ita & bonum esset quid absolutũ. Dici posset Tertiò. Bonitatem essentialem, & finem, conuerti: non aũt bonitatem entitatiuam: idq. sic, q̃ in quocunq. ente reperitur ratio finis, ẽt reperitur ratio boni, & è conuerso.

Ad Secundũ. Respondeo Primò, negando bonum esse obiectũ volũtatis, sicut nec verũ est obiectum intellectus; vt sufficienter ostendit Doctor, dist. præsenti q. 4. Respondeo Secũdo negando paritatem. Quia ẽt secũdùm aduersarios, vnitas est passio Entis, sicut & veritas, & tñ non sequitur, q̃ vnitas debeat dicere relationem, sicut veritas.

Tertia difficultas. Vtrũ bonũ sit passio conuertibilis cũ Ente. Ratio difficultatis est. Quia res Mathematicè sũt entia: & tñ secundùm Arist. 3. Met. non dicuntur bona. Deinde, bonitas essendi, tantùm conuenit rebus positiuis, actu existentibus: ergo non omni Enti, quia non possibili.

Bonũ cõu[...] titur cũ E[...] te.

Veritas Cõclusionis affirmatiuæ, q̃ bonũ est passio conuertibilis cum Ente: aperta est in Philos. 1. Ethic. c. 6. & 4. Met. & cõis est Philos. Rõ est. Bonitas dupliciter põt considerari: in actu signato, & in actu exercito. Bonitas in actu exercito est, qñ Ens reale existẽs realiter, habet modũ essendi positiuũ, vt quilibet nostrũ. Bonitas in actu signato est, qñ illa rõ quæ conuenit rei existenti realiter, cõsideratur in abstracto: tali duplici rõne ẽt ipsa existẽtia consideratur: vt docet Doct. in 3. d. 22. Bonitas igitur in actu signato, omni enti reali conuenit, enti quidẽ actuali, competit actualiter, enti verò possibili, conuenit possibiliter. Hinc patet ad motiuum Secundum Difficultatis.

Bonitas nõ[...] cõuenit en[...] tibus Mat[...] maticis.

Ad Primũ autem respondet Zuar. disp. 10. sect. 3. nu. 19. Rebus Mathematicis non inesse bonitatem, ex eo, quia Mathematicus non considerat in quantitate rationem boni, aut conuenientis. Sed hæc respõsio non est ad mentem Arist. Quia Phil. ibi tex. 2. negat probari entia Mathematica per cãm finalẽ, nõ autem negat includere bonitatẽ

enti-

ehtitatiuam. Deinde ex illis verbis Philos. ibidem. *Impossibile est motus principium esse in immobilibus, aut boni natura:* licèt aliqualiter inferri posset; sed entia Mathematica abstrahunt à motu; ergo & à natura: (dico aliqualiter, quia intentio ibi Philosophi est, loqui non de Mathematicis rebus, sed de idæis Platonicis immobilibus, vt optimè explicat Doctor Subt. textum illum in sua Met.) in illis tamen verbis, *boni natura*: non accipitur bonitas entitatiua, conuertibilis cum ente; sed prout bonum & finis conuertuntur; vt sit sensus. In immobilibus, sicut non est principium motus: ita non sunt illa propter motum, tanquam propter finem: & sic non sunt propter bonum finale, sicut intelligentiæ motrices sunt propter finem, propter motum; non sic entia immobilia.

QVÆSTIO VII.

Vtrum in parte intellectiua propriè sumpta, sit memoria propriè, id est, intellectus habens speciem intelligibilem, priorem naturaliter actu intelligendi.

Circa Tertiam partem Distinctionis: in qua Magister agit de imagine, &c.

SVMMA QVÆSTIONIS.

In Primo Articulo, recitatur Opinio, negans omnem speciē intelligibilem. In Secundo, impugnatur præcedens Opinio, simulque ostenditur intellectionem abstractiuam, non posse esse sine specie intelligibili. In Tertio, resoluitur vltimatè Quæstio. Tandem satisfit argumentis principalibus.

ARTICVLVS PRIMVS.

Recitatur Opinio, negans omnem speciem intelligibilem.

In ista Questione, negatur omnis species intelligibilis, &c.

COMMENTARIVM.

[Sp]ecies intelligibiles causan[tes] intellectionē, qui non requirunt.

Opinio hîc recitata, est Henrici Gand. quodl. 4. q. 7. & quodl. 5. q. 14. in quibus locis asserit, sufficere phantasma, in virtute phantastica existens formaliter, quòd illud moueat intellectū summè dispositum, ad intellectionem phantasticam. Et ita species intelligibilis, in ratione principij actiua, cum intellectu concurrens ad intellectionem, non requiritur.

Hanc sententiam negatiuam, secuti sunt postmodum Nominales: vt Ocam in 2. q. 14. & 15. Gabr. dist. 3. q. 2.

ois scho- docet re iri.

Sententia tamen affirmatiua, quæ articulo 3. & sequenti explicatur, est communis Scotistarum & Thomistarū: imò omnium Philosophorum, pręter Henr. & Sectatores Nomin. eosque non omnes: nam Arimin. in 1. dist. 3. q. 1. & clariùs in 2. dist. 7. q. 3. communi sententiæ subscribit: cui etiam fauet Holcot in lib. suarum determinationum.

Litera totius istius Quæstionis, plana est.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Impugnatur præcedens Opinio.

Contra istam Opinionem, arguo, sic, &c.

COMMENTARIVM.

Ocam loco cit. multa adducit contra has rationes Doctoris: sed omnes instantiæ Ocami friuolæ sunt, & bene resolutas vide in Licheto.

Species intelligibiles requirūtur ad cognitionē intuitiuam.

Vna est hîc non contemnenda Difficultas. An species intelligibiles, requirantur ad cognitionem intuitiuam singularium? Cùm enim potissima ratio (in præsenti textu) sumatur necessitatis specierum, ex obiecti præsentia in se, vel in alio: dum igitur est in se, non videtur quòd sit necessarium aliud, nempe species repræsentans obiectum. Deinde, omnes rationes ex parte vniuersalitatis hîc positæ, quæ ostendunt necessitatem specierum, non valent in cognitione singularis.

Quidam Expositores dicunt hîc negatiuè ad istam Difficultatem, videlicet, non per speciem intelligibilem, sed immediatè cognosci sine specie, singulare, loquendo de cognitione intuitiua.

Verum istud dictum eorum, est expressè contra Doctorem in 2. dist. 3. q. 11. vbi apertè docet, Angelum accipere cognitionem intuitiuam de rebus singularibus, per species intelligibiles à rebus acceptas; ergo à fortiori hoc dicendum est de nostro intellectu. Idem etiam concludunt rationes aliquæ hîc positæ, si proportionaliter loquamur, præsertim ratio Tertia, Quarta, Octaua, & Nona. Quamuis igitur intellectus noster in cognitione intuitiua singularis, non indiget specie intelligibili, ex illa ratione vniuersalitatis in obiecto intelligibili; indiget tamen ex ratione præsentię obiecti ad intellectum: nam licèt sit præsens res singularis intellectui, vt corpus proprium, vel anima in ratione entis, pro nunc est præsens, pręsentialitate entitatiua, non tamen est illi pręsens, præsentialitate obiectiua, in ratione intelligibilis, nisi per speciem; vt probant bene rationes citatę in textu, & ostenditur in 2. dist. 3. q. 11.

ARTICVLVS TERTIVS.

Resoluitur vltimatè Quæstio.

Ad Quæstionem ergo dico. Quòd est necesse ponere in intellectu speciem, &c.

SVMMA TEXTVS.

Cōclusio *pro Quæstione est. In parte intellectiua, propriè sumpta, est memoria propriè: hoc est, est intellectus habens speciem intelligibilem (seu similitudinem intentionalem obiecti) priorem naturaliter actu intelligendi, ad illum vnà cum intellectu, in ratione principij actiui, concurrentem. Istud dictum vltimum inferius explicatur.*

Quòd de specie impressa in textu dicitur. Aduerte. Quòd speciē impressam in sensu, concedit Hēr. sed negat in intellectu; speciem vero expressam vtrobique concedit. Est autem species impressa illa, quæ in se non cognita, est ratio cognoscendi & repræsentandi aliud; quæ propriè vocatur species intelligibilis in intellectu, vel sensibilis in sensu. In sensu ergo concedit species tales: imò nec Ocam omnino negat, sed negant in intellectu. Species vero expressæ dicuntur ipsimet actus intelligendi, vel sentiendi; qui actus licet non in modo essendi, in modo tamen repræsentandi, similes sunt obiectis cognitis: similitudine non æqualitatis, sed proportionis, vt dictum est ar. 2. q præced. Vide de hac materia, q. 1. prolo. art. 4. dubit. 4. Species intelligibilis alia impressa, alia expressa dicitur.

ARGVMENTA TVM PRO Opinione, Primo Articulo adducta, tum principalia, soluuntur.

Ad Argumenta in oppositum principalia. Primò apparet, &c.

COMMENTARIVM.

Totus textus literæ, est clarus.

Post hanc Quæstionem, proponuntur, & examinātur aliæ quæstiones de ista materia, in plerisque exemplaribus: quæ tamen quæstiones cùm non sint huius scripti Oxoniensis, vt antiquissima exemplaria testantur; tanquā literam Doctoris Subt. in hac Theologia contentam, non propono. Quia tamen Scoticæ doctrinę & Scripto Pariensi, siue Reportatis sunt istę quæstiones conformes, non putaui illas ommittendas, sed sub titulo dubitationū pertracto, nihil proprium inserens, sed totam literā prout hactenus in alijs exemplaribus continebatur, simpliciter proponendo.

Dubitatur Primò.

Vtrum memoria intellectiua, sit conseruatiua speciei intelligibilis, cessante actu intelligendi.

Videtur quòd non. Quia si conseruaret vnam speciem, pari ratione, & aliam speciem, alterius obiecti: & sic multas simul; Consequens est falsum: ergo & Antecedens. Probatio falsitatis consequentis. Quia species non est, nisi quædam configuratio intelligibilis in intellectu; sed in corporalibus est impossibile idem corpus figurari diuersis figuris; ergo similiter impossibile est, intellectum simul sic configurari diuersis obiectis, per diuersas species. Et hæc est ratio Algazelis.

Secundò sic, Omnis qualitas disponens intellectum ad operandum, vel ad operationem, & mansiua in eo, est habitus intellectualis; sed species est qualitas quædam, disponens intellectum ad operationem: igitur si esset mansiua post actum intelligendi, sequitur quod esset habitus intellectualis; sed hoc est falsum, quia species intelligibilis præcedit actum naturaliter, habitus autem sequitur, nam generatur ex actibus; ergo &c.

Contra. Intellectus est in potentia accidentali, non nisi quando habet speciem intelligibilem. Patet ex Philosoph. 2. de anima, tex. 25. & 55. & 8. Phys. tex. 32.

Dicunt quidam. Quòd hæc Opinio fuit Auic. Quòd nulla species manet in parte intellectiua, post actum intelligendi: quod videtur sensisse. Quia 6. Natur. parte 5. c. 6. dicit: quòd in organo sensus, conseruatur species post recessum sensibilis; & hoc solùm, quia organum non est natum cognoscere obiectum; sed intellectus non est potentia organica, & ideo de se est dispositus ad intelligendum, non autem ad conseruandum, quia in ipso non potest fieri talis impressio aliqua, sed tantùm intellectualis immutatio. Modus suus est. Quia posuit ordinem in Intelligentijs, & dixit vltimam Intelligentiam influere speciem in intellectum nostrum; ita quòd sicut Plato posuit, quòd per conuersionem intellectus nostri ad Ideam alicuius rei, habeamus scientiam alicuius rei; ita Auicen. posuit, quòd per conuersionem intellectus nostri, ad illam Intelligentiam naturaliter influentem, habemus notitiam & scientiam rei, quam ad sensum eramus dispositi cogitare.

Auicennæ Opinio de nostra cognitione p conuersioné ad intelligẽtiam.

Quòd si contra eum diceretur. Quòd secundùm hoc, nunquam haberemus habitum scientiæ, ex quo species non manebant in intellectu nostro; nisi in actuali consideratione, quod tantùm erat in actuali conuersione ad illam Intelligentiam. Respondebat (secundùm quod sibi imponitur,) Quòd ex frequenti conuersione ad illam Intelligentiam generatur quædam habilitas in homine, quæ habitus potest dici, per quam erat facilis & habilis ad se conuertendum, & per consequens ad actum considerandi, secundùm scientiam.

An hoc senserit Auic. an non, non curo; tamen posset bene excusari. Nam ipse dicit ibidem cap. 6. quòd aliquis de quæstione sibi proposita, potest habere certitudinem, quòd scit eam soluere, & tamen non habet in promptu solutionem; quod non esset, nisi apud se haberet speciem intelligibilem. Item parte 4. cap. 1. dicit: quòd Thesaurus intellectus est memoria. Quod nihil est dictum, nisi species ibi conseruarentur. Et 5. Met. dicit; quòd species in intellectu, respectu intellectus, est singularis, sed respectu obiecti, est vniuersalis.

Qui ergo vellet saluare Auicennam, diceret (vt videtur esse eius intentio) quòd duplex est species in intellectu: vna quæ abstrahitur à sensibilibus; & hæc manet actu intellectus transeunte: alia, quæ habetur ex influxu Intelligentiæ, ad quam conuertitur; & hæc non manet, actu intellectus non manente, nec est necesse quòd maneat illa; quia semper Intelligentia illa naturaliter influit species, in intellectum ad se conuersum, per modum quo aliqui dicunt intellectum separatum intelligere; sed per influxum specierum à Deo, non ab Intelligentia.

Species intelligibiles manent in intellectu cessante actu intelligendi.

Contra illam Opinionem, quæ diceret, quòd non manent species, sicut imponitur Auic. arguo sic. Primò. Intellectus habens habitum scientiæ, & non considerans actu, est in potentia accidentali ex 2. de anima. Sed supposita hypothesi non considerans actu, est in potentia essentiali respectu illius; & vocatur essentia essentialis, quando ad hoc, quòd exeat in actũ, necessariò præexigitur, quòd acquirat aliquam formam, per quam exeat in actum.

Secundò sic, Nihil præcedens actionem, magis requirit actionem coexistentem, quàm principium illius actionis, ex quo est prius actione, sicut & principium agendi; sed principium agendi non necessariò requirit coexistentiam actionis, quia omnia principia entium naturalium, possunt impediri ab actionibus suis; vt propter indispositionem subiecti, instrumenti, vel organi, & tamen stabunt principia; ergo cùm species sit naturaliter prior actione intelligendi, vt patet ex prædictis, non coexigit existẽtiam actionis; & sic, transeunte vel non existente actu intellectionis, manebit species intelligibilis.

Tertiò sic. Prius natura, potest esse sine posteriori, nisi in priori sit necessitas respectu posterioris, vt est in subiecto respectu proprij accidentis; sed species est prior actu intelligendi, & non facit necessitatem respectu actus intelligendi: Tum quia intellectio est voluntaria per participationem, quia *intelligimus cùm volumus*, 3. de an. Tum quia non obstante quòd intellectus habeat speciem intelligibilem, potest impediri ab actione; sicut dictum est; ergo &c.

Quartò sic. Quod est perfectionis in inferiori, est eminentiùs in superiori, eiusdem rationis & generis; sed transeunte actu imaginationis, siue sensitiuæ partis, retinere species, est perfectionis; ergo eminentiùs hoc erit in parte intellectiua. Est enim intellectiua eiusdem generis cũ sensitiua, pro tanto. quia cognitiua sicut sensitiua, eminẽtior tamen. Minor probatur. Nam in qualibet perfectionis est, quantò minùs indiget aliquo extrinseco in sua operatione; sed cæteris paribus, retinendo species sensus, minùs indiget extrinsecis in operatione sua: ergo hoc est perfectionis in eo.

Probatur etiam ex alio. Quia omne aliud quod arguit independentiam, est perfectionis; sed habere speciem, & non intueri, vel actu intelligere, arguit quòd intellectus nõ dependet ab actu intelligendi; ergo &c.

Alij adducunt vnam rationem ad propositum, quę magis congruentia est, quàm ratio, & est talis. Vniuscuiusq; permanentia attenditur penes nobilitatem, vel ex parte nobilitatis illius quod recipit, siue recipientis; nam omne quod recipitur, recipitur per modum recipientis, non per modum rei receptæ. Cùm igitur species sit res nobilis, & recipiatur in intellectu, qui est incorruptibilis; ergo ipsa manebit actu non manente. Respondeo. Non valet. Nam actus est res nobilior, quàm species, & recipitur in intellectu; ergo manet in intellectu, seipso non manente; non sequitur.

Ad Quæstionem igitur. Dicendum. Quòd manent species in memoria, actu intelligendi non manente. Cuius ratio est. Quia vt habetur 3. de anima. Intellectus inquantum intellectus, potest esse sapiens de se; sed de se nullo modo esset sapiens de aliquo obiecto, nisi inquantum esset sibi præsens in ratione cognoscibilis; sed hoc non contingit nisi per speciem intelligibilem; ergo

Sed tunc restat vna difficultas. Cùm ex quo habet speciem, in qua relucet obiectum: quare in actu intelligendi, oportet intellectum conuerti ad phantasmata? Et quòd oporteat conuerti; dicit Philosophus 3. de an. Dicit enim: quòd quicquid intelligimus, necesse est simul phantasmata speculari. Hoc enim ostenditur experientia. Aliàs læso organo phantasiæ, posset esse intellectus in actu recto intelligendi, ex quo species habuisset; cuius contrarium videmus.

Quare oportet intellectus in actu intelligendi conuerti ad phantasmata.

Ad hoc respondent quidam. Quòd pro tantò oportet fieri conuersionem ad phantasmata: quia proprium obiectum intellectus coniuncti, est quidditas rei materialis, quæ non est nisi in hoc singulari, vel in illo; ideo non cognoscitur perfectè, nisi existens in hoc vel in illo particulari vel singulari; Singularium autem est phantasma: & ideo oportet quòd ad hoc, quòd intellectus intelligat obiectum suum, quòd conuertat se ad phantasma, vt speculetur naturam vniuersalem existentem in particulari.

Aliorum opinio refertur.

Sed

Sed hæc responsio nulla est. Quia aut cognouit primò singulare, vel vniuersale. Non singulare; quia tantùm cognouit singulare per reflexionem, secundùm eos. Si vniuersale. Tunc arguo sic. Nunquam secundùm totam suam indifferentiam, potest vniuersale cognosci in inferiori, nec tanquam in obiecto, nec tanquam in repræsentatiuo.

Præterea. Dato quòd verum esset, quòd quidditas rei materialis esset proprium obiectum intellectus coniuncti: quod tamen falsum est, vt supra est ostensum: tamen ratio sua non est vera. Nam secundùm suam rationem: Angelus cùm cognoscat perfectè quidditatem rei materialis, oportet quòd ipsam aspiciat in phantasmate; quod est falsum.

Præterea. Species Angeli, siue quidditas Angelica, non minùs existit in supposito suæ speciei, quàm quidditas rei materialis in indiuiduo eius; si ergo Angelus non abstrahit, nullo modo intelligit quidditatem suæ speciei, sub ratione vniuersali. Licèt ergo quidditas non existat, nisi in supposito, vel singulari, potest tamē intelligi ab intellectu, non intelligendo quòd existat in eo. Et sic falsum est, quod assumit: scilicet, quòd non possit intelligi quidditas, nisi vt existens in singulari intelligatur. Non enim est de ratione quidditatis vt quidditas est, quod in singulari existat; licèt non nisi in eo existat realiter.

octoris ius. Ideo dicendum. Quòd duplex est necessitas conuersionis intellectus ac phantasmata. Vna est, conformitas actionum potentiæ intellectiuæ & phantasiæ; quia quicquid intelligimus in vniuersali, illud idem phantasiamur in suo singulari, & simul necessariò; ex quo accidit, quòd impedita operatione phantasiæ, impeditur intellectus, sicut simul operatio sensus communis & particularis; & impedita operatione sensus particularis, impeditur operatio sensus communis. Quoad causam secundam vel necessitatem. Est intelligendum: quòd species intelligibilis abstrahitur à phantasmate, vt actu per ipsum phantasiatur obiectum particulare phantasia. Antequam igitur intellectus habeat speciem, necessariò oportet ipsum conuerti ad phātasmata, sicut proprium passiuum conuertitur ad suū proprium actiuum, à quo simul & ab intellectu agente, recipit speciem intelligibilem; & si eam habet, recipit intensionem actus, quia clariùs videt obiectum. Stante enim voluntate ad hoc, & phantasia non fatigata, quantò ipsa est magis in actu ordinato, intellectus intensiùs videt obiectum suum proprium.

Sed dices. Si actus est intensior, quantò plùs phantasia est in actu; ergo videtur quòd non habeat terminum; cuius falsitas patet in Patria. Dicendum. Quòd generaliter in his, quæ suscipiunt magis & minùs, sicut in habitibus, non quilibet auget habitum: vel saltem ille actus, qui non virtualiter continet ipsum generatum: vnde aquam calidam, non facit calidiorē modicus ignis, vel modicus calor, puta tepidum; sed calor intensior, puta calor, qui virtutis est talis; si autem formæ tales habent terminum, non amplius illi actus intendunt habitum: ita est in proposito.

Ad argumentum Primum. Dicendum: quod sunt ibi plures simul. Ad probationem. Dicendum, quòd secundū Philosophum 7. Metaph. & Commentatorem. Ea quæ oppositionem habent in re, non habent oppositionem in mente; nam species contrariorum, simul sunt in anima, cùm tamen contraria simul esse non possint in eodem subiecto, possunt tamen aliqualiter esse simul, in esse cognito: nam vnum est ratio cognoscendi alterum, sicut rectum est index sui, & obliqui, 1. de anim.

Ad Secundum. Dicitur, quòd illa species, dicitur & est habitus, non tamē eiusdem rationis cum illo, qui per actus acquiritur: nam ex actibus non acquiritur nisi habilitas ad actus consimiles: nūquam tamen per illam habilitatem fit obiectum in intellectu prçsens; per habitum autem, qui est species, fit præsens.

Quæritur. Vtrum in intellectu nostro sit actualis notitia genita vel producta? Arguo quòd non. Primò. Actionis nō est actio, nec vt termini, nec vt subiecti; nec passionis est passio, 5. Physicor. Sed notitia actualis, est actio vel passio; ergo ipsa non est genita vel producta; quia hoc esset alia passione, vel actione; & ita esset terminus actionis, vel passionis. Minorem probo sic. Notitia est actus secundus; sed omnis actus secundus est actio vel passio; ergo. Secundò sic. Nullum entium consistit præcisè in fieri & successione, nisi sit actio vel passio; notitia non est permanentium: ergo, &c. Tertiò sic. Philosophus 9. Metaph. distinguit actionem in immanentem & transeuntem; sed notitia est operatio immanens; ergo est actio; quia continetur sub vna specie actionis, scilicet immanentis.

Secundò sic ad principale August. 4. super Genes. c. 8. dicit. Quòd aer præsente lumine, non est factus lucidus, sed fit: quia si factus esset lucidus, & non fieret absente corpore luminoso, maneret lucidus. Ex his habeo. Quòd illud quod factum est, intraneè, & de se manet; sed illa notitia non manet: ergo non est facta, nec est genita.

Tertiò sic. Philosophus 7. Met. probat. Quòd formæ nō est generatio, sed tantùm compositi; sed notitia non dicit compositum, sed tantūm forma: ergo, &c.

Contra S. August. 9. de Trinit. cap. 12. & 13.

Liquidò tenendum est, quòd omnis res, quamcunque cognoscimus, congenerat in nobis notitiam sui ab vtroque enim notitia pariter, & à cognoscente & à cognito. Et aliquantulū infra. *Partum mentis antecedit appetitus quidam, quo id quod nosse volumus, quærendo & inueniendo, nascitur proles notitia ipsa.*

Hic sunt tres breues quæstiones.

PRIMA.

Cuiusmodi entitas sit intellectio & volitio, & huiusmodi operationes immanentes?

Vbi intelligendum est. Quòd (vt ex diuisione entis patet) nō sunt substātiæ: quia intellectio adest, & abest p̄ter subiecti corruptionem: nec Quantitas: quia non est nisi in corporibus, vel in pluribus realiter distinctis, vt numerus: nec sunt Habitus, nec Positio, nec Quando, nec Vbi; quia hæc dicunt habitudinem ad corpora, vel sunt passiones corporalium; nec aliquid aliorum, vt Actio, vel Passio, aut Relatio; ergo Qualitas. Operationes immanentes quales sunt?

Quod autem dico de intellectione, hoc idem dico de volitione visione, auditione, & sic de alijs operationibus immanentibus.

Et Primò probo, quòd non sit Relatio, nec Actio, nec Passio. Quia operatio immanens, est vltima perfectio naturæ absolutæ operantis: sed nulla Relatio, Actio, vel Passio est huiusmodi; ergo, &c. Tamen bene potest importare relationem. Minor patet, quòd scilicet vltima perfectio naturæ, non sit relatio. Relatio enim perfectionem non importat, inquantum huiusmodi: & quòd vltima perfectio esset relatio, repugnantiam includit. Nec est Actio. Quia Actio non perficit agentem, sed passum. Præterea. Actionis est aliquis terminus realis: hìc autem præter intellectionem, non est aliqualis terminus. Nec est passio. Quia iam non esset vltima perfectio: quare, &c. Actio non agente, sed passum perficit.

Secundò probo specialiter de quolibet. Primò quòd intellectio non sit Relatio sic. S. August. 7. de Trinit. c. 1.

Omnis essentia, quæ relatiuè dicitur est aliquid, excepto eo quod relatiuè dicitur: Sed intellectio subest relationi, quia dicitur relatiuè ad obiectum; sicut enim scientia refertur ad scibile, vt mensuratum ad mensuram 5. Metaph. ita & intellectio: ergo secundùm rem absolutum suum, siue positiuum suum, non est relatio.

Quòd autem non sit Actio vel Passio, probo sic. Actio & Passio, sunt alicuius termini accipientis esse per ipsas: sed operationes immanentes sunt vltimi termini, quibus nihil accipit esse; non anima, nec obiectum, nec enim obiectum accipit esse per ipsas.

Quod si dicas. Quòd cùm per actus habitus generantur, habitus est terminus dictarum operationum: & sic sunt actio vel passio.

Dicendum. Quòd dicta responsio magis est est ad oppositum. Nam quod non est forma actiua, non est principium formale inducendi aliquam formam, sed per operationes immanentes inducitur habitus, qui est aliqua forma: ergo operationes immanentes, non sunt Relatio,

Actio

Actio, vel Passio. Actus ergo quia virtualiter continent habitum, ipsum generant, & intendunt.

Ad Argumentum tamen (licèt sit ad oppositum) Dicēdum: quòd actio illa quæ propriè est ad terminum, nō potest intelligi sine termino, sed operationes huiusmodi possunt intelligi sine habitu, & esse, vt patet in habentibus habitum intensissimum, vt in Beatis; ergo propriè non dicitur terminus quasi intrinsecus, sed quasi consequens, & accidentalis. Cùm ergo huiusmodi operationes aliquid sint, & probatum est, quòd non sunt Substantia, nec Relatio, nec Actio, aut Passio, neque Quantitas vel aliquid extrinsecus aduenientium; relinquitur q̃ sint in genere Qualitatis; & constat, quòd non sunt in tertia vel quarta specie; quia talia solùm sunt corporalia: nec in secunda; quia illa sunt naturalis potentia vel impotentia; sunt ergo in prima, in qua credo est omnis perfectio substantiæ spiritualis, quæ non est Deus, vel quæ non est de eius substantia, ergo qualitates.

Operationes immates, sũt qualitas.

SECVNDA QVÆSTIO.

An ad huiusmodi operationes, sit aliqua per se mutatio?

ET est dicendum breuiter. Quòd sic. Quod patet: Nā secundùm Philosophū 6. Phys. Mutari est, aliter se habere nunc, quàm prius; sed intellectus actu intelligens, se habet aliter nunc quàm prius, ergo verè est mutatio per se, ergo propriè mutatio ad huiusmodi operationes terminatur.

TERTIA QVÆSTIO.

An huiusmodi operationum, sit productio vel generatio?

VBi intelligendum: quòd secundū Philos. 7. Met. Forma per se non generatur, sed compositum, tam in genere substātiali, quàm secundū quid. Et sua ratio est. Quia omne quod fit, fit ex materia, tanquam ex eo, quod est pars ipsius, quod fit: cùm igitur materia non sit pars, nisi compositi, generatio per se solius erit compositi. Quod patet Primò. Generatio cū sit via de non esse ad esse, illius per se est generatio, cuius per se est esse; compositi autem siue suppositi per se est esse: ergo, &c. Secundū ergo intentionem Philosophi. Quod per se generatur, est diuisibile in duo, scilicet in materiam, & formam. Et ideo dixerunt quidam quod forma accidentalis, habet suum potentiale, ex quo fit, & suum formale, tanquam intrinsecum, sui generis. Quod non videtur: quia accidentia non habent materiam Ex qua, sed In qua. Nec etiam est ad intentionē Philosophi; quia ipse intelligit, q̃ compositum in generatione per accidens, per se generatur: compositum dico ex subiecto & accidente, sicut sua exempla ostendunt. Et ratio sua est. Quod generatur, ex eo generatur quod præexistebat. Ergo dicendum, q̃ etsi notitia possit esse terminus mutationis, non tamen generatur nec producitur, sed per se intellectus noscens, vel potius homo noscēs; quia actiones sunt suppositorum: quare, &c.

Contra hoc arguo, q̃ intellectus noscens non per se generatur. Quia non est ens per se, sed per accidens: ergo non est per se terminus generationis.

Item. Notitia est per se terminus productionis, quia mutationis: sed omne tale producitur: ergo notitia producitur & generatur.

Ad Primum. Dicendum, quòd ens, secundū quid, & per accidens, est simpliciter per accidens, & secundū quid, sicut homo mortuus, est homo secundū quid; simpliciter autem dicitur homo mortuus: generatio ergo simpliciter est in substantia, secundū quid verò in accidentibus 1. de generat. generatio ergo entis per accidens & secundùm quid, est generatio simpliciter per accidens, & secundùm quid.

Ad Secundum. Dicendum, quòd est terminus alterationis & mutationis: terminus autem alterationis est forma, & similiter mutationis: non tamen productionis.

Vbi intelligendum. Quòd mutatio est per se mutabilis, alteratio alterabilis, & motus mobilis. Illud autem dicitur propriè alterari & mutari, quod de non tali fit tale; puta de non albo album, de non noscente noscens: forma ergo qua fit tale propriè, est terminus mutationis, non tñ mutatur, sed tantū mutabile mutatur. Productio autem propriè est solius termini, cui per productionem acquiritur esse; cùm ergo forma, quæ est mutationis terminus, nō habeat esse propriè, sed sit illud, quo compositum habet esse; ideo ipsa non dicitur produci, nec esse terminus productionis, sed tātùm compositum, siue illud compositum sit ens per se, siue per accidens. Et huiusmodi differentia patet. Quia de termino mutationis, vel de forma, non dicitur, quòd mutetur vel alteretur: sed est terminus mutationis tantùm; de termino autem generationis & productionis, dicitur quòd est generatus & productus, siue, generatur & producitur.

Mutatio quorũ [...]

Ex his corrolariè potest concludi. Quòd intelligere & velle in Deo, non sunt actus productiui, nec per consequēs principia actuum notionalium, qui sunt generare & spirare; intelligere enim & velle in Deo, actus operatiui sunt; quibus ipse Beatus quasi perficitur, non autem sunt productiui. Ex quo patet. Quòd nec notitia simplex, nec amor simplex, sunt rationes productiuæ, sine quibus Personæ non producuntur; vt quidam dicit, & superiùs est improbatum. Vnde intelligere & velle in nobis, non sunt actiones vel passiones, vt dictum est: dicere autem, siue intellectionem producere, & spirare seu amorem elicere, sunt actiones in nobis, & de genere Actionis, vel quasi de genere Actionis; quare &c.

Ad Argumenta principalia.

Ad Primum. Dicendum: quòd Maior est vera, sed Minor est falsa. Ad euidentiam autem eius, & argumentorum, quibus ipsa Minor probatur. Intelligendum: quòd actio, propriè sumpta, tres habet proprietates. Vna est, quòd est in continuo fieri: æquè enim dependet ab agente, in secundo & vltimo instanti, & primo; imò in quolibet, quantùm durat. Secunda proprietas est, quòd est circa aliquod receptiuum, in quo est, vt in subiecto; nam actio non est in agente, sed in passo. Tertia proprietas est, quòd est circa aliquem terminum, ad quem terminatur, qui esse accipit per eam. Idem intellige de passione. Operationes ergo immanentes assimilantur Actioni & Passioni, in prima conditione, & secunda; non autem in tertia, quæ est completiua.

Actio [...] habet p[ro]prietat[es]

Ad argumentum ergo Primum: quo prædicta Minor probatur. Concedo, quòd est actus secundus. Nego tamen, quòd omnis actus secundus sit Actio vel Passio; imò est Qualitas.

Ad Secundum. Dicēdum, quòd assimilatur in secunda conditione; vnde lumen etsi fit etiam continuè, non tamē est Actus; sed actionis terminus.

Ad Tertium. Dicēdum, quòd diuisio actionis, quædam est immanens quædam transiens; vno modo est æquiuoci, siue vocis in sua significata: alio modo vniuoci, siue generis in suas species. Si enim accipiatur actio transiens. & operatio immanens, quæ est intelligere, velle, videre, & huiusmodi significata, sunt vnius vocis tantùm, scilicet actionis, & nullius vniuoci. Si autem dicatur, actio est quędam transiens, quædam immanens, vt elicitio intellectionis, quæ immanet, & ipsa intellectio: tunc est diuisio vniuoci in suas species.

Ad Secundum principale. Dicendum: quòd non intendit S. August. negare lumen esse, vt fieri ab agente, & factum esse simul; sed non permanet sine præsentia agentis, sicut nec creatura rationalis cōseruatur in gratia, sine Diuina præsentia, nam ad hoc ipse eam inducit.

Ad Tertium. Patet, per prædicta in tertia Quæstione; quare &c.

QVÆ-

QVÆSTIO VIII.

Vtrum intellectus, sit causa totalis productiua notitiæ genitæ?

Secundò quæro de notitia genita, quæ sit causa gignens &c.

SVMMA QVÆSTIONIS.

In Primo Articulo, ponitur Opinio totam actiuitatem attribuens animæ. In Secundo, opposita examinatur Sententia, totam causalitatem attribuens obiecto. In Tertio, duo modi explicandi medij reijciuntur. In Quarto, Opiniones aliæ duæ intermediæ examinantur. In Quinto, datur decisio Quæstionis totius, secundùm propriam Sententiam. Tandem Argumenta in principio Quæstionis adducta, resoluuntur.

ARTICVLVS PRIMVS.

Narratur & reijcitur Opinio, totam actiuitatem respectu intellectionis, attribuens soli animæ.

In ista Quæstione est vna Opinio, quæ attribuit totam actiuitatem, &c.

SVMMA TEXTVS.

Tria facit Doctor in hoc Articulo. Primò, recitat Opinionē Henrici, quodl. 4. q. 7. & quodl. 5. q. 5. Deinde illam Opinionem impugnat. Postmodum argumenta pro Opinione Henr. adducta resoluit. Quem ordinem tractandi, in sequentibus tribus obseruat Articulis.

COMMENTARIVM.

[A]nima sola non est causa totalis intellectionis.



SIcut Henricus probat suam Opinionem authoritate & ratione, ita Doctor arguit contra ipsum primò authoritatibus August. satis euidentibus: deinde ratione, quæ consistit in hoc discursu. Si anima esset totalis causa effectiua intellectionis, & non requireretur obiectum vt causa, sequeretur quòd anima semper intelligeret: consequens est falsum, & contra experientiam; ergo & Antecedens. Sequela probatur. Naturali actiuo totali & passiuo debitè applicatis, & non impeditis, naturaliter sequitur actio; sed per te, intellectus est actiuum totale, & patet quod naturale non liberum, vt voluntas; & idem intellectus est receptiuus suæ intellectionis, quia habet se respectu actus producti, vt passiuum principium; nec est vllum impedimentum, cùm intellectus agens & patiens sint potentiæ dispositæ, & approximatæ, ergo semper habebitur intellectio non interrupta.

Ista ratio supponit in textu tria. Primum est: quod tm̄ sint quatuor genera causarum, vt vult Philos. 2. Phys. tex. 28. & 5. Met. tex. 2. secundum est: quod cū causa formalis, seu forma de potentia subiecti educta, sit terminus formalis productionis, sequitur quòd non requiritur priùs efficiente & materia, sed est posterior. Tertium est; finis est duplex; vnus est in intentione, qui vt amatus & desideratus, mouet efficiens ad actionem: & iste est prior efficiente, inquantum efficiens est: alter finis est in re, qui intenditur ab agente, vt sanitas est finis medicinæ, & talis finis est posterior agente.

Ex his suppositionibus sequitur. Quòd cū intelligendi actus sit forma educta, quæ est finis potentiæ intellectiuæ, naturaliter ea posterior; consequens est, vt ad eductionem talis formæ, nempe actus intelligendi, non plùs requiratur, quàm causa effectiua, cum materiali, bene disposita, approximata, & non impedita: ista autem semper sunt in anima, & sunt causæ naturales, ergo semper est effectus, nempe intellectio, vt deducit ratio Doctoris.

[Vtr]ū quòd dependens sit [ca]usatū & [ill]ud à quo [d]epēdet, sit [ca]usa?

In illo dicto Doctoris. Inconueniens est, quòd aliquid ab aliquo dependeat essentialiter, & tamen illud à quo dependet, non sit causa eius; est specialis hìc Difficultas. Licèt enim ista propositio, non modò hìc, sed etiam in lib. de 1. princ. cap. 1. vsurpetur, quòd dependens sit causatū, illud vero à quo dependet sit causa.

Contra istam tamen doctrinam, insurgit Difficultas. Primò. Quia (secundùm eundem Doctorem in 2. dist. 25.) voluntas non potest elicere actum volendi, circa aliquod obiectum, quin prius eliciat intellectus circa illud; vt ita sit subordinatio & dependentia essentialis voluntatis in actu suo, ad intellectum in actu eius; & tamen ibidem dicitur, quòd actus intellectus, vel obiectum cognitum, non sit causa effectiua volitionis; ergo potest esse dependentia necessaria A. ad B. licèt B. non sit causa A. Imò sicut & ad actum volendi requiritur obiectum, vt conditio sine qua non, ita & ad actum cognoscendi, requiretur obiectum, vt conditio sine qua non: vel si hìc obiectum requiritur, vt causa, simul cum intellectu causans intellectionem, ita ad causandam volitionem, concurret obiectum partialiter: cuius oppositum tenet Doctor loco cit.

Secunda ratio difficultatis est ex 4. dist. 49. q. 5. vbi secūdùm propriam sententiam asserit Doctor post medium. Quòd intellectio obiecti licèt requiratur, vt conditio sine qua non, ad eliciendam fruitionem, essentialiter tamē requiritur: ergo malè dicitur in præsenti textu, quòd si ab aliquo dependet res, non vt à causa aliqua, ex quatuor generibus causarum, non dependet ab eo res simpliciter, nec in esse nec in fieri; quod enim depēdet ab aliquo essētialiter, dependet ab eo simpliciter, & vt à causa; vt hìc dicitur apertè; sed volitio obiecti dependet à cognitione illius essentialiter, vt dicitur in 4. ergo cognitio est causa volitionis; contra doctrinam in 2. dist. 25.

Ad resolutionem huius Difficultatis, & pleniorem intellectum rationis.

Aduertendum est. Primò. Quòd dependentia essentialis, (vt ad præsens seruit: nam aliæ videri possunt infra, art. 5. concl. 3. in textu) potest attendi vel in ipsis causis, quòd vna causa dependeat in causando ab alia; vel in effectu, quòd effectus dependeat. Dependentia essentialis in causis: vel est mutua; sicut in causando intellectionem, intellectus vt à concausa dependet à specie intelligibili, species etiam vice versa vt à concausa dependet ab intellectu in sua causalitate, ita quòd neutra secundùm se est sufficiens causare intelligendi actum, sed bene vtraque simul; vel est non mutua; vt omnes causæ secundæ, in esse & in operari dependent à prima, non tamen prima ab illis. Et hæc dependentia est propriè essentialis, vt videre est supra dist. 2. q. 2. dependens enim debet dependere in vltima resolutione, tandem ad aliquod independens: vt dictū est ibidem. Actiuitas igitur causarum, vel causalitas earum secundùm se, vel est totaliter sufficiens causare absque interuentu vllius causæ: & talis causa est independens essentialiter: vel non est sufficiens, sed concurrit partialiter cum alia concausa partiali, & tunc est dependentia essentialis mutua: vel est quidem causa totalis, sed essentialiter alteri causæ subordinata, & est dependentia essentialis non mutua.

Dependentia in causis vel est mutua, vel nō mutua.

Effectus porrò, potest dependere essentialiter & à causis, tum intrinsecis, tum extrinsecis, & à dispositionibus, vt talis effectus inducatur: verbi causa, ignis qui producitur, dependet à materia ex qua producitur: & ab agente à quo producitur: & à forma quæ dat esse ignis, & à fine, eo modo quo agentia naturalia dicuntur agere propter finē ab alio intentum 2. Physic. Prǽterea dependet à dispositionibus: quia nisi in materiam ligni humidam ac frigidam, caliditas ac siccitas inducatur, non potest produci ignis, imò siccitatis & caloris dispositionibus sublatis, tollitur ignis. Ignis igitur necessariò & essentialiter dependet à dispositionibus, non tamen vt à causis: quia tales dispositiones, patet quòd ad nullam prædictarum causarum propriè reuocari possunt; nec enim sunt efficiens, nec materia, nec forma substantialis ignis, nec finis, ob quem ignis producitur. Et sicut effectus dependet quandoque essentialiter à dispositionibus, vt à causis sine quibus non; ita quandoque ipsa actiuitas causarum, dependet ab aliqua conditione, sine qua non possunt agere: sic ignis in lignum non potest agere, nisi sit illi approximatum: approximatio

Effectus dependentia multiplex.

non

non est causa actiua, vt patet, quia ista est ignis agens; nec materialis, quia hæc est signum; nec forma vel finis, vt euidens est; ergo ab aliquo alio potest esse dependentia necessaria & essentialis, quàm vt à causa, vel vt à concausa. Et hoc vult Subt. Doctor in 4. dist. 49. quæst. 5. cùm docet Fruitionem dependere essentialiter à Visione.

Depēdētia pōt esse essentialis & nō à causa. Alia est depēdētia effectus à causis ꝓpriis, alia à conditione sine qua non.

Aduertendum est Secundò. Quòd aliter dependet effectus à causis, & aliter à conditione sine qua non. Prior. n. dependentia effectus, est dependentia in ratione effectus; quia cū effectus in ratione effectus sit à causis, sola dependentia effectus ad causas, est illi dependentia simpliciter vt est effectus; dependentia verò effectus à dispositionibus, vel conditionibus causæ, cùm sit dependentia ab accidentibus, licèt necessariò requisitis, non tamen in ratione causæ, effectui, inquantum effectus est causarum effectus, est accidentalis huius dependentia: quia effectui vt effectui, correspondet suum correlatiuum (à quo essentialiter & primò, tanquam à dante esse dependet) quod est causa illius, vel causæ; accidentia verò causarum, vt approximatio, vel accidentia effectuum, à quibus pendet effectus, iuxta dicta, cùm sint accidentia, meritò dicetur talis dependentia accidentalis; quia tamen necessariò requiruntur quandoque ad causam, vel ad effectum, tales conditiones vel dispositiones, ratione istius necessitatis, dicitur ab illis dependere, tum causa, tum effectus essentialiter, idest, necessariò: ista tamen dependentia est propriè essentialis: dependentia enim causarum propriè essentialis, vel est mutua concausarum partialium, vel non mutua; effectus etiam propriissimè essentialis dependentia, est ad solas causas, non ad dispositiones.

Et sic dum Subt. Doctor negat in hoc textu, posse dependere essentialem effectum ab aliquo, quod non sit causa eius: loquitur de effectu inquantum effectus est: nō autem inquantum tali vel tali modo productus est, cum tali vel tali accidente connexionem habens; deinde loquitur de dependentia effectus, propriè essentiali, non autem de dependentia minùs propriè essentiali, quæ potest esse alicuius ad aliquid, à quo non habet esse, vt à causa, sed qđ necessariò requiritur respectu alterius, vel vtriusque. Et in hoc sensu vocat à conditione sine qua non, dependentiā essentialem alibi.

Sic patet quòd hæc litera Doctoris non contradicat alijs locis, & hinc resoluitur secunda Difficultatis ratio.

Dependentia effectus ab effectu.

Aduertendum Tertiò. Præter has dependentias effectus ad causas, & ad dispositiones, dari aliam duplicem dependentiam. Primam, quia vnus effectus potest dependere ab alio effectu, eiusdem causæ non in ratione causæ vel dispositionis, vt supra dictum est; sed in ratione ordinis; quia causa est ex natura sua ordinata, primò producere hunc effectum, posteriùs illum: sic illuminatio inferioris partis aeris, dependet ab illuminatione superioris; non quòd superioris aeris lumen sit causa luminis in aere inferiori; hoc enim falsum esse ostenditur in 2. dist. 13. vel dispositio eius; quia dispositio, & alterius rationis est à forma ad quam disponit, & simul cum ea: sed dependet illuminatio hæc ab illa, tanquam effectus posterior à priori, vt posterior sit saltem natura priori; & posterius præsupponatur secundū necessitatem priori, non autem priori præsupponi debet posterius. Alia dependentia est effectus vnius causæ, ad effectum alterius causæ: id autem accidit, propter necessariam subordinationem in agendo ipsarum causarum: sicut enim causa posterior præsupponit priorem, ita effectus causæ posterioris pręsupponit effectum causæ prioris; sic secundùm ordinem naturæ priùs potentiæ sensitiuæ exteriores agunt, deinde sensus interior vel phantasia, phantasiatio igitur dependet naturaliter à cognitione exteriori sensuum; non vt causa, sed vt effectus causæ posterioris, de necessitate pręsupponit effectum causæ prioris.

Similiter voluntas nihil potest velle nisi primò intellectus intelligat, volitio ergo obiecti dependebit ab intellectione, non vt à causa, cùm voluntas sit causa eius totalis, vt dicitur in 2. dist. 25. sed oportet subordinationem ipsarum potentiarum, tanquam effectus causæ posterioris de necessitate debet præsupponere effectum causæ prioris; vnde sicut phantasiatio non est causa intellectionis, licèt pro statu isto priùs intelligibile sit phantasiabile, quā actu intelligatur, & præsupponitur phantasiatio intellectui, tanquam effectus causæ priùs causantis, ad effectum posterioris causæ; ita se planè habet intellectio ad volitionē. Talis dependentia cū non sit dependentia essentialis simpliciter & propria, vt à causa; commodè potest vocari dependentia, à conditione sine qua non, quia sub hoc nomine dependentiæ sine qua non, omnes aliæ dependentiæ necessariæ, sed non propriè essentiales, continentur.

Nota. Intell… cur r… rit ob… vt co… lam, v… tas vo…

Sed cur ad intellectionem requiritur obiectum, vt causa, vel vt concausa cum intellectu, ad volitionem autem requiritur vt conditio sine qua non, & non vt causa? Respondeo. Quia voluntas est causa totalis sui actus effectiuè, licèt requirat obiectum terminatiuè & specificatiuè; intellectus autem non est causa totalis sui actus, effectiuè vel specificatiuè: quare, non solùm requiritur ad intellectionem vt conditio sine qua non, specificando & terminando actum, sed etiam requiritur vt concurrat actiuè.

Dices. Cur intellectus non est sufficiens & totalis causa, voluntas autem est? Respondeo. Ista quęstio quærit non quęrenda. Sicut enim non est alia ratio cur intellectus finitus, sine specie repræsentante, non potest actum intelligendi elicere: potest autem voluntas sine omni specie actū volendi elicere, nisi quia voluntas est seipsa sufficiens causa & totalis sui actus: intellectus autem est causa insufficiens seipso & partialis: ac proinde indiget alia concausa: & hoc prouenit ex natura talis potentiæ: quia illa est talis, & ista est talis: ita pari modo dicimus, quòd voluntas, cū sit sufficiens causa, non concurrit obiectum in ratione causæ ad actum volendi producendum: intellectus verò non est causa totalis, ac proinde indiget concausa: hæc autem est obiectum.

Volūt… perfe… intelle…

Potest tamen aliqualis reddi ratio. Voluntas enim cùm sit potentia libera, & perfectior intellectu, vt in 4. distin. 49. probatur, perfectior illi debet attribui modus causandi, quàm intellectui; sed causare per modum causæ totalis, est perfectior modus causandi, quàm per modum causæ partialis, & ex natura sua insufficientis; ergo ille debet potentiæ perfectiori, nempe voluntati attribui.

Ex his patet ad Primam Difficultatem, & ad totam literam Secundæ partis Articuli.

In Tertia parte, in responsione ad Primum. Animam esse in potentia naturali ad sensationem, & non in potentia neutra, sicut est paries ad albedinem: supponit dari potentiam neutram, & distingui à naturali. De qua materia vide supra, q. 1. Prol. art. 3. Reliqua in textu sunt plana.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Sententia, totam causalitatem respectu intellectionis attribuens obiecto, examinatur.

Alia est Opinio, quæ totaliter est in alio extremo, quæ dicit, sicut colligitur, &c.

SVMMA TEXTVS.

Obie… est ca… talis … lectio…

Proponitur Opinio Gotfr. quodl. 6. q. 7. & quodl. 9. q. 19. Quòd anima intellectiua, vt intellectiua, non sit productiua intellectionis, sed obiectum tam intellectionem quàm volitionem efficit; & hoc quatenus obiectum relucet in phantasmate, illustrato ab intellectu agente: non effectiuè, quasi intellectus aliquod lumen causet in phantasmate distinctum à se, sed quasi formaliter concurrente, quatenus videlicet intellectus agens qui est lumen spirituale, seipso illustrat illud phantasma. In Secunda parte dictam Sententiam impugnat Subt. Doctor nouem rationibus, satis euidentibus In Tertia parte, soluuntur argumenta pro Opinione Gotfredi adducta, vbi multiplex, eaque præclara doctrina habetur.

Illud ad quod se aliò remittit nempe ad quodlibetum 5. an intellectui agenti vel possibili causare intellectionem conueniat, dictum est supra de mente Doctoris.

ARTICVLVS TERTIVS.

Duo modi medij explicandi Quæstionem, reijciuntur.

Tertia Opinio ponit, quòd intelligibile vt simpliciter præsens intellectui, &c.

SVMMA TEXTVS.

Proponit duas Sententias, quasi medias, inter supra citatas, & refutatas. Has medias, putat Henr. quol. 3. q. 6. & quol. 5. q. 14. probabiles magis tamen Quartam, quæ dicitur retractans, quàm Tertiam, quæ retractata nominatur, eò quòd retractetur à Quarta. In Secunda, ostenditur quòd vtraque Opinio sit insufficiens. In Tertia, adfertur ex 9. quodl. q. 8. Henrici modus, explicandi & concordandi priores duas Opiniones, & is reijcitur.

COMMENTARIVM.

POsitio Henrici, quia est aliquantulùm subobscura, per aliqua dicta planiora ordine eam explico.

...ntentia ...nrici ex ...catur.

Primum dictum. Obiectum intelligibile, immutat intellectum ad intellectionem, non per speciem (hanc. n. negat Henricus) sed per phantasma: quod quidem phantasma, debet illustrari ab intellectu agente, non effectiuè, sed formaliter: vt dictum est art. præced. Hoc phantasma sic illustratum, vt nondum producens, sed productiuum intellectionis, pro aliquo instanti accipitur cum intellectu, & dicitur memoria; quia videlicet intellectus habēs phātasma sic illustratum, immediatè est productiuus intellectionis: idem phantasma vt producens intellectionem, acceptum in alio instanti, dicitur intelligentia seu actus intelligendi: quod dictum est causaliter, non formaliter, scilicet, non quòd phantasma sit formaliter actus intelligendi, sed causaliter, quia pro illo instanti causat talē actum.

Secundum dictum. Intellectus vt est memoria, respectu obiecti, vt scilicet continet phantasma illustratum, & intellectus vt est intelligentia, seu sub actu intelligendi causato ab obiecto, habet se merè passiuè: ita quòd vt receptiuus est respectu actus intelligendi, & non productiuus; ita respectu phantasmatis illustrati, est merè passiuus; quo habito facit memoriam.

Tertium Dictum. Respectu cognitionis simplicis confusæ primæ de aliquo obiecto, intellectus est (vt dictū est) merè passiuus; sed respectu cognitionis vel simplicis distinctæ, vel complexæ, vel discursiuæ, est actiuus, suffodiendo propter quid, seu causam connexionis, tum simplicis, inuestigando rei definitionem, tum complexæ propositionis, tū Conclusionis in præmissis, ob quam causam in principijs positam conclusio sequatur.

...nio ...ma.

Quartum Dictum. Retractans. Volens enim Hent. dictum Tertium, quod 3. quodl. posuerat, corrigere: dicit in quodl. 5. quòd sicut species impressa sensui ab obiecto, nō elicit totaliter actum sentiendi, sed excitat potentiam sensitiuam, & illa sua excitatione constituit sensum in vltima dispositione, ad eliciendam sensationem; ita phantasma illustratum, excitat intellectum, & cōstituit illum in vltima ac immediata dispositione, ad producēdam intellectionē, tam simplicem confusam, quàm distinctam quamcunq; Hoc dictum (vt patet) contrariatur expresè Secundæ sententiæ & Tertiæ, quæ totam causalitatem obiecto attribuit: ista autem sententia dispositionem & excitationem obiecto, sed immediatam causationem attribuit intellectui: vt probationes illius tres in textu positæ volunt. Et istud dictum constituit Quartam Opinionem in præsenti.

...ugnan ...pinio- Henri-

In Secunda parte Articuli. Impugnat Doctor vtramq; Opinionem. Et quidem dictum Primum & Secundum cùm sit refutatum art. præcedenti, hìc dictum Tertium, in quo Tertia habetur Opinio, & Quartum, in quo Quarta exprimitur Sententia, reijcitur. Inprimisque arguitur contra Tertiam Opinionem, in qua dicitur, quòd intellectus respectu notitiæ confusæ, est merè passiuus; respectu autem notitiæ distinctæ, actiuus.

Contra. Vel intellectus habens notitiam confusam, est actiuus ratione sui, ad intellectionem distinctam, vel ratione notitiæ confusæ? Si ratione sui: ergo ratione sui est actiuus, ad notitiam eiusdem obiecti cōfusam; quia quidquid est actiuum respectu perfectioris, est actiuum & respectu inferioris eiusdem rationis; vt patet de igne, qui si est productiuus perfectioris calidi, à fortiori & minùs calidi; intellectiones verò specificantur, & rationem vniuocationis desumunt, ab obiecto. Si ratione notitiæ confusæ intellectus est actiuus ad notitiam distinctam: ergo aliquod actiuum ignobilius & imperfectius, erit causa nobilioris & perfectioris (quod est contra dicta supra, vbi ostensum est, omnem effectum: vel esse à causa vniuoca, & erit eiusdem rationis cum causa: vel ab æquiuoca, & vniuersaliter talis effectus est imperfectior sua causa: imperfectius autem nunquam est causa perfectioris) quia cognitio confusa, intrinsecè est imperfecta, vnde remouetur à Deo, sed distincta ob perfectionem attribuitur Deo. Impugnatio opinionis quartæ euidens est in litera.

In Tertia parte Articuli, summa illius concordiæ, quam facit Henr. de duabus prædictis Opinionibus, cōsistit breuiter in hoc. Primò. Quòd vt Prima, ita & Secunda Opinio, negat speciem: & sicut Prima docet sufficere phantasma, ad productionem notitiæ confusæ, ita alia docet sufficere inclinationem, absque specie, ad producendā distinctam cognitionem. Ista tamen inclinatio quid sit, non explicat Henr. Et si velit esse inchoationem habitus sciētialis derelictam, post notitiam confusam: est simpliciter falsum: quòd habitus inclinans ad cognitionem distinctam, vel secundùm se totum, vel secundùm quemcumque sui gradum, posit ab imperfecta & confusa cognitione produci, ob rationem dictam paulò ante, quòd nullum imperfectius posit esse causa perfectioris.

Cognitio confusa intrinsecè est imperfecta.

Secundò. Licèt Opinio Quarta videatur cōtraria Tertiæ in hoc, quia Quarta affirmat intellectum esse actiuum, respectu intellectionis distinctæ, Tertia autem dicit esse passiuum, respectu cognitionis confusæ: concordant tamē in hoc, quia sicut in prima impresione notitiæ confusæ, intellectus pasibilis occurrit illi pasioni, seu notitiæ confusæ, ad quam se habet pasiuè, in quo occursu imbibit intimiùs illam notitiam, ita postea imbibitę, & ad intima transmissæ notitiæ, occurrit secundò, penetrando illam, & immergendo se illi: & sic tunc distinctam elicit notitiam.

Breuiùs dici potest, differunt istæ Opiniones, penes agere vel non agere, respectu notitiæ distinctæ, vel confusæ: sed conueniunt penes occursum intellectus: quia in vtraque cognitione, occurrens intellectus, habet se per modū quasi agentis in primo occursu, & in secundo, verè per modum agentis.

Explicatur hoc numeris occursorijs, vel occursoribus ab Henr. per dictum Augustini. (Sunt autem numeri occursorij, vel occursores, vt explicat Aegid. quodl. 3. q. 13. quasi motus sm̄ proportionē in aīa, prout videlicet anima in sensu sentit pasiones: ipsum. n. sentire, est quasi quoddā mouere. Vn̄ sicut in sensu aliquid sentire est pati, & tn̄ quasi anima occurrit illi, ita dr̄ & de intellectione, q̄ est pasio in intellectu, illi tn̄ intellectus occurrit quasi mouēdo se ad illam.) Enumerat autē D. August. sex genera numeri sonori. Vnū genus in corporalibus extra, quinque in anima: videlicet, Occursores, Recordabiles, Sensibiles, Iudiciales, Progressores. Recordabiles numeri sunt, dū anima recordatur pasiones circa sensum: Sensibiles, dū actu gaudiū vel tristitiam percipit sensuū: Iudiciales, si iudicat de illis: qd̄ si progresiuè se moueat, sunt numeri Progressores. Alia quæ dn̄r hìc ab Henr. & quæ à Doct. adferuntur cōtra istos Metaphoricos discursus Hēr. patēt in litera.

Numeri occursorij q dicuntur.

ARTICVLVS QVARTVS.

Aliç duæ Opiniones intermediæ, examinantur.

Quinta Opinio ponit, quòd species obiecti in intellectu, etc.

SVMMA TEXTVS.

Opinio Prima huius Articuli in ordine Quæstionis Quinta, quamuis concedat tam intellectum concurrere, quàm speciem ad intellectionem: rationem tamen agendi seu producendi intellectionem, & totam actiuitatē respectu actus intelligēdi, speciei attribuit, intellectui autē, habere se vt materiale & receptiuum, respectu intellectionis. Isti sententiæ fauet D. Thom. prima part. quæst. 85. art. 2. Bannes tamen Caiet. Capreol. alijq;

Thomistæ aliter eum explicant, vt dicitur art. sequenti.

Altera Opinio huius Articuli, est alicuius antiquioris Doctoris. Quòd species, vel immediatè producta ab obiecto, si obiectum sit præsens, est intellectio intuitiua: vel si obiectum nõ est præsens, tunc species, quæ est in memoria, producit speciẽ in intellectu, quæ species producta est intellectio. Sic ista Opinio coincidit cum Secunda & Quinta in hoc, quòd totam causalitatem intellectionis attribuit alteri ab intellectu: licèt in modo ponẽdi distinguatur. Attribuitur hæc sententia à Scotistis Aegidio quodl. 3. q. 12. & 13. sed in illis locis nihil eiusmodi habetur, imò quol. eodem q. 14. & quodl. 2. q. 23. apertè ponit, actum intelligendi esse distinctum à specie.

In secunda parte Articuli, impugnantur hæ Opiniones.

In Tertia, resoluuntur argumenta, adducta pro illis.

COMMENTARIVM.

Intellectus nihil est intelligibiliũ ante intelligere.

IN Tertia parte, in responsione ad illam authoritatem 3. de anima, tex. 5. *Intellectus nihil est eorum, ante intelligere.* Dicit Doctor à quibusdam intãtũ pertractari istã authoritatẽ, vt dicant intellectũ possibilẽ, esse in pura potentia in genere intelligibiliũ, sicut materia prima in genere materialium. Istud dictum est apertè Aegidij quodl. 1. q. 3. & quodl. 2. qu. 23. D. Tho. 1. part. q. 87. art. 1.

Impugnat hoc dictum D. Subt. tali discursu. Quia accidentis realis actualis, debet dari subiectũ reale actuale, & non in potentia obiectiua existens; sed intellectio est accidens reale, actu existens; ergo subiectum illius intellectus est reale actuale.

Dicit Ban. loco alleg. Hoc argumentum probare, intellectum nostrum esse actum in genere Entis, at verò, non probare quòd sit actus in genere intelligibilium. Respondeo. Argumentum Doctoris dupliciter procedit: primò à posteriori optimè, sic. Nihil est in genere intelligibilium, quod nihil est in genere Entium; sed intellectus ante intelligere aliorum, nihil est in genere intelligibilium; ergo nihil est in genere Entis, Minor est vera per te. Maior autem probatur. Intelligibilitas est passio conuertibilis cum Ente, cùm veritas Entis sit intelligibilitas Entis, vt dictum est supra, dist. 2. q. 1. ergo si neges illi propriam intelligibilitatem, ante intelligere aliorum, negabis propriam entitatẽ; sed hoc est falsum, & impugnatur illa ratione Doctoris. Sunt igitur res spirituales potentia intelligibiles, vt sunt in potentia entia; actu sunt intelligibiles, vt sunt actu entia; rationem enim Entis in actu, sequitur veritas seu intelligibilitas actualis; sunt tertiò actu intellecta, dũ actuali cognitione percipit illa intellectus, esto quòd immediatè illa vel intuitiuè, noster pro nunc intellectus, non sit aptus percipere, vt dictum est, supra q. 2. ad Primũ principale, & quæst. 4. art. 2.

Secundò apud D. Thom. Materia secundũ se, est ens in pura potentia, ita quòd ẽt in rõne Entis, est ens potẽtiale, non actuale: quia omnis actus est à forma, ſm Caiet. & Thomistas: cũ ergo ita sit in ordine intelligibilium entium intellectus possibilis, sicut in ordine entium corporalium est materia, optimè deducitur à Thomistis, ꝙ intellectus possibilis est, in ordine etiam Entis, ita pura potentia, carẽs actu existentiæ, sicut & materia. Hoc autem deductum, esse falsum, ostendit hìc Doctor Subt. sicut & aliam partem comparationis improbat in 2. dist. 12. igitur argumẽtatio Doctoris hìc, est vera, & bene procedit.

ARTICVLVS QVINTVS.

Datur decisio Quæstionis, secundùm propriam Sententiam.

Ad Quæstionem respondeo, & dico. Quòd intellectio actualis, &c.

SVMMA TEXTVS.

Conclusio Prima. *Intellectionis causa totalis non est obiectum. Probata est hæc Conclusio art. 2. rationibus nouem, quib. additur hìc Decima. Quia aliàs non esset imago in nobis, intellectus Diuini fæcundi, qui* actiuè concurrit ad generationẽ Verbi, vt dictum est dist. 2. q. 4. *ergo & in imagine debet esse talis similitudo.*

Secunda Conclusio. *Anima intellectiua, vel ipse intellectus præcisè, non est causa totalis intellectionis.*

Conclusio Tertia. *Intellectus & obiectum, constituunt vnam causam totalem integram, respectu intellectionis.*

Intellect[us] & obiect[um] cõstituun[t] vnã ca[usam] totalem [in]tellectio[nis].

COMMENTARIVM.

PRæter rationem adductam art. 1. Secunda Conclusio probatur hìc 5. rationibus.

Intellect[us] non est c[au]sa totalis [in]tellectio[nis].

Primò Actus debet esse, & est, similitudo obiecti; vt dĩ infra d. 27. ar. 1. expressior ſm̃ oẽs, quàm species; sed si obiectũ non cõcurrit actiuè immediatè, vel saltẽ mediante specie, actus non vĩ quõ possit esse expressa similitudo obiecti; nec est maior ratio cur huius & nõ illius: ergo, &c.

Secundò. Essentialis distinctio est à causa: sed actus intelligendi, distinguitur essentialiter specie ex obiecto: iuxta illam famosam Philosophi propositionẽ. Potentiæ distinguuntur per actus, actus per obiecta; ergo obiectum est causa; sed non potest statui alia, quàm efficiens: ergo, &c.

Dices. Est finalis. Respondeo. 5. Met. tex. 2. & 2. Phys. tex. 30. Efficiens & finis sibi sunt inuicẽ causæ: quod maximè verũ est, in obiectis potentiarũ cognitiuarũ, quæ ordinantur, vt ad finem obiectiuum, ad ipsum obiectum, & efficiens partiale causans operationem, est obiectum.

Maior tamẽ propositio istius discursus, habet instantiã in 4. dist. 49. q. 5. Vide dicta supra, art. 1. in propositione & explicatione difficultatis: & dic hìc consequenter.

Tertiò. Perfectio maior intellectionis vnius, super aliã (posito pari conatu intellectus hinc inde) prouenit ex pfectione maiori, obiecti vnius super aliud: ergo obiectum ad cognitionẽ, cõcurrit effectiuè ad intellectionẽ. Antec. patet. Quia aliàs intellectus æquali conatu habens notitiam Dei, & notitiã muscæ, notitia Dei, nõ esset pfectior q̃ notitia muscæ. Cõsequẽs. Quia si nõ. Tunc cũ totalis causa sit intellectus; & causa totali efficaciùs ac intẽsiùs operante, sequitur effectus intẽsior, sequeretur, ꝙ si intellectus intẽsiùs cognosceret muscam, quàm Deum, intellectio muscæ esset perfectior in nostro intellectu, quàm Dei.

Ista rõ est probabilis, & consequens cũ sua probatione, vniuersaliter sumptũ, deficit. Quia pari mõ cõcluderet in 2. d. 25. ꝙ obiectũ cõcurrat actiuè ad producẽdã volitionẽ. Si tñ ponatur disparitas inter istas potentias, secundùm dicta hìc art. 1. Notab. 3. multùm cogit hoc argumentum.

Quarta ratio. Quòd sequeretur intellectum esse infinitum. Declarata est supra, in 2. dist. 2. q. 2. ar. 4. vel 5. & aliàs.

Quinta. Obiectum sciẽtiæ, dẽt cõtinere virtualiter illius scientiam: vt declaratum est in prol. q. 3. art. 1. sed si obiectum non causat actiuè notitiam, non videtur quomodo hoc sit verum: quia illa continentia est extra intellectum, nec virtualiter est in intellectu, sicut nec ipsum obiectum; vt patet ex dictis, dist. 1. q. 2. art. 2. vbi ostensum est, quòd sola Essentia, sit obiectum continens virtualiter omnia alia, & non aliqua res creata: ergo, &c.

Causæ cõcurrẽ[ntes ad] eũdem [effe]ctũ nõ [de]bẽt oẽs [con]currere [se]cundũ [ean]dem r[atio]nem.

Circa Tertiam Conclusionẽ. Nota illã singularẽ doctrinã. Quòd causæ cõcurrentes ad eundẽ effectũ, essentialiter subordinatæ, vt cõcurrant partialiter, nõ debent cõcurrere vniuersaliter, ſm̃ eandem rõnem ad illũ effectum: vt duo trahentes nauẽ; vt vult Ban. 1. part. q. 85. art. 2. dubit. 1. vt etiam ipse Caietanus q. 12. art. 2. non requirit. Dico, vniuersaliter: quia quandoque verum est, vt in proposito exemplo, de trahentibus nauem, quandoque autẽ falsum, vt patet de generatione prolis, ad cuius generationẽ alio mõ mas, alio fæmina concurrit, præsertim in ſnĩa Thomistarũ, qui negãt fæminã cõcurrere actiuè, de quo aliàs. Nec valet exemplũ, quod proponit Ban. de igne & calore, quæ duo nõ cõcurrunt ad calefaciendũ vt causæ partiales, nam sicut calor separatus ab igne, est calefactiuus; ita & ignis sine calore, aptus est causare calorẽ; cũ illũ cõtineat virtualiter, qđ signũ sufficiens est, tũ ignẽ, tũ calorẽ, respectu calefactionis, esse causas totales: inquantum tñ simul sunt in eodem supposito agẽte, cõcurrunt subordinatè, vnum per modum agentis principalis, & aliud per modum dispositionis: sed in illis actiuis, quæ separata nullatenus illum possunt causare effectum, quem coniuncta possunt, vt patet in propositis à Doctore ĩ textu exẽplis, de patre & mr̃e

Causæ [par]tiales sunt di[...]scend[...]

respectu

respectu prolis, baculo & manu, respectu motionis pilæ in remoto, intellectu & specie respectu intellectionis; signum certissimum est, quòd vtrumq; efficiat vnam totalem causam, ita quòd quæuis earum, secundùm se, partialiter concurrat cum altera; aut simul sumpta, componunt vnam causam totalem.

ARGVMENTA IN PRINCIPIO QVAESTIONIS adducta, resoluuntur.

Ad argumenta principalia. Ad Primum. Dico: quòd argumentum Philosophi &c.

COMMENTARIVM.

IN responsione ad Secundum, difficultas illa. An productio intellectionis, competat intellectui actiuo, an verò passiuo. Soluta est supra, dist. 2. q. 4. art. 1.

Illud quod additur. Intellectioni qua intelligimus, accidere quòd eliciatur à nobis. Patet. Si Deus immediatè causaret intellectionem in nostro intellectu, verè tunc intelligeremus: & tamen tunc intelligere, non esset agere.

Vide supra art. 4. in resolutione argumenti primi.

Ad Primum in oppositum respondendo. Authoritas D. August. sic est intelligenda. Quòd anima cognoscendo alia à se, non sit causa totalis eiusmodi intellectionis: sed in cognitione sui, vt est independens à corpore, est causa totalis suæ notitiæ; pro statu tamen isto, non se cognoscit, nisi per species à rebus acceptas, ad modum explicatũ in textu, art. 4.

Quidam tamen ex antiquioribus (vt refert Arim. dist. præsenti q. 2.) affirmabant, quòd anima nostra, vel intellectus, etiam nunc cognoscat se immediatè, nec vlla ad cognitionem specie indigeat.

Sed huic doctrinæ, reclamat experientia. Cùm plures, etiam docti, non cognoscant naturam animæ.

Responsio ad vltimũ, quoad illam partem dicti. Quòd de pluribus speciebus specialissimis, possit esse vna scientia. Explicata est copiosè supra q. 3. Prol.

QVÆSTIO IX.

Intellectusne, an species loco obiecti, habet rationem causæ principalioris, respectu notitiæ genitæ?

Quæro de comparatione istarum duarum causarum &c.

SVMMA TEXTVS.

Intellectus productionis intellectionis est causa principalis, species minus principalis.

Prima Conclusio. *Intellectus habet rationem causæ principalis actiuæ in productione cognitionum nobis naturaliter conuenientium: species verò ratione obiecti, vel ipsum obiectum, concurrit vt causa minus principalis.*

Secunda Conclusio. *Aliquod obiectum, excedens multum facultatem partis intellectiuæ: quale est obiectum beatificum, Essentia Diuina clarè visa, habet rationem causæ magis principalis in eliciendo visionem: & intellectus minus principalis; supposito quòd intellectus coagat ad visionem: vel si intellectus non coagit, obiectum beatificum est causa totalis, visionis beatificæ in intellectu creato. Vtriusq; dicti ratio est. Tum nimius defectus partis intellectiuæ: Tum nimia excellentia & actiuitas obiecti.*

An verò intellectus concurrat, vel non concurrat actiuè, saltem vt causa minus principalis, ad habendam visionem beatificam. Non est huius loci quæstio: sed examinatur in 3. dist 14. & in 4. dist. 49. Interim suppono partem affirmatiuam.

COMMENTARIVM.

Agẽs oẽ assimilat sibi effectum.

IN responsione ad Secundum. Aduerte. Quòd effectus assimilatur quandoq; causæ propriè, in vnitate naturæ: & talis assimilatio, non est nisi effectus ad causam vniuocam; quo pacto ignis productus, assimilatur igni producenti, homo homini: vel comparatur ad causam effectiuam æquiuocam; & tunc assimilatio est, non in ratione formali, & specifica talis naturæ, sed in rationibus communibus, aut transcendentibus; sic mus à Sole productus, assimilatur Soli, non in ratione specifica, sed in ratione Substantię corporeæ, vel Entis; cælum à Deo causatum, assimilatur in sola ratione cõmunissima Entis: & hoc modo verificatur vniuersaliter propositio Philosophi 1. de gener. tex. 51. *Omne agens assimilat sibi effectum*. Quod patet verum esse, accipiendo diuersa agentia, diuersimodè sibi assimilantia effectus. Vide Subt. Doctorem in 2. dist. 34.

Responsio ad Tertium, quomodo debeat intelligi: dictum est q. 3. Prolo. de vnitate scientiæ.

QVÆSTIO X.

Vtrum in mente, sit distinctè imago Trinitatis?

Vltimò circa istam partem Distinctionis, quæro. Vtrum in mente &c.

SVMMA QVÆSTIONIS.

Hic primò videndum est, quid sit ratio imaginis in corporalibus: vnde translatum est vocabulum ad propositum. Secundò, respectu cuius in Trinitate sit imago. Tertiò, in quo in nobis est imago.

ARTICVLVS PRIMVS.

Quid sit imago in corporalibus?

Quantùm ad Primum: sicut dictum est in Quæstione de vestigio &c.

COMMENTARIVM.



DVo sunt de ratione imaginis. Vnum, quòd sit repræsentatiuum totius; repræsentatiuũ ponitur loco generis, quod etiam conuenit vestigio: ratione autem ly totius, distinguitur à vestigio: Secundum, vt imago apta sit imitari, & exprimere illud, cuius est imago. *Imago duo requirit.*

Alijs verbis hoc idẽ exprimit D. Bonau. d. præsenti part. 2. q. 1. Duran. ibid. nu. 6. Dũ dicũt. Duo sũt de ratione imaginis: s. similitudo, quantũ ad ea quæ expressiùs rem repręsentant, (intellige per modũ totius: id enim vult terminus ille expressiùs, supple quàm vestigium) & quòd exprimatur illa similitudo totius, ab imaginato actiuè vel exẽplariter. Propter primũ, vermis non dicitur imago hominis, esto quòd aliquis originetur ab homine, cũ nõ sit ei similis; propter secundũ, vnum ouũ nõ est imago alterius oui, quia nõ est effectiuè & exẽplariter ab illo, imitãdo passiuè eius figuram & colorem.

Addunt quidam Thomistæ 1. par. q. 93. art. 1. tertiam cõditionem. Vt talis similitudo, sit in natura specifica; aut saltem secundùm proprietatem propriam & nobilissimã. *Imago non requirit similitudinẽ in natura specifica.*

Ista conditio, quoad primã partem, loquẽdo de corporalibus, superfluit. Cùm. n. imago, sit similitudo totius, & totũ actiuũ, nullũ detur genericum, qđ non sit indiuiduũ sub determinata specie; sequitur, quòd ista conditio, intrinsecè includitur in priori conditione. Loquẽdo aũt in cõi, nõ est necessaria hæc conditio. Quia homo est imago Dei, & tñ eius similitudo, non est in natura specifica. Vnde si ista conditio simpliciter est necessaria, meritò negare deberẽt Gabr. hic in homine esse imaginem Dei. Quod cũ concedant; concedere debẽt, non requiri istã conditionem, de similitudine in natura specifica. Secunda pars huius additi: vt imago repræsentet sub proprietate propria, & nobilissima. Inconuenienter ponitur. Quia hominis proprietas nobilissima, & propria, est admiratiuum, vel discursiuum; & tamen imago hominis, non debet esse repræsentatiua sub tali ratione, sed sufficit quòd repræsentet totum, sub ratione totius, in colore & figura, loquendo de corporalibus.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Respectu cuius in Trinitate est imago.

De Secundo sciendum. Quòd cùm conceptus vnus &c.

ARTICVLVS TERTIVS.

In quo & quomodo in nobis est imago Sacrosanctæ Trinitatis.

De Tertio. Primò videndum est de illis, quæ sunt manifesta, &c.

SVMMA TEXTVS.

In ipsis prę cisè potentijs nostris nō est imago Trinitatis.

Prima Conclusio. *In actibus primis, seu in ipsis potentijs præcisè, non est imago Trinitatis. Supponit autē hæc Conclusio illam doctrinam in 2.dist.16.explicatam à Doct. Quod potentiæ nō distinguūtur realiter inter se, nec una originatur ab alia.*

In ipsis p̄cisè actib. secūdis nō est imago. Sed simul in actibus primis & secundis.

Secunda Conclusio. *In ipsis actibus secundis præcisè, non potest statui imago Trinitatis. Tum quia sunt duo tantū actus, intellectio & volitio. Tum quia distincti realiter, absque vlla identitate reali.*

Tertia. *Imago Trinitatis, consistit in actibus primis & secundis, simul sumptis. Intellectus.n.sumptus cum specie, est memoria: idem intellectus, vt est sub actu intelligendi, est intelligētia: voluntas vt habet volitionem, est perfecta in actu suo. Hìc est realiter distinctorum trinitas; ratione speciei, actus intelligendi, & ratione actus volendi; & est vnitas realis vera ipsarū potentiarum, & tertiò est ordo; quia intellectio est à memoria, volitio etiam consequitur intellectionem.*

Nota.

Quia tamen intellectio est accidens, non est productiua volitionis; & ita in hoc, ista imago creata, non conrrespondet suo prototypo, Sanctissimæ Trinitati Diuinæ: vbi Pater & Verbū, spirant Spiritum Sanctum: non sic memoria, & intelligentia creata, producunt volitionem; idque ob imperfectionem actuum nostrorum accidentalium; vt optimè explicatur in responsione ad secundum dubium, in textu.

Quarta Conclusio. *Licèt August. 10. de Trinit. cap. 10. Imaginem constituat in nobis, in memoria notitia, & amore, vt dictum est; perfectiori tamen modo constituitur ab eodem 9. de Trinit. c. 4. in mente, notitia, & amore: vt nomine mentis, intelligatur vis productiua, tum notitiæ, tum amoris. Mens autē ita sumpta, sumitur pro tota anima habitualiter, vt habet istā duplicem fæcunditatem, producendi notitiam & amorem: quo pacto etiam sumi potest memoria; licèt non sit vsitata memoriæ acceptio, in tali sensu, sicut mentis: repræsentatque mens in ista acceptione, Patrem in Diuinis, qui habet principium producendi Verbum, & Amorem. Ista tamen similitudo habet dissimilitudinem, vt patet in textu.*

Imago in creatura, p̄fecta & imperfecta.

Quinta Conclusio. *Cū actus assimilētur obiecto: si memoria, notitia, & amor, sit respectu obiecti illius, respectu cuius est memoria, notitia, & amor Diuinus, nēpe, respectu Essentiæ Diuinæ: tunc in istis actibus erit perfecta rō imaginis, illo mō, quo creaturæ pōt perfectè cōpetere imago: quia præter vnitatem, distinctionem realem, & ordinem, etiam similitudo erit quoad obiectum in ista creata imagine: si autem sint prædicta tria respectu obiecti temporalis, erit dissimilitudo in imagine, quoad obiectum, & sic erit imperfecta imago.*

Hoc idem exponitur à Doct. in 2. dist. 16.

Tandem Conclusionem tenet hìc S. Bonauenturæ, art. 2. q. 2. Rich. ibid.

In parte sēsitiua non est imago Dei.

Sexta Conclusio. *Per modum Corrolarij infertur à Doctore. In parte sensitiua, vel in potentijs sensuū, non potest esse imago Trinitatis. Ratio est, Quia ibi est distinctio realis, sine vnitate: qualibet enim potentia sensitiua, cùm præter facultatem animæ, includat etiam organum; & ex his duobus compositū, sit productiuum alicuius sensationis; organa autem omnium sensuum, sint realiter distincta, sine vnitate: sequitur, quòd in talibus potentijs, non potest esse Trinitas cum vnitate. Istud porrò dictum, quòd potentia sensitiua totalis proxima, includat organum, & quòd actus sentiendi in toto composito fundetur, probatur sufficienter à Doct. in lib. de anim. q. 5. & 1. Met. q. 6.*

Potētia sensitiua totalis includit.

Alia causa assignatur huius Conclusionis. Quia in Prototypo, amor procedit à principio libero, necessario tamē, vt dictū est dist. 2. q. 4. & declaratur infra, dist. 3. sed in parte sensitiua, eiusque potentijs præcisè, nulla est libertas; ergo, &c.

De hac materia, vide multa præclara, in Doctore Irrefragabili Alen. 2. par. q. 62. memb. 5. vbi 12. Dubitationes de imagine propositas, pulcherrimè resoluit: quem optimè imitatus est D. Tho. 1. par. q. 93. per continuos 8. articulos.

ARGVMENTIS PRINCIPALIBVS satisfit.

Ad Primum argumentum principale. Concedo quòd quælibet essentia, &c.

COMMENTARIVM.

IN responsione ad Tertium. Intellectio & volitio, non dicuntur esse actiones de genere Actionis, sed de genere Qualitatis. Patet ex dictis quæst. 7. dubit. 2. & patebit infra.

Quod inferiùs dicitur, in eadem responsione: aliud esse intelligere, aliud intellectionem producere, seu elicere intellectionem, vt aliud sit actio de genere Actionis, & aliud intellectio, vel volitio: vt ista doctrina (cuius Doctor frequenter facit mentionem) meliùs intelligatur, duæ sunt explicandæ difficultates.

PRIMA DIFFICVLTAS.

Quid sit actio de genere Actionis?

Ac[...] gener[...] ctioni[...] dicitu[...]

CErtum est Primò. Quòd actio non sit potentia agentis. Tum quia nulla res est prior seipsa; potentia autem agentis, est prior actione; quia potentia actiua, est principium agendi in alio, principium autem est priùs eo, cuius est principium; actio igitur non est potentia agētis, Tum quia habentes potentiam, sæpiùs non agimus: quod manifestum signum est distinctionis potentiæ ab actione.

Certum est Secūdò. Quòd actio in conceptu suo quidditatiuo, non includit absolutum & relatiuum, quasi intrinsecè componatur ex absoluto & relatiuo. Tum quia vnum prædicamentum, non dicit conceptum duorū prędicamentorum: cùm igitur actio sit vnum prædicamentū relatiuum, non dicet absolutum. Tum quia conceptus summorum generum, sunt simplices, non includentes cōpositionem aggregationis; conceptus autem relationis & absoluti, sunt conceptus aggregati.

Nec valet quod dicit Soncin. 5. Met. q. 38. Actionē non dicere per se primò, & in recto, absolutum & respectiuū: quia aliàs non esset quid vnum: sed dicere per se absolutū: actio enim significat motum ipsum, qui est in passo, connotando relationem ipsam, resultantem in agente. Hæc inquam doctrina non valet. Tum quia, actio vt actio, essentialiter significat, & non tantùm connotat relationem: vt infra ostenditur. Tum quia hìc inquirimus, non de aggregato aliquo, sed de ipsa præcisè quidditate actionis, an illa, vt sic formaliter sumpta, sit relatio vel absolutum: & cùm in illo conceptu quidditatiuo, & primario, includat ordinem ad aliud, actio quidditatiua erit relatio.

Certum est Tertiò. Actio vt sumitur pro illa actione, q̃ vocat Doctor hìc & aliàs de prædicamento Actionis, non esse formam eductam de potētia subiecti. Ratio est. Quia actio est illud, quo non vt principio productiuo effectiuo, sed vt actu formali, aliqua res producitur; vt superiùs d. 2. q. 5. art. 4. de actu dicendi diximus, ergo res facta, nō est actio, q̃a res facta, est terminus ipsius actionis. Nec actio vt actio, conuenienter dicitur esse actus vltimus potentiæ actiuæ, vel exercitium eius. Quia actus vltimus potentiæ alicuius, est qualitas, si sit actus immanens; vel res producta, si sit actio transiens. Nec etiam actio hìc sumpta, est dependentia vnius effectus ab alio. Quia dependentia, dicit relationem effectus ad causam intrinsecus aduenientē; vt patet in Doct. quodl. 13. actio verò dicit relationem extrinsecus aduenientem.

Actio e[...] relatiuu[...]

Actio igitur pro formali, est ens relatiuum: vt patet in Doct. ex 4. dist. 13. q. 1. & aliàs. Quod potest declarari breuiter sic. Si actio esset quid absolutum, sequeretur quòd ad actionem esset actio, & sic in infinitum; Consequens est inconueniens; ergo & Antec. Sequela Maioris probatur. Actio, si est quid absolutum, est forma: illa igitur forma, vel est à se, vel ab alio? Non potest dici quòd à se; quia solus Deus est ens à se: neque est à nihilo:

ergo eſt ab aliquo agente; & ita erit per actionem illa actio: & ſic procedam de ſecunda, & tertia actione, imò in infinitum. Deinde inconueniens eſt, ipſum ſubiectum actionis, primò mutari in ſe, quàm in aliquid agere: ſi igitur agere, eſt quid abſolutum, primò agens in ſe mutabitur, quàm ſecundùm illam formam agere dicetur. Vel enim actio eſt in agente ſubiectiuè: & tunc ſi actiuum vt actiuum, per formam abſolutam priorem iſta, actiuè ſe tranſmutaret ad hanc actionem: adhuc eſſet quæſtio vlterior, quo aliquid tranſmutaret ſeipſum ad illam priorem actionem; & ſic in infinitum. Vel actio, eſt ſubiectiuè in patiente: & tunc ſequitur quòd non poteſt aliquod paſſũ pati, ſecundùm formam de genere Quantitatis, vel qualitatis, niſi ſimul duratione patiatur, ſecundùm formam abſolutam alterius generis, nimirum ſecundùm actioné, quę ponitur forma abſoluta à qualitate, & quantitate. Tunc quæro de illa priori actione. Quomodo ad illam tranſmutatur paſſum, vtrum actione, an non? Si actione; ergo proceſſus erit in infinitũ: Si non; ergo erit quid improductũ.

ctio ſumi r varijs odis.

Actio igitur ſecundùm naturam ſuam, eſt ens relatiuũ. Sed adhuc ſubdiſtingui debet; vt ſubdiſtinguit Doctor quodl. 13. Primò enim actio ſumitur, pro relatione producentis ad productum; ſic pater eſt cauſa agens filij. Secundò accipitur, pro reſpectu inducentis ad inductum, vel educentis ad eductum; ſic calidum dicitur cauſa agens caloris inducti in lignum, & educti de potentia ligni. Tertiò ſumitur hoc nomen actio, pro re acta, includendo iſtum reſpectum, qui exponitur per hoc, quod eſt eſſe ab alio; ſicut docet Philoſ. 3. Phyſ. tex. 14. 18. 22. Quartò accipitur hoc nomen, pro relatione tranſmutantis ad tranſmutatũ, ſecundũ illam deſcriptionem actionis traditam lib. 6. principiorum. Actio eſt, ſecundùm quam in illud quod ſubijcitur, agere dicimur. Præter iſtos modos, ſumitur Quintò actio, pro operatione immanente: vt intellectio, vel auditio, dicitur actio, tametſi ſint veræ qualitates.

elationes oducen- , inducen , trāſmu- tis ſunt tinctæ.

Moderni igitur, & Thomiſtæ, ſolam actionis acceptionem, tertio & quinto modo, agnoſcunt; alias acceptiones, putant eſſe indiſtinctas: cùm tamen reuera ſint diſtinctiſſimæ. Quòd ſic oſtendo. Agens creatum poteſt habere relationem ad terminum primum, ſiue totalem, qui dicitur productum; vt ignis dum producit alium ignem: poteſt etiam ſecundò habere relationem ad terminum formalẽ, qui dicitur forma inducta vel educta; vt ignis producens calorem in aqua, habet relationem educentis vel inducẽtis, ad eductum vel inductum: denique tertiò, poteſt habere agens relationem ad ſubiectum illius formæ, quod eſt paſſum ſiue tranſmutatum; ſubiectum enim patitur & tranſmutatur, ab agente tranſmutante.

Iſtas relationes in agente, eſſe diſtinctas, manifeſtũ eſt. Primò. Quia alia & alia relatio, inſurgit in extremo, ex alio & alio termino, & ſuperiùs docuit Doctor; hìc autẽ ſunt tres realiter diſtincti termini, quare etiam in agente erunt tres diſtinctæ realiter relationes. Secundò. Quia relationes correſpondentes è conuersò, ſunt omnino aliæ & aliæ: nã relatio producti ad producens, eſt relatio dependentis ad illud, ad quod dependet, & hoc ſimpliciter, ſecundùm totum ſuum eſſe, ſicut totum ſuum eſſe accipit: relatio inducti ad inducens, eſt etiam relatio dependentis ſecundùm ſuum eſſe, non tamen ſimpliciter, ſecundùm totum ſuum eſſe, vt prior; ſed ſecundariò, & quaſi per accidens dependet, ſecundũ quod accipit per eductionem formam eductam: relatio etiam tranſmutati ſubiecti, eſt alia à prædictis, quia fundatur immediatè in ipſa potẽtia paſſiua, quæ ſecundùm eſſe non dependet ab agente tranſmutante, ſed tantùm accipit formam, ad quam tranſmutatur, ſubiectiuè.

Relatio trāſmutātis ad trāſmutatũ, actionẽ de genere actionis cõſtituẽs, ẽ relatio extrinſec⁹ adueniens.

Iſtarum trium relationum ex parte agẽtis, priores duæ, ſcilicet, relatio producentis ad productum, & relatio inducentis ad inductum, ſunt relationes intrinſecus aduenientes: Omne enim agens, producens aliquid vel inducens, aut non habet relationem realem ad productum vel inductum; ſicut patet de Deo producente creaturam, vel aliquid in creatura, vt gratiam: aut habet relationem realem: & talis relatio, neceſſario conſequitur potẽtiam actiuam agentis, poſito termino; impoſſibile enim eſt eſſe aliquid productum vel inductum à creatura, & non habere relationem ad producens vel inducens, & è contra. Illa autem relatio quæ eſt ad ſubiectum, eſt relatio extrinſecus adueniens: quia poteſt eſſe agens, & paſſum, & etiam approximatio, & tamen non habere iſtum reſpectum tranſmutantis ad tranſmutatum: vt ſi ponatur non ſequi actio, ſicut contigit in fornace Babylonica, circa illos Sanctos pueros.

Actio igitur cùm ſit reſpectus extrinſecus adueniens, ſecundùm Doctorem, erit habitudo, ſeu relatio actualis, agentis tranſmutantis, ad paſſum tranſmutatum; & hoc ſumendo nomen propriè actionis, vt eſt actio de genere Actionis. Confirmatur iſta acceptio, per illud dictũ Ariſt. 5. Met. tex. 17. vbi definit potentiam actiuam, eſſe principium tranſmutandi aliud, inquantum aliud: ſicut autem potentia actiua eſt principium tranſmutãdi, ita actio, quæ eſt actus potentiæ actiuæ, erit tranſmutatio alterius, id eſt paſſi, inquantum eſt alterum. Duo igitur illi alij reſpectus, pertinent ad genus relationis propriè dictæ, vbi ponuntur relationes intrinſecus aduenietes: relatio autem tranſmutantis ad tranſmutatum, pertinet ad genus actionis.

Hęc ſint dicta in gratiam textus.

SECVNDA DIFFICVLTAS.

Vtrum intellectio, volitio, & aliæ operationes immanentes, ſint actiones de genere Actionis?

Operationes immanẽtes, vt intellectio, volitio, impropriè dicuntur actiones.

Conſtat ex dictis, vocari impropriè actiones, nullo tamen modo ſunt actiones de genere Actionis: ſed ſunt qualitates, includentes reſpectus ad obiectum & ad potẽtiam: de qua materia, vide latiſſimè apud Doct. quodl. 13.

Hinc etiam facilè reſolues, quomodo actio de genere Actionis, eſt ſubiectiuè in agente. Quia ille reſpectus trãſmutantis ad tranſmutatum, pro immediato fundamento habet potentiam actiuam agentis: conſequenter actio debet fundari in agente.

Actio eſt ĩ agẽte ſubiectiuè.

Thomiſtæ verò quia actionem accipiunt altero ſenſu, pro ipſa forma producta, quam Scotiſtę vocant actionem actam, dicunt conſequenter ad ſua principia, quòd actio acta ſit in paſſo: quod nos libenter concedimus: ſed dicimus non eſſe illam acceptionem propriam actionis vt pertinet ad genus actionis, ſed eſſe aliud æquiuocatum huius nominis actio, vt patet ex Difficultate prima.

DISTINCTIO IV.

DE VERITATE HARVM PROPOSITIONVM. Deus genuit Deum. Et, Vnus Deus est, tres Personæ.

QVÆSTIO I.

Vtrum ista propositio sit vera. Deus genuit alium Deum.

Circa Quartam Distinctionem quæro. Vtrum ista sit vera, Deus &c.

SVMMA QVÆSTIONIS.

In Primo Articulo, deciditur Quæstio. In Secundo, respondetur Argumentis principalibus.

ARTICVLVS PRIMVS.

Resoluitur Quæstio.

Respondeo ad Quæstionem. Quòd non genuit alium Deum &c.

SVMMA TEXTVS.

Deus genuit alium Deũ, é falsa.

Ista propositio, Deus genuit alium Deum; est simpliciter falsa. Ratio assignatur vna realis, altera Logica. Ratio realis huius negationis, est hæc. Cuilibet entitati formali, vel essentiæ, correspondet adæquatè aliquod ens tali entitate præcisè: siue omni Quo respondet suum Quod, abstrahendo à quocunq; alio: vt humanitati correspondet homo, abstrahendo à quolibet supposito, leonitati Leo, & sic de alijs: ergo & Deitati, quæ est formalis entitas, correspõdebit adæquatè suum Quod, nempe Deus, qui est Deitate Deus. Cùm igitur Deitas, seu Diuina Essentia, sit entitas ex natura sua singularis, nullo modo plurificabilis: etiam eius Quod, (videlicet Deus) erit simpliciter implurificabile, & de se singulare: sed hoc quod est præcisè vnum numero, non potest esse aliud & aliud, sicut nec & distinctum realiter: ergo nõ potest dici de Deo, qui est ens singularissimum, quòd sit alius Deus: & consequenter, nec quòd Deus alium Deũ generet. Secundò probatur Logicè in textu.

COMMENTARIVM.

Explicatur rõ Logica textus.



Irca solutionem Logicam. Aduerte Primò, Quod sicut istæ propositiones tres, Petrus est alius ab homine: Petrus é alius humanitate; Petrus est alius in humanitate, sunt distinctę; ita consimiliter istæ, Genitum in Diuinis est aliud à Deo: est aliud Deitate: est aliud in Deitate, sunt distinctissimę propositiones. Quod igitur dicetur de illis notioribus, idem consimiliter dicendum est de istis minùs notis.

In ista igitur prima propositione. Petrus est alius ab homine: ly alius, ponit suum significatum & diuersitatem, penes istum terminum, homo: & ita negat Petrum esse idem quod homo; terminus igitur iste, homo, qui est terminus prædicati, negatur confusè in ista propositione, pro quolibet sui distributiuè, sic, quòd Petrus est alius ab homine, & ab isto, & ab illo, & ab illo, & sic alius est à quolibet supposito hominis; vnde si de Petro verificetur quod prędicatum negatiuum, Petrus est alius ab homine, Petrus simpliciter non est homo.

In ista verò secunda propositione, Petrus est alius humanitate; non negatur absolutè humanitas de Petro, sed denotatur in illo includi, cum hoc addito, quòd humanitas sit ratio distinguendi illum ab eo, à quo est alius humanitate.

Porrò illa hìc verba textus, *licet ratio formalis alietatis stet vniuersaliter, quantùm ad negationem inclusam, tamen illa ratio formalis differentiæ, non stat vniuersaliter, quantùm ad illam affirmationem ibi inclusam;* non sic intelligas, quasi humanitas Petri, non sit ratio distinguendi Petrum à leone, & à quolibet eius supposito distributiuè; hoc enim verum est; sed sensus est, quòd licèt humanitas sit ratio distinguendi, sumpta confusè; quia Petrus est alius humanitate à leone: non tamen est ratio distinguendi, sumpta humanitas distributiuè, quasi verò Petrus & hac humanitate, & illa, & illa, sit alius à leone; cùm hoc sit manifestè falsum: Petrus enim humanitate vt humanus est, est alius à leone, non verò hac vel illa humanitate particulari.

In tertia deinde enunciatione, Petrus est alius in humanitate: ly alius, non modò non negat humanitatem, vel non ponit humanitatem, esse rationem distinguendi ab illo, à quo dicitur alius; sed dicit humanitatem esse illis communem, & in illo communi determinabili, nempe in humanitate, notat aliquam extremorum distinctionem; sic Petrus est alius in humanitate à Ioanne, sed non est alius in humanitate à leone; quia humanitas, non est communis Petro cum leone.

Aduerte Secundò. Ista propositio. Filius est alius Deus à Patre: debet exponi vel primo modo, quòd sit alius à Deitate, & à quolibet supposito Deitatis. Et istum modũ, ex vi sermonis, non significat alius Deus: quia dicimus Petrus alius homo à Ioanne; & tamen non negatur de illo humanitas; sic nec alius Deus, negabit distributiuè omne suppositum Deitatis: & si significaret, esset falsa enunciatio. Nec potest exponi secundo modo, quòd sit alius Deitate; quia Deitas est vnica, & singularissima in illis Sanctissimis Personis, quare non est ratio distinguendi vnius suppositi ab alio. Solùm ergo tertio modo exponi posset, q; Filius sit alius in Deitate à Patre; sicut Petrus à Ioanne est alius in humanitate, sed quia alia numero humanitas est in Petro, alia in Paulo, & in vna communi natura humanitatis conueniũt: in Filio autem aliam numero esse Deitatem, ab illa, quæ in Patre, est simpliciter impossibile & falsum; quia illa natura, vt ostensum est supra, dist. 2. q. 3. est ab intrinseco, & de se singularis, indistincta vllo modo essentialiter, etiam secundùm modum intelligendi; sequitur quòd Filius, non sit alius in Deitate à Patre, ergo Filius nullo modo est alius Deus à Patre.

Hinc illa propositio, (vt obseruat hic Bassol. q. 4.) est bona, Deus genuit alium, qui est Deus; nempe aliam Personam, in eadem Deitate. Sed sicut hæc non sequitur ex prima; quia illa est impossibilis, hæc necessaria; ita neq; illa prima propositio negata, sequitur ex ista; quia ad distinctionem & alietatem Personarum, in eadem numero Deitate, non sequitur distinctio & alietas ipsius Deitatis. Quare licèt hoc sit verum, Filius est alius in Deitate; intelligendo per ly alius, Personam, non tamen est alius Deus Deitate, sed alia Persona, in eadem Deitate.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Argumenta in principio Quæstionis adducta, soluuntur.

Ad Primum argumentum. Dico, quòd hoc Antecedens est verum &c.

COMMENTARIVM.

Primũ principale solu. tur.

AD Primum. Deus genuit Deum. Est propositio Catholica: vt habetur ex Symbolo Nycæno, *Deum de Deo.* Quando vltra ais. Vel ergo genuit se Deum, vel alium Deum: Primum est impossibile; quia impossibile est, vt aliquid se ipsum generet, vt vult August. 1. de Tinit. ergo alium

alium Deum, & habetur intentum. Respondeo. Concedo quòd Deus genuit Deum, accipiedo terminum subiecti & prædicati pro supposito. Quando vlteriùs arguis. Vel se Deum, vel alium Deum. Dico, quòd nec se Deum, nec alium Deum: sicut Sol generat aurum; nec tamen se aurum, nec aliud aurum; cùm ipse non sit aurum, sed generat aliud, quod est aurum: ita hìc, Deus generat Deum, & generat alium qui est Deus; sed non alium Deum, nec se Deum. Cur autem concesso hoc Antecedente, Deus Pater genuit eundem Deum: subintelligendo Filium, qui est idem Deus, cum Patre; non sequitur hoc Consequens; ergo genuit se Deum. Ratio euidens est. Quia istud pronomen reciprocum, Se, quando adiungitur verbo alicui actiuo, exprimenti actionem, significat actionem terminari ad tale suppositum: sic dicendo, Petrus intelligit se, videt se: sensus est, quòd actus visionis terminetur ad ipsum Petrum: similiter si dicas, Socrates generat se: sensus est, quòd terminus generationis, est ipsemet Socrates, qui etiam est principium Quod actionis. Ita in proposito, in ista consequentia. Ergo Pater generat se Deum. Ly Se, denotat actum generationis, terminari ad ipsummet Patrẽ, Quod est impossibile, & nullo modo inferebatur in Antecedente. Et bene dicitur quòd fit fallacia Antecedentis, & Figuræ dictionis, in tali illatione. Antecedentis quidem, quia ex identitate essentiali, communicabili pluribus suppositis, posita in Antecedente illo, Pater genuit eundem Deum; in Consequente hoc, Ergo Pater genuit se Deum; infertur identitas suppositi generantis, cum supposito geniti: suppositum autem, vt aliàs d. 2. q. 7. dixi, habet se per modum minùs communis ad Essentiam. Figuræ verò dictionis est fallacia, quatenus ex identitate Deitatis in hoc, & illo supposito, per similitudinem, infert identitatẽ suppositi generantis & geniti, cùm tamen sit summa dissimilitudo.

Se, quando adiungitur verbo acti[uo] quid significat?

Ad Secundum. Dicitur: quòd in illo argumento est fallacia accidentis, ex commutatione medij. Cùm enim dicitur. Generans distinguitur à genito. Verum est, & significat distinctionem personalem, per relationem, generantis & geniti. Sed cùm dicitur vltra. Deus genuit Deum; vel Deus est generans, & Deus est genitus; licèt istæ enunciationes sint veræ, absolutè sumptæ, non tamen cum hoc addito, alius: quod nomen cùm sit adiectiuum, ponit suũ significatum circa hunc terminum, Deus: ac proinde notat diuersitatem naturæ. Hanc solutionem, vt subtilissimam, amplectitur Aureol. hìc art. 5. Bassol. q. 4.

Secundum principale soluitur.

Ad Tertium. Concedit Doctor istam propositionem, Deus genuit alium. Sed negat hanc consequentiàm; Ergo genuit alium Deum, vel alium non Deum. Neque enim ita contradicunt, Alium Deum, & Alium non Deum: sed bene hæc, Alium Deum, Non alium Deum, contradictoria sunt: & dico, quòd ista sit vera, Non alium Deum genuit.

Tertiũ argumentum soluitur.

Obijcies. Ex negatiua enunciatione de prædicato finito, sequitur affirmatiua de prædicato infinito (est autem prædicatum finitum, cui negatio non adiacet post copulam; vt si dicas, homo non est iustus; oppositum dic de infinito prædicato, cui adiacet post copulam negatio; sicut hìc, Homo est non iustus) ergo ex ista negatiua de prædicato finito, Deus non genuit alium Deum, sequitur ista, affirmatiua de prædicato infinito, genuit alium non Deũ.

Prædicatũ finitũ, & infinitum quid?

Dico. Quòd illa regula, non valet in complexis enunciatis, vt ipsemet Arist. vult in fine 1. Prior. Vnde sicut istæ duæ propositiones sunt falsæ de homine, Homo est lapis albus, Homo est lapis non albus; sic & istæ duę, Deus genuit alium Deum, & Deus genuit alium non Deum: quare sicut ex ista Homo non est lapis albus, non sequitur hæc, Ergo homo est lapis non albus: ita ex ista, Deus non genuit alium Deum, non sequitur hæc propositio, Deus genuit alium non Deum.

Ad Quartum. In isto Antecedente, Deus genuit alium habentem Deitatem: ly alium, ponit alietatem suam, & distinctionem, penes personam aliam geniti à generante, non penes naturam, vt ex vi sermonis colligi potest: sed in consequente, ergo alium Deum: ly alium, ponit suam distinctionem, penes Deitatem: & ita vel est fallacia Consequentis; quia plùs infertur in Conclusione quàm in præmissa; vel fallacia figuræ dictionis, commutando Hoc aliquid, nempe suppositum, in Quale quid, nempe in Deitatem. De qua materia vide supra dist. 2. q. 7.

Quartũ argumentum soluitur.

Difficultas hìc occurrit in responsione ad authoritatem Damasceni. Vbi dicit Doctor. Quòd cõcretum, solam formam importat. Istud dictum videtur deficere. Tum quia sic, sciens esset idem quod scientia: & ita hæc propositio esset vera, Sciens est scientia, & Scientia est sciens; quia, per te idem significat abstractum & cõcretum. Tum quia nomẽ significans rem aliquam, illa re plurificata, vox plurificatur; si igitur concretum dicit præcisè formam, plurificata forma, exempli causa, scientia in sciente, plurificabitur vox, & dicetur plures scientes; quod est falsum.

Cõcretum solam formã importat, quomodo verum?

Respondeo. De concreto dupliciter loqui possumus. Primò, quid per se primò, formaliter, & immediatè significet concretum, non considerando quid illi sit adiunctũ, per se vel per accidens. Secundò, quid significet cõcretum adæquatè, tam immediatè, quàm concomitanter concernendo. De primo intellectu difficultatis. Dico, quòd per se immediatè concretum significet formam, vel essentiam. Hoc expressè vult Aristot. in prædicamentis, dicens, album nihil aliud significare, quàm albedinem. Idem dicit Auerr. 8. Met. text. 7. cùm docet, hoc nomen, homo, principaliter dici de forma. Et hoc non aliud vult Subt. Doctor hìc. Si sermo sit de significatione adæquata per se vel per accidens concreti: sic verum est, quòd licet per se primò significet formam in accidentibus, vel quasi formam in substantijs, vt homo humanitatẽ, concomitanter tamen cõcernit subiectum. Et hoc vult tum Auer. loco alleg. dum dicit, *& dici de congregato, quia dicitur de forma,* tum Subtil. Doctor in litera præsenti; & clariùs habet idem in 4. dist. 12. q. 1. in fine.

Concretum per se primò significat formã; connotat tamen subiectum, vel quasi subiectum.

Ex his patet Primò. Quòd hoc nomen, Deus, primò & per se significat Deitatem, vt sumitur essentialiter; sicut dicimus Deus creat, Deus gubernat. Quia tamen Deitas de necessitate est in suppositis, propter necessariam concomitantiam, sumitur iste terminus Deus per se propriè, sed non primò, pro Personis Diuinis; in quo sensu hìc à Magistro Sententiarum, & à communi Schola Theologorum, admittitur illa propositio Deus genuit Deum.

Constat Secundò. Nullam debere esse inter D. Tho. & Scotum controuersiam, in illa Quęstione, an hic terminus, Deus, primò significet Deitatem, & Personas secundariò: hoc enim apertè sequitur ex doctrina Subt. Doctoris, & deduci potest ex Quæstione præsenti, & sequenti. D. verò Thomas 1. par. q. 39. art. 4. apertè concedit, quòd hoc nomen, Deus, supponit pro Essentia; vt cum dicitur, Deus creat; quia hoc prædicatum competit subiecto, ratione formæ significatæ, quæ est Deitas, aliquando supponit pro Persona &c. vbi Caietanus. Zum. alijq; expositores, manifestè concedunt de mente S. Tho. esse, principale magisq; immediatum Deitatis concretum, esse hunc Deum, Personas autem mediatum.

Deus primò significat Deitatem, secundariò Personas.

Verùm sicut hoc dictum Zumel verum est, ita illud nequaquam approbo, Conclusione Prima, ab illo positũ, quòd secundùm Scoti sententiam quæst. præsenti, Deus propriè & ex natura sua tantùm supponit pro Deitate, & non pro Personis, nisi extrahatur à naturali sua suppositione: Vt enim visum est, secundùm Doctorem hìc, & in 4. dist. 12. q. 1. principaliter concretum significat per se primò, & immediatè formam in substantijs; suppositum autem, habens significatum quasi concretum illius formæ, concernit ex prima sua institutione, secundariò tamen; ergo hic terminus, Deus, primò & immediatè significat Deitatem, secundùm Doctoris Subt. sententiam, secundariò verò, naturaliter tamen, concernit suppositum, vt sequens Doctoris quæstio explicat. Quod idem vult Alensis. Et hoc consequenter dicere debent omnes, qui docent, concretum primò formam, secundariò autem subiectum, vel suppositum significare illius formæ. Contra Aureolum distin. præsenti art. 1. qui tenet, Deum à Deitate in hoc distingui, quòd Deitas significet formam immediatè, Deus verò significat immediatè primò suppositum habens Deitatem: & hoc dicit consequenter ad sua principia illa, [Qu]od

Zumel Scotum malè intelligit.

Aureoli sẽtẽtia quod Deus immediatè significat suppositum.

quòd concretum non significat primò immediatè formam, sed subiectum, vel suppositum. Verùm istud eius principium, est falsum; ac proinde ædificium in eo fundatum, est nullum.

Vnicuique quo respodet suũ Qđ

Constat Tertiò veritas illius dicti Scotici. Vnicuiq; Quo, correspondet proprium, siue primum & immediatum Quod, vel Quis; nempe omni abstracto, correspondet aliquod primum & immediatum concretum; sic humanitati primò & immediatè respondet homo, entitati Ens, Deitati Deus.

Quòd autem Deus sit primum & immediatum Quod Deitatis, non autem Trinitas Personarum, vt vult aliquomodo Aureol. loco alleg. Patet. Tum ex vi immediationis; si enim concretum, Deus, habet immediatiorem ordinem ad Deitatem, quàm ad Paternitatem, vt ostensum est; Deitas vice versa erit immediatior Deo, tanquam forma suo formali (loquendo per Catachresim, vt res explicetur) quàm Trinitati Personarum. Tum quia essentialia, sunt immediatiora Essentiæ, notionalibus: vt declarat Subt. Doctor quodl. 1. & explicatur infra, dist. 27. q. 1. art. 1.

Istud Quod Deitatis, siue Deus, non ponitur aliquod suppositum essentiale, vt Ferrar. 1. 4. Con. gen. cap. 26. & Capreol. hic attribuunt Doctori Subt. sed est subsistens concreatum, subsistentia essentiali communicabili. Quem modum sequitur ex Thomistis Caiet. 1. part. q. 39. art. 3. & Zoar. lib. 4. de Trinit. cap. 13.

Contra hoc dictum instat Ocamus hic. q. 2. Quandocunq; aliqua sunt idem omnibus modis, impossibile est aliquid supponere pro vno, & non pro reliquo; sed circumscribendo in Deo relationes Originis, nihil ibi est, quod non sit Diuina Essentia, quæ est Deitas; ergo non potest pro aliquo supponere Deitas in abstracto, pro quo non supponat Deus in concreto.

Dico. Verè Deus, seclusis per opus nostri intellectus relationibus Originis, nihil aliud est nisi Essentia, seu Deitas: sed ista Essentia, duplici modo est considerabilis: in abstracto & in concreto; & ita argumentum nihil colligit. Maior etiam illius argumenti si procedat de identitate reali & formali: neganda est; si autem de omnimoda identitate, etiam rationis; vera est; sed negatur quòd secundùm rationis distinctionem, idem sit modus abstracti & concreti.

Ex dictis patet ad rationes difficultatis.

Ad Primã enim dico. Licèt sciẽs primò per se significet scientiam, connotat tamen necessariò modum se habendi illius scientiæ in subiecto, quem non connotat scientia, & ratione huius connotati, vnum non dicitur de alio.

Ad Secundam. Quamuis concretum substantiale, sicut & accidentale, principaliter significet formam; non tamen sequitur, quòd sicut plurificata forma totali in substantijs, concretum dicitur in plurali, ita plurificata forma accidentali, concretum debeat dici in plurali; Ratio disparitatis est. Quia in compositione substantiali, forma est principale, & sic trahit ad se suppositum: in accidentali autem compositione, accidentis cum substantia, cùm suppositum sit magis principale, trahet ad se formam accidentalem.

QVÆSTIO II.

Vtrum hæc propositio sit vera, Deus est Pater, Filius, & Spiritus Sanctus?

Circa secundam partem Quartæ Distinctionis. Quæro de veritate, &c.

SVMMA TEXTVS.

Prima Conclusio. *Ista propositio, Deus est Pater, Filius, & Spiritus S est vera; prædicatione formali, non tantum identica: sicut & hæc, Pater, Filius, & Spiritus S. est Deus.*

Secunda Conclusio. *Hæc enunciatio, Deitas est Pater, Filius, & Spiritus S. vera est identicè, non formaliter: sicut & eius conuersa, Pater, Filius & Spiritus S. est Deitas.*

Tertia Conclusio. *Dum dicitur Deus est Pater Filius, & Spiritus S. ly Deus, supponit pro primo & immediato concreto Deitatis, quod est hìc Deus, secundùm modum nostrum intelligendi, prior rationibus personalibus.*

Explicatio huius Quæstionis, præsertim Conclusionis Tertiæ, patet ex dictis præcedenti quæst.

Quod autem dicitur in Conclusione Prima & Secunda, de identica vel formali prædicatione: vide supra dist. 3. q. 3. artic. 3. & dist. 22.



DISTINCTIO V.

DE FALSITATE HARVM LOCVTIONVM: Pater genuit Diuinam Essentiam: Diuina Essentia genuit Filium: Essentia genuit Essentiam. Nam Essentia Diuina nec generat, nec generatur.

QVAESTIO I.

Vtrum Essentia Diuina generet, vel generetur?

Circa istam Quintam Distinctionem: in qua Magister agit &c.

SVMMA QVÆSTIONIS.

Duo sunt Articuli istius Quæstionis. In Primo, recitatur Opinio Ioachimi Abbatis, & reycitur. Tum authoritate. Tum ratione reali. In secundo, quòd Essentia Diuina, nec generet, nec generetur, probatur Logicè. Vltimò, Argumenta in principio Quæstionis proposita, resoluuntur.

ARTICVLVS PRIMVS.

Recitatur Opinio Ioachimi Abbatis, & impugnatur.

In ista Quæstione errauit Abbas Ioachim. vt habetur &c.

SVMMA TEXTVS.

ſſentia diuina nec generat nec generatur.

In Prima parte Articuli, narratur sentētia Ioachimi Abbatis. In Secunda, ostenditur in quo errauit. In Tertia Magistri sententia defenditur authoritate, & rationibus Theologicis.

Omnia sunt clara in litera Doctoris, si illa ratio tertia pro Opinione Magistri adducta sic intelligatur. Pater est formaliter Deus eo quo generat; illud autem quo generat est Essentia, vt dictum est dist. 2. si ergo Pater generaret Essentiam, vt ponit Ioachimus Abbas; cùm genitum sit posterius origine generante, iuxta dicta dist. 1. q. 2. sequeretur, quòd Pater non esset formaliter Deus Essentia seu Deitate. Supponit autem hæc ratio, quòd eadem esset Essentia numero in Patre generante, & in Filio genito, qui Filius secundum Ioachimum esset Essentia genita.

Alijs verbis potest illa ratio formari sic. Genitum non potest esse ratio essendi Deum ipsi generanti: sed Essentia Diuina est ratio essendi Deum, ipsi Patri generanti: ergo non potest Essentia Diuina esse genita.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Quòd Essentia Diuina, non generet, nec generetur probatur Logicè.

Sed loquendo de Logica ratione, quare non potest esse vera hæc &c.

SVMMA TEXTVS.

Actiua & passiua verba quid significant.

Tota resolutio Logica istius Articuli, cur Diuina Essentia non dicatur generare, vel generari, consistit in hoc. Quia verba actiua & passiua, quæ dicunt rem per modum adiacentis supposito, de quo prædicantur, non possunt prædicari de aliquo subiecto abstracto vltimata abstractione: (vocatur autem vltimata abstractio alicuius, quando accipitur præcisè secundum prædicata per se primo modo illi conuenientia: sic humanitas est tantum humanitas, secundum Auicen) idq; propterea quòd talia verba non sunt apta prædicari, nisi formaliter: cùm igitur Essentia Diuina, seu Deitas, sit vltimatè abstracta, verbum actiuum, generat, vel passiuum, generatur, non poterit de illa prædicari, nisi formaliter per se primo modo: hoc autem non est possibile, quia generare, vel generari, non conuenit Essentiæ per se primo modo, vt dictum est dist. 1. q. 2.

COMMENTARIVM.

De abstracto vltimatè nō prædicatur aliqd, nisi formaliter essentialiter, per se primo modo, secundū Scotum.

Dvplex hic occurrit Difficultas expedienda. Prima. An regula illa Doctoris sit vera. De subiecto abstracto vltima abstractione, si dicatur prædicatum aliquod, quod ex natura sua aptum est prædicari formaliter, non potest esse propositio vera, nisi per se primo modo.

Contra hoc dictum arguitur. Primò. Hæc est vera, secundùm Doctorem. Essentia Diuina, communicatur Filio: sed hoc prædicatum est verbum, quod non est natum prædicari nisi formaliter, & tamen non per se primo modo. Similiter. Essentia Diuina, videtur ab intellectu creato: hic subiectum est abstractum vltima abstractione, & prædicatum non nisi formaliter aptum est prædicari, & tamen non per se primo modo, etiam secundùm Doctorem. Idem dic de istis propositionibus. Essentia Diuina distinguitur ab omni essentia creata. Essentia Diuina creat &c.

Secundò. Ista responsio non est sufficiens. Esto enim quòd non dicatur per se primo modo, generare vel generari, de Essentia: sufficit tamen quòd dicatur per se secundo modo, illo quo dicimus, Essentia est volens, est bona, &c. hæc enim prædicata licèt non dicantur per se primo modo de Essentia, vera tamen non sunt.

Tertiò. Ista propositio non valet in creatis. Quia equinitas est creata, est dependens, est finita, distinguitur ab humanitate; & tamen hæc prædicata, non dicuntur per se primo modo.

Ita arguunt Heru. & Ocamus hic.

Mayr. explicatio nō satisfacit.

Mayronius dist. præsenti q. 1. & cum eo Tartar. in expositione textus præsentis. Docent istam regulam esse intelligendam. Primò, in prædicatis positiuis, non negatiuis. Et sic non valet ista instantia. Essentia Diuina, est distincta. Quia distinctio includit negationem: similiter, Essentia Diuina est incomprehensibilis. Secundò docent esse veram, in illis prædicatis, quæ dicunt distinctam formalitatem, à formalitate subiecti: Vnde instantiæ hæ, Essentia Diuina est summa res, est prima, est infinita. Non valent. Quia summitas, primitas, infinitas, non dicunt distinctam formalitatem ab Essentia. Tertiò, regula non intelligitur de prædicatis rationis, sed de prædicatis primæ intentionis. Quare hæ instantiæ, Essentia creat, Essentia gubernat, & consimiles, quarum prædicatum dicit ens rationis in Deo, non valent. Quartò, non intelligitur de prædicatis ponentibus differentiam inter supposita & naturam; sic ista, Essentia est communicabilis. Non valet. Quia per communicare Essentiam Filio, Pater distinguitur suppositaliter à Filio; & per communicari, distinguitur Essentia à Persona; quia Essentia, est communicabilis, non Persona.

Has & plures alias ponunt prædicti Doctores limitationes huius regulæ.

Sed (meliori semper saluo iudicio) ista limitationum superflua excogitatio, propter fugam argumentorum est quæsita. Quæcunq; enim instantia adferatur, semper dicetur, non de tali prædicato intelligitur regula. Deinde

Doctor Subt. vniuersaliter proponit, vniuersaliterq; istam propositionem acceptat, absq; limitationibus, vt patet ex illo verbo *quandocunq.*, & ex illo, *non potest propositio esse vera, nisi &c.* qui modi enunciandi aliquod complexum, sunt vniuersales.

Nec Licheti solutio sufficiés est.

Dicit ergo Lichetus. Omnes illas instantias, & plerasq; alias, vsurpari quidem de consuetudine loquendi, in rigore tamen Theologico sumptas, esse falsas.

Sed neq; hoc videtur Theologicè dictum. Quia secundùm Theologicum rigorem loquendo Doctor Subt. de duplici prædicatione in Diuinis, cum communi sententia, vt dist. præcedenti, ita & aliàs locutus est. Ista ergo propositio, Essentia Diuina est Pater, secundùm omnem rigorem Theologicum, est propositio vera identicè: vt etiam apertè concessit Doctor q. 2. distin. præced. & tamen Pater non conuenit primo modo per se Essentiæ; vt docuimus supra cum Doctore: A simili igitur hæc, Essentia Diuina generat: cur non possit esse vera, saltem identicè, non assignat causam Lichetus.

Vera explicatio.

Essentia in abstracto dupliciter potest considerari.

Vt quod ipse sentio dicam. Essentia Diuina, seu Deitas, in abstracto accepta, dupliciter potest considerari. Primò, in esse absoluto, simpliciter abstrahendo, ab omni ordine ad aliud. Secundo modo potest sumi Essentia in abstracto, cum connotatione ordinis ad aliud; siue ille ordo sit realis, sicut sunt relationes Originis reales; siue sit rationis; idque vel ad intra, qualem habet Essentia ad sua attributa (ab Essentia enim Diuina pullulat bonitas, sapientia, aliæque perfectiones; ac proinde Essentia sumpta sub illis attributis; vt cùm dicimus, Essentia est bona, Essentia est sapiens; sumitur ibi Essentia, non abstracta vltima abstractione, quia non abstrahit ab omni ordine ad illa, quæ ab ipsa pullulant) vel ad extra, quo pacto dicimus, Essentia creat. Essentia igitur sumpta absolutè, & abstrahens simpliciter ab omni ordine, patet quòd non includit prædicata alia, nisi illa quæ ipsi possunt conuenire quidditatiuè, quia merè sic secundùm quidditatiuam rationem consideratur. Ac proinde de Essentia sic accepta, non nisi illa apta sunt prædicari, quæ illi quidditatiuè, & in primo modo dicendi per se conueniunt. Quare optimè dicitur à Doctore. Quòd de abstracto vltimata abstractione (sic videlicet, quòd vltra iam non sit illa Essentia abstrahibilis: sumpta autem cum ordine vel habitudine quacunq; tam ad intrinseca quàm ad extrinseca, certum est quòd non sit vltimatè abstracta, quia adhuc est abstrahibilis ab omni tali ordine) non potest aliquid prædicari, nisi tali abstracto insit per se primo modo; à quibus prædicatis, non abstrahit subiectum in tali abstractione; abstrahit autem à prædicatis per se secundi modi, & ab omnibus non quidditatiuis.

De Essentia ergo sic abstracta, dicuntur hæc prædicata. Quòd sit substantia, vel Supersubstātia, Ens, Infinita, (supponendo pro Scoto, contra Mayron. infinitatem esse de quidditate Dei) & similia prædicata quidditatiua. In his autem enunciationibus. Essentia est iusta, sapiēs, bona, &c. prædicata dicuntur de Essentia, non abstrahente ab ordine emanatiuo, ad sua attributa; ac proinde prędicātur quidem formaliter per se secundo modo talia prædicata, sed non de subiecto abstracto vltimata abstractione.

Et hæc est mens expressa Doctoris hic, vt clarum erit cuilibet, hunc locum conferenti, cum illo in 2. senten. dist. 3. q. 1. de naturæ quidditate; vbi apertè vult, quòd de natura præcisè quidditatiuè sumpta, nec propriæ passiones dicuntur, nec vlla alia prædicata, prętер per se primi modi. Vide etiam Doct. inf. dist. 8. q. 3.

Ista etiam expositio, est valde conformis Doctori Irrefragabili 1. parte q. 42. mem. 3. art. 1. in corpore solutionis. Hinc etiam habetur resolutio primi ac tertij argumenti, supra ex Herueo, & Ocamo positi.

Essentia generat quare identicè nō est vera.

Sed adhuc remanet hìc difficultas. Esto enim quòd generare non possit dici de Essentia sic vltimatè abstracta, nisi per se primo modo, generare autem non est prędicatum per se primi modi; quia vt relationes, ita & actus notionales, non sunt de ratione quidditatiuè Essentiæ Diuinæ: vt dictum est distin. 1. Quare saltem identicè non prædicatur per se secundo modo, eo modo quo dicitur Essentia esse sapiens, Essentia esse Pater, Essentiā esse communicabilis; cur inquam non dicitur saltem identicè Essentia generat?

Opinio Holcot non tuta.

Holcot in lib. determinationum Theologicarum q. 10. dub. 4. Videtur concedere, istam prædicationem non omnino esse falsam, sequendo rationem. Sicut tamen Ecclesiæ (inquit ille) reuelatum est, quòd Deus est res vna; ita etiā reuelatum est Ecclesiæ, quibus propositionibus, vtendum est in loquendo de Trinitate; & similiter, quibus terminis.

Hoc tamen dictum Holcot, parum tutum in fide arbitror. Quia Concilium Lateranen. cap. Damnamus. de sum. Trinit. & Fide Cathol. cùm ait, *Illa res* (nempe Essentia) *non est generans, nec genita, neq; procedens; sed est Pater, qui generat & Filius, qui gignitur, & Spiritus Sanctus, qui procedit, vt distinctio sit in Personis, & vnitas in natura &c.* Expresè his verbis, negat istam propositionem, etiam identicè sumendo, pro re significata: & vltimis verbis illis, *vnitas in natura*, innuit efficacem rationem, pro hac veritate, talem. Generans à genito debet esse distinctum realiter; vt vult August. in pluribus locis, in lib. de Trinit. & euidens est ex terminis, sed Diuina Essentia, cùm sit vna singularissimè, non est distincta realiter; ergo Diuina Essentia non potest esse generans, & genita.

Eandem propositionem Concil. Toletanum primum, in Confessione Fidei damnat, his verbis, *Si quis dixerit, vel crediderit, Deitatem nascibilem esse, anathema sit.* Dicere ergo siue formaliter, siue identicè, de Essentia, quòd generetur, vel generet, prohibet S. Ecclesia sub anathemate.

Dico igitur. Non potest dici verè, etiam per idētitatem, de Essentia Diuina, quòd illa generet, vel generetur, sicut potest dici, quòd Essentia sit Pater. Ratio est, ex intrinseca ratione actuum notionalium, generare, generari, spirari: qui cum sint distinctiui illorum, cuius sunt actus, si Essentia generaret, vel generaretur, aut spiraretur, esset distincta Essentia Diuina: quod est plus quàm impossibile: & hanc rationem innuit vt visum est, Concil. Lateran. In ista autem propositione, Essentia est Pater: licèt Paternitas sit distinctiua, non tamen est distinctiua Essentię, sed suppositi à supposito in vnitate naturæ.

Hinc constat, quid dicendum sit ad Argumentum Secundum, in principio Difficultatis positum.

Abst... in s... non ...tum

Secunda difficultas est. De qua hìc Doctor abstractione loquitur. Et, An sit sufficiens diuisio abstractionum.

Dico loqui in præsenti litera Subt. Doctorem de abstractione præcisiua, non de disiunctiua; eaq; reflexa, non simplici. Quales autem istæ abstractiones sint, & quomodo explicandæ. Vide dist. 3. q. 1. art. 2. dub. 1.

Hinc colligo. Malè inferre quosdam interpretes, maximè verò Formalistas, in suis Formalitatibus. Quòd in Substantia sit tantùm vnica abstractio, à solo supposito propriæ naturæ; vt videtur docere Subt. Doctor.

Sed istud dictum limitandum est. Primò, vt limitat ipsemet Doctor, quòd Substantia accipiatur inprimis absq; omni eo quod non est substantia, absq; omnibus videlicet accidentibus, loquendo de substantia creata. Secundò, vt illa abstractio substantiæ, à supposito propriæ naturæ, non tantùm intelligatur ab hoc supposito, sed etiam ab hoc, & illo, & quolibet alio. Tertiò, quòd etiam sit abstractio, ab ordine ad supposita; nam secundùm Doctorem nostrum 7. Met. q. 14. natura humana abstracta à quolibet supposito, vt intelligitur cum ordine ad illa, dicitur in concreto homo, & apta est prædicari de omni supposito humano; natura autem humana, considerata absq; omni ordine ad inferiora sua, sed præcisè secundùm quidditatem accepta, non prędicatur de inferioribus; imò nec propriæ passiones enunciantur de illa, sed sola prædicata quidditatiua.

In abstractione igitur substantiæ, non negat Doctor plures abstractiones; imò apertè in litera concedit abstractionem ab accidentibus, ibi: *accipiendo substantiam, siue simplicem, siue compositam, præcisè secundùm rationem formalem quidditatiuam.* Secundam, à proprio supposito, ibi. *tantùm est abstractio à supposito proprię naturæ.* Tertiam, à quolibet supposito talis naturæ, ibi: *est ibi abstractio, abstrahendo naturam à suppositis illius naturæ.* Quartam, ab ordine ad supposita, vt expresè habetur 7. Meta. qu. 18. Quintam, à prædicatis per se secundo modo conuenientibus illi

naturæ:

naturæ : vt docet Doctor in 2.dist.3.q.1.& in 4.dist.49.q. 6.& infra dist.8.q.3.

Dicitur nihilominus substantiæ esse vna abstractio, nẽpe à supposito : illo modo, quo Doctor 3.Met.q.1.& 7. Met.q.17. docet abstractionem aliam esse à supposito, aliam à subiecto: à subiecto abstrahunt accidentia, à supposito substantiæ abstrahunt : Per comparationem igitur substantiæ ad accidens, dicitur substantiæ vna abstractio à supposito vel suppositis, intelligendo abstractionem totalem adæquatam, continentem sub se plures abstractiones partiales.

Dici potest Secundò. Doctorem loqui hìc de abstractione substantiæ, non quomodocunq; acceptæ, sed de substantia secundùm suam rationem formalem quidditatiuam: vt expressè vult in textu, ibi : *accipiendo tamen substantiam, siue simplicem siue compositam, præcisè secundùm rationem suam formalem quidditatiuam*: vbi ly *præcisè secundùm* denotat specificationem, sub qua ratione fit tantùm abstractio vna substantiæ à supposito: sed non negat quin plures aliæ possint esse, vt planum est ex dictis, & patere potest ex Theorematib. Doctoris, in materia de conceptuum statu & resolutione.

His aliqua conformiter dici possunt de abstractione accidentium, vt patebit speculanti.

ARGVMENTA IN PRINCIPIO QVÆSTIONIS proposita, resoluuntur.

Ad Argumenta in oppositum. Ad Primam authoritatem Aug. &c.

SVMMA TEXTVS.

Triplicis generis argumenta hìc resoluuntur. Priora duo, procedunt ex authoritate August. & Richardi de S. Vict. Sequentia duo ex duplici ratione Theologica. Illud tamen quod dicitur in priori ratione, Essentiam esse formalem terminum generationis: vide q.seq.art.2.& quod additur: communicationem distingui à productione: explicatur sequenti dubitat.

Vltimò, argumenta Logica, contra veritatem Theologicam adducta, soluuntur.

COMMENTARIVM.

IN tertia parte hìc, quòd dicitur, in responsione ad Primum argumentum, duplicem esse prædicationem per accidẽs: vide superiùs, dist.2.q.7.in respons.ad 2.princ.

Responsionis ad Secundum sensus est. Pater sumi potest, substantiuè & adiectiuè. Si sumitur substantiuè: tunc significat hypostasim, vel Personam, quæ habet Filium: vt inquit Alex.de Ales 1.part.q.42.mem.3.art.1. Et hoc modo est vera: cuius sensus est. Essentia est Pater Filij: id est, Essentia est Pater habens Filium, seu, Essentia est illa Persona, quæ habet Filium. Similiter dici potest è conuersò, Pater Filij est Essentia: id est, illa Persona, quæ habet Filium, est Essentia. Sed non sequitur. Ergo Essentia generat Filium. Quia est commutatio termini Quis, in Quomodo, seu in Ad aliquid. Si verò terminus Pater, adiectiuè sumatur: tunc Antecedens propositi argumenti, est falsum. Quia sensus eius est. Essentia est Pater Filij; id est, Essentia se habet ad Filium, vt Pater eius, siue, Essentia se habet ad Filium, vt generãs Filium. Quod est falsum: quia esse ad aliquid, non conuenit Essentiæ, sed solùm Personę.

Hanc responsionem Alen. vt bonam, multi Theologi amplectuntur: Henricus tamen Gandau. in sua summa, art.54.q.3. prope finem, impugnat eam, vt refertur in textu. Sed bene refellitur eius impugnatio.

Illud vltimum, de reduplicatione : quòd reduplicatio addita contradictorijs complexis, tollat contradictionẽ; patet supra dist. 2. quæst.7.in solut. argum. Notab.5. imò totus discursus huius tertiæ partis, in responsione hìc ad argumenta, patet ex ibi dictis.

Dubitatur.

Vtrum communicatio sit idem cum productione in Deo?

Videtur quòd sic. Communicans & producens, sunt idem: ergo communicatio, & productio, sunt idem.

Respondeo secundùm Doctorem Subt. hìc. Productio & communicatio in Diuinis, in hoc conueniunt; quia vt productio dicit ordinem ad aliud, ita & communicatio: vt enim productio est alterius productio, ita communicatio est alicuius alteri communicatio. Sed plurimùm in hoc differunt, quòd productio dicit relationem realem producentis ad productum, & vice versa producti ad producens, communicatio autem dicit relationem rationis cõmunicantis, ad Essentiam quæ communicatur producto, & Essentiæ itidem relationem rationis, ad illud suppositũ, quod communicat. Si enim persona communicans Essentiam, referretur realiter ad Essentiam, distingueretur realiter ab Essentia, & esset quaternitas rerum : quod est impossibile. Productio distinguitur à communicatione, q[uia] communicatio dicit relationem rõnis, productio realem.

Neq; hoc prouenit præcisè ex ratione termini formalis, quòd Essentia non possit referri relatione reali ad suppositum communicans. Nam in composito Physico producto, non tantùm ipsum compositum habet relationem realem producti ad producens, sed etiam ipsa forma illius compositi, educta de potentia materiæ, vel inducta in potentiam materiæ (quod vltimum addo, propter animam rationalem,) dicit relationem realem, educti vel inducti, ad educens vel inducens; imò tertia relatio realis, est ipsius materiæ, ad agens transmutans materiam ad formã: & è contra, transmutantis est relatio realis in agente, ad transmutatam materiam, vt distin.3.dixi; sed prouenit id ex identitate reali numerali, Essentiæ communicatæ, ad communicans. Cùm enim relationes reales requirant extrema realiter distincta, & Persona communicans Patris, non distinguatur realiter ab Essentia communicata Filio, nõ potest referri relatione reali ad Essentiam. Oppositum est in creaturis, in quibus sicut ipsum productum totale, ita terminus formalis, distinguitur realiter à producente; ac proinde, possunt reales relationes dependentiæ, vt causæ & causati fundari. Et sic debet intelligi solutio argumẽti, de communicare, in litera positi.

Ad argumentum in principio Dubitationis adductum. Patet respõsio ex litera Doctoris, ibi: *per idem ad secundum dico*. Quòd licèt communicans & producens concurrant in eodem supposito, (dico in supposito; quia Essentia, nec est communicans seipsam, licèt dicatur communicata, nec est producens) non tamen sunt idem; cùm vnum dicat relationem realem, alterum rationis; vt patuit: quare nec productio erit idem cum communicatione.

Deinde aduerte. Quod communicans, & producẽs adiectiuè sumpta, denominant suppositum; quia suppositum est, quod communicat Essentiam alteri supposito, & suppositum est, quod producit aliud suppositum; sed in abstracto isti termini, productio, & communicatio, vel terminatiuè sumẽdo communicare & produci, seu esse communicatum & productum, diuersa denominant: productio enim, produci, vel esse productum, denominant suppositum Diuinum; communicatio verò, communicare, vel esse communicatum, denominant Essentiam.

QVÆSTIO II.

Vtrum Filius generetur de Substantia Patris.

Secundò quæro de secunda parte distinctionis, &c.

SVMMA QVÆSTIONIS.

In quinque Articulos diuiditur præsens Quæstio In Primo, narratur Opinio, affirmans Filium esse de Essentia Patris, quasi de materia. In Secundo, confutatur dicta Opinio. In Tertio, declaratur, quomodo Filius Dei verè sit de Substantia Patris, non tamen vt de materia. In Quarto explicatur, quomodo relatio non sit actus Essentiæ Diuinæ; nec Essentia est potentia receptiua,

ceptiua. In quinto,explicantur tres difficultates.

Vltimò argumenta, tum pro Opinione Primi Articuli adducta,tum principalia,resoluuntur.

ARTICVLVS PRIMVS.

Narratur Opinio,affirmans Filium esse de Essentia Patris, quasi de materia.

In ista Quæstione. Dicitur quòd sicut in substantia treata &c.

SVMMA TEXTVS.

In priori parte Articuli ponitur opinio Henric.de Gandau. quodl.8.q.9. & in Sum.Theol.art.54.q.3.dicentis, Filium esse de Substantia Patris,quasi de materia. In secunda, ponuntur Obiectiones contra hanc Conclusionem, & respondetur ijsdem de mente Henr. Vltimò, recitatur Opinio Gotfr. quodl.9.affirmantis, quòd Essentia Diuina generetur subiectiue, quia subijcitur generationi.

Vtraq; Opinio in hoc conuenit, quòd Essentia Diuina habet se per modum materiæ: licèt verbis in modo loquendi differãt. At proinde, cùm in re sit vna Opinio, verbis geminata:meritò sequenti articulo Doctor pro vna reputat.

Textus est clarus.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Confutatur prædicta Opinio.

Contra istam Opinionem arguo. Primò sic. Essentia est formalis terminus &c.

COMMENTARIVM.

Essentia diuina in productione Verbi nõ est quasi materia.

QVòd Essentia non sit quasi materia, in productione Verbi,probatur à Doctorę quinq; rationibus, quas breuioribus & clarioribus verbis recito.

Prima ratio est. Quod est terminus formalis alicuius productionis,illud non est quasi materia,sed potiùs quasi forma; vt cõceditur in omni productione creata, vbi terminus formalis productionis, est forma non materia, & materia est in potentia ad talem terminum formalem: sed in productione Filij in Diuinis, Essentia est terminus formalis illius; vt probatur quatuor rationibus in textu, & dubit.sequenti; ergo &c.

Secunda. Per te, Essentia est quasi materia, relatio autem est terminus formalis. Tunc sic arguo. Cuiuscunq; suppositi est Essentia Diuina, vt præsupponitur generationi alterius suppositi, eiusdem suppositi prioris (prioritate intelligibilitatis vel originis, de qua supra) erit illa Essentia quasi materia,prout illi Essentiæ quasi materiæ,imprimitur terminus formalis, qui est relatio. Ratio huius est. Quia materiæ, vel quasi materiæ,cuiuscunq; illa sit, semper acquiritur & imprimitur forma, siue formalis terminus;sed Essentia Diuina, præsupponitur generationi Filij; ergo in illa præsuppositione, vel intelligitur Essentia secũdùm se, absq; supposito: & hoc est inconueniens;quia sequeretur, quòd Essentia generaret:vel est in supposito; & hoc aut in supposito Patris,aut Filij, aut in aliquo tertio: si vt est in supposito Patris; ergo Essentiæ Diuinæ, quasi materiæ, vt est in supposito Patris,imprimitur illa relatio geniti, eritq; formaliter hæc relatio geniti, in supposito Patris; & consequenter, Pater formaliter denominabitur Filius vel genitus;quod est inconueniens: Si vt est in supposito Filij; ergo Essentia, vt præsupponitur prior generationi Filij, erit in supposito Filij; ac proinde, Filius erit prior generatione: Si vt est in supposito alio à Patris & Filij;ergo sequitur quòd in illo priori, quod præintelligitur Filij generationi,intelligẽtur duo supposita; quod est impossibile.

Illud quod hìc dicitur in litera, (secundùm phrasim Gandau.) quòd in Essentia imprimitur relatio.Expositum est supra,distin. 2.quæst.7.in narratione Opinionis Henr. ex quo loco tota litera præsens clara redditur.

Quod etiam additur,de subsistentia duplici,vt est prior generatione; si sermo sit de subsistentia incommunicabili suppositorum; absolutè est impossibilis in illo priori, vt bene deducit argumentum: si autem sermo sit de subsistẽtia communicabili, prout hic Deus habet subsistentiam communicabilem absolutam, & de subsistentia communicabili relatiua Patris; sic nullum est inconueniẽs,secundùm ipsum Doctorem,& multos Theologos,vt dixi dist. præced.q.1.prope finem.

Tertia ratio. Quandocunq; ad generationem concurrit actiuum & passiuum, prior est habitudo siue relatio actiui ad passiuum, quàm ad terminum productiuum, vel ad minus simul, vt patet in creatis actionibus.Si igitur Essentia ad generationem Filij concurrit vt passiuum,sequitur quòd Pater, qui est actiuum, refertur prius ad Essentiam, vt ad passiuum, quàm ad terminum productum, nempe ad Filium; vel ad minus simul. Tunc de ista relatione Patris ad Essentiam,quæro. Vel est realis vel rationis? Si realis;igitur Pater realiter distinguetur tali relatione ab Essentia, & erit alia relatio realis Patris ad Essentiã, ab illa,qua est ad Filium; imò & prior illa:quæ sunt falsa. Si relatio rationis. Contra. Relatio realis,qualis est generare Filium, non requirit de necessitate respectum rationis;sed per te,iste respectus actiui ad passiuum,requiritur necessariò,vt producatur terminus;ergo iste respectus,nõ erit rationis.

Quarta. Pater multò perfectiùs habet rationem producentis, in generatione Verbi, quàm in productione creaturæ; sed in productione creaturæ per creationem, nõ indiget materia,seu quasi materia; ergo à fortiori,nec in ꝓductione Verbi. Nec sequitur, quòd Filius erit ex nihilo, sicut creatura; vt sequenti articulo dicitur.

Quinta ratio, ex authoritate S. August. duplex innuit argumentum. Primum. Propterea vel maximè Henricus requirit Essentiam, quasi materiam, in generatione Verbi,ne Verbum sit ex nihilo: sed Verbum ex alia causa non est de nihilo; quia sicut Spiritus Sanctus non est ex nihilo,sed inde est vnde procedit, seu à quo spiratur, secundũ August. ita Filius,non erit ex nihilo,sed ex Patre; quia est à Patre, habens Essentiam actualissimam,sine vlla potentia,vel quasi potentia passiua. Secundum. Eo modo se habet relatio Filij ad Essentiam, quo modo se habet relatio Spiritus S. ad Essentiam; sed secundùm Henr. quodl. 6. Essentia respectu relationis Spiritus Sancti, non se habet quasi materia, cùm Spiritus S. producatur per expulsionem, & exsufflationem (secundùm imaginationem Henrici, recitatam,dist.2.q.7. & dist.27.quæst.1.) non autem per impressionem; illud autem quod producitur de aliquo per expulsionem, non habet illud de quo exsufflatur & expellitur, pro materia, vel quasi materia in qua sit; ergo sicut Spiritus S. non est de nihilo, quamuis Essentia non sit quasi materia illius, ita respectu Filij, vt non dicatur produci de nihilo, non requiritur quòd dicatur Essentia concurrere in generatione quasi materia.

Vide plura argumenta apud Doct. in qq. disputatis q. 28. contra hanc Opinionem. Alex. de Ales 1.part. quæst. 42. membro 4.Arimin.hic.q.2.art.1.Gerar.Senen.quæst. 3.art.3.

Dubitatur.

Vtrum Essentia sit terminus formalis Diuinæ generationis.

Videtur quòd non. Primò. Ratio formalis termini, in hoc consistit, quòd capit esse, & sua realitas, accipit quòd realitas sit per productionem; vt patet in omni forma creata, quæ primò habet esse per generationem: sed Essentia Diuina, per generationem non capit esse; siquidem præhabet esse in Patre; & deinde, eadem res haberet ab alio esse,quod primò habebat ex se esse, quæ sunt contradictoria.

Secundò. Hæc differentia est inter agere & relationem (teste Simplicio super prædicamenta) quòd formalis terminus productionis, & cuiusuis actionis, capit esse

ex

ex vitalis productionis, terminus autem relationis, non oritur ex actione: sed generatio in Diuinis, est vera productio: ergo formalis terminus huius productionis, non potest esse illud, quod non capit suam realitatem ex vi huius productionis; talis aūt est Essentia Diuina; ergo, &c.

Cōfirm. Essētia nō accipit suā realitatē, cū sit improducta; ergo non potest esse terminus formalis productionis.

Tertiò. Illud ꝙ alteri cōicatur, in altero præexistens, nō est formalis terminus generationis; vt patet in calore qui fuit in aqua, & remanet postmodū in igne generato ex aqua; & idē iudiciū est de alijs qualitatib. symbolicis, quæ vt præexistūt, non dicūtur generari, nec esse formalis terminus generationis: Essētia verò præexistēs in Patre, cōicat Filio: igit nō hēt rōnē termini formalis ī generatione.

Quartò 2. Phys. tex. 14. dicitur, Quòd generatio sit via ī formā: seu, vt exponit Auerr. ibid. Generatio ē via ad hoc, vt forma fiat: at Diuina Essentia, non accipit entitatē, nec fit terminus realis per generationem; ergo neq; formalis.

Quintò. In resurrectione vnietur anima corpori: nec tñ illa resurrectio dicetur generatio, nec anima erit ibi terminus formalis illius actionis vnitiuę, idq; pp pexistentiā animæ; ergo & Essentia Diuina, pp præexistentiam in Patre, non poterit dici esse terminus formalis productionis.

Sextò. Producens debet habere relationem realem, ad formalem terminum productionis; vt patet in re creata, secundùm dicta dist. 3. prope finem: sed inter Patrem & Essentiā, nō est relatio realis; vt est cōis Theologorū snīa.

Ita arguit Aureol. in 1. dist. 5. art. 2. §. 4. Ocam ibidem, q. 3. Gabr. ibid. Arimin. q. 2. Concl. 2. nullum putat terminum formalem, alium à totali, qui est ipse Filius. Idem sentit Durand. hic q. 2. nu. 10. vbi cum Henrico dicit, Essentiam in Filio, esse quasi materiam, respectu relationis. Fauet eidem Opimus Bononien. dist. præsenti.

In oppositum est Doctor Subt. hic. Bassol. Ant. Andr. & alij eius sectatores. D. Bonauentura hic q. 2. Alex. 1. part. q. 42. mem. 4. Mayron. dist. 4. primi, q. 4. Præterea Argent. Capreol. Prier. alijq; Thomistæ, dist. præsenti, & 1. part. q. 41. art. 3. Zuar. lib. 6. de Trinit. c. 6. Heru. quodl. 4. q. 8.

Terminus actionis alius Quo, alius Quod similiter du ex est terminus in productione di uina.

Pro resolutione huius Dubitationis. Nota Primò. Terminum alicuius actionis, alium esse Quod, alium Quo; sicut in rebus Physicis, dum producitur compositum substantiale, terminus Quod, seu qui producitur, est totum compositum; quod enim generatur, est compositum, secundùm Arist. vt dixi dist. 3. q. 7. dubit. 2. Illud verò, quo tanquam principio formali, productū in esse tali cōstituitur, & in quo agenti assimilatur (si actio sit vniuoca) nempe forma; est terminus formalis Quo, quo nimirū productum est formaliter simile producenti. Simili modo possumus de Diuinis Philosophari. Alium esse terminū productionis Quod, alium Quo. Terminus Quod, seu quod producitur, est ipsa Persona producta, siue generatione, siue spiratione; terminum verò formalem, seu terminum Quo, esse illud in producto, quo productum est quidditatiuè in natura simile producenti; hoc autem est Essentia, vt patet, in qua tam Filius assimilatur identicè Patri producenti, quàm Spiritus S. Patri & Filio.

Generatio sua rōne ī termina t ad substantiam.

Nota Secundò. Ex Seraphico Doctore hic, art. 2. q. 1. Quòd generatio, de sua ratione communi, terminatur ad substantiam. Substantia aūt dupliciter dicitur. Alia prima, quæ est indiuiduū & hypostasis, seu Persona. Alia secunda, quæ est substantia communis, vt natura humana. Rursus terminus generationis, vel cōsideratur in ratione productionis, qua nimirum productione producitur & accipit esse; (prout accipere esse, significat idē, qđ habere esse productū ab alio, absq; vllo præuio non esse talis producti) & tunc, cùm generatio in ratione productionis, sicut omnis actio, sit circa singularia, terminabitur ad substātiam primam, seu ad suppositum. Vel secundò consideratur terminus generationis, in ratione intentionis, quē scilicet producens intendit cōicare producto; & hic terminus in omnibus Physicis generationibus, est natura substātialis cōis; quia hic homo, producens hunc hominem, intendit naturam cōmunem ipsi dare. Sed quoniā in creaturis, forma communis numeratur in suppositis, siquidē non est ex se singularis, sed per differentiam aduenientē: vt dicitur in 2. d. 3. ideo terminus generationis creatæ, in rōne intētionis, non erit eadem numero natura in producto, quæ & in producēte, sed sufficit ꝙ sit eadē specie: Diuina aūt natura, quę est cōis, sola cōitate cōicabilitatis, & prædicationis de tribus suppositis, cùm sit singularissima ab intrinseco; eamq; intendat suppositū producens cōicare per generationem supposito producto; sequitur, ꝙ illa eadem numero Essentia, quæ est in producente, est terminus formalis in producto, secundū intentionē producentis: nō terminus Quod: quia Essentia, vt dictum est, non producitur vt Quod, sed terminus Quo producti.

Terminus formalis debet accipere esse p productionem: quoverum?

Nota Tertiò. Ista propositio, Terminus formalis debet accipere suā realitatē primò per productionem: duplicem habet sensum. Primū, vt terminus ille formalis, quem dicimus esse naturā vel formam, dicatur præcisè habere esse à pductione, absq; productione verò non intelligatur habere esse, seu existētiā suā. Secundū, vt terminus formalis, licèt esse suū simpliciter, non accipiat pductione, esse tamen in producto, accipiat per productionē. Primus sensus est falsus, non modò in Diuinis, sed ēt in creatis: nā in homine producto, terminus formalis talis pductionis, est anima rōnalis, & hęc priùs natura habet esse p creationē q̄ inesse, & ēt priùs tēpore posset creari à Deo, & postea infundi: ergo terminus formalis creatæ substātiæ, nō necessariò habet primò esse productione ipsius producti totalis. Vnde bene adnotauit Mayr. Quòd licèt in cōpositis, vbi formale principiū est corruptibile, totū cōpositū accipiat esse, per hoc ꝙ eius formale principiū accipiat esse; tñ in illis in q̄b. formale principiū ē incorruptibile, est oppositū. Similiter illi q ponūt resuscitatione mortuorū esse actionē, dicūt cōsequēter, talis actionis terminū totalē, esse hominē resuscitatū, formalis aūt terminus, est anima intellectiua, & tñ nō accipit tūc primò suū esse. Secūdus sēsus illius ppositionis, est verus vniuersaliter, ꝙ terminus formalis pducti, cuiuscūq., primò habet esse in illo pducto per productionē, sed non primò habet esse absolutē, & secundùm se. Priorem sensum intendunt in suis argumentis aduersarij, sed malè: secundum concedunt Scotistę, & Thomistæ.

Istud Notabile deduci pōt aliquomodo ex Doct. infra, art. 5. difficultate vltima. Ex quo patet veritas Conclusionis. Quòd terminus formalis Diuinæ generationis, est Essentia Diuina. Rationes ad hoc probandum à Doctore inductæ, sunt manifestæ in litera: quarū impugnationē ab Ocamo, & impugnationis solutionē vide in Licheto hic.

Essentia est terminus formalis Diuinæ generationis.

Ex his oībus. Cōstat Primò. Quòd in genito substantiali cōpleto creato, sēper forma est terminus formalis: qa forma est illud, quo pductū in tali specie ponitur: in genito aūt increato, ipsa Deitas, q̄ est quasi forma, nō informans, nec actuans aliquid, sed vt infinita Essentia dans esse Dei, & esse Deum, supposito producto, est formalis terminus suppositi geniti. Idem dico de spirato supposito.

Gerardi Opinio requiritur.

Constat Secundò. Nullā esse snīam Gerar. hic q. 5. art. 3. dicētis, tā Essentiā, q̄ relationē esse terminū formalē. Incōuenientia huius dicti patent. Tū quia terminus formalis est ille, in quo intēdit producēs assimilare sibi pductū; vt dictū est superiùs: illud aūt in quo assimilatur, est sola Essētia, nō relatio: vt patet. Tū quia sola natura, vel forma, est terminus formalis. Tū quia vnius productionis, est vnus terminus, vt totalis, ita vnicus formalis.

Ad argumenta in principio Dubitationis adducta.

Ad Primū. Resp. Vel Maior intelligitur, de habere esse productū simpliciter, Essētię sm̄ sesuptæ: & negāda est: vt dictū est Not. 3. Vel ꝙ hēt esse ī pducto: & sic cōcedo Maiorē, & nego Min. q̄ Minor ī pmo sēsu pcedit Maioris.

Similiter respondeo ad Secundū eiusq. Confirmationē.

Ad Tertiū. Nego Maiorē. Ad pbationem, de symbolis, qualitatib. Dico, nō esse simile. Nā ad formā symbolam, q̄ fuerat in corrupto, materia nō trāsmutatur; cū illa qualitatem præhabeat: nec cōpositū ex materia & forma illa symbolica præexistente generatur: quia hoc cōpitū ante existebat: ac proinde, sicut hoc cōpositū accidentale præexistens, non est terminus, Quod producitur, ita nec forma illa accidentalis præexistens, erit terminus formalis Quo. Si tamen ad istam formam præexistentem, aliqua alia materia transmutaretur, & de potentia Dei absoluta,

ſoluta, hoc idem numero accidens eſſet in altero numero ſubiecto; verè talis mutationis vel productionis, eſſet terminus formalis, ipſa qualitas ſymbolica. In propoſito autem, terminus qui producitur, nempe Filius, habet verè eſſe productum per generationem; ergo ipſa natura, erit terminus formalis talis productionis.

Ad Quartũ. Tã Ariſtotelis, quàm Auerr. authoritas, intelligitur de forma Phyſica corruptibili, non autem de incorruptibili præexiſtenti.

Ad Quintum. Siue reſurrectio ſit actio (quod eſt verius) ſiue non; (tranſeat, de hoc enim in 4. diſt. 43.) vt tamen reſuſcitatio videtur eſſe actio Dei reſuſcitantis; homo reſuſcitatus, erit terminus totalis eiuſmodi actionis, formalis autem, erit anima intellectiua præexiſtens. Ac proinde, argumentum eſt ad oppoſitum. Si autem non ſit actio neq; productio; tunc nulla erit ſimilitudo paritatis cum productione.

Ad Sextum. Falſa eſt Maior: ſed ſufficit quòd habeat relationem ad terminum totalem.

ARTICVLVS TERTIVS.

Declaratur, quomodo Filius eſt de Subſtantia Patris, non tamen quaſi de materia.

Ideo tenendo cum Doctoribus antiquis, qui omnes &c.

SVMMA TEXTVS.

Filius ẽ de ſubſtãtia Patris, non vt de materia

Prima Concluſio. *Filius non generatur de ſubſtantia Patris, ſicut de materia, vel quaſi materia.*

Filius non eſt de nihilo, ſed verè de ſubſtantia Patris.

Secunda Concluſio. *Filius verè non eſt de nihilo, ſed eſt de ſubſtantia Patris, quatenus nimirum iſta duo habet ſimul Filius: primò, quòd ſit à Patre; & ſecundò, quòd eandem ſubſtantiam habeat cum Patre.*

COMMENTARIVM.

Opinio Gerardi reijcitur.

CIrca Primam Concluſionem. Difficultas occurrit, ex Gerat. ſupra. Qui licèt putet Henr. ſententiam eſſe falſam, ſi intelligatur quòd Eſſentia eſt quaſi materia, & quaſi ſubiectum, habendo omnes conditiones ſubiecti materialis, præſertim quæ includunt imperfectionem; vt ens eſſe in potentia, perfici vt ab actu, à forma, &c. putat tamen eſſe veram, ſi intelligatur Diuina Eſſentia eſſe quaſi ſubiectum, & quaſi materia, ſecundùm aliquas conditiones, quæ dicunt perfectionem: tales autem conditiones putat eſſe tres iſtas. Prima. Quòd Eſſentia Diuina, ſit fundamentum generationis; fundamentum autem & ſubiectum ſunt idem. Secunda. Quia ſubiectum præexiſtit ſuo producto: ita & Eſſentia. Tertia. Quia non ſolùm præexigitur rei genitæ, ſed etiam manet in illa; hoc autem conuenit materiæ, quæ eſt fundamentum formarum, præexiſtens generationi, & eſt in genito: ſic & Eſſentia Diuina præexiſtit in generante, & eſt in genito ſuppoſito.

In Deo vt materia vel quaſi materia non ponitur; ita nec ſubiectũ vel quaſi ſubiectũ poni debet

Dicendum tamen eſt abſolutè, vt ſententiam Henrici, ita & Gerar. non eſſe Theologicam. Ratio eſt. Quia ab intrinſeco, vt eſſe materiam vel quaſi materiam, ita eſſe ſubiectum vel quaſi ſubiectum, dicunt imperfectionem: potentia enim paſſiua, ex ratione formali potentię paſſiuæ, eſt aliquid perfectibile, & ſuſceptiuum perfectionis; ſed Eſſentiam Diuinam, ſimpliciter in omni perfectione infinitam, implicat eſſe perfectibilem, vel ſuſceptiuam alicuius perfectionis; ergo quocunq; modo, implicat Eſſentiam Diuinam dici quaſi materiam, vel quaſi ſubiectum, quia eſt concedere quaſi imperfectionem in Eſſentia.

Præterea ibi ſolùm requiritur in productione ſubiectum, vel quaſi ſubiectum, vbi generationi adiuncta eſt mutatio, vel quaſi mutatio: vt patuit diſt. 2. quæſt. 4. & habetur hìc in litera; in productione autem Diuina, implicat adiungi mutationem, vel quaſi mutationem: quia non eſt ibi tranſitio, vel quaſi tranſitio, de non eſſe ad eſſe, quæ eſt ratio quidditatiua mutationis: cùm teſte Apoſtolo, *non cadat in Deum non modò mutatio ſed nec obumbratio viciſſitudinis*: ergo nec ſubiectum ibi eſt vel quaſi ſubiectum.

Ad inſtantias adductas. De fundamento dico, non eſſe idem fundamentum & ſubiectum: quia ratio fundamenti, vt abſtrahit ab ente finito & infinito, ita & à perfecto vel imperfecto: quare optimè vt tranſcendens, poteſt Deo attribui; vt colligi poteſt ex dictis Doctoris infra, art. 5. ſed ſubiectum eſſe, ſeu ſubijci cuicunq; actui, ſiue ſubſtantiali, ſiue accidentali, abſoluto vel relatiuo, ab intrinſeco inuoluit potentialitatem paſſiuam & finitatem; ac proinde, non poteſt attribui enti perfectiſſimo.

Similiter dico de præeſſe, & in altero eſſe, per mutationem vel quaſi mutationem verè conueniunt ſubiecto cuicunq; reſpectu illius cuius eſt ſubiectum; præeſſe tamen & in altero eſſe, abſq; vlla mutatione vel quaſi mutatione, nullo modo includit ſubiectum, nec vlli ſubiecto conuenit, vel quaſi ſubiecto; quę omnia clariùs patebunt ex ſequentibus articulis.

ARTICVLVS QVARTVS.

An proprietas relatiua ſit actus Eſſentiæ?

Tertiò principaliter, ad ſolutionem difficultatis huius Quæſtionis &c.

SVMMA TEXTVS.

Relat[io] Origi[nis] non [est a]ctus [Essen]tiæ.

Quamuis illi, qui dicunt Eſſentiam eſſe quaſi materiam in Diuinis, conſequenter dicerent relationes originis eſſe ibi actus, vel quaſi actus Eſſentiæ: vt bene aduertit Subt. Doctor in Report. diſt. præſenti quæſt. 3. nos tamen, ſicut non concedimus ibi eſſe materiam, vel quaſi materiam, ita nec relationes dicimus eſſe actus, vel quaſi actus Eſſentiæ. Quod explicando præſens articulus, continet has Concluſiones.

Prima Concluſio. *Deitas, ſeu Eſſentia Diuina, non contrahitur, nec determinatur à proprietate perſonali. Ratio eſt. Quia contrahi ab alio, vel actuari, intrinſecè dicit imperfectionem: quia potentialitatem paſſiuam: quæ nullo modo cadere poteſt in eſſentiam infinitam.*

Secunda Concluſio. *Proprietas perſonalis, vt Paternitas, ita eſt actus (non actuans, ſed ſubſiſtens) Perſonæ, quòd non ſit actus actuans Eſſentiæ, informando Eſſentiam: quia hoc eſt imperfectionis.*

Tertia Concluſio. *Relatio Originis, eſt actus proprius Perſonæ. Quia eſt actus vt conſtitutiuus Perſonæ in eſſe perſonali, ita & diſtinctiuus Perſonæ à Perſona.*

Quarta Cõcluſio. *Eſſentia eſt actus perfectiſſimus, & infinitus, non vni Perſonæ proprius, ſed omnibus tribus conueniens neceſſariò, per modum quidditatis perfectiſſimæ, inexiſtens ſuppoſitis, ſecluſa omni imperfectione.*

Quinta Concluſio. *Quòd Eſſentia non ſit potentia receptiua, nec relatio ſit actus actuans, hoc prouenit ex infinitate Eſſentiæ Diuinæ, cui entitati ſimpliciter infinitæ, repugnat etiam imaginaria quaſi compoſitio: ſi autem ibi eſſet vnum quaſi actus, alterum quaſi ſubiectum potentiale illius actus, ibi eſſet quaſi compoſitio. Vt enim ad compoſitionem Phyſicam realem, requiritur actus realis, & potentia realis, ab inuicem diſtincta, & inter ſe vnita: ita & ad compoſitionem rationis, requiritur ratio vna concepta per modum potentiæ, ſiue ſubiecti & alia, per modum actus: potentia autem ſubiectiua, etiam ſecundùm rationem concepta, dicit imperfectionem, ſaltem rationis; ergo & compoſitio rationis, admiſſa in Diuinis dicet imperfectionem rationis. Vnde male Zuar. lib. 1. de Trinit. concedit hanc compoſitionem rationis in Diuinis. Et reuera, cùm compoſitio non poſſit intelligi, ſine actu & potentia ſubiectiua, potentia autem ſubiectiua, vel eſt materia, vel quaſi materia, conſequenter dicere debet, in Deo eſſe quaſi materiam: vt affirmat Henr. contra communem ſcholam Theologorum.*

Sexta

Sexta Conclusio. *Cum ista perfectissima identitate & simplicitate Essentiæ Diuinæ cum relatione, stat non identitas formalis essentiæ & relationis: vt dictum est dist. 2 q. 7. & dist. 34.*

Ex hoc loco collige. Quòd aduersarij non intelligunt, quid sit apud nostrum Doctorem distinctio formalis: vt etiam alias annotaui: quæ potest esse in Ente simplicissimo, nullam compositionem etiam rationis admittente.

Illud quod dicitur in textu, Conclusione 4. & art. sequenti, Relationes Originis, ex ratione sua formali, non esse actus infinitos: explicatur à Doct. Subt. copiosè in quodlibetis q. 5.

ARTICVLVS QVINTVS.

Explicantur tres Difficultates.

Secunda difficultas est: quomodo relatio possit esse &c.

SVMMA TEXTVS.

Prima pars Articuli, continens primam difficultatem, his Conclusionibus explicatur.

Relatio originis est actus personalis, nō quidditatiuus.

Prima Conclusio. *Relatio est actus personalis, cùm distinguat personaliter, non quidditatiuus, quia non distinguit quidditatiuè.*

Secunda Conclusio. *Essentia Diuina, est actus quidditatiuus, formaliter infinitus, quidditatiuè distinguens.*

Essentia est fundamentum Relationū, quō.

Secunda Difficultas, hac Conclusione expeditur. *Essentia Diuina, est fundamentum relationum Originis: non fundamentum potentiale, recipiens illas quasi subiectum, sed est fundamentum per modum formæ & actus: in quo actu natæ sunt relationes subsistere: non quidem per informationem, vt albedo est in pariete, sed prout subsistens dicitur in natura, eo modo quo Petrus dicitur subsistere in humanitate. Petrus enim humanitate est homo. Vide discursum pulcherrimum, & exemplum aptissimum, in litera Doctoris de hac Conclusione.*

Vltimæ difficultati satisfacit hæc Conclusio. *Communicatum, (nempe Essentia, inquantum productione communicatur) non præsupponit illud cui communicatur, nec è conuerso: ita quòd neq. natura communicetur ante productionem suppositi: quia alias intelligeretur communicari non producto, quod est impossibile: nec è contra, suppositum est productum, antequam illi natura communicetur, licèt absolutè illud quod communicatur sit prius (prioritatem intelligibilitatis hìc intellige, de qua dist. 1. q. 2. dictum est) ratione suppositi Patris, vel ratione subsistentiæ essentialis: prout explicatum est supra art. 2. in dubitatione proposita, Notab. 3.*

ARGVMENTA TVM PRO OPINIONE Articuli Primi adducta, tum principalia soluuntur.

Ad argumenta pro Opinione. Ad Primum Augustini, &c.

COMMENTARIVM.

OMnia sunt clara, ex dictis in corpore Quæstionis: præsertim art. 3.

DISTINCTIO VI.

DE MODO QVO PATER GENERAT FILIVM: an natura, an voluntate, vel necessitate.

QVAESTIO VNICA.

Vtrum Deus Pater, genuit Deum Filium Voluntate.

Circa istam Distinctionem Sextam: quæro, &c.

SVMMA QVÆSTIONIS.

In ista Quæstione videntur esse duæ difficultates. Vna, qualiter Pater generat Filium volens. Alia, quomodo saluetur, quòd Pater non generat Filium voluntate, vt principio productiuo.

ARTICVLVS PRIMVS.

Quomodo Pater generat Filium volens.

Quantùm ad Primum. Dicitur, quòd non generat volens &c.

SVMMA TEXTVS.

Duæ sunt partes principales istius Articuli. In Prima, examinatur Opinio Henrici de Gandauo, in sum. art. 58. q. 2. & 6. Qui ponit hanc Conclusionem. Pater generat Filium, naturali necessitate, sicut ignis naturali necessitate calefacit: atq. ita non generat volens, voluntate antecedenti, sed bene voluntate consequente complacet sibi in generatione. Ratio est. Quia intellectio Patris, præcedit volitionem Patris; sed productio Filij fit per intellectionem Patris: ergo præcedit volitionem.

Pater non generat Filium voluntariè seu volitione antecedenti secundū Henricum.

Doctor Subt. istam Minorem, quòd Pater actu intelligendi producat Verbum, impugnat in præsenti: & hoc sufficienter declaratum est à nobis supra, dist. 2. q. 5. art. 4. vide ibi. Deinde ostendit Doctor, quòd ex isto Antecedente falso, Intellectio Patris, est actus productiuus Verbi: sequitur hoc consequens falsum, Igitur productio Filij, præcedit omnem volitionem Patris. Tertiò probationem illius falsæ Minoris, ab Henr. adductam, hanc, Vnius potentiæ, non sunt duo actus; sed dicere, seu gignere Verbum, est actus potentiæ intellectiuæ, similiter & intelligere Patris: ergo dicere Verbum, & intelligere Verbum, erit vnus actus: Resoluit Doctor sic. Vel illa Maior intelligitur de actione adæquata, tam illa quæ est de genere actionis, quàm illa quæ est terminus huius: & sic Maior est falsa: vel disiunctiuè intelligitur, quòd vnius potentiæ, vnus sit actus adæquatus, de genere actionis, & vnus etiam vt terminus: & sic nihil contra nos. Vide dicta supra, ibi in litera: aliter dicit quidam Doctor. Est opinio Gotfr. dist. 1. q. 1. vt narrat hic Aureol.

Vnius potētiæ est vnus actus adæquatus.

In Secunda parte Articuli, habetur Doctoris Conclusio, ibi: De quarto dico: quòd Pater hoc modo gignit Filium volens; quia Pater in primo signo originis, intelligit formaliter, & tunc potest etiam habere actum volendi formaliter: in secundo signo gignit Filium &c. *Quæ omnia dicta, tum de signis originis, tum de actibus essentialibus intellectionis & volitionis, quomodo sint priores actibus notionalibus secundùm Scoticam Subtilitatem: vide dist. 1. q. 2. art. 2. dubit. 3. & infra dist. 27. q. 1.*

Pater generat Filium volens.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Quomodo Pater non generat Filium voluntate, vt principio productiuo.

Quantùm ad Secundum Articulum. Videtur quòd Pater &c.

SVMMA TEXTVS.

Pater non producit Filium volun tate, vt prin cipio pro- ductiuo.

Prima Conclusio. *Pater non producit Filium voluntate, vt principio productiuo. Ratio est. Primò. Quia ab vno principio formali productiuo, Quo, est vnica productio, vt dictum est dist. 2. quæst. 5. art. 3. sed voluntas est principium Quo, respectu productionis Spiritus S. ergo non est respectu Filij. Secunda. Principium simpliciter perfectum, non requirit aliquod comprincipium secum, ad actum suam: memoria autem in Patre, vt dictum est supra, est principium simpliciter perfectum, immediatè productiuum Verbi: ergo non indiget voluntate, vt comprincipio.*

Secunda Conclusio. *Pater non genuit Filium voluntate, vt principio superiori, applicante, vel copulante memoriam ad intellectionem.*

COMMENTARIVM.

PRo intelligenda Secunda Conclusione, Nota. Primò. Aliam esse istam quæstionem. An Pater genuerit Filium voluntate: ab illa, An Pater genuerit Filium volens: vt etiam distinguit Doctor Subtil. in Report. distin. præsenti. Quia secunda, quærit de actu secundo voluntatis, seu de volitione, an illa concurrat ad generationem, sic quòd Pater aliquomodo voluntariè generat Filium; prior autem inquirit de voluntate in actu primo, an voluntas concurrat in ratione principij productiui.

Ly voluntate, sumitur aduerbialiter, & ablatiuè.

Et licèt quidam dicant (vt suppresso nomine in textu, intelligitur Ioann. Rodithon. dist. præsenti q. 3. referente hic Guillerino, eandemq; distinctionem admittit Bassol. quæst. 3. Ocam, & Gabr. hic) quòd ly voluntate, si sumitur aduerbialiter, pro voluntariè, reddidit in secundo sensu quæstionem; si autem sumatur ablatiuè, denotat principium in primo sensu: ex prima tamen nominis significatione, Verbum significans actum, dum attribuitur potentiæ, quærit de ipsa potentia, an in ratione principij & potentiæ concurrat ad actum; ac proinde, melior est prior distinctio Doctoris.

Accipiendo igitur quæstionem secundùm primum intellectum, An Pater generet Filium, voluntate, vt principio Quo productiuo; duplex à Doctore in textu principium subdistinguitur. Vel enim de principio productiuo immediato, & proximo actus generationis, sicut communiter voluntas conceditur esse principium proximum productiuum Spiritus S.; & intellectus dicitur principium proximum suæ intellectionis: vel de principio remoto, quod applicatur principio proximo, & inclinat illud ad actum productionis, sicut voluntas in nobis, conceditur quòd applicet intellectum ad actum intelligendi, licèt eum non eliciat, secundùm veriorem sententiam in 2. dist. 25.

Prima igitur Conclusio huius Articuli, procedit de principio secundùm priorem sensum accepto, Secunda, iuxta alteram acceptionem.

Voluntas in nobis pôt esse principium remotum respectu intellectionis nostræ, nô sic in Deo.

Nota Secundò. Ideo non potest voluntas in Deo esse principium remotum, applicatiuum memoriæ ad intellectionem genitam, in nobis autem potest: quia in nobis multæ intellectiones genitæ, subiacent imperio voluntatis; multa enim cùm volumus intelligimus; intellectio verò genita in Deo, cùm sit vnica, prior volitione elicita, non habebit respectu illius voluntas rationem principij remoti, applicantis memoriam ad talem actum. Vnde sicut in nobis, voluntas non est principium applicatiuum intellectus, ad primam intellectionem, siquidem prima intellectio non est in nostra potestate (nisi quoad continuationem, de quo in 2. distin. 42. cum Doctore dicemus) quoad sui productionem; & si in nobis non esset, nisi ille primus actus intelligendi vnicus, semper stans necessariò, voluntas non haberet rationem principij, & remoti, respectu illius: ita in Diuinis, cùm non sit ibi nisi vna intellectio producta, semper necessariò subsistens, voluntas respectu illius non habebit rationem principij, etiam remoti. Et hoc vult Doctor in litera, ibi: *propter istas tamen authoritates Augustini intelligendum est.*

Dices. Ex multis locis August. colligi potest, quòd voluntas sit principium verbi, copulando obiectum cum potentia: vnde 11. de Trinit. dicit, ad visionem requiritur intentio, copulans parente cum prole; hæc autem secundùm August. non solum sunt vera in nobis, sed etiam in Deo. Cùm enim nostra voluntas sit tertia pars imaginis, iuxta supradicta; isti imagini debet in prototypo, nempe in Deo, par ratio respondere, hoc est voluntas copulans memoriam cum intelligentia.

Respondeo. Voluntas nostra, vt est tertia pars imaginis, potest habere duplicem actum respectu memoriæ. Primum, circa obiectum memoriæ: Secundum, circa actum memoriæ, siue circa intellectionem: voluntas enim nostra, potest diligere & obiectum ab intellectu ostensum, & ipsam intellectionem talis obiecti. Inter istos porro actus voluntatis, principalior est ille, qui est dilectio obiecti; communior tamen est actus & frequentior, dilectio cognitionis de illo obiecto. Ad quod probandum, adducitur illa authoritas August. Placet mihi definire intemperantiam, sed non placet intemperantia. Voluntas igitur in nobis, vt est tertia pars imaginis, non assimilatur voluntati Diuinæ, quantùm ad hoc, quod est copulare parentem cum prole, quia hoc conuenit, vt dictum est, voluntati creatæ, quoad alios actus intelligendi à prima intellectione; non autem Deo, in quo est vnica intellectio producta: sed assimilatur penes istos prædictos duos actus, amandi obiectum cognitum, & amandi ipsam cognitionem de illo obiecto. Hinc intelligitur litera Doctoris. Cætera patent ex dictis supra, dist. 2. q. 4. & dist. 3. quæst. de imagine.

Pater nuit Filium volens, dupliciter pôt intelligi.

Nota Tertiò. Ista propositio, Pater genuit Filium voluntariè, seu volens: accipi potest quadrupliciter. Primò, de voluntate antecedente de nouo, quòd Pater aliquando non voluit gignere, modò autem vult gignere, habendo volitionem de Filij generatione; & sic dicit Catholica Fides, cum S. Augustino. 15. de Trinit. & S. Ambros. lib. de Spiritu S. contra Eunomium, quòd Pater non generat Filium, tali voluntate, de nouo antecedente. Secundò. Potest intelligi, de actu antecedente in æternitate, vtrum volitio Patris, secundùm aliquam prioritatis rationem, antecedat generationem Filij: & cùm inferiùs ostendatur distinct. 27. omnem actum essentialem, esse priorem quocunq; notionali; consequens est, quòd volitio, prior est generatione. In hoc dicto conuenit cum Doct. Subtili Caietanus 1. par. quæst. 41. art. 2. Oppositum tamen illi sentit ibidem Ban. Zum. Molina, & Ferrar. 4. con. gen. cap. 11. Capreol. hic, Greg. de Val. putat vtramq; sententiam esse veram: sed ex supposito fundamento patet oppositum.

Volitio Patris antecedit productionem Filij.

Tertiò. Potest accipi de volitione concomitante, ita, quòd in illo signo, in quo intelligitur Pater generare, intelligitur etiam volitio generationis illius. Quartò. De volitione subsequente, & approbante generationem, ac complacente in illa: vtroq; etiam horum modorum Pater genuit Filium volens, secundùm Doctorem Subt.

Dubitatur Primò.

Vtrum Pater genuit Filium necessitate.

Videtur quòd non necessariò. Primò. Quando aliqua duo principia productiua, diuidunt aliquod commune, habent illa principia modos principiandi oppositos: sed libertas & natura, diuidunt hoc commune, principium; ergo modos oppositos habent principiandi: Vltra: sed necessitas conuenit libertati; quia Spiritus S. liberè & necessariò producitur vt dicitur infra; igitur non conuenit principio naturali, quo producitur Filius, vt necessariò producatur.

Secundò. Agere necessariò, est intrinsecè imperfectionis. Patet. Quia tale agens, non habet in sua potestate talem actionem; vt patet in brutis, quæ magis aguntur, quàm agunt; ergo talis modus agendi, non est Deo attribuendus.

Tertiò. Idem vult August. lib. ad Orosium q. 7. dicens, Deus Pater genuit Filium, nec necessitate, nec voluntate.

In oppositum est Magister hic, cum communi Schola Theologorum, & Doctore nostro, in Report. dist. 6. q. 3.

Pro resolutione. Nota Primò. Omissis illis modis necessitatis, quos Arist. tum 5. Met. tex. 5. tum 12. tex. 38. Theologicè distinguitur necessitas à Seraphico Doctore hic tripliciter. Quædam enim necessitas est, ex principio disconueniente. Alia, ex principio deficiente. Tertia, ex principio sufficiente & conueniente simul. Quælibet harum Subdiuiditur. Nam necessitas ex principio disconueniente, vel mouet contra naturam; & dicitur necessitas violentiæ: aut contra voluntatem; & dicitur necessitas coactionis. Necessitas item ex principio deficiente, vel est necessitas indigentiæ, sicut destructum habens organum visus, necessariò non videt, necessitate proueniente ex principio deficiente, quo indiget homo ad hoc vt videat: vel secundò est necessitas ineuitabilitatis, quando aliquid ex defectu incurrimus necessariò; sic ex defectu animaduertentię in primis motibus, necessariò necessitate ineuitabilitatis turbamur. Illa demum necessitas, quæ est ex principio cõueniente simul & sufficiente: vel est ex principio sufficiẽte in disponendo materiam; & hæc vocatur necessitas exigentiæ, sic necessariò in materiam dispositam inducitur forma, & corpus perfectè organizatum, necessariò exigit animam, vt sibi infundatur: vel est necessitas in completo & perfecto modo essendi, cui non est possibile cessare & desinere esse; & vocatur hæc necessitas immutabilitatis à S. Bonauent. quæ soli Deo conuenit. Concludit S. Bonauentura. Quòd Deus Pater necessariò hac necessitate immutabilitatis (quæ est necessitas simpliciter, secundùm ipsum) generat Filium. Aliter tamen aliquomodo distinguendo necessitatem, secundùm Doctorem Subtilem.

ecessita-s diuisio cundũ S. onau.

Nota Secundò. Necessarium, in via Scotistarum, prima diuisione est duplex. Aliud incomplexum; aliud complexum. Incomplexum iterum, aliud est necessarium simpliciter, quod scilicet est Ens à se, & independens; & sic solus Deus gloriosus, est Ens necessarium: aliud est necessarium diminutum, quod habet diminutam entitatem, sicut creaturæ in esse obiectiuo seu intelligibili, sunt necessaria diminuta: aliud demum necessarium est secundùm quid, qđ non est necessarium simpliciter, sunt tamen indefectibilia; qualia sunt illa, quæ non habent in se potentiam, per quã tendãt in non esse, vt anima rationalis, Angeli, cælum, materia; simpliciter tamen ad potentiam Dei comparata, possunt non esse. Hoc vltimum necessarium, est simpliciter cõtingens, & secundũ quid necessarium: primum, est simpliciter necessarium, & nullo modo contingens; medium, non quidem est contingens, sed necessarium diminutum, siue necessarium secundũ esse idæale obiectiuum. Necessarium simpliciter, tam secundùm Philosophos, quàm sm̃ Theologos, duplex ponitur. Ex se, & à se; & aliud ex se formaliter, & ab alio productiuè; sic apud Theologos, Pater in Diuinis, est Ens necessarium, ex se formaliter, & à se: quia à nullo est productiuè: Filius autem, est Ens necessarium: ex se formaliter; quia habet formaliter naturam indefectibilem: sed non à se; quia est à Patre productiuè: similiter Spiritus S. est ex se formaliter, sed non à se; quia est à Patre, & Filio. Secundùm autem Philosophos, prima Intelligentia est necessaria simpliciter, ex se formaliter, & à se: secunda autem Intelligentia, est necessaria ex se, sed non est à se, cùm sit à prima: atque ita secundùm Philosophos, omnes Intelligentiæ sunt simpliciter necessariæ, sed prima ex se & à se est necessaria, alia autem ex se formaliter, & ab alio productiuè. Verùm de hac positione Philosophornm, dicemus dist. 8. Distinctio necessarij Complexi, in necessarium per se primo vel secundo modo, & aliæ subdiuisiones, non sunt nunc ad propositum.

ecessitatis ;isio sm̃ ctum.

ecessariũ npliciter plex est.

Ex prædictis autem necessitatibus incomplexis, solum necessarium simpliciter, siue à se, siue ab alio, est modus intrinsecus Entis, diuidens Ens per necessarium & contingens: quam necessitatem simpliciter Doctor distinct. 8. & 39. vocat necessitatem ineuitabilitatis; & ita nominant communiter Theologi, præter D. Bonauent. vt visum est; necessitatem autem immutabilitatis ponunt Theologi in cognitione Diuina, respectu futurorum contingentium, de quo d. 39. potest tamen sumi & ad intra necessitas immutabilitatis, vt in Report. accipit Doctor Subtil. sæpiùs.

Conclusio. Pater genuit Filium necessariò, necessitate immutabilitatis, & ineuitabilitatis. Ista Conclusio est Doctoris in Report. distinct. præsenti quæst. 3. Probatur Primò ratione eiusdem. In omni coordinatione Entis, necessitas est conditio nobilis, si est possibilis; vt patet ex diuisione Entis; dum enim Ens diuiditur, per necessarium & contingens, nobilior est conditio entis necessarij, ac ab intrinseco indefectibilis, quam contingentis, & possibilis deficere: sed quod est possibile in ente, dicens nobilitatem & perfectionem, ipsi enti nobilissimo & supremo, in ratione Entis, nempe Deo, est compossibile; ergo necessitas est compossibilis, vt Patri producenti, ita Filio producto. Ista ratio habet euidentiam in dictis distinct. 2. quæst. 2. artic. 4.

Pater generat Filium necessariò necessitate ineuitabilitatis.

Probatur Secundò. Omne producens ad intra in Diuinis, necessariò est productiuum, productio autem Filij in Diuinis est ad intra; ergo ista productio est necessaria. Maior. Quia da oppositum, quòd ad intra in Deo sit aliquid productiuum, & non necessariò; sequitur quòd sit contingens; & sic, cùm quodlibet quod est in Deo, sit Deus, Deus esset contingens: quod est impossibile, & contra superiùs probata, q. 2. dist. 2.

Tertiò. Quicquid est idem Deo, est necessarium, necessitate simpliciter; generare, est idẽ realiter Deo; ergo, &c. Ad idem adducit Magister Sentent. authoritates Sanctorum in litera, & magis patebit ex dicendis dist. 8.

Ad Argumenta in principio proposita.

Ad Primum. Modus principiandi in Diuinis, diuidens principium in communi: vel est communis vtrique membro subdiuidenti; & talis non requirit, quod si vno membro conuenit (vt voluntati, prout est principium productiuum Quo, Spiritus S.) quòd alteri non conueniat; imò eo ipso quia modus communis est, debet vtrique membro conuenire: vel secundò, est proprius, sicut per modũ naturæ & per modum principij liberi producere; & talis si vni membro conuenit, non conuenit alteri. Necessitas igitur productionis, est modus vtrique principio conueniens, & non proprius tantùm vnius.

Ad Secundum. Nego Minorem. Solùm siquidem actio necessaria ibi est imperfectionis, vbi actio distinguitur realiter ab agente, & est accidẽs agentis: non ita est in proposito. Secundò, agere necessariò, non per intellectũ, prout agunt agentia creata, est imperfectionis: non item agere per intellectum necessariò. Et ratio est. Quia si ens intellectiuum, ex ratione sua dicit perfectionem, & non intellectiuum dicit imperfectionem; consequenter, modus agendi necessariò, entis imperfecti, dicet imperfectionem, perfecti autem agentis, dicet perfectionem. Tertiò dici potest, agere necessariò, necessitate secundùm quid, & impedibili, est imperfectionis & impotentię, vt dicit S. Bonauentura; agere verò, necessariò, necessitate perfectionis & simpliciter, nullam dicit imperfectionem: imò perfectionem: vt Prima ratio pro Conclusione ostendit.

Ad August. authoritatem. Dicit Subt. Doctor in Report. eam esse intelligendam hoc modo. Pater non genuit Filium voluntate: puta coacta: sed libera, necessaria tamen. Nec genuit necessitate coactionis, licèt genuerit verè necessariò, necessitate simpliciter. Quæ explicatio placet Bassolio, & Vorril. dist. præsenti.

Dubitatur Secundò.

Vtrum Pater genuerit Filium natura?

Videtur quòd non. Primò. Omne productum per naturam, est mutabile, vt habetur ex Arist. 2. Phys. vbi definit Naturam, esse principium motus & quietis, eius in quo est, per se, & non per accidens: Diuina autem generatio, est immutabilis; vt paulò ante dictum est, & dist. 8. & 9. dicetur.

Secundò. Quod producitur per modum artis, non producitur natura: cum ars & natura sint distincta principia,

secundùm Arist. sed Filius producitur à Patre, sicut ars; teste August. 6. Trinit. est enim ars omnipotentis Dei, plena rationibus omnium viuentium, vbi dicitur Zuar. &c.

Tertiò. Natura & intellectus, sunt distincta principia productiua, vt dicitur 2. Phys. Si igitur Filius Dei procedit per modum intellectus, vt dictum est, non procedit per motum naturæ.

Pater generat Filium natura.

Conclusio affirmatiua est Magistri senten. hìc, & communis Theologorum. Cui apertis verbis subscribit Doctor, dist. 2. q. 7. in responsione ad argumenta principalia: vbi docet, naturam & Essentiam Diuinam, cum intellectu, constituere memoriam fęcundam: quæ memoria, est principium naturale, distinctum contra liberum, productionis Filij. Hoc idem q. 4. distin. 2. & distin. 4. & sequenti, & 10. Nec aliud in præsenti intelligitur, cùm dicitur, Pater natura genuit Filium: nisi quòd Pater genuerit Filium, principio intrinsecè naturali, quale principium est intellectus, habens essentiam in ratione obiecti; & non libero, qualis est voluntas: qua licèt necessariò Pater & Filius spirant Spiritum S. non tamen principio naturali, sed libero, vt dist. 10. art. 1. ostenditur.

Generatio Filij Dei, an sit naturalis dicenda.

Hinc patet resolutio illius quæstionis. An generatio Filij Dei, possit dici naturalis? Si enim sermo sit de naturali, vt distinguitur contra liberum; patet ex dictis, quòd sit naturalis, non libera: si etiam naturale accipis, distinguendo contra artificiale, generatio Diuina, verè est naturalis. Contra item distinguendo naturale contra violentum (quo pacto dicimus quòd motus grauium, alius est naturalis deorsum, alius violentus sursum) sic etiam verè generatio est naturalis, & non violenta. At si naturale accipiatur contra supernaturale, tunc generatio Diuina non dicetur naturalis, sed supernaturalis. Vide de hac materia fusè, Richar. Mayr. Bassol. aliosq; Scotistas antiquiores.

Natura tripliciter accipitur.

Pro resolutione argumentorum. Nota. Naturam posse tripliciter accipi. Primò, communissimè, pro omni quidditate & essentia; sic dicimus, natura entis, natura albedinis, natura voluntatis. Secundò, minùs communiter, transcendenter tamen, pro natura eminenti, & omnem possibilem naturā virtualiter continenti; & dicitur ab antiquis Theologis, natura naturans; quod soli Diuinæ Essentiæ conuenit. Tertiò accipitur pro omni creata quidditate; omnis enim creata essentia, siue substantialis, siue accidentalis, dicitur in suo genere natura: hoc modo sumptam naturā, vocant antiqui Theologi, naturam naturatam, seu productam ab eminenti illa natura naturante. Distinguiturq; hæc acceptio à prima: quia ibi accipitur communissimè, vt est commune Deo & creaturæ, hìc autem pro sola natura creata. Hæc rursus natura, distinguitur in principalem, qualis est substantia, siue forma, siue materia, siue compositum; & in procedentem à principali, qualia sunt accidentia.

Ad primum in contrarium. Nego Maiorem. Ad probationem. Dico, Philosophum ibi loqui de natura, tertio modo dicta, vt patet ibidem, vbi materiam & formam agnoscit esse naturas; non autem de natura primo vel secundo modo. Aliqui tamen volentes extendere definitionem naturæ, ab Arist. traditam, ad Diuina; dicunt quòd ibi motus accipitur, non pro motu strictè sumpto, vt est coniunctus mutationi, sed accipitur ibi motus, pro productione: quies autem non necessariò concomitatur motum, secundùm Arist. quia apud illum, cœlum naturaliter mouetur, non tamen naturaliter quiescet vnquam. Vnde dicunt, quòd secundùm Arist. non implicat in Diuinis esse principium productionis, absq; cessatione. Verùm hæc glossa, licèt sit Catholica, referendo nihilominus illam ad mentem Philosophi, est valde extralinealis: cùm Aristot. nullatenus in Diuinis productionem agnouerit. Deinde, apertè loquitur ibi de principijs corporis naturalis, quæ principia sunt materia & forma, secundùm illum ibidem.

Arist. nō [a]gnouit p[ro]ductione[m] in Diuini[s]

Ad Secundum. Filius in Diuinis, ita dicitur ars, sicut & Pater est ars, & Spiritus S. est ars, quatenus quælibet Sanctissimarum Personarum, plena est idæalibus rationibus omnium entium; de quo infra, cum D. August. appropriatè tamen dicitur ars de Filio, sicut & sapientia, ex vi illius productionis; quia intellectu fęcundo Patris producitur. Non tamen ex hoc sequitur, quòd Filius sit artificiatum, distinguendo contra naturam; quia artificiatum, distinctum contra naturam, est productum contingenter in natura naturata, ab aliquo producente contingenti, habente intellectum: in præsenti autē, productum est necessarium in natura naturante, à producente necessariò.

Ars appr[o]priate di[ci]tur de Fili[o]

Ad Tertium. Patet responsio ex dictis, dist. 2. q. 7. in solut. argumentorum principalium, quòd Aristot. accipit ibi agens per intellectum, pro agente libero, non præscindendo intellectum à voluntate: si autem præcisio fiat, voluntas est potentia libera, intellectus autem necessaria.

ARGVMENTA IN PRINCIPIO
Quæstionis adducta, soluuntur.

Ad Argumenta principalia. Ad Primum. Cùm dicit Richar. &c.



DISTINCTIO VII.

DE POTENTIA GENERANDI, AN PATER POTVERIT generare Filium: &, An sit aliqua potentia in Patre, quæ non est in Filio.

QVÆSTIO VNICA.

Vtrum potentia generandi in Patre sit aliquid absolutum, vel proprietas Patris.

Quòd proprietas Patris, probo. August. 15. de Trinit. c. 6. Eo Pater est &c.

SVMMA QVÆSTIONIS.

Hic Primo Articulo, narratur Opinio eorum, qui solam Essentiam dicunt esse potentiam generandi. In Secundo Articulo, ponitur alia Opinio: quæ potentiam generandi dicit esse Essentiam, non absolutè: sed vt determinatam per relationem. In Tertio, Sententia propria explicatur. In Quarto, ex occasione argumenti, ostenditur generationem in Diuinis esse vniuocam. In Quinto, argumenta contra Primam Opinionem posita, soluuntur, quatenus contra sententiam articulo tertio expressam, militant. Tandem soluuntur argumenta principalia.

ARTICVLVS PRIMVS.

Quidam dicunt solam Essentiam esse potentiam generandi.

Hic est Opinio talis. Quòd illud quo Pater generat, est Essentia &c.

COMMENTARIVM.



Opinio D. Thom.

OPinio hìc recitata, potest attribui D. Thomæ 1. part. q. 41. ar. 5. vbi vult, non relationem, sed ipsam Essentiam esse principium Quo, productiuum Filij. Ista tamen doctrina D. Tho. indefinitè proposita, potest dupliciter intelligi: vel cum præcisione, sic, quòd Essentia sub ratione Essentiæ, & non quatenus habens intellectum aut memoriam, est principium productiuum: vel absq; præcisione, cum connotatione intellectus, sic, quòd Essentia, vt habens intellectum in Patre, sit potentia generandi in Patre. Si primo modo intelligatur, est opinio falsa; & contra illam sic sumptam, procedunt argumenta sex, in textu posita: si secundo modo, coincidit cum sententia Subtilis Doct. articulo tertio explicata, quamuis in modo aliqualiter explicandi differat. Quemnam sensum D. Thomas intendat, ille meliùs nouit: Capreolus tamen, dist. præsenti & Caiet. 1. part. q. 41. art. 5. secundum sensum esse de mente D. Tho. affirmat.

Quamuis autem argumenta hìc posita improbent, vt dixi, illam positionem, quòd Essentia sub ratione Essentiæ sit principium productiuum Quo; tamen etiam contra secundum sensum, eodem modo argumentari possumus, præsertim tribus prioribus argumentis, easdemq; inconuenientias inferre; ob quod infra art. 5. hæc argumenta soluuntur. Ac proinde hæ rationes, sunt duntaxat probabilitates; fundamentalis verò impugnatio istius Opinionis, secundum primum sensum, habetur supra, dist. 2. q. 4. 5. & 6. item hic, art. 3. & infra, dist. 13.

Textus literæ est clarus.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Alij opinantur Essentiam non præcisè, seu vt determinatam per talem relationem, esse potentiam generandi.

Aliter dicitur, quòd generationis in Diuinis oportet &c.

COMMENTARIVM.

OPinio præsens elici potest ex dictis Gandau. in Sum. art. 58. q. 1. 3. & 7. & quodl. 3. q. 3. quamuis dist. 2. q. 5. aliam eiusdem sententiam retulerimus) Quæ vt intelligatur.

Nota Primò. Secundùm hanc doctrinam, potentia generandi, includit & absolutum & relatiuum: sed distincto modo. Potentia enim generatiua, debet esse principium elicitiuum generationis: Deinde, debet esse principium determinatum. Quòd ergo sit principium elicitiuum, hoc habet potentia generandi ex absoluto, nempe ex Essentia, (relatio siquidem vt non est terminus productionis ex 5. Phys. ita nec potest esse principium elicitiuum) Quòd vero sit principium determinatum huius actionis, puta generationis, istud prouenit ex determinata relatione. Essentia enim est principium elicitiuum omnis productionis in Diuinis, atq; ita de se est principium indeterminatum huius vel illius actionis; vt ergo aliquid determinatè producat, debet ab alio determinari, hoc autem aliud, non potest esse, nisi relatio. Confirmatur hoc, per exemplum in rebus creatis. Forma enim caloris, vt est in subiecto, ratione istius relationis, seu inhærentiæ in subiecto, est indeterminatum principium Quo, producendi hunc vel illum calorem; hæc autem indeterminatio, & indifferētia eius, tollitur & determinatur per relationem ad obiectum, seu per respectum ad passum, in quod agit: hęc enim calefactio, erit respectu huius passi, quod calefit, illa, respectu illius. Et hoc in textu Doctoris intelligitur per actum primum, quando nimirum potest forma huius, vel illius, esse principium, sed actu non principiat; & per actū secundùm, quando actu determinaatè producit. Secundum Gand. Essētia est principiū elicitiuum genere rōnis diuinæ. Relatio aūt paternitatis est principiū determinatiuum.

Nota Secundò. Circa ipsas rationes sex, quibus impugnat Doctor propositam Opinionem. Quòd priores duæ, improbent illud dictum præfatæ Opinionis. Principium indeterminatum, non potest exire in actum, nisi determinetur. Hoc dictum, non habet veritatem. Tum quia, quod est indeterminatum ad plures actus, indeterminatione potentiæ actiuæ, potest exire in quemlibet illorum, absq; hoc quòd determinetur ab aliquo; vt patet in Sole, & in Deo, multa producente ad extra absq; vlla determinatione; Essentia autem Diuina est indeterminata ratione principij actiui, non autem passiui. Tum quia, quod est in ratione principij actiui indeterminatum ad plura producenda quodam ordine, potest illa producere secundùm eum ordinem, secundùm quem apta sunt produci; absq; vllo determinante, præsertim si illud principium sit perfectum: sed ita est in præsenti; ergo non requiritur aliunde determinatio. Et hic est sensus duarum primarum rationum in litera. Hoc etiam dictum optimè confutatur à D. Bonauent. dist. præsenti q. 1. Indeterminatum ad vnū, pōt sei psū determinare ad hunc vel illum actū.

Tres aliæ rationes sequentes, ostendunt, illud dictum secundum huius Opinionis, quòd relatio determinat Essentiam, esse nullum. Et quidem ratio Quinta euidens, est in textu. Quarta verò, quòd Essentia non sit determinabilis à relatione, nec relatio actuet Essentiam, explicata est sufficienter, dist. 5. q. 2. art. 4. & 5. Tertia ratio, supponit dictum Doctoris, dist. 3. q. 5. in responsione ad argumenta Henr. vbi dictum est, rationem singularitatis, non esse rationem agendi, sed rationem agentis: similiter dicimus in Diuinis, quòd Paternitas est ratio generantis, sed non ratio generandi. Si ergo relatio Paternitatis, sit & constitutiua suppositi Patris agentis, & sit determinatiua rationis agendi, seu Essentiæ, vt vult Henr. sequitur quòd relatio Paternitatis, mediabit inter seipsam & generationem: Paternitas est rō generantis sed nō rō generandi.

hoc est dictum: sequitur, quòd Paternitas, in illo priori, in quo intelligitur ratio agendi, prior ratione agentis, & quouis supposito, cointelligetur; quòd est inconueniens: quia vt dictum est supra, ratio agendi, ex natura sua, prior est ratione agentis, & essentialia in Diuinis sunt priora notionalibus: & sic eadem Paternitas, erit prior supposito Patris (secundùm prioritatem signi) inquantum est ratio agendi, vel determinatiua rationis agendi, & quodammodo erit posterior, inquantum est ratio agentis, vel suppositi constitutiua.

Ratio Sexta, ostendit nullitatem exempli, adducti ad confirmationem huius Opinionis.

Relatio nō est potentia generandi.

Nota Tertiò. Dum Capreol. dist. præsenti, Caietanus. Ban. Zum. alijq; Thomistæ, 1. part. q. 41. art. 5. docent, potentiam generandi non importare solam relationem, nec relationem & essentiam ex æquo, sed essentiam in recto, relationem in obliquo: potest hæc illorum doctrina dupliciter intelligi. Vel enim dicunt relationem requiri, tanquam comprincipium generationis cum essentia, & vt verè rationem agendi, quomodo in creaturis dicimus intellectum cum specie concurrere, vt vnum principium totale, & species est concausa respectu intellectionis, & quomodo diximus supra, quòd intellectus Patris habens essentiam in ratione obiecti, ista sunt principium Quo, & vna ratio producendi Verbum, non sola essentia, nec solus intellectus: & hoc dictum non est probandum; quia nulla ratio potest assignari, cur relatio requiritur in ratione principij, nisi illa assignata ab Henrico, vt scilicet determinetur memoria fæcunda, in ratione huius productionis: hoc autem fundamentum est nullum, vt visum est. Vel secundò requirunt, vt rationem agentis, & vt rationem principij Quod, non Quo; & sic verum dicunt, atq; in hoc conuenimus Scotistæ cum Thomistis, quòd cùm dico, Memoria fæcunda Patris: relatio illa in obliquo, significat illam potentiam generandi, quæ est memoria fæcunda, in solo supposito Patris reperiri, qui Pater est principium Quod generationis. Breuiter. Relatio connotatur, & requiritur in obliquo, non tanquam ratio agendi, sed tanquam ratio agentis illius suppositi, cui soli conuenit illa ratio agendi. Et videntur hoc intelligere prædicti D. Thomæ discipuli, præter Molinam ibidem, & Valent. qui priorem sensum intendunt, secuti Richar. de Media Villa distin. præsenti q. 1. qui dicit, per potentiam generandi, intelligi naturam Diuinam, cum modo habendi eam non ab alio; vbi natura Diuina dicit Quid, modus autem habendi eam, qui est non ab alio, dicit Ad aliquid.

Nota Quartò. Quamuis Doctor Seraphicus citetur ab Aureolo hic, à Valentia, Molina, & Zum. supra, pro illa sententia, quæ arbitratur relationem Patris esse potentiā generandi: id tamen neq; omnino S. Bonauent. affirmat; nec dum dicit, deuiat à communi sententia. Primum patet. Quia quæst. 1. huius distinctionis, putat esse probabilem Opinionem secundam, quæ est Magistri, asserentis, potentiam generandi esse aliquid absolutum, tamen connotare respectum ad personam: vnde & argumenta contra hanc Opinionem Magistri proposita, resoluit. Secundum declaro. Potentia generandi, potest sumi prò principio formali, quo generans generat: secundò potest sumi cū relatione, abstrahendo ab hoc quòd sit Quo vel Quod: quia potentia actiua, seu generatiua, dicit ordinem ad actum: & sic potentia generandi potest accipi, prò potente generare; illud autem quod potest generare, est suppositum; ac proinde, in hoc sensu vltimo, vera est sententia S. Bonauenturæ. Potest etiam aliter intelligi hæc D. Bonau. positio, vt dicitur sequenti art. concl. 3.

S. Bonauenturæ de potentia generandi Opinio.

ARTICVLVS TERTIVS.

Propria Quæstionis resolutio datur.

Ad Quæstionem igitur respondeo. Distinguendo de potentia &c.

SVMMA TEXTVS.

Præmittitur diuisio huius nominis, Potentia. Quòd potentia alia sit Logica, quæ dicit modum compositionis factæ ab intellectu, & non aliud significat, nisi non repugnantiam in terminis: quam quia solam agnoscit in Diuina generatione Aureolus dist. præsenti, art. 2. minus cautè in hac materia loquitur. Alia potentia potest dici Metaphysica, illa quæ Ens Metaphysicè abstractum, diuidit contra actum, cùm dicimus, Ens vel est in actu, vel in potentia, quod non est, sed potest esse. Tertia potentia, potest dici Physica, quæ non aliud est, quàm principium producendi, vel facultas agendi aliquid. Ista autem vel sumitur in abstracto, pro habitudine possibili ad actum: vel pro fundamento talis habitudinis. Si pro fundamento; tunc potentia Physica, siue realis, alia est potentia actiua, alia passiua: & actiua, alia est proxima, alia remota, vt ex Arist. deducit hìc Subtilis Doctor.

Poi ria

In Secunda parte, dantur Conclusiones responsiuæ ad hanc Quæstionem.

Prima Conclusio. *Loquendo de potentia Logica, illa non est aliquid positiuum, sed est sola non repugnantia istorum terminorum. Pater potest generare.*

Secunda Conclusio. *Loquendo de potentia secundo modo accepta, nullo modo sic est potentia in Deo: quia quicquid in Deo est, necesse est esse, & est purus actus.*

Tertia Conclusio. *Sumendo potentiam pro potentialitate, vt significat habitudinem ad actum, sic in abstracto potentia Diuina dicit relationem rationis. Et in hoc sensu optimè potest intelligi Opinio D. Bonauent. præcedenti art. propè finem citata: & reuera patebit legēti eius literam, quòd hoc solùm probent eius argumenta.*

Quarta Conclusio. *Potentia generandi pro principio passiuo sumpta, nulla est in Patre. Istam Conclusionem ideo hìc Doctor non posuit, quia euidens est ex dictis dist. 5. q. 2. vbi ostensum est, nullam in Diuinis esse materiam, vel quasi materiam, subiectum, vel quasi subiectum; & consequenter, nulla ibi est potentia passiua, vel quasi passiua.*

Quinta Conclusio. *Essentia præcisè sumpta, pro aliquo signo prioritatis, vt aliquomodo prior Patre intelligitur, & secundò Essentia vt in Patre, sumpta præcisè, præscindendo illā ab intellectu, est potentia remota. Istam Conclusionem apertè Doctor admittit præsenti quæst. art. 5. in respons. ad 1. & propterea in hoc textu non repetit.*

Eff cūd poı mo

Sexta Conclusio. *Proxima potētia actiua generādi in Patre, non est relatio. Probatur in textu tripliciter. Et primæ quidem ac vltimæ sensus in litera clarus est: secunda autem sic intelligitur. Si relatio Paternitatis esset potentia generandi, sequeretur, quòd eadem relatio in Patre, esset fundamentum suiipsius; consequens est inconueniens; ergo & Antecedens. Minor probatur, authoritate S. August. secundùm quem, Omne quod relatiuè dicitur, est aliquid aliud à relato: si ergo potentia est quo generans generat, & ista potentia sit relatio, debet aliud esse, quod tali relatione refertur. Deinde, semper relatio distinguitur à suo fundamento: ergo præcisè idem non potest esse relatio & fundamentum suiipsius. Maior probatur. Fundamentum Paternitatis in Patre, est potentia generandi, vt patet ex 5. Met. cap. de ad aliquid, vbi relationes secundi modi, docet Philos. fundari super actiuum & passiuum, seu super potentiam actiuam & passiuam: sed ista potentia actiua, per te, est relatio Paternitatis: ergo paternitas est fundamētum suiipsius. Et sic in textu debet intelligi secunda ratio, quam non intellexit Gerar. Senen. dist. præsenti q. 1. art. 3.*

R est gen

Septima Conclusio. *Potentia generandi in Patre, est quid absolutum, nempe ipsa Essentia præsens in ratione obiecti intellectui Diuino: quod supra diximus esse memoriam fæcundam Patris. Rationes sunt claræ in textu: quibus addi possunt aliæ duæ, ex dist. 2. q. 4. Hæc tamen Conclusio, vt dixi art. præcedenti, non negat quòd potentia generandi connotet aliquomodo relationem in obliquo: imò apertè conceditur art. 5. infra, in principio & prope finem.*

Poten neran mem cund tris.

COMMENTARIVM.

IN diuisione tertia potentiæ, illa verba textus, *hoc nomen potentia, non esse abstractum vltimata abstractione:* sic sunt intelligenda, quòd potentialis habitudo ad actum, significatur nomine potentiæ, vnde potentia importat relationem potentialem. Ista igitur relatio, si debet abstrahi vltimata

timata abstractione, abstrahendo ipsam à fundamento, à subiecto, & à supposito, & ab omni concernentia suorum inferiorum, iuxta dicta distin. 5. q. 2. potest commodè hoc nomine vocari, potentialitas. Istud autem nomen potentia, est quasi concretum potentialitatis, significans formaliter relationem pro principali significato, & concernendo fundamentum, quod est principium Quo agendi: tali modo etiam significat & hoc concretum, potens. Isto modo debent intelligi vlteriora verba illa textus, *hoc nomen potentia, potest sumi vel pro eo quod per se significat, vel pro eo quod connotat.*

ARTICVLVS QVARTVS.

Vtrum generatio in Diuinis sit vniuoca.

Videtur esse æquiuoca, tum ex parte Personarum, &c.

SVMMA TEXTVS.

Tres partes sunt Articuli. In Prima, inducuntur motiua, quibus adducti nonnulli generationem Diuinam dixerũt æquiuocam. In Secunda, propria sententia Doctoris statuitur, quòd verè sit vniuoca. Vltimò, motiua Opinionis contrariæ, soluuntur.

COMMENTARIVM.

PRæsentis Quæstionis potest esse duplex sensus. Primus, an generatio Diuina conueniat in aliquo vniuoco, cum generatione creata; & de hac materia dictum est supra, dist. 2. q. 4. dubit. illa, Vtrum in Diuinis sit generatio. Alter autem sensus, & proprius huius Quæstionis, est, An sicut hominis ab homine generatio est vniuoca, ratione vnius naturæ in specie; ita in Diuinis, generatio Filij à Patre, debeat dici vniuoca.

Generatio diuinis, vniuoca. Ad hanc Quæstionem Guil. Varro Præceptor D. Subtilis, respondebat. Generationem Diuinam, esse æquiuocã: vt eius argumenta in textu adducta, & soluta, testantur. Fundamentum illius totum, fuit hoc. Quia spectabat generationem penes relationem Paternitatis in Patre, & Filiationis in Filio; quæ relationes sunt distinctarum rationum; & consequenter docebat, genitum esse distinctæ rationis à generante in Diuinis.

Doctor verò Subt. attendit productionem vniuocam penes identitatem naturæ in supposito, quæ est verissima consideratio vniuoci producentis & producti, vt tã producens quàm productum, habeant eiusdem rationis naturam, esto quòd relationes non sint eiusdem rationis, vt patet etiam in humana generatione, vbi relationes Paternitatis & Filiationis, sunt disquiparantiæ, seu diuersarum rationum; in ratione tamen naturæ, Pater est vniuocè homo cum Filio.

Amplectitur hanc sententiam Alex. de Ales. 1. part. q. 42. mem. 2. & videtur esse communis Theologorum.

ARTICVLVS QVINTVS.

Argumenta Primo Articulo contra Opinionem posita, soluuntur, quatenus contra Sententiam Articulo Tertio expressam, militant.

Quia autem aliqua argumenta contra Primam Opinionem, &c.

COMMENTARIVM.

IN responsione ad Primum, & Quartum argumentũ, apertè concedit Subt. Doctor, quòd potentia generandi, quæ est memoria fæcunda, connotet necessariò in obliquo suppositum Patris, vt dixi art. 2.

Totus textus est clarus.

ARGVMENTA PRINCIPALIA resoluuntur.

Ad Argumenta principalia. Primò ad Augustinum, &c.

COMMENTARIVM.

ISta litera tota euidens est, maximè ex supra dictis, distin. 2. par. 2.

Restat hic duo resoluere. Primò. Vtrum Pater, possit habere plures Filios, & quare non. Secundum, cùm Filius habeat intellectum & Essentiam in ratione obiecti, Vtrum Filius possit generare, & quare non.

Sed prima qõ plenã habet resolutionem ex illo dubio quæst. 5. art. 3. distinctionis 2. Vtrum possint poni plures productiones, eiusdem rationis intrinsecæ. Cum enim ibi sit ostensum, non esse possibiles, consequenter non potest Pater habere plures Filios.

Ad secundum quæsitum, licèt patere possit ex eadem dubitatione, quia tamen superiùs remiserat Doctor seipsum ad hanc Distinctionem, ad quam etiam remittit in 4. distinct. 12. quæst. 2. impugnando primam Opinionem, in qua distinct. id ex professò non tractat, tractauit tamen in scripto suo Parisien. dist. præsenti quæst. 2. Responderi potest ex eodem, vt promisso & citationi satisfiat; & ne scriptum Doctoris Parisiense cum hoc Anglicano confundere videamur, per modum Dubitationis proponimus.

Dubitatur.

Vtrum Deus Filius possit generare.

Quòd sic ad Hebr. 1.

Omnia portans verbo virtutis suæ, &c.

Item in litera. Filius non generat: non quia non potuit, sed non oportuit; sed negare non posse, est affirmare posse: quia duæ negationes faciunt affirmationem.

Item. Filius creatus potest generare, & hoc est perfectionis in eo, iuxta illud Philosophi 2. de anim. vel 4. Met. Perfectum est, cum potest generare sibi simile.

In oppositum. In perpetuis non differt esse à posse 3. Phys. ergo si potest, generat; sed non generat: ergo non potest.

Ad Quæstionem. Dico. Quòd Deus Filius non possit generare, negando tam potentiam Logicam, quàm etiam potentiam realem. Negando potentiam Logicam. Quia hæc est impossibilis, Filius generat. Negando etiam potentiam in ratione principij. Quia si Filius possit generare: aut ergo illa eadem numero generatione, qua generat Pater, vel alia: non illa: cùm sit per istam genitus: neque alia: quia vna generatio adæquat sibi potentiam in Diuinis: quia vt probatum est superiùs, quòd est vnius rationis, est de se hoc. Filius in diuinis non pôt generare.

Sed tria dubia occurrunt. Primò. Quare hoc suppositum non potest generare, cùm sit subsistens & perfectum, & habeat id, quod est principium generandi perfectè, & non potest ab aliquo impediri, nec eget materia?

Dico. Quòd istæ propositiones differunt: Quælibet forma eiusdem rationis est principium actionis. &, Forma eiusdem rationis in quolibet, est principium actionis. Quia prima est vera vniuersaliter, 5. Met. sed secunda sequitur ex prima tantùm in creaturis, vbi in quolibet supposito est vnica forma, & nunquam vna numero in multis. Sed si vna numero esset in pluribus, per communicationem actione adæquata, ordine quodam: in secundo non posset se communicare, mediante illa actione: vt si calor in igne, possit generare se in ligno, actione adæquata, iste calor in ligno, non posset generare alium; sic in Diuinis Essentia eadem numero quæ est principium agẽdi eadem numero est communicata Filio: & tamen non potest Filius generare, quia Essentia non est ibi, vt est prin-

Potẽtia generãdi non est in Filio Dei.

principium agendi formaliter, quia est ibi cum proprietatibus repugnantibus actioni.

Aliud dubium est. An hæc concedenda. In Filio est potentia generandi; vel, Filius habet potentiam generandi.

Quòd sic. Probatur, Quia hæc est præcisa. Essentia cum intellectu est principium generandi; igitur si principium generandi repugnat Filio, & Essentia cum intellectu repugnabit: & ex opposito: Si Essentia sibi non repugnat; ergo nec principium generandi.

Dico, Quod vtraque est simpliciter falsa, & non distinguendo secundùm compositionem & diuisionem. Quia quando forma aliqua nata est haberi formaliter, si denotatur inesse in abstracto, vel haberi, significatur formaliter haberi vel inesse; & non sicut aliquid habetur in vase; sed potentia est forma in abstracto, & nata est haberi formaliter; ergo significatur formaliter haberi vel inesse: sed quando cum principio actiuo constituitur gerundiuum in genitiuo, denotat, quòd actus significatus per gerundiuum, posset exire ab isto supposito, in quo est actus, per hoc principium: à Filio autem non potest exire actus; ergo cum principio actiuo constructum gerundiuum in genitiuo, malè attribuitur Filio Dei.

Principiũ actiuũ constructũ cũ gerũdiuo ĩ genitiuo qd denotat.

Ex his sequitur, quòd vtraque propositio est falsa, & secundùm eundem Doctorem potentia generandi non dicit solùm principium agendi, sed dicit principium agendi, vt est in supposito, à quo potest huiusmodi exire operatio, vt quæstione præcedent. artic. 2. & 3. dictum est.

Ad rationem. Dico, quòd hæc non est præcisa, Essentia cum intellectu, est potentia generandi: sed truncata; Sed hæc est præcisa, Essentia cum intellectu, huius suppositi, nempe Patris, est potentia.

Tertium dubium est. Quia generatio actiua est in Filio: igitur potest dici formaliter generare. Consequentia patet, Si albedo est in aliquo formaliter, illud formaliter potest disgregare. Antecedens patet. Quia generatio actiua, est actus transiens: igitur est in passo. 3. Phys. & 9. Met.

Dico. Generatio actiua non est in Filio. Ratio. Quia oppositæ relationes originis, non sunt in eodem supposito; sed relatio opposita generationi actiuæ, est in Filio, nempe generatio passiua; igitur non potest esse in supposito Filij generatio actiua.

Generatio actiua non est in Filio.

Item. Generatio actiua, vel est eadem Paternitati, vel proxima ratio fundandi: siue primum, siue secundum teneatur, in eodem supposito erit generatio actiua, & Paternitas.

Ad rationem. Dico, quòd in creaturis actio immanens & suus terminus, Sunt in eodem supposito; actio autem transiens semper est in alio, & in alio suus terminus; ita quòd nulla actio est in termino suo, siue sit immanens, siue transiens. Actio transiens in creaturis, semper habet materiam extrinsecam; sed hæc actio Diuina, nullam materiam admittit: ideo non est transiens, sicut in creaturis: neque est immanens sicut in creaturis, quia terminus non est immanens. Et non valet. Actio est immanens: igitur & terminus. Quia solùm hæc consequentia valet in creaturis, quia terminus talis, est forma inhærens, sed in Diuinis non: ideo ibi ratio non valet. Et cùm dicitur. Igitur actio est extra: quia terminus non est immanens. Non sequitur, nisi solùm vbi est materia. Ideo ista actio partim habet de immanente, partim de transeunte, quæ ponitur in creaturis; quantùm ad hoc, quòd actio non est extra agens, neque habet materiam extrinsecam, conuenit cum immanente: quantùm ad hoc, quòd terminus non est in agente, à quo formaliter denominetur agens tale, conuenit cum actione transeunte.

Generatio diuina est actio manẽs & transiens prie.

Ad Primum in principio Dubitationis adductum. Dico, Quòd Deus in Verbo est portans omnia: hoc est, in verbo virtuoso: & sic tota Trinitas habet vnum verbum.

Ad aliud. Non fuit impotens: sic, intelligitur non potuit: & hoc solùm vt est negatio priuans, non autem vt est negatio infinitans: neque enim infert negatio priuans negationem infinitantem, quantùm est de forma, arguendo negatiuè.

Ad aliud. Quòd Filius creatus potest generare, perfectionis est in ipso; sed necessariò cum imperfectione concomitante. Hæc Doctor in Reportatis.



DISTINCTIO VIII.

DE INCOMMVTABILITATE ET SIMPLICITATE DEI.

QVÆSTIO I.

Vtrum Deus sit summè simplex.

Circa istam Distinctionem Octauam, quæruntur quinque, &c.

SVMMA QVÆSTIONIS.

Resoluitur Quæstio, & deinde respondetur argumentis principalibus.

ARTICVLVS PRIMVS.

Resoluitur Quæstio.

Ad Quæstionem respondeo. Et primò probo simplicitatem Diuinam, &c.

SVMMA TEXTVS.

eus ē sim ex.

Prima Conclusio. *Deus est simplex simplicitate essentiali, ita quòd non sit compositus ex partibus essentialibus, materia & forma. Probatur tripliciter.*

Secunda Conclusio. *Deus non habet partes quantitatiuas. Probat discursu Aristotelico.*

Tertia Conclusio. *Deus non est compositus ex subiecto & accidente, siue materiali siue spirituali.*

Quarta Conclusio. *Repugnat Deo omnimoda compositio; & omnimoda conuenit simplicitas. Probatur, tum ex ratione necessitatis: tum ex ratione infinitatis.*

COMMENTARIVM.

PRo Secunda Conclusione ratio ex Philosopho deducta ex 8. Phys. tex.7.8.& 12. Met. tex.41.in hoc consistit. Virtus primi Entis est infinita. Ista propositio declarata est distin. 2.q.2. de mente Philosophi: si ergo ista virtus esset in magnitudine, in quantitate finita: vel esset in magnitudine infinita; & hoc dici non potest, quia magnitudo infinita est secundùm illum 3.Phys. impossibilis: vel in finita; & hoc etiam non est possibile, quia secundùm mentem Arist. ibi, Virtus quæ est in magnitudine, debet per se vel per accidens extendi, ad extensionem quantitatis; ex quo sequitur, quòd licèt illa virtus esset eiusdem rationis, in toto & in parte, sicut ignis eiusdem rationis est in toto & in parte; tamen in magnitudine minori, esset minor virtus, in maiori maior, & in infinita, infinita; vt patet in igne, qui maioris est efficaciæ in toto, quàm in parte.

Aduertit tamen vltra Doctor, & bene. Quòd ista ratio Arist. sola, non concludit propositum. Posset enim dici: quòd virtus infinita, nec per se, nec per accidens sit extensa, sicut anima intellectiua; ac proinde, potest esse in quantitate finita. Bene tamen ista ratio valet, subintellecta illa alia doctrina eiusdem ex 12. Met. quòd omnino immateriale, non sit extensum per se, nec per accidens, neque cõcomitatur extensionem in magnitudine; virtus autem primæ substantiæ, nec per se, nec per accidens est extensa, ergo, &c. Hac igitur præsupposita conclusione, quòd Deus est omnino immaterialis, valet ille prior discursus: quòd virtus infinita, non sit in magnitudine. Quia si virtus ista infinita, per se vel per accidens informaretur à quantitate, deberet esse quantitas infinita. Nec sicut anima rationalis informat corpus, ita potest, saltem per accidens, virtus infinita informare quantum: quia illa quantitas, debet esse in suo subiecto, nempe in materia; virtutem autem infinitam, probatum est Conclusione prima, non esse in materia: quare, &c. Vide ipsum Doctorem de hac materia, clariùs in lib. de Primo principio.c.4.Conclus.10.

Addit tamen Subt. Doctor in Report. dist. præsenti, & bene: quòd ex Philosopho, eiusque rationibus, non potest probari in Deo simplicitas tanta, quantam nos ponimus. Nam esto quòd aliqualiter prædictæ 4. Conclusiones possint deduci ex eius fundamentis, tamen omnimoda simplicitas, tam ex esse & essentia, quàm ex genere & differẽtia non potest deduci; de quo nos infra dicemus. Simplicitas in Deo potest probari p Aristot. sed nõ omnimoda.

ARTICVLVS SECVNDVS.

ARGVMENTA PRINCIPALIA resoluuntur.

Ad primum Argumentum. Dico, quòd simplicitas est simpliciter perfectionis, &c.

COMMENTARIVM.

TExtus literæ est clarus. Ad maiorem nihilominus illius declarationem, & ad sequentia intelligenda. Videndum est, quid in ratione sua dicat simplicitas, an aliquid positiuum, vel negatiuum. Et quia hìc, & in sequentibus, non infrequens mentio fit perfectionis simpliciter, illud etiam est declarandum vberiùs, quid sit talis perfectio. Quare.

Dubitatur Primò.

Vtrum simplicitas sit quid positiuum?

Videtur quòd non. Primò. Definitio simplicitatis, datur per negationes; quia simplicitas est non resolutio in componentia, vel in partes componentes; ergo est quid negatiuum.

Secundò. Illud quod fundatur in aliquo negatiuo, non est positiuum; sed simplicitas fundatur in vnitate, quia vnitas dicit negationem diuisionis: ergo simplicitas fundata in vnitate, non est quid positiuum.

Ita sentit Mayr. hìc q.7. Petrus Aquilan. q.3. vbi simplicitatem appellat carentiam compositionis. Caiet. lib. de ente & essen. c.2. docet simplicitatem non aliud esse, quàm negationem compositionis: neque esse perfectionem, sed negationem perfectionis. Idem dicit Zoar. in Metaph. disp.30. sect.3. Henr. Gand. in Sum. art.28.q.1. Aureol. dist. præsenti, art.2.

In oppositum est D. Subtilis hìc & in Report. q.4. S. Bonauent. q.2. Rich. de Media Villa, dist.24. ar.3.q.3. Doctor Irrefragabilis Alen. 4. parte Sum. q.16. mem.1. art.2. in respon. ad Primũ. Vtramque sententiam putat aliquomodo probabilem Zumel prima part. q.3. art.2.

Nota Primò. Ista tria differre: Vnitas, identitas, simplicitas. Vnitas enim opponitur diuisioni: identitas distinctioni: simplicitas compositioni. Vnde bene dicit Alex. de Ales, qđ plura entia, habent verã vnitatẽ, & non simplicitatem, vt patet de omni composito substantiali per se; multitudo siquidem partium componentium, non impedit vnitatem, sed impedit simplicitatem: & compositio quæ opponitur simplicitati, est contradistincta à diuisione, quæ opponitur vnitati; nam non potest esse simplicitas sine vnitate, vnitas tamen bene potest esse cum compositione, sine simplicitate. Eodem igitur modo se habebit pluralitas opposita vnitati, ad compositionem oppositam simplicitati: quia licèt compositio non possit esse sine distinctione & pluralitate, tamen distinctio & pluralitas, bene potest esse sine compositione: sic in Deo, distinctionem Vnitas, idẽtitas, simplicitas, distinguuntur.

nem & pluralitatem attributorum ponimus compositionem tamen omnimodam negamus.

Nota Secundò. Conceptum vnius, dicere pro formali positiuum, connotare autem negatiuum, vt infra dist. 24. dicitur; & sic etiam proportionaliter dicendum est de simplicitate; & ibi dicta, hìc sunt applicanda, quòd simplicitas pro formali significato, dicit positiuum; pro connotato verò, dicit negationem compositionis, vel etiam & componibilitatis, si sit perfecta simplicitas.

Simplicitas est attributum positiuum.

Quænam verò ista ratio sit, audi August. 11. & 9. de ciuit. vt allegat Magister in textu, in hæc verba: Non propter hoc naturam summi boni simplicem dicimus, quia est Pater in ea solus, aut Filius in ea solus, aut Spiritus Sanctus in ea solus, id est, quia est sola ista nominum Trinitas, sine substantia Personarum, vt Sabelliani putauerunt: sed ideo simplex dicitur, quia est hoc, quod habet, excepto quòd relatiuè quæcunq; Persona ad alteram dicitur, nec est ipsa. Et paulò post subditur. Propter hoc vtiq; hæc natura est simplex, quòd non sit aliud habens, & aliud quod habet, sicut in cæteris rebus est, &c. Idem vult August. 7. de Trinit. & 15.

Ex quibus verbis D. Aug. apertè colligitur, in quo consistit ratio illa positiua simplicitatis, scilicet, hoc esse quod habet: quam rationem positiuam, terminis positiuis exaratam, circumloquitur idem Sanctus Doctor postea, per negationes, quas concomitanter importat hæc ratio: cùm ait. Dicitur simplex Deus, quia non est ibi aliud habens, aliud quod habet, quia nimirum caret hoc & illo, quòd non sit ibi perfectè idem.

Et ne quis diceret. Si in hoc est ratio positiua simplicitatis, hoc esse quod habet, seu esse idem habens & quod habet; ergo cùm Pater non sit idem cum Filio quem habet, & est ibi habens & habitum, Pater & Filius, ad inuicẽ comparando supposita, non erunt simplicia. Hoc amouẽdo, addit August. Excepto quod relatiuè quæcunq; Persona dicitur. Quasi diceret. De personis relatiuis, non valet; quia in relatiuis vnum relatiuum ex natura relatiui dicitur ad aliud, & propterea ibi, habens relatiuum, omnino debet distingui à suo correlatiuo, quod habet; secus est, si vel Essentia secundùm se, vel etiam quæcunq; Persona secundùm se consideretur.

Ob has solas authoritates Doctor Subt. in priori scripto suæ Theologiæ, dist. 8. q. 4. & in præsenti, docet simplicitatem consistere formaliter in aliquo positiuo.

Hinc patet ad rationes in principio positas.

Ad Primam, Negatur Antecedens. Ad probationem. Dico, quòd illa est notificatio simplicitatis, per negationes concomitantes illam rationem formalem positiuam; quæ negationes sunt nobis notiores ipsa ratione positiua; sicut inf. dist. 24. dicitur de vnitate.

Ad Secundam. Negatur inprimis Minoris illa pars, quòd in vnitate fundetur simplicitas; vt enim vnitas, ita & simplicitas, cùm sint attributa, fundantur in natura Diuina: deinde, in rebus creatis, simplicitas non fundatur in vnitate; quia homo, vel aliud compositum substantiale, est per se vnum, & non fundatur in eo simplicitas. Præterea: concesso Antecedente, nego subsumptum, quòd vnitas formaliter dicat negationem; vt patet inferiùs.

Dubitatur Secundò.

Vtrum simplicitas, dicat perfectionem simpliciter.

Videtur quòd non. Primò. Nulla perfectio simpliciter, saluatur in relatione vt relatio est; simplicitas autem saluatur in relatione vt relatio est, Ad, siquidem est simplicissimum, & nullam includens compositionem; & vniuersaliter (secundùm Scotum) omnis differentia vltima relationis; ergo &c. Maior huius argumenti ex eo patet: quia relatio nec perfectionem, nec imperfectionem dicit apud Scotum.

Secundò. Quòd diuiditur per quantum & non quantum, non est perfectio simpliciter; quia implicat quod aliquid sit non quantum, & tamen perfectio simpliciter; sed simplicitas diuiditur per quantum & non quantum; quia diuiditur in simplicitatem absolutam & relatiuam; simplicitas autem relatiua est non quanta; igitur simplicitas, non est perfectio simpliciter.

Dices. Relatio formaliter sumpta, non est simplex, sed prædicatur simplicitas de illa denominatiuè.

Contra. Simplicitas relationis, est passio relationis, secundùm Scotum, aut modus intrinsecus; sed nulla passio, vel modus, est maioris entitatis suo subiecto; ergo & simplicitas denominans relationem non est maioris entitatis relatione; sed relatio non est quanta; ergo simplicitas relatiua non est quanta; ergo nec perfectio simpliciter.

Ita arguit Caietan. lib. de ente & essentia cap. 2. Zumel autem putat Scoti sententiam esse probabilem, supposito quòd simplicitas dicat aliquid positiuum; si verò negatiuum, docet probabilitatem suam habere sententiam Caietani.

Oppositum hìc vult Subt. Doctor. Anton. Andr. & Bassol. Adhæc Mayr. in 1. distinct. 34. Holcot lib. 1. quæst. 5. dub. 1.

Pro resolutione. Inprimis cognoscenda est ratio perfectionis simpliciter, quam Doctor Subt. distin. 2. quæst. 7. artic. 1. explicauerat, & hìc consimilia reperit. Vbi Aduerte Primò, Perfectionem simpliciter non dici hìc illam, quæ nullam imperfectionem quidditatiuè includit; vt ex vtroque textu Doctoris citato colligi potest. Tum quia non includere imperfectionem, est negatio, perfectio autem simpliciter debet dicere aliquid positiuum. Tum quia relationes originis in Deo, sumptæ formaliter, non dicunt perfectionem simpliciter, non modò secundùm Doctorem Subt. & Scotistas omnes, sed etiam secundùm ipsum Caietanum; vt aliàs patebit; & tamen nullam imperfectionem includunt. Neq; illud est perfectio simpliciter, quod non necessariò habet sibi annexam imperfectionem: quia relatio originis formaliter sumpta, non habet necessariò annexam sibi imperfectionem, nec tamen est perfectio simpliciter. Vnde nec illi bene dicunt, qui docent perfectionem simpliciter esse, quòd potest esse sine omni imperfectione, vel quòd non compatitur secum aliquam imperfectionem; vt patet instantia de relationibus originis, sumptis formaliter, quæ sunt sine omni imperfectione, nec aliquam compatiuntur imperfectionem; nec tamen sunt perfectiones simpliciter.

Perfe simpli explica

Dico igitur cum Doctore, & Anselmo in Monol. Perfectionem simpliciter esse illam, quam est in quolibet meliùs esse ipsam, quàm non ipsam. Vbi per ly in quolibet: non intelligitur quodcunq; indiuiduum; quia sapientia, intellectus, voluntas, sunt perfectiones simpliciter, secundùm omnes; & tamen non est meliùs has esse in lapide, vel ligno, quàm nõ esse; siquidem inesse talium perfectionum in lapide, destruit totaliter naturam lapidis; sed ly in quolibet, accipi debet, pro quolibet indiuiduo, immediatè accepto sub Ente, non descendendo ad indiuidua generum, vel specierum: melius enim alicui Enti compossibili est, inesse sapientiam, quàm non inesse, & perfectiùs est ens intellectiuum non intellectiuo. Vnde bene dicitur à Doct. Subt. quodl. 5. quòd perfectio simpliciter sit melior quocunq; sibi incompossibili: intelligendo in hoc vel in illo indiuiduo; non tamen considerando an in hac vel in illa natura.

Aduerte Secundò. Ex hac descriptione Perfectionis simpliciter, hìc tradita, & superiùs, & præterea quodlib. 5. ad mentem Subtil. Doctoris colligi quatuor conditiones Perfectionis simpliciter. Prima; quòd perfectio simpliciter, dicat aliquid positiuum, non negatiuum; quam conditionem ponit Doctor in præsenti litera. Secunda, quòd sit communicabilis: vt ab eodem optimè deductum est, & à nobis explicatum distin. 2. quæst. 7 artic. 1. supra. Tertia, quòd sit compossibilis alijs perfectionibus: cùm enim melior sit quocunq; incompossibili, debet ipsa esse compossibilis alijs perfectionibus. Quarta, vt ex ratione sua sit ens quantum, in suo conceptu aliquam dicens dignitatem; vtraq; prædictarum conditionum exprimitur quodlib. 5. Hanc doctrinam Doctoris nostri imitatur bene Caietanus loco alleg.

Perfe nis citer tiones tuor.

Aduerte Tertiò. Non quæcunq; simplicitas dicit perfectionem

fectionem simpliciter, secūdū Doctorem, sed illa quæ excludit,nō modò compositionem Physicam, ex materia & forma,vel Metaphysicā,ex genere & differentia;sed prorsus omnimodam cōpositionem, & componibilitatem, seu aptitudinem,vel non repugnantiam ad cōpositionem excludit; vt apertè loquitur Doctor in textu.

Quare nullę sunt hic instantię Thomistarum,de simplicitate materiæ albedinis,aliorumq; accidentium. Similiter, nulla est Caietani,de differētijs vltimis.Quia illæ,quāuis in suo conceptu non sint resolubiles in plura prędicata quidditatiua,quęlibet tñ earū,ab intrinseco hēt componibilitatē,cum genere,qd contrahit,vel cum specie,si sermo sit de differentia indiuiduali vltimatè accepta; iuxta dicta d.3.

Perfectio simpliciter considera- tur quadrupliciter.

Aduerte Quintò,Perfectiones simpliciter,possumus cōsiderare quadrupliciter. Primò,in abstractō trāscendēter, non considerando prout sunt in Deo,vel in creatura.Secūdò,prout habēt modum infinitatis,& sunt in Deo.Tertiò, prout illæ perfectiones possunt pluribus extensiuè cōuenire,nēpe Deo & creaturæ.Quartò,prout cōueniūnt creaturis,& sēdm magis vel minùs perfectionem eis tribuunt. Si primo modo considerentur: sic licèt quælibet perfectio sit ens quantum,quia tñ abstrahit à finito & infinito, nō pōt in tali abstractione, vna dici pfectior alia; quia maior vel minor excessus vel recessus in perfectione,conueniūt quāto,vt optimè declaratur à Doct.quodl.5.Si secundo modo accipiantur:cùm infinitum repugnet excedi ab infinito,vt ibidem declaratur à Doct.(& diximus d.2.q.2.Dubit.illa, vtrum Deus possit actu infinitum producere)vna non erit perfectior alia: sed oēs sunt in Deo infinitæ perfectionis. Tertio modo,certum est,quòd non modò diuersæ,sed etiā eædē perfectiones formaliter,cum modo finitatis, imperfectiores sunt illis,quæ sunt cum modo infinitatis: sapiētia enim infinita,perfectior est in infinitum sapiētia finita,intellectus infinitus, infinitis modis perfectior est finito intellectu,& sic de alijs. Quarto modo,considerando perfectiones simpliciter, quædam sunt perfectiores alijs secūdū excessum. Exemplum. In anima nostra,præter alias perfectiones, est simplicitatis perfectio,& ratio intellectiui. Dico, quòd ratio intellectiui, est perfectio nobilior simplicitate; quia simplicitas creata,conuenit multò imperfectioribus entibus,sicut accidentibus secundùm se sumptis,materiæ & cuilibet formæ substantiali, vt separatæ à materia; sed ratio intellectiui,tantùm nobilissimis substantijs cōuenit. Comparando similiter actualitatem creaturæ,cū simplicitate.Dico,cùm ens creatū,quò actualius est,eò sit perfectius(vt patet tum in intelligentijs simplicibus,tū in substātijs compositis) non autem quò simplicius eò perfectius (vt patet in albedine,materia,alijsq; formis)consequēs est, quòd actualitas est perfectio in creatis rebus excellentior. Actualitas tñ cum simplicitate, maior est in vno extremo, quàm cum compositione in altero; vnde Deus,qui infinitā actualitatē cū infinita simplicitate habet, est absolutè perfectissimus. Et hoc modo quarto,litera Doctoris illa,hic, *vna perfectio simpliciter fortè est perfectior alia*, est intelligēda: quamuis vera sit & in tertio sensu,sed non est ad propositum textus. His explicatis sit

Simplicitas excludens omnimodam cōpositionem dicit perfectionem simpliciter.

Conclusio. Simplicitas excludens omnimodam cōpositionem,vel componibilitatem, dicit perfectionem simpliciter. Probatur Primò, ex definitione prædicati. Quod est meliùs esse ipsum,in quolibet indiuiduo sub Ente accepto, quàm non esse ipsum, illud est perfectio simpliciter,vt patet ex Notab.1.esse autem ita simplex,vt repugnet ei compositio & componibilitas,est meliùs ipsum quàm nō ipsū; ergo talis simplicitas dicit perfectionē simpliciter. Minor. Quia ista repugnantia cōpositionis & cōponibilitatis. prouenit ex sūma plenitudine sui esse; quia nullo alio, vt parte,non modò nō indiget, sed repugnat ēt illi, ꝙ possit indigere: sicut per oppositū,cōpositio ideo accidit in ente, qa hoc est potentia apta ab actu perfici,& illud est actus, per modum partis, aptus constituere cōpositū,cū alia cōparte, quæ ab intrinseco dicunt imperfectionē,vt supra visū est.

Secūdò probatur hoc idem,ex definitione subiecti. Esse ens hoc,quod habet ita, vt habēs & habitum sint omnino non modò idē,sed ēt repugnet non esse idē,intrinsecè dicit perfectionē: talis est simplicitas,negās omnimodā cōpositionē & componibilitatem: ergo &c. Minor est Aug.præcedenti Dubit. Maior probatur. Quia ex natura sua nullo egere superaddito, ad constitutionem sui esse, imò omnia quæ in sunt,esse illi omnino idem,ex vi terminorum significat perfectionē, sicut oppositū significat imperfectionē.

Tertiò. Simplicitati conueniunt omnes cōditiones perfectionis simpliciter; ergo est perfectio simpliciter. Antec. Quia inprimis est communicabilis tribus Personis; vt omnes concedunt;est præterea quid positiuum; vt ostēsum est præcedenti dubitatione: est tertiò compossibilis alijs perfectionibus; vt patet:est deniq; ens quantum,dicens in suo conceptu perfectionē;ex plenitudine siquidē,& sūma perfectione Dei,conuenit illi ista simplicitas,vt sic hoc ꝗ hēt.

Ad Argumēta in principio adducta.Distinguo Maiorē; vel identicè intelligitur,vel formaliter. Primum nego; secundùm concedo.Minor vera est identicè,quòd relatio,vt est idem realiter cum simplicitate, & cum omni attributo Diuino,includit simplicitatem,sicut & alia attributa:sumpta autem secundùm se, & præscindendo illam per intellectum,ab essentia & ab infinitate: dico,quòd vt abstrahit à perfectione & imperfectione,ita abstrahit à simplicitate & compositione.Quod additur de differentijs vltimis: nō est ad propositum,vt Notabili 3.visum est.

Ad Secundum. Nego Minorem: & bona est illa Scotica responsio, ex quodl. 5. quòd simplicitas dicitur de relatione: nō quidditatiuè,sed denominatiuè. Ad improbationē.Dico,simplicitas nec est passio relationis, vt relatio est, nec modus intrinsecus eius,sicut & alia attributa essētialia; sed est proprietas Essentiæ Diuinæ, identificata realiter relationi,secundùm Scotum & rei veritatem. Deinde, dato quòd esset modus, vel passio relationis, adhuc modus vel passio,non dicitur quidditatiuè,sed denominatiuè.

Quod additur.Modus non est maioris entitatis suo subiecto, quare & simplicitas nō erit maioris entitatis sua relatione. Dico,etiamsi simplicitas sit formaliter quanta, & relatio non sit formaliter quanta; non propter hoc simplicitas erit maioris entitatis,quàm relatio; imò impropriissima est ista locutio,& plus quam abusiua,cùm comparatio in maioritate vel minoritate, non sit, nisi vel infiniti ad finitum,vel finiti maioris ad minùs finitum, & nullo modo infiniti formaliter ad infinitum formaliter, vel infiniti formaliter ad non quantum formaliter; cùm.n.non sit quantum,non erit capax comparationis in maioritate vel minoritate,quæ solummodo enti quanto competit.

QVÆSTIO II.

Vtrum creatura aliqua sit simplex?

Et arguitur quòd sic. Compositum componitur ex partibus &c.

SVMMA TEXTVS.

Prima Conclusio. *Aliqua creaturæ sunt simplices Physicè non composita ex rebus.*

Nulla creatura est perfectè simplex.

Secunda Conclusio. *Nulla creatura est perfectè simplex. Primò. Quia omnis creatura est componibilis, & receptiua alterius. Secundò. Quia omnis creatura composita est ex positiuo, quod ipsa est, & ex priuatione, quia caret multis perfectionibus, si non naturæ suæ specificæ debitis, saltem debitis ratione generis, vel Entis, quia enim nimirum multas perfectiones non habet, quæ non repugnant Enti. Tertiò. Quia omnis creatura cōponitur ex actu & potentia; actu, ꝗ est, potentia ꝗ potuit esse; vel actu existentiæ, & potentia essentiæ quæ ante existētiam poterat esse.*

Tertia Conclusio. *Omnis substantia creata, est componibilis cum accidente: & omne accidens, est cōponibile cum substantia.*

ARTICVLVS PRIMVS.



QVamuis textus literæ clarus sit, arguit tamen contra illum Thomas Anglicus, & maximè contra illud dictum. Quòd omnis creatura, composita est ex positiuo & priuatione.

Arguit autem Primò sic. Si hoc esset verum, tunc in omni creatura sunt priuationes quasi infini-

tæ: & vltra, omnis creatura erit cōposita ex infinitis: & per cōsequens,cū compositum non cognoscatur perfectè, nisi cognoscantur omnia componentia,nulla creatura poterit cognosci, nisi ab intellectu cognoscente infinita.

Secundò. Cùm cōpositum nō cognoscatur sine componētibus,sequitur quòd cognita vna creatura pfectè, oporteat cognoscere priuationes omnium aliarum perfectionum: & cū priuatio non cognoscatur nisi per suum habitum,;oportebit cognoscere omnes alias creaturas, & omnes perfectiones earum, si debet perfectè cognosci vna creatura,quod videtur absurdum.

Tertiò. Priuatio vltra positiuum in quo fundatur, nihil dicit,qđ sit extra intellectū;quia priuatio non distinguitur à negatione nisi per hoc, ꝙ priuatio determinat subiectū, negatio aūt non; negatio aūt nihil extra intellectum formaliter dicit, & per consequens,nec priuatio, excepto illo positiuo,in quo fundatur;ergo si ex illo positiuo & priuatione est compositio extra intellectum, ista compositio erit ex aliquo & nihilo.

Quartò. Nihil est compositū, in quo non est cōpositio; sed in essentia creaturæ, nō est cōpositio ista,secundū Scotū; ergo nulla essentia creaturæ est sic cōposita; sed oīs essentia creaturæ, est creatura; ergo non oīs creatura est sic cōposita, sed magis diceretur sic cōponibilis cū priuatione,sicut homo nō dicitur cōpositus ex accidente, quia accidens non intrat constitutionē hominis, sed superadditur ipsi homini constituto; igitur priuatio non est de ratione constituti,nec positiui,nec est constitutiua ipsius, sed fundatur in eo iam constituto: ergo &c.

Quintò. Illud compositū ex positiuo & priuatione, vel est positiuum,vel nō? si sic. Contra. Illud positiuū, nec cōponitur, nec intelligitur sine priuatione;cū priuatio sit altera pars cōpositi illius; sed positiuū non potest componi ex priuatione,q̄ est quædā negatio;ergo &c. Si nō sit positiuū; ergo non est ꝓpriè creatura,nec quouis mō creatū.

Thomista nō itelligit Scotum.

Sed istæ obiectiones friuolæ sunt. Non.n. dicit Doctor creaturā ita esse compositam ex positiuo & priuatione, ꝙ sicut positiuū est intrinsecū & essentiale illi,& ratio definitiua illius; (loquendo de prædicatis quidditatiuis) ita etiā priuatio debeat esse cōstitutiua quidditatis, tanq̄ pars essentialis talis constituti; quod solū iste improbat, & nullo modo Doctor Subt. docet;sed dicimus creaturā esse compositā ex positiuo & priuatione,quatenus secūdū omnem Philosophiā, priuatio formaliter,vt dicit negationē, non est idē quod positiuum; imò distinguitur vel distinctione reali nō mutua, vt quidā volunt, vel distinctione rationis; cū ergo priuatio in subiecto, nō sit idē quod subiectū,sed sit negatio perfectionis in subiecto apto, vel aptitudine proxima,vel remota, optimè dicitur tale subiectum esse compositum ex positiuo & priuatione, quia ibi verè est subiectū positiuum,& verè à parte rei conuenit priuatio.

Ad Primū in oppositū. Inconueniens est illud dicere,de positiuis absolutis: (dico absolutis,quia relationes distantię,similitudinis,vel dissimilitudinis, tot esse in vno homine,quot sunt termini,siue quot sunt res in vniuerso; vt homo nō sentit grauitatē, subiectus illis relationibus,ita ego nullū video inconueniens,tantam multitudinē admittere) non autē de priuationibus, quia verè tot rebus careo (loquendo de priuatione intra genus, & extra genus) quot res in me non sunt:& hoc certissimum est.

Ad Secundum. Si cognitio debet esse rei negatiua,quid res nō sit: tūc vniuersaliter distributiuè, hæc res nō est illa, nec illa,nec quæcunq; alia: si autem debet cognosci positiuè, de quo solū verificatur illud dictū, quòd compositū non cognoscitur sine componentibus; tunc verum est, ꝙ certa & pauca sunt talia componentia.

Ad Tertium. Vt negatio, ita & priuatio, formaliter nihil positiuum dicunt extra intellectum, verè tñ dicunt negationē & priuationem extra intellectum; cū negatio & priuatio,præter opus intellectus rebus conueniat:nullo enim intellectu cogitante,cæcus habet priuationē visus, & homo negationem equinitatis.

Ad Quartū. Est compositio,non positiua, sed ex positiuo & priuatione alterius positiui: & quidē cum illo positiuo, quod non habet, habet creatura rationem compositibilitatis, non compositi;cū non sit illi vnita; cū ipsa tñ priuatione,habet rōnem compositi,cùm ipsa insit subiecto.

Per idem patet ad Quintū: quòd priuatio non sit quid reale,sed est priuatio creaturę realis;& sic in creatura simplici,priuatio facit compositionem,non creaturæ cū creatura,sed cum priuatione alterius creaturæ.

Coaceruat hìc author, contra Doctorem Subt. plures alias rationes, vt in sequentibus quæstionibus, ita & in p̄senti. Sed quia communiter ex malo intellectu literæ Doctoris,iste author arguit contra Doctorem, rationibus satis debilibus:ideo communiter non intēdo eius impugnationes referre,nisi quatenus aliquam probabilitatem obiectionum videntur habere: nam plurimæ, ne probabilitatem quidem habent.

Tho. An[...] arguit [...] ter con[...] Sco. nō i[...] ligendo [...] & freque[...] ter sine [...] tione.

QVAESTIO III.

Vtrum Deus,vel aliquid dictum de Deo, sit in Genere?

Tertiò quæro,scilicet vtrum cum simplicitate Diuina &c.

SVMMA QVAESTIONIS.

In Primo Articulo,narratur Opinio negatiua, nō modò cōceptū genericum Substantiæ, sed nec transcendentalem Entis, esse vniuocū Deo. In Secūdo Articulo, ponitur Opinio affirmatiua, Deum contineri sub genere Substantiæ. In Tertiò, propria Sententia ponitur. In Quarto, difficultates quædam contra dicta insurgentes,dissoluuntur. In Quinto,resoluuntur argumenta pro Articuli Secundi Opinione adducta. Tandem satisfit Argumentis,in principio Quæstionis adductis.

ARTICVLVS PRIMVS.

Narratur Opinio, negans etiam transcendentalem conceptum, communem Deo & creaturæ, nedum genericum,& reijcitur.

Hìc sunt duæ Opiniones extremæ,vna negatiua,quæ dicit &c.

SVMMA TEXTVS.

In Prima parte Articuli, recitatur Opinio Gand. in Sum. art. 21.q.2. & art.24.q.6.in quibus locis negat Henr. Deum contineri sub conceptu Entis, cùm Ens non sit aliquid commune Deo & creaturæ; & consequenter negat contineri sub genere;quia sub genere Substantiæ, ponitur substantia creata, in genere Relationis, relatio creata: & ratione huius deductionis, mouetur hìc ista difficultas, de vniuocatione Entis, quoad primum dictum Henrici,in quo dissentit Doctor noster ab illo, in secundo autem conuenit, vt videre est art. 3. Probat autem Henr. Ens non esse vniuocum Deo,quatuor rationibus,& duabus authoritatibus.

In Secunda parte, adducit Subt. Doctor tres rationes, superiùs dist.3.examinatas & discussas, probando Ens esse vniuocum Deo & creaturæ. Adducit deinde varias euasiones Henrici,easq. infringit.

In vltima parte,resoluuntur argumenta Henrici, in principio Articuli proposita.

Totus iste Articulus, sufficienter explicatus est supra, dist. 3.q.1.art.3. Vide ibi.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Ponitur Opinio aliorum,quòd Deus sit in Genere.

Alia est Opinio affirmatiua, in alio extremo &c.

COMMENTARIVM.



Æc Opinio est Alberti de Saxonia,& aliquomō Holcot lib.1.q.5.q̄ postmodum Arimin. dist. præsēti,q.3.mordicùs conatur defendere,eāq. putat multò probabiliorem, Gabr. quæst.1.

Deū qu[...] ponūt i[...] nere.

Quòd

Quòd verò Deus sit in gñe, probat Arimin. hac potissimũ ratione. Omne quod prædicatur verè in Quid, de pronomine demõstrante rem aliquam, & de pronomine demonstrante aliam aliquã rem, specie distinctã ab illa, nec tñ sic prædicatur de quolibet, est genus illius rei, & illa res est in gñe illo, & per consequens, est in prædicamẽto, vbi est genus illud: sed hoc cõe, Spiritus, verè prædicatur in Quid de Deo, & de pronomine demonstrante aliquã rẽ, specie distinctam ab illa; & non eodem modo prædicatur de omnibus; ergo ipsum est genus illius rei, & ipsa est res huius generis, & per cõsequens, erit de prædicamẽto substantiæ: huius prædicamenti est genus hoc cõe, spiritus. Minor conceditur ab omnibus. Maior propositio vř esse clara, ex definitione generis, ẽt strictissimè sumẽdo genus: Genus.n. definitur, quod prædicatur de pluribus differentibus specie, in eo quod quid est, siue in Quid; prædicari autem in Quid, sumitur strictissimè, sicut accipitur in Maiori huius argumẽti. Addit verò Greg. in Maiori: qd non ꝑdicatur de omnibus: propter Ens, qnod secundũ aliquos, in Quid prædicatur de omnibus, non tamen est genus.

Contrariam tñ sententiam, quòd Deus, vel aliquid dictũ de Deo, non sit in aliquo genere prædicamenti, docet cum Magistro Sententiarũ, vniuersitas præcipuorũ Theologorum. Omnes.n. Scoti & D. Thomæ Sectatores; Magistri Sententiæ subscribunt. Idem tenet hic Seraphicus Bonauentura q.4. Magnus Alex. 1. part. q.48. mem.4. art.2. & 3. & Doctor Dilucidus Richar. Mediouillanus, dist. præsenti, art.4. q.2. imò ipse Nominalium princeps Ocam, subscribit huic sententiæ, siue veritate coactus, siue Academiæ Oxoniensis authoritate permotus, vt inquit Gabr. in qua communiter hęc sententia tenebatur. Idem tenet Aureolus Cardinalis, dist. præsenti, parte 4. (Deus nõ est in Genere.)

Ad rationes Holcot, dicitur infra, articulo 4.

Ad fundamentum Arimin. Respondeo. Maior, vt ponitur in terminis, est simpliciter neganda. Ad Confirmationem. Dico, quòd ex definitione Generis, data à Porphyrio, poterat facilè colligere Arimin. hoc necessariò requisitum ad rationem Generis, quòd Genus cũ debeat ꝑdicari de speciebus, ad quas contrahitur per differentias, de necessitate debet esse contrahibile, potentiale, & determinabile, sm̃ rationem genericam acceptum: cũ igitur repugnet tã rõne Spiritus, q̃ rationem Substantiæ, quã etiam quamcumque aliam in Deo, esse contrahibilem per differentias; nihil in Deo, vel dictum de Deo, potest poni in Genere, vel sub Genere. Nec est par ratio de Ente, vt dixi dist.3. q.1. art.3. dub.1.

ARTICVLVS TERTIVS.

Propria Sententia explicatur.

Teneo Opinionem meam mediam. Quòd cum simplicitate Dei stat, &c.

SVMMA TEXTVS.

Prima Conclusio. *Simplicitati Diuinæ non repugnat, quòd aliquis conceptus communis sit Deo & creaturæ, & vniuocus. Probata est ista Conclusio supra, & artic. præcedenti in textu.*

Secunda Conclusio. *Nullus conceptus genericus alicuius prædicamenti, est communis Deo & creaturæ: ac proinde nec Deus, nec aliquid dictum de Deo, potest poni in aliquo Genere generalissimo, & consequenter nec in Genere Substantiæ, vel in specie.*

Tandem difficultates quædam mouentur & expediuntur.

COMMENTARIVM.

IN Secunda Conclusione, post duas probationes adductas ex authoritate S. Aug. & Auic. quarum vtraq; habet annexam rationem, potest hic commodè addi authoritas Auerrois, (quæ lucem adfert sequenti rationi Doctoris nostri) in libro, Destructio destructionũ, disp.7. Qui postq̃ dubitatione prima hæc verba retulisset. Ait Algazel, Deus non cõicat in genere, neq; differt ab aliquo in differentia, ac proinde nullam habet definitionẽ, cũ definitio ex his cõstituatur. Ad ista verba Algazelis, dicit Auerr. dubitatione 2. Dicimus nos, ꝙ hæc sunt verba Algazelis nomine Philosophorũ narrata: sed quædã sunt vera, quædã erronea. Id.n. quod dicit, ꝙ Deus nequit cõicare cũ aliquo in genere, & in differentia differre. Si intendunt de genere vniuoco; dicimus qd est verum, similiter & de differẽtia: quodlibet namq; qd sic se habet, cõpositũ est ex forma vniuersali, & particulari, & tale definitur certissimè: sed si intendit de genere dicto analogicè; tunc habet genus, vt est Ens, aut res, aut substantia; ergo hoc modo põt definiri.

Hæc authoritas est clara de Algazele, ꝙ sensent Deum non esse in Genere, neq; in ipso posse rationem generis vel differentiæ inueniri.

De Auerroe ẽt certissimũ erit, ꝙ idẽ sentiat, si genus vniuocũ & analogicũ apud ipsũ quid sit, intelligatur. Illud igitur nomine generis vniuoci intelligitur ab Auerroe, qd verè & ꝓpriè genus est, quodq; per differentiã contractũ, facit speciẽ. Quòd aũ hoc intelligat Auerroes, præter interpretationem ibidem Augustini Niphi, apertè põt patere ex textu Auerr. Qui docens, illud ꝙ cõstat genere & differẽtia, debere esse compositũ ex forma vniuersali & particulari, dicit: Nõ forma quæ sit actus materiæ, sed ꝙ vnũ se habet per modũ vniuersalis & determinabilis, & hoc est genus: alterum aũt sit quid minùs cõe & particulare, contrahens ac determinãs, & hoc est differentia. Ex quib. verbis, planũ est, quòd nomine generis vniuoci, quodcũq; genus propriè dictum intelligit. Docet igitur ibi, tale genus propriè dictum, in ratione generis, aptum constituere cũ differentia speciem, non esse in Deo. Genus aũt analogicè dictũ, est illud, quod per quandam proportionem dicitur, id est, quod quamuis non sit verè genus, habet tamen rationem generis, ex hoc, quòd prædicatur in Quid, de pluribus specie differentibus, nec tamen est potentiale vel cõtrahibile per differentias, sicut est Ens, aut res, aut substantia transcendenter accepta, vt est communis ad finitam vel infinitam, vel saltem prout est infinita. Hoc enim expressè Auerroem velle, declarat: tum coniunctio ipsa substantiæ cum ente & re trãscendentibus: tum acceptio impropria generis. Et tale genus impropriè dictum, potest attribui Deo, & dici de Deo. (Genus vniuocũ qd sit apud Auer.) (Genus analogicũ qd secũdũ Auer.)

Quare sicut illud genus vniuocum, propriè dictum, erroneum est attribuere Deo, secundùm Auerroem: ita genus analogicè dictum, & impropriè, prout transcẽdentia aliquomodo habent rationem generis, ex modo prædicãdi in Quid, de diuersis speciebus, verũ est attribuere Deo.

Ad eandem conclusionem vide authoritatem Philosophi, art. sequ. post medium.

Ex hoc discursu Auerr. habet euidentiam rõ Doct. ducta ex infinitate Dei: q̃ breuiter hoc Syllogismo continetur. Nullũ dictũ de Deo, est potẽtiale & cõtrahibile (vt patet ex simplicitate Dei, quia non est compositus ex actu & potentia: patet ẽt ex infinitate, quæ omnimodã ponit in Deo perfectionem, & consequenter tollit omnimodã potentialitatem, & contrahibilitatem in Deo, vel attributo Diuino) sed omne genus est potẽtiale & cõtrahibile; ergo nullum genus dicitur de Deo. Minor patet. Tum ex dictis paulò ante ab Auerr. Tum authoritate Arist. 8. Met. qui in definitione (quæ est Speciei) vnum, nempe genus, dicit se habere per modum materiæ, aliud, nempe differentiã, per modũ formæ: igitur genus secundùm Aristotelem, est potentiale & determinabile per differentiam, sicut materia per formam.

Nec te moueat, quòd Arist. dicat genus esse materiam (intellige Metaph.) Auerr. aũt supra dixit, esse formã vniuersalẽ. Nã ẽt forma vniuersalis, contrahibilis à particulari, vt sensitiuũ à rationali, humanitas à Paulo, est materia Metaphysica, pp potentialitatẽ & contrahibilitatem: quare necessariò, ꝙ est genus, vel in genere, debet esse limitatum & finitũ; & consequenter, ad minus debet esse componibile, si non compositum, vt sunt vltimæ differentiæ.

Illud quod dicitur in litera: ꝙ *genus & differentia, vel sumitur à re & re diuersis: vel à realitate & realitate distinctis:* sic intellige. Rationem generis & differentiæ possumus.

Primò à rebus realiter distinctis accipere; quo pacto, si in homine esset anima vegetatiua & sensitiua, realiter distinctæ ab intellectiua, vt quidã senserunt, tunc cũ animal sit viuens sentiens, ab anima vegetatiua & sensitiua, rõnẽ animalis in homine, qui est viuens sentiens, acciperemus; ab anima autẽ intellectiua, rõnem differentiæ, seu rõnalis haberemus. Secũdò à realitatibus distinctis, non aũt à rebus: non quòd realitas & realitas, sint aliquæ duæ paruæ res: (vt grossè Nominales, & cũ eis Vasquez 1.par.disp.22.c.3. imaginatur) sed quòd in vna re simplici, vt in Angelo, vel albedine, sit ex natura rei cõceptus obiectiuus cognoscibilis; vnus, cõmunis & contrahibilis, ac potẽtialis (sicut in albedine, est rõ coloris, in qua rõne conuenit cũ nigredine, alijsq; speciebus colorũ: in Angelo, rõ substantiæ spiritualis, quæ est communis illi, & animæ nostræ) alius verò, determinãs & actuãs illum potentialem, sicut sunt rõnes differentiarum. Quomodo autem modus intrinsecus non sit realitas differentiæ, patet in fine huius quæstionis.

Realitatis nomine qd Scotus intelligit.

Contra hanc doctrinam Subtilis Doctoris, & cõtra aliã rationem, ductam ex necesse esse, arguit Bacconitanus, Ocã, & Arimin. Quas impugnationes, earumque solutiones, vide apud Lichetum: & ex dictis hìc à nobis, poteris iudicare, quòd literam Subt. Doctoris prædicti impugnatores non intellexerunt.

Illud quòd dicitur de sapientia: an sit, & quomodo transcendens. Dictum est superiùs dist. 3.

Fundamentalis igitur & præcipua ratio, cur Deus, vel aliquid dictũ de Deo, non ponatur, nec poni possit in aliquo genere, est hæc. Quia Ens, primò diuiditur in quantũ vel non quantum, virtutis seu perfectionis: & postea Ens quantũ, in infinitũ & finitum; tertiò tandem, Ens finitum, in substantiam prædicamentalem, & accidens diuiditur. Omnia igitur transcendentia, vel Ens infinitum, aut eius prædicata, antecedunt diuisionem Entis in decem prædicamenta. Transcendentia porrò dicuntur, non modò cõuertibilia cum Ente, vt verum, bonum, vnum; sed etiã non conuertibilia, vt necessitas, contingentia, & quæcunq; enti infinito insunt; vt dicit Doctor prope finem articuli.

ARTICVLVS QVARTVS.

Difficultates quædam, contra dicta insurgentes, dissoluuntur.

Sed contra dicta instatur, quòd infinitas simpliciter non concludit, &c.

SVMMA TEXTVS.

Tres Obiectiones contra prædicta ponuntur, & resoluuntur.

Prima Obiectio. *Ab Arist. 6. Topic. ista definitio infinitæ lineæ rectæ, quòd illa non habet medium, nec extrema, reprehẽditur: sed quod non potest esse in genere, non est reprehensibile si non definiatur; quia eius definitio, constans ex genere & differentia, non potest dari, propterea, quod est extra genus: ergo linea infinita, non est extra genùs, sed in genere, cùm sit definibilis, secundùm Aristot. ergo infinitas non impedit, quominus aliquid sit in genere: ratio igitur Doctoris, ducta ex infinitate, non concludit.*

Respondeo primò ad Aristotelem. *In definitione lineæ rectæ, vna potest esse lineæ vt linea est, altera recti, vt rectum est. Si lineæ detur definitio vt linea est: illa definitio, quod nõ habet medium nec extrema, est mala: & hoc improbat ibi Arist. quia linea secundùm Arist. & Mathematicos, est magnitudo, cuius extrema terminantur punctis: ergo extrema habet, & consequenter medium; cuius contrarium tu dicis. Si autem detur definitio recti, vt conuenit lineæ, hæc, linea est longitudo sine latitudine, cuius extrema sunt duo puncta, æquè protensa: tali definitioni, non repugnat illa, Non habet medium, nec extrema: quia sicut huic definitioni recti, ita illi, non repugnat infinitas, sicut repugnat lineæ. Quod dictum sit ex sententia Philosophi, nam quid ipse Doctor sentiat de infinita linea, vide supra distinctione 2. q. 2. prope finem.*

Quantitas infinita, si daretur, poneretur in prædicamẽto.

Abstrahendo autem à mente Arist. & loquendo de re. An infinita linea, si daretur, esset in genere? Dicitur, quòd esset in genere Quantitatis: non enim omnis infinitas, tollit omnimodã potentialitatem, sed solùm infinitas simpliciter in omni perfectione entis, non autem infinitas secundùm quid: prout etiam superiùs ex Arist. deductum est.

Secunda Obiectio. *Conceptum Entis, ponis vniuocum Deo & creaturæ. Cur ergo negas Deum in genere, vel conceptum genericum illi conuenire? cùm non sit maior rõ huius, quàm illius.*

Respondet Doctor. *Tum ex Augustino: qui non putat propriè vocari Deum Substantiam, verè tamen dicitur Essentia: ergo Ens illi verè & quidditatiuè conuenit, sumptum trãscendenter, non sic Substãtia, sumpta genericè: Substantia tamen sumpta transcendenter, dicitur de Deo, & vocatur à D. Damas. Supersubstantia. Tum ex Arist. quia ille in definitione, genus vult omnino esse materiale, potentiale, & contrahibile: ac proinde, nullo modo ratio generis Deo conuenit.*

Tertia Obiectio. *Arist 1. Topic. Solum genus & definitionem, vocat prædicata quidditatiua: ergo si de Deo conceditur dici aliquod prædicatum quidditatiuum, illud erit genus vel definitio.*

Respondeo. *Aristot. non vniuersaliter omnia ibi enumerat prædicata, quæ dicuntur in Quid, sed solùm illa, quæ in solutione problematũ valent: problemata verò non sunt de transcendentibus, sed communiter vel de sensibilibus, vel de rebus specificis: imò docuit Arist. prædicata aliqua quidditatiuè dici de Deo, & non per modum generis vel definitionis: vt ex locis in textu citatis à Doctore patet.*

Et hic est sensus totius Articuli.

ARTICVLVS QVINTVS.

Ad argumenta pro Opinione adducta, datur responsio.

Ad Argumenta pro secunda Opinione. Ad Damascenum respondeo, &c.

COMMENTARIVM.

Tota litera est clara: præter rñsionẽ ad authoritatẽ Auerr. aliquantũ subobscurã, quæ sic intelligẽda est. Aristoteles ostẽdere volens, qd Ens & vnũ, non sunt aliquæ substãtiæ rerũ, tales quales Plato ponebat Idæas, dicit, vnũ non esse per se aliquã naturam, sed in quolibet gñe, datur aliquod primũ, quod sit vnũ, cui primò vnitas illa denominatiuè cõueniat: & exẽplificat hoc in qualitatibus, vt in colore, vbi datur vnus primus color, absq; proprietatibus, quibus vnitas cõuenit: & per se vnitas nõ est aliqua natura. Idem dicit de Substantia, qd in gñe Substantiæ, est aliqua vna substantia prima, quæ sit mensura aliarũ, rõne vnitatis sibi conuenientis. Hæc vna prima substantia, quæ sit mensura aliarum, non potest poni sm̃ Arist. primus motor, vt ponit Auerroes, quia primo motori vnitas, non denominatiuè sed per se formaliter conuenit, illa autẽ substantia prima, de qua hìc Arist. loquitur, debet habere vnitatem denominatiuè, sicut & alia genera; hoc.n. vult Arist. cũ ait: *In quantitatibus & qualitatibus, ipsum vnum, aliquid vnum* (scilicet denominatiuè dr̃ vnum) *sed non hoc ipsius:* (id est, vnitas non est de formali rõne illius primi, quod dicitur in aliquo gñe primũ:) Similiter habet primũ vnũ Substãtia: quia vnũ denominatiuè dicetur de Substantia. Si aũt primus motor, sm̃ Auer. intelligatur istud primum vnum in Substantia; tunc vnũ ibi erit substantia, cui vnitas nõ conueniet denominatiuè: & deinde, vna natura abstracta, quę esset hoc ipsum vnũ, seu substantialiter vnitas esset mẽsura generis Substantiæ: quorũ vtrũq; est inconueniens. Et primũ ostẽsum est. Secũdũ aũt patet. Quia ibi Arist. loq̃tur de mẽsura intrinseca rerũ, non quòd intrinsecè insit mensurato, sed quod est intra genus aliquod, cũ illo, cuius est mensura: sic homo est mensura intrinseca animalis, quia est sub eodem genere Substantiæ, sub quo est animal: Deus autem est transcendens, & extrinseca mensura rerũ. Vide Doctorem Subt. in expositione Metaph.

Vnitas ... tur in q... libet ... quod e... trũ alio... illius ge... ris.

RESPONDETVR ARGVMENTIS, in principio Quæstionis positis.

Ad Primum Argumentum principale. Concedo quod iste conceptus, &c.

COMMENTARIVM.

In responsione ad Primũ principale. Finitatem & infinitatem vocat Doctor Subtilis modum intrinsecum: ad distinctionem modorum extrinsecorum. Nam in lata huius nominis, modus, acceptione, omnia accidentia dicuntur modi Substantiæ: vt notat Subt. Doctor in 2. d. 1. q. 4.

Modi du... ces.

q.4. propiùs verò nomen Modi, sibi vsurpat Vnio, duorū cōpositio, inhærentia actualis. Sed isti modi sunt extrinseci: intrinseci autem modi, sunt à re inseparabiles. Dari autem modos intrinsecos, non modò est cōis opinio Scoti, & eius discipulorum, sed etiam non paucis alijs placet, vt Bann. 1. par. q. 11. art. 1. Zoar. disput. 7. suæ Met. sect. 1. nu. 18. Fonsecæ. 5. Met. c. 6. q. 6. Et rō est. Tum quia vna & eadem quidditas, est diuersimodè considerabilis, & verè cōsideratur, prout est actu vel potētia, finita vel infinita, &c. ergo in vna quidditate, est alius & alius modus, huic considerationi correspondens. Tum quia omne Ens; aut est res, accipiendo rem pro quidditate; aut aliquid rei, siue quidditatis. Istud aliquid rei, duplex est: quoddam consequens rationem formalem quidditatis, & secundariò distinguens quidditatem formaliter, ab alia quidditate; & talis est propria passio, vt patet in risibili: vel est simultaneum quidditati, aut non distinguēs quidditatem à quidditate; aut si distinguit, distinguet primariò & quidditatiuè, vt dicitur infra; & talis est modus intrinsecus.

Modi intrinseci concedendi sunt.

Consequēs quidditatē duplex est.

Verū cū frequens mentio modorū intrinsecorum, & in antecedentibus facta sit, & deinceps futura, opportunè hìc aliqua, de natura modorū intrinsecorū dicentur: cū & Doctor Subt. nullibi plura de illis, q̃ in præsenti textu dixerit, & Scotistæ, tum Formalizantes, tum Philosophi, tū Theologi, quando de modis intrinsecis Scotistæ loquuntur, hūc locum allegant: à quibus in hac materia, in multis dissentire debet, verus Scoti sectator. Sit igitur.

DIFFICVLTAS PRIMA.

Vtrum modus intrinsecus rectè definiatur à Scotistis.

Modus intrinsecus quo definitur.

VIdetur q̄ non. Primò. Quia modus intrinsecus est ille, sm̄ Scotistas, qui additus alteri, non variat rationem formalem eius; sed accidentia communia, non variant rationē formalem eius, cuius sunt accidentia; albū siquidem & nigrū, non variant rationem formalē hominis; Similiter differentiæ, non variant rationem formalem generis, cuius sunt differētiæ; patet in rōnali, irrōnali, q̄ nō variant rationem formalem animalis; verè enim & rationale, & irrationale, est viuens sentiēs: ergo tā accidētia cōmunia, quàm differentiæ essentiales, erūt modi intrinseci.

Secūdò. Si modus non variat rationem formalem eius cuius est modus, sequitur q̄ Substātia, nō distinguetur formaliter quidditatiuè, à nouem reliquis prædicamētis; Cōsequens est falsum; ergo & Antecedens. Sequela Maioris. Quia Ens descēdit in 10. prędicamēta, p decem modos, vt docēt Scotistæ cōiter in Metaphysica; ergo tm̄ modaliter distinguetur substantia ab accidentibus, non formaliter.

Tertiò. Si modus intrinsecus, nō variaret rōnē illius formalē, cuius est modus, sequeretur, Deū non distingui formaliter à creatura, qđ est impossibile. Sequela. Quia Ens, cū diuidatur per infinitū, quod est Deus, & finitū, quod est creatura, finitū verò & infinitū, sunt modi intrinseci, non variantes rōnem formalem, sequitur q̄ Ens finitum & infinitū, non distinguetur formaliter. Confirmatur. Quia si distinguuntur formaliter, vel distinguuntur formaliter rōne Entis, vel rōne modi: Non primū: quia in illo vniuocātur: ergo dandum est secundum; atque ita formaliter distinguentur ratione finitatis & infinitatis: & cōsequenter, finitas & infinitas variabunt rationem Entis.

Quartò. Arguit Achilinus, lib. de distinctionib. c. 21. Infinitas p̄dicatur in primo mō dicendi per se, apud Scotū: quæro igitur. Vtrū remoto per intellectū modo, puta infinitate, remaneat Diuinitas, an non? Si remanet; ergo remoto prędicato primi modi per se, remanet res apud intellectum: quod est impossibile: si remota infinitate, nō remanet Diuinitas: ergo amotio modi, tollit rationem formalem eius cuius est modus, quodsi sublatus modus tollit quidditatem: ergo positus, ponit & constituit.

Simile argumentum facit idem Achilinus, de existentia Dei, quæ, secundùm Doctorem supra, dist. 2. q. 1. prædicatur per se primo modo de Deo, & tamen communiter Scotistæ dicunt existentiam esse modum.

...liq modi ...riant rō... eius cu... sūt mo...

Cōclusio. Descriptio illa modi intrinseci, à Scotistis vsurpata, q̄ sit illud, qđ additū alteri, nō variat rōnē formalem eius: vera est, si de modis sub genere sit sermo, falsa, si de modis extra genus, intelligatur. Nā ijdē modi, vt finitas & infinitas infra genus, nō variāt quidditatem cui adduntur: variant autem sumpti extra genus, vt infinitum in Deo, & finitum in creatura.

Nota.

Pro cuius pleniori intelligētia. Aduertendum est. Quòd modi intrinseci, vel cōsiderantur in entibus eiusdē generis & ordinis: vt si finitū & infinitū extensiuū, consideretur in quātitate, vel finitū & infinitū intēsiuè, in qualitate: vel secūdò cōsiderantur in entibus diuersi ordinis: vt infinitas in Deo, & finitas in creatura: vel tertiò, in entibus eiusdē ordinis, sed diuersi generis: vt per se esse, & inhærere, conueniūt enti eiusdē ordinis, nēpe enti creato, sed diuersi generis, vt de se patet. Si primo mō cōsiderentur modi intrinseci, verè modus intrinsecus non variat rōnē formalem & quidditatiuā: nā eiusdē est rōnis & definitionis quantitas finita & infinita, supposita eius possibilitate: similiter, eiusdē rōnis formalis esset, hō contingenter causatus, & necessariò productus, si cū Aristotele sentiremus, Deū agere necessariò ad extra, & cōsequenter, productū esse necessariū: itē, eiusdem rōnis & definitionis quidditatiuè, est hō actu existens, & in potentia: & sic de alijs. Quodsi modos intrinsecos consideremus in entibus diuersi ordinis, vel generis: de illis dicendū est, q̄ variant rōnē formalē & quidditatiuā, illius cuius sunt tales modi: vt patet in ente determinato per infinitū ad Deū, & per finitū ad creaturā, quæ quidditatiuè & formaliter distinguunt. Constat ēt in 10. generib. rerū, quæ verè distinguūtur quidditatiuè, sm̄ oēs Scotistas, & sm̄ ipsum Doctorē. 5. Met. q. 6. & tn̄ non rōne entis finiti distinguūtur: ergo rōne illius modi, qui determinat ens finitū ad tale genus: vt optimè probat Secūda & Tertia rō, in principio difficultatis posita: nec (meo iudicio) vllatenus rn̄siones quorundā Scotistarū satisfaciūt, qui de omni modo intrinseco indifferenter loquuntur, qđ non variet rationem formalem cuius est modus.

Ex dictis, hoc sequitur. Quòd modi intrinseci, qui sunt ī entib. eiusdē ordinis & generis, in hoc distinguūtur, à modis diuersi ordinis vel generis. Primò, quia illi nō variant rōnē formalē, illius cuius sunt modi, isti variant. Secundò, illi non sunt de essentia suarū quidditatū, nec dn̄r quidditatiuè, isti sunt de essentia, & modaliter quidditatiuè p̄dicātur: vt. n. in conceptib. sub genere contentis, dātur p̄dicata, q̄ dn̄r in Quale quid: ita & in conceptibus transcendentibus, quidam dn̄r in Quid absolutè, vt Ens; alij autē in Quale quid, vt modi; alij in Quale, non quidditatiuū, necessarium tamen, vt propriæ passiones.

Et ne locus ambiendi detur, qđ hìc intelligā per modos extra genus, vel p modos in genere. Distinguo modos in triplici coordinatione. Quidā sunt transcendētes, Enti trāscendēter accepto cōuenientes, ipsumq; diuidētes; vt finitū vel infinitū; supposito quòd isti sint primi modi, diuisiuì Entis quanti: & ad hunc ordinē reuocantur ēt modi intrinseci, Deo cōuenientes, vt infinitas, existētia, necessitas. Alij modi sunt, qui ens finitū contrahunt ad 10. rerū genera; & cū per illas rōnes contrahentes, prædicamenta ab inuicem distinguantur, nō autē per rōnem entis finiti, q̄a in hoc omnia conueniunt; cōsequens est, qđ isti modi contrahētes, sunt de essentia summorū generum. Alios modos considerare possumus, generibus in esse generico iā constitutis, conuenientes, eorumque inferioribus, vt intensionē in qualitate, finitum in quantitate, actum, potētiam, aliosque modos creaturæ competentes. Vltimi igitur generis modi, non variant rationem formalem eius, cuius sunt modi, primi autem & secundi generis modi, variant rationem eorum quorum sunt modi.

Modorum est triplex coordinatio.

Hæc doctrina optima est, ad saluandā cōtradictionē in dictis Doct. Subt. q̄ in Prol. q. 3. & in quodlibetis, docet infinitatē esse de Essētia Dei, & docet hoc loco esse modū, & modū docet nō esse de quidditate illius, cuius est modus. Primū. n. verū est, cōsiderādo modos trāscendenter primo mō; sm̄ autem, quòd in præsenti textu dicitur, verū est de modis acceptis tertio mō. Scotistæ ēt hinc concordari possunt: dū quidā illorū, putant modū esse de rōne quidditatiua cōstituti ex ente & modo; alij plures negant: illi. n. loquuntur de modis intrinsecis, in diuerso genere & ordine spectātis, vel de modis, ens finitum ad 10. genera contrahentibus; istis sermo est de modis sub genere consideratis.

Ad Primum in principio Dubitationis positum. Respondeo. Ad hoc vt aliquid dicatur modus intrinsecus (loquor autem de modis, vt conueniunt enti infra genus) duo requiruntur: primum est, vt non variet rationem formalem eius cuius est, nec possit variare; secundum est, consequens ad illud, vt non habeat vim constituendi aliquod formale, nec etiam sit causa, qua illud formaliter distinguatur ab illo. Hoc secundum deest, tam accidentibus, quàm differentijs: quare nec dici possunt modi intrinseci. Quamuis enim differentiæ competat, quòd non possit variare rationem formalem generis, conuenit tamen illi esse formaliter constitutiuum alterius, scilicet speciei, & esse causam quare vna species differt ab omni alia quidditatiuè. Simile est de accidente respectu substantiæ. Nam substantia alba, differt formaliter à substantia nigra, vt Petrus albus, à Paulo nigro, non quidem ratione generis aut speciei, sed ratione accidentium illis inhærentium. Illud igitur, variare rationem formalem, in descriptione modi intrinseci positum, accipitur non pro variatione illius, in sua ratione formali, quod determinatur per modum, sed quòd simul sumendo modum cum quidditate, non sumo nouam quidditatem, quàm sumendo præcisè ipsam quidditatem. At sumendo genus cum differentia, vt animal cũ rationali, sumo nouam quidditatem, quæ non accipiebatur, dum solum genus concipiebatur, Quod si sermo fiat de modis extra genus; certum est illos differre ab accidẽtibus. Quomodo autem distinguuntur à differentijs: dicã infra 3, difficultate.

Ad Secundum, Patet responsio ex dictis in Conclus.

Similiter constat, quid dicendum sit ad Tertium. Probat enim alteram partem nostræ Cõclusionis, vt & Quartum, quoad illam partem de infinitate.

De existentia, dubium quibusdam videtur; compiures tamen Scotistæ, dicunt illam esse de quidditate Dei, Quicquid sit, similis est responsio vt de infinitate,

SECVNDA DIFFICVLTAS.

Vtrum modus intrinsecus sit Formalitas?

VIdetur quòd non. Primò. Quia tunc sequeretur compositio in Deo, ex actu & potentia, componeretur, n. ex ente & infinitate, necessitate, ac alijs modis intrinsecis; quod est absurdum.

Secundò, Quia expresse idem sentit Subt, Doctor dist, 8.q.3. vbi docet, quòd modus intrinsecus, non variat rationem illius, cui additur, id est, quòd de se nullam formalitatem dicit.

Sententiam negatiuam defendit Vallo in suis Formalitatibus Paulus Scriptor, in 1.dist, 8. & communiter Scotistæ, à quibus non multùm discrepat Mayron, qui docet, modum intrinsecum à nullo intellectu esse conceptibilem per se, nisi cum ratione formali eius, cuius est modus; ac per consequens, negat esse formalitatem, cùm formalitas sit ratio aliqua obiectiua, apta, si non mouere, saltem terminare intellectum. Quare quod per se non terminat intellectum vt modus, per se non est formalitas.

Suppono ex dicendis dist, 34. Quòd formalitas accipitur vno modo communiter, iuxta datam descriptionem; alio modo strictè, pro sola quidditate, vt accipitur à Mayronio. Non igitur est dubium, an modus intrinsecus sit formalitas, hoc secundo modo, sed in prima acceptione formalitatis, quæstio procedit, Hoc supposito sit,

Conclusio. Omnis modus intrinsecus, est formalitas primo modo. Probatur Primò. Formalitas propriè, licèt non strictissimè sumpta, est ratio obiectiua, apta terminare intellectionẽ; sed quilibet modus intrinsecus, est aptus terminare intellectionem; ergo quilibet modus intrinsecus, est formalitas. Maior patet ex descriptione nominis Formalitas. Minor probatur inductione, Quia ab ipsis authoribus illis, qui negant modos esse formalitates, multa in abstracto dicuntur de modis, vt de existentia, actu, potentia: prout & Arist. considerat hæc, tum 5. tum 9. Met. Quæro tunc. Quando considerantur isti modi absq; quidditate: vel intelliguntur vel non? Si primum: ergo absque quidditate terminant isti modi actum intelligendi; impossibile enim est esse intellectionem, & non terminari ad obiectum; si secundum; ergo omnia quæ dicuntur ab illis de modis in abstractò, falsò dicuntur, quia non intelliguntur,

Modi itrinseci sũt formalitates. Formalitas quid sit?

Confirmatur, Accipio necessitatis modum: hunc possũ intelligere, & sub ratione modi in communi, quòd necessariò sit modus, & sub ratione Entis, & sub ratione talis modi; ergo terminatur intellectio mea ad talem modum; igitur iste modus, est formalitas; & idem dico de alijs.

Nec valet dictum Mayronij. Ideo non esse formalitatẽ, quia per se non est conceptibile, sed cum alio. Tum quia nullum relatiuum sic esset formalitas hoc communiori modo, quia per se non potest intelligi, sed cum alio, nempe cum termino; cuius tamen oppositum docent omnes alij Scotistæ. Tum quia hæc conditio, non exprimitur in descriptione formalitatis; si per se, & non cum alio intelligatur aliquid, formalitas dicitur. Tum quia ad hoc vt aliquid sit conceptus obiectiuus, seu formalitas (idem. n. hæc sunt) ipse Doctor Subt. in Theoremat. non plùs requirit, nisi vt actum intelligendi terminet; ergo siue per se, siue cum alio terminat, verè est conceptus obiectiuus, verè est formalitas. Tum quia isti modi, vt sic, nec sunt absoluti nec relatiui; ergo possunt concipi sine alio. Tum quia omnino gratis dicitur, modos non posse cõcipi absque quidditatibus.

Concep[...] obiectiu[...] id est qu[...] formalit[...]

Probatur Secundò. Isti modi vel sunt aliquid Entis, vel non? secundum dici non potest; quia isti modi conueniunt enti in re; ergo primum dandum est. Tunc sic argumentor, Omne ens est verum, id est, est de se aptum manifestari cuilibet intellectui, potenti ipsum cognoscere; modi autem intrinseci sunt entia, vel aliquid entis; ergo modi intrinseci sunt apti de se manifestari, cuicunque intellectui; ergo intellectus est aptus cognoscere illos: vt enim est aptitudo in obiecto, ad intelligi, ita aptitudo est in intellectu, ad intelligere.

Confirmatur. Intelligibilitas est propria passio Entis; ergo cuilibet quod habet rationem Entis, competit; igitur & modis intrinsecis.

Intelligi[...] litas est [...] sio Entis

Dices, Intelligitur cum alio. Contra Primò. Loquor de modo intrinseco, vt est quocunque modo distinguibilis, à quidditate cuius est; & quæro. Modus intrinsecus vt sic distinctus, aut est Ens, siue aliquid Entis, vel non? si est Ens; igitur currit argumentum de per se intelligibili, sicut & si est aliquid per se Entis: si non est ens; ergo est nihil. Cõtra Secundò. Est illud (quod paulò ante dixi) quòd etiamsi cũ alio concipiatur, & nullo modo per se, adhuc illa ratio obiectiua infinitatis, necessitatis, actus, &c essent formalitates aptæ intelligi, & terminare intellectum. Deinde: Plures modi, non dicunt relationem ad aliud: ergo possunt absque alio per se intelligi.

Probatur Tertiò expressa authoritate Doctoris Subt. hìc, illis verbis. *Quando intelliguntur aliqua realitas cum modo suo intrinseco, ille conceptus non est ita simpliciter simplex, quin possit concipi illa realitas absque modo illo; sed tunc est conceptus imperfectus illius rei: potest etiam concipi perfectiùs sub illo modo, & tunc est conceptus perfectus illius rei.* Idem etiam repetit inferiùs. Habetur igitur clarissimè, quòd conceptu præcisiuo imperfecto, seu (vt aliàs dixi) reflexo, potest cognosci, vt quidditas absque modis, ita modus absque quidditate: si enim quidditas potest coucipi sine modo, vt Doctor Subtilis affirmat: quæro, vtrum possit concipi modus sine quidditate, vel non: si potest; habetur intentum: si non; quæ est causa impotẽtiæ? non enim est intellectus; quia is aptus est omnia intelligere: nec est ex parte modi; quia is dicit aliquam entitatem, cùm non sit negatio, seu nihil: quia aliàs Ens finitum, descenderet ad 10. prædicamenta per nihil, & diuisio Entis in communi, esset per nihil.

Dices. Dicit hìc Doctor. *Si ponamus aliquem intellectum, perfectè moueri à colore, ad intelligendam realitatem coloris, & realitatem differentiæ; quantumcunque habeat perfectum conceptum primæ realitatis, non tamen habet in hoc conceptum realitatis, à quo accipitur differentia, nec è conuersò, sed habet ibi duo obiecta formalia, quæ nata sunt terminare duos conceptus distinctos: si autem tantùm esset distinctio in re, sicut realitatis*

litatis & sui modi intrinseci, non posset intellectus habere proprium conceptum illius realitatis, & non habere conceptum illius modi intrinseci rei. Vbi omnino videtur dicere: quòd vbi est obiectum intelligibile, tale, quòd in illo sit ratio generis & differentiæ, in illo sunt duo obiecta formalia, sed vbi est obiectum intelligibile, quidditas cum suo modo intrinseco, ibi est tantùm vnum obiectum formale; sed vbi est vnum obiectum formale, ibi est vna formalitas; ergo quidditas cum suo modo, dicit vnam formalitatem, & consequenter, modus intrinsecus, vt distinctus à quidditate, non est formalitas.

...otistæ hic ...qui non ...ene perci- ...iũt Scotũ.

Respondeo. Iste locus est, ex quo colligunt Scotistæ, modum non esse distinctam formalitatem à quidditate. Sed reuera si hæc eadem litera Doctoris diligentiùs inspiciatur, planum erit, nullatenus Doctorem illorum sententiæ patrocinari. Nam Doctor hoc tantùm vult toto illo passu, quòd conceptus generis, & conceptus differentiæ, ita sunt diuersi, vt perfectissimum conceptum habere possimus de genere, non habendo de differentia, & è contra. Non sic autem est in quidditate & modo eius; quia licèt quidditas concipi possit sine modo, vt paulò superiùs docuit; perfectissimè tamen non potest concipi quidditas, nisi concipiatur simul modus eius: quæ omnia verissima sunt, loquendo de conceptu proprio rei, adæquato & perfecto; prout ipsemet Doctor his terminis vocat, illum conceptum. Sed si loquamur de cõceptu communi quidditatis, non de proprio & adæquato; & de conceptu modi, vt modus dicit aliquam alietatem, & distinctionem à quidditate; si inquam sermo sit de conceptione abstractiua, sic verè, (secundùm eũdem Doctorem, paulò superius in textu, vt ratione tertia citaui) duabus intellectionibus imperfectis, intelligentur duo obiecta formalia imperfecta. Hæc autem eo fine dicuntur à Doctore Subt. vt ostendat, ex Ente & infinitate, nullam sequi in Deo compositionem, quia infinitas est modus Entis, modus autem cum quidditate, non facit compositionem, cùm sit vnum obiectum perfectum in re; intelligens tamen intellectione abstractiua, propter intellectionis abstractiuæ imperfectionem, potest vnum habere pro obiecto formali, licèt non habeat aliud.

Intelligi... litas it... sio E...

Quando igitur negatur modus esse realitas, non absolutè negatur, sumendo realitatem pro formalitate; sed quòd non sit realitas contrahens, vt differentia; nec quidditas illa, cui modus conuenit, habet se ad modum potentialiter, sicut se habet genus ad differentiam, vt contrahibile ad contrahens: & hoc in toto passu textus præsentis intendit Subtilis Doctor declarare, vt eò firmior eius ratio sit, ducta ex simplicitate, ad probandum Deum non esse in genere.

Patet igitur Primò, ex dictis. Modum intrinsecum habere suam rationem obiectiuam, aliam à ratione quidditatis obiectiua: idq; respectu cognitionis abstractiuæ non intuitiuæ.

Constat Secundò: Vt quidditatem sine modo posse intelligi, ita modum intrinsecum sine quidditate.

Constat Tertiò. Vnum esse perfectum & proprium conceptum, ac adæquatum, quidditatis & modi; sed duos imperfectos & inadæquatos.

Satisfit il- ...s Scotistis ...ui modũ ...trinsecũ ...egant esse ...ormalita-- ...em.

Ad Primum motiuum aliorum Scotistarum, negatiuã sententiam defendentium. Respondeo, sequelam esse nullam. Quia certum est apud omnes Scotistas, quòd Diuina Essentia, & relatio originis, duas dicunt formalitates, & tamen non sequitur compositio ex actu & potentia, ita neq; hic. Deinde, compositio ex actu & potentia, intrinsecè competit enti finito, eo enim ipso quia finitum est, habet potentiam ad vlteriorem perfectionẽ, vt quæst. præcedenti dictum est; infinitum verò, quia infinitum est, nulla caret perfectione; & consequenter, nulla ipsi inest potentia receptiua, respectu actus informantis, vel perficientis illud infinitum.

Ad Secundum. Modus sub genere, non variat rationẽ eius, cuius est modus. Verum est, sed cum hoc stat, quòd sit conceptibilis, absq; illo cuius est modus.

Dices. Modus sub genere, dicit aliam formalitatem à formalitate quidditatis; ergo variat formaliter quidditatem. Consequentia. Quia formalitas addita quidditati, facit rem formaliter, seu quidditatiuè differre; atq; ita variat rationem eius.

Respondeo. Negando consequentiam. Ad probationẽ. Dico. Modus, qui dicit imperfectam formalitatem, facit quidditatem distingui, non formaliter quidditatiuè, sed formaliter modaliter, id est, formalitate modali: vnde in ly formaliter, est æquiuocatio. Hæc tamen doctrina, quòd modus facit quidditatem distingui formalitate modali, non quidditatiua, vera est tantùm de modis sub genere: nam modi extra genus, vel ipsorum generum constitutiui, distinguunt suas quidditates, formalitate quidditatiua modali. Et ratio disparitatis est. Quia modi extra genus, sunt constitutiui, in primo modo per se cõuenientes quidditati; modi autem infra genus, vel constitutas quidditates consequuntur, vel simul cum ipsa quidditate constituuntur, non tamen sunt per modum conceptus constitutiui.

DIFFICVLTAS TERTIA.

Qua ratione distinguuntur modi intrinseci, ab alijs Entibus?

HÆc difficultas potest extendi, inprimis ad ipsos modos, quomodo distinguantur ad inuicem; deinde, quomodo à quidditatibus, quarum modi sunt: tum, quod sit discrimen inter modum intrinsecum, & propriam passionem: adhæc, potest extendi ad differentias, quæ nimirum sit differentia inter modos & differentias.

De prima distinctione modorum ab inuicem, sciendum est. Quòd Modi, alij sunt eiusdem rationis, vt existentia Petri, existentia lapidis; vtriusq; enim illorum, eadem est ratio obiectiua existentiæ; similiter finitas virtualis animæ, finitas corporis. Alij disparati, vt finitas, existentia, contingentia, qui modi sunt diuersæ rationis, compatibiles tamen in eadem quidditate. Alij repugnantes, vt finitas, & necessitas: repugnat enim aliquid esse finitum, & esse simpliciter necessarium. Alij oppositi, vt finitum & infinitum, actus & potentia. Omnes isti modi, sumpti præcisiuè, absq; quidditatibus, distinguuntur formaliter obiectiuè, quia sunt diuersæ formalitates obiectiuæ: si verò accipiantur vt insunt quidditatibus, tunc illi modi, qui sunt in distinctis realiter quidditatibus (siue modi sint eiusdem rationis, siue diuersæ) distinguuntur realiter: qui autem sunt in vno subiecto, erunt idem realiter ad inuicem, distinguentur tamen formaliter; formalitate non negatiua, vt communiter docent Scotistæ, sed positiua, vt paulò post dicetur. Modi intrinseci inter se quomõ distinguũtur.

Circa Secundum. Notandum. Modos intrinsecos à quidditatibus distingui, non distinctione reali, vt euidens est, sed distinctione ex natura rei, quæ est minor formali, secundùm Scotistas. Verùm cùm à nobis inferiùs dist. 34. sufficienter ostendatur, distinctionem ex natura rei, eadem esse cum distinctione formali; consequenter dicendum erit, modum intrinsecum à quidditate distingui formaliter. Et ratio est. Quia sunt duo obiecta formalia, licèt imperfecta, vt dictum est. Modi à qd-ditatibus distinguũtur formaliter.

Circa Tertiam distinctionem. Aduerte. Quòd inter proprias passiones, & modos intrinsecos, hoc discrimen communiter Scotistæ statuunt. Quòd propriæ passiones sunt formalitates positiuæ, distinctæ formaliter positiuè à suo subiecto: modi verò nullas dicunt formalitates, suntque ab Ente distincti, tantùm negatiuè. Discrimen iter modos intrinsecos & passiones.

Quæ doctrina non modò Formalitatum Scriptoribus placet, verùm etiam & nonnullis Interpretibus in hoc loco.

Hoc tamen non est rectè dictum. Primò. Quia modi sunt positiuæ formalitates. Nam necessitas, simplicitas, existentia, actus, sunt positiua attributa in Deo, cùm dicãt perfectionem simpliciter: hæc tamen attributa, dicuntur communiter à Scotistis esse modi; ergo modus dicit perfectionem, & quid positiuum. Et certè mirum est, quòd isti authores, volentes probare vnitatem esse quid positiuum in Deo, secundùm sententiam Scoti, & non solam Modi sunt positiuæ formalitates.

negationem diuisionis, probant ex eo, quòd vnitas sit perfectio simpliciter; deinde ex illo capite, quòd nulla negatio sit idem realiter alicui per se positiuo: præterea, quia negatio formaliter est nihil; adhæc, quia idem esset passio suipsius: & non aduertunt, quòd istæ omnes rationes, directè militent contra hanc illorum positionem, de modis intrinsecis, vt prima fronte patebit applicanti. Quare, vel hæc argumenta ibi non concludunt; vel si ibi concludunt, etiam hìc de modis intrinsecis concludant necesse est. Præterea, illa argumenta, quæ communiter Scotistæ adhibēt, ad ostendendum passiones Entis esse quid positiuum, non negatiuum, prout & nos diximus in Metaphys. ostendunt etiam, modos intrinsecos esse quid positiuum, non negatiuum. Adde sextò, nullam rationem determinantem ad esse positiuum, esse negatiuam; cùm igitur ens determinetur per modos ad inferiora positiua, secundùm Scotistas, sequitur quòd modi intrinseci, non habent esse negatiuum.

Confirmatur. Quod constituit aliquid in esse reali debet esse reale, & quòd constituit in esse formali positiuo debet esse positiuum; cùm ergo ratio per se subsistendi, quæ ratio est modus constituens finitum ens in positiua ratione substantiæ, necesse est istum modum, esse positiuū. De actu etiam constat, ex 9. Met. quòd sit quid positiuum, & tamen est modus: existentia etiam est modus, & tamen nemo dixit esse quid negatiuum; infinitas, necessitas, simplicitas in Deo, dicunt perfectionem, & sunt quid positiuum secundùm Doctorem, vt vidimus aliàs, & sunt modi, in communi senteutia Scotistarum; ergo modus intrinsecus non est negatio.

Ad propositam igitur difficultatem. Respondeo. De modis dupliciter possumus loqui. Primò de omnibus in communi; secundò in speciali.

Loquendo de modis in communi. Dico. Modos intrinsecos, primariò distingui à proprijs passionibus, rationibus suis formalibus. Quia modus non est propria passio & propria passio non est modus. Exemplum. Vnitas à necessitate seipsa distinguitur; quia vnitas est vnitas, & necessitas est necessitas. Quodsi velimus probare per descriptionem, sic. Illa sunt distincta, quorum descriptiones sunt distinctæ; sed aliæ descriptiones sunt modorum, aliæ passionum; ergo modi à passionibus distinguuntur. Iste modus probandi per descriptiones coincidit cum primo. Secundò distinguuntur in hoc, quia propriæ passiones sunt minùs intimæ subiecto, quàm modi suæ quidditati, cuius signum est, quòd perfecto conceptu possit concipi subiectū absq; passione, non item quidditas absq; modo. Tertiò, passio cum subiecto facit vnum per accidens, loquendo de per accidens Logicè; modus autem cum quidditate cuius est modus, est vnum per se, vt locutus est superiùs Doctor dist. 3. q. 1. Quartò, propriæ passiones sunt conuertibiles cū subiecto, modi autem plures non conuertuntur.

Loquendo verò de modis in speciali. Dico. Modi transcendētales, quales sunt illi qui versantur circa Ens diuersi generis & ordinis, præter prædictas rationes communes, distinguuntur à proprijs passionibus. Primò, quia illi modi sunt de quidditate rerum quas constituunt, non autem passiones. Secundò, quia propriæ passiones Entis, conueniunt Enti inquantum est Ens; modi verò conueniunt Enti, non inquantum Ens, sed determinato ad finitum vel infinitum &c. Tertiò, passiones consequuntur rationem formalem subiecti; modi intrinseci tales, constituunt quidditatem.

Modi autem illi, qui sub eodem genere non diuersificāt rationem formalem suæ quidditatis, præter supradictas rationes communes, distinguuntur à proprijs pasionibus. Primò, quia modi tales, sunt simultanei quidditati, vt finitas perfectionis, est simul, nō tantùm duratione, sed etiam natura, cum quantitate perfectionis; propria verò pasio est posterior natura, sicut effectus posterior sua causa. Secundò, quia propriæ pasiones à diuersis rationibus formalibus procedentes, diuersificant sua subiecta, non quidem primariò (hoc enim fit per rationes formales) sed secundariò necessariò tamen; sic risibilitas & hinnibilitas, variant rationem formalem, secundariò & à posteriori, illarum essentiarum, à quibus procedunt; modus autem nō variat, quia essentialiter ille idem homo est actu, qui fuit in potentia, & eadem essentialiter albedo est intensa, quæ remissa.

Illud tamen hìc addo, quòd licèt tam modi transcendentes, à passionibus transcendentibus, quàm modi contenti sub genere, à contentis sub genere passionibus distinguantur, iuxta prædicta: non raró tamen à Doctore Subt. modi intrinseci vocantur passiones (latè sumendo nomen passionis) vt patet in 1. Report. dist. præsenti q. 3. & 4. Met. in expositione textus 30. quibus in locis, actum & potentiam, necessarium & contingentiam, vocat Doctor passiones disiunctas: imò idem, modos intrinsecos diuidentes Ens, vocat differentias Entis, lato modo nomen differentię accipiendo.

Quartæ Dubitationi Dudouetus lib. 1. suarum Formalitatum c. 30. sic satisfacit. Officia differentiæ (secundùm Porphyrium) sunt: diuidere genus, constituere speciem, & esse principium distinctiuum à quacunq; alia specie. Istas tres conditiones, non eodem modò docet conuenire modis intrinsecis, atq. conueniunt differentijs. Nam modi determinant ens latissimum, quod non est genus: differentiæ autem determinant realitatem aliquam potentialem genericam. Deinde, differentiæ coniunctę generibus, constituunt species, at modi intrinseci, vt finitum & infinitum, coniuncti Enti, non constituunt species: nec enim ens finitum, vel infinitum species est. Præterea tertiò, differentiæ propriæ faciunt distinctionem essentialem in rebus, vt patet in rationali & hinnibili, (supponendo hoc secundum esse differentiam equi) non item modi, quia albedo intensa & remissa, habent distinctos modos, nec tamen distinguitur essentialiter, sicut nec homo in actu, ab homine in potentia, specie distinguitur.

Modi in[trin]seci dis[tin]gūtur à [dif]ferētijs q[uo]modo.

Verùm ista responsio insufficiens est. Primò. Esto, quòd Ens non sit genus, adhuc difficultas est de modis genericis & specificis, quos iste author cap. 25. admittit, quodnam inter illos, & differentias, sit discrimen. Nam vt modi illi generici, qui Ens finitum ad 10. summa genera determinant, faciunt illa genera essentialiter distingui; ita & modi specifici, diuident rationem genericam, constituent species, & distinguent illas ad inuicem. Secundò. Hæc positio, non explicat, quomodo Ens non sit genus, & consequenter non explicat, quomodo contrahens modus, non sit differentia. Tertiò. Modi sub genere, non sunt distinctiui essentialiter, illius quidditatis, cuius sunt modi; vt exemplificatur de albedine intensa & remissa; sed modi transcendentales & generici, habēt id officium, vt constituant & distinguant; ac proinde, de illis est difficultas, quomodo à differentijs distinguantur.

Respondeo igitur cum Doctore Subt. in præsenti. Inter modos intrinsecos, respectu suarum quidditatum, & inter differentias, respectu suorum generum, hoc esse discrimen. Primò. Quia differentiæ sunt contractiuæ Entis, tantùm determinati ad certum genus; modi verò sunt determinatiui Entis, tum illimitati, vt patet de finito & infinito, tum limitati, vt est existentia albi, vel hominis. Secundò. Quia differentiæ dicunt realitatem, perficientem generis potentialitatem; modus autem intrinsecus, non est realitas perfectiua suæ quidditatis, sed est ibi debita ab intrinseco. Et aduerte, non negari hìc à Doctore modum esse realitatem, sed negari esse realitatem perficientem, vt præcedenti difficultate dixi; neq; enim est eo modo realitas perficiens suam quidditatem, quomodo differentia est realitas perficiens suum genus, vt dictum est. Tertiò. Genus absq; differentijs est conceptibile, cognitione perfecta abstractiua; perfectè siquidem potest cognosci quidditas animalis, quòd sit viuens, sentiens, absq; eo, quòd concipiam illud esse rationale vel irrationale: sed quidditas non potest perfectè concipi, absq; suo modo; neq; enim vel Deus absq; infinitate, vel creatura absq; finitate, perfectè cognoscitur, esto quòd possit concipi imperfectè & inadæquatè. Quidditatem porrò non posse concipi cognitione perfecta absq; modis, intelligendum est de modis communibus, non de modis indiuiduantibus; quia de existentia, hæcceitate, falsum est.

Quar-

Quartò. Genus est intrinsecè potentiale respectu differentiæ, à qua contrahitur, & in esse specifico perficitur, faciuntq. vnum compositum Metaphysicum: at verò quidditas, respectu modi, non est intrinsecè potentialis ad modum, vt patet de ente & infinitate: si enim Ens esset potentiale ad infinitatem, tunc verificarentur contradictoria de eodem; quia infinitas actualis simpliciter, seu infinita perfectio simpliciter, tolleret omnem potentiam passiuam, in eo in quo est; cùm hoc sit de ratione infinitatis simpliciter: & non tolleret; quia ens esset passiuum potentiale, respectu infinitatis. Non nego tamen aliquas quidditates sub genere, esse quasi potentiales, respectu sui modi: verùm hoc per accidens illis conuenit; omni autem generi, ab intrinseco competit potentialitas passiua; quia omne genus, coniunctum differentiæ, facit compositionem Metaphysicam: non est autem intelligibile, esse aliquam compositionem, & non esse ibi actum & potentiã. Quintò. Differentia vt est extra conceptum generis, ita & extra quidditatem illius, hoc modo, quòd perfectè intelligi potest, posse genus quasi existere sine differentia: sed non sic modus; quia semper res est cum aliquo suo modo, nec potest concipi quòd existat, & non concipiatur sub modo. Vnde licèt differentia, sit essentialior communiter suo constituto, ex genere & tali differentia, quàm modus suæ quidditati, quod inde patet, quia species sine differentia ipsam constituente, non potest concipi, etiam imperfectè, prout potest concipi quidditas sine modo; intimior tamen est vnio modi cum quidditate, vnione differentiæ cũ genere, & est magis quid debitum modus quidditati, quàm differentia generi, vt patet ex tertio discrimine.

Omnes istæ diuersitates inter differentias & modos, colligi possunt ex litera Doctoris præsenti, si legatur attentiùs. Vnde etiam constat, quia ratione modi intrinseci extra genus, cùm varient rationem formalem constituti per illos, non tamen sunt differentiæ.

DIFFICVLTAS QVARTA.

Quænam intrinsecorum modorum genera, à Scotistis numerentur?

FRanciscus Mayron. in suis Formalitatibus, nouem intrinsecorũ modorum genera enumerat: scilicet, finitatem & infinitatem, actum & potentiam, necessariũ & contingens, existentiam, realitatem, & hæcceitatem. Horum autem modorum sufficientia, tali discursu colligitur. Modus quidditatis, aut est demonstrabilis de quidditate; & sic est finitum & infinitum: aut indemonstrabilis: & hic, vel est potentialis; & est potentia obiectiua: vel actualis; & dicitur actus. Porrò hoc fit dupliciter: vel enim ille modus immediatè inest quidditati, & est hæcceitas: vel mediatè modo propinquiori; & est existentia: vel mediatè modo minùs propinquiori; & sic est realitas. Item, vel modus respicit quidditatem ad esse producibilem; & sic est contingentia: vel ad esse improducibilem, sed semper in esse manens; & sic est modus necessitatis. Idem tamen author, de his aliter locutus est lib. 1. sententiarum, dist. 42. q. 4. vbi ex professò tractans de modis, per quos diuiditur Ens, mentionem facit finiti & infiniti, necessarij & contingentis, actus & potentiæ, nec non realitatis: existentiam autem docet reduci ad actualitatem: siquidem existentia & actualitas, sunt indistincta: similiter æternitatem, quæ dicit modum intrinsecum in Deo, reducit ad infinitatem, sicut & durationem creaturæ, reducit ad finitatem. De proprietate verò indiuiduali, ideo se non fecisse mentionem docet: quia ibi tantùm enumerat modos per quos diuiditur ens: licèt igitur proprietas indiuidualis sit modus intrinsecus, non tamen Ens per eam diuiditur. Præterea intensio & remissio, eo consilio non recensentur inter modos intrinsecos à Mayron. (licèt Doctor Subt. in præsenti textu asserat esse modos) quia talia possunt reduci ad finitatem & infinitatem.

Modorum intrinsecorum genera secundum Mayron.

De ordine porrò modorum inter se, hæc tradit. Quòd quidam modi sunt, qui insunt creaturæ per se in primo signo, vt finitas, per se inest creaturę, & est demõstrabilis de illa. Quidam per accidens conueniunt, vt existentia & realitas, qui modi consequuntur primos. Hos autem modos esse per accidens, probat inde. Quia per rationem hominis vel leonis non potest demonstrari, quòd sint existentes & reales; benè autem finitas per rationem formalem hominis, potest demonstrari de homine, sic. Omne rationale, est perfectiùs irrationali: sed homo est rationalis, leo irrationalis: ergo homo est perfectior leone: sed ista comparatio perfectionis est in finito ente, vt dist. 2. q. 2. dictum est: ergo homo est finitus, similiter & leo. Et isti modi conueniunt in secundo signo quidditati, secundùm Mayronium. Alij modi insunt per accidens, tantùm soli creaturæ, vt contingentia, quæ inest per accidens. Et quia contingentia paucioribus conuenit, vt pote soli creaturæ, quàm existentia & realitas, quæ tam Deo quàm creaturæ competunt: rectè contingentia dicitur esse modus posterior realitate, ac existentia, in tertio signo conueniens enti. Alij modi insunt per accidens, solùm huic creaturæ, vt hæcceitas Petri, & hæcceitas Pauli: inest autem per accidens, quia sequitur contingentiam. Modi autem qui sunt in Deo, vt infinitas, necessitas, realitas, hæcceitas, existentia, hunc ordinem seruant, quòd primò videtur esse ponenda existentia, quia est communior, & omne communius est prius: deinde necessitas, omne enim quod est in Deo est necessarium: tertiò infinitas, quia licèt insit per se, non tamen est ita communis, quia omnia, quæ sunt in Diuinis, sunt formaliter necessaria, non tamen omnia sunt formaliter infinita: vt patet de relationibus originis: Hæcceitas tenet quartum locum.

Hanc doctrinam Illuminati Doctoris, de numero & ordine intrinsecorum modorum, quamuis ingeniosam, & artificiosam esse agnoscam: tamen in multis esse falsam, & in pluribus dubiam non possum non fateri. Enumerantur modi secundùm veram sniam.

Nam inprimis illud dictum, de nouenario modorum numero, absolutè falsum est. Cùm à Doct. Subtili, intensio & remissio, inter modos intrinsecos numerentur: deinde, Ens finitum ad 10. genera per modos intrinsecos determinatur, secundùm sententiam omnium Scotistarum, & Mayronij: ac proinde, vltra nouem ab illo numeratos, decem assignare possumus, diuidentes ens finitum.

Discursus verò ille Mayronij, in primo limine peccare videtur, quando docet solùm finitum & infinitum esse modos demonstrabiles de quidditate, cuius sunt. Nam etiam contingentia, necessitas, demonstrari possunt: vt, Omne esse producibile post non esse, est contingens: &, Omne productum, quod producitur ab agente necessariò simpliciter causante, est necessarium, &c.

Præterea. Realitatem esse modum, non possum intelligere. Quia Ens reale, vt est obiectum Metaphysicum, est reale, absq. vllo modo & passione acceptum: atq. ita dicetur reale, absq. modo: ergo realitas in ente, non est modus, sed ipsa ratio entis realis est seipsa realis, eò quòd talis est. Realitas non est modus.

Et Confirmatur. Vel iste modus realitatis, conuenit quidditati reali, vel rationis? si primum: ergo quidditas est seipsa realis: si secundum: ergo ens rationis, erit ens reale, per modum intrinsecum realitatis. Vide Doctorem supra, dist. 3. q. de vestigio: vbi contra Henricum ostendit, ratitudinem siue realitatem Entis, non esse aliquem respectum, nec aliquid superadditum quidditati.

Adhæc. Existentiam esse immediatiorem realitate, æternitatem esse idem cum infinitate, durationem creaturæ, reducendam esse ad eius finitatem. Partim falsa sunt, partim dubia. Vt enim existentia, per se primò modo conuenit Deo, vt superiùs diximus, ita & realitas: ac proinde, æquè immediatè: æternitas etiam formaliter distinguitur ab infinitate, vt dist. 2. dicitur.

Illud dictum de proprietate indiuiduali. Quòd illa non sit modus Entis, nullam habet rationem. Nam ita diuiditur Ens, per vniuersale (accipiendo vniuersale pro quidditate secundùm se, vt non concernit singularitatem) & per singulare, sicut diuiditur per actuale & potentiale: atq. ita, si actus & potentia sunt modi Entis, quia diuidunt totum Ens, etiam vniuersale & singulare, dicentur modi

modi Entis, cùm diuidant totum Ens ad minus finitum.

Agens autem de ordine modorum, videtur inprimis sibimetipsi contradicere. Quia in priori parte docet, infinitatem Deo in primo signo conuenire, eò quòd sit demonstrabilis de Deo, vt & finitas de creatura; inferiùs autem docet illam Deo in tertio signo competere. Item. Existentiam & realitatem, superiùs dixerat conuenire in secundo signo; infra autem ostendit, quòd existentia primò conuenit Deo, postea necessitas, deinde infinitas &c. Præterea. Cum dicitur: quòd existentia & contingentia in creatura, sunt modi per accidens. Id non est admittendum. Nulla enim implicatio est, quominus possit existentia possibilis, probari de ente reali, per rationē Entis, sic. Omne ens reale, non implicat existere; sed hoc est ens reale; ergo &c. Similiter dici potest de contingentia, vt paulò ante dixi.

Possent & non pauca alia improbari eius dicta, sed breuitatis causa omittuntur.

Vt igitur declarem quid hac in parte ipse sentiam.

Modorum genera quatuor.

Nota Primò. Cùm modus intrinsecus sit rei ipsius modificatio ad intra, à re inseparabilis; prout varia sunt entia, ita varij modi possunt assignari. Res verò, vt ad præsens attinet, vel sunt transcendentes, vel genericæ, vel specificę, vel indiuiduales: ita modi, alij sunt transcendentes, alij generici, alij specifici, alij indiuiduales. Modi transcendentes illi dicuntur, qui conueniunt Enti, inquantum est Ens, vel vt non est contractum ad decem genera; sic quantum & non quantum, finitum & non finitum, cùm Enti in tali esse conueniant, dicuntur modi transcendentales Entis. Modi generici propriè dicuntur illi, qui determinant ens finitum ad decem genera; vt esse per se, esse diuisibile, esse ad aliud &c. Specifici, qui naturis specificis conueniunt; sic quantitas virtutis, seu perfectionis, quæ debetur naturæ albedinis vt albedo est, cùm sit perfectior quantitate virtuali nigredinis, dicetur modus intrinsecus albedinis. Alij verò sunt modi indiuiduæ competentes naturæ; vt inprimis est ipsa indiuidualitas, seu hæcceitas, deinde existentia actualis, quæ non conuenit nisi enti singulari, iuxta illud Boetij. Omne quod est, eò ipso, quia est, vnum numero est.

Nota Secundò, Ordinem modorum intrinsecorum posse attendi, vel penes communitatem, sic quòd ille modus sit prior altero, qui est illo communior; vt, quia existentia conuenit Deo & creaturę, infinitas autem soli Deo, existentia concluditur esse prior modus Entis, quàm infinitas: vel penes quidditatem, quam afficiunt illi modi secundùm ordinem immediationis; & sic infinitas, priùs cōuenit Enti, quàm existentia, vt patere potest, ex prol. quęst. de subiecto Theol. & supra dist. 3. q. 3. vbi docet Doctor conceptum entis infiniti, alijs conceptibus, qui de Deo haberi possunt, esse simpliciorem & nobiliorem; si simplicior; ergo enti immediatior, &c. His prænotatis

Certus numerus modorū intrinsecorum statui non potest.

Dicendum est Primò. Non posse statui certum numerū omnium intrinsecorum modorum: illi tamen qui Ens transcendenter sumptum determinant, plures quàm nouem possunt numerari. Prima pars probatur ex Notabili 1. Quia cuilibet naturæ specificæ, certus modus suæ perfectionis debetur; sed naturarum specificarum, non potest statui certus numerus; ergo nec modorum specificorum. Item. Modi indiuiduales, sunt distincti & multiplicati, secundùm distinctionem & multiplicationem indiuiduorum; sicut igitur non potest haberi indiuiduorum certus numerus, ita nec talium modorum. Secunda pars huius dicti, constat ex superioribus, de intensione & remissione, duratione, ac alijs decem modis, per quos Ens finitum ad decem genera suprema contrahitur. Quamuis autem permulti possint recenseri modi, qui Enti transcēdenter sumpto, conueniant, illorum tamen consideratio exacta, non pertinet ad præsens negotium.

Dicendum Secundò. Ordo inter hos modos, si attendatur penes communitatem, is statui debet, quòd finitas & infinitas, dependentia & independentia, actus & potentia, necessitas & contingentia, sunt modi priores, quàm intensio & remissio, subsistentia vel inhærentia, quamq; existentia & hæcceitas. Et ratio est. Quia priores quatuor combinationes modorum, conueniunt Enti communiùs accepto, quàm intensio & remissio &c. Quod si ordo modorum consideretur secūdo modo, nempe secundùm immediationem ad quidditatem, sic, certum erit, post quantum & non quantum virtutis, quòd finitum & infinitum, in ente finito & infinito, erunt modi priores alijs.

Vtrum autem ad finitatem sequatur contingentia, deinde potentia, tandem dependentia; similiter ad infinitatem an immediatè sequatur necessitas, post hanc actus purus, vltimò independentia; nihil certi statui potest de ordine horum modorum ad inuicem.

Hæc sint dicta in gratiam textus.

QVÆSTIO IV.

Vtrum cum simplicitate Dei, aliquomodo possit stare distinctio perfectionum essentialium, præcedens aliquomodo omnem actum intellectus?

Arguo quòd non. August. 5. de Trinit. cap. 5. Non sicut &c.

SVMMA QVÆSTIONIS.

Huius Quæstionis sex sunt Articuli. In Primo, recitatur Opinio affirmantium attributa distingui sola ratione, per respectum ad extra. In Secundo, impugnatur illa Opinio. In Tertio, alia Opinio ponit attributa distingui ratione, non per respectum, sed quasi potentialiter. In Quarto, prædicta sententia reijcitur. In Quinto, datur propria sententia. In Sexto, difficultates quædam mouentur & explicantur. Tandem argumenta principalia soluuntur.

ARTICVLVS PRIMVS.

Recitatur Opinio affirmantium attributa distingui sola ratione, per respectum ad extra.

In ista Quæstione sunt multæ Opiniones, quas non &c.

SVMMA TEXTVS.

Articuli istius sententiæ his dictis continentur.

Primū. *Diuina attributa distinguuntur distinctione rationis, per comparationem ad creaturam: ita quòd sicut in columna rationem dextri, vel sinistri distinguimus, ex ratione reali dextri & sinistri in animali: ita ex ratione sapientiæ & iustitiæ in creatura, quæ sunt distincti habitus, arguimus in Deo distinctionem sapientiæ & iustitiæ: & ita de alijs.*

Secundum Dictum. *Essentia Diuina, secundùm se, circumscripto respectu omni ad extra, vnico conceptu concipi, & vno nomine exprimi apta est.*

Tertium. *Essentia Diuina, non in ratione causæ efficientis, sed in ratione exemplaris & formalis, comparata ad creaturam à qua est variè imitabilis, est fundamentum attributorum à nobis conceptibilium.*

Quarta. *Distinctio attributorum, vt est in Essentia, est potentialiter; actualis autem distinctio eorum fit ab intellectu.*

Quintum. *Diuinus intellectus, & Beatus, ex plenitudine perfectionis ipsius obiecti, quod est Essentia Dei, pluralitatē ibi attributorum videt; noster autem intellectus, à posteriori in cognitionem distinctam eorum deuenit, ex cognitis perfectionibus in creatura: actu tamen distincta attributa intelligit omnis intellectus, & Diuinus, & Beatus, & noster, per respectum ad proportionales perfectiones in creaturis.*

Hæc positio his dictis contenta, est D. Thomæ in 1. dist. 2. quem sequitur Capr. d. 8. q. 9. Heru. quodl. 1. q. 2. & quodl. 3. quæst. 3. et quodl. 8. q. 1.

Ille verò alius modus explicandi qui incipit ibi. Alij declarant istam propositionem sic. *est Gotfredi quodlib. 7. q. 1. qui fusiùs præcedentia dicta explicat. In principio enim explicat dictum præcedens Quintum: & infert postmodum illam propositionem: quòd in Essentia Diuina omninò simplici, non possumus perfectiones distinctas cognoscere, nisi comparatio fiat*

ad di-

ad distincta in creatura. Idem repetit in fine, hoc superaddito, quod in Deo, est intelligens ipse Deus, & intelligibile ipsa Essẽtia. Posset igitur aliquis dicere, quod sine vlla comparatione ad extra, Deus suam Essentiam intelligendo, potest ibi distinguere se intelligentem ab intelligibili. Respondet Gotfr. Quod ista cognitio distinctionis intellectus ab intelligibili, præsupponit priorem ab intellectu factam comparationem ad extra: & per illã comparationem, est quasi facta distinctio in Essentia, intellectus vel intelligentis, ab intelligibili: quam distinctionem postmodum cognoscit.

COMMENTARIVM.



Verba Auerrois in textu: ꝙ in Deo vita, sapientia, aliaque attributa, sũt per modũ dispositionis & dispositi, & ista sũt vnũ i re: sic sũt intelligẽda, ꝙ attributa, crasso mõ loquendi & intelligẽdi, sint veluti dispositiones Essentiæ Dei, ipse autẽ Deus, est dispositum; in quo tamen dispositiones seu attributa, non distinguuntur ab ipsa Essentia Dei, sed sunt vnum in re. Et sic patet litera.

[Attribu]tũ [quid] sit? Pro intellectu tamen totius Quæstionis. Aduerte. Quid sit attributum in præsenti materia.

Ac inprimis. Dico. Quòd ex vi Aethymologiæ, Attributum est, vel alicui aliquid tributum, vel ab aliquo tributũ. Vnde in Deo attributum potest dici in communi, omne illud, quod illi tribuimus, siue illud sit negatiuum, vt quidã putãt, indepẽdentiã, infinitatẽ, immensitatẽ formaliter importare negationem; siue positiuum, & hoc siue reale, siue rationis. Verùm non ita in præsenti distinctione Subtilis Doct. & Theologi loquuntur de attributis Diuinis.

[Attri]butũ [quid] dici[tur i]n Deo. Attributum igitur propriè & Theologicè sumptum, est perfectio simpliciter in Deo conceptibilis, secundariò Diuinæ Essentiæ conueniens. Per primam conditionem, excluditur omnis relatio realis, & rationis in Deo, à ratione attributi: siquidem non dicunt perfectionem simpliciter. Similiter, omnia prædicata quæ dicunt formaliter negationem, excluduntur ab hoc nomine, quia non sunt perfectio simpliciter; vt visum est quæst. 1. dubit. 2. Per secundam, patet, quòd ens, existentia, substantia, spiritus, intellectualitas; cùm dicantur de Deo per se primo modo, & sint quasi secundùm modum nostrum concipiendi constitutiua Essentiæ Dei, non erunt attributa, quia attributa debent esse perfectiones, per modum proprietatum, & passionum, pullulantes ab Essentia.

[Inte]llectus' [& v]olũtas [no]n [su]nt at[tribu]ta. Intellectum & voluntatem, cùm sint potentiæ Essentiæ, numerant communiter inter attributa, reuera tamen non est propriè attributum, & ita à Doct. sumitur art. sequenti ratione 3.

Addunt quidam tertiam conditionem: vt tali perfectioni, similitudine analogica aliquid in creaturis per participationem respondeat. Et ratione huius docent, immẽsitatem, æternitatem, omnipotentiam, simplicitatem, non esse attributa, quia nec insunt, nec inesse possunt creaturæ per participationem.

Istud tamen additum falsum est, vt diximus de simplicitate, quæst. 1. & de æternitate constabit, dist. sequenti.

[Attr]ibuta [non] sunt de [quidditate] Dei. Ex hac descriptione. Constat, quòd attributa propriè sumpta, non sunt de ratione formali Essentiæ Diuinæ. Ratio est. Quia illa quæ sunt de ratione quidditatiua alicuius, dicuntur per se primo modo de illo; sed attributa non dicuntur per se primo modo de Essentia, cùm sint per modum proprietatum in Essentia, per se secundo modo conuenientium Deitati, vt patet ex secunda particula descriptionis data.

Oppositum huius docet Zumel 1. part. q. 28. art. 2. disp. vltima, probans ex æternitate & existentia Dei, quæ sunt de quidditate Deitatis; ergo & alia attributa sunt de quidditate Essentiæ Diuinæ.

Verùm is author impropriè nomen attributi accepit. Existentia siquidem, non se habet per modum proprietatis, ab illa infinita Essentia pullulantis, sed est verè prædicatum quidditatiuum, constitutiuum Essentiæ Diuinæ, vt visum est supra. De æternitate etiam non est ad propositum; vt patet ex dictis.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Impugnatur illa Opinio.

Contra istam positionem. Primò arguitur sic. Quicquid, &c.

SVMMA TEXTVS.

Conclusio istius Articuli est. Attributa non insunt Deo per respectum ad extra. Probatur id in textu quinque rationibus. Et tandem vltimò fundamentum prioris sententiæ dissipatur. Attributa non insunt Deo per respectum ad extra.

Quamuis autem priora duo argumenta, propositam Conclusionem realiter probent: & sequentia tria videntur probare distinctionem ex natura rei attributorum: pro nunc tamen & illa eò fine adducuntur, vt ostendatur, sine vlla comparatione ad extra, esse in Deo intellectum & voluntatem, esse rationem veri & boni, intuitiuæ visionis & volitionis: præscindendo considerationem omnis creabilis, sed in illo priori sistendo, in quo Essentia obiectum primarium, videtur & diligitur: iuxta dicta dist. 1. q. 2. art. 2.

Hac Conclusione probata, probatum manet, quòd in Deo verè sunt attributa: contra Rabbi Moysen, & quosdam alios, negantes, vlla attributa in Deo: vt refert Bassol. in 1. distinct. 22. quæst. 2. art. 2.

COMMENTARIVM.

Litera præsens etsi non obscura sit, aliquali tamen declaratione indiget.

Et inprimis ratio prima tota erit euidens, si intelligatur illud quod dicit, attributum non dicere in Deo perfectionem primam, sed accidentalem; secundùm dicta art. præcedenti in fine, explicando descriptionem attributi. Ex quo loco inferre potes; quòd ratio intellectiui, & volitiui, cùm non sint quasi accidentia Diuinæ naturæ, sed illo mõ, quo spiritus sunt rationes potiùs quidditatiuæ, & quasi constitutiuæ Essentiæ Diuinæ, non erunt propriè attributa; similiter nec intellectus vel voluntas. Quia tamen secundùm aliquos in creatura, voluntas & intellectus sunt accidentia realia animæ; etiam in Deo, per modum attributi dicunt se habere intellectum & voluntatem: & sic in litera Doctor Subt. secundùm communiter loquentes, vocat hìc ratione tertia, & infra, intellectum & voluntatem attributa; cùm tamen propriè sumendo attributum, vt sumpsimus supra, secundùm Doct. non debeant dici attributa. Intellectus & volũtas nõ sunt attributa in Deo.

Secunda ratio, tota in hoc consistit. Cùm quodlibet attributum in Deo, Verbi causa, sapientia, aut bonitas, propter infinitatem, contineat Essentiam totam, secundùm omnem rationem idæalem, secundùm quod in Essentia Diuina, habent esse cognitum, omnes res possibiles: (iuxta dicta infra dist. 35. vbi magis tota ratio procedit) quomodo tu dicis quòd attributum sapientiæ in Deo, vel bonitas, distinguitur per respectum ad sapientiam creatam aut bonitatem? cùm sapientia infinita, ob infinitatem, æqualiter respiciat iustitiam, veritatem, sicut sapientiam creatã; cùm omnium istorum creatorum & creabilium rationes in sapientia infinita contineantur, nec magis nata sit respicere sapientiam creatam, quàm hominem, vel leonẽ: ac proinde, cùm infinita sapientia sit imitabilis à leone, homine, colore, non magis distinguetur ex respectu ad sapientiam creatam, quàm ad hominem, vel leonem.

Tertia ratio vult. Quòd sicut ante omnem comparationem ad extra, est in Diuinis generatio & spiratio; ita à fortiori, fundamenta generationis & spirationis prærequisita, seu principium Quo generandi, nempe memoria, & principium Quo spirandi, nempe voluntas fœcunda, erit ante omnẽ comparationẽ ad extra; & hoc ante oẽm comparationẽ omnis intellectus creati, vt patet, & et Diuini, vt subtiliter probatur in 2. dist. 1. q. 1. à Doctore, vbi vult qđ generationi Verbi, non prærequiritur obiectum secundarium, seu creatura in esse cognito, sed sufficiens est obiectum primarium, Essentia infinita secundùm se.

Quarta.

Quarta. In Deo ab æterno fuit intellectio & volitio eſſentialis, ante omnem comparationem ad extra; ſi enim aliàs diſt. 27. oſtenditur, eſſentialia eſſe priora notionalibus ad intra, à fortiori ſunt priora omni reſpectu ad extra. Similiter dic de quolibet.

Aduerte. Quòd iſta propoſitio, loco Maioris ab aduerſarijs poſita. Quando in vno extremo eſt diſtinctio rationis, cui in altero correſpōdet diſtinctio realis, diſtinctio vel differentia ſumitur per comparationem ad diſtincta realiter: eſt abſolutè loquendo, falſa. Quia poteſt eſſe diſtinctio rōnis in vno extremo, cui in altero nullo mō correſpondet diſtinctio realis; vt patet de vero & bono in Deo, quæ diſtinguuntur tantùm ratione, ſecundùm Thomiſtas, & tamen in Ente creato, non eſt diſtinctio realis, ſed tantū rationis, ſecundū eoſdem. Deinde ſi intelligis, quòd fundamentum illud, quod per diſtinctionem importatur, puta ſapientia, diſtinguitur per te, ratione à Deo, ſi intelligis qđ ſit Ens rationis, etiam Eſſentia Diuina erit ens rationis; q̄a ratione diſtinguitur à ſapientia. Præterea, vt ponatur in aliquo diſtinctio rationis, non requiritur comparatio ad extra; ergo illa propoſitio eſt falſa, quæ eam requirit. Antecedens patet per Thomiſtas, in definitione & definito, quę ſecundū illos, ratione diſtinguuntur, & tamen non eſt neceſſe ad aliquid comparare. Secunda igitur & tertia improbatio Maioris, eſt ad hominem, non ex propria ſententia Doctoris, vt viſum eſt, in quo ſenſu, & inferiùs idem repetit.

Minorem propoſitionem fundamentalis rationis, ſecūdùm Opinionem Primi articuli, hanc, Attributa Diuina, habent in creaturis re diſtincta, ſibi correſpondentia; docet Subtilis Doct. eſſe falſam: ex eo, quia omnia attributa quę pertinent ad intellectum (vt notitia, ſapientia, intellectio, &c.) & voluntatem (vt amor, bonitas, dilectio, iuſtitia, &c.) licèt intellectus viatoris non diſtinguat hæc, niſi ex reſpectu in creaturis; intellectus tamen Diuinus & Beatus, poteſt diſtinguere, ex reſpectu ad Perſonas Diuinas, reſpectu quarum, intellectus & voluntas eſt principium Quo productiuum, ante omnem comparationem ad extra; vt dictum eſt ratione tertia.

Et ſic patet explicatio Articuli.

ARTICVLVS TERTIVS.

Alia Opinio proponitur.

Alia eſt poſitio, quæ dicit, quòd Eſſentia Diuina, &c.

COMMENTARIVM.

Secunda opinio declaratur.

HÆc Opinio eſt Gand. quodl. 5. q. 1. & quodl. 13. q. 1. Idem ſentit noſter Richar. in 1. d. 2. q. 2. & 3. artic. 1. Et quia aliquantùm textus eſt ſubobſcurus, in his dictis propoſitus, faciliùs intelligetur.

Primum Dictum. Eſſentia Diuina ſecundū ſe ſumpta, non habet vllam diſtinctionem attributorum, etiā rationis, niſi in potentia, comparando illam ad intellectū concipientem. Cùm verò intellectus alius ſit Diuinus, alius creatus; & hoc, vel beatus, vel viatoris: & ab intellectu tū Dei, tum Beati, dupliciter Eſſentia Diuina poſſit cognoſci: vel per modum ſimplicis intelligentiæ, ſolam Eſſentiā ſecundùm ſe cognoſcendo; & ſic cognita Eſſentia, dicitur Eſſentia vt Eſſentia; vel per modum intellectus negotiantis, & quaſi ſpeculantis in Eſſentia perfectiones, quas illa ſiue formaliter, ſiue virtualiter continet; & ſic Eſſentia dicitur veritas. Diuerſimodè de his eſt dicendum. Quare ſit

Secundum Dictum. Intellectus tum Dei, tum Beati, cognoſcendo Eſſentiam Diuinam, per modum ſimplicis inhærentiæ, non cognoſcit ibi diſtinctionem attributorū, nec facit eam. Ratio eſt. Quia ſola Eſſentia ſm̄ ſe cognoſcitur.

Tertium Dictum. Intellectus creatus viatoris, non cognoſcit Eſſentiam, per modnm ſimplicis intelligentiæ, cū hoc non conueniat ſtatui eius, cognoſcit tamen eam ſecūdo modo, negotiando ex creaturis.

Quartum Dictum. Intellectus Beati, dum cognoſcit, negotiando circa Eſſentiam Diuinam, & perfectionem infinitam, quaſi in plures diuidendo, tunc facit diſtinctionem rationis attributorum Diuinorum.

Quintum Dictum. Licèt intellectus creatus Beati, alio & alio actu negotiante, poſſit diſtinguere attributa in Eſſentia; intellectus tamen Diuinus, vnico & ſimplici actu, perfectiones contentas in Eſſentia Diuina diſtinguit.

Sextum. Iſta diſtinctio, facta ab intellectu Diuino & Beato, fit per comparationem ad intra. Patet. Quia in Eſſentia ipſa, diſtinguit intellectus negotians, vel Dei, vel Beati rationem Eſſentiæ, rationem veritatis, rationem intellectus, voluntatis, &c.

Septimum Dictum. Iſtę rationes attributorum, quas intellectus de ſimplici Eſſentia, ſecundùm diuerſos conceptus format, non ſunt niſi reſpectus fundati in Eſſentia. Quia conceptus plurium abſolutorum intra eam, impedit ſimplicitas; & ſunt conceptus plures, ne conceptus ſint ſynonimi; & in Eſſentia, ne ſint vani: ſed non ſunt reſpectus ad extra, vt probatum eſt, ſed ad intra.

Octauum Dictum. Sic ergo omnia attributa Diuina, pertinent ad intellectum vel voluntatem: quæ ad intellectum, mutuò intra ſe reſpiciunt; ſimiliter quæ ad voluntatem, mutuò ſe reſpiciunt, inquantum hæc & illa cadunt ſub apprehenſione intellectus: qui intellectus, primò ſimplici intellectu concipit Eſſentiam vt Eſſentia eſt, deinde negotiando circa eam, concipit videlicet eam, vt intellecta eſt, & vt intelligens, & vt ratio intelligendi.

Nonum Dictum. Quando actu ſimplicis intelligentiæ, Eſſentia Diuina intelligitur, tunc intelligitur ſola Eſſentia, in qua tamen ſunt plura fundata, quæ pertinent ad intellectum & voluntatem (cùm omnia attributa ad iſta reuocentur, ſecundùm Henr. quæ ſunt apta diſtingui à cognitione negotiatina. Quæ plura volens explicare, accipit intellectum, qui cognitione negotiante intelligat Eſſentiā, tunc in illa Eſſentia, diſtinguet rationem Eſſentiæ vt ſic, rationem veritatis, rationem intellectus, rationem intellectionis ſeu actus intelligendi, rationem Sapientiæ. Rationem veritatis diſtinguet, quia Eſſentia eſt declaratiua ſui, perfectionumquę ſuarum, ratio autem declaratiui eſt ratio veritatis. Rationem intellectus diſtinguet, quatenus illa veritas, alicui, nempe Eſſentiæ intelligenti, declaratur. Ratio actus, quatenus cognoſcitur quo fit, vt formali actu declaratio. Rationem pręterea ſapientiæ diſtinguet, quatenus intellectum Diuinum, habilem & expeditū cognoſcet, ad intelligendam eſſentiam, & omnem eius perfectionem: iſta autem habilitas & expeditio ad cognoſcendum verum, ſapientia communiter dicitur. Eodē modo poterit intellectus negotians, concipere ibi & diſtinguere perfectiones pertinentes ad voluntatem. Primò, rationem Eſſentiæ concipiendo: poſtea, rationem boni conuenientis: deinde, rationem voluntatis, cui eſt bonum: tādem, rationem volitionis, vel dilectionis actus, quo volūtas vult bonum: vltimò, rationem charitatis, quaſi habitualis, ob promptitudinem voluntatis ſummè tendentis in ſummum bonum.

Decimum Dictum. Eſt ordo & ſtatus in attributis. Cū enim omnia attributa, ſecundùm Gandau. pertineant ad intellectum & voluntatem, & intellectus ſit aliquomodo prior voluntate, vt ex prioritate emanationis ſeu productionis Verbi patet, qui priùs origine generatur, quàm intelligatur Verbum ſpirare; prior erit ordo attributorum intellectus, attributis voluntatis. Iſte ergo eſt ordo & ſtatus attributorum, ſecundùm Henr. Quòd principium & fundamentum illorum, ſit Eſſentia vna ſimpliciſſima, attributum eius primum erit intellectus, poſtea veritas, demum intellectio, tandem ſapientia, vltimò productio Verbi per intellectum, quam etiam productionem inter attributa, numerat Gandau. & hic eſt ſtatus ad intra, deſcēdendo ad rationem intellectus: poſtea eſt ordo conſimilis, à ratione voluntatis, ad productionem Spiritus S. in qua eſt ſtatus attributorum.

Principalem Concluſionem huius Articuli. Quòd in Eſſentia nulla ſit diſtinctio à parte rei attributorum, ſed ab intellectu: ſequuntur communiter Thomiſtæ 1. parte quęſt. 28. artic. 2. diuerſimodè tamen explicant. Alij enim ponunt in Eſſentia diſtinctionem fundamentalem,

alij

alij virtualem, alij potentialem, alij inchoatiuam, actualem verò omnes dicunt esse ab intellectu.

ARTICVLVS QVARTVS.

Opinio præcedens reijcitur.

Contra istam Opinionem, arguitur per rationes illas, &c.

SVMMA TEXTVS.

Prima Conclusio. *Si est distinctio attributorum in Diuinis, vt ostensum est esse non est distinctio rationis.*

Secunda Conclusio. *Attributa sunt in Deo, ante operationem intellectus.*

Tertia Conclusio. *Attributa Diuina, distinguuntur ex natura rei inter se, & ab Essentia.*

COMMENTARIVM.

inctio ibutorū est rō-

PRimæ Conclusionis ratio prima est. Distinctio intellectus & voluntatis, præsupponitur necessariò productioni Verbi, & Spiritus S. vt dicitur infra distinct. 13. & concedit Henr. Sed distinctio productionum, est realis, nec vllum ens reale, necessariò prærequirit ens rationis; ergo distinctio voluntatis & intellectus in Deo, non sunt distinctio rationis, vel ens rationis.

Confirmatur hoc argumentum. Posteriùs naturaliter, non potest esse perfectius ens, ente priori naturaliter.

Hæc propositio, licèt in multis habere possit instantiam, vbi priora generatione, sunt imperfectiora: vt in omnibus patet compositis Physicis, in quibus ordinariè posterius naturaliter, est perfectius ens, ente priori naturaliter, nempe suis partibus: verissima est tamen, si in eo sensu, in quo adducitur, accipiatur, sic. Nullum posterius distinctum, potest esse ens, in ratione entis realis, nisi suum prius, quod necessariò præsupponit distinctum, sit ens reale; sed emanatio Diuinarum Personarum, est quid reale, & in re præsupponens aliquam in re distinctionem intellectus & voluntatis, vt principiorum, ratione quorum distinguuntur productiuè tales emanationes; ergo principium Quo emanationum, intellectus nempe Diuinus & voluntas, est quid in re, & non necessariò præsupponens distinctionem rationis.

Respondere posset ad hoc argumentum, sicut respondet Gand. quodl. 3. quæst. 4. Non intellectus vel voluntas, sunt principia productionum, sed Essentia cum relatione, verbi causa, Pater, est principium productionis Filij: intellectus tamen negotians, potest in Patre distinguere rationem intellectus, respectu Filij, & rationem voluntatis, respectu Spiritus Sancti.

llectus volūtate ingui- ex natu ei.

Contra. Quæro (in re à parte rei, in illo signo, in quo Pater intelligitur generare Filium,) de principio productiuo Quo Filij, vel est idem respectu Spiritus S. & eodem modo se habens, vel non eodem modo: si non eodem modo; ergo est in re, à parte rei, distinctio intellectus quo generat Filium, à voluntate qua spirat Spiritum S. si in re eodem modo se habens, & præcisè est idem; ergo non est maior ratio, cur hic dicatur genitus, ille spiratus; vel hic naturaliter, ille per modum voluntatis procedens. Et ne quis diceret, propterea Filium esse per modum naturæ, quia est ab vna Persona: Spiritum verò Sanctum quia est à duabus Personis, à Patre & Filio, ideo esse per modum voluntatis. Dicit Doctor Subtiliter, quòd non valet concurrere ad relationes hìc, vel ad diuersa suppositarelatiua; sicut enim relatio Paternitatis, naturaliter refert Patrem ad Filium, ita relatio spiratoris, naturaliter refert spiratorem ad spiratum; cùm omnis relatio (vt supra dictum est) æquè naturaliter respiciat suum correlatiuum; ergo ex vi suppositi Patris & Filij, relati ad vnum suppositum Spiritus Sancti naturaliter, ita erit Spiritus S. productus per modum naturæ, sicut & Filius à Patre: quod est falsum, & contra fidem.

Ex hoc discursu conijci potest, quomodo nulla sit istius argumenti solutio, apud Caietan. in lib. de ente & essent. c. 6. quæst. 12. cùm dicit. Distinguitur intellectus à voluntate, fundamentaliter non actualiter. Nam si per ly fundamentaliter, intelligit, quòd in ipso fundamento, nempe in essentia Dei, sit distinctio præcedens operationem intellectus: hoc est quod volumus: si autem intelligit, quòd in fundamento, simpliciter nulla est distinctio, sed in illo facere potest intellectus; ergo ibi ratio naturalis principij, & ratio voluntatis, nulloque modo erit distincta, ante operationem intellectus, atque adeo solus noster intellectus distinguet in Deo rationem principij naturalis, & per modum voluntatis, in re autem eodem principio Filius generatur, quo Spiritus S. spiratur: quod est falsum. Qūo Thomistæ docent intellectum à voluntate distingui.

Similiter constat, nullam esse responsionem Zumel 1. part. quæst. 28. art. 2. disput. 8. aliorumq. Thomistarum, ibidem: sufficere distinctionem rationis. Quia à parte rei, vel est principium Quo Filij, per modum voluntatis, vel non. Si est per modum voluntatis; ergo Filius à parte rei, non procedit per modum naturæ: contra Sanctum Augustinum, & omnes Theologos; imò etiam contra ipsos Thomistas: si non per modum voluntatis; ergo à parte rei, est ibi principium respectu Filij, non per modum voluntatis, sed per modum naturæ: & habetur intentum. Zumel alij.

Nec Capreol. distinct. præsenti quæst. 4. bene respondet, esse distinctionem voluntatis ab intellectu, in Essentia Diuina, aliorumque attributorum; non actu, sed inchoatione, sicut linea est in puncto inchoatiuè. Tum quia in puncto indiuisibili, etiam intellectus non potest distinguere actu lineam diuisibilem; ergo & in Essentia, non poterit etiam intellectus actualem facere distinctionem. Tum quia actu est ibi intellectus & voluntas, cæteraque attributa; ac proinde, de actuali quæritur distinctione: vel est ibi aliqua, vel nulla? si simpliciter nulla; ergo nulla est distinctio in re principij Quo, respectu Filij, à principio Quo, respectu Spiritus Sancti: & si hoc est verum; ergo ita per modum naturæ spiratur Spiritus Sanctus, quomodo per modum naturæ generatur Filius; quia per te, nulla est præcisè distinctio principij Quo, à quo denominatur productio talis vel talis: si aliqua à parte rei; habetur intentum. Capreolus

Hoc argumentum reuera inuincibile est, supposito communi dogmate contra Nominales. quod in re à parte rei Filius generatur per modum naturæ, & Spiritus S. non generatur per modum naturæ, sed spiratur per modum voluntatis, in re à parte rei. Argumētū Scoti insolubile.

Secundò Probatur Conclusio, quòd attributa non præcisè distinguuntur ratione. Quia secundùm Gandau. ratio veri attingitur per eum ab Essentia, vt est intellectus, ratio autem boni attingitur ab Essentia secundùm ipsum, vt est voluntas; ratio autem veri habet aliam rationem formalem à ratione boni, & est ibi ante considerationem intellectus creati; ergo non præcisè hæ rationes distinguuntur per intellectum. Similiter. Ipsa intellectio & volitio, est in Deo à parte rei; & intellectio non est volitio; quia intelligit Deus peccata, & non vult, ante omnem operationem nostri intellectus; igitur est aliqua distinctio in Deo non præcisè rationis.

Respondent Thomistæ, esse ibi distinctionem fundamentalem, alij virtualem, alij eminentem, alij rationis ratiocinatæ, quæ non est præcisè ab intellectu, sed aliquomodo in re, fundamentaliter tamen, non actualiter.

Istę omnes responsiones vt in hoc argumento, ita & in sequentibus, vel supponunt aliquam præter opus distinctionem attributorum in Essentia, vel simpliciter nullam, ita quòd totaliter sit ab intellectu: si secundum; ergo malè communiter omnes aduersarij docent 1. parte

T q. 28.

quæst.28. attieu.2. non sola ratione ratiocinante distingui relationes ab Essentia, vel attributa ab inuicem, & ab essentia; cùm distinctio rationis ratiocinantis, totaliter fit ab intellectu, & nullo modo in re: si supponunt aliquam distinctionem; siue inchoatiuam, vt Capreol. Syluester Prier. siue fundamentalem, vt Caietanus, Zum. Ban. siue virtualem, vt Molina, Valen. Zoar. Vasq. Et hoc sufficit Doctori Subtili, eiusq; sectatoribus. Non plùs enim volumus, nisi hoc, quòd ibi sit aliqua distinctio relationum ab Essentia, & attributorum ab inuicem, præcedens operationem, & distinctionē intellectus; vocetur illa distinctio A. vel B. non curo.

Ratio tertia, clara est ex dictis. Sequens etiam declaratio Henrici, constat ex art. pręcedenti.

Circa Secundam Conclusionem. Aduerte. Quòd illa sit contraria dictis Henrici. Qui licèt formaliter bonitatem in Deo distinguat à sapientia, formalitate rationis; bonitas tamen formaliter distincta, secūdùm ipsum, dicit relationem rationis, sicut & sapientia.

Hoc improbando Subt. Doctor subdit hanc Conclusionem. Quòd bonitas, sapientia, aliaq; attributa, sunt in Deo, ante omnem relationem rationis, vel comparationem intellectus. Textus est clarus.

Ex dictis hac Conclusione, & art.2. constat attributa in Deo esse formaliter, & non tantùm virtualiter, vt quidam senserunt apud Bassol. in 1. dist. 22. q. 2.

Attributa distinguuntur ex natura rei.

Tertia Conclusio, probatur quatuor rationibus. Primæ vis est. Sapientia vt est in Deo, abstrahendo à modo nostro intelligendi: vel est præcisè idem quòd bonitas; vel non est pręcisè idem: Si secundum; ergo est ibi non identitas attributi vnius cum alio, ante omnem modum intelligendi; & habetur intentum: si primū; ergo bonitas & sapientia, cùm præcisè idem significent, erunt synonima; & consequenter nulla erit scientia Theologica de illis.

Respondet Caiet. supra. Licèt idem in re præcisè significet, sapientia quòd bonitas, quia tamen diuersos mentis cōceptus significant, non sunt synomina.

Contra Primò. Nomina sumuntur pro rebus ex 1. Periherm. cùm enim dico, Homo est substantia: sumendo hominē, in istis verbis, pro conceptu: est simpliciter falsa; quia conceptus mentalis hominis, non est substantia, sed qualitas; imò si nomen significat conceptū mentis, omnis oratio erit falsa; ergo significiatio vocum, attenditur penes rem significatā: ista igitur res significata à parte rei, si est præcisè eadem, quæcunq; vox illam significans erit synonina; quia synonimum est vox idem pręcisè significans, quod alia vox significat.

Secundò. Illi diuersi mentales conceptus, vel habent cōceptus obiectiuos distinctos, vel non habēt: si primum; habetur intentū, quòd sit in re significata aliqualis distinctio: si non habent distinctos, sed pręcisè eundem; ergo mentalis conceptus, erit præcisè vnus, & non diuersus; quia si idē & vnum præcisè significatum, eodem modo se habens cōcipio; & hoc modo sub ratione sapientiæ, & illo sub ratione bonitatis; istis conceptionibus mentis, non respondet in re, alia & alia ratio sapientiæ & bonitatis: ac proinde, distinguendo tres conceptus mentis, tanquam alios, erit conceptio falsa; quia concipit distinctas rationes in Deo, quæ nullo modo sunt distinctæ.

Confirmatur. Sicut est falsa intellectio, vniens & identificans extrema realiter distincta, vt duas Personas pro vna concipiendo, quia tali conceptioni oppositum correspondet in re, nempe distinctio suppositorum; ita falsa erit conceptio mentalis, distinguens hoc ab illo, vbi nulla est distinctio.

Abstrahentium non est mendacium: quomodo vera.

Nec valet dicere. Abstrahentium non est mendacium, Licèt enim hoc sit verum de abstractione præcisiua, concipiendo hoc, non concipiendo illud, secundùm primam intellectus operationem; abstractio tamen diuisiua, quæ est secundæ operationis intellectus, semper vel est vera, vel est falsa; vt dictum est dist. 3. q. 1. Argumentatio autē Doctoris procedit hìc de abstractione diuisiua.

Secunda Ratio est talis. Quodcunq; attributum cognoscit intellectus Diuinus, cognoscit illud cognitione intuitiua; illud cognitum, debet esset existens quatenus existens, quia cognitio intuitiua, terminatur ad existens inquantum existens; ergo si intellectus Diuinus cognoscit attributum veritatis, distinctum ab attributo bonitatis, erit illa distinctio in existente vt existens est: sed quicquid est in existente essentia vt existens est, est in re ex natura rei existentis: probatur; quia existentia vt existentia, conuenit in re essentiæ ex natura rei; ergo talis distinctio vnius attributi ab alio, erit in Essentia Diuina vt existens est, ex natura rei.

Confirmatur ista ratio. Cùm intellectus cognoscit illam distinctionem attributorum in Essentia vt existens est: vel inerit distinctio ratione existentis naturæ, absq; omni opere intellectus; & habetur intentum: vel inest præcisè per operationem intellectus; & ita naturæ existenti, quatenus existens est, conueniet illa distinctio rationis, quę est ens rationis: quod est absurdum; ens enim reale, realiter existens, quòd de necessitate ad suam existentiam requirat ens rationis, est magnum inconueniens; cùm ens reale, sit priùs ente rationis, & independens ab illo.

Aduerte quòd propositio illa Doctoris, in hoc textu vsurpata: *Intellectus diuinus, non cognoscit aliquod obiectum, nisi secundùm quod existens:* potest intelligi, vel de existentia formali actuali; & sic verum est, quòd omne quod est in Deo formaliter, vt essētia, attributa, relationes originis, ista cognoscuntur sub ratione actualis existentiæ: vel de existentia virtuali eorum, quę eminenter in Deo continentur; vt omnia creabilia cognoscebantur à Deo intuitiuè, cognitione terminata ad existentiam illorum virtualem; (quæ cognitio ab alijs dicitur simplicis intelligentiæ, distinguendo à notitia visionis, terminata ad actualem existentiam; de quo alibi) ad ipsam verò Essentiam Diuinam, in qua creaturæ eminenter continebantur, terminatur Diuina cognitio, vt ad existentem actualiter, seu formaliter. In præsenti igitur textu, cùm sermo sit de attributis Diuinis, quæ sunt in Essentia Diuina actu & formaliter: prædicta propositio Doctoris, & alia verba, de cognitione intuitiua, terminata ad existens vt existens est, accipi debent determinatè, secundùm priorem sensum.

Tertia ratio est clara, & breuiter Dilemmatice proponi potest, sic Vel in Essentia Diuina (accepta cum suis perfectionibus) est aptitudo ex natura rei, vt in ea plures rationes intelligibiles cōcipiantur; vel non est talis aptitudo, sed præcisè est intelligibilis vno conceptu: Si primum; ergo in Essentia Dei, est ex natura rei aptitudo, ad plures rationes intelligibiles; ista autem pluralitas rationum intelligibilium, ex natura rei, est distinctio ex natura rei formalis vt dicitur infra dist. 34. si præcisè est apta vnico conceptu cōcipi; cùm talis conceptus sit Essentiæ sub propria ratione Essentiæ, qui naturaliter in via non potest haberi, sequitur, quòd in via nullum conceptum de Deo habere poterimus. Ista ratio fusiùs deduci potest ex dictis dist. 3. q. 1.

Quarta ratio supponit, quòd secùndùm Henricum, primum distinctiuum intellectionis Diuinæ, à natura Diuina, est ipsa cognitio Diuina: quia secundùm dicta in præcedentibus: intellectus Diuinus, negotiando circa Essentiam, distinguit ibi intellectum ab Essentia, intellectionem ab amore &c. Doctor verò arguit contra Henricum sic. Illa distinctio, quæ præcedit rationem primi huius distinctiui, à te positi, non est per tale distinctiuum à te positum. Patet ista propositio. Quia prior distinctio non est à posteriori: sed distinctio naturæ & intellectus præcedit (aliqua præcedentia intelligibilitatis, iuxta dicta distinct. 1.) intellectionem, quæ intellectio est primum distinctiuum per rationem: ergo distinctio ibi essentiæ & intellectus, non est per intellectionem; & consequenter, est ante omnem intellectionem. Minor probatur. Quia si nullatenus præcedit ista distinctio naturæ & intellectus, imò & ipsius intellectionis; tunc cùm præcisè idem sit intellectio, quod & natura, vel volitio; sequitur quòd ita distinguitur intellectus Diuinus ab Essentia Diuina volitione vel natura, sicut distinguitur intellectione vel actu intelligendi, quia ista præcisè sunt idem per te; atq; ita, quod conuenit vni, conuenit & alteri.

Respondet Caietanus supra. Negādo Minorē: loquendo de distinctione actuali quacunq;. Ad probationē. Dicit. Negando omnia assumpta. Sufficit enim ad hoc, vt aliqua distin-

distinguantur intellectione vt intellectio est, non natura, distinctio rationis fundamentaliter, inter naturam & intellectionem.

Contra Primò. Ista distinctio fundamentalis, vel est à parte rei, præter opus intellectus, vel non: si est: habetur intentum, quia hanc vocamus distinctionem hìc ex natura rei: siue vocetur A. siue B. fundamentalis vel virtualis, non curo, vt dixi: Si nulla est à parte rei fundamentalis distinctio; ergo illa est pręcisè distinctio rationis ratiocinantis; quia totale esse suum habet à ratione, & nullo modo à re, vel à fundamento; sed distinctionē rationis ratiocinantis, Caietanus & tota Schola Thomistarum negat, in præsenti materia; ergo aliqua est præter opus intellectus admittenda hìc distinctio.

Secundò. Apertè iste author negando probationem à Doctore positam, negat veritatem illius communissimi principij Metaphysici: quòd Impossibilis est negatio & affirmatio simul, de eodem: supra quod fundatur hæc propositio sequens: Quando aliqua totaliter sunt à parte rei idem, quicquid conuenit vni ex natura rei, conuenit & alteri ex natura rei, quia hoc est idem cum illo, ex natura rei: Subinfero hanc Minorem: sed intellectio Diuina, est in re ex natura rei, idem quod natura Diuina, secundùm Caietanum; ergo si conuenit intellectioni, distinguere intellectum ab Essentia, conueniet & naturæ. Maior est manifesta. Tum ex ratione primi principij. Tum ex ratione contradictionis: quia impossibile est verificari in re contradictoria, de eodem omnino in re; si igitur idem in re omnimodè (hoc enim intelligo per ly totaliter) est intellectio quod natura in re; quod verificatur & conuenit intellectioni, conueniet & verificabitur de natura.

Nec valet responsio Zum. Mol. & aliorum, quòd sufficiat distinctio rationis, ad contradictionem euitandã. Nã licèt in istis entibus rationis, subiectum & prædicatum, subiectum non sit prædicatum, & prædicatum non sit subiectum, & similiter in alijs entibus rationis, aliquid possit dici de vno, & non de alio ente rationis; vbi tamen est contradictio in re, ita quòd alicui enti reali, puta intellectioni Diuinæ, conuenit in re distinguere, & non conuenit in re naturę; ibi verè in re debet esse non identitas ad minus formalis; quia aliàs in re esset contradictio, quæ maior est, magisque impossibilis, quàm contradictio in conceptibus.

Verùm aduertendum est. Quòd ista propositio. Quãdo aliqua totaliter sunt idem, quidquid conuenit vni ex natura rei, necesse est, quòd conueniat alteri, sibi omnimodè à parte rei identificato: licèt veritatem suam habeat stabilitam in primo principio Metaphysico, & in illa regula à primo principio immediatè deducta, Impossibile est verificari duo contradictoria de eodem; & consequenter, impossibile est duo contradictoria de omnimodè idẽtificatis in re verificari, & conuenire in re duo contradictoria: quę propositio æquiualet illi. Quando aliqua sunt totaliter idẽ &c. Multi tamen temerè, leuissimis instantijs adducti, negant eam, distinctiones illius varias, vel potiùs euasiones adhibendo.

Dico tamen quod sentio, A. esse totaliter idem in re qđ B. & aliquid in re conuenire A. quod non conuenit B. vel conuenire B. & non conuenire A. est apertè aliquid affirmare & negare de eodem, & manifestam admittere contradictionem; quod est impossibile, vt in limitatis & finitis, ita in infinitis & illimitatis, vt in absolutis ita & in respectiuis.

Nec valet instantia illa, Deus & Deitas sunt idem omninò à parte rei, etiam secundùm Doctorem hunc, dist. 2. & tamen, Deus generat, verum est, Deitas generat, falsum est. Volitio item Diuina simplex, & volitio efficax, est præcisè vna volitio, & tamen quædam dicuntur de efficaci, quæ non dicuntur de simplici, vt patet infra in materia de prædestinatione & præscientia futurorum.

Hæ inquam, & consimiles instantię, nihil omnino valent. Quia de nullo potest absolutè verificari contradictio. Si enim sunt idem penitus & omnimodè in re, nullo modo in re distincta, quicquid conuenit vni illorum in re, necessariò conuenit alteri, sibi omnino omnimodè identificato in re. Verum tamen est, quòd aliquando prędicatio impeditur, propter diuersum modum significandi idem penitus in re, vel propter diuersam connotationem circa penitus idem, ab intellectu sic vel sic affixam; diuersus tamen modus significandi, vel diuersa connotatio facta ab intellectu, cùm non varient rem, neque aliquid reale ponant in re, non possunt tollere, quin illud quod conuenit vni, conueniat & alteri, sibi omnimodè identificato. Vnde in prima instantia: si Deus sumatur purè essentialiter, vt est concretum Deitatis, nullo modo in re distinctũ à Deitate, & non personaliter, secundùm dicta, dist. 4. tunc sicut ista est falsa, Deitas generat; ita & illa, Deus (vt preintelligitur relationibus) generat: sumendo tamen hunc terminum Deus, personaliter, cùm ratio personalitatis distinguatur aliquomodo ab Essentia, non mirum quòd in re conueniet Personę generare, & non Essentię.

Secunda instantia de volitione, nihil valet. Quia ista distinctio volitionis, sumitur ratione connotati in creatura, quam Deus efficaciter vel inefficaciter ad aliquid determinat; abstrahendo tamen à connotato à parte rei, vt volitio est in Deo, nihil conuenit in re volitioni efficaci, quod non conueniat simplici, quia est pręcisè vna & eadem volitio. *Deus generat, quo est vera, & quo falsa.*

ARTICVLVS QVINTVS.

Resoluitur quęstio, secundùm propriam Sententiam.

Ad Quæstionem. Respondeo, & dico. Quòd inter perfectiones essentiales, &c.

SVMMA TEXTVS.

Prima Conclusio. *Attributa Diuina, non tantùm distinguuntur distinctione rationis, secundùm diuersum modum concipiendi; vt ostensum est art. 2.*

Secunda Conclusio. *Nec tantùm distinguuntur formalitate rationis; quasi solus ibi intellectus faciat distinctas rationes formales; vt ostensum est art. 2. & 4.*

Tertia Conclusio. *Distinguuntur igitur attributa formaliter, formalitate ex natura rei, ita quòd formalitas, seu ratio sapientiæ in Deo, non sit idem quòd ratio bonitatis.*

COMMENTARIVM.

Circa Tertiam Conclusionem. Nota Primò. Quòd hanc distinctionem formalem ex natura rei, quid sit apud Doctorem Subtilem, nullus aduersarius Scoticæ disciplinæ hactenus intellexit: vt dictum est supra, dist. 2. quęst. 7. Et ex his dictis à Doctore sufficienter habetur. Quòd distingui formaliter ex natura rei, non est esse res distinctas realiter, nec habere distinctas realitates diminutas, quasi medias inter ens reale & rationis; vt plures tum Ocamistæ, tum Thomistæ imponunt Doctori: nec habere partialia entia constituentia aliquod totum; sed est non includi vnum in ratione formali & quidditatiua alterius, ita quòd vnum sit extra conceptum alterius essentialem; vt apertè hìc affirmat Doctor. Sapientiam igitur in Deo, non esse idem formaliter ex natura rei bonitati Diuinę, non aliud est, quàm quòd ratio sapientiæ infinitæ, licèt sit idem realiter quod bonitas, non tamen per se primo modo in suo conceptu includit bonitatem; ac proinde, alia est ratio bonitatis, alia ratio sapientiæ; licèt sit vna res, iuxta dicta q. 7. distinctionis. 2. vbi vide fusiùs de hac materia. *Distinctionē ex natura rei non intelligunt aduersarij.*

Nota Secundò. Rationes ad hanc Conclusionem, sufficienter esse positas, art. 2. & præcedenti. Hic tamen duas adiungit. Quarum prima est. Si infinita sapientia, esset idem formaliter quod bonitas infinita, sequeretur quòd sapientia in communi, esset idem quod bonitas in cõi. Cõsequens est inconueniens; rõ. n. sapientię non est rõ bonitatis in cõi: ergo & ãns. Sequela Maioris probatur. Quia infinitas nõ destruit rõnē formalē illius cui additur: atquo

ita, si in communi sapientia non includit in sua ratione bonitatem, nec sapientia vt infinita, includet in sua ratione bonitatem, esto quòd sit eadem illi realiter.

Respondet Caietanus. Licèt eadem sit ratio sapientiæ in communi, & sapientiæ infinitæ, secundũ propriam rõnẽ (vocat autẽ infinitum sm̃ rationem propriam, quod est infinitũ in determinata rõne entis, vt est ĩfinita extẽsiuè quãtitas, infinita intẽsiuè albedo, vel sapiẽtia creata infinita, si esset possibilis) nõ tamen est eadem ratio sapientiæ in cõmuni, & sapientiæ simpliciter infinitæ, in tota latitudine entis, qualis est infinita sapientia increata Dei.

Ista responsio (quã sequitur Molina, alijq; expositores D. Th.) est nulla. Quia licèt verũ sit, ꝙ infinitas simpliciter, sit de rõne formali & quidditatiua Essentiæ Diuinæ, vt q. 3. huius dist. dixi, ad mentẽ Subtilis Doct. non tñ destruit rationem Entis, quominus ratio Entis, sit vniuoca Deo & creaturæ: ac proinde infinitas licèt conueniat sapiẽtiæ formaliter & bonitati, non tñ destruit rõnẽ sapiẽtiæ vel cõfundit cũ rõne bonitatis, sed vnit idẽticè realiter sapiẽtiã cum bonitate, quòd non esset possibile in sapientia creata intensiuè infinita.

Dices. Si sapientia est formaliter infinita in ratione Entis; ergo formaliter includit rationem bonitatis, cùm bonitas dicat rationem Entis.

Ad hãc Obiectionẽ, vide dicta d. 34. dub. 2. in resp. ad 2.

Secunda rõ Doctoris est. Illa quæ habent distinctas notiones & descriptiones in abstracto, ẽt in cõcreto, vt sunt in aliquo vnũ realiter, dicẽt distinctas notiones & descriptiones, vt patet inductiuè in omni gñe, quod cùm dicat distinctã notionẽ, à differentijs contrahentibus, esto ꝙ postea sint idẽ realiter in tertio, vt rõ substantiæ & spiritus in Angelo, vel rõ coloris & disgregatiui visus in albedine, tñ vt ratio substantiæ est extra conceptũ spiritus, ita rõ coloris est extra conceptũ disgregatiui visus, & ita in alijs; ergo si ratio sapientiæ in communi, est alia à ratione bonitatis in communi, etiam in concreto, vt sunt in Deo idem realiter, vna ratio erit extra formalem rationem alterius.

Nota Tertiò. Præter rõnes decem à Doctore adductas ad probandam hanc Conclusionẽ (quarum quatuor ar. 2. alię quatuor art. præcedenti, & duæ vltimæ, in præsenti articulo positæ sunt) adduci à Doctore authoritates. Tum communem omnium Doctorum: qui docent in Diuinis vnam esse prædicationem per identitatem non formalem, aliam verò formalem & quidditatiuam; in ista prędicatum est de ratione formali subiecti, in illa verò prædicatum non includitur in ratione quidditatiua illius de quo dicitur, tantùm identicè; & hoc modo, illa quæ merè attributa sunt, dicuntur de Essentia Diuina; identicè scilicet, & non quidditatiuè. Tum particulares Damasc. ex lib. 1. de Fide Ort. c. 4. quæ posita est in principio huius quæstionis arguendo in oppositum, & S. August. varias, vt patet in textu.

Nota vltimò. Subtilissimam huius Doctoris positionẽ, quomodo ex non identitate formali attributorum cum Essentia, vel inter se, non sequitur compositio vlla, etiam Metaphysica in Deo: idque propter infinitatem; quia infinito simpliciter, repugnat quòd sit in eo aliquid potentiale, contrahibile, & perfectibile ab actu, vel quasi actu superueniente; & consequenter, repugnat compositio vel quasi compositio in Deo.

Contra hanc Doctoris positionem, præsertim de distinctione ista ex natura rei attributorum ab Essentia, multis agunt Thomistæ 1. part. quęst. 28. art. 2. Heru. quodl. 1. quæst. 2. & quodl. 3. quæst. 3. & quodl. 8. quæst. 1. Argent. dist. 6. q. 1. quorum præcipua fundamenta posita, & resoluta, vide infra dist. 34. dubit. 2.

ARTICVLVS SEXTVS.

Difficultates tres mouentur & explicantur.

Contra istam solutionem sunt tria dubia, &c.

COMMENTARIVM.

EX responsione ad Primum dubium, colligi potest, quare in Diuinis non ita abhorret Theologus, appellare aliquando formam, sicut abhorret materiam. Quia enim forma creata, præter hanc imperfectionem, quòd sit pars compositi, & consequenter imperfectior suo toto: & præter illam aliam imperfectionem, quia est informans aliud; habet istam perfectionem, quòd sit illud, quo aliquid dicitur tale: secundùm hanc rationem quæ dicit perfectionem, & nullam imperfectionem, potest dicere Theologus, quòd sapientia est forma, vel quasi forma in Deo, non per modum informantis vel partis, quia sic repugnat; sed quia est illud, quo Deus est formaliter sapiens. Materiam verò esse, vel quasi materiam, cùm sit idem, quod esse subiectum, vel quasi subiectum capax perfectionis, quod est intrinsecè imperfectionis, non conceditur in Diuinis esse materiam, vel quasi materiam; vt supra visum est, contra Henr.

Tota litera est clara.

ARGVMENTO PRINCIPALI satisfit.

Ad Argumentum principale, quòd sumitur dę authoritate August. &c.

COMMENTARIVM.

DIcit Doctor. In creatis, de abstracto vltima abstractione, nihil prædicari realiter identicè, quod non prædicetur formaliter per se primo modo: vt dictum est dist. 5. Et infra subdit. Quòd in creaturis, considerando præcisissimè rationem generis & differentiæ, vtraque ratio est finita, & neutra est perfectè eadem alteri: vnde hæc est falsa, etiam identicè. Animalitas est rationalitas.

Contra istud dictum, videtur esse instantia, hæc. Humanitas est risibilitas: quæ videtur esse vera identicè, & non est formalis: Similiter hæc. Humanitas est animalitas.

Ad has, & consimiles obiectiones, dici debet. Quòd identitas realis, rationum communium in creaturis, non est in abractò secundùm se, sed in tertio, puta in supposito hoc vel illo: abstractione verò facta à supposito creato, statim abstractio est ab identitate reali. Si verò de abstracto vltima abstractione debet prædicari aliquid, vt de humanitate animalitas vel risibilitas, debet prædicari in primo modo dicendi per se, quomodo non prædicatur risibilitas de humanitate, vt patet; nec animalitas, quia prædicatio formalis quidditatiua, supponit prędicationem identicam realem; ista autem non est in abstractis vltima abstractione; ergo neque formalis.

QVAESTIO V.

Vtrum solus Deus sit immutabilis?

De immutabilitate Dei, de qua tractat Magister, &c.

SVMMA QVÆSTIONIS.

In Primo Articulo, ostenditur Deum esse immutabilem simpliciter. In Secundo, an aliquid aliud à Deo, sit simpliciter immutabile, secundùm Philosophos, narratur Opinio aliorum. In Tertio ostenditur, quòd dicta Opinio malè explicet intentionem Philosophorum. In Quarto, datur vera explicatio quid senserint Philosophi. In Quinto, quòd Deus non necessariò causet, probatur rationibus. In Sexto concluditur, nihil aliud à Deo esse simpliciter immutabile. In Septimo, rationes pro Opinione Philosophorum, in fine Quarti Articuli adductæ soluuntur. Tandem, satisfit argumento principali.

ARTICVLVS PRIMVS.

Ostenditur Deum esse immutabilem simpliciter.

Huius exclusiuæ de qua quæritur, &c.

SVMMA TEXTVS.

Conclusio. *Deus est simpliciter immutabilis. Probatur (præter authoritatem Scripturæ Sacræ in Canonica S. Iacobi.* Apud quem non est transmutatio,& vicissitudinis obumbratio. Malach. 3. Ego Dominus,& non mutor, Num. 23. Non est Deus quasi homo, vt mentiatur, nec vt filius hominis vt mutetur, &c. *Et præter authoritatem Ecclesiæ atque Doctorum (apud quos indubitata est conclusio præsens) duplici authoritate Philosophi ex 7. & 8. Phys. desumpta. Quæ quamuis diminutè concludant, Aristotelem tamen nobiscum sensisse ostendunt. Veram & vberem illorum Philosophi locorum explicationem, vide apud Doctorem in 2. d. 2. q. 10. in respons. ad 2. princip. Probatur præterea hæc Conclusio ex omnimoda simplicitate Dei superius ostensa.*

COMMENTARIVM.

Mutatio dupliciter potest accipi. Primò, propriè, sic describitur 3. Phys. quòd sit actus entis in potentia, prout in potentia. Ex qua descriptione hoc habetur, quòd mutatio requirit subiectum potentiale, cuius mutatio est actus; Deinde, requirit negationem termini, ad quem est mutatio; est enim actus entis in potentia, & quod est in potentia ad habendū aliquid, caret illo. Alio modo mutatio potest accipi communiter, minusque propriè, pro quacunque inceptione, vel desitione entis realis; sic creatio alicuius de nihilo, vel eiusdem annihilatio, potest dici mutatio.

Conclusio igitur præsens, de vtraque mutatione procedit: principaliùs tamen de prima; quia secunda improbata est dist. 2. q. 2. ex ratione necessitatis, primitatis, in ratione causæ effectiuæ, finalis, & ex ratione eminentię. Adde, ostensum esse dist. 2. q. 1. existentiam esse de Essentia Dei; sed de cuius conceptu quidditatiuo est esse, illud est impossibile non esse, & quod est impossibile non esse, impossibile est mutari in non esse, vel non fuisse; ergo mutatio secundi modi, sufficienter in superioribus probata est. Quamuis & primi modi immutabilitatem eædem rationes optimè probent. Quod enim secundùm se totum simpliciter est necesse esse, est simpliciter immutabile, etiam mutatione primi modi. Patet. Quia illo modo mutabile, potest aliquid habere quod non habet: quia est actus entis in potentia, enti autem simpliciter necessario & perfecto, repugnat talis potentialitas. Idem dic de alijs rationibus, ibidem adductis. Cùm igitur in superioribus copiosè huius Conclusionis fundamenta sint iacta, meritò hic breuiter à Doct. pertransitur.

ARTICVLVS SECVNDVS.

An aliquid aliud à Deo sit immutabile simpliciter, secundùm Philosophos, narratur Opinio aliorum.

Sed pars negatiua illius exclusiuæ, scilicet quòd nihil, &c.

SVMMA TEXTVS.

Aliquid aliud à Deo, puta Angelum, esse ens necessarium, & immutabile, tripliciter potest intelligi secundum Henr. Gad. quodl. 8. q. 9. Primò, quòd sit ens ex se necessarium, & ab alio causatum: & tali modo, non posuit Arist. aliquid aliud à Deo esse necessarium: quia contradiceret sibi, dicit Henr. Tum quia causatum, secundum Arist. est possibile, & non necessariū: ens verò ex se necessarium non est possibile, sed necessarium: Tum quia secundum Arist. 1. cæli & mun. tex. 198. & 138. itē 12. Met. tex. 41. Nihil æternum est causatum, præter motum cælorū, & mediante illo corruptibilia sunt producta, incorruptibilia verò, & secundùm se ab intrinseco necessaria, vt Intelligentiæ vel cæli, sunt incausati.

Secundò, quòd sit ens necessarium ex se, & à nullo principiatiuè vel causatiuè: dependeat tamen essentialiter & subordinetur necessariò primo enti: & hoc modo concedit Arist. aliquid aliud à Deo esse necessarium & immutabile.

Tertio modo potest accipi, quòd ex se sit formaliter possibile, necessarium verò ab altero: quia illud aliud necessario causat: & dicit Gand. quòd secundùm Arist. isto modo nulla substantia causata, potest esse necessaria. Et sic triplex est Conclusio in præsenti art. ad mentem Gandau.

COMMENTARIVM.

Quod dicitur in textu. *Decem modis potest se habere aliquid in esse.* Dicitur ex Henr. Gand. sententia, quodl. 8. q. 9. qui (vt refert hic Guilerin.) decem modos ponit existendi rem. Primus est eius, quod est ex se necesse esse, & à nullo principiatiuè, vt Deus Pater. Secūdus est eius, quod est ex se necesse esse, sed ab alio principiatiuè, non tamen causatiuè, vt Verbum in Diuinis, vel Spiritus S. Tertius est, quòd est necesse esse, sed ab alio causatiuè. Quartus, quod est necesse esse, non tamen ab alio principiatur, nec causatur, sed dependet. Quintus, quod est ex se possibile esse, ab alio tamen necesse esse. Sextus, quòd est ex se possibile esse, & non est ab alio, & tamen est necesse esse, quia videlicet necessariò causat. Septimus est eius, quod est in se possibile esse, & ab alio causatiuè, sed ab æterno. Octauus, quod est in se possibile, ab alio causatiuè, & temporaliter, cum toto tempore. Nonus, quod est in se possibile, & ab alio causatiuè, sed cum parte temporis. Decimus est, quod nec ex se nec ab alio est possibile. — *Existēdi rē aliquā, modi numerātur.*

Hanc igitur distinctionem, ad propositam applicando materiam. Dicitur. Quòd hæc propositio, Angelus existit necessariò: potest intelligi tripliciter, secundùm tertium, quartum, & quintum modum, in prædicta decennaria subdiuisione, enumeratum.

ARTICVLVS TERTIVS.

Ostenditur, quomodo prædicta Opinio malè explicet Aristotelis sententiam.

Contra istam Opinionem, quæ imponit ista Aristoteli, &c.

SVMMA TEXTVS.

Tres supradictas Conclusiones Henrici, ostendit Doctor per ordinem esse contrarias doctrinæ Philosophorum, præsertim Arist. & Auic. Deinde particularia dicta Henrici exagitat, vt non Theologica.

COMMENTARIVM.

Principale intentum Doctoris hic est, ostendere, Primum dictum Henrici, pro Arist. adductum, esse directè contra Aristotelem, Auic. & Auerr. cùm hi Philosophi, aliqua necessaria formaliter, doceant esse causata ab alio. Prima authoritas Philosophi adducitur, ex 2. Met. tex. 4. vbi dicitur. *Semper entium principia semper esse verissima, necesse est: non enim quandoque sunt vera, quandoque non.* Et paucis interiectis, subditur. *Quare vnumquodque sicut se habet vt sit, ita ad veritatem.* In quibus verbis apertè cōcedit, quòd semper entia, seu sempiterna entia, habeant principia sui, vt esse, ita vt veritatis. Et quamuis alicui dubium videretur, de qua veritate ibi loquatur Philosophus, an scilicet de incomplexa, quę est passio Entis, vel de complexa, quę est veritas propositionis: & similiter, vtrum intendat loqui de principijs sempiternis incomplexis, quales sunt substantiæ immateriales, vel de complexis, quomodo principia sunt alijs causa veritatis: intentione tamen Philosophi ibi spectata, dicendum est, quod — *Necessaria Entia sunt causata sm̄ Arist.*

licèt de vtraq; veritate, & de vtrisq; principijs verum sit, quod ibi ab Arist. dicitur, intellectus tamen principalis ibi est, loqui de veritate incomplexa, & principio incomplexo; cùm intendat Metaphysicam sapientiam, ex eo commendare, quia considerat substantias immateriales, quæ sunt verissimæ, certissimæ, & necessariæ substantiæ; ac proinde, & scientia tale obiectum considerans, erit verissima, certissima, & necessaria; vt optimè in sua Metaphysica aduertit Subt. Doctor ibidem; & idem vult Auer. Cùm igitur sempiternorum incomplexorum sint principia incomplexa, secundùm Arist. & secundùm eundem 9. Met. tex. 17. & 1. de Cęlo & mun. omne sempiternum sit de se necessarium, optima conclusione infertur, quòd necessaria incomplexa, habeant sua principia incomplexa.

Secunda authoritas est, ex 5. Metaph. c. de necessario. Vbi postquã dixisset, necessitatem complexam esse in demonstrationibus, quia demõstratio & ex necessarijs principijs procedit, & necessariam infert Conclusionem: subdit postea Philosophus. *Nihil prohibet quorundam necessariorum esse alteras causas.* Quod quamuis possit intelligi de cõplexo necessario, vt de Conclusione, quæ habet causas suæ veritatis ipsa principia; optimè tamen ad incomplexum necessarium deduci potest, ex illo termino, *alteras causas*: alia enim causa est veri complexi, alia incomplexi. Et deinde. Si secundùm Philosophum, de ratione causati vt causatum, est, quòd sit possibile & contingens, non necessarium, cùm etiam Conclusio demonstrationis sit causata ex principijs, ex defectu eorum, erit possibilis & contingens, non necessaria.

Tertia Authoritas est, ex 12. Met. tex. 52. Vbi docet Arist. vnitatem vniuersi desumendam esse, ex vnitate finis; ergo omnia entia ordinata sunt ad vnum finem supremum; igitur intelligentiæ omnes ad primam referantur, vt ad finem: sed prima causa, cuius est causa finalis, eius est & causa efficiens; vt probatum est dist. 2. q. 2. & hic breuiter probatur: quia prima causa, est causa finalis intelligentiæ alterius, puta secundæ, & secunda finalis, mouet ad se illud ordinatum ad finem, desiderium finis & volitionem excitando: sed volitio & desiderium secundæ, & cuiusuis Intelligentię, secundùm Philosophum, est idem quod substantia Intelligentiæ: ergo prima Intelligentia, erit causa secunda necessaria.

Et sic intelligitur alia authoritas desumpta ex Commẽto Auerr. super 12. Metaph. Et quod ibi dicitur. Imponitur Aristoteli, quod posuit vnamquamq. substantiarum istarum, (nempe Intelligentiarum) esse suum intelligere: ly imponitur, non accipitur pro eo quod communiter dicimus, falsò adscribitur, sed sumitur pro attribuitur, tamẽ non consequenter: si enim prima Intelligentia, quæ est Deus, sit causa intellectionis in altera, & intellectio istius secundæ, sit idem quod substantia: non dicitur consequẽter quòd prima causa sit causa intellectionis in secunda Intelligentia, & non sit causa substantię eius.

An Auerr. id senserit. Sed de Auerroe (quamuis hic citetur) videtur esse difficultas, ex pluribus locis illius. Dicit siquidem super 2. Met. com. 4. motores sunt causæ corporum cęlestium, & tamen ipsi non habent causam. Et super illa verba 5. Met. Necessariorum, quædam habent aliam causam suæ necessitatis, & quædam non. Dicit Auer. quædam res sunt necessariæ, quia causæ earum sunt necessariæ, quædam verò sunt necessariæ per se, & non per causam, dantem eis necessitatem: & istæ res sunt simplices, non habentes causam. Quænam verò sint illa entia simplicia, quæ non habent causam, in fine illius textus, quasi seipsum explicans subdit. Si sunt aliqua entia simplicia & æterna, & immobilia, vt declaratum est alibi, nullum eorum acquirit esse necessarium ab aliquo. Ex quo loco infert Aureol. in 1. dist. 42. art. 1. de mente Auerrois, cęlum habere causam productiuam suæ necessitatis, Intelligentias verò non. Adde quod idem Auerr. 12. Met. tex. 43. reprobando Opinionem Auic. de productione Intelligentiarum abstractarũ, vtitur tali discursu. Nihil prouenit ab agente, nisi extrahendo illud quod est in potentia, ad actum: sed Intelligentiæ non extrahuntur de potentia materiæ ad actum: ergo non producuntur ab agente. Idem vult, 1. Cęli & mun. & 1. Physic. vt in textu ab Henr. allegatur; vbi affirmat, quòd si generabile esset æternum, possibile esset, vt natura possibilis transmutaretur in necessariam.

Ad has & consimiles authoritates, quæ ex Auer. adduci possent. Respondeo Primò: quòd ille expresse asserit, aliquorum æternorum & necessariorum dari causas; vt patet in litera, & ex modò dictis super 5. Metaph. atq; ita habetur hic inventa Conclusio. Deinde, Intelligentias alias à prima, esse productas, secundùm ipsum, optimè probat Doctor in litera, ex Comm. illius 12. Met. tex. 36. & 44. Dum autem negat alibi, esse productas, sciẽdum est, quòd productio Intelligentiæ, secundùm Philosophum, dupliciter potest cogitari. Primò, per motum & mutationem, quòd producatur, prout agentia Physica agunt. Secundò, sine motu & mutatione, quatenus videlicet per simplicem emanationem & productionem, prima Intelligẽtia producit alias sibi coæternas. Secundùm primum modum, non producit Deus Intelligentias, secundùm Arist. & Auer. ac Auicennam: sed benè secundùm alium, absq; mutatione; vt expressè videtur ipse Auerr. 12. Met. tex. 43. dicere illis verbis, *loquendo de substantijs abstractis, quòd non sit illic prouentus*, (scilicet Physica productio; cum duratione successionis) *nec consecutio, nec actio per motum & mutationem, & præuiam dispositionem: sed tantùm est illic causa & causatum, secundùm quod dicimus, quòd intellectum* (supple obiectum) *est causa intelligentis*: (scilicet in ratione actu intelligentis, vel actualis intellectionis) Atqui obiectum est causa effectiua intellectionis, & intellectio Angeli est eadem Angelo, secundùm Aristotelem & Auerroem; ergo prima causa, est causa effectiua Intelligentiarum aliarum, secundùm Auerr. hoc secundo modo.

Dices. Illa productio Intelligentiarum absq; motu, esset creatio: sed Auerr. 8. Physic. creationem reputat esse impossibilem; ergo & hanc productionem sine motu, reputat impossibilem.

Respondeo. Illam creationem, qua producitur creatura de non esse ad esse, ita quòd non esse duratione præcedat esse, arbitratur Auerr. (non modò nostræ fidei Sacrosanctæ, sed etiam suo Alcorano contradicendo) esse impossibilem: sed productionem ab æterno (siue illa secundùm nos fuisset creatio, vt dicitur in 2. dist. 1. q. 3. siue secundùm Philosophos mera emanatio) necessariam, & necessariorum, apertè concedit; vt patet ex authoritatibus adductis.

Hinc soluitur illud. Quòd si generabile esset æternum, possibile esset vt natura possibilis transmutaretur in necessariam. Sensus enim est: quòd si natura aliqua possibilis produci, produceretur æterna & necessaria productione simul; esset tale productum possibile secundùm naturam, & necessarium secundùm productionem, seu ex vi productionis. Quod illatum est verum, sed antecedens, quoad secundam partem, de necessaria productione, simpliciter est falsum: quia nullum possibile producitur à Deo necessariò.

De hac materia vide Subtilem Doct. 5. Met. q. 3. Ant. Andr. 3. Met. q. 1. Henr. quodl. de æternitate mundi q. 4. contra Aureolum in 1. dist. 42. art. 1. contra Henricum de Gand. loco cit. & contra Ioannem de Gandauo, in lib. de Substantia orbis, q. 14.

ARTICVLVS QVARTVS.

Datur vera explicatio sententiæ Philosophorum.

De intentione istorum Philosophorum Aristotelis & Auic. nescio &c.

SVMMA TEXTVS.

In priori parte Articuli, ponitur hæc Conclusio. *Aristoteles & Auic. ponentes Deum necessariò agere ad extra, & de necessitate Intelligentias producere, consequenter posuerunt substantias immateriales esse simpliciter necessarias. Quod dictum est contra Henricum art. 2. concl. 1. In secunda parte, motiua*

tiua Henrici soluit, quibus adductus Gandau. oppositum Aristoteli & Auicennæ attribuebat. In tertia, rationes adducuntur tres, quæ videntur fauere Philosophorum sententiæ, quòd Deus agat extra de necessitate; & resoluuntur sufficienter.

COMMENTARIVM.

CIrca priorem partem Articuli. Aduerte. Quòd secundùm Aristotelem & Auic. res à Deo factæ, aliæ sunt productæ per simplicem emanationem, vt præcedenti articulo dixi, absq; motu & mutatione, & talia producta dicuntur immediatè comparari ad primam causam, quia ab illa immediatè sunt producta, secundùm Aristot. vel secundùm Auic. (vt dictum est dist. 1. q. 1.)

De necessaria productione, Entium necessariorum, ex opinione Philosoph. Ad primam causam, seu ad primam Intelligentiam, cõparatur immediatè secunda Intelligentia: tertia comparatur ad primam mediatè, quia mediante secunda necessaria & immobili Intelligentia producitur tertia, ex amore primæ: & sic de quauis alia substantia producta, siue immediatè secundùm Arist. siue mediatè secundùm Auicennam, (mediante non motu vel mutatione, sed aliquo immobili, vt dixi) verum erit dicere, quòd illa producitur necessariò, & non tantùm causaliter, sed etiam formaliter in se est necessaria, secundùm Philosophos. Et quidem si sit substantia intellectualis, erit necessaria, necessitate immutabilitatis: quia repugnabit sibi moueri, vel mutari ad aliquod accidens ad eum modum, quo vera Theologia nunc ponit immutabilitatis necessitatem in Deo: erit præterea necessaria, necessitate ineuitabilitatis; quia impossibile erit illam non fuisse, vel non esse. Si autem materialis substantia sit, vt cœlum vel materia prima; talia erunt necessaria, necessitate ineuitabilitatis tantùm, sed non necessitate immutabilitatis; quia vt materia subiectiuè mutatur ad formas, ita cœlum est capax motus localis, & alterationis perfectiuæ, puta illuminationis. Aliæ res producuntur à Deo, mediante motu vel mutatione, secundùm Philosophos; sicut omnia sublunaria: & ista non sunt formaliter necessaria, imò, quia producuntur mediante mutatione, mutabilia & corruptibilia sunt.

Motus primi mobilis duplex. Porrò in motu primi mobilis duo possumus considerare. Primò, vniformitatem illius motus, quia ab Oriente in Occidentem semper eodem modo mouetur primum mobile, & secundùm eandem durationem: secundum est, diuersitas & difformitas partium motus, secundùm diuersitatem & difformitatem partium mobilis, quatenus vt in mobili, hæc pars est alia ab illa, ita & hæc pars motus, est alia ab illa parte motus, & hæc succedit illi. Generabilia igitur & corruptibilia fiunt à Deo, secundùm Philosophos, mediante motu primi mobilis, secundùm difformitatem, & non secundùm vniformitatem motum illum considerando. Et sic debet intelligi litera Doctoris.

Circa secundam partem Articuli. Nota. Quòd motus cœlorum, secundùm vniformitatem acceptus, sit necessarius, necessitate ineuitabilitatis, vt dixi, & causaliter; quia habet causam necessariò causantè secundùm Philosophos, sed non est formaliter in se ens necessarium, necessitate immutabilitatis, quia est ens successiuum; & successiui pars vna interit, alia subsequitur. Quod si ens permanens producatur necessariò, illud & causaliter & formaliter erit necessarium. Et licèt aliqua illorum, vt materialia (sicut paulò ante dixi de materia & corporibus cœlorum) non sint necessaria, necessitate immutabilitatis; quia subiectiuè mutantur: alia tamen hæc est mutabilitas, à mutabilitate entis successiui; quia ens successiuum, secundùm partes suas, terminatiuè mutatur; & consequenter, verè in entitate sua est corruptibile: illud autem quod est mutabile tantùm subiectiuè, & nullo modo terminatiuè, est verè necessarium, & in entitate sua incorruptibile, licèt mutari ad aliud aliquo modo possit.

Tertia pars Articuli, explicata est in consimili materia, distinct. 2. quæstio. 2. artic. 4. Vide ibi dicta.

Cautela. Interim circa primam & secundam partem Articuli sit cautus lector, hæc dici à Doctore, non quòd ita ipse sentiat, vel aliquis Theologus, sentire debeat, sed quòd ita Philosophus explicandus sit, quando præcisè in illius principijs, quod & alias non rarò facit.

ARTICVLVS QVINTVS.

Quòd Deus non necessariò, sed contingenter causat, probatur contra Philosophos.

Contra istam Conclusionem, in qua communiter concordant Philosophi. &c.

SVMMA TEXTVS.

Priores rationes in textu positæ sunt Henr. Gandau. quodl. 5. q. 4. quæ licèt, vt ab illo proponuntur, non multum probent, addita tamen Confirmatione Doctoris Subt. magnam habent probabilitatem. Postea, proprias rationes adducit.

ARTICVLVS PRIMVS.

IN secunda parte Articuli, Primæ rationis vis, consistit in hoc discursu. Ens absolutũ summè necessarium, non potest non esse quocunq; alio non existente; sed si esset necessaria habitudo Dei ad aliqua extra, destructa illa habitudine Dei, destrueretur Deus: igitur non esset summè necessarium; cuius oppositum ponitur in Maiori. Maior propositio declaratur. Omne aliud à summè necessariò, est minùs necessarium; ergo non oportet, quòd causa efficiens, destruẽs minùs necessarium, possit destruere ens maximè necessarium; virtus siquidem ad destruendum minùs nobile, non est sufficiens ad destruendum nobilius, & magis necessarium, vt patere potest inductiuè in multis. Est autem hîc sermo de necessario, prout repetitur in rebus, non prout est in propositionibus; necessitas enim vnius rei, præsertim summè necessariæ, est omnino distincta à necessitate minori alterius rei; sed in propositionibus, necessitas Conclusionis, est necessitas partialis principij, sicut & ipsa Conclusio est partialis notitia principij; vt optimè declarat Doctor in textu; Ac proinde non sequitur. Destructa Conclusione minùs necessaria, destruitur principium magis necessarium; ergo & in rebus, destructa re, quæ est effectus necessarius primæ causæ, destruitur & prima causa, maximè necessaria. Non valet inquam comparatio. Quia veritas Conclusionis, est eadem veritas formaliter, licèt partialis, quæ est veritas principij; ac proinde & destructa veritate Conclusionis, negatur & destruitur veritas principij. Sed entitas entis à prima causa producti, est alia ab entitate primæ causæ; & consequenter necessitas vnius, est alia realiter & formaliter, à necessitate alterius; ergo negata necessitate vnius rei ignobilioris & imperfectioris, non rectè sequitur negatio perfectioris. Fusius hanc rationem refert Mayr. in 1. dist. 9. q. 4. & Doctor in Report. distinct. præsenti quæst. 3. & vide à nobis dicta in Prologo. Deus cõtingenter causat.

Ratio secunda & tertia textus, copiosè explicata est, dist. 2. q. 2. ar. 4. Dubit. 1. vide ibi.

Ratio quarta & quinta, licèt sint efficaces, & propè demonstrantes, demonstratione ducente ad impossibile; contra Philosophum tamen minùs concludere videntur: quia vtraq; illarum assumit hoc, quòd prima causa possit immediatè in omne possibile. Hoc enim quamuis sit verum, Philosophus tamen negaret, vt ipsemet Subtilis Doctor pluribus infra dist. 42. & quodl. 7. deducit. Quare duæ vltimæ rationes sunt Theologicæ, vt in principio sequentis artic. Doctor Subt. meminit. Ac proinde, non rectè infert Mayr. distinct. 9. q. 4. illas procedere ex dubijs: procedunt enim ex veris, sed reuelatis.

ARTICVLVS SEXTVS.

Concluditur, nihil aliud à Deo, esse simpliciter immutabile.

Ad Quæstionem, quantùm ad expouentem &c.

SVMMA TEXTVS.

Nihil aliud à Deo est simpliciter immutabile

Conclusio Prima. *Nihil aliud à Deo, est, vel possibile est esse immutabile simpliciter, mutatione quæ est versio vel desitio rei.*

Conclusio Secunda. *Nihil aliud à Deo, propter perfectionem suam, est immutabile subiectiuè. Ista Conclusio, patet ex dictis q.2. dist. præsenti.*

Conclusio Tertia. *Aliquod accidens, ob imperfectionem suam, & maximam entitatis suæ debilitatem, non est mutabile subiectiuè: sicut enim non est processus in infinitum, in causis efficiẽtibus, vel finalibus: vt visum est dist.2.q.2. ita & in causa merè subiectiua, deueniendum est ad subiectum, quod nullo modo est actus formalis; & talis est materia: & in causa merè formali, deueniendum est ad aliquam merè informantem, & à nullo informabilem: & talis est forma accidentis, præsertim relatiui.*

Quod hic dicitur, ex infinitate intellectionum, inferri infinitatem intellectus: explicatum est supra de infinitate Dei.

ARTICVLVS SEPTIMVS.

Rationibus, Articulo Quarto pro Opinione Philosophi adductis, satisfit.

Ad Argumenta posita pro Philosophis &c.

ARGVMENTVM PRINCIPALE SOLVITVR.

Ad argumentum principale. Cùm arguitur de mutatione primi &c.

COMMENTARIVM.

TExtus literæ est clarus; & maximè patet ex dictis in corpore ipsius Quæstionis, præsertim Articulo 3. & 4. & ex dictis dist. 2. quæst. 2.

DISTINCTIO IX.

DE AETERNITATE DEI, ET COAETERNITATE trium Personarum.

QVAESTIO VNICA.

Vtrum generatio Filij sit æterna in Diuinis.

Quòd non. Quia vbi idem est esse, & duratio &c.

SVMMA TEXTVS.

Generatio Verbi est æterna.

Prima Conclusio. *Generatio Verbi, est æterna. Est communis Patrum, & Theologorum, contra Arrium. Ratio efficax est. Prima. Agens perfectum non dependens ab aliquo, nec impedibile, si agat per modum naturæ, & necessariò, non per motum & mutationem, habebit productum sibi coæternum, simulque duratione, vt patet ex terminis: sed Deus Pater, est tale producens, respectu Filij, secundùm dicta dist. 2.q.4. & dist. 6. ergo Deus Pater, habebit generationem respectu Filij æternam, & Filium sibi æternum. Secundò. In Diuinis, ponenda est generatio, sine omni imperfectione generantis & geniti: sed imperfectionis est in generationibus creaturarum, quòd aliquæ sunt in fluxu & non permanentes, & dum fiunt non sunt: imperfectionis etiam est, quòd dum genita sunt in facto esse, quòd generatio transeat illarum creaturarum quæ factæ sunt: perfectionis verò est, quòd dum fiunt, sunt permanenter, non successiuè, semper non incipiunt, & ita in facto esse, quòd non transeunt: ergo attribuendo generationi Diuinæ, illa quæ sunt perfectionis, iuxta dicta dist. 2.q.4. erit ibi generatio absq. inceptione, successione, semper stans, in facto esse.*

Ex quo discursu habetur ratio & explicatio, quomodo Pater semper generet Filium, & quomodo generatio Diuina, est in fieri, sine successione, & in facto esse, sine desitione.

Magnus tamen Alexander de Ales 1. parte, q.42. mem. 5. art. 2. non concedit generationem Diuinam esse in fieri, nec in facto esse: sed in tertio: nempe in esse, vt dicamus, generatio Diuina est, non fit, neque facta est.

Sed hoc non contradicit Doctoris Subtilis positioni, qui & in fieri, permanenter, & in facto esse, sine transitione, concedit Diuinam generationem: negat autem Alensis in fieri, cum successione, vel in facto esse, cum desitione.

Secunda Conclusio. *De Deo, & actibus Diuinis, tum essentialibus, tum personalibus, dicuntur verba omnis temporis, consignificando Nunc æternitatis: quatenus illud coexistit partibus temporis.*

Verba præteriti temporis meliùs explicant Diuinam generationem, quàm futuri.

Tertia Conclusio. *Conuenientiùs significatur æterna Filij Dei generatio per verbum præteriti temporis, quàm per verbũ futuri: Quare meliùs dicitur, Pater genuit Filium, quàm generabit: similiter, meliùs dicitur, Filius genitus est, quàm generabitur. Ratio est. Quia per verbum præteriti temporis, significatur generatio esse perfecta, quamuis non significetur esse actu ex vi talis verbi: nisi hoc superaddito, semper Pater genuit, vel semper genitus Filius: vbi ly semper, ad omnem differentiam temporis præsentis & futuri, trahit illud præteritum, genuit & genitus est. Futurum verò, cum careat actualitate & perfectione, ex vi verbi futuri, dicendo, Pater generabit Filium, non ostenditur generatio esse actu & perfecta: quare non ita conuenienter dicetur ex modo significandi: licèt in re, vt dicit Secunda Conclusio, verba omnium differentiarum temporis, dicantur de actibus personalibus in Diuinis.*

De hac materia præter Doctorem Subt. hìc & in Report. vide fusiùs Doctorem Irrefragabilem 1. part. q. 12. & q. 42. membro 5. quem ibidem optimè imitatus est D. Thomas. Vide etiam D. Seraphicum. Richar. de media Vill. aliosq. Scholasticos hìc.

COMMENTARIVM.

PErplexam aliquomodo quoad nostrum modum intelligendi, habent solutionem hìc aliquæ difficultates: Tum de æternitate, in quo nam ratio formalis illius consistat: Tũ quo pacto possibile sit, vt instans indiuisibile æternitatis, tempori coexistat diuisibili; quæ omnia sequẽti explicantur dubitatione.

Dubitatur.

Vtrum æternitas formaliter includat successionem.

Videtur quòd sic. Primò. Vel æternitas est diuisibilis; & habetur intentum: vel est indiuisibilis, vt nunc temporis, vel instans; & sic in eodem instanti, essent vera contradictoria hæc; CHristus est natus, CHristus non est natus: quia in eodem indiuisibili, nunc æternitatis, esset vtrũque verum; idem siquidem nunc æternitatis fuisset tunc, quan-

quando CHristus non fuisset natus, & tunc quando fuisset natus: quod est inconueniens.

Secundò. Nunc indiuisibile non potest inueniri nisi in diuisibilibus: sed æternitas est nunc; ergo est diuisibilis vel in diuisibili inuenitur. Maior patet; tū inductione, in permanenti indiuisibili, vbi est punctus: & in successiuo diuisibili, vbi indiuisibile est instans temporis; tum ratione, indiuisibile non potest imaginari, per modum cuiusdam solitarij, sed per modum termini, vel continuantis; sed terminatio & continuatio est diuisibilium; ergo &c.

Tertiò. Æternitas hodie maior est, quàm fuit ab initio mundi: ponamus enim casum, quòd ab æterno fuissent, absq; principio durationis, creati duo Angeli (quod est possibile, vt dicitur in 2. dist. 1.) & vnus illorum fuisset annihilatus, in principio creationis mundi, alter verò hodie; tunc huius esset æternitas maior & longior; & consequenter, habens partes non terminantes; ergo successiuas; quare &c.

Ita arguit Aureol. dist. 9. par. 2. artic. 1. cui fauere videtur Ocam in 2. q. 10. Gabr. in 2. dist. 2. q. 1. Dicit tamen Aureol. ibidem, art. 2. Æternitatem esse virtutem Diuinam, qua attingit omnem durationem possibilem. Et insuper docet, vt ipsum Deum, ita & illam virtutem, non habere successionem in se: sed si ponatur æternitas esse de duratione indiuisibilis, dicit quòd necessariò debet habere successionē, quia indiuisibile durationis, secundùm illum, est ab intrinseco terminus alicuius continui. Ocam item & Gabr. arguunt contra illam Opinionem, quæ docet æternitatem in Deo, esse durationem ab illo distinctam, sic quòd esset successiua æternitas. Sed tenentes cum Aureolo, illam æternitatem esse potentiam coexistendi omni durationi possibili; dicerent consequenter, illam vim, cùm sit idem quod Deus, esse indiuisibilem.

Tota igitur decisio dubitationis dependet ex cognitione quid sit æternitas, & in quo eius ratio consistit: ratione enim formali illius cognita, facilè cognoscemus, an sit successiua, vel indiuisibilis.

...ternitas ...d in cō- ...ni.

...ternitas ...pfecta, ...imper- ...ta.

Nota igitur Primò. Æternitas, in communi loquendo, est duratio, seu permanentia, rei interminabilis, siue sine termino. Termino verò carere suæ durationis, potest res; vel à parte ante; vt si Deus condidisset ab æterno hominem, aut Angelum, & nunc annihilasset: vel à parte post; quomodo homo & Angelus, habens à parte ante principium durationis, sine termino finis manebit à parte post: vel & à parte ante, & à parte post; vt si homo fuisset ab ęterno productus, & sine termino suæ desitionis conseruatus. Prior, & secundus modus, est imperfectus: quia habet terminum suæ durationis: tertius modus, non includit imperfectionem, & hic conuenit Deo. Verùm aduerte, esse æternum hoc tertio modo, potest intelligi, vel esse æternum dependenter, ita quòd non implicet non esse, vel non fuisse; vel secundò independenter, cui repugnat non fuisse, & implicat non fore. Prior æternitas est imperfecta, & potuit conuenire creaturæ; vt dicitur in 2. dist. 1. q. 3. vocareturq; talis æternitas, participata & dependens. Secunda est perfecta, soli Deo independenti conueniens. Ista verò æternitas perfecta, in quo formaliter sit posita.

...ternita- descri- ...iones va- ...

Nota Secundò. Ex Doct. Subtili quodl. 6. art. 2. Definitionem æternitatis, variam à varijs tradi. Richar. siquidem à S. Vict. 2. de Trinit. c. 9. dicit. Carere initio & fine, & omni mutabilitate, dat æternum esse. Sanctus autem Dyonis. lib. de Diuinis nomin. c. 5. inquit. Deus non quomodocūq; est existens, sed simpliciter, & incircumscriptiuè totum esse accipit in seipso, & præaccipit: propter quòd dicitur Rex sæculorum, ipse est æuum æuorum, qui est ante secula.

...ternita- ...poriæ, ...riptio, ...xplica-

Verùm ista & consimiles descriptiones Diuinæ æternitatis intelligi debent, & explicari, iuxta illam doctrinam Boętij lib. de Consol. prosa. 6. Æternitas est, interminabilis vitæ, tota simul, & perfecta possessio. In quibus verbis, *vita*, ponitur pro existentia Diuina actuali perfecta, quæ est fundamentum æternitatis: sicut enim infinitas est modus Essentiæ Diuinæ; ita æternitas est modus existentiæ, vt vult Doct. Subtilis supra, & Mayr. dist. præs. Deinde, per ly *interminabilis*, excluditur desitio: per *tota simul*, excluditur successio, & per ly *perfecta possessio*, excluditur dependentia, & participatio illius esse, quod dicitur æternum. Æternitas igitur videtur secundùm suam rationem formalem, consistere in triplici negatione, terminationis, successionis, & dependentiæ: quæ omnes negationes reuocantur (vt ibidem aduertit Doctor) ad indefectibilitatem: quod enim est omnino indefectibile, caret fine, & successione, atq; dependentia.

Aeternitatis ratio formalis ī quo consistat.

Alij docent æternitatem formaliter & in recto dicere positiuum, nempe existentiam Diuinam, connotare tamē negationem defectibilitatisū. Sed hoc dict contradicit definitioni traditę à Boetio, in qua ponitur vita in obliquo, negationes autem in recto; illud autem formaliter significatur, quod in recto per definitionem exprimitur, illud connotatur, quod in obliquo dicitur, vt communiter docent Lògici.

Nota Tertiò. Quamuis prædicta via explicandi æternitatem, sit communis, & in sententia nostri Doctoris probabilissima; nec illa tamen est omnino improbabilis, quæ docet æternitatem formaliter consistere in triplici relatione aptitudinali. Cum enim dicitur, *interminabilis*: datur intelligi, quòd omni existentiæ & durationi, illud fundamentum (nempe existentia Dei) aptum est existere. Cùm dicitur, *tota simul*: exprimitur, quòd omni successioni potest coexistere: *perfecta possessio*, idem significatur: acsi diceretur, quòd ens æternum habet aptitudinem, vt omne ens possibile & contingens ab illo dependeat; illud autem æternum, à nullo potest dependere. Istę tres relationes sunt rationis. Quia nulla in Deo est relatio realis ad creaturam; vt dicitur dist. 30. & possunt bene reuocari ad vnam, nempe, quòd ratio æternitatis formalis, consistat in relatione rationis, potentialitatis nimirum, coexistendi cuicunq; possibili. Tertiam viam puto etiam probabilem, quòd præter fundamentum æternitatis positiuum, ipsam nempe Dei vitam, formaliter ratio æternitatis consistit in relatiuo nempe in relatione aptitudinali, vel potētiali, ad coexistendum cuicunq; possibili, quæ exprimitur in termino illo descriptionis, *possessio*: & concomitanter includat illam negationem, vel negationes. Quarta item via, videtur probabilior quàm tertia, & primæ conformior, quòd formaliter consistat in dictis negationibus ratio æternitatis, & connotet relationem illam potentialem. Prior tamen modus explicandi æternitatem est melior; & cæteris probabilior.

Nota Quartò. Dum quærimus. Vtrum æternitas includat formaliter successionem? Non est sermo, an illud fundamentum æternitatis, quod est existentia Dei, potens coexistere omni durationi, & tempori possibili, includat in se formaliter successionem. Ista enim dubitatio est impertinens: cùm sicut ipse Deus est ens summè permanens, & summè necessarium, ita & illius existentia, & vis ac facultas coexistendi cuicunq; ob identitatem cum Deitate, est simpliciter indiuisibile permanens, nullo modo successiuum. Et hoc bene docet Aureolus cum Nominalibus, nec in hoc ipsis contradicimus.

Sed loquendo de ratione formali æternitatis, siue illa consistat in triplici negatione, siue in illis relationibus rationis positiuis, siue in vtroq;: quæstio est. An secundùm illam rationem formalem, æternitas sit quid successiuum? Et Conclusio est negatiua, non esse quid successiuum; cùm in definitione à Boetio tradita, dicatur, *tota simul*: ad excludendam omnem successionem.

Aduerte vlteriùs. Licèt existentia Dei sit realis, & virtus Dei, quæ potest coexistere alteri, sit idem quod Deus; existentia tamen illa, vt dicit ordinem ad creaturam, cui apta est coexistere, ratione istius relationis ad creaturam, est ens rationis; sicut vniuersaliter, omnis terminatio & relatio intellectionis vel volitionis Diuinæ ad creaturam, est ens rationis in Deo, ipsa tamen intellectio & volitio secundùm se, est ens actualissimum, & realissimum. Licèt igitur fundamentaliter pro substrato, æternitas dicat existentiam Dei, semper manentem, & sit quid reale; & hoc sit indubitatum, quòd æternitas sic sit indiuisibile: æternitas tamen sumpta secundùm coexistentiam, quæ dicit potentialem relationem ad omne possibile etiam successiuū, quæri potest, an sit successiua? Et dicimus. Quòd non.

Simili-

Similiter æternitatem sumendo, pro negatione indefectibilitatis, quærimus, an hoc ens indiuisibile, coexistens diuisibili, puta tempori, secundùm illam indefectibilitatem in duratione & permanentia consideratam, sit successiuum & diuisibile. Et dicimus. Quòd non.

Quomodo autem indiuisibile secundùm durationem, potest diuisibili secundùm durationem coexistere, vt intelligas.

Nota Quintò. Indiuisibile quoddam implicat per se & per accidens coexistere diuisibili; sic punctum, implicat coexistere toti lineæ. Aliud per se non coexistit, sed bene per accidens, vnde & per accidens est diuisibile; sic substãtia materialis secundùm se, indiuisibilis, per accidens coexistit quantitati, in aliquo toto. Aliud verò indiuisibile est, quod nec per se, nec per accidens, aptum est diuidi ex coexistentia cum diuisibili; sic anima rationalis, vel Angelus, in entitate sua indiuisibilia, apta sunt quanto & diuisibili coexistere, absque vlla sua diuisione, permanenti, vel successiua.

Ita proportionaliter dicendum est de Deo. Quòd Deus in se indiuisibilis, omnibus rebus diuisibilibus est præsens, per essentiam & potentiam: immensitas item eius quoad locum, secundùm se est indiuisibilis, potest tamen coæquari omni loco diuisibili, etiam infinito, si detur: idem dicimus de duratione Dei & permanentia, quòd illa secundũ se indiuisa & instantanea, nulla habens partes, potest partibili durationi temporis coexistere.

Nunc temporis & nunc æternitatis differunt. Alia igitur est indiuisibilitas æternitatis, ab indiuisibili temporis, & aliud est nunc, seu instans, semper stans æternitatis, ab instanti, quod reperitur in tempore. Hinc patet quòd argumentum Aureoli Secundum, nihil valet.

Ad Primum. In principio Dubitationis adductum. Dicit Vasq. dist. 3 1. c. 2. illas, & consimiles propositiones, non esse contradictorias, in æterna Dei cognitione, aut in æternitate, etiamsi in ea secundùm esse rei præsentes essent, & referantur ad diuersa instantia temporis; sed tunc solùm contradictoria sunt, quando pro eodem instanti æternitatis & temporis accipiuntur.

Ista responsio non satisfacit. Circumscripta enim per intellectum æternitate, & manente tempore, pro eodem instanti indiuisibili temporis, repugnat affirmari, CHristus est natus, & simul negari: CHristus non est natus. Quæro. Quare similiter circumscriptis instantibus temporis, non repugnat similiter in eodem instanti æternitatis ista verificari? Et non potest alia reddi ratio, nisi dicendo (& bene) quòd instans æternitatis, est ordinis eminentioris, in quo plures actus possunt fieri, & plura verificari possunt contradictoria, quibus omnibus aptum est coexistere instans æternitatis; vt dixi Notab. 5. non sic autem instans temporis.

Hanc autem responsionem, Vasquez non admittit, paulò superiùs ibidem. Dicit enim, quòd instans altioris ordinis, non absumit, nec euacuat contradictionem, sed propositiones in eo, sub statu contradictionis manent.

Verũ hæc impugnatio illius nulla est. Sicut et indiuisibilia, quædã simpliciter nõ possũt coexistere diuisibili ex natura talis indiuisibilis; vt dixi de puncto respectu lineæ; quædã autem possunt, quæ sunt perfectionis ordinis, vt anima vel Angelus: ita & indiuisibile durationis, esto quòd aliquod ex imperfectione sua, vt est indiuisibile temporis, non possit coexistere pluribus actibus, præsertim contradictorijs, aliud tamen ex perfectione sua, vt est indiuisibile æui, & à fortiori indiuisibile æternitatis, potest pluribus coexistere.

Dico igitur ad argumentum. Quòd æternitas sit indiuisibilis: & concedo quòd in eodem instanti æternitatis illimitato, cùm sit aptum infinitis actibus vel entibus coexistere, possunt euenire contradictoria; licèt non possit in eodem instanti limitato & imperfecto, quale est temporis.

Ad Secundum Argumentum. Patet ex Notab. 5. quòd procedit de indiuisibili quantitatis molis, non autem de indiuisibili illimitato altioris ordinis, qualis est indiuisibilitas æternitatis.

Ad Tertium. Sermo in præsenti est, de æternitate simpliciter & perfectissima, quę est interminabilis, à parte ante & à parte post, ac independens; ac proinde, non valet argumentum. Loquendo tamen de æternitate participata, quam à parte ante, poterat Deus creaturis communicare, & à parte post, non vellet, vt procedit argumentum. Dico quòd æternitas vtraq;, cùm sit à parte ante infinita, & illimitata, abstrahit à maioritate, vel minoritate, nec vna est maior alia: à parte verò post, cùm vtraq. sit finita, illa esset maior, quæ esset longior, nempe quæ ad hodiernum diem duraret.

Restat hic inquirere, an naturali ratione probari possit Deum esse æternum?

Et respondeo breuiter. Quòd sic. Primò quidem ex ratione necesse esse: omne enim ens necessarium, ex se habens esse, habet esse indeterminabile, totum simul, & perfectum. Ratio est. Quia necessarium non potest desinere esse: si enim posset desinere, non esset necessarium; ac proinde, si esset necessarium, est interminabile quoad durationem. Deinde, cùm non sit quantum, vel successiuum, sed indiuisibile, erit totum esse simul. Est præterea esse independens, vt probatum est dist. 2. sed istæ tres conditiones sunt de intrinseca ratione æternitatis, vt dixi, quæ necessariò conuenit enti necessario simpliciter; ergo &c.

Secundò probari potest ex immutabilitate Dei. Immutabile enim ens, simpliciter est interminabile, est permanens, est independens.

Tertiò idem probari potest ex infinitate simpliciter: vt patebit consideranti.



DISTINCTIO X.

DE SPIRITV SANCTO: QVOMODO sit amor Patris & Filij.

QVAESTIO VNICA.

Vtrum Spiritus Sanctus producatur per modum voluntatis?

Circa istam Distinctionem Decimam: quæro vnum, &c.

SVMMA QVÆSTIONIS.

Tres sunt Articuli præsentis Quæstionis. Primus, satisfacit propositæ Quæstioni, affirmatiuè. In Secundo, mouetur dubium & explicatur: quomodo voluntas in Diuinis, potest esse principium communicandi naturam, cùm ita non sit in creaturis. In Tertio, aliud dubium mouetur, quomodo voluntas possit esse principium necessariò producendi, & quæ necessitas requiritur in ista productione: tertia item dubitatio ibidem expeditur, quomodo hæc productio, cùm sit necessaria, non sit tamen per modum naturæ, sed distincta contra illam, & libera.

ARTICVLVS PRIMVS.

Satisfit propositæ Quæstioni, affirmatiuè.

Ad Quæstionem. Dico. Quòd sic. Quia in Deo, &c.

SVMMA TEXTVS.

Prima Conclusio. *In Deo est voluntas. Ista patet, & probata est dist. 2. q. 2.*

Secunda Conclusio. *In Deo est voluntas sub ratione principij productiui. Ratio est: Quia ratio principij productiui, cùm non dicat imperfectionem, debet reduci; vel ad vnum, quod nō potest fieri: vel ad tantam paucitatem ad quantam possibile est reduci: non possunt autem reduci ad minorem, quàm ad dualitatem, producere per modum naturæ, & per modum voluntatis: ergo ista principia productiua, sunt in Deo.*

Tertia Conclusio. *In Deo voluntas est principium producendi amorem infinitum.*

CIRCA RATIONEM SECVNDÆ Conclusionis, sine argumentis.

Dubitatur.

An principium producendi Spiritum S. sit principium naturale?

rincipiũ roducẽdi piritũ S. é aturale seũdũ Thomistas.



Affirmat Caietanus 1. par. q. 41. ar. 2. Ad quod explicandum. Notat. Quòd sicut intellectus potest accipi trifariam. Primò absolutè, vt est potentia intellectiua; & sic vocatur intellectus. Secundò, prout est cognoscitiuus sine discursu: sic etiam vocatur intellectus. Tertiò, prout est discursiuus; & vocatur ratio. Ita proportionaliter, non eodē tamen ordine, voluntas potest accipi tripliciter. Primò, pro potentia volitiua; & sic vocatur voluntas. Secundò, pro eadem potentia, quatenus est naturaliter determinata ad aliquod opus; & sic vocatur voluntas vt natura. Tertiò, pro eadem potentia, vt est indeterminata ad vtrumlibet; & sic vocatur quandoque liberum arbitrium, quandoque voluntas.

Dupliciter porrò voluntas potest habere rationem naturæ. Primò, vt determinata est ex se, respectu alicuius obiecti, ita quòd non potest nolle illud; vel è conuersò, sic determinata ad nolle, quòd non potest velle illud; sic voluntas habet rationem naturæ, respectu beatitudinis & miseriæ: cum hac tamen determinatione naturali, stat libertas quoad exercitium actus, id est velle, & similiter nolle, aut non nolle. Secundò, vt determinata est ex propria natura, respectu alicuius obiecti ad velle, non solùm vt distinguitur contra nolle, sed etiam vt distinguitur contra non velle, ita quòd oportet ipsam ex se, tale obiectum præsentatum velle absque libertate suspendendi actum. Et in hoc (inquit Caiet.) dissentire intendit Scotus, ita qđ ratio naturæ in voluntate respectu exercitij actus est, in qua dissentiant Thomistæ à Scotistis, & quæ impugnatur. Addit præterea, quòd naturale & liberum, sunt differentiæ modi agēdi, sicut discurrere & simpliciter intelligere, sunt modi intelligendi: non autem sunt differentiæ actuum, penes quos est per se primò distinctio potentiarum, iuxta illud, *Potentiæ distinguuntur per actus.*

His suppositis. Dicitur, quòd liberum reducitur ad naturale, habet enim se liberum ad naturale, vt multa ad vnum, vt motus ad mobile, vt varium ad vniforme; & propterea oportet, quòd oriatur ab ipso, & fundetur in ipso, & sit effectus illius.

Hanc positionem sequitur ibidem Ban. dubit. 2. Zumel. disp. 4. Molina disp. 3. Vasquez disp. 161. Illud tamen dictũ Caietani, hic author non approbat, quòd liberum & naturale, sint differentiæ modi agendi.

Aureolus verò dist. præs. art. 5. negat vllam distinctionē principij Quo, respectu Spiritus S. à principio Quo, respectu Filij: dicit nihilominus, hanc productionem esse per modum libertatis, Filij verò generationem per modum naturæ, & non per modum libertatis. Est porrò productio Spiritus S. per modum libertatis, secundùm Aureolũ, non propter habitudinem principij productiui, nempe voluntatis ad ipsam spirationem: nec consistit libertas, in posse actum elicere, vel non elicere: sed quia actus amoris & complacentiæ, est essentialiter liber, & quod agitur ex amore & complacentia, dicitur liberè agi, esto quòd immutabiliter illud agatur; possibile enim est intantum intendi complacentiam, vt non valeat quis non complacere; & de tali constat, quòd liberrimè complacet. Aureoli sententia.

De Durando, quid ipse hac in parte sentiat, dixi dist. 2. q. 5. Vbi etiam vide Ocamistarum Opinionem.

Doctor Subtilis tum hic, tum supra, dist. 2. quæst. 4. tum quodl. 16 & aliàs non rarò, docet, quòd voluntas est principium productiuum, distinctum à principio productiuo naturaliter, ita, quòd etiam in Deo, voluntas est principiũ productiuum, per modum libertatis, & non per modum naturæ. Quam doctrinam sequuntur eius discipuli, vt Bassol. Ant. Andr. Mayr. Aquilanus, & Interpretes hic. Idem tenet Opimus & Argentin. dist. præsenti. Pro resolutione sit Opinio Scotistarũ qđ voluntas est principium liberum in spirando Spir. S.

Prima Conclusio. Principium liberum, est distinctum à naturali, & vnum non includitur in alio, etiam in Deo. Principium liberum est distinctũ à naturali.

Vt hęc cōclusio intelligatur. Nota Primò, ex quol. 16. Doct. Quòd in præsenti, dum loquimur de naturali principio producendi, ly natura, vel naturale, non accipitur extensiuè & lato modo, quomodo dicimus voluntatis naturam, vel natura ignis; sed accipimus strictè, illo modo, quo Aristot. 2. Physic. text. 49. & 50. & 9. Met. frequenter, distinguit principium agendi, in naturam & libertatem; & causam actiuam, in naturam & propositum. Quamuis verò Philosophus in prædictis locis, distinctionem vnius principij ab altero, inuestigat per diuersos modos agendi; quia vnum necessitate naturali, alterum liberè operatur; vnum determinatè tendit in vnam operationem, alterum ex electione: prior tamen distinctio principiorum est formalis secundùm se, quàm per modos operandi; & vnum principium agendi, puta naturale, seipso distinguitur à principio libero; vt ibidem fusè deducit Subt. Doctor. Et ratio

ratio est. Quia prior est distinctio principiorum, per priores rationes formales, quàm per rationes posteriores; sed actus principiorum, vel modi operandi eorum, cùm sint aliquomodo posteriores ipsis principijs; actus enim est à principio, non è contra: quare potentia, quæ est secundùm rationem intelligibilitatis prior actu, non distinguetur primò & formaliter per actum. Vnde mala est doctrina Caietani: quòd prima distinctio potentiarum, sit per actum. Illa enim distinctio per actum, est quidem notior, sed posterior alijs: nam prima distinctio est formalis; quia hoc formaliter non est illud principium: secunda, per modos & proprietates; quia vnum principium, modo naturali determinato aptum est principiare, aliud, modo libero nō naturali; tertia tandem est distinctio per actus, per quos distinguit Philosophus potentias (iuxta illud, *Potentiæ distinguuntur per actus, actus per obiecta*) tanquam per notius à posteriori. Per hos etiam actus est nobis manifestandū, aliam esse rationem principij naturalis, & aliam liberi; nec vnum includi in alio.

Intellectus, & voluntas dupliciter cōparantur ad actus.

Nota igitur Secundò, ex 9. Met. Doct. quæstio. 15. Quòd intellectus & voluntas, possunt dupliciter comparari ad actus. Primò, ad actus proprios, quos eliciunt. Secundò, ad actus aliarum potentiarum inferiorum, in quibus quādam causalitatem habent; intellectus, ostendendo & dirigendo, voluntas, inclinando & imperando. Prima comparatio, est istis potentijs essentialior, & prior secunda, vt patet: & hoc modo intellectus, cadit sub natura, est enim ex se determinatus ad intelligere, tum incomplexa, tum complexa sibi proposita; non sic est determinata voluntas ad eliciendos actus. Secunda comparatio, est accidentalior & posterior: ratio est; quia ad actus aliarum potentiarum, non comparatur intellectus & voluntas, nisi mediātibus actibus proprijs; & sic etiam actus intellectus præcisè sumptus, est naturalis, voluntatis autem liber: vnde intellectus, vt est potentia naturalis, nec est potentia libera, respectu actus proprij, nec est verè & completiuè rationalis & liber, respectu actus extrinseci, in quem dirigit; sed secundùm quid & præexigitiuè dici potest liber & rationalis, quatenus præexigitur ad actum potentiæ rationalis, quæ est voluntas. Voluntas igitur in creatura, est essentialiter potentia libera, respectu actus sui, & respectu actuum aliarum potentiarum, & est verè distinctum principium actus volendi, à principio actus intelligendi; licèt necessariò aliqua vellet, tam quoad actum, quàm quoad specificationem; vt multi Thomistæ putant, voluntatem Beati, habitu charitatis informatam, necessariò elicere actum dilectionis clarè visum; & nihilominus principium illius actus dilectionis cum necessitate, respectu actus, ita esse distinctum ab intellectu, qui est principium intellectionis, sicut modò distinguitur in via. Ita proportionaliter (exclusis imperfectionibus) dicimus de Deo, quòd illa voluntas Diuina, quæ respectu creaturæ, secundùm omnes Thomistas, est libera, cùm eadem sit principium producendi Spiritum S. erit principium liberum, esto quòd cum necessitate, respectu Spiritus Sancti, sit libera, non sic respectu creaturæ; sicut & in creatura, est libera cum necessitate, respectu finis clarè visi, secundùm Thomistas, & libera sine necessitate, respectu eorum quæ sunt ad finem. Hæc clariùs vt intelligantur.

Natura in Diuinis accipitur quadrupliciter

Nota Tertiò. Quòd in Diuinis, natura accipi possit quadrupliciter: vt haberi potest ex Hilar. 5. de Trinit. cap. 17. prout etiam Henr. art. 60. q. 1. aduertit, & refertur artic. sequenti, ac quoad hoc impugnatur. Primò appellatur natura, ipsa Diuina Essentia, in qua tres Personæ subsistunt. Secundò dicitur natura, vis & potentia, naturaliter existens in natura primo modo dicta, quamuis illa potentia sit libera; sic voluntas Diuina potest dici natura. quia est vis naturalis, naturaliter existens in potentia Diuina. Tertio modo dicitur natura, incommutabilis necessitas circa aliquem actum; quia videlicet potentia illa, simpliciter necessariò elicit talem actum. Quarto tandem modo, dicitur ibi natura principium actiuum naturale; hoc autē est potentia, seu principium producendi similis ex simili, ex ratione talis principij, & talis actus, à tali principio.

Iuxta hanc distinctionem naturæ, potest accipi quadrupliciter ratio principij naturalis. Primò, pro Diuina Essentia: & de hac dictum est dist. 2. quòd non sit principium Quo, distinctum ab intellectu & voluntate, sed cum intellectu Diuino concurrit necessariò naturaliter ad productionem Verbi; cum voluntate verò, concurrit necessariò liberè ad productionem Spiritus S. & sic in primo sensu non quærimus, an voluntas respectu spirationis Spiritus S. sit principium naturale. Secūdo modo, certum est quòd voluntas Diuina sit in natura Diuina existens; & ita Deo est potentia naturalis: sed nec in hoc sensu est præsens difficultas. Tertio item modo, verè voluntas Diuina respectu actus Spirationis, est principium Quo naturale, quia incommutabiliter illius actus elicitiuum: & hoc communiter hìc volunt ostendere Thomistæ, & Zuar. lib. 6. de Trinit. c. 4. quòd voluntas sit principium naturale, id est, necessarium, & incommutabiliter determinatum ad spirandum Spiritum S. Quod vt hìc, ita distin. 13. imò vbiq. apertè Subt. Doctor concedit; nec potest esse inter veros Theologos de hoc controuersia: & malè oppositum Caietanus Scoto attribuit. Sed sumendo quarto modo principium naturale in Deo, quòd non modò est determinatum incommutabiliter ad producendum hoc productū, sed ita determinatum, vt ex vi talis principij, & ex vi talis productionis, formaliter sit productum simile producenti. Tale principium naturale in Deo, est intellectus, & non voluntas, vt bene declarat Doctor inf. dist. 13.

Naturale igitur principium, strictè acceptum in Diuinis debet habere ista duo. Primò, vt sit principium necessarium, necessariò determinatum ad actum, necessitate incommutabilitatis. Secundò, vt productum tali principio, sit formaliter simile tali producenti, ex vi illius principij producendi, & ipsius productionis: primum conuenit tam intellectui Diuino, quàm voluntati, respectu productionum ad intra, secundum, soli intellectui, & nullo modo voluntati: & hoc idem vult Aureol. loco allegato.

Ex his Notabilibus patet, quomodo principium liberum distinguitur à naturali, in Deo.

Volūtas [in] Patre & [Fi]lio est [prin]cipiū Q[uo] produc[endi] Spir. S.

Secunda Conclusio. Voluntas in Patre & Filio, vt aliquomodo distinguitur ab intellectu, est principium Quo, producendi Spiritum S.. Ista Conclusio, non modò est contra Aureolum, sed etiam contra Nomin. non distinguentes rationem principij Quo, & Quod in Diuinis. Est porrò communis Scotistarum & Thomistarum. Et probatur breuiter. Primò. Natura intellectualis, non est principiū Quo alicuius operationis vel productionis, nisi mediante potentia; vt vniuersaliter patet in anima nostra & substantia Angeli; vbi mediante potentia intellectiua, tū Angelus, tum anima intelligit, & producit intellectionem, & mediante voluntate, vt principio Quo, producūt amorem vel volitionem; ergo si hæc sunt vera in imagine, similiter dicendum est de prototypo ipso Deo: vt fusiùs hoc dist. 3. circa finem est declaratum.

Secundò. Sicut se habet intellectus Patris cum Essentia, ad productionem Verbi, ita voluntas cum Essentia Diuina, habet se ad productionem Spiritus S. intellectus autem fęcundus Patris, est principium Quo respectu Verbi; vt dictum est distin. 2. & 7. ergo & voluntas fęcunda, erit principium Quo, respectu Spiritus S.

Tertiò. Quia aliàs non distingueretur productio Spiritus S. à generatione Filij; vt dictum est dist. 8. quæst. 4. & distin. 13.

Quartò. Amor & donum, habent pro principio Quo, voluntatem; sed Spiritus S. est amor, & est donum, vt dicitur in sequentibus, proceditq; non quomodo natus, sed quomodo datus, secundùm August. ergo principium, quo producitur Spiritus S. erit voluntas Diuina.

Volūtas [est] prīcipiu[m] liberū, [&] necessari[ò] product[iuum] ne Spir.

Tertia Conclusio. Voluntas est principium necessariū, & incommutabiliter productiuum, liberum tamen: vt patet ex Notatis pręmissis, maximè ex Notab. 2. & 3.

Quarta Conclusio. Principium liberum, productiuum in Deo, non includitur in principio productiuo naturaliter. Probatur Primò. Vel enim includitur formaliter, vel eminenter. Non formaliter: quia ratio principij naturalis, dicit aliam rōnem formalem à ratione principij liberi, vt in creaturis, ita & in Deo: vt ꝓbatū est d. 8. q. 4. de attributis.

Non eminenter; quia illud quod est in Deo eminenter, est tantùm virtualiter in illo, non formaliter, vt calor in Sole, voluntas autem in Deo, est formaliter.

Secundò. Voluntas in Deo, distinguitur ex natura rei ab intellectu, & vna potentia non includitur in ratione alterius, vt supra ostensum est: sed voluntas Diuina, est principium Quo liberum, intellectus est principium Quo naturale; quare principium liberum, non includitur in principio naturali.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Mouetur dubium: quomodo voluntas potest esse principium communicandi naturam in Diuinis, cùm ita non sit in creaturis?

Hic tamen sunt tria dubia. Primum, &c.

SVMMA TEXTVS.

Primò, ponitur responsio Henrici Gandau. ex Summa illius, art. 60. quæst. 1. Secundò, dicta illius quædam reprehenduntur. In tertia parte Articuli, respondet Subtilis Doct. ad dubitationem propositam, quòd non voluntati in communi sumptæ, nec voluntati creatæ conuenit esse principium communicandi naturam; sed voluntati infinitæ, quæ apta est esse principium Quo amoris infiniti; non inhærentis, sed per se subsistentis, quæ est Spiritus Sanctus.

COMMENTARIVM.

Circa primam Articuli partem, Aduerte. Quòd Henricus intellectum considerat dupliciter. Primò, quatenus est intellectus: & Secundò quatenus est natura. Similiter voluntas accipi potest. Primò, quatenus voluntas: Deinde, quatenus natura. Habet verò intellectus & voluntas Diuina, hanc naturalitatem à natura Diuina, in qua est & intellectus & voluntas, sed diuersimodè. Cũ enim in intellectu Diuino consideretur, & ratio intellectus, & ratio naturæ: dicit Gandauensis, quòd intellectus Diuinus, vt est principium Verbi, primò habet rationem naturæ, secundo modo dictæ apud illum, quatenus nimirum est vis productiua similis ex simili; consequenter verò, vel concomitanter, habet rationem intellectus. Vnde productum per intellectum in Diuinis, dicitur Verbum, prout procedit per intellectum, quatenus est intellectus; dicitur etiam Filius, & primò, vt procedit per intellectum, quatenus est natura, ex simili simile viuens producens: & hæc ratio est prima talis principij. Similiter in voluntate distinguenda est ratio voluntatis, & ratio naturæ: sed ratio naturæ non est præueniens rationem voluntatis, sicut in intellectu ratio naturæ præuenit rationem intellectus, vt dictum est, sed subsequitur & concomitatur voluntatẽ; & subsequitur, non illa ratio naturæ secundo modo sumpta, quæ est vis ex simili similis productiua; sed primo modo, quatenus videlicet coassistit Diuina Essentia voluntati.

Istam coassistentiam Doctor Subt. impugnat in secũda parte articuli, argumento ad hominem. Dico ad hominẽ: quia secundùm Henr. sola voluntas est sufficiens principiũ Quo, productiuum Spiritus Sancti; ac proinde, frustra coassistetiam Essentiæ exigit in ratione principij. Secundũ tamen rei veritatem, dictum est dist. 2. q. 4. & 5. distin. 7. ac aliàs, principum Quo, respectu Spiritus Sancti, non esse præcisè solam voluntatem, sed voluntatẽ fœcundã, id est, quatenus habet Essentiam sibi præsentem, in ratione obiecti summè diligibilis. Et quia dicit Henr. quòd in principio Quo, respectu Spiritus Sancti, priùs concurrit ratio voluntatis, & posteriùs secundùm rationem concurrit ratio naturæ: dicit Doctor in secunda parte articuli, quòd cùm Essentia Diuina sit prior voluntate, & quolibet suo attributo, prioritate rationis, priùs etiam concurret Essentia ad productionem Spiritus Sancti, quàm ratio voluntatis; & ratio naturæ erit præueniens, non subsequens, rationem voluntatis, in productione Spiritus Sancti.

Dicit præterea Gand. duo. Primò, quòd intellectus quatenus intellectus, & voluntas quatenus voluntas, non sunt principia productiua actuum notionalium; sed solùm actuum essentialium: intellectus verò quatenus natura, & voluntas quatenus natura, iuxta modum explicatum, sunt principia productiua actuum notionalium. Secundò dicit, quòd intellectus vt intellectus, est principium passiuũ, respectu intellectionis essentialis, & volũtas quatenus voluntas, est principium actiuum, respectu volitionis. Quæ fusiùs supra dist. 2. q. 7. art. 1. narrata, & explicata vide.

ARTICVLVS TERTIVS.

Explicantur duo dubia: Primum, quomodo voluntas possit esse principium necessariò producendi: aliud, si hæc productio est necessaria, quomodo non est per modum naturæ?

Quantùm ad Secundum dubium. Dicitur, quòd triplex est, &c.

COMMENTARIVM.

Henricus vbi supra, volens explicare quomodo necessariò producitur Spiritus S. Dicit, quòd actio voluntatis, potest esse triplex: quædam voluntatis vt libera est, absque omni necessitate & naturalitate; sicut est volitio in nobis: secunda actio est voluntatis vt voluntas est, abstrahendo à priori libertate, sed cum necessitate respectu obiecti infiniti Dei ipsius clarè visi: tertia est à voluntate infinita, cui est annexa natura Diuina, & dicitur actio voluntatis, vt voluntas est natura; & tali actione necessaria producitur Spiritus S. — *Actio volũtatis triplex sm̃ Henricũ.*

Dicit vltra Gandau. quòd actus essentialis dilectionis, quo Pater & Filius diligunt Essentiam suam, est necessarius necessitate illa, quæ est à voluntate vt voluntas est, iuxta secundam viam: sed actus notionalis spirandi Spiritum Sanctum, est necessarius duplici necessitate: prima, quæ est à voluntate vt voluntas est; quia sic est necessaria voluntas: secunda necessitas est, à naturalitate adnexa illi voluntati; iuxta dicta præcedenti articulo.

Ista doctrina, & seipsa falsa est; quia maiorem & minorem necessitatem admittit in Diuinis, vbi sunt omnia summè necessaria: & contradicit dictis sic Opinantis. Ille siquidem, vt visum est distinct. 2. quæst. 7. art. 1. actus essentiales posuit fundamenta, & principia actuum notionalium; fundamentum verò & radix, vt in omni essentia, ita & in Diuinis debet esse, vel ita necessarium sicut illud quod in ipso fundatur, vel magis, & nullo modo minùs. Ac proinde, malè dicitur, quòd actus essentialis dilectionis, sit necessarius necessitate vnius rationis, & actus notionalis, sit necessarius duplici necessitate. — *Snĩa Herici ĩpugnatur.*

Deinde, ibi in textu: *præterea videtur, quòd tota ista naturalitas*: Vult inferre, quòd naturalitas non sequitur voluntatem, vt dicit Henricus, sed præuenit, cùm sit fundamentum, & priùs ratione, quàm voluntas, vt etiam artic. præcedenti docuerat Doctor, atque ita cum ratio naturæ, præueniat rationem voluntatis vt voluntas est, naturaliter & non liberè producetur Spiritus Sanctus.

Ibi: *Præterea contra Opinantem*: ostendit Doctor, quòd negata vniuocatione ad Deum & creaturam, negata item vniuocatione voluntatis & intellectus, ad Diuinum & creatum intellectum vel voluntatem, malus est hic modus argumentandi. Si ratio voluntatis vel intellectus, est principium communicandi naturam in Deo; ergo & in creatura. Malus inquam: quia alterius rationis est intellectus & voluntas per se in Deo, ab intellectu & voluntate in creatura. Deinde: cùm voluntas à natura, & ab intellectu distinguantur sola ratione, ista coassistentia naturę ad voluntatem, erit merè per rationem, à parte autem rei, ita principium erit productiuum natura, sicut & voluntas in sententia Henr. & aliorum, non distinguentium attributa ab inuicem, & ab Essentia ex natura rei, sed tantùm ratione.

Resolutio igitur Doctoris est. Necessarium huius pro-

Volūtas diuina quō est principium necessarium producēdi.

ductionis amoris adæquati in Diuinis, prouenire simul & ex infinitate voluntatis, & ex infinitate obiecti, vnum enim sine altero non sufficit. Nam licèt infinita voluntate Deus creaturam diligat, non tamen necessariò diligit, quia obiectum est finitum: & esto quòd creata voluntas diligat obiectum infinitum, nempe Deum, non tamen necessariò, vt distinct. 1. quia principium Quo diligendi, est finitum: requiritur ergo vtrumque simul infinitum.

Productio Spiritus S. ē necessaria, & tamen libera.

Ad Tertiam illam dubitationem, quæ vltimis verbis huius Articuli refertur, paucis Doctor respondet, solumq; innuit Opinionem Henrici, quam ideo hic narrare prætermisit, quia distinct. 2. q. 7. sufficienter narrauit, eademq; repetit in Report. dist. præsenti quæst. 3. Suam autem determinationem non posuit, quia alibi diffusè tractauit nempe quodlib. 16. artic. 2. & in Report. loco cit. & ex dictis artic. 1. sufficienter solui potest. Interim dico breuiter, cùm ostensum sit distin. 8. quæst. 1. dubit. 2. perfectionem simpliciter, vnam alteri esse compossibilem; & necessitas ad intra, sit in Diuinis perfectio simpliciter, similiter & libertas, vt patet ex definitione perfectionis simpliciter ibi explicatæ; consequenter debet dici à Theologo, quòd libertas & necessitas, in eadem voluntate ad intra, respectu eiusdem actus & obiecti, se compati possunt: omnia autem quæ possunt ibi esse, sunt de facto, vt dictum est dist. 2. quæst. 2. cùm omnis perfectio simpliciter, insit illi enti necessariò.

Libertas varia.

Aduerte tamen. Quòd libertas quædam est contradictionis, opposita necessario; sicut mea voluntas, libera est in eliciendo vel non eliciendo actum; & talis cùm dicat contingentiam & imperfectionem, non ponitur in Diuinis: Vnde malè quidam aduersarij hic Doctori Subtili adscribunt, quòd talem libertatem concurrere dicat in productione Spiritus Sancti; & hoc solùm impugnant, quòd vltrò ipsis concedimus. Alia libertas est connaturalitatis, quia videlicet non violentè neq; coactè, sed secundùm inclinationem naturalem aliquid producitur: & sic verè ab omnibus conceditur, quòd voluntas talem habet libertatem in producendo Spiritum Sanctum. Tertia libertas dicitur potestatis, prout liberum opponitur, non iam necessario vel coacto; sed naturali, distinguendo principia actiua secundùm suos modos intrinsecos: sic dicimus liberum esse illud principium, quo producitur productum ex liberalitate, per modum amoris & doni; non liberum, sed naturale, quod producitur per modum naturæ, quæ est vis insita, ex similibus similia producens, secundùm Boetium, ex vi talis productionis.

Ex notatione harum difficultatum, patet resolutio multorum dubiorum, quæ hìc tum à Thomistis, tum plura à Nominalibus adferuntur, contra determinationem Doctoris; sed omnia talia aduersariorum ex malo intellectu literæ Doctoris, procedunt, vt patebit legenti.

ARGVMENTA PRINCIPALIA resoluuntur.

Ad argumenta principalia. Ad primum dico, &c.

COMMENTARIVM.

In responsione secunda ad vltimum, esto cautus, quòd non illo modo cognoscatur Spiritus Sanctus per Essentiam, quo creatura producibilis cognoscitur; Spiritus enim Sanctus est formaliter in Essentia Diuina, creatura tantùm eminenter & virtualiter; ac proinde, ad Spiritum Sanctum intuitiua vis debet formaliter terminari, vt ad actu ab æterno existens; ad creaturam verò vt ad possibilem; quia tamen & relationes Originis, & creaturę, in esse quouis, per Essentiam Diuinam, tanquam per obiectum primarium, & in obiecto primario cognoscuntur; ideo hìc comparatur non quoad actum, quòd pro aliquo instanti videat intuitiuè Pater & Filius Essentiam, non videndo Spiritum Sanctum; hoc enim falsum est; sed quoad intelligibilitatis prioritatem, secundùm rationem intelligendi, prius in ratione obiecti cognoscibilis, occurrit Essentia, quàm Persona; vt fusiùs dictum est supra distinct. 1. q. 2.



DISTIN-

DISTINCTIO XI.

DE PROCESSIONE SPIRITVS SANCTI simul à Patre, & Filio.

QVÆSTIO I.

Vtrum Spiritus Sanctus procedat à Patre,& Filio.

Circa Distinctionem Vndecimam, quæro duo: primò, vtrum &c.

SVMMA QVÆSTIONIS.

In priori parte Quæstionis proponitur diuersa Opinio Græcorum & Latinorum, approbaturq; Opinio Latinorum, Græcorum verò explicatur. In secunda parte, argumenta pro Opinione Græcorum adducta, soluuntur.

ARTICVLVS PRIMVS.

Ponitur diuersa Opinio Græcorum & Latinorum, approbaturq; Latinorum, Græcorum verò explicatur.

In ista Quæstione dicuntur Græci discordare à Latinis, &c.

COMMENTARIVM.

QVamuis tota hæc materia clara sit, & fusissimè explicata ab alijs Theologis, maximè à S. Bonauentura hic, q.1. à Doctore Irrefragabili Alexan. 1.par.q.43.mem.4. D. Thoma, q.36. Aureolo Richar. & ab alijs hic. Iodoco Coccio lib.1.art.7. & doctissimè de hac materia disputantem vide F. Hannibalem Rosseli in suo 2. lib. supra Pymandrum Mercurij, edito: aliqua tamen hic in gratiam literæ Doctoris addi possunt.

Ac in primis circa authoritatem Symboli Nyceni, ad oppositum adductam in textu, illud Notandum est. Quòd cum in principalibus quatuor Concilijs, quæ in Grecia celebrata sunt, videlicet in Nyceno, Ephesino, Calcedonen. & Constantinopolitano, non fuit expressum Spiritum S. procedere à Filio, licèt sit Spiritus Filij; & subiungatur, anathema illis, qui docent aliud, vel prædicant de Fide Trinitatis: dicunt Græci nos esse reos anathematis, quia hoc addimus à Filio Spiritum Sanctum procedere. [margin: ...tus S. à Filio. ...cedit.]

Sed istud dictum Græcorum, non valet. Vt enim dicit Ansel. in lib. de Processione Spiritus S. & Doctor Subt. hic, in responsione ad Secundum: Non omnia, quæ credere & confiteri debemus, in illis quatuor Concilijs dicta & expressa sunt. Non enim in illis dicitur, Christum Dominum descendisse ad Inferos: quod tamen communiter etiam Græci credunt:

Ad illud de additione ad Concilia. Respondet optimè Alensis supra, secundùm August. Quòd addere, aliud accipitur ibi, pro addere contrarium, prout dicitur 1. ad Galat. *Qui aliud vobis Euangelizauerit anathema sit.* Vbi non dicit Apostolus, si quis addiderit absolutè, (sic enim sibi contradiceret, qui 1. Ad Thessalonicenses 3. *cupiebat ad eos venire, vt suppleret, quæ illorum Fidei deerant*) sed *si quis aliud docuerit*, hoc est, contrarium nostræ doctrinæ docuerit ille sit anathema. Nos autem determinationi factæ in prædictis quatuor Concilijs, Spiritum Sanctum procedere à Patre, non contradicimus, imò constanter id affirmamus: sed præterea tunc inexplicatam veritatem, vlterius exprimimus, dum illum & à Filio procedere dicimus: (& sic postea ad Concilij Nycæni symbolum, illa vox, *Filioq;* addita est) adducti tū authoritate Ecclesiæ, in litera Doctoris expressa, tum testimonio Scripturæ Sacræ, Ioan. 15. *Cum venerit Spiritus Sanctus, quem mittam vobis à Patre*, Et Ioan. 16. *Ego mittam vobis eum*: non pôt aūt mittere Spiritū S. nisi Persona originans, vt dicitur dist. 15. ergo &c. Item apud eūdē Euāgelistam c.15. habetur, illud dictum Saluatoris de Spiritu S. *Ipse de meo accipiet*; Si ergo Spiritus S. accipit aliquid à Filio, totus est à Filio, quia Deus est quicquid habet, vt dictum est dist.8.q.1. Præterea S. Paulus ad Rom. 8. S. Petrus in 1. sua Canonica. c.1. Spiritū S. vocat, *Spiritū CHristi*; ergo Spiritus S. refertur ad CHristi Personam: sed non potest referri nisi relatione originis: ergo Spiritus S. originatur à Persona Verbi. [margin: ...cri ptu. ...ddere, ...fit.]

Adde rationes Doctoris optimas hic, & sufficiētes quas malè intellectas impugnat Ocam, dist. præsenti, quarū impugnationum solutionem vide apud Lichetum.

Nota Secūdò. Modus iste conciliandi Doctores Grecos cum Latinis, q in re conueniant, sed in modo loquēdi differāt, est valde probabilis. Latini n. dicūt à Patre Spiritū S. spirari, tanquam ab illo, qui à se spirat; à Filio autē, tanquā ab illo, qui ex alio habet vim spirandi: Græci verò solùm agnoscunt spirare illum, qui à se spirat, Filius autem licèt spiret Spiritum S. non tamen à se, sed ab alio. [margin: Græci Patres cōcordāt cum Latinis in processione Spiritus S.]

Hanc responsionem sequuntur tum Scotistæ in presēti, tum Argentinas hic: à quo nō multùm differt ille modus Alensis 1.par.q.43.mem.4. quòd procedere dupliciter accipitur. Vno modo dicitur procedere, in motu locali, qui motus est ab aliquo in aliquid: alio modo dicitur procedere, in exitu causati à causa, vel in exitu motus à mouente. Secūdùm primum modum, procedere requirit duplicem terminum, à quo, & in quem: secundùm alterum modū, non requirit nisi terminum à quo.

Secūdùm hos igitur procedendi modos, pôt transsumi verbum procedendi, ad processionem Spiritus Sancti. Et Græci quidem, verbum procedendi transtulerunt à motu locali, & processionē Spiritus S. intellexerunt ab aliquo in aliquem; & ideo secundùm hunc modum, non concesserunt quòd procederet Spiritus S. à Filio in Patrem: Latini autem, transsumunt verbum procedēdi, ab exitu siue processu causati à causa; vnde dicunt, procedere est ab aliquo exire, licèt non in aliquem, & secundùm hunc modum, dicunt illi, quòd Spiritus S. procedit à Patre & Filio.

Nota Tertiò. Ista propositio apud Gręcos, in præsenti materia famosa, Pater spirat Spiritum S. per Filium, vera, & à multis vsurpata Theologis, sano modo est intelligenda. Non. n. est sensus, q Pater per Filium, tāquā per principium Quo, spirat Spiritum S. Quia principiū Quo, est formaliter in illo, cuius est principiū, & denominat illud: Vnde si Filius esset principiū Quo Patris, (sicut modò de facto est volūtas fęcūda) Filius esset Pater, & vice versa. Nec sensus est, q Spiritus S. sit à Patre per Filium, tanquam per instrumentum: Cùm. n. instrumentum sit imperfectius illa causa, cuius est instrumentum, sequeretur Filiū esse imperfectiorem Patre: quod est impossibile. Nec est per Filium, tanquam per causam secundam. Tum quia Filius non est causa secunda. Tum quia non procederet æqualiter Spiritus S. à Patre & Filio. Sēsus igitur illius dicti est. Pater producit Spiritum S. per Filium: quatenus nimirum Filio cōmunicauit eandem vim productiuam, respectu Spiritus S. Vnde bene dicitur à Doctore Subt. quòd in modo loquēdi Græci Patres à Latinis dissident. [margin: Pater spirat Spiritum S. per Filium, quomodo.]

ARTICVLVS SECVNDVS.

Argumenta pro Opinione Græcorū adducta, resoluuntur.

Ad authoritates Damasceni, videtur posse responderi, &c.

COMMENTARIVM.

AVthoritas illa Damasceni, *Spiritum Sanctum ex Filio non dicimus*: quamuis bene explicetur à Doctore, duplici modo, vel tertio modo secundùm doctrinam Alen. artic. præcedenti positam: probabilior tamen videtur illa responsio Sancti Bonauenturæ, quem sequitur Durand. Argent.

Argent. & non pauci alij, quòd in præſenti materia, non ſit aſſentiendum Damaſceno, qui illud dixit in nouitate diſcordiæ inter Græcos & Latinos, in præſenti negotio. Satis tamen cautè loquitur Damaſc. Nec enim dicit, quòd Spiritus S. non ſit à Filio: ſed ait, *non dicimus à Filio*; quia Græci hoc non confitebantur, nec tamen negabant. Et quamuis aliquomodo in altero loco id videatur negare; quia tamen id negabat ante promulgationem & declarationem vniuerſalis Eccleſiæ, nullo modo fuit ille Hæreticus: ſed modò poſt Eccleſiæ determinationem, verè ſunt alij ſunt Schiſmatici in hoc hæretici.

Damaſc. quō non ſit Hæreticus dicēdo contrarium Eccleſiæ.

Difficultas hìc occurrit, ex illa propoſitione Doctoris. Impoſſibile eſt, aliquod vnum, poſſe eſſe à duobus productiuis totalibus, in eodem ordine & genere principiandi, vt dicitur in 1. diſt. 2. q. 2. & in 3. diſt. 1. q. 2. & lib. de primo princ. c. 2. concl. 16. ergo Spiritus S. non poteſt eſſe à Filio; cùm Pater ſit principium productiuum totale.

Reſpondeo, An, & quomodo vnus effectus non poſſit eſſe à pluribus cauſis totalibus, eiuſdem generis & ordinis: de hoc aliàs. Interim dico, quòd illa propoſitio intelligitur de diſtinctis productiuis Quod, diſtincta principia producendi Quo habentibus; vt patet in omni re creata: ſed in Patre & Filio in Diuinis, licèt principiū Quod producendi, ſit diſtinctum, & propterea dicuntur duo ſpirātes, ſeu duæ Perſonæ ſpirantes; principium tamen Quo ſpirandi, eſt præcisè eadem ſingulariſſima voluntas fæcūda, ob quam vnitatem principij Quo in duobus ſuppoſitis, non dicuntur duo ſpiratores, ſed vnus ſpirator: ac proinde regula illa hìc nihil valet.

Famoſa Regula explicatur.

QVAESTIO II.

Vtrum ſi Spiritus Sanctus non procederet à Filio, diſtinctio eſſet Spiritus Sancti à Filio?

Quòd non. Quia ſecundùm Boetium de Trinit. Eſſentia continet, &c.

SVMMA TEXTVS.

In priori parte Quæſtionis, narratur Opinio Gotfredi quodl. 7. q. 4 à qua non multùm diſcrepat Arimin. hìc q. 1. art. 2. dicentium. Hanc quæſtionem eſſe nullam: quia includit incompoſſibilia; eademque confutatur. In ſecunda parte adfertur ſentētia affirmantium, quòd Spiritus S. nòn diſtingueretur à Filio, ſi non procederet ab eo: quæ ſimiliter improbatur. Tandem poſita propria ſententia, aliorum argumentis ſatisfit.

COMMENTARIVM.

Riori parte Opinio recitata, communiter non tenetur à Theologis, ſed magna difficultas eſt de ſecunda. An, ſuppoſita hipoteſi, quòd Spiritus S. non procederet à Filio, teneret hæc cōſequentia, quòd etiā nō diſtingueretur ab eo.

Spūs S. Si non procederet à Filio, dicunt quidā quod non diſtingueretur ab illo.

Negatiuè hanc quæſtionem reſoluit Aegid. quodl. 1. q. 6. vbi docet, quòd relatio diſtinguit primò ſecundùm rationem quidditatis, & ſic diſtinguit relatiuum à ſuo correlatiuo: ſic Filiatio ſolùm diſtinguit Filium à Patre: ſecūdò diſtinguit ſecundū eſſe, ab omni alio quod non eſt ipſum: ſic Filiatio ſecundùm eſſe, diſtinguit Filium ab omni in quo non eſt Filiatio. Cùm ergo in Diuinis relatio maneat ſecundùm rationem quidditatiuam, & ſecundū eſſe tranſeat in Eſſentiam; præcisè diſtinguet ab oppoſito, & nō ab altero: quare & Filiatio in Diuinis ſolùm diſtinguet Filium ab oppoſito relatiuo, nempe à Patre, & non à Spiritu S. Item dicit S. Thomas 1. part. q. 36. art. 2. Caiet. Ban. Zum. Valentia. Mol. ibidem Vaſquez diſp. 147. Durand. Heru. Capreol. Sylueſter diſt. præſ. Ferrar. 4. Con. gent. cap. 24.

Oppoſitam ſententiam tenet hìc Doctor Subt. cui ſubſcribit Ant. Andr. quæſt. 2. Maſſol. q. vnica. artic. 3. Mayr. q. 2. Ibidem Lichetus, Tartar. Aquil. Barg. Paulus Scriptor, & fauet aliquomodo Aureol. in præſenti art. 3. vbi dicit, quòd diſtingueretur realiter, licèt non perſonaliter: Arimin. ēt art. 2. licèt cōcedat, q̃ ſi Filius nō ſpiraret Spiritū S. nō diſtingueretur à Spiritu S. addit tn̄, q̃ nō eſſet vna Perſona Filij & Spūs Sācti, ſed propterea p̄cisè nō diſtingueretur à Spiritu S. quia Spiritus S. non eſſet. Simili modo loquitur Ocam, & Gabr. diſt. præſenti. q. 2. concl. 3. Contra quos argui poteſt, ſicut contra Opinionem Gotfr. in prima parte huius quæſiti arguitur à Doctore. Interim lis eſt cum Thomiſtis.

Iſta igitur Cōcluſio, ſi Spūs S. nō procederet à Filio, ſed à ſolo Patre, adhuc diſtingueretur à Filio: p̄batur à Doct. trib. in textu rōnibus lōgè efficaciùs, quā alijs vndecim à Franciſ. Zum. loco cit. appoſitis. Prima ratio Doctoris eſt. Quo formaliter aliquid conſtituitur ineſſe, eodem & diſtinguitur ab omni alio: ſed Filius ineſſe perſonali conſtituitur Filiatione; vt patet; quia non ſpiratione actiua, communi Patri & Filio; ergo Filiatione erit diſtinctus ab omni alia Perſona non tali.

Oppoſita Scoti ſni.

Rō Scoti.

Rn̄det Caiet. Diſtinguēdo Maiorē. Vel. n. illud cōſtitutiuum conſtituit rē in eſſe abſoluto: & ſic vera eſt Maior: vel in eſſe relatiuo; & ſic vniuerſaliter ſumpta, eſt falſa: q̄a relatiuū ſm̄ rōnē relationis, ſolū diſtinguit à ſuo correlatiuo, ab alijs verò diſtinguit alijs modis; duplū ſiquidē relatiuè, ſolùm à dimidio diſtinguitur; à triplo autem vel quadruplo, diſtinguitur ſecundùm rationem huius entis; quia duplum eſt aliud ens à triplo.

Reſponſio Thomi.

Hanc rn̄ſionē accepit Caiet. ex Durād. diſt. pręſenti. q. 2. nu. 24. & Capreolo hic, placetq; eadem Ferrar. & Zum. alijſque Thomiſtis.

Verū iſta rn̄ſio eſt ſimpliciter nulla. Quia accipio Filiationē, ſm̄ rōnem quidditatiuam, vt præcisè dicit ordinem ad Patrē. Et quæro. Vel Filiatio, ſm̄ illum præciſum gradū, eſt idē quod ſpiratio paſſiua, vel non idē: non poteſt dici primū: cū ſint diſtinctæ realiter, ſm̄ fidem; ergo ſm̄ illum præciſum gradum ad aliud, diſtinguitur Filiatio à ſpiratione paſſiua, Vnde falſum eſt: fundamentū relatiuum, in rōne relatiui, diſtingui relatione tm̄ ab oppoſito relatiuo; licèt enim diſtinguatur ab oppoſito relatiuo oppoſitè, cū diſparatis tamen relatiuis vel relationibus, cùm non ſit idem, etiam ab illis diſtinguetur relatiuum.

Impugnatio reſponſionis.

Confirmatur Primò. Filiatio conſtituit formaliter ſuppoſitū Filij, in ratione Filij: iſtud ſuppoſitum vel eſt vnum, vel non vnum: ſm̄ dici non poteſt; quia Filiatio vna eſt in vnica ſingulariſſima natura; ergo eſt vnum; ſed vnum eſt indiſtinctum à ſe, & diſtinctum à quolibet alio, non tm̄ oppoſito, ſed etiam non oppoſito; ita enim vnitas, paſſio Entis, conuenit conſtitutiuo relatiuo, ſicut abſoluto; ac proinde, ita à quouis diſtinguetur Filiatio ſeipſa, quod non eſt ipſa, ſicut & à ſuo oppoſito, licèt non ſecundùm eundem modum; quia ab oppoſito oppoſitè, relatiuè diſtinguetur, à relatiuo non oppoſito realiter, diſtinguetur diſparatè.

Confirmatur Secundò. Accipio nunc Filiationem in Filio, ſecundùm rationem Filiationis, præſcindendo à ratione ſpirationis actiuæ; & accipio ſpirationem paſſiuam præſcindendo: & quæro. vel Filiatio diſtinguitur realiter à ſpiratione paſſiua, vel non? ſi non; ergo eadem erit Filiatio & ſpiratio paſſiua; & ita idem Filius & Spiritus S. q̄d eſt inconueniens: ſi diſtinguitur; ita dico, poſita illa hypoteſi, quòd ſi Filius non ſpiraret Spiritum S. adhuc Filiatione diſtingueretur à Spiritu S.

Confirmatur Tertiò. Quia in relationibus, etiā creatis, hoc vniuerſaliter verum eſt, quòd relatio diſtinguat ſuum relatiuum, non tantùm à correlatiuo, ſed ab omni quod non eſt ipſum: duplum enim non tantùm diſtinguitur à dimidio, ſecundùm rationem dupli, ſed præcisè ſecundùm eandem rationem dupli conſiderando, duplum non eſt triplum, nec quadruplum; ac proinde, eſt non identitas & diſtinctio etiam inter diſparatas relationes, & diſparata relatiua, idque ſecundùm rationem relationis. Nullum igitur eſt fundamentum Durandi & Caier.

Reſpondet Heru. diſt. præſ. quæſt. 1. & quodl. 6. quæſt. 7. Non ſola Filiatio diſtinguit Filium à quocunque alio, ſed Filiatio vna cum ſpiratione actiua.

Iſtud

Iſtud dictum eſt nullum. Quia cùm ſola Filiatio conſtituat Filium in eſſe formali Filij; & conſequenter in eſſe Perſonæ & ſuppoſiti; ſola Filiatione diſtinguetur à quocunq; alio ſuppoſito, quod non eſt ipſum. Quod verò ſola Filiatione conſtituatur in eſſe Filij & ſuppoſiti, patet. Tum quia ratio formalis conſtitutiua debet eſſe propria ſoli cõſtituto; talis autem eſt Filiatio in Filio, non ſpiratio actiua, quę eſt communis Patri & Filio. Tum quia in illo priori ſigno, in quo Filius eſt prior origine Spiritu S. Filius intelligitur in eſſe perſonali.

Filiatio ſola cõſtituit ſuppoſitum Filij.

De facto tamen aduenit Filio in eſſe Perſonæ conſtituto, quaſi intrinſeca proprietas, communicata à Patre, ſpiratio actiua. Et hoc vult Anſel. in fine lib. de proceſſione Spiritus S. quod etiam & Doctor Subt. in textu affirmat.

Hinc etiam patet error Aureoli diſt. præf. art. 3. dicentis. Quòd licèt diſtingueretur Filius à Spiritu S. ſuppoſita illa hypoteſi, quòd Spiritus S. non procederet ab illo, non tamen diſtingueretur perſonaliter, ſed tantùm realiter.

Hoc enim apertè falſum eſt. Quia cùm formale conſtitutiuum Perſonæ ſecundæ ſit Filiatio, vt ex dictis patet; & formale conſtitutiuum Spiritus S. ſpiratio paſſiua; & iſta ſint incompoſſibilia in eadem Perſona, ſed non in diſtinctis realiter Perſonis; verè iſta diſtinctio erit realis perſonalis, quia extrema erunt Perſonæ.

Molina negat Maiorem vniuerſaliter acceptam. Et dat inſtantiam in natura humana, quæ vt in Socrate eſt, diſtinguitur realiter à ſeipſa, vt eſt in Platone, & tamen non diſtinguitur per rationale, per quod conſtituitur in eſſe naturæ humanæ, ſed per differentias indiuiduantes. Eodem modo Filius in Diuinis, quoad eſſe Filij, diſtinguitur realiter à Spiritu Sancto, non ratione Filiationis, qua conſtituitur in eſſe Filij, ſed ratione ſpirationis actiuæ, quaſi ſuperuenientis, ſecundùm quam relatiuè opponitur Spiritui Sancto.

Reſponſio Molinæ cõfutatur.

Verùm, vt negatio illius propoſitionis, ita & inſtantia eſt friuola, magis ad oppoſitum, quàm ad eorum propoſitum. Vt enim vniuerſaliter quæcunq; differentia ſpecifica habet conſtituere ſpeciem, & diſtinguere illam ab omni alia ſpecie, quæ non eſt ipſa, ſecũdùm veram Logicam; ita vniuerſaliter differentia indiuidualis habet conſtituere indiuiduum creatum in ratione indiuidui, & diſtinguere illud ab omni indiuiduo quod non eſt illud: ita à ſimili, in illis, quæ habent rationem conſtitutiuam ſuppoſitalem, conſtituendo ſuppoſitum in eſſe ſuppoſiti, erit diſtinctio ſuppoſiti illius ab omni alio.

Confirmatur. Quia ratio conſtitutiua Perſonæ, conſtituit Perſonam in eſſe Perſonæ, illa autem Perſona neceſſariò eſt ens vnum; ſed vnum dicit indiſtinctionem in ſe, & diſtinctionem à quouis alio, in omni ente relatiuo & abſoluto; igitur ratio conſtitutiua Perſonæ, facit Perſonam indiſtinctam in ſe, & diſtinctam à quouis alio.

Sic patet, quòd malè negatur propoſitio illa ſumpta vniuerſaliter. Exemplum autem eſt ad oppoſitum. Quia ſicut Socrates, & Plato, non diſtinguuntur ſpecie, ita neq; debent communi ſpecifica ratione conſtitutiua, nempe rationali, diſtingui; ſed quia diſtinguuntur numero, debent diſtingui ratione conſtitutiua numerica, nempe differẽtia numerali: ita in propoſito, cùm eadem ſpiratio actiua ſit in Patre & in Filio, non debet diſtingui illa relatione communi; ſed cùm ſuppoſitaliter diſtinguantur, præciſè per Paternitatem & Filiationem, & ſuppoſitum Filij per rationem Filiationis ſit vnum, erit hoc ſuppoſitum indiuiſũ in ſe, & diſtinctum à quocunq; alio, quod non eſt ipſum.

Secunda ratio Doctoris, priori conſimilis, illamq; confirmans, & ex eodem medio procedens, eſt talis. Per formale conſtitutiuum diſtinguitur conſtitutum ab omni alio, etiamſi per impoſſibile circumſcribatur omne aliud ab eo; per illud enim cõſtitutiuum diſtinguitur conſtitutum ab omni non tali: ſed omne quod non habet illam rationem conſtitutiuam, eſt non tale; ergo conſtitutum per illam rationem conſtitutiuam, diſtinguitur ab omni alio non habente illam: ſed Filius per Filiationem conſtituitur in ratione Filij, & Spiritus Sanctus, non habet Filiationem; ergo Filius per Filiationem diſtinguetur à Spiritu Sancto.

Huic rationi reſpondent aduerſarij ſicut & præcedenti. Sed reijciendæ ſunt illæ reſponſiones, ſicut in præcedenti reiecimus argumento.

Tertia ratio, ex diſtinctione emanationum, quam ſequitur etiam Aureol. hic, eſt talis. Generatio diſtinguitur à ſpiratione, circumſcripto omni alio per impoſſibile: ergo Filius diſtingueretur realiter à Spiritu S. ſi non produceret illum. Anteced. probatur diſt. 13. Conſequentia. Impoſſibile eſt vnam Perſonam duabus totalibus productionibus accipere eſſe; ſi enim vtraq; acciperet eſſe, circumſcripta quacunq; acciperet eſſe complete per aliam; ergo neutra productione acciperet eſſe neceſſariò.

Tertia ratio Scoti.

Reſpondet Caietanus ſupra. Negando Anteced. Quia generatio præciſè accepta, à ſpiratione paſſiua diſtinguitur incompletè, ſecundùm quid; generatio verò accepta cum ſpiratione actiua, diſtinguitur completè & integrè originaliter, à ſpiratione paſſiua. Contra Primò. Secundùm illam incompletam rationem, diſtinguitur generatio à ſpiratione paſſiua, ſecundùm Caietanum; ergo diſtingueretur genitum à ſpirato, etiamſi ipſum Filius non ſpiraret; ſaltem incompletè, ſecundùm eundem.

Reſponſio aliorum.

Impugnatur dicta reſponſio.

Secundò, Generatio ſecundùm ſuam rationem formalem, completè & formaliter diſtinguitur à ſpiratione paſſiua, principiatiuè à principijs; quia generatio paſſiua eſt à memoria fęcunda, & ſpiratio eſt à voluntate fęcunda; vt dicitur diſtin. 23.; ergo Filius completè & formaliter diſtinguitur filiatione, ſiue generatione paſſiua, à Spiritu S. Vnde quemadmodum homo à Leone diſtinguitur completè & formaliter per rationale, licèt conſequenter & neceſſariò diſtinguatur etiam per riſibile; ablato tamẽ per impoſſibile, & circumſcripto riſibili, adhuc rationale diſtingueret hominem à Leone: ita generatio paſſiua formaliter completè diſtinguit Filiũ à Spiritu S. conſequenter tamen quaſi proprietas, neceſſariò diſtinguit etiam ſpiratio actiua: hac tamen ſpiratione circumſcripta, adhuc generatio formaliter completè diſtingueret Filium à Spiritu Sancto.

Reſpondent Franc. Zumel. & Molina; Quòd admiſſa illa hypoteſi, eadem Perſona produceretur generatione & ſpiratione: neq; eſſet verum dicere, quòd eadem Perſona eſſet genita & non genita; quia hoc includit contradictionem; ſed eſſet genita, vt procedens per intellectum, & ſpirata, vt procedens per voluntatem; ſicut modò, idem realiter eſt ſpiratio actiua, & generatio actiua in Patre; nec tamen ſpiratio actiua eſt generatio. Neque ideo tunc procederet eadem Perſona bis ſecundùm rem; neque ſimpliciter & ſecundùm quid ſimul; ſed realiter vna proceſſione adæquata (quæ formaliter & eminenter includeret proceſsionem intellectus & voluntatis) produceretur.

Reſponſio aliorum.

In iſta reſponſione, ſupponitur Primò falſa imaginatio. Quòd productio per modum intellectus, & per modum voluntatis, ſeu generatio & ſpiratio, vnam productionem formaliter tunc dicerent. Vt enim præcedenti diſtin. & 2. oſtenſum eſt, non poſſe principia actiua reuocari ad minorem paucitatem, quàm ad dualitatem; ad agens per modum naturæ, & agens liberum: ita impoſſibile eſt, quòd productio per modum intellectus, & productio per modum voluntatis, ſit vna formaliter productio: at duabus productionibus totalibus, vnam Perſonam accipere eſſe, eſt impoſſibile; ergo impoſſibile eſt, eandem Perſonam eſſe genitam & ſpiratam. Secundò non eſt ſimile, quòd ita eſſet genitum idem realiter & ſpiratum, ſicut modò eſt Pater generans & ſpirans: quia oſtenditur diſtin. 13. quòd generari & ſpirari, ſunt relationes formaliter diſtinctæ, & incompoſſibiles in eodem ſuppoſito; ſpiratio autem actiua & generatio actiua ſunt compoſſibiles in eodem. Et ratio eſt. Quia duplex principium productiuum, eſſe in eodem ſuppoſito, eſt compoſſibile; vt patet tum in Patre æterno, tum in creatura; ac proinde poteſt eidem ſuppoſito duplex actiua productio conuenire, atq; adeo duplex relatio: ſed idem duplici totali productione produci, repugnat.

Confutatio reſpõſionis

Huic ſententiæ Scoticæ fauet. Tum Concil. Lateranen. c. Firmiter, vbi definitur perſonas diſtingui proprietatibus

Scoti sētentiæ fauet Conc. & D. Thom.

personalibus; Filiatio autem, seu generatio passiua, est proprietas personalis, non item spiratio actiua, quæ & est cōmunis Patri cum Filio, & Personis iam quasi constitutis intelligitur aduenire. Tum ipsemet D. Th. quodl. 4. art. 7. cùm inquit. Hoc modo se habent proprietates personales in Diuinis, ad distinguendum Personas, sicut se habent in rebus naturalibus formæ substantiales, ad distinguendas species rerum: sic tamen, quòd à creaturis exempla ad Deum assumpta, non omnino similia sunt. In rebus autem naturalibus, distinguitur aliquid per formam suam ab alio, dupliciter. Vno modo, secūdùm directam oppositionem formæ ad formam, & hoc modo distinguitur vnaquęq; res naturalis, ab omnibus speciebus sui generis, quę habent formas oppositas, secundùm quòd genus diuiditur oppositis differentijs, sicut Saphyrus, sua forma distinguitur, ab omnibus alijs speciebus lapidum. Alio modo distinguitur res naturalis, per suam formam, secundùm habere & non habere; & hoc modo, quod habet aliquam formam naturalem, distinguitur ab omnibus non habētibus formam illam; sicut Saphyrus per suam formam naturalem, distinguitur, non solùm ab alijs generibus lapidum, sed à speciebus animaliū & plantarum. Sic ergo dicendum, quòd Filius, sua Filiatione, distinguitur quidem à Patre secundùm oppositionē relatiuam Filiationis ad Paternitatem; sed à Spiritu S. distinguitur Filiatione, per hoc, quòd Spiritus S. non habet Filiationē quam Filius habet. Hæc D. Thomas. Ex quibus verbis apertè colligitur, quòd iste Sanctus 1. p. q. 36. art. 2. & in alijs consimilibus locis, negat solum in data hypotesi, Filiū distingui Filiatione à Spiritu S. tanquam distinctiuo relatiuè opposito; quod & noster Doctor Subt. concedit, vt ratione prima dixi: non autem absolutè negat distinctionem Filij à Spiritu S. si sola Filiatio esset in Filio, & non spiratio actiua; sed docet clarè, quòd distinguitur Filius realiter Filiatione à Spiritu S. tanquam habēs Filiationem, à non habente; vt secunda ratio Doctoris Subt. volebat.

Ad prædictorum intelligentiam, duplex superesse videtur difficultas.

DIFFICVLTAS PRIMA.

Nota dubiū eiusque solutionem.

CVm Personæ Diuinę sint simplices, & actus purus, distinguanturq; inter se per oppositas relationes, quod nō pōt esse nisi per productionem & originationem, vt cōmuniter videntur Sancti Patres, in Diuinis distinctionem realem Personarum per productionem, admittere; præsertim Basil. Gregor. Nazian. Athanasius: quomodo secluso (siue per intellectum, siue per impossibile) ordine productionis, Spiritus Sancti à Filio, potest manere distinctio Filij à Spiritu S.? Hoc fundamentum tanti faciunt quidam aduersarij vt putent sententiam nostri Doctoris esse vel temerariam, vel suspectam.

Respōdeo. Sancti Patres, vnanimi consensu docent omnes, per Essentiam in Deo esse vnitatem, per relationes verò, siue oppositas, siue disparatas, vno nomine per relationes in vnitate suppositi incompossibiles, multiplicari Trinitatem Personarum, vt docet præclarè Doctor Subt. in textu; idque solùm volunt Patres.

Deinde, esto quòd aliqui ex Patribus, illam vsurpassent propositionem; quòd in Diuinis ibi solùm distinguuntur Personæ Diuinæ, vbi occurrit relationis oppositio. Dicendū esset, vt diximus cum Doctore superiùs; & apertè eadem responsione vtitur D. Thomas quodl. 4. ar. 7. citato soluendo authoritatem Anselmi. Quòd talis propositio, intelligēda esset de distinctione per oppositionem formę ad formā, non autem de distinctione per formam, ad illud quod non habet talem formam; siue de distinctione relatiui ad correlatiuum, vt correlatiuum eius est oppositum; non autem de relatiuo ad correlatiuum disparatum.

Præterea dici posset, quòd loquebantur de facto, qualis est de facto inter illas Sanctissimas Personas distinctio: est enim distinctio Filij à Spiritu S. non modò formalis, & per se, prima per Filiationem; sed etiam est per se, licèt non formalis, nec prima per spirationem actiuam: sed non loquuntur de præcisione, vel suppositione huius hypotesis, An, si Spiritus S. non produceretur à Filio, distingueretur à Filio.

Et reuera magnam probabilitatem huius dicti ex ipsis Sanctis Patribus accipio, qui probantes Spiritum S. procedere à Filio, nunquam vtuntur hac illatione, contra Gręcorum errorem, si non procederet à Filio, non distingueretur ab eo; quę deductio in materia Theologica est ad maximū inconueniens.

Quare immeritò Subtilis Doctoris doctrina taxatur à nōnullis vt temeraria; cùm nullum sit vestigium temeritatis: imò pro illa euidens est testimonium: Tùm D. Tho. tū aliorum multorum Theologorum; tum ipsius rationis; vt patet ex dictis paulò ante.

SECVNDA DIFFICVLTAS.

Quæ sit ratio primò formaliter distinctiua Filij, à quorunque supposito?

Filij suppositum primò distinguitur à quocunque Filiatione.

CAietanus cùm alijs Thomistis ex Durando, Her. & Capreolo hìc, docent, non esse distinctiuum vnum Filij à Patre & à Spiritu S. sed à Patre primò distingui Filiatione, à Spiritu S. primò spiratione actiua.

Hoc dictum meritò reijcitur à Scotistis. Tum propter rationes superiùs explicatas. Tū quia D. Thomas in quodl. loco alleg. docet oppositum. Tum quia ratio distinctiua est eadem cum constitutiua; constitutiua autem Personæ Filij, est Filiatio; vt dictum est.

Nec valet dicere, Quòd hoc valet in absoluto. Nam etiā ratio relatiua distinctiua est vna; & per consequens, non diuisa à se, & non eadem cuilibet alteri, vt dixi in superioribus. Filiatio igitur constituit formaliter Filium in Diuinis in esse suppositi; & illud primò distinguit ac formaliter, tā à Patre quàm à Spiritu Sancto: spiratio autem actiua per modum proprietatis adueniens, solùm per se secundariò distinguit à Spiritu S.

Ex dictis patet resolutio multarum Difficultatum & Obiectionum, quæ in præsenti materia adferuntur ab authoribus oppositum tenentibus.

Reliqua in textu sunt clara.

DISTINCTIO XII.

QVOD SPIRITVS SANCTVS PRIVS VEL PLENIVS non procedit à Patre quàm à Filio: principaliùs tamen secundùm quandam considerationem procedit à Patre.

QVÆSTIO PRIMA.

Vtrum Pater & Filius spirent Spiritum Sanctum, inquantum omnino vnum, vel inquantum distincti?

Circa istam Distinctionem Duodecimam: in qua Magister agit, &c.

SVMMA QVÆSTIONIS.

Hic sunt quinque Articuli. In Primo determinatur, quòd Pater & Filius sunt vnum principium Spiritus Sancti. In Secundo, Opinio recitatur, quòd Pater & Filius voluntate non inquantum vna, sed inquantum est concors spirent Spiritum S. In Tertio, impugnatur prædicta Opinio. In Quarto, declaratur principale intentum Quæstionis. In Quinto, explicatur modus loquendi, quòd Pater & Filius, sunt duo spirantes, sed vnus spirator. Tandem argumenta principalia resoluuntur.

ARTICVLVS PRIMVS.

Determinatur, quòd Pater & Filius, sint vnum principium Spiritus Sancti.

In ista Quæstione planum est, quòd Pater & Filius sunt vnum, &c.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Recitatur Opinio, quòd Pater & Filius, voluntate non inquantum vna, sed inquantum est concors, spirent Spiritum Sanctum.

Sed est difficultas alia. Cùm enim voluntas ista sit vna, &c.

SVMMA TEXTVS.

Ista Opinio est Henrici Gandau. in Summa artic. 54. q. 6. in respon. ad 8. princip. consistitque in his conclusionibus.

er & Fi spirant tũ S. inquã- oino senten Hẽricii.

Prima Conclusio. *Quamuis Pater & Filius sint duo distincta supposita, quia tamen habent vnam vim spirandi, nẽpe vnam voluntatem, dicitur meritò Pater & Filius esse vnum principium Spiritus Sancti, ratione vnius voluntatis, non ratione distinctionis Personarum. Ista Conclusio explicat Conclusionem prioris articuli, nec hoc improbatur à Doctore in sequentibus.*

Secunda Conclusio. *Licèt vna voluntate Pater & Filius spirent Spiritum S. ista tamen vis spiratiua, non sub ratione vnitatis est proximum principium spirandi, sed sub ratione concordis voluntatis; vt scilicet mutuò producunt Spiritum S. est siquidem amorem impendens Persona Patris, quæ impendit Filio, & amorem rependens Persona Filij, quæ Patri rependit. Hoc probat Henr. pluribus authoritatibus Richar. de S. Victore in litera positis.*

Tertia Conclusio. *Cùm quæritur. Vtrum Pater & Filius spirent Spiritum S. inquantum omnino vnum, vel inquantum distincti. Dicit Gandau. quòd spirant inquantum distincti. Ratio est. Quia cùm spirent voluntate, quatenus est concors, vt dicit 2. Conclusio, & concordia voluntatis denotet mutuitatem, & distinctionem concordantium in spirando; consequens est, quòd spirant vt distincti. Istam Conclusionem explicando, additur in fine articuli, quòd Patris & Filij distinctio in spirando Spiritum S. dupliciter potest considerari; primo modo vt sunt distinctæ Personæ dicentes & producentes actum amoris, qui est Spiritus Sanctus; & hoc modo non spirant vt plures, vt dictum est Conclusione Prima: secundo modo, vt sunt concordes circa rationem producendi amorem mutuum, qui est Spiritus S. ita vt productio amoris per se primò importetur, mutuitas autem & concordia in producendo, necessariò connotetur; & hoc modo connotatur distinctio Patris & Filij in spirando Spiritum S.*

ARTICVLVS TERTIVS.

Impugnatur prædicta Opinio.

Contra istam Opinionem arguitur sic. Si Pater, &c.

SVMMA TEXTVS.

Dicitur, hìc primò. *Quòd Pater & Filius non spirant Spiritum S. voluntate concordi, habente actum mutui amoris; quia actus essentiales nullo modo sunt principia Quo respectu actuũ notionalium: vt sufficienter declaratum fuit supra dist 2. q. 5. art. 4. vbi hæ rationes explicatæ sunt in simili de Verbo, quòd illud non producatur intellectione. Vide dicta ibi, neque enim hic secundò est repetendum.* Impugnatur opinio Henrici.

Dicitur secundò. *Quòd Pater & Filius spirant Spiritum S. non vt se diligunt mutuò, sed vt Essentiam Diuinam habent in ratione diligibilis, præsentem voluntati.*

Dicitur tertiò *contra Richardum. Quòd amor mutuus in nobis, est quidem iucundior non mutuo, quia ipsa redamatio est ratio diligibilitatis: non sic in Deo, quando diligit Essentiam infinitam, cui amori nihil potest superaddi.*

Dicitur quartò *in fine Articuli. Quòd Henr. contradicat sibiipsi: ibi enim affirmat quodlib. 5. q 9 quòd Spiritus S. distingueretur à Filio, etiamsi non produceretur ab eo; ista autem distinctio esset, propter alium modum procedendi Spiritus Sancti à Patre ab illo quo producitur Filius; in præsenti verò materia dicit in Summa quòd ratio producendi proxima Spiritum S est amor mutuus, seu concors, & consequenter de necessitate includendo distinctionem personarum includit personam Filij; ergo non potest Spiritus S. secundùm eundem, produci à Patre, nisi producatur à Filio; ergo si non producatur à Filio Spiritus S. nõ distinguetur ab eo; cuius oppositum tenet in quodlibetis.*

ARTICVLVS QVARTVS.

Declaratur intentum principale Quæstionis.

Quantùm ad istum Articulum. Concedo, quòd Pater & Filius, &c.

SVMMA TEXTVS.

Quatuor in præsenti Articulo tractantur. Primò, datur hæc conclusio. Pater & Filius spirant Spiritum S. voluntate, inquantum omnino vna. Pater & Filius spirãt Spiritum S. Voluntatẽ oĩno vna.

Secundò, illa propositio Richar. Pater & Filius spirant Spiritum Sanctum voluntate concordi declaratur, quòd possit dupliciter intelligi. Primò, quòd illa concordia sit actus elicitus, vel actus essentialis volitionis, quasi elicitus, siue respectu Essentiæ Diuinæ, quæ est obiectum primarium, Spiritum Sanctũ spi-

 siue

rari voluntate concordi quis sensus.

siue respectu suppositi huius ab illo, & vice versa; & sic non est intelligendus Richar. Secundò illa concordia voluntatis, potest accipi habitualiter, inquãtum voluntas quæ est actus primus, à Patre & à Filio apta est habere actum vniformem producendi amorem, seu Spiritum S. in illo priori, in quo Pater & Filius intelligitur prior origine Spiritu Sancto; & in iste sensu accipienda est authoritas Richardi: sic autem accepta voluntas est vna, vt patet; ergo Pater & Filius vt vnum sunt, & non vt distincti, spirant Spiritum Sanctum.

Nota.

Tertiò, declarat Subt. Doctor, quomodo aliter dici posset, à Patre & à Filio: vt sunt distincti, spirari Spiritum sanctum: ea nimirum ratione quia Pater non est in potentia proxima spirãdi Spiritum S. nisi priùs producat Verbum, eiq; communicet illam vim spirandi; idque propter quandam præexigẽtiam intellectus ad voluntatem, & intellectionis ad volitionem, vt bene exemplificatur hic exemplo dato de anima.

Vltimò dicitur à Doctore, quòd Pater & Filius, spirãt Spiritum Sanctum dilectione mutua, eatenus, quatenus inest tũ Patri tum Filio, simul eadem vis spirandi; non autem quòd actualis dilectio & redilectio insit Patri & Filio: & sic intelligenda est authoritas Richardi art. 2. Concl. 2. citata. Quod si aliud velit, non est admittenda illius authoritas; quia contradicit doctrinæ S. Augustini, vt visum est dist. 2. q. 5. art. 4.

COMMENTARIVM.

VLtra dicta, breuiter dici potest. Quòd in ista quæstione, Vtrum Pater & Filius spirent inquantum vnum vel inquantum distincti? potest reduplicatio, reduplicare, vel rationem principij productiui: vel aliquam rationẽ necessariò pertinentem ad principium in ratione principij, siue aliquam rationem comprincipij: Vel tertiò, reduplicat conditionem suppositorum producentium. Primo & secundo modo, constat ex dictis quòd Pater & Filius, inquantum vnum producũt Spiritum S. quia præcisè vnum est, & sub ratione vnius, principium Quo Spiritus Sancti, nempe voluntas fæcunda in Patre & Filio. Tertio autem modo producunt inquãtum sunt distincti. Sensus dicti est. Quòd distinctę Personæ, nempe Persona Patris & Filij, spirant Spiritum Sanctum: quod verum est: sed Opinio Henrici secundùm primum vel secũdum sensum procedit, quare meritò reiecta est.

In hac doctrina cõuenit Doctor Seraphicus cum Doct. Subtili, in 1. dist. 11. q. 2. & dist. 22. art. 2. q. 1. Richar. dist. 11. q. 3. & dist. 29. art. 1. q. 1.

ARTICVLVS QVINTVS.

Explicatur modus loquendi, quòd Pater & Filius sunt duo spirantes, sed vnus spirator.

Iuxta Quæstionem istam, est vna difficultas, quasi Grammaticalis &c.

SVMMA TEXTVS.

Pater & Filius est vnus Spirator

Prima Conclusio. *Pater & Filius est vnus spirator. Ratio est. Quia substantiuum verbale seu à verbo deductum, vnitatem vel multiplicitatem suam habet à propria forma; cùm ergo hoc substantiuum, Spirator, à verbo actiuo, spiro, deductum, significet spirationem actiuã in esse quieto; & spiratio actiua, tam in ratione actus spirandi, quàm in ratione principij Quo sit præcisè vna; meritò Pater & Filius dicitur, vnus spirator.*

Pater & Filius sunt duo Spirantes.

Secunda Conclusio. *Pater & Filius, licèt sint vnus spirator, ratione virtutis spiratiuæ, & actus spirandi, vt dictum est; sunt tamen duo spirantes, ratione duorum suppositorum; Pater enim & Filius, sunt duo supposita, quæ spirant: sicut etiam concedunt communiter Theologi, quòd Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, sunt tres creantes, intelligendo tres Personas, quæ creant; sed nullo modo concedendum est, esse tres creatores, cùm sit vna vis, & vnus actus creandi.*

Tertia Cõclusio. *Terminus numeralis (puta duo, tres, &c.) additur nominibus adiectiuis; cùm dicimus, tres creantes, duo spirantes; non autem substãtiuis, neque enim dicimus, tres creatores, vel duo spiratores. Patet ex dictis.*

COMMENTARIVM.

PRo tertia Conclusione ponitur à quibusdam ratio talis Adiectiuum significat adiacentiam ad suppositum, & ideo à multiplicitate suppositi, multiplicari põt adiectiuũ, cùm ergo in præsenti sunt supposita duo quæ spirant, meritò dicentur duo spirantes; substantiua autem non significant istam adiacentiam.

Nomi adiecti non su tiuis a tur te numer in diu cur.

Hoc modo respondendi vtitur D. Thomas 1. p. q. 36. art. 4. Richard. dist. 11. q. 5. in princ.

Hanc respõsionem improbat hìc Doctor. Nec enim ratio est, cur substantiuum non adiacet numero, vt adiacet adiectiuum. Ratio autem Doctoris est. Omne dependens non dependet ad æquè dependens; adiectiuum verò nomen, secundùm suam significationem, est dependens; ergo non dependebit ad aliud adiectiuum, sed ad substantiuum independens: sed termini numerales, duo, tres, & alij, sunt adiectiui; ergo non terminabunt suam dependentiam ad nomina adiectiua, vt spirantes vel creantes, sed ad substantiua subintellecta, puta, duæ spirantes Personæ, vel duo spirantes aliqui, ly aliqui, accipiendo substantiuè, &c. Quando igitur alicui termino numerali adiectiuo, adiũgitur nomẽ substantiuum, puta creator, Deus, spirator, &c. statim ille numeralis terminus in tali substantiuo, (tanquam in suo termino à quo dependet) ponit numerum & multiplicitatem, qui numerus est impossibilis in propositis substantiuis. Si autem adiectiuis additur, vt creanti, habenti Deitatem, spiranti, non debet adiectiui immediatum significatũ numerari, sed substantiui subintellecti, nẽpe personæ. Quare non sequitur. Sunt duo spirantes; ergo & duo spiratores; quia in Consequentia, multiplicatur virtus spirandi, quod non habetur in antecedenti. Et hoc dictum est contra Richar. de media vil, qui loco cit. putat probabiliter dici posse duos spiratores.

Dices. Singulare infert singulare; si enim est vnus spirãs, est vnus spirator; ergo plurale infert plurale; & ita si sunt duo spirantes, erunt duo Spiratores.

Singul dum i singul etiam p le infer rale, q do.

Respõdet Doctor. Illa propositio, Dum singulare infert singulare, etiam plurale inferet pluralitatem; vera est, de singulari plurificabili in suis inferioribus; vnde si duo homines, bene duo animalia: Sed si singulare non sit plurificabile, & distinctum in pluribus suppositis, communicatũ tamen pluribus, non sequitur, quòd plurale infert plurale; vt patęt in Deitate singulari, quę existens in vno supposito, est vnus Deus, in tribus autem suppositis, non est tres Dij, sed vnus Deus, quia Deitas nõ multiplicatur ad distinctionem suppositorum. Ita, quia virtus spirandi in suppositis non multiplicatur, non valet: Si vnus spirans, est vnus spirator; ergo duo spirantes sunt duo spiratores. Non valet inquam consequentia; quia virtus spirandi, non est plurificabilis. Quodsi apud Patres inueniatur aliquando dictum, quòd Pater & Filius, sunt duo spiratores; explicandi sunt, quòd accipiunt ly spirator, pro adiectiuo spirante, vel pro, qui spirant, & sic etiam Richardus noster est explicandus.

ARGVMENTA IN PRINCIPIO
Quæstionis adducta soluuntur.

Ad Argumenta respondetur. Ad Primum. Cùm arguitur, &c.

COMMENTARIVM.

Actio semper supposit

IN responsione ad Secundum. Nota singularem expositionem illius dicti. Actio est suppositorum. Hoc tamen dictum non est Aristotelis. Is enim docet non longè à principio 1. Metaph. actiones esse circa singularia, ex quo loco communiter putãt multi, tum Philosophi, tum Theologi, deduci hanc propositionem, Actio est suppositorum. Et vltra dicta in litera Doctoris, Aduerte. Quòd ista propositio. Omnis actio est suppositi; triplicem potest habere sensũ. Primũ, respectu agẽtis, ita quòd omne agens quod dicitur agere, sit necessariò suppositum, & completa substantia.

stantia. Secundum, respectu subiecti, ita quòd omnis actio Physica, terminata ad eductionem accidẽtis, debeat habere subiectũ completum, seu suppositum substantiale. Tertiũ, ex parte termini, vt nimirum omne quod actione producitur, sit suppositum: & in hoc tertio sensu suppositum non accipitur pro composito substantiali; cùm sit extra controuersiã dari productionem accidentium, quę nõ sunt supposita; sed accipitur pro singulari, ita quòd omnis productionis terminus, sit aliquod singulare. Actio autẽ quædam est Physica, coniuncta motui & mutationi, quædam Metaphysica, abstrahẽs à motu & mutatione: & de omni potest inquiri an illud dictũ verificetur. De his vide Doctorem, tum in Report. dist. præsen. q. 1. & dist. 26. q. 5. Tum in 4. Scripti Oxonien. dist. 12. q. 3. & alijs pluribus in locis. Interim

...io Physi... & meta... ...sica.

De primo sensu. Dico. Quod actio relata ad agẽs, potest vel proximã causam, vel vltimam denominare. Exemplũ. Ignis calefacit aquam per calorem. Calor igitur in aquam inductus, primò denominat calorem ignis producentis, & vltimò denominat ipsum ignem producentem. Actio igitur est, & dicitur suppositi, vt vltimò denominati; communiter enim dicimus, ignis calefacit aquam, vel manum; dicitur etiam calor calefacit, vt primò denominatum. Vnde licèt supposita plurificẽtur, si tamen proximè denominatũ sit vnum, vna erit actio, vt docet Doctor Subt. locis cit; sic in Diuinis, Pater & Filius, habẽt vnam spirationem, respectu Spiritus Sancti, quia habent vnum principium proximum spirationis, nimirum voluntatem fęcundam; vt tamẽ vltimò denominatum, denominatur suppositum spirans; & sic dicuntur duo spirantes. Quando igitur forma est non in toto, vt anima separata à corpore, vel accidentia à materia, verè possunt agere, & denominabuntur ab actionibus suis talia agentia: hæ tamen separationes, & separatarum rerum abstractiones, quia incognitę fuerunt Aristoteli; secundùm communem naturæ cursum, communiter formæ actiuæ sunt in composito, & actiones talium formarum, totum denominant compositum agens.

De secundo sensu loquendo, dicemus in secundo sententiarum, quòd subiectum accidentium sit substantia cõpleta; loquendo de accidentibus materialibus, secundùm naturalẽ cursum spectatis. Dico, loquendo de accidentibus materialibus: nã actiones spirituales, vt volitio, intellectio, sunt subiectiuè in anima, à corpore segregata. Dico, secundùm naturalem cursum spectatis: nam supernaturali modo separata quantitas, potest esse subiectum actionis Physicæ, vt in speciebus Sacrosanctæ Eucharistiæ potest contingere condensatio rarefactio, calefactio.

...an ...is cir... ...gula...

Tertium quæsitum videtur habere maiorem difficultatem cæteris. Nam id affirmat expresse Philosophus 1. Metaph. vbi docet, omnes actus & generationes esse circa singularia. Hoc tamen dictum, videtur vniuersaliter sumptũ, esse falsum. Nam intellectio, vel actus scientiæ, aut artis, est actio; & tamen non est circa singulare, sed circa vniuersale.

Respondet Doctor 1. Metaph. q. 6. Propositionem illam Arist. esse veram, de actibus trãseuntibus in passum extrinsecum, prout illud existit extra in rebus. Ratio huius dicti est. Quia actio transiens in extrinsecum, cùm existat in aliquo sicut in subiecto, sicut illud subiectum erit singulare, ita erit actio singularis; quia quicquid existit in singulari, est singulare; non sic est de actione immanente, quæ cùm non sit in obiecto circa quod est, nõ requiritur quòd obiectum, vel terminus talis actus, sit singulare, ipsa tamẽ actio illa immanens, singularis est, quia est in subiecto singulari.

Et hactenus dicta sunt de actione Physica. De actione autem Metaphysica loquendo: patet quid dicendum sit, ex Prologo, & 3. distinctione.

QVÆSTIO II.

Vtrum Pater & Filius spirent vniformiter Spiritum Sanctum.

Quòd non. Augustinus 15. de Trinit. cap. 12. Spiritus Sanctus principaliter, &c.

SVMMA TEXTVS.

Prima Conclusio. *Si actus spirãdi accipiatur secundùm se: vniformiter est à Patre & Filio, quia ab vniformi eadem voluntate Patris & Filij.*

Secunda Conclusio. *Si etiam actus spirandi actiuè accipiatur, vt dicit ordinem ad terminum; sic etiam vniformiter inest Patri & Filio.*

Tertia Conclusio. *Si spiratio actiua comparetur ad supposita, quæ formaliter dicuntur spirare, tunc actus spirandi conuenit aliquantùm difformiter secundùm ordinem quendam; quia Pater spirat à se, cùm à nullo vim spiratiuam habeat; Filius autem spirat à Patre, quia habet principium spirandi, sicut & esse Filij à Patre.*

COMMENTARIVM.



Væ de signis originis hìc dicuntur à Doctore Subtili, in Obiectionibus datis cõtra tertiam Conclusionem, & solutionibus earũdem, fusè habes superiùs explicata, dist. 1. q. 2. art. 2. vide ibi. Ex quo loco solues quęstionem, quæ hìc communiter tractari solet; Vtrum generatio sit prior origine spiratione? Dicendum enim est affirmatiuè; vt ex ibi dictis constat, & docet S. Bonauentura, dist. præsenti. q. 4. Richard. ibidem, & Aquilanus. Mayr. ibidem q. 2. & dist. 13. q. 1. & 2.

Generatio est prior origine spiratione.

In responsione ad Primum princip. manet resoluta illa quæstio, Vtrum pleniùs & perfectiùs Spiritus S. procedat à Patre quàm à Filio? Est enim respondendum negatiue; cùm eodem, & eiusdem perfectionis principio, vterque spiret.

Hoc dictum est Doctoris Subtilis, cum Seraphico Bonauentura, & Richar. hìc. q. 2. qui contradicunt Alexandro ab Alexandria, dist. pręsen. affirmanti Spiritum S. procedere à Patre principaliter & plenius, à Filio autem tantùm principaliter.

Spiritus S. nõ plenius à Patre quã a Filio procedit.

In responsione ad Tertium. Dicitur, quòd ista præpositio, per, vel coniungitur cum verbo transitiuo, quod significet actum transeuntem per alium; vel cum verbo intransitiuo, quod non significet actum transeuntem: sic hoc secundo modo, ego sum formaliter intelligens per intellectionem, & effectiuè viuo per Deum, quia Deus efficit & conseruat vitam meam; primo autem modo, vt mitto librum per alium. Cùm ergo dicunt Sancti, Pater spirat Spiritum Sanctum per Filium; ly per, coniungitur cum verbo spirandi transitiuo: hoc autem modo spirans spirat ab alio, sicut spirat in Diuinis Filius à Patre; & consequenter, Pater per Filium dicitur spirare: vt Pater dicatur spirare authoritatiuè; Filius autem subauthoritatiuè: quod non plùs est dictum, nisi quòd Pater à se, Filius à Patre spirat, vt ita modus spirãdi subauthoritatiuè, nullam (etiam verbalem) importet inæqualitatem Filij, vel in essendo, vel in spirando.

Per, variè cõstruitur.

Ex responsione ad Quartum, soluitur illa quæstio, quam hìc inquirit S. Bonauen. quęstione 3. Vtrum Spiritus S. procedat à Patre, mediante Filio. Dicendũ enim est, quòd Pater & Filius, producunt immediatè, suo principio fæcundo, Spiritum Sanctum; quatenus tamen communicat virtutem spiratiuam per generationem Filio, & per Filium, iuxta paulò ante dicta, spirat; sic dicitur mediatè spirare, quia mediante Filio; hæc tamen mediatio non impedit, quòminus Pater spiret immediatè, immediatione principij Quo, & Quod.

Spiritus S. an mediante Filio procedat a Patre.

DISTINCTIO XIII.

DE DISTINCTIONE SPIRATIONIS SPIRITVS Sancti, à generatione Filij?

QVÆSTIO VNICA.

Vtrum productio Spiritus Sancti sit generatio, vel distinguatur ab ea?

Circa istam Distinctionem Decimam tertiam, in qua Magister agit de processione Spiritus Sancti, &c.

SVMMA QVÆSTIONIS.

Spiratio distinguitur à generatione.

Supposito vt certo articulo Fidei, definito in Concilio Toletano Primò in confessione fidei, & in Symbolo Athanasij quòd generatio non sit spiratio, inquiritur ratio & modus, quo distinguuntur. Vbi inprimis tres aliorum Opiniones adferuntur, & reyciuntur. Deinde in Secundo Articulo, aliæ tres aliorum refelluntur. In Tertio, Opinio septima confutatur. In Quarto, datur propria Quæstionis resolutio. Tandem, principalibus argumentis satisfit.

ARTICVLVS PRIMVS.

Tres Opiniones adferuntur, & reijciuntur.

Hic sunt multæ viæ ponendi, & multi modi, &c.

COMMENTARIVM.

Prima opinio quo distinguitur spiratio Generatione.

Rima Opinio, docet generationem à spiratione distingui, per terminos totales, nempe per ipsas Personas productas, vel per formales, qui termini formales, secundùm hanc viam, sunt ipsæ relationes in productis. Est hæc Opinio Aegidij dist. præsen. art. 2. & Guillel. Varronis.

Impugnatio secunda huius Opinionis, habet euidentiã ex dictis, distin. 2. q. 7. in respon. ad 3. argum. Auerrois, & ex doctrina dist. 5. q. 2. art. 2. vbi definitum est, Essentiam Diuinam esse terminum formalem generationis.

Secũda opinio S. Thomæ.

Secunda Opinio est D. Thomæ, 1. par. q. 36. art. 2. in solutione 7. argum. vbi dicit. Spiritus Sanctus personaliter distinguitur à Filio, in hoc, quòd origo vnius, distinguitur ab origine alterius: sed ipsa differentia originis, est propter hoc, quòd Filius solùm à Patre, Spiritus Sanctus verò, à Patre & Filio: non enim aliter processiones distinguerentur. Hæc D. Tho. ibi. Ex quibus optimè infert Subtil. Doctor in præsenti, quòd secundùm hanc D. Thomæ doctrinam, origo Spiritus Sancti, quæ est spiratio, distinguitur ab origine Filij, quæ est generatio, penes hanc rationem, quia productio Filij, est solùm ab vna Persona Patris; Spiritus Sancti verò productio, est à duabus Personis.

Caet. impugnat Scotũ.

Caietanus nihilominus in Commento loci illius, dicit non fideliter citari à Doctore nostro, doctrinam D. Thomæ: pro quo notat. Inter hoc dictum; Inter originem generationis & processionis est differentia, quia generatio est ab vno, & spiratio est à duobus suppositis: & inter illud: Differentia originis vnius ab alia est, quia vna est à Patre solùm, alia verò à Patre & Filio: Tantam docet Caietanus esse distantiam, quanta est inter cælum & terram. In priori enim dicto, solùm differentia inter vnitatem & prioritatem suppositorum, pro causa redditur: quod est ridiculum; & hoc improbat Scotus: in secundo autem ordo Originis inter eas, pro causa redditur.

Caet. impugnatio ostẽditur nihil valere.

Hæc tamen Caietani distinctio, est nulla, & impertinens: secundò, dato quòd aliquid valeret, non effugit difficultates in textu positas. Quòd sit impertinens, sic ostendo. Quia ex eo præcisè distinguitur generatio a spiratione, (secundùm doctrinam D. Thomæ citatam) quia generatio solùm, à Patre: id est, quia producitur à solo supposito Patris, (ita enim ad literam accipi debet textus D. Thomę) solum autem suppositum Patris, est vnum suppositum; ergo generatio distinguitur in hoc à spiratione. quia est ab vno supposito Patris: non aliter autem est, nisi per originationem actiuam; ergo esse ab vno supposito, & originari ab vno supposito, sunt penitus idem: similiter esse spirationem à duobus suppositis, non aliud est, quàm originari & accipere esse à duobus; ergo illa duo dicta, sunt penitus identica, magis indistincta, quàm duo corpora simul penetratiuè; nedum quòd sit distantia sicut inter cælum & terram. Secundum probo. Si præcisè per ordinem originis distinguitur generatio à spiratione, hoc non aliter est, quàm quòd generatio est à solo Patre, spiratio autem à Patre & Filio, vt docet S. Thomas: sed ista explicatio ordinis, est penes vnitatem & pluralitatem suppositorum, vt patet in litera eorum; contra vnitatem autem vel pluralitatem, concludunt argumenta Doctoris, vt concedit Caietanus; ergo & contra illum secundum sensum, ab ipso intentum, concludent; cùm origines penes vnitatem & pluralitatem attendantur. Præterea ostensum est, distinct. 11. quòd ratio spirationis actiuæ, non sit ratio formalis distinctiua Filij, vel Patris, à Spiritu Sancto; ergo spiratio passiua, non distinguitur formaliter à generatione passiua, penes ordinem spirationis actiuæ, quæ est posterior origine generatione: quare, nec vnitas vel dualitas istarum productionum, erit ratio, formalis distinctiua generationis à spiratione.

Opinio tertia.

Tertia Opinio est Gotfredi quodl. 3. quæst. 3. quam primò impugnat Subt. Doctor: deinde contra illam, & contra secundam Opinionem arguit duabus rationibus: tandem tertiò, Obiectioni ex litera incidenti exortæ, occurrit, probando verè in Deo dari duplex principium Quo productiuum, vnum per modum naturæ, aliud per modum libertatis; de quo dictum est dist. 2. q. 4. & dist. 8. q. 4. & distin. 10.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Aliæ tres Opiniones aliorum refelluntur.

Aliter dicitur, quòd istæ emanationes distinguuntur, &c.

COMMENTARIVM.

Quarta opinio.

PRima Opinio S. Thomæ 1. par. q. 27. art. 4. in responsione ad Primum qui tametsi rationẽ prioris & posterioris in Diuinis non admittat, vt visum est supra; concedendo tamen processiones distingui secundùm ordinem originis, necessaria deductione concedat necesse esse, esse ordinem prioris & posterioris, iuxta dicta dist. 1. q. 2. Opinio autem hæc, pręter rationes duas hìc positas, impugnari potest rationibus artic. præced. contra 2. & tertiam sententiam propositis.

Quinta opinio.

Secunda Opinio est Henrici in Sum. artic. 37. qui docet generationem à spiratione distingui, penes distinctionem principiorum elicitiuorum, nempe intellectus & voluntatis; quia tamen ista principia non sunt determinata ad agendum, nisi vt sunt in supposito per relationes constituto, sequitur quòd principium generandi, inquãtum elicitiuum, sit intellectus; sed inquantum determinatiuum, seu determinatè alicuius determinati productiuũ, est relatio Paternitatis, sicut spiratio actiua, est principium

Quo

Quo determinatiuum, respectu Spiritus Sancti; vt dictum est supra, narrando eius sententiam dist. 6.

Hęc positio, quoad illud dictum, quòd generatio & spiratio distinguantur principiatiuè ex principijs, non refellitur à Doctore; imò art. 4. admittitur: sed quòd distinguatur à principio determinatiuo, scilicet secundùm relationes, illud hìc impugnatur satis sufficienter.

Tertia Opinio est eiusdem Henr. quodl. 5. q. 1. quòd distinguantur istæ productiones penes principia formalia, nempe penes intellectum & voluntatem, quæ sola ratione distinguuntur.

Hæc positio, quantùm ad istud vltimum dictum, quòd principia productiua sola ratione distinguuntur, optimè hìc impugnatur. Cùm enim necessariò generatio à spiratione distinguatur; & ista distinctio sit necessariò ex distinctis principijs formalibus Quo, ex intellectu scilicet & voluntate; consequens est, quòd ad distinctionem necessariam in re, generationis à spiratione, requiritur necessariò distinctio rationis inter intellectum & voluntatem. Istud autem dictum, quòd relatio rationis vel distinctio rationis, quod idem est (omnis enim distinctio rationis est relatio rationis) requiratur necessariò ad necessariam distinctionem in re, est simpliciter falsum; & optimè hìc impugnatur à Doctore. Ex quo loco optimè deduci potest, quòd cùm principiatiuè distinguantur istæ duæ productiones, ex principijs formalibus distinctis, & non requiratur distinctio rationis, sequitur quòd inter principia productiua formalia, hoc est, inter intellectum Diuinum, & voluntatem Diuinam, debet poni aliqua distinctio, præcedens omnem actũ intelligendi, & dist. 8. in quęst. de distinctione attributorum deducebatur.

Porrò ens rationis non posse esse causam vel rationem distinctiuam entis realis; probatur in textu quadrupliciter, Tum quia, sequeretur quòd ens rationis esset ratio causandi ens reale; consequens est inconueniens; quia ens rationis est ens diminutum & imperfectum, ens autem imperfectum & diminutum, non potest esse causa entis veri, vel ratio causandi ens verum; ens enim reale verum, ab ente reali vero aptum est produci. Tum quia, Pater potest cognoscere notitia simplici, Essentiam Diuinam in Filio; illa autẽ cognitio, non est productiua entis rationis; (cùm sola notitia collatiua seu comparatiua producantur entia rationis, vt aliàs secundùm Doctorem declaratum est, & infra breuiter dicitur) ergo potest intellectus habere actum intelligendi, non præuio ente rationis. Cõfirmatur. Intellectus fabricat actu collatiuo ens rõnis; si ergo ens rõnis præcedit intellectionẽ simplicẽ, & naturaliter subsequitur actũ collatiuũ, qui actus collatiuus est posterior mõ intelligẽdi actu notitiæ simplicis, sequitur quod ens rationis, erit prius & non prius ente reali; & erit circulus in prioritate naturali, quia & ens rationis est causa entis realis, & ens reale est causa entis rationis. Tum quia, cùm ens reale cum ente rationis faciat ens aggregatum, si intellectus in quantum habens ens rationis, esset ratio producendi Verbum, sequeretur quòd ratio agendi seu producendi, simpliciter prima, in ente simpliciter perfecto primo, esset ens aggregatum; quod est inconuenientissimum. Tum quia in ente simpliciter simplici, & infinito, quicquid necessariò includitur, est necessariò idem illi enti, & infinitum, vel identicè realiter, vel etiam formaliter; cùm ergo ratio producendi in Deo, necessariò includatur, erit necessariò idem Deo & infinitũ, vel formaliter, vel identicè: sed ens rationis quodcunque nullo modo est infinitum, nec potest esse idẽtificatum realiter; ergo frustra necessitas entis rationis, ad ens reale producendum, vel distinguendum requiritur.

Quod hìc dicitur de idæis, vide dist. 35. art. 3. ex ibi enim dictis, claritas huius partis textus dependet. Interim, quia, tum hìc dicitur, ratione prima, ens rationis non causari ab obiecto, nisi inquantum cognitum, tum dist. 30. & aliàs, nõ pauca dicuntur sparsim de ente rationis, cuius cognitio ad multa dicta nostri Doctoris præsertim in hoc primo tomo intelligenda, pernecessaria est, moueo duas difficultates.

Quarum Prima est. Quænam sit causa effectiua entium rationis?

Circa quod Notandum est ex Doct. in 4. dist. 16. q. 2. Quòd non solùm intellectus est potentia collatiua, sed etiã voluntas, & sensus communis. De voluntate probatur ratione. Illa potẽtia, quæ operatur circa aliquod vnum obiectum, non tantùm in se, sed etiam in ordine ad aliud, habet actum circa vtrumque obiectum, & comparat vnum ad aliud; sed voluntas est huiusmodi; quæ non solùm amat creaturam in se, sed etiam in ordine ad Deum; ergo voluntas comparat hoc volitum, ad illud volitum, & sic est potẽtia collatiua. De sensu communi probari potest; tum ratione simili; tum authoritate Aristot. 2. de anima tex. 145. vbi probat sensum communem apprehendere sonum & colorem, & non tantùm apprehendit sonum in se, sed etiam vt differentem à colore; & ita comparat vnum ad reliquum; ergo sensus communis erit potentia collatiua, seu comparatiua. Cùm igitur entia rationis causentur à potẽtia comparatiua, & prædictæ tres potentiæ sint comparatiuæ; consequens est, quòd causa productiua entis rationis, non tantùm est intellectus, sed etiam voluntas, & sensus communis.

Entia rationis à quo producũtur Voluntas est potentia collatiua & sensus communis.

Quamuis autem entia rationis producantur à voluntate, & a sensu communi; non tamen solent denominari entia voluntatis, vel entia sensus communis, sed entia intellectus, seu rationis dicũtur. Tum quia denominatio fit à potiori, inter potentias verò collatiuas, maximè est collatiua ratio, seu intellectus; ergo omnia entia per operationem collatiuam derelicta, debent denominari entia rationis. Tũ quia talia entia causata à voluntate, & à sensu communi, sunt pauciora illis, quę causantur ab intellectu. Tum quia omnia entia rationis, de quibus tractat Logica, quæ sunt præcipua, sunt ab actu collatiuo intellectus producta. Tum quia ista entia diminuta, producta ab alijs potentijs, non habent perfectam rationem entis rationis, nisi percipiantur ab intellectu: nam licèt actu collatiuo producantur in esse entis rationis, nisi tamẽ actu intellectus reflexo cognoscantur, non sunt apta dirigere operationes nostri intellectus.

Entia rationis producuntur & à voluntate & sensu cõmuni.

Nota Secũdò, Ex Doct. Subtili in sua Logica, q. 4. Quòd Ens rationis effectiuè fit à potentia aliqua collatiua; sed materialiter, siue occasionaliter, est à proprietate in re, & in hoc distinguitur à figmento.

Entia rationis á quo sunt occasionaliter

Ad productionem igitur Entis rationis (iuxta Doctorẽ Subt.) quædam requiruntur ex parte potentiæ, quædam ex parte obiecti. Ex parte potentiæ requiritur, quòd illa potentia sit collatiua; nulla enim potentia nõ collatiua, potest fabricare ens rationis. Ex parte verò obiecti requiritur: Primò, quòd sint duo obiecta cognita, vel quòd sit vnum obiectum cognitũ, loco duorum; vt Socrates est Socrates. Secundò requiritur, quòd illud obiectum habeat aliquam proprietatem, ratione cuius possit cõparari ad alia; sic quia intellectus concipiendo colorem, inuenit in colore, quòd sit communicabilis differentibus specie; & concipiendo albedinem, inuenit communicabilitatem differentibus numero; ex ista diuersa communicabilitate, in colore, & in albedine, diuersa entia rationis resultant in vtroque cognito; in colore secunda intentio generis, in albedine intentio speciei.

Hinc colligitur notitia illius dicti, quorundam Scotistarum, asserẽtium, quòd Ens rationis, habet quatuor causas; vnam efficientem, & est intellectus; aliam originalem, & est obiectum: tertiam occasionalem, & est rei proprietas; quartam instrumentalem, vel sine qua non, & est actus collatiuus intellectus.

Entia rationis habent quatuor sui causas

Nota Tertiò. Quòd licèt Soncin. 6. Metaph. q. 18. dicat, Ens rationis non habere causam, quę det sibi esse; id tamen dictum eius, debet accipi de Physica & reali causalitate entis rationis, non de Metaphorica & impropria; neq; hęc posterius, sed illud prius, suæ ostendunt rationes.

Pro cuius intellectu. Aduerte. Quòd causa aliqua realis, duplicem possit habere actionem: vnam, ad terminũ realem, aliam, ad terminum secundò intentionalem: actio ad terminum realem, est realis; idque siue loquamur de actione acta, siue de actione formaliter: actio ad terminum intentionalem, non est realis, sed est actio Metaphorica, & similitudinaria. Ratio est. Quia actio est motus, motus autem desumit suam specificationem & denominationem à

Causa realis duplicẽ potest habere actionem

termino;

termino; ergo à termino reali specificabitur motus realis; à termino intentionali, specificabitur & denominabitur motus intentionaliter, non realiter; atque ita realis actio, erit ad terminum realem; actio non realis, sed rationis, ad terminum non realem, sed rationis. Entia igitur rationis, producuntur actione intentionali & Metaphorica, non actione Physica & reali.

Dices. Hæc actio Metaphorica, seu intentionalis, impropriè & abusiuè dicitur actio, actio enim est, mediante qua res accipit esse post non esse; quod in ente rationis non est; cùm non habeat esse.

Respondeo, Impropriè quidem dici actionem hanc intentionalem, actionem, sicut & ens rationis, impropriè dicitur ens; non tamen abusiuè, sicut nec ens rationis, abusiuè dicitur Ens. Et cùm dicitur, quòd mediante actione res accipit esse post non esse. Concedo; & dico, hoc etiam inueniri in ente rationis, quòd post non esse entis rationis, habet esse entis rationis; habet siquidē & ens rationis suum esse, seu existentiam, eamq; non realem, sed rationis.

Modus quo causantur entia rationis.

Ex his patet quæ sint causæ effectiuæ entium rationis. Principaliter enim potentiæ collatiuæ; secundario verò, & materialiter, obiecta cognita; ab vtrisque tamē causantur, non causalitate Physica & reali, sed Metaphorica & intentionali, Ex dictis

Infero Primò. Licèt voluntas sit potentia collatiua, & productiua entium rationis, non tamen est in potestate voluntatis, vt cuicunque obiecto possit attribuere quodcunque ens rationis; idque propterea; quia voluntas depēdet ab obiecto materialiter & occasionaliter, in causando ens rationis. Vnde hoc ens rationis, *Species*, non potest à voluntate fundari, vel derelinqui in Socrate; quia Socrates non habet proprietatem ex natura rei, vt pluribus numero differentibus insit; sed derelinquitur in Socrate tale ens rationis, qualis est in eo proprietas reperta, & comparata ad aliud; sic quia Socrates ex natura rei de vno solo dicitur, conuenit ei ens rationis hoc, *Indiuiduum, &c.*

Deus potest causare entia rationis,

Infero Secundò. Illud dictum Vallonis in suis Formalitatib. Diuinum intellectum, vel voluntatem, non posse causare has relationes rationis; cui assentitur Zoar. in Metaph. disput. 54. sect. 2. num. 20. nullum est. Quia verè Diuinus intellectus, ab æterno, intelligendo omnia possibilia, ad illa intelligibilia in esse cognito producta, habuit relationem cognoscentis ad cognitum; & certum est quòd illa relatio nō erat realis; ergo rationis, vt communiter docent Theologi in 1. dist. 30. Vide Doctorem Subt. ibid. & dist. 35.

Et bruta quoq; quò?

Infero Tertiò. Quòd etiam bruta possunt causare entia rationis. Ratio est. Quia habent potentiam æstimatiuam, siue sensum communem; qui potest vnum obiectum ad aliud comparare, vt vnā herbam virentem, ad aliam non virentem; ex quo actu collatiuo, potentiæ collatiuæ, in re comparata, est comparatio passiua; atque ita resultat ibi relatio rationis.

Addunt tamen aliqui. Quòd etsi entia rationis quoad esse producantur, quia tamen illa non cognoscuntur à brutis, non habent perfectam rationē entis rationis; Ens enim rationis, secundùm completam rationem sumptum, (secūdùm quam est aptum dirigere actus intellectus) debet habere & esse entis rationis, & esse cogniti; vt scilicet, & producatur actu collatiuo, & postea actu reflexo cognoscatur: quod secundum, quia deest in brutis, illa entia rationis non sunt completa entia rationis.

Ad esse entis rationis non requiritur vt cognoscatur.

Mihi dicendum videtur. Quòd ens rationis, in esse entis rationis, habet completam rationem, vt producatur à suis causis: atque ita esse cognitum, non requiritur ad perfectionem, vel complementum entis rationis; sed tantùm requiritur ad ens rationis Logicum, vt actu reflexo cognoscatur; nisi enim entia rationis cognoscantur, non possunt dirigere intellectus nostri operationes. Hæc entia rationis Logica, vocantur communiter à Scotistis secūdæ intentiones, quæ habent se ad entia rationis, sicut minùs commune ad magis commune. Quare absolutè concedi potest, à potētia collatiua bruti posse produci aliquod ens rationis; sed non secundam intentionem, quia non habet actum reflexum, quo cognoscat illud.

Dices. In 4. dist. 45. q. 3. Dicit Doctor, quòd sensus potest se aliquomodo reflectere in actum præteritum; ergo sensu communi potest se reflectere brutum ad illam comparationem passiuam, & tali actu cognitum ens rationis, erit secunda intentio.

Respondeo. In loco illo probabiliter defendit Doctor memoriam esse in parte sensitiua; & paulò post aliam partem problematis defendit verosimilius, quòd memoria non sit in parte sensitiua, sed in intellectiua. Cùm igitur adducit aliquas ibi persuasiones disputatiuè, problema defendendo, nulla ex illo loco ratio accipi debet, vt omnino de mente Doctoris prolata, cui non possit ab eius sectatore contradici. Deinde, esto quòd ista authoritas esset absolutè affirmatiua, adhuc nihil officeret nostræ positioni; quia ly reflectere, sumitur ibi pro meminisse, vt patet ibidem ex subiecta materia; nos verò in præsenti, sumimus reflectere pro eo, quod est supra suum actum se eleuare, & ab eo aliquid derelictum, noua cognitione cognoscere, quod non est in brutis.

Reflectere sumitur simpliciter.

Infero Quintò. Nullum impossibile potest esse fundamentum entium rationis. Ratio à quibusdam assignatur. Quia esse impossibilis, est debilius, quàm esse entis rationis; fundamentum verò debet habere verius esse suo fundato, vel æquale: ac proinde, non potest Chymera, nec quoduis simile figmentum, fundare ens rationis, partes tamen Chymeræ, quia sunt entia realia, possunt esse fundamenta entium rationis; quia sic partes illæ habent verius & firmius esse, quàm ens rationis. Secunda ratio potest assignari ex dictis. Ideo Chymeram non posse esse fundamentum entis rationis; quia in fundamento illo, in quo tale ens fundatur, debet esse aliqua proprietas ratione cuius possit ad aliud comparari; sed in Chymera talis proprietas est impossibilis, quia ipsum subiectum talis proprietatis est impossibile; ac proinde talia figmenta non possunt esse fundamenta entium rationis.

Secunda Difficultas. In quonam sint ista Entia rationis subiectiuè?

Entia rationis in quo subiecto.

Dico. Communis Scotistarum doctrina est, quòd entia rationis sint obiectiuè in intellectu, subiectiuè autem in rebus. Estq; hoc dictum de mente Subtilis Doct. in præsenti, & dist. præced. nec non 30. & in 4. d. 1. q. 2. Pro cuius pleniori intelligentia.

Obiectiuè esse in intellectu dupliciter intelligitur.

Nota Primò. Ens esse in intellectu obiectiuè, potest intelligi duobus modis; habitualiter & vel actualiter. Tunc dicitur aliquid esse in intellectu habitualiter, quando habet esse in intellectu per speciem intelligibilem, non actu mouentem intellectum, sed quæ est in proxima dispositione ad mouendum: & tale ens rationis, est ens reale; quia præcedit actum intelligendi, non tantùm collatiuum, sed etiam directiuum: nec dependet ab actu intellectus, in fieri & in conseruari.

Esse verò in intellectu obiectiuè actualiter potest contingere dupliciter: vno modo, ante actum intelligendi, alio modo, post actum intelligendi. Primo modo, obiectum relucens in specie intelligibili, vt actu mouet intellectum per speciem, & terminat ipsum, dicitur esse in intellectu obiectiuè; & tale obiectum, saltem ordine naturæ, præcedit actum intelligendi, quia effectiuè producit ipsum, causa verò naturæ, præcedit effectum: & consequenter tale ens obiectiuè actualiter in intellectu, non est ens rationis, vt distinguitur contra ens reale. Secundus modus essendi actualiter in intellectu obiectiuè, ita quòd illud esse obiectiuum dependeat in fieri & conseruari ab actu intelligendi, est proprius entis rationis, vt distincti contra ens reale. Ens enim rationis, non conuenit rebus, nisi præcedat actus intelligendi, ita quòd primò accipit esse ab actu collatiuo intellectus, & tamdiu manet in esse, quādiu manet talis actus collatiuus.

Illud igitur esse obiectiuum, quod post actum comparatiuum obijcitur intellectui, vt cognoscibile ex tali comparatione resultans, est ens rationis; & hoc modo entia rationis sunt obiectiuè in intellectu.

Hunc modum explicandi sequitur F. Anton. Trombeta 7. Metaph. quæst. 9. quæ desumi potest expresse ex Doctore Subtil. in 4. distin. 1. quæst. 2. illis verbis. *Nec intelligo ens rationis, quod est in intellectu obiectiuè; quia sic omne vniuersale*

uersale est in anima: nec illud, quod est tantùm in intellectu subiectiuè: quia sic intellectio & scientia sunt in anima, quæ tamen sunt formæ reales, & in genere qualitatis: sed intelligo in anima, tanquam secundò consideratum, non tanquam primò consideratum (ad quod considerandùm mouetur primò anima à re extra) seu tanquam ens in primo considerato, inquantum consideratum, & tale, vt in summa sit dicere, non est nisi relatio rationis. quia nihil habet præcisè esse in considerato vt considerato, nisi comparatio, quæ consideratum comparat ad aliud per actum considerantis. Hæc Doctor ibi.

Entia rõnis sũt obiectiuè in intellectu, commune dictũ, sed meliùs esse ab intellectu.

Porrò quamuis communis sit modus loquendi entia rationis esse obiectiuè in intellectu, iuxta modum explicatum; meliùs tamen forsan diceretur, affirmando entia rationis esse obiectiuè ab intellectu, non in intellectu. Nam ly in, dicit quasi inhærentiam in intellectu: ly verò ab, dicit efficientiam intellectus; vt sit sensus, Entia rationis in esse obiectiuo, in quo obijciuntur intellectui, tanquam aliqua positiua intelligibilia, actu existentia, habent hoc ab intellectu, cùm illorum esse sit effectiuè & principaliter ab intellectu. Quando autem dicitur ens rationis esse obiectiuè in intellectu, videtur esse sensus. Ens rationis, habet rationem obiecti, existendo in intellectu: quod est falsum; cùm ens rationis non sit in intellectu subiectiuè, sed in rebus; nisi fortè seipsum comparet intellectus. Si tamen iste modus loquendi, Esse obiectiuè in intellectu, sumatur in illo sensu, quem denotant hæc verba, Esse obiectiuè ab intellectu, non est facienda controuersia in verbo.

Nota Secundò. Quando dicitur, Entia rationis esse in rebus subiectiuè; iste modus essendi entium rationis, non potest esse, nisi modus inhærendi; cùm ista entia sint relationes rationis, & consequenter, habentia entitatem accidentalem. Verùm sicut esse talium entium est diminutum, & imperfectum, ita & inhærentia entium rationis in rebus, est imperfecta & diminuta: non enim est realis; quia inhærentia realis, non conuenit accidenti nisi reali: sed erit illa inhærentia rationis; inhærentia siquidem proportionatur accidenti, ita vt si accidens sit reale, habeat inhærentiam realem, si accidẽs rationis, habeat inhærentiam rationis. Ens igitur est subiectiuè in rebus, non per veram & realem inhæsionem, sed per Metaphoricam, & secundò intentionalem.

...s rõnis ...biectiuè ...t in reb.

Quod verò ens rationis sit subiectiuè in rebus, & non in intellectu, probatur ex ipsa ratione Entis rationis. Illud enim, non aliud est, secundùm Doctorem hìc, & loco citato, quàm comparatio ipsa passiua, vnius actu considerati, ad aliud actu consideratum, ista autem comparatio est in re quæ comparatur; igitur ens rationis erit in re subiectiuè.

Confirmatur. Primò. Sicut in intellectu est comparatio actiua, seu ipse actus comparandi vnum ad aliud, ita in re comparata debet esse comparatio passiua, & hęc non est quid reale in obiecto comparato; ergo ens rõnis.

Confirmatur Secundò. Entia rationis ibi sunt, vbi apprehenduntur ab intellectu; apprehenduntur autem in rebus; ergo in illis sunt.

Hic tamen aduerte, me non dicere hanc Conclusionem negatiuam, quòd Nulla entia rationis sint subiectiuè in intellectu; sed negare hanc affirmatiuam, Omnia entia rationis esse subiectiuè in intellectu, sed ibi sunt subiectiuè, vt dixi, vbi facta est comparatio. Cùm igitur intellectus, non tantùm res alias à se possit ad inuicem comparare, & consequenter entia rationis fabricare; sed etiam seipsum, vel cum alio ente, vel identicè cum seipso, alio & alio modo sumpto; possunt in intellectu esse comparationes passiuæ; atque ita erunt in illo aliqua entia subiectiuè. Exemplum. Intellectus seipsum concipiens, vt subiectum & vt prædicatum, in hac propositione: Intellectus est intellectus, facit duo entia rationis subiectiuè in semetipso, quorum vnum dicitur subiectum, aliud prædicatum: Similiter: seipsum intellectus conferens, ad potentiam intellectiuam in communi conceptam, habet rationem inferioris & indiuidui; & sic ex tali comparatione, erit ens rationis subiectiuè in ipsomet intellectu. Et vniuersaliter, quoties intellectus seipsum comparat ad aliquid aliud, cum quo est aptus comparari, tali comparationi actiuæ, respondebit in intellectu comparatio passiua, quæ est ens rationis. Si verò alia comparentur adinuicem ab intellectu, in illis comparatis, extra intellectum resultabunt entia rationis. Et sic intelligi debent omnes Scotistæ, dum docent entia rationis esse subiectiuè in rebus, scilicet, vt plurimùm; imò omnia illa, quæ in rebus extra intellectum existentibus concipiuntur; non verò quæ oriuntur ex comparatione ipsiusmet intellectus cùm aliquo alio, vel secum identicè, iuxta dicta.

Ens rõnis põt esse & i intellectu subiectiuè in quo sensu?

Ex his constat conclusio, quomodo Entia rationis sint obiectiuè ab intellectu, & subiectè in rebus intellectis actu collatiuo (licèt aliud Lichet. in secundo distinctione prima, quæstione quarta sentiat.) Cùm igitur inter res intellectas actu collatiuo, sit etiam ipsemet intellectus; etiam in ipsomet intellectu aliqua entia rationis possunt esse subiectiuè, secundùm dicta.

Priuationes & negationes nõ sunt entia rationis.

Quæri etiam hìc posset. An priuationes, vel negationes, sint Entia rationis? Verùm hoc seipso euidens est. Quòd non sunt Entia rationis propriè sumpta, de quibus hactenus diximus. Et quamuis priuationes & negationes sint ante operationem intellectus fundamentaliter, formaliter verò per operationem intellectus; (secluso enim omni opere intellectus, homo est cæcus, est non lapis; negatio tamen inclusa in hoc nomine, homo, illa quæ est, non lapis, non conuenit homini formaliter, seu vt negatio actualis, in isto termino sumpta, nisi dum intellectus concipit naturam hominis, & de illo negat actu naturam lapidis) ista tamen ratio formalis priuationis vel negationis, non est ens rationis, stricto modo sumptum, sed communiter acceptum; strictè enim sumptum ens rationis, est solùm illud, quod derelinquitur ab actu comparatiuo intellectus; istæ autem priuationes & negationes, possunt actu directo cognosci.

Entia ro... & in Philosophia & i Theologia concedi debent.

Ex dictis hactenus constat, quàm non rectè Scotizet Mayr. in quodl. quæstion. 6. & 7. dum penitus entia rationis tollere conatur. Entia siquidem rationis & in Philosophia admittenda sunt, & in Theologia. In Philosophia quidem, patet per Aristotelem primo, & 6. Metaph. illis verbis. *Cùm autem compositio & diuisio, in mente non in rebus sit, quod autem ita est diuersum, à propriè dicto, ens est*: quasi diceret Philosophus, (vt explicat ibid. Subt. Doct.) quia complexio & diuisio, est in mente, non in rebus, & est effectiuè ab anima; necesse est, quòd tale ens, sit diuersum ab ente propriè dicto, nempe ab ente reali, vt à substantia, quantitate, & reliquis, quæ statim post prædictum textum enumerat. Idem ostenditur ex 5. Meth. tex. 14. vbi postquam tradidisset diuisionem Entis in per se & per accidens: Subiungit; *Ampliùs autem & esse significat, quia verum; non esse, quia non verum; similiter in affirmatione & negatione, &c.* Vbi notauit Doctor, Aristotelem in hoc passu, incidentaliter addere quandam Entis acceptionem, prout Ens & non Ens extenduntur ad ens & non ens rationis. Sensus enim verborum illorum hic est. Quòd esse, & est, significat, quia verum, id est, quia aliqua propositio, & aliquod dictum est verum: non esse autem, quia non verum, sed falsum. Accipitur igitur ab Aristot. in isto textu Ens secundò intentionaliter, prout significat habitudinem prædicati ad subiectum in propositione, quæ habitudo causatur ab intellectu componente & diuidente, & comparante terminum prædicati ad terminum subiecti: & illa habitudo dicitur esse vel non esse ipsius compositionis, secundùm quod propositio est vera vel falsa. Idem deduci potest ex 4. Met. cap. 1. & longè meliùs ex 7. Met. c. vlt. vide Subtilem Doct. & alios expositores ibidem.

Quòd verò in Theologia sit necessaria positio Entium rationis: constat ex dictis in præcedentibus, & magis

d. 30. & 35. & 39. Quia dum circa Deum, qui est Ens simplicissimum, intellectus noster negotiando distinguit varias rationes & conceptus, illa distinctio non est realis, nec merè nihil, cùm concipiatur per modum positiui: Quare, &c.

Verùm argues contra Doctorem pro Mayronio. Primò. Inter contradictoria non datur vllum medium; sed ens reale & nihil, sunt contradictoria; igitur inter ens reale & nihil, non potest dari medium; ens igitur rationis cũ non sit ens reale, erit nihil.

Entia rõnis quare negãtur ab aliquibus.

Secundò. Entia rationis producuntur à causa reali, scilicet ab anima, seu à ratione; causa autem realis habet causalitatem realem, realis causalitas est ad terminum realem; ergo quodcunque ens producitur ab intellectu, erit illud reale.

Tertiò. Vel Ens rationis habet suum esse præter considerationem intellectus, vel non habet: si habet; ergo est ens reale; hæc enim est descriptio entis realis, distincti cõtra ens rationis: si non habet; ergo ens rationis est figmẽtum intellectus, sicut Chymera & hircoceruus.

Quartò. Non sunt multiplicanda entia sine necessitate; entium autem rationis, nulla est necessitas; quia quicquid dicitur de ente rationis, illud totum attribui potest denominationibus extrinsecis, quæ sunt à forma reali extrinseca: nam visum esse in pariete, vel esse cognitum in rosa, dicuntur entia rationis, & tamen hæc, & similia, sunt denominationes extrinsecæ, non ab aliquo inhærente in pariete vel rosa, sed ab actu reali extrinseco visionis, vel cognitionis de ipsis.

Dico. Quòd hæ ratiunculæ non obstant nostræ determinationi.

Rões contra positionẽ de Entibus rõnis, nullę sunt.

Ad Primam enim respondeo. Ens reale & nihil reale, sunt contradictoria, non autem nihil simpliciter: quare inter ens reale, & nihil reale, vel non ens reale, non datur medium ens rationis, sed includitur sub altera parte contradictionis, nempe sub non ente reali: verè enim ens rationis, non est ens reale, sed rationis.

Ad Secundam. Causalitas intellectus vna est Physica & realis, alia est Metaphorica & intentionalis, habens terminum non realem, sed intentionalem; quæ potest dici actio extra, qua intellectus extra se aliquid producere potest. Entia igitur rationis, producuntur ab intellectu, actione Metaphorica & intentionali, non Physica & reali: & propterea ipsa non sunt entia realia.

Ad Tertium. Ens rationis, habet totum suum esse, quoad existentiam, à consideratione intellectus. Cùm infers. Ergo est figmentum rationis, sicut Chymera. Respõdeo. Negando Consequentiam. Nam entia rationis, quæ fiunt ab intellectu, possunt dici quòd finguntur ab intellectu, non tamen ita sicut Chymera: nam huic fictioni, correspondent quidem partes in re, at totum ex illis partibus, est simpliciter impossibile; Dum verò intellectus fingit entia rationis, fingit ea cum fundamento in re primæ intentionis adinuento, vt dictum est difficultate 1. Notab. 2. Adde, sola entia ex consideratione comparatiua potentiæ comparatiuę in re derelicta, entia rationis vocari; non verò illa, quorum partes sunt ante omnem considerationem intellectus, ipsum verò totum est impossibile esse in re.

Ad Quartum. Nego minorem. Ad probationem. Dico: non potest saluari per denominationes extrinsecas quod attribuitur enti rationis. Nam licèt cognitum esse in pariete, sit denominatio extrinseca, à potentia realiter cognoscente ipsum, ita quòd cognitio realis sit de pariete, ipsum tamen obiectum cognitum, vt refertur ad potentiam cognoscentem, in ratione cogniti; habet in se aliquã relationem; non realem, ergo rationis; & ita datur aliud ens rationis, à denominatione reali.

ARTICVLVS TERTIVS.

Opinio Septima confutatur.

Alia est Opinio ad Quæstionem, quæ ponit quòd essentia, &c.

COMMENTARIVM.

Opinio I impugnatur 1.

ISta Opinio. Quòd Essentia, vt omnino indistincta re & ratione, est principium duplicis productionis: fuit olim Præpositiui, quem postmodum Ocam, vt in alijs sententijs, ita & in hac, secutus est. Idem vult Aureol. distinct. 7. & præsenti, & aliàs non rarò. Consentit F. Adam Goddam distinct. 6. Durand. alijque citati distin. 2. & 7.

Contra istam positionem arguitur in textu. Primò. Spiritus Sanctus procedit liberè, vt docent Patres, & dictum est distinct. 10. Sed ista libertas productionis, non est in ipso producto; ergo in principio producente; ergo datur in Deo Patre, principium vnum liberum, & aliud naturale in re. Minor patet. Tum quia sicut in imagine, nempe in nostra voluntate, amor seu volitio producta, est ens naturale, & naturaliter productiuum habitus, non liberè; vt etiam ipse Adam in primo distinct. 1. quæst. 6. multis ostendit, diciturque libera volitio, ex ratione voluntatis, quia ipsa voluntas, vt in actu primo, est libera: ergo à simili est in prototypo; sed liberum principium aliud est à principio naturali, vt distin. 2. & 10. dictum est; igitur, &c. Tum quia passiones consequentes, actum volendi vel nolendi, vt amor vel tristitia, consequuntur naturaliter, & non liberè, vt declarabimus in 2. distinct. 6. si autem actus volendi vel nolendi esset liber, ab illo tales passiones procederent.

Secunda ratio deducit ad hoc inconueniens, quòd essent quatuor Personæ productæ in Diuinis. Ex dictis enim distinct. prima quæst. 2. de prioritate originis & signorum, pro aliquo signo intelligibilis est Essentia, tanquam radix & fundamentum omnium perfectionum: pro illo ergo signo, pro quo intelligitur Essentia prior omni perfectione, & consequenter intellectu & voluntate, vt principijs productiuis, cùm sit essentia infinita, & illimitata, intelligitur producere duplici productione, secundùm tua supposita, qui dicis quòd essentia ex infinitate præcisè est productiua Filij & Spiritus Sancti: pro altero vero signo, eadem Essentia habens intellectum infinitum, & voluntatem infinitam, est etiam principium productiuum, & ita alia duo supposita producentur. Postmodum probatur esse in Essentia Diuina intellectum & voluntatem ex natura rei, & consequenter, esse in Essentia Diuina principia productiua ex natura rei; ac proinde, immeritò negant, aduersarij huius articuli.

Volũtas, intellectus sunt in ex natura rei.

Probationes claræ sunt, & maiorem euidentiam habẽt ex dictis dict. 8. q. 4.

Vltra probat Doctor, quòd intellectus Diuinus sit infinitus; & consequenter, potest esse principium Quo, producendi suppositum infinitum; si autem potest esse, est de facto; quia omnia quæ possunt esse ad intra, necessariò sunt vt dist. 2. q. 2. declaratum est.

Infinitas aliquo n uniformiter est i diuini

Circa finem huius Articuli. Nota singularem doctrinam, quomodo infinitas realiter distinctis suppositis Diuinis conuenit, non vniformiter aliquomodo. Pater enim est infinitus à se, & in se: Filius autem est infinitus in se, sed non à se, quia est infinitus à Patre: similiter & Spiritus Sanctus. In identificatis item realiter, & distinctis formaliter in Deo, diuersimodè inest ratio infinitatis. Nam Essentia est infinita formaliter & radicaliter, tanquam fundamentum & radix omnis perfectionis Diuinæ; attributa verò Diuina, vt sapientia, bonitas, & huiusmodi, sunt infinita formaliter, non tamen radicaliter, nec vt fundamentum, illo modo quo Essentia; tandem

dem relationes originis, nec formaliter, nec radicaliter; sed tantùm identificè realiter sunt infinitæ: de qua materia vide fusiùs in quodl. 5. huius Doctoris.

In fine argumenta duo satis clarè resoluuntur, quæ in principio huius articuli, pro Opinione hac Nominalium erant posita.

ARTICVLVS QVARTVS.

Datur propria Quæstionis resolutio.

Ad Quæstionem respondeo. Quòd productiones seipsis, &c.

SVMMA TEXTVS.

Prima Conclusio. *Productiones seipsis formaliter distinguuntur. Probatur Primò, authoritatibus Augustini hic adductis, in quibus vult Sanctus Augustinus Personas distingui formaliter per emanationes; emanationes autem cùm sint rationes distinguendi supposita, non distinguentur alio formaliter, sed seipsis. Confirmatur hoc inductiuè in omni differentia, tum indiuiduali, tum specifica, vel generica, quæ est alteri ratio distinguendi, puta speciei, vel indiuiduo; ipsæ tamen differentiæ inter se, non per alias differentias distinguuntur, sed formaliter seipsis; ita & emanationes sunt rationes distinguendi supposita, sed ipsæ emanationes inter se consideratæ, seipsis formaliter distinguentur.*

Productiones Diuinæ seipsis formaliter distinguũtur.

Secundò Probatur ratione hic adducta. Quando duo ita se habent in ratione formali, quòd vnum secundùm se totum acceptum, distinguitur ab alio secundùm se toto; illa distinguuntur formaliter seipsis: subiectum includit prædicatum; sed spiratio & generatio ita se habent, in rationibus suis formalibus, quòd vna ratio se tota, non est alia ratio: patet; quia circumscribendo per intellectum, principiationem istarum productionum, & considerando illas (per impossibile) imprincipiatas, adhuc generatio non est spiratio, & è contra; ergo istæ productiones seipsis formaliter distinguentur.

Tertiò probatum manet ex supradictis. Quia cùm generatio non distinguatur formaliter à spiratione, per principium aliud & aliud, nec ex terminis; vt est ostensum in præcedentibus art. consequens est, quòd seipsis formaliter distinguuntur.

Vnde apparet, quòd Caietanus prima par. quæst. 37. artic. 4. in fine, immeritò imponit Doctori nostro, quòd dicat tantùm, & non probet, generationem formaliter distingui seipsa à spiratione.

ieta ma- taxat Sco m.

Secunda Conclusio. *Principiatiuè & originatiuè istæ productiones distinguuntur à suis principijs, intellectu videlicet & voluntate, vt distinctis formaliter. Patet. Quia vna productio principiatur à memoria, altera à voluntate; deinde dictum est, tum artic. 2. & 3. huius, tum distin. 10. quòd productio naturalis & libera, distinguantur originatiuè ex suis principijs, quòd vnum sit naturale, alterum liberum, seu voluntas; sed generatio est productio naturalis, spiratio autem est productio libera; vt ostensum est supra: quare, &c.*

oductio- s diuinæ istinguun- principiatiuè a incipijs.

Tertia Conclusio. *Terminatiuè distinguuntur prædictæ productiones, ex terminis totalibus. Quia generationis terminus est Filius, spirationis verò Spiritus Sanctus. Ista conclusio est conformis doctrinæ Scoticæ, nec contradicit dictis artic. 1. Opinione 1. solum enim negatur ibi distingui spirationem à generatione formaliter, per terminos adæquatos; sed non negatur, quòd distinguatur secundariò & terminatiuè: Negatur præterea distingui has productiones per terminos formales: quia terminus formalis generationis, & terminus formalis spirationis est idem; quia eadem Essentia Diuina, secundùm dicta dist. 5. q. 2.*

Dubitatur.

Vtrum productiones Diuinæ, seipsis formaliter distinguantur.

Videtur quòd non. Primò. Nulla operatio vel motus, habet speciem ex se, sed sortitur ex termino, vel ex principio speciem; ergo neque Diuina ad intra operatio vel productio, habebit speciem ex se, sed à principio vel à termino.

Secundò. Vnumquodque distinguitur ab alio, secundùm speciem, per illud à quo habet speciem, & secundùm numerum, per illud à quo indiuiduatur; sed differentia inter processiones Diuinas, non est sicut inter illa quæ differunt numero, sed sicut inter illa quæ differunt specie; vna enim est generatio, & altera non est generatio, sed spiratio: sed habent esse tale à principio, vel à termino, non autem ex seipsis; ergo, &c.

Tertiò. Omnis formalis distinctio, est secundùm aliquam oppositionem; generatio autem & processio secundùm se, nullam habent oppositionem ad inuicem; igitur generatio & processio secundùm se, non habent formalem distinctionem.

Quartò. Relationes non distinguuntur formaliter seipsis, quæ non opponuntur; sed generatio non opponitur formaliter spirationi; ergo non distinguitur ab ea: Maior patet ex illo trito dicto. In Diuinis omnia sunt vnum, nisi obstet relationis oppositio.

Quintò. Si seipsis distinguerentur formaliter, distinguerentur sic, quòd vna ratio non includeret quidquam rationis alterius, & vnum esset distinctum se toto ab altero; sed istæ productiones in multis prædicatis quidditatiuis conueniunt, vt quòd sunt reales, immateriales; ergo, &c.

Sextò. Generatio secundùm suam rationem formalem, est productio viuentis à viuente, secundùm rationem similitudinis in eadem natura; sed etiam processio Spiritus Sancti, est productio viuentis à viuente, secundùm rationem similitudinis in eadem natura; ita enim est similis Spiritus Sanctus Patri, in eadem natura Deitatis, sicut & Filius; ergo processio Spiritus Sancti secundùm se sumpta, est formaliter idem quod generatio.

Istam Sententiam negatiuam tuentur communiter Thomistæ. Vide Capreol. distinct. præsen. artic. primo. Syluest. ibidem. Gerar. Senen. articul. 3. Caiet. Ban. Zum. aliosque Thomistas in expositione primæ part. quæst. 27. artic. 4.

In oppositum est S. Bonauentura hìc quæstione 3. & Brulifer ibidem, Doctor Subtilis hìc & in Report. distinct. præsen. Anton. Andr. Bassol. Mayr. Licher. alijque Scotistæ. Rationes adductæ sunt optimæ in textu.

Productiones diuinæ seipsis distinguũtur formaliter.

Hic tamen duo notanda sunt. Primum est. Generatio Diuina actiua (similiter est iudicandum de spiratione) dupliciter potest considerari. Primò secundùm rationem illam præcisam, quæ est primò & adæquatè distinctiua suppositi Patris, abstrahendo ab omni eo, in quo conuenit cum quocunque alio. Secundo modo potest accipi, absque tali præcisione, vt est idem realiter Essentiæ Diuinæ, communicans identicè omnes perfectiones; sic dicitur generatio infinita, independens, necessaria, &c. Secundùm primam considerationem si accipiatur generatio, verè se tota distinguetur à spiratione actiua: quia licèt in ratione Entis, immaterialis, necessarij, &c. conueniat realiter cum spiratione, præcisè tamen accipiendo, quatenus est distincta in se, & suppositi distinctiua; abstrahit à tali conuenientia: & hoc modo textus Doctoris sic est intelligendus. Istud verò quod dicitur generationem formaliter secundùm præcisionem talem acceptam, non includere conuenientiam cum spiratione, patet ex dictis in simili dist. 3. q. 3. de vltimis differentijs, quæ secundùm rationem

Generatio actiua dupliciter potest accipi.

Scotus in hoc passu ab aduersarijs non intelligitur.

illam distinctiuam acceptę,suntq; primò diuersę; licèt realiter in pluribus conuenians.

Generationis descriptio explicatur.

Secundum Notandum est. Illud dictum. Generatio est productio viuentis à viuente, secundùm rationem similitudinis, in eadem natura: debere suppleri per illud additum: Ex vi talis productionis; vt docuit Subtilis Doct. distinct. 10. in respons. ad Primū princip. Vt sit sensus, quod generatio, præsertim perfectissima, qualis est Diuina, est productio, viuentis similis, ex vi processionis, in eadem natura, à viuente simili. Licèt igitur Spiritus Sanctus sit similis in eadem natura Patri & Filio, quia tamen non est similis ex vi talis productionis formaliter, sed ex identitate illius suppositi cum Essentia Diuina, rectè à Doct. & communiter ab alijs Theologis, distinguitur generatio à spiratione, penes hoc, quòd generatio sit productio viuentis similis producenti, ita quòd ista similitudo, ex vi talis productionis, conuenit genito: spiratio autem, est quidem productio spirati, quod est simile spiranti, ista tamen similitudo, non ex vi talis productionis habetur, præcisè loquendo; sed ex identitate naturę Diuinæ, eiusque communicabilitate, tali supposito sibi identificato realiter.

Genitum in diuinis ex vi generationis est simile generanti formaliter.

Quod vt clariùs percipias. Suppono. Quòd generatio alia est vniuoca, quando generans genito eiusdem rationis naturam communicat; alia æquiuoca, quando diuersæ rationis. Illa est perfectior, & in Deo est perfectissima, quia perfectissimè eandem naturam, hoc est, eandem numero, communicat Pater Filio.

Deinde Suppono. Quòd in generatione vniuoca, generans intendit assimilare sibi genitum in natura: vnde ex vi generationis vniuocæ, genitum est simile generanti; quia eiusdem rationis naturam communicat genito; imò si potest eandem numero communicare (sicut potest generans summæ perfectionis) producet sibi simile genitum in identitate eiusdem numero naturæ. Cùm ergo productio Verbi in Diuinis, sit verissima & perfectissima generatio, illa generatio ex ratione talis productionis perfectissimæ, & ex vi generationis, erit actio perfectissimè assimilatiua producti cum producente in natura. Spirare verò amorem, est producere aliquid simile, non tam ipsi volenti, quàm voluntati; vt enim voluntas, est inclinatio habitualis, & in actu primo in bonum, ita volitio seu amor, est inclinatio actualis, & in actu secundo, seu potiùs actus secundus, inclinans voluntatem ad idem bonū. Quāuis igitur in spiratione perfectissima, sit similis spiratori in natura, & habeat istud esse simile per talem productionem, & consequenter ex vi talis productionis, nempe spirationis, est similis in natura: non tamen est similis ex vi talis productionis formaliter, quia ratio formalis spirationis est productio amoris, amor autem vt amor, ex ratione formali, non requiritur quòd sit similis amanti, & ipsi amato (dico secundùm rationem formalem, præscindendo à creato vel increato) sed sufficit quòd sit similis voluntati: quæ similitudo non est formalis, quia actus secundus non est formaliter similis actui primo: cùm igitur amor sit actus secundus, & voluntas actus primus, non requiritur quòd sit inter illa similitudo formalis. Quando igitur in ente infinito, est similitudo essentialis spirati ad spiratorem (eandem enim essentiam communicat spirator spirato) illa tamen essentialis similitudo, habita originatiuè per spirationem, non est ex vi spirationis formalis, sed ex identitate naturæ communicatæ per spirationem, & ex perfectissima consubstantialitate naturæ in spirato & spiratore.

Declaratur ista doctrina aliqualiter in creato exemplo. In nostro enim creato intellectu, verbum (quod est actualis intellectio) est simile intelligenti, vt intelligens est sub actu primo proximè intelligendi; est præterea simile obiecto intellecto, quia verbum est expressa similitudo obiecti. Dixi: est simile intelligenti, vt est sub actu proximè intelligendi: quia noster intellectus, vt est sub actu primo immediato, habet speciem intelligibilem, quæ species est expressa similitudo obiecti cognoscibilis; & qua specie informatus intellectus, est similis obiecto cognoscibili habitualiter intentionaliter & repræsentatiuè: à quo si producatur verbum, illud verbum actualiter realiter repræsentatiuè, simile est intellectui secundùm actum illum primum accepto. Amor autem non requirit similitudinem speciei in nostra voluntate.

Vt igitur verbum creatum est simile producenti, ex ratione talis productionis, non amor: ita & in Diuinis, Verbum est simile formaliter suo producenti, & propterea dicitur imago Patris Verbum ex vi talis productionis, non item Spiritus Sanctus. Verùm postea est, quòd nostrum verbum, ex imperfectione potentiæ productiuæ, & nostri verbi limitatione, non sit perfectè simile, non modò in identitate reali, eiusdem numero naturæ, sicut Verbum Diuinum est, sed ne in identitate specifica quidem. Verùm hoc in Deo non prouenit ex ratione præcisa productionis verbi, sed ex ratione productionis infinitæ, à producente infinito, per principium formale infinitum, vt dictum est distinct. 2. quæst. 4. Sic igitur manet declaratum, quòd generatio Verbi in Diuinis, quatenus est generatio, est productio assimilatiua formaliter geniti; spiratio autem quatenus spiratio, est productio assimilatiua tantùm identicè & realiter, non autem ex ratione formali talis productionis.

Generatio seipsam est spiratio...

Aduerte tamen vlteriùs, quòd licèt quidam ex Thomistis & Neotericis velint dicere, rationem formalem, qua distinguitur generatio à spiratione, consistere formaliter in hoc, quòd generatio est productio formaliter assimilatiua, productio non: atque ita dicunt non benè doceri à Subtili Doct. quòd distinguantur istæ productiones, seipsis formaliter. Scotista tamen dicat cum suo Subtili Doctore supra, quòd sicut generatio à spiratione distinguitur necessariò terminatiuè, penes terminos totales, vt dictum est, non tamen formaliter primò; ita distinguitur necessariò principiatiuè, quia generationis aliud est principium Quo, nempe intellectus fæcundus Patris, aliud spirationis, nempe voluntas fæcunda Patris: cùm igitur intellectus sit principium naturale, & voluntas liberum, vt dictum est distinct. 10. producens autem principio naturali, ex vi talis principij formaliter, producit sibi simile: non sic autem producens principio libero, ex vi talis principij formaliter, debet producere imaginem sibi similem in natura; ac proinde idem erit dicere, generatio est productio assimilatiua, & generatio est productio per modum naturæ; quare sicut hic non redditur formalis ratio prima; ita nec ibi. Et confirmatur hoc dictum. Quia supposito, quòd generatio sit productio formaliter assimilatiua, & spiratio non: adhuc restat vlterior quæstio: quare generatio est actio formaliter assimilatiua, & illa non est formaliter assimilatiua? Et non potest reddi alia ratio, nisi quia hæc est talis formaliter productio, & illa talis: hæc seipsa formaliter assimilatiua, (esto quod principiatiuè, ratione principij talis) & illa seipsa non est formaliter assimilatiua. Similiter dico, ideo generatio non est spiratio formaliter, quia secundùm rationem suam formalem, & secundùm conceptum præcisum, productio Verbi seipsa formaliter, non est spiratio formaliter. Et ita patet veritas Scoticæ doctrinæ.

Ad Primum in principio. Nego Antecedens: licèt enim actiones possint distingui terminatiuè ex terminis, & principiatiuè ex principijs, vt sæpiùs in Physica distinguuntur, tanquam per nobis notiora: prima tamen formalis distinctio, vt vnius formæ ab alia, ita & cuiuslibet actionis, est hæc, quòd illa non sit secundùm suam rationem, eadem formaliter alteri: ita in præsenti, vt dictum est.

Ad Secundum. Maior est falsa, de distinctione formali, quòd illo formaliter distinguitur, à quo est effectiuè: licèt enim omnis natura specifica habeat esse à Deo, non tamen distinguitur per Deum: si autem sit sermo de habere esse formaliter, vt sit sensus, per illud res distinguitur secundùm species, per quod est formaliter, in esse

esse tali formali; sic & si vera est Maior, Minor tamen subsumpta, quòd productio sit talis formaliter ex termino, vel principio, est falsa.

Ad Tertium. Respondeo. Maior est falsa: vt patet ex varijs instantijs. Tum in creatura, in qua potest esse realis distinctio, vbi tamen non est oppositio strictè sumpta. Tum in Deo, vbi Filiatio & Paternitas, distinguitur realiter à spiratione passiua, & tamen non est oppositio relatiua, inter Patrem, ratione Paternitatis, & Spiritum Sanctum, ratione spirationis passiuæ. Idem dico de Filio.

Oĩs distinctio est secundũ oppositionẽ; est falsa.

Dices. In Diuinis, omnia sunt vnum, vbi non impedit relationis oppositio.

Dico. Oppositio sumitur ibi lato modo, vt significat idem, quod relationum incompatibilitas in eodem subiecto, vt optimè in Report. distinctione præsenti, docet Subt. Doctor.

Per idem patet ad Quartum. Tum in rebus creatis inductio est in omni forma substantiali, quæ distinguuntur seipsis formaliter & specie, absque oppositione relatiua.

Ad Quintum. Patet ex Notab. primo, quòd accipiendo generationem & spirationem præcisè, secundùm rationes suas præcisas formales, abstrahunt illæ ab omnibus illis prædicatis ibi enumeratis, licèt verè identificentur realiter ipsis.

Ad Sextum. Patet ex dictis Notab. 2. quòd generatio sit productio viuentis à viuente, assimilatiua formaliter, ex vi talis productionis, producti cum producente in natura; spiratio autẽ non est ita formaliter assimilatiua productio, sed tantùm identicè; neque hæc distinctio est formalis & prima, sed reducitur ad aliam, vt dixi in corpore dubitationis.

ARGVMENTA PRINCIPALIA resoluuntur.

Ad Argumenta principalia. Ad Primum. Dico: quòd videtur concludere, &c.

COMMENTARIVM.

Responsio ad Primum euidens est ex dictis, distinct. 2. quæst. 4. dist. 5. q. 10.

Responsio item ad Secundum cum Obiectione prima, eiusque solutione, explicata est distinct. 2. quæst. vlt. distinct. 7. distin. 8. quæst. 3. Quòd item primarium obiectum Diuini intellectus & voluntatis sit Essentia Diuina, declaratum est supra distinct. 1. quæst. 2. artic. 2.

Ad Tertiã autẽ Obiectionẽ, dicta de duplici primitate in hoc consistunt. In ista propositione. Genitum in Diuinis, quatenus est genitum, ex vi productionis suæ, est primò formaliter notitia actualis: ly primò, accipi potest dupliciter. Primò pro primitate originis, sic, quòd Filio secundùm modum nostrum intelligendi, primò (primitate signi) communicetur intellectio actualis: postmodum Essentia, aliaque attributa; & in hoc sensu falsa est propositio: quia primò primitate communicationis, communicatur ibi Essentia, quæ est fundamentum & radix omnium perfectionum; non autem notitia. Vel est sermo de primitate adæquationis, quòd genitum vt genitum est, primò primitate adæquationis, est notitia actualis producta, siue verbum: & hoc verissimum est, de primitate adæquationis originis, vide distinct. 3. quæst. 2. De istis verò prioritatibus signi, & quomodo prioritas originis aliquando sumitur impropriè, inter indistincta realiter, vide supra, dist. 1. q. 2.

Tertium argumentum principale, non soluitur hìc in litera; quia eius solutio continetur hìc sufficienter in Articulo secundo Opinione vltima; & fusiùs distinct. 8. quæst. 4. per interemptionem Minoris quæ falsa est. Maior etiam absolutè sumpta, non est vera; nec enim requiritur tanta distinctio in principijs, quanta est in principialis, vt aliàs declaraui.

Et aduerte. Illa verba in 3. argumento, in principio, quæ confirmant Minorem.

Probatur etiam hæc Minor aliter, dupliciter, &c. vsque ad *Contra.* censeri à Guillelmo Turonien. esse additionem. Quod facilè concesserim.



DISTINCTIO XIV. XV. & XVI.

DE PROCESSIONE TEMPORALI SPIRITUS Sancti, quæ dicitur, missio.

QVÆSTIO VNICA.

Vtrum quælibet Persona Diuina, mittat quamlibet Personam Diuinam, & mittatur à qualibet.

Circa istam Decimam quartam Distinctionem, & duas sequentes, &c.

SVMMA TEXTVS.

Missio in Diuinis q.d sit?

Principale intentum hic est, dare duas vias probabiles, respondendi ad propositam Quæstionem. Vna est Magistri Sententiarum hic, duabus contenta Conclusionibus. Quarum Prima est. *Mittere Diuinam Personam extra, siue, Missio actiua, conuenit tribus Personis: & consequenter, Pater misit Filium, & Spiritus Sanctus, imò & Filius misit seipsum: idē dic de Spiritu Sancto, quod mittat actiuè seipsum. Probat hanc Conclusionem Magister tum authoritatibus: tum hac ratione. Mittere, est effectum causare, in quo cognoscitur Persona Diuina; sed effectum causare conuenit simul toti Trinitati, cùm opera Trinitatis ad extra, sint indiuisa, secundum August. in pluribus locis; ergo mittere conuenit toti Trinitati*

Secunda Conclusio Magistri est. *Mitti Personam Diuinam, siue Missio passiua; non conuenit Patri, sed solum Filio, & Spiritui Sancto. Ratio est. Quia mitti conuenit illi Personæ, quæ est ab alia originaliter, seu productiuè, qualis est Persona Filij, & Spiritus Sancti: non sic Persona Patris.*

Alia sententia est aliorum, duabus itidem Conclusionibus constans. Quarum Prima est. *Mittere conuenit tantùm Patri & Filio, non autem Spiritui Sancto.*

Secunda Conclusio. *Mitti conuenit Filio & Spiritui Sancto, non autem Patri. Ratio vtriusque dicti est. Missio temporalis, actiua & passiua est, manifestatio Personæ in aliquo effectu creato; & consequenter, dicit ordinem rationis ad creaturam; & præterea, dicit connotantiam productionis: ita quòd illa Persona mittit actiuè, quæ producit actiuè; illa mittitur, quæ producitur: sed Filius & Spiritus Sanctus producitur, non autem Pater; igitur solus Filius & Spiritus Sanctus mittitur, non autem Pater. Item soli Patri & Filio conuenit actiua productio, non autem Spiritui Sancto; igitur soli Patri & Filio conuenit actiua missio, non autem Spiritui Sancto.*

Circa Primam Opinionem quatuor facit Doctor in litera. Primò, recitat Opinionem. Deinde impugnat illam. Tertiò, ostendit eius probabilitatem, dans modum sustinendi eandem, ibi: licèt autem hæc via, &c. *tandem rationes contra illam adductas resoluit.*

Circa secundam Opinionem duo agit. Inprimis ponit Opinionem & explicat: secundò, probationes pro sententia priori adductas, quæ huic sententiæ contradicunt, soluit.

COMMENTARIVM.

Missio actiua personis producentibus.

Missio passiua personis productis conuenit.

X prædictis vijs secunda est melior, & communi Scholæ Theologorum conformior, præsertim Alex. de Ales prima part. quæst. 71. 72. & 73. S. Bonauenturæ. distinct. 15. primi. D. Thomæ 1. part. quæst. 43. eiusque sectatoribus ibidem. F. Richar. Capreol Bassol. Heru. Argent. & plerisque alijs in prima distinct. 15.

Missio q.d formaliter dicit, & q.d connotat.

Est tamen inter hos Doctores aliqualis controuersia. Nam Doctor Subtil. hic docet missionem formaliter consistere in manifestatione, & connotare processionem æternam; quæ etiam est sententia Richar. de Mediavil. Alb. Magni, in præsen. artic. 1. Argent. Bassol. Ant. Andr. aliorumque Scotistarum & Nominalium, distin. præsenti. Sed Alex. de Ales quæst. 71. mem. 4. D. Bonauent. in 1. distin. 15. quæst. 3. item D. Thomas eiusque Sectatores 1. part. quæst. 43. Ferrar. 4. con. gen. c. 23. Capreol. & Heru. distin. præsenti dicunt, quòd missio dicit pro formali emanationem, seu productionem, connotat verò manifestationem.

Ista controuersia est verbalis, totaque dependet ex acceptione huius termini, Missio: & quidem acceptio ad mentem Doctoris, quòd missio sit formaliter manifestatio, & connotet productionem, est conformior modo loquendi.

In missione in reb. creatis triplex habitudo.

Hoc facilè intelliges, si ex D. Bonauent. distin. 15. quæst. 1. aduertas, quòd in missione in rebus creatis triplex habitudo potest considerari, videlicet ad mittentem; & ad terminum ad quem; & ad ipsum missum, seu quod mittitur.

Ad mittentem, sub triplici habitudine comparari conuenit. Primò, vt ad dantem esse; sic mittitur radius à Sole. Deinde, vt ad dantem virtutem; sic iaculum mittitur à proiectore. Deinde, vt ad dantem iurisdictionem & authoritatem; sic mittitur Cardinalis à Papa. Secundùm istam considerationem est completissimè missio in Diuinis: Spiritus enim Sanctus accipit esse, virtutem, & authoritatem à Patre & Filio: Similiter Filius accipit esse virtutem, & authoritatem à Patre; ac proinde, ab illo mittitur: Pater quia à nullo accipit, à nullo mittitur.

Comparata missio ad terminum, ad quem mittitur: potest considerari sub triplici habitudine. Vel enim mittitur vt quiescat ibi; sicut lapis mittitur deorsum: vel mittitur per modum doni: vel per modum illius, quo poterit operari. Sic etiam missio in Diuinis per comparationem ad terminum, reperitur: quia Filius & Spiritus Sanctus mittitur alicui, & ad inhabitandum, & vt donum, & ad operandum effectum aliquem.

Comparando autem missionem ad ipsum missum, in rebus creatis est ista imperfectio in misso: quod sit separabile à mittente: deinde, vt communiter, est subiectum mittenti, & mutationi obnoxium. Secundùm has imperfectiones, non est missio in Diuinis.

Si igitur de missione sit sermo, per comparationem missi ad mittentem, verum est quòd missio sic sumpta, est æterna, non aliud ab ipso Deo; & ista verba, Mittere & Mitti, erunt notionalia, vt diffusè ostendit F. Alex. 1. part. quæst. 71. mem. 2. & 3. Quòd si de missione loquamur comparata ad terminum, sic missio erit temporalis, & pro principali significato importabit manifestationem, connotando productionem. Cùm igitur, sicut alia actio, ita & missio, maiori ratione debeat dici talis, à termino, quàm ab agente, meliùs dicitur quòd missio est temporalis, & manifestationem importat principaliùs, ordinem verò ad mittentem solùm connotat.

Missio varia.

Aduerte vlteriùs. Quòd missio Diuinæ personæ ad creaturas: vel est inuisibilis; sicut est per gratiam, vel charitatem, vt dicitur distin. 17. vel est visibilis in aliquo signo visibili; & de ista tractat Magister. distinct. 16. potest etiam accipi missio in communi, prout nunc de illa tractamus, & agit Magister distinct. 14. & 15. Missio passiua Diuinæ Personæ ad creaturam, tria dicit: Primò, quod Persona missa, sit procedens & originata. Secundò, quòd sit nouo modo essendi in creatura, quantùm ad aliquem effectum in creatura; & per hoc constat, quare cùm in omni creatura sit Pater æternus, per essentiam, præsentiam, & potentiam; non tamen dicitur mitti, quia nimirum non est nouo modo essendi. Tertiò, quod effectus ille à Persona missa productus in creatura, sit aliquomodo repræsentatiuus productionis & originis ipsius Personæ missæ. Duæ vltimæ rationes conueniunt missioni, per ordinem ad terminū, prior

Missio passiua Diuinæ ad creaturam tria dicit.

autem,

autem, per ordinem ad mittentem: vt sic integra missionis passiuæ possit dari descriptio hæc, conformiter ad doctrinam Scoti. Missio passiua est, manifestatio Personæ productæ, in aliquo effectu, appropriato illi personæ.

Missio actiuè an toti Trinitati conueniat.

Aduerte Tertiò. Circa missionem actiuè dictam, præter alias, occurrere posse has difficultates. Prima. An talis missio conueniat toti Trinitati, respectu Filij & Spiritus S. Secunda. An alicui Personæ conueniat, ratione suimet. Tertia, An missio actiuè dicta, conueniat Spiritui Sancto, respectu aduentus Christi in carnem.

Ad istas difficultates respõdeo dupliciter. Primò, secundùm Magistri sententiam, in litera expositam, Quòd tota Trinitas mittit actiuè; & consequenter, quòd actiuè Filius in Diuinis seipsum misit; & consequenter, Spiritui Sancto missio actiua, respectu Christi missi in carnem, conuenit. Hoc dictum, non modò Doctor Subtilis censet hic probabile, sed etiam multis declarat Alex. 1. p. q. 72.

Respondeo secundò. Secundùm illam sententiam, quæ docet missionem actiuam cõuenire tantùm Personis producentibus, dicendum est, quòd non toti Sanctissimæ Trinitati conuenit missio talis, sed solùm Patri & Filio: atque adeo Spiritus Sanctus, nec Filium, nec seipsum poterit mittere: Filius igitur seipsum non poterit mittere, sed Spiritũ Sanctum; quia mittere in tali opinione, necessariò connotat producere; & consequenter, debet esse realis distinctio inter mittentem & missum.

De missione passiua difficultates proponuntur, & resoluuntur, secundum sententiam secundam.

Aduerte Quartò. Circa missionem passiuè dictam, possunt quæri hæc. Primò. An mitti conueniat Patri, vel tantùm Filio & Spiritui Sancto? Secundò. An mitti secundùm eandem rationem conuenit Filio & Spiritui Sancto? Tertiò. An Filius possit mitti sine Spiritu Sancto, & Spiritus Sanctus sine Filio? Quartò. Vtrum pleniùs mittatur Spiritus Sanctus post incarnationem, quàm ante? Quintò, An Persona Diuina mittatur ad creaturam irrationalem? Sextò. Vtrum missio fiat ad Angelos? Septimò. Vtrum Spiritus Sanctus missus fuerit ad Christum Dominum? Octauò, Vtrum Spiritus Sãctus dicatur mitti, quia seipsummet dat creaturæ, an verò quia donum ab illo datur? Nono. An Spiritus Sanctus dicatur mitti ratione doni gratis dati, an verò ratione doni gratum facientis? Decimo. An Spiritus Sanctus dicatur mitti, ratione augmenti gratiæ.

Ad has difficultates fusissimè Doctissimus ille Alexand. de Ales. q. 73. respondet, cuius dicta egregiè imitatus est D. Thomas 1. p. q. 43.

Nos autem dicimus breuiter. Ad Primam. Soli Filio & Spiritui Sancto conuenit missio passiua, non autem Patri. Quia talis missio, necessariò dicit Personam missam, esse productam; vt dictum est.

Ad Secundam. Dicendum est affirmatiuè; quia tamen prior est emanatio verbi emanatione Spiritus Sancti, & ista missio de necessitate connotat emanationem Personæ, licèt secundùm eandem rationem conueniat missio passiua Filio & Spiritui Sancto, priùs tamen ratione connotati cõueniet Filio, quàm Spiritui Sancto.

Ad Tertiam. Respondet Alen. Quòd licèt quandoque mittatur simul Filius & Spiritus S. tamen non est necesse id accidere semper.

Ad Quartam. Comparando missionem ad mittentem, non est modò plenior, quàm ante; sed comparando ad effectum misionem, vberior est misio quoad effectũ, post incarnationem, quàm ante.

Ad Quintã. Soli creaturæ rationali mittitur Persona Diuina; soli enim illi creaturæ se manifestat, à qua cognosci & percipi aliquatenus potest, vt 4. de Trinit. dicit S. August.

Ad Sextam. Dicit Alexand. Missionem aliquomodo fieri ad Angelos, quantùm ad aliquos effectus; licèt non quãtùm ad illos omnes, qui sunt in hominibus, siue ratione quorum dicuntur mitti ad homines.

Ad Septimam. Missione visibili lato modo sumpta, & exteriori, in specie columbæ missus fuit Spiritus S. ad Christum, vt edoceret alios, fuisse in Christo plenitudinem gratiarum Missione tamen inuisibili & interiori, per gratiam, non fuit missus post conceptionem, cùm nihil Christo superadderetur de gratia, nec alio modo inhabitasset eum Spiritus S. quàm inhabitabat ab instanti conceptionis.

Ad Octauam. Mittitur vtroque modo & seipsum enim dat, & dona sua.

Ad Nonam Accipiendo missionem lato modo: dici potest Filium & Spiritum S. mitti, missione inuisibili, per dona gratis data: strictè tamen & propriè sumendo misionem inuisibilem, tantùm ratione gratiæ gratum facientis dicitur mitti hæc & illa persona.

Ad Decimã. Dicit Alex. quod Filius vel Spiritus S. dici potest mitti ad augmentum gratiæ, non tamen præexistẽtem augendo, sed nouã intensionem conferendo. Verùm istud dictum non intelligo; nec enim intelligibile est, quomodo posit esse intensio gratiæ, & tamen præexistens non augeri. Dicendum igitur est oppositum, iuxta dicta sequenti Dist. de intensione charitatis.

Aduerte Quintò. Circa misionem visibilem, quæ est manifestatio Personæ productæ, facta in creatura visibili, illud tenẽdum est. Quòd aliter Filius est missus in carnem, & aliter Spiritus S. in igne, in die Pentecostes, vel in columbæ specie, tẽpore Baptismi Christi. Filius enim erat in carne substantialiter, illam ad suam hypostasim vniẽdo; Spiritus S. autem in igne, vel in columba; fuit tanquam signatum in signo. Et quamuis Pater aliquando in signo visibili apparuit, vt in illa voce desuper emissa, *Hic est Filius meus dilectus in quo mihi bene complacui, ipsum audite*; non tamen talis apparitio dicitur Misio; quia Misio est manifestatio Personæ productæ; vt apertè vult August. 4. de Trinit. ca. vlt. Patris autem Persona, est improducta. Vide F. Richar. de Mediauil. dist. 15. art. 2. q. 2. De visibili ista misione, vide multa præclara in Alex. de Ales. 1. pa. q. 74. Richar. dist. 16. S. Bonau. ibid.

Interim de misione visibili, quia in multis exemplaribus ponitur vna breuis quæstio, doctrinæ Scoticæ conformis, præsertim verò persimilis est dictis huius Doctoris in 1. Report. dist. 16. hic subijciendum duxi; quia tamen nõ est litera ipsius Doctoris, vt vetustissima testantur exemplaria, ideo illam per modum Dubitationis propono.

Dubitatur.

Vtrum conueniat Spiritui Sancto missio visibilis.

Videtur quòd non. Primò August. 4. de Trinit. cap. 9. & ponitur in litera. Fateamur Filium minorem factum, & intantum minorem inquantum factum; & intantum factum, inquantum missum: igitur Filius est hic, qui est sic missus visibiliter, quia de illo ibi loquitur, quòd sic est minor; igitur si Spiritus S. hic mitteretur à Patre & Filio, esset minor Patre & Filio; quod non conceditur.

Item. Si Spiritus S. mitteretur visibiliter; aut concurrit cum ea misione reuelatio interior, aut non: si non; frustra fieret misio exterior, in aliquo signo visibili, quia tunc ad nihil esset vtilis: si autem concurrat reuelatio interior; tunc frustra fieret misio vel apparitio exterior visibilis, quia tale signum sensibile exterius, distraheret à reuelatione interiori; cùm occupatio circa exteriora, distrahat intellectum ab interiori consideratione.

Contra est Magister in litera, & allegat August. & Ioan. 14. capit. *Cum venerit ille Paraclitus veritatis*. Et iterum ibidem *si enim abiero, mittam vobis eum*, Vbi loquitur de misione temporali.

Respondeo. Cùm Personam mitti, sit eam manifestari procedere; vt patuit quæstione præced, & Misio pasiua visibilis est cum signo sensibili, cognosci Personam procedere; quod quidem signum, oportet esse conueniens, ad manifestandum suam procesionem: ergo cùm Spiritus S. posit manifestari procedere, signo sensibili, conueniente suæ procesioni; sequitur, quòd Spiritus S. poterit mitti visibiliter. De misione verò sensibili Filij, quæ fuit per incarnationem, dicetur in 3. libro. Spiritui Sãcto cõuenit Missio visibilis

Ad Primam rationem. Dicendum est, quòd non est simile. Quia Spiritus Sanctus non vnit sibi naturam signi sensibilis, quo ipsius processio manifestetur; & ideo non oportet, quòd illa quæ conueniunt naturæ talis signi, conueniant

ueniant Spiritui Sancto: sed Filius vniuit sibi naturam humanam, in vna Persona; & ideo quæ dicuntur de ista natura, verè dicuntur de Diuino supposito, sustentificante illam naturam: Vnde Filius potest dici minor Patre, ratione naturæ assumptæ. Non sic autem Spiritus Sanctus, quia non habet in tali natura esse speciali modo, nisi sicut in signo.

Filius Dei potest dici minor Patre, quomó?

Ad Secundam. Concedo, quòd frustra esset reuelatio exterior, nisi concurreret illustratio interior, & reuelatio talis; quia illa apparitio exterior, non est nisi quoddam signum sensibile, repræsentans tale signatum, ex institutione humana, ad placitum, & non ex natura; quia æquè posset, quantùm est ex se, aliud significare, sicut illud, si placeret instituenti; & si non esset reuelatio interior, non cognosceretur per talem apparitionem exteriorem; non enim potest signum sensibile ex institutione cognosci, quòd significet ex ratione repræsentantis vel repræsentatiui, nisi cognoscatur repræsentatum per tale repræsentatiuum. Ad probationem. Dico, quòd licèt intellectus distrahatur ab intelligendo, quando occupatur sensus circa sua sensibilia alia à suo intelligibili, quod tunc intelligit; quia sic potentiæ se inuicem impediunt, nec mutuò se iuuant in actibus: tamen quando sensus occupantur circa singulare sensibile, cuius vniuersale per speciem intelligitur (vt videlicet quando sensus sentit illud obiectum quod phantasiatur, & intellectus intelligit) non distrahitur tunc intellectus; sed maximè confortatur, quia tunc potentiæ circa idem obiectum sibi administrant eius præsentiam, vt à qualibet secundùm eius proportionem apprehendatur.

Hoc patet in exemplo. Quando volumus colere CHristum, & passioni eius compati, faciliùs eam cõtemplemur, si imaginem crucifixi frequentius intuemur; & ex tali intuitione, talis species in phantasia generatur. Et hoc totum est modò propter ordinem naturalium potentiarum primarum in agendo. Prophetæ verò erant distracti per sensibilia, nec eos sensibilia multùm iuuabant ad Prophetiam, quia non erant eis conuenientia: nam talia parum faciunt ad reuelationem, quæ est de his, quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, &c. & quæ hominibus enarrare non licet, secundùm Apostolum Corinth. 13. sed erat aliquod sensibile eis præsens in imaginatione, quia vt communiter, omnes Prophetæ erant multum imaginati, vt patet per August. 12. super Genesim. erant ergo multum distracti, quando occupabant se in exterioribus sensibus. Quare, &c.

Contẽp[...] tio iuua[...] proposi[...] ne imagi[...] quæ cõti[...] pass. Ch[...] sti.

DISTINCTIO XVII.

DE INVISIBILI MISSIONE SPIRITVS SANCTI per CHaritatem.

QVÆSTIO I.

Vtrum necesse sit ponere CHaritatem creatam, formaliter inhærentem naturæ beatificabili?

Quòd non. August. 8. de Trinit. cap. 7. Qui diligit proximum, &c.

SVMMA QVÆSTIONIS.

Ad solutionem huius Quæstionis ista proponuntur. Primò, recitatur Opinio Magistri Sententiarum. Secundò, Opinio illa impugnatur. Tertiò, motiua adducuntur, cur debeat poni habitus infusus CHaritatis, seu gratiæ in anima. Quartò, inquiritur quæ sit causa principalis actus meritorij, potentiane an habitus infusus. Quintò, an sit simpliciter necessarium ponere habitum supernaturalem CHaritatis, ad hoc, vt natura creata beatificetur. Sextò, an Magister ita senserit, vt narratur primo art. simulq; argumenta pro illo Articulo adducta, soluuntur. Tandem, satisfit argumentis principalibus.

ARTICVLVS PRIMVS.

Recitatur Opinio, quæ dicitur Magistri Sententiarum.

Ad istam Quæstionem dicitur esse Opinio Magistri, &c.

SVMMA TEXTVS.

Quidam senserunt Spiritum Sanctum non solùm esse illum amorem, quo Pater & Filius diligunt se mutuò, iuxta Henric. aliàs explicaeam: sed etiam à nobis diligi Deum, illo formaliter amore, qui est Spiritus Sanctus: ita quòd habitus supernaturalis CHaritatis, non est quid creatum, vt habitus Fidei vel Spei; sed est ipsemet Spiritus S. Sic videtur aliquomodo sentire Magister Sententiarum dist. præsenti, vt ipsi quidam Theologi attribuunt. Et probatur hæc sententia in præsenti, octo rationibus, satis euidentibus, ex duabus vijs adductis.

Charitatẽ qua Deus à nobis diligitur, dicũt quidam esse Spiritũ Sanctum.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Opinio præcedens impugnatur.

Contra istam Conclusionem, siue sit secundùm intentionem Magistri, &c.

SVMMA TEXTVS.

Ponendus est habitus CHaritatis, animam formaliter informans. Ista Conclusio est communis Theologorum. Probatur id octo rationibus in textu, quatuor desumuntur ex iustificatione impij: aliæ quatuor ex ratione actus meritorij.

Hab[...] charita[...] nimã i[...] mãs da[...]

Ex quibus locis deducuntur duæ Conclusiones incidentales. Quarum Prima est. *Quando ex peccatore fit iustus, dicitur iustus, non putatiua iustitia aliena, sed sibi formaliter inhærente. Quod dictum est contra Hæreticos nostri temporis.*

Secunda. *Actus meritorios, & dignos vita æterna, non potest homo elicere ex puris naturalibus, sed indiget habitu supernaturali.*

Merito[...] actus, &[...] gnos [...] æterna, [...] potest [...] mo ex pu[...] naturali[...] elicere

Litera vtriusq; Articuli satis est clara. Vide D. Bonauenturam dist. præsenti artic. 1. q. 1. de hac materia. Richardum ibid. imò & ipsum Doct. Subt. in Report. q. 1. dist. præs.

ARTICVLVS TERTIVS.

Motiua alia adducuntur, cur debeat poni habitus infusus CHaritatis, seu gratiæ in anima.

Quantùm ad istum Articulum. Potest dici, quòd ex nullo actu, quem experimur &c.

SVMMA TEXTVS.

Prima Conclusio. *Ex nulla naturali conditione actus dilectionis, possumus concludere in nobis esse habitum supernaturalem.*

Secunda Conclusio. *Non possumus scire naturaliter certò, nos esse in gratia, & charitatè Dei. Sequitur hæc necessariò ex Prima, quia non possumus habere medium id cognoscendi.*

Non pos[...] mus cer[...] scire, nos[...] se in gra[...]

Tertia Conclusio. *Ex sola acceptatione volutatis Diuinæ,*

quòd

quòd illa non acceptatum acceptet pro vita æterna, tāquam merentem de condigno; vt dictum eſt art. præcedenti fuſius, & in 4. diſt. 14. examinatur, ſufficiens teſtimonium colligitur pro neceſſaria poſitione habitus ſupernaturalis animam informantis. Quia tamen iſta acceptatio voluntatis Diuinæ, ſuper quem tranſeat, ignota nobis eſt in præſenti, meritò fides Catholica docet, quòd neſciat homo viator, an amore vel odio dignus ſit, & vtrum ſit in charitate & gratia Dei.

Quarta Concluſio. *Charitas ſiue gratia gratum faciēs (iſta enim ſunt idem realiter, vt optimè declaratur in 2. diſt. 27.) eſt decor & ornamentum animæ.*

ritas currit iuè ad oductio- n actus ritorij.

Quinta Concluſio. *Cōcurrit hæc virtus actiuè ad producendum actum meritorium. Licèt enim Doctor noſter videatur & oppppoſitæ ſententię in hac litera fauere, quòd concurrat neceſſariò, vt actus acceptetur, non tamen elicitiuè producatur ille actus; ex ſequentibus tamen manifeſtum eſt, quòd de habitu ſupernaturali teneat affirmatiuè determinatè, nempe concurrere illos per modum cauſæ cum potētia; imò per modum cauſæ principalioris, quàm potentia. Idem docet in 3. diſt. 2. q. 1. & diſt. 27. vbi fuſiùs de hac materia Deo duce tractabimus. Quod dictum ſit contra Aureolum, diſt. prſenti, vbi oppoſitum Doctori attribuit.*

ARTICVLVS QVARTVS.

Quæ ſit cauſa principalis actus meritorij, potentiane, an habitus Charitatis infuſus.

Sed tunc eſt vlterius dubium, de iſto habitu comparato ad potentiam &c.

SVMMA TEXTVS.

Cùm actus meritorius dupliciter conſiderari poſſit, & ſecūdùm rationem actus, quatenus eſt talis naturæ, talis intenſionis, & cū talibus naturalibus, ac moralibus circumſtantijs: & ſecundò poteſt conſiderari, ſecundùm rationem meritorij, quatenus videlicet acceptatur, vel eſt acceptabilis à Deo. Duplici Cōcluſione reſpondemus propoſitæ difficultati.

Prima eſt: *Si actus, quatenus eſt actus accipiatur in eius productione potentia habet rationem cauſæ principalioris, habitus verò minus principalis.*

Secunda Concluſio. *Actus meritorij quatenus eſt meritorius, & ſub ratione meritorij conſiderati, principalior eſt cauſa habitus, minus principalis potentia.*

Vtraque Cōcluſio vt diſcurſu bono, ita accommodatiſſimis in textu exemplis declaratur.

COMMENTARIVM.

IN iſto Articulo illa litera; *Hoc ſecundum membrum verius eſſet*, vſque ad illum locum excluſiuè; *vlteriùs, ſicut in actu meritorio*, videtur Mauricio Hybern. eſſe additio, & reuera ego idem ſemper iudicaui: impertinens enim ille textus præſenti difficultati & ſpeculationi videtur, nimiſque contortus; quia tamen in non paucis antiquis exemplaribus reperitur, adiungendum putaui germanæ Doctoris literæ. Cuius intellectus vt ſit planior.

Dubitatur.

Vtrum habens Charitatem, per illam ſit formaliter acceptus Deo.

Videtur quòd non. Primo Non aliud eſt perſonam eſſe acceptam Deo, quàm Deum acceptare perſonam; ſed nihil creatum poteſt eſſe ratio formalis, qua Deus acceptat; ergo Charitas nō eſt ratio formalis acceptandi perſonam. Minor. Quia acceptare non eſt in homine, ſed eſt actio Diuina in ipſo Deo, acceptante hanc perſonam, vel eius actum.

Secundò. Illud non eſt formale, quo aliquis eſt acceptus, quod ſequitur acceptatum; Sed Charitas ſequitur acceptationem Dei, priùs enim Deus naturam acceptat, & deinde infundit Charitatem; ergo per charitatem non eſt homo formaliter acceptus.

Tertiò. Si Charitas eſſet formalis ratio acceptandi perſonam, ſequeretur quòd non poſſet ineſſe alicui talis charitas, quin neceſſariò Deus acceptaret illum ad vitam æternam: conſequens eſt falſum; quia ſecundùm iuſtitiam diſtributiuam, non eſt neceſſe pro minori bono reddere maius bonum; vita autem æterna eſt maius bonum, quàm charitas; charitas igitur non eſt formalis ratio acceptandi.

Quartò. Illud quod eſt ratio formalis acceptandi perſonam, eſt ratio formalis acceptandi actum illius perſonæ; ſed charitas nō eſt ratio formalis, cur acceptetur actus; patet; quia actus debet eſſe acceptus per aliquid formaliter in ipſo actu; charitatis autem habitus non eſt formaliter in actu, nec forma actus; ergo non erit illud, quo formaliter actus eſt acceptabilis; quare nec erit ratio formalis acceptandi perſonam. Videtur ergo, quòd ex ſola voluntate Diuina, gratuitè acceptante perſonam creatam, vel eius actū, ſit aliquis dignus vita æterna.

Acceptatio diuina reſpectu creaturæ eſt triplex

Pro reſolutione huius dubitationis. Nota Primò ex Doct. Subtili in 1. Report. diſt. 17. q. 2. Quòd acceptatio Diuina reſpectu creaturæ, ſit triplex. Prima ſimplicis complacentiæ, & hæc acceptatio eſt reſpectu omnis poſſibilis & creabilis. Alia eſt acceptatio efficax, qua rem vult ita eſſe, vt ponat in effectu. Eſſe verò acceptationem hanc efficacem, diſtinctam à priori, patet in nobis, qui quandoque plura volumus ſimplici volitione, ad quorum tamen eſſe noluмus cooperari. Tertia acceptatio eſt, qua Deus ordinat vnum bonum ad aliud, ita charitatem ordinat & acceptat Deus ad præmium, nempe ad beatitudinem æternam.

Propoſita igitur dubitatio procedit de acceptatione, nō primo vel ſecundo modo dicta, quia ſic eſt certum, quòd Deus acceptet habentem charitatem, imò & ipſam charitatem, vtroque illo modo; ſed de acceptatione iſto tertio modo, an ſcilicet charitatem ita ordinauerit Deus ad beatitudinem, quòd habens charitatem, habeat formale obiectum acceptationis Diuinæ, ita quòd à Deo, ſecundùm iuſtitiam ſtrictam diſtributiuam debeat æſtimari dignus vita æterna.

In acceptatione duo

Nota Secundò. In acceptatione, qua Deus acceptat charitatem ad vitam æternam, poſſumus diſtinguere iſta duo. Primum eſt, principium elicitiuum, & quaſi productiuum ipſius acceptationis, & hoc eſt voluntas Diuina; Alterum eſt, ratio obiectiua, quæ obijcitur vt acceptetur, & iſta ratio obiectiua acceptationis, quædam eſt ratio prima, quædam eſt ſecunda. Ratio obiectiua prima, eſt Eſſentia diuina, quam Deus neceſſariò acceptat & diligit æternaliter, vt viſum eſt diſt. 1. ratio obiectiua ſecunda, eſt creatura. Hāc ergo infinitam Eſſentiam, Deus diligens amore liberali, vult illam diligi ab omnibus alijs potentibus diligere: ſed quia creatura eſt obiectum ſecundarium, ſeu ratio obiectiua ſecundaria, non neceſſariò Deus illam vult, ſed contingenter; & conſequenter charitatem, vt ſecundùm ſe, ita & vt eſt in homine formaliter, non neceſſariò illam vult, atque adeo non neceſſariò illam acceptat pro vita æterna, ſed ex libera determinatione voluntatis ſuæ. Quæ quidem voluntas Diuina, æternaliter, liberè tamen & non neceſſariò, hanc veritatem determinauit; Habens gratiam finaliter, dignus erit vita æterna; & hanc determinationem acceptauit. Deinde in ſecundo ſigno intelligibilitatis ſub illo principio practico vniuerſali, offertur ęternaliter Diuinæ voluntati, hoc & illud particulare, habens charitatem, quæ particularia acceptantur à Deo, ob illam legem ab ipſomet præfixam. Quia tamen vt vniuerſalis, ita & particularis illius legis acceptatio, merè eſt contingens, poſſet de potentia ſua abſoluta Deus non acceptare habentem charitatē: quia tamen ſecundùm illud principium practicum vniuerſale ſtatuit acceptare, dicimus quòd de potentia ordinaria non poteſt Deus non acceptare.

Deus de potentia ordinaria habētem charitatem non poteſt non acceptare.

Acceptatio ex parte creaturę, alia eſt ſimpliciter, alia ſecundum quid.

Nota Tertiò. Quòd acceptatio paſſiua, vt ſe tenet aliquomodo ex parte obiecti ſecundarij, eſt duplex. Vna eſt ſecundùm quid; alia ſimpliciter. Acceptatio ſecundùm quid, eſt habilitas aliqua de congruo, in natura intellectuali, vt illam aliquatenus velit acceptare Deus efficaciori acceptatione;

ceptatione; qualis acceptatio est in homine peccatore, dū per excitantem gratiam, aliquomodo se disponit de congruo ad infusionem gratiæ gratum facientis. Acceptatio simpliciter est, quando per infusam à Deo charitatem, de condigno, ex æterna dispositione Diuina, est quis dignus vita æterna, & acceptatur à Deo vt talis. Acceptatio igitur illa secūdùm quid, præcedit charitatem; acceptatio autem simpliciter non præcedit.

Aduerte tamen, quòd habens dispositionem illam de congruo, non acceptatur à Deo ad vitam æternam; habēs autem charitatem, est dignus vita æterna, non tamen complete & vltimatè, sed tantùm dispositiuè. Non complete inquam, quia ad completam rationem acceptationis pro vita æterna, necessariò requiritur volūtatis Diuinæ acceptātis actus, seu ipse Deus acceptans; atque adeò non posita relatione in charitate, ad Deum acceptantem, habens charitatem, non est acceptus pro vita æterna, nec dignus illa; & hoc est quod hic dicit Doctor Subt. *Relatio in actu* (& idem dic de habitu) *merentis, ad actionem Diuinam* (siue acceptationem) *est de ratione meriti, quæ relatio nō est sine actione Diuina;* Dignus tamen est dispositiuè; quia habet dispositionem immediatam, licet non necessariam, vt acceptetur à Deo.

Nota, quod actus meritorius non est complete dignus vita Eterna; nisi quatenus à Deo acceptatur.

Hinc manet resoluta proposita difficultas, quòd habens charitatem, per ipsam non est formaliter, & complete acceptus Deo; sed per ipsam dispositiuè est acceptus; complete autem & vltimatè, per relationem illius habitus ad acceptationem Diuinam. Hæc tamen dum dicimus, non excludimus alia requisita ad rationem actus meritorij, ex parte hominis, nempe quòd sit actus liber, & quòd à viatore elicitus; ista enim prærequiruntur necessariò ad rationem actus, vt dicatur humanus, & ratio humani præsupponitur actui meritorio.

Actus meritorius quo modo est in potestate nostra, cùm acceptatio diuina, non est in potestate nostra?

Sed occurrit difficultas. Cùm actus meritorius sit in potestate liberi arbitrij, & secūdùm dicta, actus non sit complete meritorius, nisi vt acceptatur à voluntate Diuina, Diuina autem acceptatio non est in potestate nostra: consequens videtur esse, quòd actus meritorius vt meritorius, non sit in nostra potestate; siquidem ratio formalis meritorij, in ratione meritorij, non est in nostra potestate.

Respondeo cū Doctore hic. Actum meritorium, quoad rationem actus, esse perfectè in voluntate mea; quoad rationem verò meritorij & accepti, est in voluntate mea dispositiuè, sic quòd dum habendo charitatem, elicio actum conformem charitati, ad istam meam dispositionem ex ordinatione Diuina, sequitur statim infallibilis acceptatio Diuina; sicut etiam à simili, creatio animæ rationalis, non est in potestate humana; positis tamen dispositionibus in corpore organico requisitis ad introductionem animæ, statim infunditur à Deo per creationem anima; ita hic, vt primùm actus elicitur ab habente charitatem, statim ordinariè acceptatur. Idem dic de acceptatione secūdùm quid: meritum enim de congruo, non habet rationem meriti, & acceptabilis per infusionem gratiæ iustificantis, nisi à volūtate Diuina; & ita intelligi debet Subt. Doct. in 4. dist. 14. q. 2. art. 2. contra dicta Gabr. Vasquez 1. part. disp. 91. c. 10.

Alia difficultas est. Cùm actus sit acceptus & meritorius, magis principaliter ex acceptatione Diuina, quàm ex charitate; videtur quòd magis principaliùs conueniet mereri Deo, quàm homini, illud siquidem quod est principaliùs in merito, est ex actione Diuina.

Respondeo. Negatur sequela. Ratio verò negationis desumitur ex ipsa ratione actus meritorij, qui est actus liberè secundùm inclinationem gratiæ elicitus, acceptus à Deo, vt præmiabilis beatitudine: sed in Deo non sunt tales actus, vt patet; ergo nec actus meritorij; ac proinde, non conuenit illi mereri.

Ad rationem verò difficultatis respondeo. Distinguendo ly principaliùs. Vel enim sumitur pro eo, quòd vltima & completiua ratio actus acceptabilis, seu meritorij, in ratione meritorij sit à Deo: & hoc verum est; sed consequētia non valet, quòd Deus mereatur; cùm ille actus sit hominis, & homo tali actu mereatur, seu acceptetur. Vel secundò accipitur ly principaliùs, pro priori realitate in actu, quia quasi passiuè secundùm quid, & incomplete, priùs sit acceptabilis, tanquam ratio obiectiua secundaria, vt supra dictum est; & sic negatur quòd actus sit principaliùs ab actione Diuina, sed à libero arbitrio.

Dices. Causa prima semper causat principaliùs quemcūque effectum, quàm causa secunda concurrat; ergo sic illa realitas actus, pro quocunque priori accipiatur, principaliùs erit à Deo, quàm à causa secunda.

Respondeo. Non excludimus concursum illum generalem Dei, quo Deus principaliter cooperatur omni causæ secundæ, sed illum specialem acceptationis efficacis, qui nō modò per intellectum est separabilis, sed etiam per Dei potentiam realiter ab illa passiua dispositione ad acceptationem, quæ est in actu elicito conformiter habitui infuso. Hinc patet vt decisio dubitationis, ita & explicatio textus difficilioris ac obscurioris in præsenti articulo.

Ad Primum argumentum, in principio Dubitationis propositum. Patet ex dictis, quòd argumentum concludit, quòd ratio formalis acceptandi, & ratio obiectiua prima, non sit charitas, vel aliquid creatum: ratio tamen obiectiua secundaria, dispositiuè tantùm se habens ad acceptationem, est charitas.

Ad Secundum. Constat etiam ex dictis Notabili 3. quòd acceptatio passiua secūdùm quid, præcedit charitatem, seu gratiam; acceptatio tamen passiua simpliciter, de potentia ordinaria, non præcedit charitatem.

Tertium Argumentum est solutum Notab. 2. quòd omnis acceptatio obiecti secundarij seu creati, est contingens.

Ad Quartum. Concessa Maiori; ad Minorem dico, quòd charitas non est ratio formalis vltima acceptationis actus; sed relatio illa actus, ad acceptationem Diuinam; Charitas verò est ratio dispositiua acceptationis: nisi enim actus secundùm charitatis inclinationem eliceretur, non haberet hanc dispositionem, quòd de condigno acceptari deberet, quam habet dum ab habente charitatem producitur.

ARTICVLVS QVINTVS.

An sit simpliciter necessarium ponere habitum supernaturalem Charitatis, ad hoc vt natura creata beatificetur?

De Quinto Articulo. Dico, quòd Deus de potentia sua absoluta, &c.

SVMMA TEXTVS.

Prima Conclusio. *De facto, & de potentia Dei ordinaria, nō potest homo mereri beatitudinem ex puris naturalibus, absque infusione habitus supernaturalis. Ista assertio est certa, & communis Theologorum omnium vtriusque scholæ.*

Secunda Conclusio. *De potentia Dei absoluta, potest aliquis acceptari à Deo ad beatitudinem, in puris naturalibus; & consequenter, de absoluta potentia Dei, mereri potest homo vitam æternam de condigno, absque interuentione habitus supernaturalis, ex mera Diuina acceptatione.*

De p[...] tia abs[...] Dei p[...] aliquis puris n[...] ralibus ceptari Vitam æ[...] na.

Ista Conclusio non modò est Scoti hic, & in Report. & communis Scotistarum; sed etiam multorum Thomistarum, vt Deo duce ostendam in 4. dist. 14. q. 1. contra Caietanum 1. 2. q. 113. art. 2. & quosdam alios. Nobiscum etiam sentit Ocam in 4. q. 8. Gabr. in 4. dist. 15. q. 2. Aureol. Card. in 4. dist. 16. q. vnica ar. 2.

COMMENTARIVM.

Resolutio difficultatum duarum hic propositarum, quamuis fusiùs & commodiùs loco alleg. pertractari debeat, interim tamen breuiter ad Primā dici potest. Quòd circumscripto omni dono supernaturali in creatura, vel illa creatura eliceret aliquos actus bonos moraliter, & non meritoriè, iuxta Secundam Conclusionem: & illos actus sic bonos moraliter, posset acceptare Omnipotēs, acceptatione non tantùm secundùm quid, sed etiam simpliciter, ex mera sua liberalitate; vel dato quòd non eliceret, adhuc illius creati personam, posset Deus ex mera liberalitate sua

acceptare;

acceptare ſicut actu contingit in æterna illa prædeſtinatione,in qua hunc æternaliter ordinauit ad vitam, illum reliquit; vt infra dicitur; eſtq; huius rei exemplum clarum in rebus creatis, vbi poſſum acceptare pro amico hunc, qui neque amicus eſt, neque inimicus.

Secunda difficultas in textu propoſita, ſupponit duas perſonas; vnam actu inimicam Deo, quæ eſt in actuali peccato mortali; aliam non exiſtentem in peccato, & ita non inimicam. Ille ergo qui eſt in peccato,diſtinguitur à non habente peccatum; ſed non per aliquid poſitiuum, quia in propoſito caſu, negatur habitus gratiæ; ergo diſtinguetur per negationem habitus charitatis; hoc autem eſt falſum, quia vtraque perſona caret charitate: quare vel diſtinctio erit nulla; quod videtur inconueniens: vel ſi eſt, debet eſſe per poſitiuum habitum charitatis; & ita nullo modo poteſt eſſe aliquis amicus Dei, ſine tali habitu.

Reſpondeo ad hanc Obiectionem. Ille qui eſt in actu peccandi, eſt poſitiuè indignus vita æterna, & inimicus Dei; ille autem qui nec gratiam habet nec peccatum; nec eſt poſitiuè amicus, quia caret gratia: nec poſitiuè inimicus,quia caret peccato; ſed eſt non amicus, medio ſe modo habens inter amicum & inimicum: quem Deus ſi vult poteſt acceptare pro amico, vt paulò ante dictum eſt.

ARTICVLVS SEXTVS.

An Magiſter ita ſenſerit, vt narratur Primo Articulo; ſimulq; argumenta pro illo Articulo adducta, ſoluuntur.

Quantùm ad Sextum Articulum. Poſſet dici, &c.

COMMENTARIVM.

QVamuis ſecũdùm veritatem, Magiſter ſententiarum videatur ita ſenſiſſe vt Artic. primo narratum eſt, Spiritum Sanctum,eſſe charitatem illam,qua aliquis charus eſt Deo; & non dari charitatem creatam ſupernaturalem,vt bene aduertunt diſt.præſenti S. Bonauent. Card. Aureol.Baſſol.Richar.& alij Theologi: nec Doctor Subt. id ſimpliciter negare intendit. Pro ſua tamen modeſtia, in ſententijs aliorum explicandis, nititur probabiliter illius ſententiam colorare, & ad ſenſum bonum deducere, dicendo, quòd Magiſter non omnino negare nititur charitatem creatam: ſed admiſſa charitate,negat præter ipſam vllum habitum eſſe talem, quo mediante, inhabitet animam Spiritus Sanctus; & hoc tam in via,quàm in patria, vt patet de Fide & Spe,qui habitus ſunt in peccatoribus in via, & in patria non manent, ſed ſuccedit eis Viſio, ac Tentio.

Poteſt dici aliter,de intentione Magiſtri,ſecundùm doctrinam huius Doctoris in ſuo ſcripto Pariſiẽ. Poteſt enim primò intelligi, quòd Magiſter negauerit omnem habitum infuſum alium a Fide, Spe, & coaſſiſtentia Spiritus Sancti. Iſta tamen poſitio non eſt ſibi imponenda; cùm directè in 2. diſt.26. intendat & probet dari habitum gratiæ: qui quòd non ſit Fides,vel Spes,certum eſt.

Secundò poſſet intelligi,quòd ipſe neget omnem habitum, qui dicitur charitatis habitus, tanquam inclinantem ad operationes meritorias (ad tales enim actus,ſecundùm illum mouet Spiritus Sanctus) non tamen negat in anima gratiæ habitum non operatiuum, qui tantùm in actu primo gratificet & ſanctificet animam. In iſto tamen ſenſu difficile eſt Magiſtrum approbare.

Tertio modo poteſt intelligi ipſum ponere, quòd talis habitus detur,qui non modò in actu primo gratificet animam, ſed etiam concurrit ad actum ſecundum, quia eſt habitus operatiuus; propter quam inclinationem iſtius habitus,ad actus meritorios, poſſet dici, quòd Spiritus S. principaliùs concurrit cum iſto habitu ad tales actus: propter quem principalem concurſum,dici poteſt, quòd dilectio,ſeu charitas, ſit Spiritus Sanctus, quia actus dilectionis meritoriæ, eſt à Spiritu S.ſubintellige, principaliter; quod verùm eſt.

Ex his expoſitionibus ſi deduci poſſet ex litera Magiſtri, quòd gratia habitus,ſecundùm ipſum, ſit idem realiter cũ habitu charitatis, prior expoſitio, deducta ex præſenti textu,eſſet optima. Sed ſi illud ſuppoſitum de mente eius non teneatur; ſecundo, vel tertio modo, deducto ex alio loco eiuſdem Doctoris, poteſt exponi Magiſtri Sententia.

In reſponſione ad Secundum argumentum Primæ viæ, de proportione Geometrica & Arithmetica, à Mathematicis accepta, & ad res tum Phyſicas, tum Theologicas applicata. *Proportio Geometrica & Arithmetica.*

Nota ex Doctore in 3.d.27. Quòd proportio Geometrica attenditur in exceſſu,non ſecundùm æqualitatẽ in quantitate,ſed ſecundùm proportionem. Exemplum. Sicut ſe habent ſex ad quatuor,ita duodecim ad octo: In iſta comparatione porportionali, non eſt exceſſus in quantitate æquali;nam ſex excedit quaternarium numerum, in dualitate, duodecim verò excedit octenarium numerũ, in quaternitate; patet autem quòd dualitas & quaternitas, non ſint æqualis quantitatis.

Aliter hęc proportio deſcribitur à Doct.noſtro,in 4.diſt. 49.q.11.art.1.de quo aliàs.

Arithmetica verò proportio attẽditur ſecundùm æqualem quantitatem. Res eſt clara in hoc exemplo. Sicut ſe habet ſex ad quatuor, ita ſe habet octo ad ſex: Hic excedens numerus,ſuper exceſſum dualitate ſuperat: nam & ſex ſuper quatuor, dualitatem habet; & octo ſuper ſex, dualitatem addit. Vnde non in congruè ab aliquibus dicitur proportio Geometrica proportio inæqualitatis; ſecùs proportio Arithmetica, proportio æqualitatis.

Iſta ad propoſitam literam applicando. Dico. Cùm habitu ſupernaturali charitatis indigeat voluntas, ad eliciendũ actum fruitionis beatificæ; vt communiter conceditur, & hic probatur, & pluribus in 3.diſt.7.ſequitur, proportionaliter loquendo, quòd quantò potentia fruens, indigens habitu,erit perfectior, tantò minùs abſque tali habitu, poteſt habere actum proportionalem ſuæ perfectioni; intellige, proportionalem proportione Geometrica; quia eſt comparatio ſecundùm inæqualitatem, non de Arithmetica.

Iſtud dictum. Voluntas habitualis, quantò perfectior, tantò minus abſque tali habitu, poteſt habere actum dilectionis,proportionalem ſibi: Probatur in textu,illis verbis; *Quia ex quo eſt ſimilis proportio Geometrica duarum potentiarum, &c.* ſenſus eſt; quòd voluntates habituabiles, ſpecie diſtinctæ, qualis eſt voluntas Angeli & hominis; imò voluntates eiuſdem rationis,ſtatu tamen diſtinctæ, vt voluntas hominis viatoris,& voluntas hominis Beati,vendicant ſibi habitus proportionales; & ſicut inter ſe prædictæ potentiæ, ſunt ſimiles, ſimilitudine ſeu proportione Geometrica, non Arithmetica; ita & habitus illis correſpondentes,erunt ſimiles proportione Geometrica inæqualitatis; & conſequenter, vnus alterum excedit inæqualiter.

Iſte tamen exceſſus,in habitu excedente,cùm ſit finitus; & finitum exceſſum, aliquoties vel multoties replicatum, poteſt reddere ſuum excedẽs,& illi eſſe æquale,per replicationem acceptum; propterea inter illos habitus proportionales ſibi Geometricè,poteſt eſſe proportio Arithmetica. Nunc tamen quando eſt proportio inæqualitatis,ſeu Geometrica, excedentia,erit in habitu voluntatis ſuperioris vel beatificæ;excedetur autem habitus debitus voluntati inferiori vel viatoris. Atque ita patet illa propoſitio, quòd voluntas perfectior habituabilis, abſque habitu, minùs poteſt habere actum proportionalem ſuæ perfectioni; quia ille actus à potentia & habitu perfectiore, ſi eſſet elicitus, eſſet perfectior alio elicito, non à tam perfecta potentia & habitu; ſi ergo habitus non ſit, tunc magis proportionalem actum ſuæ perfectioni,& alijs perfectiorem non eliciẽdo, magis deficit potentia ſuperior, quàm imperfectior, quæ non elicit actum imperfectiorem. Alij hunc locum explicant aliter,ſed iſta eſt germana præſentis literæ expoſitio. *Finitum exceſſum põt eſſe æquale excedenti, replicatum*

Quod in fine textus dicitur,de lumine gloriæ, illud non eſſe negandum, cùm multis alijs locis in Doctore, hæc doctrina contrariari videatur, præſertim ſupra diſt.3.q.4.art. 2.&

2.& in 3. distinct. 14. ac aliàs hìc est fusiùs explicandum. Quare.

Dubitatur.

Vtrum intellectus creatus, sine lumine gloriæ, possit videre Essentiam Dei.

Videtur quòd sic. Primò. In Clement. Ad nostrum. de Hæreticis, accepta à Concilio Vienen. & Florent.expresse erroris damnantur, dicentes, quòd anima non indiget lumine gloriæ, eleuante ipsam ad videndum Deum. Vbi notat Caiet. 1.par.q.12.art.5. Ecclesiam amplexam S.Thomæ doctrinam, determinasse non solùm indigentiam luminis, sed etiam causam, vt scilicet eleuetur anima ad talem visionem. Estque hoc decretum contra Begardos & Beguinas, qui putabant quamlibet intellectualem creaturam, naturaliter esse beatam, nec indigere lumine gloriæ.

Secundò. Deus disponit omnia suauiter; sed in naturalibus semper est dispositio ad formam; ergo ad formam supernaturalē, qualis est Essentia Diuina, per modum speciei intelligibilis, dispositio supernaturalis: talis autem dispositio, est lumen gloriæ. Confirmatur. De Diuinis Philosophandum est nobis, secundùm ea quæ fiunt apud nos; Sed ita natura comparatum est, quòd omne agens naturale, habet principium formale proportionatū, ad exercendum suam actionem; ergo agens supernaturale, necesse est, quòd habeat proportionatum principium supernaturale, ad exercendam actionem supernaturalem.

Tertiò. Ad actum credendi supernaturalem, necessarius est habitus Fidei infusus, vt fiat proportio intellectus cum tali actu credendi; ergo necesse est ad videndum Deum, sicuti est, quòd intellectus habeat habitum aliquem, quo actio sua proportionetur obiecto; talis autem habitus est lumen gloriæ; igitur lumen gloriæ est necessarium ad videndum Deum.

Quartò. Essentia Diuina, est propria forma intelligibilis, intellectus Diuini, & ei proportionata; cùm in Deo hæc tria, intellectus, quo intelligitur, quod intelligitur, sint idē: ergo impossibile est, quòd Essentia Diuina fiat forma intelligibilis, intellectus creati, nisi per hoc, quòd aliquam similitudinem Diuinam intellectus creatus participat; ergo, &c. Conse quentia prima probatur. Quia impossibile est, propriam alicuius rei formam, fieri formam alterius rei, nisi participet aliquam similitudinem eius, cuius est propria forma; sicut patet de luce, quæ non fit actus alicuius corporis, nisi aliquid participet de diaphano.

Quintò. Essētia Diuina, est altior forma, omni intellectu creato; ergo ad hoc vt fit eius forma intelligibilis, imò quòd ab eo videatur, necesse est quòd aliqua dispositione sublimiori ad hoc eleuetur, aliqua scilicet similitudine Diuina, quale est lumen gloriæ. Consequentia probatur. Nihil est susceptiuum formæ sublimioris, nisi per aliquam dispositionem ad illius capacitatem eleuetur, cùm proprius actus fiat in propria potentia.

Sextò. Si ponatur aliquis intellectus creatus, de nouo incipere videre Essentiam Diuinam, oportet vt de nouo sibi Essentia copuletur, vt forma intelligibilis: non autem per mutationem Diuinæ Essentiæ; ergo per mutationem intellectus, quod non potest esse nisi aliquam dispositionem de nouo acquirat. Consequentia probatur. Duo nō possunt de nouo vniri, nisi per mutationem vtriusque vel alterius extremi.

Septimò. Virtus intellectus creati, non sufficit ad videndam Essentiam Dei; ergo ad hoc, vt ad talem visionem perueniat, necesse est quòd eius virtus augeatur; sed nō sufficit augmentum per intensionem virtutis naturalis, quia visio Essentiæ Dei, non est eiusdem rationis cum visione naturali intellectus, vt patet ex infinita distantia visorum; ergo fit per nouæ dispositionis supernaturalis adeptionem; sed hæc dispositio supernaturalis, est lumen gloriæ; ergo ad videndam Essentiam Dei, requiritur in intellectu creato, lumen gloriæ.

Octauò. Si lumen gloriæ ad videndum non esset necessarium, sequeretur, quòd omnes Beati, æqualiter viderent Deum; Consequens est contra omnes Theologos, in 4.dist. 49. ergo & Anteced. Sequela Maioris probatur. Vel enim intellectus hominum, in beatitudine existētium, est æqualis perfectionis vel inæqualis? si æqualis; ergo ęqualem habent effectum, nempe visionem Dei: Si inæqualis; sit ille qui virtutem habet intellectus maiorem, minor in meritis alio, iste minor in meritis, & maior in virtute intellectiua, potest Deum clariùs & perfectiùs videre, quàm alter maioris meriti: quod est inconueniens.

Ita communiter sentiunt & arguunt D.Thomæ Interpretes. 1.p.q.12.art.5. Vasquez & Valen. ibidem Ferrar. 3. Con.gen.cap.53. Richar. noster, in 3.dist.14.art.1.q.2.& in 4.dist.49.art.3.q.2. Capreol. in 4. dist.49.q.4. eiusq; abbreuiatores Syluester, Prier.& Soncin. ibid. Paludan. ibid.q.1. art.3. Sotus q.2.art.4.

In oppositum cōmuniter adducitur Doct. Subtilis hìc, & supra, dist.3.q.4.& in 3. dist.14.q.1.in Disputatis q.11.in 4.dist.49.q.11. eiusque Expositores ibidem, quibus addi possunt Bassol. in 3.dist.14.q.1. Mayr. ibid.q.2. Seraphicus Bonauent. in 3.dist.14.art.2. q.1. quamuis ab aliquibus in oppositum citetur art.1.q.3. sed malè; apertè enim loquitur art.2.qu.1.de lumine increato, quòd disponit intellectum creatum ad visionem beatificam. Durand. in 4.dist.49.q.4. Gabr. in 1.dist.1.q.2. & eius supplementum in 4. dist. 49 q.2. Holcot.q.8 in lib. suarum determinationum.

Nota Primò. Lumen aliud esse corporale, quod est aliqua qualitas effectiuè producta ab ipsa luce, recepta subiectiuè in corpore perspicuo illuminato; quod lumen est species lucis, vt dicitur à Doct. in 2.dist.13. Aliud est spiritua- le; & hoc vel creatum, vel increatum. Creatum lumen; vel est ipsa potentia intellectiua, cui est congenitum lumen iudicij & rationis, iuxta illud Psalmi, *Signasti super nos lumen vultus tui Domine*; vel est actus potentiæ, qualis est ipsa actualis cognitio: vel est habitus; & hic duplex; vel naturalis, qui naturaliter inclinat, facilitat, & promptam reddit potentiam intellectiuam, ad intelligendas res ordinis naturalis; vel est habitus in intellectu supernaturalis, quo facilitatur, & in ratione principij intellectiui sufficiens causa redditur intellectus, ad eliciendam & recipiendam intellectionem, respectu obiecti supernaturalis Essentiæ Diuinæ. Habitus scientifici naturales, tam speculatiui, quàm practici, possunt dici lumina naturalia cognitionis; ille autem habitus supernaturalis, qui per modum comprincipij cōcurrit cum creato intellectu, ad habendam visionem de ipso Deo intuitiuè, potest dici habitus luminis gloriæ. Lumen increatum; vel est essentiale, & hoc vnicum est, nempe, Essentia Diuina; vel personale, prout dicitur in Symbolo Nyceno, *Lumen de lumine*: id est, Filius de Patre; & sic possunt dici tria lumina, sicut tres Personę.

Lume[n] [...]rium [...]porale [...]rituale [...]rituale [...]tum & creatu[m].

Lume[n] cratu[m] plex.

Nota Secundò: Lumen glorię capi dupliciter; vel pro ipso gloriæ obiecto, quod est Deus, qui sicut Rex gloriæ, dicitur in Scriptura, ita cùm sit lumen increatum, meritò lumen gloriæ dicetur; qui speciali modo & supernaturali cōcurrat cum intellectu creato; Vel secundò accipitur lumen gloriæ, pro lumine supernaturali creato, ad clarè vidēdum Deum immediatè dispositiuo, per modum habitus permanentis, vt dictum est, ita quòd Deus infuso habitu supernaturali, eleuet intellectum, ad eliciendum actum supernaturalis visionis Dei.

Lumē rię du[pliciter] ac[cipi]tur

Dubitatio igitur præsens, potest habere duplicem sensum. Primum. Vtrum intellectus creatus indigeat lumine gloriæ increato, ipso scilicet Deo, speciali & supernaturali modo concurrente, ad eliciendum actum visionis beatificæ? Secundum. An requirat lumen gloriæ creatum habituale supernaturale? Ista verò necessitas luminis gloriæ, vtroque modo sumpti; vel est de potentia Dei ordinaria, vel de absoluta; Deinde: vel requiritur tale lumen, ad recipiendum actum visionis, vel ad eliciendum.

Prima Conclusio. Intellectus creatus, indiget de facto lumine gloriæ increato, in ratione tum obiecti, tum in ratione principij, supernaturaliter concurrentis, ad intuitiuā visionem ipsius Dei.

Intelle[ctus] creatus Viden[do] Deum get lu[mine] gloriæ creato.

Ista Conclusio est Catholica, & communis Theologorū omnium, contra Beguinas et Beguardos, vt ex actis Concil. Florentini, & Vienen. elicitur, & habetur in Clement. Ad nostrum, de hæreticis. Non enim Ecclesia voluit definire ibi, pro quibusdam Scholasticis, contra alios Scholasticos,

lumen

lumen gloriæ creatū habituale requiri ad visionē Dei, vt malè Caietanus, Sotus, Valentia, Ferrar. & Capreol. locis citatis sentiunt; sed voluit Beguardorum & Beguinarum perfidiam extinguere: qui hæretici inter alia suæ hæresis dogmata, hoc etiam asserebant, (vt videre est in Clement. citata, errore illorum quarto) quòd homo potest cōsequi beatitudinem in hac vita, quam Sancti habent in alia.

Hoc dictum explicantes, addebant: quælibet natura intellectualis, in seipsa naturaliter est beata, quodque anima non indiget lumine gloriæ, ipsam eleuante ad Deum videndum, & eo beatè fruendum. Ex quo apertè colligitur, quòd prædicti hæretici, lumen gloriæ pro supernaturali auxilio Dei accipiebant, quòd illud non requireretur ab intellectu creato, ad videndum clarè Deum, cùm talis visio possit haberi naturaliter, sine vllo supernaturali adminiculo Dei.

Cui hæresi oppositam fecit determinationem Catholica Ecclesia, innixa illi Scripturæ ad Roman. 6. *Gratia Dei vita æterna.*

Hoc pacto non tantùm Holcot supra, Gabr. Bassol. Mayronius, Aureolus quodl. 3. Bacconit. in prol. q. 1. Lichetus alijque Expositores Doctoris explicant Clementinam hìc, sed etiam Durand. Bannes, Molin. Vasquez, D. Thomæ sectatores asserunt.

Hanc Conclusionem determinatam ab Ecclesia, persuadent vel maximè rationes in principio dubitationis propositæ.

Secunda Conclusio. Nullus intellectus creatus, quantūuis perfectus, potest à Deo talis produci, qui naturali modo, absque speciali & supernaturali concursu Dei, possit clarè videre Deum.

Ista Conclusio loquendo de potentia Dei absoluta, licèt non possit ita euidenter haberi ex scriptura, vel determinatione Ecclesiæ; habet nihilominus in terminis quasi manifestam euidentiam. Quia omnis intellectus creabilis, est potentia naturalis; actus autem visionis Essentiæ Dei, est actus omnino supernaturalis; sed actus supernaturalis, non potest produci à principio naturali, quia actus secundus, supponit actum primum, & actus secundus intellectionis supernaturalis, supponit necessariò principiū productiuum supernaturale.

Secundò. Essentia Diuina, nullius intellectus creati vel creabilis, pōt esse obiectū naturale; ergo nullus intellectus creatus vel creabilis, pōt circa illā elicere actū intellectionis intuitiuæ naturalē. Antecedens patet ex dictis d. 1. q. 2. art. 2. dubit. 4. Solius. n. intellectus infiniti, est obiectū naturale & primarium, Essentia Diuina; intellectus verò finiti, est obiectum supernaturale & liberum.

Cōfirmatur Primò. Obiectū propriū & naturale intellectus Diuini, non pōt esse obiectū proprium & naturale intellectus creati, quia aliàs ītellectus creatus esset ita perfectus, sicut Diuinus; quod est impossibile.

Confirmatur Secundò. Visio est cognitio intuitiua rei in se; impossibile autem est, ꝙ intellectus creatus, possit virtute sua naturali, habere Deū sibi præsentem, in ratione obiecti actu intelligibilis, etiamsi illi sit præsens per illapsū; quia Deus est obiectum voluntarium, & nullatenus subijcitur creaturæ necessariò, vt quoad Essentiam suam, ita & quoad manifestationem eius: quare impossibile est intellectum creatum, posse habere virtute sua naturali, cognitionem Dei intuitiuam.

Probatur Tertiò. Impossibile est intellectū esse causam visionis, nisi intellectus habeat in se obiectū cognitum, vel immediatè, vel per aliquid repræsentatiuum creatum, vel per aliquid increatū, in quo eminentiùs & perfectiùs res cognita cognoscatur; vt patet ex sufficiēti diuisione modi cognoscendi: sed intellectus creatus, non potest naturali sua virtute, facere Deum sibi præsentem in ratione obiecti; nec immediatè, quia est obiectum voluntarium; nec in aliquo repræsentatiuo creato, quia talis species, esto quòd sit possibilis, vt dixi in Prol. q. 1. art. 4. non tamen est ordinis naturalis, sed simpliciter quoad substantiam est supernaturalis: nec tertiò in quo contineatur eminentiùs Essentia Diuina, cùm illa sit ens primum, primitate perfectionis & eminentiæ, iuxta dicta dist. 2. q. 2. ergo nullo modo est possibile. Vide plura apud Doctorem Subt. supra q. 1. Prologi, in 2. dist. 3. q. 9. in 4. d. 49. q. 11. ar. 2. in quodl. q. 14.

Tertia Conclusio. Potentiam Dei ordinariam attendēdo, ad visionem claram Dei eliciendam, probabilissimè ponitur in intellectu Beati lumen gloriæ creatum habituale. Probatur rationib. in principio dubitationis positis.

Lumen gloriæ creatum & videndū Deū, probabiliter ponitur in intellectu creato.

An verò Doctor Subt. hanc Conclusionem tenuerit, licèt negent Thomistæ, apertè tamen est de mente Doctoris Subt. vt patet ex litera hìc; cū inquit: *Nullus negat communiter in gloria habitum luminis gloriæ in intellectu; & iste* (puta habitus luminis gloriæ) *ex parte intellectus, potest correspondere Charitati, ex parte voluntatis.*

Ex quo textu duo colligo. Primum, quòd Doctor lumē gloriæ habituale, admittit de facto. Secundò, rationem, præter adductas in principio Dubitationis ad probādam hanc Conclusionem. Quòd, sicut se habet voluntas ad eliciendum actum beatificæ fruitionis, ita se habet intellectus ad eliciendum actum visionis; sed voluntas ad eliciēdum actum fruitionis, indiget habitu charitatis; ergo & intellectus ad producendam visionem Dei indiget habitu supernaturali luminis gloriæ.

Idem Doctor in 3. dist. 14. q. 1. art. 2. negat necessitatem luminis gloriæ, ad hoc, vt intellectus recipiat visionē Dei: sed ad eliciendam visionem, expresse supponit Doctor; ꝙ de potētia ordinaria Dei, sicut in voluntate, respectu fruitionis, requiritur habitus charitatis supernaturalis, ita in intellectu, ad producendam visionem, requiritur habitus luminis gloriæ.

Eandem Conclusionem approbat in 4. distin. 49. q. 11. art. 2. illis verbis. *Si sit aliqua forma supernaturalis & spiritualis in anima beati, prior operationibus, illa requiritur propter operationem eliciendam: & tunc requiritur aut propter obiectum, aut propter potentiam; & cùm duplex potentia concurrat in operatione in Beato, scilicet intellectus & voluntas, propter vtramque potest talis forma poni, &c.*

Ex his locis manifestum est, quòd Doctor Subtilis non negat lumen gloriȩ habituale de facto, & de potentia Dei ordinaria.

Quarta Conclusio. De facto, probabile est lumen gloriæ habituale non requiri, ad visionem eliciendam, sed principaliter elicitur à lumine increato, secundariò autem ab intellectu creato, immediatè à Deo eleuato.

Lumen gloriæ creatū probabile ē non dari.

Ista Conclusio potest attribui Doctori Subtili in quæstionibus disputatis, disputat. 11. quamuis prior Conclusio sit magis ad mentem illius tenenda: potestque probari Primò. Nullus habitus potest causare illum actum, quem non potest producere potentia; sed visionem Dei, non potest producere potentia sine habitu, vt dictum est Conclusione Prima; ergo illam nullus habitus potest producere.

Istud tamen argumentum cui innititur Mayr. parùm vel nihil concludit: quia nec præcisè habitus solus, potentia nullo modo coagente, nec sola potentia absque habitu, possunt talem visionem producere; sed habitus & potentia vnam causam effectiuam constituunt, eo modo, quo voluntas & gratia, respectu actus meritorij, non diuisim, sed coniunctim, principium effectiuum sunt; vel sicut intellectus cum specie, sunt vna causa effectiua; & disiunctim, nec potentia absque specie, nec species sine potentia, est actiua respectu intellectionis; vt dictum est distin. 3. quæst. 7.

Arguitur Secundò. Pluralitas non est ponenda sine necessitate; huius autem luminis, nulla est necessitas; ergo, &c. Minor. Quia quæcunque vel authoritates, vel rationes concludunt, requiri lumen supernaturale, ad visionem beatificam, optimè & sufficienter saluari possunt per lumen increatum, absque vllo habitu supernaturali; vt etiam doctiores Thomistæ Conclusione Prima citati concedunt: quare posito concursu supernaturali, increati luminis, frustra requiritur lumen supernaturale creatum.

Tertiò. De Diuinis Philosophandū est, secundū ea quæ fiunt apud nos, vt superiùs arguebāt affirmatiuam sniam defendentes: sed apud nos ita natura comparatum est, quòd ad videndum lumen, non indigemus alio lumine:

Exempli causa: non indigemus lumine candelæ, ad videndum lumen Solis; ergo & ad videndum lumen increatū, non indigemus lumine creato.

Confirmatur: Quia siue lumen hoc creatum, ex parte potentiæ requiratur, vt eleuetur, patet, ꝙ hoc longè eminentiori & perfectiori modo, præstare potest lumen increatum, q̃ creatum: siue ex parte obiecti: & cōstat, ꝙ nulla sit indigentia ex parte eius; cū tale obiectum, sit infinitę perfectionis, vt in rōne entis, ita & in rōne obijcibilis. Et hoc modo est intelligēda propositio Doctoris in 4. & in 3. illa: *Obiectum, quod de se & ex se habet perfectè rationem luminis intelligibilis, perfectissimè motiui intellectus, non indiget lumine cooperatiuo sibi, scilicet, tum ex parte obiecti, tum ex parte intellectus, cum illud ipsum lumē perfectissimum sit motiuum & eleuatiuum actiuè intellectus ad visionē*. Quæ propositio sic intellecta à Doct. (ex ipsius.n. textu verba sunt desūpta) cū sit euidens intellectui apprehēdenti terminos, immeritò negatur à Caietano 1. par. q. 12. art. 5. & frustra imponitur, ꝙ probetur solùm sufficientia ex parte obiecti, non autem ex parte intellectus; nam illa verba Doctoris, *ex se summè lux intelligibilis: &, de se perfectissimè motiua intellectus*: apertè sufficientiā obiecti, tum ex parte sui, tū ex parte motionis, & eleuationis intellectus creati, continēt.

Caiet. malè Scotum legit.

Confirmatur. Si secundùm propositionem visibiliū, de mysterijs Diuinis Philosophari debemus, cū nullus habitus, tū ad sensitiuam tū ad intellectiuā visionē habendā, respectu obiecti creati requiratur, vt patet; nullus etiam requiretur habitus ad visionem obiecti increati.

Dices. Sicut ibi requiritur species, qua mediante visus videt, & intellectus intelligit, ita hic requiritur habitus. Contra. Si quid cōparatio valet, inferri debet: Sicut hic p speciē habetur visio, ita & in patria deberet haberi p speciē, ex similitudine argumenti; sed species repræsentatiua Dei, negatur esse possibilis à Thomistis; ergo & lumē habituale meritò possunt negare: quia quæcunque inconuenientia adferri contra speciem ab illis possunt, eadē contra hoc lumen habituale militant, vt animaduersum est q. 1. Prol. art. 4. dubit. 4.

Quartò. Si lumen gloriæ sit principiū productiuum visionis, videtur aliquomodo sequi, quòd intellectus possit ex puris naturalibus videre Deum; quod est contra Conclusionem Primam. Sequela probatur exemplo. Sicut.n. cæco nato, quamuis supernaturaliter restituatur lumen, videt tamen postea naturaliter, quia habet formam, qua naturaliter, & non miraculosè potest vti ad visionē; ita si intellectui detur supernāliter aliquis habitus, per quē tāquam per formam sufficientem possit videre Deum, cùm ille habitus sit quid creatum, & naturaliter perficiens intellectum (quia intellectus habet naturalem inclinationē ad omnem habitum supernaturalem, vt quæst. 1. Prolo. dubit. 3. dixi.) sequitur, quòd per aliquam formam creatā, possibile esset videre Deum naturaliter: dico naturaliter; quia vtetur illa forma non supernaturaliter & miraculosè, sed tanquam perfectione naturali.

Circa hoc argumentum, aduerte duo. Primò, quòd illā sequelam, non infert Doctor in 3. dist. 14. absolutè, sed cū illo addito, *videtur aliquomodo sequi*: vt indicet, esse modū arguendi Topicum & probabilem, sicut & ipsa Conclusio, non est necessaria sed probabilis.

Aduerte Secundò, licèt hæc ratio sit probabilis & solubilis, Caietanus tamen illam non soluit, cùm dicit. Videri Deum naturaliter, per aliquā formā creatam, intelligi pōt dupliciter: vno mō, per formā creatam & naturalem; alio mō, per formam creatam & supernaturalem: primo modo est impossibile; secundo modo est necessarium.

Caiet. respōsio.

Comparatio autem de cæco illuminato, & intellectu illuminato, non valet. Quia ibi vis data est naturalis, licèt detur, supernaturaliter; hic verò & vis supernaturalis, & datur supernaturaliter.

Refutatur Caiet.

Ista Caietani respōsio, declarat, ꝙ Caietanus nō intellexit rōnem Doctoris. Non.n. Doctor intendit hìc dicere, ꝙ forma supernaturalis, quoad substantiā, qualis est gratia vel charitas, vel ēt lumen glorię, si admittatur, sm̄ priorem Conclusionē, & forma supernaturalis, quoad modum, nō quoad substantiam, vt est habitus naturalis Philosophiæ, supernaturaliter alicui infusus, vel visus cæco supernaturaliter restitutus, quòd inquam istæ duæ formæ, æqualiter denominant secundùm naturalitatem, effectum ab eis profectum: quasi verò actus naturalis meritorius, & actus naturalis visionis, sint ęqualiter naturales, naturalitate sumpta ex parte principiorum, quòd ita sit actus meritorius naturaliter elicitus à principio naturali, secundū substantiam, sicut actus visionis à principio naturali visiuo; hoc.n. est falsum, & contra Doctorem hìc & in 3. dist. 20. & aliàs, vbi ista fusiùs examinantur: sed intendit inferre, ꝙ visio illa beatifica, esset effectus naturalis in se, quoad substantiam, & non supernaturalis: quia sicut actus meritorius, elicitus à voluntate, & ab habitu supernaturali charitatis, non est supernaturalis, secundū suam substantiam; ita & ista visio elicita ab intellectu, & à lumine hoc supernaturali, nōn esset supernaturalis, sm̄ substantiam, cujus oppositum communiter docent Theologi.

Actus n ralis me torius, actus na ralis ali ius pot non æquè turales.

Secundò vult inferre Scotus, ꝙ sequeretur, lumine illo habituali & intellectu vnitis, naturaliter & necessariò sequi visionem Dei, vt concedit illa Opinio, & ipse Caietanus: hoc autem est falsum; quia Deus est obiectū voluntarium, respectu nostræ cognitionis; positis ergo omnibus rebus creatis, & mille luminibus creatis, cùm nullum tale possit necessitare Deum, vt se necessariò obijciat intuitiuè videndum intellectui creato; sequitur, ꝙ non necessariò videtur Deus.

Tertiò, & maximè vult inferre hoc, ꝙ ex rebus naturalibus, id est creatis, possit haberi visio clara Dei.

Quintò Arguo ad principale. Positis principijs concurrentibus, sufficientibus ad actū intelligendi, necessariò ponitur actus intelligendi; quia positis causis, à quibus effectus essentialiter dependet, ponitur effectus; sed intellectus & obiectum, concurrunt ad actum intelligendi, tanq̃ principia à quibus essentialiter dependet; ergo istis positis sufficienter, & approximatis, necessariò ponetur effectus, vt actus intelligendi; sed in patria est obiectum beatificū, & intellectus sibi præsens; ergo ex istis potest sequi actio, sine lumine quocunque infuso supernaturali. Maior est euidens. Minor probatur. Quacunque opinione posita, de intellectu, siue ꝙ sit actiuus intellectus, respectu intellectionis, siue ꝙ passiuus, siue partim actiuus partim passiuus, semp verū est, ꝙ actus intelligēdi, dependet ab obiecto & intellectu: si.n. sit purè passiuus intellectus, respectu intellectionis, tūc intellectio solū depēdet ab obiecto, imprimēdo; & ab intellectu, recipiēdo; quia intellectus de se respicit quemcūq; actū intelligendi. Siue etiā potentia sit simpliciter actiua, sola causans actū intelligēdi, & ab obiecto determināte siue excitante potentiā dependeat cognitio, patet ꝙ à duobus dependet: quod si actus intelligendi eliciatur à potētia, cócurrente obiecto, vt comprincipio, manifestū est ꝙ solū depēdet ab istis duobus cognitio: igitur quacūq; via data, actus intelligendi solū depēdet essētialiter ab intellectu, & obiecto; ergo istis positis & approximatis, sequtur necessariò actus intelligēdi; atque ita nō requiritur necessariò lumen supernaturale superadditum.

Vide hanc rōnem fusiùs explicatam, & confirmatam apud Doct. in quæstionib. disputatis. disput. 11.

Sextò Probari potest, rōne Durādi. Lumē gloriæ, reqritur à cōtraria Opinione, pp excellentiā obiecti super intellectū; ergo frustra. Cōsequētia. Quia obiectū beatificum, excedit in infinitū, nō solùm intellectū creatum sm̄ se, sed etiam cum tali lumine; & consequenter, lumen tale, non reddit intellectum de non proportionato proportionatū.

Respondet Caietanus. Negando consequentiam. Ad probationem. Dicit. Lumen glorię poni, propter excellentiam obiecti super potentiam, dupliciter potest intelligi: vno modo, vt adæquatur excessus augendo potentiam; & in hoc sensu procedit probatio Durandi, sed contra nullū militat: alio modo, vt excessus non prohibeat attractionē potentię ad tam excellens obiectum; & secundùm hunc sensum, ponitur lumen gloriæ, propter excellentiam obiecti supra potentiam, contra quem sensum probatio Durandi non procedit.

Respō Caieta.

Ista responsio. Primò est contra ipsum Caietanum, qui vt ostendi dist. 3. q. 3. art. 1. requirit proportionem obiecti poten-

potentiam, in modo essendi generico, si non specifico; sed lumen gloriæ, nullam habet proportionem genericam, in modo essendi cum Deo, vt patet; ergo non est inter lumen & Deum, talis proportio, quæ requiritur inter potentiam & obiectum. Secundò, illa ratio Durandi, procedit bene in priori sensu à D. Thoma intentum. Deinde, ad secundum sensum, diceret Durandus, quòd excessus iste non prohibens attractionem potentiæ ad obiectum excellens, fit ab ipso obiecto excellenti immediato, quia potentia quæ nõ debilitatur in agendo, perfectiùs potest tendere in obiectum perfectius, & obiectum perfectum perfectiùs mouet illam potentiam & afficit: Quare respononsio nulla.

[...]sponsio [...]et. impu[gn]atur.

Quinta Conclusio. Ad recipiendam visionem beatificam, si à solo Deo produceretur, non coagente intellectu creato, non requiritur vllus habitus supernaturalis præuius in intellectu. Hanc multis probat Doctor. in 3. distin. 14. q. 1. art. 2. Vide ibi fusiùs. Interim fundamentum huius assertionis, positum est supra q. 1. Prol. Quia intellectus & voluntas, ad omnes formas supernaturales habent inclinationem naturalem; & ita non requiritur vlla dispositio præuia. Deinde qua ratione potest immediatè recipi lumẽ habituale, eadem ratione potest immediatè recipi visio. Idem probant rationes adductæ ad præcedentem Conclusionem.

[Lu]mẽ glo[riæ] non re[qu]iritur ad [rec]ipiẽdam [vis]ionem [...]

Sexta Conclusio. Etiamsi de facto, & potentia Dei ordinaria, requireretur lumen gloriæ ad eliciendam visionẽ beatificam; de potentia tamen sua absoluta, posset Deus, absque vllo habitu, eleuare intellectum creatum ad talem visionem.

[De] potẽtia [abs]oluta [...], nõ re[qu]iritur lu[men] gloriæ, [ad] videndũ [De]um.

Istam Conclusionem cum Paludano in 4. tenẽt quidã Thomistæ, & in sententia nostra est certissima. Si. n. probabile est non requiri de facto, certum est quòd nõ necessariò requiritur ad talem visionẽ; ac proinde Deus potest sine illo lumine, concurrere cum intellectu creato, ad eliciendam visionem. Consequentia. Tum quia nulla ratio impossibilitatis ab oppositum tenentibus adfertur. Tum quia, quicquid potest Deus efficere mediante causa secunda, potest & sine illa; si ergo potest mediante lumine in creato intellectu producere visionem, potest & sine lumine.

Ad hanc secundam Consequentiæ probationem respõdet Caietanus. In tali probatione esse sophisma figuræ dictionis: mutatur siquidem Quid in Quale, seu in Adaliquid. Visio enim Dei creata, non significat rem absolutè, sed significat actum, in ordine ad agens creatum; & simile est, si argueretur. Deus producit actum meritorium, mediante voluntate & charitate Petri; ergo potest producere illum sine eis.

[Caie]et. male [...]tat di[ctum] [...] cõe.

Ista responsio deficit. Primò, quia negat commune dictum Theologorum, quòd Deus possit immediatè seipso, supplere omnem causalitatem, cuiusuis causæ extrinsecæ. Cui propositioni, æquiualet illa in probatione posita. Quicquid Deus potest mediante causa secunda efficere, potest per se immediatè sine illa; imò est eadem enunciatio cum superiori, alijs verbis prolata.

Secundò dico, quòd Caietanus Logicam non intelligit: vel si intellexit, abusus est ea. Tunc enim secundũ Logicos, Quid in Quale, vel in Ad aliquid, secundùm fallaciã figuræ dictionis mutatur, cùm terminus significãs substãtiam vel quidditatẽ alicuius Entis, mutatur in altera præmissa, in qualitatẽ, vel modum rei accidentalẽ; siue, cùm terminus vnius prædicamenti, commutatur, ob similitudinẽ quandã, in terminum alterius prædicamenti: in hoc autem syllogismo. Quod potest Deus efficere mediante causa secunda (loquor de efficientia positiua, respectu effectus positiui) illud potest seipso immediatè. Per ly Quod, & ly Illud, denotatur quidditas & realitas; ita quòd, quam rem, vel quam quidditatem, siue substantialem, siue accidentalem, potest effectiuè causare mediante causa secunda, illam rem, siue illam quidditatẽ, potest seipso, absq; causa secunda. Postea in Minori hac. Sed visionẽ beatificã, potest mediante lumine, vt causa secũda effectiua partiali producere. Visio accipitur, vt res, & vt quidditas accidentalis producibilis: acsi diceres. Hanc rẽ, seu hanc quidditatẽ, quæ dicitur Visio, potest causare; ergo in Minori non mutatur acceptio Quidditatis in Quale, nec in Adaliquid.

[Ca]iet. vel [no]n intelli[git] Logicã, [vel] ea abu[titu]r.

Tertiò dico quòd instantia sit ad oppositũ. Quia Deus de potentia absoluta, concurrendo cũ voluntate humana, absque positione habitus supernaturalis Charitatis vel gratiæ, potest producere actũ meritoriũ, ita quòd à volũtate non informata Charitate actus elicitus, posset à Deo, (si vellet) acceptari, vt in vitã æternã illi proficuus; licèt de facto, id nunquam fiat: ergo in simili diceretur de lumine gloriæ.

Probari potest eadẽ principalis Conclusio. Secũdò. Secundũ cõem opinionem Theologorũ, in 3. anima Christi, ponitur vniri Verbo immediatè, sine gratia media: & sm̃ etiam illos, ex vi illius vnionis, potest frui voluntas Verbo, & videre Verbũ: ergo intellectus põt videre Verbũ, & Essentiã Diuinã, sine lumine medio: & si Deus potest per talẽ vnionẽ, sine lumine medio facere, ꝙ intellectus videat Deum, potest etiã sine tali vnione, de potẽtia sua absoluta.

Cõfirmatur hæc rõ aliter. Nõ plùs depẽdet actus visionis Beati, ab ipso lumine infuso, q̃ actus naturæ humanæ à supposito humano; sed actus naturæ humanæ, potest esse eius, absque hoc, quòd existat in proprio supposito; vt patet in Christo Dño; (sufficit. n. ad hoc, ꝙ natura humana habeat propriũ actũ, ꝙ subsistat in supposito Verbi, ita ꝙ Verbũ per talem illapsum & vnionem, sufficit ad omnem actum eliciendum) ergo similiter Essentia Diuina, præsens intellectui beato, & ei illapsa, sufficere potest intellectui ad actum visionis eliciendum, sine aliquo speciali lumine.

Ex dictis patet, quòd malè intelligitur Doctor à Gabr. Vasquez. 1. part. disp. 42. dum docet, nihil certi pronunciare Doctorem de lumine gloriæ, cuius oppositum ostendimus, & manifestè deducitur ex locis allegatis.

Vasquez nõ intelligit Scotum.

Ad Argumenta in principio Dubitationis proposita.

Quamuis dici posset, quòd Primum probet Primam Conclusionẽ; & reliqua Tertiã; quia tamen directè contra Quartã ab aduersarijs proponuntur, soluenda sunt.

Ad Primum. Patet, ꝙ authoritas illa procedat de lumine gloriæ increato, vt dixi Conclusione Prima. Nec intentũ erat Ecclesiæ, determinare quæstionẽ, inter Scholasticos controuersam, An lumẽ habituale requiratur, vel non, vt malè opinatur Caietanus: sed contra hæreticorum errorẽ, asserentem, ꝙ creatura intellectiua, solis naturæ viribus, possit pertingere ad visionẽ Dei; opposuit veritatẽ hanc: Non potest hoc consequi naturæ viribus, sed indiget lumine gloriæ eleuante. Hoc autem optimè intelligitur de lumine increato, eleuante intellectnm immediatè ad actum supernaturalem.

Ad Secũdũ. Ille modus arguẽdi, ex rebus creatis ad increata, si vniuersaliter est verus, infert oppositũ potiùs, vt Conclusione 4. rõne 3. ostendi. Deinde, falsum est, ꝙ semp in naturalibus sit dispositio ad formã. Quando. n. calor calefacit aquã, ad formæ caloris inductionẽ, non requiritur vlla dispositio; quia aliàs in dispositionibus esset vel processus in infinitũ, vel stabitur ad immediatè inductam formã. Præterea. Si sermo sit de forma vltima totali, vt dicit Ferrar. ꝙ illius inductionem præcedant dispositiones, hoc prouenit ex imperfecto modo agendi agentis, quod non potest statim perfectam formam inducere, nisi præuijs dispositionibus, & formas imperfectas educat; sed Deus est agens perfectissimum, & ita non requirit, vt priùs dispositiones inducat, intellectum eleuans immediatè ad intellectionem causandam.

Ad Tertiũ. Nego Consequentiã. Quia proportio potẽtiæ ad obiectũ, non est proportio similitudinis, in mõ essẽdi naturaliter vel supernaturaliter; sed in rõne motiui & mobilis; vt dictũ est q. 3. ar. 1. Vnde si mõ Deus clarè videretur, Fidei lumẽ, seu habitus nõ requireretur; ita cùm de facto à Beatis videatur, habitus supernaturalis luminis gloriæ, in intellectu Beati non requiritur.

Ad Quartũ. Cõcedo totũ argumentũ: quod nõ plùs põt cõcludere, nisi ꝙ intellectus creatus sit ens participatum vt verè est ens per participationem; & habeat similitudinem aliquam in intelligenda Essentia Diuina, cum ipso intellectu Diuino, quia intellectus est potentia cognoscitiua spiritualis, sicut & Deo attribuimus; licèt postea ex

infinitate, independentiæ, alijsque perfectionibus Diuinis, maior dissimilitudo, quàm similitudo, inter nostrum & Diuinum intellectum sit.

Licèt Essētia Dei sit forma altior omni intellectu creato pōt tñ intelligi ab eo immediatè.

Ad Quintum. Negatur Consequentia. Sufficit enim sola voluntas Diuina, immediatè Essentiam intellectui creato manifestans. Probatio est falsa: vt patet. Tum in Sacramento, verbi causa, Baptismi: vbi materia & forma illius Sacramenti, modò causant gratiam, & ante nō causabant; non tamen per aliquam qualitatem spiritualem, vel aquæ, vel verbis illius formæ inditam eleuatur nunc. Tum, si moueat Deus petram aliquam sursum miraculosè, illa motio sursum, non mediante qualitate noua, per quam sit apta moueri, mouetur, & est actus tendendi sursum, ad quem nulla est potentia intrinseca; ergo, &c.

Ad Sextum. Concedo quòd erit mutatio in intellectu creato, non per acquisitionem dispositionis habitualis, sed per habitionem actus visionis, quem actum ante non habuit.

Ad Septimum. Licèt non sit sufficiens intellectus ad videndum Deum ex seipso, vel ex omnibus creatis auxilijs; sufficiens tamen erit ex auxilio speciali Dei, si immediatè se in ratione obiecti cognoscibilis Deus vniat intellectui creato, & velit ab ipso videri intuitiuè: quare ista sufficiētia, non erit per augmentum intensionis intrinsecæ, in virtute intellectiua, vel per appositionem qualitatis disponentis; sed per gratuitam & supernaturalē ipsius Dei, seipsum clarè manifestantis, ac intellectui obijcientis, efficaciam, intellectu creato partialiter coagente.

Ad Octauum negatur sequela. Probatio etiam non valet. Quia intellectus non est causa totalis respectu visionis, sed principalis est Deus, secundaria verò, & per modū instrumenti se habens, est intellectus creatus: in tanto igitur gradu producitur visio, quantum intendit principale agens: illius autem Sancta intentio vult, tanto vel tanto merito, respondere in tanto vel tanto gradu præmium.

SATISFIT ARGVMENTIS principalibus.

Ad Argumenta principalia. Ad Primum dico, quòd argumentum Augustini, &c.

COMMENTARIVM.

Litera ista tota euidens est ex dictis.

Illud verò quod sæpiùs hìc iteratur, de perfectione simpliciter, quid sit, expositum est supra, dist. 8. q. 1.

QVÆSTIO II.

Vtrum necesse sit in habitu ponere rationem principij actiui, ratione actus?

Secundò iuxta istam Quæstionem aliam, in generali propono de habitu, &c.

SVMMA QVÆSTIONIS.

Primò recitantur duæ Opiniones aliorum, de materia proposita. Secundò, Opinio tertia astruit, habitum habere rationem principij actiui partialis, respectu actus. Tertiò negatiua Opinio, opposita tertiæ exponitur, cum suis motiuis. Quartò, datur probabilissima determinatio secundùm tertiam Opinionem, quòd habitus sit causa actus: & argumenta triplicia contra illam supra posita, resoluuntur. Quintò, Opinionem negatiuam non esse omnino improbabilem, ostenditur.

ARTICVLVS PRIMVS.

Recitantur duæ Opiniones aliorum, de proposita Quæstione.

Ad istam Secundam Quæstionem. Dicitur, quòd aliter est de habitu acquisito, &c.

SVMMA TEXTVS.

Prima Opinio est Henrici, quodl. 4. q. 10. duobus dictis comprehensa. Alterum est. Ad actus naturales vel morales concurrere actiuè potentiam & habitum. Alterum. Ad actus tamen meritorios, solùm habitum supernaturalem concurrere, ita quòd dilectio, vel alia actio meritoria, sit totaliter elicita ab habitu supernaturali Charitatis vel gratiæ.

De Primo dicto, videbitur infra. Secundum, efficacibus quinque rationibus improbat Subt. Doctor, & communiter modò non tenetur ab vllo ista sententia, quod actus meritorius à solo habitu producatur.

Secunda Opinio est Gotfredi quodl. 9. q. 4. qui duo dicit. Primum. Quòd eodem modo concurrit habitus moralis & meritorius, ad actus, in ratione actiui vel non actiui. Quod dictum, in vno sensu verum est in altero falsum; vt videbitur infra. Secundum. Cùm in actu sint duo substantia actus, & intensio eius: potentiæ concurrunt ad substantiam actus; habitus verò causat intensionem actus. Istud dictum efficaciter improbatur quatuor rationibus satis euidentibus.

Et tamen Opinionem hìc improbatam à Subtili Doctore, attribuit illi Vasquez 1. 2. disput. 85. cap. 1. sed immeritò, vt multa alia.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Opinio tertia, attribuit omni habitui rationem principij actiui partialis, respectu sui actus.

Tertio modo, attribuendo habitui aliquomodo rationem principij actiui, &c.

SVMMA TEXTVS.

Prima Conclusio. *Omnis habitus est principium productiuum sui actus, ita tamen, quòd habitus vnà cum potentia concurrat.*

Secunda Conclusio. *Potentia potest sine habitu producere actum, licèt non ita perfectam nec ita expeditè, sicut cum habitu: & est sermo de actu naturali vel morali, non autem meritorio.*

Tertia Conclusio. *Quando habitus naturalis vel moralis concurrit cum potentia ad productionem actus, tunc potentia habebit rationem causæ magis principalis; habitus autem erit agens minùs principale, vt optimè deducitur hìc quinque rationibus. Additur: habitus naturalis vel moralis: de hoc enim facta quæstio præsens procedit: & deinde, quia habitus supernaturalis concurrit ad actum meritorium, vt meritorius est per modum causæ principalioris, supra potentiam; vt dictum est quæst. præcedenti art. 4.*

ARTICVLVS TERTIVS.

Negatiua sententia, opposita priori, cum suis motiuis, proponitur.

Contra istam Opinionem arguo, sic. Nulla distincta specie, &c.

SVMMA TEXTVS.

In priori parte, probabilibus argumentis arguit, improbando priorem sententiam. In secunda, ostendit modum tenendi illam sententiam, quæ tollit ab habitu omnem causalitatem. Dicit itaque, quòd sicut grauitas inclinat graue ad mouendum in actu primo, ponendo illud in potentia proxima, vt ad determinatum vbi habeat aptitudinem mouendi; licèt ipsa non sit actiua vel elicitiua motionis, secundùm sententiam aliorum: (neque enim in exemplis necessaria est absoluta veritas) ita diceretur

de

de habitu, quòd is facilitatem & inclinationem tribueret potentiæ ad operandum, ipsam tamen operationem seu actum nō attingeret actiuè, illam causando. Per hanc facilitatem potentiæque inclinationem, absque productione actus possent explicari omnes conditiones habitus (qui sunt promptè, faciliter, delectabiliter, expeditè operari) quòd propter illas non debeat attribui actiuitas habitui, vt bene & clarè declaratur in litera.

ARTICVLVS QVARTVS.

Datur probabilissima determinatio secundùm tertiam Opinionem quòd habitus sit causa actus; & argumenta triplicia, superiùs contra illam posita, diluuntur.

Tenendo tertiam viam, quæ videtur plùs attribuere habitui, &c.

COMMENTARIVM.

ISTam sententiam sequitur Alensis in 4. quæst. 8. mem. 8. art. 1. & 3.

Eandem viam videtur sequi S. Bonauent. in 4. d. 16. art. 1. q. 1. Richard. in 3. dist. 23. art. 1. q. 2. S. Thomas. 1. 2. q. 49. ar. 3. eiusque sectatores ibid. quæ etiam Doctori nostro, tum hic, tum in Quæstionib. disput. q. 6. longè probabilior videtur (licèt oppositum ei attribuat immeritò Vasquez.) Medina 1. 2. q. 49. art. 3. & propterea argumenta in principio Quæstionis adducta pro parte negatiua, hìc primò soluuntur.

Scotista de tenere terminatione huius articuli.

Vbi in Primi argumenti resolutione, habes determinatum, habitum omnem, etiam infusum, esse qualitatem de secundo modo qualitatis, inducere nihilominus aliquem ordinem & relationem realiter: de quo est prolixa pertractatio in quodlibetis huius Doctoris quodl. 13. art. 2.

Argumenta secundi generis, quæ hìc soluuntur, sunt illa, quæ Articulo Primo contra Opinionem secūdam proponuntur.

Deinde tertio loco annullantur illæ improbationes, quę art. 3. in principio contra hanc sententiam erant adductæ.

ARTICVLVS QVINTVS.

Opinionem negatiuam, non esse omnino improbabilem, ostenditur.

Qui vult tenere Quartam viam, quæ est Quinta in ordine, &c.

SVMMA TEXTVS.

Probabile est, quòd habitus non habeat causalitatem actiuā, respectu actus. Probabilitas huius Conclusionis, ex duplici capite sumitur. Prima ex ratione potentiæ, quæ seipsa est sufficiēs causare actum, absque habitu; ergo habitus causalitas, frustra requiritur. Deinde, quia nulla ratio necessariò cogit ad ponendum, vt patet ex solutione argumentorum præcipuorum hìc posita. Discursus huius Articuli, planior est ex dictis Doctoris, art. 3. huius quæstionis parte 2.

COMMENTARIVM.

LIcèt hæc positio non careat sua probabilitate, Caietanus tamen 1. 2. q. 49. art. 3. putat istam sententiam negatiuam esse simpliciter falsam: & determinatè necessariò tenendum, omnem habitum concurrere actiuè ad productionem actus.

Habitū cōcurrere actiuè ad actum Caiet. vult pbare cōtra Scotum.

Quod patere potest. Primò, ex ratione actus. Quia habitus est actus habentis, quia perficit illum; & est aliquomodo potentia eius, quia potentialem ad actum secundū constituit. Cùm igitur agere sequatur actum, & habitus sit actus & potentia, sequitur quòd erit potentia actiua, vel potiùs principium actiuum.

Secundò. Ars est habitus; vt patet ex 6. Ethicor. & est habitus factiuus in genere causæ efficientis; vt vult Philosophus 9. Met. vbi artem ponit inter potentias actiuas; ergo, &c.

Confirmatur ex 5. Met. Vbi artifex ponitur causa per se statuę; Polycletus autem, causa per accidens; ergo ars ipsa est per se principium actuum actus.

Tertiò. Domus quæ fit in materia, est effectiuè à domo quæ est in mente; & sanitas à sanitate; & vniuersaliter quodlibet artificiale à sua forma in mente; sed hoc nihil est aliud, quàm esse ab arte; ergo, &c.

Dicit igitur Caiet. Quòd habitus est causa substantiæ actus: & est causa triplicis modi illius actus, nempe, perfectionis seu intensionis, determinationis secundùm esse naturale, & determinationis secundùm esse morale.

Sed istæ ratiunculæ Caietani, non concludunt necessitatem actiuitatis in habitu ab illo intentam. Quia, etiam quātitas, est actus materiæ accidentalis, & aliquomodo potentia, quatenus facit materiam capacem immediatè alia quāta recipere, puta colores; & tamen non sequitur, quòd quātitas sit actiua. Deinde etiam materia est actus entitatiuus, & est potentia subiectiua, nec tamen sequitur quòd sit actiua. Idem dici potest de omni relatione creata, quæ communiter dicitur esse sterilis naturę, nec vllatenus actiua; & tamen est actus subiecti, & in potentia constituit proxima vt referatur ad aliud; & ita falsa est propositio illa. Agere sequitur ad actum.

Sed nihil valet.

Agere sequitur ad actū; falsa est.

Dices. Habitus est potentia actiua, non sic materia, vel quantitas, vel relatio.

Respondeo. Si sic accipis potentiam, tunc erit in argumento petitio principij: hoc enim inquiritur, an habitus sit principium actiuum, seu potentia actiua: (lato modo sumendo potentiam, pro omni principio productiuo) & tamen per hoc probas; quia est potentia actiua: quod negatur.

Ad Secundum. Responsio sufficiens habetur ex litera Subt. Doctoris, quòd omnis ars sit habitus factiuus; non quia actiuè concurrit ad actionem; sed quia inclinat potētias alias ad promptè, faciliter, delectabiliter, & expeditè faciendum. Est igitur ars habitus factiuus, non productiuè, sed inclinatiuè.

Per idem dico ad Confirmationem: quòd ars, in communi artificem sibi pro subiecto proprio vendicat, hunc autem artificem, puta Polycletum per accidens; sed inde non sequitur, quòd habitus artis, sit productiuus actus, sed solùm quòd habitus artis in communi, subiectum sibi commune per se actiuum determinat, non autem aliquod particulare, nisi per accidens.

Ad Tertium. Nullum artificiale, à forma quæ est in mēte, producitur actiuè, sed tantùm illi habitus sunt directiui ostensiuè & inclinatiuè, ostendendo & inclinando potentias alias, ad faciliter & expeditè operandum; quos etiam actus elicerent potentiæ sensitiuæ absque habitu, licèt non ita promptè & faciliter.

Fauet huic Opinioni Quartæ Vasquez supra, cap. 2.

QVÆSTIO III.

An habitus moralis, inquantum virtus, sit aliquo modo principium actiuum respectu bonitatis in actu?

Hoc tenendo de actu, quoad substantiam actus, siue quoad gradum, &c.

SVMMA QVÆSTIONIS.

In Primo Articulo, explicatur in quo consistat bonitas moralis. Secundo, à quo accipiat bonitatem moralem actus moraliter bonus. Tandem, argumenta in principio adducta soluūtur.

ARTICVLVS PRIMVS.

Explicatur in quo consistat bonitas moralis.

Quantùm ad istum Articulum. Dici potest. Quòd sicut pulchritudo, &c.

SVMMA TEXTVS.

Bonitas actus moralis in quo consistat?

Prima Conclusio. *Bonitas moralis actus non est quid simplici conceptu apprehensibile; sed est quidam decor illius actus, & perfectio secunda, integrata ex omnibus sibi conuenientibus, vt sit perfecta bonitas.*

Secunda Conclusio. *Actus vt sit moraliter bonus, primò & principaliter debet conformari recto dictamini rationis, quod dictat de obiecto, fine, tempore, loco alijsque circumstantijs.*

Conformitas actus moralis ad dictamē rectę rōnis ē relatio intrinsecus adueniens.

Tertia Conclusio. *Ista conformitas actus moralis, ad dictamen rectæ rationis, est relatio intrinsecus adueniens. Quia positis extremis, nempe actu directo, & dictamine rectæ rationis, directiuo talis actus, de necessitate resultat conformitas in actu ad dictamen prædictum. Istius conformitatis in actu, sicut & alterius alicuius relationis intrinsecus aduenientis, non est productio per se, nec causa per se productiua; sed illa est productiua causa conformitatis, quæ est per se productiua extremorum, puta ipsius actus & dictaminis. Est præterea prædicta cōformitas relatio realis. Tum quia hic appellatur talis relatio consurgens ex natura extremorum, qualis non est relatio rationis. Tum quia causæ illius (licet per accidens productiuæ) sunt reales, & ipsa extrema realia. Conformitas tamen in habitu, relatio est extrinsecus adueniens. Patet; quia potest esse habitus abstinentiæ, & dictamen rectæ rationis; & tamen talis habitus non conformabitur rationis dictamini: atque ita non sequitur ista relatio, positis extremis, necessariò in habitu, sed potest posterius sequi & produci; si in intentione sit conformitas ad finem, aliasque circumstantias.*

Conformitas in habitu est relatio extrinsecus adueniens.

Et hoc non intelligit Caietanus 1.2.q.55.art.1. dum miratur à quo tales relationes producantur, secundùm doctrinam Scoti: relatio enim extrinsecus adueniens per se est producibilis apud Doct.

Quarta Conclusio. *Idem habitus qui fuit malus, vt habitus abstinentiæ acquisitus ob malum finem, potest esse bonus, si postea inclinet secundùm præscriptum rationis rectæ, puta ob finem bonum, alijsque circumstantijs seruatis.*

Quinta Conclusio. *Habitus si sit conformis rectæ rationi, vel prudentiæ, est virtus; actus item talis est virtuosus: si sit difformis contrariè, est vitium; abstrahendo autem à conformitate & difformitate, nec virtus erit, nec vitium, sed habitus de genere qualitatis, aptus esse vitium vel virtus, secundùm aptitudinalem difformitatem vel conformitatem.*

Sexta Conclusio. *Habitus moralis virtuosus, non est causa actus (supposito quòd habitus concurrat eliciti uè ad productionem actus) inquantum est virtuosus, seu quatenus est conformis rationi rectæ aut prudentiæ, vt etiam Tertia Conclusio vult; sed quatenus est qualitas, connotando tamen assistentiā illius habitus, & conformitatem, ad rationem rectam vel prudentiam; vt art. 2. dicitur in textu: ac proinde, si habitus vt habitus, est principium actiuum, respectu actus, etiam habitus moralis virtuosus, erit actiuus, respectu sui actus; si autem habitus non est actiuus, nec habitus quatenus virtuosus, erit actiuus.*

ARTICVLVS SECVNDVS.

A quo accipit bonitatem moralem actus moralis.

Respondeo quòd bonitas moralis (vt prædictum est) est integritas, &c.

COMMENTARIVM.



PLures in hoc Articulo ponuntur Conclusiones, quarum aliæ æquiualent positis præcedenti articulo, aliæ distinctæ à prioribus, cognitu perfaciles, ob claritatem textus.

Habitū nō esse genus virtutis secundū Scotum docet Caet.

Occurrit tamen hic Difficultas. An habitus sit genus virtutis, ratio autem illa conformitatis ad rectam rationē siue ad prudentiam, vtrum sit differentia per se distinctiua habitus.

Et quidem secundùm sententiam Doctoris Subtilis; videretur alicui dicendum negatiuè. Et ratio est. Quia vna differentia de necessitate conuenit alicui speciei, & opposita oppositæ speciei; nec de vna specie potest fieri altera species; differentia siquidem vni speciei conueniens, non potest esse sine illa, nec talis natura potest aliam differentiam oppositam sibi vendicare; vt patet in naturis specificis; at secundùm Scotum ratio conformitatis, per accidēs conuenit habitui, neque determinat necessariò ad aliquam speciem.

Hæc verò sententia negatiua (dicit Caietanus 1.2.q.55. art.1.) repugnat & doctrinæ Scoticæ & veritati: Doctrinæ quidem. Quia apertè in hac quæstione vocat virtutē esse habitum; imò expresse docet habitum esse genus virtutis; hoc autem non est verum, si virtus moralis, vt sic, aduenit huic habitui mutato. Veritati autem. Quia habitus ille, qui dicitur virtus moralis, habituat appetitum ad sequendam rationem ex sua essentia; non enim solus habitus virtuosus abstinentiæ, debet inclinare ad abstinendum tm̄, sed ad abstinendū ob finem talem, & cum talib. circumstātijs; ac proinde, iste habitus, sic inclinans, non potest aliter inclinare; atque adeo non est Philosophicè dictum, quòd habitus moralis bonus, possit esse malus, vel indifferens.

Habitus genus virtutis secundum Scot.

Respondeo. Doctor Subt. apertè tum hic, tum in 3. dist. 33. & 36. nec non in quæstionib. disputat. q. 1. ac aliàs, concedit habitum esse genus virtutis; cuius oppositum immeritò tum Caietan. loco cit. tum Vasquez 1.2. disp. 84. cap. 2. attribuunt. Est etiam sententia Arist. 2. Ethic. c. 6. dicentis. *Virtus est habitus electiuus, immediatè existens quoad nos determinata ratione, & vt vtique sapiens determinabit.* Hoc tamen genus per differentiam moralem, non simpliciter vnam, contractum, sed per aggregationem plurium partialium conformitatum, ad debitas circumstantias, non debet habere tantam indistinctionem & inseparabilitatem à differentia, quantam habet genus Metaphysicum à differentia Metaphysica; sicut nec differentia moralis tantam habet indiuisibilitatem, quantam differentia Metaphysica: sed supposita habitus conformitate ad prudentiam vel rectam rationem, erit habitus virtutis; non posita, non erit virtus, sed tantùm habitus; idque vel malus, si sit difformitas ad prudentiam; vel nec malus nec bonus, sed indifferens, vel neuter, vt dicitur in 2. dist. 41.

Quare nec Scoticæ doctrinæ hoc dictum repugnat, vt patet; cùm sint compatibilia: nec veritati: quia licèt habitus abstinentiæ vt est virtus, determinatè inclinat ad actus bonos: ista tamen bonitas, cùm non sit de intrinseca ratione illius habitus, sed extrinsecè illi conueniat, per respectum ad finem, & alias circumstantias, potest esse absq; omni tali respectu, quia absolutum potest esse absq; relatione merè conuenienter sibi adueniente extrinsecus.

ARGVMENTA IN PRINCIPIO.

Quæstionis adducta, resoluuntur.

Ad illas authoritates adductas pro Quinta via, quæ videntur, &c.

COMMENTARIVM.

REsponsiones omnes in præsenti litera, procedunt secundùm sententiam Quartam quæstione præcedenti art. 2. propositam, at concedendo, quòd habitus virtutis causet effectiuè actum, non causabit quatenus est virtus, & per rationem illam conformitatis, quia virtus est; sed quatenus est habitus, iuxta dicta artic. 1. & 2. præsentis quæstionis.

QVAESTIO IIII.

Vtrum tota Charitas præexistens corrumpatur, cùm noua inducitur, ita quòd nulla realitas eadem numero maneat in Charitate maiore & minore.

Quartò circa augmentum charitatis, supposito quòd charitas, &c.

SVMMA QVÆSTIONIS.

Tres partes sunt istius Quæstionis. In Prima, recitatur Opinio Gotfredi quodl. 7. quæst. 7. quam secutus est postea Durand. dist. præsenti, q. 7. num. 25. quæ docet, quòd charitas, similiter &

& quælibet alia forma inſenſibilis,intenditur ſic,quòd nouo gradu formæ adueniente, prior corrumpitur: in remiſſione itidem, quando forma remittitur,& vnus verbi cauſa gradus deperit, totum quod præerat corrumpitur,& minus generatur. In ſecunda, ſex medijs confutatur prædicta Opinio. In Tertia, determinatio eſt Doctoris Subtilis pro hac ſententia, quòd in intenſione prior gradus formæ maneat, adueniente nouo; & deperdito etiam vno vel altero per remiſſionem, manent reliqui.

COMMENTARIVM.

IN ſecunda parte Quæſtionis, licèt ſint rationes efficaciſſimæ, quia tamen aliquantulùm literæ earum eſt ſubobſcura, eas per ordinem clariùs recito ſub breuitate.

Prima Ratio. Dum quis actu meretur augmentum charitatis; quæro. Vel eſt tunc charitas præcedens, vel non eſt? Si eſt, & in illo inſtanti infunditur augmentum charitatis; ergo charitas præexiſtens non corrumpitur;& habetur intentum: ſi non eſt; ergo vel ſequens charitas, vel nulla, erit ratio merendi; & per conſequens augmentandi: non nulla; quia de potentia ordinaria Dei, non eſt poſſibile actum eſſe meritorium,& ſine charitate; vt dictum eſt q.1. Neque charitas ſecunda; cùm charitas ſecunda,ſeu augmentum charitatis, ſit potiùs quaſi effectus actus meritorij, quàm cauſa illius.

Quodſi dicas. Non eſt ſimul actus meritorius; & charitas aucta, ſed actus meritorius tranſit ſecundùm eſſe, & manet in acceptatione Diuina; & ſic poſtea Deus auctam charitatem,infundit pro illo actu acceptato.

Hoc non valet. Primò. Quia in virtutibus moralibus, & etiam intellectualibus,intenſio habitus tūc fit, & in illo inſtanti,in quo actus eliciuntur:cùm enim actus ſit cauſa habitus, & intendat habitum; tunc quando eſt,cauſat & intendit;quando autem non eſt,non poteſt cauſare nec intēdere; ergo, &c. Secundò. Quia ponamus quòd Deus acceptet actum meritorium remunerari, pro illo inſtanti pro quo elicitur; ergo adhuc manet difficultas. Tertiò. Quia eadem ſpecies intelligibilis poteſt intendi,& idem actus intelligendi, ſi maiori conatu ad imperium voluntatis feratur intellectus, erit perfectior & intenſior; ergo prior non corrumpitur.

Secunda Ratio. Imperfectius nō poteſt continere naturam perfectioris; ſed in augmentatione intenſiua, caloris V.G. poteſt induci vltra ſeptem gradus caloris, medius gradus; ille medius,certum eſt quòd non ſit ita perfectus, ſicut ſeptem priores,vel ſaltem ſicut ille(per te)vnus integer intenſiuè; ergo tunc non erit intenſio; vel ſi erit, ſignum eſt priores præexiſtere.

Tertia Ratio. Quando calidum, agendo infrigidum, remittit frigidum, & poſtea introducitur noua frigiditas minor,in illud frigidum,corrupta maiori: quæro, à quo tūc illa frigiditas inducitur? Non à calido; quia contrarium nō generat contrarium; non à frigido præexiſtente; quia totum frigidum in ratione frigidi corrumpitur, ſecundùm te; ergo à nullo.

Quarta Ratio. Secundùm Philoſophum 5. Phyſ. tex.9. & 10. In accidentibus eſt motus, illo modo, quo non eſt in ſubſtantijs; cùm ergo intenſio,ſiue augmentatio ſit motus, eo modo debet eſſe, quo non eſt in ſubſtantijs; ſed in ſubſtantijs, corruptio vnius eſt generatio alterius, & reperitur tale magis & minus,quòd ſubſtantia maiori & perfectiori corrupta, generetur imperfectior: ergo magis & minùs in accidētalibus formis aliter accidit, quàm per corruptionem præcisè prioris formæ,& nouæ inductionem.

Quinta Ratio. Sequeretur quòd vna ſpecifica natura, puta caloris,eſſet magis vel minùs ſpecies: imò multæ ſpecies: quòd eſt incōueniens. Sequelam probo. Accipio calorem ſecundùm ſe,non conſiderando intenſionem: hic dicitur de omni calore: accipio deinde calorem quinq; graduū, hic non dicitur de omni, quia non dicitur de calore vt ſex, vel vt ſeptem, & tamen eſt ſpecies, quia prædicatur de pluribus differentibus numero in Quid, quia poteſt prædicari,& de hoc calore 5. graduum,& de illo,& de illo,&c.

Sexta Ratio eſt clara.

QVÆSTIO V.

Vtrum illud poſitiuum Charitatis præexiſtens, quod manet in augmento, ſit eſſentia Charitatis intenſæ?

Quintò, ſuppoſito quòd charitas prior non corrumpatur, quando augmentatur, &c.

SVMMA QVÆSTIONIS.

Primò. Opiniones tres aliorum proponuntur, & refutantur. Secundò, propria ſententia, recitatur, & argumenta oppoſitæ ſententiæ reſoluuntur.

ARTICVLVS PRIMVS.

Opiniones aliorum proponuntur,& refutantur.

Opinio innitens argumentis factis ad primam partem, &c.

COMMENTARIVM.



SEntentia, negans intenſionem formæ fieri per additionem gradus ad gradum, eſt D.Tho.1.2.q.52.ar.1.& 2.& Thomiſtarum ibi. Aegidij quodl.2.q.14.& quodl.6.q.9.& 10.

Cùm tamen nihil realitatis addatur formæ præexiſtenti,quomodo fiat intenſio,dicitur ab iſtis authoribus tripliciter. Quidam enim docent,ſecundùm maiorem vel minorem diſpoſitionem ſubiecti,fieri maiorem vel minorem intenſionem. Alij attribuunt intenſionem elongationi à contrario, non autem ipſi qualitati, quaſi habeat gradus perfectionis & partes. Alij & communiùs,per radicationem formæ in ſubiecto, volunt ſaluare intenſionē. *(Intenſionē negant Thomiſtæ fieri per additionem gradus ad gradum.)*

Quam quidem radicationem, variè explicant Thomiſtę.

Sed præ alijs,ad mentem S.Thomæ loquendo,Capreol. in 1.diſt. præſenti quæſt.2. dicit Primò. Ponere qualitatem intendi iſto modo,quòd magis firmatur & radicatur in ſubiecto, & quòd non augetur eſſentialiter,implicat contradictionem. Tū quia 2.2.q.24.dicit S.Thomas. Nihil aliud eſſe qualitatem augeri, quàm ſubiectum magis participare qualitatem: non enim eſt aliud eſſe charitatis, niſi quòd habet eſſe in ſubiecto: ex hoc autem ipſo,quòd ſubiectum magis participat charitatem, vehementiùs operatur: quia vnumquodque agit inquantum eſt actu: vnde quod magis reductum eſt in actu, perfectiùs agit: ponere ergo quòd aliqua qualitas non augetur ſecundùm eſſentiam, ſed augeatur ſecundùm radicationem in ſubiecto, vel ſecundùm intenſionem actus, eſt ponere ſimul contradictoria. Idem habet in 1.diſt.17.q.2.art.1. *(Capreolus D. Thomā docet fauere Scotiſtarum opinioni aliquo modo.)*

Dicit Secundò. Qualitas augetur per hoc, quòd educitur de imperfecto ad perfectum. Vnde in 1.diſt.17.q.2. dicit D.Thomas. Quando charitas augetur, (& idem eſt iudiciū de alijs intenſibilibus,) nihil ibi additur: ſicut dicit Philoſoph.4.Phyſ.tex.84.quòd aliquid efficitur magis album, vel magis calidum, non per additionem alicuius albedinis vel caloris, ſed quia illa qualitas, quæ priùs inerat, intenditur ſecundùm propinquitatem ad terminum. Et infra exemplificans is Doctor, dicit. Vnde ſicut per actionem calidi, efficitur de non calido calidum, non quòd ponatur ibi aliquis calor, ſed ille qui eſt in potentia, educitur in actum: ita etiam efficitur magis calidum, per actionem calidi, inquātum educitur calor qui inerat, vt actus imperfectus, in maiorem perfectionem, & aſſimilationem agentis. Idem docet in 2.2.quæſt.24.art.5.

Dicit Tertiò. Aliquæ formę intenſibiles, intenduntur nō ſolùm ſecundùm maiorem participationem ſubiecti, ſed etiam per additionem alicuius. Cuiusnam verò rei ſit additio, explicatur hoc 1.2.q.52.art.2. his verbis. Sed quia quædam accidentia augentur ſecundùm ſeipſa, vt ſupra dictum eſt: in quibuſdam horum poteſt fieri augmentum per additionem: augetur enim motus per hoc, quòd aliquid ei additur, vel ſecundùm tempus in quo eſt,

vel secundùm viam per quam est, & tamen manet eadem species propter vnitatē termini; augetur etiam nihilominus motus per intensionem secundùm participationem subiecti, in quantum scilicet idem motus potest expedire, aut prompte fieri.

Persimilia docet Valentia tomo 2.q.4. puncto 2.

Ex quibus, & alijs pluribus Conclusionibus, ibidem à Capreolo recitatis, colligitur, quòd non omnino D. Thomas negauerit, ipsam formam accidentalem in se habere latitudinem, & indifferentiam ad maiorem vel minorem perfectionem accidentalem.

Heru. Scotū sequitur in præsentima teria.

Ob quam causam Herueus quodlib.6.q.1. & in 1. dist. 17.q.4.& 5. Scoticæ omnino subscribit sententiæ, (ac proinde malè oppositam ei sententiam attribuunt Vasquez. 1.2.disp.82.c.2. Zoar. in sua Metaph. disp.46 sect.1.nu.3.) cùm dicit dist. præsenti quæst.4. Videtur mihi, quòd ratio, quare aliqua forma suscipiat magis & minùs, est indeterminatio formæ specificæ, secundùm quam est indeterminata ad hoc, quòd in sua essentia, vel saltem in suo esse, vt alij dicunt, sit magis perfecta, vel minùs perfecta: quam indeterminationem, alij latitudinem, vel in essentia, vel in esse nominant. Idem docet quodlib.6.quæst. vlt. cùm ait. Videtur mihi dicendum quòd in formis suscipientibus magis & minùs, est quædam latitudo graduum, ita quòd albedo intensa, est quātùm ad essentiam suam perfectior, quàm albedo remissa. Verum tamen est, quod idem author dist.17.primi lib. quæst. 5. disputando, An Charitas augeatur per additionem, videtur negare additionem: nō tamen simpliciter negat: sed Quartam Opinionem referendo, quæ illi magis probabilis videtur dicit, augmentum non fieri per additionem gradus ad gradum, ita quòd sint ibi duo gradus distincti, quorum vnus addatur alteri, & vnus possit distinctè signari ab altero; sed fit tale augmentum, per hoc, quòd forma eadem, quæ prius erat imperfecta, fit perfectior, ita quòd ipsa intensa, habet plus, quàm prius. Quæ omnia conformia sunt Scoticæ doctrinæ.

Soncinas tamen 8. Metaph. quæst.21.& alij Thomistæ, omnino volunt docere, quòd D. Thomas neget latitudinem graduum in ipsa forma, sed tota prouenit intensio à subiecto; prout reuera idem S. Tho. videtur docere 1. 2. q.52.ar.1.ac.2.& 2.2.q.24.ar.5.

Idem prædictis locis attribuit D. Thomæ Caietanus. Ac priori quidem loco dat fundamentalem rationem huius negationis Caietanus, hanc. Quicquid conuenit formæ, vel conuenit ei secundùm rationem formalem, & specificam, vel conuenit ei secundùm rationem materialem & numericam, cùm hæc numero forma sit à materia. Quæ conueniunt formæ priori modo, conueniunt ei secundùm se, & in entitate sua quidditatiua, quæ autem conueniunt secundùm rationem numeralem, conueniunt illi à subiecto, seu à materia per ordinem ad quam forma est hæc numero. Dicitur igitur vltra. Quòd intensio conuenit formæ accidentali secundo modo, non primo.

Latitudinē graduum negat à formis intensibilibus Caie.

Sed istud fundamentum Caietani nihil valet, vt videbimus in 2. dist.3.

Interim sententiam hanc negatiuam, siue sit D. Thomæ (vt reuera locis modo allegatis est) siue non; vt vult Capr. & Heru. supra, & aliquomodo Vasquez 1.2.disp. 82. ca.4. optimè improbat Subt. Doctor in præsenti textu, triplici ratione satis clara.

Caiet. resp. ad rationes Scoti.

Sed Prima ratio Caietani non satisfacit. Dicit enim, quòd contraria in quocunq; sunt gradu, sunt contraria, & incompossibilia in eodem: quare antecedens argumenti huius primi, erit falsum. Deinde, dato Antecedente: non sequitur quòd illa incompossibilitas consurgat ex gradibus, sed abstrahit ab eis, sicut & ipsa forma; & hęc incompossibilitas est ex gradibus; & hæc conuenit formis, ex illo respectu ad subiectum, ex quo conuenit latitudo.

Caiet. resp. nō valent.

Sed prima responsio non valet. Contraria enim in gradibus remissis, puta calidum vt 4.& frigidum vt 4. sunt cōpatibilia in eodem, vt patet ad sensum in aqua tepida, & docet Capreol. loco alleg. in responsione ad argumenta.

Secunda responsio non valet. Nā incompossibilitas cōtrariorum, licèt sit secundùm se prior, quàm vt in subiecto, cur tamen in eodem subiecto secundùm gradus intensos, sint incompatibilia aliqua contraria, quæ sunt compatibilia in gradibus remissis, nō potest reddi alia ratio, nisi quia in intensione vnius formæ, ob perfectionem & latitudinē illius in se, magis expletur capacitas subiecti, ac proinde incapacitatem simul ponit, respectu alterius contrarij; non sic in gradibus remissis.

Ad rati Doct. Capr. Ict.

Ad Secundum. Respondet Capreol. dist.in. præf. & Medin. 1.2.q.52. Ex Maiore & Minore huius rationis, solùm sequitur quòd sit facta mutatio secundùm aliquid reale; & hoc concedit: subiectum enim mutatum est secundùm illam formam: quia magis est reductum in actum illius formæ, quæ intensa est: non tamen sequitur ex isto argumento, quòd aliqua realitas formæ de nouo adueniat.

Contra. Mutatio est transitus de non esse ad esse. Quæro. Quid per secundam productionem transit de non esse ad esse? Non subiectum, vt patet: nec forma præexistēs; ergo aliquid formæ, & illud voco realitatem nouam. Deinde. Cùm dicis. Subiectum magis reductum in actum illius formæ. Quæro. Vel aliquid nunc est de actu illius formæ, quod ante non fuit; & habetur intentum: vel nihil; & sic non magis est reductum à causante intensionem.

Tertiæ rationi hic positæ, adde quartam in principio quæstionis ad oppositum propositam.

Inten attrib maior spositi subiect

Sententia (cuius meminit in textu D. Subt.) attribuens intensionem dispositioni maiori vel minori, est Aegydij vbi supra: eamq; tuetur Argent. distinct. præf. quæstio. 2. artic. 2.

Contra hanc arguit D. Subtilis, sic. Dispositio ad inductionem caloris minùs intensi, sit A, & ad inductionē magis intensi, sit B. Vel igitur dispositio A. & B. sunt eiusdem speciei, vel diuersæ: Si eiusdem: ergo illa dispositio habebit in se latitudinem graduum; quia erit maior vel minor: Si dicas, quòd diuersæ sit speciei, vt siccitas in igne, humiditas in aere. Contra Primò. Sicut forma specifica respicit talem specie dispositionem, puta ignis requirit pro dispositione, in communi siccitatem, ita quæuis forma singularis, sub illa specifica sub sumpta, requirit eiusdem rationis dispositionem sub illa communi subsumptam, puta siccitatem: ergo malè dicitur, quòd distinctas specie requirat dispositiones ignis. Contra Secundò. Si calor remissus aliā requirit dispositionem, à dispositione caloris intensi, sequitur quòd à calore remisso, motus ad calorem intēsum, non poterit esse vnus seu continuus, nec ab intenso ad remissum, poterit esse continuus: consequens est inconueniens; quia vnitas motus, est eius continuitas, & vnitas desumitur ab vnitate agentis, subiecti, & formæ, quę per motum inducitur; quæ omnia inueniuntur in aliquo calore intenso & remisso; ergo &c. Sequela Maioris probatur. Motus calefactionis à calido remisso ad intensius calidū, non fit, nisi illud receptiuum intensionis, habeat dispositionem conuenientem intenso calido; sed dispositio conueniens intenso calido est alterius rationis per te, & motus alterius rationis ab illo, qui fuit in remisso; ergo propter distinctionem illam specificam dispositionum, quæ sunt etiam formæ, non poterit esse vnitas, & continuitas motus calefactionis.

Arge argu prior tentia

Contra hanc determinationem arguit Argentinas supra. Primò. Sicut se habet virtus ad agere, sic essentia ad esse; sed eadem virtus in nullo variata secundùm gradus essentiæ, magis & minùs agit in passum, vt est magis vel minus dispositum; ergo essentia essentialiter & intrinsecè in nullo variata, eidem subiecto dat magis & minùs esse, secundùm quod ipsum subiectum est magis vel minùs dispositum.

Secundò. Si charitas, vel aliæ huiusmodi formæ, susciperent magis & minùs secundùm essentiam suam, tunc in abstracto dicerentur secundùm magis & minùs. Consequens est falsum; quia Arist. in prædicam. cap. de Quali, dicit, quòd iustitia, non dicitur magis & minùs iustitia. Sequela Maioris probatur. Quicquid conuenit formæ secundùm essentiam suam, hoc conuenit sibi in abstracto.

Rōne gidij tur.

Ad Primam harum obiectionum. Respondeo Primò. Maior est falsa; essentia siquidem se habet ad esse, identicè realiter, vt dicitur infra dist.36. virtus autem se habet ad agere vt distinctum realiter; ergo nō sic se habet. Deinde,

Si limi-

Si limites. Hoc modo se habet essentia ad esse, secundùm magis & minùs, sicut se habet virtus ad agere, secundùm magis & minùs. Sic etiam comparatio est falsa; quia vna essentia vnius rationis, puta essentia huius albedinis, ad suã existentiam propriam, non magis se habet quàm alia albedo ad suam, habet enim se identicè corruptibiliter, sicut & alia. Si etiam sermo sit de inesse accidentis, siue de inhærentia, quòd ita se habet essentia ad inesse, sicut virtus ad agere. Sic etiam comparatio est nulla; quia inhærentia vnius accidentis est vna, virtus autem actio non est vna; inhærentia est indiuisibilis, non sic virtus, quæ potest agere secundùm magis & minùs, non tantùm quæ subiacet inperio voluntatis, sed etiam qualitas aliqua intensibilis, quæ magis intensa, magis est actiua, minùs intensa, minùs actiua.

Respondeo Secundò. Si quid valet argumentum hoc, probat contrarium; subinferendo hanc Minorem sub illa Maiori. Sed eadem virtus licèt sit in nullo variata, non põt agere secundùm magis & minùs, in passum dispositum, nisi in ipsis dispositionibus, quæ sunt formæ accidentales, sit maioritas & minoritas; ergo etiam eadem essentia, non potest dare subiecto magis & minùs, nisi sit magis & minùs in ipsa essentia; quare dabitur latitudo formarum.

Ad Secundam Obiectionem respondeo. Negando Sequelam. Quod enim dicitur de aliquo in abstracto sumpto, debet illi conuenire per se primo modo, vt dixi dist. 5. quæst. 1. intensio autem non conuenit qualitati isto modo, vt patet, & docet Doctor in fine huius quæstionis; quia est modus illius variabilis.

Ad Aristotelem. Respondet Vasquez, vbi supra, c. 3. Aristotelem non negare quòd vna iustitia sit maior altera, vel possit esse; idem enim communi sermone vsurpatur, sed per ista aduerbia, magis & minùs, non esse vsitatum in Græca lingua, dicere magis vel minùs iustitiam.

Verùm, cùm idem significent ista aduerbia, imò meliùs explicent intensionem qualitatis in abstracto, quàm illa nomina cõparatiua, maior vel minor; non adfert is author causam, cur vel in Græco, vel in Latino idiomate, non debeat dici vsitatiùs magis iustitia, quàm maior iustitia.

Respõderi debet meliùs, secũdùm dicta Doctoris Subt. aliàs. Quòd de iustitia abstractè accepta, non dicitur magis vel minùs; quia sic iustitia, sola prędicata quidditatiua continet; aliter in concreto, vbi concernit subiectum, & habitudinem ad subiectum; & hoc tantùm vult Arist. Addi potest: quia secundùm communem cursum, accidentia sunt in subiectis, & non per se denominant subiectum secundùm magis & minus, cui insunt talia accidentia; non autem denominant seipsa in abstracto.

Tertia via, quòd per amotionem contrarij fiat intensio. Falsa est; vt patet. Tum ex improbatione in litera. Tũ quia aliquæ qualitates intensibiles, vt sonus, lumen, species sensibiles, ac etiam intelligibiles, non habent contrarium, & tamen sunt intensibiles. Quamuis igitur negare non possimus, quòd naturaliter non rarò intensio fiat cum amotione contrarij, vt patet in intensione caloris per amotionem frigoris in aqua; tamen etiam tunc in illa amisione contrarij, non consistit formaliter intensio. Et sic intelligendus est Arist. 3. Topic. & 5. Phys. tex. 19. cum docet, illud esse intensius, quod est contrario impermixtius: Hoc enim verum est, quòd qualitates intensibiles, non omnes, sed habentes contrarium, quantò magis intenduntur, tantò minùs contrarię qualitati permiscentur; non tamen in hoc formaliter consistit intensio: nec est illa definitio, vel descriptio intensi necessaria, sed à posteriori notificatio qualitatum intensibilium, habentium contrarium. Vltima via, de radicatione formę in subiecto, quòd per talem radicationem formæ, fiat intensio, est communior Thomistarum huius temporis.

Impugnatur autem optimè ista Opinio. Tum duabus rationibus vltimis; tum etiam quatuor rationibus ad priorem partem huius articuli positis. Et breuiter, quando dicunt Thomistæ, qualitatem radicari & intendi, per hoc, quòd illa qualitas educitur de imperfecto ad perfectum. Quæro; vel tunc educitur aliquid formæ, vel nihil? si nihil; ergo tunc nulla est actio, cùm impossibile sit esse actionem & eductionem realem, sine termino reali formali: si educitur aliquid formæ, habetur latitudo graduum in eadem forma, quod intendimus.

De hac tota materia, vide plura apud Doctorem Subt. in Scripto Parisien. dist. præsenti & 8. Metaph. q. 2. Ant. Andream ibid. Mayron. Bassol. Aquilanum, aliosque Scotistas dist. præsenti.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Propria sententia recitatur: Et argumenta, quæ priori sententiæ fauebant, resoluuntur.

Ad istam Quæstionem, concedo præcipuè propter, &c.

COMMENTARIVM.

Intensio fit, per additionem gradus ad gradum

PRimæ partis Articuli Conclusio est hæc. Qualitas remissa non includit tantùm de realitate & latitudine formæ, quantum includit intensa: sed sicut maior quantitas excedit in quantitate molis, quantitatem minorem, aliquas partes insuperaddẽs; ita qualitas maior siue intensior, excedit in quãtitate perfectionis entitatiuæ, siue intensionis, qualitatem eiusdem rationis minùs intensam.

Istam Conclusionem non modò Doctor Subt. eiusque vniuersi discipuli defendunt, sed etiam præterea Aureol. Arimin. Ocam, alijque Nominales, S. Bonauent. in 1. dist. 17. p. 2. q. 1. Alex. de Ales. 4. part. q. 9. memb. 3. art. 2 §. 1. Richard. in præsenti art. 2. qu. 1. & 2. Vasquez supra, Zoar. in Metaph. disp. 46. Sect. 1. nu. 34. Alb. Mag. in 1. dist. 17. q. 10. Heru. quodl. 6. q. 11. & in 1. dist. 17. q. 4. & 5.

Hic occurrunt aliquæ difficultates, in hac materia explicandæ. Quarum Prima est. An illi gradus sint realiter distincti. Secunda. Vtrum gradus aduenientes sint homogenei. Tertia. Vtrum forma intensa & remissa, sit vna & eadẽ numero. Quarta. Vtrum in intensione, quantum intenditur de vna qualitate, tantum remittatur de opposita.

An gradus intensæ formę sint realiter distincti. Affirmant quidam

Ad Primam difficultatem. Respondet Mayr. in 1. dist. 18. quæst. 2. Concedendo, vt partes in linea, ita gradus in forma, realiter distingui & actualiter. Probat. Tum quia illa, quorum vnum potest produci, non producto altero, distinguuntur realiter; tales autem sunt gradus huiusmodi, qui ponuntur in forma. Tum quia vbi vnum destruitur, & aliud remanet, ibi est distinctio realis: quidam autẽ gradus manent, destructis alijs per remissionem: cùm igitur hæc sit via inuestigandi realem distinctionem, secundùm Doctorem Subt. in 2. dist. 1. Consequenter secundùm eius doctrinam, isti gradus distinguentur realiter. Tum quia hæcceitates (quæ sunt principia actu distinctiua) sunt diuersæ horum graduum. Tum quia oportet quòd causantia totum in actu, sint ipsa in actu; totum autem homogeneum, causatur in actu à partibus, sicut à causis materialibus.

Alij negant.

Oppositum tenet Ioan. Canon. huius Doctoris discipulus, lib. 5. suę Phys. quæst. 3. qui vt ostendat istos gradus cõstituere vnum realiter: notat, vnum dici multipliciter: aliud enim est vnum, vnitate identitatis essentialis & simplicitatis, vt Diuina Essentia & relatio: aliud est vnum, vnitate compositionis, vt homo: aliud est vnum, vnitate continuitatis, vt linea: aliud est vnum, vnitate heterogeneitatis, vt corpus humanum: aliud est vnum, vnitate homogeneitatis, vt aqua. Hec ad propositum applicando, dicit, quòd ex duobus gradibus vnius formæ, fit vnum, hoc vltimo modo: cùm isti gradus sint vnius naturæ: nec enim videtur possibilis esse intensio, nisi gradus sint vniti.

Hec tamen Canonici responsio, non euacuat difficultatem. Nam homo verè est vnum vnitate compositionis: & tamen certum est, quòd illius totius partes, sunt realiter distinctæ: ita dicerem in proposito, quòd licèt albedo intensa sit vna, vnitate homogeneitatis, stabit tamen realis distinctio graduum, in illa vna forma. Vnde etiam Mayronius concedit ibi esse vnum diuisum, quia non sumuntur in cõtinuo partes actu diuisæ: sed plura distincta, quia in illa forma homogenea, sunt plures partes actu distinctæ. Concedit etiam in continuo quouis, esse multa absolutè, quoad

existen-

exiſtentiam, licèt ſit vnum quoad ſubſiſtentiam, ſeu ſeparationem ab alio.

ſententia affirmatiua melior.

Cócedo igitur, quòd albedo intenſa, habet partes homogeneas realiter diſtinctas in potentia, licèt indiſtinctas actu realiter: & ſic ſunt intelligenda verba Doctoris hìc, circa finem *Dicitur tamen illa albedo vna numero, loquendo de vnitate numerali completa, quæ completur ex partibus homogeneis.*

Porrò in eſſentia duplices ſunt partes: quædam materiales ſiue accidentales, quæ ſunt extra rationem ſpecificã formæ; & quantùm ad iſtas, forma ſuſcipit magis & minùs; quædam verò formales & quidditatiuæ, quæ cadunt in definitione, & conueniunt eſſentię obiectiuè & ſubiectiuè, priores verò tantùm ſubiectiuè; & quãtùm ad iſtas partes quidditatiuas, dico eſſentiam non ſuſcipere magis & minùs, vt docet Doctor Subtilis, & omnes eius diſcipuli.

Gradus intenſionis ſunt homogenei

Ad Secundam difficultatem. Reſpondeo cum Doctore, & omnibus Scotiſtis. Quòd illi gradus ſint eiuſdem rationis & homogenei, ſic, quòd quemadmodum in augmentatione, quantitas noua eſt eadem ſpecie cum quantitate præexiſtenti, & diſtinguitur tantùm numero partiali & imperfecto; ita in intenſione, gradus de nouo aduenićs, eſt eiuſdem generis & ſpeciei, & denominationis, cum priori, ſolumq; diſtinguuntur hæcceitatibus imperfectis & partialibus, ad conſtituendum vnum numero perfectum. Hoc tamen non ita intelligo, quòd gradus ſequentes, tantùm partiales dicant hæcceitates; ſed naturam qualitatis partialem partiali hæcceitate affectam, ex quibus vna numero completa & perfecta conſtat qualitas. Sicut in ſimili, de quantitate continua Philoſophamur. In iſto autem nouo gradu, non eſt noua ratio formalis, quæ aliquid ſecundùm quidditatem definibilem addat priori; ſed eadem ſpecie quæ præfuit in gradibus præcedentibus, inducitur per ſequentes, licèt non eadem numero imperfecto: priorque gradus dicit ordinem ad ſecundum, & ſecundus ad tertiũ; non ſecundùm ordinem & dependẽtiam eſſentialem, quia ordo eſſentialis non datur inter res eiuſdem rationis; ſed ordinem tantùm accidentalem, illo modo quo vnitates concurrunt ad conſtitutionem numeri.

Ratio huius Concluſionis eſt. Prima. Sicut ad formas alterius rationis, ſunt motus & mutationes alterius rationis; ita & ad formas eiuſdem rationis, ſunt mutationes eiuſdẽ rationis; ſed motus ad albedinem, vel aliam qualitatem intẽſam & remiſſam eſt eiuſdẽ rationis, imò & vnus numero; ergo eiuſdem ſpecie qualitatis, gradus intenſior & remiſſior, ſunt eiuſdem ſpeciei.

Secunda. Formę alterius rationis, conſtituunt diuerſas ſpecies; ſed albedo intenſa & remiſſa, non conſtituunt diuerſas ſpecies, vt patet, ergo, &c.

Forma intenſa & remiſſa eſt eadem numero forma.

Ad Tertiam difficultatem, omiſſa opinione Burlei, qui teſte Canonico ſupra, tenet partem negatiuam: Reſpõdeo affirmatiuè, quòd forma intenſa & remiſſa, ſit eadem numero. Cùm enim gradus præcedens non corrumpatur, ad inductionem ſequentis, manifeſtum relinquitur, quòd illa forma imperfecta vna numero partiali imperfecto intenditur. Vnde quamuis ſequens gradus ſit diſtinctus realiter, & diſtinctam habeat hæcceitatem partialem à priori; verè tamen vna numero dicitur eſſe forma intenſa & remiſſa.

Pro cuius pleniori intellectu. Aduertendum eſt, illud quod Subt. Doctor quæſt. præcedenti docuit. Quòd ſicut pars eſt duplex; quædam eſt actu in toto, à toto non diuiſa: alia eſt actu diſtincta à toto; ita vnitas his partibus reſpondens, duplex erit. Altera vnitas partis vt in toto eſt; & hæc propriè non eſt vnitas numeralis; quia illud propriè vnum numero dicitur, quod vnam productionem terminat: cùm ergo pars vt in toto eſt, non ſit terminus adæquatus productionis, ſed totum, non erit propriè vnum numero: Alia eſt vnitas partis, non vt in toto, ſed vt diuiſæ, & ſecundùm ſe acceptæ: & hæc vnitas eſt propriè principium numeri. Cùm igitur intenſio tota terminetur ad qualitatem intenſam, illa erit vna numero cum remiſſa, quæ vnitur intenſioni in ratione partis vt in toto: ac proinde non erunt diſtinctæ numero, niſi impropriè, eo modo, quo partes in toto homogeneo indiuiſæ, dicuntur eſſe numero diſtinctæ, impropriè.

Quarta difficultas ſupponit, quòd qualitates contrariæ, poſſunt eſſe ſimul in gradibus remiſſis, vt patet per experientiam, ſed non poſſunt eſſe in gradibus intenſis, quia ſic ſe mutuò pellunt. Hoc ſuppoſito, quærit, vtrum quando intenditur vna qualitas, Exempli cauſa, calor, & altera remittitur, vt frigus, tantum intenſiuè debet corrumpi de frigore, quantum intenſiuè inducitur de calore.

In intẽſio[ne] quantum [in]tenditur vna for[ma] tantũ re[mit]titur de o[p]poſita.

Et reſpondeo affirmatiuè. Quod ſic intelligo. Ponatur naturalis latitudo graduum eſſe in calore vt decem, ſimiliter naturalis perfectio & intenſio tota frigoris, ſupponatur conſiſtere in decem gradibus; calor igitur vt decem, & frigus vt decem, non ſe compatiuntur ſimul, in eodem ſubiecto. Quodſi in frigidum vt decem, agat calidum, inducendo vnum gradum caloris, & poſtea alium, tũc cùm corruptio formæ præcedentis ſit prior generatione ſequẽtis, priùs natura corrumpitur vnus gradus frigoris, & poſteriùs natura inducitur gradus caloris: & vt remiſſio illa frigoris ſit ſucceſſiuè per partes, ita & ipſa intenſio caloris, donec veniatur ad quintum gradum caloris in ſubiecto, in quo remiſſi ſunt totidem gradus frigoris; & hìc eſt temperamentum, & compatiuntur ſe in ſubiecto, hoc modo contraria. Poſtea caloris inducitur gradus ſextus, & frigoris amittitur gradus ſextus, remanentibus quatuor; deinde inducitur ſeptimus, remanentibus tribus; & ſic ſucceſſiuè vſq; ad decimum gradum frigoris, quo corrupto, decimus gradus caloris inducitur.

Quod dicitur de intenſione inter contraria poſitiua, idẽ dicendum eſt proportionaliter, de intenſione alicuius, non habentis poſitiuum contrarium, ſed tantùm priuatiuum, vt de lumine, quòd quantò aliquid magis illuminatur, tantò magis recedit à tenebris; non quòd tenebræ ſint remiſſibiles, cùm ſint priuatio lucis, ſed quia priuatio menſuratur per ſuum habitum; ita quòd quo aliquid plùs habebit de lumine, illud minùs erit tenebroſum: quod maximè lucidum, illud nullo modo tenebroſum.

Nominales quamuis in Concluſione huius Articuli nobiſcum conueniant, in præſentis tamen difficultatis reſolutione diſſident, dum docent contraria in nullo gradu ſimul eſſe poſſe.

Contr[a] ſecundũ [No]minales nullo g[radu] ſunt co[mpa]tibilia.

Sed reuera & ſenſum negant, vt patet in multis: & rationem. Quia quando calidum inducit vnum gradum caloris: quæro: vel ſunt ibi aliqui gradus frigoris, vel non? ſi ſunt; habetur intentum: ſi non. Contra. Tum quia nulla eſt repugnantia vnius gradus caloris ad omnes frigoris. Tum quia reliqui omnes gradus caloris inducerentur in inſtanti, non ſucceſſiuè, quia deeſſet præcipua cauſa ſucceſſionis in ſubiecto, nimirum ſuum contrarium, quod etiam eſt inconueniens.

Eſſenti[æ] ſicut nu[me]ri quo[mo]do.

In reſponſione ad Argumenta principalia, maximè ad Primum de numeris, vis reſolutionis ſtat in hoc. Quòd Philoſophus ibi comparat quidditates, in eſſe obiectiuo, & definibili acceptas, non autem in eſſe entitatiuo actualis eſſentiæ. Sicut enim vnitas addita numero, variat rationem illius numeri; addita enim vnitas ternario, facit quaternarium: ita gradus aliquis differentiæ, additus eſſentię, variat rationem illius eſſentiæ; vt rationale additum animali, aliam eſſentiam conſtituit: ſed in propoſito, non adduntur gradus quidditatiuè diſtincti, ſed homogenei. Vnde ſicut ſi intelligeretur vnitas aliqua ternarij intenſior fieri, quàm priùs fuit in ſe, non mutaretur ille numerus ſpecie: ita in propoſito, quicunq; gradus additus formæ præexiſtenti, non eſt aptus mutare ſpeciem.

Quòd autem additur in textu, *quidditates comparari numeris, ſecundùm quatuor proprietates*, colligitur facilè ex 8. Metaph. in Commento textus 10. Vbi Prima conuenientia numeri cum quidditate, ſeu definitione eſt. Quòd ſicut diuiſio numeri non procedit in infinitum, ſed ſtat ad vnitates indiuiſibiles; ita & diuiſio definitionis non procedit in infinitum, iuxta illud 2. Metaphyſ. In eſſentialiter ordinatis, non eſt proceſſus in infinitum. Secunda conuenientia eſt. Quemadmodum à numero ablata vel addita vnitate, variatur ratio numeri; ita in definitione, ablata vel addita differentia, variatur ratio quidditatis. Tertia conuenientia eſt. Sicut numerus eſt per ſe vnus, conſtans ex diſtinctis vnitatibus; ita & quidditas eſt per ſe vna, licèt conſtet ex diſtinctis rationibus quidditatiuis, puta, genere &

differen-

differentia. Quarta. Vt numerus non habet magis nec minùs; neque enim vnus ternarius, eſt magis ternarius alio ternario; ita nec quidditas ſecundùm rationē quidditatiuam accepta, habet magis vel minùs.

Ex his patet literæ expoſitio.

Addi præter textum poſſet hic, illa reſponſio Doctoris Subt. cuius meminit Doctor in fine expoſitionis textus allegati, ex 8. Metaph. Quòd præfatæ comparationes & ſimilitudines, non intelliguntur de forma accidentali, nec de forma ſubſtantiali, quę eſt pars compoſiti; ſed de forma totali, quæ eſt quidditas ſeu eſſentia rei, vt probant omnes ſimilitudines. Nec enim forma partis reſoluitur in indiuiſibilia diſtincta realiter; vt vult prima conuenientia: Nec ei additur inquantum forma, quia reſpectu additi fieret materia; quoad ſecundam conuenientiam: Nec ſimiliter quoad quartam conuenientiam, valet de forma partiali vel accidentali, quòd illa non recipiat magis & minùs: ſed bene valet de totali quidditate.

Vtraque reſponſio eſt Scotica, ſed prior videtur melior.

Ponitur in non paucis exemplaribus etiam antiquioribus, quæſtio illa, An charitas augeatur per extractionem partis nouæ, de potentiæ ad actum. Sed non eſſe literā Scoti vetuſtiſſima (quæ ſequimur) teſtantur exemplaria, licèt oppoſitum velit Guilerinus: quia tamen doctrina in illa comprehenſa eſt doctrinę Scoticæ conformis, in 1. Report. diſt. 17. quæſt. 5. ideo illam per modum Dubitationis propono, ne aliquid in præſenti ad integritatem doctrinæ defuiſſe videatur. Quare.

Dubitatur Primò.

Vtrum Charitas augeatur per extractionem partis nouæ, de potentia ad actum.

Quòd ſic. Primò. Vbicunque eſt mutatio, ibi eſt extractio alicuius de potentia ad actum; augmentatio Charitatis eſt mutatio; ergo in eius augmentatione, oportet ponere extractionem illius de potētia ad actum; ſed non eſt exitus de potentia ad actum, niſi actus educatur de potentia; ergo charitas ſic educitur; ſed non extrahitur tota de potentia ad actum; ergo ſecundùm partem.

Item. Charitas intenditur, ſicut concedit iſte; ergo mutatur; igitur, vt priùs, pars noua extrahitur de potentia præexiſtentis ad actum. Conſequentia prima patet. Quia intendi includit mutari.

Item. Si charitas augeatur; ergo eſt ibi generatio alicuius totius compoſiti; quia omnem mutationem, concomitatur generatio aliqua: ſed omnis generatio eſt compoſiti 7. Met. & 8. ergo in augmentatione charitatis, generatur aliquod compoſitum; non compoſitum ex anima & charitate, quia tunc charitas non crearetur, creatio enim non requirit aliquod ſubiectum: generatur igitur compoſitum ex parte præexiſtente & ſequenti; & per conſequens, illa extrahit de potentia ad actum.

Contra. Si charitas augetur, per extractionem eius de potentia ad actum: aut igitur per extractionem de potentia ſubiecti, ſcilicet animæ vel voluntatis: aut charitatis pręexiſtentis. Non primo modo: quia tunc eſſet forma naturaliter educta, & ita forma naturalis: quod eſt falſum, & contra fidem: ſecundo modo non: quia forma charitatis præexiſtens & ſequens, eiuſdem ſunt rationis: ergo vna non eſt principium materiale reſpectu alterius, de quo educatur. Confirmatur. Quia forma ſimplex, ſecundùm Boetium, ſubiectum eſſe non poteſt.

inio Hē quodl. 1.18. Hic dicit vnus Magiſter tria. Primum, quòd poſſibilitas ad augmentationem in forma infuſa, non eſt accipienda ex parte ſubiecti, vel materię, cùm non ſit educta de potentia materiæ: ſed eſt accipienda ex parte formę ipſius in ſe, quæ in ſua eſſentia partes habet. Natura enim vt eſt ſub minori quantitate, eſt in potentia, vt educatur ad actum quantitatis maioris. Secundò dicit, quòd hæc augmētatio, non eſt per aliquid eiuſdem naturæ appoſitum; quia augmentatio in formis, non eſt per partium appoſitionem in ſubſtantia vel eſſentia ipſarum, ſed in virtute, per quā augmentatum efficaciùs poteſt in ſuam operationem propriā, quod non faceret ſi ſimile apponeretur ſibi, quia tepidum additum tepido, in æquali gradu, non facit magis calidum. Tertiò concludit, quòd ſit augmentatio per extractionem talium partium virtualium in ſubſtantia habitus in actum: quarum quælibet educta de potentia partis præcedentis, ponit augmentum: Et nō ſolùm ponit augmentum in ſubſtantia habitus, ſed etiam in virtute: quia ſubſtantia & virtus in forma, idem ſunt: ſicut pars extracta, facit augmentum in virtute charitatis præcedentis, quæ eſt in potentia, non ratione ſui ſubiecti, ſed ratione ſuæ naturæ, ad actum vel gradum extractum.

Contra iſtam Opinionem. Videtur quòd contradicat ſibi. Nam iungendo primum cum tertio, & è conuersò, ſequitur oppoſitum ſecundi: quia ſi fiat augmentatio in charitate, per extractionem partium virtualium, tunc aut per iſtam extractionem habetur aliqua entitas realis noua, vel non. Si non; ergo iſta extractio, non erit aliqua actio, & per conſequens, augmentabitur charitas, ſine actione Diuina: Si autem eſt aliqua realitas, ad quam terminatur iſta extractio: quæ non eſt præciſè realitas prior, quia concedit latitudinem in eſſentia formæ, nec prior realitas corrumpitur, ſecundùm ſic opinātem: igitur terminatur ad aliquam realitatem aliam à priori, & cùm faciat vnum per ſe cum priori, (aliter non eſſet augmentatio) ſequitur, quòd hoc ſit per appoſitionem vnius realitatis ad aliam: igitur ponere augmentationem charitatis fieri per extractionem, eſt ponere eam fieri per appoſitionem. Refutatur opinio

Item. Sic Opinans, inquantum ſic, differt à ponente augmentationem fieri per appoſitionem, dicit minùs rationabiliter, quàm dicit ipſe: quia ab eodem generatur habitus, & augmentatur ex 2. Ethic. Generatur autem habitus huius charitatis, à Deo, igitur & augmentatur ab ipſo: hoc autem non eſt ſecundùm eſſe in ſubiecto ſolùm, ſicut probatum eſt contra Secūdam Opinionem, in præcedenti quæſt. nec quia prior gradus corrumpitur, ſicut probatum eſt contra Primam Opinionem: ergo eſt, quia Deus augendo, addit aliam realitatem præcedenti: ergo non ſit per extractionem illius gradus à ſubiecto, ſed per additionem noui gradus, ad gradum præexiſtentem. Magis enim propriè dicitur augmentatio per appoſitionem, quam per extractionem. Charitas augetură ſolo Deo.

Reſpondent iſti. Quòd hæc extractio eſt virtualis, & non partis accidentalis. Contra. Neceſſariò eſt ibi aliqua actio realis, & paſſio, quæ terminatur ad aliquid: & non ad aliquid pręexiſtens, quia tunc idem acciperet bis eſſe: ergo ad aliquam realitatem nouam: & ſic appoſitio & compoſitio, cùm ſint eiuſdem rationis: ergo nulla differentia eſt, niſi quòd Prima Opinio dicit aliquid apponi, & iſta dicit aliquid extrahi.

Dico ergo. Quòd non eſt ibi extractio, nec iſtum modum concipio, quia talis productio, nō eſſet productio, ſed dico, quòd eſt ibi noua realitas, addita præexiſtenti, ſicut partes vel gradus non quidditatiui, ſed indiuiduales, & exiſtentiæ.

Ad Primam rationem. Dicendum, quòd non ſequitur. Subiectum exit de potentia ad actum; ergo forma educitur de potentia ad actum. Quia ſiue educatur naturaliter de potentia ad actum, ſiue ſupernaturaliter infundatur, ſemper ſubiectum eius exit vniformiter de potentia ad actum, & non forma ipſa. Et ideo in illa conſequentia, eſt fallacia conſequentis. Quia non omnis mutatio ſubiecti, eſt per operationem naturalem, educentem formam de potentia materiæ vel ſubiecti, ſed ſubiectum vniformiter mutatur à priuatione formæ ad formam, vndecunque ſit iſta forma, vel naturaliter educta, vel per infuſionem immiſſa.

Ad Secundum. Dico, quod non ſequitur. Charitas intenditur; ergo charitas mutatur: ſicut non ſequitur. Quantitas molis augetur; igitur mutatur vel mouetur: nam ſolum ſubiectum mutatur, non forma, niſi Metaphoricè, & impropriè. Vnde forma, quæ propriè dicitur augeri & intendi, non propriè mutatur, niſi per accidens, inquantum eius ſubſtantia mutatur: ſicut ſubſtantia quanta mutatur, & non quantitas: licèt quantitas ſit ſecundùm quam ſubſtantia quanta mutatur & augetur, ſumēdo augere Metaphoricè. Nam habens formam, mutatur ſecundùm eam, licèt ipſa non mutetur.

Tenendo

Tenendo tamen, quòd ad intendi sequitur mutari propriè. Dico, quòd forma non intenditur, nec augetur, quia non mutatur; sed quòd habens eam, dicitur intendi & mutari secundùm eam. Et isto modo charitatem intendi, non est aliud, quàm subiectum eius (vt animam) secundùm eam intendi; & ideo secundùm se propriè, non conceditur isto modo quòd charitas intenditur, sed subiectum eius secundùm eam. Vnde dicit S. August. & habetur in litera. Charitas non crescit, sed homo habens eam, crescit secundùm eam. Nomen tamen mutationis, attribuitur diuersi modè. Nam alicui attribuitur, vt termino primo; vt cùm dicitur, quòd compositùm generatur: & attribuitur alicui vt subiecto; vt cùm dicitur, materia generatur: ita in proposito, augmentatio dicitur aliquando de subiecto augmentationis, quandoque de forma, vt proximo & formali termino augmentationis. Istorum modorum, secūdo modo dicitur forma intendi, & mutari; primo modo, subiectum eius.

Compositū primò generatur. Ad Tertium. Concedo quòd compositum primò generatur, vt anima chara, in augmentatione charitatis; quod compositum includit subiectum & terminum.

Et quando dicitur, Quod tunc non esset creatio. Dico. Quòd in eodem instanti temporis, in quo charitas vel gratia creatur, infunditur animæ; sed in alio & alio instanti naturæ, quia priùs natura gratia vel charitas creatur, quàm animæ infundatur; licèt totum sit in eodem instanti temporis. Vnde duplex est ibi mutatio: vna, à non esse charitatis vel gratiæ, ad esse gratiæ; & hæc est verè mutatio, quæ est creatio; & non est mutatio propriè dicta, quia nihil præsupponit, nec naturā, nec subiectum eius susceptiuū. Alia est mutatio, à subiecto non charo, ad esse charum; & sic mutatur anima, à non esse charo, ad esse charum; & ista mutatio, non est simpliciter creatio, quia præsupponit susceptiuum; & ideo hæc mutatio secundùm quid, potest dici generatio, & totum compositum, secundùm quid generatur tale, & non simpliciter; quia substantia, quæ est terminus generationis præfuit, vel præsupponitur in infusione gratiæ, generatur secundùm esse gratum & accidentale.

Prius natura gratia creatur, quàm animę infundatur.

Dubitatur Secundò.

An charitas possit diminui?

Videtur quòd sic. Primò. Contraria nata sunt fieri circa idem, ex 4. Metaph. sed augeri & minui sunt contraria; & charitas potest augeri; ergo & minui.

Secundò. Omne peccatum adimit aliquid de bono (secundùm August. in Enchirid.) sed veniale est peccatum; ergo adimit aliquid de bono; sed non bonum naturæ adimit; ergo aliquid de bono gratiæ vel charitatis.

Tertiò. Peccatum mortale, corrumpit gratiam; ergo veniale minuit; si enim maius potest corrumpere, minus potest diminuere.

Quartò. Diligere Deum supra creaturam, auget charitatem: diligere autem creaturam supra Deum, corrumpit charitatem: igitur diligere creaturam æqualiter cum Deo, non auget, nec tollit totaliter, sed minuit charitatem.

Oppositum sentit August. lib. 83. qq. q. 31. vbi vult, quòd Deus non sit causa non esse; quod autem non est causa non essendi, non est causa deficiendi, vel diminuendi. Idem tenet Subt. Doctor in 1. Report. dist. 17. q. 7. Bassol. q. 4. D. Bonauentura, dist. 17. p. 2. q. 3.

Quidā senserunt Charitatem minui de facto. Pro resolutione. Sciendū est. Quòd quidam ex antiquioribus Theologis, vt meminit Doctor loco ci. senserunt charitatem de potentia Dei ordinaria posse minui, & aliquando de facto in habente ipsam minui.

Ad hoc probandum, præter prædictas rationes, adducebant alias. Primò ex S. August. lib. 83. qq. q. 36. vbi dicitur, venenum charitatis esse cupiditatem; per cupiditatem autem intelligitur peccatum veniale; ergo peccato veniali diminuitur charitas.

Secundò. Habens charitatem æqualem, est charus Deo; igitur si peccatum veniale non minuit charitatem, & duo habeant æqualem charitatem, vnusque illorum peccet venialiter, alius non, tunc vterque est æqualiter charus Deo; hoc autem consequens est inconueniens; quia vnum punit, alium non.

Tertiò. Per peccatum veniale, minuitur feruor charitatis, ita quòd actus charitatis, secundùm feruorem diminuitur; ergo cùm intensior & feruentior actus, maiorem charitatem mereatur, remissior minorem merebitur, & consequēter, ipsa feruoris diminutio, erit diminutio & remissio charitatis. Dicit igitur prædicta Opinio, quòd cupiditas mortalis, corrumpit charitatem, cupiditas autem venialis, diminuit charitatem.

Quòd charitas nō minuatur ostenditur. Hanc Sententiam non modò falsam, sed etiam irrationabilem vocat Bassol. Et meritò quidem. Primò. Si charitas potest minui per peccatum veniale; ergo cùm sit finita in aliquo subiecto, potest per peccata venialia totaliter tolli; omne enim finitū diuisibile, totaliter potest tolli per amotionem partium æqualis quantitatis: sed hoc est impossibile & falsum; quia tunc homo per peccata purè venialia, damnaretur.

Secundò. Suppono quòd aliquis habeat minimam charitatem, & committat peccatum veniale; tunc si peccatum veniale adimit charitatem, in tali corrumpet totaliter charitatem: & sic veniale erit mortale, & propter vnum veniale, poterit damnari.

Quare dicendum est, quòd habitus charitatis infusæ, de potentia Dei ordinaria, non diminuitur; quia neque per causam demeritoriam; neque per efficientem, talis diminutio esse potest. Vel enim causa demeritoria est peccatum mortale: & hoc non diminuit, sed totaliter tollit charitatem: vel est peccatum veniale: & hoc nullo modo tollere vel diminuere potest charitatem. Causa autem efficiens charitatem, ipse Deus, licèt possit de potentia sua absoluta, minuere charitatem, quia hoc non includit contradictionem: de potentia tamen ordinaria, secundùm leges nunc positas, statuit illam non diminuere. Ratio huius decreti Diuini est. Quia ordinauit nunquam auferre magis bonū, pro minori demerito: omne autem peccatum veniale, est minùs malum, quàm auferre charitatem, peccatum autem mortale, est magis malum: & ideo solùm subtrahit Deus conseruationem charitatis, propter peccatum mortale, & non propter veniale: vniuersaliter enim sicut Deus præmiat vltra condignum, sic punit citra condignum.

Feruor charitatis minuitur peccatis venialia. Sed potestnè Feruor charitatis minui? Dico. Experientia docet quòd sic. Hoc autem quidam explicant, dicendo, quòd charitas causat in voluntate feruorem duplicem: vnum essentialem, qui est ipsiùs charitatis: & alium accidentalem. Prior itaque feruor non diminuitur, secundùm istos: accidentalis autem diminuitur.

Ista distinctio est superuacanea. Quia vt calor naturalis: ita informat subiectum quòd non causat alium calorem simul inhærentem, sic nec calor spiritualis, vt est charitas.

Ideo dico cum Doctore. Quòd feruor qui diminuitur, est charitas, non simpliciter, sed vt est principium faciliter operandi: & ista facilitas operandi, quæ dicitur feruor, diminui potest: aliquando propter habitum inclinantem in oppositum charitati: aliquando peccatis venialibus, vel omissione eorum ad quæ homo tenetur. Vnde sicut ex frequenter operari, efficitur habitus faciliter operandi, ita ex omissione actuum diligendi Deum, vel ex commissione peccatorum venialium (manente habitu charitatis integro quoad substantiam) efficitur tepidior & difficilior aliquo modo ad operandum.

AD ARGVMENTA IN PRINCIPIO POSITA.

AD Primum. Licèt contraria apta sint esse circà idem, ex natura sua: de potentia tamen Dei ordinaria, ob causas prædictas, non fit diminutio charitatis, licèt possit esse de absoluta.

Ad Secundum. Peccatum veniale, non adimit bonum charitatis, quod est actus primus, sed illud bonum, quod est in actu secundo, nō quidem quod infuit, sed quod aptū erat infuisse, & debuit infuisse actui secundo, si non pec- casset: vt dictum est paulò ante, de diminutione feruoris, quòd non charitas quoad substantiam diminuitur, sed facilitas agendi intermittitur.

Ad

Ad Tertium. Maius & minus in eodem genere, sic se habent, quòd si maius corrumpat, minus potest diminuere; si sunt in eodem genere secundùm illud, secundũ quod agunt; sed mortale & veniale, sunt peccata genere distincta, ac proinde potest mortali conuenire corrũpere Charitatem demeritoriè, & non conuenire veniali diminuere.

Ad Quartum. Dico. Sicut dilectio creaturæ supra Deũ, corrumpit charitatem, ita & diligere æqualiter cum Deo, est peccatum mortale; & consequenter non diminuet, sed corrumpet demeritoriè totaliter charitatem.

Ad rationes pro sententia illa, quæ docebat charitatem diminui per peccata venialia.

Ad Primam. Dico. Cupiditas mortalis, est venenũ charitatis, non autem venialis; nec plus ex illa authoritate inferri potest.

Ad aliud. Dico, manente æquali charitate, æquè charus est Deo ille cum peccato veniali, sicut alius sine peccato. Et cùm dicitur. Non æquè acceptat illum quem vult punire, & alium quem non vult punire. Respondeo. Imò potest multò plus acceptare illum quem punit, sicut Pater vult aliquando verberare filium, & non seruum, & tamen filium multò magis diligit: similiter etiam patet de multis Sanctis, qui descendunt ad purgatoriũ, quos Deus multò magis diligit, quàm paruulos baptizatos statim decedentes.

Ad Tertium de feruore. Dico iuxta dicta, quòd feruor habitualis charitatis, seu ipsa charitas, nunquam diminuitur per veniale; sed feruor diminuitur ille, qui est quædã promptitudo derelicta ex actibus frequentatis.

DISTINCTIO XVIII.

DE SPIRITV SANCTO, PROVT dicitur donum.

QVÆSTIO VNICA.

Vtrum donum dicat proprietatem personalem Spiritus Sancti?

Quòd non, videtur. Quia secundùm August. 15. de Trinit. &c.

SVMMA TEXTVS.

Tota Quæstio per ordinem his Conclusionibus absoluitur.

Prima Conclusio. *Donum acceptum aptitudinaliter, pro donabilitate, seu quod aptum est donari creaturæ, non est proprietas Spiritus Sancti. Ratio fundamentalis est. Quia proprietas constitutiua Spiritus Sancti, in esse personali est proprietas ad intra, absque vllo respectu ad creaturam extra.*

Deinde. *Quia relatio rationis, non est de necessitate entis realis, simpliciter necessarij: sed Spiritus Sanctus est ens simpliciter necessarium; donabilitas, vt dicit ordinem ad creaturam, est ens rationis: ergo, &c. Tandem quia vna Persona Diuina, non constituitur inesse personali duabus relationibus, sed vna, vt patet de Patre & Filio: cùm igitur Spiritus Sanctus constituitur in esse personali per spirationem passiuam: non constituetur relatione donabilitatis.*

Secũda Cõclusio. *Nulla Persona Diuina constituitur in esse personali per aliquem respectum ad creaturam. Ratio est. Quia accipiendo creaturam, secundùm omne esse creaturæ, tum secũdùm realem existentiam, tum secundùm esse diminutum, Personæ Diuinæ sunt simpliciter priores, & in esse personali præintelliguntur constitutæ vt bene hic dicitur, & apparet ex dictis supra dist. 1. q. 2. de prioritate in Diuinis, magisque patebit in 2. dist. 1. q. 1.*

Tertia Conclusio. *Si donum idem significet quod liberè seu liberaliter productum, & dare sit idem, quod liberè per modum voluntatis producere: sic cùm donum esse, vel dare nõ aliud sit, quàm spirari & spirare, donum erit in tali sensu proprietas Spiritus Sancti, sicut proprietas eius est spirari, Non tamen in hoc sensu loquuntur in præsenti materia de dono.*

Quarta Conclusio. *Donum accipiendo pro mutuo amore Patris & Filij, vt accipiebatur secundùm Richard. dist. 12. q. 1. & hic accipitur aliqualiter in sententia Henrici, vel est merè essentiale, vel merè notionale, non dicens vllum respectum extra: nec isto modo est hic sermo de dono.*

Quinta Conclusio. *Donum in præsenti duo dicit, vnum significatum principale, & aliud connotatum: siue, vnam relationem rationis principaliter significat, nempe donabilitatem respectu creaturæ, connotando respectum realem, nimirũ quod tale donabile sit liberè productum seu spiratum. Ex huius Conclusionis priori parte, constat, malè à Zuar. lib. 11. cap. 4. attribui huic Doctori, quasi scilicet doceat, donum dicere donabilitatem ad intra, sic quòd Pater donet Spiritum Sanctum Filio, & è conuersò; cùm apertè dicat Doctor, donabilitatem illam esse respectu creaturæ, non autem ad intra.* Donũ dicit duo, vel est appropriatum Spiriti S.

Sexta Conclusio. *Licèt donum, quantùm ad connotatum, sit proprium Spiritui Sancto: quantùm tamen ad principale significatum, non est proprietas, sed appropriatum: cùm enim inter omnia dona & donabilia, primum donum sit amor, ob quẽ & alia dona, doni nomen obtinent, Spiritus verò Sanctus per modum amoris producti procedit, meritò ei appropriatur ratio doni, etiam quoad donabilitatem, seu respectum istum aptitudinalem ad creaturam.*

COMMENTARIVM.

Licèt ista Quæstio à multis habeatur pro additione: & communiter ab expositoribus tanquã aliena prætermittitur: ego tamen ipsius Subtilis Doct. testimonio hac in parte standum esse iudicaui, qui apertis verbis illam vt propriam allegat plerisque in locis, maximè infra dist. 27. q. 3. & dist. 32. prætereà in 2. dist. 1. q. 1. in 3. dist. 1. q. 1. De hac materia videplura in Seraphico Bonauentura distinctione præsenti, per continuas quinque quæstiones, in Richardo ibid. Doctissimum Alensem 1. part. q. 64. Aureolum Cardinalem,

DISTINCTIO XIX.

DE AEQVALITATE DIVINARVM PERSONARVM.

QVAESTIO I.

Vtrum Personæ Diuinæ sint æquales, secundùm magnitudinem.

Circa istam Distinctionem decimamnonam quæro duo, &c.

COMMENTARIVM.



TExtus literæ est clarus, Contra quem nõ pauca obijciuntur de fundamento æqualitatis, quòd non sit vnitas, vt vult Doctor Subt. Vide obiectiones Ocami & Alphonsi earumq; solutiones apud Lichetum.

Relatio potest fundari super relationem.

Interim Nota Primò, Illud dictum, quod hic tum parte priori, tùm in responsione ad tertium principale repetitur, Relationem posse fundari super relationem, non placere Thomæ Anglico, & alijs Thomistis. Et ratio potest esse, Quia si fundantur duæ relationes super vnitate, cùm tales relationes possint habere vnitatem aliquam genericam vel specificam ad alias relationes, sequitur quòd super illis possent fundari aliæ relationes reales, & ita in infinitum.

Hoc non obstante, Dico, verissimè posse fundari vnam relationem realem super aliam; vt non tantùm hic docet Subt. Doctor, sed etiam in 4. dist. 6. q. 10. & dist. 12. q. 1. Tū quia relationes eiusdem rationis, & duæ filiationes, cū sint similes, & conformes, habebunt relationem similitudinis & conformitatis in identitate; similiter Paternitas & Filiatio sunt relationes diuersæ rationis; ergo inter eas est difformitas, & erunt fundamentum difformitatis. Tū quia inter illa, quæ habent ordinem, fundatur relatio; sed inter identitatem & æqualitatem, est ordo; quia identitas est prior æqualitate, cùm sit fundamentum æqualitatis; ergo in identitate & æqualitate fundabitur relatio ordinis. Tū quia relatio accidentalis, realiter distincta à fundamento, inhæret fundamento vera inhærentia; inhærentia autem est respectus fundatus in ipso inhærente, terminatus ad illud cui inhæret; relatio igitur aliqua, vt similitudo, dum inhæret, est verè fundamentum alterius relationis, nimirū inhærentiæ, Tum quia super similitudinem, & æqualitatem fundatur proportionalitas.

Nec valet dictum Anglici, Proportionalitatem esse relationem rationis. Quia Mathematica, cùm sit scientia realis, demonstrat passionem realem de subiecto reali; sed Euclides de æqualitate demonstrat quandoq; similitudinem, & de vtroq; proportionem: ergo &c.

Ad motiuum Thomistarum, Respondeo, Super vnitatem paternitatis huius & illius, verè potest fundari relatio vniformitatis vel æqualitatis, & super æqualitatem, proportionalitas; sed negatur quòd sit processus in infinitum: quia distinctarum specierum conclusiones, non sunt infinitæ, sicut & species non sunt infinitæ.

Quod si arguas in relationibus eiusdem rationis, processum in infinitum, sic. Inter duas conformitates, est conformitas; inter hanc & aliquam ex illis, est alia conformitas: & ita erit in infinitum ascensus in conformitatibus. Respondeo, Statum esse in primo. Quia conformitates seipsis sunt conformes, sicut & difformitates difformes sunt seipsis: vel potiùs, & meliùs loquendo conformitates primæ, sunt illa entia relatiua, quibus alia affecta, dicuntur alijs conformia vel differentia: sicut albedo non est alba, sed est illud, quo aliud est album: ita & conformitas non est conformis alteri conformitati: sed hæc & illa conformitas est illud, quo formaliter aliquid dicitur conforme alteri.

Nota Secundò. Contra illa verba in responsione ad secundum principale: *Aequalitas non dicit perfectionem quæ est in omni natura, comparando ad aliquid eiusdem naturæ; & sic melior est suo opposito, quia oppositum eius, nempe inæqualitas, dicit de necessitate imperfectionem.* Arguit Animin. probando quòd æqualitas dicat perfectionem. Primò authoritate August. 3. de lib. arbitrio, Omnia quæ sunt, eo ipso quòd sunt, bona sunt. Et lib. 83. qq. q. 24. Omne quod est, inquantum est, bonum est; si ergo relatio Diuina, habeat propriam entitatem, vt concedit Opinio, habet aliam propriam bonitatem; atque adeo habet perfectionis magnitudinem, non finitam; ergo infinitam, quæ est perfectio simpliciter. Secundò ipsemet Scotus supra distinct. 1. quæst. 2. in solutione primi argumenti principalis, vult quòd relatio habeat aliquam bonitatem; & docet alias, bonitatem conuerti cum ente: ergo relatio dicit bonitatem, atque ita perfectionem. Tertiò. Omnis entitas increata, est aliqua bonitas secundùm se; igitur relatio Diuina, secundùm quod est quædam entitas, est quædam bonitas.

Respondeo, Aliud est dicere, æqualitas secundùm se, non est perfectio simpliciter, & aliud, æqualitas est perfectio entitatiua, quæ conuertitur cum ente, non tamen est perfectio simpliciter; quæ omnia vera sunt. Hoc magis patebit, si distinguatur de bonitate, similiter & de perfectione, vt aliàs dixi. Quòd bonitas alia sit entitatiua, quæ excludit negationem entis, vel defectum, secundùm propriam naturam; & sic vt omne ens, est bonum, ita & relationes, tum similitudinis & æqualitatis, tum originis, bonæ sunt; & consequenter dicunt perfectionem entitatiuam: alia bonitas est excessiua, secūdùm quam res est apta aliam excedere, vel excedi, esse mensuræ perfectionalis, vel mensuratum; & talis bonitas, vel est formaliter finita, vel infinita: & hanc negamus relationibus Diuinis, formaliter sumptis, conuenire, licèt conueniat identicè. Et sic est intelligendus, vt Diuus Augustinus, ita Doctor Subtil. loco allegato.

Hinc etiam constat, quid dicendum sit ad rationes Gregorij. Vide copiosissimè de æqualitate Diuinarum Personarum apud Irrefragabilem Doctorem Alexandrum 1. part. quæst. 47. per quinque membra, Aureolum dist. præsenti.

QVÆSTIO II.

Vtrum quælibet Diuina Persona sit in alia.

Secundò quæro de circumincessione Personarum Diuinarum &c.

SVMMA QVÆSTIONIS.

Istius Quæstionis veritas est plana & certa, ex authoritate Saluatoris in Ioann. & alibi in multis locis; & etiam Sanctorum exponentium. Sed vt aliqualiter possit intelligi, tria sunt videnda Primò, de modo quo persona est in persona. Secundò, quæ sit ratio istius inexistentiæ. Tertiò, si iste modus essendi in, posset reduci ad modum aliquem essendi in, repertum in creaturis; loquendo de illis modis, quos ponit Philosoph. 4. Phys. tex. 23. vel vtrum posset declarari per aliquem modum, qui posset in creaturis reperiri.

ARTICVLVS PRIMVS.

Quomodo vna Persona Diuina est in alia.

*De primo dicitur sic. **Quòd duobus modis potest intelligi aliquid &c.***

SVM-

SVMMA TEXTVS.

Quatuor sunt partes istius Articuli. Primò, recitatur Opinio Gandauen. his dictis contenta.

Primum *Pater non est secundùm se totum in Filio; (& ita dic de quauis alia Persona respectu alterius Personæ) ita quòd sit & secundùm essentiam & secundùm Paternitatem. Probatur hoc duobus argumentis.*

Secundum dictum. *Per aliquid sui, & quasi per partem, Pater est in Filio, & Filius in Patre. Quia Essentia quæ est in Patre, est in Filio, & vice versa. In his duobus dictis concorda cum Henr. nostro F. Richard. dist. præsenti, art. 2, q. 3.*

Tertium dictum. *Cùm in circumincessione ista ineffabili, vna Persona sit inexistens, siue quæ est in alia, altera cui inexistenti, seu in qua tanquam recipiente est alia; dicit Henr. quòd Persona inexistens per partem sui, nempe per Essentiam, inexistit alteri; illa autem Persona in qua est alia, primò, id est se tota, ambit & continet Personam inexistentem.*

In secunda parte, prædicta Opinio refutatur.

In Tertia, datur resolutio propria.

Tandem duo argumenta pro Prima dicto Henrici adducta, soluuntur.

COMMENTARIVM.

PRima ratio ex Tertio dicto Henrici adducitur, contra Primum & Secundum eiusdem: supponendo hæc duo. Primò. Quòd esse in, dicit relationem, & cũ vna Persona sit in alia, istud esse in, dicet relationem communem tribus Personis. Alterũ. Cùm ista relatio insit secundũ eandem rationem inexistẽtiæ, quia vna est in alia, erit relatio eiusdem rationis; & eodem modo habebit esse in Persona inexistens, quo habet Persona illa in qua est alia.

Ex hoc necessariò sequitur hæc Conclusio. Si Persona, in qua est, se tota vnitur Personæ inexistenti, etiam Persona inexistens, se tota, & non per partem præcisè, vnietur per istam circumincessionem illi Personæ ambienti: quod est contra Primum & Secundum dictum: Vel si Persona inexistens insit per partem, etiam illa altera ambiens, cùm sit huic inexistens, erit per partem: quod est contra Tertium dictum Henrici.

Aliter hanc rationem deducit Durand. dist. præsenti, q. 3. Vasquez disp. 169. cap. 1. sed malè, vt patebit vel modicum legenti textum Doctoris Subt. & eorum.

Secundæ rationis sensus est. Si Filius est in Patre per Essentiã; cũ Essentia sit in Patre formaliter, sequitur quod Filius hoc mõ essendi in, erit in Patre formaliter: at iste modus essendi in formaliter, non est modus essendi in alio per circumincessionem, quia secundùm Hilar. 7. de Trin. c. 9. Persona est in Persona, sicut subsistens in subsistente.

Dices. Essentia licèt sit in Patre formaliter, tamẽ illa, nõ vt est in Patre formaliter, sed vt est sub proprietate Filij, qui est in Patre, est ratio essendi Filio in Patre.

Rñdeo. Si Essentia vt est sub proprietate Filij, est Filio rõ essendi in Patre, patet, quod rõ essendi vnam Personam in alia, nõ cõuenit præcisè rõne Essentiæ, nec præcisè rõne relationis, sed rõne vtriusq;, & consequẽter, secundũ se totũ, & non secundum partem tantùm, Filius est in Patre.

Tertia rõ sic est ordinãda. Illud quod cõuenit Personæ vt Persona est, nõ conuenit Essentiæ; vt patet in relationibus Originis, generare, & generari, spirare & spirari; & vice versa, Illud quod conuenit Essentiæ vt Essentia est, non conuenit Personæ vt Persona est incõmunicabilis: sed Essentiæ Filij, vt aliquomõ distinguitur à Persona incõmunicabili, cõuenit esse in Spũ Sãcto; & est iste modus essẽdi in Essẽtiæ, & cõmunicabilis, Persona aũt est incõmunicabilis; & cõsequẽter, modus essẽdi Personæ in alio, erit incommunicabilis: ergo iste personalis modus essendi in alia Persona per circumincessionem, non est præcisè per Essentiam communicabilem.

In Tertia parte ponitur hæc Conclusio. Vna Persona Diuina est in alia, sm̃ se tota: & conuenit ei, non rõne vel essentiæ præcisè, vel relationis præcisè; sed conuenit primò & immediatè Personæ talis modus essendi. Quod probatur authoritate Hilar. & Ambrosij in litera adducta. Ac inprimis, declaratur posse aliquid conuenire per se primò alicui toti, & non rõne partis huius vel illius: vt manifestũ est in homine, cui locutio articulata non præcisè rõne animæ conuenit, nec rõne corporis præcisè, nec. n. anima, vel corpus, separata, possũt loqui articulatim, sed cõuenit toti cõposito, puta hoĩ: ita proportionaliter iste modus essẽdi in alio, vt subsistẽtis in subsistẽte, nec p essẽtiã solũ conuenit, vt ostẽsum est, nec per relationẽ; qa relatio Diuina, vt sic, non est quod subsistit, sed quo subsistẽs subsistit: conuenit igitur primò & immediatè Personæ. Cætera patent.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Quæ sit ratio istius inexistentiæ.

Quantùm ad Secundum Articulum. Dico, &c.

SVMMA TEXTVS.

Conclusio. *Nec Essentia sola nec relatio sola, est ratio huius inexistentiæ sed ambo simul sumpta sunt totalis ratio. Ex hoc Articulo debet intelligi dictum præcedentis, quòd modus essendi Diuinarum Personarum per circumincessionem, non dicit continentiam, sed præsentiam subsistentis in subsistente. Nec tantùm requiritur, vt sit subsistens in subsistente quocunque modo; sic enim vnum corpus gloriosum potest esse in alio: imò & duo corpora non gloriosa, per Dei potentiam possunt esse simul, & ita vnum in alio: nec tamen erit ibi iste modus essendi per circumincessionem (vt bene hìc arguit Dominus Aureol. art. 1. prope finem: sed malè Doctorem Subt. intelligit contra quem ibi hunc discursum facit) sed cum hoc necessariò connotato, quòd subsistens in subsistente sit idem essentialiter, & eiusdem numero essentiæ distinctum solùm personaliter. Quæ doctrina placet Mayr. dist. 20. q. 3. Seraph Bonauent. dist. 19. q. 4. Ant. Andr. q. 2.*

Persona inexistẽtia nõ dicit continentiã, sed præsentiam subsistẽtis i subsistente.

Dominus Aureolus malè intelligit Sco.

ARTICVLVS TERTIVS.

An iste modus essendi, in possit reduci ad modum aliquem essendi in, repertum in creaturis.

Quantùm ad Tertium Articulum. Dico, &c.

COMMENTARIVM.

ARistoteles 4. Phys. tex. 23. modos essẽdi in alio, his verbis cõplexus est. Vno igitur mõ, vt digitus in manu, & oĩno pars in toto. Alio verò vt totũ in partibus, nõ. n. est p̃ter partes totum. Alio mõ vt hõ in aĩali, & oĩno species in gñe. Alio autẽ, vt genus in specie, & oĩno pars speciei, in speciei rõne. Ampliùs vt sanitas in calidis & frigidis, & oĩno forma in materia. Amplius vt in Rege Græcorũ res, & oĩno in primo mouẽte. Amplius vt in ipso bono, & oĩno ĩ ipso fine, hoc aũt est id, cuius causa. Omnium autẽ maximè proprium est, quod vt in vase, & oĩno quod in loco.

Modi essẽdi in alio, sunt varij.

In omnib. istis modis, nõ est mutua cõtinẽtia, vt patet. In ista aũt admirabili circũincessione, mutuò Pr̃ est in Filio, & Filius in Patre. Cũ igitur modi illi enumerati à Philosopho, sint naturales, & eorum formaliter vna Persona est in alia; rectè concluditur, quòd in rebus creatis, non reperitur aliquod exemplum, quod notificet ex integro, quõ vna Persona sit in alia. Aliqualiter tamen exemplificari potest, vt patet in exemplis in textu adductis.

ARGVMENTA PRINCIPALIA. soluuntur.

Ad argumenta principalia. Ad Primum. Dico, &c.

COMMENTARIVM.

QVod dicitur in responsione ad Primum. Indiuisibilia quantitatis, etiamsi simul ponantur, distingui inter se: est expressior sententia Doctoris in 2. dist. 2. q. 9.

Litera harum responsionum, ob sui claritatem, non indiget expositione.

DISTINCTIO XX

DE AEQVALITATE DIVINARVM PERSONARVM in potentia.

QVÆSTIO VNICA.

Vtrum tres Personæ Diuinę sint æquales in potentia.

Arguo quòd non. Quia tunc sic Pater &c.

SVMMA QVÆSTIONIS.

In priori Articulo præmissa distinctione potentiæ, ponitur Opinio aliorum. In Secundo datur propria sententia. Postmodum satis fit argumentis principalibus.

ARTICVLVS PRIMVS.

Præmissa distinctione potentiæ, ponitur aliorum Opinio.

Respondeo. Omittendo potentiam Logicam, &c.

SVMMA TEXTVS.

Potētia vario modo sumitur.

In priori parte Articuli, varias potentiæ acceptiones enumerat; & in quo sensu in præsenti sumatur, docet. De qua potentiarum acceptione vide dicta supra distin. 7. In secunda, ponit sententiam Aegidij in 1 dist 19. Guillel. Varronis dist. præsenti. Qui authores dicunt, quòd generare Filium, cadat sub omnipotentia Patris, sed non sub omnipotentia Filij, vel Spiritus Sancti: spirare autem cadit sub omnipotentia Patris & Filij, sed non cadit sub omnipotentia Spiritus Sancti. Nec tamen ex hoc, quòd Filius non possit generare, vel quòd Spiritus Sanctus non possit spirare, minùs erit omnipotens Filius aut Spiritus Sanctus, quàm Pater: nam sicut quia Pater non potest seipsum generare, vel alterum Filium, non dicitur propterea minùs omnipotens idq; ex hoc, quia vt seipsum ita alterum Filium repugnat illum posse generare, ita propter repugnantiam, quia repugnat Filio generare, & Spiritui Sancto spirare, & generare; non dicetur minùs potens, vel minùs omnipotens Filius & Spiritus Sanctus, quàm Pater. In tertia parte, impugnatur præcedens Opinio.

COMMENTARIVM.

Filium generare pertinet ad omnipotētiam Patris, secūdum quosdam.



Secundæ partis ratio prior & vltima satis euidens est: media autem sic est intelligenda. Quòd actio Diuina, cū sit vna extra ad creaturam, alia intra, ad supposita Diuina; possibilitas actionis ad extra attenditur tantùm ex duobus, nempe ex possibilitate termini, qui possibilis est, & ex possibilitate actionis secundùm se, quia actio illa secundùm se est possibilis: sed possibilitas actionis ad intra, attendi debet præter illas duas, ex agente, an videlicet possibile sit, quòd tale suppositum, possit habere talem actionem. Cùm igitur generare (& idem semper intelligi debet in præsenti materia de spirare) sit actio immanens, & in supposito Filij & Spiritus Sancti, non habeat possibilitatē hanc, neq; etiam possibilitatem actionis vel termini, à tali supposito; consequens est, quòd non includitur sub omnipotentia Filij, vel Spiritus Sancti, posse generare; illud enim quod implicat contradictionem, non cadit sub omnipotentia, cùm non sit possibile.

Impugnatur præcedēs opinio.

In tertia parte, vis impugnationis cōsistit in hoc discursu. Obiectum omnipotentiæ, vel est illud, quod non includit contradictionem produci ab hoc agente determinato, aut illo; vel secundo est illud, quod non implicat produci, vt à principio Quo, à potentia omnia potente, in quocūq; supposito agente sit: non primū; quia sic quodlibet agēs creatum, posset habere obiectum omnipotentiæ, quia posset in omne illud, quod non implicat contradictionem ab illo produci: Si secundo modo; ergo in quocunq; supposito sit talis potentia, poterit in omne obiectum omnipotentiæ: sed in Filio est talis potentia, & obiectum omnipotentiæ est; posse generare: ergo obiectum omnipotentiæ Filij, est posse generare; atq; ita non implicat Filium posse generare: quod est absurdum.

Confirmatur. Si generare sit terminus omnipotentiæ: & Filius non pōt generare: igitur in Filio non est oīpotentia.

Ex hac deductione facilis est resolutio rationum, pro sententia adductarum.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Ponitur propria sententia.

Quantùm ergo ad istum Articulum. Dico aliter &c.

SVMMA TEXTVS.

Prima Conclusio. *Obiectum potentiæ actiuæ Dei, non est possibile, acceptum latissimè, prout opponitur impossibili. Ratio est. Quia hoc modo est Deus est & possibilis, non tamen est terminus alicuius potentiæ.*

Secunda Conclusio. *Possibile, vt contra opponitur necessario, siue illud possibile quod potest esse & non esse, est obiectum potentiæ Diuinæ actiuæ; atq; adeò nihil intrinsecum in Diuinis, erit obiectum potentiæ actiuæ, vt se extendit potentia ad possibile, hoc modo sumptum.*

Tertia Conclusio. *Ista potentia actiua, respectu possibilis seu contingentis inesse, posteriùs natura inest Diuinis Personis, quàm quodcunq. intrinsecum siue essentiale siue notionale. Hoc patuit supra dist. 1. q. 2. ar. 2. magisq. patebit in 2. dist. 1. q. 1. Et ratio addicta hìc optima est. Quia principium producendi necessarium, priùs modo nostro intelligendi inest enti necessario, quàm principium producendi contingens; principium autē producendi creaturam, est principium producendi contingens; quod sic intelligo: vt ipsa vis actiua est simpliciter necessaria, quia est eadem Essentiæ Diuinæ, summæ necessariæ; terminatio tamen illa, & quasi extensio ad obiectum contingens, est contingens: principium autem producendi ad intra, est necessarium, vt in se, ita & in ratione terminationis: ergo &c.*

Obiectum omnipotentiæ diuinæ est possibile, oppositum necessario.

Quarta Conclusio. *Potentia sic accepta, est æqualis in tribus Personis Diuinis: tam quoad extensionem, quia in omne illud possibile obiectiuum non necessariū, in quod potest vna persona, potest & altera; quàm quoad intensionem, quia huius ita est vis perfecta & infinita sicut illius.*

Omnipotentia est æqualis in tribus personis Diuinis.

Quinta Conclusio. *In Patre est potentia actiua generandi propriè, respectu Filij: Filius tamen non dicitur absolutè possibile, licèt sit terminus potentiæ. Ratio est. Quia possibile obiectiuum absolutè sumptum, opponitur necessario, quod est imperfectionis, & repugnat tale possibile Filio: potentia autem actiua generandi, quia non dicit imperfectionem transfertur ad Diuina. Potest tamen dici Filius ens possibile, latissimè sumendo nomen hoc, prout idem significat, quod est necessarium, & necessariò productum ab alio. Verùm ista acceptio possibilis impropriissima est.*

Sexta Conclusio. *Potentia generandi, non continetur sub omnipotentia, de virtute sermonis. Patet ex 1. 2. & 5. Conclusione.*

Potentia generandi non continetur sub omnipotentia.

Septima Conclusio. *Filius non tantùm est æqualis Patri in potentia actiua, respectu creaturæ, idq extensiuè & intensiuè, vt dicit quarta Conclusio. Sed etiam est Deo æqualis, tum intensiuè, tum extensiuè, in potentia generandi. Ratio est. Quia Filius habet eandem memoriam, quam Pater, vt tamē est in Patre, habet terminum adequatum & productum à Patre: vt aūt*

est in

est in Filio, habet terminum adæquatum ipsum Filium; sed non productum à Filio, de quo vide plura dist.7. supra: vide etiam S. Bonauenturam hic; & Richard. Alex. de Ales, 1.p.q.20. & 21. & quæst.47.

COMMENTARIVM.

[Au]reolus [ar]guit contra Scotum

COntra determinationem huius Articuli, Aureol. dist. præsenti art.1. inprimis contra Conclusionem Quintam arguit sic. Primò. Implicat potentiam generatiuam esse potentiam, & non correspondere sibi aliquod possibile pro obiecto; cùm potentia & possibile, dicantur correlatiuè; vnum autem correlatiuum non potest poni sine alio: ergo si in Patre est potentia respectu Filij; Filius necessariò est possibilis. Confirmatur. Quia possibile obiectum, non est nisi denominatio, cadens super terminum potentię productiuæ, non enim dicitur terminus possibilis, à potentia existente in se, sed quia potentia producentis cadit super ipsum, aut cadere potest.

Secundò. Filium produci, vel est possibile, vel impossibile: sed manifestum est, quòd non est impossibile; ergo est possibile; & per consequens, Filius est possibilis.

Tertiò. Arguit contra Conclusionem Secundam, non esse verum, quòd omnipotentia tantùm respiciat possibile contingens. Nam dato quòd Deus necessitate naturæ produceret creaturas, creaturæ contingentes non essent, & tamen potentia productiua, per quam Deus produceret, sub omnipotentia clauderetur. Confirmatur. Multa sunt necessaria, vt triāgulum habere tres, & sic de alijs, quæ quodammodo producuntur, saltem per accidens, ergo non omne cadens sub omnipotentiam est contingens.

Quartò, contra eandem. Omnipotentia sonat quandam dignitatem; sed producere necessarium, videtur arguere potentiam nobiliorem, quàm producere contingens; ergo potentia cui non correspondet contingens, sed possibile necessarium, maximè ad omnipotentiam pertinebit.

Quintò arguitur contra Conclusionem Quartam & Septimam. Illi non sunt pares in potentia, in quorum altero est potentia aliqua productiua, quę non existit in altero; sed quantumcunque generatiua potentia non sit respectu possibilis, sed respectu necessarij, est tamen quædam productiua potentia; ergo in Patre erit aliqua potētia, quæ non est in Filio; & per consequens non erunt in potentia pares. Confirmatur. Potentia generandi, est potentia aliqua; hac autem potentia circumscripta per intellectum, nō propter hoc dicetur Pater minoris potentiæ quàm Filius; igitur ipsa existente in Patre, Pater est maioris potentiæ quàm Filius.

Primo & secundo argumento Aureoli contra Doctorem, vtitur Gerard. in præsenti dist. art.1.

Dicit igitur Aureol. quòd cùm triplex sit potentia: vna productiua, sicut dicimus quòd ignis potest calefacere; altera potentia receptiua, sic aer potest infrigidari; tertia est potentia entitatiua, sicut dicimus, quòd homo potest esse animal, & non potest esse irrationale: dicitur Deus Omnipotens, non ab omnipotentia entitatiua, alias Deus posset esse omnia, vt Leo, Lapis, &c. nec pro omnipotentia susceptiua, quia sic omnibus posset subijci, quod repugnat; sed pro omnipotentia productiua: at potentia generandi in Patre, non est potentia productiua, sed tantùm entitatiua; quare non includitur sub omnipotentia Patris.

Quòd autem potentia generandi in Patre, non est potētia productiua, sed entitatiua. Probatur. Idem est posse generare, & posse esse Patrem; sed posse esse Patrem, non est potentia productiua, sed entitatiua; ergo & posse generare erit potentia non productiua, sed entitatiua.

[R]esponde[tu]r dicti [A]ureoli.

Verùm ista doctrina Aureoli, qua potentiam generandi negat esse potentiam productiuam, est falsa. Oppositum enim probatum est supra, in multis locis.

Nec instantia valet de posse generare, & posse esse Patrem. Quia secundùm Aureolum, Paternitas ab Essentia, ne ratione quidem distinguitur in supposito Patris, & tamē Paternitas est proprietas cōstitutiua suppositi Patris, Essentia non. Sic dico. Esto quòd idem sit generare, & esse Patrem: tamen posse generare dicet potentiam productiuam, non sic Pater.

Deinde dico ista distingui, sicut principium Quod & Quo: vel sicut potens & potentia. Pater enim est Quod generat, potentia autem generandi est Quo generat. Vnde licèt ipsum Quod, non sit potentia productiua, sed habens potentiam; principium tamen Quo, erit verè potentia productiua; quia omne principium Quo respectu termini, est potentia productiua.

Ad Argumenta Aureoli contra Doctorem, respondeo.

Ad Primum patet responsio ex dictis Conclusione 5. quòd habeat correlatiuum illa potentia generandi: sed tale possibile, impropriè hoc nomine insignitur: quod propriè relatum ad omnipotentiam dicit solùm possibile contingens: vt apertè vult August. tomo 9. lib.1. de Symbolo, cùm ait. Ideo omnipotens dicitur, quia de nihilo fecit quęcunque fecit: non enim aliqua materies eum iuuit, ex qua demonstraret, artis suæ potentiam: sed ex nihilo cuncta creauit, hoc enim est esse omnipotentem, vt non solùm fabrica mundi, sed etiam ipsa materia de nihilo fieret.

Hanc authoritatem August. optimè explicans Doctor Irrefragabilis 1. par. q.21. memb.1. art.3. inquit, vult dicere August. quòd omnipotentia, secundùm quod sic est, (siue in abstracto & in communi accepta) includit in se de nihilo facere, secundùm summam rationem; vnde hęc est ratio omnipotentiæ, per quam determinatur, scilicet de nihilo facere, & deducere de nihilo omnia ad esse. Sed ante illud (addit Alen.) quod est de nihilo omnia facere, est illud, qđ est de substantia sua Filium producere. Cùm ergo producere de sua substantia, sicut generare & spirare, antecedat facere, (siue de nihilo producere creaturam) quia ab æterno Pater generat Filium, & Pater & Filius spirant Spiritum Sanctum, non tamen ab æterno facit omnia de nihilo: ergo generare & spirare non continetur sub omnipotentia in Patre. Et paulò post. Et ita licèt Filius & Spiritus Sanctus non generent, nihilominus sunt omnipotentes (puta personæ) quia possunt res de nihilo facere, quæ est summa & proprijssima ratio omnipotentiæ. Omnipotētiæ ratio q̄ sit.

Ex his dictis apertè constat, quòd potentiæ actiuæ, quæ omnipotentia dicitur, obiectum sit possibile, contingens, & de nihilo producibile; Filius autem in Diuinis, licèt possit dici esse correlatiuum potentiæ generatiuæ Patris, atque ita potest dici possibile, sumendo possibile pro ente necessario, ab alio tamen: non tamen sumptum pro possibili simpliciter sumpto, quod communiter significat, potens esse vel non esse.

Cur autem propriè possit poni potētia generandi in Diuinis, & absolutè conceditur ibi esse potentia generatiua, non tamen absolutè est possibile generabile: Patet responsio ex dictis à Doctore Subt. Concl.5. Quòd primum absolutè transfumitur ad Diuina, quia nullam includit imperfectionem in creatura; & in Deo etiam abstrahit à perfectione & imperfectione, vt potentia generatiua, accipitur non tā pro ipsa memoria fęcunda, vt est quid absolutum (hęc.n. dicit perfectionē simpliciter) sed pro illa vt includente habitudinem actualē ad productum seu genitum, in supposito producente; possibile autem potentiale seu contingens, cùm absolutè dicat imperfectionem, non transfertur ad Diuina.

Ad Confirmationem. Dico. Prior & formalior, ac intrinseca ratio possibilitatis, seu non necessarij, est in ipsomet possibili obiectiuo: posterior autem & extrinseca, & quasi negatiua, est in producente potente produci: sicut & è contra, ratio impossibilitatis intrinseca & formalis rei, est in se; extrinseca autem & negatiua productionis, est ab agente non potente concurrere: vt dicitur optimè infra dist.43. Possibilitatis & impossibilitatis ratio in quo sint?

Ad Secundum. Patet ex dictis, quòd Filius sit possibilis, possibilitate opposita impossibili, sed non opposita necessario: ac proinde argumentum non est ad propositum.

Ad Tertium. Si Deus per impossibile necessariò produceret res ad extra, licèt illæ res producerentur necessariò, & omne productum, necessariò esset productum: non tamen ab intrinseco necessariò manerent, sed necessariò corrumperentur: ac proinde talia producta, essent absolutè possibilia, & necessaria secundùm quid. Atque ita argumentum non concludit.

Ad Confirmationem. Connexio necessaria prædicati cũ subiecto: vt quòd homo sit animal, vel quòd triãgulus habeat tres angulos, nõ est quid productum, neque per accidẽs, quia propositiones sempiternæ veritatis seipsis formaliter sunt necessariæ, vt aliàs dictum est, & sunt necessariæ, quoad connexionem ac prædicationem, non quoad subiecti existentiam, loquendo de subiectis creatis: hic autem loquimur de necessario vel possibili quoad existentiam, in esse suo reali subiectiuo, non in esse reali quidditatiuo quoad prædicationem.

Necessariũ simpliciter impossibile est produci.

Ad Quartum. Concessa Maiori: negatur Minor, Cùm enim impossibile sit posse producere aliquid simpliciter necessarium, vt argumento 8. declaratum est, tale siquidem necessarium, quoad existentiam, est soli Deo proprium: impossibile etiam est, quòd tale necessarium producere, dicat dignitatem in producente: quia respectu impossibilis, non potest aliquis producens habere dignitatem.

Ad Quintum. Distinguo Maiorem: vel enim in vno est aliqua potentia nõ existens in altero, respectu obiecti possibilis seu contingentis: & sic est vera Maior, & negatur Minor: vel respectu obiecti simpliciter necessarij: & negatur Maior: quia non est comparatio respectu obiecti omnipotentiæ, vt visum est in responsione ad 1.

Per idem patet ad Confirmationem. Quòd licèt aliquid intelligatur superaddi Patri, ratione potentiæ generatiuæ: quia tamen non superadditur quidquam omnipotentiæ, respectu possibilis cõtingentis, atque adeo quia non fit additio in vniuoco, non est Pater magis omnipotens Filio, sed æqualis Filio est in omnipotentia.

ARGVMENTA PRINCIPALIA soluuntur.

Ad argumenta principalia. Ad Primum, Dico, negando illam, &c.

COMMENTARIVM.

Argumentum primum principale est hoc. Secundùm August. lib. 2. Contra Maximin. Si Pater non potest generare Filium sibi æqualem: ergo non est Omnipotens, sed impotens: ergo potentia generãdi, ad omnipotentiam pertinet, & negatio potentiæ generandi, pertinet ad impotentiam: & consequenter, vt potentia generandi cadet sub omnipotentia Patris, ita Filius non erit Patri æqualis in omnipotentia, quia non habet potentiam generandi.

Si Pater nõ generaret Filiũ, esset impotens. quomodò hæc consequentia tenet.

Respondet Subt. Doctor. Quòd illa consequentia. Ergo non est omnipotens, sed impotens. Non est consequentia formalis, ab intrinseco inferens, tanquam particularis sub vniuersali, seu vt in quantitate prædicationis, sub toto in quantitate prædicationis (idem. n. isti termini valent.) Ista enim propositio vniuersalis: Omnis potentia generandi, cadit sub omnipotentia: est neganda: ac proinde, ex negatione potentiæ generandi, in hoc vel illo supposito, puta in Filio vel in Spiritu Sancto, inferre negationem omnipotentiæ, est subsumere particularem negatiuam, quæ non sequitur ex vi illius Maioris; cùm potentia generandi vt sic, non dicat omnipotentiam, vt in Deo, ita & in creaturis. Sed tenet per locum ab extrinseco illa consequentia, per multos syllogismos probanda, ex concessis à Maximino, sic.

Concedit Maximinus. Primò, quòd Pater possit generare Filium, sed non ęqualem. Secundò: Concessit ille hæreticus, quòd Pater dederit Filio Deitatem, minorem tamen, quàm sit in Patre.

Ex hoc dicto secundo, ita potest argui contra Maximini primum dictum. Dicis tu, quòd Pater non potest generare Filium sibi æqualem. Infero ego. Ergo est impotens. Hanc Consequentiam probo ex dicto tuo secundo. Dicis enim, quòd Pater det Filio minorem Deitatem. Tunc: Quod non habet omnem Deitatem, non est omnipotens, quia non habet infinitam Deitatem; sed Filius per te, non habet omnem Deitatem, quia non habet infinitam; ergo non est omnipotens. Imò probo vltra, quòd Pater, non sit omnipotens, si non communicat infinitam Deitatem Filio, sic. Pater est per se infinitæ potentiæ: deinde, communicare suam naturam, est perfectionis; & perfectiori modo communicare, est maioris perfectionis; ergo si Pater infinitæ potentiæ, communicat infinitam Deitatem, suæ potentiæ identificatam; erit maximè perfectus in agẽdo, imò infinitè perfectus, & ita omnipotens; ergo vice versa, si non communicat Deitatem infinitam, infinito modo, & perfectissimo, vt tu dicis, Pater non erit omnipotens.

Richard. in præsenti dist. quæst. 2. dicit probabiliter, quòd illa forma argumentandi D. Augustini non valeat realiter, sed tantùm apparenter: & sic voluit arguere S. August. quia quandoque per argumentum apparens, magis confunduntur obstinati impugnatores veritatis; quàm quandoque per argumenta magis vera.

Potest dici tertiò, secundùm Arimin. quòd ex hoc Antecedente: Pater non potest generare: ista consequentia; Ergo Pater non est omnipotens: non plùs sequitur, quàm si dicas: Filius non potest generare; ergo Filius non est omnipotens. Quæ consequentia secundùm veritatem, est mala, ad hominem tamen facta, est bona. Maximinus siquidem ponebat Filium Dei esse creaturam quandam, & vltra ponebat, quòd esset Filius naturalis Dei. Constat verò quòd possibile sit Filium naturalem, esse æqualem in potentia Patri suo; vt patet in hominibus: quodsi sit inæqualis Patri, nõ est ex parte Filij, quasi illi talis æqualitas repugnet, sed aliunde: Si igitur in Diuinis, secundùm Maximinum, Filius Dei fuit Patri factibilis & possibilis, & omnipotens est ille, qui omne factibile possibile potest producere. Consequens est, quòd Pater si non potuit æqualem sibi producere, quòd non fuerit omnipotens.

Hæc etiam responsio non displicet nostro Doctori in Scripto Parisien. dist. præsenti in respons. ad 1. responsione vltima.

Cætera patent.



DI-

DISTINCTIO XXI.

DE DISTINCTIONIBVS EXCLVSIVIS, quomodo additæ vni Personæ, excludunt vel non excludunt alias Personas.

QVÆSTIO VNICA.

Vtrum hæc sit vera, Solus Pater est Deus.

Circa istam Distinctionem vigesimam primam: quæro vnum. Vtrum hæc sit vera, &c.

SVMMA TEXTVS.

Prima Conclusio. *Quamuis aliqui dicant, istam propositionem: Solus Pater est Deus; esse simpliciter veram; quia ly Solus, determinatum ad Patrem, non excludit Filium; quia dictio exclusiua addita vni relatiuorum, non excludit reliquum; quia illud non excluditur ab aliquo, quod est de intellectu & de quidditate alterius; relatiuum verò est de intellectu sui correlatiui, & includitur in illo. Istud tamen dictum, vt Doctori Subtili hìc, ita D. Bonauenturæ artic. 2. quæst. 2. minimè placet. Tum quia falsum est illorum fundamentum, vt vnum correlatiuum sit de quidditate alterius, & includatur in altero, vt dicetur infra. Tum quia dictio exclusiua, vt priuat associationem; ergo excludit omne illud quod ponit circa ipsam associationem; & consequenter, addita dictio exclusiua Patri, excludit Filium.*

Secunda Conclusio. *Meliùs dicitur à Doctore Subtili hìc à S Bonauentura, & Richardo art. 1. quæst. 3. Bassolio alijsq; Scotistis, quòd dictio Solus, potest accipi dupliciter. Primò Cathegorematicè, id est, significatiuè & substantiuè, excludendo à subiecto omne simpliciter cōsortium, vt idem sit solus Pater, quòd solitarius Pater; & hoc modo propositio est falsa; quia in Diuinis, non est talis solitudo: vnde Saluator de seipso dicebat.* Non sum ego solus, sed qui misit me Pater meus *(subintellige)* est mecum. *Secundo modo accipitur ly Solus, Syncathegorematicè id est, consignificatiuè & adiectiuè, prout facit exclusionem à subiecto; non simpliciter, sed respectu prædicati, non tamen excludendo alios à prædicato sub hoc sensu: Ille qui solus est Pater, est Deus; & hic sensus est verus: alio modo, excludendo alios à prædicati participatione, vt sit sensus: Solus Pater est, & nullus à Patre est Deus; & in hoc sensu falsa est propositio.*

Tertia Conclusio. *Quia ex vi sermonis, ex illa propositione: Solus Pater est Deus: non videtur posse haberi ille sensus, Qui solus est Pater est Deus: sed potius ille, Nihil aliud à Patre est Deus: est falsus: meritò à multis Theologis illa propositio simpliciter negatur. Ad quod negandum in vltimo sensu, ponuntur duæ efficaces rationes in textu. Tum quia sequeretur, omne quod est Deus, quòd esset Pater: & ita Filius & Spiritus Sanctus vel non esset Deus, vel esset Pater. Sequela probatur per illam regulam Dialecticorum. Exclusiua affirmatiua infert vniuersalem affirmatiuam de terminis transpositis, vt patet in exemplo. Cùm dicitur. Solus Socrates currit. Infert istam Omne currens est Socrates. Tum quia sequeretur nullū non Patrem esse Deum: quod est falsum, vt patet de Filio & de Spiritu Sācto, qui est Deus. Sequelam probo, per illam regulam aliam Logicorum. Exclusiua affirmatiua de prædicato finito, infert vniuersalem negatiuam de prædicato infinito. Ex ista enim Solus Petrus currit; infertur bene ista negatiua, Nullus non Petrus currit, vel, Nullus alius à Petro currit: ita si hæc vera sit affirmatiua, Solus Pater est Deus: ista bene infertur negatiua, Nullus alius à Patre est Deus vel, Nullus non Pater est Deus.*

Confirmatur veritas istius doctrinæ, per illam tertiam regulam, Quòd exclusiua affirmatiua habet duas propositiones exponentes, quarum vna est affirmatiua, & altera negatiua, & vbi aliqua illarum exponentium est falsa, sequitur quòd ipsa exposita sit falsa: sed vtraq; exponentium est falsa, vt patet tum de affirmatiua, tum de negatiua; ergo & ipsa illa exposita, Solus Pater est Deus, erit falsa.

His duabus Conclusionibus subscribit Aureol artic. 3. hìc.

COMMENTARIVM.



Irca Primam Conclusionem, mouetur hìc difficultas. Vtrum vnum correlatiuum, sit de essentia sui correlatiui? Et, vtrum in conceptu quidditatiuo vnius relatiui, includatur suum correlatiuum?

Vbi Notandum est. Relationem dupliciter posse definiri: vel in genere proprio, vel extra genus proprium. In genere proprio definitur, quando definitur per principia essentialia intrinseca, vt per genus & differentiam: extra genus definitur, quando definitur per additamentum, siue per aliquid extrinsecum, quod tamen necessariò sit requisitum. Correlatiuum an iclu datur quidditatiuè in cōceptu relatiui.

Est igitur non paucorum opinio, dicentium, relationem non definiri in genere proprio, sicut aliquod absolutum. Ratio illorum est. Per quę res formaliter distinguitur ab alijs, per illa & definitur, cùm eadem sint principia formalia distinctionis & definitionis; distinctio autem relationis, non est nisi per terminos & fundamentum, vt patere potest ex 5. Metaph. cap. de aliquid; ergo & definiri debet formaliter relatio per fundamentum & terminum: atq; ita non definietur in genere proprio, cùm neutrum illorum sit genus vel differentia relationis. Dicunt tamen definitionem eiusmodi esse quidditatiuam, quia ratio relationis, quidditatiuè est ad terminum.

Sed quòd ista Opinio sit falsa, quòdq; relatio possit definiri in genere proprio, est aperta sententia Doctoris infra dist. 39. q. 5. & ex hoc loco deduci potest, vbi terminum docet non esse de quidditate relationis. Probatur Primò. Sicut omne aliud accidens, præter illam definitionem quę datur per additamentum, habet definitionem sui proprij generis, per sua intrinseca & essentialia principia; & ita relatio, præter suam definitionem, quæ est per extrinseca, vt per fundamentum vel terminum, potest definiri per intrinseca & essentialia sibi; quia non est maior ratio de hoc, quàm de illo; loquor autem de relatione creata.

Secundò. Quando aliquod genus diuiditur per differentias oppositas, tunc species sub tali genere, constituitur ex illo genere & ex differentia diuidente, ita vt differentia vna cum genere, faciat vnam speciem: genus verò relationis, diuiditur per differentias oppositas, sicut alia prædicamenta, aliàs omnia relatiua essent eiusdem speciei; quare species relationis, poterit definiri per illud genus & differentiam.

Confirmatur. Constans ex partibus essentialibus, potest per illas definiri. Cùm igitur species relationis, constet ex partibus essentialibus, ex genere nimirum & differentia; ergo.

Est hoc dictum contra quosdam Scotistas, maximè cōtra Dadouetum lib. 3. cap. 5. Non nego tamen relationem per terminum vel fundamentum definiri posse: hæc nihilominus definitio non est formalis & essentialis, sed tātùm tradita per extrinseca, quæ necessariam habent connexionem cum talibus relationibus: non essentialiter inclusa in conceptu relationum, sed originaliter simpliciter necessaria ad constitutionem relatiui. Et cùm is modus intelligendi relationes per ordinem ad terminum, & per fundamētum, sit communis nobis, & facilis, relatio verò in entitate sua pręcisè sumpta, sit minimæ entitatis, & maximæ ad co-

gnoſcendum difficultatis : hinc eſt, quòd communiter naturam relationum volentes declarare, deſcribimus eas per fundamentum vel terminum.

Ex quo conſtat, ꝙ talis definitio, tradita per terminum, non ſit quidditatiua & eſſentialis. Conſtat etiam ſecundò, ꝙ terminus non ſit de quidditate relationis, licèt non poſſit intelligi ſine ea. Cùm enim terminus non ſit genus vel differentia talis relationis, nō poteſt eſſe prædicatū quidditatiuum. Et quamuis terminus non ſit de eſſentia relationis, ipſa tamen habitudo, ſiue ille ordo ad terminum, eſt de eſſentia relationis: quæ quidem habitudo, eſt in relatione intrinſecè & quidditatiuè. Cùm igitur iſta habitudo non ſit ad ſe, ſed ad aliud, relatio non poterit intelligi habere habitudinem, quin intelligatur ille terminus ad quem eſt talis habitudo.

Terminus nō eſt de cōceptu relatiui, ſed habitudo ad terminum.

Patet igitur quòd in conceptu quidditatiuo relationis, non includitur terminus, ſed habitudo ad terminum; ipſe tamen terminus, neceſſariò cointelligitur, propterea, quòd habitudo ſit ad illum.

Circa Concluſionem Secundam, vt illa verba textus intelligantur. *Conceditur quandocunque non aſſociatur ſubiecto aliquid:* & vt ſimul explicetur, quando vti licet terminis excluſiuis in Diuinis.

Nominibus excluſiuis quando licet vti in diuinis.

Nota ex Alexandro de Ales 1. part. q.65. membro 3. art.2. Baſſolio hìc. Quòd dictio excluſiua, addi poteſt, vel ſubiecto eſſentiali ad prædicatum eſſentiale; vt ſolus Deus eſt infinitus, eſt æternus, &c, in talibus propoſitionibus, nō eſt excluſio alicuius Perſonæ: Vel ſubiecto eſſentiali ad prædicatum notionale; & ſic in multis eſt veritas, ſi bene intelligatur; vt ſolus Deus eſt Pater, ſolus Deus eſt Filius, intelligendo Paternitatem, & Filiationem increatam, &c. Vel tertiò additur dictio excluſiua ſubiecto notionali, in ordine ad prædicatum notionale; & tunc ſi prædicatum ſit proprium, & non commune, propoſitio erit vera; vt ſolus Pater generat: ſi autem ſit commune, erit falſa; vt ſi dicas, ſolus Pater ſpirat, vel ſolus Filius ſpirat: Vel quartò additur notionali ſubiecto ad prædicatum eſſentiale; vt ſolus Pater eſt Deus, ſolus Filius eſt veritas; & tales ſunt propoſitiones falſæ. Et hic modus prædicandi, negatur eſſe bonus à Doctore noſtro in litera præſenti.

Reſponſio ad Primum principale, aliqua dicta continet. Primum eſt. Illa propoſitio, Solus Deus qui eſt Pater, eſt Deus; falſa eſt in ſenſu compoſitionis; quia compoſitè ſumptum illud ſubiectum, pro ſolo Patre ſupponit: in ſenſu verò diuiſionis eſt vera; quia duæ ibi Cathegoricæ propoſitiones includuntur veræ. Quarum prior eſt. Solus Deus, eſt Deus. Altera autem. Solus Deus, eſt Pater. Ex iſtis duabus veris, fit illa vna enunciatio, æquiualens prædictis duabus, in ſenſu diuiſionis. Solus Deus, qui eſt Pater, eſt Deus. Secundum dictum. Licèt ſecundùm viam diuiſionis illud Antecedens ſit verum; non ſequitur tamen illa conſequentia, Igitur ſolus Pater eſt Deus; Arguitur enim à ſuperiori ad inferius, cum excluſiuo ſigno: ſuperius eſt in Antecedente loco ſubiecti poſitum, ly Deus, quia eſt quid commune tribus Perſonis: in conſequentia autem, excluſiua dictio apponitur Patri, qui eſt non commune, & quaſi inferius, quàm ly Deus.

Dices. Ex iſta propoſitione, Solum animal quod eſt rationale, currit: ſiue in ſenſu compoſito, ſiue in ſenſu diuiſo capiatur, optimè infertur hæc conſequentia, Ergo ſolus homo currit: & tamen in antecedente, animal in ſubiecto, eſt terminus ſuperior homine: ergo ita debet dici in propoſito, quòd ex illo termino Deus, ſuperiori, vt ad Patrem in propoſitione prædicta determinatur, poteſt inferri hæc conſequentia, Solus Pater eſt Deus.

Reſpondet optimè Subt. Doctor. Ly Deus, cùm ſit vnū numero ſimpliciter, non numeratur in ſuppoſitis: idem, n. numero Deus, eſt in tribus Perſonis; ac proinde, non valet, à tali excluſiua, reſpectu communis ſubiecti, Solus Deus qui eſt Pater: inferre iſtam excluſiuam particularē, de particulari ſubiecto, Solus Pater eſt Deus: quia in plus ſe habet Deus, quàm Pater: ſed in creatis, cùm gradus ſuperior & communior numeretur in ſuis inferioribus, vt diuiditur & determinatur in illis, puta animal in homine, vt eſt idem realiter homini, non in plus ſe habet, quàm homo; ac proinde, bene valet conſequentia, à termino cōmuni, numerato in inferioribus, non ſic à termino communi, non numerato, nec numerabili in ſuis ſuppoſiti.

F. Guillel. Varro lib. 3. diſt. 2. diſtinctionem illam de ſenſu compoſito & diuiſo, applicatam ad illam propoſitionem, Solus Deus qui eſt Pater, eſt Deus: applicat ad iſtā enunciationem, Solus Pater eſt Deus: de qua procedit quæſtio, quòd ſit vera in ſenſu diuiſionis; qui ſenſus eſt iſte, Solus Deus qui eſt Pater, eſt Deus; in ſenſu autem compoſito, eſt falſa; quia ſolum Patrem, & non aliam Perſonam, dicit eſſe Deum. Probat autem accipi poſſe in ſenſu diuiſionis, per illud dictum Priſciani. Inter exigens & exactum, cadit medium, ſeu implicatio, qui eſt: in præſenti, exigens eſt Pater, exactum eſt Deus; ergo debet cadere media hæc implicatio, qui eſt: Solus Deus qui eſt Pater, eſt Deus.

Solus P[…] eſt Deu[…] cundū q[…] dam in […] quo ſ[…] eſt veru[…]

Iſtud tamen dictum Varronis peccat, & contra Logicam, & contra Grammaticam, vt aduertit Doctor Subt. Contra Logicam quidem: quia ſenſus diuiſionis in illis enunciationibus eſt. Quæ diuiſim alium ſenſum faciunt, alium compoſitè; ſed iſta, Solus Pater eſt Deus: ſiue compoſitim accipias, ſiue diuiſim, ſic ſolus qui eſt Pater, eſt Deus, eundem ſenſum facit; atque ita, non eſt diſtinguenda penes ſenſum compoſitionis & diuiſionis. Confirmatur. Quia aliàs omnis propoſitio, quantumuis determinatæ veritatis, poterit ſic diſtingui, penes compoſitionem & diuiſionem: quod eſt friuolum. Contra Grammaticam verò peccat; quia (vt etiam notat Doctor in 3. diſtin. 7. quęſt. 1.) exigens & exactum, in illis propoſitionibus dicitur ſubiectum & prædicatum, quando exigens habet ſe per modum regentis reſpectu exacti, & inter iſta poteſt mediare implicatio ly Qui eſt: veluti ſi dicas. Cappa Ioannis, liber Pauli: quia Ioannes ſuper Cappam, & Paulus ſupra librum, habet ſe per modum regentis: quare poteſt mediare ly Qui eſt, ſic. Cappa quæ eſt Ioannis, liber qui eſt Pauli. Quando autem conſtruitur ſubſtantiuum cum adiectiuo; vt homo albus, & è contra: item ſubſtantiuum cum ſubſtantiuo, non per modum regiminis; vt homo eſt animal, Pater eſt Deus; non oportet tunc cadere implicationem illam mediam Qui eſt, etiam ſecundùm ipſum Priſcianum.

Impug[…] tur ille dus.

In reſponſione ad Secundum principale. Dicitur Primò: quòd ex iſta, Solus Deus eſt Pater: non licet inferre hanc per conuerſionem, Ergo ſolus Pater eſt Deus. Ratio eſt. Quia iſta conſequentia non eſt conuertibilis in vniuerſalem affirmatiuam terminis tranſpoſitis, ſic Omne quod eſt Deus, eſt Pater: talis autem conuertens eſt falſa, vt dictum eſt Concluſione. 3. ergo & ſua conuerſa. Iſtius igitur conuertentis, Solus Pater eſt Deus, non eſt illa conuerſa, quæ ponitur in argumento, ſcilicet, Solus Deus eſt Pater, ſed eſt illa, Omne quod eſt Deus, eſt Pater: quæ eſt falſa: & à tali conuerſa, inferre hanc conſequentiam, Ergo ſolus Pater eſt Deus, eſt fallacia conſequentis, à magis communi, ad minus commune: acſi diceres, Eſt animal; ergo homo: quod eſt falſum, quia prædicatum vniuerſale, non eſt conuertibile cum ſuo inferiori.

Dicitur ſecundò ad probationem Conſequentiæ. Conſequentia fuit, Ergo ſolus Pater eſt Deus. Iſta conſequentia ſic probatur per conuerſionem excluſiuæ. Solus Deus eſt Pater: ſed patet ex dictis, quòd iſta non eſt ſua conuertens, ſed illa vniuerſalis, Omne quod eſt Deus, eſt Pater. Cur autem in iſtam non poſſit verè conuerti. Licèt dictum ſit paulò ante, additur hìc tamen alia cauſa. Quia non tanta eſt vnio ſuperioris cum inferiori: quia ita huic ſuppoſito, homini, animal conuenit, quòd etiam poſſit alijs; ſed inferiùs, ita huic ſuperiori, quòd non alij generi immediato; ita Deus, ita conuenit huic ſuppoſito, Patris, quod etiam conueniat alijs, Filij nempe, & Spiritus Sancti; ſed Pater ita conuenit huic Deo, quòd non alteri: atque adeo non valet illatio, à magis communi ad minùs, propter fallaciam conſequentis.

Circa tertium principale argumentum. Aduerte Primò, vim illius conſiſtere in hoc diſcurſu. Solus Deus eſt Deus; ergo Solus Pater eſt Deus. Antecedens eſt verum.

Princi[…] tertiū […] tur arg[…] tum.

rum. Consequentia probatur, sic. Quando ex aliquo Antecedente inferuntur duæ exponentes, alicuius consequentiæ expositæ: optimè infertur ex tali Antecedente, & ipsa consequentia exposita; sed ex hoc Antecedente, Solus Deus est Deus, potest inferri vtraque exponens consequētis (est enim exponens exclusiuæ propositionis, alia affirmatiua, alia negatiua, vt docent Logici, & dictum est Conclusione 3.) istius nempe propositionis, Solus Pater est Deus; ergo, &c. Hanc Minorem, quòd vtraque exponens possit inferri quoad exponentem affirmatiuam, sic ostendo. Ad istud Antecedens, Solus Deus est Deus; sequitur ista, Omnis Deus est Deus; & ista, Pater est Deus: ista autem propositio, Pater est Deus, est affirmatiua exponens illius consequentis. Quoad negatiuam, sic. Solus Deus est Deus; ergo non alius à Deo est Deus; ergo non alius à Patre est Deus. Quod verò in ista deductione ex isto Antecedente, Non alius à Deo est Deus, sequatur hoc: ergo non alius à Patre est Deus; probatur hoc discursu. Arguere sic affirmatiuè, Alius est à Deo; ergo alius à Patre; est fallacia consequentis, à magis communi ad minùs commune; ergo arguere negatiuè sic; Non alius à Deo; ergo non alius à Patre, erit argumentatio bona. Illum porrò modum arguendi, Alius à Deo; ergo alius à Patre, esse malum, probatur. Quia si ly Alius à Deo, infert alietatem à Patre; illud erit propter distributionem illius termini Alius, quia accipitur distributiuè pro omni alio, vt est alius; & consequenter erit alius & à se.

Aduerte Secundò. Pro responsione huius argumenti, primò negari illam consequentiam principalem Enthimematis. Ad probationem. Nego Minorem. Ad probationem illius Minoris, de exponente affirmatiua, Solus Deus; ergo solus Pater. Non sequitur. Cur autem non sequatur, diuersi diuersa dicunt. Nam quidam dicunt, in ista propositione, Solus Deus est Deus; ly Deus; in subiecto positum, accipi posse per ordinem ad prædicatum, & sic habebit suppositionem personalem ly Deus, ac proinde ponet exclusionem implicitam aliarum Personarum; quare vt Antecedens illud, Solus Deus est Deus, ita & Consequens negari debet, Ergo solus Pater est Deus. Secundò comparari potest Deus in subiecto, ad particulam exclusiuam, vt exclusiua afficiatur illud subiectum essentialiter sumptum; & ita supponet Deus, simplici suppositione, pro hoc Deo, non autem pro aliqua determinata Persona; quare cōsequentia postea erit nulla.

Ista responsio non placet. Quia subiectum debet accipi ibi in vna suppositione, non in duplici; & deinde, semper subiectum accipitur in ordine ad prædicatum, quare immeritò ab illo amouetur.

Respondetur Secundò, & meliùs; quòd in illo antecedente, Solus Deus est Deus; ly Deus, in subiecto stat confusè; arguere ergo postea distributiuè determinatè; Ergo solus Pater est Deus, est fallacia figuræ dictionis. Tertiò dici potest, vt dictum est dist. 4. & 5. quòd in illo Antecedente, accipitur in subiecto Deus, determinatè pro hoc Deo, qui est communis Patri, Filio, & Spiritui Sancto; sed ex tali, arguere ad vnam Personam, cum præcisione, est fallacia Consequentis.

Ad secundam partem probationis Minoris, de exponente negatiua, negatur illa vltima consequentia, scilicet, Ergo non alius à Patre est Deus. Cùm probans, Non sequitur. Alius à Deo: ergo alius à Patre. Imò dico, Optimè sequitur à negatione communis, ad negationem inferioris; sicut. Est aliud ab animali: ergo est aliud ab homine. Cùm probatur, de distributione termini alietatis. Dico, Relationes licèt possint accipi in communi, vt similitudo in communi, differentia vel alietas in communi: vt dictum est in principio huius explicationis: non tamen istæ relationes in communi, referunt seipsas, sed ista vel illa substantia refert in particulari; ipsæ etiam relationes, non referunt seipsas in communi vel in particulari, sed sunt alijs ratio referendi ad aliud, & cùm terminus ad quem refertur, debeat esse distinctus, non potest idem, vt sibi ipsi esse simile, ita nec à se ipso differens.

Hic tamen bene aduerte, non negari hìc, vel relationes disquiparantiæ, vel æquiparantiæ in communi, vt Patrem & Filium habere sua correlatiua in communi: vel relationem inquantum genus est, non habere terminum in communi, quia habitudo secundùm genus, vel secundùm speciem, non potest intelligi sine termino secundùm genus, vel secundùm speciem; sed hoc solùm dici, quòd relationes æquiparantiæ, non opponuntur sibi, vt in communi acceptæ, sed vt sunt in subiectis, & in fundamento; non enim similitudo, in communi refertur ad similitudinem: sed simile hoc ad illud: esto quòd similitudo in communi; dicat habitudinem, quæ non potest intelligi sine termino, vt dictum est supra.



DI-

DISTINCTIO XXII.

DE NOMINVM DIFFERENTIA, quibus vtimur loquendo de Deo.

QVÆSTIO VNICA.

Vtrum Deus sit nominabilis, nomine significante Essentiam Diuinam, vt hæc.

Hìc dicitur, quòd sicut Deus intelligitur à nobis, ita potest, &c.

SVMMA TEXTVS.

Prima Conclusio. *Potest aliquid distinctiùs significari, quàm concipi ab intellectu creato.*

Secunda Conclusio. *Multa nomina imponuntur, quæ significant Deum in communi.*

Tertia Conclusio. *Potest Deus à viatore nominari, nomine significante hanc Essentiam Diuinam, siue illa sint imposita à Deo, siue ab Angelo, siue ab homine.*

Quarta Conclusio. *Verisimile est, quòd de facto nomine-tur.*

Quinta Conclusio. *Supposita Prima Conclusione vt vera, certum est in sententia Scoti, quòd viator posset imponere nomen, quod significet Essentiam Dei vt distinctam, sicut est hoc nomen Deus, & à fortiori, potest vti nomine tali ab alijs imposito, puta à Deo, vel ab Angelo. Prior pars huius Conclusionis apertè est de mente Doctoris Subt. contra Caietani expositionem, qui 1. part. quæst. 13. art. 1. dicit, sententiam nostri Doctoris esse dubiam, an viator possit imponere nomen significans hanc Essentiam Diuinam. Sed hoc apertè est falsum. Quia cùm Conclusio Prima sit apertè de mente Doctoris, & ad illam sequatur ista; quòd viator possit imponere nomen significans Essentiam Diuinam; consequenter & in ista propositione est sententia affirmatiua Doctoris, & de mente illius doctrinæ. Quando autem dicitur in textu:* quicquid sit de istis, &c. *non dubitando de prioribus dictis loquitur; sed illis tanquam controuersis, & de quibus fit controuersia ab alijs, accedit ad determinationem secundæ partis huius Conclusionis, quæ non habet tantam controuersiam, (imò quam & ipse Caietanus concedit) aliqua nomina ab ipso Deo sūt imposita ad significandum hanc distinctè Essentiam, sicut est nomen* Tetragrammaton, Adonai, Qui est, *& similia in Scripturis.*

Viator potest imponere nomen quod significet Essentiam Dei vt distinctam.

Aduerte. Quòd Tertia & Quarta Conclusio, non dicit posse à nobis imponi tale nomen, quod significet Essentiam Diuinam sicuti est, vel de facto dari nomen in Scripturis significatiuam Deitatis sicuti est in se Diuina natura, vel posse nos vti; sed quod significet hanc naturam vt distinctam à quolibet ente creato: aliud autem est significare sicuti est natura illa in se, in suppositis, in perfectione &c. & significare naturam vt distinctam, licèt non distinctè: hoc secundum communiter concedunt Thomistæ, vt videre est apud Zum. & Ban. 1. p. q. 13 in Comm. art. 1. primum autem negant, & dicunt sententiam esse affirmatiuam nostri Doctoris dist. præsenti. Quòd simpliciter immeritò attribuunt Doctori Subtili; vt non pauca alia.

COMMENTARIVM.

Ostquam à Magistro sententiarum, in præcedentibus Distinctionibus sufficienter determinatum est de superbenedicto Deo, in Trinitate, ad intra, qualis sit, & quę eius proprietates: nunc ab hac distinctione vsque ad finē libri, prosequitur explicando modum loquendi, qui debet seruari in nominando Deo, eiusque proprietatibus & actibus; vt meritò hic secunda libri pars principalis videatur inchoari.

Agit autem Magister 1. de nominibus in generali dist. præsenti, deinde de nominibus in speciali seruato ordine, vt primo tractet de essentialibus, postea de relatiuis à dist. 26. ad 35. Tandem de illis quæ de Deo dicuntur per respectum ad creaturam, siue illa ab æterno Deo conueniant cognoscenti, prædestinanti, & volenti creaturam: siue ex tempore, creanti, gubernanti, & conseruanti eandem. De qua quidem nominum admirabili diuersitate, prę omnibus alijs, vt copiosissimè: ita doctissimè scribentem, lege Magnum illum Alexandrum de Ales 1. par. q. 48. vsque ad quæstionem 70. inclusiuè, per multiplices membrorum articulorumque diuisiones.

Illud pro cępta breuitate de nominum in Diuinis diuersitate hìc dici potest. Quòd in communi, nomina quæ de Deo dici possunt, alia sunt propria, vt Deus, Ens infinitum, Trinitas: alia translatiua, vt lux, candor, &c. Omissis translatiuis, nomina propria quædam dicuntur de Deo, secundùm se ad intra considerato: quædam dicuntur de Deo ad creaturas comparato.

Nom- de D- ctorum uersit-

Illa quæ de Deo sub propria ratione accepto dicuntur, sunt in duplici differentia: alia enim sunt nomina essentialia, vt Deitas, bonitas; essentialia autem, quædam sunt per modum substantiæ, vt Deus, Spiritus, Substantia; quædam per modum quantitatis, vt infinitus, æternus: quædam per modum qualitatis, vt bonitas, sapientia, &c. Alia secundò sunt nomina personalia; & hęc alia communia tum omnibus Personis, vt Persona, Hypostatis, Suppositum; Tum duabus tantùm, vt Spirator, tantùm Patri, & Filio conuenit; tum determinatè vni, vt Paternitas, innascibilitas, Filius, &c.

Illa autem nomina quæ dicuntur de Deo, in ordine ad creaturam, ad tria genera possumus reuocare; aliqua enim nomina cōueniunt illi per ordinem ad creaturas, acceptas in esse possibili & ęterno; sic Deus est illarum præcognitor, prædestinator, gubernatiuus, creatiuus: alia vt sunt in actuali existentia: vt creator, gubernator; & alia particulariter ex communicatione idiomatum, in ordine ad opus restaurationis: vt Deus homo, passus, crucifixus, &c.

Aureolus tamen dist. præsenti art. 3. ad numerum decennarium paulò aliter reuocat omnia nomina dicta de Deo, Vt sit. Primus modus, nominum translatiuè dictorum ex tempore; vtpote splendor, lux, charitas, & similia. Secundus verò, nominum relatiuè dictorum ex tempore; vtpote creator, refugium, gubernator, Dominus, & similia. Tertius autem, nominum absolutè dictorum ex tempore; vt incarnatus, humanatus, passus, & sic de alijs. Quartus quoque, nominum ab æterno dictorum, personaliter collectiuę; quale nomen est Trinitas, quod prædicatur de tribus Personis coniunctim, & de nulla sigillatim. Quintus verò, nominum personalium, de qualibet sigillatim dictorum; vt pote subsistentia, suppositum, & persona. Sextus verò, nominum personalium propriorum, relatiuè dictorum; vt Pater, Filius, Spiritus S. Septimus verò, nominum essentialium quidditatiuè dictorum, & communium: cuiusmodi sunt, & aliquid, & res, & similia. Octauus quoque nominū specialium, quidditatiuè dictorum, quæ significant essentiā nudam & propriam, qualia sunt θεῖος in Gręco, Deus in Latino, & Adonai in Hebreo. Nonus verò, nominum qualitatiuè dictorum communium Deo & creaturæ, cuiusmodi sunt bonus, sapiens, iustus, & sic de alijs attributis. Decimus autem, nominum quasi qualitatiuè dictorum, specialium ipsi Deo, quæ non competunt creaturæ: qualia sunt immensus, æternus, omnipotens.

Varia- mina- modo- cuntur Deo

Ex prædictis nominibus, nomina translatiua dicuntur æqualiter de Essentia, & Personis, (nisi sumantur appropriatè) omnes enim Personæ sunt vna lux, vnus candor: licèt hoc vltimum approprietur secundæ Personæ, à Diuo Paulo. Nomina essentialia omnia dicūtur vt de ipsa Essentia, ita & de Personis singulariter. Pater enim & Filius, est vna Essentia, vna bonitas, vna æternitas; similiter in concreto,

creto, Pater et Filius, sunt iustus, sapiens, æternus, non autem dicitur in plurali iusti, sapientes, ęterni. Nomina significantia actum notionalem, vt generat, spirat, non dicuntur de essentia, ex distinct. 5. quæst. 2. Nomina personalia propria cuilibet Personæ, vt Pater vel Filius, dicuntur de Essentia identicè, non formaliter, Essentia est Pater, Essentia est Filius: sed nomina personalia propria de se inuicem non dicuntur: nec enim dicimus, quòd Pater est Filius. Personalia autem, quæ in communi omnes personas æqualiter respiciunt, vt persona hypostasis, dicuntur de qualibet Persona in singulari, sed de duabus vel tribus in plurali: vt enim Filius est Persona, ita Pater, Filius, & Spiritus Sanctus sunt Personæ. Illud nomen spiratoris, vt de vna, ita & de duabus Personis dicitur tantùm in singulari, iuxta superiùs determinata. Nomina quæ Deo conueniunt per ordinem ad restaurationem nostræ salutis, de vno supposito Filij dicuntur, Filius est homo, Verbum est caro factum. Nomen præterea illud Sanctum, collectiuum & numerale, Trinitas, de Personis sigillatim non dicitur; nec enim Pater vel Filius est Trinitas, sed Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, est Trinitas; de Essentia tamen dicitur, vt inquit Mayr. sic, Essentia est Trinitas, idque propter identitatem Diuinarum Personarum in essentia.

[...]di præ- [...]ndi in [...] tres.

Nota. Vltra dicta dist. 3. q. 3. art. 3. in Notabili. 2. Quòd in Diuinis sit triplex modus prædicandi, quidditatiuè, denominatiuè, & identicè. Quidditatiua prædicatio est, quãdo prædicatum est de quidditate subiecti; vt cùm dico, Deus est ens, substantia, viuens, &c. Denominatiua est, quando prædicatum est extra rationem formalem subiecti, & per modum informantis; sicut cùm dico, Deus est bonus, iustus, &c. Prædicatio identica est triplex. Prima, quando vtrumque extremum est formaliter infinitum; vt Deus est Diuina Essentia. Secunda, dum solum prædicatum est infinitum formaliter; veluti si dicas, Paternitas est Deus. Tertia, dum subiectum est formaliter infinitum, & prædicatum non est formaliter infinitum, sed nec est finitum nec infinitum; vt Deus est Paternitas, Mayr. dist. 2. primi quæst. 14. addit quartum genus prædicationis in Diuinis, quam vocat essentialem, sed immeritò. Quando igitur Subtilis Scotus in quibusdam locis docet, duo esse genera prædicationum in Diuinis, vnum formale, alterum identicum, intelligendum est iuxta dicta, aliàs d. 3. quòd ibi per distinctionem formalem intelligat, tũ quidditatiuam, tum denominatiuã, quia vtraque est subdiuisio prædicationis formalis, vt dixi supra.

De illis nominibus Tetragrammaton, Adonay, multa dicuntur à Scripturæ interpretibus, præsertim ab Alphõso Tolosano, super loca illa Exodi.

Interim hoc breuiter sciendum est. Quòd Tetragrammaton secundùm Rabbi Moysen, (cui in lingua Hæbrea multùm tribuendum est.) sit nomen distinctum ab illo, Qui est, licèt multi coniungant; & significat, vt refert Bassol. meram Diuinam Essentiam; scribiturque quatuor literis numero distinctis, quæ sunt Iot, He, Vau, He, quæ quidem literæ simul iunctæ, non reddunt sonum alicuius vnius nominis, vnde creditur, nomen illud esse inexplicabile creaturæ, & apud Hæbreos ob reuerentiam à solis Sacerdotibus, idque raró vsurpatum. Multi tamen dicunt quòd nomen Iehoua, idem est quod illud Tetragrammaton, ac proinde est per modum nominis pronunciabile, sed prorsus inexplicabile.

Adonay, dicunt Expositores, quod idem sit quòd Dominus.

Nomen, **Qui est**, quomodo Deo proprium, vide supra dist. 2. quæst. 1. Vasquez tamen 1. part. disp. 59. secutus sententiam Lippomani super caput 3. Exodi docet, nomen Tetragrammaton, Iehoua, Adonay, Eloim, Qui est, idem & vnum nomen esse, sed ista positiuæ Theologiæ relinquamus. Pro notitia qualicunque vocum ista sufficiant.

Interim circa textum.

Dubitatur.

Vtrum nomen à nobis impositũ, possit distinctiùs rem significare, quàm res illa à nobis concipiatur?

Videtur quòd non. Primò. Vox eatenus dicitur significatiua alicuius ad placitum, quatenus vnus significat per illã aliquid alteri, non autem quòd ex se, vel ex natura sua, sit significatiua illius: ergo dicere quòd aliquis significet aliquid alteri, & ipse illud non intelligat, non est intelligibile; hoc enim non aliud est, quàm dicere, quòd aliquis potest docere alterum, quod ipse non scit; quod est cõtra August. li. de Magistro c. 1. Ad nihil nos locutionem, nisi vt doceamus, apperimus.

Secundò. Finis impositionum nominum, est mutua expressio conceptuum, quos formamus de rebus; vnde & voces sunt notæ earum passionum, quæ sunt in anima, teste Philosopho 1. Periherm. ergo vltra illud quod concipere possumus de re, non possumus imponere nomen ad significandum.

Tertiò. Verbum quod extra proferimus, signum est verbi, quod intus in intellectu formamus; sed locutio exterior, est signum locutionis interioris, per August. 15. de Trinit. c. 11. ergo nihil significat vox exterior, nisi quod verbo interiori dicimus, seu concipimus.

Quartò. Patres, faciliùs Deum intelligi & cogitari posse, quam nominari docent; ergo paradoxa videtur opinio eius, qui contra ait, posse illum nominari perfectiùs, quàm intelligi. Antecedens est Cyrilli Alexandr. libr. 1. contra Iulianum, August. in Psal. 85. vbi ait; Quæris quis sit Deus; quod oculus non vidit, nec auris audiuit, neque in cor hominis ascendit; quid quæris vt ascendat in linguam, quod in cor non ascendit.

Quintò. In Scripturis, nullum nomen est explicans Essentiam Diuinam, vt est distincta ab alijs; ergo malè oppositum docet Doctor. Concl. 4. Anteced. probat Caietanus, & ex eo Valentia, authoritate Dionysij lib. de Cælesti Hierarchia c. 1. cùm dicit; Impossibile esse aliter nobis lucere Diuinum radium, nisi veritate Sacrorum velaminum (puta Scripturarum) occultatum.

Ita sentit Caiet. 1. p. q. 13. Valentia, Zumel. & Ban. ibid. Ferrar. 1. Con. gentes ca. 30. Anglicus & Capreol. dist. præsenti.

In oppositum est D. Subtilis hìc suique Sectatores, Ocam, & Gabr. dist. præsenti Molina etiam putat longè probabiliorem.

Nomen â nobis impositum põt rem distinctius significare quàm a nobis cõcipiatur.

Pro Sententia Doctoris Subt. intelligẽda. Aduerte Quòd non intendimus hìc docere, omne nomen distinctiùs significare, quàm res ipsa concipiatur; sed dicimus, posse esse aliqua nomina à viatoribus imponi, quæ distinctiùs rem significant, quàm concipiatur.

Rursus iste terminus, distinctiùs: potest accipi, vel pro significatione adæquata, vt nihil sit cognoscibile in illo cognito, quod tali nomine non significetur; vel de inadæquata, quæ directè ipsam essentiã rei possit significare, licèt non omnia conceptibilia in tali essentia. Et de primo certũ est, quòd nullus viator possit imponere tale nomen Deo: tali enim modo, verè Deus est ineffabilis: sed de secundo est difficultas.

Ista autem significatio inadæquata, potest esse vel voce complexa: vt cum dico ens infinitum; vel simplici: vt cum dico, Deus, Iehoua.

Nomen igitur à viatore impositum simplex, potest distinctiùs significare Diuinam naturam, quàm illa à viatore concipiatur.

Aduerte vlteriùs. Ly distinctius, in præsenti propositione potest accipi dupliciter: vno modo, vt suam significationẽ & distinctionem ponat penes rem significatam seu nominatam, quòd magis distincta res ab omni alio significatur nomine, quàm conceptibus, quia nomen potest vni rei tãtùm conuenire, sicut hoc Iehoua, soli Deo conuenit; conceptus autem pluribus; vt ens infinitum, &c. ratio enim entis conuenit alijs. similiter & ratio infiniti. Alio modo ly distinctiùs potest afficere ipsum nomen, ita quòd nomen magis explicitè distinguat distinguenda in re intellecta, quàm conceptus; quasi verò hoc nomen Substantia, magis explicet distinguibiles conceptus explicitè, puta entis per se subsistentis; quàm conceptus ipsi, seu intellectio; & in isto sensu propositio est falsa; in primo omnino vera, & apertè intenta à Subtili Doct. vt clarè constat ex discursu eius, & aliud immeritò, contra euidentem literam huius distinctio-

distinctionis affingit Doctori huic Ferrar. loco allegato.

Scotus non intelligitur hic ab adversarijs.

Ista igitur Conclusio. Res quandoque distinctiùs aliquo nomine significatur, quàm intelligitur, accipiēdo ly distinctiùs, priori modo; probatur breuiter duabus rationibus ex discursu Subtilis Doctoris desumptis. Prima. De substantia non possumus habere conceptum simplicem proprium; & possumus habere nomen simplex, quod significet ita substantiam, quòd non aliud ens à substantia; ergo nomē simplex, distinctiùs significat substantiam, quàm intellligatur. Antecedens quoad primam partem, patet ex dictis supra, dist. 3. q. 2. & 3. & probatur breuiter, Quicquid cognoscitur vt obiectū simplex, cognoscitur per speciem; sed substantia non habet speciem sui; ergo non cognoscitur, vt obiectum simplex. Maior conceditur à Thomistis. Minor probatur. Si haberet substantia speciem per quam cognosceretur; ergo & carentia talis speciei, esset causa negatiua, quare substantia non cognosceretur; si enim per lumen cognoscimus lucem, & carentiam lucis cognoscimus ex carentia luminis, siue ex tenebris; & eadē potētia q̄ cognoscit lumen, cognoscit & priuationē luminis; sed carētia & absētia substantiæ, nō pōt à nobis naturaliter cognosci, vt patet in Eucharistiæ Sacramento; ergo neque ipsa substantia ibi cognoscitur; & tamen substantia, quę à nobis cognoscitur, varijs abstractionibus & diuisionibus ac discursibus, potest vno simplici nomine significari distinctè, sicut significatur hoc nomine, Substantia; istud enim nomen audienti significat naturam illam sub ente simplicem, contradistinctam ab accidente; licèt illius intellectio non sit ita distincta. Ita cùm dico, Deus, iste terminus significat illam vnam nobilissimam naturam, distinctam à quocunque alio, quod non est Deus, Quando autem concipio, plures conceptus occurrunt, puta substantiæ infinitæ, independentis, &c. imò vnico conceptu simplici illam non possumus intelligere, vt distinctam ab omni alio; & tamen hoc vno simplici nomine dum exprimitur, statim res significata vna & indiuisa in se, & distincta à quouis alio, occurrit apprehēdenti talem vocem.

Probatur Secundò. Quando respectu alicuius rei intellectæ cōceptus sunt plures, quorum multi vel omnes seorsim sumpti, possint alijs conuenire à re intellecta: & respectu eiusdem ponitur signum, quod illam solam rem intellectam significat, ita vt non sit vllius alterius rei signum, tunc tali signo distinctiùs res intellecta significatur, quàm illis conceptibus concipiatur. Patet. Quia illi couceptus possunt alijs conuenire; non sic signum: & ita signum magis in significando distinguit rem intellectam, quàm cōceptus in intelligendo. Sed conceptus perfectissimus, qui potest haberi de Deo, vt est ens infinitum, dicit conceptibiles res plures, quarum quęlibet à Deo conuenit, vt ratio Entis, conuenit accidenti & substantiæ, ratio infinitatis, cōuenit quantitati; non sic autem hoc nomen, Deus, vel Iehoua, quod ita est Dei in significando, vt nullam aliam rem significet; ergo res magis distinctè significatur nomine, quàm concipiatur intellectione.

Ad Primum in oppositum, quod est Anglici. Dicō. Non est ad rem argumentum. Neque enim docet Subtilis Doctor, vocem nō intellectam à me, distinctiùs mihi rem, vel alteri significare, quàm res concipiatur; imò secundùm Doctorem Subt. hic, ad nomen requiruntur ista. Primò, vt ab vtente accipiatur tanquam signum, & non vt res; quare si ita prōferat hoc verbum coruus, non profert vt signum, sed vt rem. Secundò, vt sit signum, non tantùm alicui, sed ipsi vtenti; vnde dicit hic Doctor, si Hæbream linguam nesciens, proferat Hæbraica nomina, licèt illa sint signa Hæbreo, nesciens tamen, non habet illa pro veris signis, & pro veris nominibus, esto quòd proferat ea intentione, vt significet aliquid. Tertiò, vt ille qui profert nomen, aliquam notitiam, saltem in vniuersali, si non in particulari, signati habeat. Addi potest quartum (licèt non ita necessarium) vt possit esse alteri manifestatio; quia secundùm Platonem in Thymæo, ad hoc datus est sermo, vt alijs nostros cōceptus exprimamus. Potest tamen aliquis, sibimetipsi loquendo, veram rationem nominis & signi habere in vocibus illis.

Nomen ... gnifica... tres d... habere ... ditione... eo qui ... tur illo ... mine ... gno.

Ad Secundum. Nomen est expressio conceptuum, non formalium in intellectu, sed obiectiuorum. Nec enim dicendo, Homo est animal, intendo alteri vel mihi dicere, quòd conceptio, seu intellectio hominis, in intellectu existens, (quæ intellectio dicitur couceptus formalis,) sit animal; sed de conceptu obiectiuo (qui conceptus obiectiuus, est ipsa res cognita, seu concepta) quem concipiendo varijs conceptionibus sub rationibus communibus, possum vt distinctum vno nomine exprimere, Illi ergo nomen possum imponere, quod concipio, sed non eo modo quo concipio: quia qd varijs conceptibus concipitur, vno nomine (omissis aliarum rationum nominibus) ipsam essentiam possum nominare, & significare, & isto signo distinctiuo postea vti.

Ad Tertium. Non est signum conceptus formalis, sed obiectiui, vt est obiectiuè in intellectu. Et concedo quòd illud voce exprimitur, sed non eo modo, quo varijs modis concipitur.

Ad Quartum, quod est Valentię. Patres intelligendi sunt de nomine adæquato Essentiæ Diuinæ, quod vnum significet Essentiam existentem in tribus suppositis relatiuis. Et dicimus, quòd tali modo Deus est ineffabilis; & hoc apertè patet ex ipsis verbis August. ista enim vox, Deus, Qui est, Iehoua, &c. & in cor, & in linguam possunt ascendere; loquitur ergo de nomine non potente pro isto statu viæ, in cor hominis & in linguam ascendere.

Ad Quintum. Nego Antecedens. Ad probationem. Dico, in hoc velamine Scripturarum, reuelatum nobis est illud Exodi ca. 6. *Nomen meum Adonay*. Et Cap. 3. *Qui est, hoc nomen mihi in æternum*; ista nomina non conueniunt creaturæ, vt patet; ergo est nomen Dei, exprimens ipsam Essentiam Dei, vt distinctam.



DISTINCTIO XXIII.

DE HOC NOMINE, PERSONA,

QVÆSTIO VNICA.

Vtrum Persona, vt dicit aliquid commune Patri, Filio, & Spiritui Sancto, dicat præcisè aliquid secundæ intentionis.

Circa istam Distinctionem Vigesimam tertiam: quæro vnum. Vtrum Persona &c.

SVMMA QVÆSTIONIS.

In Primo Articulo narratur Opinio aliorum. In Secundo, datur vera resolutio Quæstionis.

ARTICVLVS PRIMVS.

Narratur Opinio aliorum.

Hìc dicitur, quòd Persona tantùm dicit intentionem secundam &c.

SVMMA TEXTVS.

Opinio hæc est Gandau in Sum. art. 75. q. 4. & fusissimè art. 53. quæst. 5. quem postea secutus est Gerard. Senen. dist. præsenti, art. 3. qui dicunt, nomen hoc, Persona, in communi dicere intentionem rationis, quam secundam intentionem vocant: non negat tamen sumptum pro connotato, nimirum pro isto vel illo supposito Diuino, significare rē, & esse nomen primæ intētionis.

ome Persona est no[men] primæ [in]tentionis. *Oppositam sententiam Doctor Subt. hìc & in Report. tuetur, quam sequuntur Bassol. Mayr. Ocam, Gabr. omnesq; alij Scotistæ: imò eandem sententiam ex D. Thoma deducit Capreol. disput. præsenti Conclus. 3. Aureol. hìc art. 3. subscribit ibid. Heru. imò est communis Thomistarum, quòd nomen Personæ, sit nomen primæ intentionis.*

Impugnatio Doctoris contra positionem Henrici, habet quadruplicia argumenta.

Primum procedit ex dictis ipsius Henrici, qui concedit, quòd à relatione Paternitatis, Filiationis, & spirationis, possit abstrahi conceptus communis realis, nempe relatio: Paternitas enim est relatio, Filiatio est relatio, Spiratio est relatio, quod etiam in 1. Report. dist. in 25. quæst. 2. optimè probat Doctor Subt. ergo à Persona Patris, Filij, & Spiritus Sancti, potest abstrahi conceptus communis Personæ, cùm Pater sit Persona, Filius Persona &c. Consequentia patet. Quæcunque enim dicentur contra illam, eadem dici possunt, & debent, contra communem rationem primæ intentionis.

Impugna[tio] Opinio [H]enrici ne[g]atiua

Secunda ratio procedit ex descriptione secundæ intentionis. Nam secunda intentio non aliud est, quàm ipsius intellectus cōparatio passiua, quæ est ratio rationis in obiecto cognito, ad aliud comparato: vt dictum dist. 13. sed ratio Personæ, etiam in communi, non dicit ordinem ad aliud, vt intellectu factum; hæc enim nomina, Petrus, Paulus, quæ significant personam, sunt merè absoluta; ergo &c.

Tertia ratio procedit contra primam rationem Gandau. in litera positam sic. Qualem rationem dicit indiuiduum, talem rationem dicit persona, vt dicit ipsemet Gandau. at ratio indiuidui dicit rationem realem primæ intentionis, quia dicit vnum numero, vnitas autem numeralis consistit in aliquo primæ intentionis, prout dicitur in 2. dist. 3. imò ipsa vnitas in communi, est quid primæ intentionis, vt dicitur dist. sequenti; ergo & ratio personæ in communi, dicet quid reale primæ intentionis.

Quarta ratio est ex authoritate August. qui tres personas vocat tres res: & ex authoritate Magistri Senten. qui tres easdē personas, vocat tres subsistentias: ratio autem rei in communi, & ratio subsistentiæ in communi, sunt rationes primæ intentionis (res enim & ens conuertuntur, secundùm Auic. 4. Met. & ratio entis in cōi est realis, subsistentia etiā est modus substantiæ completæ debitus, absq; vlla consideratione vel comparatione intellectus) ergo & ratio personæ, erit primæ intentionis, non secundæ.

Quinta ratio, supponit rationem illam cōem personæ, esse vniuocam tribus personis increatis, imò & vniuocè de eis prædicari, siue quidditatiuè; vt dictum est dist. 3. q. 3. & contra hoc procedit ratio secunda Gandau. illa: Quicquid dicitur in Quid de aliquibus pluribus, illud dicitur de illis secundùm rationem vniuersalis, vel vt generis generalissimi, vel vt generis subalterni, vel vt speciei: sed ratio personæ in communi, non potest dici in Quid per modum vniuersalis, generis puta vel speciei, vt apertè patet; ergo ratio personæ, non prædicatur vniuocè de hac & illa persona.

Respondet Doct. Subt. dupliciter. Primò: secūdū Gādau. quòd is pari ratione hoc deberet soluere argumētū de ratione personæ in cōmuni, qua ratione solueret eandē de ratione relationis in communi. Quia sub illa Maiori Gandau subsumo Minorem eiusdē, hanc: Sed ratio relationis in communi, (quæ secundùm ipsum est primæ intentionis) non potest dici in Quid per modum vniuersalis, generis vel speciei; ergo &c.

Secundò. Soluitur de mente propria iuxta infra dicenda, distin. 26. et, iuxta supra dicta dist. 8. Quòd illa Maior, vel intelligitur de prædicato vniuoco limitato, vel de illimitato & transcendenti. Primo modo Maior est vera; secundo modo est falsa; est tamen vera sub disiunctione: omne enim prædicatum in Quid de pluribus, vel prædicatur per modum conceptus prædicamentalis & limitati: vel per modum conceptus transcendētis: quod verum est; sed Minor negata sub tali disiunctione, est falsa. Et sic intelligi debet ratio quinta satis efficax.

extæ rationis vis & enodatio, patet ex dictis dist. 12. q 1.

COMMENTARIVM.

Circa secundam rationem huius impugnationis. Aduertendum est, de secunda intentione illud (omissis longioribus discursibus de hac materia, quos facit Mayr. hìc q. 1. & F. Iræneus Brasauola in suis Quodlibetis, per septem vltimas quæstiones, in quibusdam tamen minùs mentem Scoti assecuti) Quòd prima intentio, vt spectat ad propositum, sit tēdentia quædam potentiæ cognoscitiuæ vel volitiuæ, in obiectum à parte rei, siue illud sit reale positiuum, siue negatiuum, siue priuatiuum. Secunda verò intentio est, tendentia potentiæ collatiuæ, non iam in rem, ex natura rei intellectam; sed in illud obiectum, quod rei intellectæ conuenit, per talem cognitionem, vel volitionem, nempe tendentia in ens rationis, quod est comparatio passiua in ipso ente reali comparato, prouenient ex intellectu vel voluntate comparante tale obiectum reale ad aliquid. Vnde sicut nomen primæ intentionis, erit vox significatiua rei intellectæ, quæ res sit ex natura rei, non per considerationem pręcisè intellectus; ita nomen secundæ intentionis, erit vox significatiua rei intellectæ, quæ habet esse merè ex consideratione comparatiua intellectus vel voluntatis. Prima & secunda intētio quid?

Et hoc est quod Bassol. dicit, dist. 25. primi, ar. 1. quòd intentio prima sit res intellecta; imò et quicquid se tenet ex parte obiecti, & ex natura rei, de re intellecta, quicquid sit illud, siue positiuum, siue priuatio, siue negatio. Intentio verò secunda, est ens rationis, quod conuenit rei vt intellectę, & est quædam relatio rationis, facta & fabricata circa rē intellectam, per actum intellectus comparantis vel componentis, vel diuidentis; seu, est comparatio rationis, seu habitudo vnius extremi ad rem, seu ad aliquod extremum, facta per intellectum. Et dicitur intentio secūda, quia priùs aliquomodo est intendere in rem secundùm se, & vt in re est absolutè; quàm comparando ipsam in habitudine ad aliud, seu ad aliquid, faciendo intentionem secundam.

Ex hoc patet, quæ sūt nomina primæ intētionis, & quę

ſecundæ intentionis. Quia nomina primæ intentionis ſunt illa, quæ ſignificant ea, quæ tenent ſe ex parte rei, & ſunt in re ex natura rei, ſicut hoc nomen animal, vel homo, vel rationale, vel lapis, vel aſinus, vel cæcitas, vel vnitas, Deitas, & ſic de alijs.

Nomina verò ſecundarum intentionum ſunt illa, quæ ſignificant illa quæ conueniunt rebus ex opere intellectus, comparantis, & negotiantis circa ipſam: ſicut eſt nomen generis, vel ſpeciei. Intellectus enim comparando animal ad ſua inferiora, attribuit ſibi, & facit circa ipſum intentionem ſecundam generis: ſimiliter etiam homini, attribuit intentionem ſpeciei, comparando ipſum ad indiuidua; & ſic de alijs.

Perſona in communi cur non dicit ſecundā intentionē?

Ex dictis patet vt explicatio rationis ſecundæ, ita & fundamentalis ratio, cur perſona in communi non dicat ſecũdam intentionem? quia primò & immediatè impoſita eſt ad ſignificandam rem realem: nimirum ad ſignificandam incommunicabilitatem in natura intellectuali; quæ incommunicabilitas in natura intellectuali, completè eſt à parte rei, abſque omni conſideratione intellectus. Quæ Concluſio eſt communis Scotiſtarum (præter Mayr. hic q.2.ar.2.) & Thomiſtarum diſt. præſen. & 1.p.q.29.ar.1. Contra Molinam ibid.

Circa rationem primam & quartam, quę admittit quod à relationibus Diuinis poſſit abſtrahi vnus conceptus realis obiectiuus relationis.

Dubitatur.

Vtrum aliquis conceptus poſitiuus primæ intentionis, poſsit eſſe communis, ſecundùm abſtractionem rationis, tribus perſonis Diuinis; nempe Paternitati, Filiationi, Spirationi?

Videtur quòd non. Primò. Quia aliàs ſequeretur, quòd aliquod vniuerſale eſſet in Diuinis: Conſequens eſt falſum; ergo & Anteced. Sequela Maioris. Quia diceretur de pluribus numero, nempe de hac, & illa numero perſona; hoc autem eſt eſſe ſpeciem: ergo, &c.

Secundò. Ab vltimis diſtinctiuis, non poteſt abſtrahi aliquis cõceptus communis poſitiuus; ſed Paternitas, Filiatio, & Spiratio paſſiua in Diuinis, ſunt vltima diſtinctiua perſonarum in Diuinis; ergo non poteſt abſtrahi ab illis vnus conceptus. Minor declarata eſt, diſt.2.q.5.6. & declarabitur fuſiùs diſt.26. Maior autem probatur diſcurſu Doct. diſt.3. q.4. de differentijs vltimis, quòd non includunt in ſe ens quidditatiuè, ſic. Vel rationes illæ vltimæ diſtinguendi, in aliquo conueniunt, vel in nullo; ſi ſecundum; habetur intentum, quòd in nullo conueniant, nec vllum habeant cõmune: ſi primum; ergo illę rationes non ſunt vltimò diſtinctiuæ, cùm in aliquo conueniant cum alijs rationibus.

Ita arguunt Ocam, Gabr. Aureol. diſt. præſenti, quibus contradicit Doctor hìc, & in 1. Report. diſt.25.q.2. eiuſque Sectatores.

A relationibus Originis. poteſt abſtrahi vnus conceptus communis.

Prima Concluſio. A relationibus originis in Deo, poteſt abſtrahi aliquis communis conceptus communitate reali. Probatur Primò authoritate hìc adducta Auguſt. Res quibus eſt fruendum, ſunt Pater, Filius, & Spiritus Sanctus; res autem eſt commune quid tribus Perſonis, & tribus relationibus Originis; ergo pari modo poteſt abſtrahi communis conceptus relationis, dicendo, Paternitas eſt relatio, Filiatio eſt relatio, &c.

Probatur Secundò, ratione illa diſt.3.q.2. propoſita. Intellectus certus de vno ſignificato reali, & dubius de duobus, habet alium conceptum de quo eſt certus, ab illis rebus de quibus eſt dubius; ſed poteſt eſſe intellectus certus de relatione in communi, puta, quòd relatio non ſit formaliter infinita, & tamen ſtare dubitatio de hac relatione, puta Paternitate: ergo, &c.

Secunda Concluſio. Iſte communis conceptus relationis, non eſt ſecunda intentio.

Probatur hæc Concluſio. Tum ex dictis art. præſenti. Tũ quia relatio realis, ſecundùm ſuam rationem formalem, nõ eſt obiectum ſecundæ tendentiæ, neque nomen ſecundæ intentionis: vt patet ex dictis. Tum quia nulla ſecunda intentio prædicatur in Quid de prima; ratio autem relationis in communi accepta, prædicatur in Quid de Paternitate, Filiatione, Spiratione. Et Ratio eſt. Si relatio Diuina, puta Paternitas, non tranſiret in ſubſtantiam per identitatẽ, talis Paternitas eſſet ens reale, & prædicaretur de ea relatio in Quid, vt modò prædicatur de paternitate creata; paternitas enim Petri, eſt quidditatiuè relatio; ſed per hoc quòd Paternitas increata eſt idem realiter Eſſentiæ Diuinæ, non tollitur ratio, quominus de Diuina Paternitate prædicetur relatio in Quid; vt enim Pater æternus, eſt ens ad Filium; ita Paternitas, eſt habitudo, qua aliquid refertur formaliter ad aliud: ergo &c.

Ad Primum in principio Dubitationis adductũ. Reſpõdent quidam: non eſſe in Deo relationem, vniuerſale prędicatum, licèt dicatur de pluribus relationibus; quia relatio intra genus, non diſtinguitur, niſi ad diſtinctionem in quo fundatur; ita non eſt vniuerſalis niſi ad vniuerſalitatẽ fundamenti; ſed fundamentũ relationis in Deo, ſiue ſit Eſſentia, ſiue ſuppoſitum Diuinum, nullo modo eſt vniuerſale; ergo & relatio nullo modo erit ibi vniuerſalis.

Relatio in gen dici vn ſalē ex da mēt dictum ne.

Sed iſta reſponſio ſupponit Maiorem falſam. Tum quia omnis diſtinctio generis in ſpecies, vel ſpeciei in indiuidua, eſt diſtinctio in aliqua, de quibus prædicatur genus vel ſpecies in Quid: atque ita illud, in quod diuiditur, ſiue genus, ſiue ſpecies, includit quidditatiuè ipſum diuiſum, genus nempe, vel ſpeciem, ſicut quidditatiuè continet homo genus ſuum, animal, & Petrus hominem: ſed nec fundamentũ continet quidditatiuè relationem, quia fundamẽtum vt communiter, eſt res alterius generis in creaturis: nec fundamentum cum relatione, quia tale in creaturis (vt album ſimile alteri) eſt ens per accidens. Tum quia diſtinctio formalis & quidditatiua ſpecierum alicuius generis, eſt per diuerſas formas illius generis; ergo & diſtinctio quidditatiua relationum, eſt per diuerſas formas de genere relationis, nõ autem de genere alicuius abſoluti, de quo communiter eſt fundamentum. Tum quia in hoc vno albo, poſſunt fundari plures ſimilitudines, quæ dicunt rationem magis communem quàm fundamentum: ergo & diſtinctio ſimilitudinis, non diſtinguitur ad diſtinctionem in quo fundatur, nec eſt vna, vel multiplex ſimilitudo ad vnitatem vel multiplicitatem fundamenti.

Reſpondeo igitur cũ Doct. Subt. iuxta aliàs dicta. Non ſufficere ad rationem vniuerſalis, vt prædicetur de pluribus in Quid, ſed requiri intrinſecè, quòd illud prædicatum ſit limitatum, & potentiale contrahibile per differentiam ſiue ſpecificam ſiue numericam, quare nullum prædicatũ eſt in Deo; ac proinde nullum vniuerſale.

Ad Secundum. Dico Primò. Relatio in communi abſtracta, nõ eſt aliqua res, vel realitas præciſa, eo modo quo genus à ſpecie præciſũ eſt realitas, & ſpecies ab indiuiduo abſtracta, eſt realis conceptus, ſed eſt modus aliquis realis poſitiuus, vt modus per ſe ſubſiſtendi. Licèt ergo ab vltimò diſtinctiuis, non poſſit abſtrahi ratio entis, vel rei, pro realitate quidditatiua vel hypoſtatica ſumendo, vt bene probat obiectio; poteſt tamen abſtrahi ratio modalis; ſicut & ab vltimò diſtinctiuis, poteſt abſtrahi ratio differentiæ vltimæ, vel ratio vltimò diſtinctiui: vt videtur velle Doctor loco alleg. in reſponſione ad 3. principale.

In Deo lum eſt uerſale.

Rñdeo Secundò. A rõnibus diſtinctiuis, facientibus cõpoſitionẽ cũ altero (ſicut differẽtiæ vltimæ, ſiue numericæ, ſiue ſpecificæ, faciunt ſaltem Metaphyſicã cõpoſitionẽ, cũ illis gradibus quos contrahunt) non põt abſtrahi cõceptus in Quid, vt dr̃ diſt.3.q.2. Bene tamen à rõnibus non faciẽtibus vllam compoſitionem, quales ſũt relationes Diuinæ, vt dictum eſt diſt. 8. Ratio diuerſitatis eſt. Quia in rebus creatis, eſt poſſibile cõtrahibile, & diſtinctiuum eſt actuale; in primo, nempe in contrahibili, eſt conuenientia in re à parte rei; ſi ergo & diſtinctiuum habeat conuenientiã cũ alio diſtinctiuo, erit ibi potentiale; & ita vel erit proceſſus in infinitum in iſta conuenientia, vel erit aliquid ita diſtinctiuum actuans potentialitatem alterius gradus, quod nõ includit conuenientiam: in Deo autem cùm nulla, ẽt imaginaria, detur potentialitas contrahibilis in Eſſentia, quia illa eſt actualiſſima, imò actus puriſſimus: nõ poſſumus ibi aſſignare gradus ex natura rei actuãtes & diſtinguẽtes potẽtiale: poſſumus tamen conceptum cõem formare diſtin-

ctiui,

ctiui, puta relationis, & huius & illius diſtinctiui, vt Paternitatis & Filiationis; ſed ille conceptus communis, nō habet aliquam ex natura rei conuenientiam in perſonis Diuinis, potentialem & determinabilem: ac proinde ſolus conceptus relationis ibi erit dictus in Quid, non autem aliqua realitas quidditatiua; quod bene poteſt concedi: ſed in creatura vltimum diſtinctiuum, ſi eſſet abſtractum, eſſet realitas communis, quod non eſt poſſibile abſtrahi ab vltimo diſtinctiuo. Vide de hac materia diſtinct. 3. q. 2. & infra diſt. 25. & 26. q. 5.

Reſpondeo Tertiò. Ab vltimis diſtinctiuis, ſicut & ab vltimis differentijs, non eſt abſtrahibilis cōceptus in Quid, ſed ab iiſdem vt non vltimò diſtinctiuis, quatenus relationes idem ſunt eſſentiæ, poteſt abſtrahi conceptus communis, & ita eſt in præſenti.

Prima reſponſio bona, vltima melior, ſecunda optima, & Scotica.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Datur reſolutio Quæſtionis.

Ad Quæſtionem reſpondeo. Quòd accipiendo definitionem perſonæ &c.

SVMMA TEXTVS.

Prima Concl. *Melior eſt deſcriptio Perſonæ tradita à Richar. de S. Victore, dicente.* Perſona eſt, incommunicabilis exiſtentia, naturæ intellectualis: *quàm illa Boetij, verbis improprijs prolata, & vſurpata à multis Theologis:* Perſona eſt naturæ rationalis indiuiduæ ſubſtantiæ. *Vide textum.*

Secūda Cōcluſio. *Perſona vt eſt quid abſtrahibile commune Patri, Filio, & Spiritui Sancto, non eſt nomen ſecundæ intentionis, ſed primæ. Ratio eſt. Quia vt omnes partes definitionis vel deſcriptionis ſunt primæ intentionis, puta incommunicabilitas, exiſtentia, natura, intellectualitas; ita & ipſum definitum, vel deſcriptum, eſt primæ intentionis.*

Tertia Concluſio. *Probabile eſt, quòd nomen Perſonæ in communi, dicat pro formali duplicem negationem communicabilitatis, ſeu duplicem incommunicabilitatem, vt ſit incommunicabile & vt Quod tum actu, tum aptitudine, & vt Quo tum actu, tum aptitudine: connotat tamen neceſſariò poſitiuum, nempe ſubſiſtentiam in natura intellectuali. Et ita ratione connotati, Perſona eſt quid poſitiuum, & pertinens ad dignitatem; ratione autem incommunicabilitatis, ſeu ratione formalis rationis, eſt quid negatiuum, negatione in genere, quæ negatio abſtrahit à dignitate.*

Quarta Concluſio. *Probabile eſt, quod nomen Perſonæ in communi pro formali dicit aliquid poſitiuum, nempe ſubſtantiam incommunicabilem. Iſta Concluſio elici poteſt tum ex 3. Concluſione: quia in textu ſub dubio & probabiliter defenditur: tum ex vltimis verbis huius articuli, in quibus concedit, non ſolum commune negatiuum eſſe abſtrahibile à perſonis & à rationibus perſonalibus, ſed etiam poſitiuum: & quamuis hoc poſitiuum poſſit intelligi de ratione relationis, vel de ratione perſonæ, vt eſt quid commune abſtractū à tribus Perſonis Diuinis; tamen etiam de perſona in communi quacunque permittit litera poſſe accipi. Iſtud verò poſitiuum in communi abſtrahet à relatione & abſoluto, neq. erit quaſi quidditas vel ſpecies abſtracta, ſed quaſi proprietas naturæ, vt dicitur hic, & diſt. 25. Concl. 4. ratio tamen Perſonæ à Diuinis præciſè abſtracta, dicit rationem perſonæ relatiuam.*

[Margin: ...men per ... eſt pri... intētio... | ...ſona di... duplicē ...atione ...ommunica ...tatis ꝑ- ...bile eſt. | ...ſona di... aliquid ...ſitiuū ꝑ- ...bile eſt.]

COMMENTARIVM.

Circa Primam Concluſionem aduerte, licèt indiuidua ſubſtantia, in definitione à Boet. tradita, accipi poſſit pro ſubſtantia incommunicabili, vt non pauci explicatores accipiunt; quia tamen indiuiduum vt ſic, dicit primam ſubſtantiā, in qua eſt ſecunda, non abſtrahens à cōicabilitate, vt patet in natura humana indiuidua aſſumpta à Verbo, Verbum. n. Diuinum ſcd̄m Damaſc. aſſumpſit naturam athomam, vt dicitur in 3. ſenten. diſt. 1. meritò corrigitur à Doct. Subtili ille modus loquendi Boetij, quia ſecundùm illum vt ſonat acceptum, verè anima rationalis ſeparata eſſet perſona, quia eſt indiuidua, ſeu prima ſubſtantia, naturæ rationalis.

[Margin: ...ſione de... ...tio à Boe... ...tradita ...rigitur ...e.]

Ac proinde immeritò Caietanus 1. par. q. 29. art. 2. Zumel & Vaſqu. ibid. Zoar. lib. 1. de Trinit. cap. 1. taxant hanc impugnationem Scoti.

Nec valet dictum Thomæ Anglici, quòd maior eſt authoritas Boetij quàm Richar. ac proinde non debere corrigi dictum Boetij per dictum Richar. Tum quia pari gaudent authoritate in Theologia. Tum quia dato quòd eſſet maior authoritas Boetij, adhuc impropria locutio, quātumuis grauis Theologi poteſt vt explicari, ita & corrigi per doctrinam planam & propriam alicuius minoris authoritatis; & ita deſcriptio data à Boetio, corrigi debuit: vt præ alijs optimè adnotauit Irrefragabilis Alenſis 1. par. q. 56. memb. 3.

Secunda Concluſio habet veritatem, ſiue ratio perſonæ dicat pro formali duplicem negationem, ſiue poſitiuum. Cùm enim tam negatio illa incommunicabilitatis, quàm illud poſitiuum, cōueniat naturæ intellectuali, abſq; comparatione intellectus, ratio perſonæ non erit ſecunda intētio, ſed prima. Idem dicendum eſt de ratione indiuidui vel ſingularis, quòd ratio indiuidui in communi, ſiue dicat duplicem negationem, (nempe diuiſionis in ſe, & identitatis cum alio) ſiue rationem aliquam poſitiuam, quod verius eſt, eſt nomē primæ intentionis, non ſecundæ, vt etiam docet bene Aureol. diſt. præf. ar. 3. prope finem.

Tertia Concluſio eſt D. Subtilis, & in 3. diſtinct. 1. q. 1. & quodl. 19. Mayr. Baſſol. Antonij Andr. aliorumq; Scotiſtarum communis. Præterea placet Molinæ 1. par. q. 29. art. 1. diſp. 2. quia tamen patitur aliquas difficultates, & calumnias, proponitur dubitatio ſequens.

Dubitatur.

Vtrum perſona dicat quid poſitiuū vel negatiuū?

Videtur quòd negatiuum. Primò. Si Perſona in eſſe Perſonæ conſtitueretur per aliquid poſitiuū, ſequeretur quòd eſſet aliqua entitas in natura humana, quæ eſſet inaſſumptibilis à Verbo: Conſequens autem eſt falſum; ergo & Antecedens. Sequela Maioris. Quia illi vltimæ entitati quā perſona addit vltra ſingulare, repugnat communicari, eo modo quo communicatur natura humana Diuino ſuppoſito. Minor. Tum quia ſecundùm Damaſcenum. li. 3. c. 6. quod eſt inaſſumptibile, eſt incurabile. Tum quia omnis entitas poſitiua creaturæ, æquè eſt in potentia obedientiali reſpectu Perſonæ Diuinæ.

Secundò. Si natura creata, aſſumpta à Verbo, careret illa entitate poſitiua, tunc non poſſet dimitti ſibi, quin oporteret dari ſibi aliam realitatem, de nouo creando perſonalitem; vel certè remaneret non perſonata, quia non eſſet perſonata ſine illa realitate, & illam tunc non haberet: quod eſt inconueniens.

Tertiò. Sequitur quòd illa natura non poſſet dimitti, & eſſe perſonata. Ratio eſt. Quia talis realitas non poſſet eſſe realitas naturæ per identitatem, cùm natura poſſit eſſe ſine illa: atq. ita non poteſt contineri per identitatem in natura, vt natura per illam poſſit per ſe ſubſiſtere: & procedit hoc argumentum abſq. multiplicatione miraculorum, id eſt, non ſupponendo quòd creetur à Deo illa entitas.

Quartò. Quia natura intellectualis poſſit fieri hæc, & actu exiſtens, & nullo modo perſonata; priùs enim naturaliter poſſet fieri, & non ſub iſta realitate, qua perſonatur: quia in illo priori naturæ, in quo aſſumitur hæc humanitas, poſſet non aſſumi, & tamen ſic manuteneri nullo poſitiuo addito; atque adeo eſſet hic homo ſubſiſtens, & non perſona.

Hanc ſententiam negatiuam communiter attribuunt Thomiſtæ & Neotherici Doctori Subtili in preſēti diſt. & in 3. diſt. 1. q. 1. eandem ſequitur Baſſol. diſt. præſenti, cùm docet perſonam dicere primò duplicem incommunicabilitatem in natura intellectuali. Secundò docet connotare aliquod poſitiuum, quod conſequitur talis duplex incommunicabilitas, & vltimò connotat naturam intellectualē. Molina loco citato. Richar. diſt. 25. art. 2. q. 2. Durand. in 3. diſtin. 10. q. 1. num. 10. docet Perſonam ſignificare incommunicabilitatem cum ſubſiſtentia.

In oppoſitam partem poteſt trahi Alex. de Al. s.3.p.q.4.memb.6.& 1.p.q.56.mem.2. cū docet, ad Perſonam requiri ſingularitatem & incommunicabilitatem. Idem docet Zum.1.part.q.4.art.4.diſp.3. Aureol. hic prope finem, dicit quòd Perſona in recto, includit perſeitatem tertij modi, & in obliquo dicit negationem. Caietanus 1.part.q.4.art.2. Zoar.diſp.23. ſuæ Metaph. ſect.2.& lib.1. de Trinit.cap.3.Vaſq.1.part.diſp.127.

Cōicabile vt Quo, & vt Quod.

Pro reſolutione qōnis. Nota Primò. Duplex eſt cōicabile: aliud vt Quod, aliud vt Quo. Illud dicitur cōmunicabile vt Quod, quod communicatur pluribus, quorū quodlibet eſt ipſum eſſentialiter, ſeu de quorū quolibet prædicatur in recto, dicendo hoc eſt hoc; ſic animal communicatur homini & leoni, de quibus dicitur quidditatiuè: ſimiliter communicantur alia vniuerſalia ſuis inferioribus. Communicabile vt Quo eſt, quo vt forma informante, eſt aliquid tale; ſic albedo communicatur parieti, quia albedine vt forma paries eſt albus; ſic ēt formę cōicātur materię.

Incōicabile vt Quo, vt Quod.

Et quia tot modis dicitur vnum oppoſitorū, quot modis dicitur aliud, duplex erit incommunicabile: vt Quo, & vt Quod. Incommunicabile vt Quod illud eſt, quod nulli communicatur, de quo poſſit in recto prædicari; qūo oīa indiuidua creata ſunt incōmunicabilia, loquendo de indiuiduis ſubſtantialibus completis. Incōmunicabile vt Quo, illud dicitur, quod nullius poteſt eſſe forma vel pars.

Quando ergo dicitur in deſcriptione Perſonæ, quod eſt incommunicabilis exiſtentia: per ly Incommunicabilis, intelligitur incommunicabile vt Quo, & vt Quod, vt etiam dictum eſt diſt.2.

Hinc patet cur Deitas non ſit Perſona: quia videlicet eſt communicabilis tribus Perſonis, & vt Quo, & vt Quod. Similiter hic Deus per ſe exiſtens, quia eſt communicabilis vt Quod, non erit Perſona: anima etiam rationalis ſeparata, licèt non communicetur vt Quod, tamen quia eſt communicabilis vt Quo, non erit Perſona.

Iam igitur illi, qui per negationem docent Perſonā cōſtitui, dicunt ꝙ rō Perſonæ formaliter conſiſtat in hac duplici negatione communicabilitatis, vt Quo & vt Quod.

Eſt & alius explicandi modus, pro quo

Independētia triplex.

Nota Secūdò. Ex Doct. Subtili in 3.d.3. vtriuſq; Scripti q.1. Independentia pōt ſumi tripliciter: vel pro negatione actus dependendi: vel pro negatione actus & intrinſecæ aptitudinis: vel pro negatione poſſibilitatis ſimpliciter, reſpectu dependentiæ. Negatio igitur dependentiæ actualis, non conſtituit Perſonam; ſic.n. anima rationalis eſſet Perſona, quod oēs negāt: negatio itē poſſibilitatis depēdentiæ, nō eſt in natura creata; quia nihil eſt in natura creata, cui repugnet dependere, ideo hęc indepēdentia non conſtituit Perſonam creatam: igitur relinquitur ꝙ tertia indepēdentia, quę ſcilicet negat aptitudinem ad dependendū, conſtituit perſonam: aut veriùs independentia, ſeu incommunicabilitas actualis cum aptitudinali, conſtituit Perſonam.

Hic modus explicandi, in hoc à priori diſcrepare videtur: ꝙ ille ſit cōis quaſi perſonæ creatæ & increatæ, hic aūt ſpecialiter videtur explicare rationē Perſonæ creatæ, vt patet, ex illa poſſibili independentia. Abſolutè tamen iſte modus cum priori conuenit in hoc, quòd vt ibi per duplicem negationem dicitur conſtitui Perſona, ita hic rationē Perſonæ conſiſtere in negatione dependentiæ actualis & aptitudinalis affirmatur.

Nota Tertiò. Illi, qui per aliquod poſitiuū Perſonam in rōne Perſonæ conſtitui docēt, dicunt illud poſitiuum, eſſe modū quendā poſitiuū, realiter diſtinctū ab exiſtētia ſubſtantiæ; & ob id, nō vocari modū intrinſecū, ſed extrinſecū: diciturq; modus iſte per ſe ſubſiſtendi, ita ꝙ poſſit ſubſiſtentia non ineſſe alicui naturæ indiuiduali ſubſtantiali, & tamē conuenire actualis exiſtentia. Sic docent naturam humanam in Verbo, habere ſuam propriam exiſtentiam, ſed non ſubſiſtentiam: vnde quia non eſt ibi ratio formalis, quia Perſona dicitur, & eſt Perſona, nimirū ſubſiſtētia, erit ibi natura humana exiſtens propria exiſtentia, abſque propria perſona, eſt tamen perſonata perſonalitate Verbi.

Licèt Perſona creata cōſiſtat formaliter negation[ē] duplici, tamē [id] eſt dicen[dum] de Deo.

Nota Quartò illam doctrinam Doct. Subt. locis citatis, Quòd, dato Perſonā creatā cōſtitui in eſſe perſonali ꝑ duas negationes, non ſequitur idem de Perſonis Diuinis: quia illæ, cùm & actu non dependeant, neque communicabiles ſint, & abſolutè repugnet communicari vt Quod, & vt Quo: ſimiliter, dependentia ad aliud vt ad terminum, repugnat illis; omnis autem repugnantia eſt ratione alicuius entitatis poſitiuæ, vt Doctor arguit: rectè infertur entitatē illam, quam addit Perſona in Diuinis, eſſe poſitiuam. At omni Perſonæ creatæ, cùm & incommunicabilitas, & independentia conueniat tantùm ſecundùm actum, & ſecūdùm aptitudinem, non autem repugnat oppoſitum, non erit par ratio de Diuina Perſona, & creata, vt apertè concedit Doctor Subtilis, & in 3.diſt.1.q.1.& infra hic, diſtin.26.art.10. in reſponſione ad 4.

Concluſio Prima. Perſona non conſtituitur in eſſe Perſonæ per negationes formaliter, id tamen non poteſt ſufficienter demonſtrari.

An rō[…] ſonę fo[…] liter d[…] poſitiu[…] Scotus […] problem[ati]cus.

Hæc Concluſio cōiter dicitur eſſe cōtra Doctorē Subt. in 3.d.1.& hic diſt. præſenti vtriuſq; Scripti, & in quodlib. q.19.& adſcribūt illi nō mō extranei, qualis eſt Caietanus. 1.p.q.4.art.2. Zoar.diſp.33. Sect.2. num.8. ſuæ Metaph.& 1.de Trin.cap.3.Vaſq.1.par.diſp.127. Sed etiam non pauci illius Sectatores, præter Lichetum & Aquilanum.

Sed meo iudicio, nullo mō hæc Concluſio eſt cōtra Doctorē Subt. Nā inprimis fateor illud Doct. Subt. non ſenſiſſe, quod pciſè conſiſtat rō Perſonæ in negatione dependentiæ aptitudinalis & actualis; vel in duplici incōicabilitate, ſed ſemper fuit hac in parte dubius & ꝓblematicus, vt ex omnib. locis citatis patere poteſt. Nam diſt. pſenti, in rñſione ad Primū Opinionis, & ad Primū principale, expreſsè duos modos ponit probabiles. Et in Report. dicit, poſſe importari primò formaliter poſitiuū, nēpe exiſtētiā incommunicabilem, ſeu ſubſiſtentiam. In Tertio etiā d.1. q.1. cū poſuiſſet argumenta pro vtraq; parte, probādo diſputatiuè rationem Perſonæ cōſiſtere, iam in negatione actualis & aptitudinalis dependentiæ, iam in aliquo poſitiuo; probabiliorem quaſi partem ſecutus, dicit. *Non aſſerēdo, poteſt mediari inter iſtas vias, &c.* ergo illa via nō eſt aſſertiua, & de mēte Doct. Subt. ſed tm̄ diſputatiua, & probabilis. Hoc ēt apertè habetur hic d.25. & diſt.28.q.2. vbi vult nullam negationē poſſe alicui primò conuenire, niſi ꝑ affirmationem. Vide ibi. In 3. autem diſt.6. licèt videatur prima fronte huic Concluſioni contradicere, illis verbis. *Natura iſta ex quo non eſt tantum in intellectu, neque in cauſa, ſed extra cauſam ſuam neceſſariò habet ſuam propriā exiſtentiam actualem ſicut ſuum proprium eſſe quidditatiuum: ſed non habet propriam ſubſiſtentiam, quia ſubſiſtentia vltra exiſtentiam, nihil addit, niſi negationem duplicis depēdentiæ, ſicut dictum eſt de perſonalitate d.1.q.1.* ergo tā d.1.ꝗ 6. propria Doct. Subt. ſnīa de perſonalitate eſt, ꝙ illa conſiſtat in duplici negatione. Licèt inquā primo aſpectu, hęc contraria noſtræ determinationi videātur eſſe: reuera tamen nō cōtradicunt. Nā ſuppoſita aliqua opinione in ſuperiorib. nō omnino improbabili, licitum eſt ſm̄ illam in conſequentibus defendere, & illā allegare; & quia ī 3.d.1. fuit iſta opinio non aſſertiuè, ſed diſputatiuè propoſita, vt ipſemet fatetur ibidē; etiā in ſequenibus, quando illius meminit, non meminit aſſertiuè, ſed vel diſputatiuè, vel ad ſummū probabiliter. Neque.n. oīno improbabilis eſt illa ſnīa, quę docet Perſonā in eſſe Perſonæ cōſtitui formaliter negationibus: vt dat modum ſuſtinendi Doctor Subtilis, tum in 3. diſt.1. tum in Quodlib.19. Et quamuis vtrobique rationes contra illam duplicem negationem dependentiæ allatas reſoluat, non item contra rationem poſitiuam; inde tamē non ſequitur, quòd magis illi faueat illi opinioni quàm huic; ſed hoc colligitur, quòd illud, vt minùs probabile, minuſque verum voluit declarare, & ignota ac obſtruſa aliàs, quaſi in lucem proferre. His ita conſtitutis.

Probatur Concluſio Primò. Negatio non eſt primò incommunicabilis: quia negatio quantùm eſt de ſe, poſſet cuicunque competere: eſt igitur Perſona incommunicabilis, propter incommunicabilitatem alicuius poſitiui, ad quod ipſa incommunicabilitas conſequitur.

Confirmatur. Negatio non eſt primò propria alicui enti, niſi per affirmationem aliquam propriam; ſed proprietas perſonalis eſt primò propria illi cuius eſt; igitur, &c.

Secundò,

Secundò, arguit Zoar. vbi supra. Quòd mysterium Sanctissimæ Trinitatis non potest intelligi, si formalis ratio suppositi,in negatione consistit: sic enim tres Personæ Diuinæ, tribus negationibus constituerentur ; quod est contra veram Theologiam: si ergo in Diuinis, Persona addit aliquid positiuum ; ergo etiam in creatura addit aliquid positiuum. Consequentia. Quia Persona creata, est quædam participatio Personæ increatæ.

Tertiò probatur ex mysterio Incarnationis. Tum ex parte Verbi, quod ad Personam Diuinam assumpsit humanam naturam ; sed negatio non potest esse formalis terminus vnionis realis ; ergo Persona Diuina non consistit in negatione; si Diuina non, probabile est, quòd neque humana. Tum ex parte naturæ assumptæ: quia dum docent Concilia & Patres, Verbum assumpsisse humanitatem, & non hominem; & dum dicunt, Verbum assumendo humanitatem, non sumpsisse personam creatam,sed naturam ; istæ locutiones non possunt legitimè exponi, nisi quia in homine præter naturam humanam, est aliquid reale, quod complet rationem Personæ.

Confirmatur. Nam ex opposita opinione, sequitur etiam Verbum ipsum vt sic, post vnionem non esse Personam, sed solùm compositum ex natura humana & Verbo,quod est hæreticum. Sequela probatur. Quia in humana natura manet omnis res, & omnis modus realis, qui est in creata Persona, & tamen desinit esse Persona, solùm quia vnitur ; ergo è contrario Verbum, quia vnitur,non erit Persona, etiamsi nulla re vel modo reali priuetur.

Quartò. Si Persona creata diceret formaliter tantùm negationem, sequeretur quòd humanitas Christi, esset tam completa substantia omni ex parte, sicut est Persona Petri vel Pauli. Patet. Quia substantia in genere substantiæ, non completur per negationes; humanitas autem illa nihil minùs habet, quàm persona Pauli: ex hoc autem sequitur vlteriùs, non posse intercedere inter talia, substantialem vnionem ; nam ex duobus entibus in actu completo & perfecto, non potest fieri vnum ens per se.

Quintò. Illud quod est de perfectione substantiæ creatæ, non est mera negatio,sed positiuum quid ; negatio enim non dicit, sed supponit perfectionem ; sed id quod persona addit intellectuali substantiæ, est de perfectione & complemento talis substantiæ; vt patet. Tum ex Aristotele, dicente, primam substantiam esse maximè & perfectissimè substantiam ; prima verò substantia non dicit solam naturam, sed suppositum naturæ. Tum quia suppositum addit naturæ subsistentiam, vt ex principijs Fidei constat ; subsistentia autem magnam dicit perfectionem.

Sextò. Tenent Nominales, oppositæ sententiæ defensores, posse Diuina virtute fieri, vt suppositum creatum, alienam naturam terminet. Inquiro igitur. An eo casu posito, terminetur ad negationem vel ad positiuum aliquod? Primum dici non potest; quia negatio non potest esse formalis terminus vnionis realis; ergo secundum est concedendum: & sic habetur intentum.

Hæc argumenta probabilem duntaxat positam Conclusionem reddunt, magisque verisimilem opposita; non autem necessariò concludunt.

Pro quo supponendum est. Quòd nulla sit repugnantia in his terminis: communicari & dependere, potest non conuenire alicui personæ per solam negationem: quia dum negatio illa inest incommunicabilitatis vel independentiæ, affirmatio communicabilitatis vel dependentiæ non potest inesse. Cùm igitur hoc non repugnet, nulla est ex prædictis rationibus demonstratio.

Ad Primum igitur dici potest. Negatio illa est propria, quæ conuenit substantiæ indiuiduali creatæ, per hęcceitatem: hæc substantia creata, est incommunicabilis actu & aptitudine,sed non repugnat ei communicari. Vel secūdò dici potest. Quòd potest esse primò propria negatio alicui enti, sicut indiuiduæ substantiæ cōpletæ, naturaliter debetur negatio depēdētiæ ad aliud, vel cōicabilitatis negatio.

Ad Secundum. Non sequitur: vt patet ex Notab. 4. Nec sequela propositum ostendit, sed potius oppositū. Persona enim creata, quia est participatio Personæ increatæ, ideo non est tantæ perfectionis, quantæ est Persona participata ; atque ita, si illa est formaliter talis per positiuum aliquod, non sequitur, quòd & creata per positiuum constitui debeat, ob imperfectionem eius.

Tertium etiam argumentū, quoad priorem partē, non valet: vt patet ex dictis: neque quoad secundam; quia Cōciliorū & Patrum omnes illæ locutiones, hoc tantùm volunt, q̄ illa vnio naturæ humanæ, sit formaliter terminata ad Personā Verbi, propterea non potest compati illā incōmunicabilitatē & independentiā naturæ humanę ad Verbum, cum à Persona Verbi dependeat in existendo.

Confirmatio non est ad B. Quia alio modo Verbū constituitur in suo esse personali, alio mō creatura. Vnde non sequitur: si natura humana nullam entitatē positiuā amittendo, desinit esse persona (quia nulla positiua talis entitas est) ergo & natura Verbi, nihil amittendo positiuum, desinet esse pſona, in qua per positiuū quid cōstituitur, vt dixi.

Ad Quartū. Ens illud non est completū, quod depēdet ab altero: vnde cū Christi Dñi humanitas, dependeat vt à termino formali i subsistēdo, à Persona Verbi, humanitas aūt Petri non dependeat ab extrinseca subsistentia, vtpote habens propriam intrinsecā: illa humanitas cū nō sit cōpleta quoad modū essēdi, nō dicetur ita cōpleta, sicut ista.

Dices. Substantia non cōpletur per negationes. Respōdeo. Verum est, q̄ substantia in entitate sua non completur per negationes suas; sed in modo essendi, potest compleri per proprias negationes, vt per independentiam ad aliud.

Ad Quintum. Nego Minorē. Ad primam probationē. Respondeo. Prima substantia est maximè substantia, rōne illius realitatis, qua formaliter est hæc numero, non verò ratione personæ vel suppositi. Ad secundam. Dico, ita est in controuersia hoc dictum de substantia, sicut de supposito vel persona, cum hæc idem sint, & habeant se sicut superius & inferius. Nam licèt suppositum & subsistentia, sint idem conuertibiliter: suppositum tamen est communius persona, (accipiendo hæc strictè) nam omnis persona est suppositum, sed non omne suppositum est persona.

Ad Sextum. Admisso casu, dico quòd talis natura terminaretur primò & immediatè ad hanc numero naturā, sub illis negationib. acceptam: & ita terminaretur ad positiuum sub illis negationibus acceptis; & sic terminaretur ad personam.

Supradictis rationibus, addi potest illa. Persona in creatura intellectuali, nō plùs dicit, quàm suppositum vel substantiam in substantia materiali; sed subsistentia non dicit quid negatiuum, vt patet ex dictis supra, de modis (quia modi constituentes rem in esse positiuo, sunt positiui; sed ens finitum constituitur in esse substātiali positiuo per se, siue subsistere; ergo subsistere est quid positiuum) sed persona est idem quod subsistentia naturæ intellectualis; ergo persona non est quid negatiuum, sed positiuum.

Verùm huic argumento responderi posset. Quòd illa subsistentia, qua substantia est formaliter substantia, sit quid positiuum, sed illa subsistentia indiuidualis, illi priori superaddita, qua natura redditur incommunicabilis & independens, non est quid positiuum.

Conclusio Secunda. Natura intellectualis, est persona formaliter, per aliquam entitatem positiuam, quā consequitur duplex illa negatio, incommunicabilitatis & independentiæ. Hæc Cōclusio probatur communiter rōnibus pro Prima Conclusione adductis. Si enim non consistit in negatiuo, consequens est, vt cōsistat in aliquo positiuo. Probabile ē q̄d persona d cat positiuum.

Verùm vt illa argumenta intentum non concludunt necessariò, ita hoc secundum non concluditur necessariò.

Magis igitur teneo præsentem Conclusionem propter authoritatem Theologorum, quorum plerique assertiuè se ad hanc sententiam determinant ; alij multò probabiliùs quā ad oppositā, vt & noster Doctor Subt. fecisse vī, eumque sequitur Lichet. in 3. dist. 1. & Aquil. in 1. d. 26.

Et probabilitates adduci possūt præter supradictas. Tū q̄a incōmunicabilitas ista, nō inest naturæ vt natura, neq; naturæ vt singulari, neque vt existenti; ergo rōne alicuius

alterius gradus positiui, indiuiduæ naturæ competentis; ille autem est personalitas. Tum quia incommunicabilitas & independentia, conueniunt indiuiduæ substantiæ, ex eo quòd subsistat per se; per se autē subsistere, est quid positiuum, & quo formaliter persona est persona, &c. Tum quia sicut se habet inhærentia ad accidens, ita subsistētia seu suppositum ad substantiā; sed illa est quid positiuum; ergo & ista. Tum quia Pater videntur id supponere, quòd Verbum assumendo naturam humanam, & non assumendo personam creatam, non assumpserit quid positiuum.

Sic autem hæc Conclusio explicari potest. Sicut existentia est modus positiuus, quo formaliter essentia est extra suas causas; hæcceitas est modus positiuus, quo formaliter essentia existens, redditur indiuidua & singularis; ita est quidam modus positiuus realis, ratione cuius non conuenit substantiæ in existendo dependere ad aliud; iste modus potest vocari vel subsistentia, vel suppositalitas, vel personalitas, quem modum positiuum sequūtur illæ negationes.

Primariò igitur & formaliter consistit ratio Personæ in aliquo positiuo; concomitanter & secundariò in negatione duplicis dependentiæ. Iste tamen modus cùm sit à natura separabilis, non erit intrinsecus sed extrinsecus. Ex quo patet, subsistentiæ modum indiuidualem, alium esse realiter ab illa subsistentia, quæ formaliter constituit substantiam in esse substantiæ: illud enim subsistere, seu per se esse, est de ratione formali substantiæ, identificatum illi realiter; hoc autem est separabile à substantia, & per accidens illi conueniens. Ac proinde, conuenienter subsistentia potest subdiuidi, in modalem, aptitudinalem, & actualem; ista potest abesse per Dei potentiam; aptitudinalis est passio substantiæ per se secundo modo conueniens illi; modalis autem est de quidditate substantiæ. Hæc probabiliter dici possunt.

Subsistentia multiplex.

Ad argumenta in principio Dubitationis posita.

Ad Primū conceditur ab Authoribus oppositū sentientibus, quòd in substantia creata, sit quid absolutè inassumptibile, vt realitas hypostatica, seu personalis, non tamen ipsa natura: ac proinde, negant Minorem illius argumenti. Ad primam probationem. Dicitur: quòd est inassumptibile naturale, vt naturale distinguitur contra personale seu hypostaticum: verum est: sed sic omnia naturaliter debita naturæ humanæ sunt assumpta à Verbo & curata; quod verò est inassumptibile personale, seu modus personalis, non est curabile, negandum non est. Priori igitur modo, non secundo, intelligendus est Damascenus: Secunda probatio negatur communiter, si de ente personali sit sermo.

Ad Secundum. Dicit Lichet. Natura dimissa à Verbo, haberet omnino personalitatem, non per creationem, sed ex natura talis entis necessariò resultaret; sicut si Deus crearet nouum album, necessariò in illo oriretur similitudo ad aliud album, non per creationem, sed per naturalem emanationem & sequelam.

Ad Tertium. Illa natura per identitatem, licèt non contineat personalitatem, dimissa tamen, esset personata, personalitate resultante naturali sequela: sicut etiam in simili diceretur de negatione, quòd illæ negationes non producerentur, sed naturali sequela naturæ dimissæ conuenirent.

Ad Quartum. Dicit Caietanus, loquendo de potentia Dei absoluta, non videtur esse vllum inconueniens, quòd natura intellectualis possit esse absque personalitate, & tamen non dependere ab alio, cùm hoc nullam includat contradictionem.

Sed hæc responsio est dura. Quia implicat effectum formalem esse sine forma, cùm igitur subsistere per se, & non esse communicatum vt Quod, & vt Quo, sit formalis effectus Personæ, in natura intellectuali, non est possibile, quòd aliqua natura intellectualis, possit existere per se, & incommunicata alteri, & tamen non personata.

Meliùs igitur dici potest cum Licheto. Non omne prius potest esse sine posteriori, distincto realiter. Nam partes vnitas, non est possibile esse posse sine toto, & hoc album absque similitudine, idque ex naturali & necessaria exigentia alterius. Atque ita negari potest cum Licheto, quòd possit esse natura intellectualis per se, & non personata.



DISTINCTIO XXIV.

DE VSV NOMINVM NVMERALIVM. in Diuinis.

QVÆSTIO VNICA.

Vtrum in Diuinis sit propriè numerus.

Respondeo. Aut ponitur, quòd numerus, &c.

SVMMA TEXTVS.

Prima Conclusio. *Tenendo quòd numerus sit vna simplex forma, & vnitates habent se quasi materia: sic non est numerus in Diuinis: cùm non sit ibi materia, nec quasi materia, nec vllum potentiale.*

Secunda Conclusio. *Tenendo quòd numerus sit vnus vnitate aggregationis, non est sic numerus in Diuinis. Ratio est. Quia vnum per aggregationem, est minùs vnum quàm vnum per accidens; at ibi summa vnitas est in essentia: quare, &c.*

Tertia Conclusio. *Si numerus est ens rationis & non reale, potest ab intellectu creato, attribui numerus Diuinis Personis.*

Quarta Conclusio. *Sumendo numerum transcendenter, pro materiali, scilicet pro re numerata, absolutè debet ista propositio concedi. In Deo est numerus Personarum, est Trinitas Personarum, & consimiles.*

Vt autem ista litera intelligatur huius Doctoris, & de mente eius habeatur, quid ipse senserit de prædictis opinionibus, propono sequentem dubitationem per omnia dictis illius conformem in 1. Report. dist. 24. 5. Metaph q. 9. & 4. Metaph q. 2. & in libro expositionis Metaph. lib. 4. & 8. supra textum. 10. quam doctrinam sequitur Bassol. Mayr. aliique Scotistæ.

Dubitatur Primò.

Vtrum in Diuinis Personis sit pluralitas numeralis?



Idetur quòd sic. Primò 1. Canonica Ioã. c. 5. *Tres sunt qui testimonium dant in Cælo.*

Secundò. Damascen. 1. de Fide Ortod. ca. 5. dicit, Hyppostases differunt numero, non natura.

Oppositum vult Boet. de Trinit. cùm ait. Hoc est verè vnum, in quo nullus est numerus.

Vt ista veritas intelligatur, sit

Conclusio Prima. Numerus est quantitas discreta, realiter distincta à rebus numeratis. Ita tenet Doctor locis allegatis, cui præter Scotistas subscribit Herueus. quodl. 2. q. 11. estque intelligenda hæc Conclusio de numero prædicamẽtali accidentali. Duplex enim est numerus, vnus transcendens, qui oritur vel ab vnitatibus numericis, illis quæ sunt intrinsecę indiuiduis; vel ab vnitate essentiali cuiusuis naturæ. Essentia enim quæuis, etiam absque indiuiduatione, est vna vnitate minori, quàm sit numerica, vt dicitur à Doctore in 2. dist. 3.; & consequenter plures essentiæ, secundùm se consideratę, aptæ sunt constituere numerum transcendentalem. Alius numerus est prædicamentalis, qui oritur ex diuisione continui, vt docet Arist. 3. Phys. & iste numerus est accidentalis pertinens ad prædicamentum quantitatis.

...merus ...dentalis ...nguitur ...iter à ...is nu- ...atis

...merus ...scẽdẽs ...gene-

Probatur autem hęc Conclusio. Tum quia numerus per se est in prędicamento Quantitatis, vt vult Aristot. & ostendit Doctor lib. 5. Metaph. q. 9. igitur est ens accidentale reale. Patet. Quia ens reale, diuiditur in decem genera, quæ diuisio est realis in membra realia, vt ostendit Doctor 5. Metaph. q. 6. Tum quia obiectum scientiæ realis, debet esse reale vt alias diximus in Prologo: cùm igitur Arithmetica sit scientia realis, & consideret numerum, debet habere obiectum distinctum ab alijs rebus. Tũ quia duę illæ quantitates differunt realiter, in quarum vna realiter inuenitur plùs quàm in altera; eiusmodi autem sunt quantitas continua & discreta: nam diuisa quantitate continua in plures partes, non est ibi modò plùs, quantùm ad rationem quantitatis continuæ, quàm antea fuit; quia omnes istæ partes non constituunt aliquid longiùs quàm ante: sed est ibi plùs secundùm rationem quantitatis discretæ, quia sunt plures partes discretæ, quàm ante; ante enim solùm fuit vnum continuum.

Secunda Conclusio. Numerus iste accidentalis, qui dicitur prædicamentalis, est quid reale extra animam. Probatur. Tum quia intellectus non causat speciem alicuius generis; numerus autem prędicamentalis (iuxta dicta) est species quantitatis, quæ quantitas est ens reale. Tum quia ens rationis, est relatio rationis, vt diximus superiùs; numerus verò prædicamentalis est species absoluta, generis absoluti, nempe quantitatis; ergo numerus non est ens rationis. Numerus est quid reale.

Verùm cùm omnis species habeat aliquam formam, per quam est specificè vna, & alia sit species numeri binarij, alia ternarij: Difficultas est, qua vnitate sit aliqua species numeri vna?

Ad hoc respondebant quidam. Quòd numerus non haberet aliquam vnitatem. Ratio est. Quia multitudo vt multitudo, non est vna, vt dicit Auicen. 4. Metaph. numerus autem essentialiter est multitudo: ergo numerus de se non est vnus. Sed istud communiter non placet. Tum quia omnis species est de se vna; numerus autem est species quantitatis. Tum quia multitudo aliqua, licèt non sit vnum, vnitate reali identica partium inter se, est tamen vna vnitate numerali; ac proinde non satisfacit illa responsio ad difficultatem.

Tertia Conclusio. Numerus est vnus formaliter. Ista vnitas diuersimodè explicatur. Numerus est vnus formaliter

Alij dicunt, quòd numerus habet vnitatem suam specificam ab vltima vnitate, vt ternarius à tertia vnitate; non absolutè inquantum vnitas est, sed secundùm determinatam distantiam ad primam vnitatem, penes quam distantiam maiorem vel minorem à prima vnitate, distinguuntur numeri specie.

Alij putant se loqui ad mentem Aristotelis, quòd sicut in quantitate continua, continuitas est per se forma, & est per se vnitas continuitatis partium in toto: sic in quantitate discreta, nempe in numero, forma illa à qua numerus habet suam vnitatem, est ipsa discretio partium. Sicut igitur continuitas est vnitas ex forma continui, ita discretio est forma numeri discreti; & sicut secundùm aliam & aliã continuitatem, est alia & alia species quantitatis continuę, ita secundùm aliam & aliam discretionem, est alia & alia species quantitatis discretæ.

Istæ Opiniones non placent Doctori Subtili, & vide apud illum subtilissimè confutatas in 1. Report. dist. præsenti.

Propria igitur sententia Doctoris optimè est explicata l. 4. Metaph. expositionis, tex. 10. sic. In numeris est considerare vnitatem in duplici genere: quia quædam sunt vnitates materiales, ex quibus materialiter integratur numerus, vt hoc numero lignum, & illud numero, & illud, &c. Alia vnitas est à qua numerus, puta quinarius, est vnus numerus specie: hæc autem vnitas est sua forma specifica, sicut homo est vnus sua forma. Hæc vnitas formalis (dicit ibi Doctor) non ponitur in numerum, tanquam pars ad numerum quinarium, cùm ista vnitas neque materialis sit, neque partialis, sed est vnitas formalis, à qua dicitur totum denominatiuè vnum, habetque se hæc vnitas per modum propriæ passionis, & in secundo modo dicendi per se dicitur de denominato. Vnitas porrò hæc quinarij est innominata, sicut & multæ aliæ, tum formæ, tum differentiæ sunt Sententia Doctor.

nobis incognitæ,& innominatæ:Et quod dixi de quinario numero, idem dicendum est de alijs speciebus numerorũ.

Hanc doctrinam Doctoris sic explico.Quemadmodum compositũ Physicum, est tertia entitas, distincta realiter à materia & forma,etiã cum vnione sumptis,non tamen illa tertia entitas est entitas partialis,& quasi compars materiæ & formæ, sed est entitas totalis: ita proportionaliter dicendum est de numero, quòd quilibet numerus, dicat aliam vnitatem specificam, distinctam ab vnitatibus partialibus aggregatim sumptis. Planeque ijsdem argumentis defenditur hæc sententia, vt adnotauit Herueus,quibus demonstratur in Physica & à Doctore in 3. Sent.totũ distingui à partibus vnitis; & obiectionibus pari modo obuiandũ est.

Sed inferes. Primò. Si numerus quinarius est vnus vnitate formali, illa vnitas qua numerus dicitur vnus, addit supra quinque vnitatem, & sic quinarius erit senarius.

Difficultates contra sententiam Doctoris insurgētes soluuntur.

Respondeo. Quinarium esse vnum,vnitate de genere quantitatis,non tamen vnitate aliqua de quinque.

Inferes. Ergo est vnitas sexta. Dico.Neque absolutè dici debet sexta vnitas; quia sic sumpta, diceret vnitatem, vt partem constitutiuam numeri vlterioris; nec omnino negari debet;quia aliàs illa vnitas non esset alia à quinq; vnitatibus materialibus: sed debet dici cum limitatione hac. Est sexta vnitas totalis,non partialis;velut dicebãt antiqui. Est sexta vnitas totalitatis,non partialitatis;vel vt alij dicũt, Est vnitas sexta formalis,non materialis. Neq; inde sequitur, quinarium esse senarium. Nam senarius debet habere sex vnitates partiales,siue materiales,& vnam totalem siue formalem ab eis distinctam, quod non est in quinario.

Inferes Secundò. Cùm omne accidens vnũ, sit in aliquo vno subiecto,numerus autem vt quinarius sit per se vnus, debet dari vnum subiectum,in quo sit inhæsiuè illa vnitas; quod non potest assignari;quia suppono quinque ligna ex diuisione continui causata,& in diuersis locis existentia.

Respondeo.Accidens vnum: vel est diuisibile & discretum,vel est indiuisibile absolutè. Accidēs vnum prioris generis,cùm sit vnum vnitate totali, & debeat habere partes discretas,debet esse talis vnitas totalis in pluribus subiectis: accidens autem secundi generis, non item, inquit Doctor Subtilis.

Dices.Illa vnitas totalis, in quo est subiectiuè? Respondeo.Cùm illa totalis forma quinarij,includat quinque vnitates partiales, erit in quinque vnitatibus.

Dices. Impossibile est vnum esse simul in quinque. Respondeo vnum continuum vel indiuisibile, concedo; vnum discretum,nego.

Ex dictis hactenus, patet quòd iste numerus accidentalis,qui ponitur in genere, non possit transferri ad Diuina. Tum quia accidentalis est. Tum quia potentialis,includēs in se partes. Tum quia limitatus.Et hoc est quod dicit Doctor dist. præsenti §.illo *Primo modo, dico, quòd in Diuinis non est numerus;quia qualibet Persona Diuina est infinita, &c.*

Numerus prædicamētalis non est in Diuinis.

Quarta Conclusio. Vnitas conuertibilis cum Ente,licèt sit idem realiter cum vnitate numerali essentiali transcendenti, est tamen distincta realiter ab vnitate accidentali prædicamentali:sicut & numerus transcendens essentialis, distinguitur à numero prædicamentali, causato ex diuisione continui realiter.

Isti Conclusioni videtur contradicere Subtilis Doctor. 4.Metah.q.2.art.3.illis verbis.*In omni creato vnitas conuertibilis cum Ente,realiter non differt ab vnitate de genere quantitatis,licèt semper,vt dictum est.conceptus vnius transcendentis sit generalior.Quia verò nihil potest esse pars numero,nisi inquantum limitatur; quia de ratione partis est potentialitas ad formam totius,& vnum,inquantum conuertibile cum Ente nõ dicit limitationem; ideo ex tali inquantum tale, non fit numerus, nec multitudo aliquomodo vna, sed sola aggregatio, sicut dicitur de denario prædicamentorum.Vnitas verò quantitatis, quia per se dicit aliquid limitatum, ideo est per se pars numeri. Hæc positio habet negare Deum & creaturam esse duo, dualitate qua numerus est; vel multa, aliqua vna multitudine: quia omnis multitudo vna numerus est,sed tantum concedit ipsa duo esse aggregatione,&c.*

Vnitas trãscendentalis distinguitur realiter à prædicamentali vnitate.

Verùm hæc doctrina Scoti intelligenda est de vnitate, quæ est principium numeri transcendentis, vel essentialis, cum tali enim vnitate,vnitas entis est idem realiter.Loquēdo autem de vnitate accidentali, restricta ad solum genus quantitatis: dico quòd hæc vnitas, quæ est per se primò principium numeri, est accidēs realiter distinctum à subiecto,& ab vnitate transcendentali,tum illa communi,quæ conuenit enti,tum etiam limitatiori,quę conuenit huic aut illi enti, ab intrinseco. De subiecto patet,per illa argumenta quibus paulò ante probaui,discretam quãtitatem aliam esse realiter à continua; ita & vnitas hæc numeralis quantitatis discretæ,alia est à subiecto quantitatis continuæ. Et ratio breuiter potest esse.Tum quia subiecto eodem modo manente quoad partes substantiales, vel continuitatem longitudinis, latitudinis, & profunditatis, multiplicantur vnitates numerales, vt patet in diuisione continui. Tum quia vnitas numeralis adest & abest; vt patet in diuisione aquæ,in plures numero partes factæ,& postea vnione illarum in confusione, de vnitate transcendentali earundem. Tum quia vnitas trascendentalis, & numerus transcendētalis,est quid intrinsecum cuilibet enti:vnitas autem & numerus prædicamentalis, est quid extrinsecum & variabile. Tum quia illa vnitas dicit indiuisionem in entitate, siue indiuisionem naturæ transcendentis,aut genericæ, vel specificæ,aut etiam numericæ;vnitas autem prædicamentalis, dicit partem aliquotam,pertinentem ad numerum productum ex diuisione continui.

Contra. Videtur esse falsum,imò & impossibile,vt vnitas quæ est principium numeri,sit accidens realiter distinctum à substantia; cùm nullatenus, etiam Diuina virtute, vnitas numeralis hominis,vel alicuius entis creati, tolli possit sine corruptione entis: nam differentia indiuidualis, quæ facit ens hoc numero, identificatur realiter cum essentia talis entis; ac proinde inconueniens est vnitatem numeralem quæ est principium numeri, distingui realiter à subiecto.

Difficul.

Respondeo. Vnitas numeralis est duplex. Alia intrinseca,quę est propria passio cuiuis indiuidui,cõsequens differentiam indiuidualem:Alia extrinseca, quæ fit per diuisionem alicuius vnius continui, secundùm quam dicitur 3. Physic. Numerus esse multitudo causata ex diuisione continui. Illæ igitur vnitates quæ adueniunt enti per diuisionem continui,& postea faciunt numerum,sunt distinctę realiter à subiectis; at vnitas numeralis intrinseca, non distinguitur nisi formaliter. Idem dicendum est de vnitate specifica & generica ac transcendentali, quòd istæ vnitates in tertio identificantur realiter,& etiam inter se: & de tali vnitate intrinseca,debēt intelligi verba Doctoris ex 4. Metaph.q.2.superiùs citata,quibus vult vnitatem numeralem intrinsecam,non distingui realiter à transcendentali.

Solutio. Vnitas meralis duplex.

Quinta Conclusio. Totum discretum,addit supra totum continuũ,habere partes realiter diuisas.Nam sicut vnum, quod est principium numeri prædicamentalis, addit hoc supra continuum, quod est esse partem aliquotam totius discreti; esse autem continuum non importat aliquoram partem totius discreti,sed importat habere illas partes indiuisas ab inuicem;ita totum discretum addit,habere omnes partes diuisas, supra totum continuum, quod non habet vllas partes diuisas,sed tantùm diuisibiles.

Totum discretũ addit supra totum continuum.

Ex dictis patet. Primò. Quomodo sit intelligendus textus Doctoris, hic de varijs Opinionibus ex parte numeri propositus.

Secundò constat.Quòd principali ratione,ratio numeri sit imposita ad quantitatem discretam:secundariò verò ad transcendentia transfertur; ac proinde,bene communiter negatur absolutè in Diuinis Personis numerus;quia nulla est ibi quantitas discreta,nulla etiam vnitas formalis respectu vnitatum materialium vt dictum est Conclusione 3. Transcendenter tamē accipiendo numerum, cum hoc addito;Numerus Diuinarum Personarum,vel Trinitas Personarum;bene conceditur ibi esse numerus.

Hinc etiam patet responsio ad rationes in principio Dubitationis adductas.Priores enim affirmatiuæ,probant numerum transcendētaliter acceptum,posse dici de Diuinis: quod verum est,cum prædicta limitatione.Authoritas autem Boetij in oppositum, negat in Deo numerum prædicamentalem; quod libenter concedimus.

Multa alia de hac materia, vide apud Aureol. dist. præsenti,

ſenti, qui non multùm diſcrepat ab iſta poſitione, niſi quòd prætendit numerum eſſentiarum, ſeu numerum tranſcendentalem, ſecundùm ſe, eſſe verum numerum.

Interim, quia multoties facta eſt mentio vnitatis, non tantùm præſenti Dubitatione, ſed etiam ſæpiùs in textu Doctoris, & diſt. 2. q. 3. tractando de vnitate Dei, in hunc locum quæſtionem illam, in quo conſiſtat vnitas formaliter, reiecimus, ideo de illa ſequens in communi ſumpta Dubitatio mouetur.

Dubitatur Secundò.

Vtrum vnum dicat quid poſitiuum?

Videtur quòd non. Primò. Non habere diuiſionem, eſt formaliter negatio; ſed vnum in communi, non aliud dicit quàm indiuiſionem, vt patet ex 5. Metaph. tex. 11. vbi definiens vnum, dicit Philoſophus. Vnum autem indiuiſibile eſt, ſiue indiuiſum eſt. Et 5. Met. c. 6. cùm dicitur, *Vniuerſa autem quæ diuiſionem non habent, ea ratione qua non habent, vnum dicuntur*, Idem habet 4. Metaph. tex. 4. & aliàs; ex quibus locis colligitur, quòd ratio vnius ſit negatiua.

Secundò. Si vnum dicit poſitiuam rationem diſtinctam ab Ente. Quæro. Vel eſt Ens, vel non? Si includit Ens; ergo non accipitur vnitas vt diſtincta ab Ente, aut certè eſt idem præciſè quod Ens: ſi non includit; hoc eſt impoſſibile, vt aliquid ſit poſitiuum, & non ſit Ens.

Tertiò. Vnitas eſt ſeipſa vna, aliàs dabitur proceſſus in infinitum: ergo & Ens ſeipſo eſt vnum, non per aliquid ſuperadditum ſibi.

Confirmatur. Quia ens, vt diſtinguitur ab vnitate, eſt ſeipſo vnum; ergo fruſtra confingitur vnitas eſſe quid ſuperadditum.

Sententiam negatiuam communiter defendunt Thomiſtæ 1. part. q. 11. art. 1. Vide ibi Caietanum, & alios. Præterea Heru. & Capreol. in 1. diſt. præſenti. Aureol. in 1. diſt. 1. art. 4. & diſt. 31. art. 3. propoſitione 3. quibus ſubſcribit Fonſeca l. 4 Metaph. c. 2. q. 5. Zoar. diſp. 4. ſect. 1. nu. 6.

Affirmatiuam ſententiam defendit Doctor. Subt. 4. Metaph. exponendo tex. 4. Idem habet quæſt. 2. eiuſdem libri, quem communiter ſequuntur omnes Scotiſtæ. Eandem ſententiam tenet S. Bonau. diſt. præſenti art. 1. q. 1. Magnus Alex. 1. par. q. 15. mem. 1. & 2. Richard. diſt. præſ. art. 1. q. 2. putat probabilem: & probabiliorem aſſerit Vaſquez diſp. 228. c. 2. Zum. 1. p. q. 11.

Pro reſolutione Quæſtionis. Nota Primò ex Doct. Subt. 4. Met. in expoſ. tex. 4. Quòd negatio eſt duplex: quædam eſt ſimpliciter, quæ aliàs vocatur negatio extra genus, per quam abſolutè dicitur quòd hoc non eſt illud; quædam verò ſecundùm quid, quæ dicitur negatio in genere, per quā aliquid negatur, non abſolutè, ſed intra metas alicuius generis; ſicut cæcum dicitur, quod nō habet viſum, non tamen omne non habens viſum eſt cæcum, ſed tantùm in genere animalium, quod aptum eſt habere viſum. Quare negatio extra genus poteſt verificari tam de Ente, quàm de nō ente; vnde tam Chymera, quàm lapis, quàm etiam homo, poteſt dici non videns: non ſic autem de priuatione, quæ eſt negatio intra genus, quia non omne non videns, poteſt dici cæcum, ſed ſolùm quod eſt aptum habere viſum.

Hæc negatio poteſt adhuc ſubdiuidi, ſecundùm Doctorem Subt. ibidem, paulò ſuperius: vt alia ſit intra genus, alia infra genus. Intra genus, (vt hæc ab inuicem diſtinguantur) negatio illa propria erit, quæ dicet negationem in ſubiecto apto, abſtrahēdo quòd illud ſubiectum ſit in genere vel extra genus: infra genus autem illa erit negatio, quādo negabitur aliquid de ſubiecto contento ſub genere; vnde & dicitur negatio infra genus, quia eſt de ſubiecto, quod eſt infra ſuum aliquod genus.

Hæc ad propoſitum applicando. Dico cum Subtili Doctore. Quòd vnum importet priuationem, ſeu negationem illam, quæ eſt in genere. Cùm enim negatio abſoluta, quæ eſt extra genus, poſſit verificari tam de ente, quàm de non ente; non conueniet ab intrinſeco alicui reali; negatio etiā infra genus, cùm ſit negatio alicuius formæ determinatæ, de ſubiecto determinato, & ſub certo genere contento, nō conueniet vnitati tranſcendentali, quæ conuenit Enti inquantum eſt Ens. Negatio igitur quæ in ratione vnius includitur, cùm ſit negatio in ſubiecto, ſequitur quòd iſta negatio non ſit ſimpliciter, ſed magis declinet ad priuationē: Dixi, declinet; quia non eſt propriè priuatio, cùm non ſit in ſubiecto aptitudo ad diuiſionem entitatiuam, ſeu formalem.

Nota Secundò. Ex eodem Doctore Subtili vbi ſupra Quòd iſta negatio in genere, quam importat ipſum vnum, non eſt priuatio vel negatio multitudinis. Ratio eſt. Quia ſi negatio conſequens rationem poſitiuam vnius, eſſet negatio multitudinis, ſequeretur hoc, quòd multitudo eſſet prior ipſo vno, Conſequens eſt falſum; ergo & Antecedēs. Sequela Maioris probatur. Habitus eſt naturâ ſuâ prior priuatione, ſicut affirmatio eſt prior negatione; ergo vnitatis negatio, quę eſſet multitudinis priuatio, eſſet poſterior multitudine, vt habitu quodā poſitiuo. Minor. Quia principium eſt naturâ ſuâ prius principiato; vnum autem eſt principium multitudinis, vt patet ex definitione illius; quia per vnum definitur: Multitudo enim eſt quædam aggregatio vnitatum; ergo vnum eſt prius multitudine, non multitudo prior vno; cùm circulus in definitionibus ſit impoſſibilis. *Negatio quæ conſequitur vnitatem, nō eſt negatio multitudinis*

Dicēdum igitur eſt. Quòd vnum importet negationem, ſeu priuationem diuiſionis; non quidem diuiſionis quantitatiuæ, cùm iſta ſit determinati generis: ſed priuationem diuiſionis formalis, ſeu entitatiuæ, ita q̄ iſtud ens ſimplex entitatiuè, ſit indiuiſum in ſe entitatiuè. Iſtam priuationem vel negationem primam, quę eſt indiuiſio à ſe, conſequitur ſecunda negatio, quæ eſt non identitas cum alio, vel diuiſio ab omni alio. Vtraque harum negationum, vocatur in genere: ob cauſam ſuperiùs dictam. *Negatio importata per vnum, dicit priuationem diuiſionis*

Concluſio Prima. Vnum, vt eſt paſſio Entis, non eſt formaliter negatiuum quid. Probatur Primò. Nulla negatio eſt idem realiter alicui per ſe poſitiuo; ſed vnum vt vnū, eſt idem realiter ipſi Enti, vt docet Ariſt. 4. Met. tex. 3. & concedunt Thomiſtæ: ergo vnum vt vnum, non eſt negatio. Maior huius negationis, eſt euidens ex terminis. Quia quicquid identificatur alicui reali poſitiuo, eſt reale poſitiuum, propter illam identitatem: ſi igitur negatio identificaretur alicui poſitiuo, illa negatio eſſet quid poſitiuum, quia identificatur poſitiuo, & non poſitiuum, quia nulla negatio eſt quid poſitiuum. *Vnitas non eſt formaliter quid negatiuum.*

Reſpondet Caietanus. Idem eſſe alteri, contingit dupliciter: vel poſitiuè, vel negatiuè: vnum igitur formaliter, eſt idem enti negatiuè, quia non aliam naturam ſignificat, ſed non eandem alio modo, non poſitiuè.

Contra Primò. Nulla negatio conuenit rei in ſecundo modo dicendi per ſe; cùm ſecundus modus perſeitatis, ſit poſitiuus, in quo paſſio poſitiua dicitur de ſuo ſubiecto; ſed vnum cōuenit enti in ſecundo modo per ſe: ergo vnū non eſt negatio; & conſequenter, non eſt idem negatiuè, ſed poſitiuè.

Contra Secundò. Scientia realis & poſitiua, debet demonſtrare de ſuo obiecto paſſiones reales & poſitiuas: at Metaph. eſt realis & poſitiua, vt patet ex principio 6. Metaph. ergo, &c.

Contra Tertiò. Quando dicitur, quòd vnum ſignificat eandem naturam quam Ens, ſed non eodem modo. Per non eundem modum, vel intelligit Caietan. quid poſitiuum: & habetur intentum: vel nihil poſitiuum: & ſic negatio non variabit eius modum: negatio enim vt negatio, eſt nihil.

Probatur Secundò. Concluſio. Ratio formalis vnius, habet rationem primæ menſuræ, vt docet Philoſoph. 10. Met. tex. 2. ſed nulla negatio & priuatio, eſt prima menſura: quia vt ſic, eſt non ens, & maximè loquendo de menſura intrinſeca; ergo ratio formalis vnius, non conſiſtit in priuatione vel negatione.

Nec valet ad hoc inſtantia Caietani, in moralibus, de vitio gulæ: vbi minimum eſt menſura reliquorum. In moralibus enim, ſimiliter & in ægritudinibus, menſura eſt minimum, non ratione alicuius formalis in vitio vel ęgritudine, ſed rōne materialis poſitiui, vt verior docet Theologia.

Nec

Nec Capreolus in 1. dist.24.satis facit; qui docet,nec ratione vnius,nec ratione Entis præcisè esse mensuram, sed Ens quatenus est vnum;quia ista reduplicatio,denotat rationem formalem, per quam enti reali competit esse mensuram positiuam, quæ ratio mensuræ est vnum; ergo erit quid positiuum: vel certè vnum non erit mensura positiua, sed negatiua, siquidem in se illa ratio est per se negatiua.

Argumenta aduersariorum retorquentur in ipsosmet.

Probatur Tertiò. Retorquendo eorum Achillem contra ipsos, sic. Vnum formaliter dicit negationem per te. (siue vnam, siue duas, non curo, cùm par sit difficultas de vna in proposito, sicut & de duabus) Accipio illam: & quæro; vel ista vnitas, seu negatio, est vna seipsa, vel aliâ; si se ipsa; pari ratione standum erit in Ente, quòd Ens sit vnum seipso, absque vlla addita negatione: & ita esset aliquid formaliter vnum, sine vnitate, quod est impossibile; si est vna aliquo alio: quæro de illo; & sic vel erit processus in infinitū, vel stabitur in aliquo, quod est seipso vnum, absque vnitate, quorum vtrumque est impossibile.

Similiter altera pars quarti eorum argumenti, retorqueri potest. Ens secundùm suam formalem rationem, vt distinguitur ab vno, vel est vnum vel non; si est vnum: vel est per vnitatem, seu negationem vnum, vel seipso: si seipso: ergo idem dicendum erat in principio, quòd Ens absque vlla negatione seipso est vnum: & sic vnum non est negatio, quod tu affirmas: si est vnum per negationem: erit processus infinitus in negationibus: si Ens non est vnum, vt distinguitur ab vno: hoc dictum videtur esse falsum: quia Ens secundùm se sumptum, absque vnitate, est indiuisum in se, & distinctum ab altero; ergo est in se vnum. Argumentatio igitur hæc illorum cauillosa, si quid apparenter concludit, æquè concludit contra illos, sicut & contra nos; vel si illis non officit, nec nostræ positioni vllatenus obstabit.

Vnū dicit perfectionē simpliciter.

Probatur Quartò. Vnum dicit perfectionem simpliciter; sed nulla negatio dicit perfectionem simpliciter; ergo vnum non est formaliter negatio. Maior. Quia perfectio simpliciter est, quam meliùs est in quolibet esse ipsam, q̄ non ipsam; vt cum Anselmo dicunt Theologi; cùm igitur meliùs sit esse vnum quàm non vnum; vt patet, de primo summo ente, quod vnum est; vnum dicet perfectionem simpliciter. Minor. Quia priuatio vel negatio, habet rationem mali.

Nec valet instantia Caietani ad rationem, de Diuinis Personis, quæ non sunt vnum in Persona; quia relationes originis, cùm non sint entia quanta formaliter, vt alibi ostenditur, etiam personæ constitutæ formaliter per illas relationes, non erunt formaliter, vt personæ sunt, entia quanta: ac per consequens, nec quanta simpliciter: vnde & de vnitate illarum relationum, par est ratio, quę de ipsis relationibus, quòd illæ vnitates non sint entia quanta formaliter; secus est de vnitate essentiali omnium aliorum ab ipsis relationibus.

Probatur Quintò. Negatio vel priuatio, est formaliter nihil; sed vnum non est formaliter nihil; ergo vnum non est formaliter negatio. Minor. Tum quia est formaliter passio Entis realis; ergo est aliquid reale. Tum quia illud quod est realiter idem enti reali positiuo, est aliquid reale [illegible]tiuum; sed tale est vnum identificatum Enti; ergo, &c. [illegible] quia esset ens reale, quia identificaretur enti reali, & [illegible]eale, quia negatio est nihil.

Vnū dicit formaliter quid positiuum.

Conclusio Secunda. Vnum dicit formaliter quid positiuum. Probatur Primò. Passiones Entis, dicunt quid formaliter positiuum, vt ostendi aliàs in Metaphys. sed vnum est passio Entis, conuertibilis cum Ente; ergo vnum dicit quid formaliter positiuum: imò omnes rationes superiùs adductæ, ad probandam huius argumenti Maiorem, directè & in optima consequentia probant, etiam Conclusionem propositam.

Secundò. Vnum, sub formali ratione vnius, & in abstracto, est principium multitudinis; multitudo enim componitur ex vnitatibus, secundùm Philosophum 10. Meth. sed multitudo est quid positiuum; ergo vnitas est quid positiuum.

Confirmatur. Impossibile est aliquid positiuum componi intrinsecè, vel ex priuationibus, vel negationibus; sed multitudo, Verbi causa, Angelorum, est quid positiuum, compositum ex vnitatibus; ergo vnitates non sunt formaliter priuationes vel negationes.

Nec valet responsio Capreoli. Non ratione vnitatis, sed ratione substrati fieri multitudinem. Hoc enim inprimis est contra Aristotelem, qui multitudinem omnem docet constitui ex vnitatibus, vel vnis; ergo substratum hoc, vel illud, non vt tale est ens, sed quatenus est vnum, facit multitudinem. Deinde contra veritatem. Quia omnis numerus, siue prædicamentalis, siue transcendentalis, componitur ex vnitatibus; sed multitudo est numerus per aggregationem: igitur componitur ex vnitatibus, vel vnis, quatenus vna sunt, non quatenus entia; ergo ex vnis non ratione substrati, sed ratione vnitatis, componitur positiua multitudo, vel positiuus numerus.

Tertiò. Vnitas est passio Entis realis: vel ergo secundùm rationem positiuam, aliud est vnitas, & aliud ens; & habetur intentum: vel secundùm rationem positiuam, idem est Ens, & vnitas; & sic idem erit passio suiipsius, siquidem idem erit ex natura rei Ens & eius passio.

Quartò. Vnum non dicit negationem formaliter, vt probatum est præcedenti Conclusione; ergo dicit aliquid positiuum; non autem rationis, cùm ante operationē intellectus enti competat; ergo aliquid positiuum reale: quodnam verò illud sit, sequenti Conclusione explicabo.

Vnū formaliter, primò quid positiuum, secundariò consequitur negatio.

Conclusio Tertia. Licèt vnum dicat formaliter quid positiuum, tamen hoc non obstante, includit etiam negationem in genere; includit autem non formaliter, sed quasi consequenter, quæ quidem negatio, fundatur super illud, quod dicit positiuum.

Hæc Conclusio est expressè Doctoris Subt. 4. Meth. in expositione tex.4. & hoc tantùm probant argumenta aduersariorum, si quid probant: hoc etiam vult ipse Philosophus locis in primo argumento citatis, in quibus vnum definit à posteriori, per negationem diuisionis.

Neque hoc mirum videri debet, q̄ Aristot. toties faciēs mentionem vnius, raro vel fortè nusquam fecerit mētionem positiui, sed communiter illud explicet per negationem: ea enim optima docendi methodus est, vt quoties nobis positiua quidditas non innotescit, vno nomine explicabilis, eam per negationem consequentem illam necessariò explicemus, sic certum est, q̄ differentia contrahēs rationem animalis ad brutum, sit positiua, prout & ei opposita, contrahens ad hominem: quia tamen nobis illa immanifesta est, circumloquimur eam per negationem necessariò consequentem, dicendo irrationale, non q̄ formaliter illa differentia sit negatio rationalis, sed q̄ sit quidam gradus positiuus, constituens brutum in esse bruti, quem gradum necessariò consequitur negatio rationalis: quæ negatio rationalis, cùm nobis manifestè appareat in brutis per experientiam, per illam negationem, tanquam per notius, circumloquimur illud positiuum ignotum. Simili planè ratione fecit Arist. describens vnum per negationem: illa enim ratio positiua, cùm sit immanifesta, & realiter enti identificata, negatio autem illa consequens sit longè manifestior: optimè vnum communiter ab illo per negationem explicatur, vt per notius, non per positiuum ignotius. Et hic est vnus probabilis modus dicendi, de ratione positiua vnus, quòd illa sit ignota.

Quid Philosophus [illegible] hoc [illegible]rit.

Alius dicendi modus probabilior est. Non omnino prætermisisse Aristotelem facere mentionem huius positiui, si diligentiùs quidam textus in sua Metaphysica inspiciatur. Nam inprimis, quādo Aristoteles 5. Met. tex.8. & deinceps consequenter, varios modos vnius prosequitur: vt quòd vnum, aliud dicitur secundùm continuitatē; sic motus dicitur vnus, qui est continuus: aliud secundùm genus, sicut leo, homo, equus sunt vnum ratione animalis, &c. Sed hæc membra diuidentia sunt verè positiua & realia, vt patet: nam continuitatem esse quid positiuum, docet Physica, & ipsa ei opposita priuatio indicat, scilicet discontinuitas, quòd sit alicuius positiui priuatio: similiter vnitas generis, siue gradus ille conuenientiæ, in quo species animalis conueniunt, certum est quòd sit quid positiuum, est enim viuens, sentiens: ergo ipsum illud diuisum, nimirum vnum, cuius hæc sunt membra diuidentia, necessariò

cessariò debet esse quid positiuum; ergo Aristot. supponit ibi vnum esse quid positiuum.

Præterea. Idem Philosophus 5. Met. tex. 20. cùm distinxisset tres modos realium relationum, explicans primum modum, dicit: *Amplius æquale, & simile, & idem, secundum alium modum: secundum enim vnum dicuntur omnia: eadem namque sunt, quorum vna est substantia, similia verò sunt, quorum qualitas est vna, æqualia, quorum quantitas est vna:* Ex quo loco sic probo intentum. Relationum realiũ positiuarum, debet esse fundamentum reale & positiuum; sed relationes quæ sunt primi modi, fundantur super vno secundùm Aristotelem; ergo vnum vt vnum; secundũ Aristotelem, est positiuum quid. Et hæ duæ confirmationes ex authoritate Philosophi desumptæ, etiam primam & secundam, optimè probant Conclusionem.

AD ARGVMENTA IN PRINCIPIO Dubitationis posita.

AD Primum. Patet solutio ex dictis, Conclusione. 3. & ex proximè notatis: ex quibus etiam colligitur facilè, quæ sit mens Doctoris Subt. cùm dicit, vnum habere rationem indiuisionis: intelligendum enim est, concomitanter vnum dicere indiuisionem, principaliter & formaliter aliquid positiuum.

Ad Secũdum. Vnum vt distinguitur formaliter ab Ente, non est formaliter Ens, sed passio Entis. Nec tamen valet, quòd sit nihil. Quia est realiter & identicè Ens, vt aliàs etiam dixi, formaliter autem distinctum.

Ad Tertium. Respondeo Primò. Hoc argumento improbatur illorum opinio, vt ostenditur hìc Conclusione 1. probatione 3. ergo si ibi non valet, neque hic. Secundò dici potest, cum Antonio Andr. Hoc argumentum committit fallaciam figuræ dictionis: siquidem Quo in Quod mutatur, vnũ enim, seu vnitas, (pro eodem enim hæc pro nunc sumo, cum Doctore Subt. 3. Metaph. in expositione tex. 17. estò quòd strictè aliter possit sumi, vt concretum & abstractum) non est ens vnum, sed est illud quo ens est vnum: sicut albedo, non est alba, sed est id quo aliud est album: falsò igitur dicitur, vnitas est vna: quia ly, vna, accipitur pro termino Quod, vnitas autem non est quod denominatur vnum, sed quo aliud denominatur vnum formaliter. In secunda verò illatione: cùm dicitur: Ens vt distinguitur ab vno, est seipso vnũ; mutatur Quod in Quo, opposito modo priori, vt patebit consideranti.

Nec valet cauillatio Caietani, dicentis, rudem esse hãc responsionem. Nam primò in transcendentibus, concretũ verè prædicatur de abstracto, entitas enim est ens, & vnitas est vna, ac per hoc non mutatur Quo in Quod. Secundò, quia vnum addit naturam aliam supra ens, puta supra hominem aut leonem: qua ratione hæc est vera. Natura hominis est vna; ita & hæc est vera, natura vnitatis est vna: omnis enim natura vna est.

Non valent inquam hæ Caietanicæ improbationes. Prima non. Tum quia licèt ista sint vera, Entitas est ens; ista tamen est falsa, Vnitas est vna. Et ratio disparitatis est. Quia quædã sunt ita Quo, quòd implicat illis esse Quod, in illo genere; vt actio, ita est Quo res producitur, quòd implicet illam esse Quod producitur; similiter motus non est Quod mouetur, sed Quo mouetur aliud; relatio non est quæ refertur, sed qua aliud refertur; sic etiam vnitas, ita est Quo, quòd implicet illam esse Quod, propter processum in infinitum, vt hìc, ita & in alijs. Non sic de ratione Entis, quæ potest esse Quo & Quod; sicut in Angelo, vel anima separata; substantia eorum est, qua mouentur, & quæ mouetur. Tum quia entitas & ens, sunt idem realiter & formaliter, & distinguuntur tantùm penes modos concipiendi in abstracto, vel in concreto; vnitas verò non est idem quod vnum, quia vnitas præcisè dicit formam vnitatis, vnum verò dicit formam vnitatis, cum subiecto in quo est, qualis prædicatio subiecti cum forma, nunquã est recta de sola forma præcisè sumpta; vnde nec hìc vnũ dicitur rectè de vnitate. Tum quia adiectiua (secundùm Doctorem Subt. in 1. dist. 5. q. 1.) si prædicantur de aliquo abstracto vltima abstractione, necessariò formaliter prædicantur: & hoc propterea, quia adiectiua sunt; nam eo hoc quòd sunt adiectiua, significant formam per modum informantis, & ideo de nullo dicuntur verè, nisi ad quod se habent per modum informantis, de quo videlicet formaliter dicuntur. Cùm igitur vnum sit adiectiuum, & non dicatur formaliter de vnitate (vnitas enim non habet se respectu vnius vt potentiale & informabile, respectu actuantis & informantis) non potest rectè prædicari de illa: substantiua verò cum quædam possint identicè, quædam formaliter prædicari, nihil mirum est quòd ens (quod vt sic acceptum à Metaphysico, substantiuum est) dicatur de entitate. Ens vt sic est substantiuum.

Secunda autem improbatio Caietani non valet. Tum quia in his exemplis, vnum prædicatur non de vnitate, sed de natura, qualis prædicatio concreti adiectiui, de concreto substantiuo, est optima. Tum quia licèt hæc prædicatio, Natura vnitatis est vna, sit recta; non tamen ista, Vnitas est vna, bona erit: quia ibi prædicatur vnum de natura in concreto, hic de vnitate in abstracto, de qua prędicari non potest ob causam dictam.



DI-

DISTINCTIO XXV.

CVM DICITVR DVAE PERSONAE Diuinæ, vel tres Perſonæ, quid nomine Perſonæ ſignificatur? Relationè an Eſſentia.

QVÆSTIO VNICA.

Vtrum Perſona in Diuinis dicat ſubſtantiam an verò relationem?

Reſpondeo. Quòd Perſona non dicit relationem propriam, &c.

SVMMA TEXTVS.

Perſona in communi non dicit relationem propriam. Neque cō-munem.

Prima Concluſio. *Perſona vt ſic, non dicit relationem propriam. Ratio eſt. Quia, Perſona eſt quid commune tribus ſuppoſitis Diuinis, relatio propria non.*

Secunda Concluſio. *Perſona in communi, non dicit relationem communem. Ratio eſt. Quia quando aliquod relatiuum inferius, refertur ad ſuum correlatiuum, primò adæquatè conuertibiliter, etiam ſuperius illius relatiui, refertur ad tale correlatiuum, licèt non primò, nec adæquatè. Exemplum eſt. Duplum refertur ad dimidium, primò: multiplex eſt relatiuum communius duplo, refertur etiam ad dimidium, licèt non primò; quia dicimus, multiplex dimidij, ita Pater primò & adæquatè refertur ad Filium, Pater eſt Filij. Si ergo perſona dicat relationem communem, illa relatio communis nempe perſona, quæ dicitur de patre, referetur, licèt non primò, ad filium; dicendo, pater eſt perſona filij; quod eſt impoſſibile.*

Tertia Concluſio. *Perſona in communi, non dicit eſſentiam, ſeu quidditatem, ſecundum ſe. Ratio eſt. Quia quidditas Diuina eſt vna, non multiplicabilis; perſona verò multiplicatur in Diuinis.*

Perſona in communi abſtrahit á relatiuo & abſoluto.

Quarta Concluſio. *Suppoſito quòd Perſona in communi, dicat aliquid poſitiuum, puta ſubſiſtentiam, illa ratio abſtrahet ab abſoluto & relatiuo, & erit indifferens ad abſolutum in creatura, & ad relatiuum in Deo. Licet autem vt ſic in communi perſona abſtrahat à relatiuo & abſoluto; ex conſequenti tamen, in Diuinis, dat intelligere primò ſuppoſitum Patris, Filij, & Spiritus Sancti: deinde ipſas relationes quibus ſuppoſita conſtituuntur, puta Paternitatem, Filiationem, Spirationem paſſiuam, tertiò Eſſentiam.*

Ex his Concluſionibus, & ipſo textu patet, quòd non procedat iſta quæſtio, de Perſona hac & illa, per quid formaliter conſtituatur, & quid Perſona hæc dicat vel illa, in eſſe perſonali relationemnè an quid abſolutum, an negatiuum; ſed de Perſona in communi, quæ dicitur de Patre, Filio, & Spiritu Sancto, ſecundùm abſtractionem habitam diſtinct. 23. imò & de Perſona tranſcendentiſſimè ſumpta, vt eſt quid commune Perſonæ increatæ & creatæ, vt procedit Concluſio Quarta.

COMMENTARIVM.



Omen hoc Perſona, vt eſt in Diuinis, commune Perſonæ Patris, Filij, & Spiritus Sancti, non eſſe æquiuocū, ſed vniuocum, apertè hìc docet Subtilis Doctor. Quia ratio illa communis Perſonæ explicata diſt. 23. numeratur in tribus Perſonis Diuinis: illud autem eſt vniuocum, cuius nomen eſt commune, & ratio eadem in habentibus talem rationem: vt dictum eſt ſupra diſt. 3. de vniuocatione entis. Iſtam autem vniuocationem dicunt quidam Scotiſtæ, non eſſe ſecundùm aliquid commune reale, ſed ſecundùm commune rationis realis & modi; ita quòd Perſonis, ſecundùm quod Perſonę, vel relationibus Diuinis, ſecundùm quod relationes ſunt, non eſt aliquid commune reale, vt puta, res, perſona, relatio, vel quid ſimile; ſed modus realis aliquis poſitiuus, & modus per ſe ſubſiſtendi, vel per ſe ſubſiſtentia.

Quomodo eſt communiſſima ratio perſonę in tribus perſonis diuinis.

Iſtam doctrinam putat Baſſol. & quidam alij, eſſe de mente Doctoris Subt. diſt. 23. in illis vltimis verbis. *Ab indiuiduis non tantùm poteſt abſtrahi ſpecies, quæ dicit quidditatem indiuiduorum, ſed etiam aliquid quaſi proprium; ac proinde per ſe ſubſiſtendi modus, qui eſt quid poſitiuum, non conuenit quidditatiuè perſonæ Patris, Filij, & Spiritus Sancti: ſed vt proprietas.*

Iſta tamen doctrina non eſt Scotica. Primò enim, quod dicitur, tale vniuocum non eſſe commune reale, ſed rationis: Si dicat, quòd præciſio eſt à ratione; verum eſt, ſed non ad propoſitum; Si autem illa ratio obiectiua concepta, perſonæ in communi, dicatur eſſe ens rationis, non ens reale: eſt directè contra dicta Doctoris, diſt. 23. vbi vult conceptum communem perſonæ, eſſe ens primæ non ſecundæ intentionis, ſecunda verò intentio, eſt idem quod ens rationis, vt ex doctrina eius ibidem oſtendi. Deinde rem, vel ens non eſſe commune vniuocum prædicatum Perſonis Diuinis, eſt directè contra dicta diſt. 3. q. 2. de vniuocatione entis, & apertè in præſenti materia eſt contra dicta diſt. 23. ar. 1. & 2. circa finem, & contra authoritates Auguſt. & Magiſtri ibidem adductas. De relationibus apertè oſtenſum eſt ſupra de mente Subtilis Doct. & præſenti opere, & ex Repor. quòd relationibus Paternitatis, Filiationis, & Spirationis ſit cōmunis communitate reali vniuoca, relatio ſumpta tranſcendentaliter, non genericè.

Dico igitur Primò. Si Perſona in communi, de formali dicat quid poſitiuum, vt eſt veriſimile, illud poſitiuum non eſt prædicatum quidditatiuum entis, rei, quidditatis ipſius in ſuppoſito, ſed eſt prædicatum dicens modum, vel proprietatem ſubſtantiæ intellectualis. Exempli cauſa. Petrus eſt perſona, accipiendo prædicata quidditatiuè ab Ente vſque ad animal, & tādem ad hominem, nullum illorum dicit præcisè illud poſitiuū, quod hoc nomine perſona ſignificatur; ſed modus ille per modum proprietatis conueniens ſubſtantiæ completæ, qui eſt per ſe ſubſiſtere, ille modus inquam, vt afficiens naturam intellectualem completam, denotabitur hoc nomine perſona, Qui modus de ſuis inferioribus, & de perſona Pauli, Iacobi, dicitur in Quid; Petrus enim eſt perſona, Paulus eſt perſona, &c. ſicut & accidens de ſuis inferioribus dicitur in Quid; de albo enim, de nigro, dicitur coloratum quidditatiuè, & hoc ſolùm vult Subtilis Doctor in litera vltima diſt. 23. allegata.

Vltra dico, quòd perſona (ſimiliter & relatio abſtracta à Diuinis relationibus) in communi, vt abſtracta ab hac & illa perſona, ſit vniuocum commune, communitate reali: cùm ſit res primæ intentionis, vt dictum eſt, eaque communitate obiectiua conceptus, non realitatis. Eſt autem communitas obiectiua conceptus tantùm, alia à communitate obiectiua realitatis: quia communitas realitatis requirit in inferioribus, in quibus tale commune reperitur, ex natura rei, conuenientiam & naturam de ſe non determinatam ad talia inferiora: ſed per differentias ad illa contractam; ſicut animal & homo, contrahitur ad Socratem & Petrum; ſi tamen cōtractum, humanitas iſtius, cum humanitate illius, habet conuenientiam realem à parte rei: Tranſcendentia autem, quæ ſunt communia communitate cōceptus tantùm, non requirunt in illis quibus communia ſunt, conuenientiam realem, in illo in quo dicuntur communia: nec requirunt realitatem, ſeu naturam contrahibilem & determinabilem per differentias, ſed ſufficit quòd intellectus faciat illam conuenientiam: non eſt tamē ens rationis, quia fundatur in re: non quòd à parte rei ſit indifferentia & communitas quædam in tali gradu ad cōtractiones: ſed quòd ſit conceptibile in communi ratione, abſque illo & illo.

Iſtud dum via Sc Comm tas co ptus cōmun realita

Perſona

sona vt est quid cõitate nceptus, n realita-

Persona igitur abstracta à tribus suppositis Diuinis, similiter & relatio à tribus relationibus, non est quid commune obiectiuum communitate realitatis, seu quidditatis, seu naturæ, sed est quid commune obiectiuum communitate conceptus præcisè.

Caietanus 1.par.quæst.29. art.4.docet nomine Personę significari relationem in communi. Et ad rationem Doctoris 2.Conclusione positam, respondet: quòd Maior illa non sit vera, quando relatiuum significatur per modum absoluti; ita autem est in proposito; ergo sequela nulla.

iet. non uit rõnes oti.

Istud eius dictum dupliciter deficit. Primò. Quia dicit relatiuum in Diuinis significari per modum absoluti. Cõtra. Modus essendi ad se, & modus essendi ad aliud, sunt modi ita distincti, quòd vnus non includat alium in sua ratione; imò vnus est extra alium, & vnus non est per modum alterius, cùm sint oppositi quasi modi essendi: sed relatiuum est ad aliud, absolutum ad se; ergo relatiuum non potest esse per modum absoluti, & si debet significari nomine, vt est, non potest significari per modum absoluti. Confirmatur Secundò. Quando relatiuum significatur per modum absoluti, vel significatur vt ad se; & ista significatio falsa est, & impossibilis relatiuo, cùm relatiuum ab intrinseca ratione sua, sit ens ad alterum, non ad se: vel significatur vt ad alterum; & sic non significatur per modũ absoluti; quia impossibile est absolutum, quatenus est absolutum, esse ad alterum. Cùm ergo Persona in Deo significet relationem, vt subsistentem, vt dicit ibidem D. Thomas; & relatio etiam vt subsistens, sit ens ad aliud; quia quamcunque relationem, & quomodocunque acceptam, non est possibile intelligi sine ordine ad aliud, (sine tali enim ordine, est absolutum, non relatio,) consequens est, quòd si relationem significet persona, per modum relationis debet, non autem per modum absoluti significare, atque ita, non est argumentum Scoti solutum.

Secundò deficit. Quia gratis negat propositionem Maiorem; & fundatur in illo trito & lumine naturali noto axiomate Dialecticorum. De quo dicitur inferius, dicitur & superius illius inferioris; vt si de Petro dicitur homo, dicitur animal, quod est superius homine; imò dicitur viuens, corpus, substantia, ens, & ita inductiuè patet de omnibus; cùm ergo filius, sit inferius ad personam, quæ est magis commune: & filius dicitur de patre, per modum correlatiui, dicendo, pater est filij; etiam communior relatio (si personæ in communi esset relatio in communi,) & dicta quidditatiuè de filio (Filius enim est persona) per modum communioris dicetur de patre, sic, pater est persona filij, quod est inconueniens, ad quod inconueniens ratio Doctoris ibi deducit.

Dicit Secundò Caietanus, contra Tertiam Conclusionem Doctoris, docens illam non concludere, & adducit Caiet. pro Conclusione hanc rationem. Ab vltimis distinctiuis & constitutiuis personarũ, nihil potest abstrahi cõmune, dictum de eis in Quid, quia sunt primò diuersa.

Verùm ista ratione in præsenti materia, tanquam nihil valente, & non concludente, vt visum est dist. 23. in dubitationis solutione, non vtitur Subtilis Doct. hìc, vt euidẽs est in litera; vnde apparet quàm fidelis sit Caietanus, in citanda doctrina huius Doctoris. Caiet. malè citat Scotũ, & malè intelligit.

Dicit Tertiò. Quod per se subsistere Diuinum, non est indifferens ad relatiuum & absolutum, sed est tantùm relatiuum.

Respondeo. Apertè Subt. Doctor concedit in litera, quòd Persona Diuina quæcunque sit relatiua, & non sit indifferens ad relatiuum vel absolutum; sed loquendo de persona in communi, vt definitione tradita à Richardo, vel Boetio exprimitur, verè est quid indifferens ad absolutum & relatiuum; cùm illa descriptio conueniat personæ creatæ & increatæ: verè enim persona Michaelis Archangeli, Petri, est naturę intellectualis incommunicabilis subsistentia; ac proinde malè dicit Caietanus, quòd persona illis definitionibus Boetij & Richardi expressa, significet personam relatiuam.

Vide super hoc Doctorem Sub. dist. sequenti ar. 6. prope finem.

DISTINCTIO XXVI.

DE PROPRIETATIBVS PERSONARVM.

QVÆSTIO VNICA.

Vtrum Persona Diuina constituatur in esse personali, per relationes Originis?

Circa istam Distinctionem Vigesimam Sextam, quæro: Vtrum Personæ Diuinę, &c.

SVMMA QVÆSTIONIS.

Primò. Ponitur & refutatur Opinio affirmans Personas seipsis, non per relationes distingui. Secundò. Recitatur Opinio communis, quòd per relationes cõstituantur Diuinæ Personæ, et distinguantur in esse personali. Tertio, contra cõem sententiam arguitur quadruplici via: & primò, comparando relationẽ ad relatum, eadem argumenta soluuntur. Quartò, ex alio medio comparando relationem ad originem, argumenta facta diluũtur. Quintò, ex propria ratione constitutiui, contra communem sententiam arguitur, & respondetur obiectionibus. Sextò, adferuntur authoritates quæ eidem Opinioni communi videntur contradicere, & quomodo non contradicant, explicatur. Septimò, narratur quorundam Opinio, Personas primariò constitui per absoluta, secundariò per relationes. Octauò, dicunt ijdem authores prædictam Opinionem non esse contrariam fidei. Nonò, authoritates Secũdo articulo positæ, contra hanc Opinionẽ, resoluuntur, secundùm authores istius sententiæ. Decimò, respondent ijdem authores rationibus Secundo articulo contra illos adductis. Tandem, argumenta principalia soluuntur.

ARTICVLVS PRIMVS.

Ponitur, & refutatur Opinio, affirmans Personas seipsis non per relationes originis distingui.

Respondeo. Opinio quorundam est, sicut Præpositiui, quòd Personæ, &c.

COMMENTARIVM.

Pinio quorundam est, sicut Præpositiui (quam postea secutus est Ferrar. 4. Cõtra gentes c. 26.) quòd Personæ seipsis distinguantur. Opinio Prępositiui, per quid Personæ diuinæ distinguantur.

Huius sententiæ rationes ponuntur hæ Primò. Quia Persona Diuina, est æquè simplex, sicut Essentia; Essentia autem propter sui simplicitatem seipsa distinguitur à quocunque, igitur & persona.

Secundò. Abstractum & concretum idem significant; ergo Paternitas & Pater; ergo dicere Patrem distingui Paternitate, est dicere ipsum seipso distingui.

Istius Opinionis meminit Alen. 1. part. q. 68. memb. 1. Aureol. Ocam, Gabr. dist. pręsenti.

Et quidem impugnatio illa. Quãdo aliqua sic se habẽt, quod aliquid omnino indistinctũ est in duobus; & in vno illorum est aliquid, quod non est in altero, illa non distinguũtur se totis: vt euidẽs est ex terminis: sed Essẽtia Diuina Refutatur eadem.

omnino indistincta est in Patre & Filio, & Paternitas non est in Filio, nec Filiatio in Patre: ergo Pater non distinguitur se toto à Filio.

Aureolus dicit Filiū distingui à Patre se toto, etiam rōne essentię.

Ista inquam impugnatio contra Præpositiuum, placet non modo Doctori Subt. sed etiam Ocamo, alijsq; Theologis, præter Aureolum, qui dist. præs. art. 1. & 3. dicit Patrem non modò relatione, sed relatione, & essentia distingui à Filio.

Verùm istud dictum Aureoli, non est Theologicum. Quia distinctio Patris à Filio, est realis, Essentia autem est omnino indistincta, non modò realiter, sed etiam ratione, secundùm omnes; ergo non est ratio distinguendi personam, neq; Pater distinguetur essentia à Filio, quæ eadem est in Filio: sed proprietate, quę non est in Filio nempe Paternitate. Ratio quinta contra Præpositiuum adducta, parum concludens, est Henr. Gand. 1. par. Summæ art. 68.

Psona ē ita simplex sicut essentia quomodo.

Ad Primam rationem Præpositiui, Personā esse ita simplicem, sicut Essentiam, potest intelligi dupliciter: vno modo, per negationem compositionis, quòd ita non sit composita, sed simplex Persona sicut & Essentia; & hoc verum est, quia in Deo est summa simplicitas, opposita omnimodæ compositioni, iuxta dist. 8. Alio modo per negationem distinctionis conceptuum inclusorum in ipsis, ita quòd nō includat plures conceptus personæ, quàm Essentia: & in isto sensu, est falsa comparatio. Essentia enim secundùm se, non tot prædicata continet, quot Persona: Persona namq. includit relationem & essentiam, & ita conuenientiā identificam cum alia persona in essentia, distinctionem autem in relatione: essentia verò secundùm se non includit relationem.

Ad Secūdum. Quidam negant Paternitatem & Patrem in Diuinis, se habere sicut abstractum & concretum: propterea, quòd concretum & abstractum, vt albedo & albū, pro principali significato, eandē albedinem significent, Paternitas autem significat in Diuinis præcisè relationem, & Pater principale & immediatum significatum habet, tam Paternitatem, quā Essentiam, quæ constituunt Patris Personam. Ac proinde, quia non idem est præcisè principale ac immediatum significatum Patris, & Paternitas in Diuinis, negant illa esse sicut abstractum & concretum à parte rei: licèt in modo imperfecto intelligendi à rebus creatis, videatur esse concretio & abstractio in illis terminis.

Dici pōt Secundò, admittendo concretionem & abstractionem in Diuinis, vt admittit Doctor hìc, quòd abstractè sumpta Paternitas, non concernit Essentiam; in concreto verò Pater concernit Essentiam: Licèt igitur idem significatum sit principale Paternitatis & Patris; quia tamen de necessitate hoc cōcretum Pater, dat cointelligere Essentiā, bene hoc cōcretum Pater, non distinguetur se toto à Filio, quia illo, quod concernitur, nempe Essentia, non distinguitur ab illo, non item est de Paternitate abstractè sumpta.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Recitatur communis opinio, quòd per relationes Diuinæ Personæ constituuntur, & distinguuntur ab inuicem in esse personali.

Alia est Opinio communis, quæ dicit personas constitui per relationes &c.

SVMMA TEXTVS.

Personæ diuinæ in esse personalicō stituūtur & distinguuntur per relationes Originis.

Conclusio istius Articuli est communis antiquorum Theologorum, quam non modò Scotistæ, Thomistæ, & Nominales, vnanimi consensu, cum principibus suarum sectarum amplexi sunt, sed etiam placuit semper antiquis Theologis, puta Magistro dist. præsenti, D. Bonauenturæ, cui malè quidam attribuunt tertiam sententiam, vt infra dicemus; Richardo de Mediauil. Alb. Magno. Alexand. de Ales 1. part. quæstio. 68. mem. 2.

Tres porro partes sunt istius articuli. In Prima probatur Conclusio pluribus authoritatibus Augustini, Damasc. Ansel. Boetij, Richar. de Sancto Victore. In Secunda probatur eadem Conclusio octo rationibus. In Tertia tandem, modus aperitur, quo relatio Originis constituat personam: Vbi dicitur Primò, quòd talis relatio sit subsistens, non inhærens. Secundò, quòd sit idem realiter cum essentia, & distinguatur formaliter; & per hoc saluatur dictum D. Bonauent. hìc, quæst. 2. & aliorum antiquorum Theologorum, quòd relatio quodammodo transit in essentiam, scilicet per identitatem realem. & quodammodo manet, scilicet per distinctionem formalem. Aliter tamen illud dictum intelligunt Thomistæ de quo infra. Tertiò dicitur, quod relationes originis pullulent in essentia. Ex quo dicto per modum corrolarij inferri potest illud, quòd Personæ Diuinæ constituantur in esse personali per relationes, non formaliter, quasi effectus formalis, sed pullulatiuè, tanquam necessariò consequens talia constitutiua, vt optimè hìc adnotauit Aureol. artic. 3. Omnem siquidem ibi effectum, vel quasi effectum, negare debemus, sicut materiam vel quasi materiam negauimus superius, ob imperfectionem, quam, tum effectus, tum materia intrinsecè inuoluit; non sic autem resultantia necessaria, & emanatio seu pullulatio vt antiqui loquuntur Theologi. Quartò. Dicitur, quòd relationes communes tribus personis: puta similitudo, æqualitas, identitas, licèt reales sint, cùm tamen secundùm prioritatem intelligibilitatis consequantur personas constitutas in esse personali, sequitur, quòd nec constitutiuæ sint, nec distinctiuæ personarum; & deinde, quòd secundùm prioritatem aliquam signi, relationes propriæ, priores sint communibus.

Relatio similitudinis, identitatis, æqualitatis, côsequetur relationes Originis.

Circa partem tertiam huius Articuli.

Dubitatur.

Vtrum relatio vt relatio est, constituat Diuinam Personam, an verò relatio vt transit in Essentiam.

Videtur quòd non vt relatio, sed vt transit in Essentiam. Primò. Relatio Diuina constituit Personam vt subsistentem, prout dicit in: sed relatio prout dicit in, non distinguitur ratione ab Essentia, sed identificatur cum illa: ergo &c.

Secundò. Subsistentia essentialis est infinita, in ratione subsistentiæ: ergo continet omnem rationem cuiuscunque subsistentiæ, siue personalis, siue essentialis: ergo prę ter subsistentiam essentialem, non sunt ponendæ subsistentiæ personales, quæ ratione differant à subsistentia essentiali.

Tertiò. Si alia sit in Diuinis subsistentia personalis ab essentiali, sequitur quòd in Deo sit compositio Metaphysica; quod est inconueniens. Sequela probatur. Subsistentia personalis, differt ratione à subsistentia essentiali: ergo cùm vtraque dicat perfectionem, quæ constituunt vnum, faciunt compositionem inter se.

Quartò. Si relatio constituit personam, prout distinguitur ab essentia, sequitur quòd relatio constituit subsistentiam personalem distinctam à subsistentia essentiali: Ex hoc vlteriùs sequitur, quòd aliqua perfectio sit in vna persona, quæ non est in alia. Patet. Nam subsistentia personalis, vt distinguitur ab essentiali, est perfectio Diuina: sed subsistentia personalis vnius personæ, non est in alia: ergo aliqua perfectio Diuina est in vna persona, quæ non est in alia.

Ita arguunt Heru. quodlib. 10. quæst. 4. Ferrar. 4. cont. gen. cap. 25. Capreol. distinct. præsenti: eamq; vt probabilem amplectitur Bann. 1. par. quæst. 40. artic. 4. dubit. 2. Concl. 4.

In oppositum est Doctor Subt. hìc, & in Report. distin. 26. q. 2. & ar. 5. quem sequitur Caietan. 1. par. q. 40. artic. 4. Zumel. ibid. disp. 3. arbitratur esse sententiam D. Thomæ, Zoar. lib. 7. c. 7. Fauet Valen. ibid. puncto 2.

Sensus dubitationis.

Pro titulo dubitationis intelligendo. Aduerte. Quòd cū relatio sit idem cum Essentia Diuina, & distinguatur à suo correlatiuo: atque ita duplex ratio sit considerabilis in relatione: vna, esse in, qua relatio inest supposito, & identificat essētię: & alia esse ad, seu referri ad aliud, & distingui ab illo ad quod refertur: quæritur, secundū quam harū relatio constituit Diuinam Personam. Vtrum relatio quatenus relatio est, seu relatio vt dicit ad, seu vt distinguitur aliquo-

aliquomodo ab eſſentia,(quia ſecundũ hunc modũ eſſendi ad, Thomiſtæ quidam docent diſtingui relationem ab Eſſentia Diuina,non autem ſm̃ modum eſſendi in)conſtituat ſuppoſitum Diuinũ; an verò vt tranſit in Eſſentiã Diuinam, ſeu vt eſt idem eſſentiæ, ſeu vt dicit in ?

elatio quatenus relatio, et quatenus dicit ad, cõſtituit iuinũ ſuppoſitum.

Huic quæſito de mente Doctoris noſtri, reſpondetur tali Concluſione. Relatio quatenus relatio eſt, conſtituit Diuinum ſuppoſitum, ſeu Perſonam.

Probatur Primò rõne Doctoris hic.Relatio ſm̃ eã rõnẽ conſtituit Perſonã Diuinam, ſm̃ quam eam diſtinguit ab alia Perſona:cũ proprietas conſtitutiua Perſonæ ſit etiam diſtinctiua; nec.n.per eſſentiam, ſed per proprietatẽ perſonalem diſtinguitur vna perſona ab alia: ſed diſtinguit eam, ſecundùm quod dicit ad,ſeu ſecundùm oppoſitionẽ ad aliud relatiuum,non autem prout dicit in,vt ipſi Thomiſtæ concedunt:ergo relatio prout dicit ad,ſeu quatenus eſt relatio, conſtituit Perſonam Diuinam; non autẽ prout dicit in, ſeu vt tranſit in Eſſentiam Diuinam.

Secundò.Suppoſitũ ex intrinſeca rõne ſuppoſiti, eſt incõmunicabile; vt patet ex definitione illius ſupra,diſt.23. tradita. Secundũ illã igitur rõnẽ,proprietas ſeu relatio cõſtituit ſuppoſitum,ſm̃ quã reddit illud incõmunicabile: cũ incõmunicabilitas à proprietate ſuppoſitali proueniat,nõ aũt ab Eſſentia Diuina,vt patet: ſed relatio quatenus relatio eſt, reddit incõicabile ſuppoſitum, non aũt vt dicit in; quia ſic ſecundùm Thomiſtas habet rationem abſoluti ; ergo,&c.

Tertiò.Relatiuũ quatenus eſt relatiuũ, conſtituitur per relationẽ quatenus eſt relatio,vt de ſe euidens eſt: ſed ſuppoſitum Diuinum eſt relatiuum , vt etiam in fide certum eſt : ergo ſuppoſitum Diuinum,vt ſuppoſitum eſt,conſtituitur per relationem, quatenus relatio eſt.

Rñdet Heru.Conceſſa Maiori: dicit ad Minorẽ. Quòd ſuppoſita Diuina ſunt ſuppoſita relata, ita, ꝙ ſunt ſuppoſita,& relatiua.Et licèt non poſſunt eſſe non relatiua,priùs tñ intelliguntur vt ſuppoſita,q̃ vt relata:& illa proprietas, quæ diſtinguit & in eſſe perſonali, & in eſſe relato,priùs intelligetur diſtinguere in eſſe perſonali & hypoſtatico , quàm in eſſe relato ; ſicut in Deo, licèt non ſit intellectus, quod non ſit voluntas, tamen illa res quæ eſt intellectus & voluntas , poteſt intelligi, vt eſt intellectus, quàm vt eſt voluntas.

Iſta reſponſio Heruei coincidit cum Opinione tertia huius Quæſtionis , quæ admittit ſuppoſita Diuina primò per ſe conſtitui in eſſe ſuppoſiti & perſonæ,per aliquid abſolutum, ſecundariò autẽ & in eſſe relato,conſtitui per relationes; quare ſicut oẽs Thomiſtæ Theologi illam abhorrent opinionem,ita & hanc Heruei abhorrere debent. Deinde : relatio vt dicit in, tranſit in abſolutum, & induit rationem abſoluti, vt dicunt Thomiſtæ communiter; ſed omne abſolutum eſt cõmunicabile ; ergo & ſm̃ illud primum erit perſona cõmunicabilis : ac proinde nullo modo perſona , quia perſona ex rõne ſua formali eſt incõmunicabilis; vel ſi eſt cõmunicabile formaliter,nõ eſt perſona : Præterea : ſecluſa per opus intellectus relatione,vt relatio eſt , ſeu vt dicit ad, & hoc à qualibet perſona ; quæro,vel manet diſtinctio & incommunicabilitas Perſonarum, vel non? Primũ eſt directè contra oẽs Thomiſtas,par.1.q.40. art.4. vt videre eſt apud Ban. Mol.Valen.ibid.& cõtra rõnem,cũ omne abſolutũ ſit ibi vnũ numero & cõicabile,vt tenet cõe axioma Theologorũ:ergo ſecundum verum: & per conſequens,cùm ibi nulla ſit diſtinctio,vel incommunicabilitas Perſonarum , nulla erit cõſtitutio Perſonarum ſecluſa relatione vt relatio eſt.

Probatur Quartò.Relatio conſtituit Diuinum ſuppoſitum:vt omnes concedunt Theologi, etiam præſentis Cõcluſionis aduerſarij; ergo relatio vt relatio,conſtituit Diuinum ſuppoſitum. Conſequentia.Quia relatio ab intrinſeco,vt eſt ens quocunque modo diſtinctum ab abſoluto, eſt ens ad aliud , & dicit ad; & ſecluſo iſto ordine, tollitur relationis ratio ; ergo ſi per te relatio conſtituit ſuppoſitũ, & impoſſibile eſt etiam per intellectum concipi relationem ſine ordine ad , & cum iſto ordine ad, eſt relatio vt relatio;ergo relatio vt relatio,conſtituit ſuppoſitum.

Confirmatur Primò. Quandocunque in aliquo conſtituto eſt ratio communis , & altera propria , tunc illud conſtitutum non dicitur vllo modo tale à ratione communi , ſed vel ab vtraque formali,vel à ratione propria. Exemplum. In homine includitur animal, vt magis commune,& rationale,vt propria ratio minùs communis; homo igitur non dr̃ homo à ratione animalis, ſecluſo rationali , quia ſic aſinus erit homo, ſed homo vel vtrumque includit, animal ſcilicet & rationale , vel ſaltem propriam rationem , vt rationale eſt homo ; & patet hoc inductione, in omni tum indiuiduo, tum ſpecie, tum etiam genere ſubalterno ; quod indiuiduum Petri , non ſit indiuiduum ex ratione hominis vt diſtincta à ratione Petreitatis , nec natura ſpecifica dicitur talis, ex ratione generica,vt diſtinguitur à differentia contrahente. Cùm ergo relatio , etiam Diuina , ſit conſtituta, ex his duabus rationibus, eſſe in , & eſſe ad : & prior ratio ſit communis, quia conuenit abſolutis, nam bonitas, ſapientia, aliaque attributa abſoluta,habent eſſe in,& non tantùm relatio ; eſſe verò ad , eſt propria ratio relationis, conſequens eſt, quòd ſecundùm eſſe in, vt diſtinctum, & quomodocunque per intellectum ſecluſum ab eſſe ad , non dicetur relatio eſſe relatio , ſed dicetur relatio vel ab vtraque ratione ſimul, vel ab vna præciſè propria , quæ eſt , eſſe, ad.

Confirmatur Secundò per comparationem ad abſolutum . Quia vt abſolutum non eſt abſolutum , quando non eſt ad ſe , ſed eſt ad aliud; ita relatiuum non eſt relatiuum , nec relatio eſt relatio, quando eſt ad ſe,& non eſt ad aliud.

Probatur Quintò. Relatio Paternitatis, ſecundũ quodcunque eſſe relationis,non eſt idem ex natura rei Eſſentiæ Diuinæ, vt probatum eſt diſt.2.q.7. ergo licèt tranſeat per identitatem realem in Eſſentiam Dei : adhuc tamen quia manet diſtincta formaliter , relatio conſtituet Perſonam, vt diſtincta formaliter ab illa.

Sextò . Relatio conſtituit Perſonam , vt dat ſubſiſtentiam perſonalem incommunicabilem ; ſed relatio vt relatio,& vt aliquo modo diſtincta ab Eſſentia,dat ſubſiſtentiam perſonalem ; eſſentia autem non niſi eſſentialem & communicabilem ; ergo,&c.

AD ARGVMENTA IN PRINCIPIO Dubitationis adducta.

AD Primum.Maior eſt falſa:vt patet ex ratione,& Minor ſimiliter , vt dictum eſt diſt.2. & eſto,quòd identificetur realiter,non tamen formaliter.

Ad Secundum. Reſpondent primò Thomiſtæ. Negando conſequentiam, & dicunt, quòd ſi iſte modus arguendi eſſet bonus, ſequeretur quòd & ille huic ſimillimus : Eſſentia Diuina , eſt infinita in perfectione ; ergo continet omnem perfectionem, ſiue perſonalem, ſiue eſſentialem ; ergo præter perfectionem eſſentialem, non eſt ponenda perfectio perſonalis , quæ ratione differat à perfectione eſſentiali. Iſta inſtantia licèt ſit bona , illud tamen aſſumit falſum,quòd proprietates perſonales dicant perfectionem aliquam : cuius oppoſitum oſtendit Subtilis Doctor quodl.5.quòd abſtrahant vt à perfectione, ita & ab imperfectione : nec tamen vllo modo magis inclinant ad imperfectionem , quàm ad perfectionem , vt diſtinct. præſenti Aureolus attribuit iniuſtè Doctori.

Reſponderi poteſt Secundò. Subſiſtentia Diuina eſſentialis,eſt infinita in ratione ſubſiſtentiæ eſſentialis,& conſequenter illa eſt vna numero : ſed ſubſiſtentia perſonalis,cùm non ſit formaliter infinita , nec formaliter finita , ſed abſtrahit ab vtroque ſicut & ipſa proprietas, conſequens eſt quòd non contineatur in illa adæquatè , vt vni formaliter reſpondeat vna , vt idem ſit formaliter , ſubſiſtentia eſſentialis, quod perſonalis;ſed continentur identicè realiter,quia eſt idem realiter, ſubſiſtentia perſonalis,quod eſſentialis, ſed non formaliter : deinde inadæquatè, quia non vni eſſentiali reſpondet vna perſonalis;ſed in vna eſſentiali communicabili, ſunt tres relatiuæ incommunicabiles perſonales.

Ad Tertium. Negatur sequela. Ad probationem. Cùm vnum non sit potentia respectu alterius, nec alterum est actus actuans, vel pars contrahens, vt dictum est dist. 7. & 8. nulla ibi potest poni etiam imaginaria, nedum Metaphysica compositio: sed bene concedimus non identitatem, vel distinctionem rationum intelligibilium.

Ad Quartum. Patet ex dictis, quòd ibi sit subsistentia personalis, alia ab essentiali: nec tamen ista subsistentia personalis, vel secundùm se, vel vt est in persona, dicit perfectionem, aut imperfectionem.

ARTICVLVS TERTIVS.

Contra communem viam arguitur quadruplici via: & primò comparando relationem ad relatum, eademque argumenta soluuntur.

Contra istam Conclusionem arguitur quadruplici via. Primò comparando, &c.

SVMMA TEXTVS.

Tres sunt principales rationes istius Articuli. Prima. *Omne relatiuum est aliquid excepto relatiuo: istud igitur quod refertur, vel est essentia; & hoc non, vt dictum est dist. 5. & 7. vel relatio; & hoc non; ergo suppositum est aliquid excepto relatiuo.* Respondeo. *Quòd suppositum Diuinum est relatiuum, & est aliquid excepto relatiuo, quia includit essentiam, istud verò quod primò per se refertur est suppositum relatiuum non essentia, nec relatio, nec vllum absolutum.* Dices, *Secundùm modum intelligendi, primò intelligitur relatio inexistere, quàm denominare; quæro igitur, Cui primò inexistit paternitas? non Essentiæ, nec sibiipsi: igitur supposito absoluto: ergo, &c.* Resp. *Vbi existentia est per modum actus & partis, & aliud se habet per modum potentiæ & alterius partis, ibi vnio partium præintelligitur & prærequiritur ipsi toti: sed cùm in Diuinis relatio non sit per informationem, nec per modum partis, sed per modum perfectissimæ identitatis cum Essentia, non requiritur vt præintelligatur vnio eorum inter se, postea in supposito; sed prima & immediata est in supposito.*

Rationes variæ adferuntur contra communẽ senten. de constitutione personarũ per Relationes Originis.

Secunda ratio, *vult inferre hoc. Cùm relatio realis requirat distinctionem realem extremorũ: ergo non debet causare talem distinctionem: ergo nec relationes originis causabunt distinctionem personarum relatiuarum.* Respond. *Omnis relatio non cõstitutiua suppositi, præsupponit suppositum, & non potest causare distinctionem extremorum realium: sed relatio constitutiua suppositi, non debet præsupponere, sed constituere & distinguere suppositum.*

Tertia ratio est. *Omnis relatio primò terminatur ad aliquod absolutum, vt dicetur infra dist. 30. Sed personæ Patris relatiuæ, primus & adæquatus terminus est Filius, seu Persona Filij non autem Essentia; ergo Persona Filij est aliquid absolutum.*

Respõ. Primò. *Omnis relatio tertij modi, nẽpe mensurati ad mensuram, terminatur ad absolutum, vt dicitur dist. 30. & in hoc sensu intelligi debet propositio ibi, non autem quæcunque relatio indifferenter.*

Relatio terminatur ad relatiuum sub ratione absoluti, quando est verum

Secundò responderi potest. *Quòd vera est vniuersaliter illa propositio de relatione definibili, ne sit circulus in definitione; Diuinæ autem relationes, cùm non sint definibiles, sunt enim extra omne genus & differentiam, consequenter non includuntur in illa regula.*

Tertiò dici potest. *Quòd Omnis relatio secundi modi (ad quas reduci relationes Diuinæ aliquomodo possunt) terminatur vt ad terminum primum, & ad correlatiuum, ad relatiuum, vt ad terminum verò formalem, ad absolutum; & ita hic, cùm Essentia sit illud formale, quo Pater est, licèt non quo Pater est Pater, suo modo est ad Essentiam, vt ad formalem terminum relatio.*

Si dicas. *Debet esse ad aliquod absolutum, vt ad fundamentum, quod illa relatione denominetur tale.* Dico: *Quòd hoc non requiritur in illo relatiuo, quod primò per se suppositum relatiuum est, relatione, & non aliquid primò per se absolutum illa relatione afficitur vel denominatur; vt satis est dictum in responsione ad rationem primam.*

Textus est clarus, si numerus in responsionibus positus, conferatur cum numero posito in Obiectionibus.

ARTICVLVS QVARTVS.

Ex alio medio, comparando relationem ad originem, argumenta facta diluuntur.

Ex secunda via arguitur, primò ex ordine, quem necessariò requirit originatio, &c.

COMMENTARIVM.

In responsione ad Primum quando dicit. *Ad Primum & secundum, de Secunda via, simul dico:* Argumentũ fuit tale. Suppositum aliquomodo præintelligitur actioni; ergo & suppositum generans, præintelligitur generationi: vel ergo in illo priori, est ad se: & habetur intentum; vel est ad aliud: ergo suppositum generans, vt præintelligitur generationi, est ad aliud, & pater: quod etiam est inconueniens.

Respõdet Doctor. Quòd & Primæ Obiectioni, quomodo originans simul sit natura cum originato, & tamen priùs origine, satisfactum est supra dist. 1. q. 2. in dubitatione super hoc mota; & isti, quòd actioni non prærequiratur suppositum, quando suppositum in esse suppositi actione constituitur, vt accidit in Diuinis, satisfit infra dist. 28.

Ex responsione ad Quintum, patet quòd Doctor Subt. communem opinionem verè teneat affirmatiuè, secundùm propriam sententiam, sicut superiùs ex propria sententia negauit relationes esse principia producendi.

Cætera patent in litera.

ARTICVLVS QVINTVS.

Ex propria ratione constitutiui, contra communem sententiam obijcitur, & ijsdem obiectionibus satisfit.

Quantùm ad Tertiam viam arguitur. Primò sic. Quicquid constituit formaliter, &c.

COMMENTARIVM.

Prima ratio vult ostendere, quòd Paternitas in Diuinis, cùm non sit de se incommunicabilis, vt probatur quinque modis in litera, non potest esse ratio constitutiua Personæ Patris incommunicabilis: & idem dici debet de alijs relationibus originis.

Patern[...] diuina[...] formali[...] est inc[...] munica[...] lis

Respondet Doctor. Quòd paternitas non in communi, vt est transcendentalis conceptus, communis ad paternitatem creatam & increatam, sed Paternitas Diuina, ex se formaliter est incommunicabilis, & de se formaliter est vna numero; quamuis fundamentaliter & originaliter, habeat incommunicabilitatem & singularitatem, ab Essentia Diuina.

Per se[...] per ac[...] dens, a[...] est Lo[...] cum, a[...] Metaph[...] sicum

Secunda ratio cum sua solutione, constat ex dictis, dist. 23. articu. 1. in dubit. articuli, in responsione ad 3. quæ clara est.

Nota singularem distinctionem de per se, & per accidens Logico; & per se, & per accidens Metaphysico. Quòd ista aliter à Logico, aliter à Metaphysico accipiantur.

Persona[...] tio cur[...] soluta[...] creatur[...] relatiu[...] Creat[...] Prædic[...] non pe[...] & non [...] malis [...] Deo, [...] multò [...] rior &[...] fectior, [...] prędica[...] formali[...] creatur[...]

Deinde obserua causam; cur in creatura substantia indiuidualis, per aliquid eiusdem generis redditur incommunicabilis, nempe per subsistentiam substantialem: (tenendo illam viam, quę affirmat personã, etiam creatam, pro formali dicere positiuum) quia in natura creata, vnum potest esse potentiale & contrahibile, & aliud eiusdem rationis, contrahens & determinãs, in Deo autem, cùm nulla ibi sit potentialitas, non datur aliquid eiusdem rationis cum essentia, nempe absolutum aliquod constituens personam, sed relatio.

Nota vltimò, quomodo aliqua prædicatio non formalis in Deo, vel non per se, sit multò verior & perfectior, quàm in creatura, per se & formalis.

Illud quod additur in tertia Obiectione principali, ibi: *Respondetur, quòd relatio constituit vt transit in essentiam,* &c. approbat nostram Conclusionem pro Subtili Doct. positam

positam artic. 2. huius : vide ibi dicta.

In responsione ad Quartum , illud est notabile documentum . Quòd in creaturis prima substantia habet tres proprietates. Prima est, quòd est ens vltimata actualitate,non sic secunda substantia. Secunda , quòd habet vltimatam vnitatem, nempe numeralem : non item substantia secunda, secundùm se accepta. Tertia est, quia habet incommunicabilitatem. Duæ priores proprietates,nempe habere vltimatam actualitatem , vt vltimatam vnitatem , conueniunt Essentiæ Diuinæ, secundùm se sumptæ; sed tertia proprietas , vt habere incommunicabilitatem , deficit , quia hoc conuenit substantiæ creatæ propter limitationem. Ista igitur tertia proprietas,potest esse in supposito naturæ Diuinæ, per aliquid , quod non est simpliciter perfectionis , neque aliquam dicat imperfectionem , talis autem ibi est relatio ; ergo per illam reddetur,suppositum Diuinum incommunicabile.

[Margin: ...ubstantia ...ima habet tres proprietates.]

[Margin: Relatio ori... nis nō est ...ctio sim... ...iciter.]

Totius istius Articuli litera est satis perspicua.

ARTICVLVS SEXTVS.

Adferuntur authoritates, quæ eidem Opinioni videntur contradicere, & quomodo non contradicant, explicatur.

Ex Quarta via, arguitur per authoritatem August. 1. de Trinit. c. 1. 2. & 6. &c.

COMMENTARIVM.

Circa istum Articulum,& tres præcedentes. Aduerte. Quòd Vasquez 1. par. quæst. 4. artic. 2. & alij Thomistæ adducant rationes à Doctore hic propositas, & eisdem respondent, docentes Scotum in ea fuisse sententia quæ art. 7. recitatur.

Sed inprimis videat hìc Lector, quòd Scotus, vt communem viam faciliorem redderet, difficilia permulta contra eam mouet argumenta, illamq; sustinendo, eadem argumenta ipsemet resoluit. Deinde art. 7. & sequenti, narrat aliorum Opinionem, ipse verò vt patet, tū hìc, tum dist. 28. apertè communem sententiam amplectitur.

Scribit quędam dist. pręsenti Capreol. cōtra Doctorem, sequentem sententiam Ioann. de Rippa, eidem attribuendo ; quæ si non scripsisset, verus hystoricus fuisset. Nam illa eius scommata sunt contra omnem antiquitatem, & veritatem historiæ Franciscanæ.

[Margin: ...pr. scri... ...s cōtra ..., effici... pseudo ...storicus.]

ARTICVLVS SEPTIMVS.

Narratur quorundam Opinio, Personas Diuinas primariò constitui per absoluta , secundariò per relationes.

Tertia Opinio concordans rationibus, & authoritatibus adductis, &c.

SVMMA TEXTVS.

Ista Opinio est Ioann. de Ripa coætanei Doctoris Subt. qui distinct. 25. & 26. his Conclusionibus præsenti respondet difficultati.

Prima Conclusio. *Personæ Diuinæ, in esse personali, distinguuntur per proprietates absolutas , ita quòd essentia in illis sit omnino vna numero & indistinctissima , sed absolutæ proprietates sunt tres, quæ sunt constitutiuæ personarum. Hanc Conclusionem explicando prædictus Ioann. de Rippa, adducit vltra verba S. Bonauenturæ ex 1. distinct. 25. artic. 1. quæst. 1. in resolutione quæstionis, vbi S. Bonauentura explicans quomodo persona possit dici secundum substantiam , & secundùm relationem, adducit dictum Richardi de S. Victore, quod dici secundùm substantiam, dicitur dupliciter : vno modo, secundum naturam communem tribus personis ; & sic substantia est quidditas; alio modo secundum substantiam in supposito, siue secundū suppositum. Prima igitur dicitur secundùm substantiam , secundo modo, non primo.*

[Margin: ...pin. Per... ...as diui... ...in esse ...sonali p ...rimò cō... ...u: p pro... ...etates ab... ...utas ; & ...undariò ...sequi re... ...iones O... ...inis.]

Secunda Conclusio. *Vt saluetur dictum commune Theologorum, & multorum Patrum, Personas distingui per relationes : dicendum est, Personas Diuinas, formaliter & primò, vt constitui, ita & distingui per proprietates absolutas , vt dictum est , secundariò tamen & principiatiuè distingui per relationes originis . Quomodo verò distinguantur per relationes originis, adducit idem Ioan. de Rippa, dictum S. Bonauent. in 1. dist. 26. quæstio. 3 quòd proprietates distinguunt, non vt sunt habitudines, sed vt sunt origines & quasi actus; origo autem non distinguit personam formaliter sed tantum principiatiuè.*

Concedit igitur ista Opinio . Primò, vnam Essentiam esse in Diuinis, & tres Personas. Concedit Secundò illas Personas esse formaliter relatiuas : quæ duo sunt de fide : sed negat relationes primò constituere personam in esse personæ , sed absolutas proprietates ; relationes autem secundariò & principiatiuè distinguunt : & dicit hoc non esse contra fidem. Hanc sententiam dicit Molina esse etiam Linconiensis.

COMMENTARIVM.

Propter duas authoritates Sancti Bonauenturæ artic. præsenti adductas, dicit Caietanus 1. par. quæst. 40. artic. 2. quòd Scotus attribuat Sancti Bonauenturæ eum in hac fuisse sententia , vt teneat Personas constitui in esse personali per proprietates absolutas, non autem relatiuas: vindicat autem Sanctum Bonauenturam ibid. Caietanus ab hac (vt ipse putat Caietanus) calumnia. Caietanum secuti Valent. Ban. Zum. idem attribuunt Doctori Subt. quòd is attribuat Sancti Bonauenturæ hanc Opinionem.

Sed (pace horum virorum dicam) non legerunt hìc literam Scoti ; vel legentes intelligere noluerunt, quòd hìc non pro Conclusione opinionis adducatur Sancti Bonauenturæ doctrina , sed pro modo explicandi : adducitur que non à Doctore Subt. cuius hæc opinio non est, sed à Ioann. de Rippa, vt apertè patet, tum ex textu huius opinantis, tum ex litera præsenti Doctoris, vbi dicitur: *Adducitur dictum*, supple, à sic opinante Ioan. de Rip. & clarius, Conclusio. 2. vbi addit : *quid verbum, licet fortè ipse non sic intelligat, &c.* ergo clarum est, quòd Sanctus Bonauentura secundùm Scotum, non sic intelligat per origines distingui personas, quasi secundariò , vt dicit præsens opinio , sed primò formaliter, vt apertè habetur distinct. 26. quęst. 2. & 3. & vt ipsemet Doctor sentit in præcedenti opinione communi . Quamuis igitur certum sit, quòd nec ex primo loco Sancti Bonauenturæ, nec ex secundo haberi potest, quòd personæ distinguantur per absoluta (in primo enim loco solùm vult Sanctus Bonauentura nomen substantiæ sumi vel pro substantia communi , vel pro supposito, siue hypostasi, vt etiam 5. Metaph. accipitur ab Aristot. & hoc secundo modo substantia in Deo est relatiuum, id est persona ibi refertur, non natura in communi , quod verum est ; in secundo autem vult Sanctus Bonauentura personas distingui per relationes , non tamen per relationes , vt relationes sunt habitudines, sed vt sunt origines, de quo infra ; ergo non per absoluta) imò habetur expressè ex loco tum primo, tum secundo, quòd constituantur per relationes; dicta tamen illius aliò ab ipso directa , licitum est opinanti trahere in sensum à se intentum ; vt fecit de Rippa.

[Margin: Caiet. Scotum non intelligit vel non vult.]

Hanc opinionem Doctor Subt. citando, vnâq; dicta D. Bonauenturę ab illo allegata allegando, vt verè & fideliter recitat Opinionem Ioan. de Rippa cum modo explicandi ipsius, ita qua consequentia inferat Caietanus cum suis sequacibus, quòd Doctor noster hanc Opinionem attribuat S. Bonauēturæ, simpliciter non video: imò ne ex textu quidē Ioan. de Rippa haberi potest, q̄ D. Bonauentura, couenіat cum illo in Conclusione; sed hoc solùm, q̄ dicta quędā S. Bonauenturæ in alio sensu ab ipso vsurpata , ad stabiliēdam suam Conclusionem prefatus opinans accommodet.

Vt illud dictum Sancti Bonauenturæ intelligatur plenius . Relationes non vt habitudines, sed vt origines, Diuinas Personas distinguunt . Aduerte. Quòd communiter Thomistæ 1. part. quæstio. 40. artic. 2. & 4. docent cum Diuo Thoma. Personas Diuinas non constitui

originibus, seu actibus notionalibus, puta, generatione actiua, generatione passiua, & spiratione passiua; sed ipsis relationibus, seu habitudinibus, puta, Paternitate, Filiatione, Spiratione passiua, sumpta vt est relatio, non autem vt actus. Probatur Primò. Quamuis relatio & origo, vt Paternitas & generatio, idem sit secundùm rem; origo tamen significatur, vt extrinsecum quid; quia significat, generatio, actionem Patris, vt egredientem à Patre, relatio autem significatur vt forma manens in Patre: cùm igitur res per intrinseca constituantur & distinguantur, consequenter dicendum est, Personas distingui per relationes, vt sunt habitudines manentes, non autem vt sunt actus notionales.

Secundò. Generatio significatur, vt actio progrediens à persona Patris; ergo præsupponit personam Patris; ac proinde persona Patris, præsupponitur & præintelligitur per aliquid aliud constituta, quàm per originem vel relationem.

Sanctus verò Bonauentura in 1. distin. 25. quæst. 3. dicit oppositum, Personas constitui & distingui per relationes, vt sunt actus & origines, non autem vt sunt habitudines. Fundamētum ipsius, ibidem est. In Diuinis hypostasibus, intelligimus originem, siue emanationem, intelligimus etiam habitudinem: secundùm rationem intelligendi, origo præcedit ipsum qui oritur, & secundùm rationem intelligendi, relatio consequitur ipsum qui refertur; esto igitur quòd in Deo idem sit secundùm rem, & oriri, & esse, & referri ad alterum, tamen secundùm rationem intelligendi, habent ordinem; vt primum sit oriri, deinde intelligatur esse, in his quæ habent esse ab alio, & tertiò se ad alterum habere. Cùm igitur habitudo sit posterior modo intelligendi, & origo sit prior; relatio vt origo, erit constitutiua personæ & distinctiua, relatio autem habitudo, erit manifestatiua personæ, sed non distinctiua, secundùm illam rationem prioritatis in intelligendo.

Vtra harum Opinionum sit verior, dicetur infra, dist. 28. quæst. 3. vide ibi.

Interim suppone esse disputationem non de re, sed de modo concipiendi.

ARTICVLVS OCTAVVS.

Prædicta Opinio, an repugnet Fidei.

Contra istam Opinionem potest obijci, quòd ipsa non videtur stare, &c.

COMMENTARIVM.

Sententia Ioannis de Ripa an sit contraria fidei.

ISta dicta, sunt in fauorem sententiæ Ioan. de Rippa, qui astruit, quòd Opinio illius non sit temeraria, vel in fide non tuta, vt vult Molina 1. part. quæst. 40. artic. 2. Zum. Ban. Vasq. alijque Thomistæ ibid. Non enim hæc sententia negat Diuinas Personas esse relatiuas, & relationibus distingui; sed hoc, vt communi dicto, & de fide, admisso; explicat, quòd ista distinctio sit secundaria & principiatiua, non formalis: hoc autem quòd distinctio per relationes sit prima & formalis, in terminis istis, vt ex nullo loco Scripturæ, ex Concilijs, Patribus, haberi potest; (vt patet, non modò ex locis hic in litera adductis à Doctore, & in sequentibus adducendis; sed etiam quæcunque à Thomistis adducuntur; illa enim solùm habent personas distingui relatiuè, & per relationes, quod certissimò credendum est, & non contradicit Ioan. de Rippa, imò admittit; sed non habetur vllibi, vel primò, vel ly formaliter) ita opposita, quòd distinctio per relationes non sit prima formalis, sed secundaria & principiatiua, non est contra Scripturam, contra Patres, vel Concilia.

Et reuera dicere esse aliquid contra fidem, quod tamen non possit euidenter ostendi, vel Scripturæ, vel Patrum, vel Conciliorum, vel Ecclesiæ, authoritati, & determinationi contradicere; est nescire quid sit tenendum de fide. Ista dico, ne tam facilè Theologis temeritas vel perfidia adscribatur. Ipse tamen, vna cum Doctore Subt. alijsque Scotistis, communi subscribo sententiæ. Primò & formaliter per relationes, Diuinas constitui Personas: idque propter concordiam omnium in hac parte Theologorum, quæ non est de facili relinquenda, vbi ab ea non abducit demonstratio. Si tamen scirem (quòd nec audire nec legere contigit, non pauca legenti & audienti) Ecclesiam determinasse, communem sententiam esse veram, oppositam falsam & hæreticam, libenter illam falsitatis & hæresis condemnarem; ante tamē Ecclesię determinationem, videtur esse cuiusdam arrogantiæ, hoc sibi iudicium, aliquem priuatum arrogare.

ARTICVLVS NONVS.

Authoritates Secundo articulo positæ, contra hanc Opinionem, resoluuntur.

Ad illa quæ secundo modo videntur esse contra eam, &c.

COMMENTARIVM.

Setētia ... nis de ... pa, oste... tur co... dicere ... cilijs, &...

COntra has expositiones insurgit Zumel supra artic. 2. distin. 1. Concl. 2. quòd temerarium, imò & erroneum est, has expositiones admittere, in qualemcunque defensionem tertiæ sententiæ, & ponere in Deo aliquid absolutum incommunicabile. Quia communis modus Sanctorum, & Conciliorum, plus dicit, quàm expositiones, quæ neque traduntur, neque insinuantur ab aliquo Sanctorum. Et præterea, quoniam sæpè dicunt clarè, quòd sola relatio multiplicat Trinitatem, & loquūtur de relatione, contradistinguentes illam per rationem ab absoluto: neque aliquam aliam personalem agnoscunt proprietatem nisi relationem. Non ergo habent locum prædictæ expositiones, nisi inuertendo sensus, & verba Sanctorum.

Sed mirabile est, quòd is author, (vt & quidam alij) infert in Conclusione, quod nunquam probauit in præmissis. Infert enim, istas expositiones esse contra Patres, contra Concilia; & in prioribus conclusionibus, nullam authoritatem talem habuit ex Patribus vel ex Concilijs, quæ dicat, non constitui Personas formaliter per absoluta.

Nam quod addunt ex Concilio Tolet. II. Numerus in Diuinis inuentus est solùm in relationibus. Et Concil. Florent. In Diuinis omnia sunt vnum, vbi non obuiat relationis oppositio, vt videre est Sessione 18. & 19.

Respo... tur, q... tè non... tradici...

Respondet Primò Opinionis huius author, ea fidelitate citari Concilia, qua citatur Boet. in fine libri de Trinit. quòd sola relatio multiplicat Trinitatem: cum illa particula exclusiua, nequaquam sit posita à Boetio.

Respondet Secundò. Esto quòd apponeretur particula exclusiua, adhuc illa non excluderet vniuersale omne constituens, sed omne constituens tali modo: & ita sola relatio originatiuè multiplicat Trinitatem; numerus inuentus est in Diuinis solùm in relationibus originatiuè; in Diuinis sunt omnia vnum, vbi non obuiat relationis oppositio, originaliter, non autem formaliter.

Et in hoc sensu à nullo Thomistarum vidi impugnatam hanc Opinionem; sed docent distingui & constitui per relationes, quod hæc Opinio non negat: sed addit constitui & distingui originatiuè relationibus, formaliter absolutis. Nec hoc est inuertere sensum vel verba Conciliorum, aut Sanctorum: cùm simili modo particulas exclusiuas in Scriptura appositas, secundùm vnum sensum concedamus, secundùm alium negemus; quale est dictum illud Saluatoris. *Nemo nouit Patrem nisi Filius*: & tamen certum est, q̄ & Pater, & Spiritus Sanctus, imò & Sancti Patrem nouerunt; sed nemo nisi Filius nouit, notitia accepta per generationem. Ita dicerent aliqui in præsenti materia. Particulæ exclusiuę, excluderent alterum modum distin-

distinctionis Personarum, originatiuum; quòd ille modus solùm sit per relationes,quod verum est:sed negatur in alio sensu.

Si dicas.Patres hoc nunquam affirmasse,quòd per absolutas proprietates constituantur Personæ: ergo malè affirmat sic opinans. Diceret ille. Patres etiam nunquam hoc apertè negasse: ac proinde hanc doctrinam non contradicere doctrinæ Patrum; vel si reperiretur particula exclusiua sola,adhuc optimè posset explicari in vno sensu, non in altero,vt prædictum est.

ARTICVLVS DECIMVS.

Respondent ijdem authores, rationibus secundo articulo contra illos adductis.

Ad rationes pro secunda Opinione respondetur, &c.

COMMENTARIVM.

Aduerte, quòd rationes non paucæ,quę cōtra Tertiam Opinionem procedunt, de proprietate absoluta, planè eodem modo solui possunt, quo ponitur proprietas relatiua.Si enim proprietates relatiuæ non faciunt cum essētia compositionem, nec naturæ diuisionem, nec vnum est actus, alterum potentia; ita dicerent hanc sententiam de proprietatibus absolutis defendentes, quòd proprietates absolutę,simili modo se habent ad essentiam,non facientes cum illa compositionem, vel illius diuisionem;vt bene aduertit Subt.Doctor in responsione ad 1.2.& 5.

Textus est satis clarus,nec indiget expositione, dummodo intelligatur primò illud,quòd in responsione ad 5.dicitur,illis verbis. *Nec probatio huius valet,per hoc, quòd aliquo modo sequitur & non præcedit: quia in Diuinis sicut potest poni præcessio actus, & forma est primum*: Vult dicere Doctor, Non valet illa probatio, quòd essentia sit potentiale, & proprietas absoluta actuale,ex hoc, quia essentia præintelligitur illi proprietati absolutæ, communiter autem prius, (vt patet inductione in gradibus creatis)& communius est potentiale,respectu minus communis.Hęc inquam probatio non valet. Quia in Diuinis,sicut illud quod secundùm modum nostrum intelligendi præcedit,est actualissimum, & nullo modo potentiale; ita & illud,quod crasso modo nostræ imaginationis intelligimus ibi tanquam formam, aduenire,est primum, id est,est ita actualissimum, sicut illud quod præcedit præcedentia intelligibilitatis.

Secundò limitari debet illud,quod statim post additur; *dato, quòd habetur hoc quod informat, non sequitur, quòd sit perfectio simpliciter; nec illa quæ inferuntur vlterius, scilicet, quòd Essentia Diuina non sit simpliciter perfecta, &c.* Videtur enim necessariò sequi, Essentiam Diuinam nō esse simpliciter perfectam, Quia quod est potentiale passiuum, est ab intrinseco imperfectum:sed Essentia,dato quòd habeat formam informantem, est potentialis respectu illius formæ; nec enim potest concipi esse in aliquo forma informans, nisi sit informabile, quod informetur; tale autem informabile,est intrinsecè potentiale passiuum: ergo,&c.

Dicò ad hoc,iuxta dicta superiùs,vbi concessi in Diuinis non esse materiam, vel quasi materiam, esse tamen formā vel quasi formam:forma autem in rebus creatis duo dicit, vnum pro principali, quòd illa sit res in actu tali vel tali, forma enim dat esse rei, vt dicitur communiter, & hoc est perfectionis;aliud dicit, pro quodam consequenti necessariò, quòd sit pars compositi, quodque per modum partis informet materiam, & hoc est imperfectionis. Secundùm primum, non autem iuxta secundum modum, transfertur forma ad diuina.

Itaque ly *informare*, accipiendo pro eo, quod est, dare esse subsistens,cùm nullam dicat imperfectionem,transfertur ad Diuina, & potest subsistentiæ relatiuæ, (vel vt vult Opinio tertia,absolutę)conuenire in Diuinis;ex hoc autem nulla potentialitas passiua sequitur in Essentia Diuina. Accipiendo autem, *informare*, pro eo, quod est, dare se per modum partis actuantis potentiale: sic nullo modo est informare in Diuinis; & contra hunc solum modum procedit ratio dubitandi:Proprietas tamen hypostatica nullo modo est secundùm Doctorem in Essentia, vt informans, (quia informare communiter sumitur secundo modo) sed est vt constituens suppositum in ea, iuxta dicta dist.5. & 7. ac aliàs.

Illud quod dicitur hic de perfectione simpliciter, quòd illa sit rationis essentialis, non hypostaticæ, & illius quod potest esse infinitum, patere potest ex dictis supra, de perfectione simpliciter dist.8.q.1.

ARGVMENTA PRINCIPALIA soluuntur.

Ad Argumenta principalia. Ad Primum patet, quomodo Personæ, &c.

COMMENTARIVM.

Secundum argumentum principale fuit hoc,scilicet.Relationes originis constituunt personas in esse personali, sequitur quòd & relationes communes cōstituent: sed hoc est incōueniens;ergo & illud.Maior.Quia relationes communes ita requirunt distinctionem in extremis,sicut & originis. Minor. Quia eadem persona,duplici formali constitutiuo constitueretur:quod est inconueniens;cùm sufficiēter vno constituatur.Responsio communis est. Relationes originis constituere,quia sunt primæ; relationes verò communes intelliguntur personis iam constitutis aduenire, vt dixit Doctor supra art.2. propè finem, secundùm communem sententiam.

Contra hoc commune dictum posset obijci: relationes communes,identitas,æqualitas, similitudo,fundantur immediatè in essentia,vt est quid,quanta virtualiter,& qualis essentialiter, iuxta dicta dist. 19. generatio autem cùm sit actio,& actio suppositi,fundatur in supposito: sed illa sunt priora prioritate intelligibilitatis, quæ sunt immediatè in essentia,illis quæ sunt primò in suppositis, iuxta doctrinam nostram dist.1.quęst.2.& Doctorem Subt.in quodl.q.1.ergo, &c. Relationes communes in Deo, cōsequuntur proprias

Ad hanc Obiectionem respondet Subt.Doctor in textu, Quòd licèt inter istas relationes,identitas,æqualitas,similitudo, sit ordo rationis: quia essentia est primò quid, deinde quanta,quantitate perfectionis & virtutis,tandem qualis intelligitur:& consequenter prior est relatio identitatis, quæ fundatur in essentia vt est quid;quàm relatio æqualitatis, quæ fundatur in quantitate virtutis: & hæc prior ratione,quàm æqualitas fundata in qualitate essentiali: tamē comparatæ hę relationes ad relationes originis,posteriores sunt nostro modo intelligendi, quàm relationes Originis. De æqualitate, & similitudine probatur. Quia illa relatio est prior,quę pro immediato fundamento habet essentiam vt essentia est, illa autem posterior, quæ est in essentia,non vt essentia, sed vt quanta, vel qualis: cùm quantitas perfectionis, vel essentialis quantitas, consequatur essentiam vt essentia est:sed generatio est actio, & fundatur immediatè in essentia,vt essentia est: quia principium Quo generationis,similiter & spirationis,est essentia vt pręsens intellectui, essentia vt præsens voluntati, quæ principia principiant ēt abstracta per intellectum quantitate perfectionis infinitæ, vel qualitate essentiali; æqualitas autem in essentia, vt est quanta,similitudo in essentia,vt est qualis,fundatur; ergo &c.De identitate etiam probatur.Relatio cōstitutiua suppositi, priùs est in supposito, quàm aduenies constituto; sed relatio originis est constitutiua suppositi:relatio autem identitatis est aduenies suppositis: ergo, &c.

Ad rationem dubitandi breuiter dici potest, Quòd licèt proximum fundamentum, seu ratio fundādi identitatem, sit essentia, sicut & ratio fundandi generationem vel spirationem,similiter est essentia: tamen fundamētum quod, seu in quo est relatio,& quod denominat,non est essentia, vt dictum est,tum quæstione præsenti in superioribus,tum fusiùs dist.7.sed est suppositum: primò autem inesse, & re-

ferri apta est relatio constitutiua suppositi, quàm non cõstitutiua. Sed quare relatio in Diuinis est constitutiua Personæ?

Cur Relatio personã cõstituit in diuinis.

Ad hoc respondit sufficienter Doctor in superioribus, pro communi sententia. Quòd relatio in Diuinis, puta, Paternitas, vel Filiatio, vel Spiratio passiua, est seipsa & formaliter incommunicabilis: non quidem quatenus Paternitas in communi, sed Paternitas de se talis, vt radicaliter habet esse à Deitate, seu vt est diuina habet quod sit incommunicabilis. Hoc ipso autem, quia relatio originis formaliter habet esse incommunicabile, potest formaliter constituere suppositum, quòd formaliter est incommunicabile: non sic relationes communes, quæ sunt communicabiles, vt ipsa Essentia. Quare autem hæc sit communicabilis, puta identitas; ista autem, puta Paternitas, est incõmunicabilis; non est alia ratio, nisi quia hæc est ex ratione sua talis, & illa talis.

Alia quæ dicuntur in textu de principio Quo, vt intellectus, & vt voluntas: patent sufficienter ex dictis dist.2.q.7.& dist.7.13.& aliàs.

Ad authoritatem Boetij, dicentis istam relationem, puta Originis, vt paternitatem, esse quasi eiusdem ad se, ac proinde non esse distinctiuas. Respondet Subt. Doctor. Quòd Boetius sit intelligendus hoc modo, quòd relationes istæ originis, in relatis Personis non requirunt distinctionem naturæ, ac proinde esse quasi eiusdem naturæ. Et bene dicitur quasi: quia non natura refertur tali relatione, sed suppositum; vt dictum est. artic.3. non autem intelligi debet, quòd non requirant talem relationes distinctionẽ extremorum suppositalium; quia secũdùm eundem ibid. paulò infra, substantia continet vnitatem, relatio multiplicat Trinitatem.

DISTINCTIO XXVII.

DE NOTIONIBVS, ET DE NOMINE Verbi, an sit essentiale, vel relatiuum.

QVAESTIO I.

Vtrum Verbum creatum sit intellectio actualis.

Circa istam Distinctionem Vigesimam Septimam, quæro, &c.

SVMMA QVÆSTIONIS.

Primò ponitur & impugnatur Opinio, quæ docet notitiam actualem, vt declaratiua est, esse verbum. Secundò, propria sententia explicatur, quòd notitia actualis sit verbum. Tertiò, notitia actualis non quæcunque, sed genita & producta, est verbum. Vltimò, satisfit argumentis principalibus.

ARTICVLVS PRIMVS.

Ponitur & impugnatur Opinio.

Ad istam Quæstionem. Dicitur: quòd verbum sit intellectio, &c.

SVMMA TEXTVS.

Ista Opinio est Henrici de Gand. quodl. 2.q.6. quodl.6.art.1. & in Sum. art.54. In summa ponit primò intellectum esse nudum: iste intellectus nudus, recipit notitiam ab obiecto, quæ dicitur notitia essentialis; estque intellectus noster ad illam in potentia passiua receptiua, non autem actiua. Deinde intellectus conuertit se supra se, & intellectus informatus notitia priori, exprimit seu producit notitiam declaratiuam, qua intellectus sic informatus, se habet ad illam actiuam: hæc notitia declaratiua, dicitur verbum. Ista Opinio narrata est, & impugnata superius satis fusè, & sufficienter dist.2.q.7.art.1. vide ibi dicta, quia ex illo loco sufficienter patet explicatio istius tum opinionis, tum impugnationis.

Dubitatur.

Vtrum actus essentiales sint aliquomodo priores actibus notionalibus?



Idetur quod non. Primò. Si Pater in aliquo signo priori intelligit antequam generet, sequitur quod est suppositum constitutum ante generationem Filij, sed consequens est falsum; ergo & Antecedens. Sequela Maioris. Quia si in illo priori, in quo intelligit, non esset suppositum constitutum, tunc Pater intelligeret antequam esset Pater, quod est inconueniens: si ergo in illo priori intelligit, vel vult, necesse est dicere illum esse suppositum perfectè constitutum, antequã superueniat actus generandi. Minor. Quia quidquid in Diuinis præintelligitur generationi actiuæ, quæ est primus actus notionalis, oportet quòd sit absolutum; ergo Pater erit suppositum absolutum; quod est inconueniens.

Secundò. Si in Patre actus essentialis præcedit actũ notionalem, sequitur quod ibi sit ad intra exitus de potentia ad actum: quod est plusquam absurdũ; quia in Deo vt actu purissimo, nullus potest cogitari, nedum poni exitus de potentia ad actum. Sequela Maioris. Vbicunque sunt plura, quorum vnum præcedit, & alterum succedit, ibi necessariò est aliquis exitus de non esse ad esse, seu de potentia ad actum. In illo enim priori signo, in quo est præcedens, nondum adhuc est succedens, sed expectat esse in sequenti signo: sic in proposito, in illo signo in quo Pater habet actum essentialem, non habet adhuc actum notionalem, sed expectat ipsum habere in subsequenti signo. Confirmatur per Damasc. lib.1. cap.8. dicentem, quòd Pater non fuit priùs non generans, & postea factus est generans. Nec valet, si dicatur: quod ipse ibi intendat loqui de priori & posteriori secundùm tempus. Quia idem incõueniens sequitur, si Pater fieret de non generante generans, secundùm aliud & aliud instans temporis, quod etiam sequeretur, si secundùm aliud & aliud signum Originis, nam vtrobique sit processus de non esse ad esse.

Tertiò. Inter actum essentialem & notionalem, nulla est origo: ergo nulla est prioritas originis. Consequentia est de se nota. Antecedens probatur. Vbi est origo, ibi est realis relatio, & realis distinctio, inter originans & originatum; sed intellectionis essentialis ad notionalem, nulla est relatio realis, vel realis distinctio, vt clarum est; ergo, &c.

Quartò. Quando aliqua duo concurrunt ad cõstitutionem vnius personæ, & vnum non est in potentia ad alterum, tunc vnum eorum non est priùs altero, secundũ originẽ: sed ita se habet in proposito: ergo, &c. Maior. Duobus existentibus in vno supposito, illud quod est prius altero, secundùm originem, est in potentia ad alterum: sicut patet de materia & forma in composito: nam quia materia præcedit formam secundùm originem, idcirco est in potentia ad eam. Minor. Ad constitutionem cuiuscunque Personæ Diuinæ, concurrunt essentialia & notionalia: Si ergo essentialia sunt præuia notionalibus, secundùm originem, erunt in potentia ad notionalia.

Quintò. Actus notionalis dicendi, prior est actu essentiali intelligendi; ergo actus essentialis non præcedit aliquomodo

quomodo productionem verbi. Consequentia est clara. Cùm enim per actus notionales constituantur personę in esse personali, vt dicitur infra dist. 26. & personis iam constitutis in esse personali, conueniant actus essentiales, & non priùs prioritate quacunque: consequens est, quòd nec intellectio essentialis productionem Verbi præcedet, nec volitio essentialis (quia par rō de vtroque) prior erit spiratione amoris; imò intrinsecè erit posterior. Antecedēs probatur quadrupliciter. Tum quia vel actus essentialis præcedit suppositum, vel illud constituit, vel sequitur iam constitutum. Non præcedit; quia tunc non esset actus elicitus ab aliqua persona, quod non est intelligibile: nec constituit; quia actus essentiales sunt communes omnibus personis, non sic rationes constitutiuæ personarum; relinquitur ergo, quòd consequantur supposita iam constituta. Tum quia priùs origine conuenit personæ actus proprius quàm communis; sic, quia generare est propriū Patri, spirare autem commune Patri & Filio, priùs origine Patri conuenit generare, quod est proprium, quàm spirare, quod est commune: cùm ergo generare sit proprium Patri, & intellectio essentialis sit communis tribus, priùs origine Pater generabit, quàm intelligat. Tum quia si Pater priùs intelligeret, quàm generaret, sequeretur, quòd ipse solus eliceret actum intelligendi, aliæ verò Personæ magis se haberent vt suscipientes, quàm vt elicientes; & ita Pater haberet intellectionem perfectiori modo, quàm aliæ Personæ; quod est absurdum. Tum quia sequeretur priùs Verbum Diuinum intelligi à Patre, quàm produci; in illo enim priori, in quo Pater ponitur intelligere, intelligit omnia intelligibilia, aliàs illa intellectio, non esset perfecta & infinita; & ita intelligit Filium; cùm ergo in illo priori supponatur intelligere, & non producere, priùs intelliget Verbum, q̃ producat. Vltra: illud ꝙ priùs intelligitur, q̃ producatur, producitur per idæā, & vadit de nō esse ad esse, per modum creaturæ: quod est inconueniens dicere de Verbo Diuino. Tum quia secundùm Doctorem Subt. qualemcunque ordinem habent aliqua, vbi sunt distincta realiter, talem habent vbi sunt distincta tantùm ratione; sed in creaturis dicere & intelligere, distinguitur realiter, dicere prius est quàm intelligere, vt dicit Doctor dist. 3. q. 7. & 8. dist. præsenti; ergo & in Diuinis.

Sextò. Pater in illo priori in quo intelligitur habere intellectum essentialem, priusquam generet Filium, vel habet vim spirandi Spiritum S. vel non? non secundum; quia transiret de potentia ad actum: si habet; ergo poterit in illo signo priori, Spiritum S. spirare; sed illud signum est prius signo generationis; ergo poterit esse spiratio priusquam generatio; quod est impossibile. Consimiliter his arguit Ocam in 1. distinct. 9. quæst. 3. Gabr. ibid. Arimin. quæst. 1.

In oppositum est Doctor Subt. hìc, & supra dist. 1. q. 2. quodl. 1. & aliàs: Mayr. in 1. dist. 32. q. 6. & 7. Richar. in 1. dist. 2. att. 1. quæst. 4. & attic. 2. q. 3. Alen. 1. par. quæst. 5. & 8. mem. 5. & 6.

Suppono Primò. Nos hìc non loqui de prioritate durationis, an in aliquo instanti sit Pater intelligens, & nō generans actu; similiter, an in aliquo instanti existat Pater & Filius, volentes volitione essentiali, & non spirantes Spiritum S. iste enim intellectus simpliciter est falsus, vt supra dist. 9. à Doctore ostensum est; sed sermo est de prioritate intelligibilitatis rei, fundatæ in re; an scilicet intellectio essentialis, & volitio essentialis, sint priùs intelligibilia in essentia, & sint priora in Diuinis, aliqua prioritate signi, q̃ generatio vel spiratio, actus notionales. Et de ista prioritate habetur sufficienter supra dist. 1. q. 2. dub. 4. vbi etiam dictum est, quòd prioritas originis, sumitur vel strictè, pro prioritate inter originans & originatum, quæ sunt distincta realiter, vt inter Patrem & Filium: vel latè, pro prioritate quacunque intelligibilitatis, minori quàm sit prioritas naturæ, qualis potest attendi inter essentiam & suas potentias, inter essentiam & relationes. Si igitur Doctor, vel alij Scotistæ, dicunt essentialia esse priora origine notionalibus, loquuntur de prioritate originis secundo modo, non primo.

Suppono Secundò. Ex dictis à Doctore quodl. 1. Aliter à Philosophis sumi nomen essentialis, aliter à Theologis. Apud Philosophos enim essentiale opponitur accidentali, vnde essentialia prædicata dicuntur per se, de suo subiecto, non per accidens, & distinguuntur ab accidentalibus: apud Theologos verò essentiale opponitur notionali, vt illud sit essentiale, quod est absolutum prædicatum, vel quidditatiuū; vt substantia, vita, intellectus, voluntas, &c. vel attributale & perfectionale; vt sapientia, bonitas, &c. & omnia talia prædicata essentialia, sunt communia tribus Personis: inter quæ etiam ex secundo ordine recensentur à Theologis, intellectio essentialis, & volitio essentialis; isti autem actus sunt absoluti, & communes tribus Personis, non producti. Notionalis verò actus, sic dicti à notificatione Personarum, dicuntur isti: generare & spirare; quia prior notificat Patrem, qui generat Filium, Spirare notificat Patrem, & Filium, spirantes Spiritum Sanctum. Sensus igitur difficultatis est. An actus essentiales improducti, nēpe intellectio essentialis, & volitio essentialis, sint actus priores, prioritate intelligibilitatis, actibus notionalibus, qui sunt generare & spirare, & respectu termini, qui generatur vel spiratur.

Essētiale aliter sumitur à Theol. aliter à Philos.

Notionales actus cur sic dicuntur.

Suppono Tertiò. Quòd essentialis intellectio & volitio, possint in prioritate comparari, vel ad actus notionales, præciso supposito & essentia; an scilicet intellectio essentialis prior sit generatione, & volitio prior sit spiratione, vt sic accepta, non considerando, quòd ista conueniant huic supposito vel huic essentię: vel secundò possunt comparari respectu essentiæ, & non suppositi; an scilicet essentię prior sit & immediatior intellectio essentialis, quàm generatio: vel tertiò respectu suppositi; an intellectio improducta qua Pater est formaliter intelligens, sit prior prioritate intelligibilitatis in Patre, quàm generatio vel actus generandi Filium. Posset enim concedi primum, non secundum; & in primo sensu ac secundo, admittendo essentialia esse priora notionalibus, non admittitur à quibusdam Scotistis in tertio: dicuntq; essentialia in ordine ad notionalia præcisè, & essentialia comparata cum notionalibus in ordine ad essentiam, priora sunt illa istis; sed non comparando ad suppositum; cui dicunt æquè primò conuenire actus essentiales & notionales, respectu cuiuslibet personæ: hoc est, quòd in Patre, vt Pater est, non prior sit actus essentialis, generatione actiua, nec in Filio prior est actus intelligendi improductus, generatione passiua; similiter dici posset de prioritate volitionis essentialis, respectu actus spirandi, tam actiuè in Patre & Filio, quàm passiuè in Spiritu Sancto.

Varijs modis potest intelligi hæc dubitatio.

Suppono Quartò. Essentiales istos actus, nempe intellectionem & volitionem, dupliciter posse accipi. Primò, merè absolutè ad intra, quatenus ad concursum solius obiecti primarij, nempe Essentiæ Dei, illi quasi eliciuntur, & sic nullum respectum important: alio modo, vt intellectio Diuina essentialis terminatur ad omne intelligibile, etiam creatum, & volitio Diuina essentialis, quatenus etiam ad omne creatum vel creabile volibile se extendit; & sic tam intellectioni quàm volitioni essentiali in se absolutissimæ, aduenit relatio rationis, vt dicitur à Doctore in 2. dist. 1. q. 1. & in quodl. quodl. 1.

Essentialis intellectio, & volitio duplex.

Præsens igitur difficultas examinari potest in duplici sensu. Primò. An intellectio & volitio, vt merè absoluti actus sunt, terminum habētes primarium, solam Essentiam Diuinam, priores sint prioritate intelligibilitatis actibus notionalibus. Secundò. An ijdem actus essentiales, vt dicūt ordinem ad creaturam (intellectam vel volitam, aut intelligibilem, vel volibilem) præcedunt aliquomodo, prioritate ista in communi accepta, spirationem, quæ est actus notionalis. Quamuis autem istius difficultatis præcisio sufficiens haberi possit ex supra dictis de prioritate in Diuinis, quæ & qualis admitti debet, vberioris tamen doctrinæ gratia, in præsenti satisfaciendo huic difficultati, sit

Prima Conclusio. Actus essentiales Diuini (præscindendo illos ab inexistentia Essentiæ Diuinæ) sunt priores actibus notionalibus. Est Doctoris Subt. hìc, & supra dist. 6. q. 1. & quodl. 1. ac aliàs. Probatur Primò. Omne perfectum est priùs, aliqua prioritate illo, quod non dicit perfectionē. Ratio est. Tum quia vt rectum est iudex sui obliqui, ita

Actus essentiales sunt priores notionalibus

perfectio

perfectio non perfectionis. Tum quia, illud quòd non dicit formaliter perfectionem, vt sũt relationes originis in Deo, fundatur vt in proprio fundamento, in Eſſentia Diuina ſecundùm Doctorem Subt. quodl. 5. fundamentum autem eſt priùs, prioritate intelligibilitatis, quàm illa quæ in ipſo fundantur: Sed intellectio eſſentialis, ſimiliter & ſpiratio, dicit perfectionem; quia meliùs eſt ipſam eſſe, quàm non ipſam, in quolibet ſuppoſito Diuino, ſecundùm deſcriptionem perfectionis ſimpliciter, datam à S. Anſelmo: generatio vel ſpiratio non dicit perfectionem, quia aliàs Filius nõ generans, vel Spiritus S. non ſpirans, non haberent perfectionem ſimpliciter, eamque infinitam; quod eſt inconueniens, & bene deducitur à Doctore Subt. quolib. 5. ergo, &c.

Secundò Probatur. Abſolutum, ex natura ſua eſt prius, prioritate intelligibilitatis, quocũq; reſpectiuo. Et ratio eſt. Quia illud põt dici prius prioritate intelligibilitatis, quod aptum eſt intelligi ſine altero reſpectu cuius eſt prius; ſed abſolutum eſt aptum intelligi optimè ſine relatiuo, vt conceditur communiter, & dicetur aliàs: non ſic relatiuum ſine abſoluto: ergo, &c.

Vltra infero; Sed actus eſſentiales ſunt abſoluti: actus autem notionales ſunt relatiui; ergo, &c.

Tertiò Probatur. Sicut ſe habet eſſentia ad notiones; ita ſe habent eſſentiales actus ad notionales: ſed eſſentia eſt prior notionibus, vt deductum eſt ſupra loco cit. ergo & eſſentiales actus, erunt priores notionalibus.

Secũda Concluſio. Actus eſſentiales & notionales, comparati ad eſſentiam, ita ſe habent reſpectu eſſentiæ, quòd illi præcedãt iſtos. Probatur. Tum argumentis ad priorem Concluſionem poſitis, quę directè etiam hanc probant. Tũ Primò ex dictis ſupra diſt. 1. q. 2. dubit. 2. Illud eſt prius intelligibilitate, à quo non conuertitur ſubſiſtendi conſequẽtia: ſed ab actu eſſentiali non conuertitur ſubſiſtendi conſequentia. Patet: quia valet ab actu notionali ad eſſentialẽ, Generat: ergo intelligit: Spirat: ergo vult; Sed non valet, ab actu eſſentiali ad notionalem, Intelligit; ergo generat: quia Filius intelligit, & non generat: ſimiliter non valet, vult volitione eſſentiali: ergo ſpirat: quia Spiritus Sanctus vult volitione eſſentiali, quia diligit ſe, Patrem, & Filium, & tamen non ſpirat: ergo, &c.

Secũdò. Illud qd habet ſe per modũ actionis immanẽtis, prius eſt reſpectu potẽtię, & ẽt reſpectu eſſẽtię eſt immediatius, quàm quod habet ſe per modum actus tranſeuntis, ſed operatio, ſeu actus eſſentialis in Diuinis, habet ſe per modũ actus immanentis in Deo, & Eſſentia Diuina; productio autem Verbi vel amoris, habet ſe per modum actus tranſeuntis; ergo operatio in Deo eſt prior productione. Maior patet. Tum quia in agente intellectiuo, ab operatione immanente non datur conſequentia: nec enim ſi intelligit vel vult, ſequitur quòd aliquid ad extra operatur; ſed bene è contra. Tum quia immediatiores ſunt actiones immanentes potentiæ operanti, manendo in ipſo operante, ſic dictę; remotiores autem debent dici tranſeuntes, ob remotiorem rationem recipiẽtis talis actionis. Minor explicatur. Quamuis enim actiua generatio Diuina (& idem de ſpiratione actiua) non ſit propriè actio immanens vel tranſiens, eo modo, quo actio immanens vel tranſiens dicitur de creatura (Actio enim immanens in creaturis, & ſuus terminus, ſunt in eodem ſuppoſito; actio autem tranſiens in alio eſt ſuppoſito, & in alio ſuppoſito terminus illius actionis; quia actio trãſiens in creaturis, ſemper habet materiam in creaturis, ſiue propriè dictam materiam, quomodo ignis agit in lignum, ſiue minùs propriè ſumendo pro aliquo potentiali paſſiuo nomen materiæ, quomodo Angelus in intellectu alterius Angeli producit notitiam, quæ vocatur auditio, ſecundùm Doctorem in 2. diſt. 6.) magis tamen propriè actiua generatio Diuina debet dici actio tranſiens, quàm immanens; quia nullo modo generatio actiua eſt, reſpectu termini producti in ipſo generante manentis, eumque informantis & denominantis; ac ita non eſt actio immanẽs: eſt tamen aliquomodo ad terminum realiter à generante diſtinctum: quia tamen iſta generatio actiua non eſt ad terminum, in materia vel quaſi materia receptum, non eſt propriè actio tranſiens.

[Generatio diuina magis habet rationem trãſeuntis actionis quã immanentis.]

Quare optimè dicitur à Doctore Subt. in 1. Report. diſt. 7. q. 2. nec propriè eſſe immanentem nec propriè tranſeuntem, ſed partẽ habere de immanente, partem de tranſeunte; quantùm enim ad hoc, quòd actio non eſt extra agens, neque habet materiam extrinſecam, conuenit cum actione immanente; quantùm autem ad hoc, quòd terminus non eſt in agente, tanquam forma illius, conuenit cum actione tranſeunte: maiorem tamen habet rationem & conueniẽtiam cum actione tranſeunte, actus dicendi ſeu generandi, quàm cum actione immanente: vt ex dictis patet, & etiam d. 2. q. 5. huius, circa finem quæſtionis, concedit Doctor. Actus verò eſſentialis cùm ſit improductus, eſt in ipſo operante, habetque rationem actionis immanentis.

Tertia Concluſio. Actus eſſentiales & notionales, comparando ad ſuppoſitum Diuinum determinatum, V.G. an actus intelligendi eſſentialis in Patre vt Pater eſt, ſit prior aliquomodo actu dicendi ſeu generandi; Videtur probabiliter ad mentem Doctoris Subt. dici poſſe, quòd nullus eorum ſit prior, vllo modo prioritatis, reſpectu ſuppoſiti, eſto, quòd habeant rationem prioris vel poſterioris inter ſe præcisè, vel reſpectu eſſentiæ Diuinæ ob ſupra dictas cauſas.

[Actus e... tiales i... poſito ... ſunt pri... notional... bus, ... dúmaliq...]

Probari poſſet hæc Concluſio. Primò. Sicut ſe habet eſſentia cum relatione ad conſtitutionem perſonæ, ita ſe habet actus eſſentialis & notionalis in elici à Perſona; Sed nulla prioritas, etiam intelligibilitatis, conuenit vel præcisè eſſentiæ, vel præcisè relationi, ſed ſimul omnimoda ſimultate concurrunt ad conſtitutionem perſonę, pro quocunq; enim ſigno intelligatur perſona, ſemper intelligitur ibi eſſentia & relatio; ergo & actus eſſentialis in elici à perſona, ſimul erit cum actu notionali.

Confirmatur. Sicut eſſentia prior eſt relatione comparata ad relationem vt ad Paternitatem: Pater tamẽ vt Pater, non ideo priùs conſtituitur in ratione Patris per eſſentiam, & poſteriùs per relationem, quia ſequeretur, quòd pro aliquo ſigno intelligibilis eſſet Pater, in ratione talis ſuppoſiti, abſque relatione; quod implicat; ita eſto, quòd actus eſſentialis, prior ſit notionali, comparatus ad actum: vt tamen ſunt à perſona iſti actus, ſimul ſunt.

Probatᷣ Secũdo, Si eſſet ordo prioritatis inter iſtos actus, vt ſunt à ſuppoſito quaſi eliciti: vel ergo aliquis prior eſſet actus eſſentialis; & hoc non, ob rationes quatuor in principio adductas; vel prior eſſet actus notionalis: & hoc non conceditur communiter à Theologis: ergo ſimul omnimoda ſimultate quaſi eliciuntur à ſuppoſito.

Tenendo iſtam Concluſionem, ad omnes authoritates, quæ ex doctrina Doctoris Subt. adduci poſſent, probantes Patrem in aliquo inſtanti eſſe perfectè beatum, in quo nõ intelligitur generans; & conſimiliter dicendum eſſet quòd iſta verificarentur per comparationem actuum inter ſe, nõ autem vt ſunt à perſona, quia vt ſunt à perſona, nulla eſt prioritas, niſi illa quæ eſt actuum inter ſe: & ſic facili negotio poſſent reſolui argumenta in principio Dubitationis adducta.

Quarta Concluſio. Probabiliùs eſt in via Subt. Doctoris dicere actus eſſentiales & notionales, etiam reſpectu ſuppoſiti habere ordinem, ita quòd priùs conueniant ſuppoſito actus eſſentiales quàm notionales.

[Actus e... tiales ... priores ... tionalib... in ſuppo... to diui... eſt pro... liſſimu...]

Iſtud dictum clarè deduci poteſt ex illius ſcriptis, tum ſupra diſt. 1. q. 2. tum diſt. 6. tum in 2. diſt. 1. q. 1. tum ex quodl. q. 1. & alibi.

Probatur Primò. Quem aliqua habent ordinem prioritatis inter ſe, eundem habent & in tertio; ſed inter ſe habẽt ordinem prioritatis, quòd eſſentiales actus ſint priores notionalibus: ergo & vt ſunt in tertio, nempe ſuppoſito, eundem habebunt ordinem prioritatis. Minor eſt clara. Maior probatur. Tum quia aliàs, idem eſſet priùs & non priùs altero. Tum quia illud tertium, non variat eorum rationem vel modum. Tum quia hoc patet inductiuè in omnibus alijs; ratio enim ſubſtãtiæ eſt prior, quàm ratio corporis; iſta tamen, vt ſunt in ſuppoſito ligni, non amittunt rationem prioris. Idem dico de alijs prædicatis ſuperioribus & inferioribus, in quocunq; genere, quòd ſuperiora reſpectu inferiorum, ſint priora prioritate naturæ, & etiam vt in tertio ſunt, eandem ſeruant prioritatem.

Secun-

Secundò. Illo modo, secundùm rationem prioris, habent se isti actus ad suppositum, quomodo habent se ad essentiam; quia est par ratio; sed ad essentiam, priùs & immediatiùs se habet essentialis actus, quàm notionalis; vt dictũ est Cõcl. 2. ergo & ad suppositũ, vt sunt ab illo isti actus.

Tertiò. Illud est priùs altero, etiam in supposito, à quo non conuertitur subsistendi consequentia: sed ab intelligere non conuertitur consequentia ad dicere, licèt benè cõtra; nam Filius & Spiritus Sanctus, intelligit intellectione essentiali, & tamen non dicit verbum, ille autem qui dicit Verbum, necesse est, quod intelligat; ergo in supposito, intelligere est priùs, quàm dicere.

Quartò Probatur rationibus Primæ & Secundæ Conclusionis, quæ directè etiam hanc approbant, vt patebit consideranti.

...gumẽtis ...oris con ...sionis sa... ...it.

Tenendo istam sententiam, de mente Doctoris. Ad Primum pro Tertia Conclusione dici posset. Primò. Negando Maiorem, seu paritatem. Quia constitutum nequit intelligi sine constituentibus, in simul sumptis; bene autem potest intelligi vna actio, seu operatio improducta, absque alia actione producta. Secundò, admissa Maiori, neganda est Minor. Siquidem vt dictum est aliàs, essentia priùs prioritate intelligibilitatis, concurrit ad constitutionem suppositi, (tanquam fundamentum relationis) quàm relatio; imò ex vi absoluti & relatiui, ita se habet Paternitas & essentia, quòd essentia secundùm modum intelligẽdi, prærequiratur ad relationem quæ fit in essentia: ita dicitur pariformiter, de actu essentiali qui absolutus est, & de actu notionali, qui dicit relationem.

Ad Secũdum. Priores sunt actus essentiales, quàm actus notionales. Nec argumenta in oppositum concludunt aliquid, vt patebit ex eorum solutione.

Hactenus dictum est de actibus essẽtialibus, vt sunt merè absoluti, absque respectu ad creaturas, quatenus videlicet intelligũtur terminari ad solum obiectum primarium, nempe ad Essentiam Dei (quod autem talis acceptio sit possibilis dictum est) nunc autem si sermo sit de actibus essentialibus, dicentibus respectum extra ad creaturas, quatenus videlicet intellectio Diuina essentialis, vel volitio illa absoluta, respicit creaturam, & terminatur ad illam, tanquam ad obiectum secundarium, de hoc sit

...us notio...s prio... sunt a... ...us essen... ...bus di... ...ibus re... ...tum ad ... ...turas

Quinta Conclusio. Actus notionales priores sunt, prioritate intelligibilitatis, quàm actus essentiales, dicentes respectum ad creaturam. Ista Conclusio est apertè Doctoris Subt. in 2. dist. 1. q. 1. & quodl. 1. Concl. 2.

Fundamentum huius conclusionis explicatur alibi à Doctore, nempe in 2. loco citato, quod tale est. Priùs natura ad intra tota productio consumata intelligitur, quàm creatura, vel intellecta, vel volita. Hoc pro nunc supponatur. Cõsequens igitur est, quòd actus intelligendi, vel volendi, vt terminantur ad creaturam, sint secundùm intelligibilitatem posteriores actibus notionalibus.

Ista tamen Conclusio alibi habet tractari cum suo fundamento.

Ad Argumenta in principio Dubitationis proposita.

Ad Primum argumentum. Hoc petit solutionem illius difficultatis, communis omnibus Theologis, quomodo Pater sit prior origine Filio: in illo enim priori, vel est suppositum, & non intelligitur Filius; ergo Pater erit suppositum absolutum; vel intelligitur Filius in illo priori: & ita Pater non est prior Filio. Hæc difficultas, tum dist. 9. tum. 26. copiosè resoluta est: vide ibi.

...ritas si... ...non in... ...existere ...sine illo

Ad argumentum tamen in forma. Respondeo. Negando sequelam Maioris. Ad probationem. Dico Primò: quòd talis modus arguendi, peccat à secundùm quid, ad simpliciter; prioritas enim signi, est prioritas conceptuum obiectiuorum, nõ dicẽs hoc esse, seu existere, priùs illo; sed, hoc intelligi aptum priùs illo: & talis prioritas in obiecto, est prioritas secundùm quid; sed prioritas existentiæ, seu quòd hoc existat tale sine illo, est prioritas simpliciter, quia est prioritas originis. Et isto modo arguendi vtũtur communiter Thomistæ & Neoterici, contra Doctorem, in oppugnatione istorum signorum, vel prioritatis secũdùm intelligibilitatem; vt supra etiam tractando de hac materia aduersum est.

Quando igitur dicitur in Confirmatione. Si in illo priori signo in quo intelligit nõ est suppositum, sequitur quòd Pater intelligat antequã sit Pater. Dico. In illo priori signo, in quo intellectio est prior dictione, non dicit Scotus non esse suppositum Patris, quia talis abstractio esset falsa: sed abstractione veracе non intelligitur suppositum: aliud autem est non esse suppositum, aliud non cointelligi. Quòd autem bene posset nõ cointelligi, patet: quia ratio communis, bene potest intelligi absque minùs communi, cognitione abstractiua; sed Essentia Diuina, & essentialia attributa, sunt communia tribus Personis; ergo possunt intelligi absque minùs communi, quacunque prioritate personali. Quare non sequitur quòd Pater intelligat, antequam sit Pater. Quia Pater existens Pater, intelligit intellectione essentiali, ista tamen intellectio, prior est prioritate intelligibilitatis in Patre, quàm dictio verbi; quia est illa communior, & non datur ab illa subsistẽdi consequentia; sicut Petro priùs conuenit ratio hominis, quàm ratio huius hominis, secundùm quod dicitur prius, à quo non datur subsistendi consequentia: & tamen non sequitur quòd Petrus primò existat homo, quàm sit hic homo.

Ad Secundum. Negatur sequela. Probatio illius procedit de prioritate durationis, quam nullatenus ad intra in Diuinis concedimus; & hanc prioritatem negat Damascenus ibi adductus: peccatque hoc argumentum, à secundùm quid ad simpliciter, arguendo à prioritate signorum intelligibilium, ad prioritatem existentiæ, vt dixi.

Ad Tertium. Pater responsio ex suppositione prima, quòd æquiuocet in istis terminis, prioritas originis. Non enim in præsenti, dum dicitur ab aliquo: Intellectio essentialis, est prior origine dictione verbi; sensus est, quòd intellectio essentialis, priùs originetur, seu producatur, quàm dictio; hoc enim falsum est, & impossibile; sed sensus est, quòd intellectio essentialis, prior sit in Diuinis, prioritate intelligibilitatis, quàm actus dicendi Verbum.

Ad Quartum. Nego Maiorem. Probatio eiusdem est falsa. Nec exemplum valet. Non enim propterea materia est in potentia, quia præcedit origine formam: imò simul & semel creat Deus compositum Physicum, ita quòd nullo modo sit prior origine, seu productione materia; adhuc tamen in materia erit potentia respectu illius formæ, cùm potentia sit intrinseca materiæ.

Ad Quintum. Nego Antecedens. Ad Primam probationem. Dicebatur à Doctore supra, quòd actus essentiales, primò conueniunt huic Deo singulari, secundùm intelligibilitatem, & postea tribus Personis. Quare concedo, quòd aliquomodo præcedant secundùm intelligibilitatem; nec hoc vllum est inconueniens: vt aliàs ostendi. Ad Secundam probationem. Priùs prioritate intelligibilitatis conuenit cõmune, quàm proprium: vt patet inductiuè in omnibus rationibus communibus, respectu minùs communium; vt dixi in responsione ad I. Ad Tertiam. Dato quòd solus Pater quasi eliceret intellectionem essentialem, aliæ autem quasi acciperent elicitam, adhuc inde nulla imperfectio esset in Personis accipientibus; sicut nec modò imperfectionis est in Personis productis, quòd à producente accipiant Essentiam. Dico tamen, quòd non solus Pater quasi elicit actus essentiales, sed primò hic Deus, qui cùm in suppositis sit Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, à tribus Personis quasi elicitur. Ad Quartam. Nego sequelam. Cùm dicis. In illo priori, intelligit Pater omnia intelligibilia. Negatur; vt patet ex Conclusione 5. sed intelligit obiectum primarium infinitum, infinita & perfectissima intellectione; quia ab intellectione secundarij obiecti, nõ habet Pater vllam perfectionem, vt dixi supra; & cùm obiectum secundarium immediatum, sint tres Personæ Sanctissimæ, in esse personali, remotum autem creaturæ vt possibiles, secundùm dicta supra dist. 1. q. 2. sequitur quòd in illo priori, non intelligitur Diuinus intellectus terminari ad ista obiecta secundaria, sed ad solum primarium: & ita non intelligitur intelligere Filium: Sed inferre; Ergo non intelligit aliquando Pater Filium: est fallacia, ab abstractione præcisiua, non mendaci, ad abstractionem mendacem negatiuam. Ad Quintã Antecedentis probationem. Dico breuiter. Aliter verbum habet se ad potentiam, qua elicitur in creatura, aliter in Diuinis:

nis;in creaturis enim cùm nulla intellectio actualis,in actu secundo sit improducta, sed omnis sit producta, & distincta realiter qualitas,tum à potentia,tum ab ipso intelligente,vt dictum est supra dist.3.quæst.7.8. & 9.sequitur quòd in creatura prior sit productio verbi,seu elicitio intellectionis productæ,quàm ipsa intellectio producta; & sic etiam in Deo, actus quo producitur verbum, vt est dicere, & actus,quo spiratur amor productus,sūt priores,quàm verbum vel amor;sed quia præter intellectionem genitam, & amorem spiratum,conceditur alius amor improductus,& notitia ingenita, vt dicetur infra dist.32.ista dicimus priora, non tantùm ipso verbo, vel amore productis, sed & actibus illorum productiuis, seu quibus illa producuntur, qualis est actus dicendi vel spirandi.

Ad Sextum. Respondeo iuxta dicta in responsione ad Primum, Quòd iste modus arguendi, peccat à secundùm quid ad simpliciter; pro nullo enim instanti potest dici, ꝙ Pater non habeat vim spirandi:sed pro aliquo signo potest dici,quòd intelligatur Pater intelligens,& non dicens, non è contra, quod solum sufficit ad prioritatem intelligibilitatis: verùm igitur est,quòd in illo priori signo, in quo Pater intelligitur habens intellectionem essentialem, cointelligēdo quòd intelligat notitiam genitam: sed non valet, Ergo pro aliquo signo non intelligit,& est nesciens notitiam genitam: similiter,verum est,quòd pro aliquo signo non intelligatur à nobis Pater spirans Spiritum Sanctum;sed non sequitur,Ergo ex non spirante fit spirans, & potentia transit ad actum; quia est fallacia, ab abstractione verace, ad mendacem,& à prioritate secundùm quid, ad prioritatem simpliciter.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Propria sententia explicatur.

Ad Quæstionem igitur istam aliter respondeo, &c.

SVMMA TEXTVS.

Prima Conclusio. *Verbum creatum est actus intelligentiæ, productus à memoria perfecta,non habens esse sine actuali intellectione, repræsentans Verbum Diuinum. Istam descriptionem verbi creati,colligit Subt.Doctor ex dictis varijs August.vt patet in litera.*

Secunda Conclusio. *Verbum creatum non est species, nec habitus,vt dicitur sensisse Aegid.quodl.3.q.12.13. & 14.reuera tamen non habet quidquam eiusmodi Aegid. locis allegatis, sed est alterius Opinionis, nec obiectum vt cognitum, vt apertè sentit Aureol.dist.præsenti.art.1.*

Tertia Cōclusio. *Verbū est aliquid productū per intellectū.*

Quarta Conclusio.*Intellectio actualis, est verbū creaturæ.*

Dubitatur.

Vtrum verbum sit aliquid productum per intellectionem.

Quòd sic. Primò.Ad intelligendum requiritur aliqua actualis similitudo,se tenens ex parte obiecti;sed hæc similitudo non est actus intelligendi: ergo est aliquid realiter distinctum ab actu intelligēdi; ista verò similitudo est verbū;ergo,&c. Maior cōmuniter conceditur. Minor probatur.Tū quia actio qua profertur hoc nomen, homo,nō est id quod facit hominē: sed ipsum nomen prolatum per talē actionem,significat hominē: ergo pari ratione actus intelligendi,quo producitur verbū, non est similitudo obiecti, sed ipsum verbū per actione productū.Tū quia nulla actio est similitudo principij à quo procedit;ergo neq; actus intelligēdi est similitudo obiecti à quo procedit.Consequentia tenet ex parte rationis. Antecedens patet inductiuè. Nam calefactio prout est actio,non est similitudo caloris, neque domificatio est similitudo domus ad intra.

Secundò. Verbum ponitur ad hoc,vt in illo tanquam in imagine cognoscatur obiectum,quod est extra;sed videre, non est illud,in quo aliquid videtur;ergo neque intelligere est verbum,in quo res,quæ est extra,intelligitur.

Confirmatur Primò. Nam verbum ponitur terminus intellectionis realiter terminans eam; ergo est quid distinctum,ab ea. Confirmatur Secundò. Quia aliàs superfluum & vanum esset inquirere, an per actum intelligendi producatur, verbum, si ipsemet actus intelligendi esset verbum.

Tertiò. Beati vident Deum per visionem creatam; si igitur actus intelligendi est verbum, atque ita expressa similitudo obiecti,sequitur quòd Beati vident Deum per similitudinem creatam, quæ similitudo est verbum; quod est falsum.

Quartò, argui potest specialiter ad hominem, Doctor Subt. ponit duos actus secundos in intellectu, nempe, dicere & intelligere; & affirmat, quòd per dicere,producitur verbum; ergo verbum non est actus intelligendi. Antecedens est Scoti supra dist.2. q.7.& distin.3.q.8. Consequentia probatur. Quia aliàs verbum esset priùs quā produceretur.Si dicas. Verbum non est ille actus intelligendi, qui præcedit dicere, quia non quælibet notitia est verbū, sed notitia actualis genita, vt in præsenti articulo vult Doctor Subt. tunc sequitur hoc inconueniens in doctrina Scoti, quòd præter intellectum in actu primo,cōstitutum per speciem intelligibilem, sunt ponēdi in ipso intellectu, tres actus secundi; primus est intelligere,secundus dicere, tertius ipsa actualis intellectio genita; quod est ridiculum, & frustra.

Quintò. Effectus realiter distinguitur à sua causa; sed verbum est effectus intellectionis; ergo realiter distinguitur ab intellectione.

Sextò. Actus intelligendi, est actus de genere actionis; verbum autem est de genere relationis,quatenus dicit relationem ad obiectum, vel in genere qualitatis, vt est notitia quædam;sed actio,& res de genere qualitatis,aut relationis,distinguitur; ergo,&c.

Septimò.Si verbum est idem quod intelligere,sequitur hoc inconueniens, quòd in Diuinis verbum esset idē realiter Patri; siquidem intelligere est vnum & idem: Consequens est impossibile: ergo & Antecedens.

Octauò. Verbum ex propria ratione sua, est similitudo formalis rei intellectæ; sed intellectio formaliter loquendo, non est similitudo, aut imago rei intellectæ; cùm sit quædam actio veritatis, de cuius ratione non est esse formam expressam obiecti; ergo formaliter loquendo,intellectio non est verbum.

Nonò,arguit Caietanus. Causa habēs duos effectus inter se ordinatos,ita ꝙ neuter est alterius causa,sic se habet, ꝙ essentialior est cōparatio vtriusq; ad causam, ꝗ inter se, ita ꝙ si per impossibile adimeretur prius,non propter hoc neganda est habitudo secūdi ad causam: sed intellectus in actu primo, & vt causa, habet istos duos effectus,s.dicere & intelligere, ordinatos inter se, ita ꝙ neutrū est causa alterius,ergo, si per impossibile subtraheretur intelligere,nō propter hoc sequitur,ꝙ subtrahatur dicere;& sic ista cōditionalis est possibilis:Si intellectus nō intelligeret,diceret: quod manifestè implicat cōtradictionem, quid.n.diceret, si nihil consideraret?Maior est Scoti in 2.d.1.q.1.ar.3.Minor verò est eiusdem,tum hìc,tum supra dist.2.

Ita arguit Zumel 1.p.q.27.ar.1.disp.5. Molina Ban. & Caietan.ibid.Capreol.d.præsenti.q.2.Gerard. & Syluester Prier.ibid.Ferrar.1.con.gen.c.53.His adde Herueū in tractatu de Verbo.q.2. vbi tribus medijs probat verbum esse quid distinctū ab actu intelligendi: Per ordinē idē valent, qđ secūda,quinta,& septima iō ex propositis. Ex his tamē quidā docent verbū distingui formaliter, non realiter, vt Bannes, & Prier.1.alij verò docent distingui realiter.

Opposita sententia, ꝙ verbum sit ipsa notitia actualis genita,est Doctoris Subtil. hìc, & in Scripto Parisien.dist. præsenti q.2. & 3. S.Bonauenturæ dist.præs.art.2.q.4. vbi verbum nostrum vocat præconceptionem, seu præintellectionem.Sequitur eandem sententiam Bassol.dist.præsenti q.2. Ioan. de Colonia, in suo Compendio. q.393.Lichetus,alijque Expositores & Sectatores Doctoris hìc, præter Mayronium, qui dist.præsenti q.1.art.2.docet verbum cōstitui ex actu dicendi & intelligendi, & ita ponit verbum esse quid aggregatum,nullatenus repræsentans verbū Diuinum.Eidem Opinioni Doctoris nostri,subscribit Ocā & Gabr.distin.præsenti.q.2. Durand.q.2.num.28.Sotus in 4. dist.

dist.9.q.2.art. 3.cùm dicit: Intellectio obiecti,est eius similitudo.Zoar.lib.1.de Trinit.cap.6.

Intellectio producitur à duabus causis.

Suppono Primò.Quod dictum est dist.3.Intellectionem produci à memoria fœcunda, memoria autem fœcunda in nobis nunc est intellectus, non nudus, sed speciem habens, vices obiecti supplentem;atq; ita vt duę causæ partiales,& neutra sine altera,concurrũt ad productionem intellectionis,ipse intellectus & obiectum,siue species obiecti. Intellectus concurrit vt causa magis principalis,obiectũ vt causa secũdaria,vt ibidem fusiùs explicatum est. In actu igitur intelligendi,qui est qualitas simplex, duplex est habitudo: vna ad intellectum,altera ad speciem. Ab intellectu,qui est potentia veritatis,denominatur intellectio actus esse veritatis;& cùm à principaliori fit denominatio,& ipse intellectus sit causa (vt dictum est) principalis notitiæ, etiam denominatur notitia producta intellectio, nō ab obiecto, vel specie. Cùm tamen agens principale & commune,intẽdat effectum assimilare agenti minùs principali,vt patet inductiuè,& in causa simpliciter prima, quæ coagens principaliter causis secundis assimilat effectum causis secundis, & Sol,vt causa communis concurrens cum homine,ad generandum hominem secundùm Philosophum,assimilat non sibi,sed homini productũ; ita intellectus cum specie, producit intellectionem similem,non sibi, sed speciei, seu potius obiecto, cuius species est similitudo, vnde meritò specificatio & determinatio in notitia, quòd sit talis vel talis, huic vel illi obiecto similis,imò hoc vel illud obiectum expressè repræsentans,attribuitur speciei.Ista tamen,esse notitiam productam,& esse similem huic vel illi obiecto, penitus sunt idem re,in illa simplici qualitate; ac proinde, vt notitia fit similis rei intellectæ,frustra requiritur à Thomistis aliquid distinctum ab ipsa notitia.

Intellectio aud est à productione intellectionis.

Suppono Secundò. Actum secundũ intellectus, esse duplicem: vnus est de genere actionis; & nō aliud est,quàm producere intellectionem,gignere intellectionẽ, vel vt alij loquuntur,elicitio intellectionis: notitia enim qua cognosco hominem,est qualitas in intellectu,non improducta, igitur producta; ipsa ergo productio talis notitiæ, dicitur actio de genere actionis, & vocatur à Doctore Subtili, actus dicendi seu producendi,vel dictio, productio,elicitio intellectionis,seu notitiæ. Secundus actus intellectus est, ipsamet notitia, seu intellectio producta, quæ est qualitas de genere qualitatis. Ille actus,dicitur proprius actus intellectus,quo formaliter, vt actione pducitur intellectio: iste dicitur actus intelligendi,seu actus qui producitur.

Intellectio obiectũ rum habet rias relationes.

Iste verò actus intelligẽdi, qui producitur, habet varios respectus, secundùm doctrinam subtilissimam nostri Doctoris quodl. 13. vt etiam supra diximus dist. 3. Cognitio enim alia est intuitiua,alia abstractiua. Intuitiua cognitio necessariò habet annexam relationem realẽ actualem ad ipsum obiectum, vnam mensurati ad mensuram, alteram relationem attingentiæ, quæ relatio est vniẽtis formaliter in ratione medij ad terminum. Illa relatio mensurati ad mensuram in intuitiua intellectiua, duplex est: vna ad intellectum,cui fit per mensuram certitudo; & hæc est relatio rationis: altera ad ipsam mensuram, puta ad obiectũ, per quam fit intellectui certitudo;& hæc est relatio realis. Cognitio abstractiua non habet relationem realem actualem ad obiectũ,quia relatio actualis realis, requirit terminum realẽ actualem;habet tñ relationem realẽ potentialẽ, idq; tñ relationem mensurati seu dependentiæ, non autẽ relationem attingentiæ, de quo fusissimè vide in prædicta quæstione quodlibetica.Cùm ergo intellectio tam intuitiua quàm abstractiua, dicat relationẽ mẽsurati ad obiectũ; ista relatio cùm realiter identificetur notitiæ simplici qualitati,& penes hoc dicatur notitia similis obiecto cognito: similitudo notitiæ ad obiectum, non ponet aliquid distinctum à notitia,vel causatum ab illa. His suppositis sit

Intellectio nō est actio productiua alicuius termini.

Prima Cõcl.Intellectio nō est actio productiua alicuius termini. Probat Primò. Quia actio formaliter est relatio, vt aliàs est ostensum;sed intellectio non est formaliter relatio,sed qualitas,vt dictum est dist. 3.q.7. licèt includat relationem concomitanter,vt etiam dictum est: ergo &c.

Secundò. Quia relatio non importat vt sic, perfectionẽ vltimã;intellectio aũt,sicut oĩs operatio immanens, est vltima perfectio naturæ absolutæ operantis, vt dicit Arist. 1. Ethic.c.9.& 9.Metaph.text.16. ergo intellectio, sicut & quæuis operatio immanens, non est relatio; ac per consequens,nec actio de genere actionis.

Tertiò.Quia actio de genere actionis non perficit agẽs, sed passũ; quia actione aliqua perfectio passo cõicatur,sed intellectio perficit ipsum intelligentem,vt docet Arist.locis citatis; ergo intellectio non est actio de genere actionis.

Dices. Nonne apertè Arist.9.Metaph.tex.16. visionem, & speculationem actionem nominat?

Respondet ibidem in Commento subtilissimè Doctor, Licèt sit duplex actus secundus intellectus;quidam productiuus, & quidã productus; & prior propriè dicitur actus productiuus,seu actio de genere actionis, secundus autem propriè dicitur operatio intrinseca & immanens,qua ipsũ operans perficitur vltimatè: iste tamen actus,qui propriè dicitur operatio,quandoq. actio nominatur:habet.n.duas conditiones,in quibus conuenit cum actione: prima est,q semper est in fieri: non dico fieri successiuè, quia operatio est indiuisibilis, sed sic est in fieri, quia in continua dependentia est ad eandem causam,& secundùm idem; sicut est dependentia rei conseruatæ ad causam conseruatam:secũda conditio est,quòd operatio transit in obiectum,sicut in terminum, licèt non accipientem esse per ipsam (in hoc enim deficit à vera actione) sed præsuppositum in suo esse: & propter istas duas conditiones, operatio potest dici, & ab Aristotele vocatur actio; sicut propter easdem dicitur actus secundus.

Intellectio cur dicitur actio quandoque.

Probatur Quartò. Actio vera de genere actionis, non potest intelligi, quin de necessitate intelligatur terminus, nec potest poni,quin necessariò ponatur terminus,sed potest intelligi,imò & esse,intellectio absq. vlla productione alicuius alterius ad intra: ergo &c. Maior. Tum quia actio est relatio; at relatio non potest esse,nec intelligi, sine termino.Tum quia non potest intelligi creata actio,sine motu,vel mutatione: omnis autem motus, vel mutatio,de necessitate est ad aliquam formam per se, ex his; vel ad substantialem,vel ad quantitatem, vel ad qualitatem, vel ad vbi: ergo intellectio,si est actio,debet esse coniuncta motui vel mutationi,motus autem & mutatio, secundũ Philosophum solùm est ad quatuor genera prædicta: ergo & intellectio erit. Tum quia,ita se habet actio productiua ad productum,sicut motus ad mobile,vel causa in actu ad essentiam in actu: sed nec motus absq. mobili, nec causa in actu absq. essentia in actu, intelligi potest,nedum esse: ergo nec actio sine termino producto. Minor conceditur à Thomistis,& probatur. Tum quia experiẽtia docuit intelligere nos intellectionem de aliquo obiecto, & præter illã intellectionem nihil nos habere de illo obiecto:ergo intellectio potest intelligi absq. productione alicuius per illam. Tum quia possumus cõfusam notitiam habere de aliquo, illa autem notitia confusa,non generat formam expresã, seu verbum formaliter repræsentans, ac distinctè obiectũ, vt etiam Thomistæ concedunt: ergo potest esse intellectio absque productione illius termini. Imò mirum videtur, quòd possim cognoscere distinctè quamlibet intellectionem meam, quam habui de varijs obiectis; & in tali cognitione quòd non occurrant illi termini producti.

Quintò. Actus intelligendi,seu intellectiones,sunt causæ habitus acqsiti sciẽtifici,siue speculatiui siue practici,vt cõcedit ab oĩb.:ergo nō sũt actiones pductiuę. Cõseq. Quia actio vt actio,nō est causa,sed potiùs causatio,seu pductio.

Verbũ creatum non distinguitur ab intellectione.

Secunda Conclusio. Verbum non est aliquid realiter distinctum ab intellectione,per illam productum. Probatur Primò. Intellectio non est actio productiua alicuius termini,vt probatum est: ergo nec similitudo illa expressa,quæ ab aduersarijs dicitur verbum,potest produci. Cõsequentia est necessaria,subsumendo particularem propositionem negatam,sub vniuersali negata.

Secundò. Illa similitudo expressa obiecti, quæ dicitur verbum,ponitur propterea, vt inter cognoscentem, & cognitum sit similitudo: ergo ponitur frustra. Antecedens conceditur à Zumel. Conclusione 1. alijsque Thomistis communiter. Consequentia probatur. Tum quia intellectio, cùm causetur ab intellectu & obiecto, ex ratione

talis intellectionis, quia eſt de tali obiecto,& cauſata partialiter à tali obiecto, vt dicitur ſuppoſitione 1. eſt ſeipſa ſimilis obiecto : & ita fruſtra confingitur ſimilitudo realiter diſtincta . Tum quia relatio illa intrinſeca in actu intelligendi, & identificata realiter intellectioni, relatio inquam menſurati ad obiectum vt ad menſuram,vt dicitur ſuppoſitione 2. ſufficit ad hoc , vt actus ſit ſimilis obiecto, imò relatio illa eſt ſimilitudo; ergo confingitur fruſtra.

Tertiò. Illud verbum , vt realiter diſtinctum ab intellectione, vel eſt quid abſolutum tantùm,vel quid relatiuũ , vel eſt abſolutum & relatiuum : non abſolutum tantùm : Tum quia non includeret ſimilitudinem ad obiectum, & conſequenter non eſſet verbum: Tum quia ſicut illud abſolutum ſeipſo eſt ſimile obiecto , ita diceretur de intellectione. Non relatio tantùm : Tum quia ad relationem (præter vbi) non eſt motus & nec mutatio per ſe vniuerſaliter, & abſque gloſſa, ſecundùm Thomiſtas,iſta autem actio per ſe terminaretur ad talem relationem , quæ non eſſet vbi : Tum quia verbum creatum, debet eſſe repræſentatiuum verbi Diuini,vt communiter diſt.præſenti docent Theologi : verbum autem Diuinum non eſt ſola relatio, vt certiſſimum eſt. Non vtrumque ſimul: quia vel illud abſolutum cum relatiuo eſt idem realiter, & diſtinctum tantùm formaliter; vel ſunt diſtincta realiter : ſi vnum realiter : ergo qua ratione illud abſolutum reale , poteſt ſimilitudine reali ſibi identificata realiter, eſſe ſimile obiecto; pari modo poteſt ipſa intellectio , ſeu notitia illa producta , eſſe ſimilis obiecto , ſimilitudine ſibi adæquata: Deinde, ſequitur illud ridiculum & inconueniens , quod illi malè contra Scotum torquent , triplicem eſſe actum ſecundum intellectus * vnum , dicere ſeu producere: alterum, ipſam notitiam productam : tertiò, iſtud verbum : ſi autem diſtinguatur ratio abſoluti à ratione relatiua in verbo realiter ; tunc primò , quatuor erunt actus intellectus , & per ſe ordinati , quod eſt magis inconueniens ; Deinde ad relationem per ſe erit mutatio ; Et reuera videntur Thomiſtæ, (docendo quòd verbum ſit ipſa ſimilitudo expreſſa, ſeu diſtinctè repræſentans obiectum) apertè concedere , quòd verbum productum per intellectionem ſit ſola relatio ; atque ita relatio ſimilitudinis per ſe producitur, contra Ariſtotelem.

Quartò . Ita ſe habet intellectus ad intelligere , ſicut ſenſus ad ſentire ; ſed per ſentire, vt per videre, præter ipſum videre ſeu viſionem, nulla vlteriùs forma producitur in ſenſu: ergo nec per intelligere in intellectu . Et Confirmatur . Quia vtraque eſt operatio immanens, & vtraque requirit ſimilitudinem ad obiectum.

Quintò . Per operationes intra manentes nihil producitur; ſed intellectiones ſunt operationes intra manentes ; ergo per eas nihil producitur. Maior eſt apertè Ariſtotelis 9.Met.tex.16. vbi in hoc diſtinguit operationes immanẽtes à tranſeuntibus, quòd per immanentes nihil producitur, ſed ipſæ ſint finis vltimus: vnde dicit ibi; & fælicitas ipſa eſt in operatione immanente, nempe ſpeculatione ſubſtantiarum abſtractarum , vt dicitur 1.& 10. Ethicor. per tranſeuntes autem actus, aliquod opus aliud producitur . Ex quo loco poteſt ibi haberi triplex huius propoſitionis confirmatio. Primò. Quia coniungit ibi, ſicut viſio in vidẽte, & ſpeculatio in ſpeculante ; ſed per viſionem vt dictum eſt, nihil producitur ; ergo nec per ſpeculationem , ſeu intellectionem. Secundò, docet illos eſſe actus vltimos; ſed ſi intellectio ſit productiua alterius actus , intellectio quæ eſt operatio immanens, non erit actus vltimus contra Ariſtotelem; ergo, &c. Tertiò docet illos actus eſſe ſimpliciter vltimos , & nullius productiuos : quia dat exemplum de fælicitate, quæ ſimpliciter eſt vltima operatio, nullius productiua : Ac proinde falſa eſt gloſſa Caietani, quòd operatio immanens, nullius ſit ad extra productiua, non autem ad intra : quia de productione ad intra intelligit Philoſophus, vt patet ex probationibus, ex ipſomet textu euidenter deductis.

Sextò . Illa forma expreſſa, vel eſt ſimilitudo expreſſa , ita, vt ſit cognita, & ratio cognoſcendi obiectum diſtinctè; vel vt ſit ratio cognoſcendi tantùm, & non cognita : ſi primum ; quomodo tot Theologi cognoſcentes multa , cognitione tum definitiua, tum enunciatiua, non cognoſcũt ſe talia duo habere, & intellectionem ſcilicet, & illam expreſſam ſimilitudinem ? ego ingenuè fateor, quòd in me id non experiar, & reuera experientiam certam nemo auderet impugnare ; deinde in cognitione intuitiua , primò ſemper verbum cognoſcerem, quàm rem viſam. Si ſecundum ; ergo verbum eſt ſpecies , quia ſpecies eſt ratio cognoſcendi in ſe, non cognita.

Tertia Cõcluſio. Actualis intellectio producta, eſt verbum . An autem omnis intellectio ſit verbum, dicitur ſequenti articulo. Interim Concluſio patet . Primò ex ſufficienti reiectione prioris Opinionis. Quia cùm iſtæ videãtur duæ probabiles viæ, verbum eſſe vel actualem intellectionem , vel quid per eam productum; & oſtenſa ſit improbabilitas illius producti per intellectionem, conſequẽs eſt, quòd ipſa intellectio ſit verbum. Intellectio producta Verbum.

Secũdò. Verbum eſt actus intellectus, productus à memoria perfecta, non habens eſſe ſine actuali intellectione, repræſentans Verbum Diuinum. Sed iſta ſoli intellectioni actuali conueniunt; ergo illa ſola eſt verbum . Maior eſt Auguſtini, vt patet in litera Doctoris. Minor patet diſcurrenti per ſingula ; ſola enim intellectio producitur à memoria; illud verò confictum ab intellectione, dicitur produci, non à memoria; deinde repræſentat verbum Diuinũ intellectio actualis , vt dictum eſt diſt.3.q.de imagine. Et ſicut in Diuinis , verbũ non eſt quid productum intellectione eſſentiali, ſed memoria fæcunda, vt d.2.parte 2.declaratum eſt ; ita verbum creatum, non intellectione, ſed memoria producitur, & ſicut nihil primò producitur verbo in Diuinis , ita nihil primò producitur intellectione in memoria, &c.

Tertiò probo ijſdẽ medijs ex oppoſito, quibus aduerſarij improbant hanc Concluſionem. Primò. Ad intelligẽdũ requiritur aliqua actualis ſimilitudo in intellectu, ſe tenens ex parte obiecti; ſed iſta ſimilitudo eſt actus intelligẽdi, vt patet ex duplici ſuppoſitione, & rõne ſecũda Cõcluſionis ſecundæ; iſta aũt ſimilitudo eſt verbũ: ergo actus intelligendi eſt verbũ. Secundò dicunt illi: Verbũ ad hoc ponitur, vt in illo tanq̃ in imagine cognoſcatur obiectũ, quod eſt extra. Infero ego. Sed actus intelligendi eſt talis, ꝙ in illo, tanq̃ in imagine, cognoſcitur obiectũ, quia ſecluſo per intellectum quocunq; alio ab actu intelligendi, adhuc habendo talem actum, poſſum illo actu cognito, cognoſcere obiectum, quia ille actus eſt talis obiecti, determinatus ad illud tali relatione , vt dixi ſuppoſitione.2. Tertiò . Beati vident Deum , & ſicut per viſionem creatam vident , ita per verbum creatum vident, & habent verbum creatum, nec inde vllum eſt inconueniens. Præterea. Effectus realiter diſtinguitur à cauſa ; ſed verbum non eſt effectus intellectionis , quia intellectio , non eſt productiua, vt dixi Concluſione. 2. ergo verbum eſt potiùs ipſa intellectio. Tandem dicunt: verbum ex propria ratione eſt ſimilitudo rei intellectæ , ſed à parte rei, actus intelligendi , ſiue intellectio , eſt ſimilitudo rei intellectæ , vt oſtenſum eſt : ergo, &c.

Hinc facilis eſt ſolutio rationum in principio Dubitationis adductarum . Ad Primam . Nego Minorem . Ad Primam probationem . Sicut in verbo vocali , actio qua profero terminum homo, non eſt verbum, ſed ipſe terminus prolatus eſt verbum; ita in verbo mentali, actio qua produco intellectionem, ſeu elicitio intellectionis, non eſt verbum, ſed ipſa intellectio hominis, eſt verbum . Ad Secundam probationem . Antècedens eſt falſum : & patet inductione in viſione , auditione , guſtatione , vbi actus ſunt ſimiles obiecti , à quibus vt à principijs partialiter producuntur . Exemplum de calefactione , non eſt ad propoſitum . Quia calefactio eſt actio , nos autem , non actum intellectus productiuum , verbum dicimus , ſed ipſam notitiam productam : ac proinde , ſicut calor eſt ſimilis ſimilitudine vniuoca vera calori producenti , ita intellectio eſt ſimilis rei intellectæ , ſimilitudine vniuoca , ſed diminuta , de qua diminuta vniuocatione , vide dicta quæſt. vltim. prologi prope finem .

Ad Secũdũ. Si in Minori ſumatur videre & intelligere, pro-

producere visionem vel intellectionem; verum est: sed nõ est ad propositum; quia non sic intelligere dicimus esse verbum: si verò, pro visionem & intellectionem habere: falsa est Minor.

Ad Primam Confirmationem. Soli aduersarij vtuntur illa propositione, ac proinde, sicut Conclusio eorum, ita & illa enunciatio, ab alijs meritò non admittitur. Ad Secūdū. Non est vanum, vt certam, ita dubiam vel falsam sententiam ad disputandum proponere, vt sicut illius veritas, ita harum probabilitas vel falsitas magis innotescat.

Tertium argumentum totum concedo: & negatur quòd hoc sit inconueniens, de quo Deo duce in 4. libro.

Ad Quartum. Nego consequentiam. Et probatio illius est nulla, Quando vlteriùs arguitur. *Si dicas.* Verbum non est ille actus intelligēdi, qui præcedit dicere, &c. Dico. Totus ille discursus, est vltra hominem, nõ ad hominem; quia nullus actus intelligendi, secùndùm doctrinam Scoti est, qui pręcedat suum dicere, sicut nulla res est producta, quę pręcedat suā productionem; atque ita omnis notitia genita, imò omnis notitia creata (quia nulla creata intellectio est ingenita & improducta) non præcedit, sed sequitur dicere. Ac proinde, solus ibi actus dicendi, seu producendi intellectionem non est verbum, sed ipsa intellectio est Verbum.

Ad Quintum. Nego Minorem.

Ad Sextum. Intellectio producta, est res de genere qualitatis; vt dictum est dist. 3. q. 7. productio tñ intellectionis, seu actus dicendi, est res de genere actionis: ac proinde, iste actus non est verbum, vt probat ratio, sed bene intellectio producta est verbum.

Ad Septimum. Consequentia est nulla. Non enim intellectio quæcunque, sed producta, est verbum; intellectio verò essentialis, & improducta, est idem Patri & Filio, ipse verò Filius, est intellectio genita, siue verbum.

Ad Octauum. Dictum est in resolutione dubitationis, ꝙ intellectio formaliter, vt est intellectio, est quidem absolutum; necessariò tamen connotans relationem mensurati ad obiectum mensurans, ratione cuius, de necessitate intellectio habet annexam sibi similitudinem, ad obiectum identificatum realiter.

Ad Nonum. Quia illa argumentatio Caietani, ex varijs dictis Doctoris, nõ paucis Thomistis placet, ostendo, apertè ꝙ ea sit nulla, & quadrupliciter deficit. Primò. Quia illa Maior propositio, (vt apertè vult Doctor in 2. dist. 1. q. 1. ar. 3.) hoc vult alijs verbis ibidem appositis, ꝙ negato aliquo necessariò priori, quod suum principium necessariò consequatur, sicut voluntatem Diuinam fæcundam Patris & Filij, necessariò consequitur productio intrinseca, ꝙ producant Spiritum Sanctum; negata igitur ab aliquo Philosopho ista productione, posset secundùm illum non sequi negatio posterioris, nēpe negatio productionis ad extra; quia productio ad extra, non dependet in aliquo genere causę à productione ab intra, secundùm Philosophum; ergo cùm dicere sit priùs quàm intelligere, negato priori (debet sic Caietanus comparare) nēpe negato per impossibile dicere, posset ab aliquo proteruiente non negari posterius, nempe intelligere. Sicut tamen ibi falsò negaretur, quia impossibile est non priorem esse intrinsecam productionem in Deo omnibus extrinsecis, ita hic falsò & impossibiliter negaretur dicere, ante intellectionem, quia intellectio cùm sit res producta, productio autem idem est quod dicere, seu actus dicendi, antecedens falsò negaretur. Ex tali verò discursu contra Philosophos proteruos, nihil contra Doctorē colligitur, vt patet.

Secundò deficit comparatio. Quia esto quòd essentialior sit comparatio vtriusque effectus ad causam, quàm inter se; tamen inter ipsos istos effectus, dicere & intelligere, est essentialis comparatio & dependentia; hoc enim dat ly essentialior, intelligere, ꝙ quamuis essentialis sit aliquorum effectuum inter se cōparatio, & non possibilis separari, imò implicat contradictionem separari, vt dicere ab intelligere, ita intelligere à dicere, quin dicere pręcedat: essentialior tamen est comparatio ad causam, quia magis repugnat esse effectum sine causa efficiente, quàm vnum effectum sine alio, quamuis & hoc repugnet. Et ita apertissimè intelligit Maiorem illā propositionem Doctor loco allegato, vt legēti patebit. Ex Maiori autē & Minori sic intellecta, infertur hanc Conclusionē, Ergo si per impossibile subtrahatur intelligere, possibile est non subtrahi dicere: est apertè contradicere præmissis, quia in illis intelligebatur vtrumque impossibile, nēpe, & effectum vnum subordinatum essentialiter alteri, separari ab altero; & vtrumque effectū à causa, magis tamen impossibile effectum separari à causa, quàm effectum ab effectu. Sed debet inferri. Ergo per impossibile subtracto elicere, quod minùs est impossibile (sed tamen impossibile) intelligere esse absque dicere, vel dicere absque intelligere, quàm vtramque absque causa producente; quod verum est.

Tertiò deficit in Minori, cùm dicit, dicere & intelligere esse effectus ordinatos, & neutrū est causa alterius: vtrumque imponitur Doctori Subt. Primum quidem, quia licèt concedat Doctor, dicere & intelligere esse duos actus intellectus, non tamen dicit vllibi duos esse effectus; nam esse effectum & productum, sunt idē: dicere aūt nõ est esse productū, sed est esse actionem seu productionem formaliter, qua productione intellectio producitur, intellectio igitur verè est effectus productus; sed dictio non est effectus productus, quia alia actione produceretur, & sic in infinitum, sed est illud formaliter, quo vt actu intellectio producitur: aliud igitur est esse actionē qua effectus producitur, aliud esse effectū. Secundum, dato ꝙ sint duo effectus, adhuc negatur, ꝙ vnū non sit causa alterius; nā sicut informatio formæ, ad genus causæ formalis reuocatur, motio illa Metaphorica finis, ad causam finalem: ita ipsa productio, qua causa efficiens producit, siue effectio & actio, qua agens dicitur actu agere, ad genus causę efficientis reuocatur. Cùm igitur dicere sit actio, & productio respectu intellectionis, verè causalitatem habebit respectu illius, & ad genus causæ pertinebit: imò cùm actio seu productio sit causalitas causæ agentis seu producentis, ita essentialem ordinem intelligere habebit ad dicere, sicut ad ipsam causam producentem.

Quartò. Vel illa consequentia, ꝙ dicere possit esse absque intellectione, est impossibilis apud Caietanum, ex hoc, quia ista sunt idē realiter: & hoc est falsum: quia dicere est actio de genere actionis, intellectio aūt est qualitas, quæ distinguitur realiter; vel quia dicere, cùm sit actio, debet necessariò habere terminū: & sic secundùm Caietanū, dicere, põt esse absq; intellectione, quia ille concedit actionē (puta intellectionem, quæ secundùm illum est actio, vt visum est in corpore dubitationis) posse esse absque termino: ergo & dicere potest esse absque intelligere, quod est impossibile secundùm te: & per consequens, actionem posse esse absque termino, deberes dicere esse impossibile.

ARTICVLVS TERTIVS.

Notitia actualis, non quæcunque, sed genita, est verbum.

Sed restat dubitatio vlteriùs. Vtrum quælibet intellectio, &c.

SVMMA TEXTVS.

In priori parte meminit Opinionis Henrici Gandau. dicentis quodl. 2. q. 6. quòd non omnis notitia, sed declaratiua, sit verbum. 1. Opinio.

Contra. In Patre est notitia declaratiua, quia notitia essentialis est declaratiua, & essentiæ, & suppositi Patris; ergo illa notitia essentialis erit verbum. Plura cõtra hanc Opinionem vide art. 1 & supra, dist. 2. q. 7.

Secundò refertur Opinio, quorundam antiquorum dicentiū, in nobis esse triplicem notitiam: vnam simplicem & confusam; alteram inquisitiuam, qua inquirimus perfectiorem notitiam de obiecto; tandem tertiò perfectam notitiam, & formatam, quæ est terminus notitiæ inquisitiuæ. Istam igitur notitiam explicitam, quæ est terminus inquisitiuę, dicebant esse verbum. Istā Opinionem bene post tempora Scoti, secutus est Gerard. Senē dist. præsenti. q. 2. art. 2. sed optimè & efficacissimè reijcitur hæc sententia, quatuor rationibus in textu adductis. 2. Opinio.

Tertiò mens propria aperitur. Non omnē intellectionem esse verbū. Quia alias cùm in Spiritu Sācto sit formaliter intellectio Notitia producta est Verbum.

 essentialis

essentialis ingenita, Spiritus Sanctus esset verbum; sed sola notitia genita est verbum. Hoc tamen dictum non ita accipias, vt accipiebat Zumel, loco supra allegato, quasi verò in creatura distinguamus vnam naturam genitam, alteram dicere, tertiam verò præcedentem dicere: sed notitia in communi, & transcendentaliter sumpta, quædam est improducta, vt Diuina essentialis; quædam producta, vt Diuina notionalis, seu Filius in Diuinis, & præterea omnis actualis notitia creaturæ, est producta, non improducta. Vt illi Diuinæ productæ, ita omni creatæ intellectioni conuenit esse verbum; & sicut intellectio alia est perfecta, alia imperfecta, ita verbum creatum, aliud est perfectum, aliud imperfectum, perfectissimum autem omni modo, est solum verbum Diuinum.

Verbū perfectū quod. *Quartò docetur, quòd cùm perfectam notitiam habeamus post confusam, & post inquisitionem factam per viam diuisionis & definitionis; meritò Sanctus Augustinus vult quòd notitia perfecta, per inquisitionem acquisita, dicitur verbum perfectum, non quòd non sit quæcunque notitia verbum, sed non sit perfectum verbum nisi perfecta notitia, quæ cōmuniter habetur per inquisitionem. Et cùm Diuinum verbum sit perfectissimum, & meliùs à verbo creato perfecto, quàm ab imperfecto repræsentetur verbum Diuinum; meritò cum Augustino dicere possumus, verbum perfectum creatum, repræsentans perfectè, solam esse notitiam perfectam; non tamen absolutè confusa non est verbum, sed non est perfectum verbum, secundùm eundem Augustinum. De hoc dicto vide fusiùs Doctorem in Report. dist. 27. q. 3.*

Quintò ostendit Doctor, quòd actus voluntatis, non sit de essentia verbi absolutè, nec formaliter, nec vt causa, nec concomitanter; ad verbum tamen perfectum creatum, requiritur nō formaliter, sed concomitanter, duplex actus voluntatis; vnus imperans inquisitionem illam perfectioris notitiæ, alter complacentiæ, & acquietationis in notitia perfecta inuenta, quatenus voluntas complacet in illa notitia.

SATISFIT PRINCIPALIBVS argumentis.

Ad Argumenta huius Quæstionis. Ad Primum patet, &c.

COMMENTARIVM.

ILlud quod dicitur in responsione ad Secundum, quòd vox non conceptum immediatè significet, sed quòd vtrumque sit signum, subordinatum tamen, ipsius rei significatæ, clariùs intelligitur ex dictis dist. 22. & confirmatio ex hoc potest sumi dictorum in dubitat. art. 2. quòd cùm intellectio seu conceptus interior, sit signum rei significatæ ex natura sua, superfluè quæritur aliqua superaddita similitudo intellectioni, qua intelligens sit similis obiecto intellecto.

QVÆSTIO II.

Vtrum Verbum in Diuinis dicat proprium personæ genitæ.

Quòd non. Augustinus 9 de Trinit. cap. 14. Verbum est, &c.

SVMMA TEXTVS.

Opinio proponitur Henrici de Gandau. eadem postea reijcitur. Omnia autem dicta tum Opinionis, tum contra Opinionem constant ex dictis dist. . q. 7. & in additis. Textus est clarus. Ipsa resolutio Doctoris his Conclusionibus constat.

Verbum in Diuinis est merè personale. Prima Conclusio. *Verbū in Diuinis est merè personale. Rō. Quia abstractū & concretū idē significant, (esto ꝙ aliquid cōnotet concretū, quod non connotat abstractū) sed abstractū verbi si daretur crasso modo loquendi, esset verbatio, seu productio passiua per modū intellectus ab alio; quod est personale nō essētiale; ergo & concretū verbū erit personale. Vide super hoc distinctionē 4. q. 1. Dubit. illā. Vtrū cōcretū solā formā importet.*

Ex hoc loco habes ꝙ malè Bassol. supra, in Diuinis negauit esse abstractum & concretum, seclusis imperfectionibus.

In hac Conclusione conueniunt communiter omnes Theologi, & Scotistæ & Thomistæ, & Nominales, præter solū Durandum dist. præsenti. q. 3. Et probari potest breuiter. Tum quia illud, quod dicit emanationem realem in Diuinis per memoriam, est personale non essentiale, quia essentiale ibi, nec producit nec producitur, vt dicitur dist. 5. sed verbum realiter emanat à memoria, vt dictum est supra sæpiùs; ergo est personale. Tum quia dicit Augustinus 7. de Trinit. Eo Verbum quo Filius; sed Filius est quid personale; ergo & Verbum.

Secunda Conclusio. *Ratio producendi Verbum Diuinum, seu principium formale Quo, non est intellectio essentialis Patris, sed memoria fæcunda eius, vt visum est dist. 2. q. 5. ar. 4.* Rō pr[...] cēdi V[...] diuin[...] est in[...] ctio.

Tertia Conclusio. *Verbum Diuinum non habet aliquid potentiale, vel quasi potentiale de quo producatur, sed immediatè producitur de substantia Patris, vt per se subsistens, vt dictum est distin. 5. q. 2. Vide fusiùs hæc pertractata à Subtili Doctore in Report. dist. præsen. q. 6. in responsione ad Primum.*

COMMENTARIVM.



ILlud verbum Augustini. Verbum est cū amore notitia: sic est accipiendum. Si sermo sit de verbo nostro perfecto, illud aliquomodo depēdet ab amore, seu ab actu voluntatis duplici, vt quæst. præced. ar. 3. propositione vltima, declaratum est; sed ille actus voluntatis, præsertim prior, conuenit nostro intellectui, ex imperfectione nostri intellectus, qui non statim naturaliter potest perfectam notitiam habere, sed eget imperio voluntatis; Verbum autem Diuinum, non est sic notitia, cum amore præuio, mandante inquisitiuam illam intellectionem; est tamen verbum Diuinum notitia producta aliquomodo cum amore, id est, quòd voluntas aliqualiter concurrat ad productionem Verbi, licèt non in ratione principij, secundùm modum explicatum d. 6. Verbū[...] nū no[...] bet a[...] poten[...] Verbu[...] cum a[...] notiti[...]

Circa illud dictum in responsione ad Tertium: ꝙ Verbum, relatio, & Filiatio, sint præcisè eadem, idemque significent, licèt connotata sint alia, intelligēdum est ꝙ sint formaliter eadem, etiam ex natura rei, non tantùm realiter. Nec tamen potest dici Secunda Persona cogitatio, sicut potest dici verbum, intellectio, notitia producta, Filius; vt bene aduertit 1. par. q. 62. mēb. 1. art. 5. Alensis; quia cogitatio ex vi nominis motum rationis, & volubilitatem intellectionum; volubilitas autem & motus dicunt imperfectionem, quod non cadit in Diuina: non sic nomina illa, verbum, Filius, &c. Verb[...] filiati[...] signifi[...]

QVÆSTIO III.

Vtrum Verbum in Diuinis dicat respectum ad creaturas.

Quòd sic. August. 5. de Trinit. cap. vltimo. Verbum est ars, &c.

SVMMA TEXTVS.

Narratur inprimis Opinio Gandau. quòd Verbum dicit respectum realem tum ad Patrem dicentem seu generantem, tum ad creaturam cuius verbum est declaratiuum: & ista relatio declaratiui in Verbo, respectu creaturæ est propria, & ex natura rei conueniens verbo, atque adeo est relatio realis; sed quòd nihil reale per comparationem ad creaturam possit Deo conuenire, & supra dist. 18. ostensum est & infra declaratur fusè dist. 35. ac proinde hæc sententia falsa. Propria Doctoris sententia his conclusionibus absoluitur.

Prima Conclusio. *Verbum Diuinum dicit duplicem respectum ad Patrem: vnum, expressi ad exprimentem, siue producti per memoriam ad producentem, siue geniti ad generantem (omnes enim istæ relationes eædem sunt & synonimæ) & talis respectus, est realis: alium, dicit respectum declaratiui ad declarantem, & iste est respectus rōnis, vt ēt infra dist.* Verbū[...] uinum[...] duplicē[...] spectu[...] Patrem[...]

dist.32. quæst.1.dicitur. Tum quia potest esse eiusdem ad se, quando Verbum etiam seipsum, & non tantùm alia declarat. Tum quia potest esse ad Essentiam, quia Verbum Diuinum declarat Essentiam. Tum quia potest esse ad creaturam; at neque relatio eiusdem ad se; nec suppositi Diuini ad Essentiam; nec Dei ad creaturam potest esse realis, sed rationis: ergo relatio declaratiui vel declarantis in Verbo, est relatio rationis.

Secunda Conclusio. *Istos duos respectus, non includit primò & per se Verbum. Ratio est. Quia sicut ens reale cum ente rationis, ita relatio realis cum relatione rationis, non faciunt aliquid vnum per se; cùm igitur Verbum Diuinum sit per se vnum, & vnum dicat conceptum, & sit verè ens reale, imò realissimum, consequens est, quòd sola relatio realis expressi ad exprimentem, erit constitutiua Personæ Verbi, & de ratione Verbi, non autem relatio rationis.*

erbū per , dicit re- tionē rea ,& conno it relatio- ērationis.

Tertia Conclusio. *Quamuis Verbum primò per se dicat relationem realem, vt dictum est, expressi ad exprimentem; tamen etiam connotat relationem declaratiui: & cùm declaret creaturam, & essentia Verbi sit ratio sibi declarandi omnẽ creaturam: bene communiter dicitur hìc à Theologis, tum Scotistis, tum Thomistis, eamque defendit S. Bonauentura hic. art. 2. q. 2. Alen. 1. par. q. 62. Richar. art. 2. q. 3. quòd Verbum dicat respectum rationis ad creaturas: atque ita apparet, quòd opposito modo dicat duas relationes Verbum & Donum: nam Donum primò per se respectum dicit rationis, relationem scilicet donabilitatis ad creaturas, & connotat relationem realem in supposito Diuino, per modum doni & amoris producto, nempe in Spiritu S. Verbum autem primò per se dicit relationem realem, expressi ad exprimentem, connotat verò relationem declaratiui, quæ relatio declaratiui, conuenit Verbo Diuino vniformiter cum alijs Personis Diuinis: per appropriationem tamen, sicut sapientia, ita & ratio declaratiui, communiter Filio attribuitur. Et ita manet soluta quæstio.*

An verò Verbum Diuinum producatur, non modò de notitia primarij obiecti, nempe Essentiæ Diuinæ, sed etiam de notitia obiecti secundarij, scilicet de Visione creaturæ in Essentia Dei; licèt communiter Thomistæ 1. part. q. 34. art. 3. cum Caietano concludant affirmatiuè, nos tamen commodiùs defendemus sententiam negatiuam in 2. dist. 1 q. 1.

DISTINCTIO XXVIII.

DE NOMINIBVS NOTIONALIBVS, & primò de ingenito, siue de innascibilitate.

QVÆSTIO I.

Vtrum ingenitum sit proprietas ipsius Patris.

Quòd non. Primò, sic. Nulla proprietas, &c.

SVMMA QVÆSTIONIS.

Ad istam Quæstionem. Dico: quòd duo sunt videnda. Primò, qualiter ingenitum soli Patri conueniat; & Secundò quomodo possit esse proprietas, cùm videatur tantùm negationem importare.

ARTICVLVS PRIMVS.

Qualiter ingenitum soli Patri conueniat?

Quantùm ad primum. Dico, &c.

SVMMA TEXTVS.

Præsupponuntur tres acceptiones huius termini, genitum: Deinde assignantur aliæ tres acceptiones priuationis. Tandem distinguitur duplex negatio, extra genus & in genere. Ista autem distinctio horum nominum præmittitur, vt ostendatur, quòd iste terminus, ingenitum, multiplicem possit habere acceptionem, tres quidem secundùm rationem triplicem, tripliciter genito sumpto, oppositam, vel secundùm triplicem priuationem, aut duplicem negationem. Omnis enim dictio ex aliquo multiplici (quando scilicet positiuum habet varium sensum, vt habet genitum, triplicem) & particula priuatiua, (puta in) est dupliciter multiplex, scilicet multiplicitate, & affirmationis illius positiui, & multiplicitate priuationis; ac proinde ingenitum erit multiplex, & multiplicitate eius quod est genitum, & multiplicitate priuationis. Sicut in consimili Philosophus 5. Metaph. tex. 17. impotentiam distinguit & multiplicite potentiæ, & multiplicitate priuationis.

In secunda parte applicat ad propositum, in quo sensu ingenitum dicitur de Patre, in quo non.

COMMENTARIVM.



Q Vamuis litera non sit obscura, pro iunioribus tñ potest exponi breuiter, sic. Genitũ in Diuinis põt accipi, vel pro primo termino producto per generationẽ; iste aũt terminus primus productus per generationem, est solus Filius in Diuinis: vel secundò, pro termino formali generationis: terminus autem formalis generationis, est ipsa essentia communicata, & idẽ est genitum quod cõicatum: vel tertiò sumitur pro producto in communi, quod est ab alio productum, siue per generationem, siue per spirationem, siue quocunq; imaginabili modo, & sic esse genitũ, cõuenit Spiritui Sancto. Tertia acceptio geniti, est improprijssima, & secunda valde impropria, prima sola propria & germana. Priuatio põt accipi tripliciter. Vno modo proprijssimè, quando est aliquid aptum natum habere aliquã perfectionem tali loco, tempore, & alijs circumstãtijs seruatis, & caret illa, vt aer priuatus lumine in meridie. Secũdò, impropriè & cõmuniter, quãdo aliquid caret perfectione, quam aptum est habere, non tamen tali tempore. Sic catulus impropriè dicitur cæcus, ante nonum diem. Tertio communissimè, & improprijssimè, vt si secundùm se aliquid non est aptum habere talem perfectionem, sed sm̃ genus suũ; sic talpa dicitur cæca, quæ secundũ speciem suam non est apta habere visionem, sed quatenus est animal, apta est. Et isto improprijssimo modo priuatio habet gradus, magis magisque à proprijssima rõne priuationis deficientes: tot. n. habet modos, quot habet communia supra se illius: quia si aliquid aptum est haberi à corpore, à substantia, ab ente, adhuc aliqua infima species dicitur illo priuari; sic lapis priuatur anima, spiritualitate, infinitate, quia vt corpus aptum est esse animatum, ita substantia potest esse spiritualis; ita ens infinitum.

Priuatio trĩ pliciter accipitur.

Negatio duplex est. Alia simpliciter & extra genus, per quam absolutè dicitur quòd hoc non est illud; alia est negatio infinitans, siue in genere, per quam aliquid negatur non absolutè, sed intra metas alicuius generis, sicut cæcum dr̃, quod non habet visum, non tamen omne non habens visum, est cæcum, sed in genere animalium. Vnde bene dicitur à Doctore in præsenti in litera, & 4. Metaph. (contra Lichetum hìc) quòd negatio extra genus, potest verificari, tam de non ente, quod non est natum habere affirmationem, quàm de ente, quod est aptum habere, & non habet; tam enim chymera, quàm lapis, quàm etiam homo, potest dici non videns; non sic autem de priuatione,

Negatio duplex.

quæ est negatio intra genus, quia non omne non videns potest dici cæcum, sed solum, quod est aptum natum habere visionem; siue ista aptitudo sit secundùm propriam rationem, siue secundùm genericam, vel aliquam communem, sicut quod inter negationem in genere, & priuationem secundùm genus, non est aliqua differentia in re, vt dicit Doctor hic,& in Report.quæst.præsenti.

Ingenitum,quantùm ad præsens attinet, accipitur quadrupliciter.

Ingenitum quadrupliciter accipitur.

Primò. Vt ingenitum sit idem, quod aptum est aptitudine proxima esse genitum,accipiẽdo genitum primo modo,& tamen non est; & tale ingenitum nullum est in Diuinis, cùm intrinsecam dicat imperfectionem, imò omne quod aptum est esse ibi,summè & necessariò est.

Secundo modo accipitur ingenitum, pro illo quod secundùm rationem communem personæ,carentiam habet geniti primo modo accepti; id est,quia non est productũ suppositum per generationem,vt Filius producitur; & sic Pater & Spiritus S.est ingenitus, Essentia autem non est sic ingenita,quia non est subsistens.

Tertio modo sumitur ingenitum, pro non communicato, cui secundùm rationem communem non repugnat communicari; sic Essentia vt in Patre est, potest dici ingenita, quia non communicata, cui non repugnat communicari Filio,& Spiritui Sancto.

Quarto modo sumitur ingenitum,pro eodem quod nõ est improductum subsistens, quod simpliciter non producatur,nec per generationem,nec per spirationem: & isto modo solus Pater est ingenitus; & sic esse ingenitum est proprietas Patris.

Et sic est litera intelligenda Doctoris.

Aliter tamen faciliùs & breuiùs iuxta prædictas distinctiones responderi posset. Quando dicitur solus Pater est ingenitus,ly ingenitus,non accipitur,primò pro negatione in genere secundo modo dicta, geniti primo modo dicti; quia sic ingenitum conuenit Spiritui Sancto: nec accipitur pro negatione in genere tertio modo dicta, geniti ipsius secundo modo dicti; quia sic soli Essentiæ, non absolutè,sed vt in Patre est, conuenit esse ingenitum; sed accipitur ingenitum pro negatione geniti quarto modo accepti, vt idem sit ingenitum, quod improductum vllo modo,& sic Patri conuenit.Deinde ly ingenitum,vt est distinguibile per negationem in, non accipitur in præsenti, pro priuatione primo vel secundo modo dicta, quia ista dicũt imperfectionem,sed accipitur pro negatione in genere, quæ etiam impropriissimè dicitur priuatio secundùm genus,abstrahens ab imperfectione.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Quomodo ingenitum potest esse proprietas,cùm videatur tantùm negationem importare.

De secundo Articulo dicunt aliqui,&c.

SVMMA TEXTVS.

Referuntur, & impugnantur duæ Opiniones. Et prior quidem Opinio est S.Bonauenturæ dist.præsen.q.1.& 2.Illa autem Opinio secunda, quæ docet ingenitum dicere negationem; sed connotare hoc positiuum, esse à se: est alicuius antiquioris Theologi,cuius meminit (sicut & præcedentis,quam sequitur S.Bonauen.) Alexander de Ales 1.par.q.69.mem.2.sed reijcit sicut & Doctor Subt.facit. Quamuis ille textus; Aliter dicitur, quòd,&c.*exclusiuè vsque ad,* Ideo videtur *&c.additio,& nõ pro vero textu Doctoris à multis habeatur.*

In secunda parte satisfacit quæstionibus dictis.

Prima Conclusio. *Ingenitum vt significat non esse productum est proprietas Patris Ratio est.Quia,ita Patri in Diuinis conuenit,quod nulli alteri supposito.*

Secunda Conclusio. *Ista proprietas licèt non dicat dignitatem & perfectionem simpliciter; sicut & qualibet alia proprietas personalis, non tamen dicit vllam indignitatem, quod sufficit ad proprietatem personalem.*

Tertia Cõcl. *Ingenitum potest dicere aliquomodo dignitatẽ, non formaliter ratione alicuius positiui, sed pro quanto indignitatis esset in prima persona,si opposita affirmatio(nempe esse genitum) poneretur in eo.*

Duo in præsenti textu indigent explicatione. Vnum est,quid sit notio:& quot notiones in Diuinis? quia hoc tangitur in argumento primo Doctoris, contra D.Bonauenturam. Alterum est,vtrum proprietas personalis constitutiua personæ, dicat aliquam perfectionem formaliter. De secundo dicetur aliàs: interim vide Doctorem in quodl q.5.De primo dicitur post solutionem argumentorum principalium.

COMMENTARIVM.

EX hoc loco optimè colligi potest, quòd quãuis Paternitas, Filiatio, & Spiratio passiua, non sint perfectiones simpliciter, & formaliter secundũ se, nec sint infinitæ, nec finitæ, (at identicè ex infinitate Essentiæ Diuinæ, cui relationes sunt idem realiter,sunt infinitæ) potest tñ cõcedi, quòd sint perfectiones personales, vel vt alij dicunt, ꝙ sint perfectiones relatiuæ,quarum quamlibet non est meliùs sub ente esse ipsam quàm non ipsam;sed in tali supposito,puta Patris,meliùs est esse Paternitatẽ, quàm nõ esse; & in supposito Diuino secundo, meliùs est esse Filiationẽ, quàm non esse: quod etsi verum sit, non tamen ideo relatio originis, erit formaliter infinita, vt dicitur quodlib. 5. vel perfectio simpliciter, vt dictum est dist.8.q.1.ac proinde modus ille medius,quo vtũtur quidam Neoterici,proprietates personales, non esse perfectiones simpliciter,nec abstrahere ab imperfectione,sed dicere perfectionem personalem & relatiuam, immeritò à quibusdam pro nouo vsurpatur,contra Scotum, vt patet ex præsenti textu. Fauet Doctori Subtili Herueus in 1.dist.2.q. 3. Gabr.in 1.d. 7.q.3.art.3.

RESPONDETVR AD ARGVMENTA principalia huius Quæstionis.

Ad Primum. Nego Minorem,&c.

COMMENTARIVM.

PRimum argumentum principale, ad istam formam debet redigi. Illud quod est commune Essentiæ, & Spiritui Sancto,non est proprietas Patris; sed esse ingenitum, est proprium Essentiæ & Spiritui Sancto; ergo non est proprietas Patris. Minor. Quia ad negatiuam de prædicato finito,sequitur affirmatiua de prædicato infinito,secundùm Aristotelem.2.Periher.vt,Homo non est iustus: est negatiua de prædicato finito:sequitur,Ergo hõ est non iustus;affirmatiua de prædicato infinito:& è cõtra,Ex affirmatiua de prædicato infinito, sequitᷣ negatiua de prędicato finito:ita in proposito,Essẽtia non est genita,est negatiua de prædicato finito;ergo essentia est non genita,est affirmatiua de prædicato infinito,atque ita ingenita.

Ad hoc argumentum, licèt possit dici secundùm dicta art.1. quòd in Minori æquiuocatio est in termino non genitum, vel ingenitum, quia acceptum ingenitum pro Patris proprietate,dicitur ingenitum improductum vt subsistens,seu vt primus terminus generationis;sed nec essentia est vt terminus primus generationis, seu subsistens subsistentia incommunicabili, nec Spiritus Sanctus est subsisiẽs improductum, sed in altero sensu accipitur ingenitum de Essentia,& de Spiritu Sancto,vt visum est art.1.

Doctor tamẽ Subtilis dat aliam solutionem formalem Logicam. Negando Minorem,quòd Essentia sit ingenita. Ad probationem ex 2.Periherm.quòd illa regula includitur in virtute illius primi principij: Contradictoria non possunt verificari de eodem; ergo si homo non est iustus, sequitur, quòd homo est non iustus; si enim ista negatiua non sequatur, sed affirmatiua hæc, Homo est iustus; verificantur simul de eodem homine duo contradictoria, iustus,& non iustus.

Dicit secundò, quòd illa propositio. Ex negatiua de prædicato finito,sequitur affirmatiua de prædicato infinito; vera est, de negatiua, si negatio sit extra genus; sicut ista, Homo non est iustus; est negatiua, negatione extra

extra genus, quia non iuſtum, conuenit enti & non enti; chymeræ & lapidi: de negatione autem in genere, non valet: & ſic in propoſito, ingenitum vt eſt proprium Patris, dicit negationem in genere, quia dicit non abſolutè non genitum, ſed non genitum in perſona: ac proinde, ex hoc antecedente negatiuo, negatione extra genus, Eſſentia non eſt genita: infertur iſta; Ergo Eſſentia eſt non genita: intelligendo negationem hìc extra genus: vera eſt, ſed intelligendo negationem infra genus, quòd non ſit producta, vt ſubſiſtens perſonale: ſic eſt falſa, quia eſſentia nō eſt ſubſiſtens perſonale.

Reſponſionem aliam vide ad iſtam propoſitionē eiuſque limitationem ſupra, diſt. 4. q. 2.

Dubitatur.

Vtrum in Diuinis ſint quinque notiones.

VIdetur quòd non. Primò. Quia Damaſcenus lib. 1. cap. 2. tres tātùm ponit, cùm inquit. In Diuinis omnia ſunt vnum, præter ingenerationem, generationem, & proceſſionem: ergo non eſt aliqua alia notio, Perſonam notificans propriè; hoc enim vult illa dictio excluſiua, præter.

Secundò. Inter notiones ponitur communiter ingenitum, ſeu innaſcibilitas: ſed iſta non eſt ponenda in Diuinis: ergo, &c. Minor eſt Ambroſij, vt adducit hìc Magiſter, lib. 4. de Spiritu Sancto. cap. 8. qui noluit vti hoc nomine, ingenitus, tanquam eò, quòd in ſcripturis non reperitur.

Nota Primò. Ex Doctore Subtili in Report. diſt. 29. q. 1. Notionem vno modo dici, pro eodem quod eſt cognitio actualis: ſecundo modo dicitur notio, ratio innoteſcēdi: ratio autem innoteſcendi, vt ad Diuina accommodamus, dicitur dupliciter: vel ratione Eſſentiæ, vel ratione Perſonæ. Priori modo ſumendo notionem, omnes perfectiones attributales ſunt notiones, ſecundùm Damaſcenū lib. 1. cap. 4. Et prima notio eſt Eſſentia, iuxta dicta diſt. 1. q. 2. ſecundo modo ſumpta notio, pro ratione innoteſcēdi ipſius perſonæ: ſumitur vel formaliter, id eſt, quæ ſit ratio quaſi formalis & intrinſeca ſuppoſiti, (vt ſuppoſitum eſt) & tales notiones ſunt tantùm tres, conſtituentes Perſonas, Paternitas ſcilicet, Filiatio, & ſpiratio paſſiua: vel ſumitur pro extrinſeca, quæ videlicet non ſit ratio conſtitutiua ſuppoſiti, ſed quaſi intelligitur conſequi ſuppoſitum conſtitutum in eſſe perſonali: & ſic ſunt duæ notiones: vna negatiua, Perſonæ primæ: & eſt innaſcibilitas, ſeu non eſſe productum ab alio: alia eſt poſitiua, conſequens perſonam primam, & ſecundam, vt ſpiratio actiua.

[…]otio quid ?

Ex quo conſtat quòd bene ab antiquioribus Scotiſtis tradatur illa notionis (quæ ad præſentem attinet materiā) reſcriptio. Notio eſt ratio innoteſcendi Perſonam Diuinā pertinens ad originem, ſecundùm propriam & ſpecialem rationem, poſitiuè vel negatiuè. Iſtud vltimum additur propter innaſcibilitatem, & negatiuum non qualecunque eſt notio, ſed negatiuum negatione intra genus. Ratio eſt. Quia debet eſſe tale negatiuum, pertinens ad originem, ſaltem connotando ſuppoſitum Patris. Dicitur, ſecundùm propriam & ſpecialem rationem: quia nec relatio, nec proprietas, nec origo in communi accepta, eſt notio: ſed hæc relatio, hæc origo.

[…]otiones […]iter quin[…] […]numeratur.

Nota Secūdò. Notiones cōiter à Theologis numerātur quinque: innaſcibilitas, Paternitas, Filiatio, Spiratio actiua, Spiratio paſſiua. Sufficientia ſic colligitur. Pater eſt Perſona nō ab alio, & à quo alius per generationē, & à quo alius per ſpirationem. In hoc quod dicitur non ab alio, eſt notio innaſcibilitatis: quod dicitur, à quo alius per generationem, intelligitur notio Paternitatis; cùm additur, & à quo alius per Spirationem, intelligitur ſpiratio actiua, quæ eſt communis notio Patri & Filio, inquantum Pater & Filius ſunt vnus Spirator Spiritus Sancti, & duo Spirantes. Filius item in Diuinis, eſt Perſona ab alio, per generationem: & ſic notatur notio Filiationis: & à quo alius per ſpirationem; intelligitur notio illa ſpirationis actiuæ communis. Præterea Spiritus Sanctus eſt, Perſona ab alio per proceſſionem, in quo intelligitur ſpiratio paſſiua Spiritus Sancti.

Ex his prædictis quinque notionibus, duæ ſunt propriæ Patris, vt innaſcibilitas & Paternitas, & tertia communis Patri & Filio, vt Spiratio actiua; quarta propria Verbo, puta Filiatio; & quinta propria Spiritui Sancto, ſpiratio nempe paſſiua; quatuor ſunt relationes, vt patet, & innaſcibilitas dicit formaliter negationem in genere, vt dictum eſt.

Ex his infero. Proprietatem, relationem, & notionem, habere ſe ſecundùm magis & minùs cōmune. Omnis enim proprietas conſtitutiua, eſt relatio, eſtque triplex tantùm, Paternitas, Filiatio, Spiratio paſſiua; Sed non omnis relatio eſt proprietas: quia ſpiratio actiua eſt relatio, nec tamen proprietas, ſed communis Patri & Filio. Omnis item relatio originis eſt notio, eſtque relatio quadruplex ſed non omnis notio eſt relatio; quia innaſcibilitas, non eſt relatio formaliter, licèt connotet ſuppoſitum relatiuum. — Proprietas relatio & notio habēt ſe ſecūdum magis & minus.

Nota Tertiò. Licèt communis ſententia nunc Theologorum teneat, quinque eſſe tātùm notiones, antiquitùs tamen, non ita iſta doctrina fuit propalata: ſed quidam tres tantùm notiones eſſe aſſerebant, accipiendo notiones pro proprietatibus conſtitutiuis: & ſic Anſelmus, & aliqualiter loco in principio adducto Damaſc. Paternitatem, Filiationem, & Spirationem paſſiuam, pro notionibus agnoſcebant: quòd tamen plures dici non debeant, id non affirmabant.

Authoritas tamen Damaſceni aliter explicari poteſt, vt explicat quæſtione ſequenti Doctor in reſponſ. ad argumentum principale. — Damaſc. de notionibus.

Tempore etiam S. Ambroſij, notio illa negatiua, ingenitum, vel innaſcibilitas, non fuit in vſu, vt modò. An tamen plures vel pauciores nunc ſtatuere poſſimus notiones, quàm quinque prædictas: optimè hac in parte dictum eſt à Doctore Irrefragabili 1. par. q. 68. mem. 2. ar. 2. opinari licere, ſed pertinaciter defendere, nequaquam licere. Idem videtur ſentire D. Thomas 1. par. q. 32. art. 4. Et ſic opinando Scotus dicit, quòd inſpiratum, eſſe Patrē & Filium, poſſet dicere ſextam notionem.

Scotiſta communem ſententiam de quinque notionibus teneat, & illatum tanquam inconueniens in ratione prima, contra primam Opinionem Articuli ſecundi hìc, quòd eſſent quinque notiones, ſubintellige poſitiuæ, quod communiter non conceditur, vt dictum eſt.

Nota Quartò. Inſpiratio, ſeu inſpiratum eſſe, conueniēs Patri & Filio, quia nec Pater, nec Filius ſpiratur, licèt ab aliquibus poſſit ſtatui eſſe notio ſexta; vt meminit Doctor Subt. in litera, & probabilem modum dat illam ſentētiam tuendi; meliùs tamen à Doctore noſtro (licèt ei oppoſitum Zoar. lib. 5. de Trinit. c. 10. attribuat) & à communi Schola Theologorum, negatur eſſe notio. Ratio huius eſt. Quia inſpirabilitas includitur in ingenito; quod enim eſt improductum vt ſubſiſtens, eſt improductum & per generationem, & per ſpirationem. Nec poteſt eſſe notio Filij. Quia non negat productionem paſſiuam, ſicut ingenitum; ſicut enim perſona, cuius aliqua notio eſt productio paſſiua, eſt ſimpliciter & abſolutè loquendo producta; ita Perſona, cuius aliqua notio, eſt negatio productionis, debet eſſe ſimpliciter, & abſolutè improducta; hoc autem non poteſt eſſe per inſpirabilitatem, quia Filius non eſt ſpiratus, & tamē productus; quia Filius non poteſt abſolutè dici inſpiratus (licèt non ſit ſpiratus) quia inſpiratum, dicere deberet abſolutè improductum per ſpirationem & per generationē, ſicut ingenitū, dicit abſolutè improductū, & per generationē, & per ſpirationē, qđ nō pōt dici reſpectu Filij. Et hæc reſponſio eſt melior, cur inſpirabilitas nō ſit notio, ſicut eſt innaſcibilitas, quàm illa, quæ ponitur in textu, in reſponſione ad 3. princip. quòd non dicat negationem, inſpirabilitas, ſicut dicit innaſcibilitas. Quæ reſponſio eſt Alenſis 1. p. q. 8. mem. 4. dubit. 4. & Baſſol. hìc. Illa verò prior, conformis eſt doctrinę S. Bonauent. diſt. pręſenti. q. 4. & Doctoris Subt. hìc. Doctorem noſtrum in hoc paſſu Vaſquez. 1. pa. diſ. 137. cap. 1. contra communem ſententiam determinaſſe allegat; ſed quàm fideliter, patet ex litera eius. — Inſpiratio non eſt notio ſecundū Docto.

Ad argumenta in principio Dubitationis adducta quid dicendum ſit, patet ex dictis Notabili. 3.

QVÆSTIO II.

Vtrum innascibilitas sit proprietas constitutiua primę Personæ in Diuinis.

Quòd sic, Damascenus, &c.

SVMMA TEXTVS.

Inprimis ponitur Opinio hæc. Antequam intelligatur Essentia Filio communicari, præintelligitur aliquomodo in aliquo supposito non communicata Essentia, seu quam habet non per communicationem; in illo igitur priori, intelligitur suppositum subsistens, habens Deitatem non per communicationem; & hoc est esse ingenitum; & cùm tale signum prioritatis, modo intelligendi antecedat productionem Filij, videtur etiam, quòd antecedat secundùm nostram considerationem, Patris proprietatem positiuam, nempe Paternitatis, quia ista est habitudo ad Filium, & ante productionem Filij; & consequenter, ante habitudinem ad Filium intelligitur aliquid esse improductum, & in aliquo supposito Essentia esse incommunicata; & per istam negationem, potest constitui Persona prima in ratione personæ. Probatur hæc Opinio triplici ratione, & triplici modo improbatur. Ex quibus improbationibus satis apertè constat, quod dictum est supra, rationem Personæ creatæ, probabilius secundùm sententiam huius Doctoris cōsistere in aliquo positiuo, quàm in negatiuo, quia istæ rationes, id apertè probant: esse tamen illas sicut & alias solubiles, apertè constat de creata persona, non sic de increata, vt visum est dist. 26.

Innascibilitas est proprietas Patris. *Conclusio igitur Doctoris in hac quæstione est. Innascibilitas, est proprietas Patris, nō tamen Personæ eius constitutiua. Quod clarius apparet ex quæstione sequenti, in qua determinatur de positiua proprietate, & fusissimè in quodl. q. 4.*

COMMENTARIVM.

Ingenitum formaliter dicit negationem in genere. IN responsione ad Primum argumentum pro Opinione. Nota singularem doctrinam. Quòd ingenitum formaliter dicit negationem in genere: connotat tamen subsistens suppositum, (ac proinde, in sola negatione tantùm consistere, & nihil vltra necessariò connotare innascibilitatem, secundùm doctrinā huius Doctoris, immeritò affirmat Vasquez 1. p. disp. 140. cap. 3.) quamuis illud suppositum sit ex ratione sua formali constitutiua in esse suppositi, vt relatiuum. Primò tamen per se significatur suppositum vt subsistens, per se autem non primò, suppositum relatiuum; & propter istas rationes suppositi vt subsistentis, & suppositi vt relatiui, dicit S. August. quòd intelligēdo suppositum primo modo, adhuc intelligeretur suppositum, vt subsistens improductum, licèt non intelligeretur illud subsistens esse relatum ad aliud; quod verum est: sed cùm illa conditionalis ab Augustino posita, non ponatur in esse, imò oppositum sit in Diuinis, nempe Pater generat, primò intelligitur ibi suppositum constitutum in ratione suppositi per relationem, tandem intelligitur tali supposito conuenire innascibilitas. Ex quo discursu duo habentur. Primum, quòd Paternitas prior sit notio, quàm innascibilitas in Patre, vt rectè infert Bassolius. Secundò habetur, quòd proprietas relatiua, primò & per se constituat personam, vt docebat dist. 26. communis opinio, quam hìc & in responsione ad 2. apertè defendit Subtilis Doctor.

Essētia quo modo non dicit determinationē. In responsione ad Tertium, quando dicitur quòd Essentia non sit omnino determinata ad vnam Personam, ita quòd non sit in alia, &c. videtur admitti, quòd sit ibi determinatio saltem ad tria supposita, determinatio autem videtur ex vi vocis, finitatem, terminationem, limitationem, atque adeo imperfectionem importare, quod non est admittendum in Diuinis.

Respondeo. Dictum est supra; & dicitur in litera quæst. sequenti art. 3. determinationem vnam esse, quæ opponitur indeterminationi contradictionis, qua sic aliquid est determinatum ad alteram partem contradictionis, quod sibi repugnat alia; alia est determinatio limitationis ad vnum effectum: sicut ignis est determinatus ad calefaciendum, non ad frigefaciendum. Ista ergo determinatio limitationis, dicit intrinsecè imperfectionem, & nullatenus poni potest in Diuinis: prior nullam ponit imperfectionem, imò conuenit Essentiæ Diuinæ, vt ita sit vna, quòd implicat contradictionem illam non esse vnam: similiter illa ita est determinata, vt sit in tribus suppositis, quòd oppositum, scilicet non esse in tribus suppositis, manifestè repugnat. Determinatio d[uplex].

QVAESTIO III.

Vtrum prima Persona constituatur in esse personali, aliqua relatione positiua ad secundam Personam.

Quòd non, arguitur, &c.

SVMMA QVÆSTIONIS.

In Primo articulo, proponuntur quatuor Opiniones aliorum, & confutantur. In Secundo, Opinio propria explicatur. In Tertio articulo, difficultas illa, quomodo Essentia Diuina determinatur ad Paternitatem, resoluitur.

ARTICVLVS PRIMVS.

Opiniones aliorum quatuor ponuntur.

Hic communiter conceditur pars affirmatiua quæstionis, &c.

COMMENTARIVM.

PRima Opinio est D. Thomæ 1. par. q. 40. ar. 4. Caietani, & cōmuniter Thomistarum. Quòd Paternitas potest considerari, vt proprietas, & vt relatio; & vt proprietas quidem constituit, & aliquomodo secundùm modum intelligendi, est prior actu dicendi, vt autem relatio, sequitur suppositum constitutum. Istud suppositum, quamuis supra dist. 26. art. 2. sit improbatum: tamen hìc arguitur. Primò. Proprietas vt proprietas, vel est absolutum, vel relatio, vel indifferens ad absolutum, vt inquit Heru. vltimum dici nō potest: quia omnis entitas singularis, de necessitate est absoluta vel relatiua, ad se vel ad alterum: Dico, singularis existens; quia communis conceptus, vt entis, vel entis finiti, potest abstrahere ab absoluto & relatiuo: si absolutum: ergo proprietas constitutiua personæ, vt est proprietas constitutiua, est quid absolutum; si relatiua; ergo proprietas vt proprietas est relatio. Opinio Thom[istarum]. Impugnatur.

Secundò. Tali modo entitas positiua relatiua constituit primam Personam, quali modo entitas relatiua constituit secundam Personam; sed Filiatio est constitutiua secundæ Personæ, vt est Filiatio, & vt est relatio, neque communiter distinguitur à Thomistis, in constitutiuo secundæ Personæ, ratio proprietatis & ratio relationis: ergo primam Personam constituet Pater vt Paternitas, & ita Paternitas vt relatio.

Tertiò. Quando dicis Paternitas vt proprietas, est constitutiua Personæ: quæro. Per illam reduplicationem, vt proprietas, quid reduplicatur ibi? vel aliquid formale in re, vel in intellectu: si in re; illud non est ibi secundùm omnes, nisi relatio: ergo vt proprietas est constitutiua, est relatio: si in intellectu; ergo importat relationem rationis; & ita prima Persona constituitur relatione rationis. Patet sequela. Quia Paternitas, vt consideratur non ad Filium, sed ad Patrem, non dicit nisi habitudinem rationis, quia nec dicit distinctionem; sed Paternitas vt proprietas, & non relatio, secundùm Thomistas, consideratur pręcisè secundùm habitudinem ad ipsum suppositum Patris, non ad Filium; ergo, &c.

Quartò. Ista distinctio Paternitatis, vt proprietas, & vt relatio, ideo ponitur, vt vitetur constitutiuum primæ Personæ,

sonæ esse omninò simul cum constitutiuo secundæ Personæ, vt expresè vult S. Thomas 1. par. q. 40. ar. 4. & rationes vrgent in oppositum ibi propositæ, & immeritò hanc esse causam Caietan. 1. par. q. 42. ar. 3. negat, imò ipse quæst. 40. artic. 4. docet relationem vt conceptam, præcedere actum generationis, relationem vt exercitam, consequi actum generationis; atque ipsemet Caietanus fingit has distinctiones, vt ostendat, quomodo præintelligatur suppositum actionis; atq; adeo, quomodo non sit simul ratione cum actu generationis. Idem repetit inferiùs, concedendo ante & post in Diuinis, ex hac distinctione; sed hoc nõ oportet vitare, imò de facto sunt simul natura, & tamen manet prioritas originis inter vnum suppositum & aliud, vt dicitur art. 2. ergo frustra ista distinctio confingitur.

Quintò. Nullus est ordo prioritatis in Diuinis, siue Essentiæ ad relationes, siue relationum inter se, vt dicit S. Thomas, eiusq; sequaces 1. par. q. 42. art. 3. & tamen q. 40. art. 4. vult non omnino, Paternitatem vt est proprietas, esse simul cum Filiatione; sed Paternitas vt est relatio, & dicit habitudinem ad Filium, est simul natura cum Filio. Si ergo Paternitas vt est proprietas, non omnino simul est cum Filiatione; ergo aliquomodo priùs saltem ratione; ergo ibi erit aliqua prioritas, cuius oppositum tenēt q. 42. ar. 3. atque ita sibimet ipsis contradicunt.

Non valet Caietani solutio, quòd in priori loco concedit D. Thomas prioritatem rationis, & quoadmodum cõcipiendi, in secundo negat omnem prioritatem naturæ, seu ex natura rei; ista autem non contradicunt. Non valet inquam. Tum quia Paternitas est constitutiua Personæ Patris ex natura rei, non ex modo nostro concipiendi, atque adeo si constituit vt proprietas in re, debet constituere non ex modo concipiendi, ita & prioritas eius, secũdùm tale esse in re ex natura rei, debet esse ex natura rei, non ex modo concipiendi. Tum quia illi prioritatem omnem negant in Diuinis, quia inquiunt, dicit imperfectionem, & concedunt ordinem, qui non dicit imperfectionem, vt dist. 1. q. 2. ostēdi; hic autem prioritatem aliquam concedunt, saltem rationis; ergo imperfectio, saltem rationis; & quoad modum concipiendi, ponetur in Diuinis.

Sextam, Septimam, & Octauam rationem ad idem improbandum, potes adducere ex litera præsenti, post Tertiam Opinionem.

Plura de hac materia, vide quodlibeto quarto.

Aduerte quòd secundùm Caietanum 1. par. q. 40. art. 4. Relatio dupliciter secundùm Logicos significatur, vt concepta, & vt exercita: ita est in Diuinis. Paternitas vt exercita, consequitur actum generationis, & ipsa sub expressa ratione Paternitatis, vt concepta præcedit generationem, & constituit hypostasim: Nec sequitur. Ergo Paternitas præcedit vt relatio; quoniam Paternitas vt relatio, significat Paternitatem, vt exercet actum relationis, vt relatio est; Paternitas verò vt constitutiua Personæ, significat Paternitatem eandem, vt exercet actum hypostaticæ formæ; & ita vnica est distinctio relatiua Patris à Filio, sed data priùs vt hypostatica, & post vt exercita. [margin: Relatio secundum Caietanum duplex.]

Hac distinctione Caietanus putat se soluisse rationes Doctoris; additq; Scotum laborasse in æquiuoco, nõ percipiendo, quod ly vt relatio, significat hic non naturam, sed actum seu officium relationis.

Ista doctrina Caietano visa sufficiens & subtilis, mihi videtur esse vana. Ac inprimis distinctio relationis vt conceptæ & exercitæ, seu (vt alij meliores Logici vtuntur) in actu signato, & in actu exercito, non ad rem in proposito adhibetur. In actu enim conceptu seu signato, relatio concipitur, quando concipitur secundùm rationem communem relationis esse ad; in actu verò exercito, quando illam relationem, inferius aliquod, & particulare exercet, quia refertur ad aliud: sed relatio vt constitutiua Personæ Diuinæ, seu vt est proprietas, non est constitutiua secundùm rationem communem relationis, sed relatio hæc numero incommunicabilis, vt dictum est dist. 26. & ipsi Thomistæ concedunt; ergo relatio, non vt concepta & signata, sed vt exercita, est constitutiua. [margin: Caieta. impugnatur.]

Deinde contra hanc eius conceptionem & exercitationem arguo cum Doctore sic.

Primò. Relatio concepta, vel dicit ordinem ad aliud, vel non dicit: si dicit; ergo relatio vt concepta, erit relatio vt exercita; atq; ita distinctio nulla: si non dicit; ergo proprietas vt est constitutiua Personæ in Diuinis, est quid absolutum.

Secundò. Filius refertur ad Patrem relatione vt exercita, & eadem vt exercita constituitur in esse Filij; ergo pari modo Pater constituetur Paternitate vt exercita. Antecedens. Quia Filius intrinsecè & formaliter, eo quia est à Patre per generationem, est Filius; ergo formaliter per ordinem ad Patrem, constituitur: sed relatio sumpta in ordine ad suum correlatiuum, est vt exercita; ergo &c. Similiter potest argui, alijs argumentis paulò ante positis; quia reuera non soluuntur à Thomistis. Adde rationes supra positas dist. 28. art. 2. quòd relatio vt relatio, constituit Personam, & ita relatio vt in actu exercito.

Secunda Opinio, quæ docet Personam relatione constitui, vt origo est, non autem vt relatio est, videtur esse D. Bonauenturę, in 1. dist. 26. q. 3. & explicata est, dist. 26. ar. 2. ex quo loco patet impugnatio huius sententiæ.

Tertia Opinio est Gandau. quodl. 9. q. 1. & 3.

Prædictæ tres opiniones conueniunt in illa communi Opinione, Personas Diuinas constitui per proprietates relatiuas; sed in modo explicandi differunt, vt patet.

Quarta Opinio, quæ est Ioan. de Rippa, & præterea (vt citat Molina) Linconiensis, docet proprietate absoluta, nõ autem relatiua, constitui Personas Diuinas, vt alias, ita & primam: quæ opinio patet ex dictis dist. 26. art. 7. & seq.

Dubitatur.

Vtrum eadem sit relatio, Paternitas & generatio actiua.

Videtur quòd non. Primò. Illæ relationes sunt distinctæ, quæ habent distincta fundamenta; sed generatio & Paternitas, habent distincta fundamenta; quia generatio est actio, & Paternitas est relatio fundata super actionem, cùm sit relatio de secundo modo relatiuorum, quos enumerat Arist. 5. Met.

Secundò. Nihil potest esse prius seipso; cùm igitur Paternitas constituat suppositum in esse suppositi, & suppositum sit prius actione, consequenter Paternitas erit prior generatione actiua.

Tertiò. Actio essentialis in Deo, non est eadem relationi ad extra. Patet. Quia actio ad intra, est actio essentialis realis; relatio autem ad extra, est relatio rationis; ac proinde, non sunt idem: ergo pari modo actio notionalis, qualis est generatio actiua, non erit idem relationi ad intra, puta Paternitati.

In oppositum est Magister Sent. dist. pręcedenti, vbi adducuntur authoritates Sanctorum.

Dico breuiter cum Doctore in 1. Report. distin. 27. q. 1. vbi hæc vide fusiùs. Quòd istæ relationes, nõ sint duæ realiter distinctæ, imò nec ex natura rei, possunt tamen dici esse duæ distinctæ sola ratione. Prior pars dicti probatur Primò. Vnaquæq; hypostasis, habet proprium modum, quem possidet, incommunicabilem, secundũ Damasc. c. 2. sed quælibet vna persona, habet vnum modum incommunicabilem; ergo Paternitas, cùm sit modus incommunicabilis Patris, & generatio actiua similiter, sequitur quòd sit eadem proprietas secundùm rem. [margin: Paternitas, & generatio actiua distinguuntur ratione.]

Secundò. Illud quo circumscripto & abstracto, intelligitur persona manere, non est ratio constitutiua personæ; si ergo generatio distinguitur à Paternitate, Paternitas absq; generatione, vel intelligitur constituere suppositum, vel non: si intelligitur; ergo Pater potest esse Pater absq; generatione, quod implicat: si non intelligitur: ergo generatio erit relatio constitutiua Personæ Patris: & sic vel duplici constitutiuo Persona Patris constituetur: quod est falsum: vel si vno: vnum erit Paternitas, & generatio actiua.

Tertiò. Generatio passiuè dicta, & Filiatio, sunt idem ex natura rei, ergo & generatio actiua, cum Paternitate, erit idem. Consequentia patet, ex pari modo relationum

oppositarum. Antecedens probatur. Quia ab vno modo procedendi naturaliter, per viam naturæ & generationis, habet vnus terminus esse adæquatum, hic autem terminus, est persona, & consequenter ratio illius Personæ constitutiua, debet esse vna; cùm ergo tam generatio passiua, quàm Filiatio, sit ratio constitutiua Personæ Verbi, sequitur quòd Filiatio & generatio passiua, sunt idem in re.

A Paternitate pôt esse multiplex abstractio.

Secundam partem, de distinctione rationis inter Paternitatem & generationem actiuã, probat Doctor in quodlib. q. 4. Interim suppone quòd ab eadem relatione Paternitatis, possit esse abstractio secundùm nostrum modum considerandi duplex: Vna quantùm ad indifferentiam & indeterminationem relationis: possum enim à Paternitate abstrahere relationem Originis, & vlteriùs à relatione originis possum abstrahere relationem: quæ rationes sunt quidem primę intentionis, sed distinctionem inter se non habent, nisi rationis. Alia abstractio potest esse, & consideratio relationis Diuinæ, secundùm actualitatem & aptitudinem, vt dum considero Patrem esse generatiuum, actu generare, generasse: istæ omnes relationes præcisè eandem generationem actiuam important, distinctam per intellectum nostrum considerantem, ex ordine ad creaturas, in quibus sunt ista distincta. Quare sicut hęc Paternitas, relatio originis in primo supposito Diuino, & relatio constitutiua primi suppositi, sunt præcisè in re vna Paternitas, ita generare actu, & esse Patrẽ, seu genuisse modo nostro intelligendi, erit præcisè eadem relatio.

Ad Primũ in principio adductum. Dico: quòd Paternitas non fundatur super generationem, quia est penitus idem. Cùm dicis. Ita est in creaturis. Resp. Nec in creaturis relationes de secundo modo fundantur super actionẽ & passionem, sed super potentiam actiuam & passiuam, vt docet Doctor 5. Metaph. eoque modo est Aristoteles intelligendus. Et ratio est. Quia fundamentum debet esse manente relatione, actio autem transit manente Paternitate; & ita Paternitatis fundamentum, non erit actus generandi, sed potentia generatiua: sed de hoc aliàs.

Ad Secundum. Concedo Paternitatem non esse priorẽ ex natura rei generatione, vel è contra, secundùm tamen modum nostrum intelligendi, potest vno modo poni Paternitas prior generatione, quatenus concipimus suppositum præexistere actioni: vel alio modo dici potest, ex imperfecta similitudine in creaturis, quòd sicut hic Paternitas consequitur generationem, ita & in Deo: iste tamen modus distinguendi est imperfectus.

Ad Tertium. Actio Diuina ad intra, vt præcisè consideratur secundùm se, est quid reale positiuum, & non potest esse illa volitio Diuina, idem realiter relationi rationis quę est ad creaturam: bene autem actio notionalis potest esse idem relationi reali, quia vt relatio est realis, ita & ipsa actio, imò actio est relatio.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Opinio propria explicatur.

Ad Quęstionem istam, cui non placet vltima opinio, &c.

SVMMA TEXTVS.

Persona in esse personæ cõstituitur relatione Originis.

Prima Conclusio. *Prima Persona (sicut & aliæ duæ Personæ Diuinæ) constituitur in esse personali relatione Paternitatis, vt Paternitas est in re à parte rei. Quòd verò istam Conclusionem Doctor teneat semper in sua sententia non modò constat ex dictis, dist. 26. & hìc, sed apertissimè ex quolib 4. vbi hanc Conclusionem communem, docet à se nunquam in dubium vocatam; sed aliquando oppositam illam de proprietatibus absolutis, disputationis gratia, & opinionis narrandæ causa, proposuisse. Idem etiam habet in Reportatis. Verba autem illa hìc:* cui non placet vltima opinio: *sic accipi debent. Supposito* ꝙ *illa sententia non esset contra fidem vllo modo, neque contra determinationem Ecclesiæ si quis tamen illam nollet amplecti, tenenda est conclusio de relatione nunc proposita.*

Secunda Conclusio. *Persona Patris, est simul natura cum Persona Filij. Ratio est. Quia relatiua sunt simul natura.*

Pater prior origine Filio.

Tertia Conclusio. *Cum ista simultate naturæ, stat, quòd Pater sit prior origine Filio. De ista prioritate originis, quæ stare potest cum simultate naturæ, vide distinctionem 1. q. 2. hìc autem triplici instantia satis euidenti, probat intentum Doctor, quòd cum simultate naturæ duorum inter se, possit stare quòd vnum eorum sit ab altero productum; vt patet, tum in patre & filio in creatis; tum in relatiuis disquiparantiæ, in quibus vna species potest esse prior prioritate perfectionis, quàm alia, et tamen simul natura; ergo à fortiori hoc potest esse in prioritate originis; tum quia causa & causatum sunt relatiua, & tamen causatum est à causa productum. Copiosiùs multò hæc doctrina à Doctore in quodlib q. 4. pertractatur.*

ARTICVLVS TERTIVS.

Quomodo Essentia Diuina determinatur ad Paternitatem?

Sed tunc est aliud dubium, quod tactum est, &c.

SVMMA TEXTVS.

Supposita distinctione determinationis, quòd vna sit determinatio opposita indeterminationi contradictionis, & altera determinatio limitationis ad vnum effectum, & supposito ꝙ *primitas sit, vna immediationis, quando aliquid alicui primò conuenit immediatè, non per aliud medium in re; altera primitas est adæquationis, eaque vel intensiua, vel extensiua, quæ adæquat ipsum, secundùm totum ambitum suum:* Satisfacit difficultati præpositæ, hac Conclusione. *Essentia Diuina, nõ est indeterminata indeterminatione contradictionis ad Diuinas notiones: sed est necessariò & summè determinata ad vnã partem contradictionis, nempe ad habendas illas: estque determinata ad omnes, primò primitate adæquationis tam intensiuæ, q̃ extensiuæ, sed non ad omnes primitate immediationis: primò namque primitate immediationis determinatur ad Paternitatem, mediante Patre, ad Filiationem, mediante Patre & Filio, ad Spiritum Sanctum. Essentia igitur Diuina ex se determinatur ad essendum primò primitate immediationis, in supposito Patris.*

Essenti uina qu est inde minati

Ista doctrina posset confirmari ex dictis distin. 2. q. 5. art. 3. Dubitatione illa. Vtrũ poni possent plures productiones intrinsecæ in Diuinis, eiusdem rationis.

Litera præsens est satis clara. Pro augmento eius vide in 1. Reportat. dist. 28. q. 3.

ARGVMENTA PRINCIPALIA soluuntur.

Ad Primum argumentum principale, patet ex dictis, &c.

COMMENTARIVM.

Textus literæ est clarus. Illud de prioritate originis, quod sæpiùs repetitur in respon. ad Primũ ex Articulo secundo & tertio, habet euidentiam.

Interim circa prædicta.

Dubitatur.

Vtrum circumscriptis relationibus, possent intelligi Personæ Diuinæ distinctæ?

Videtur quòd sic. In eodem fundamento non possunt fundari oppositæ relationes immediatè; quia de eodem, secundùm idem, non dicuntur contradictoria; sed relatio producentis & producti, sunt opposita; ergo præsupponũt fundamenta immediata distincta.

Confirmatur authoritate Boetij lib. de Trinit. vbi dicit. Similis est relatio Patris ad Filium, sicut eiusdem ad idem.

Oppositũ vult S. August. 9. de Trinit. cap. 2. Credamus Trinitatem esse personarum relatarum ad inuicem.

Hæc

Hæc quæstio examinatur fusè à Doctore, quodlib. 4. & in 1. Report. dist. 26. q. 3. Interim hic breuiter Adnotãdum est, qđ docet Doctor loco allegato. Aliud esse circũscriptionẽ, aliud abstractionẽ. Abstractio. n. est simplex rei apprehẽsio, nõ apprehendẽdo aliud sibi adiunctũ vel identificatũ; circũscriptio autẽ est, secũda operatio intellectus separãtis hoc ab illo, & affirmantis hoc nõ esse illud: vnde ratio entis est abstrahibilis ab omnibus inferioribus, vt distinct. 3. dicebamus, non tamen potest circumscribi, quasi intelligatur esse sine inferioribus. Quare non aliud est circumscriptio, quàm supposito hoc esse sine illo, inquisitio an sequatur non esse: vt supposito quòd Persona prima in Diuinis non haberet relationem Paternitatis, an sequatur Personam illam non esse; abstractio autem erit, an non intelligendo Paternitatem vel Filiationem, possim præcisiua abstractione intelligere distincta supposita Diuina. Hoc supposito, sit.

Prima Conclusio. Abstractis per intellectum relationibus, secundùm rationem propriam, possunt intelligi manere personæ distinctæ, in cognitione abstractiua. Ratio huius est. Quia à Paternitate & Filiatione possunt abstracti conceptus isti (vt dictum est superiùs) relationes duæ originis, duæ relationes, duæ res relatæ; si igitur concipiat intellectus, secundùm hos conceptus communiores, illa supposita Diuina, verè concipit distincta supposita in communi, non concipiẽdo Paternitatem vel Filiationem: ergo potest intelligi distinctio personarum in abstracto, absque hoc, quòd intelligantur propriæ relationes, secundùm proprias rationes, nempe Paternitas secundùm rationem Paternitatis, & Filiatio secundùm rationem Filiationis.

Cõfirmari potest ista doctrina Doctoris, ex ratione Personæ in communi, quæ est, naturæ intellectualis incommunicabilis subsistentia: possum ergo intelligere tres incommunicabiliter subsistentes, tunc certum est, quòd intelligã distinctas personas, & tamen secundùm considerationem præcisiuam, possum non cointelligere rationem Paternitatis, Filiationis, & Spirationis passiuæ.

Obijcit quędam Bassolius dist. 26. q. 2. art. 3. contra hanc Doctoris conclusionem: sed nihil concludunt illę obiectiones. Reuera enim non intellexit positionem Doctoris, vt patebit legenti.

Secunda Conclusio. Circumscriptis relationibus, hoc est, si ponantur relationes non esse, sequiturnè posse personas remanere? Dico; hoc esse impossibile. Ratio est. Quia constitutum impossibile est manere absque ratione formali ipsum constituente, cùm sit ratio formalis eius: cùm igitur relationes originis sint rationes formales constitutiuæ Personarũ Diuinarum, vt dicebatur dist. 26. sequitur, quòd impossibile est manere Personas Diuinas, sine talibus relationibus. Et cùm ratio formalis constitutiua alicuius, sit etiam ratio distinctiua illius à quolibet alio, vt dictum est superiùs, sequitur, quòd circumscriptis relationibus originis, impossibile est manere distinctas Personas Diuinas.

Plura vide apud Doctorem in quodlibetis.

Ad rationem in principio adductam, quamuis sufficienter responsum sit dist. 26. & dist. 7. ac. 2. vbi diximus relationes originis esse actus personales, non autem actus essentiæ, & consequenter non erit relatio producentis & producti in eodem: tamen etiam aliter dici potest, quòd possit relatio fundari in eodem, etiam in creatura, vt relatio mouẽtis & moti in anima, relatio dissimilitudinis & similitudinis, in eodem albo, vt enim album est simile albo, ita est dissimile nigro: ita dici posset, quòd in eadem Essentia Diuina, compatibilis est relatio producti & producentis.

Ad Boetium. Dico, non dicit is author, quòd relatio producentis & producti sit eiusdem ad se, sed quasi eiusdem, vel quòd sit similis relationi eiusdem ad se; quod additur, propter identitatem eiusdem numero essentiæ, in vtroque extremo relato.

DISTINCTIO XXIX.

DE HOC TERMINO, PRINCIPIVM, quod de Diuinis dicitur.

QVAESTIO VNICA.

Vtrum Principium vno modo dicatur de principio sumpto personaliter & notionaliter, & sumpto etiam essentialiter.

Quòd non. Quia si principium esset vnius rationis, &c.

SVMMA TEXTVS.

Principium aliud est principiãs & Quod; sic Pater est principians Quod Filij; aliud est Quo principians principiat: & de hoc dictum est dist. 7. In præsenti autem distinctione agũt Theologi cum Magistro de principio Quod, siue de principio principiante, an vnus conceptus communis principij, possit abstrahi à principio personaliter & essentialiter dicto.

Ad quod quæsitum respondet Subt. Doctor hic, & in Reportatis, negatiuè. Estque sententia communis: quæ breuiter sic explicatur. Principium dicitur per respectum ad principiatum, principiatum verò quoddam est ad intra in Diuinis, vt Filius, & Spiritus Sanctus, respectu quorum principium sumitur notionaliter, & refertur tale principium relatione reali ad principiatum: aliud principiatum est ad extra, ipsa videlicet creatura, respectu cuius Deus dicitur principium essentiale, quia tres Personæ sunt simul vnum & idem principium creaturæ: & primò ac immediatè huic Deo vt Deus est, conuenit creare, gubernare, conseruare, vt dictum est dist. 4. & 5. & in 2. dist. 1. q. 1. hoc modo principium dictum de Deo, refertur ad principiatum, relatione rationis. Cum igitur enti reali, & enti rationis, nihil possit esse commune vniuocum secundum omnes Metaphysicos reales, (dico reales, quia Nominales non omnino id negant) consequenter neque relatione reali, quam dicit principium sumptum notionaliter, & à relatione rationis, quam dicit principium sumptum essentialiter, poterit abstrahi aliquis talis conceptus vnus.

COMMENTARIVM.



De hac materia vide fusiùs apud doctissimum Alexandrum de Ales 1. par. quæst. 70. S. Bonauenturam, Aureolum, & Richardum, dist. præs.

Interim illud obiter Aduerte. Principium distingui à causa, sicut minùs commune à magis communi. Omnis enim causa est principium respectu sui effectus; sed non omne principium est causa respectu principiati. Imò aliquando hoc nomen principium, abstrahit à causa, vt in Diuinis ad intra; & tunc principium non oportet distingui essentialiter à suo principiato, nec principiatum à principio dicet aliam essentiam, licèt vera sit distinctio realis personarum. Aliquando coincidit cum causa: sic Deus est principium creaturæ, & vna creatura causat seu principiat aliam; inter causam verò & causatum est distinctio essentialis, & propterea hoc nomen causa, non transfer-

Principium à causa distinguitur.

transfertur ad Diuina ad intra, cùm non sit ibi distinctio essentialis, sed bene hoc nomen principij transfertur, quod non importat essentialem distinctionem, licèt dicat realem personalem principij à principiato.

Hæc dicuntur secundùm rigorem scholasticæ Theologiæ, nam Græci causam & principium sumunt pro eodem, imò quod nos principium dicimus ad intra, illi vocāt causam, vt videre est in oratione Bessarionis in Concil. Florent. Nec tamen admittunt vniuersaliter distinctionem essentialem inter causam & causatum, propter Diuina.

DISTINCTIO XXX.

DE RELATIONIBVS QVAE DEO ATTRIBVVNTVR, per comparationem ad creaturam.

QVÆSTIO I.

Vtrum de Deo dicatur aliqua relatio ex tempore.

Quòd non Quia quicquid dicitur de Deo, est Deus, &c.

SVMMA QVÆSTIONIS.

In Primo articulo proponuntur duæ Opiniones aliorum, & impugnantur. In Secundo, propria sententia explicatur. Tandem argumenta principalia resoluuntur.

ARTICVLVS PRIMVS.

Ponuntur duæ opiniones aliorum, & impugnantur.

Ad istam Quæstionem dicitur, quòd nulla est in Deo, &c.

COMMENTARIVM.

Opinio prior est Gandauen. quodl. 7. q. 1. & quodlib. 9. q. 1. Vult enim is author, quòd sicut idem est Deus creaturus pro futuro, pro præsenti creans, & creator pro præterito: ita eadem erit relatio, qua refertur vt creator, creans, & creaturus: & ita relatio in Deo simpliciter erit eadem, actualis & aptitudinalis, sed diuersimodè appellata.

Contra istam Opinionem arguit Doctor Subt. Primò sic. Si eadem est omnino relatio aptitudinalis & actualis in Deo ad creaturam, sequitur, quòd eadem erit in creatura, relatio actualis & aptitudinalis ad Deum; sed Consequēs est inconueniens; ergo & Antecedens. Sequela Maioris probatur. Quia relationi aptitudinali in Deo ad creaturam, correspondet in creatura aptitudinalis, & actuali in Deo, correspondet actualis in creatura, & ita nulla erit noua relatio in isto extremo creato, sicut nec in illo increato. Minorem autem, quòd consequens sit inconueniens, probat Doctor tripliciter. Tum quia sequeretur creaturam esse ab æterno. Probatur. Quia sicut ab æterno est creabilis, ita & creata, cùm per te relatio actualis sit eadem cum aptitudinali; atque ita sicut habebat creatura relationē aptitudinalem ad Deum, ita habebit & actualem; & per consequens, nullum absolutum creatum erit nouum. Tū quia dicit Henricus, ratitudinem, qua creatura est ens reale, consistere in illa triplici relatione exemplati, producti, mensurati ad Deum, vt ad causam exemplarem, efficientem, & mensuram rerum omnium, vt visum est dist. 3. q. 6. de vestigio: si igitur isti respectus actuales creaturæ sint idem cum aptitudinalibus: sicut aptitudinales sunt æterni, ita & isti; ergo & eorū fundamenta absoluta erunt æterna, quia relatio non est sine fundamento. Tum quia probatio Minoris est ad hominē.

Relatio aptitudinalis & actualis non est eadem.

Dicit Henricus (vt refertur dist. 36. infra) quod esse existentiæ, solùm dicat respectum ad causam efficientem, inquantum effectus est, seu, non aliud est, quàm relatio terminata ad causam efficientem.

Vel ergo iste respectus erit nouus, vel non; si nouus: ergo alia est relatio actualis noua ab aptitudinali, cuius oppositum concessisti; si non nouus; ergo non habet existentiam nouam, imò non est de nouo effectum seu productum.

Secundò principaliter impugnatur dictum Henrici de omnimoda identitate relationis actualis & aptitudinalis, tali discursu. Quando aliqua sunt diuersa obiecta, in ratione intelligibilis, necesse est, quòd relationes rationis sint diuersæ secundùm rationem; atqui esse possibile & esse actu creaturę, sunt diuersa secundùm ratione intelligibilis; actus enim & potentia, vel res actu existens, & eadem potens existere, sunt distincta intelligibilia: ergo relatio rationis ad creaturam, vt est creabilis, erit alia secundùm rationem, ab illa quæ est ad creaturam, vt actu est creata.

Secunda Opinio non est D. Thomæ, vt quidam hìc putant (is enim 1. part. q. 13. art. 7. docet esse in Deo relationem rationis formaliter, licèt neget Deum formaliter & intrinsecè à relatione rationis denominari realiter Dominum vel creatorem, sed realiter denominatur à termino, vt ibidem vult Caietanus) sed est Guillel. Varronis dist. præf. q. vnica, & in 2. dist. 1. q. 5. vt veriùs refert dist. præf. Guilerinus.

Est autem Opinio, quòd Deus non refertur ad creaturā aliqua relatione ex tempore, sed refertur relatione aliqua, quæ non est in ipso, sed in creatura. Et ponunt exemplum de creatione actione, quę secundùm illos, est subiectiuè in creatura, simul cum creatione passione; ac proinde Deus dicitur creans, non per denominationem intrinsecam & formalem, à creatione actione ipsi inexistente, sed per denominationem extrinsecam ab actione creatione existente in creatura.

Ista opinio, quoad illud dictum, quòd Deus formaliter refertur ad creaturam, relatione quæ nō est in ipso, improbatur tripliciter. Primò. Quia sequitur ex tali concessione, quòd relatio sit in eo supposito, in quo non est ratio fundandi, seu fundamentum proximum relationis: quod est inconueniens apud omnes Philosophos. Probatur sequela. Creatio actio, est relatio, aliquomodo de secundo modo relatiuorum, quæ fundatur super potentiam actiuam creatiuam, potentia autem creatiua actiua, est in supposito Diuino; & actio creatio per se, est in supposito creato: igitur ibi est actio creatio, vbi non est fundamentum talis relationis, & ibi non est, vbi est fundamentum.

Secundò. Relatio producentis & producti, non sunt cōpatibilia in eodem supposito, licèt se compatiantur in eadē natura; relatio autem causæ & causati, non possunt esse etiā in eadem natura, nedum in eodem supposito, vt docuit Magister Subtilitatis dist. 3. q. 7. & in 2. dist. 15. Cùm ergo creatio actio, & creatio passio ita se habeant, vt relatio causę actualiter causantis, ad causatum actu causatum; simpliciter erunt istæ relationes incompossibiles, & in eodem supposito, & in eadem natura.

Tertiò. In quocunque subiecto est forma aliqua, potest denominari subiectum ab illa forma (vt patet inductiuè, albedine enim est subiectum album, dulcedine dulce, passione patiens; &c. sed per te, creatio actio, est in creatura; ergo

ergo creatura denominabitur creans; quod est falsum. Discursus hic habet euidentiam, ex dictis à nobis supra de actione, q. vlt. distinctionis 3. vbi ostendimus actionem esse subiectiuè in agente.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Propria sententia explicatur.

Respondeo igitur ad Quæstionem. Quòd relationes creaturarum, &c.

SVMMA TEXTVS.

Prima Conclusio. *Relationes creaturæ ad Deum, sunt nouæ & ex tempore; qualis vero ista relatio sit, & quomodo distinguatur à creatura: de hoc in 2. dist. 1. q. 8.*

[Margin: ...lationes ...ad crea...ram quæ quales ?]

Secunda Conclusio. *Propter relationes creaturæ ad Deum, vt ad terminum, non est necesse ponere in Deo aliquas relationes terminantes istas. Ratio est. Quia relatio creaturæ ad Deum, est sicut mensurati ad mensuram, de tertio modo relationum 5. Metaph. ca. de ad aliquid, descriptarum: illa autem relatio non est mutua: sed mensura refertur ad mensuratum, eò quòd aliud ad ipsum: siue quia mensuratum ad mensuram refertur.*

Tertia Conclusio. *Potest nihilominus in Deo poni relatio rationis noua, ab intellectu creato concepta. Patet. Quia intellectus noster de nouo concipit illum creatorem, comparando ad creaturam: ex illa autem comparatione, potest intellectus noster concipere in Deo relationem rationis nouam.*

[Margin: ...tia ratio ... potest ...usare in...ectus di...us]

Quarta Conclusio. *Potest similiter concedi, quòd Diuinus intellectus possit in se causare relationem rationis; sed non nouam, sed antiquam. Ratio est. Quia nihil de nouo cognoscit, nec sub modo nouo: ac proinde de nouo nō potest causare intellectionem, sed sicut ab æterno omnia & omni modo intelligit, ita ab æterno relationes rationis ex comparatione suæ vel essentiæ, vel potentiæ, vel intellectus, resultat æternaliter relatio rationis. Quā Conclusionem admittit Richar. hic. q. 4. Bassol. Ant. Andr. aliique Scotistæ, præter Mayron qui quodlib. 6. & 7. entia rationis conatur tollere.*

Quinta Conclusio. *Deus realiter dicitur Dominus, creator creaturæ, ob realitatem relationis, seruitutis, & creationis in creatura; vt ita, non ob relationem rationis in Deo existentem, dicatur Deus realiter Dominus, vel Creator, nec ob rationem creationis actiuæ, quæ sit subiectiuè in creatura, vt volebat præcedentis articuli Opinio secunda; sed ob relationem realem creaturæ ad Deum, Deus realiter denominatione extrinseca dicitur creans, vel creator.*

Sexta Conclusio. *Verba, quæ dicuntur de Deo extrinsecè, dicuntur per accidens, non per se. Ista Conclusio datur propter verba S. August. in fine articuli posita.*

COMMENTARIVM.

Conclusionem Secundam negat Caietanus 1. p. q. 13. ar. 7. Zumel & Ban. & cōmuniter ibid. Thomistæ; & rationem docent inniti authoritati Aristotelicæ malè intellectæ. Is. n. (inquit Caietanus) non assignat distinctionē tertij modi relationum ab alijs penes hoc, quòd relatio tertij modi sit non mutua, alij mutuæ; sed in hoc, quòd vtrumque quidē relatiuum tertij modi est ad aliquid, atque ita mutuò, sed aliter vnum extremum, & aliter aliud: nam vnum extremum, puta mēsuratum, refertur relatione reali ad mensuram, mensura autem ad mensuratum refertur relatione rationis; in alijs autem duobus modis relatiuorum, (vt quę fundantur super vnum & multa, super actiuū & passiuum) vtrumque relatiuum refertur ad inuicem, relatione reali.

[Margin: ...tiū mo... relati... ...rum esse ...iuum ...obat Ca...]

Quòd autem de mente Philosophi debeat poni in tertio modo relatio mutua, probatur tali discursu. Impossibile est negari definitionem de definito; sed textus ille ex 5. Metaph. loquitur de his, quæ secundùm se sunt ad aliquid, & per Scoti expositionem negat Aristoteles de aliquo illorū, hoc ipsum, quod est esse ad aliud, ad aliud se habere; ergo negat definitionē à definito. Confirmatur. Quia ex illo textu, sensibile, scibile, & alia huiusmodi, per se sūt ad aliquid; & tñ non dicuntur ad aliquid, quia per te sunt absoluta; ergo sunt ad aliud, & non ad aliud, quod est contradictio.

Deinde probat Caietanus vniuersaliter, quòd absolutum nō possit esse terminus relatiui; Ac inprimis supponit, quòd nomine termini in proposito intelligo id, ad qđ relatiuum dicitur, & quod in definitione relatiui oportet ponere, hæc. n. duo ipsemet Scotus concedit conuenire termino. Hoc supposito, arguitur sic. Si absolutum vt sic, esset terminus relatiui: sequeretur primò, quòd cùm in definitione ad aliquid sunt, quibus hoc ipsum quod sunt, est ad aliud se habere: ly aliud, supponeret pro re absoluta; & sic absolutum, hoc ipsum quod est, non est ad aliud vt ad dimidium, nec seruus est ad dominum, nec Pater ad filium, &c. hoc autem ex prędicamentis & Expositoribus constat esse falsum; cēs enim dicunt, quòd ly aliud, supponit pro termino, & assignando illud, dāt correlatiuum; imò textus expressè dicit, quòd dominus non dicitur ad aliquid aliud in seruo existens, nisi ad ipsum sub ratione serui. Et Auerroes ibid. dicit, quòd semper id ad quod dicitur relatiuum, oportet esse in prædicamento relationis. Secundò sequeretur, quòd in definitione alicuius creaturæ, necessariò caderet Deus, sub propria ratione absoluta; hoc autē est impossibile, quia aliqua creatura naturalis, remanet incognoscibilis naturaliter. Patet sequela, de creatione passiua, de relatione vniuersi ad Deū, vt ad vltimum finem; &c. Tertiò sequeretur, quòd relatiuum in definitione sua, exigeret ex parte termini duo, correlatiuum scilicet, & absolutum: & cùm ex prædicamentis patet, quòd relatiuum exigitur, vt id ad quod dicitur; illud absolutum, quare exiget, nulla est ratio. Sequeretur quartò, quòd in Diuinis Personis non possent saluari relationes ad intra, nisi ponendo personas distingui realiter in absolutis. Tenet sequela. Quia relatiuum reale, exigit terminum realiter à se distinctum; si ergo Paternitatis Diuinæ terminus est res absoluta; ergo aliqua res absoluta in Diuinis, distinguitur à Patre realiter.

[Margin: Absolutum non potest esse terminus relatiui secundùm Caietanum]

Dico Primò cum Doctore hic, alijsque Scotistis contra Caietanum. Relationes tertij modi non esse mutuas. Id expressè vult Aristot. 5. Met. tex. 20. illis verbis. *Alia verò, vt mensurabile ad mensuram, & scibile ad scientiam, & sensibile ad sensum:* sensibile autem vt sensibile est, vt distinctum ab intelligibili, nō refertur relatione rationis; quia cùm actus sensationis in bruto mensuretur a sensibili, sensibile vt à bruto cognitum per sensationem, haberet ens rationis, & ita ens rationis causaretur à quocunque sensu animalis, etiam irrationalis; quod est contra omnes Philosophos, & ipse Caietanus negaret in suis principijs, cùm is voluntati potentiæ immateriali & reflexiuæ, deneget causalitatem hanc producendi entia rationis. Deinde dicit Aristot. eodē textu inferiùs. *Secundùm numerum quidem & potentiam dicta ad aliquid, omnia sūt ad aliquid eò quòd ipsum, quod est alterius, dicitur ipsum quidem, sed non eò quod ad illud aliud. Mensurabile verò & scibile, intellectuale, eò quòd aliud ad ipsum dicitur, ad aliquid dicuntur: nam intellectuale aliquid significat, quod ipsius intellectus est.* Hęc ille. Vbi ipse vult Aristoteles, mensuram referri ad mensurabile, non relatio: reali, vel rationis, quæ sit in mensura, sed totam rationem referendi consistere in hoc, quia mensurabile refertur ad mensuram; non ita autem in primo modo, vel secundo relatiuorum; hoc enim apertè, (vt optimè ibidem Subtilis Doctor. adnotauit) vult textus prioribus verbis: *dicta ad aliquid secundùm numerum*; quantùm scilicet ad primum modum relatiuorum; *& secundùm potentiam*: quantùm ad secundum modum relatiuorum, quæ fundantur super potentiam actiuam & passiuam; *omnia sunt ad aliquid, eò quòd, &c.* ac si diceret, relatiua secundùm duos primos modos, referuntur mutuò, non ex eo, quòd aliquid tantùm referatur, & propter hoc aliud dicitur ad ipsum referri: multiplex enim refertur ad submultiplex, & è conuersò, calefactiuum ad calefactibile, & è conuersò; non sic est in tertio modo; ideo

[Margin: Relationes tertij modi non esse mutuas.]

subdit, quòd *mensurabile & scibile, & intellectuale, dicuntur ad aliquid*: supple, nō de se, sed *quòd alterum dicitur ad ipsum*: sensibile ad sensum, & intelligibile ad intellectum, quantùm est de se non referuntur, nisi quatenus alia referuntur ad ipsa, nempe sensus ad sensibile, & intellectus ad intelligibile. Apertè igitur ex textu Aristotelis habetur, quòd in prioribus duobus modis, sit relatio mutua; in tertio verò non mutua, non tantùm non mutuitate realitatis, quod concedit Caietanus, sed etiam non mutuitate rationis.

Dico vlteriùs: sicut dicebatur superiùs d.5.q.2.art.2. terminum generationis alium esse Quod, alium Quo: ita dico in præsenti de termino relationis, illum esse aliū Quod, alium Quo. Terminus Quod, in relatiuis mutuis, est ipsum relatiuum, constitutum ex absoluto & relatione, terminus autem Quo, est ipsum absolutum v.g. simile A, refertur ad simile B, terminus Quod similis A, est ipsum simile B. puta albedo, & similitudo constituens simile: sed terminus Quo, est ipsa albedo. In relatiuis autem non mutuis, terminus mensurati, & Quod & Quo, est absolutum, puta, scientia est mensuratum quid, & refertur relatione reali ad scibile; ipsum scibile est terminus Quod & Quo, nō includens formaliter relationem, sed sub ratione absoluta.

Terminus ī mutuis relationibus & nō mutuis, quis sit.

Cui doctrinæ Scoticæ, non modò Scotistæ, sed ēt Sōcin. 5.Met.q.30. & Zoar. disp.47. sect.16. subscribunt. Quòd in relatiuis mutuis, terminus Quod, sit ipsum correlatiuum, est extra controuersiam apud oēs. Quòd verò in mutuis relationibus sit ratio terminādi, seu terminus Quo, ipsum absolutū, probatur ex Doctore. Primò. Cū relatiuum definiatur per suum terminum, vt vult Philosophus 5. Metap. tex.13. Si relatiuum, quatenus relatiuum, terminaret dependentiam alterius, tunc esset circulus in definitione; circulum verò esse in prioritate essentiali est impossibile, quia tunc esset aliquid prius essentialiter, & posterius essentialiter respectu eiusdem, quod implicat contradictionem. Sequela Maioris probatur. Si enim Pater refertur ad Filiū, sub ratione filiationis, ita ꝙ filiatio sit ratio terminādi patrem in esse patris, & è conuerso filius refertur ad patrem sub ratione paternitatis, ita quòd ratio referēdi filij ad patrem, & ratio terminandi, sit paternitas, tūc pater erit prior & posterior definitione ipso filio: quādo enim aliquid definitur per aliud, est posterius illo per quod definitur, sic passio definitur per subiectum, & est posterior natura subiecto: atque ita pater erit posterior filio vt filius est, quia definitur pater per filium, sub ratione filiationis; filius etiā quia definitur per patrem, vt pater est, & sub ratione paternitatis, erit posterior patre, quia definitur per illū; ergo idem filius respectu patris, erit prior essentialiter patre, & non prior; prior, quia definitur pater per filium, nō prior, sed posterior, quia idem filius per patrē, quod est impossibile. Pater igitur refertur ad filium, non quatenus filius est, sed quatenus in illo absolutum est, quòd est proximū fundamentum filiationis in filio, & est prius relatione paternitatis in patre: filius etiam vt filius est, refertur ad patrem sub ratione absoluta in patre, quæ ratio absoluta est fundamentū paternitatis, & istud fundamentum est prius filio inquantum filius; & sic non est circulus.

Terminus quo in mutuis relationibus ē absolutum.

Probatur Secundò. Illud est rō terminandi relationem, quod est rō fundandi relationem; sed rō fundandi relationē, est cōiter quid absolutum; ergo rō terminandi relationē, est quid absolutum. Maior probatur. Quia relatiuū refertur primò adæquatè ad correlatiuum, vt ad terminum Quod: illa igitur ratio, quæ est immediata causa relationis in correlatiuo, est causa vt relatiuum oppositum referatur ad illud, & ista causa referendi relatiuum ad correlatiuū, dr̄ terminus Quo, vel ratio terminandi. Minor. Quia supposita doctrina Arist. 5.Met. cap. ad aliquid, quòd is sufficienter diuidat penes fundamenta relationes, sic: quòd q̄dam fundantur super vnum & multa, quædam super potentiam actiuam & passiuam, quædam super mensuratū & mensuram: patet, quòd illa vnitas & multitudo, nō est relatio, vel relatiuum quid; similiter potentia actiua & passiua, pro illo principio accipiendo, quod agere vel pati aptum est, est absolutum, vt dictum est dist.7. de mensura aūt ipse Philosoph⁹ cōcedit apertè vt dictū est: ergo, &c.

Tertiò Probat. Relatio dependet à termino, in fieri & in esse, secundùm communem sententiam realium Philosophorum & Theologorum: sed is terminus non est relatio, sed quid absolutum. Quod probatur. Illud à quo aliquid dependet, dependentia causati ad causam, est prius natura eo, quod dependet: vt patet, tum ex dictis dist.2.q.2. tūm quia causa est prior natura suo causato, terminus autem Quo, ex suppositione communi, est causa relationis in altero extremo: sed vna relatio non est prior natura altera sibi opposita: cùm iuxta commune Philosophorum Prologium, relatiua sint simul natura; ergo absolutum, & non relatio in correlatiuo, est ratio terminandi.

Quod præterea dictum est, in relationibus nō mutuis, quando mensuratum refertur ad mensuram, vt scientia ad scibile, creatura ad Deum, in ipsa mensura, & terminus Quod, & terminus Quo est absolutum, clarum est ex dictis supra. Cùm.n. ostensum sit ex Philosopho non esse vllam relationem realem in mensura ad mensuratum; & mensuratum terminetur ad illam, consequens est, quòd ratio terminandi est ibi absolutum; & illud quod, seu ad quod mensuratum refertur, similiter est absolutum: & de reali quidem relatione certum est, etiam apud Thomistas, sed relationem rationis de necessitate requirit Caietanus in mensura, vt dicatur formaliter referri scibile ad scientiam, Deus creans ad creaturam, &c.

In non[...] tuis re[...] nibus, [...] minus [...] solutu[...]

Dicendum tamen est cum Doctore Subtili hìc, quòd quamuis intellectus possit negotiando circa aliquā mensuram, relationem rationis ibi concipere, vt cōcedit Conclusio tertia, illa tñ relatio rationis in mensura concepta, non est rō terminandi, seu terminus Quo ipsius mēsurati.

Probatur hoc dictū. Primò. Illud nō est terminus Quo mēsurati, sine quo mensuratū potest referri & terminari ad mensuram, sed sine relatione rōnis in mensura, pōt mēsuratum referri ad mēsuram: ergo relatio rationis in mēsura, non est terminus Quo mensurati. Maior patet. Quia relatio dependet à termino Quo, secundùm communem sententiam, ita quòd non possit esse sine illo. Minor in sniā Thomistarū est euidens. Quia ſm ipsos, relatio rōnis non habet esse, nisi dū actu cōcipitur: sed sciētia realiter refertur ad scibile, & creatura ad Deum, etiamsi nullus intellectus, vel relationē rationis scibilitatis in scibili, vel creationis actiuæ in Deo conciperet: vt est euidens in scientiæ habitu, quando nobis non considerantibus aliquod obiectū, & consequenter in obiecto non existente, nec concepta relatione rationis, scientia habitualis refertur realiter ad obiectum scibile, vt dictum est.

Relati[...] nis no[...] termin[...] nō mu[...]

Relati[...] nis no[...] bet ess[...] dū actu [...] cipitu[...] Thom[...]

Secundò. Terminus nō est posterior relatione; imò debet esse prior, cū sit causa relationis, sed relatio rōnis in scibili (& idē dico de oī alia mensura) est posterior relatione reali in mēsurato. Tū quia sciētia habēs relationē realē ad scibile, est causa scibilitatis in obiecto, seu ꝙ scibile refert ad sciētiā, vt apertè vult Philosophus: *eò ꝙ alia ad ipsū*: ita ꝙ causa huius relationis, sit sciētia realis, habēs relationem realē: sed cā est prior causato: ergo & sciētia habēs relationē realē, est prior natura relatione illa rōnis in scibili: Tum q̄a vt ens ad ens se habet, ita & relatio ad relationem: sed ens reale, in rōne entis, est prius ente rōnis: ergo & relatio realis, est prior in ratione relationis, quàm relatio rationis.

Probatur Tertiò. Relatio dependet à termino: sed nullum ens reale dependet ab ente rationis: igitur nullum ens rationis potest esse terminus relationis realis. Maior est communis Philosophorum. Minor est euidens ex terminis, & declarata est distin.13. Ad rationes in contrarium.

Ad Primam. In definitione ly ad aliud, sumitur pro termino Quod, is autem in relatiuis mutuis, est correlatiuum, in non mutuis, mensura est terminus absolutus: & sic quæ verè relatiua mutuò sunt, secundùm se ad aliud se habent, & participant definitionem communem relationis, vt secundùm se sint ad aliud: quæ autem non sunt verè relatiua secundùm se sed tantùm ab extrinseca denominatione, vt scibile à scientia intelligibile ab intellectione,

ctione; istis non debet definitio relatiui per se conuenire. Nec in illo textu 20. 5. Metaph. relationes tantùm per se enumerantur: sed generales & communes modi habendi se ad aliud, tum per se, tum per accidens, tùm mutuò, tùm eò quòd alia ad ipsum, recensentur.

[Margin: ...elatiuum ...ponitur in ...finitione ...rrelatiui, ...nsus quis.]

Ad Secundum. Respondeo Primò. Relatiuum ponitur in definitione alterius correlatiui, vt additum. Solũ veritatem habet hęc propositio in relatiuis mutuis; in relatiuis autē non mutuis, non item. Cùm ergo inter Deũ & creaturam, non sit relatio mutua, non debet poni Deus in definitione creaturæ. Respondeo Secundò. Eo modo terminus Quod ponitur in definitione relatiui, quo refertur ad ipsum: cũ ergo Deus non terminet habitudinē creaturæ relatione reali ad creaturã, nec relatione rõnis, vt visum est, sed rõne absoluta, nullum inconueniēs est, si Deus rõne absolutarũ proprietatũ trãscendētium dicatur de creatura, vt quòd sit Dominus, conseruator, gubernator, intelligens, volēs: ista.n. secundũ rem absoluta sunt in Deo, sed per denominationem extrinsecã à creatura, q̃ gubernat, intelligit, &c. dicuntur respectus rõnis: nec sm̃ illum respectum rõnis dicuntur de creatura: quia ens rõnis non dicit de ente reali. Cùm infers. Ergo aliqua creatura naturaliter est incognoscibilis, quia absoluta de Deo sunt incognoscibilia. Nego sequelam. Et probatio est falsa. Quia multa absoluta sunt de Deo cognoscibilia, vt quæst. 3. prol. & d. 3. atque. 8. ostensum est.

Ad Tertiũ. In relatiuis mutuis exigitur correlatiuum, vt terminus Quod, & absolutum, vt terminus Quo: similiter in non mutuis; quia in mensura est distinguere terminum Quod, & Quo; absolutum requiritur vt Quod, forma seu ratio eius absoluti, vt terminus Quo; & ita non frustra exigitur, sed ex natura rei.

Ad Quartũ. Respõdeo cũ Doctore Subt. d. 26. supra. Illę relationes, q̃ sunt definibiles, quarũ vna dependet ab alia, in rõne causæ vel causati, aduenientes extremis distinctis, non primò facientes relatiuorũ distinctionem, habēt rõnē terminandi absolutam, non autem relatiuam. Cùm igitur Diuinæ relationes, nõ sint definibiles, vt patet, quia nõ cõstant genere & differentia; nec vna dependet ab alia, cùm dependentia ponat intrinsecè imperfectionē, quę amouēda est à Diuinis; nec est ibi causa & causatum, licèt sit principium & principiatũ, vt dist. 29. dixi; nec relationes Diuinæ adueniunt extremis iam distinctis, sed ipsæ relationes originis sunt distinctiuæ extremorum, sequitur, quòd illatio Caietani non est ad propositum. Nec ista expositio est extorta, quia loquimur de illis relationibus, quas 5. Metap. agnoscit Arist. certum est autem quòd non agnouerit Diuinas relationes originis. Deinde apertè loquitur Doctor de relationibus, quales non sunt Diuinæ.

[Margin: ...us est rea... ...r Domi... ...s creatu... ...ob reali... ...ē relatio... ...creatu...]

Contra Conclusionē Quintã. Arguit Zumel. Primò. Relatio seruitutis, q̃ est in creatura, intrinsecè & formaliter dicit seruitutem; igitur non potest formaliter Deum denominare Dñm: nã incredibile est, q; aliquid denominet oppositũ eius, quod sibi cõuenit. Vnde sicut albedo nõ denominat subiectũ nigrũ, ita est impossibile, q; relatio seruitutis denominet Dominum, quoniam esse Dominum, est terminus oppositus, & contrarius seruituti.

Secũdò. In creatis, homo dr̃ dominus, à relatione dominij in ipso denominato existente; ergo multò magis dicet Deus dominus, à relatione dominij, quæ in ipso est. Confirmatur. Quia vel illa relatio dominij est in Deo; & habetur intentum: vel in creatura; & sic creatura denominabitur Domina & creans, iuxta modum arguendi Doctoris Subt. art. præcedenti prope finem.

Tertiò. Quando relatiua habent diuersam rationem in esse relatiuo, non habent eandem numero relationē; hæc autem relatiua, dominus & seruus, creator & creatura, habent diuersam rationem in esse relatiuo, imò sunt opposita; non igitur habent eandem numero relationem, atque adeo impossibile est, q; ab eadem numero relatione, quæ est in creatura, Deus dicatur dominus, & creatura dicatur serua.

Quartò sequeretur, quòd idem esset terminus & subiectum relationis, respectu eiusdem, quod est inconueniēs. Sequela patet. Quia creatura est subiectum seruitutis: & rursus ab eadem relatione seruitutis, Deus est formaliter Dominus, & quatenus Dominus, est terminus oppositus: cùm ergo hæc fiant ab vna relatione, sequitur, quòd idem est subiectum & terminus oppositus relationis.

Quintò. Effectus formalis non potest esse sine forma; at referri est effectus formalis relationis, quare non potest aliquid referri absque relatione: sicut igitur, vt album sit aliquid, debet esse in ipso albedo, ita vt dicatur Deus referri ad creaturas, requiritur relatio in Deo ad creaturam.

[Margin: Relationem realē & rõnis, non esse formaliter oppositas oppositione relatiua.]

Vt Conclusio Doctoris bene intelligatur. Nota Primò. Relationem realem, & relationem rationis, non esse formaliter oppositas relationes, oppositione relatiua: & consequenter dici potest, quòd relatio Dei ad creaturam, non opponitur formaliter relationi reali creaturæ ad Deũ. Ratio est. Tum quia relatiuè opposita debent esse simul natura; relatio autem realis, cum relatione rationis, non sunt simul natura, iuxta dicta paulò ante. Tum quia sola & vera oppositio relatiua, est inter relationes reales, quæ solæ veræ relationes sunt; non autem inter relationes ab intellectu fabricatas. Admissa tamen oppositione aliquali, inter relationem realem & rationis, nullum est inconueniens, quòd in relatiuis tertij modi, (non alterius) ab vna forma reali, possint denominari duo subiecta, vnum realiter & intrinsecè, in quo est illa forma realiter; alterũ extrinsecè: quia illa forma realis, habet aliquam dependentiam ab illo extrinsecè, vel vt ab obiecto, vel vt à causa, vel vt à termino. Exēplicã. Visio est vna forma realis simplex, q̃ cũ sit in vidente realiter & inhæsiuè, ab illa hõ denominatur realiter & intrinsecè vidēs, quia tamen ille actus extrinsecè terminatur ad parietem vt ad obiectum, potest extrinsecè denominari à tali actu paries visus, ita quòd ab eadem forma visionis, & homo realiter quasi actiuè est videns, & extrinsecè dicitur, quasi passiuè, & per oppositionem relatiuam (qualis admittitur inter relationem realem & rationis) paries visus. Simile est in omni actu immanente cuiuscis potentiæ. Ita dicunt aliqui in proposito. Quòd relatione reali lapidis, quæ est in lapide, qualis relatio est creatio passiua, potest denominari lapis intrinsecè & realiter creatura; & ab eadem relatione potest denominari extrinsecè Deus creans, quatenus illa creatio passiua, vna cum suo fundamento, est à Deo, & refertur ad Deum. Et quemadmodum visum esse, si concipiatur per modum relationis parieti inhærentis, est ens rationis; tamen non conceptum hoc ens rationis, paries realiter videtur, quia realis visio est ad ipsum: ita & in Deo creante, potest concipi creatio actio, quasi aliquid Deo additum, & oppositum creationi passiuæ, quæ creatio actio, sic accepta, est ens rationis in Deo; tamen tali ente rationis non concepto, nec considerato, verè & realiter Deus creat, (secundùm esse suum absolutum, & non secundùm relationem rationis ad creaturam) quia realis creatura producitur, & est ab ipso realiter: ac proinde Deus est realiter creans & creator, secundùm esse absolutum, non realitate creationis in ipso productæ, vel emanantis ob productam creaturam (sic enim Deus mutabilis esset) sed realitate termini producti & creati à Deo.

[Margin: In relatiuis tertij modi, ab vna forma reali, denominãtur duo subiecta.]

Ista doctrina, (diceret aliquis) fauet Opinioni secundæ confutatæ præcedenti Articulo, quæ docebat à creatione actione, in creatura existente, denominari Deum creantem, & à creatione passiua, denominari ipsam creaturam: quia illa Opinio ponit creationem actionem, esse in creatura, realiter aliam à creatione passiua, vt apertè patet ex argumentis: hic autem dicitur, quòd ab vna realiter relatione potest aliter intrinsecè denominari creatura, aliter extrinsecè Deus.

Hoc vlteriùs explicando, posset vlteriùs probabiliter dici. Quòd in creatione passiua, duos gradus statuere possumus: vnum esse ab, alterum esse ad: lapis.n. & est à Deo, & ita habet esse ab, i. ab alio: & quia refertur ad Deum, vt creatura ad creatorem, dicitur habere esse ad. Per esse ad, creatura realiter & intrinsecè refertur ad Deũ: per esse ab, extrinsecè, nõ intrinsecè, Deus põt denominari creator, & quia ille gradus essendi ab, in creatura, est realis & identi-

ficatus gradui esse ad, propterea bene dicitur, quòd denominatione extrinseca reali, Deus est realiter creator, gubernator &c. & ita, ab eadē realiter seruitute, diceretur intrinsecè creatura, serua, vt dicit ordinem ad Deū, & Deus denominaretur Dominus, sed non ab eodem gradu formali; vt dictum est. Nec hoc est vllū inconueniens. Quia ab eadē (vt dictum est) visione, pōt relatio actionis conuenire ipsi videnti, & relatio quasi opposita passioni, ipsi obiecto viso. Sicut ergo istæ duæ relationes, vel potiùs denominationes oppositæ, in distinctis subiectis possunt esse; ita & in proposito à creatione passiua lapidis, & Deus denominabitur creans, & lapis creatura.

Nota Secundò. Quamuis dictum præcedens non careat sua probabilitate, meliùs tamen dicitur, & congruentiùs literæ Doctoris, quòd relatio creationis passiuæ, formaliter & intrinsecè refert creaturam ad Deum, Deus autem formali intrinseca relatione reali nulla refertur ad creaturam; relatione rationis, non necessariò; vt ostēsum est: pōt tñ nō intellecta relatione rōnis, intelligi Deus creator, in ordine ad creaturā, ex hoc præcisè, quia creatura est ad ipsum, nō distinguēdo gradus in relatione reali creaturę, sed extrinsecè Deum denominando creatorem à termino totali, seu Quod, creato & producto, quia terminus totalis, nempe creatura, est à Deo, vt expressè vult Subtilis Doct. in fine huius Articuli, Ex his patet sensus quintæ Conclusionis.

Ad rationes contra hanc Conclusionem positas.

Ad Primam diceret aliquis. Relatio seruitutis, per esse ad, dicit formaliter & intrinsecè seruitutē; per esse ab, apta est denominare extrinsecè Dominum: sed meliùs dicitur, quòd relatio seruitutis intrinsecè, & formaliter dicit seruitutem; & sic intrinsecè & formaliter non dicitur de Deo, cùm non sit Deo intrinseca & formalis, sed denominat extrinsecè dominum. Nec hoc est inconueniens, quòd ab vna simplici ratione, possit esse denominatio intrinseca vnius, & extrinseca, eaq; opposita alterius, vt dictū est Notab. 1. de omni operatione immanente, denominante intrinsecè operans, & extrinsecè obiectum. Exemplum de albo, & nigro, non est ad propositum. Quia oppositum oppositione contraria, non denominat modo alterius contrarij, sed oppositum oppositione relatiua vna, potest denominare alio modo opposito, vt dictum est.

Dispar ratio de nominandi in relatiuis, & ab solutis.

Ad Secundum. Nego Consequentiam. Si enim modus arguendi iste valeret, concluderet relationem dominij in Deo esse realem, imò reale accidēs, quia in creaturis est sic. Ad Confirmationem. Illa relatio dominij, à qua Deus realiter dicitur Dominus, nō est in Deo intrinsecè & realiter, sed est in creatura. Cū infers. Ergo creatura denominabitur à Domino creās, Negatur sequela. Quia ad denominationem intrinsecam, vt dicatur creatura domina & creās, debet habere relationem realē dominij à seruitute distinctā; similiter creationem actionem distinctam à creatione passione, vt docebat superiùs Opinio Guilel. Varronis, secūdū autē nos, hoc est falsum; ergo & sequela. Vnde relatio dominij (secundùm vnam viam) non est alia à relatione seruitutis, quæ relatio seruitutis, vt denominat subiectum suū intrinsecè, dicitur formaliter seruitus; vt autē denominat agens extrinsecum, quod talem seruum producit, denominat modo quasi opposito, ac proinde denominabit Dñm.

Dico Secūdò. Denominatur Deus dñs, à creatura serua, realiter potestati eius absolutè, & sine relatione acceptæ, subiecta. Non igitur à relatione seruitutis denominabitur Deus extrinsecè Dñs, ſm hanc viam, sed à termino relato, nempe à creatura realiter serua, & subiecta potentię Diuinæ, Deus denominabitur extrinsecè Dñs; atq; ita dominiū, à quo denominatur Deus dñs, (secundùm istam viam) nō est relatio seruitutis vel relatio rationis (licèt hæc possit cōcipi, sed non illa realiter est dominus) sed est denominatio extrinseca à seruo producto, sicut actus aliquis dicitur humanus non humanitate reali vel rationis, in actu existēte, sed quia est ab homine habente humanitatem; ita dicitur realiter Deus dominus, quia realiter habet seruum, esto ꝙ relationem realem vel rationis in se dominij non habeat; tale enim hoc genus relatiui est, vt propterea dicatur ad aliud referri, quia aliud ad ipsum.

Ad Tertium. Similis est responsio; vna secundùm primā viam, quòd ab vna relatione potest esse aliquid denominatum vario modo; altera secundùm viam aliam, quòd licèt creatio dominatio, vt possūt esse relationes rationis in Deo conceptæ à nostro intellectu, non sint eadem relatio cum creatione passiua seruitute in creatura, imò plusquam genere distinguuntur, sicut ens reale ab ente rationis; quando tamen vnum est relatiuum, relatione in ipso existente reali, & alterum refertur ad ipsum non relatione in ipso existente, sed præcisè ex hoc, quia illud referebatur ad istud; tunc non requiritur in isto altero relatio, sed per extrinsecā denominationem denominabitur sic vel sic relatum.

Ad Quartum. Non est hoc inconueniens in multis relationibus: patet in relatione mouentis & moti, qñ anima seipsam mouet, ibi terminus Quo, est anima, & subiectum relationis, est eadem anima; similiter qñ intellectus producit actiuè, & recipit passiuè intellectionem, ibi est relatio agentis & passi, & tamen terminus Quo, est ipsemet intellectus, sicut & subiectum intellectionis. Si igitur hoc potest esse in relatiuis mutuis, vt patet, à fortiori dicendum est, ꝙ aliquid vt mensuratum subiectum relationi reali possit esse terminus Quo, ipsius mensuræ relatæ ad talē terminum.

Ad Quintum. Referri formaliter & intrinsecè, est effectus formalis relationis; & tali nō refertur realiter Deus ad creaturam: sed referri extrinsecè & denominatiuè, non est effectus formalis, sed extrinseca denominatio à non inexistente tali denominato: & sic extrinsecè denominatur, realiter tamen, ob terminum realem dominus, creator, &c. Exemplum de albo non valet: quia albedo realis formaliter & extrinsecè est in albo; non sit relatio realis intrinsecè in Deo est ad creaturam.

Ex dictis hactenus, solues non pauca dicta Arimin. Ocam, Suesani, & aliorum, contra Doctorem hìc: quæ ex malo intellectu huius literæ procedunt.

Sextam Conclusionem fusiùs explicant Doctores, præsertim D. Bonauentura hìc, quæst. 2. Richard. ibid. Alen. 1. part. q. 53.

Interim aduerte. Quòd ly per accidens, potest accipi, vel pro eo quod est distinctum à substantia, sed est ens inhærens: & tale nullum per accidens est possibile in Deo. Vel secundò idem est per accidens, quod per alium, non seipso: sic dicimus, paries per accidēs est albus, quia per superficiem; & iste modus ad præsens non valet. Vel tertiò per accidens, id est non per se, quòd ista prædicata non necessariò per se primo vel secundo modo cōueniunt, Deus est creator, Deus est dominus, &c. & in hoc sensu Conclusio præsens procedit.

Adnotat & Alensis loco citato in 3. quòd quamuis pro formali significato, nomina dicta de Deo ex tempore significent relationem rationis, vel solam denominationem extrinsecam: connotant tamen Diuinam Essentiam, atque adeò rōne principalis & formalis significati, talia nomina dicuntur de Deo per accidens, sed rōne connotati, per se.

ARGVMENTA PRINCIPALIA
istius Quæstionis soluuntur.

Ad Argumenta huius Quæstionis, &c.

QVÆSTIO II.

Vtrum Dei ad creaturam possit esse aliqua relatio realis.

Quòd sic. Quia Deus ex natura rei, &c.

SVMMA QVÆSTIONIS.

Duæ partes sunt istius Quæstionis. In Prima, duæ Opiniones aliorum ponuntur & impugnantur. In Secunda, propria sententia explicatur.

ARTICVLVS PRIMVS.

Aliorum duæ Opiniones ponuntur & impugnantur.

Ad istam Quæstionem dicitur. Quod illud, &c.

COM-

COMMENTARIVM.



PRima Opinio est Gandau. quodlib.3.q.4. cuius dicta singillatim Doctor Subtiliter improbat. Secūda Opinio est Varronis supra. Richar.d. præsenti q.4.D.Thomæ 1.part.q.13.art.7.

Vtramque Opinionem tenentes, docent vniformiter (præter Nominales & Aureol.qui relationes reales existimantes esse comparationes intellectus, attribuunt Deo relationes reales ex tempore) non cadere in Deum vllam relationem realem ad creaturam. Sed in assignanda ratione variant, vt patet.

Textus totius literæ erit clarus, si intelligatur impugnatio Secundæ Opinionis.

Dicit igitur Secunda Opinio, non posse poni in Deo relationem realem ad creaturam, propterea quòd relatio dicit ordinē realem; sed Deus non dicit ordinem realem ad creaturam; ergo nec relationem realem dicet ad illam.

ius eur n habet ationem ilem ad aturam.

Dicit Subt. Doct. ꝙ ista rō peccat dupliciter. Primò, per fallaciā petitionis principij.2. per fallaciam consequentis.

Quòd peccet per petitionem principij, probatur. Deus est prior omni creatura, primitate eminentiæ, efficientiæ, & finis, vt ostensum est dist.2.q.2. sed vbi est prius & posterius, ibi est ordo; ergo Deus habet ordinē primitatis triplicis ad creaturā: ac proinde, qn̄ dicis, non esse in Deo relationē realē, quia non est ordo realis. Dico, ꝙ hoc est probandum, ꝙ ille ordo non sit realis, cū Deus realiter sit primus primitate triplici pdicta. Secundò idē ostendo. Ordo alius est posterioris ad prius, à quo perficitur posterius: alius prioris ad posterius, à quo nullatenus pficitur prius, sed potiùs ē cōtra. Prior ordo, imperfectionis est, & repugnat Deo; Secundus ordo, cū sit perfectionis, nō est rō, cur Deo negetur: admisso verò tali ordine, & cōsequēter relatione, nondū probas ꝙ ille ordo non sit relatio realis, cùm perfectio realis, realiter sit in Deo, & iste ordo videtur esse perfectionis. Confirmatur. Licet verū sit, ꝙ Deus sit supra oēm ordinē ordinatorū posteriorum ad prius, atque adeo nō est posterius; non tamen sequitur, ꝙ non habeat ordinem, saltem primi ad alia; de isto ergo ordine primitatis, par est difficultas ac de relatione, an sit realis in Deo.

Pera triplic mitur

nomnis itio ē or

Quòd ēt illa rō peccet sm̄ fallaciam consequentis, patet. Quia relatio in plus se habet, q̄ ordo, strictè sumendo nomen ordinis: quia omnis ordo est relatio, sed non oīs relatio est ordo (solæ.n. relationes disquiparantiæ habēt ordinem: & ratio ēst: quia sicut dependentia essentialis, est inter res diuersæ rationis, ita & ordo, vt dictum est d.2.q.2. solæ autem relationes disquiparantiæ, sunt diuersæ rationis, non item relationes æquiparantiæ) arguere igitur à negatione ordinis, & minùs communis, ad negationem relationis magis communis, est argumentari, à negatione Antecedentis, ad negationem Consequentis; ac si diceres. Non est homo; ergo non est animal.

Respondet Caietanus 1.par.q.13.art.7. Non esse petitionem principij: sermo.n. est de ordine, non formaliter, sed fundamentaliter; quia scilicet in Deo est nulla causa, vt referatur ad creaturam. Ac proinde illa ratio procedit à negatione causæ, ad negationem effectus; cùm referri relatione reali, supponat causam referendi; & negata causa referendi, negari debet relatio.

Nec peccat secundū consequens: quia non loquitur de ordine formaliter, sed fundamentaliter, quem ēt in relatiuis æquiparantiæ oportet esse; duo.n. alba eiusdē rationis sunt, & simpliciter, & quoad hoc, vt causent ad se inuicem respectus; hoc autem est esse eiusdem rationis.

eta.non nentem Docto. t.

Prior responsio Caietani, nec ad mentē D.Thomæ est, vt ex illis verbis cōstat: Deus est extra totum ordinē creaturæ, creaturæ autem vniuersæ ordinantur ad ipsum: ac proinde, illum ordinem negat à Deo, quē ponit in creatura: in creatura autē est ordo formalis & fundamentalis ad Deum; ergo negat in Deo & formalem & fundamentalem. Confirmatur. Quia ly totum ordinē, idem significat ꝙ omnem ordinē; hoc autem apparet esse falsum: quia est ibi ordo prioritatis, vt dictum est. Nec satisfacit argumēto. Quia concesso (vt concedit Caietanus) esse in Deo ordinem formaliter, & (etiamsi negaret) ostensum est, Deum esse primum primitate perfectionis, efficiētiæ, & finis, respectu oīs creaturæ; & cōsequēter, habere ordinē formaliter prioris ad posterius, nēpe ad creaturā; cùm per te ordo formaliter habeat pro causa ordinē fundamētalē: ergo in Deo erit ordo fundamētalis, & per consequēs, non poterit ibi esse negatio causæ, cùm ponatur quasi effectus per te.

Secunda responsio non euacuat impugnationem. Tum quia ille ordo fundamētalis, non solus hic negatur; ergo saltē de formali ordine, non est sola difficultas. Tum quia dato ꝙ esset sermo de ordine fundamētali, adhuc est argumentū à negatione Antecedentis. Minus.n. commune est habere causam fundamentalē realem, q̄ habere relationē: ergo à negatione causæ fundantis relationem in Deo ad creaturam, arguere ad negationē relationis, est arguere à negatione minùs communis, ad negationē magis cōmunis. Antecedēs probatur. Quamuis.n. in rebus creatis, ponatur causa fundans relationē, & omnis relatio formalis supponat fundamentalem seu causalem: in relationibus tamen, quæ in Deo (vt relationes originis ad intra) nō habent causam fundantem, sed ex natura talis essentiæ conueniunt Deo, vt dixit Subtilis Doctor dist.28.art.3. Paternitatis enim vel est causa essentia, vel suppositum: non essentia; quia illa nec producit, nec producitur, & deinde essentia referretur tali relatione, cuius oppositum ostēsum est supra: non suppositum; quia primum suppositum, primò & formaliter per se, est suppositum Paternitate: & deinde nihil in Patre est productum, nedum causatum; ergo adhuc diceret aliquis, quòd pari modo relationes ad creaturam, Deo conueniunt ex natura essentiæ, ita fœcundæ, communicabilis non tantùm intra, sed etiam extra.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Propria sententia explicatur.

Ad Quæstionem igitur respondeo. In Deo non est, &c.

COMMENTARIVM.

IN Deo nulla potest esse realis relatio ad creaturam. Rationem huius Conclusionis duplicem dat Subtilis Doctor. Primam ex simplicitate Dei, de qua dictum est dist.2.& 8. Quicquid est in Deo, Deus est, & idem realiter cum Essentia Diuina; si ergo est relatio realis in Deo ad creaturam: pono quòd creatura annihiletur; & quæro: vel manet illa relatio realis in Deo, ad illam creaturam, vel non? si manet; ergo relatio manet absque termino; quod est contra naturam relationis: si non manet: ergo aliquid idem Deo, imò ipse Deus corrumpitur, quod est impossibile. In Deo nulla est relatio realis ad creaturam.

Confirmatur. Actus infinitè purus, & summè perfectionis, non est in potentia ad aliquam realitatem à creatura: sed Deus est actus purissimus, & infinitæ perfectionis: ergo Deus non est in potentia ad aliquam realitatem à creatura.

Istud medium facilè probari & declarari posset illis rationibus, quibus suprà ostendimus simplicitatē Diuinam: vide ibi.

Secunda ratio efficax, desumitur ex necessitate Diuinæ Essentiæ, talis. Illud quod est simpliciter necesse esse, quantùm ad omnem realitatem, quæ in ipso est, non potest habere aliquam realitatem ad aliquid simpliciter contingēs: sed Deus est simpliciter necessarium ens, quantùm ad omnia quæ sunt in ipso, creatura verò est ens simpliciter contingens, quia potest esse & non esse: ergo, &c. Minor probata est distinctione 8. Maior est euidens. Nam necesse esse, non potest non esse, nec aliquid quod est in ipso ex natura rei, hoc enim est necesse esse: sed omnis relatio realis, ad aliquid simpliciter contingens, potest non esse, non existente illo termino, & terminus potest non esse, quia potest annihilari: ergo, &c.

Ad Minorem huius secundi discursus. Diceret aliquis. Quòd licèt creatura in esse actualis existentiæ, est contingens, creatura tamē in esse possibili, habet esse necessariū;

quia possibile esse possibile, est necessarium; ac proinde, Deus ad creaturam in esse possibili comparatus, habet relationem realem.

Respondet Subtilis Doctor. Quòd esse possibile creaturæ, est esse diminutum & imperfectum, non habẽs aliquã realitatem à parte rei; ac proinde nõ potest esse terminus Quod, relationis realis. Ista responsio patet copiosiùs infra distin.35.

Creatura qũo non est ens necessarium.

Secundò diceret aliquis, ad eandem partem Minoris. Negando creaturam non esse ens formaliter necessarium; quia creatura secundùm esse quidditatiuum, est ens exemplatum, vt dicit Henricus quodl.8.q.9. Deus autem est ens exemplatiuum, continens exemplaria in esse idæali omniũ rerum; sed creatura secundùm esse quidditatiuum, est ens necessarium; ergo secundùm esse exemplatum, est necessarium: ergo Deus ad creaturam in tali esse, habet relationem realem exemplatiui ad exemplatum.

Respondet Doctor. Ante esse realis existentiæ, creatura accepta in esse exemplato, non habet esse simpliciter & reale, quod est esse existentiæ actualis; sed habet esse diminutum & secundùm quid, in quo esse non terminat realem relationem.

Ista responsio, vt præcedens, clara est ex dicendis d.35. Ex quo loco reliqua patebunt, quæ dicuntur in responsione ad tertium de necessitate participata.

Quarta obiectio est, contra Maiorem secundi discursus. Quòd necesse esse, non possit habere relationem realẽ ad contingens: cælum secundùm Philosophum est ens necessarium, inferiora sunt contingentia, & tamen cælum habet relationes reales ad inferiora, vt distantiæ, dissimilitudinis, similitudinis, &c. ergo & in Deo necessitas non impediet, vt habeat varias relationes ad creaturam.

Respondet Doctor. Est quidem cælum necessarium, sed non summè simplex, secundùm eundem Philosophum; ac proinde componibile cum varijs accidentibus: Deus autẽ cum necessitate est summè simplex.

Cælũ quo est necessarium.

Responderi potest Secundò ex dictis dist.8. Cælum est quidem necessarium ens, secundùm Aristotelem, sed non summè necessarium: quia non est necessarium, secundùm omnem realitatem possibilem in ipso esse, sed tantùm secundùm realitatem suam substantialem; Deus autem est ens simpliciter necessarium, secundùm omnem realitatẽ, quæ in ipso est, & omnis possibilis esse in ipso realitas, actu est, & summè necessariò: ac proinde, non repugnat cælo habere relationes ad inferiora, sed repugnat Deo, Enti simpliciter necessario.

ARGVMENTIS PRINCIPALIBVS satisfit.

Ad Argumenta principalia. Ad illa de omnipotentia, etc.

COMMENTARIVM.

Argumentũ Primũ de oĩpotentia & oĩsciẽtia, & Secũdũ principale, de volitione Diuina respectu creaturæ, nõ soluit Subt. Doctor, quia de illis erit sermo d.35.39. & 42. Interim dic, quòd potentia, scientia, & volitio Diuina, vt creaturam respicit, notat pro formali relationem rationis. Vel denominationem extrinsecam: & sic non sunt attributa Diuina, nec dicũt perfectionem, nec vllam imperfectionem: aliud connotant, nempe ipsam Essentiam Diuinam, vel ipsasmet perfectiones, vt in Deo sunt identificatæ realiter Essentiæ Diuinæ. Esto ergo, quòd Deus realiter sit potens, intelligens & volens creaturam: non tamen ly realiter, in istis loquendi modis de Deo, ponitur ex realitate relationis, qua Deus refertur ad creaturam: sed quia realiter creatura est possibilis, intelligibilis, & volibilis; vel potiùs actu producta, intellecta, volita.

Ad illud quod in fine secundi argumenti additur: quòd creatura est volita priùs nostro (mõ intelligendi,) q̃ intellecta, vt infra dicitur; ergo relatio est ibi, & non rationis, q a priori non intelligitur intellectus intelligere. Dico (iuxta superiùs dicta) quòd relatio rationis, non tantùm ab intellectu, sed à voluntate, & etiam à sensu cõmuni, potest causari: ac proinde argumentũ non valet. Deinde, non ponendo in Deo vllam relationem rationis ad creaturã, adhuc Deus realiter est volens & intelligens creaturam, denominatione extrinseca, à creatura volita, intellecta; vt dictum est in simili quæst. præced. art.2. & hic respondet Doctor Subtilis ad 5. principale.

Relationis etiam sensu cõi pôt causari.

In responsione ad tertium. Nota singularem doctrinã. Quòd relationes fundatæ super potentiam actiuam & passiuam, non sint vniuersaliter, & semper reales: vt patet in Deo, qui creando & producendo creaturam non acquirit relationem realem Creatoris. Nec Aristoteles 5. Meta. tex.20. distinguit duos priores modos relatiuorum à tertio, in hoc, quòd in illis sit mutua realitas, in tertiò non, vt volebat supra Caietanus; sed in hoc, quòd in illis sint mutuæ relationes, in tertiò non; vt dictum est præcedenti q. art.2. fusiùs.

Relationes fundatæ per actiuã & passiuam non semper sunt reales.

Cur autem relationes fundatæ super potentiam actiuã, in ente limitato & finito, dicãt relationem realem semper, in ente verò infinito & illimitato, vel relationem rationis dicit, vel denominationem extrinsecam; optima ratio & clara assignatur in textu, nempe, potentialitas entis finiti ad ordinem, cum quouis alio ente creato: nõ tantùm actiua, quæ in Deo etiam est, sed passiua, vt possit esse pars, & recipere aliquam accidentalem perfectionem: ista autem potentialitas passiua, in ente perfectissimo & infinito, est impossibilis, propterea impossibile est, quòd ei aliqua relatio ad creaturam conueniat.

Reliqua sunt clara ex dictis.



DISTINCTIO XXXI.

DE RELATIONIBVS IDENTITATIS, similitudinis, & æqualitatis, vt in Diuinis reperiuntur.

QVAESTIO VNICA.

Vtrum identitas, similitudo, æqualitas, sint relationes reales in Deo?

Quòd non. August. 5. de Trinit. c. 5. &c.

SVMMA TEXTVS.

Conclusio istius Quæstionis est affirmatiua, prædictas scilicet relationes, esse in Deo reales. Ratio fundamentalis est. Ad relationem realem tria requiruntur. Primò. Vt fundamentum sit reale, & terminus realis. Secundò. Vt extremorum sit distinctio realis. Tertiò. Quòd ex natura extremorum sequatur talis relatio, per operationem intellectus, vel alterius potentiæ collatiuæ: sed istæ relationes habent prædictas rationes, vt patet inductiuè; ergo sunt reales. Fusius hanc materiam prosequitur in quodlib. q. 6.

COMMENTARIVM.



Anc Conclusionem Doctoris, quā tenet Ant. Andr. & Mayr. hìc art. 2. & Seraphicus Bonauent. dist. præsen. art. 1. q. 2. Gabr. & Ocam hic, cæteriq; Scotistæ, impugnant 1. par. qō. 42. art. 1. in responsione ad 4. Thomistæ. Vide Caietanum. Ban. Molin. Zum. Valen. ibid. quibus subscribit Vasq. 1. par. disp. 166.

Et ratio cur æqualitas (& similiter dic de identitate & similitudine, quas, ratione etiam Thomistæ distinguunt ab æqualitate) non sit relatio realis, sed rationis, est fundamentalis apud illos. Quia relatio requirit fundamentum proximum distinctum à fundamento sui correlatiui; sed hic fundamentum proximum æqualitatis, est Essentia, vel infinitas, in quantitate perfectionis, quæ Essentia & infinitas, vnica & indistincta est in Patre, Filio, & Spiritu S. ergo non potest fundari relatio realis.

Istud tamen fundamentum est nullum. Tum quia relationes originis, sunt reales relationes, & tamen sunt in vnica Essentia Diuina; ergo pari ratione istæ; vel si istis repugnat esse in vna essentia, & illis repugnabit. Confirmatur. Istæ relationes omnes intelliguntur aduenire essentiæ, vt in tribus suppositis; relationes autem originis non item, sed omnino indistinctissimæ Essentiæ, nō in tribus, sed potius tria constituunt supposita, in illa vnica Essentia; ergo si quæ est repugnantia ex parte vnitatis Essentiæ, erit eadem quoad relationes originis. Tum quia relationes tales ęquiparantiæ, fundantur super vnum, vt vult Arist. 5. Metaph. tex. 20. duo enim æqualia, fundantur in quantitate, vt sunt vnum specie: duo similia alba, fundantur in albedine, vt in isto & illo albo est vnitas specifica: ergo super maximè vnum, fundabitur maximè relatio æquiparantiæ, inter extrema distincta; cùm igitur hic extrema sint realiter distincta, Pater nempe, & Filius, & Spiritus S. ipsum fundamentum Essentiæ, vel magnitudo perfectionis in Essentia maximè vna, quia vna numero in tribus suppositis, erit maximè congruum fundamentum relationis æquiparantiæ. Tum quia ostensum est supra, in vna anima simplici, vel Angelo, vel intellectu, posse fundari realiter distinctas relationes oppositas, vt agentis & passi, mouentis & moti, idq; ob aliqualem illimitationem, tum animæ, tum Angeli, tum intellectus; ergo in vno ente, simpliciter infinito & illimitato, non repugnat fundari plures relationes &c.

Zumel loco allegato, videns difficultatem non esse solutam, illa relatione fundamentali Conclusione 8. dicit, ideo non esse realem relationem æqualitatis, inter Diuinas Personas, quia æqualitas per se primò respicit extrema vt sunt vnum, & quia vt sic refert illa; & quoniam vnitas illa est maxima, quæ peruenit vsq; ad vnitatē numericam, illa extrema referuntur vt vnum numero; ac proinde, non est relatio realis tunc, sicut & eiusdem ad seipsum non est relatio realis.

Sed ista responsio ita insufficiens est, vt & præcedens: & eodem modo habet instantiam, tum in vna Essentia Diuina respectu relationum realium originis, tum in creatura. Tum quia, licèt æqualitas per se primò respicit vnam rationem fundandi in vtroque extremo, puta in Patre, & Filio; quia tamen ipsa extrema istius relationis, supposita nempe Diuina, sunt realiter distincta, respicit extrema in ratione extremorum distincta, quamuis non in ratione fundandi distincta, & hoc sufficit ad relationem realem. Tum quia absolutè æqualitas, per se & formaliter dicit relationem, & ita distincta extrema primò respicit, & ex consequenti, connotat vnitatem essentiæ in illis extremis, vt optimè hìc S. Bonauentura. art. 1. q. 2. notauit; ergo per se æqualitas vt est relatio, primò respicit extrema vt distincta, & non vt vnum.

Aliqui dicunt, ideo æqualitatem non esse relationē realem in Diuinis, quia æqualitas intelligitur aduenire suppositis Diuinis, iam constitutis in esse personali per relationes originis, relatio autem realis non potest fundari super relatiuum, sed super absolutum; ergo æqualitas fundata super relationem realem, non est realis.

Istius responsionis meminit loco citato Caietanus. Sed illa propositio: Relatio realis, non potest fundari super relationem: est simpliciter falsa, vt notauit Subtilis Doctor in 4. distin. 6. q. 10. & distin. 12. q. 1. improbataque est superiùs. Relatio realis pōt fundari sup relationes.

Aduerte vlteriùs. Aliquos Thomistas docere hanc sententiam Scoti esse periculosam. Quia videtur contrariari Patribus, & Concilijs, qui solum ens reale agnoscunt ibi, Essentiam Diuinam, & relationes originis, ergo ponere relationes alias reales, est contradicere Patrib. & Concilijs.

Sed (pace tantorum virorum dicam) longè securior est in fide sententia Scoti in præsenti materia, quàm opposita. Quia Filius Dei, non per operationem nostri intellectus, sed ex natura rei, est Patri æqualis, ad Philip. 2. *Non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo.* Augustinus super Ioan. Homil. 16. super illa verba. *Aequalem se faciens Deo:* dicit. *Non se ipsum æqualem faciebat, sed ille qui eum genuit.* Athanasius in Symbolo. *Aequalis Patri secundum Diuinitatem.* Deinde Patres, tum Græci, tum Latini, vnanimi consensu asserebant, contra Arrium, Filium Dei esse ęqualem Patri. Scoti sentētia non est contra Patres imò securior, quā opposita.

Idē definitum est apertè in Concilijs, Nycæno, Constātinopolitano I. Toletano primo. Lateran. c. *Firmiter*, &c.

Scriptura igitur Sacra, Patres, & Concilia, non intendebant vsq; adeo ponere in Deo ens rationis. Quia entia rationis ponere in Deo, vel non ponere, non pertinet ad fidem; nec propter ens rationis in Deo negatum, Arrius, & omnis negans æqualitatem in Diuinis, anathemati subijcitur, & damnationi ęternæ est obnoxius, sed propter aliquid reale Deo conueniens, ab hæreticis non conueniens. Vnde si quis modò negaret in Deo esse relationes rationis ad creaturam, non ob id hæreticus esset, neq; requireretur Ecclesiæ authoritas, aut determinatio hac in parte; ita qñ in particulari negatur, hoc ens rōnis & illud, Deo conuenire ad intra, non ob id erit hæreticus. Arrius igitur si solum ens rationis negauit in Deo, nempe æqualitatem, quę per te est ens rōnis, non videtur cur debeat dici hæreticus

cus;cùm ob vniuerſaliter negata entia rationis, nullus Philoſophorum vel Theologorum negantium, cenſeatur hæreticus.

Præterea Auguſt.tomo 11.lib.de animæ quantitate,cap. 9.omnino aſtruit,æqualitatem eſſe perfectionem ſimpliciter;ſed ens rationis non eſt perfectio ſimpliciter, cùm non ſit ens ſimpliciter.

Longè igitur puto ſecuriùs dici à Theologo, inter Diuinas Perſonas eſſe æqualitatem ex natura rei,non cogitante vllo intellectu creato; quàm cùm dicitur à quodam ſuper 1.part.q.42.in quodam puncto ante operationem intellectus noſtri Perſonas Diuinas non eſſe æquales; & ita (ſecundùm hunc) de æqualitate Filij, articulus & determinatio Eccleſiæ,erit determinatio & articulus de ente rationis; quod ille viderit.

Quomodo ad relationes reales, requirũtur extrema diſtincta realiter.

Circa ipſam literam. Nota. Quòd cum relatio oppoſita, realiter diſtincta, poſſit eſſe in vno & eodem ſubiecto ſimplici,vt dictum eſt de intellectu,vel de Angelo: videtur eſſe falſum, quod hìc dicitur à Doctore; *ad relationem realem tria requiri*: & inter cætera, vt extremorum ſit diſtinctio realis; cur igitur in anima, dum ſeparata à corpore ſeipſam mouet, & mouetur,efficit intellectionem & recipit: ibi relatio mouentis & moti,agentis & paſſi,non erit realis,quia non eſt diſtinctio extremorum realis? Ad hoc quamuis dici poſſet,quòd verè in anima mouẽte & mota (& idem iudicium eſt de alijs ſimilibus) ſit diſtinctio realis, non quidẽ in anima ſecundùm ſe,ſed anima quatenus eſt mouens,diſtinguitur realiter à ſeipſa, quatenus eſt mota,ratione alterius & alterius accidentis: ſicut Petrus albus, diſtinguitur realiter à ſeipſo nigro, vt ratio diſtinguendi attenditur penes accidentia: atque ita non contradicitur poſitioni præſenti. Puto tamen aliter dicendum: Quòd iſta tria requirantur, nõ ſimpliciter de neceſſitate,ſed vt in pluribus relationibus realibus, & vt communiter conceditur iſta ſufficere. Vnde notanter in textu dicitur, *ad relationem realem tria ſufficiunt*, non dicitur, de neceſſitate requiruntur, ſed *ſufficiunt*, ex communiter conceſſis; prior tamen conditio & tertia, ſimpliciter requiritur neceſſariò ad relationem realem; ſed diſtinctio extremorum præſuppoſita relationibus,licèt in multis relationibus realibus requiratur neceſſariò, vt relatio cauſę & cauſati,producentis & producti,non tamen vniuerſaliter & neceſſariò in omnibus; Tum quia indiſtincta realiter poſſunt ſub eſſe relationibus oppoſitis.

Dices. Relatio de neceſſitate eſt ad aliud.

Reſpondeo. Quòd iſtud aliud, non vniuerſaliter debet eſſe diſtinctum realiter, ſed ſufficit quòd ſit aliud modaliter,vel accidentaliter; ſic alius eſt modus,quo ſe habet anima vt actu mouet,alius,vt mouetur & quaſi patitur,

Alia quæ contra hanc literam adduci poſſent, & ſolui, fuſiùs examinabuntur in quodlibetis,q.6.

DISTINCTIO XXXII.

VTRVM PATER VEL FILIVS DILIGANT SE Spiritu Sancto, & vtrum ſit Pater ſapiens, ſapientia genita.

QVÆSTIO I.

Vtrum ſit Pater ſapiens ſapientia genita?

Quòd ſic. Pater dicit Verbo,ſecundùm Auguſt., &c.

SVMMA TEXTVS.

Pater non eſt ſapiens ſapientia genita

Concluſio principalis huius Quæſtionis eſt negatiua. Pater nõ eſt ſapiens ſapientia genita, ſed ſapiens ſapientia ingenita. Ratio negationis eſt. Quia aliquis actus eſſentialis, non poteſt habere in Perſona Patris rationem principij Quo, vel in ratione actus, vel in ratione quaſi potentiæ & habitus, niſi ſit in illo formaliter, ſeu vt dicit Richar.ar.2.q.1.niſi ſignificet rem in alio, quaſi ad modum formæ, ſicut dicitur albus albedine; ſed ſapere in Patre eſt actus eſſentialis, & ſapientia genita non eſt in Patre formaliter, quia aliàs Pater eſſet formaliter ſapientia genita, & conſequenter Filius, quod eſt impoſſibile; ergo ſapientia genita, non poteſt eſſe quaſi actus intelligendi eſſentialis Patri, vel quaſi principium Quo.

Dices. Habet rationem Quod, ſicut Filius eſt ſapiens ſapientia genita, ita & Pater; vel ſicut Pater creat Verbo, ita & ſapit ſapientia illa, quæ eſt Verbum.

Reſpondeo. Filius ſapit ſapientia genita, quia eſt principium principiatum & productum, & omnia habet per generationem; ſed Pater cùm ſit improductus, non poteſt dici quòd genita ſapientia ſit ſapiens; ſimiliter, cùm dicitur Pater creat Verbo; ſubintelligitur, quòd Pater Verbo tanquam principio ſubauthoritatiuo creat, quia vim creandi per generationem communicat Verbo; non ſic poteſt dici, Pater ſapit ſapientia genita: quia iſte actus, ſapere, denominat illum formaliter, & formaliter ineſt illi, qui ſapit; ſapientia autem genita, non eſt formaliter in Patre, vt aliàs dixi.

Pater verbo creat.

Ante reſolutionem Quæſtionis, præmittitur vnus longus diſcurſus, de iſtis duabus propoſitionibus. Pater declarat Verbo, Pater dicit Verbo, an ſint admittendæ. Vbi inprimis dicit. Quòd ſicut verbum noſtræ mentis, habet duplicem reſpectum; vnum ad ſuum producens, & illa pertinet ad ſecundum modum relatiuorum; alium ad ſuum obiectum, quod manifeſtat & declarat, quo formaliter dicitur verbum declaratiuum obiecti; ita Verbũ Diuinum, dicit vnam relationem realem ad Patrem, expreſſi ad exprimentem, ſiue geniti ad generantem; alium dicit reſpectum rationis, ad illa quæ declarat, & dicitur relatio declaratiui ad declarantem, vt ad Patrem, ſiue declarantis ad declarata, vt ad creaturam; & quòd iſte reſpectus ſit rationis, prior autem realis, vide dicta diſt.27.q.8. & hic à Doctore.

Verbum [noſ]trum [ha]bet du[plicem] reſpect[um]

Dicit Secundò Doctor. Quòd hic terminus, Declarare, ſumitur dupliciter: vno modo formaliter, ſicut imago eſt declaratiua eius cuius eſt imago; alio modo accipitur declarare quaſi effectiuè, pro eo quod eſt producere declaratiuum, ſicut faciens imaginem, declarat principatiuè obiectum in tali imagine relucẽs; Sic in Diuinis Pater declarat Verbo principiatiuè, Verbum autem declarat formaliter.

Declar[are] ſumit[ur du]pliciter.

Dicit Tertiò. Dicere, (vt ſumitur ſcilicet terminus, ad intra in Diuinis) accipi poſſe quadrupliciter. Primò, ſumitur dicere merè eſſentialiter, & ſignificat idem quod intelligere; & ſic Pater non dicit Verbo, nec formaliter nec principiatiuè, ſicut nec ſapit ſapientia ingenita. Secundò ſumitur perſonaliter, vt ſignificat idem quod producere; & ſic Pater dicit Verbum, non Verbo, ſecundùm Auguſt. Et Verbum dicitur, ſiue generatur & producitur. Tertiò ſumitur dicere, pro declarare formaliter: & ſic Verbum dicit, ſiue declarat, omnia declarabilia formaliter. Quartò tandem ſumitur, pro declarare principiatiuè, vt modò dictum eſt: & ſic poteſt concedi, quòd Pater dicit Verbo: & ſecundùm hanc acceptionem, principale ſignificatum huius termini, declarare, erit eſſentiale: quia declarat Filius etiam creaturam, ad quam ſecundùm rationem eſſentialem comparatur: vt dictum eſt diſt.30. Connotabit tamen notionale, ſeu productionem Perſonæ Verbi, quod vt eſt principium ſubauthoritatiuum, declarat creaturam.

Dicere [qua]druplic[iter].

Dicit

Dicit Vltimò Doctor. Quòd declarare formaliter conuenit Verbo, non ab intrinseco, & propriè soli, sed per appropriationẽ, quia Verbum ex vi productionis suæ est distinctissima repræsentatio Essentiæ Diuinæ, quæ est obiectum intellectus Diuini; ac proinde illi conueniet, ex vi processionis, declarare Essentiam.

Vide fusissimè de hac quæstione, & sequenti, Doctissimum Alensem 1. part. q. 67. per plures articulos S. Bonauent. Richardum, Mayr. dist. præsenti. Nec discrepant in hac quæstione Thomistæ 1. p. q. 39.

COMMENTARIVM.



Onclusio negatiua istius Quæstionis, est apertè D. August. lib. 1. Retract. c. 26. Is enim licèt libro 83. qq. q. 23. videatur fauisse oppositæ sẽtentię, illam tamen in lib. Retract. loco cit. retractat dicens, ꝙ meliùs hoc ab ipso fuisset in lib. 7. de Trinit. determinatum, vbi docuerat hanc argumẽtationem non valere; si Pater fuit sine Filio, cùm Filius sit eius sapientia, Pater fuit insipiens. Non valet autem propterea. Quia sapientia, non tantùm Filio cõuenit, sed etiam Patri & Spiritui Sancto. Eiusdem tñ Augustini est authoritas. Tum 6. de Trinit. c. 10. vbi dicit; Filius est ars quædam omnipotentis & sapientis Dei, vbi omnia nouit. Tum 15. de Trinit. cap. 14. Nouit Pater omnia in seipso, nouit & in Filio.

Ex quibus authoritatibus videtur hoc posse colligi. Quòd sicut Pater nouit in Filio, ita est sapiens sapientia genita; cùm sit par ratio.

Respondetur. Non dicit August. vllibi, Pater nouit Filio: vel, Pater intelligit Filio; sed, Pater nouit omnia in Filio: non ꝙ Filius sit Patri ratio cognoscendi omnia, nihil enim Pater habet à Filio; sed quia Filius est ars, & imago Patris, & exemplar declaratiuum rerum omnium, iuxta aliàs dicta: cognoscendo Pater Filium, vt in obiecto cognito, cognoscit alia declarata per Verbum, non tamen cognoscit Filio; quia ipse modus loquendi, quòd Filius sit Patri principium, vel actus cognoscendi omnia, dicit in Patre imperfectionem; vt dicit Doctor in ratione Conclusionis, & bene adnotauit D. Bonauent. dist. præsenti art. 2. q. 1.

Difficultas alia occurrit, an Filius sit sapiens sapientia genita. Et ratio dubitandi est. Quia ita inest Filio essentialis sapientia, sicut & Patri; sicut Pater est sapiens sapientia ingenita, ita & Filius.

Magister dist. præsenti, & communiter cum eo Theologi admittunt istam propositionem: Filius est sapiens sapiẽtia genita. Hoc explicari potest ex Richar. dist. præsent. art. 2. q. 2. conformiter dictis Doctoris quæst. præsen. quòd Filius in Diuinis dicitur sapiens aliquo tripliciter. Vno modo subauthoritatiuè ab alio, tanquam ab eo, à quo est sapiẽs: & ita est sapiens sapientia ingenita, quę est Pater, sicut enim Filius habet à Patre quòd sit, ita à Patre habet quòd sit sapiens. Alio modo formaliter, tanquam actu habente se per modum formæ in intellectu; & sic Filius est sapiens sapientia essentiali, quæ est ingenita, sumendo ingenitum, nõ notionaliter, pro Persona Patris, sed essentialiter, pro non producto vt Quod. Tertio modo, Filius est sapiens aliquo, tanquam supposito habente formam; & sic Filius est sapiens sapientia genita, id est seipso.

[Margin: ...ius Sa- ...ns dici- ...triplici-]

QVÆSTIO II.

Vtrum Pater & Filius diligant se Spiritu Sancto.

Quòd non. Quia aut diligere sumitur essentialiter aut notionaliter.

SVMMA TEXTVS.

In Prima parte istius Quæstionis, recitantur quinque Opiniones, minùs declarantes propositum. In secunda parte, proponitur Conclusio Doctoris, talis. Ista propositio, Pater & Filius diligunt se Spiritu Sancto: vera est principiatiuè, quatenus Pater & Filius principiant Spiritum Sanctum, qui ex vi suæ processionis, appropriatè est amor, seu dilectio: vt sit sensus, Pater & Filius producunt amorem, qui est Patris & Filij.

Tandem respondetur argumentis principalibus.

COMMENTARIVM.



N Prima parte, Secunda sententia & Tertia posita, cuiusnam sit, non certò constat: meminit tamen illius, pręter Doctorem, etiam Alex. de Ales 1. part. q. 67. mem. 3. ar. 3. aliorum narrando opiniones. *[Margin: Pater & Filius quomodo diligunt se Spiritu Sancto.]*

Ipse autem Doctor Irrefragabilis ibid. Quartam ex his adductis amplectitur sententiam, quòd Pater & Filius diligant se Spiritu Sancto, non propriè ablatiuum illum accipiendo vt suppositum est, sed appropriatè dilectione, quæ appropriatur Spiritui Sancto, ex vi processionis illius. Eandem sententiam postea secutus est Durand. dist. præs.

Hæc tamen Opinio, vt Doctori Subtili, ita Doct. Seraphico hìc art. 1. q. 1. non placet, ob rationem in textu positam.

Quinta Opinio hìc recitata, est Richar. de Media Vil. dist. præs. D. Thomæ 1. p. q. 37. art. 2. Caietani, Zumel, Ban. Val. Molin. ibid. quòd diligere, sumitur dupliciter. Vno modo essentialiter; & sic istã dicũt esse falsam; Pater & Filius diligunt se Spiritu Sancto. Quia dilectio essentialis, est communis tribus Personis. Alio modo sumitur iste terminus notionaliter, & est vera locutio: vt sit sensus, Pater & Filius diligunt se Spiritu Sancto, id est, spirant Spiritum Sãctum: sicut enim florere arborem, est flores producere, & dicere Verbum, est producere Verbum; ita diligere Spiritum Sanctum, est producere Spiritum Sanctum. *[Margin: Opinio Thomistarum]*

In hoc tamen distinguitur Richardi positio, à positione D. Tho. Quia Richardus putat illum ablatiuum, Spiritu Sancto, construi in habitudine causæ formalis, quia videlicet Spiritus Sanctus est amor, quo formaliter Pater & Filius se inuicem diligunt. At verò D. Thomas docet illum ablatiuum, construi in habitudine effectus formalis.

Istud dictum suum probat tali discursu. Omne denominatiuum habet rationem termini formalis: idque non solùm vt ab actione formali, sicut ignis dicitur calefaciens calefactione, sed etiam denominatur vt ab effectu producto; idque quando effectus in intellectu actionis includitur, sicut arbor denominatur florere formaliter floribus, qui sũt effectus arboris: cùm igitur diligere notionaliter sumptum, sit huiusmodi actio, quòd ab illa, vt ab actione producendi Spiritum Sanctum, & vt ab effectu (seu producto) apta sit esse denominatio in diligente: sicut in simili dicimus, Pater dicit Verbo; ergo meritò possumus dicere, Pater & Filius diligunt se Spiritu Sancto.

Ista Opinio D. Thomæ, non placet Doctori Subtili hìc. *[Margin: Reijcitur opinio Thomistarum.]*

Primò. Quando agens potest denominari ab aliquo termino, incluso indistinctè in aliqua actione, poterit etiam denominari, distinctiori & euidentiori modo, incluso in actione ad ipsum; sed per te, Spiritus Sanctus est terminus dilectionis Patris & Filij, & Spiritus Sanctus est terminus istius dilectionis, qui nõ ita euidenter in dilectione vt actio est includitur, sicut Spiritus Sanctus in spiratione actiua ad ipsum terminata: vel saltem non magis in dilectione Spiritus Sancti includitur, quàm includatur in spiratione actiua: ergo, qua ratione potest denominari Pater & Filius, diligentes se Spiritu Sancto, à termino dilectionis, incluso in actu diligendi, eadem ratione, vel fortiori, potest denominari Pater & Filius spirare se Spiritu Sancto, ob terminum Spirationis, nempe Spiritum Sanctum, in tali actione inclusum. Simili modo argui potest de ædificio: quod cùm sit effectus inclusus in actione ędificandi, non denominat ędificatorem. Ista enim est falsa: Aedificator ædificio ædificat: vnde patet, quòd Maior rationis Thomisticæ sit falsa.

Ad hoc argumentum respondet Caietanus supra. (cuius solutioni arridet Zumel, & communiter Thomistæ) In

intellectu

intellectu actu claudi effectum, contingit dupliciter: Vno modo vt specificantem & determinantem qualitatem actionis, sicut in dealbare, clauditur albedo, & in calefacere, clauditur calor; Secundo modo, clauditur effectus, vt coniunctus illi actioni, vt productum suæ productioni: vt in ly dico, vocaliter sumpto, clauditur verbum vocale: est enim dicere, verbum proferre; Et hoc modo sumitur à D. Thoma: est enim sensus fundamenti, Quandocunque in intellectu actionis, tali termino significante, clauditur effectus, vt effectus coniunctus suæ productioni, tunc producens denominari potest in ablatiuo ab illo effectu; spirare verò non importat effectum nisi specificatiuè, non autem vt coniunctum.

Caietanica solutio est friuola

Ista responsio licèt Francisco Zum. videatur esse subtilis, mihi tamen visa est semper friuola. Nam ille effectus magis est coniunctus actioni, qui magis est de conceptu actionis; sed magis est de conceptu ædificationis ædificium, & de conceptu Spirationis actiuæ spiratio passiua, quàm spirari de conceptu diligere. Patet; quia possum intelligere, diligere, (puta essentiale in Spiritu Sancto) absque termino per illam producto; & non est possibile intelligere, spirare actiuè, absque spirari passiuè; nec ædificare absque ædificio; ergo ista sunt magis coniuncta actionibus suis, & per consequens, magis denominabitur tale agens, ab eiusmodi terminis, quod tamen etiam apud illos falsum est. Deinde, per illam coniunctionem, quæro quid intelligis? si inclusionem intimiorem quasi, magisque intrinsecam actioni; (qui solus sensus est ad mentem D. Thomæ 1. part. q. 37. art. 2. vt bene literam perpendenti, & non peruertenti constat) & sic ex ipsa æthymologia & discursu Doctoris patet, magis esse intrinsecam conceptui huic, spirare Spiritum Sanctum, vel ædificare ædificationi, quàm Spiritum Sanctum dilectioni; vel intelligitur id quod ex nostro Doctore, quæst. præced. non longè à principio deducit Zumel (licèt non hoc, sed aliud ibi intendat Subt. Doctor) quod aliqui effectus significantur, & vt termini; & vt obiecta producta, aliqui verò vt termini; & ab istis non denominatur agens, ab illis verò denominatur. Et hoc non valet. Quia cùm tam dilectionis, quàm spirationis sit per se terminus Spiritus Sanctus, consequenter vtrobique erit, vel vt tantùm productū, vel vt productum & obiectum. Simpliciter, illa euasio de coniuncto effectu, est ficta merè ad libitum, & nihil ad B.

Secundò improbat Doctor Subtilis positionem D. Tho. Dato quòd Spiritus Sanctus produceretur dilectione, (quod tamen non conceditur, vt visum est dist. 2. q. 5.) adhuc ista propositio: Pater & Filius diligunt se Spiritu Sancto: non posset concedi. Probatur. Nunquam actus notionales reflectuntur super sua principia Quod: sed diligere, in præsenti materia, est actus notionalis; ergo nunquam reflectitur super suum principium Quod: istud autem est Pater & Filius, qui sunt duo spirantes, & vnus Spirator, respectu Spiritus Sancti; ergo non potest reflecti super Patrem & Filium. Minor est Thomistarum. Maior patet. Quia nec Pater generat se, nec Pater & Filius spirant se; ergo nec diligunt se notionali dilectione.

Actus notionalis nō reflectitur supra suum principium Quod.

Zumel, Caietan. Ban. respondent vnanimiter ad hoc argumentum. Quòd licèt actus notionales non reflectantur super sua principia, quasi principia per illa producantur, reflectuntur tamen super principia vt super obiecta, in quo sensu dicitur à S. Thoma, quòd Pater & Filius, diligunt se Spiritu Sancto.

Contra. Tum quia pari ratione actus notionales spirandi & generandi, reflecterentur super sua principia vt super obiecta; & sic ista; Pater generat se verbo: & ista; Pater & Filius spirant se Spiritu Sancto; admitti deberent à Thomistis; quas tamen enunciationes omnis Theologia constanter negat. Tum quia obiectum actus dilectionis primarium, est Essentia Diuina, vt ostendi dist. 1. q. 2. ergo super illam esset reflexio illa actus: sed non attribuuntur actus notionales, vt tenet communis Schola Theologorum dist. 5. Essentia enim nec generat nec generatur; ergo nec reflexio actuum notionalium attribui debet super ipsam. Tum quia ex vi constructionis, pronomen reciprocum additum verbo actiuo, denotat actum terminari ad idem suppositum à quo procedit ille actus, vt dictum est dist. 4. q. 1. & propterea ista est falsa: Pater generat se; Pater spirat se: ergo & ista: Pater diligit se: sumendo diligere notionaliter, pro producere, erit falsa, ex vi constructionis, ex modo loquendi, nisi ad improprijssimum sensum velimus detorquere.

Tertiò improbatur à Doctore Subtili præsens positio. In actione transeunte, per verbum actiuum significata, non denominatur agens per actionem ab effectu in ablatiuo: nec enim calidum hoc, calefacit illo calefacto, nec ædificator ædificat ædificio; sed diligere notionaliter sumptum, est verbum actiuum, significans actionem Patris & Filij, transeuntem in Spiritum Sanctum; ergo diligere, non denominabit Patrem & Filium, in ablatiuo ab ipso producto, nempe à Spiritu Sancto, quòd Pater & Filius diligant se Spiritu Sancto. Ex hoc patet, quòd exemplum de florere, non est ad propositum. Cùm enim istud verbum sit neutrum, non actiuum, non significabit actum productiuum: & ita non poterit cum illo ablatiuus ille, floribus, coniungi in ratione effectus producti per florere; sed tantùm in ratione formaliter denominantis, ad eum modum, quo aliquis dicitur nitere vestimento, vel calere calore, quæ idē sunt, ac si diceres per nomina adiectiua, formaliter denominantia, sic, Nitidus est vestimento: calidus est calore; & sic verbum hoc neutrum, non significans actum, malè applicatur ad diligere, quod est actiuum, & significās actum. Quod si hoc verbum acciperetur actiuè, vt idem significat, quod florificare, seu flores emittere, tum secundum rectam constructionem, verbum actiuum deberet construi cum accusatiuo, florificat flores, non floribus: & proinde, accipiendo florere actiuè (licèt ista acceptio non sit in vsu) cùm deberet construi in accusatiuo, non ablatiuo, non esset exemplum ad propositum de verbo actiuo diligere, constructo cum ablatiuo.

Vnde non malè soluit istam Doctoris Obiectionem Caietanus, 1. part. quæst. 37. art. 2. quòd hoc exemplum à D. Thoma ponitur, non quòd ita sit. &c. Realis autem illius ibid. responsio nihil valet: quia non datur directè ad impugnationem, vt patebit legenti.

Consimili modo impugnat D. Thomæ Opinionem Aureol. dist. præsen. Nec reuera solutiones Capreoli satisfaciunt.

In secunda parte Quæstionis, licèt positio Doctoris clara sit, clarior tamen euadet, si diligere distinguatur quadrupliciter, vt ante distinguebatur dicere, & distinguit Doctor in Report. Potest enim accipi primò merè essentialiter; & sic quælibet persona diligit se, & aliam personam, dilectione essentiali. Secundò, potest accipi merè personaliter; & sic diceretur diligere idem quod spirare, sicut dicere significat generare; non tamen iste modus loquendi est in vsu Theologis, sed pro diligere sic sumpto, vsurpāt terminū spirare. Tertiò pōt accipi diligere, pro acceptare formaliter, sicut dicere sumebatur pro declarare formaliter; & sic appropriatè conuenit diligere Spiritui S., quia ex vi productionis est amor & dilectio; vñ diligere ita acceptū, est essentiale secundùm se, sed notionale per appropriationem. Quartò, accipitur diligere pro acceptatione, secundū quod principiatiuè denominat spirantes; & sic diligere nō aliud est quàm acceptare aliquo à se producto, vt dicat notionale principaliter, nempe producere spirando, & connotet essentiale, quod est acceptare: & sic conuenit Patri & Filio diligere, quia illis conuenit producere Spiritum Sanctum; & in illa propositione: Pater & Filius diligunt se Spiritu Sancto; iste ablatiuus, notat in Patre & Filio authoritatem, & in Spiritu S. subauthoritatem, non quòd sic diligere (pro principali sic significato) conueniat subauthoritatiuè Spiritui Sācto, quia sic haberet vim producendi alium Spiritum Sanctum, quod est impossibile; sed quia Spiritui Sancto conuenit diligere formaliter per appropriationem, iuxta tertiam acceptionem: istud autem est diligere formaliter, sicut & esse suppositi, Spiritus Sanctus accipit à Patre & Filio; atque ita subauthoritatem notabit in Spiritu Sancto, ille modus loquendi Pater & Filius diligunt se Spiritu Sancto.

Ab ista positione non multùm dissidet sententia Ægidij Romani,

Romani,& Gerar.Senen.dist.præf.qui docent prædictum ablatiuum construi in ratione termini producti, & consequenter principiatiuè denominabit personas producentes seu spirantes, habentes tale spiratum vt terminum, cui per appropriationem conuenit esse amorem.

Hoc idem vult Seraphicus Bonauent. in præsenti art. 1. q.2.& Alen.1.par.q.67.memb. 3. & hinc patet solutio primi & secundi argumenti principalis.

Ex omnibus prædictis modis sumendi dilectionem, patet,quòd solus quartus est ad propositum,& secundū eum Conclusio Doctoris procedit.

Nota Secundò. Illæ quæstiones: An Spiritus Sanctus diligat se Spiritu Sancto: vel, An Spiritus Sanctus diligat Patrem & Filium Spiritu Sancto: & tertio, An Pater & Filius diligant omnia alia Spiritu Sancto: ita debent resolui secundùm nostrum Doctorem, vt primo concedatur esse vera, accipiendo terminum diligere, tertio modo, ex paulò ante dictis, pro amore essentiali appropriato Spiritui Sancto. Nam Spiritus Sanctus diligit se dilectione formali, quæ per appropriationem est Spiritus Sanctus. Eodem modo dici debet ad secundam quæstionem, & ad hanc, Spiritus Sanctus diligit creaturam, se Spiritu Sancto.

Illa autem quæstio. An Pater & Filius diligant creaturam Spiritu Sancto: negatur esse vera à Doctore hìc in responsione ad quartum,idq; propterea,quia Spiritus Sanctus ex vi productionis suę,nō est amor acceptatiuus creaturæ, quia vt cognitio creaturæ non præintelligitur Diuinæ generationi, vt dicitur in 2.dist.1.q.1. ita dilectio creaturæ non præintelligitur spirationi; & deinde, quia Spiritus Sanctus est appropriatè amor omnis amati necessariò, non autem contingentis; ac proinde Spiritus Sanctus erit ex vi productionis amor Essentiæ Diuinæ, & omnium in Essentia necessariorum, vel necessariò volitorum, non sic de creatura.

Ista tamen doctrina hoc tantùm vult, quòd Pater & Filius non diligunt creaturam Spiritu Sancto: sicut seipsos diligunt Spiritu Sancto: seipsos enim diligunt necessariò, creaturam autem diligunt contingenter. Quare non negat quòd in aliquo alio vero sensu hæc propositio, Pater & Filius diligunt creaturam Spiritu Sancto, concedi possit,vt a Richar.Bassolio,& à Thomistis conceditur,imò & ab ipso Doctore in Report.distin.præsenti. Sicut igitur præcedenti quæstione dictum est,quòd Verbum Diuinum dicit respectum vnum ad producens,& iste est realis; alius ad obiectum quod manifestat & declarat, & tale obiectum est Essentia Diuina, Personæ Diuinæ, & creaturæ quas declarat Verbum; & iste semper etiam in nobis est realis, at in Deo nullo modo est realis respectus verbi ad essentiam vel creaturas,vt dictum est; ita Spiritus Sanctus dicit respectum,& ad spiratorē; & iste est realis, & ad obiecta, quæ diliguntur, vt ad Essentiam, ad Personas Diuinas,& ad creaturam: sicut ergo, Verbum non producitur de cognitione creaturæ, & tamen aptum est repræsentare creaturam; ita esto quòd non spiretur Spiritus Sanctus de dilectione creaturæ, ille tamen dicet relationem rationis, vt ad obiectum secundarium volitum; & sic potest concedi, quòd Pater & Filius diligunt creaturam Spiritu Sancto,in hoc sensu, quia Pater & Filius Spiritum Sanctum (qui Spiritus Sanctus per appropriationem est principaliter amor,omnis amati necessariò,secūdariò autem etiam entis creati, voliti, & acceptati) producunt. Et sic debet modificari responsio ad Quartum principale.

Nota Tertiò. Ista enunciatio, Pater diligit se Spiritu Sancto: est vera: quia sensus eius est: Pater spirat Spiritum Sāctum, cui ex vi productionis per appropriationem conuenit esse formaliter amorem & dilectionem. Pater diligit se Spiritu Sancto.

Inferes. In primo instanti, vt non intelligitur prior Filio,diligit se; ergo diligit se Spiritu Sancto, & ita Spiritus Sanctus præintelligitur Filio.

Respondeo. In primo instanti Pater diligit se,amore essentiali, in tertio autem signo, dum intelligitur produxisse Spiritum Sanctum,intelligitur diligere se Spiritu Sancto; & hæc est resolutio Doctoris.

Alia responsio assignatur in textu in responsione ad tertium principale,Henrici art.54.In ista propositione: Pater & Filius diligunt se Spiritu Sancto: ly se, vel construitur transitiuè; & sensus est, quòd amor Pater, quasi transit in Filium,& Filius in Patrem,ita quòd & Pater diligit Filiū, & Filius diligit Patrem: vel secundò reciprocè construitur;& sensus est,quòd & Pater diligit seipsum,& Filius diligit seipsum,non cointelligendo quòd vna persona diligit alteram: sed quòd quælibet diligit se. Secundùm priorem sensum debet concedi hæc propositio: Pater & Filius diligunt se Spiritu Sancto,non secundùm alium,secundùm Henrici sententiam, explicatam supra distin. 2. vbi docuit produci Spiritum Sanctum à Patre & Filio, amore iucundo, quia Pater impendit amorem Filio, & Filius rependit Patri; hoc autem significat hìc constructio transitiua. Et consequenter Henricus diceret, ad istam propositionem: Pater diligit se Spiritu Sancto: illam non esse concedendam; quia est constructio reciproca,non transitiua. Sed vt primum fundamentum est falsum,vt superius ostensum est, ita etiam hoc corrolarium, illatum ex falso principio; non est admittendum. Et sic est intelligenda responsio ad Tertium principale. Atque adeo sufficienter resoluta manent argumenta principalia.

DISTINCTIO XXXIII.

VTRVM PROPRIETATES PERSONARVM sint ipsæ personæ, vel Deus, id est, Diuina Essentia.

Circa Distinctionem Trigesimam tertiam. Quaero duo sine argumentis, &c.

DISTIN-

DISTINCTIO XXXIV.

AN IDEM SIT PERSONA, ET ESSENTIA: &, An eadem Essentia possit esse, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus.

Quæro vnum circa Distinctionem Trigesimam quartam, sine argumentis, &c.

COMMENTARIVM.

ILla Quæstio, An proprietas sit idem cum Persona, sufficienter soluta est à Doct. sup. d. 5. q. 2. & distin. 26. Alijs etiam duabus quæstionibus hìc motis, quamuis sufficienter à Doctore in superioribus maximè dist. 2. q, 7. & dist. 26. satisfactum sit; vt ēt ipsemet Doctor ad ante dicta se remittit: quia tamen importunæ multorum instantiæ, tū de ista formali distinctione, tum de conclusione, ꝙ relatio distinguatur ab Essentia ex natura rei, vberiorem doctrinam exigunt, & dist. 2. q. 7. atq. dist. 8. q. 4. ad hunc locū me remisi; ideo promissis stādum, & doctrinæ clariori satisfaciendum est. Quare

Dubitatur Primò.

Vtrum Essentiam Diuinam & relationem, admitti possit distinctio formalis ex natura rei.

Videtur quòd non. Primò. Essentia Diuina ob sui infinitatem & illimitationem, non minorem vim habet vt cū ea relationes sint idē formaliter, quàm, vt cum ea sint idē re; sed relationes Essentia infinita Dei identificat sibi realiter, quia aliàs esset quaternitas in Diuinis, contra definitionem Concilij Lateranensi cap. *Damnamus*. de summa Trinitate, & Fide Cathol.; ergo eadem infinita Essentia, identificabit sibi relationes formaliter.

Confirmatur. Quia vel æqualem habet essentia infinitatem ad realitatem relationis, & ad formalitatē; & ita identificabit sibi formalitatem sicut realitatem; vel inæqualē, & sic non erit essentia infinita formaliter.

Secundò. Si distinctio ponitur formalis inter essentiam & relationem, sequitur quòd suppositum Diuinum sit cōpositum ex distinctis rationibus formalibus sicut Angelus ex genere & differentia; sed compositio oīs repugnat Deo, vt habetur c. *Firmiter*, cùm dicitur Deū esse tres Personas, & vnam Essentiam simplicem omnino; Ergo &c.

Tertiò. Si relationes distinguuntur ex natura rei ab essentia, tunc erūt actus determinantes essentiam, & essentia se habebit ad relationes, tanquam potentia ad actus; quod est falsum, cùm ista dicant compositionem.

Quartò. Relationes non essent Deus formaliter, neque Deitas in sensu formali; simpliciterq; & absolutè loquēdo, ita aliquid esset in Deo, quod non esset Deus.

Quintò. Concilium Florent. sess. 18. & 19. sæpe asserit, relationes sola ratione distingui ab essentia; ergo oppositum dicere, est contradicere Concilio.

Confirmatur Primò, ex illo communi dicto Theologorum. In diuinis omnia sunt vnum, vbi non obstat relatiua oppositio. Quod pronunciatum, desumptum est ab Ansel. in lib. de processione Spiritus Sancti ca. 3. & citatur à Concil. Florent, sess. 19.

Confirmatur Secundò, ex Philos. 12. Metaph. tex. 24. vbi ait; quòd omnis distinctio fundatur in aliqua oppositione; inter essentiam autem & relationem nulla formalis oppositio inuenitur.

Sextò. Distinctio formalis ex natura rei, maior est, quàm distinctio quæ fit per extrinseca accidentia, quia illa fit per intrinseca, vt affirmat Scotus in 4. dist. 2. sed esset absurdū dicere, quòd Paternitas in Deo, magis distinguitur ab Essentia Dei, quàm Petrus albus à seipso nigro; ergo non est ibi distinctio formalis ex natura rei.

Septimò. Ea quæ ex natura rei formaliter distinguuntur, non prædicantur de se inuicem in abstracto; hæc enim est falsa, Actio est passio: hæc autem est vera, Essentia Diuina est Paternitas; ergo non distinguitur formaliter ex natura rei.

Octauò. Relatio transit secundùm realitatem suam in essentiam, quia identificatur realiter essentia; ergo transit & secundùm formalitatem. Consequentia. Tum quia realitas & formalitas idem sunt, vt dictum est supra. Tum quia aliàs in relatione, aliud esset realitas, & aliud sua formalitas; & consequenter, erit compositio ex natura rei.

Nonò. Ista formalitas, vel est res realis, vel rationis, vel aliquid medium? non Primum; quia Scotus non dicit relationem esse aliam rem ab essentia: non secundum; quia sic distinguitur ratione: nec tertium; quia medium ens, inter reale & rationis, non potest dari.

Ita sentiunt communiter Thomistæ 1. par. q. 28. art. 2. vt Molina, Ban. Zumel, & alij, Arimin. hìc, & Alber. Magn. q. 1. Gerard. in 1. dist. 33. q. 2.

In oppositum est Doctor Subt. hìc, dist. 2. q. 7. & dist. 8. & 1. Report. dist. 33. Mayr. ibid. Bassol. in 1. dist. 22. q. 3. & 4. & dist. 33. q. 1. Vorril. dist. 8. & 33. Aquilan. dist. 33. q. 1. ar. 3. Rada tomo 1. Controuers. contr. 4. Gabriel. q. 2. prol. & in 1. dist. 2. q. 5. Ocam ibid. q. 1. & 3. & Durand. ibid. q. 1. licèt Nominales aliter accipiant distinctionem formalem, quàm Doctor Subt. Alens. 1. part. q. 56. mem. 7. art. 2. Richardum dist. 33. art. 2. q. 1. S. Bonauenturam ibid. Pro hac sententia meritò citare possumus. Quorum prior docet distingui secundùm rationem intelligentiæ, distinctam in ipso obiecto, vt etiam superiùs Doctor loco cit. dixerat. Alij duo vltimi, docent identificari realiter, sed distingui secūdùm alium modum se habendi, quia alio modo se habet essentia vt absolutum, alio modo vt relatio; cùm igitur iste modus aliter se habendi pręcedat nostram intellectionem; ergo ibi est distinctio aliqua, ante omnem considerationem nostri intellectus, vel illius. Pro solutione sit.

Prima Conclusio. Essentia Diuina, & relatio constitutiua Personæ, sunt idem realiter. Ista Conclusio vt est communis Theologorum, ita de facili probari potest. Tum authoritate Conciliorum Toletani II. Vormacen. in Confessione Fidei, Remen. Florent. idem apertè sentit August. 5. de Trinit. & determinauit Ecclesia cap. *Damnamus*. de Sum. Trinit. & Fide Cathol. & Cap. Firmiter. Tum ratione necessaria. Quia impossibile est duas res realiter distinctas, conuenire alicui vno, & facere vnum, nisi vnum illorum sit actus & alterum potentia, sed actus informans, & potentia perfectibilis, cùm intrinsecè dicant imperfectionē, & rationem partis, repugnant Enti infinito, & perfectissimo, qualis est Deus; ergo &c.

Secunda Conclusio. Relatio distinguitur ab essentia formaliter ex natura rei. Probatur Primò per viam contradictionis. Contradictoria non causata per actum intellectus, sed in ipsa re reperta, non possunt simul & semel verificari de eodem, penitus indistincto ex natura rei: sed esse communicabile, & non esse communicabile, esse distinctiuum personæ, & non esse distinctiuum personæ, sunt contradictoria, conuenientia Essentiæ Diuinæ communicabili, & non distinctiuæ personæ, & relationi non communicabili, & distinctiuæ personæ; & ista contradictoria non causantur per actum intellectus considerantis, sed in re sunt: ergo essentia & relatio, non sunt penitus indistincta ex natura rei.

Istius argumenti nondum vidi solutionem, nisi illam communem euasionem: quòd contradictoria possint vni & eidem rei simplici conuenire per comparationem intellectus. Sed ista responsio nihil valet. Quia in Maiori positum est, quòd contradictoria non causata

per

per comparationem intellectus, sed in re reperta, ita quòd antequam conciperetur contradictio, verè ibi est contradictio fundamentaliter, quia est communicabilis essentia, non communicabilis relatio; talis ergo in re contradictio, non potest præcisè eidem & indistincto à parte rei conuenire, quia si concedatur oppositum, tunc de eodem præcisè in re, vera erit contradictio, vera simul affirmatio & negatio: quod est impossibile.

Probatur Secundò. Concilium Florent. in literis Vnionis dicit, Pater omnia quæ Patris sunt, Vnigenito suo gignendo dedit, præter esse Patrem. Arguit ergo, & optimè Subtil. Doctor distinct. 2. quæst. 7. articu. 2. Pater intelligendo, quæ gignendo Vnigenito suo dedit, idque cognitione intuitiua, quia ista est perfectionis, cognouit etiam cognitione intuitiua, quid Vnigenito suo non dedit, nempe Paternitatem; vel ergo intellectui Paterno, ista obiecta sunt distincta in ratione obiectorum, vel non; Si primum: habetur intentum, quòd ibi sit distinctio obiectorum ex natura rei: Si non distincta: ergo Pater ita nouit se dedisse Paternitatem, sicut Essentiam Filio; quod est contra Concil.

Confirmatur. Pater non communicat Filio Paternitatem; vel ergo cognoscit se aliquid non communicare, & aliquid communicare: ergo ibi est in ipso cognito obiecto aliqualis distinctio: vel non est ibi aliquid communicatum, & aliquid non communicatum; & ita nihil erit in Patre à parte rei, quod non sit communicatum Filio: cùm ergo Paternitas sit à parte rei, & realis, illa erit communicata Filio.

Tertiò. Obiectum beatificum primarium, distinguitur ex natura sua ab obiecto secundario, cùm ratio obiectiua formalis obiecti primarij, sit alia à ratione obiectiua formali obiecti secundarij: sed Essentia Diuina est obiectum beatificum primarium intellectus & voluntatis Diuinæ, Trinitas autem Personarum, vel relationes personales, est obiectum secundarium, vt docet Subt. Doctor distinct. 2. quæst. 7. art. 2. & fusiùs explicatum est distinct. 1. quæst. 2. art. 2. ergo essentia & relatio personalis, non sunt idem, in ratione formali obiectiua.

Hæ rationes in litera Doctoris supra habentur, quæ tamen aliter à Caietano 1. p. q. 39. proponuntur, & non soluuntur, nisi nominaliter, non realiter.

Quartò. Quandocunque aliquod fundamentum in re potest esse sine aliqua relatione, illa relatio à parte rei, non est omnibus modis idem; sed essentia inuenitur à parte rei in aliquo, in quo non est Paternitas, vt in Filio; ergo essentia non est à parte rei omnibus modis idem Paternitati. Maior probari potest. Tum per viam contradictionis. Quia omnibus modis esse alicui idem à parte rei, est inesse ipsi vt realiter, ita & conuertibiliter; quia si non conuertibiliter, iam non est idem omnibus modis, sicut nec omnibus modis animal est idem homini: si ergo sit omnibus modis idem, & non conuertibiliter, non erit omnibus modis idem. Tum quia à simili probant Philosophi, distingui materiam hanc realiter ab hac forma, & locum à locato; quia videlicet hæc materia sine hac forma potest esse, & hoc locatum sine hoc loco.

Confirmatur. Impossibile est quòd aliquid sit sine seipso: sed Essentia Diuina est in filio sine Paternitate, quæ est omnibus modis idem Essentiæ, imò in re est ipsa Essentia: ergo Essentia in Filio est sine seipsa.

Quintò. Illa quorum vnius ratio formalis dicit perfectionem simpliciter, & alterius ratio formalis non dicit perfectionem simpliciter, sunt distinctæ rationes formaliter; sed Essentia dicit perfectionem simpliciter, relatio non, vt dicitur infra; ergo, &c.

Sextò. Impossibile est quòd contraria sint in eodem, respectu eiusdem, à parte rei; sed idem & diuersum sunt opposita contraria; ergo impossibile est, quòd Diuinis Personis conueniat identitas & diuersitas, respectu eiusdem à parte rei: sed identitas illis Sanctis Personis conuenit ratione Essentiæ, diuersitas ratione relationis; ergo impossibile est, quòd sit idem relatio & essentia.

Septimò. Illa distinguuntur formaliter à parte rei, quorum vnum non est de essentiali conceptu alterius; sed nec relatio est de formali conceptu Deitatis, vt dictum est distin. 1. quæst. 2. artic. 1. nec Essentia Diuina est de conceptu quidditatiuo relationum, vt ostensum est distin. 2. quæst. 5. artic. 4. ergo ista distinguuntur formaliter.

Aduertat hîc Scotista. Quòd ista Conclusio nostra, concordat optimè cum illa, quæ docet relationem distingui ab essentia ante operationem intellectus, fundamentaliter vel virtualiter: quia videlicet in ipso fundamento est aliqualis distinctio, saltem rationum intelligibilium, licèt non rerum, vt notificando distinctionem formalem dixi, eandem esse hanc distinctionem formalem apud Subtil. Doctorem, quam alij fundamentalem, alij virtualem, alij rationis ratiocinatæ vocant, & Doctor Subtil. ijsdem nominibus eandem appellauit. Solùm igitur in verbis differunt Thomistæ à Scotistis, dum hi astruunt hanc distinctionem vocandam formalem ex natura rei, quia in ipsis rebus, antequam concipiantur, est aliqualis distinctio, non rerum, sed rationum intelligibilium, quam distinctionem rationum intelligibilium nullus negat. Thomistæ autem dicunt vocandam esse distinctionem rationis, non merè rationis, quasi nulla sit in re, sed rationis ratiocinatæ, quòd etiam aliqualis non identitas adæquationis sit inter Essentiam Diuinam, & relationes ante considerationem intellectus, saltem virtualiter & fundamentaliter. Distinctio formalis idē est quod fundamentalis.

Aduerte Secundò. Quòd ista distinctio formalis, rationum intelligibilium, siue virtualis, cùm æquipolleat reali, vt supra dixi, ad omnem contradictionem saluandam est sufficientissima, & reuera præter Aureol. in prima distinct. 33. quæst. 2. dicentem nullam inter prædicta distinctionem, nec rationis, nedum formalem, ponendam esse, communis schola Theologorum non ponit distinctionem ibi realem, vt ponebat Gilbert. Porretanus, cuius doctrina reiecta est in Concil. Remen. nec præcisè rationis; ergo negantes distinctionem mediam, inter præcisè rationis, & merè realem rerum, admittunt communiter omnes medium genus distinctionis, quod aliquomodo participet de vtroque extremo, & de distinctione rationis, & aliquomodo de reali; de rationis in hoc, quia est completiuè ab intellectu; de distinctione reali, quia antequam intelligantur illa, distincta sunt aliquo modo, saltem quoad conceptus obijcibiles, quoad rationes formales. Formalis distinctio est sufficiēs ad saluandam cōtradictionem.

Ista igitur media distinctio, quam vel inuiti concedūt omnes, quomodo sit appellanda, diuersimodè diuersi dicunt. Nam Durand. vocat illam cum ista determinatione, aliquo modo realem: nec tamen ponit verè realem. Nec differt à communi Schola nisi in modo loquēdi, vt legenti patet: imò & noster Doctor in 1. Report. dist. 33. q. 2. vocat istam distinctionem realem secundùm quid, prout etiam appellatur à Durando postmodum. Alij vocant non identitatem adæquationis, vt Henr. Alij distinctionem realem æquipollenter, nō formaliter, quia æquipollet reali, licèt non sit realis rerum, vt Gerard. Alij virtualem, vt Scotus, & multi Thomistarum cum Caietano. Alij rationis ratiocinatæ. Alij ex natura rei, vt supra citaui. Sed cùm res habeatur, de verbis parua sit cura. Media distinctio inter realē, & rōnis diuersimodè nominatur.

Præterea etiam à Doct. Subtili hæc distinctio variè est appellata. Nam & distinctio rationum formalium, & distinctio ex natura rei nominatur ab illo, vt patebit inferiùs: & distinctio rationum realium in re scilicet simplici contentarum, vt ex 7. Met. q. 19. constat, & virtualis distinctio, & rationis quidditatiuæ, siue ratiocinatæ.

Et quoniam in hac Dubitatione multæ suboriuntur difficultates, tum de illis terminis, realitas, formalitas, quorum mentio facta est tum hìc, tum aliàs; tum circa hanc ipsam distinctionem, siue ex natura rei, siue formalem; cuius distinctionis ratio & natura, quia non intelligitur à Thomistis & Neotericis, multa frustra ab eisdem huic Doctori attribuuntur: quare opportunè hoc loco pertractabimus difficultates resoluendo. Sit igitur,

PRIMA DIFFICVLTAS.

Quid nomine realitatis, entitatis, & formalitatis in præsenti accipitur?

Formalitatis diffinitio secũdũ Scotistas.

CONclusio Prima. Hæc nomina, quandoque sumuntur pro eodem, prout etiam hìc à Doctore entitas & realitas sumitur, & distin. 8. pro formalitate. Formalitas autem à Scotistis definitur communiter, esse aliquid repertum in re, ex natura rei, quod non oportet semper intellectum mouere, dummodo posset illum terminare.

Ista tamen descriptio formalitatis, nulla est. Quia conuenit omni rei reali, distinctæ realiter, vt patet intuenti; nos autem inquirimus de formalitate illa, quæ potest esse multiplex in vna re, quidnam sit illa formalitas.

Formalitas propriè diffinitur.

Dico igitur (abstrahendo me à dictis Formalistarum de formalitate, qui nunquam difficultati propositæ directè respondent, licèt multas diuisiones vel subdiuisiones minùs necessarias inuoluant) quòd Formalitas siue realitas, vt distinguitur à re reali, sit ratio intelligibilis in obiecto, identificata realiter obiecto in quo est, non amittens in tali subiecto naturam, quæ ipsi secundùm se acceptæ conueniret.

Ista descriptio Formalitatis, haberi potest ex dictis supra, distin. 8. in quæst. de distinctione attributorum Dei; tum ex quodlib. 5. & 7. Metaph. quæst. 19.

Dicitur Primò. Ratio realis, intelligibilis in aliquo obiecto. Non sumitur hìc ratio, pro ente rationis propriè dicto, vel pro actu intelligendi, sed ratio realis dicitur, sicut Philosophus in anteprædicamentis vocat rationem pro aliquo conceptibili à parte rei, quod scilicet in re ipsa aptum est concipi, quomodo in simplici qualitate, puta albedine, conceptibilis est ratio obiectiua entis, ratio accidentis, ratio qualitatis, &c. Dicitur: conceptibilis, vel intelligibilis: quia antequam actu intelligatur, talis ratio est in obiecto: antequam enim actu concipias in albedine rationem entis, vel rationem disgregatiui, istæ rationes insunt albedini; non sic entia rationis conueniunt, quia antequam obiectum aliquod cognoscatur, vel ad aliud comparetur ab intellectu, ens rationis non conuenit enti reali.

Dicitur Secundò. Identificata realiter obiecto in quo est: licèt enim ipsas res realiter distinctas, vt naturam hominis, & naturam equi, vocemus duas formalitates, vel duas rationes formales, extendendo nomen distinctę formalitatis ad quoscunque conceptus diuersos, loquẽdo tamen de formalitate strictè sumpta, prout à plerisque Scotistis dicitur, plures formalitates fundari in eadem re realiter indistincta & simplici, dico quòd formalitas in aliquo obiecto intelligibilis, sit idẽ realiter quod obiectum, vt patet de formalitatibus entis, accidentis, coloris, quæ tres formalitates seu rationes reales intelligibiles, idem sunt realiter albedini.

Dicitur Tertiò. Non amittens in tali subiecto naturam, quæ ipsi secundùm se acceptæ conueniret: id est, quamuis sit idem realiter suo subiecto, illud tamen quod ipsi conueniret quidditatiuè, secundùm se acceptæ, conuenit etiam illi vt est idem tali subiecto. Exempli causa: ratio accidentis, identificatur realiter albedini, quæcunque tamen conueniunt accidenti quidditatiuè: vt quòd sit ens aptum inhærere (supponamus quòd hæc sit natura accidentis) illa etiam conueniunt accidenti, vt est identificatum albedini; ita quòd per talem realem identitatem, non tollitur eius ratio formalis, sed ita manet in albedine, acsi illa ratio secundùm se esset accepta.

Formali[tas] ab ente r[atio]nis quo[d] stinguitu[r].

Per primum dictum, patet quòd formalitas distinguatur ab ente rationis: cùm ens rationis, nec sit obiectiua ratio realis, nec priùs intelligibilis, quàm obiectum actu intelligatur.

Formali[tas] à re q[uo] differt.

Per secundum, distinguitur à re propriè sumpta, distincta contra formalitatem: quia res, siue essentiæ, siue alicuius suppositi, si sit res realiter distincta, non poterit identificari realiter: pluresque res realiter distinctas, eo modo quo sunt distinctæ, esse vnam rem implicat. Dico, eo modo quo sunt distinctæ: nam licèt materia & forma, quæ sunt res realiter distinctæ, faciunt vnum totum Physicum, illa tamen ipsa principia, eo modo quo sunt realiter inter se distincta, nullo modo identificantur realiter ad inuicem.

Dictum tertium additur per modum complementi, ad ostendendum posse manere pluralitatem formalitatum in vna re.

Quæ dixi hactenus de formalitate, dic proportionaliter de entitate, & realitas, entitas, non vt idem est quod formalitas, est ratio realis obiectiua, &c. Realitas similiter non est res strictè sumpta, sed realis ratio obiectiua identificata, &c. Et hæc est propria acceptio istorum terminorum (in quo sensu deinceps vsurpabimus) ad mentem Subtilis Doctoris, quos Arimin. in 1. distin. 33. cæterique Nominales & non pauci Thomistarum malè explicant: nec mirum, quia positionem Doctoris non intelligunt.

Formali[tas] quid.

Secunda Conclusio. Formalitas secundùm aliquos Scotistas, distinguitur à realitate & entitate. Hoc dictum potest sic explicari. Formalitas accipitur pro omni ratione obiectiua, apta intellectum mouere ad sui cognitionem, vel terminationem illam, abstrahẽdo ab hoc, quòd illa ratio obiectiua existat, vel possit existere.

Realitas quid.

Realitas autem est ratio aliqua obiectiua quæ potest existere: at entitas vt distinguitur à realitate, est illa eademmet ratio obiectiua, in esse existentiæ actualis concepta. Hæc igitur albedo vt est actu existens, est vna entitas, & illa eadem, vt absque existentia consideratur, includendo tamen quòd possit existere, tanquam vnum obiectum ab omnibus distinctum, vt intellectus, ita & potentiæ Dei, dicitur realitas: illud enim est ens reale in esse obiectiuo, quod seclusa operatione intellectus potest esse, quod si in illa albedine aliæ rationes contentę, & per realem identitatem inclusæ considerentur, absque vllo ordine ad existentiam actualem, vel potentiam separabilem, dicuntur concipi formalitates: quamuis igitur hæc albedo existat, alio tamen & alio modo dicitur entitas, realitas, & formalitas.

Entitas [sim]plex ex[istens] non est [vna] formali[tas].

Illud insuper addo, quòd entitas simplex existens, non est vna formalitas, sed continet in se vnitiuè plures formalitates: in vna enim re simplici, vt in albedine existenti, sunt plures rationes obiectiuæ, ante operationem intellectus; non per aggregationem, quia sic illa entitas non esset per se vna, sed per simplicẽ vnionem, vt aliàs dixi cum Doctore ex 2. dist. 26.

Iste modus loquendi de his terminis, posset aliquomodo deduci ex 1. dist. 36. in responsione ad Primũ principale, vbi Doctor accipit ens ratum (vnde res & realitas deducitur) vno modo pro non repugnanti, seu possibili; alio modo pro actu existenti; illud realitati, hoc responder entitati: esto quòd ens & res conuertantur, communissimè accepta; & consequenter realitas & entitas; non tamen accepta vt aliquomodo distinguuntur.

Diffi[nitio] formali[tatis] q[uomodo] dica[tur].

Sic patet, quomodo illa definitio distinctionis formalis (scilicet: Illa distinguuntur formaliter, quorũ sunt diuersæ formalitates in vna realitatę, illa verò eandem habent realitatem, quæ habent eandem entitatem,) sit intelligenda, secundùm hunc dicendi modum: illa enim dicuntur distingui formaliter, quæ habent vnam realitatem, & plures formalitates in illa vna realitate, id est,

quando

quando ens reale,est sic vnum, quòd impossibile sit illud posse partiri in plura entia realia, quæ possint distincta realiter existere, vel saltem alterum illorum; in hoc tamen sic vno ente reali, sunt vnitiuè contentæ plures rationes obiectiuæ, quæ distinctim aptæ sint intelligi.

Alius modus diuersitatis, iuxta superiùs dicta, posset assignari talis. Quòd vna realitas dicat vnam essentiam realem, actu existentem, in qua vna essentia actu existenti, plures rationes obiectiuæ,dicuntur plures formalitates: vnde illa vna realitas, erit idem realiter, sed distincta formaliter. Quænam verò sit vna realitas,ostenditur à posteriori, per entitatem vnam: scilicet, quæ res est vnum numero ens, non compositum ex entibus diuersorum prædicamentorum vel specierum,vel ex entibus numero distinctis.Hæc quidem ita dici possunt optimè satisfaciendo difficultati.

Sed meo iudicio,illud quod additur de entitate, in tali definitione,est superfluum:quare meliùs corrigi posset illa definitio, sic: *Illa sunt distincta formaliter, quando plures formalitates sunt in vna realitate, seu entitate;* (sumendo entitatem & realitatem pro eodem) Vel certè negari posset illa definitio,cùm nec sit Doctoris Subt.nec alicuius Scotistæ subtilioris.

SECVNDA DIFFICVLTAS.

Quid sit distinctio formalis: &, an bene à Neotericis explicetur?

PRima Conclusio. Distinctio formalis,vt est alia à reali,est diuersitas rationum realium obiectiuarũ, stans cum vera identitate reali. Ista Conclusio haberi potest expressè ex dictis Doctoris hìc & art.præcedenti.Idẽ docet in 1.Report.distin. 33.q.2.& apertè 7.Met.q.19.cùm inquit. Non identitas formalis est inter illa, quorũ nullum cadit in definitionem alterius,siue quæ habẽt distinctas definitiones; vel si definibilia non sint, sufficit quòd habeant distinctas rationes intelligibiles:sic, quia ratio entis,in sua ratione formali, non includit rationem substantiæ, etiam in tertio, puta in Angelo, ratio entis erit distincta formaliter à ratione substantiæ; sic etiam,quia alia est definitio motus, alia temporis, esto quòd motus idem sit realiter quod tempus, & è conuersò, distinguẽtur nihilominus inter se,distinctione formali. Vnde ad distinctionem formalem sufficit,vel definitionum diuersitas,vt patet de motu & tempore; vel si non sunt definibilia, sufficit quòd in conceptu vnius,non includatur per se primo modo aliud; sicut in conceptu Entis,non includitur substantia vel accidens: propterea ratio per se subsistendi,vel ratio inhærendi,per quæ ens finitum descendit ad substantiam & accidens, erunt rationes distinctæ formaliter à ratione entis. Sola igitur distinctio rationum intelligibilium, in vna re simplici, sufficit ad distinctionem formalem.

Secunda Conclusio. Distinctio formalis, seu ex natura rei, malè à plerisque explicatur, & ex falsa illius præsuppositione, peiùs in præsenti contra Subtilem Doctorem arguitur. Zuarez enim tomo 1. suæ Metaph. disputat.7.sect.1. cùm doceat omnes modos extrinsecos, vt figuram, quæ est quantitatis modus, subsistentiam,quæ est modus substantiæ,inhærentiam actualem, quæ est modus accidentis, distingui ex natura rei,distinctione media inter realem & rationis; quæ suppositio est falsa, cùm ista realiter distinguantur, secundùm illam Maximam Subtilis Doctoris in 2.distin.1. Quando aliqua duo sic se habent, quòd vnum illorum possit esse sine altero, licet non è contra, illa distinguuntur realiter: sed hæc quantitas potest esse sine hac figura,& hæc substantia sine actuali sua subsistentia; vt patet in natura assumpta à Verbo, quæ propriam & creatam subsistentiam non habet; similiter hoc accidens potest esse sine actuali inhærentia, vt patet in quantitate hostiæ consecratæ, nulli inhærente: ergo ista secundùm Doctorem distinguuntur realiter. Si igitur præsupponat Zuar. inter hæc esse distinctionem formalem,(vt apertè docet)& nulla talis in Deo entitas sit, quæ possit esse absque aliquo sibi connaturali, rectè quidem inferret Conclusionem, non esse talem distinctionem in Diuinis, sed suppositio illa, de distinctione formali, est simpliciter falsa.

Fonseca item admittens distinctionem ex natura rei, seu mediam inter distinctionem realem & rationis, docet 4. Metaph.cap.2. quæst.4.sect.4. quòd quicquid distinguitur ab aliquo ex natura rei,& non realiter: aut distinguitur ab eo ratione alicuius realitatis, vt homo ab animali additione differentiæ; aut ratione modi intrinseci, vt albedo certæ intensionis, ab albedine absolutè, differt ex natura rei,additione determinationis; aut tertiò ratione vtriusque, quo facto similitudo distinguitur ab albedine.

Istud dictum quoad primam partem licèt veritatem habeat, quòd distinguatur animal ab homine,ex natura rei, iuxta superiùs dicta: quoad secundum tamen dictum peccat dupliciter: primò, dum nominat intensionem esse modum intrinsecum, cuius oppositum ostensum est supra distin.8. Secundò, cùm docet distingui ex natura rei, quam ibid. & distin.17.ostendi distingui realiter vera distinctione reali. Tertium etiam dictum est falsum. Quia omnis relatio potens adesse & abesse, distinguitur realiter, vera reali distinctione,vt optimè probat Subt.Doct.in 2.dist.1. *Fõseca errat in assignanda distinctione formali.*

Ex tali igitur suppositione distinctionis formalis in præsenti argueret Fonseca,Conclusionem inferendo oppositam Conclusioni Doctoris, quòd scilicet relatio & essentia non distinguantur ex natura rei: sed ex suppositione falsa; quia falsò imaginaretur, quòd talis sit distinctio formalis,seu ex natura rei apud Doctorem,qualis est apud eum.

Rursus idem author 5. Met.cap.6. quæst.6.distinctionem mediam ex natura rei diuidit in formalem, modalem, & potentialem. Formalis secundùm illum, vel est essentialis, qua distinctione essentia equi distinguitur ab essentia hominis; vel formalis pura, qua distinguuntur Diuinæ Personæ inter se, ipsæque relationes Diuinæ personales. Modalis qua modi distinguuntur à subiecto & inter se; sic inhærentia actualis in quantitate, distinguitur ex natura rei à quantitate. Potentialis distinctio est, qua partes integrantes eiusdem totius homogenei, dum in eo sunt, distinguuntur, & inter se, & ab ipso toto.

Hæc doctrina Fonsecæ tota est falsa. Quia omnes isti modi distinctionis ex natura rei, sunt modi distinctionis realis. Nam & essentię distinguuntur inter se essentialiter realiter,& Diuinæ Personæ vera reali, licèt non essentiali distinctione distinguuntur. Et modi inhærentiæ,vel subsistentiæ actualis, sunt distincti realiter, inter se, & à rebus; & illa diuisio potentialis est vera realis, licèt non actualis,sed aptitudinalis. Bannes 1.par.quæst.28.artic.1. dub.3. dicit apud Scotum distinctionem formalem, seu mediam, esse inter relationem & Essentiam in Diuinis, talem,quali distinguitur actio & passio in creatura.

Hoc autem dictum est directè contra Scotum, in cuius doctrina, actio & passio, sunt relationes extrinsecus aduenientes, realiter inter se distinctę, & plerumque subiecto; cùm actio subiectiuè sit in agente, passio in passo: agens verò & patiens persæpe subdistinguuntur subiecto. *Bannes nõ intellexit mẽtem Scoti.*

Hos sequuntur non pauci, nec ineruditi Neoterici, & dicunt distinctionem formalem, seu mediam, ex natura rei esse, vbi sunt plures formalitates in eadem realitate: eandem verò realitatem habent, quæ fundantur in eadem entitate: & statim exemplificant de figura, quæ secundùm ipsos, est eadem realiter cum quantitate, in qua fundatur & distinguitur formaliter. Dicuntque formalitates duas posse distingui, vel per separationem à parte rei, vt quantitas po-

 test

teſt ab ipſa figura ſeparari; & vocatur hæc ab illis diſtinctio formalis ex natura rei: vel eſt formalitas diſtinguibilis per operationem intellectus, vt virtus illuminatiua, & calefactiua in Sole; & hæc diſtinguuntur formaliter formalitate concepta, ſeu per ſolum intellectum.

Verùm illius propoſitionis, ſi quis verus ſenſus poteſt eſſe, in præcedentis difficultatis ſolutione dixi.

Exemplum autem non eſt ad propoſitum, Cùm inter illa ſit diſtinctio realis.

Quod dicitur deinde, diſtinctionem ex natura rei, aliam eſſe inter formalitates ſeparabiles: iſtud eſt omninò contra definitionem ab eiſdem datam. Quia formalitates debent eſſe in eadem realitate, id eſt, in eodem præcisè ente, non poſſibili exiſtere ſeparabiliter, vel in eadem entitate, quæ nunquam actu ſeparatur ab altera, vt dictum eſt.

Vltimò quod dicitur, Vim illuminatiuam & calefactiuam in Sole, diſtingui per intellectum præcisè. Dico: Imò hæc diſtinguuntur formaliter ex natura rei; quia cùm in ratione ſua formali, vis illuminandi, abſtrahat à vi calefaciendi, ſicut & ipſe actus illuminationis & calefactionis non ſe neceſſariò includunt, poteſt enim eſſe illuminatio ſine calefactione, vt in media aeris regione, & calefactio ſine illuminatione, vt in inferno, ſecundùm aliquos, vel in tenebricoſo, calefacto tamen cubiculo; eſto igitur quòd iſta virtus illuminandi & calefaciendi, non ponat diſtinctionem realem iſtius & illius principij, ratio tamen intelligibilis iſtius, non eſt ratio intelligibilis illius, & hoc ſolùm requiritur, & ſufficit, vt dictum eſt, ad diſtinctionem formalem.

Error multorum circa doctrinam Scoti.

Hinc igitur eſt ille error, multorum huius ſeculi Theologorum, qui publicè non erubeſcunt imponere Subtili Doctori, quòd is quaternitatem rerum ponat in Diuinis; cùm ponit Eſſentiam diſtingui ex natura rei à relatione. Hoc enim eſſet verum, ſi diſtinctionem ex natura rei, ſeu formalem, illam eandem cenſuiſſet, quæ eſt vera realis, quod ab iſtis authoribus dicitur, vt patet. Cùm autem (ſecundùm Doctorem Subt.) diſtinctio merè ex natura rei, non ſit rerum, ſed rationum realium, obijcibilium in eadem re ſimplici, nullatenus ſeparabilium à parte rei; patet, quòd omnes ex falſo intellectu fundamenti Doctoris argumentantur.

TERTIA DIFFICVLTAS.

Vtrum diſtinctio media, inter realem & rationis, ſit aſſignanda?

NEgant communiter Thomiſtæ; & poteſt pro illis ſuaderi.

Primò. Quæcunque diſtinguuntur ex natura rei, abſque opere intellectus, illa diſtinguuntur realiter; ſed omnia quæ diſtinguuntur formaliter, diſtinguuntur ex natura rei abſque opere intellectus; ergo illa, quæ diſtinguuntur formaliter, diſtinguuntur realiter.

Secundò. Accipio duas formalitates: & quæro, vel illæ ſunt aliqua res, vel nihil? ſi nihil; ergo, diſtinctio nulla: ſi res; ergo inter illas eſt diſtinctio realis: vbicunque enim eſt res & res, ibi eſt diſtinctio realis.

Tertiò. Sicut ſe habet res ſubiecti ad formalitatē ſubiecti, ita ſe habet res paſſionis, ad formalitatē paſſionis; ſed res paſsionis ita ſe habet ad rē ſubiecti (arguendo à tranſmutata proportione) ꝙ paſſio cum ſubiecto ſit idem realiter; igitur ita ſe habebit formalitas paſſionis ad formalitatem ſubiecti, quòd paſſio erit idem formaliter ſubiecto; ſed hoc eſt falſum per te; ergo falſum eſt quòd ſit idem formaliter; ergo ſi diſtinguitur formaliter, diſtinguitur & realiter.

Quartò. Illa quæ habent diſtinctas definitiones, diſtinguuntur eſſentialiter; cùm definitio explicet eſſentiam rei; quæ autem diſtinguuntur eſſentialiter, illa diſtinguuntur & realiter, ſecundùm communem Scotiſtarum opinionem: ſed illa quæ diſtinguuntur formaliter, habent diſtinctas definitiones, vt concedunt Formalitatum Scriptores; ergo illa quæ diſtinguuntur formaliter diſtinguuntur eſſentialiter & realiter.

Quintò. Diſtinctio eſt paſſio Entis: vel igitur eſt paſſio entis realis; & eſt diſtinctio realis: vel eſt paſſio entis rationis; & eſt diſtinctio rationis; at medium ens non datur, quod non ſit reale vel rationis; ergo neque media diſtinctio datur, quæ non ſit realis vel rationis.

Confirmatur. Quia diſtinctio eſt inter plura, vel ad minimum inter duo; illa igitur duo vel ſunt in re, nullo intellectu cogitante; & ſic diſtinguuntur realiter, cùm extrema illius diſtinctionis ſint entia realia (ens enim reale eſt, quod ſecluſo opere intellectus, habet ſuum eſſe) vel ſunt per conſiderationem intellectus: & ſic ſunt entia rationis, & diſtinguuntur ratione.

Sextò arguitur contra hanc ſententiam, ex euerſione fundamenti, cui innititur hæc diſtinctio, ſic. Dicunt Formaliſtæ, illa diſtingui formaliter, quæ habent eandem realitatem, & diſtinctas ac ſeparabiles formalitates; illa porrò dicuntur habere eandem realitatem, quæ fundantur in eadem entitate. Contra. Quando dicitur, quę habent eandem realitatem, & diſtinctas formalitates, quæro, quid intelligunt per realitatem? vel enim intelligunt eſſentiam tantùm, vel exiſtentiam, vel vtrumque ſimul; ſi eſſentiam; cùm vnam eandemque habeant illa diſtincta formaliter, in quo diſtinguuntur? ſi exiſtentiam, ſimiliter illa cùm ſit vna realitas per te, in quo diſtinguetur formaliter? ſi denique realitas ſignificet eſſentiam ſimul cum exiſtentia; tunc in tali realitate, impoſſibile eſt eſſe diſtinctionem ex natura rei; quia cùm vna eademque ſit, tam eſſentia quàm exiſtentia huius realitatis, quid faciet illam diſtinctionem formalitatum?

Confirmatur. Quia illæ duæ formalitates, ratione quarum dicitur res aliqua diſtingui formaliter, vel ſunt eſſentiæ, vel exiſtentiæ? ſi eſſentiæ, & reales; ergo diſtinguuntur eſſentialiter realiter. Si exiſtentiæ; ſic etiam, cùm exiſtentia ſit indiſtincta ab eſſentia, diſtinguentur illæ formalitates formaliter, eſſentialiter, & realiter: medium cogitari & fingi non poteſt; quare voces illæ formalitatis & realitatis, ſimiliter & entitatis, videntur eſſe merè voces, vt Blictri.

In oppoſitum eſt Doctor Subt. cum ſuis, eumque ſequuntur in Concluſione multi Neoterici, ſed illorum, vt dixi, poſitio de hac diſtinctione media, eſt idem cum poſitione diſtinctionis verè realis.

Contr ctio eſt diū co ſcēdi d ctionem

Pro reſolutione quæſtionis. Nota Primò. Quòd contradictio eſt medium arguendi & cognoſcendi diſtinctionem; ita quòd illa, de quibus dicuntur duo prædicata contradictoria, non ſunt eadem: & ſi contradictio cōueniat obiecto, ante operationem intellectus, verè in illo obiecto erit diſtinctio ante operationem intellectus, ſi verò per rationem conueniat contradictio, ibi erit diſtinctio rationis. Quòd verò óptima ſit via & tutiſſima cognoſcendi diſtinctiones, cōtradictio, inde patet. Quia ſi de illis, quæ omnibus modis ſibi ſunt eadem, penitùſque indiſtincta à parte rei, contradictoria verificarentur à parte rei, tunc duo contradictoria ſimul dicerentur de eodem; hoc autem concedere, eſt negare veritatem primi principij Metaphyſici, tum illius: Impoſſibile eſt idem ſimul eſſe & non eſſe: tum alterius, ſcilicet: De quolibet Ente, vera eſt altera pars contradictionis, de nullo autē vtraque ſimul verificatur.

Formal ſtinctio ueſtiga cōtradi nem.

Nota Secundò. Cùm contradictio ſit medium cognoſcendi diſtinctionem, optimè nos diſtinctionem formalem inueſtigare poſſe per contradictionem; ſic. Contradictio à parte rei, vel conuenit rebus ſeparatis, vel ſeparabilibus, vel quorum eſt vna producens, alia producta, vel illis rebus, quæ ſunt in rebus realiter diſtinctis & ſeparatis, & iſta contradictio arguit diſtinctionem realem, vel conuenit vni rei in ſe realiter diſtinctæ, ſic tamen, quòd in illa re ſunt plura conceptibilia,

&

& antequam intellectus noster concipiat illas rationes conceptibiles, seu obiecta conceptibilia, in illa re vna realiter, ita se habent, quòd verè aliquid conueniat vni obiecto conceptibili, quod non conuenit alteri, idque ante omnem operationem intellectus, & talia obiecta conceptibilia, cùm sint in vna re realiter eadem, erunt inter se identificata realiter. Deinde, cùm ante omnem operationem intellectus, huic conceptibili aliquid conueniat, quod non conuenit alteri, hæc ante omnem operationem intellectus, conueniens illi contradictio, indicat ibi esse aliquam distinctionem præcedentem actum intellectus; non autem est realis; ergo aliqua minor illa: & hanc voco distinctionem formalē, seu ex natura rei: quæ potest commodè sic describi. Distinctio formalis est, in vna re diuersitas rationum intelligibilium, præcedentium actum intellectus.

Nota Tertiò. Falsam esse illam multorum Nominalium opinionem, dicentium, quicquid est in ente reali, vel est essentia, vel est existentia: ita, quòd præter hæc duo, disiunctim vel coniunctim sumpta, non detur vllum ens reale. Falsa inquam est. Tum quia dantur multæ propriæ passiones, & aptitudines rerum, quæ non sunt essentiæ, neque existentiæ, sed proprietates essentiarum. Tum quia dantur modi intrinseci rerum, qui nec essentiæ sunt, nec existentiæ, sed modi essentiæ, siue abstractæ, siue existentis. Tum quia in vna aliqua essentia, dantur multæ non essentiæ, nec existentiæ, sed rationes obiectiuæ, quæ aptæ sunt intelligi separatim sic.ꝙ vna ratio intelligibilis, nō sit alia rō intelligibilis, ante oēm operationē intellectus, propter contradictionem vel minimā, conuenientē illis ante apprehensionem intellectus; quomodo & in simplicissima Essentia Diuina, est ratio obiectiua intelligibilis intellectus, & ratio obiectiua intelligibilis voluntatis, de quibus ante omnem considerationem, verificantur duo contradictoria, quòd principium productiuum Filij in Diuinis, non sit voluntas sed intellectus; principium autem productiuum Spiritus Sancti, non sit intellectus sed voluntas; ergo cùm ante omnem operationem intellectus, hæc contradictoria affirmentur de intellectu & voluntate Diuina, euidentissimum signum est, esse ibi aliquam distinctionem, præcedentem omnem operationem intellectus. Quare dilemma illud Nominalium. Formalitas vel est essentia vel existentia; Nullius momenti est; vtpote falsò huic innixum fundamento. Quicquid est ens reale, seu præter opus intellectus, est vel essentia vel existentia: cùm sint alia entia passiones, alia modi, alia formalitates entis, vel essentiæ realis.

[margin: ...ræter essē ...i & existē ...ā, sunt plu... in ente ...ali.]

Nota Quartò. Distinctionem realem sumi aliquando pro omni ea, quæ est absque opere intellectus; aliquando verò accipi tantùm pro alietate rerum, quæ distinguuntur stricta & propria realitate, vt realitas distinguitur à formalitate: & hæc est distinctio propriè & absolutè realis, illa verò communiter dicitur ex natura rei, vel formalis.

[margin: ...istinctio ...alis sumi... r duplici... r.]

Prima Conclusio. Distinctio ex natura rei, est minor reali. Probatur. Omnis distinctio, quæ compatitur vnitatem realem, est minor distinctione reali; sed distinctio formalis, stat cum vnitate reali: ergo distinctio formalis, est minor distinctione reali. Minor huius argumenti, satis patet ex dictis hactenus. Maior declaratur. Distinctio realis positiua fundatur in positiua extremorum diuersitate; sed maxima diuersitas extremorum positiua, est inter rem & rem; ergo maxima distinctio positiua, est inter rem & rem; quò igitur distinctio præcedens actum intellectus potest magis recedere ab alietate rei & rei, eò est minor distinctio: sed formalis est huiusmodi, quia maximè recedit à distinctione reali, est siquidem non inter rem & rem, sed inter rationem obiectiuam rei, & aliam rationem obiectiuam eiusdem rei: cùm in eadem re plures sint rationes obiectiuæ conceptibiles: ergo, &c.

[margin: ...istinctio ... natura ...i est mi...r reali.]

Secunda Conclusio. Distinctio formalis, est media inter distinctionem realem & rationis. Patet. Quia medium suo modo participat aliquid de extremis: ac proinde, non est tale, quale est alterum extremum, propter conuenientiam cum altero extremo, & distinctio formalis non requirit tantam extremorum diuersitatem, quantam requirit distinctio realis, quæ requirit duas realitates: omnino tamen maior est, quàm distinctio rationis, quæ est per opus intellectus, hæc autem est ante omnem considerationem intellectus: ergo, &c.

[margin: ...istinctio ...rmalis est ...edia inter ...alē & rō-...i.]

Tertia Conclusio. Distinctio formalis, est alia à reali. Probatur Primò ex Notando 1. & 2. Vbicunque in vna re inuenitur contradictio ante operationem intellectus, ibi est aliqua distinctio alia à reali, præcedens operationem intellectus, sed in multis rebus, quæ sunt vnum & idem realiter, inuenitur contradictio ante omnem operationem intellectus; ergo in multis rebus, quæ sunt idem & vnum realiter, est aliqua distinctio alia à reali, præcedens operationem intellectus. Maior est euidens, & ex primo Notando, & ex secundo. Quia illud quod est idem & vnum realiter, non est distinctum realiter; si igitur illi enti realiter indistincto, cōueniāt cōtradictoria ante cōsiderationem intellectus, illa contradictoria, manifestè indicabunt ibi ante considerationem rationis, esse aliquam distinctionem. Minor manifesta est in multis exemplis. Nam animal rationale, est idem realiter homini: quia verò homo conuenit cum bruto in animali, idque ante omnem operationem intellectus, & non conuenit in rationali, animal à rationali distinguetur distinctione præcedente omnem actum intellectus. Similiter, albedo hæc, conuenit in ratione albedinis cum illa albedine; non conuenit autem in singularitate, quia singularitas huius, non est singularitas illius; ergo ratio albedinis & singularitatis in albedine hac, sunt distincta; at non realiter, quia neutrum possibile est esse absque altero, ergo formaliter. Item, homo infinitate conuenit à parte rei cum leone; non conuenit autem in rationalitate; ergo finitas à rationalitate, est distincta à parte rei; at non realiter, vt est euidens; ergo est alia distinctio præter realem à parte rei. Similiter, substantia cum accidente in re conuenit in conceptu entis, & non conueniunt in ratione talis entis, scilicet per se subsistentis, vel inhærentis; ergo conceptus entis in re, est alius à conceptu substantiæ vel accidentis; sed non realiter; ergo alia est distinctio in re, minor reali: & hanc voco formalem, vel minimam ex natura rei, cùm hæc sint synonima huius distinctionis. Par ratio est in Diuinis: quia Essentia est communicabilis, Paternitas non communicabilis, idque ante omnem intellectus considerationem; igitur ante omnem considerationem intellectus, distinguitur Essentia à Paternitate; non autem realiter; ergo formaliter. Confirmatur. Quia aliàs duo contradictoria verificarentur de vna eademque re omnimoda identitate; quod est contra rationem primi principij. Nec valet glossa dicentium, esse ibi duo ratione. Quia ante omnem rationis nostræ, vel Angelicæ considerationem, ab æterno est in Patre communicabile & incommunicabile; ergo Essentia Diuina, vt præcedit distinctionem rationis, non est Paternitas, quia non conuenit aliquid essentiæ, vt esse incommunicabilem, quod conuenit Paternitati, & conuenit aliquid Essentiæ Diuinæ ante omnem apprehensionem rationis, quod non conuenit Paternitati, vt esse communicabilem; ergo ante omnem operationem intellectus est ibi distinctio. Posset eadem Minor, in alijs quàm plurimis exemplis ostendi.

[margin: Distinctio formalis est alia à reali]

Probatur Secundò. Illa duo, quorum vnum impossibile est habere suum esse, separatum ab altero, minori distinctione distinguuntur, quàm illa, quorum alterutrum non implicat esse sine altero; sed illa quæ distinguuntur realiter, sic se habent, quòd vnum non implicat esse sine alio, illa autem quæ distinguuntur tantùm formaliter, ita se habent, quòd impossibile est vnum esse sine altero; quia impossibile est albedinem hanc esse sine singularitate, vel absque gradu coloris; ergo illa quæ distinguuntur distinctione

formali, distinguuntur minori distinctione, quàm ea, quæ distinguuntur distinctione reali: ergo, &c.

Probatur Tertiò. Vbi sunt plures formalitates, scilicet rationes obiectiuæ intelligibiles, ante omnem operationé intellectus, & illud in quo sunt tales rationes intelligibiles, est vna res indistincta, ibi est identitas realis, & distinctio aliqua præcedens omnem operationem intellectus; sed sic se habent illa, quæ dicuntur distingui formaliter, quòd rationes intelligibiles, ante apprehensionem intellectus, sint in vna re indistincta realiter; ergo ibi est indistinctio, seu identitas realis, & tamen distinctio formalis, atque ita distinctio formalis, non erit illa eadem quę realis. Confirmatur. Quia in vna realitate seu entitate possunt esse plures formalitates, seu rationes obiectiuæ, aptæ intelligi, antequam actu intelligatur; illæ igitur rationes obiectiuæ diuersæ, cùm præcedant actum intelligendi, nullo modo distinguentur ratione, sed distinctione præcedente actum intellectus; non autem illa reali strictè & propriè dicta; ergo distinctione minori, quàm sit realis; hanc voco formalem; ergo, &c.

Probatur Quartò. Quando in vna re sunt plures rationes obiectiuæ conceptibiles, quarum vna non includitur in formali conceptu alterius, illa distinguuntur; non realiter, cùm sit vna res, sed formaliter, propter rationes formales conceptibiles; & non ratione, quia ante actum intellectus, illæ rationes conceptibiles sunt in tali re; sed quę distinguuntur formaliter, simpliciter non includitur vna ratio obiectiua, in formali conceptu alterius rationis obiectiuæ, idque ante apprehensionem intellectus; ergo, &c.

Quintò. Probatur authoritate Arist. Tum in prædicamentis cap. de Qualitate, vbi docet Philosophus, quòd idé numero calor, qui est de prima specie qualitatis, vt est dispositio, est de tertia specie qualitatis, vt est passibilis qualitas; ergo idem numero calor, vt est realiter idem, facit diuersas species, vel ponitur sub diuersis speciebus; igitur oportet ponere diuersas rationes formales, per quas faciat diuersas species, vel per quas reponatur sub diuersis speciebus; atque ita, cum identitate reali, necessariò oportet ponere diuersas formalitates. Tum in 3. Phys. tex. 21. vbi dicitur, quòd actio & passio, cùm idem significent realiter in numero, habent tamen quod quid erat alterum & alterum, videlicet distinctam definitionem; sed illa, quę sunt idem realiter, & distinctum habent, quod quid erat, seu definitionem, sunt distincta formaliter, quia vnum non est de formali conceptu alterius; ergo secundùm Arist. cũ identitate reali stabit distinctio formalis. Idem habetur 5. Ethicor. vbi docetur, quòd virtus & iustitia, sunt eædem res, sed tamen sunt distinctæ secundùm rationem quidditatiuam; sed eandem rem distingui per diuersas rationes quidditatiuas, est distingui formaliter, ergo identitas realis compatitur distinctionem formalem. Huc etiam spectat doctrina in 4. Metaph. c. 3. vbi affirmat Aristot. quòd ens & vnum, sunt vna natura, distincta vera ratione quidditatiua, & non distinctione rationis ratiocinantis, tali enim distinctione distinguitur ens ipsum à seipso; vt cum dico, Ens est ens; maior verò est distinctio entis ab vno, quàm Entis à seipso; ergo est maior distinctio, quàm distinctio rationis ratiocinantis.

AD ARGVMENTA IN PRINCIPIO Difficultatis posita.

AD Primum. Respondeo Primò. Illa, quæ distinguuntur ex natura rei, ante operationem intellectus, distinguuntur realiter, realitate communissimè sumpta, vt idem est realitas, quod formalitas: non autem realitate propriè & strictè accepta; & tali realitate, non distinguũtur illa, quæ dicuntur distingui formaliter.

Respondeo Secundò. Quæ distinguuntur ex natura rei, vt res & res, illa distinguuntur realiter verè, quæ autem distinguuntur ex natura rei, non vt res & res, sed vt aliquid rei, scilicet vel modus, vel passio, vel ratio obiectiua, in re identicè contenta: nego, quòd ista distinguantur realiter: modò illa quæ distinguuntur formaliter, distinguuntur hoc secundo modo, vt aliquid rei: atque ita argumentum non concludit.

Per idem patet responsio ad Secundum. Illæ enim formalitates, non sunt propriè res & res, strictè sumendo rem, vt debet sumi, sed aliquid & aliquid rei: vel dici possunt res, videlicet rationes Entis, præcedentes actum intellectus, non tamen propriè res, vt res accipitur pro realitate, apta habere suam existentiam, absque omni alio, quod non est ipsa; sic enim formalitates, nõ sunt tales res, quæ sint aptæ habere existentiam, absque omni alio quod non sunt ipsæ.

Ad Tertium. Respondeo. Primò, non valere argumentum, à transmutata proportione hic. Nam locus à mutata proportione, est tantùm inter rem & rem, seu inter distincta realiter. Cùm igitur passio à subiecto non distinguatur realiter, non poterit ibi esse argumentatio à transmutata proportione. A transmutata proportione [non] tenet argumentum.

Respond. Secundò. Locus à transmutata proportione, debet esse inter similia omninò; hic autem non est perfecta similitudo: nam licèt in eo sit similitudo, quod sicut res subiecti, non potest esse sine re passionis, ita formalitas subiecti non potest esse sine formalitate passionis: inde tamen non infertur, quòd sicut res passionis est idem realiter subiecto, ita formalitas passionis, est idem formaliter subiecto. Non infertur inquam, propterea, quòd cùm res subiecti transeat in realem identitatem cum re passionis, & è conuersò; formalitas autem subiecti non transeat in identitatem formalem, cum formalitate passionis: rectè infertur identitas realis rerum, non identitas formalis formalitatum.

Ad Quartum. Illa quæ distinctas habent definitiones, nego quod distinguantur realiter semper: vna enim res potest habere varias rationes formales, vario modo definibiles.

Quando verò dicitur. Illa quæ distinctas habent definitiones, distingui essentialiter: cùm definitio explicet essentiam rei; quæ autem distinguuntur essentialiter, distinguuntur realiter secundùm Scotistas. Diffinitio distincta facit distinctioné [rea]lem.

Respondeo. Distingui vnum ab alio essentialiter contingit: Primò, quòd hoc distinctum & illud, sunt duæ essentiæ reales positiuæ, vt essentia Alexandri & Bucefali, distinguitur: & in hoc sensu, in quo currit argumentum, negatur Maior: Secundo modo dicitur distingui aliquid essentialiter ab altero, quia distinguitur ratione formali obiectiua, quæ nullo modo conuenit illi alteri: & sic illa, quæ dicuntur distingui formaliter, distinctas habent definitiones rationum formalium: & consequenter, talia sunt distincta essentialiter, videlicet formaliter: quia tamen iste modus dicendi, distinguuntur essentialiter, supponere videtur, membra distinctionis esse essentias: absolutè prolatus negari debet; illa enim, quæ distinctas habent definitiones, non semper habent distinctas essentias, sed distinctas quidditates, seu rationes formales quidditatiuas, dictas in Quid, de membris talis distinctionis.

Cum dicis. Definitio explicat essentiam rei.

Respon. Illud dictum sic accipi debet, quòd definitio explicet prædicata essentialia rei: vnde quando in vna re plures concipiuntur formalitates, vt finitas & contingentia, in vno aliquo ente creato: tunc diuersæ definitiones finitatis & contingentiæ, indicabunt diuersa prædicata essentialia, videlicet intrinseca & quidditatiua vtriusque, non quòd finitas & contingentia sint essentiæ, sed quòd habeant prædicata quædam quidditatiua, ita sibi intrinseca, sicut est intrinseca essentia illi, cuius est essentia. Definitio explica[t] essentiam.

Dices. Distinguuntur quidditate: ergo & essentia; cùm ista sint idem.

Respondeo. Negando consequentiam. Quia quidditas non est adæquatè id quod essentia, vt supra dixi; nam licèt bene sequatur; Est vna quidditas: ergo vna essentia; Non tamen sequitur: Est vna essentia; ergo vna quidditas: siquidem Quidditas non est æquatè quod essentia.

dem ab vna essentia possunt sumi plures quidditates, vt patet etiam in Diuinis.

Ad Quintum. Respondert potest. Primò, sicut responsum est ad Primum: quòd distinctio formalis sit realis, realitate communissimè, non propriè accepta; vnde neque est distinctio media inter distinctionem rationis, & illam, quæ est ante operationem rationis. Verùm quia illa entia, quæ habent suum esse ante operationem intellectus, sic se habent, quòd quędam illorum sunt realia, actualem habentia existentiam, à quolibet alio ente, quod non est illa res diuersa, vel saltem possibilia habere; alia verò sunt nō tam entia, quàm aliquid entis, sine quo impossibile est illam esse: ideo illa distinctio, præcedens operationem intellectus, quæ est entium non dependentium ab opere intellectus, subdiuidi debet in realem, qua distinguuntur entia verè suam habentia propriam existentiam, diuersam ab illis à quibus dicuntur distingui; & in formalem, qua rationes obiectiuæ contentæ vnitiuè in vna re, non tanquam aliæ & aliæ res, sed vt aliquid rei, seu rationes intrinsecæ identicè & realiter in illa inclusæ distinguuntur.

Ad Confirmationem. Respondeo. Illa duo quæ distinguuntur, vel sunt entia rationis; & sic distinguuntur ratione; vel entia realia; & hoc dupliciter; vel enim sunt entia realia subiectiuè, quod saltem alterum illorum habeat existentiam propriam separabilem ab altero; & illa distinguūtur propriè realiter, cùm illæ sint propriè res; vel sunt entia realia obiectiuè, sic, quòd in vna re plures rationes obiectiuæ vnitiuè contineantur, & illa sunt distincta formaliter.

Ad Sextum. Respondeo illā diuisionem rei, in essentiam & existentiam tantùm, esse insufficientissimam; cui tota illa argumentatio innititur: & reuera tantùm ponderis & energiæ habet hoc argumentum, quantum Blictri, nihil significans.

Nec mirum est Nominales non intellexisse modos & passiones rerum, vel etiam rationes intelligibiles vnitiuè contentas in re, cùm his multò clariora, vt figuram, motū, relationes, actionem, passionem, & non pauca alia non viderint in re; cùm illa secundùm se accepta, res esse negant, Grammaticalibus suis contenti explicandi modis: vnde & Nominales meritò dicti sunt, qui ex nominibus non significantibus, mediam partem Philosophiæ & Theologiæ suæ constitutam habeant. Verùm illi vt importuni Philosophi relinquendi sunt.

QVARTA DIFFICVLTAS.

Vtrum distinctio formalis sit eadem cum distinctione rationis ratiocinatæ?

Distinctio rationis duplex est; vt docet Ant. Sirectus in suis Formalitatibus: altera rōnis ratiocinantis; altera rationis ratiocinatæ. Quam diuisionem admittit Zoar. & Fons. supra, Aquarius in Formalitatibus ad mentem Thomistarum editis cap. 1. citando S. Thomam in pluribus locis.

Est autem distinctio rationis ratiocinantis, vel rationis significantis, (vt appellat Aquar.) illa, quæ merè causatur ab intellectu, vel alia potentia collatiua, ita, quòd antè actum talis potentiæ, nullo modo præfuerit distinctio in re: sic in Petro, ratio subiecti, & ratio prędicati, nullo modo apta fuit concipi ante considerationem factam ab intellectu de Petro, sub tali & tali respectu rationis. Illa dicitur distinctio rationis ratiocinatæ, quando intellectus distinguit actu duo in re, quia ipsa res erat apta ex se fundare duo contradictoria, & cōsequenter, ante operationem intellectus, aliquomodo fundamentalem saltem habuit distinctionem: sic dicunt Scotistæ, quia de Paternitate in Diuinis, dicitur incommunicabile, de Essentia verò Patris, dicitur communicabile; ista autem sunt contradictoria, & conueniunt ante omnem operationem intellectus, signum est, quòd Essentia Diuina à Paternitate distinguatur, ante omnem operationem intellectus; & sic plùs quàm ratione ratiocinante, sed non plùs quàm ratione ratiocinata.

Hæc distinctio rationis ratiocinatæ, vocari potest commodissimè distinctio ex natura rei, vt vult Ant. Sirect. imò planè est eadem: Vnde quando à Scotistis diuiditur distinctio in distinctionem rationis, ex natura rei, &c. intelligitur ibi distinctio rationis pro sola distinctione rationis ratiocinātis; cùm distinctio rationis ratiocinabilis præsupponat in re, quantumcunque minimam distinctionem, ante omnem operationem intellectus.

Quòd autem ista distinctio rationis ratiocinatę, seu significatæ, sit aliquomodo ex natura rei. Probatur ex dictis in antecedentibus. Tum quia antequam actu intelligantur illa, quæ dicuntur distingui ratione ratiocinata, vt Paternitas & Essentia, in Persona Dei Patris, vel præsupponitur intellectioni nostræ, non identitate rationum formalium in obiecto, vel non præsupponitur; si non præsupponitur; ergo illam solus intellectus efficit, & eadem erit distinctio rationis ratiocinatæ, quæ & ratiocinantis, si præsupponitur; ergo est aliqualis non identitas, seu distinctio in obiecto, ante operationem intellectus; & propterea meritò dicitur ex natura rei; & non est realis strictè accepta: ergo media, nempe formalis.

Dices. Si est distinctio ex natura rei; ergo non est distinctio rationis.

Respondeo. Non est ista distinctio simpliciter rationis, videlicet ab intellectu facta, qualis est distinctio rationis ratiocinātis, sed est distinctio rationis, cum hoc addito, ratiocinatæ, vel significatæ: quasi diceres: in ipso obiecto significato, & de quo ratiocinamur, est distinctio rationum intelligibilium.

Vel Secundò. Si illa subdiuisio distinctionis rationis in ratiocinantem & ratiocinatam, sit diuisio vniuoci in vniuocata, quòd ratio in vtroq; membro subdiuisionis pro ente rationis accipiatur; tunc dico, quòd licèt distinctio ista sit ex natura rei, completam tamen distinctionem, & quasi vnius ab altero disiunctionem, non habent nisi ab intellectu actu cognoscente: & hoc est dictu, distinctionem ibi esse fundamentaliter & radicaliter in re, completiuè tamen est ab intellectu.

Prior tamen respōsio est magis Scotica, vt patet ex Doctore Subt. dist. 2. q. 7. art. 3. Concl. 3.

Manet igitur fixum, distinctionem hanc formalem, siue ex natura rei, esse eadem quæ est distinctio rationis ratiocinatæ, seu significatæ: vt aperte vult Doctor loco cit. concl. 3. illis verbis: *posse vocari istam distinctionem rationis, non vt ratio est ens rationis*; idest, non rationis ratiocinantis; sed vt ratio accipitur, pro ratione obiectiua & intelligibili, quæ ratio est ratiocinata.

QVINTA DIFFICVLTAS.

Vtrum distinctio formalis, sit virtualis, vel etiam actualis, ante operationem intellectus?

Sensus difficultatis est. Supposito quòd distinctio formalis, sit diuersitas rōnum intelligibilium, præcedentiū omnem actum intellectus: quæritur. Vtrum ista diuersitas & distinctio obiectorum formaliter distinctorum, seu rationum realium intelligibilium, sit actualis in re, ita quòd actu in re ipsa, hoc non est aliud: vel tantùm virtualis & fundamentalis, quòd hoc sit intelligibile sine illo, & actualis est per intellectum actu cognoscentem.

Et quidem quòd sit tantùm virtualis. Videtur præsenti articulo parte 2. Concl. 4. docere apertè. Quòd autem sit actualis. Videtur colligi posse ex articulo præcedenti in principio rationis probandæ.

Respondeo. Distinctio formalis, potest dici virtualis & actualis, in recta acceptione horum terminorum. Primum patet hic, dum Doctor vocat virtualem. Quia suppositum illud infinitum, vnica & simplicissima res, virtualiter & eminenter continet plures realitates: vt dixi supra, & in eodem articulo infra dicetur; omittendo illa verba de distinctione rationis, & distinctione virtuali, non quia sunt malè dicta, & c. ergo licèt illi modi loquendi sint aliorum, à Doctore tamen admittuntur vt boni: & bene rem explicantes. Secundum quòd scilicet sit actualis, patet. Tum ex secundo articulo. Tum ex isto tertio, in fine secūdę partis;

Distinctio formalis potest dici virtualis & actualis.

tis;cùm dicitur. In essentia Diuina, ante actum intellectus, est entitas A. & entitas B. & hæc non est formaliter illa: ita quòd intellectus Paternus, considerans A. & cōsiderans B. habet ex natura rei, vnde ista compositio sit vera: A. non est formaliter B. &c. ergo actu & formaliter hæc entitas non est illa entitas, ex natura rei, ante considerationem intellectus; ergo distinctio formalis est actualis, actualium formalitatum, seu rationum intelligibilium. Quamuis verò hæc distinctio dicatur actualis, quia hæc formalitas à parte rei, non est illa formalitas ex natura rei, ista tamen actualis distinctio, cùm non sit rerum, sed rationum realiũ intelligibilium, in vna re realiter indistincta, meritò perfecta actualis distinctio, etiam formalis, quoad seiunctionē quasi vnius ab altero, est ab intellectu completiuè, licèt inchoatiuè & obiectiuè sit diuersitas rationum realium in obiecto, ante intellectus considerationem.

Dices Primò. Si est virtualis, non est actualis: cùm ista sint opposita.

Virtuale nō opponitur actuali, sed potentiale.

Respondeo Primò. Virtuale, non opponitur actuali, sed potētiale. Quare dicimus ibi esse distinctionem actualem, non potentialem; vt dicit Doctor in textu: istud tamen, ꝙ actualiter formaliter est ibi distinctum, est vna res, eminēter seu virtualiter, ita continens relationem & essentiam, secundùm proprias rationes harum realitatum, acsi essent illæ distinctæ realiter; quia relatio si per impossibile esset realiter distincta ab essentia, non magis esset constitutiua personæ & incommunicabilis, sicut modò dum identificatur realiter essentiæ.

Respondeo Secundò. Virtualis illa distinctio dicitur, contraponendo actuali reali, non formali: quia non est in vna persona actualis distinctio realis rerum, ob eius summam simplicitatem; nec realis potētialis, ob eius summam actualitatem: sed est virtualis realis, quia videlicet vnitiuè ob summam perfectionem continet rationes tales, de quibus à parte rei verificantur contradictoria, acsi illæ rationes essent duæ res distinctæ realiter. Cum ista tamen virtualitate & eminentia continentis, stat distinctio actualis formalis, vt dicitur apertè à Doctore in 2. dist. 6.

Dices Secundò. Doctor 7. Metaph. suę q. 19. ponit duplicem distinctionem realem, vnā rerum, alteram rationum realium: duplicem itidem rationis, vnam rationis strictè sumptam, quæ est rationis ratiocinantis: aliam intentionis. Ista autem distinctio intentionis distinguitur à distinctione rationum realium seu formali, penes hoc, quòd distinctio intentionis, non requirit differentiam rationum realium in actu, sed sufficit, quòd in potentia sit in re, & actu in intellectu.

Ex quo loco duo colligi possunt. Primò, quòd distinctio intentionis videtur esse eadem cum distinctione rationis ratiocinatæ, & non ista distinctio rationum formalium seu formalis diuersitas, contra dicta præcedenti difficultateꝯ. Secundò colligitur, quòd non omni distinctioni rationis ratiocinatę, correspondet actualis distinctio rationum formalium: & ita non est actualis, contra hìc dicta.

Respondeo Primò. Illud dictum est ex sententia Henr. Gandau. 1. part. suæ sum. art. 27. q. 1. vbi multis tractat de distinctione intentionis, & quodl. 8. q. 9. & quodl. 9. q. 1. & 2. non autem ex propria Doctoris sententia, apud quem tantùm sunt tria genera distinctionum.

Tria genera distinctionum secūdum Doctō.

Respond. Secundò. Esto quòd esset dictum de menteꝯ Doctoris Subt. Dicendum esset, quòd distinctio illa intentionis, sit præcisè eadem, cum distinctione rationum realium, seu formali; vt hoc dictum putat Petr. Aquilan. in 2. dist. 3. q. 1. art. 3. omnino de mente Doctoris Subtilis. Sicut tamen distinctio realis habet gradus, secundùm magis & minùs, vt vult Doctor 7. Met. q. 19. quia maxima est distinctio realis naturarũ & suppositorum, minor naturarum in eodem supposito, vt in Christi Domini supposito: ita & distinctio formalis, potest variari, secūdùm magis & minus; vt maior sit formalis, vbi est distinctio rationum realium in actu, minor, vbi in potentia.

Distinctio realis habet gradus.

Formalis distinctionis dantur gradus.

Sed quamuis hoc verum est, quòd distinctio intentionis, vel est præcisè rationis ratiocinantis, vel ratiocinatę seu formalis, vel nulla; & meliùs diceretur, quòd esset distinctio formalis, vt etiam ex loco allegato constat, vbi intentionem generis, & intentionem differentiæ dixit Doctor distingui ista distinctione intentionis, quæ certum est ex dictis supra & dicendis in 2. dist. 16. distingui formaliter. Illud tamen dictum, quòd distinctio sit duplex rerum, & duplex rationis: & illud aliud, quòd distinctioni intentionis, non correspondeant rationes reales in actu, est omnino dictum secundùm sententiam Gandau. cuius ibi refertur Opinio, & non secundùm propriam.

Distinctio igitur hæc est actualis formalis, & virtualis realis, ad modum explicatum.

Caiet… errat.

Vbi etiam aduertes, quomodo Caietanus 1. par. q. 39. artic. 1. errat, attribuendo errorem Subtili Doctori, quòd non ponat virtualem distinctionem, sed formalem ex natura rei. Clarum enim est in litera Doctoris, quòd illa distinctio in Deo sit virtualis & formalis, ex natura rei: imò explicatio distinctionis virtualis, apposita à Caietano, expresè accepta est ex litera Subtilis Doctoris in 1. distin. 2. quæst. 7. & voluit esse subtilis & verax, alterius vera subtilitateꝯ.

SEXTA DIFFICVLTAS.

Vtrum ista distinctio sit minima inter distinctiones omnes, quæ sunt à parte rei?

MVlti Scotistæ in suis Formalitatibus dicunt, distinctionem ex natura rei, esse minorem distinctione formali: quæ distinctio ex natura rei est minima (secundũ ipsos) inter eas distinctiones, quæ præcedunt operationem intellectus. Verùm ego semper Opinionem F. Stephani Bruliferi, Scotistæ doctissimi, verissimam sum arbitratus, qui tribus distinctionibus, reali, formali, & rationis contentus, ceteras, vt inane quorundam Scotistarum figmentum, aspernatur. Sit igitur.

Dist… formal… ex… rei id…

Prima Cōclusio. Quòd à distinctione formali, hactenus explicata, non sit alia ex natura rei, minor ista, sed tantùm vnum genus est distinctionis, distinctio formalis, & distinctio ex natura rei. Probatur Primò. Quæ distinguuntur ex natura rei, illa distinguuntur & formaliter: ergo distinctio ex natura rei, non est alia à distinctione formali. Antecedens probatur. Quæ dicunt rationes formales distinctas, distinguuntur formaliter; sed quæ distinguuntur ex natura rei, dicunt distinctas rationes formales: ergo quæ distinguuntur ex natura rei, distinguuntur formaliter. Maior est euidens, cùm distinctio formalis supponat distinctas formalitates. Minor ostēditur inductione in oībus illis, quę secūdùm hos authores dicũtur distingui formaliter; Nam inprimis superiora ab inferioribus distinguuntur ex natura rei; at eadem habent diuersas rationes formales: nam superius non includit in sua ratione formali inferius, vt patet de animali & homine: similiter alia est ratio inferioris à superiori, nam superius vt genus, est communicabile speciebus, inferius vt species, non est communicabile speciebus. Item natura specifica, vt humana, est communicabilis, natura indiuidualis est incommunicabilis, communicabile verò, & incommunicabile, dicũt distinctas rationes formales. Idem dici potest de modis intrinsecis, eorumq. subiectis: licèt enim modus intrinsecus, additus illi cuius est modus, non variet rationem eius formalem; vt patet de albedine remissa & intensa, quæ est eiusdem rationis; nō tamen modus est idem formaliter illi; cùm illi non conueniat in primo modo dicendi per se, quod requirit Subtilis Doctor ad identitatem formalem: ergo est ibi non identitas formalis: ergo & distinctio, (non quòd modus dicat distinctam formalitatem, id est quidditatem, cùm quidditas addita quidditati, variet rationem eius: essentiæ enim sunt sicut numeri, quibus addita vnitas, variat rationē numeri, non item modus: sed distinctam formalitatem, id est, distinctam rationem intelligibilis, ab illo cuius est modus) Neq. hoc est contra illud dictum Subtilis Doctoris, vbi negat inferri debere ex non identitate formali, distinctionem formalem. Quia ibi non vult, vt inferatur ex omni non identitate formali distinctio formalis, inter formalitates stricto modo acceptas, id est quidditates, quales nō sunt modi; non tamen negat inferri posse formalitatis di-

stin-

stinctionem, sumendo formalitates primo modo, superiùs explicatas, qui est proprius modus sumēdi formalitatē, vt distinguitur contra realitatem, & quidditatem; quicquid in oppositum dicant Scotistæ. Patet idem de definitione & definito, quòd distinguuntur formaliter: quia non est eadē ratio formalis totius & partium, cùm ratio totius sit, esse constitutum, non sic partium, quæ sunt constitutiuæ; sed ratio definiti est ratio totius, ratio definitionis est ratio partium; ergo ratio formalis definitionis, non est ratio formalis definiti.

Probatur Secundò. Illa distinguuntur formaliter, (loquendo modo opposito ad identitatem formalem traditam à Doctore in 1. dist. 2. q. 7.) quorum vnum non includit aliud in primo modo dicendi per se; sed illa quę distinguuntur ex natura rei, vt superius & inferius, modus & subiectum, totum & partes, definitio & definitum, non includunt se in primo modo dicendi per se; ergo distincta ex natura rei, distinguuntur formaliter. Minor. Quia inferiora sunt extra rationem superiorum, vt patet, similiter totum extra rationem partium, & modus extra rationem quidditatiuam subiecti. De definitione autem & definito, sic ostenditur. Id quod est alicui idem formaliter, est illi idē in primo modo dicendi per se, vt dicit Subt. Doctor; sed definitum non est idem definitioni in primo modo dicendi per se: ergo definitum non est idem formaliter definitioni. Minor. Quia secundùm Aristot. 1. Poster. ca. de statu principiorum. Propositiones per se, non conuertuntur in per se, sed in per accidens; quare si ista est per se primo modo: Homo est animal rationale: ista non erit per se primo modo: Animal rationale est homo: & sic definitum definitioni, non conuenit per se primo modo, sed quasi per accidens.

Tertiò. Probatur idem authoritate Subt. Doctoris, in 1. Report. dist. 33. q. 2. vbi sic definit non identitatem formalem. Non identitas formalis est inter illa, quorum nullum cadit in definitione alterius, siue quę habent distinctas definitiones; sed distincta ex natura rei, vt inferiora à superioribus, modi à subiectis, distinctis definitionibus definiūtur; ergo, &c. Minor. Quia homo alia definitione definitur ab animali, cùm in definitione hominis ponatur rationale, quod non ponitur in definitione animalis; similiter in definitione subiecti, nō ponitur modus, nec ē conuersò, neque in definitione partium ponitur totum.

Et quamuis videatur aliqua difficultas, cùm paulò inferiùs subdit Doctor, *definitum & definitio sunt idem identitate adæquatè*: sed homo & animal sunt idem identitate, non tamen adæquatè, dupliciter; Primò, quia animal ad plura se extendit: Secundò, quia homo plùs includit, puta rationale: Licèt inquam ex his verbis Doctoris possit deduci aliquomodo contrarium nostris dictis; si tamen textus accuratiùs inspiciatur, pro nobis est, non contra nos. Cùm enim dicit Doctor: *definitio & definitum sunt idem adæquatè*: loquitur ibi de identitate reali: vt manifestè colligitur ex verbis paulò antecedentibus; vbi exemplificās de Ente, & passione eius, vno, dicit; *ideo non sunt formaliter idē* (scilicet Ens & vnum) *& tamen sunt identitate idem, sic etiā de alijs passionibus Entis*. Hæc ille: Si igitur ista verba, *sunt identitate idem*, referantur ad identitatem formalem, ponit duo contradictoria, quia dicit, *non sunt formaliter idem, & tamen sunt identitate*, (scilicet formali secundùm tuam expositionem) *idem*; quam contradictionem, vel rudi Grāmatico attribuere, nedum tanto tamque Subtili Doctori adscribere, est magnæ incōsiderationis. Idem potest ostendi ex verbis infra positis, vbi dicit: *in creaturis est vera idētitas: & tamen non est identitas formalis*. Definitio igitur & definitum sunt idem, identitate reali non formali, vt fusiùs ex verbis Subtilis Doctoris ostendi in Logica.

Secunda authoritas explicata est superiùs dist. 2. q. 7. vide ibi.

Tertia est eiusdem in 2. dist. 16. post medium, vbi apertis verbis docet superiora ab inferioribus distingui formaliter, quæ secundùm Formalistas distinguuntur ex natura rei.

Adde dicta superius dist. 2. q. 1. art. 1.

Secunda Conclusio. Distinctio formalis, seu rationum formalium, est minima inter omnes distinctiones, quæ antecedunt operationem intellectus. Probatur. Tum quia ista distinctio formalis, est eadem cum illa quæ dicitur ex natura rei: si ergo illa est minima, & hæc. Tum quia id expressè vult Doctor supra dist. 2. q. 7. art. 3. illis verbis. *Ex his infertur differentia hic intenta* (scilicet formalis, seu rationum formalium) *quæ est immanifesta, & nimirum, quia minima in suo ordine*, id est; inter omnes quæ præcedunt intellectionem; ergo secundùm Doctorem distinctio formalis est minima. Distinctio formalis est minima a parte rei

SEPTIMA ET VLTIMA DIFFICVLTAS.

Vtrum præter distinctionem realem, formalem, & rationis, rectè assignentur à Scotistis alia genera distinctionum?

Communiter à Scotistis in Formalitatibus docetur, septem esse genera distinctionum, nimirum distinctio rationis, ex natura rei, formalis, realis, essentialis, se totis obiectiuè, se totis subiectiuè.

Hunc modum distinguendi amplectitur Mayr. Vallo, Sirectus, Trombeta, Laur. Brixiensis, Dudouetus, Thomas Posnamien. in Formalitatibus, Licher. in 2. Sent. dist. 1. q. 4. & 5. & non pauci alij. Distinctionum nume rus secūdū Scotistas.

Maur. Hybernicus addit octauam distinctionem, nempe modalem.

Vorrilonis in 1. dist. 8. ar. 1. nouem genera distinctionū, tribus ternarijs colligata, secundùm ascensum, proponit. Primus ternarius est, distinctio rationis simpliciter, distinctio rationis ratiocinantis, & distinctio ex natura rei. Secundus ternarius, distinctionem modalem, formalem, & realem, complectitur. In tertio ternario, distinctio essentialis, se totis subiectiuè, & se totis obiectiuè continetur.

At Steph. Brulifer, & Tartar. præter distinctionem rationis, tantùm duas agnoscunt distinctiones, præcedentes omnem actum intellectus, scilicet distinctionem realem, & formalem: quarum prima est distinctio maior, & manifesta: secunda distinctio est minor, & immanifesta: & ad istas duas, omnes aliæ habent reduci (secundùm hos authores) nec propriè distinguuntur contra istas.

Quæ Opinio vltima, verissima est. Pro decisione igitur difficultatis, sit.

Prima Conclusio. Distinctio essentialis, nō est alia à reali. Probatur. Illa distinguuntur realiter, quæ sic se habent disiunctiuè, quòd vnum potest esse sine alio, vel quòd vnū est producens, & aliud productum, vel quæ sunt in pluribus realiter distinctis; sed illa quæ sunt essentialiter distincta, ita se habent, vt patet inductione in omnibus; ergo omnia distincta essentialiter, sunt distincta realiter.

Porrò illud hìc notandum est. Quòd distinctio essentialis communiter est inter res reales positiuas; & quia extrema realia positiua, aliquando sunt essentię reales, aliquando non, sed sunt tantùm res quędam in essentia; ideo distinctio realis, aliquando dicitur essentialis, quando extrema huius distinctionis sunt essentiæ, aliquando non essentialis denominatur, sed tantùm realis, quia est distinctio non essentiarum, sed vel rerum in essentia, vel essentię & rei. Distinctio igitur hæc diuersimodè denominatur, pro diuersitate extremorum, quæ tali distinctione distinguūtur: Sic distinctio duorum indiuiduorum creatorum, est realis essentialis, quia sunt numero distinctæ essentiæ; in Diuinis autem, cùm sit vna numero Essentia in pluribus Personis, non erit distinctio realis essentialis, propter singularissimam vnitatem Essentię, sed tantùm realis, quæ est distinctio rerum, seu Personarum realiter distinctarum, in vna Essentia. Distinctio essentialis non est alia à reali

Secunda Conclusio. Distinctio & identitas subiectiua, non est alia ab identitate & distinctione vel formali vel reali. Hæc Conclusio sic ostenditur. Distinctio subiectiua dupliciter accipitur. Primò, pro non conuenientia in aliqua realitate potentiali, & contrahibili, per realitatem differentiæ; sic summa genera in nullo tali potentiali conueniunt, sic etiam Diuinæ Personæ cum Essentia: ista igitur in tali conceptu non conuenientia; vel sunt idem realiter, Distinctio subiectiua duplex.

vt

vt Diuinæ Personæ cum Essentia: & tũc est tantùm distinctio formalis: vel non idem realiter; & sic distinguuntur realiter, vt decem genera, & etiam Diuinæ Personæ inter se; patet igitur, quòd distinctio subiectiua hoc modo sumpta, vel est realis vel formalis: Secundo modo sumitur se totis subiectiuè, pro alietate illorum extremorum, quorũ realitates non possunt esse simul in eodem numero, vel per identitatem realem, vel per modum informantis, vel per modum informabilis; ista autem, quorum realitates nullo horum modorum possunt esse in eodem numero, euidentissimum est distingui realiter: vt constat; Tum ex illo pronunciato, nihil est idem realiter A. sine quo A. potest esse realiter, absque contradictione: Tum ex definitione distinctionis realis; tum ex modis eam cognoscendi.

Cõcludo igitur, quòd distinctio se totis subiectiuè, quocunque modo accipiatur, nòn est alia à distinctione reali, vel formali.

Addiderim & illud. Si nouum genus identitatis poni debet inter ea, quæ in conceptu generico conueniunt; Aliud genus identitatis poni debet eorum, quæ conueniunt in conceptu specifico, aliud eorum, quæ in conceptu numerico; cùm identitates fundentur in vnitate; istæ autem vnitates variæ sunt & distinctæ, secundùm Aristotelem; igitur & idẽtitates in eis fundatæ, variæ erunt: quodsi istæ identitates erũt diuersæ, & distinctiones eis oppositæ, aliæ atque aliæ excogitari debent. Vnde falsò distinctionum modos communiores, septem vel octo numerabunt. Et deinde multiplicabuntur entia sine necessitate, nec vnquã suis distinctionibus certum numerum assignabunt: cùm semper aliæ & aliæ excogitari possunt. Quodsi vnitates specificæ & numericæ, non fundant identitates subiectiuas, specificas, vel numericas, vt distinctas contra identitatem realem vel formalem, nec vnitas generica fundabit identitatem subiectiuam genericam, distinctam contra realem vel formalem; & consequenter, nec illi oppositam distinctionem admittere possumus, vt distinctam à reali vel formali.

Distinctio se totis obiectiue non constituit nouum genus distinctionis

Tertia Conclusio. Distinctio se totis obiectiuè, non cõstituit nouum genus distinctionis à formali & reali. Probatur. Primò Quia illa quæ non conueniunt in vno conceptu quidditatiuo Entis, sunt passiones Entis, & vltimæ differentiæ, secundùm Scotistas, sed vltimæ diferentiæ, & passiones Entis, sunt idem realiter, & distinctæ tãtùm formaliter ab Ente, vt patuit ex dictis 1. Conclusione, & patebit magis alibi; ergo frustra fingitur alia distinctio.

Secũdo. Sicut ponitur distinctio se totis obiectiuè; quare non ponitur distinctio se totis genericè, se totis specificè, se totis naturaliter, se totis personaliter, & similes? Si igitur istæ reuocantur omnes ad distinctionem realem, vel formalem, etiam illæ à Scotistis excogitatæ, & præter, imò contra mentem Doctoris Subt. confictæ, ad aliquam earum reduci debent.

Distinctio modalis nõ est alia, à formali vel reali.

Quarta Cõclusio. Distinctio modalis, non est alia à reali vel formali. Probatur. Quia vel est modus extrinsecus à re separabilis, vt figura à quantitate, intensio à qualitate; & tales modi distinguuntur realiter, secundùm illam propositionem Doctoris: Nihil est idem realiter A. sine quo A. potest esse; sed hæc quantitas potest esse sine hac figura, & hæc qualitas sine hac intensione; ergo, &c. Vel sunt modi intrinseci identificati realiter; & tunc, cùm alia ratio obiectiua sit modi, alia subiecti, distinguuntur tales modi distinctione formali ab inuicem, & à subiecto.

Præterea. Si fingitur distinctio modalis, qua distinguuntur modi, cur non ponitur alia passionalis distinctio, qua distinguuntur passiones inter se & à subiecto?

Modi distinctionum vniuersales tres

Quinta Conclusio. Tres sunt tantùm modi vniuersaliores distinctionũ, secundùm Doctorem Subt. Omnia enim quæ distinguuntur, vel distinguuntur realiter, vel formaliter, vel ratione.

Patet ista Conclusio ex præcedentibus; vt tamen eius veritas magis elucescat, & superiorum Conclusionum.

Modi distinctionum varij

Aduertendum hìc est de modis distinctionum. Quòd hi alij sunt peculiares, fundati in obiectis circa quæ versantur, quibus peculiaria entia distinguuntur: talis distinctio est in Christo realis, naturarum nõ suppositorum, in Diuinis Personarum non Essentiarum. Alij modi sunt communiores, quibus distinguuntur multò plura, & communiora entia, quæ fundantur etiam in ratione obiectiua entiũ diuersorum; sic distinguitur ens per materiale, & immateriale, per ens substantiale & accidentale, &c. Alij demum sunt modi cõmunissimi, fundati non in rebus, sed in multiplici vnitate rerum, sumendo illam vnitatem communissimè, sic quòd illa entia dicantur eadem, quæ eandem habent vnitatem, illa non eadem seu distincta, quæ distinctas habent vnitates, siue eiusdem ordinis, siue diuersi.

Supremi igitur distinctionum modi, debent attendi, nõ penes obiectum vt obiectum est (sic enim deberent distingui, prout distinguuntur entia obiectiua) sed penes obiectum prout vnum vel multiplex est: ita quòd si vnum sit obiectum, sit ibi identitas; si multiplex, sit distinctio.

Porrò ista distinctio, considerata penes vnitates, connotat etiam ipsam rationem obiectorum, quorum est vnitas; ita quòd si vnitas sit entium rationis, identitas etiam ibi fundetur rationis; & in diuersis vnitatibus, distinctio rationis oriatur; quodsi alietas sit vnitatum in entibus realibus, ibi erit distinctio realis; hoc autem dupliciter: aut enim illa entia sunt in esse existentiæ eiusmodi, quòd habeant diuersas existentias; & sunt entia realiter distincta, propria reali distinctione; aut in esse essentiæ seu obiectiuo tantùm concipiuntur, sic quòd in esse existentiæ habeant vnitatem, & identitatem realem, in esse autem obiectiuo habeant plures rationes formales: & sic distinguuntur distinctione formali.

Diuer distin confi in co ni pe nitate tripl

Hæc diuersitas, vt identitatis, sic & distinctionum, considerata in communi penes vnitatem, vnitatisque multiplicitatem, connotat ens reale, vel rationis, & reale in esse obiectiuo seu subiectiuo; & sic tria tantùm genera distinctionum sufficiunt, rationis, formalis, & realis.

Disti nes obiec sumu sunt plices

Quodsi distinctiones accipiantur minùs communiter, vt ab obiectis desumuntur; sic distinctio, alia erit essentialis, qua essentiæ distinguuntur: alia suppositalis, qua supposita, & non essentiæ; alia realis, qua res ab inuicem separabiles, quæ tamen non sunt essentiæ vel supposita: alia potentialis, qua distinguuntur entia possibilia; alia actualis: alia se totis materialiter, vt elemẽta: alia se totis immaterialiter; & sic ferè infinitas excogitare possemus distinctiones. Et hoc modo admitti possunt omnes Scotistarum distinctiones, non vt vniuersales & communissimę, sed vt inferiores, sub illis vniuersalioribus tribus suam subdiuisionem habentes.

Scoti diuisi stincti est fa

Diuisio igitur septenaria distinctionum, à Scotistis assignata; vel traditur sic ab eis, quòd illi sint communissimi distinctionum modi, fundati super vnitatem entis rationis, realis essentiæ, & realis existentiæ; vel vt sub istis subsumpti. Si primo modo: falsa est diuisio, nec admittenda, vt hactenus ostendimus etiam de mente Doctoris; si secundo modo, quòd istæ diuisiones aliæ à reali & formali, accipiantur vt subdiuisiones & explicationes illorum; sic verum quidem est, quòd istæ subdiuisiones possunt dici distinctiones, non tamen sunt communissimæ, sed ad aliquam ex prædictis reuocandæ, iuxta supra dicta; nec tantùm sũt quatuor, aut quinque, iuxta Mauricium, sed possent quamplures aliæ poni.

Nunc etiam multitudo distinctionum à Fonseca lib. 5. suæ Metaph. c. 6. q. 6. confictarum, facilè reijcitur in vno sensu, in altero admittitur.

Sexta Conclusio. Non placet doctrina quorundam Scotistarum, asserentium, quòd distinctio maior inferat minorem.

Istud dictũ vt intelligatur. Aduerte. Quòd de illatione vnius distinctionis ex alia, hæc communiter dicuntur à Formalizantibus. Primò. Minima identitas, est identitas se toto obiectiuè: quia ab omnibus infertur, & ipsa nullam aliam infert. Secundò. Maxima identitas est, identitas rationis: quia omnes alias infert, & non è conuersò. Post istam est identitas ex natura rei, quæ omnes alias sequentes infert, & non è conuersò: similiter dico de identitate formali, in rebus non compositis ex re & re, capiendo propriè identitatem formalem, ita, quòd semper maior identitas inferat minorem; in rebus autem compositis ex re &

Distinct maior infert rem.

re,

re,identitas formalis non infert alias identitates; materia enim & forma sunt eadem formaliter composito, cùm sint de definitione compositi, secundùm Aristotelem 7. Met.& tamen distinguuntur realiter ab eodem. Identitas etiam realis,infert identitatem essentialem,insuper & identitatem subiectiuam, iuxta dicendi modum secundum de identitate subiectiua,non secundùm modum primum.

Addit tamen Ant. Sirect. Non videri, quomodo vna identitas per bonam cõsequentiam posset inferre omnes alias identitates,licèt aliquas inferat.

Ista tota doctrina illorum non placet. Tum quia maxima distinctio, secundùm illos, est distinctio se totis obiectiuè,& hæc non infert realem.

Nec Trombetæ respõsio aliquid valet. Quia illa distinctio se totis obiectiuè simpliciter, est distinctio realis, illud enim quod non habet identitatem realem, est distinctum realiter; ac proinde eadem erit distinctio maior & minor,obiectiua simpliciter,& realis. Tum quia distinctio realis non infert formalem, secundùm illorum principia. Dicunt enim plerique illorum, inferius esse idem formaliter superiori, vt hominem animali, & partes essentiales esse idem formaliter suo toti,sic anima intellectiua & corpus,sunt idem quidditatiuè homini,vt videtur velle etiam Doctor Subt.in 3.dist.22.sed anima intellectiua & corpus realiter distinguuntur ab homine,& quælibet materia ac forma à toto composito, vt videtur esse mens Doctoris in 3.dist.2.q.2.ergo, &c.Tum quia distinctio realis & essentialis, non infert distinctionem rationis: nam 10.summa genera,sunt distincta essentialiter & realiter, vt ostendi in Logica:& tamen non distinguuntur ratione, quia in Vniuoca ratione generalissimi,vel prædicamenti, omnia conueniunt,& cõsequenter conueniunt in idẽtitate rationis.

Malè igitur docetur, quòd ea distinguantur distinctione minori de necessitate,quęcunque distinguuntur distinctione maiori.

Septima Conclusio. Vna identitas,non infert aliam.

Doctrinam de illatione vnius identitatis ex alia, his dictis absoluit Ant. Sirect. Primum. Identitas prima & minima,est identitas se totis obiectiuè: quia ab omnibus infertur,& ipsa nullam aliam infert. Secundum. Maxima identitas,est identitas rationis: quia omnes alias infert, & non è conuersò. Post istam,est identitas ex natura rei;quæ omnes alias sequentes infert, & non è conuersò. Similiter dicit de identitate formali, in rebus non compositis ex re & re,capiẽdo propriè identitatem formalem, ita quòd semper maior identitas infert minorem:in rebus autem compositis ex re & re,identitas formalis non infert alias identitates:materia enim & forma, sũt idem formaliter composito, cùm sint de definitione compositi,secundùm Aristotelem 7.Met.& tamen distinguuntur realiter à composito. Identitas etiam realis infert identitatem essentialem, insuper & identitatem subiectiuam,iuxta secundum modum de identitate subiectiua dictum, non secundùm modum primum.

Hæc igitur doctrina quòd insufficiens sit,ostendo. Inprimis enim quòd Ant. Sirect. (quem communiter Formalistæ sequũtur) docet maximam identitatum esse identitatem rationis,quæ omnes alias inferat, & non aliqua illam,est manifestè falsum. Nam secundùm omnes Scotistas,omnia transcendentia, vt ens, vnum, verum, bonum, sunt idem identitate rationis,nempe in conceptu secundò intentionali transcendentis, & tamen non sunt idem formaliter,vel saltem ex natura rei,secundùm illos. Similiter omnia summa genera, in ratione prædicamenti,vel generalissimi,sunt idẽ rõne,non tñ sunt idem identitate formali,vel reali, vt dixi. Itẽ omnes tres Personæ Diuinæ,conueniunt in vna relatione Creatoris vel Domini; vnus enim est Creator & vnus Dominus,& tamen ad inuicẽ sunt distinctę realiter. Deinde,realis identitas,nõ infert identitatẽ obiectiuam: quia differentiæ vltimæ, & passiones Entis, sunt idem realiter cum Ente,& tamen distinguuntur se totis obiectiuè.

Malè igitur dicitur à plerisque Scotistis, ab identitate maxima,vel maiori,alias inferri minores: cùm oppositum sit euidentissimum.

Viderunt hoc aliqui, vnde & meritò has illationes tam distinctionum, quàm identitatum negauerunt, vt Steph. Brulifer, & aliquomõ Tartaretus. Aliqui verò vt Tromb. & Maur. Hybern. ordinem essentialem,non accidentalem, ponentes inter distinctiones & identitates,volunt omnino astruere, necessitatem illationis, tum distinctionum tum identitatum,sed falsò.

Ex hactenus dictis, manifesta relinquitur distinctio formalis ex natura rei,quæ ponitur quodammodo media inter realem & rationis, vel potiùs quæ est diminutè realis, seu minima realis, non rerum, sed rationum intelligibilium.

AD ARGVMENTA

in principio Dubitationis adducta.

AD Primum. Nego paritatem: cùm istæ rationes formaliter distinguantur.

Ad Confirmationem. Dico Primò,quòd ex falsa imaginatione procedit,quasi verò formalitas sit aliqua res,distincta à re,& minor illa:cùm ex dictis constet, quòd formalitas sit ratio obiectiua diuersa, in vna re simplici intelligibilis.

Resp. Secundò. Essentia Diuina identificat sibi realiter relationem, sed non formaliter, quia in ratione formali, relatio non est infinita, licèt realiter sit infinita, propter identitatem cum essentia.

Et cùm dicis, Vel æqualem vel inæqualem habet essentia infinitatem?

Dico. Semper vnam & eandẽ habet infinitatem,& propter ipsam est realiter infinita, sed non formaliter; quia essentia infinita, non est de formali ratione relationis, vt dixi dist.1.q.2. & ita nec infinitas erit de ratione eius formali. Comparatio igitur ista, & ex falso intellectu procedit,& non est in aliquo vniuoco: quod ad veram cõparationem requiritur; identitas enim formalis & realis, vniuocantur in transcendentali conceptu identitatis, non in specifico,in quo secundùm Aristot. solet esse cõparatio.

Ad Secundum. Nego sequelam Maioris: quia non idẽtitas seu distinctio formalis, potest stare cũ perfectissima, & omnimoda simplicitate,vt dist.8.ostensum est.

Ad Tertium. Essentia cùm sit formaliter infinita, repugnat illi vt sit in potentia subiectiua respectu relationis; & dist.5.q.2.ar.4.ostensum est, quòd relatio sit actus Personæ, non Essentiæ; ac proinde nulla est compositio, sed vnio simplex, diuersarum rationum formalium in eodem supposito.

Ad Quartum. Relationes non sunt in ratione sua formali, idem quod Deitas, siue non includunt Deitatem in primo modo dicendi per se: verum est, & dist.1. declaratum:sed inde inferre; Ergo absolutè loquendo,est aliquid in Deo, quod non est Deus: Est fallacia secundùm quid, ad simpliciter,& ex distinctione minori, qualis est virtualis seu formalis,est illatio distinctionis maximæ, qualis est vera realis.

Ad Quintum. Non plus vult Concilium,etiam secundũ ipsos,nisi quòd relationes distinguuntur ab Essentia,ratione ratiocinata, vel distinctione rationum formalium: q̃d verum est,nec plus intendit Subtilis Doctor.

Ad Primam Confirmationem. Dictum illud Anselmi, verum est de vnitate reali; vt patet ex verbis ibi adiectis; *vbi non obstat relatiua oppositio.* Sicut enim inter quæ est relatiua oppositio in Diuinis, illa distinguuntur vera reali distinctione,ita vbi non est talis oppositio, sicut inter essẽtiam & relationem nulla est,ibi non est talis distinctio realis propria,sed identitas illi opposita.

Ad Secundam Confirmationem. Respon. Hanc propositionem non haberi textu illo apud Aristot. Et esto quòd alicubi esset,non esset intelligenda de oppositione vera relatiua,vel contraria, vel priuatiua; sed de oppositione cõtradictoria: idq; non formaliter,quia essentia non opponitur formaliter contradictoriè relationi, nec è contra; cũ relatio & essentia sint actualissimæ entitates, contradictio autem formalis est inter ens & non ens; sed fundamentaliter,quatenus aliquid affirmatur, de Essentia, vt quòd sit communi-

communicabilis, non distinctiua; & negatur de relatione, quæ est distinctiua, non communicabilis.

Ad Sextum. Maior propositio est falsa; quia distinctio formalis (vt de ea hactenus locuti sumus) est minima inter omnes distinctiones, præcedentes actum intellectus, distinctio autem alicuius per accidentia communia, est distinctio maxima & realissima.

Illius propositionis, (quæ loco allegato non habetur in Doctore) Distinctio maior est per intrinseca, quàm per extrinseca: sensus est, quòd maior est distinctio realis vnius ab altero, quando ipsa distinguuntur aliquo sibi essentiali, quàm si distinguantur aliquo accidentali; sic maior est distinctio Alexandri & Bucefali, quæ in ipsis est ex distinctione essentiarum & naturarum, etiam specie, non tantùm numero distinctarum, quàm quæ est inter illos ex accidente, quia iste est albus, & ille niger. Sed ad propositum ista applicare non valet; quia in Diuinis nulla est distinctio essentialis realis: Deinde, esto quòd sit realis suppositorum, per rationes intrinsecas suppositis, nempe per relationes: dico quòd maior est ista distinctio illorum suppositorum, quàm quæcunque distinctio formalitatum in vna re reali.

Prædicatio abstractorũ i diuinis nõ est formalis sed idẽtica.

Ad Septimum. Prædicatio abstractorum de se inuicem in Diuinis, non est formalis, sed identica, vt dist. 8. q. 4. dictum est, maximè quando essentiale de notionali, vel è contra, dicitur. Quòd autem in rebus creatis, non identica sit prædicatio abstractorum de se inuicem, euenit id propter finitatem subiecti & prædicati; in Deo autem propter infinitatem Essentiæ Diuinæ, manet prædicatio identica, prædicati abstracti notionalis, de subiecto essentiali.

Famosæ p̃positionis explicatio.

Relatio trãsit in essentiam.

Ad Octauum. Istius propositionis. Relatio transit secundùm realitatem suam in essentiam; triplex potest esse sensus. Vnus, quòd relatio sit eadem res realiter, quæ & essentia; & sic ibi antecedens est verum, sed consequentia falsa. Secundus sensus est, quòd realitas relationis, id est ratio formalis relationis, transit in realitatẽ essentiæ, id est, identificatur formaliter formali rationi essentiæ; (realitas enim quandoque sumitur pro formalitate, vt in præcedentibus dictum est) & in hoc sensu Antecedens est falsum. Tertius sẽsus potest esse, q̃ ratio formalis relationis, idẽtificatur realiter essentiæ; & sic Antecedens est verũ, sed cõsequentia nulla.

Hinc patet ad Cõfirmationem primam, quòd æquiuocè accipiatur in antecedente, terminus realitas.

Ad Secundam. Non valet, sumendo realitatem pro eodem, pro quo sumitur formalitas. Accipiendo etiam realitatem, pro re realiter existente identificata essentiæ, in qua plures sunt formalitates, seu rationes formales conceptibiles; sic dico aliud esse realitatem, aliud formalitatem, sine vlla tñ cõpositione; quia neutrũ respectu alterius est actus vel potentia, etiam secundùm Metaphysicos conceptus.

Ad Nonum. Dico, quòd formalitas nõ sit realis, nec res merè rationis, nec propriè medium ens inter reale & rationis; sed est ratio realis obiectiua, in re cõceptibilis, quales rationes obiectiuæ, plures ex natura rei, in vno ente reali simplici sunt conceptibiles.

Si tamen instes. Ista ratio realis conceptibilis, vel est ens reale, vel rationis? Dico. Est aliquid entis realis, non autem propriè ens reale.

Dubitatur Secundò.

Vtrum attributa Diuina distinguantur ex natura rei formaliter.

Videtur, quòd non. Primò. Distinctio formalis ex natura rei, est maior distinctione reali; ergo attributa Diuina non distinguuntur ex natura rei formaliter. Antecedens. Distinctio per intrinseca, est maior illa, quæ fit per ea quæ sunt extra intima rei; sed distinctio formalis, est per maximè intima rei, distinctio autem realis, per ea quæ sũt extra intima rei; ergo &c. Minor patet ex Doctore supra dist. 2. q. 7. dicente, quòd *distinctio formalis ex natura rei, fit per prædicata primi modi, quæ insunt rei in primo signo, distinctio autem realis fit per ea, quæ insunt postmodum*. Maior probatur. Distinctio per aliqualiter intima, est aliqualiter distinctio; ergo per magis intima, est maior distinctio; & cõsequenter per maximè intima, est maxima distinctio: si enim sequitur simpliciter ad simpliciter, & magis ad magis; maximum necessariò sequitur ad maximum.

Secundò. Perfectiones Diuinæ abstractæ, præcisissima abstractione, sunt formaliter infinitæ; ergo sunt idẽ formaliter inter se ex natura rei. Antecedens est Doctoris Subt. dist. 8. q. 4. huius primi, in responsione ad argumentũ principale. Consequentia probatur. Vel enim intelligitur illud Antecedens de infinitate infra propriam rationem; vel de infinitate in latitudine entis. Nõ primo modo; quia nullum prius includit formaliter suũ posterius, perfectio autem Diuina, puta sapientia, est prior infinitate illa, quia modus eius intrinsecus est: ergo secundo modo; & habetur intentum, quia si sapientia Diuina præcisè & formaliter sumpta, est ita infinita, ita quòd ad nullam entis perfectionem simpliciter & formaliter terminata, oportet quòd intra suæ rationis formalis ambitum, omnem perfectionem simpliciter contineat.

Tertiò. Si attributa Diuina distinguuntur ex natura rei, sequitur quòd inter illa est relatio realis. Consequens est contra Auicen. dicentem, quòd eiusdem ad seipsum, non sit relatio realis; ergo & Antecedens. Sequela Maioris. Quia distinctio illa cùm sit relatio existens in rerum natura, necesse est, quòd sit realis, sicut & quodlibet existens in rerum natura, reale est.

Quartò. Sequitur quòd Diuina Essẽtia sit composita, & non omnino simplex, contra c. *Firmiter*, & c. *Damnamus*, & contra dicta Doctoris dist. 8. huius. Sequela probatur. Si enim attributa Diuina inter se, & à Diuina Essentia, ex natura rei distinguerentur, sanè in Diuina Essentia esset multitudo quædam rationum formalium realium, quarũ vna nõ esset alia; quod apertè pugnat cum omnimoda simplicitate; nam simplicius quid erit vnaquæq; earum, quàm collectio omnium, esto quòd re ipsa inter se sint idem.

Hoc argumento conuicti Zum. & Mol. putant sententiam Scoti non esse satis tutam.

Quintò. Si sapientia distinguatur ex natura rei: sequuntur hæc inconuenientia, Primò, quòd Deus non sit seipso formaliter sapiens, sed aliquo alio ex natura rei. Deinde, Deitas habebit rationem potẽtiæ ad suum actum. Præterea, dabitur aliquid in Deo, q̃ seipso non sit omni ex parte perfectum: Deitas enim indigebit sapiẽtia, alijsq; attributis. Ad hæc, aliquid erit formaliter in Deo, quod neque sit formaliter Deus, neque sapientia, neque aliud attributũ: quæ omnia absurdissima sunt.

Sextò. Attributa Diuina, non plus distinguuntur ab Essentia Diuina, quàm relationes ab eadem Essentia; relationes autem sola ratione distinguuntur ab Essentia Diuina, vt dicitur in Concil. Florentino; ergo attributa.

Septimò. Non est aliud ens, ab ente reali & rationis; ergo non est distinctio, nisi realis vel rationis; sed non est distinctio realis inter attributa: ergo erit rationis. Ita arguit Caietanus lib. de ente & essen. c. 12. Molin. 1. par. q. 28. art. 2. disp. 2. Zumel. ibid. disp. 7. Bannes, alijq. Thomistæ. Præterea Heru. quodl. 1. q. 2. & quodl. 3. q. 3. insuper quodl. 8. q. 1. Ocam cum sequacibus, dist. 8. Argent. dist. 6. q. 1. ar. 2.

In oppositũ est Doctor Subt. hic, & sui Sectatores dist. præsenti, vt Lichet. Tartaretus, Bargius, Paul. Scriptor, Petr. Aquilan. Nicol. de Orbellis, Ant. Andr. Vorril. & Guiler. Præterea Bassol. dist. 22. primi Sent. Ioan. Colonien. in suis quæstionibus Theologicis, quæst. 65. Ioan. de Rada tomo 1. Controuersia 4. Mayr. in 1. dist. 8. q. 2. 3. & 4. qui omnes docent Diuina attributa, tum inter se, tum ab Essentia Diuina distingui formaliter ex natura rei.

Quod porrò in re nihil, vel tantùm in modo loquendi à nostra sententia differant, dicentes ibi esse distinctionem rationis ratiocinatæ fundamentalẽ, virtualem, vel eminẽtem; vide superiùs dicta: ex quo loco tota decisio & probatio atque explicatio præsentis dependet difficultatis.

Aureol. Scoti sẽtiam dedit.

Interim Scotista supponat certum, quòd distinctionem formalem ex natura rei, quid sit de mente Doctoris nostri Subtilis, vt Thomistæ, ita Neoterici non apprehendunt: quod et Aureol. dist. præsenti q. 3. art. contra Heru. Durãd. aliosque Thomistas notauit. Quamuis enim longè probabilior sententia videatur, nullam in Deo dari attributorum distinctionem, non modò ex natura rei, sed nec rõnis quidem:

quidem: hanc tamen nostram sententiam docet esse valde probabilem: vnde viginti duo argumenta contra positionem Doctoris Subt. à diuersis authoribus prolata, ibidem proponit,& quomodo ex malo intellectu sententiæ nostræ, & distinctionis procedunt,copiosè docet,sed tū argumenta illa ab Aureolo collecta,tum alia Ariminen. Ocami,Lādulphi,vel Bacconitani,à Licheto in 1.d.2.quæst.4.recitata nulla difficultate resoluūtur, ex dictis à nobis dubit. præc. de distinctione relationum Diuinarum ab Essētia Diuina.

finitum tu triplex. Pro solutione argumentorum. Aduerte Primò.Quòd actu infinitum,possumus imaginari triplex.Primum,quod est in certo genere entis infinitū formaliter, multis tamen carens perfectionibus,vel sibi secundùm naturam specificam debitis,vel secundùm rationem genericam; vt si esset calor infinitus intensiuè, esset tantùm infinitas in genere qualitatis,sed non ratione substantiæ,intellectus,vitæ,aliarumq; perfectionum. Secundum,quod est in omni ratione entis infinitum formaliter;& tale infinitum cùm deberet esse infinitum lignum, infinitus lapis, infinitus homo, infinitus Angelus, & absolutè cuiuslibet entis ratio inesset illi formaliter,quod est repugnans; & consequenter, tale infinitum est simpliciter impossibile.Tertium,quod sit infinitum in omni ratione entis, sed nec præcisè formaliter, nec præcisè virtualiter, sed in perfectionibus simpliciter, est infinitum formaliter,quia sibi sūt compossibiles, vt supra dictum est, in alijs autem rationibus entis,est infinitū eminenter & virtualiter: tali modo Deus est infinitus.

Perfectiones infinitæ Deo dupliciter possūt concipi. Aduerte Secundò. Quòd illæ perfectiones,quæ in Deo sunt formaliter infinitæ,aptæ sunt concipi dupliciter; vel sub vno infinitatis gradu, qui per se primò & radicaliter, ac formaliter conuenit Essentiæ Diuinæ; attributis verò per se non primò, formaliter tamen; ita quòd eadem sit infinitas non tantùm secundùm identitatem realem, sed etiam rationis ratiocinatæ,tum essentiæ,tum attributorū. Vel secundò, subdistincto secundùm rationem infinitatis gradu: ita quòd licet Deus sit vnum ens simpliciter actu infinitum, in illo tñ, sicut sm distinctionem rationis ratiocinatæ, alia est ratio substantiæ, alia rō sapientiæ,alia ratio bonitatis; ita cuilibet rōni sic conceptibili distinctæ,distinctæ(distinctione rationis ratiocinatæ)infinitas attribuatur.

Infinitas est speciale attributumDei. Quòd horum modorum secundus,sit probabilis,supponatur nunc; de hoc.n.alias: siue tñ primo modo infinitas Deo conueniat, siue secundo, patet quòd infinitas non sit speciale attributum Dei. Si secūdus modus sit verus,patet quòd potest optimè concipi infinita formaliter sapientia, absque infinitate bonitatis;quia sicut aliud attributum est bonitas, aliud sapientia; ita alia est infinitas bonitatis, alia infinitas sapientiæ, alietate non reali, sed rationis ratiocinatæ, seu rationum realium; identicè tamen seu realiter, vt est idem sapientia & bonitas, ita vna & simplicissima infinitas sapientiæ & bonitatis.

Infinitas omnino cōnit attributis. Et sic nihil valet argumentatio illa aduersariorum. Infinita sapientia,est infinita in ratione entis;ergo & in ratione bonitatis. Antecedens siquidem,si de formali infinitate vniuersaliter accipiatur,est falsum simpliciter, vt visum est paulò ante. Limitando itidem ad omnem perfectionem simpliciter,ita quòd sapientia infinita,sit infinita formaliter, in omni perfectione attributali; patet ex modò dictis oppositum. Nec tamen inde sequitur quòd sit infinita sapiētia,secundùm quid infinita; sed est infinita simpliciter, quia realiter nulla caret perfectione cōpossibili, in aliquo perfectissimo sub ente, est enim infinita sapientia realiter idem,quod infinita substantia,vel bonitas. Vnde non valet,quòd ad lineam infinitam in quantitate, vel ad albedinem infinitam intensiuè, Caietanus sapientiam Dei identificatam realiter omni perfectioni simpliciter,comparat, & accommodat;& sicut ibi est infinitas secūdum quid, ita & hic. Non valet inquam. Quia quod in re nulla caret possibili perfectione, sed habet omnem compossibilem infinitatem,est simpliciter infinitum; talis est sapientia infinita, quæ habet omnem perfectionem & infinitatem realiter;non tamen requiritur,quòd in formali suo conceptu, vel perfectiones alias, vel earum infinitatem includat.

Si primus modus teneatur, non impedit illa infinitas, quin vnum attributum sit cōceptibile,non concepto alio. Quia ratio aliqua communis & indifferens,vt in prædicamentalibus non impedit,quominus rationes particulares, quibus illa ratio cōmunis conuenit, possint concipi distinctè. V.g.indiuiduationes possint absq; natura specifica cōcipi, differentiæ specificæ absq; genere &c. ita & in trāscēdētibus, infinitas vna communis attributis Diuinis omnibus,non impediet,quin vnum attributum distinguatur ab alio.Vnde secundùm hunc modum,esto quòd vna secundùm rationem infinitas,esset de ratione sapientiæ,vel alterius attributi, secundùm dicta dist.8.q.3.circa finem; non tamen attributum vnū erit de formali conceptu attributi alterius; quia bene commune prædicatum duobus,pōt dici quidditatiuè de illis,vt animal de homine & Leone; sed illa quibus est cōe, non dicuntur de se quidditatiuè, nec.n. dr hō de Leone,vel ē contra,ita in Deo, cū infinitas sit vna vnitate rōnis,oīb. cōis(cōitate,vt superius aliàs dixi, nō vniuersitatis,sed communicabilitatis)attributis; poterit dici in Quid de illis,& esse de ratione cuiuslibet attributi, vnū tamen attributum non erit de ratione alterius attributi. *Attributa distinguūtur ex natura rei.*

Dices. Sapientia Diuina,præcisè accepta,vel est formaliter infinita in ratione Entis, vel non est formaliter infinita. Non secundum; quia est infinita simpliciter,& solæ relationes Originis in Deo,non sunt formaliter infinitæ, non aūt aliquid essentiale: ergo primū;& sic includet bonitatē.

Resp. iuxta iam dicta. Primò.Secundùm primum modū: ꝙ sapientia Diuina sit formaliter infinita,infinitate Entis;non tñ includat in rōne sua illas perfectiones,quib. illa infinitas,conuenit.Resp.Secundò,iuxta alium modum:sapientia est formaliter quidditatiuè infinita, propria infinitate;infinita aūt infinitate totius Entis,est idēticè,nō quidditatiuè formaliter; in quo sensu ly formaliter,in præsenti materia currit, licet sit formaliter denominatiuè; sed hoc non est ad propositum. Terminos,formaliter quidditatiuè,& formaliter denominatiuè,expositos à nobis, vide sup.

AD ARGVMENTA IN PRINCIPIO Dubitationis adducta.

AD Primum. Respondeo. Nego Antec. Ad probationē. Respōdeo Primò. Negando Maiorem,eiusq; probationē: cùm distinctionis maioritas,sumatur penes maiorē non conuenientiam in identitate(distinctio siquidē opponitur identitati) vt illa sit maior distinctio,quæ magis nō sunt idē; maximè aūt nō sunt idem,quæ habent distinctas realiter, vel naturas, vel supposita;illa aūt minùs idem,quę in eadem natura distinctas habent rationes conceptibiles; & consequenter dico per oppositum, ꝙ minùs distinguūtur ea,quæ sunt magis intima.Respōdeo Secundò.Distinctio sumitur pro repugnantia vnius cum alio, & secundò pro non conuenientia vnius cum alio: distinctioq; extremorum realiter distinctorū, maior est per extrinseca, quā per intrinseca,sumendo distinctionē,pro non conuenientia. Petrus.n.quantus, à Ioāne albo,magis distinguitur,seu magis non conuenit in extrinsecis, nempe in quātitate, & albedine, genere distinctis, quàm per intrinseca, per quæ conueniunt in specie hominis, in genere animalis &c. Accipiendo verò distinctionē pro repugnantia in realiter distinctis,maior est repugnātia per intrinseca, quàm per extrinseca. Accipe enim naturam lapidis, & naturam lactis; quantitas in his & albedo,non ita repugnāt,vt sit & in hoc subiecto & in illo,intrinseca tamen ratio vnius,non potest esse eiusdem speciei,vel naturæ, cum intrinseca ratione alterius,eiusdem speciei.Et hæc quidem vera sunt in distinctis realiter:vbi verò est vnitas realis, & distinctio formalis,ibi distinctio præcisè formalis per intimior a,nullo modo est maior illa,quæ sunt per ea,quæ non sunt intima rei. Et probatio assumpti est simpliciter falsa. *Distinctio per intrinseca,an maior quā per extrinseca.* *Distinctio sumitur pro non conuenientia, & pro repugnātia.*

Vide aliam solutionem præc. Dubit. in fine ad Sextum.

Ad Secundum. Nego consequentiam. Ad prob. Dico,ꝙ vtroq; mō possit intelligi, vt visum est in corpore dubit.

Ad illā improb. primæ partis, ꝙ perfectio attributalis, est prior infinitate. Rñ. Dictū est dist.8.q.3. circa finem,in quadā dubitatione, ꝙ licet infinitas sit modus intrinsecus alicuius perfectionis essentialis,seu attributi,est tñ de rōne quidditatiua illius: ac proinde, nō est quid posterius attributo.Deinde,esto ꝙ alia sentētia sit vera,nimirum, ꝙ infinitas

nitas non sit de essentia sapientię (vel alterius attributi) adhuc non sequitur ꝙ sit sapientia posterior infinitate propria: est.n. simul rōne cū illa, licèt sit posterior rōne infinitate alterius attributi prioris, vel Essentiæ Diuinę, loquendo de infinito iuxta dicta paulò ante, sm̄ posteriorē modū. Admittendo ēt eandē infinitatem attributi & essentiæ, dicetur ꝙ infinitas, aut est de quidditate tum essentiæ, tum attributi, & sic infinitas nullatenus est etiam ratione posterior essentia, & attributo: aut nō est de essentia, nec adhuc infinitas est posterior rōne attributo alio, puta sapiētia vel intellectione, sed simul rōne; cū immediatiùs, & cōsequenter, ratione priùs, insit modus intrinsecus rei, quàm propria passio, vel attributalis perfectio, vt dixi qu. 3. dist. 8.

Modus intrinsecus, immediatius conuenit rei, quā passio.

Secundæ partis impugnatio, admissa infinitate in sapiētia, (& alio attributo) secundùm latitudinem Entis; quòd sit nulla, patet ex dictis in corpore Dubitationis.

Ad Tertium. Negatur Maioris Sequela. Ad Probationē. Dico; quamuis in abstracto, pro formali, distinctio dicat relationem, sicut supra dixi de potentia: pro fundamētali tñ non identitate huius ab alio, distinctio non est relatio in absolutis, sed est negatio identitatis huius cum illo: ita est inter Diuina attributa, ratio non identitatis formalis; quæ nō idētitas, licèt posset dici distinctio formalis, ista tñ distinctio fundamentaliter accepta, in absolutis identificatis realiter, non est relatio realis, sed est absoluti cum absoluto non identitas formalis.

Ad Quartum. Nego Sequelam. Illius aūt probatio, satis superque resoluta est à Doctore Subtili, tum d. 8. q. 4. ar. 5. tum in fine art. quarti; ꝙ quamuis sit ibi vnio plurium rationum formalium, nulla tñ vel Metaphysica est compositio: quia cōpositio, vt sæpius dictū est q. 3. octauæ distinctionis, requirit actū actuantē, vel quasi actuantē, & potētiam passiuā perfectibilem à tali actu, vel quasi perfectibilē; addo quasi, propter compositionem Metaphysicā, vel rōnis, quod non pōt esse in Deo, propter summam infinitatem, vt dixi. Cum summa tñ simplicitate, & exclusione cuiuscunque, & qualiscunq; cōpositionis, pōt optimè stare non identitas, vel distinctio rationum formalium; quia in simplicissimo ente, vna rō nō includitur in quidditatiua rōne alterius. Est igitur ibi vnio pluriū rationū formaliū, absque quacunque compositione. Hoc porrò asserere, non modò tutissimū est, sed ēt illi oppositū sentire, nullo mō intelligibile, & totam sciētiā de Deo destruit, vt optimè Doctor Subtilis arguebat art. 5. post medium. dist. 8. quæst. 4.

Cum simplicitate sūma pōt stare distinctio rationum formalium.

Ad Quintū. Ille modus argumētādi, procedit primò ex falsa imaginatione, quasi verò attributa ponamus, accidētia essētiæ cōstitutæ in suo esse aduenire, & facere vnū per accidēs cum essentia. Deinde, procedit ex ignorātia abstractionis: quia nō abstrahit abstractione præcisiua vltimatè Essentiā Dei: & qđ nos dicimus de Deitate vltimatè abstracta, hoc ipsi loquūtur in cōcreto, vt est in reali existētia rei.

Sicut igit̃ dixi supra, ꝙ de abstracto vltima abstractione, nō prædicat̃ aliquid nisi per se primo mō; equinitas.n. est tantùm equinitas, sm̄ Auicennā, nec vna nec plures, & consequenter, nec distincta, nec indistincta, nec singularis, nec vniuersalis; ita dico ꝙ Essētia Diuina vel Deitas abstracta vltima abstractione, abstrahit ab omnibus prædicatis per se secundo mō. Cùm igitur attributa propriè dicta, per se secundo modo dicantur de Essentia, consequens est, quòd Deitas abstracta vltima abstractione, abstrahat ab attributis, puta à sapientia, à bonitate, &c.

Si igitur ex hoc Antecedēte vero: Deitas, seu Diuina Essentia, sm̄ se præcisè accepta, non includit in rōne sua formali sapientiā: inferas hoc cōsequens: Ergo Deus nō est seipso formaliter sapiens. Distinguo: vel.n. per ly formaliter, in consequente idem intelligis, quod quidditatiuè; vt sit sensus, ergo Deus inquantū Deus, non est seipso quidditatiuè sapiens, idest, non includit quidditatiuè sapientiam; & hoc verū est, cùm attributa, vt dixi supra ex Damasceno, sint illa, quæ circumstant naturam, & proprietates naturæ; vel secūdò per ly formaliter intelligis, idem quod actualiter, cōtradistinguēdo terminū formaliter, contra virtualiter, ī quo sensu solemus dicere, Sol est virtualiter calidus, nō formaliter, vt sit sensus, ꝙ Deus non sit seipso actualiter sapiens; & sic est consequens falsum, & nihil ad rem.

Instantia de actu actuante non valet. Quia impedit infinitas perfecta, rōnem actus actuantis, vel potētiæ: vide dist. 8. q. 4. ar. 6. solutionem primi Dubij in litera Doctoris, & finem articuli quarti.

Illud dictū, quòd aliquid in Deo erit non seipso perfectum; si intelligis realiter aliquid esse ibi, & non seipso in re esse sapientem: est magnum inconueniens: si accipias ꝙ secundùm abstractionem præcisiuam, vna perfectio non includit aliam: dico nullum est inconueniens.

Ad Vltimū inconueniens, Respondeo. Esse aliquid formaliter, id est, actualiter in Deo, & nō esse Deū, est impossibile; sed esse aliquid in Deo, idē realiter actualiter, quod Deus, sed nō esse idem quidditatiuè, seu non conuenire illi per se primo modo, nullum est inconueniens: vt etiam patuit supra in relationibus Diuinis, quæ sunt idem formaliter actualiter Essentiæ Diuinæ, sed non sunt idem formaliter quidditatiuè Essentiæ Diuinæ.

Et sic soluitur Sextum argumentum.

Ad Cōciliū ibi allegatum. Dico, ꝙ ista distinctio formalis ex natura rei, optimè dicitur distinctio rōnis, non præcisè, sed distinctio rationis formalis vnius ab alia, vel distinctio rationum formalium, vt docui præced. dubit. cū Doctore: & hoc intendit Conciliū. Deinde, non ibi Concilium Sanctū determinat hanc Conclusionē, sed narrat ibi Seß. 18. & 19. disputationem Marci Ephesini Gręci, cum Ioanne Latino, de processione Spiritus Sancti, in qua disputatione mentio fit distinctionis rationis, subintellige, rationis formalis obiectiuè in re.

Ad Septimū. Formalitas seu ratio formalis in re, non est res realis realiter distincta, nec res merè rationis, nec aliquod ens medium inter ens reale & rationis, vt sæpiùs supra dixi: sed est ratio realis in re conceptibilis.

Dices. Ista ratio cōceptibilis in re, vt est distincta ab alia ratione cōceptibili, vel est res realis, vel res rationis. Resp. Non est res rationis, nec propriè res realis, sed est aliquid entis realis, seu ratio obijcibilis, & conceptibilis in ente reali, vt dixi supra.

DISTINCTIO XXXV.

DE SCIENTIA ET PRAESCIENTIA DEI.

QVAESTIO VNICA.

Vtrum in Deo sint relationes æternæ ad omnia scibilia, vt quidditatiuè cognita?

Quòd sic. August. 83. qq. q. 46. Ideæ sūt formæ æternæ, &c.

SVMMA QVÆSTIONIS.

Inprimis referuntur aliorum duæ sententiæ, & reyciuntur. In Secundo articulo vera sententia explicatur. In Tertio, expediuntur tres difficultates in præsenti materia occurrentes. Tandem argumenta tum principalia, tum pro Opinione prima adducta, soluuntur.

ARTICVLVS PRIMVS.

Referuntur aliorum duæ sententiæ, & reijciuntur.

Supposito quòd Deus sit intelligens, ex dist. 2. &c.

COMMENTARIVM.

Litera præsens est aliquantùm subobscura. In cuius principio sēsus totius Quæstionis exprimitur: Supposito enim quòd Deus sit intelligēs, ex dist. 2. q. 2. nō modò seipsum, sed etiam omnia alia à se: cùm Essētia Diuina sit obiectum adæquatum intellectus Diuini, & Essentia Diuina sit quid vnum, vt in ratione obiecti, ita & in ratione rationis intelligēdi. Quæritur: vnde prouenit distincta cognitio omnis creaturæ; & quæ sint illæ distinctæ rationes repræsentandi

Sēsus ... stionis ... plicatur.

distinctas

diſtinctas creaturas? Et reſpōdetur communiter, quòd ad hoc, vt Deus diſtinctè cognoſcat creaturas, requiruntur diſtinctæ relationes rationis in Deo, determinantes quaſi, vel Diuinum intellectum ad diuerſa cognoſcibilia cognoſcenda; vel determinantes ipſam intellectionem Diuinam, vt terminetur ad diuerſa cognoſcibilia: vel tertiò ipſam Eſſentiam Diuinam determinantes, vt illa diſtinctio repræſentet intellectui Diuino.

Vtrum igitur relationes iſtas ęternas, ad omnia quidditatiuè cognita, ſit neceſſe ponere in Deo, quæſtio præſens mouetur. Et reſpondetur à quibuſdam, quòd ſint neceſſariæ; ſed in modo explicandi differunt.

pinio Hē i.

Prima Sententia in textu recitata, eſt Henrici, quodl. 5. q. 3. & quodl. 7. q. 1. & 8. dicentis. Cùm Eſſentia Diuina, intellectui Diuino ſit ratio cognoſcēdi ſe & alia, eſſentia aliorum, erit ratio cognoſcendi intellectui Diuino, vt per reſpectus iſtos rationis determinatur eſſentia, ad diſtinctè repræſentanda obiecta ſecundaria.

pinio homiſta-- n.

Secunda Opinio eſt D. Thomæ 1. p. q. 14 art. 5. & q. 15. art. 2. eiuſque diſcipulorum ibidem, qui docēt, ꝙ Deus intelligat ſe per Eſſentiam ſuam abſolutè; illà cognitâ ſm̄ ſe, conſideret deinde ad quę ſe extendit virtus eius, ſeu prout illa Eſſentia eſt imitabilis à creatura; & ita in ſecūdo ſigno, reſpectus rōnis (ratio. n. illa imitabilis in Deo, non eſt quid reale, cùm ſit ordo ad creaturam) in Eſſentia cauſat Diuinus intellectus; & in tertio ſigno, per illos reſpectus intelligit creaturas.

crimen r prædi ſopinio

Diſtinguitur Opinio ſecunda à Prima, in hoc; quia Prima ponit iſtos reſpectus rationis (quos vocant illi Idæas) ſe tenere ex parte intellectus, tanquam rōnem eius cognoſcendi, ſicut ſpecies intellectui noſtro creato, eſt ratio cognoſcendi, medians inter potentiam & actum cognoſcendi. Secunda autem docet iſtos reſpectus ſe tenere ex parte obiecti, mediante inter actum cognoſcendi, & obiectum ſecundarium; quia obiectum ſecundarium, quod eſt creatura, non intelligitur, niſi prout Eſſentia vt imitabilis cognoſcitur. Et hoc eſt quod dicit in litera Doctor, de modo cognoſcēdi ſimul principium & Concluſionem per vnam ſpeciem, vt diſtinctas habet relationes illa ſpecies ad principiū & Concluſionem. Sic Henrici Opinio docet, per Eſſentiam, vt diſtinctas habet relationes rationis, diſtinctè creaturæ intelliguntur; & de modo cognoſcendi Concluſionem per principium, vt principium habet relationem ad Concluſionē. Ita Secunda Opinio docet cognoſci Eſſentiam, & per Eſſentiam, vt habet relationem imitabilis à creatura, cognoſcitur creatura.

Aduerte in nonnullis exemplaribus poni hìc Tertiam Opinionē. Quòd prædicti reſpectus rationis non in Eſſentia Diuina, ſed in ipſo actu intelligendi Diuino fundantur, per quos reſpectus intellectio Diuina determinatur, vt terminetur ad hanc vel illam creaturam. Antiquiora tn̄ exēplaria hanc Opinionē non habēt: & eſſe additionem manifeſtum ſignum eſt: quia in proceſſu tantùm duas priores impugnat Opiniones, tertię nullam mentionem faciendo: & propterea nos à germano textu Doctoris illam Opinionem excluſimus.

pugnan opinio- narra--

Duas prædictas Opiniones impugnat Doctor, primò quoad illud, in quo vterq; cōuenit; ꝙ ad diſtinctè cognoſcēdū creaturas, de neceſſitate requirūtur relationes rōnis. Id aūt nō eſſe neceſſariū, oſtēdit Doctor quatuor rōnibus. Poſtea quālibet Opinionē ſpecialibus impugnat rōnibus.

Primæ rōnis vis cōſiſtit in hoc diſcurſu. Illos reſpectus q. determinăt Eſſētiam Diuinā ad intellectionē, vel intelligit Deus immediatè p Eſſentiā ſuā nudè acceptā, vel per alios reſpectus: ſi per alios: quęro de illis alijs, an immediatè per Eſſentiā ſuā cognoſcat, an per alios: ſi per alios, patet, ꝙ erit proceſſus in infinitū: ſi nō per alios, ſed immediatè per Eſſentiā nudè acceptā cognoſcit illa diſtincta; ergo etiā alia diſtincta pōt Deus cognoſcere per Eſſentiam nudè acceptam, atque ita non requiruntur reſpectus contrahentes.

Illa verba in præſenti ratione, & in ſequēti litera: *Ratio determinans Eſſentiam, vt eſt ratio, vel determinans Eſſentiam, vt eſt primum obiectum*: debent accipi ſecundùm dicta in explicatione ipſarum Opinionum. Quia prior Opinio, relationes rōnis in ratione intelligendi requirebat ad intellectum diuinum; ſecunda autem eaſdem requirebat in ratione obiecti ſecundarij, vt dictum eſt.

Principium productiuū illimitatum quod.

Secundæ rōnis ſenſus eſt. Illimitatū ad plura, ſm̄ rōnem principij productiui, ita eſt determinatum ex ſe ad illa plura, ſicut aliquod tm̄ illimitatum ad vnū. Et ratio huius dicti eſt. Quia illimitatū ad plura poſitiua, ſm̄ rationē principij effectiui, non eſt illimitatum ad contradictoria, poſſe facere vel non facere, ſed eſt indeterminatum ad vnū, quia non vnū, ſed plura pōt facere determinatè, vt optimè declarat Doctor in varijs locis; & conſequenter, indeterminatū ad vnū, eſt determinatū ita ad plura, ſicut vnū aliqd determinatur ad vnū; ſed Eſſentia Diuina, ad repræſentādum aliquod vnum, vel intellectus ad cognoſcendū vnū, nempe ad cognoſcendū Eſſentiam Diuinam, eſt determinatus ſecundùm rationem principij productiui, nec indiget vllo ente rationis, vt communiter concedunt etiā aduerſarij; ergo etiam reſpectu intellectionum plurium, nō indiget, vel ratio intellectus Diuini repræſentatiui, vel obiectum primarium, vel etiam actus intelligendi Diuinus, aliquo contrahente, vel determinante.

Tertiò. Vnius operationis, vt intellectionis, oportet dare vnū per ſe principiū Quo, (hoc dr̄ quoad Primā Opinionem) & vnū per ſe obiectum primū: iſta propoſitio eſt aliàs declarata: ſed relatio rationis, cum Eſſentia Diuina, non facit vnum ens per ſe, vt euidens eſt; ergo non poteſt poni relatio rationis, vel vt ratio intelligendi, vel vt obiectum in Eſſentia Diuina.

Quartò. Illud quod eſt infinitū ſimpliciter, eſt ſimpliciter illimitatū & indeterminatū, ſm̄ Henricum; ſed Eſſentia Diuina, ſub quacunque relatione rōnis ſumatur, eſt illimitata. Probatur. Quia oē infinitū ſimpliciter eſt illimitatū; Eſſentia aūt eſt infinita ſimpliciter, ſub omni ente rōnis accepta; ergo Eſſentia Diuina, ad hoc vt producat aliquid determinatè, non indiget entibus rationis illam limitantibus; quia ipſa eſt ſemper illimitata.

Impugnatur prima opinio.

Cōtra Opinionem Primā ſpecialiter arguendo, deducit Primò ad hoc inconueniēs. Quòd illæ relationes determinātes Eſſentiā ad rōnē intelligendi, & repræſentādi diſtincta, ſunt relationes reales; quod eſt inconueniens. Probatur illa ſequela. Quia in Deo, ratio intelligendi, vel repſentandi pcedit aliquomō intellectionē Diuinā: ergo antequā Deus intelligat diſtinctè creaturas, ratio intelligendi creaturam, præcedit intellectionem: ſed (per Primā Opinionē) ratio intelligendi creaturam, fit per reſpectum aduenientem & determinantem: ergo iſte reſpectus determinans, erit realis ad creaturam, quod eſt impoſſibile.

Secundò. Deducit Doctor, vltra pdicta Henricū ad hoc incōueniēs. Quòd homo & aſinus, & quęcūq; creatura diſtincta, diſtinguūtur per rōnē Probatur. Quia Hērici ppoſitio eſt. Ad diſtinctionē realē in principiatis, ſufficit diſtinctio rōnis in principijs: ſed creaturæ sūt principiata, rō aūt intelligendi in Deo eſt principium, ergo ſufficit ad diſtinctionem creaturæ realem, diſtinctio rationis in creatura.

Ad diſtinctionē realē in principiatis, non ſufficit diſtinctio rōnis.

Tertiò. Deducit ad hoc incōueniens, Quòd Deus cognoſceret res extra immediatè, & nō per eſſentiā: hoc autē eſt inconueniens: ergo & illud ex quo ſequitur. Maior probatur. Quia omnis diſtinctio ad intra, præcedit iſtam cognitionem creaturæ, vt oſtendit Doctor in 2. diſt. 1. q. 1. Quādo ergo in ſecundo inſtanti naturæ intelligit creaturam, intelligit illam non per Eſſentiam Diuinam, vt Eſſentia eſt, ſed per ens rationis: quod cùm nihil ſit reale, Deus immediatè primò intelligerèt creaturam in ſeipſa.

Caietanus cū ſequacibus non intelligūt Doctorem.

Vbi nota. Malè à Caietano, Zumel, Molina 1. par. q. 14. cap. 5. attribui Doctori, quòd is ſenſerit res creatas immediatè in ſeipſis à Deo cognoſci: cùm apertè hìc inferat Doctor talem doctrinam pro inconuenienti.

Quod aūt aduerſarij probāt ex eo. qa Doctor dicit creaturas eſſe in eſſe cognito in intellectu Diuino, dicet̃ inf. ar. 3. ꝙ iſtud eē cognitū, nō ſit hactenus cognitū à Thomiſtis.

Secūda opinio impugnatur.

Contra Secundam Opinionem ratio Prima hanc vim habet. Cùm relatio rationis ſit præciſè ex comparatione intellectus, & non conueniat eſſentiæ, vt eſſentia eſt, ſequitur Primò. Quod ſi per impoſſibile eſſentia illa non eſſet, & ab aliquo alio ītellectu cōciperet̃ vt relata ad aliud: adhuc tales relationes eſſēt in eſſētia ſic cōcepta & cōparata:

quod eſt inconueniens, quia ſic eſſentię exiſtenti, ſicut non exiſtenti, concederet cognoſcere creaturam. Sequitur Secundò. Quòd ſi per impoſſibile eſſent duo Dij, Deus A. & Deus B, tunc Deus B, comparet Deum A, ad creaturam, & ſeipſum non comparet; ſequitur, quòd Deus B, intelliget per Deum A, vt per rationem intelligendi creaturas, & non per ſeipſum; & Deus A, non intelliget creaturã, quia ſuppono, quòd ſe non comparet ad creaturam.

Secunda ratio eſt ad hominem. Dixerat diſt. 30. Henr. in Deo eſſe relationem aptitudinalem & actualem, vt creatiui & creantis; ergo eadem erit relatio imitabilis, vt dicit aptitudinem, & actu imitabilis, vt per intellectum comparatur; ſed ratiò imitabilis per aptitudinem, conuenit ante operationem intellectus; ergo per relationem ante operationem intellectus conuenientem, intelliget Deus creaturas; & erit alia relatio prior per quam cognoſcitur creatura, ab illa actuali comparatione imitationis.

Deus intelligit creaturã abſq; reflexione.

Ratio Tertia. In nobis & in Angelo, eſt perfectionis, ꝙ poſſimus intelligere aliquid immediatè, ſine actu comparatiuo & reflexiuo; ergo & Deus poteſt intelligere lapidem abſolutè, abſque comparatione eſſentiæ, & reflexione ſuper illam.

Ex his dictis ſufficienter manet improbatus ille tertius modus dicendi, ſupra poſitus, quòd non requirat neceſſariò actus intelligendi Diuinus, relationes rationis, vt terminetur ad creaturam; maximè illo ſuperaddito, quòd noſter actus intelligendi, menſuretur ab obiecto intelligibili, vt ſcientia à ſcibili, Diuina autem intellectio, eſt menſura creaturæ, & nullatenus menſuratur à creato obiecto, vt objicitur ſequenti art.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Propria ſententia explicatur.

Poteſt dici ad Queſtionem, quòd relationes tertij modi.

SVMMA TEXTVS.

Ante intellectionem creaturę nõ ſunt ponenda in Deo entia rõnis.

Prima Concluſio. *In Deo non ſunt ponenda entia rationis, præuia ante intellectionem creaturæ neceſſariam. Ratio principalis eſt. Quia relatio cogniti ad cognoſcens, eſt de tertio modo relatiuorum, ſicut menſura ad menſuratum, in quibus nõ exigitur mutuitas, ſed vnus terminus eſt merè abſolutus, vt menſura, alter autem relatiuus, vt menſuratum, vt ſufficienter declaraui contra Thomiſtas diſt. 30. cùm igitur in nobis notitia ſit menſuratum, & obiectum cognitum menſura, debet habere relationem noſtra cognitio ad obiectum, non obiectum ad illã: cùm autem cognitio Diuina non ſit menſuratum, ſed menſura cognoſcibilium quidditatum, ſub ratione merè abſoluta accepta, erit ratio cognoſcendi creaturam, & ſub ratione merè abſoluta, repræſentabit obiecta ſecundaria creaturarum.*

Aliæ duæ rationes claræ ſunt in textu.

In Deo ſunt relationes rõnis ad obiecta.

Secunda Concluſio. *In Deo relationes rationis ad obiecta quidditatiuè cognita admittimus, non tamen priores illæ ſunt ipſis cognitis, in ratione obiectorum, ſed illas conſequuntur; ita, quòd Deus in primo ſigno intelligit ſe, in ſecundo intelligit creaturam, in tertio poteſt Diuinus intellectus comparare ſuam intellectionem ad obiecta cognita, & ſic cauſare relationem rationis in ſe, in quarto poteſt relationem hanc cognoſcere: & ſic patet quomodo ſubſequuntur relationes rationis cognitionem creaturæ & non antecedunt.*

Quod hic dicitur de eſſe cognito & obiectiuo rerum, dicitur infra. De ſignis verò & inſtantibus, an debeant admitti in Diuinis, dixi diſt. 1. q. 2. De entibus rationis vide diſt. 13.

ARTICVLVS TERTIVS.

Expediuntur tres difficultates, in præſenti materia occurrentes.

Contra iſtud arguitur. Videtur enim quòd deſtruat, &c.

COMMENTARIVM.

Difficultas ex dictis.

PRimæ difficultatis Concluſio Secũda. Quia præcedẽti art. dixerat relationes rationis ſubſequi cognitionem obiectorum ſecundariorum; & hoc eſſe cognitum creaturæ, videtur eſſe idæa, vt ex art. 1. & 2. conſtat, & quæſt. ſequenti. Contra hoc objicitur Auguſtini authoritas, quòd idæa, ſit ipſa Eſſentia Diuina, vel aliquid intrinſecum Eſſentiæ, & non hoc eſſe cognitum creaturæ. Tum quia Auguſt. loquens de idæis lib. 83. qq. q. 46. dicit in idæis tantam vim conſtitui, vt niſi eis intellectis, ſapiens eſſe nemo poſſit: ſed tu ponis in Deo perfectam ſapientiam, in primo inſtanti, antequam noſtro modo concipiendi intelligamus Deum intelligere creaturas, & creaturam habere eſſe cognitum; ergo idęæ in primo inſtanti conuenientes, nõ erũt creaturæ in eſſe cognito. Tum quia dicit Auguſt. ibidem idæarum viſione eſſe animam beatiſſimam: ſed viſione creaturæ in eſſe cognito non eſt anima beatiſſima: ergo creaturæ in eſſe cognito non ſunt ideæ.

Ideæ ſint.

Reſpondet Subt. Doctor. Quòd quidditates cognitę ab æterno à Deo, vt cognitæ à Deo, poſſunt dici idęæ, vt patet ex definitione idæę ex Auguſtino accepta, & in textu poſita, & ex poſitione Platonis (à quo accepit Auguſt. nomen idęæ) qui omnium rerum quidditates, poſuit ab æterno in mente Diuina exiſtentes, licèt Ariſtot. & malè attribuat, quòd poſuerit per ſe ſubſiſtentes.

Ad authoritates Auguſtini patet reſpõſio clarè in textu.

Secunda difficultas. Intellectus vt diſtinctus à voluntate in Deo, ſecundùm aliquod ſignum intelligibilitatis, eſt productiuus intellectionis, & eſt quaſi receptiuus eiuſdẽ; ergo ad hoc, ꝙ intelligibilium diuerſorum intellectionem producat, requiruntur diuerſæ formæ, ſeu diuerſæ rationes determinantes ad diuerſa intelligibilia.

Reſpõdet. Eſto, ꝙ intellectus quaſi paſſiuus eſſet in Deo (dicitur in textu quaſi, non affirmando, quia ſuperiùs, vt materiam, vel quaſi materiam, ita paſſiuam potentiã, vel quaſi paſſiuam negauimus; ſed contemnendo, & propoſitionem ab alijs aſſumptam, quæ non facit ad propoſitum, vilipendendo) adhuc Eſſentia Diuina ſub ratione abſoluta Eſſentiæ, erit rõ repræſentandi omnia intelligibilia, & ita, nõ indiget relationibus, vel realibus, vel rationis, quæ ſint rationes repræſentandi, vt dictum eſt art. 1.

Iſtud dogma, quod additur ibidem: quòd etiam in reb. creatis, priùs eſt A, cauſa, & B, effectus, quàm relatio C, in effectu, & relatio D, in cauſa, explicatum eſt diſt. 30. & pręter hìc dicta euidens eſt: quia relatio actualis præſupponit fundamentũ actuale, & terminũ actualẽ; fundamentũ aũt relationis C, in p̃ſenti, eſt ipſa potẽtia A, & ſimiliter fundamentũ relationis D, eſt ipſa potentia B, & ſimiliter dico de termino; non.n. relatio prærequiritur termino, ſed terminus relationi, ſecundùm communem doctrinam; ergo ad cauſam B, non requiritur C, in A, & nec D, in B.

Eſſẽtia[…] na eſt r[…] repræſ[…] di oĩa […] ligibili[…]

Tertia difficultas eſt. Si eſſẽtiæ, ex rõne illimitationis & infinitatis, cõuenit eſſe rationẽ intelligendi oĩa intelligibilia: ergo cũ ipſa ſit infinita, & illimitata in ratione obiecti, ipſa in ratione obiecti, erit omne intelligibile; ſed ex parte obiectorum ponitur pluralitas; ergo ex parte rationis cognoſcendi ponetur pluralitas in Eſſentia Diuina; atque ita non eſſentia vt nudè accepta erit idæa. Reſpondetur. Obiectum terminatiuum intellectus Diuini eſt duplex: quoddam primarium; & tale ſimul eſt terminatiuum & motiuũ, qualis ſola eſt Eſſẽtia Diuina, iuxta dicta d. 1. q. 2. ar. 2. dub. 4. Aliud eſt terminatiuum ſecundariũ; & hoc tm̃ eſt terminatiuũ ſecundariò rõne primarij, & non motiuũ. Tunc ad formam dubitationis. Comparando eſſentiã, vt eſt rõ intelligendi, cũ obiecto primario terminatiuo; dicimus, ꝙ nulla eſt pluralitas, ſed eſt vnũ obiectũ, obiecta aũt ſecũdaria terminatiua plura ſunt: ſed iſta nõ p̃exigũtur in rõne obiecti motiui, ſicut ratio intelligendi præexigitur intellectioni. Atq; ita hoc ſecũdo mõ cõparatio eſt nulla.

Obieſtũ[…] minatiu[…] intelle[…] diuini e[…] plex.

Quoniam igitur cognitio idęæ quid ſit, dependet ex cognitione, quid ſit eſſe obiectiuum rerum ęternum, vel eſſe cognitum de quo hìc, & diſt. ſequenti Doctor agit.

Dubitatur Primò.

Vtrum eſſe obiectiuum diminutum rerum, ab æterno in mente Diuina concedi debeat.

VIdetur ꝙ non. Arguit Primò Caiet. 1. par. q. 15. art. 1. Quòd Peripatetico lacte educatus, & in aere (vt aiũt) loqui neſciens, præter latitudinẽ entis realis, ſolũ ens rõnis

nouit,

nouit,ex 5.& 6.Metaph.ens autẽ rõnis, vel eſt relatio, vel negatio: cùm igitur modus eſsẽdi obiectiuus rerum, non ſit modus eſſendi ſecundùm rem, neq; ſit negatio, reſtat, ꝙ ſit eſſe relatiuum sm̃ rationem, in communi loquendo.

Secundò. Arguit Zumel,& alij 1.p.q.14.art.5. Periculoſum eſt aſſerere,& Fidei repugnans,quòd ab ęterno fuerit aliquod eſſe diſtinctum à Deo: cùm tam Scriptura, quàm Concilia,dicant eſſe omnia facta in tempore:ergo hoc eſſe rerum obiectiuum,ab æterno ponere, eſt periculoſum.

Tertiò. Si ſententia Scoti vera eſſet, ſequeretur Deum naturali neceſſitate,& non liberè producere extra ſe,alia à ſe,in eſſe abſoluto, & ſecundùm quid:quod equidem non habet Catholicum ſenſum.

Quartò. Solus Deus eſt æternus; ergo nullum aliud à Deo debet admitti factum & productum ab æterno.

Quintò. Per cognitionem Diuinam,non acceperunt res producibiles ab æterno,aliquod eſſe à Deo diſtinctum extra ipſum: nam eſſe rem cognitam,non dicit niſi extrinſecam denominationem & relationem rationis: ergo Deus per hoc quòd cognouit creaturas ab æterno, non produxit illas in aliquo eſſe extra Deum, quale fingitur illud eſſe:ſed ſunt in cognitione Dei,ipſa Dei Eſſentià.

Sextò. Si Angelus modò cognoſceret rem aliquam poſſibilem vel impoſſibilem, per hoc ꝙ cognoſceret eam, non produceret illam extra ſe, in aliquo eſse intelligibili; ergo ſi Deus intelligit aliquid, abſque eo, quòd actu ſuæ voluntatis velit illud eſse,nihil producitur extra Deum.

Ita arguit Caiet. Zumel, & alij Thomiſtæ communitèr 1.p.q.14.art.2. cum tractant de cognitione Dei; alij q.15. art.1.dum agunt de ideis.

In oppoſitũ eſt Doct.Subt.q.præsẽti, diſt.ſequ.art.2. & 3.& ſupra diſt.3.q.5. quem ſequitur Baſsol. diſt.36.q.2. art.2. Ant. Andr.hìc. Aquil.diſt.ſequ. & alij Scotiſtæ. Durand.diſt.36.q.2.& 4.vbi huic ſententię fauet S.Bonauen. diſt.26.art.1.q.1.

Aduerte Primò. Non loquor hìc de eſse cognito rerum enunciabilium:& de ipſis veritatibus, vel neceſsarijs, vel contingentibus; de his.n.eſt ſermo diſt.39. ſed interim ſermo eſt de cognitione ſimplicium; an illa vt à Deo cognita,habent eſſe obiectiuum.

[...]e obie- [...]ũ quid

Aduerte Secundò. Eſse obiectiuum, ſeu eſſe cognitum sm̃ quid,ſeu eſſe intelligibile, (pro eodẽ.n.iſta in præſenti accipiũtur) nõ intelligit Doct.Subt.aliquid extra Deũ productũ ab æterno; vt malè Zumel,& quidã alij Doctori attribuũt. Nam vel hoc eſſet sm̃ verũ eſſe exiſtentiæ: & hoc negat communiter à Theologis, & à Doctore in 2.diſt.1. q.3.vel sm̃ eſſe eſſentiæ,diſtinctum ab exiſtentia,sm̃ quod eſse quidditatiuũ, eſsent entia vera realia extra Deum ab æterno;& hoc apertè diſt.ſequenti impugnatur; imò faciliùs hæc ſentẽtia Thomiſtis tribui poſset,sm̃ quos eſsentia diſtinguitur realiter ab exiſtentia, & eſsentia in rõne eſsẽtiæ non producitur, ſed eſsentia vt exiſtẽs; quare eſsentia sm̃ rõnem eſsentiæ,cùm ſit quid reale,& æternæ veritatis, aliquid aliud à Deo reale dabit æternũ. Nec illud eſse cognitũ rerũ,eſt ens rõnis. Nam quamuis relatio illa cogniti ad cognoſcens,ſit ens rationis, ipſum tñ fundamentum & denominatum iſtius relationis,nempe res cognita,non eſt ens rationis. Tũ quia ſi Deus cognoſcebat ab æterno obiecta ſecũdaria,ſeu creaturã producibilẽ, non terminabatur eius cognitio ad entia rõnis, vt terminabatur ad creaturã. Tum quia illud qđ cognoſcebatur,erat producibile in eſse reali: ens autem rationis non eſt producibile in eſse reali.

[...]e cogni- [...]non eſt [...]rationis

Aduerte Tertiò. Quòd hoc eſse diminutũ, & sm̃ quid, nõ eſt ens mediũ inter reale & rõnis, vt malè intelligit Caietanus,ſed eſt modus eſsendi rerum,sm̃ quid,non ſimpliciter. Res.n.realis,vt roſa,duplicẽ habet modũ eſsẽdi: vnũ realẽ verũ,vt qñ roſa eſt sm̃ propriã exiſtentiam in æſtate; aliũ diminutũ,& sm̃ quid,vt roſa in intellectu meo tẽpore hyemis,dũ nõ habet exiſtẽtiã propriã. Similiter Homerus nunc in opinione,vel intellectu,eſt sm̃ quid,& ante,dum extitiſset,erat verè realiter; & vniuerſaliter omnis modus eſsẽdi cognitũ reale in cognoſcẽte obiectiuè,eſt modus eſſendi diminutus sm̃ quid, comparãdo ad exiſtentiã realẽ. Et hoc eſt loqui non in aere, ſed eſt res in intellectu obiectiuè: & qui hoc non intelligit,nunquam Peripateticũ lac guſtauit,nedũ illo nutritus eſt. Et ita Doctor Sub.intelligit apertè tum hìc,tum diſt.ſeq.art.2.in tribus locis,non lõgè à principio,poſt mediũ,& circa finem. Res igitur vt ab æterno à Deo cognitæ, habent eſſe, ſeu modũ eſſendi obiectiuè in intellectu Diuino,nõ extra; quod eſſe comparatũ ad exiſtentiam veram realem, quia res eſt actu extra cauſas,dicitur res eſſe Ens diminutum & ſm quid. Eſt autem eſſe rerum in Deo non formaliter,nec.n.Deus eſt formaliter lapis intellectus; non etiam identicè, quia lapis ab æterno cognitus,eſt res finita poſſibilis; Deus autem non eſt vllo modo res finita poſſibilis; eſt igitur in Deo obiectiuè, ſicut cognitum in cognoſcente.

[...] obie- [...]um non [...]nedium [...]r ens [...]e & ra- [...]is, qđ [...]et. malè [...]lligit.

Hæc licèt ſufficerent ad enodationem præſentis difficultatis, vberioris tamen doctrinæ gratia.

Aduerte Quartò. Res in actu illas dici,q̃ ſunt ĩ actu extra ſuas cauſas; res aũt eſt actu extra cauſas tam ſm exiſtentiã,q̃ ſecundũ eſſentiam:quia vt exiſtẽtia,eſt in potentia actiua ſuæ cauſæ,& põt eſſe;ita & eſſentia eſt in potẽtia actiua ſuæ cauſæ, cũ ſit oĩno q̃d producibile: quapropter qua rõne dicimus exiſtentiã aliã eſſe actualẽ, aliã potẽtialem:(actualẽ illam vocamus, quæ eſt actu res, & ens reale:potẽtialem,q̃ actu non eſt res & ens reale, ſed poteſt eẽ res & ens reale) ita & eſſentialem, aliã eſſe actualem certũ eſt, quæ eſt reale ens & actuale: aliam potentialem,quæ non eſt ens reale,ſed poteſt eſſe ens reale:illud enim quod poteſt eſſe tale,non eſt tale: cùm igitur eſſentiæ potentiales,poſſint eſſe reales,non ſunt actu reales. Res in actu quid ſit.

Verũ ſicut ipſum ens eſt conſiderabile,ꝙ neque eſt ens ĩ actu, neque in potẽtia, verè tñ eſt ens reale, vt reale dicit quid poſitiuum,in ratione obiecti conſiderabilis:ita quidditates,& eſſentiæ rerum concipiuntur, vt q̃dditates ſunt, abſque hoc quòd ſunt actu vel potentia: & ſic enunciantur prædicata de ſubiectis, ſicque omnes veritates ſempiternæ ſunt, prout videlicet abſtrahunt ab actuali eſſe vel potentiali, tam eſſentiæ quàm exiſtentiæ.

Porrò ꝙ quidditates vt q̃dditates in eſſe obiectiuo abſtrahunt tã ab eſse actuali,q̃ ab eſse potentiali,inde prouenit,quia omne ꝙ conuenit quidditati per aliud,eſt contingens illi,& extra rationem illius, & non de conceptu eſsẽtiali:cũ igitur poſse eſse actu,dicat relationẽ, quaſi eſsẽtiæ ad potentiam, per quam poteſt eſse, erit hoc extra conceptum quidditatis,quòd illa ſit poſſibilis eſse:ſimiliter,cùm actu eſse,dicat quaſi terminationem exercitij illius potentię,per quam eſt,& habitudinem ad illud à quo eſt,etiam ab actu eſsendi quidditas abſtrahit. Quidditates vt quidditates in eſſe obiectiuo abſtrahunt, ab eẽ actuali, & potentiali.

Licet igit verè q̃dditates in eſſe intelligibili ſeu obiectiuo,ſint in eſse poſſibili non actuali(loquor aũt hìc de eſse obiectiuo q̃dditatũ, ꝙ habuerunt ab æterno obiectiuè in mẽte Diuina) tñ dũ concipiũtur vt q̃dditates, vel dũ veritates de illis enũciamus, nõ cõcipiũtur cũ illo mõ poſſibilitatis, ſed p̃cisè cũ ſolis p̃dicatis per ſe primi modi, vel ſecundi. Vñ qñ docet Subt.Doct.in 1.d.3.q.5. & d.46.ꝙ res hñt eẽ obiectiuũ ab ĩtellectu Diuino ĩtelligẽte illas: ĩtelligẽdũ eſt loq̃ de effectiuo eſse rerũ obiectiuarũ, nõ de eſse formali: nã q̃dditates ĩ eẽ ĩtelligibili sũt effectiuè ab intellectu Diuino,sm̃ eſse diminutum, ſed formaliter ſumptæ, abſtrahunt ab efficientia,& à quouis extrinſeco.

Quo circa eſsẽtię rerũ vt eſsẽtiæ,sũt entia realia obiectiua: ſed nõ realia actualia,vel potẽtialia, ſiquidẽ eſsẽtiæ vt eſsẽtiæ, abſtrahũt ab eſse potẽtiali & actuali: ſi aũt eſsẽtiæ illæ cõparẽtur ad entia realia actualia, verè dici poſsũt eſse entia realia diminuta, q̃a diminutã habẽt realitatẽ,nõ aũt ſunt realia ſimpliciter, pro quib. ſupponũt ſola entia exiſtentia realiter:deinde ſi comparentur ad intellectum Diuinum, ens in eſse cognito producentem, dicuntur entia in eſſe cognito, in eſſe intelligibili: quodſi comparentur ad potentiam actualitatis illarum productiuè, dicuntur entia in eſse poſſibili, ſi ad actum ſub quo poſſunt eſse, dicuntur entia potentialia. Eſſe obiectiuũ diuerſo reſpectu, diuerſe denominatur.

Aduerte Quintò. Pro Achylle aduerſariorum, quo vrgent in præſenti. Vel quidditates ſecundùm eſse cognitum ſunt reales, vel rationis. Quamuis dici poſſet ſufficienter, quòd ſunt non ſimpliciter reales, ſed ſecundùm quid, ſcilicet reales realitate obiectiua, & ſecundùm eſse cognitum,non autem realitate ſimpliciter:

dici tñ potest aliter, illo notato, ꝙ nimirū res potest accipi pro suo significato dupliciter. Primò vniuersalissimè, vt est idem quod ens ab anima independens; & sic res & ens conuertuntur, vnde & abstracta illorū, entitas & realitas, reciprocantur & identificantur. Secundò mō sumitur res proprijssimè, pro illo ente quod habet existentiā, ad quale ens oīs actio & ꝓductio terminatur, & sic entitas & realitas nō cōuertūtur; realitas.n. in hac acceptione, est modus intrinsecus entis existētis, adæquatus nō entitati absolutè sumptæ, sed entitati actuali, siue actu existenti.

Res dupliciter sumitur.

Quod dixi de re & realitate, idem dico de ly ens reale: ꝙ illud vel sumitur vniuersalissimè; & idem est quod ens positiuum ab anima non dependens: vel propriè; & idem erit quod ens existens. In priori igitur sensu quidditates possunt dici entia realia, in secundo sensu non sunt entia realia, nec tamen sunt entia rationis, sed entia realia diminuta.

Dices. Ergo datur medium inter ens reale & rationis, ꝙ cōiter negatur, & nos supra diximus esse falsum. Rñdeo. Inter ens reale primo mō sumptum, & ens rationis non datur mediū; & in hoc sensu cōiter negatur; sed inter ens reale secundo modo acceptum, & ens rōnis, datur mediū; sicut inter ens reale existens & ens rōnis, est medium ens reale, quod abstrahit ab existētia. Sic igitur patet de oībus quidditatibus primæ intentionis, ꝙ illæ sint reales realitate obiectiua, vniuersalissimè accepta; sola autem entia existentia sunt realia, realitate proprijssimè dicta. Ex his patet resolutio Quæstionis.

Inter ens reale & rōnis quō datur mediū.

AD ARGVMENTA IN PRINCIPIO Dubitationis proposita.

AD Primum. Patet ex Notabili. 3 ꝙ non sit ens mediū, nec ens rōnis, sed ens in esse cognito & obiectiuo.

Ad Secundum. Patet ex Notabili. 2. quòd nō ponimus esse verum reale productum, aliud à Deo æternum, sed esse cognitum: quod si negant Thomistæ, negent necesse est, quòd Deus cognouerit res ab æterno.

Ad Tertium. Si Deus necessariò omnia simplicia intelligit ab æterno, necesse est ꝙ concedat produxisse Deū nō absolutè res, sed in esse intelligibili ab ęterno, & necessariò: quia ante Diuinę voluntatis determinationem, vt dicam infra, licèt malè Ocam quodl. 4. q. 3. oppositum opinetur; & Zumel. quæst. 15. art. 1. disp. 1.

Ad Quartum. Patet ex difficultate sequenti.

Ad Quintū. Esse cognitū duo dicit: relationē cogniti à qua denominatur cognitum, & secūdò terminum cognitionis, ad quem terminetur cognitio. Primo modo dicit relationem rationis; secundo modo dicit ipsum obiectum cognitum, non absolutè, sed prout cognitum: & hoc non ponitur extra cognoscentem.

Esse cognitū duo dicit.

Ad Sextū. Si quid valet, probat nostrū intentū: vt.n. intellectus Angeli, vel noster, intelligens aliquid, quod ante præexistebat, nō producit sua intellectione rē in esse simpliciter, quia illa præexistebat, producit tñ ſm quid, & in esse intelligibili, vel intellecto; ita & Deus, intelligendo res ab ęterno, nō producit res illas simpliciter, sed tantùm in esse cognito: quam similitudinem etiam Doctor concedit dist. seq. art. 2.

Quia tamen in præsenti materia non paucæ rixæ solent excitari: propono quasdam difficultates, quæ lucem adferunt præcedentibus.

PRIMA DIFFICVLTAS.

An quidditates in esse obiectiuo & cognito, sint æternæ?

VIdetur ꝙ non. Primò. Quandocunq; sunt aliquæ duę pfectiones adæquatæ, vna sine alia nō inuenit; sed duratio & existentia sunt adæquatæ perfectiones; quia res tā diu durat, quamdiu existit, & tamdiu existit, quamdiu durat; ergo cùm res ab æterno, secundùm omnes, nō sint existentes, non erunt durantes; & per consequens, nec æternæ, cùm æternitas sit inferior duratione: quicquid autem repugnat superiori, repugnat & inferiori.

Secundò. Fides non ponit nisi Deū ab æterno; sed quidditates in esse obiectiuo, nō sunt Deus; ergo nō sūt ęternę.

Conclusio. Quidditates in esse obiectiuo, non sunt verè & realiter æternæ, sunt tamen æternæ secundùm quid. Ita Subt. Doctor hìc in 1. dist. 3. q. 5. ibi: Ad quæstionem igitur dico. Ratio prioris partis est. Quia æternitas est intrinsecè, & essentialiter duratio; duratio est modus rei existētis actu; cùm igitur quidditates verè & realiter nō existāt, non durant verè & realiter, & ex consequenti nec sunt verè & realiter æternæ, vt bene probat iō in principio adducta, idemq; probat & secunda. Posterior pars sic ostendit. Quidditates ab æterno cognoscit Diuinus intellectus, eaque intelligendo, dat illis esse cognitum; hoc esse cùm sit diminutum, & secundùm quid, erunt secundùm tale esse quidditates æternæ secundùm quid: possunt etiam dici æternæ extrinseca denominatione, ab æterna intellectione Diuina de eis, non intrinseca: vel tertiò dicuntur æternæ; non actualiter, cùm careant actuali existentia, sed potentialiter, quia ab æterno erant in potentia ad existendum.

Quidditates nō verè ęternæ.

SECVNDA DIFFICVLTAS.

Vtrum quidditates in tali esse, sint immutabiles, & necessariæ?

VIdetur ꝙ non. Primò. Nullum necessarium producitur contingenter; sed omnia creabilia, apta sunt produci contingenter; ergo nullum creabile est necessarium. Maior est euidens. Quod.n. producitur contingēter, pōt produci vel non produci, esse & non esse, atque sic nō erit necessarium, sed contingens. Minor ēt est omniū Theologorū, & probata superius, vbi ostendimus nullam creaturam esse immutabilē simpliciter vel necessariam. Ex quibus locis confirmatio sumitur, pro neganda necessitate, & immutabilitate quidditatis, in esse obiectiuo.

Secundò. Nullum dependens est necesse esse; sed quidditates in esse obiectiuo sunt dependentes; ergo non sunt necessę esse.

Conclusio. Quidditates ſm esse diminutū, in esse obiectiuo, sunt necessariæ & immutabiles. Est Doct. Subt. locis citatis, & Licheti ibid.

Probatur Primò. Omnis scientia est de necessarijs, q nō cōtingit aliter se habere, secūdùm Philosophum 1. Poster. c. 4. sed de quidditatibus in esse obiectiuo est scientia; ergo quidditates in tali esse, sunt necessariæ, & non contingit illas aliter se habere.

Quidditates in obiectiuo sunt necessariæ.

Rñdet Mayron. sciētiā esse de necessarijs, non prout necessitas accipitur positiuè, sed prout accipitur negatiuè, pro non possibilibus aliter se habere.

Contra Primò. Illud quod est ens positiuū, & nō potest aliter se habere, est positiuè ens necessariū; cū illa negatio: Nō posse aliter se habere: supponat affirmationem, & aliquid positiuū, rōne cuius cōueniat tali enti. Deinde. Quod negatiuè est necessariū, sic ꝙ non possit non esse, est ēt positiuè necessarium, cū duæ negationes æquiualeant vni affirmationi, secundùm Arist. 1. Periherm. Præterea. Contradictionis altera pars conuenit cuilibet enti; sed necesse esse, & possibile non esse, sunt contradictoria; ergo altera pars illis q̄dditatib. cōuenit: at nō possibile esse; ergo necesse eē.

Probatur Cōclusio Secūdò. Omne ens, vel est necessariū vel contingēs: sed illæ quidditates sunt entia in esse obiectiuo, & non sunt contingētia; ergo sunt necessaria. Minor probatur. Non contingētia. Tū quia necessariò in esse obiectiuo à Deo producūtur, cū producātur per modum naturæ, ab intellectu nō à voluntate. Tū quia, si illa possēt non esse, posset Deus ea nō intelligere; consequens autē est impossibile; ergo. Sequela. Quia intellectio Dei, terminat ad intelligibile; si igitur possibile est nō esse terminū intellectionis, possibile est non terminari intellectionem; ergo possibile est non esse intellectionem, cùm implicet dari intellectionem absque intelligibili; intellectio enim est alicuius intelligibilis intellectio.

Probatur Tertiò. Omne necessariò productum à Deo, est necessarium; sed quidditates in esse obiectiuo, necessariò producuntur à Deo, cùm producantur ante omnem actum voluntatis ad extra, vt patet in Doctore plurib. in locis, pſertim in 1. dist. 36. & in 2. dist. 1. q. 1. ergo quidditates in esse obiectiuo sunt necessariæ.

Quartò.

Quartò. Illud est necessarium, qđ impossibile est aliter se habere; impossibile siquidem & necessarium, æquiualent; sed impossibile est quidditates aliter se habere, vt patet de ista, Homo est animal rationale; ergo quidditates sunt necessariæ.

Respondet Mayr. Oppositionem non spectari in esse quidditatiuo: quidditatiuè enim homo non est sanus & æger, cùm tñ ægritudo & sanitas sint cōtraria immediata.

Contra Primò. Falsò dicitur, in esse quidditatiuo nō dari oppositionē: sicut. n. paries albus nigro, ita albedo & nigredo opponuntur: similiter, sicut homo non homini cōtradictoriè opponitur, sic in esse quidditatiuo, humanitas non humanitati: imò fundamentum oppositionis est in essentijs rerum secundùm se spectatis: vnde & dicitur oppositio formalis, id est essentialis.

Secundò. Quia instantia non est ad propositum. Non. n. propterea quidditatiuè homo non est sanus vel æger, quia oppositio nō est in quidditatiuis, cùm verè homo sit quidditatiuè rationalis vel rationalis: sed quia de nullo accidente dicitur quidditatiuè suum subiectum. Est igitur in argumento fallacia non causæ vt causæ.

[margin: ...entiæ in ...plici sta- possunt ...nsiderari]

Verùm hìc aduerte. Primò. Quòd essentiæ possunt considerari in triplici statu. Primò, vt sunt in esse existentiæ, seu vt existunt in singularibus; & hic est infimus essendi modus, in quo sunt quidditates cōtingentes & mutabiles. Secūdò, vt sunt cognitæ ab æterno à Deo; sic quidditates abstrahunt ab existentia: sed dicunt relationem potentialem ad Deum cognoscentem; nec omnino abstrahunt ab omni extrinseco, quia non abstrahunt à relatione ad cognoscentem, & consequenter non abstrahunt à termino talis relationis, id est, à Deo cognoscente, & dante esse intelligibile illis quidditatibus; in tali esse quidditates sunt æternę, sm̃ quid sunt necessariæ & immutabiles, vt probat Conclusio. Tertiò, considerantur quidditates, absq; omni tam extrinseco quàm intrinseco, qđ non est ipsa quidditas: sic abstrahit ab omnibus modis intrinsecis, ab actu, potentia, necessitate, cōtingentia: ac proinde, quidditas sic accepta, neq; est necessaria, neq; contingens, neque ens in actu, neque in potentia, sed quidditas est tantùm quidditas. E. C. Homo est tantùm animal rationale, in esse obiectiuo merè quidditatiuo, nec necessariū est, nec cōtingens, nec æternū, nec temporale, nec immutabile, nec mutabile, & sic de alijs. Quando igitur mouemus quęstiones: Vtrū quidditates in esse obiecto sint æternæ: Vtrū necessariæ: Vtrū productæ: intelligendum est, nos accipere quidditates, nō tertio mō, in esse merè quidditatiuo, sed secūdo, in esse quidditatiuo intelligibili, in quo non abstrahit à modis intrinsecis illis, cùm sint compossibiles in tali esse.

[margin: ...i existen... cōueniūt ...priè, ā... ...s, dura- necessi-]

Aduerte Secūdò. Quòd isti modi, actus, duratio, necessitas, propriè conueniūt enti existenti: tñ sm̃ quid, possunt cōpetere enti possibili, non existenti, quale. n. est esse entis alicuius, talis est duratio, talis & necessitas illius entis; cùm igitur quidditates in esse intelligibili habeāt esse diminutū & sm̃ quid, diminutam ēt habebunt durationem æternitatis, vt dixi, diminutā & sm̃ quid necessitatem; vnde Conclusio ista est intelligenda de necessitate & immutabilitate diminuta, in esse obiectiuo intelligibili, non in esse actuali reali; & sic videtur posse conciliari cum Doctore Mayron. ꝙ iste neget esse ęternas, necessarias & immutabiles, scilicet vera reali & actuali æternitate & necessitate: noster verò Doctor loquitur de æternitate & necessitate sm̃ quid. Vel secundò dici pōt: Mayroniū loqui de quidditatibus in tertio statu, in quo verè abstrahunt ab istis modis, nos verò agere de quidditatibus in secundo statu consideratis.

AD ARGVMENTA IN PRINCIPIO POSITA.

AD Primum. Respondeo Primò. Totum hoc argumētum bene currit, de necessitate reali actuali, & simpliciter, non de necessitate secundùm quid, siuè non de necessitate intelligibili.

[margin: ...ductio ...dditatis duplex.]

Respondeo Secundò. Duplex est productio quidditatis; vna est in esse quidditatiuo intelligibili; altera in esse quidditatiuo reali existenti: primo modo producuntur quidditates necessariò, quia producūtur ab intellectu Diuino, naturaliter in esse cognito producēte: secūdo modo producuntur cōtingenter, quia producuntur à voluntate Diuina, liberè & cōtingenter illas volente & producente. Nullum igitur necessarium vt necessarium est, producitur contingenter, & omnia creabilia, vt sunt necessaria in esse obiectiuo, nō producuntur cōtingenter, sed necessariò. Ad probationem Minoris. Dico. Nullā creaturā in esse actuali reali esse necessariam & immutabilem; verissimum est; sed nullam esse immutabilem, & necessariam in esse obiectiuo intelligibili; falsum est.

Ad Secundū. Vel illud à quo dependet ens dependens, est contingens, vel necessariū; si est contingens, vniuersaliter verū est, nullum sic dependens, est necessarium: si verò illud à quo depēdet est necessarium: hoc pōt esse dupliciter: vel. n. illud à quo dependet necessariò causat, vel contingenter: si necessariò, falsum est ꝙ nullum dependens sit necessarium: si contingenter, verum quidē est sic dependēs esse necessarium, sed falsa erit Minor, quòd quidditates in esse obiectiuo intelligibili, contingenter producantur, cùm producantur actu intellectus, non præsupposita voluntatis determinatione. [margin: Dependēs à necessario pōt esse necessariū]

Verumtamen hæc dependentia quidditatum in esse obiectiuo, est imperfecta & diminuta, cùm propriè conueniat enti reali existenti.

TERTIA DIFFICVLTAS.

Vtrum quidditates in esse obiectiuo sint productæ à Deo?

VIdetur quòd non. Primò. Omne quidditatiuum est prius non quidditatiuo: sed esse essentiæ conuenit quidditati quidditatiuè, esse autem productum non conuenit quidditatiuè; ergo priùs conuenit quidditati esse essentiæ, quàm esse productum.

Secundò. Esse absolutum prius est quàm respectiuum: quia secundùm Augustinū, omne quod est ad aliud, priùs est ad se, quàm ad aliud: sed esse productum est ad aliud: ergo esse ad se erit prius: ergo prius est esse quidditatiuum, quàm productum.

Tertiò. Abstractum prius est concreto: sed quidditas dicit quid abstractum, esse autem productum dicit concretū: ergo prior est quidditas in esse quidditatiuo, quòm quidditas producta in esse intelligibili. Hæc Mayron.

Contrarium sentit Doctor Subt. in 1. dist. 39. qui docet, quidditates in esse intelligibili, in secundo instanti naturæ productas fuisse ab intellectu Diuino, ita quòd ante illam productionem, nullo modo præfuerint quidditates, etiam in esse intelligibili & potentiali, sed per intellectum Diuinum, eas in vtroque esse producentem, acceperunt esse. [margin: Ante productionē in esse intelligibili quidditates non fuerunt.]

Porrò sicut ante dixi, quidditates absque existentia cōsideratas, accipi dupliciter; vel in puro esse quidditatiuo; vel in esse quidditatiuo intelligibili; si accipiantur in esse intelligibili, verè habent esse intelligibile ab intellectu Diuino illas cognoscente, & primò esse intelligibile ac possibile eis sua intellectione dante, & verè in tali esse quidditates sunt productæ, non productione vera reali, terminata ad terminum verè realem existentem, sed productione Metaphysica sm̃ quid, terminata ad ens reale secundùm quid, scilicet ad ens reale cognitum, nullum habens esse reale actuale: & hoc vult Subt. Doctor qñ in pluribus locis docet essentias in esse intelligibili produci à Deo. Quodsi accipiantur quidditates in esse merè quidditatiuo, tantùm sm̃ illa prædicata, quæ sibi conueniunt in primo dicendi modo per se, sic istæ quidditates in tali statu consideratæ, non sunt productæ, neque etiam improductæ, cùm tam esse productum, quàm esse improductum, non sint prædicata quidditatiua: & in hoc sensu bene loquitur Mayron. & hoc tantùm probant argumenta in principio difficultatis posita. [margin: Quidditates in esse merè quidditatiuo, nō sunt productum, neq; improductum.]

QVARTA DIFFICVLTAS.

Vtrum quidditas in esse obiectiuo sit creatura?

REspondet Mayron. quodl. 8. art. 11. Quòd quidditates in tali esse, non sunt creatæ, sunt tamen creabiles,

Quiddita-tes dicuntur creaturæ.

& propterea possunt huiusmodi quidditates dici creatura formaliter; sic enim accidens dicitur formaliter accidens, non solùm quod actu accidit & inhæret, sed quod est aptū accidere & inhærere, vt patet in Eucharistia; ita pōt creatura dici, non tantùm quod est actu creatum, sed quod est aptum creari: cùm igitur quidditates in esse obiectiuo sint creabiles, possunt dici formaliter creaturæ.

Addit præterea Mayr. Quòd quidditates sint creaturæ simpliciter, quia cùm ens simpliciter diuidatur per creatū & increatum, & istæ quidditates non cadant sub ente increato, consequenter continebuntur sub creato.

Verùm hoc additum istius authoris nullatenus probatur. Illa enim sunt entia simpliciter, quæ habent actualem existentiam, illa autem secundùm quid, quæ possunt existere; cum igitur quidditates in esse obiectiuo, non habeant actualem existentiam, sed possunt existere, non erunt simpliciter, sed secundùm quid: illa siquidem entia sunt simpliciter creaturę, ad quę verè terminata est creatio, seu quę habent esse per creationem; illa autem sunt secundū quid, seu s̃m aptitudinē creaturæ, quę non sunt entia actu creata, sed possunt creari, quales sunt quidditates in esse intelligibili. Concedo igitur quidditates esse creatas, non actu & simpliciter, sed secundùm quid, & in potentia.

Quidditas obiectiua est ens creatū.

Dices. Quidditas obiectiua, estnè simpliciter ens creatū, vel increatum? Dico. Non est simpliciter ens creatum, nec increatum, cùm non sit ens simpliciter; cuius est illa diuisio, sed ens secundùm quid creatum, hoc est, possibile creari. Vel potest secundò dici. Non esse ens creatum, scilicet actu & propriè, neque increatum, cui positiuè repugnet posse creari; sed esse ens non creatum negatiuè, sic quòd neget terminationem creationis ad illam factæ, sed non ponit aliquid positiuum, per quod implicet ipsam creari; sicut in simili aliàs dixi de præciso conceptu Entis, ꝙ ille nec sit finitus nec infinitus positiuè, sed non finitus negatiuè.

QVINTA DIFFICVLTAS.

Vtrum quidditates in esse obiectiuo, habeant esse in mente Diuina?

Quiddita-tes in mente diuina, non sunt formaliter.

CONclusio Doctoris Subt. in 1. d. 3. q. 5. est affirmatiua. Estq; sic intelligenda. Quòd quidditates sint in mente Diuina, non formaliter, sed eminenter virtualiter, nō subiectiuè, sed obiectiuè. Nō formaliter. Tum quia quicquid est in Deo formaliter, denominat illum, vt sapientia, bonitas &c. Si ergo lapis vel lignum est formaliter in Deo, denominabitur Deus lapis vel lignum: quod falsum est. Tū quia, quod est formaliter in Deo, nullo modo est possibile, sed sumus & purissimus actus; creaturæ aūt in esse quidditatiuo, sunt possibiles ad esse actuale reale. Tum quia oē quod in Deo est formaliter, est summæ realitatis, sūmæq; existētiæ, nō sic quidditates in esse quidditatiuo: ergo &c. sunt igitur eminenter. Tum quia nobiliori modo sunt in Deo, quia denudatæ ab omnibus accidentibus cōibus, & ab oībus imperfectionibus. Tum quia sunt in virtute actiua Dei, sic ꝙ possit illas ꝓducere in esse vero reali actuali.

Non sunt in Deo subiectiuè.

Dixi, non esse in Deo subiectiuè. Tum quia in Deo nulla est potentia subiectiua, vel per modum potentiæ. Tū quia non sunt entia realia simpliciter. Tum quia non sunt entia actualia, omne autem quod est in alio per inexistentiā, est reale & actuale. Sunt igitᷣ in Dei intellectu obiectiuè, quia videlicet sunt obiecta Diuinæ intellectionis.

Dices. Vbi ergo sunt subiectiuè? Respondeo. Sicut quidditates in esse obiectiuo abstrahunt ab existentia actuali, ita etiam abstrahunt & ab omni Vbi; cùm Vbi sit respectus fundatus in præsentia existentiæ rei ad locum, quare illæ quidditates non sunt in vllo Vbi, sed habent esse tantùm obiectiuum.

SEXTA DIFFICVLTAS.

Vtrum quidditates in esse obiectiuo distinguantur à Deo?

HVic difficultati satisfacit Mayron. his dictis. Primum. Quidditates à Deo distinguūtur, non sola distinctione rationis. Tum quia illa distinguuntur ante omnē operationem nostri intellectus, de quibus contradictoria verificantur absque omni opere intellectus; sed talia sūt Deus, & esse obiectiuum creaturæ; verè enim quidditas creaturæ, in esse obiectiuo, est creabilis, est potentialis, Deus nōn est creabilis, non est potētialis, sed purus actus: ergo quidditates creaturarum in esse obiectiuo, distinguūtur à Deo ante omnem operationem intellectus. Tū quia, quicquid est in Deo formaliter, est ens actu & perfectum; sed quidditates ante oēm operationem intellectus, non sunt entia actualia & perfecta, sed diminuta & secūdùm quid. Tum quia, nihil quod est in Deo ex natura rei, aptum est habere aliquid, quo habito dependeat; sed creaturæ circūscripto oi opere intellectus, sunt aptæ habere existentiā, qua habita necessariò dependent: ergo circumscripto opere intellectus, creaturæ in esse obiectiuō non sunt Deus.

Quidditates in esse obiectiuo non distinguuntur realiter.

Secūdum Dictum. Quidditates in esse obiectiuo, à Deo non distinguuntur realiter. Tū quia vbi non est res & res (actualem rem intelligo) ibi non est distinctio realis; cùm distinctio realis sit inter extrema realia, sed quidditates in esse obiectiuo nō sunt res actuales; ergo inter illas & Deū, non est distinctio realis. Tum quia in essentialiter ordinatis, & realiter distinctis, nō repugnat priori esse sine posteriori; sed Deum esse sine creatura, in esse possibili seu obiectiuo, repugnat, dicit Mayr. cùm Deus sit necessariò creatiuus, & productiuus creaturarū; & consequenter ab æterno creaturæ sunt in esse creabili & producibili; ergo non distinguitur à creatura in esse producibili seu obiectiuo realiter. Tum quia realis distinctio est inter res existentes, quæ verè res sunt; sed essentia non sunt verè res in tali esse: ergo &c.

Deus & essentiæ in obiectiuo acceptæ distinguuntur formaliter.

Tertium Dictum. Deus & essentiæ creaturarum, in esse obiectiuo acceptę, distinguuntur formaliter. Verùm rōnes quatuor à Mayronio ad hoc probandum adductæ, nullo modo ostēdunt propositum, cùm sint verè communes ad probandam realem distinctionem, vt patebit legenti. Probatur igitur aliter sic. Omne qđ est distinctum ante operationē rationis, & est indistinctū vera reali distinctione, est distinctum distinctione media inter realem & rationis, quæ est distinctio formalis seu ex natura rei; sed quidditates in potentia obiectiua, distinguuntur à Deo, ante omnem operationem intellectus, & nō realiter, vt probatum est; ergo quidditates distinguuntur à Deo distinctione media, quæ est formalis, vel ex natura rei.

Deus & quidditates creaturę in potentia obiectiua distinguuntur essentialiter.

Quartum Dictum illius est. Deus & quidditates creaturæ, in potentia obiectiua, distinguuntur essentialiter. Tū quia actus & potentia nō diuersificant esētiam; sed creatura in actu existens, distinguitur essentialiter à Deo; ergo & in esse obiectiuo considerata, distinguetur à Deo essentialiter; cùm eadem omnino sit essentia quidditatis in potētia obiectiua & in actu. Tum quia, quando aliqua seipsis distinguuntur essentialiter, ante omnem operationem intellectus, illa distinguuntur per priora sic, quòd nullum posterius adueniens illis per accidens, variat illam distinctionem; sed creatura existens, distinguitur à Deo essentialiter; igitur circumscripta existentia, quæ conuenit illi per accidens, adhuc erit ipsarum esētiarum distin. essentialis.

Sed nec istæ rationes bene probant intentum, vt patet: verè enim creatura existens, vt essentialiter, ita etiam & realiter distinguitur à Deo.

Ego arbitror Primum dictum esse omnino verum: Secundum & Quartum, indigere limitatione.

Limitatio Secundi & Quarti Dicti. Distinctio realis duplex.

Circa Secundum igitur Dictum. Aduerte. Quòd distinctio realis duplex est: vna mutua, & illa est proprijssimè realis distinctio, qualis est inter res duas positiuas, vt inter Petrum & Paulum, substantiam & quantitatem: alia non mutua, qñ ex vna parte est vera res realis, ex altera verò nō est realis, sed vel tantùm possibilis, vel simpliciter non ens, sicut hic Paulus distinguitur ab Antichristo, distinctione reali non mutua, sicut etiam distinguitur ab ente impossibili. Quapropter licèt verè Deus à quidditatibus obiectiuis nō distinguatur distinctione reali propria, quæ est mutua inter entia verè realia; potest tamen concedi esse distinctus reali distinctione non mutua, sic quod Deus verè est realitate sua, actu distinctus à quidditatibus creabilibus,

bus, & possibilibus; sed quidditas non potest dici esse distincta realiter vera distinctione, cùm non sit vera res realis actualis: Et Mayronij quidem Dictum Secundum, vt habeat veritatem, intelligi debet de distinctione reali mutua.

Circa Quartum Dictum. Aduerte. Esentialem distinctionem dupliciter sumi. Vno modo, pro ipsa præcise essentiarum inter se distinctione, non considerando actualitatē rei & existentiæ: & sic quidam dicunt, quòd cùm vna essentia in esse quidditatiuo non sit alia, distinguitur ab illa seipsa, idest essentialiter: alio modo sumitur distinctio essentialis, pro essentiarum realiter existentium diuersitate; & in hoc sensu communiter dicunt Scotistę, omnem distinctionem essentialem esse realem, & omnem realem esse essentialem, præterquam in Diuinis, vbi est distinctio realis personarum, sed non essentialis. Si igitur Quartum Dictum intelligatur de distinctione essentiali primo modo, omnes quidditates distinguuntur inter se essentialiter: si secundo modo, non distinguuntur distinctione essentiali, quia non distinguuntur vera distinctione reali.

Potest igitur absolutè dici, quòd quidditates à Deo distinguantur ex natura rei, vel formaliter: Deus autem à quidditatibus, tum distinctione reali, tum distinctione essentiali non mutua, loquendo in rigore de his distinctionibus, tum etiam formali, cùm distinctio realis inferat formalem.

SEPTIMA DIFFICVLTAS.

Vtrum omnes quidditates entium, habeant esse essentiæ obiectiuum?

VIdetur quòd sic. Primò. Esse obiectiuum quidditatis, consistit in eo, quòd sint obiecta intellectus cognoscentis; sed omnes quidditates entium sunt obiecta intellectus cognoscentis; ergo omnes quidditates habent esse obiectiuum.

Secundò. Illæ quidditates sunt in esse essentiæ obiectiuo, quę habent rationes definitiuas & necessarias: sed omnes quidditates sunt huiusmodi, vt patet de actione, passione, & similibus; ergo, &c.

Tertiò. Omnis quidditas, quę potest esse actu, habet esse obiectiuum, quia habet esse possibile; sed omnia entia creabilia possunt esse actu; ergo habent esse obiectiuum.

Huic difficultati respondet Mayr. quodl. 18. art. 15. sub hac distinctione. In duplici sunt differentia quidditates: quædam enim sunt abstrahentes simpliciter ab existentia, actu, indifferētes ad esse actuale, & ad nō esse, vt est quidditas hominis vel Angeli, nullam concernentes existentiā; & tales omnes quidditates, habent esse essentiæ obiectiuū, quia ablata existentia, remanet quidditas, quæ abstrahit ab illa: quædam verò quidditates sunt, quæ concernunt actualem existentiam, suntque determinatæ ad esse, vt est quidditas actionis vel passionis, quæ nullo modo possunt esse absque existentia: & tales quidditates non videntur habere esse essentiæ obiectiuum, propterea quòd necessariò includant actualē existentiam, à qua esse essentiæ obiectiuum præscindit. Huiusmodi quidditates enumerantur à Mayr. decem. Prima est æuum, secunda tempus, quia in tali esse nulla est duratio, tertia motus, quarta duratio, quia nulla est variatio, quinta creatio, sexta conseruatio, quia in tali esse causalitas effectiua locum non habet; creatio verò & conseruatio pertinent ad Deum, inquātum est causa efficiens, septima generatio actiua, octaua generatio passiua, quia ista non sunt nisi existentium, nona, actualis existentia, cùm tales quidditates abstrahant ab existentia actuali, Decima, contingentia, quia illę quidditates nō sunt contingentes. Addere poterat (& commodè) iste Doctor æternitatem, necessitatem, realitatem, ad suā fundamenta consequenter loquendo: cùm etiam hæc neget quidditatibus conuenire.

Ac vt tandem quid ipse sentio dicam, sit

Conclusio Prima. Esse obiectiuum (de quo hucusque locuti sumus) non habet quidditas Diuina. Ratio est. Tum quia quidditas in esse obiectiuo, abstrahit ab existētia; sed natura Diuina non potest abstrahere ab existentia, cùm sit de essentia illius; ergo. Tum quia quidditates in esse obiectiuo, sunt indifferentes ad esse & ad non esse; at quidditatem Diuinam impossibile est non esse: Tum quia Essentia Diuina, est realissima & actualissima: quidditates autem in esse obiectiuo, sunt reales secundùm quid, & in potentia ad actum existētiæ. Tum quia quidditates in esse intelligibili seu obiectiuo, habent esse effectiuè ab intellectu Diuino; at quidditas Diuina, est simpliciter & omnimodè improducta, etiam in esse intelligibili: cùm ipsa in priori signo fuerit summè intelligibilis, antequam creatura in esse possibili conciperetur; igitur, &c.

Deus non pōt abstrahi à sua existentia.

Deus igitur, etiam vt est obiectum alicuius scientiæ, vt Theologiæ, nō abstrahit à sua existentia, cùm nulla sit possibilis abstractio à prædicato quidditatiuo; & consequenter, nō habet esse obiectiuum vel diminutum essentiæ suę, cùm illud esse diminutum, & secundùm quid, solùm sit essentiæ creabilis, & possibilis, non verò entis simpliciter primi, & summè necessarij, dantis creaturæ, tam esse possibile sua intellectione, quàm actuale sua volitione.

Oēs quidditates creabiles, & modi earū habent esse obiectiuum

Secunda Conclusio. Omnes quidditates creabiles, & modi earum, habent esse essentiæ obiectiuum. Ista Conclusio est contra Mayronium. Ratio est.

Primò. Omne ens possibile, habet suum esse obiectiuū: sed omnes naturę createę, & omnes modi earum, sunt entia possibilia antequam existant; ergo habent esse obiectiuū. Maior probatur. Illud quod est possibile, est intelligibile: quod est intelligibile intellectione Diuina, antequam actū existat, habet esse obiectiuum ab illa intellectione, vt patet ex dictis. Minor est manifesta.

Mayron. refutatur.

Secundò. Intellectus Diuinus, in secundo signo intelligendo alia à se, dedit rebus esse obiectiuum & intelligibile, iuxta aliàs dicta: vel igitur intellexit tunc modos, vt quidditates à Mayronio enumeratas, vel non intellexit: si non: ergo erit ex non intelligente intelligens, & nouā perfectionem in tempore acquiret: quod est impossibile: si intellexit: igitur produxit illa entia in esse obiectiuo & terminatiuo; & sic habetur propositum.

Tertiò. Probatur Conclusio, argumentis in principio positis, quibus Mayron. reuera non satisfacit.

Quartò, ostenditur id ex destructione fundamēti Mayronij. Maximè.n. propterea enumerata à Mayronio, non habent esse quidditatiuum, quia concernerent existentiā: sed hoc est falsum; nam licet verè actualis actio, conseruatio, motus, generatio, & similia, concernant actualem existentiam, ista tñ in esse obiectiuo sumpta, vt abstrahunt ab actualitate reali, ita & ab existentia reali actuali. Dico reali actuali: quia subiectum non abstrahit simpliciter à suo modo, si adæquato conceptu concipiatur. Modus tñ cùm fundetur in entitate subiecti & essentiæ, talis erit, qualis est entitas subiecti. Cùm igitur omnes quidditates in esse obiectiuo, sint entia sm̄ quid, non simpliciter, modi etiam illis debiti, non erunt entia simpliciter actualem concernentia existentiam, sed erunt entia secundùm quid, in esse tantùm obiectiuo & possibili; ac proinde, possibilem existentiam concernent, quæ poterit illis conuenire; quod verum est.

Duratio nō dicit variationem.

Quādo igitur dicit Mayron. Æuum, tempus, & æternitatem, non habere suum esse quidditatiuum, propterea quòd ista dicant durationem, duratio variationem, à qua variatione sunt remota entia obiectiua. Respondeo Primò. Falsum est, quòd duratio dicat variationem; quia verè conuenit naturę Diuinę duratio æternitatis, à qua tamen omnis variatio remouetur.

Secundò. Esto quòd duratio diceret variationem, illa tamē variatio cùm non esset in actu exercito, sed in actu signato; siue non esset ipsa actualis mutatio secundùm rem, sed tantùm mutationis quidditas, seu conceptus in conceptu durationis inclusus, adhuc illa variatio sic sumpta, non efficeret in quidditatibus variationem realem actualem, quæ negatur de illis. Vnde sicut motus Physicè, & secundùm realem existentiam acceptus, verè dicit realem & Physicam mutationem ac variationem mobilis, secūdùm aliquam formam, esi quo ens contingens non necessariū; ille tñ motus abstractè secundùm suam quidditatem sumptus in esse quidditatiuo, prout accipitur ab Aristotele in

illa

illa definitione: *Motus eſt actus entis in potentia, ſecundùm quod in potentia*; non eſt ens contingens, ſed neceſſarium; cùm impoſſibile ſit, motum non eſſe actum entis in potẽtia vt in potentia; neque dicit mutationem mobilis actualem, ſed tantùm rationem eſſentialem in eſſe obiectiuo & quidditatiuo.

Idem poteſt dici de exiſtentia actuali, quòd illa verè ſit contingens, ſecundùm hoc eſſe reale; at ſecundùm rationẽ ſuam formalẽ ſumpta, quòd exiſtentia actualis ſit modus vltimus entis, quo formaliter habet ens eſſe extra ſuas cauſas, & ſimpliciter, eſt neceſſaria non contingens, cùm nulla definitio conueniat contingenter definito. Modus igitur ille arguendi. Duratio nòn habet eſſe obiectiuum, propterea quòd duratio includit variationem; reducatur ſic ad formam ſyllogiſticam, Nulla entitas includens variationem, habet eſſe obiectiuum; ſed duratio vt duratio, non habet eſſe obiectiuum; ſtatim apparet Sophiſma, à ſimpliciter ad ſecundùm quid. Nam in Maiori intelligitur variatio in actu exercito, quæ eſt variatio Phyſica & ſimpliciter; in Minori autem, accipitur variatio in actu ſignato, & ſecundùm quid, ſcilicet in eſſe obiectiuo. Simile eſt iudicium de alijs.

OCTAVA DIFFICVLTAS.

Vtrum entia rationis habeant eſſe obiectiuum eſſentiæ?

Videtur quòd non, Primò. Cuius totum eſſe eſt cognitum eſſe, illud non habet vllo modo eſſe ante cognitionem; ſed entia rationis totum eſſe habent per cognitum eſſe; ergo &c.

Secundò. Sequeretur quòd entia rõnis in eſſe quidditatiuo, non diſtinguerentur ab entibus realibus; cùm vtraq; non ſint realia actu, & vtraq; ſint neceſſaria.

Entia rõnis habẽt quidditatem obiectiuam.

Concluſio. Etiam entia rationis habẽt quidditatem obiectiuã. Hæc Cõcl. patet. Et probatur vel vnico argumẽto. Scientia eſt de neceſſarijs quidditatibus ex 1. Poſter. Sed de entibus rationis eſt ſcientia, vt Logica, in qua multæ sũt veritates neceſſariæ; vt quòd genus ſit vniuerſale, quòd vniuerſale prædicetur de pluribus, & ſimiles; ſed neq; ſcientia eſt de entibus rationis, ſecundùm eſſe exiſtentiæ, neq; veritates illæ neceſſariò verificantur de illis; cùm vt ſic, entia rationis non ſint neceſſaria; ergo entia rationis habent ſuas quidditates abſtractas ab eſſe exiſtentiæ.

Entiũ rõnis quidditas ẽ alia ab ente reali.

Illud tamen hìc aduertendum eſt. Quòd licèt eſſe quidditatiuum habeant entia rationis, prout habent & entia realia, diuerſimodè tamen; nam ſicut ſe habet actus ad actum, ita ſe habet potentia ad potentiam; vnde ſicut ens reale in actu, ſeu ens reale actu exiſtẽs, diſtinctiſſimum eſt ab ente rationis actu exiſtenti (ſicut ens rõnis exiſtere dr̃) ſic ens reale in eſſe poſſibili & obiectiuo, diſtinctiſſimũ eſt ab ente rationis in eſſe obiectiuo; & ſicut ens reale actuale diſtinguitur ſeipſo ab ente rõnis actuali, ita ens reale in eſſe obiectiuo diſtinguitur ſeipſo ab ente rationis obiectiuo.

Ens reale ab ente rõnis ſe ipſo diſtinguitur.

Nec à priori vlla cauſa diſtinctionis dari poteſt, quõ eſſẽtiæ reales obiectiuæ diſtinguant ab eſſẽtijs rõnis, niſi quia hoc eſt tale ens, & illud tale, hæc eſt talis quidditas, illa talis.

A poſteriori tamen poteſt aſſignari aliquod diſcrimen inter eſſentiam entis rationis in eſſe obiectiuo, & eſſentiam realis in eodem eſſe.

Ens rationis & reale ĩ cã productiua diſtinguuntur.

Primum diſcrimen eſt, ex ordine quidditatis ad cauſam productiuam, Nam eſſe quidditatiuũ reale, habet eſſe intelligibile immediatè & primo ab intellectu Diuino, in ſecundo ſigno naturę intelligente illas quidditates, & dante illis eſſe, vt intelligibiles ſint & poſſibiles: eſſe verò quidditatiuum entis rationis, nõ eſt primò & immediatè ab actu intellectus Diuini, intelligente illud (cùm entia rõnis priùs ſint, quàm actu reflexo cognoſcãtur eſſe, vt oſtendi ſupra) ſed eſt cõſequens intellectionem quidditatis realis. Sic intelligo. Diuinus intellectus, in ſecundo inſtanti naturæ, intelligit oẽs quidditates poſſibiles reales, non in eſſe actuali reali, ſed intelligibili & potentiali; tunc, vt in Deo cognoſcente, oriebatur relatio rationis cognoſcentis ad cognitũ, ita in quidditate intellecta, oriebatur relatio rõnis cogniti ad cognoſcẽs; quę relatio nõ fuit actualis; cùm ipſum fundamentũ, quod eſt eſſentia realis cognita, non ſit ens actu; ſed fuit aptitudinalis & potentialis, quæ non alia eſt, quã relatio rationis in eſſe quidditatiuo.

D... guunt ex o... quiddi... ad exi...

Secundum diſcrimen eſt, ex ordine quidditatis ad exiſtentiam. Quia quidditates reales in eſſe obiectiuo, habent aptitudinem & potentiam ad exiſtentiam realem, ab opere intellectus independentem; quidditates autem rationis in eſſe obiectiuo, habent aptitudinem & potentiam ad exiſtentiam rationis, dependentem neceſſariò ab actu intellectus, vel alterius potentiæ collatiuæ.

Tertio ordine ... ditatis ... ctum.

Tertium diſcrimẽ addi poteſt, ex ordine quidditatis ad actum, & comparatione actus ad potentiam; vt enim ens reale actuale, & ens rationis actuale ſeipſis diſtinguuntur; nec eſt vlla ratio, cur hoc ſit reale, illud rationis, niſi quia hoc eſt talis naturæ, & illud talis; ita ens rõnis in eſſe obiectiuo, & ens reale in eodem eſſe, ſeipſis diſtinguuntur, nec vlla ratio reddi põt à priori, cur hæc ſit quidditas realis, illa rationis, niſi quòd illa ſit talis quidditas, & hæc talis.

Suppoſita hac doctrina, videtur quòd idem ſit ens rationis in eſſe quidditatiuo, & in eſſe actualis exiſtentiæ; & ſic fruſtra finguntur tales quidditates rationis.

Ens non e... in eſſe ... ditatiu... in eſſe ... ſtentiæ

Reſpondeo. Non fruſtra poni, ſed ad ſaluandam tũ veritatem propoſitionum neceſſariarum, tũ ad ſaluãdũ obiectũ ſcientiæ rõnis, alijſq; de cauſis in ſuperioribus tactis.

Deinde; diſtincta ſunt entia rationis in eſſe quidditatiuo, ab entibus rationis in eſſe exiſtentiæ actualis, non quidem eſſentialiter (ſicut.n. quidditas hominis vt ſic, non diſtinguitur eſſentialiter à quidditate Petri, ita ratio quidditatiua indiuidui ſecundò intentionalis, vt ſic ſumpta, non diſtinguitur eſſentialiter ab indiuiduo ſecũdò intentionali exiſtenti, vt in Petro) ſed diſtinguitur modaliter, ſecundũ potentiam & actum, quòd illa eſſentia, quæ fuit in potentia ad exiſtendum, actu exiſtat. Similiter in ente rationis, quòd illa ratio quidditatiua entis rationis, quæ fuit in potentia ad eſſendum in ente reali, illudq; denominandum, ſit ſubiectiuè in ente reali, & illud denominet.

In hoc igitur propriè diſtinguitur quidditas entis rationis, ab ente rationis, actu exiſtenti, quòd entia rõnis, fundata in quidditatibus realibus, in eſſe obiectiuo sũptis, ſint verè entia rationis in eſſe eſſentiæ, ſeu in eſſe obiectiuo & quidditatiuo; illa verò eadem entia rationis, vt fundantur & concipiuntur in entibus realibus, actu exiſtentibus, ſunt entia rationis actu exiſtentia, cùm eſſe entium rationis dependeat in eſſe actuali ab ente reali.

Hoc tamen hìc addo, quòd ſicut entia rationis in eſſe exiſtentiæ, ſunt entia analogicè ad verum ens, ita quidditates rationis, ſunt quidditates analogicè ad veras quidditates; & ſicut entia rationis ſunt imperfectiſſima entia, ita quidditates talium entium in eſſe obiectiuo, ſunt imperfectiſſimæ quidditates; vt verum itaque eſt, quòd quidditates reales in eſſe obiectiuo, ſunt entia diminuta, comparãdo illa ad entia actualia realia; ita & illud certum, quòd quidditates entium rationis in eſſe obiectiuo, ſint entia diminutiſſima, comparando illas ad quidditates rationis exiſtentes ſeu actuales.

Ad Primum in principio poſitum; Solutio patet, ex dictis ſupra, de ente rationis; vbi declarauimus entia rationis habere ſuum eſſe, antequam actu reflexiuo cognoſcãtur; atque ita non conſiſtit totum eſſe entis rationis, in hoc, quod eſt cognitum eſſe. Reſponderi poteſt Secundò, Argumentum ſi quid valeret, probaret ſolùm de ente rationis, actu exiſtentiam ſuam habente, non de ente rationis in eſſe quidditatiuo.

Ad Secundum. Reſponſum eſt in corpore difficultatis, quòd quidditates entis realis & rationis, diſtinguantur in eſſe obiectiuo, ſe totis obiectiuè.

Dubitatur Secundò.

Vtrum idæa in Deo ſit eſſe cognitum rerum?

Videtur quòd non. Primò. Idæa eſt ratio cognoſcendi rem, ad ipſius imitationem producendam; ſed eſſe Dei, eſt ratio cognoſcẽdi creaturas producendas ipſi Deo, & non creaturæ cognitæ; ergo idæa eſt eſſe Diuinum, & non eſſe cognitum rerum.

Secundò.

Secundò. Artifex in operatione sua dependet ab idęa & exemplari; Deus aũt à creatura nullo mō dependere potest, qualitercunque creatura accipiatur, siue secundũ esse verum reale, siue secundùm esse cognitum; ergo res cognitæ non sunt idęæ.

Tertiò. Proportionaliter loquendum est de Diuinis, sicut de creatis; sed in creaturis intellectualibus, idęa non est res producenda; ergo neque in Deo erit. Minor. Quia dũ artifex, puta pictor, hominis effigiem exprimere conatur, illa idęa, quam habet de homine formando, illudque simulachrum in intellectu pictoris existens, est distinctum ab illa imagine picta.

Quartò. Deus creaturas in esse cognito produxit ab æterno, sm̃ Scotum: aut ergo produxit illas mediantibus idęis; aut sine illis: non sine idæis; quia Deus non producit extra sine idæis; si.n. potuit Deus producere in illo esse cognito sine idæis, similiter etiam poterit producere in esse reali sine idæis; si mediantibus idæis, cùm illæ non sunt creaturæ in esse intelligibili, quia aliàs esset processus in infinitum, erunt ipsa Diuina Essentia vt imitabilis.

Quintò. Si creatura in esse cognito esset idæa; cũ Deus nihil possit operari ad extra, sine idæis, tunc dependeret in operando ab idæis, quod absurdum est. Vide Zumel conclus.3. ratione 3.

Sextò. Idæa est realis forma in Deo; at creaturę sm̃ illud esse obiectiuũ cognitũ, non sunt reales, sed rõnis; ergo, &c.

Septimò. Idæa est realis causa idæati; sed creatura secũdùm esse obiectiuum non; ergo, &c. Maior. Quia idæa est exemplar idæati, exemplar autem est causa realis exẽplati, & Arist. sæpiùs enumerat exemplar inter causas reales. Minor. Tum quia creatura sm̃ esse obiectiuum est ens rõnis. Tum quia implicat aliquid esse causam suiipsius.

Octauò. Idẽ vult Dionys.1. de diuin. nomin. cap.5. cùm Idæas esse rationes effectrices omnium rerum affirmat. S. August. 83. qq. q.46. Sunt ideæ principales quædã formæ, vel rationes rerum incõmutabiles, quæ ipsæ formatæ non sunt: ac per hoc æternæ, ac semper eodem modo se habẽtes, quæ in Diuina intelligentia continentur: & cũ ipsæ neque oriantur neque intereant, per eas formari tñ dr̃ omne quod oriri & interire potest, & omne quod oritur & interit; ergo Diuinus intellectus habet idæas, quæ sunt rationes creaturarum; sed per rõnes creaturarũ cognoscũtur creaturæ; ergo Deus cognoscit creaturas per idæas.

Item August. lib.11. de Ciuit. Dei c.11. dicit, ꝙ in sciẽtia Dei sunt thesauri rerum intelligibilium, in quibus sunt oẽs inuisibiles atque incommutabiles rationes rerum etiã inuisibilium, quæ per ipsam factæ sunt.

Item Boet. 3. lib. de Consol. in medio loquens ad Deũ, sic dicit: *qui cuncta superno.*

Ducis ab exemplo pulcher pulcherrimus ipse.

Mundum mente gerens, similique in imagine formans:

Ergo Deus in se habet similitudinem mundi, sm̃ quam mundum creauit & formauit. Ista sententia est S. Bonauenturæ d.37. Molinæ, Zumel, Caiet. Bann. 1. par. q.15. art. 1. Capreol. dist.36. Ferrar. 1. Contra gen. c.54. Argentin. dist. 36. in 1. Sent. q.1. Henr. in Sum. art.68. q.5.

In oppositũ est D. Subtilis hìc, & fusiùs in Report. Lichet. Tartar. Barg. Paulus Scriptor ibid. Bassol. hìc. q.2. art.3. Ioan. de Colonia in cõpẽdio Theologiæ q.214. Durand. in 1. d.26. q.2. & 4. Ant. Andr. dist.1. Idæam vocant, non rationem intelligendi, sed rem intellectã. Fr. Guil. Vorillo. in 1. d.35. art.2. F. Andr. à Nouo Castro, dist.36. q.1. Sequitur præterea Scotum Ocam & Gabr. dist. pręsenti. Alen. 1. par. q.23. mem.4. art.1. quamuis citetur pro opposita sententia; magis tamen reuera fauet nostræ, cùm §. primo docet, Idæarum poni pluralitatem in Deo, & non sapientię; quia videlicet sapientia se tenet ex parte Dei, idęa autem ex parte rei cognitę: quare plures sunt idęæ, sicut & res cognitæ. Probabilem reputat F. Richar. de Mediavilla dist.36. art.2. q.2. Mayron. autem dist.47. q.1. putat idæas esse respectus reales fundamentales.

Aduerte Primò. Nomen idæę inuentum est primùm à Platone, quem secutus D. August. lib.83. qq. & de Ciuit. Dei eodem nomine vtitur: quod non aliud significat, vt græca vox εἶδος significat, quam formam & exemplar. Quid verò Plato nomine Idæę intellexit, aliquomodo ex Aristotele patet, essentias rerum æternas: non tamen illo modo, quo Arist. imponit suo Magistro, vt bene adnotauit Mayron. d.47. q.1. & Doctor Sub. hìc, sed illo quo eum explicat D. August. quòd non sint essentiæ rerum, per se separatim existentes, sub concauo Lunæ: sed rationes ęternę à Deo cognitæ, id est, ipsæ essentiæ rerum, vt ab æterno cognitæ à Deo; æternaliterque vt obiecta secundaria terminant cognitionẽ Diuinã: Vnde ex primo inuentore huius nominis patet, ꝙ is intellexerit essentias rerum in mente Diuina obiectiuè, & secundùm esse cognitum.

Hoc ex motiuis suis deducitur. Principales.n. causæ sm̃ Aristotelem sunt, cur Plato posuit Idæas, vt de illis tanquã de obiectis sit scientia, & vt possit esse generatio: ergo Plato tales Idęas ponebat (quas admittit postmodũ D. Aug. & Dionys. in sua Theologia) quę sint obiecta sciẽtię; obiecta autem scientiæ Diuinę ad extra, sunt res cognitę; ergo res cognitæ sunt idæę, secundùm Platonem, & S. August.

Cur ponuntur in Deo ideæ.

Præterea. Principium producendi res ad extra, est volũtas Diuina: ad hoc ergo vt Deus possit distinctè res producere, & gubernare, requiritur ęterna cognitio earundẽ; ergo res debebant cognosci ab æterno, si debuit vt prima causa res producere & conseruare: vel ab æterno, vt sensit Arist. vel in tempore, vt aliquomodo sensit Plato. Vñ causa prima & principalis cur ponantur ideæ in Deo, est sciẽtia Diuina perfectissima, quæ cùm sit infinita intensiuè in se, & extẽsiuè respectu obiectorum, debet omnia ab ęterno intelligere; & sic ad omnia cognitio eius terminari: q̃ obiecta secundaria cognita, terminantia secundariò Diuinam intellectionem, sed nullatenus mouẽtia, vt dixi aliàs, sunt idæę sm̃ Platonẽ, & rei veritatẽ. Et certè hæc vr̃ esse propria & vera deductio idęarũ, q̃ veritas manifestè patebit, dum ostendero fundamentum oppositæ sentẽtiæ, propter quod ponit idæas, nullum esse.

Ab aduersarijs quare ponuntur ideæ.

Aduertendum igitur Secundò. Idæas requiri à contrarium sentientibus, tanquam rationes intelligendi; cũ ergo ratio intelligendi, sit ipsa Essentia Dei, Idęa erit ipsa Essentia Dei; quia tamen plura idæata quæ à Deo intelligũtur, plures ponunt idæas, dicendo nõ essentia absolutè est idęa, sed essentia vt imitabilis à creaturis; cùm ergo varia ratio sit imitabilis in essentia, variæ erunt idæę, & communiter concedunt Thomistæ 1. par. q.15. art.2.

Ad cognitionem tria requirũtur.

Hanc positionem eorum vt intelligas. Considera. Quòd ad cognitionem tria requiruntur: Primò intellectus, deinde obiectum, tertiò ratio intelligendi: ex parte igitur intellectus & obiecti non requiritur idęa, sed requiritur ex parte rõnis intelligendi: ita quòd rationes intelligendi obiecta secundaria, vt creaturas, sint idæę.

Positio aduersariorũ falsa.

Ista tamen positio est falsa, & bene impugnatur à Doctore hìc art.1. Et addo breuiter. Quoniam obiectum limitatum, potest se solo, absque vllo ente, esse causa alicuius cognitionis; ergo si obiectum sit illimitatum, potest esse causa perfectioris cognitionis: & si in infinitum illimitatũ, potest idem obiectum esse causa cognitionis infinitæ, & infinitari, quia illimitatio actiua, non ponit imperfectionem, sed perfectionem. Cùm igitur Essentia Diuina infinita, sit obiectum intellectus Diuini illimitatum actiuè, poterit esse ratio cognitionis; atque ita præter entia rationis requiritur ad intelligendum.

Et reuera si illa imitabilitas dicit relationem rationis & ista imitabilitas constituit formaliter idæam, idæa formaliter erit ens rationis: & cùm necessariò requiratur ad cognitionem creaturę, Deus necessariò dependebit ab ente rationis in perfectione sua, nempe in scientia: si aũt idęa est formaliter essentia: ergo ratio intelligendi est formaliter ipsa essentia vt essentia, atque ita pluralitas idæarũ & entium rationis frustra requiritur, propter rationem intelligendi. Sicut igitur potentia Diuina, absque vllis entib. rationis, potest in varia producibilia immediatè, ex sua illimitatione: ita intellectus Diuinus, ex sua illimitatione in intelligendo, potest intelligere absque interuentione entium rationis omnia intelligibilia.

Demum: Non est intelligibile, quomodo entia rationis possunt repræsentare distinctè entia realia: ac proinde, nõ possunt esse rationes distinguendi: vnde illud dictũ quo-

Neotericorũ dictũ cõe est falsum.

fundam Neotericorum: Idea est rõ intelligẽdi: est falsum.

Aduerte Tertiò. Vt magis veritas Notabilis Primi, & difficultas huius materiæ elucescat. Videndum est in creatis, quid sit idæa artificis; & postea consimiliter loquemur de ideis Diuinis. Accipio architectum, qui habet ideã domus ædificandæ in intellectu; hæc idæa artificis, non aliud est quàm ipsa domus cognita obiectiuè, & obiectiuè existens in mente artificis, quam quasi intuendo intellectualiter, operatur domum extra, secundùm illam domum cognitam, tanquam secundùm exemplar propriũ eius. Istud dictum est de se euidens in nostris ideis: quare & in Deo idea debet esse creatura cognita in intellectu Diuino existens obiectiuè, secundùm quam rationem obiectiuam, vt secundùm propriam rationem eius exemplarem, possit aliquid Deus creare vel producere extra.

Idea in artifice quid sit.

Idæa ẽ creatura cognita.

Ex his dictis patet Conclusio, quòd idea sit creatura cognita ab intellectu Diuino. Quod probari potest. Primò. Ex intentione manifesta Platonis & August. nomen Idææ accipiendum pro ipsis obiectis, & rebus cognitis, vt dictũ est Notando 1.

Definitio Ideæ.

Secundò probatur à priori ex descriptione Ideæ; quam ponit Doctor ex August. in litera, valde conformiter ad ideam creatam. Idæa est ratio æterna, in mente Diuina existens, secundùm quam aliquid est formabile extra, vt secundùm propriam rationem eius; sed creatura ab æterno cognita, est ratio obiectiua, secundùm quam, vt secundùm proprium exemplar, producuntur creaturæ; ergo creaturæ cognitæ sunt ideæ. Confirmatur per notandũ 3.

Ens rõnis nõ est idæa in mẽte diuina.

Tertiò. Vel idæa est Essentia Diuina; & hoc non, quia Essentia Diuina est vna, ideæ plures: vel ens rationis, ille. s. respectus imitabilitatis; & hoc non: Tum quia illa entia rationis, consequuntur vt essentiam, ita & creaturam cognitam, vt dictum est art. præced. & ita non possunt poni ideæ cognoscendi creaturam: Tum quia ideæ sunt necessariæ, non item entia rationis: Tum quia idææ non sunt ratio intelligendi, vt dixi; & si essent entia rationis, non possunt Deo esse ratio intelligendi, quia Deus seipso sufficientissimus est ad intelligendum, vt seipsum, ita & creaturã, absque interuentu cuiuscũque entis alterius ab ipso.

Refutatur modus dicẽdi idæis.

Nec potest dici ꝙ essentia simul cum illis relationib. sit idea. Quia sic idea intrinsecè esset ens aggregatum, & ita non possent dici plures, rõne alterius partis, quod formaliter includitur, nempe ratione essentiæ. Nec possent repsentare distinctè rem realem vt obiectum. Quia ens rõnis non est repræsentatiuum rei realis. Restat igitur quòd sit creatura in esse cognito.

Quartò. Illud est idea formaliter & per se, quod est exẽplar rei faciendæ, secluso quocunque per intellectum vel per impossibile; sed seclusa per impossibile Essentia Diuina, & secluso quocunque ente rationis cum illa, supposito autem intellectu Diuino intelligente creaturas, & potẽtia potente producere, intelligitur sufficienter esse ratio ideæ illa cognita creatura, secundùm quam potest producere potentia productiua; ergo, &c.

Ad argumenta in oppositum.

Ad Primum. Maior est falsa,

Deus nõ dependet ab idæis in cognoscẽdo.

Ad Secundum Deus à creatura in esse cognito, nullo modo dependet, sed dat vt esse verum, ita & esse cognitũ rebus; noster autem intellectus, in cognitione rerũ, & veritate intellectionis, dependet ab obiectis; tunc, n. est intellectio vera, quando est conformis rei intellectæ; & causatur intellectio dependenter ab obiecto, quando obiectum per se, vel per speciem concurrit cum intellectu vt diximus dist. 3. atque ita licèt aliquomodo artifex in creatis dependet ab idea in operando; Deus tamen à sua idea nullo modo dependet, quia veritas rerum, primò est ab intellectu Diuino producta.

Addo, quòd Deus & à sua Essentia non dependet (supposita via Thomistarum, quòd essentia vt imitabilis, est idea) quia dependentia dicit imperfectionem; & à fortiori non dependebit à creatura cognita, quæ verè est idea.

Ad Tertium. Sicut in creatis illud esse cognitum in mente pictoris, vt est esse cognitum, non transit extra, sed ad eius similitudinem extra exprimitur imago; ita dum me Deus ab æterno cognoscit, esse mei cognitum, vt est esse cognitum in Deo, non transit extra, sed secundùm illud esse idæale, vt secundùm propriam rationem eius, producor postea extra.

Dices. Ergo non idem homo producitur extra, qui cognoscitur ab æterno. Dico. Idem homo, sed non eodem modo; vt enim est idæa, seu habens esse cognitum, est immutabilis, & inuariabilis, æternus, existens tantùm secundum quid, & diminutè; vt autem extra producitur, habet verum esse reale, sed mutabile, &c. nec requiritur omnimoda similitudo hinc & inde.

Ad Quartum. Dixit articulo præcedenti Doctor, quòd Deus produxit creaturas in esse cognito, non mediantibus idæis. Probatio procedit de productione reali, terminata ad realem existentiam extra, non autem de productione in esse diminuto.

Creat[…] in esse[…] gnito[…] idæas[…] lius[…] culi.

Ad Quintum. Sententia tenens creaturas in esse cognito esse idæas, nullius est periculi: imò perquam conformis rationi, & S. August. ita hæc obiectio, quam quidam magni faciunt, nihil concludit, vt dictum est ad Secundum. Vt enim ratio intelligendi est Essentia Diuina, non creatura cognita, ratio motiua, ob quam Deus aliquid producit extra, est sola Essentia Diuina. Et modus ille argumentandi non est Theologicus; quia esto, quòd Essentia Diuina sit idæa, certum est, quòd Deus non dependet ab Essentia Diuina; quia non requiritur vt omne agens per essentiam, dependeat ab idæa, dependentia enim ponit imperfectionem; ergo non requiritur, vt dependeat ab hac idæa, quæ est creatura.

Ad Confirmationem. Sicut ex hoc quòd Deus non possit producere extra creaturam, nisi intelligat creaturam, non sequitur dependentia virtutis productiuæ in Deo à creatura, sed est subordinatio quædam sine dependentia potentiæ executiuæ ad intellectiuam in Deo: ita ex hoc quòd non producat extra, nisi producat in esse cognito, non sequitur dependentia virtutis productiuæ Diuinæ ad creaturam cognitam, sed ad cognitionem Diuinam, vt de se clarum est.

Ad Sextum. Creaturæ in esse cognito, sunt formæ reales diminutæ, vt dixi.

Ad Septimum. Vniuersaliter sumpta Maior, est falsa. Tunc enim idea est causa exemplaris, reducibilis ad efficiẽtem, respectu sui idæati; quando dirigitur intellectus per idæam in faciendo idæato; tunc enim idæa est concausa intellectus dirigentis potentiam executiuam extra in operando, qualis est solus intellectus finitus respectu potentiæ finitæ. Cùm igitur intellectus infinitus non sit dirigibilis ab vllo, & consequenter nec ab idæa, vt dixi quæst. 6. prologi, nõ debet esse concausa idæati, sed simplex exemplar propositum, ad cuius similitudinem fit aliquid. Aristoteles intelligendus est primo modo, non secundo.

Ad Octauum. Nihil horum habet ibi D. Dionys. imò cùm fecisset mentionem cuiusdam Clementis Philosophi, qui idæas abstractas substãtias ponebat, sicut Plato, vt ante dixi: subinfert, quòd secundùm Theologos debemus exemplaria ponere in Deo, subintellige, quòd res cognitæ non per se vt abstractæ, ideæ sunt, sed vt sunt obiectiuè in Deo, seu in intellectu Diuino.

Con[…] ter[…] de i[…] cun[…] tres

Ad authoritatem S. Augustini. Patet ex præcedẽti Dubitatione, quomodo res cognitæ sunt æternæ & incõmutabiles; Et quod dicitur; Rationes creaturæ. Non est intelligendum, quòd sit ratio productiua, vel ratio producendi, aut intelligendi creaturam, sed quòd sint rationes obiectiuæ, seu rationes exemplares.

Et per idem dici potest ad Boetium.

Illud quod dicitur in secunda authoritate Augustini; ꝙ per idæam alia facta sunt; & si quæ sunt aliæ consimiles authoritates; intelligendum est, quòd ly per, non construitur in ratione principij faciendi, vel rationis faciendæ alia, quòd idæa sit principium vel ratio producendi, sed in ratione obiecti immediati: illo modo quo dicimus communiter; In Patria videbimus Deum per Essentiam; id est, videbimus immediatè, & non confusè, Essentiam Diuinã: ita hìc dicimus, quòd immediatè cognitio præcesserit productionem rerum.

Hactenus dixi, quod conformiter videbatur dicendum

secundùm

secundùm D.August. & Doctorem Subt. in ista materia. Interim addo (abstrahēdo me ab authoritatibus) ꝙ posset dici Idæam sumi dupliciter: vno modo, cui cōuenit primò esse ratio idæę in se fundamentaliter & radicaliter: altero, cui conuenit formaliter & actualiter, secundariò tamen, quia mediante idæa primariè sumpta. Primo modo Essentia Diuina, non vt sub relationibus, sed secundùm se sumpta, est idæa, quatenus nimirum ipsa habet aptitudinem, absque omni relatione extrinseca, sed seipsa, repræsentare omne cognoscibile aliud à Deo. Hoc intelliget Scotista, si illam doctrinam quæ in Report. est dist. 1. q. 2. de essentia obiecto primario, & de creatura obiecto secundario, sic explicet. Quòd eadem essentia, sit obiectum primarium & secundarium: vt est obiectum primarium, nullo modo est idæa, vt est obiectum secundarium, secundùm aptitudinem, qua cognita cognosci possunt creaturæ, est obiectum secundarium & idæa: non sic tamen, quòd illi respectus repræsentationis, vel imitabilitatis in Essentia, faciant aliquid ad idæam, sed præcisè ipsa Essentia, vt est pelagus quoddam infinitum perfectionū, vt dicitur à Doct. quodl. 1. secundùm se consideratur; in secundo instanti naturæ (de quo dictum est distin. 1.) vt apta est esse ratio cognoscendi, absque omni ente rationis, dicitur idæa: Idæa autem dicetur formaliter & actualiter, res creabilis postea concepta.

dea sumi- ır duplici er.

ssentia di ina potest ici ideą.

Et hoc modo facilè possit conciliari, tum D. Thomas, cum Doctore Subt. quòd ille secundùm priorem, iste secundùm alterum modum loquitur de idæa: tum authoritates Sanctorum Patrum: dum quædam dicunt idęas esse rationes obiectiuas exemplares cognitas, iuxta secundùm modum; aliæ vocant rationes agendi secundùm priorem sententiam.

Istud dictum sit in gratiam disputationis, auocando sententiam, vt dixi ab authoritate omnium, & Doct. Subtilis.

Dubitatur Tertiò.

Vtrum Deus omnium aliorum à se habeat distinctas idæas.

QVod non. Primò. Deus distinctè intelligit malum culpæ, & tamen illius non est distincta idęa.

Secundò. Si haberet intellectus Diuinus idęas omnium rerū, haberet infinitas, quia sub qualibet specie idæę sunt infinitæ: sed infinitum est impossibile; ergo, &c.

De hac materia vide Doctorem Subt. in Report. d. 36. quæst. 3. & 4.

om. do- duplici- posse ac ı idæas.

Interim hoc ex illo Supponendum est Primò D. Thomam, eiusque interpretes 1. part. quæst. 15. art. 3. docere Idęas posse accipi vel speculatiuè, vt exemplar: vel practicè, vt ratio. Vt practicè accipiuntur, idęa non est omnium: neque enim est eorum, quæ in nulla parte temporis fiunt: neque est idęa materiæ; quia non habet esse: neque habet idęā generis; quia genus non est nisi in speciebus: neque est indiuidui; quia indiuiduatio fit per materiam; materiæ autem non est idęa: Neque demum est idęa accidentium inseparabiliter existētium; quales sunt propriæ passiones. Vt autem idęa est ratio cognoscendi speculatiuè, est ratio cognoscendi omnia.

pinio Gā ı. nō esse m idæā.

Secundò. Supponendum est. Sententiam Gandau. fuisse: quòd idęa non sit omniū. Non. n. est inprimis idęa alicuius relationis creatę; cū relatio non sit aliquid superadditum fundamento. Deinde, non est idęa generis & differentiæ; est autem idęa speciei. Nec est idęa formæ vel materiæ in composito, sed ipsius compositi: vt tamen materia accipitur secundùm se, vt est quædam quidditas, sic est idęa materiæ. Præterea formæ artificiales, indiuidua secūdùm rationem indiuiduorum, non habent idęas in mente Diuina.

ra nō est ctica.

Conclusio Prima. Prima Opinio in pluribus deficit. Ac inprimis distinctio illa: idęarum, in practicas & speculatiuas non placet, & omisso hoc, quod Ocam distin. 25. q. 6. vocat idęas omnes practicas, noster verò Doctor dist. 28. docet esse speculatiuas: ex quo loco licèt sumi posset hìc argumentum; arguo aliter. Idæa est in Deo, ante determinationem Diuinæ voluntatis, antequam sit aliquid fiendū vel non fiēdum, vt docuimus articulo pręcedenti; cū ergo ratio idæę sit prior actu voluntatis; consequens est, ꝙ idæa vt idæa, non est practica; quia practicum illud quod est fiendum, est à determinatione Diuinę voluntatis.

Ad hæc. Practicum & speculatiuum non differunt accidentaliter, sed essentialiter, vt diximus in prologo cū Doct. q. 8. Differunt enim per obiectum, qualis distinctio est necessaria & non accidentalis; rem autem fieri & non fieri, est rei accidentale, quia per meram voluntatem aduenit Diuinam, quod res possibilis fiat, ergo, &c.

Secundò deficit Prima. Opinio in hoc, quia docet materiæ non esse idęam, Materia enim habet esse distinctum ab esse formæ; vt communiter non tantùm Scotistę docent cum Doctore in 2. dist. 12. sed etiam Neoterici; ergo habet propriam idęam. — Materiæ est idæa.

Præterea. Si propterea, quia non cognoscitur à nobis nisi per ordinem ad formam, non habeat propriam idęā, sequitur, quòd nulla substantia habebit propriam idęam; quia nulla substantia cognoscitur à nobis immediatè per propriam speciem, vt superiùs dixi.

Tertiò. Si ideo non cognoscitur genus per idęam, quia genus est in specie, & non per se; sequitur quòd Deus vel artifex, non haberet idæam de forma artificiali, quia talis est in genere. Vltra. Indiuidui esse idęam: probatur. Quia D. Thomas. 7. Metaph. suæ expositionis, concedit materiā esse partem quidditatis; atque ita habet idęam. — Generis datur idæa.

Deinde, habet (vt dixi paulo ante) actum entitatiuum & existentiam, secundùm se considerata; estque producibilis & creabilis absque vlla forma, vt ostenditur in 2. distin. 12. — Indiuidui esse idæam.

Pręterea. Sit materia pura potentia, vt docent Thomistæ; adhuc potest illam Deus distinctè cognoscere; sed ad distinctè cognoscendum, requiritur secundùm ipsos idęa, vt ratio cognoscendi; ergo ad distinctè cognoscendū materiam, habebit Deus idęam.

Et similiter de indiuiduo probari potest, quòd cùm sit cognoscibile per se, & producibile, habebit rationem idęæ.

Idem dic de accidente inseparabili, præsertim secundùm viam Thomistarum, qui docent accidentia, quantumuis propria, distingui realiter à subiecto, & consequenter esse cognoscibilia per se; atque ita omnia accidētia cognoscuntur per distinctas idæas. — Accidēs inseparabile habet idęā.

Et reuera, si entia rationis, illos nempe respectus imitabilitatis in essentia, ponunt Thomistæ idęam, non est quòd magnopere vereantur dicere, omnibus rebus creatis & creabilibus, correspondere entia rationis in Deo distincta: positio enim entium rationis in Deo, vel ablatio, nullam ponit in Deo, vel tollit perfectionem.

Insuper contra has illorum exceptiones arguo, vno cōmuni argumento. Ideę, vt idęa est exemplar, omnium rerum inueniuntur in Deo, secundùm illos; ergo omnium rerum ideæ sunt, vt idęa est ratio factibilium. Consequentia. Quia illæ res factibiles, cum cognoscantur à Deo, habebunt sui idęam speculatiuam; sed eadem est idęa speculatiua, quæ & practica, vt dictum est, ergo, &c.

Secunda Conclusio. Positio secunda Henrici Gandau. in pluribus est falsa. Ac inprimis illud dictum. Quòd relationum non sunt idæę: innititur malo fundamento; quasi relatio non sit alia res à fundamento & à termino: oppositum enim huius communiter tenendum est, vt dicitur à Doctore in 2. dist. 1. q. 4. — Henrici falsum fundamentum.

Quòd etiam dicit de indiuiduis, illa non habere idæam: huic innititur fundamento; quia indiuiduum secundùm Gandauen. nihil dicit pręter naturam specificam, nisi duplicem negationem: ista autem doctrina falsa est, vt subtiliter refutat eam Doctor. in 2. distin. 3. ergo & ædificium in tali fundamento constructum est nullum.

Deinde contra hoc, & contra alia dicta sua sic arguo. Idæę requiruntur in mente Diuina, tanquam ratio cognoscendi creaturam, ita quòd nulla creatura cognoscitur nisi per idęam, in hoc dicto conuenit Henr. cum Thomistis; ergo illa Deus non cognoscit, quorum non habet idæas. Ratio est. Quia non habet eorum rōnes

cognoscendi; ergo omnia indiuidua, omnes formas artificiales, omnia genera & differentias, quatenus talia sunt, Deus distinctè non cognoscet; quod est falsum & impossibile.

Dices. Cognoscet Deus indiuidua per species, & figuras artificiales per materiam.

Deus quō intelligat indiuidua.

Istud dictum, præterquam quòd ponit imperfectum modum intelligendi in Deo, quia non posset aliquid immediatè intelligere, sed mediante creatura: falsum est ex hoc capite: quia vt materia non continet figuras, nisi potentialiter, ita species non continet indiuidua, nisi potentialiter & permissiuè, quatenus potest contrahi ad illa. Quare si Deus intelligit figuras per materiam, & indiuidua per speciem, intelligit illo modo quo continentur in ipsis; continentur autem tantùm potentialiter: ergo Deus intelliget potentialiter, siue poterit intelligere, & non intelliget actu, quæ sunt plusquam absurda.

Distinctæ idæę oīum sunt ī Deo.

Tertia Conclusio. Omnium distinctè cognitorum, habet Deus distinctas idæas. Ita docet in Report. Doctor Subt. in 1. dist. 36. q. 3. Ratio est. Creatura in esse cognito est idæa, vt patet ex dubit. præcedenti; Cùm ergo Deus, omnia possibilia cognoscat, patet, quòd omnium positiuorum existentium, & possibilium habet idæas distinctas, vt res cognitæ sunt distinctæ. Dico positiuorum; quia negationes & priuationes, cùm non sint entia, quæ possent produci in esse reali positiuo, non concipiuntur in esse obiectiuo, & propterea non est illorum idæa.

Illi tamen, qui dicerent Essentiam Diuinam, secundùm se, esse idæam rerum omnium; consequenter dicere deberent, vnam esse idæam rerum omnium, ipsam Essentiam Dei illimitatam.

Secundū uersitate opinionū diuersè dicendū idæis.

Qui autem relationes rationis ponunt idæas, scilicet relationes imitabilitatis in Essentia Diuina, dicerent consequenter omnium rerum quæ possunt imitari Essentiā Diuinam, & possunt existere, esse ibi distinctas relationes. Atque ita omnium entium esse distinctas idæas. Et cùm entia sint infinita, idæę erunt infinitæ, tam in nostra sententia, quam affirmamus, esse cognitum creaturæ dici idęam, quàm in eorum opinione, qui ponunt relationes rationis esse idæas; cùm enim relationes multiplicentur ad multiplicationem terminorum, & termini sint infiniti, sequitur, quòd tales idæę erunt infinitæ.

Bassol. notatur.

Aduerte obiter. Quòd dum Bassol. impugnat Doctorē quoad quædam in Report. vt quòd siue idæa accipiatur pro principio cognoscendi, siue pro principio faciendi: nō bene impugnat. Illa enim dicuntur secundùm Opiniones priùs à Doctore recitatas.

Multa alia hìc dici possent, sed hæc ad intelligendum textum sufficiant.

Ad Primum principale. Respondet Primò Magister senten. dist. sequ. Quòd malum culpæ non cognoscit Deus cognitione acceptante. Respondet Secundò S. August. 9. de Trinit. c. 4. Priuationes cognoscuntur per habitus; & malum nihil est.

Ad Secundum. Concessa Maiori; nego Minorem. Est. n. infinitum possibile: & esto, quòd in actuali existentia esset impossibile; adhuc tamen in potentia non est impossibile; & hoc sufficeret in præsenti.

DISTINCTIO XXXVI.

QVÆSTIO VNICA.

Vtrum creatura, inquantum est fundamentum relationis ęternæ, ad Deum vt cognoscentem, habeat verum esse essentiæ, ex hoc, quia est sub tali respectu.

Quòd sic. Homo non est ex se ens ratum, &c.

SVMMA QVÆSTIONIS.

In priori Articulo, affirmatiua Opinio reijcitur. In secundo, vera Opinio negatiua declaratur. Tandem argumenta tum principalia, tum pro Opinione Primo Articulo posita, soluuntur.

ARTICVLVS I.

Opinio affirmatiua refellitur.

Hic quidam dicunt, quòd sic. Pro hac opinione, &c.

SVMMA TEXTVS.

Hēr. opinio

Henricus Gandau. quodl. 11. q. 3. huius fuit Opinionis. Tuetur hanc sententiam: quòd creaturæ ab æterno habuerunt verū & reale esse essentiæ, habent verò istæ essentiæ, esse ratum & reale per respectū, iuxta superiùs dicta: & sic essentia, distinguitur realiter, secundùm ipsum, ab existentia. Priorem partem Conclusionis, & vltimā, de distinctione essentiæ ab existentia, acceptant Thomistæ: vt videre licet in Thoma Anglico, Capreol. & Syluestro, in 1. dist. præs. Quoad respectus illius, non tenent & illi communiter.

Thomist. sententia.

Priorem partem dicti, impugnat Subtilis Doctor satis efficacibus & euidentibus rationibus vndecim: quæ quia improbant distinctionem essentiæ ab existentia, non curaui alijs rationibus impugnare. Vberioris tamen doctrinæ gratia.

Dubitatur.

Vtrum essentia distinguatur realiter ab existētia.



Idetur quòd sic. Primò. Id quod conuenit naturæ specificæ, absque omni causa effectiua, distinguitur realiter ab eo, quod illi conuenit per causam effectiuam; sed prædicata quidditatiua cōueniūt rei, absq; omni causa effectiua, existentia aūt nō cōueniūt rei, nisi ꝑ aliquod efficiēs: ergo prædicata quidditatiua, & existentia rei, distinguuntur realiter. Maior est per se nota. Minor etiam est clarissima.

Secūdò. Esētia est indifferēs ad esse & nō esse: q̄a aliq̄n est, aliq̄n nō est: ergo distinguit᷑ ab esse. Cōsequētia. Illud ꝙ successiuè subijcit᷑ oppositis, distinguitur à quolibet eorū: & per hanc rationem probat Philosophus tex. 60. materiam esse distinctam realiter à forma & priuatione.

Tertiò. Omne eē per se subsistēs, est infinitum: sed nulla creatura est infinita; ergo nulla creatura habet esse per se subsistēs; sed illud esse, ꝙ nō est per se subsistens, est in alio receptiuo, receptiuū aūt à recipiente distinguitur realiter: ergo esse creaturę distinguit᷑ realiter ab eo ī quo recipit᷑: sed recipit᷑ in esētia rei; ergo esse seu exiſtētia, distīguit᷑ realiter ab esētia rei. Maior huius argumēti probatur. Sicut albedo, si esset per se subsistens, includeret omnē perfectionem possibilem competere albedini, & esset infinita in tali natura; sic dicendum est de substantia, & existentia substantiali, quòd si esset in se & per se subsistens, includeret perfectionem cuiuscunque esse: & sic esset infinita.

Quartò. Omnis creatura est composita realiter ex actu & potentia: igitur actus & potentia distinguuntur realiter in creatura; sed essentia est potentia respectu existentiæ, existentia autem est actus essentiæ; ergo, &c.

Confirmatur. Creatura vt in esse possibili, non est purū nihil, sed est realis modus entis, vt autem recipit existentiā ab agente, includit actum: sed actus realis, & potentia realis, sunt duæ res realiter distinctæ: ergo, &c.

Quintò. Nulla res participat esētiā suā, sed habet eam quātū haberi pōt: hō. n. habet perfectissimā humanitatē, nec possibile est, ꝙ humanitas sit magis ī vno, q̄ in alio: sed quælibet creatura, participat existentiam, cùm non habeat illam perfectissimo modo: ergo esentia & existentia non sunt idem.

Sextò. Nulla res est ī potētia ad seipsā, alioq̄n esset prior & posterior seipsa: sed q̄libet esentia præter Diuinā, est in potentia ad existentiam; ergo distinguitur ab existentia.

Septimò. Nulla res potest intelligi, sub opposito illi cui

est

est idem realiter; non enim potest intelligi, quòd homo nõ sit realiter rationalis; sed essentia potest intelligi sub opposito existẽtiæ, intelligo.n.essentiã rosę nõ existere: ergo, &c.

Octauò. Probatur authoritate Aristot. 2. Poster. tex. 2. vbi docet, quod quid est hominis, non esse idem, quòd hominem esse; ergo existentia hominis alia est ab eius essentia.

Nonò. Quando aliquid conuenit alicui, & non est de cõceptu intrinseco eius, aut quidditatiuo, prouenit ab extrinseco, & facit aliquam compositionem cum re cui copulatur; sed esse, non est de conceptu quidditatiuo essentiæ creatæ; ergo prouenit ab extrinseco, & facit compositionem cum essentia: ergo plusquam ratione distinguitur esse ab essentia.

Decimò. Essentia habet intrinsecam & æternam connexionem cum supposito; existentia verò habet connexionem contingentem, & pendentem à libera Dei voluntate: ergo sunt duæ res distinctæ. Patet Antecedens. Quia hæc est perpetuæ veritatis: Petrus est homo: Homo est animal rationale; ista verò est contingens, Homo est.

Vndecimò. Si esse & essentia sunt idem in creaturis, sequitur, quòd esse Angeli est per se subsistens. Patet sequela. Quia ipsa subsistentia Angeli, est per se subsistẽs, & est abstracta: ergo esse Angeli, quod identificatur cum essentia, non esset ab aliquo participatum, & haberet omnem perfectionem essendi, quod solum est proprium Diuini esse. Et hic discursus manifestatur à simili. Si esset albedo suapte natura abstracta, & independens à subiecto, profectò haberet omnem perfectionem possibilem albedinis, quià non haberet vnde limitaretur: ergo esse per se subsistens, debet habere omnem perfectionem essendi possibilem: ergo intentum.

Duodecimò. Ab æterno fuit verum, quòd homo est animal rationale, veritate intrinseca: sed existentia cępit ex tempore: ergo non est eadem realitas cum essentia. Quapropter essentia per se formaliter conuenit creaturis, existentia verò per accidens & per aliud: vnde hæc est vera, Equus est animal hinnibile, non existente equo: hæc autem est falsa, Equus est, Equus existet; ergo non sunt eadem realitas, essentia & existentia.

Nota Primò. Varias esse in huius quæstionis decisione sententias Philosophorum. Quidam enim existentiam putant distingui realiter ab essentia. Cuius Opinionis est D. Thomas 2. Contra gen. cap. 52. Caiet. de ente & essen. q. 11. Soncin. 4. Metaph. q. 12. Capreol. in 1. dist. 8. q. 1. art. 1. existentiam substantiæ non esse substantiam, neque esse in prædicamento substantiæ dicit Ban. 1. part. q. 3. artic. 4. dubit. 2. Zumel ibid. disp. 1. concl. 2. Ferrar. 1. Con. gen. cap. 52. Ægid. in 1. dist. 8. q. 2. Alij ponunt tantùm distinctionem rationis, vt Nominales, & non pauci recentiores, vt Gabr. in 3. dist. 6. q. 2. Durand. in 1. dist. 8. q. 2. Heru. quodl. 7. q. 8. Valent. 1. part. q. 3. pun. 4. Molina; licèt hic indifferẽter vtatur distinctione formali & reali; & pro sententia D. Thomæ citet Doctorem Subtilem, Aureol. dist. 8. priori parte art. 3. Dicit etiam loco citato, sententiam Doctoris nostri probabiliter posse sustineri; quam defendit ex Thomistis Sotus 2. Phys. quæst. 2. Alij docent essentiam existentię esse eandem realiter, sed distingui ab illa distinctione ex natura rei, seu modaliter. Et hæc est opinio communis Scotistarum.

Nota Secundò. Quando dicitur: Vtrum existentia distincta sit res ab essentia; nomẽ rei sumitur vtrobique pro vera re & propria, quæ non est nisi actualis res. Nam essẽtiæ in esse potentiali obiectiuo, non sunt res veræ sed diminutæ, scilicet quòd sint tantùm possibiles, & terminent cognitionem, non quòd aliquam actualitatem habeant præcisa existẽtia; nam Philosophus 9. Metaph. tex. 11. non aliud dicit esse actualitatem entis, quàm existentiam eius; vnde illud ens quod est existens, est verè realiter ens; quod est in potentia, non est verè realiter ens, sed habet tantùm rationem obiectiuam intelligibilem.

Conclusio Prima. Existentia non distinguitur ab essentia realiter. Probatur Primò. In realiter distinctis, potest per Dei potentiam esse prius sine posteriori, cùm prius nõ dependeat ad posterius; sed essentia per nullam potentiam potest separari ab existentia: quia separatio est actio, omnis autem actio terminatur ad existens; ergo, &c.

Respondet Caietanus ad argumentum. Negando illius Maiorem, & Minorem: & adducit instantiam de humanitate Christi Domini, vbi docet existentiam creatam esse separatam ab humanitate.

Caiet. refellitur.

Sed contra Primò. Quia nulla instantia contra Maiorem, potest adferri in creatis, nisi ex falsis suppositionibus.

Secundò. Falsum est humanitatem Christi esse absque propria existentia, vt multis docet Doctor Subt. in 3. dist. 6. verè enim humanitas Christi, vt distincta realiter à subsistentia Verbi, est ens in actu, non in potentia; ergo est ens existens, cùm non aliud sit rem existere, quàm esse actu, vt aliàs secundùm Philosophum dictum est: verè igitur humanitas Christi habet propriam in Verbo existẽtiam; sed non habet propriam subsistentiã, quæ subsistentia est modus realis substantialis existentiæ, vt aliàs dixi, realiter ab existentia substantiali distinctus.

Existentiã habet humanitas Christi.

Probatur Secundò. Quod manet alio non manente, verè habet suam existentiam; quia esse actu, est habere suam existentiã; sed per te essentia vel natura, põt esse absq; existentia; ergo essentia absque existentia habet existentiam, quod est contradictio.

Respondet Capreol. Negando Maiorem: essentia.n. põt esse extra nihil, etiamsi nõ habeat existentiã. Quod sic intelligit. Essentia est extra nihil, per existentiã; prout ly nihil opponitur illi enti, quod actu existit: sed tñ cũ hoc stat, ꝙ essentia seipsa est extra nihil, prout nihil opponitur enti, quod dicit essentiam alicuius prædicati.

Contra Primò. Vel essentia absque existentia, est in actu vel in potentia; si in actu; ergo existit, vt optimè probat argumentum; si in potentia obiectiua; ergo non est res; illud enim quod potest esse res, non est res.

Dices. Non est res actualis, sed potentialis.

Capreolus impugnatur.

Sed cõtra. Hoc ipsum additum, res potentialis, destruit rõnem rei; quia realitas propriè conuenit realitati existẽti, possibili aũt conuenit in potẽtia, quatenus põt esse res vera: atque ita essentia in esse possibili, nõ est vera res aut realitas: illud igitur esse possibile, est merum nihil reale, sed est aliquid potentiale, non includens contradictionẽ (vt includit impossibile) ad existentiam veram realem: verùm istud esse possibile obiectiuum, nec nos negamus, sed in tali esse essentias verè esse res, simpliciter negandum est.

Contra Secundò. Essentiæ rerum, præcisę à singularitate & ab existentia, sm̃ quod ponuntur in prædicamento, sunt secundùm Thomistas per operationem intellectus cõmunes & vniuersales, vt docet Caietan. de ente & essen. q. 7. ergo essentiæ, vt ponuntur in prædicamento, non sunt reales, atque ita non distinguentur realiter.

Contra Tertiò. Dum communiter Thomistæ dicunt rẽ posse esse actu absque existentia, vt humanitas in Verbo, intrinsecè inuoluunt cõtradictionem; quia quod est extra causas, sm̃ suam essentiam, est in actu secundùm suam existentiam; cùm hoc sit esse rem existentem, esse actu, nõ ita sicut in potentia, vt dicit Philosophus 9. Metaph. ergo malè dicitur à Capreolo, quòd essentia præter existentiam, est extra nihil, eo modo, quo dicitur creatura esse extra nihil, quando actu est in rerum natura.

Respõdẽt alij. Essẽtiã esse actu actualitate essẽtiæ, ñ existentię. Cõtra Primò. Frustra igitur ponitur actualitas existẽtię, cùm possit actu esse absq; illa actualitate existentiæ.

Secundò. Illa actualitas essentiæ, est formaliter existentia; quia illud est formaliter existentia, quo formaliter res est in actu, opposito mõ potẽtię obiectiuæ: sed illa actualitas essentiæ, facit rem in actu, non sicut in potentia: ergo illa actualitas est formaliter existentia.

Dices. Habet existentiam essentiæ, sed non habet existentiam existentiæ.

Responsiones Variæ impugnantur.

Contra. Quorsum ista existentiarum superfluitas introducitur, cùm vna sit cuiuscunque existentia? Deinde, si existentiæ est existentia, illius tertiæ existentiæ vel est existentia, vel non? si est; processus erit in infinitum; si non; neque illius secundæ erit tertia, neque primæ existentiæ essentiali alia superaddetur.

Probatur Tertiò. Esse essentiæ particularis, vt distinguitur ab existentia realiter, vel est creatum quid

à Deo, vel increatum. Si sm̄; est Deus: si primum: ergo est actu existens, quia creatio cùm sit actio, terminatur ad rem existentem.

Probatur Quartò rationibus suprapositis, quibus ostēsum est, quòd res quæ sunt in obiectiua potentia, non habent verum esse essentiæ reale, licet habeant diminutum & intelligibile: illæ enim rationes, istam omnino etiam improbant sententiam, in qua supponitur essentias in esse essentiali, esse essentias veras reales improductas.

Forte argum. ex principijs aduersariorum.

Quintò. Non postrema ratio apud aduersarios, cur ab essentia distingui debeat existentia, est illa: quòd essentia est indifferens ad esse & non ad esse; ergo vbi erit similis ratio indifferentiæ ad esse & non ad esse, ibi erit distinctio realis; sed existentia possibilis est indifferens ad esse actuale & non ad esse: ergo existentia possibilis distinguetur ab actuali; sed illa eadem numero fuit in potentia, quæ nunc est actu; ergo, &c.

Sextò. Modus non distinguitur realiter à sua quidditate; sed existētia est modus talis entis: ergo non distinguitur realiter à quidditate. Vtraque præmissarum patet ex aliàs dictis.

Septimò. Si existentia ab essentia distinguitur realiter, sequitur quòd in quolibet ente actualiter existenti, sunt essentiæ infinitæ: Consequens est falsum: ergo & Antecedens. Sequela Maioris ostenditur. Quia si ex essentia & existentia fit vnum compositum per se, resultabit tertia entitas, distincta realiter à principijs constituentibus: & tunc quæro: vel illa essentia sua existentia distinguitur realiter, vel non? si realiter; ergo resultat tertia, & sic procedam in infinitum: si non, ergo idem dicendum erat de primo.

Confirmatur. Vbi vnum est vt actus, & alterum vt potentia, ibi est compositio per se, ex qua resultat compositum: nec enim ob aliam causam materia cum forma faciunt vnum per se, quàm quòd hæc sit actus, & illa potentia: sed essentia est potentia, existentia est actus illius: ergo ex vnione essentiæ cum existentia, resultat tertia entitas, alia ab essentia & existentia, &c. Et sanè non est maior ratio, cur ex materia & forma resultat vna entitas tertia distincta ab illis, ex essentia autem & existentia non debeat resultare.

Caiet. nititur soluere.

Ad hoc argumentum respondet Caietan. Negando sequelam Maioris. Dicit enim, quòd res habens partes, tunc est vna, (si ad compositionem realem referatur) quando altera pars est pura potentia, ex duobus enim actibus non fit per se vnum; sed rei essentia & existentia, non se habent sicut pura potentia & actus: nec etiam sunt partes; quia partes, alicuius totius sunt partes, quod hic non est; secus totum est in coniunctione formæ cum materia, vbi & materia est pura potentia, & quodcunque est pars respectu totius.

Impugnatur Caiet.

Sed hęc Caietani responsio, nullo modo vel apparenter soluit difficultatem. Tum quia essentia absq; existētia, vel est in potentia obiectiua, vel in actu: si secundum; ergo essentia absque existentia existit, quod non est intelligibile, cū impossibile sit, dari effectū formalem sine forma: actu autē esse illud, quod poterat esse, est formalis effectus existentiæ. Si primum; ergo est pura potentia, vt pura potētia distinguitur contra actū essendi sibi oppositum; sicut igitur in materia & forma valet, ita in essentia & existentia currit argumentum. Tum quia falsò conceditur in rñsione, q; essentia vt distincta ab existentia, sit actus; cū actualitas distincta contra obiectiuam potentiam, soli formaliter existentiæ conueniat. Tum quia malè dicitur, quòd materia sit pura potentia, si intelligatur dictum (vt intelligi debet, per comparationem ad essentiam) de potentia obiectiua. Tum quia falsum est, quòd essentia & existētia distincta realiter, alicui vni conuenientia, non sint partes illius. Accipio enim Angelum, qui secundùm ipsum, cæterosque Thomistas, & secundùm ipsum D. Thomam 2. con. gen. cap. 2. componitur realiter ex actu & potentia, ex esse & essentia: si igitur Angelus est compositus: ergo est ibi & compositum & componentia, neque enim intelligi potest compositio, sine composito & partibus componentibus, ergo ibi est & totum compositum, & partes componentes, videlicet essentia Angeli & existentia, cui contrarium asseritur à Caietano.

Materia nō est pura potentia.

Octauò Probatur. Existentia totius substantiæ completæ, est vna secundū Thomistas, quæ primò & immediatè est à forma, & ijdem docent, quòd existentia substantiæ, reuocanda sit ad substantiam, accidentis ad accidens. Tūc sic argumentor. In composito substantiali, non est nisi vna forma substantialis, sm̄ Thomistas; quod. n. aduenit post completam substantiam est necessariò accidens, sm̄ illos: sed existentia substantialis, aduenit substantiæ completæ: ergo existentia substantialis non est actus substantialis, q̄a quod aduenit enti in actu, est accidens: ergo falsò dicitur, quòd sit substantia reductiuè.

Solutio Capreol.

Respondet Capreol. in 1. dist. 8. q. 1. artic. 2. Existentia substantialis est accidens, non entitatiuè, sed denominatiuè: id est, est accidens, quia nō est de ratione quidditatiua substantiæ, nec pars illius essentialis: non tamen est accidens formaliter, id est forma accidentalis.

Impugnatur.

Contra. Ergo falsum est hoc illorum fundamentum: Quicquid aduenit enti in actu, est accidens formaliter, cui innititur tota quæstio illa, de neganda pluralitate formarum substantialium (loquor de formis partialibus) in eodem composito.

Nonò Probatur. Homo in potentia, non componitur cum homine in actu: ergo essentia & existentia non componunt, atque adeo non distinguentur realiter. Antecedēs patet. Quia homo in potentia, diminuit rationem hominis, quia homo actu, est homo simpliciter, homo autem in potentia, est homo secundùm quid. Consequentia habetur ex concessis illorum, qui docent essentiam esse in potentia, existentiam autem est actualitas eius.

Caiet. respon.

Respondet Caietanus. Negando consequentiam. Non enim idem est (inquit) dicere, homo in potentia, componitur cum homine in actu: &, essentia componitur cum existentia: Prima enim est falsa propterea, quòd idem non potest componere cum seipso: secunda autem est vera, quia extrema realiter distinguuntur.

Impugnatur.

Contra Primò. Homo in potentia, dicit realiter essentiam hominis absque existentia: homo autem in actu, dicit essentiam hominis existentem; sed per te essentia hominis possibilis, & essentia hominis existentis, non distinguuntur realiter, ergo neque essentia vt sic, & existentia, distinguentur realiter: vt enim se habet essentia possibilis ad essentiam in actu, seu existentem, ita se habet essentia in esse possibili, ad existentiam: quia essentia existēs, est formaliter existens per existentiam: atque ita non distinguitur ab essentia existenti, neque ab existentia.

Contra Secundò. Esse essentiæ, & esse existentiæ, habent se vt potentia & actus, cum ista sint quasi Synonima explicatiua illorum: sed homo in potentia & in actu, est idem realiter: ergo esse essentiæ & esse existentiæ, erunt idem realiter.

Tertiò. Illa ratio, cur homo in potentia & in actu sit idem realiter, ex eo quòd nihil componat cum seipso, vel nulla est, si esse potentiale & esse actuale semper sint distincta: vel si aliqua est, debet valere in altero, quòd potentialitas essentiæ, & actualitas illius, sint idem realiter: vt enim se habet esse potentiale & actuale hominis ad hominem, ita se habet esse potentiale & actuale essentiæ ad essentiam.

Decimò Probatur. Manente eadem causa, manet idē effectus, & si est eadem ratio, debet idem poni: sed omnes rationes quibus probatur existentiam differre realiter ab essentia, probant etiam quòd existentia differat ab existentia realiter. Patet: Tum quia etiam existentia habet sua prædicata quidditatiua: vt quòd sit actus, quòd modus, &c. Tum quia existentia est indifferens ad existere & non existere. Tum quia existentia est in esse possibili: Tum quia participat suum esse: Tum quia potest existentia possibilis intelligi sine actuali: Tum quia quod quid est existentiæ, seu definitio, non est idem cum existentia, vt cùm definito. Nec video quomodo huic argumento aduersarij respondere possint.

Vndecimò Probat. Nulla pfectio ponit suū pfectibile, vel

vel susceptibile in rerum natura, nulla nãq; perfectio dat suo cōceptibili, ꝙ possit subijci & perfici, sed supponēdũ ꝙ possit subijci & perfici, vt illud perficiat actu, quod patet in oībus inductiuè, ēt in materia prima, vt ostensum est in Physica, licèt falsò aliud quidã sentiant: at essentia est perfectibilis & susceptiua perfectionis, seu existentiæ, secundũ D. Thomam; ergo essentia supponitur esse prior in rerum natura quàm existat; quod non est intelligibile.

Vltimò. Vt se habet potētia ad essentiam in esse possibili, ita se habet existētia ad eandē in esse actuali; sed potētia non distinguitur realiter ab essentia; ergo neq; existentia.

Secunda Concl. Existentia non distinguitur ab essentia sola rõne. Hanc Cōcl. Primò probant argumēta in principio posita, si quid concludunt, non verò illud quod intēdunt. Præcipuè autem argumentum Primum ibi positũ, & Octauum ex authoritate Aristotelis deductum.

Probatur Secundò. Modus entis realis, conueniens illi, præciso omni opere intellectus, distinguitur ante oēm operationem intellectus; sed existentia est modus entis realis, absq. consideratione intellectus illi conueniens in re: ergo existentia distinguitur ante oēm operationem intellectus.

Tertiò. Illa quorum descriptiones vel definitiones distinctæ sunt, distinguuntur plus quam ratione; sed essentiæ E.g. hominis, & existentię, sunt distinctę definitiones; essētia enim hominis est animal rationale, existentia est actus essentiæ talis, quo formaliter ipsa est in rerum natura extra suas causas; ergo &c.

Dices. Hæc Conclusio est expressè contra Doct. Subt. in 3. dist. 6. q. 1. vbi dicit. *Certum est de esse essentiæ, quòd tantùm differat ab essentia in modo concipiendi*; sed quæ differũt tantùm in modo concipiendi, illa differunt tantùm ratione; ergo esse quod significat existentiam, apud antiquiores, differt tantùm ratione ab essentia.

Respōdeo. Esse sumitur dupliciter: vno modo, vt significat ipsam essentiam in concreto: alio modo, vt significat actualitatem essentiæ, quæ est modus eius. Esse priori modo sumptum, distinguitur tantùm in modo concipiendi ab essentia, vt concretũ ab abstracto distingui solet; vt verò esse significat existentiam seu modum, actualitatem dãtem essentiæ, sic esse, id est existentia, distinguitur non tantùm in modo concipiendi, sed aliquomodo in re ab essētia. Et hæc distinctio haberi potest ex Doct. Subt. ibidem. Docet enim tot esse esse essentiarum, quot sunt essentiæ; sed de esse existentiæ dubitant quidam, contra quos ibi Doctor Subtilis argumentatur.

Tertia Conclusio. Existentia distinguitur ab essentia, distinctione formali, seu ex natura rei. Hæc Conclusio patet ex dictis. Primò. Vel.n. distinguitur distinctione reali, vel rationis, vel distinctione media, quam vocamus formalem: non primo modo; neque secundo, vt ostensum est: ergo tertio.

Secundò, Illa distinguuntur formaliter, quæ habēt distinctas rationes formales obiectiuas; sed alia est ratio essentiæ, alia existentiæ: ergo &c.

Tertiò. Quia distinctis definitionibus definiuntur, vel descriptionibus describuntur.

Quartò. Quia multæ proprietates conueniunt essentiæ, quæ non conueniunt existentiæ.

Hæc Conclusio non modò est communis Scotistarum, sed etiam est multorum Neotericorum. Nec ab illa discrepat Zoar. disp. 31. sect. 6. num. 13. Illa enim distinctio rõnis ratiocinatæ, quæ ab illo vocatur distinctio rationis cũ fundamento in re, vocatur à nobis ex natura rei, quia in ipsa re est ratio distinctionis.

Vnde idem Zoar. ibid. num. 9 malè intelligit Scotistarũ positionem, de modali distinctione, seu ex natura rei. Neque sequitur illud quod ipse infert, easdem pati difficultates Scotistarum sententiam, quas sustinet Thomistarum. Hic autem intellectus malus, ex eo prouenit, quia Zoar. distinctionem modorum sumit communiter, vt figura dicitur modus quantitatis, inhærentia, vel subsistentia actualis, dicitur modus accidentis vel substantiæ, quæ distinctio secundùm Scotistas est simpliciter realis, cùm possit vnum esse sine alio: at Scotistis distinctio modalis, seu ex natura rei, est illa, quando duo vnum sunt realiter, in illa tñ re vna realiter, est ex parte rei conceptibile hoc sine illo; & ista conceptibilitas diuersorum in vna re, quia conuenit rei ante operationem intellectus, dicitur esse distinctio nō rationis; se ex natura rei, quia ex natura rei hoc est cōceptibile in ista re, sine illo. Cùm igitur ex natura rei sit existentia conceptibilis sine essentia, & essentia sine existentia, ex natura rei ibi erit distinctio.

Notæ

Et nota hoc dictum diligenter de distinctione ex natura rei. Multi siqdē illius positionē nō intelligētes, multa falsò adscribunt Scoticæ doctrinæ, præsertim ex recentioribus.

Existētia distīguitur formaliter ab essentia.

Conclusum igitur sit. Quòd existentia seu actualitas rei, tam ab essentia vt existit, quàm vt est in esse obiectiuo, distinguitur non realiter, sed formaliter. Dico ab essentia vt existit: non sic intelligendo, ꝙ ab essentia actu in rerũ natura posita, solùm existētia distinguatur formaliter vt Zoar. numer. 9. Scotistis imponit; sed sic, ꝙ siue essentia in esse obiectiuo comparetur ad existētiam in esse obiectiuo, siue essentia in esse actuali cōparet̃ ad existentiã actualem, per quã essentia formaliter est in esse actuali, sēp, & hoc & illo modo sumpta existētia, distinguitur formaliter ab essētia; cùm ratio formalis vtriusque sit ab inuicem distincta.

Ad argumenta principalia antequam rñdeã. Suppono Primò, ꝙ ferè omnia Thomistarum argumenta, non probant, sed supponunt in aliqua præmissarum essentiam seclusa existentia, esse realem actualiter, vt infra ostendam.

Essentiã esse in potentia dupliciter pōt intelligi.

Suppono Secundò. Essentiam esse in potētia, dupliciter potest intelligi; vel subiectiua, vel obiectiua. Esse in potētia obiectiua est, esse obiectum potentiæ tam actiuæ, quã intellectiuæ terminum, & in re esse nihil; potentia aũt subiectiua, vt distinguitur ab obiectiua, supponit actualitatē entitatiuam subijcibilis, respectu illius, cui est aptũ subijci.

His suppositis respondeo ad Argumenta per ordinem.

Essentię nō sunt reales ante existētiam.

Ad Primum. Id quod cōuenit naturæ alicui reali in esse reali, absq; oī causa, effectiua, distinguitur realiter ab illo, qđ illi conuenit per causam effectiuam: vera est Maior: vt similitudo pōt haberi in Verbo Diuino, vnito naturæ humanæ: sed illa Minor quæ sequitur, ꝙ prædicata quidditatiua conueniunt essentiæ reali in esse reali, absq; omni causa effectiua; falsa est, imò inuoluit contradictionem, quia implicat essentiam quamcũq; habere verũ esse reale, absq; omni causa effectiua. Quodsi Maior illa accipiatur de esse obiectiuo, sic: Id quod cōuenit alicui naturæ in esse obiectiuo acceptæ, absque omni causa effectiua, realiter distinguitur ab illo, quod illi naturæ conuenit per causam effectiuam: falsa est Maior, quam Caietanus dicit per se esse notam. Hoc argumentum, in Maiori supponit, essentiã esse rem veram realiter distinctam, si vult progredi, nam aliàs est, (vt dixi) falsa.

Ad Secundũ. Rñ. similiter: si illud indifferens, habet verã & propriam realitatē, distinguitur realiter ab illo; quodsi non sit potentia subiectiua, sed tantùm obiectiua, vt est essentia absque existentia: falsa est Maior. Nec illa instantia Caietani, de materia, quæ est pura potentia, aliquid valet. Quia veri Philosophi dicunt materiam esse verè potētiam subiectiuam, non obiectiuam, habentem suam distinctam existentiam ab existentia formæ.

Hinc ēt patet rñsio ad probationem consequentiæ: quæ vel supponit verè esse potētiã subiectiuã essētiã; & sic negat̃ essētiam successiuè esse sub oppositis: vel de potentia intelligitur obiectiua; & sic concedo, sed nihil cōcludit: quia illud idem realiter, quod erat in potentia obiectiua est postea actu: nec vt est in potētia obiectiua, distinguitur realiter ab actu, quia ante existentiam non fuit res realiter, sed fuit nihil realiter, & aliquid possibile.

Ad Tertium. Vel Maior illius argumenti intelligitur de illo subsistenti, quod subsistit ex se & à se, quomodo subsistit solus Deus; & sic est vera; sed nihil ad propositum, vel intelligitur de subsistenti, quod subsistit ex se, sed ab alio effectiuè; & sic omnes creatæ substantiæ subsistunt; sed Maior erit falsa.

Et quia illa Maior sumitur vniuersaliter, cum signo proposito: absolutè est neganda, vt falsissima. Similiter & eius probatio ridiculosa; cùm docet Caietanus, Zumel, & Soncin. vbi supra, quòd si albedo pura poneretur, non recepta in subiecto, illa deberet esse infinita in specie albedinis,

vt de se clarum est: non enim potest à sano intellectu (dicit Caietanus) imaginari albedo separata, definita ad aliquem modum albedinis. Verùm ridiculum est id asserere, quod & rationi & imaginationi repugnat. Imaginationi quidem: quia non est imaginabile, quomodo albedo triū graduū separata, possit habere infinitos gradus: vel enim illi euadunt infiniti: & hoc non est imaginabile; vel alij adduntur, & de nouo creantur à Deo; & sic non illa albedo separata erit infinita, sed de nouo creata. Deinde: non video, quæ sit tanta dependentia & necessitas, vt hi creari debeant. Rationi autem: quia omnis forma intrinsecè finita in sua entitate, separata à quouis extrinseco, suam finitatem retinet; sed albedo vt 3. vel vt 8. est entitatiuè ratione ipsius albedinis finita; ergo etiam à subiecto separata, est finita. Deinde, illi alij gradus producerenturne successiuè vel instantaneè? Neutro modo; quia intensio est secundùm radicationem formę in subiecto apud illos; & ibi subiectum non est: Præterea à quo? Non ab illis tribus gradibus, vel octo: quia actio creata est in subiecto; adhæc à proportione minoris inæqualitatis non datur actio. Verùm has imaginationes Caietani, non admodum subtiles, relinquamus.

Intensibile Accidens separatum a subiecto non euadit infinitum.

Ad Quartum. Distinguo Antecedens; vel intelligitur quod illa compositio sit ex actu & potētia, tanquam ex duobus entibus realibus positiuis, vt videtur supponere argumentum: & sic falsum est; vel intelligitur de cōpositione, qualis est ex habitu & priuatione: & sic concedo; sed nihil est ad propositum, quia inde creatura dicitur composita esse ex actu & potentia, quòd ipsius entitas sit finita; ac proinde, possit habere, & recipere aliam perfectionem; & dicitur habere potentiam ad illam, vt aliàs diximus: talis autem potentia fundatur in ipsa entitate creaturæ; imò identificatur realiter ipsi creaturæ, quia est ipsamet entitas creaturæ, apta perfici: ac proinde, si hoc secundo modo sumatur illa propositio de compositione ex actu & potentia, cōcludet oppositum, non intentum. Ad probationem. Creatura in esse possibili, non plùs habet de actualitate essentię quā Chymera: in hoc tamen ab illa distinguitur, quòd creatura potest esse ens actu, Chymera autem non potest esse ens actu: & iste modus essendi in potentia obiectiua, non est realis realitate subiectiua, sed realis realitate obiectiua, quæ est realitas secundùm quid, scilicet realitas non vera & propria, sed possibilis.

Ad Quintum. Vel est sermo de essentia in potentia obiectiua: & concedi pōt: sed illa nō est realis, vt sępius dixi; vel de essentia in actu; & sic falsa est illa propositio Maior: quia omnis essentia creata, est essentia per participationē; cum tota & intrinsecè participet illud esse idæale Diuinū: verùm sic etiam dici potest de existentia, quòd illa participet totum esse idæale, quod est de tali existentia in mente Diuina obiectiuè.

Ad Confirmationem. Dico. Sicut huius hominis essentia, non est magis essentia, quàm illius; sic existentia huius, non est magis existentia quàm illius.

Dices. Magis homini conuenit essentia, quia necessariò, quàm existentia, quia contingenter.

Respondeo. Si loquamur de homine in esse reali vero, vt impossibile est hominem esse ens verum reale, absque essentia, ita impossibile est esse ens verum absque existentia actuali, cùm implicet esse aliquid verè reale, & nō existere; si autem de essentia in esse obiectiuo sit sermo: sic comparatio non tenet: quia eidem rei formaliter conceptæ, potest aliquid conuenire, & non conuenire, vt est effectiuè ab alio, vt dixi; hinc tamen non sequitur, quòd ista essentia in esse possibili, sit distincta, vel à seipsa in actu, vel ab actu, cùm essentia in actu, sit ipsamet vera realis essentia extra causas, quod esse extra causas, nō ponit aliquam realitatem in essentia, quia nec possibile est receptiuum, cùm sit quid possibile & non actu: nec esse extra causam, est aliqua res, illud possibile realiter afficiens, & dans illi actuale esse, sicut dat materiæ forma esse actuale specificum, vt malè imaginantur aduersarij.

Ad Sextum. Nulla essentia realis actu existens, est in potentia ad seipsam: concedo: sed nulla essentia in esse obiectiuo, est in potentia ad seipsam in actu, seu vt actu possit existere: nego; imò omne ens possibile, est in potentia. Vnde eandem rationem esse priorem seipsa, diuersimodè accepta, nullum est inconueniens: vt enim Petrus puer, est seipso vt est vir, prior; ita essentia actualis, est seipsa prior, vt est in potentia, quàm in actu; Quamquam verè loquendo, prioritas & posterioritas, non conueniunt nisi durationi, duratio autem rei existenti: essentia autem in potentia, non est res existens vt dixi. Nihilominus quia Aristoteles, concedit in rebus creatis potentiam obiectiuam esse priorem actu: concedimus & nos, quòd essentia creata, primò est in potentia, postea in actu: sed vt est in potentia, non est res vera, sed possibilis tantùm: atque ita nihil concludit argumentum.

Ad Septimum. Negatur Maior; quia omnes passiones identificantur realiter subiecto, & tamen subiecta possunt intelligi sine passionibus; similiter & essentiæ absque suis modis. Aduerte tamen: quòd ista propositio; Non potest res intelligi sub opposito ei, cui est idem realiter; potest dupliciter accipi; vel negatiuè positiuè, vel negatiuè priuatiuè. Negatiuè priuatiuè tunc aliquid intelligitur, sub opposito ei, cui est idem realiter, quando aliquid intelligitur sine illo cum quo est idem realiter; sic intelligitur homo sine dependentia, cum qua est idem, rationale sine risibili, non affirmando positiuè, quòd ista sint realiter sine illis; & sic plurima concipimus per præcisionem, absque identificatis sibi realiter. Negatiuè positiuè tunc concipitur essentia aliqua, sub opposito ei, quod sibi realiter identificatur, quando concipitur sub modo positiuè repugnanti: vt si accipiatur homo sine dependentia positiuè, per positionem in illo independentiæ, rationale sine risibili, cum irrisibili. Essentia igitur intelligitur priori modo sine existentia, non posteriori.

Ad Octauum. Authoritas illa, tantùm probat nostram Secundam & Tertiam Conclusionem, non autem probat distinctionem realem.

Inquirunt hic aliqui de existentia; Vtrum sit nobilior essentia? Verùm hæc inquirantur ab illis, qui essentiam realiter ab existentia distinguunt; nos dicimus realiter esse eiusdem nobilitatis & dignitatis, cùm sint vna res.

Si verò quæratur de rationibus formalibus essentiæ & existētiæ. Certum est, quòd omnis quidditas est perfectior obiectiuè suo modo intrinseco. Cùm igitur existentia sit modus, & essentia quidditas, semper conceptus essentiæ, erit nobilior conceptu existentiæ.

Quidditas est perfectior modo.

An verò existentia sit effectus solius Dei; ita quòd per se primò tantùm à Deo producatur; dicetur in 4. sentent.

Nonum. Non plùs probat, quàm distinctionem formalem inter essentiam & existentiam; quod concedimus.

Ad Decimum. Licèt ista sit necessaria, Petrus est homo; ista verò contingens, Petrus est; istud tamen prædicatum contingens, non dicit aliquam rem realiter distinctam à Petro & homine, sed tantùm dicit modum, secundùm quem Petrus habet esse: estque hoc contingens Logicum in prædicando, & non contingens Metaphysicum in essēdo, quasi existentia sit aliquod accidens commune separabile à substantia. Vide responsionem ad Quintum.

Vndecimi Argumenti consequentia, non bene infertur. Probatio autem illius, de albedinis infinitate, est friuola, vt ostensum est in responsione ad Tertium.

Ad Duodecimum. Respondeo Primò, Sicut ad Decimū. Illud extrinsecum adueniens, non est quid reale Physicum, vel accidens cōe distinctū realiter: sed dicit modum essentiæ identificatum, qui de essentia prædicatur contingenter. Resp. Secūdò. Sicut ab æterno non fuit essentia realis vera realitate, vt dixi dist. 31. sed tantùm in esse possibili & cognito; ita & existentia quidditatū creatarum, non fuit ab æterno; sed tūc sicut essētia, ita & existētia habet verū esse reale, qn̄ actu essentia est extra suas causas; vnde nec in tēpore nec in æternitate, quidditas finita potest esse realis verè absque existentia: quia tn̄ iste modus existentiæ, nō conuenit essentiæ primo vel secundo modo per se, non est prędicatū necessarium, sed contingens; esto quòd sit idem realiter essentiæ; essentia enim quæuis creata, potest existere & non existere, & propterea essentiam creatam existere, est illi contingens.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Opinio negatiua vera declaratur.

Concedo Conclusionem istarum rationum, scilicet partem negatiuam, &c.

SVMMA TEXTVS.

Creaturę ab æterno non habebāt eē reale ad Deū cognoscētē.

Creatura inquantum dicit ab æterno relationem ad Deū cognoscentem, non habet verum esse reale. Ratio præter superiores, est. Quia omnium entium ab æterno cognoscebatur existentia, & dicebat relationem ad Deum cognoscentē; ergo existentia habuit suum verum esse reale: ergo verè creaturæ omnes ab æterno existebant: quod est plusquā inconueniens.

Secundò. Intellectus noster, intelligendo res, non facit esse reale rei intellectæ: ergo & intellectus Diuinus pari modo.

Contra istam rationem secundam, quæ docet non produci res reales à Deo, ex hoc quia intelliguntur: obiectiones duæ ponuntur. Prima. Si non est reale, in quo igitur fundabitur relatio illa ad Deum?

Respondetur. Cùm illa relatio cogniti ad cognoscens, sit relatio diminuens naturam & rationem sui fundamenti: esse n. ens cognitum, ly cognitum, non ponit ens verè reale, sed diminuit rationem entis, & ponit quod non sit ens simpliciter, sed tantùm cognitum: consequens est, quòd ista relatio non sit realis: & ita non requirit fundamentum verè reale, sed reale diminutum.

Secundò. Quando Deus producit res in esse diminuto, non producit illam relationem, sed aliquod absolutum, in quo fundetur relatio cogniti: ergo hoc absolutum erit reale.

Respondetur. Quòd illud absolutum non producatur simpliciter ab æterno, sed producitur in esse diminuto: & sic in tali absoluto fundatur relatio.

Fusior huius articuli explicatio & declaratio habetur sufficienter ex dictis dist. præcedenti art. 3. de esse cognito.

ARGVMENTA TVM PRINCIPALIA, tum pro Opinione Primo Articulo posita, soluuntur.

Ad Primum principale. Dico: quòd ens ratum aut appellatur, &c.

COMMENTARIVM.

PRima ratio principalis, sufficienter explicari & declarari debet, cum sua solutione ex distin. 3. q. 6. vel 7. vbi arguitur de vestigio; ibi enim multa de ista ratitudine diximus.

Interim dico breuiter: quod vel ens ratum accipitur pro ente habente realitatem suam & existentiam actualem: & dico, quòd tale ens habet ratitudinem, ab illa causa à qua producitur: vel accipis ens ratum, distinctum contra figmenta, & sic dico, homo & omnis res possibilis, est formaliter seipso ens ratum & possibile, non per relationes.

Secundæ rationis principalis solutio, hanc vim habet. Quòd Diuina intellectio, quam ab æterno Deus habuit de lapide, est intellectio realis & Metaphysica, id est, non per mutationem habita; non Logica, sub intellige tantū: quasi sit tantùm non repugnantia, ad intelligi lapidis, & non realis intellectio; sed hæc realis & vera intellectio, potuit esse ita essentiæ, sicut & existentiæ, & sicut non sequitur propter realem Dei cognitionem ab ęterno de existētia creaturæ, quòd creatura veram existentiam habeat ab æterno: ita non sequitur, quòd propter realem Dei cognitionem de essentia ab æterno, quòd essentiæ habuerint verum esse reale ab æterno.

Responsio ad argumenta Henrici artic. 1. adducta, euidens erit tota, si illud de transmutata proportione intelligatur.

Argumentum Henrici est. Sicut se habet ens ad non ens, ita possibile ad impossibile: ergo per proportionem transmutatam, sicut se habet ens ad possibile, ita non ens ad impossibile, ergo si quidditates ab æterno à Deo intellectæ, sunt purum non ens, sunt impossibiles.

Respondeo. Transmutata proportio sumpta est ab Euclide, qua vtitur etiam Aristoteles 2. Prior. docens conuersionem propositionum, vt dicitur in litera. Requirit autem iste modus arguendi à transmutata proportione, quatuor terminos: vbi hoc vniuersaliter est verum: quòd si sit comparatio inferiorum cum superiori, & transmutatis terminis illatio inferatur, committitur fallacia consequentis: vt si arguas. Sicut se habet homo ad hominem (hic est inferius) ita animal ad animal (hic est superius) ergo permutatim, sicut se habet homo ad animal, ita nō homo ad non animal; sed omnis homo est animal, ergo omne quod est non homo est non animal. Patet, quòd ista Conclusio est falsa. Quia in transmutata proportione malè comparatur inferius cum superiori. Et in prędicto modo arguendi coniungitur primum cùm tertio, nempe homo cum animali, cùm dicitur: sed omnis homo est animal: postea infertur secundum cum quarto negatiuè; ergo omnis non homo est non animal. Vt igitur in eiusmodi terminis rectè inferatur Conclusio per transmutatam proportionem, debet inferri vltima consequentia coniungendo quartum cum secundo, dicendo, vt dicit Doctor, sic: Ergo sicut omnis homo est animal, ita omne non animal est non homo.

A proportione transmutata quādo valet argumētatio.

Ad propositum dico: licèt verum sit: Sicut se habet ens ad non ens, ita possibile ad impossibile: Non tamen per transmutatam proportionem valet: Ergo sicut ens ad possibile, ita non ens ad impossibile: quia non ens, est magis commune, quàm impossibile. Atque ita inferri deberet in secunda illatione quartum cum secundo, sic: Ergo sicut ens ad possibile, ita impossibile ad non ens.

Quod additur pro Confirmatione. Quòd vnū nihil, esset maius nihil altero, hoc autem est impossibile.

Respondetur. Negatio alicui enti tripliciter potest inesse. Primò, quia licèt illud ens sit possibile esse, non tamē est, quia causa extrinseca non ponit esse, sic Antichristo conuenit modo negatio: Secundò, conuenit alicui positiuo negatio alterius positiui, vt homini conuenit negatio hinnibilitatis, propter rationem differentiæ completiuam, nempe propter rationabilitatem, cui repugnat hinnibilitas. Tertiò, conuenit negatio huic de illo, propter plura inclusa in isto, quæ non includuntur in illo; sic homo non est albedo, non tantùm propter rationem differentiæ, sed etiam propter rationem generis, non modò subalterni, vt animalis, sed propter summam rationem genericam, quia hoc est substantia, albedo autem qualitas.

Negatio enti pōt tripliciter inesse.

Istæ negationes licèt habeant se aliquomodo secundùm maiorem vel minorem repugnantiam: non tamen communiter dicimus, hoc est magis negatiuum, quàm illud; idque propter naturam negationis, quia negatio ista, ita negat affirmationem, sicut illa: vnde licèt Chymera sit nō ens, & Antichristus sit non ens, Chymeram tamen, quia nulla causa potest ponere in esse, & Antichristum potest, illi ex se repugnabit esse, & isti non repugnabit.

DISTINCTIO XXXVII.

DE MODO ESSENDI DEI IN REBVS.

QVAESTIO VNICA.

Vtrum Deum esse præsentem vbique secundùm potentiam, inferat ipsum esse vbique secundùm essentiam? hoc est, vtrum omnipotentia inferat immensitatem.

Quòd sic. Omne agens est præsens passo, secundùm Philos.7.Physic.&c.

SVMMA TEXTVS.

Prima Conclusio. *Ex Diuina potentia vbique, non necessariò cõcluditur vbique Diuina Essentia, licèt de facto sit vbique.*

Secunda Conclusio. *Etiam agentia creata, non omnia ibi sunt per essentiam necessariò, vbi sunt per virtutem, sed potest esse actio primò in distans ab agente, licèt non agat in medium.*

COMMENTARIVM.



Circa Primam Conclusionem. Nota Primò. Deum esse vbique; esse certum in fide, vt ex varijs locis Scripturæ patet, præsertim Psal.138. *Quo ibo à spiritu tuo, & quo à facie tua fugiam? &c.* Qualiter aũt sit Deus vbiq; explicat D.Gregor. super cap.5.Canticor, quòd sit præsens per essentiam, præsentiam, & potentiam. Per essentiã Deus est vbique, quatenus Diuina Essẽtia est præsens omnibus, & penetrat omnia, intimans se rebus. Per præsentiam est vbique, quatenus videt & cognoscit omnia perfectissimè; quo pacto accipitur in Scriptura modus ille essendi, per præsentiam de Elysæo, quando dixit ad puerum suum Gezi. *Nonne cor meum præsens erat?* Certum est quòd loquebatur de præsentia, non essentiæ, sed notitiæ. Per potẽtiam Deus est præsens, quatenus creat, gubernat, & conseruat creaturam.

Deus ẽ vbique per essentiã, potẽtiã, & psẽtiam.

Iste modus immensitatis quoad locum, quo est Deus vbique per essentiam, præsentiam, potentiam, est proprius solius Dei.

Sed an ad hoc, vt Deus sit vbique, sit etiam in spatijs imaginarijs extra cælum?

De istis spatijs dico duo. Primò. Quamuis quidã Neoterici dicant, nostrum Doctorem negasse illam capedinẽ extra cælos, quam alij vocant spatium imaginarium, propterea quòd nihil sit reale; sed intellectus noster optimè apprehendit esse capacitatem talem, qualis esset in vacuo, si per Dei potentiam fieret in mundo sublunari: oppositũ tamen habetur in 2. dist.2.q.6. vbi docet extra vniuersum posse lapidem manere, & non habere locum; ergo est ibi capedo capax illius lapidis secundùm Doctorem: hoc idẽ infra distin.39.art.2. ratione 1. contra opinionem intelligi potest, per locum potentialem. Secundò. Deus est præsens toti vniuerso, & singulis partibus eius. Extra vniuersum verò, non esse in spatijs illis; posse tamen esse si vellet; illo modo, quo non est nunc in anima creanda, si tamen illam creet, erit in illa; & sicut hoc non ponit in Deo mutationẽ vllam, quòd hodie sit in aliqua re, puta in anima nũc creata, in qua non fuit ante, ita nulla erit mutatio in Deo, si fit nunc in spatio, in quo ante non fuit. Vnde sicut ad omnipotentiam Dei infinitam non pertinet, quòd Deus causet aliquid actu infinitum, seu omne possibile, sed sufficit posse causare; ita ad immensitatem quoad Vbi, non requiritur esse in omnibus non modò locis, sed etiam spatijs imaginarijs; sed sufficit posse esse.

Spatia imaginaria extra cælos sunt.

Deũ extra vniuersum posse esse, licèt nõ sit, nõ ponit vllã mutationẽ in Deo.

Vnde sicut æternitas non requirit, vt coexistat tempori possibili & non existenti; ita immensitas non requirit, vt sit Deus in loco possibili, sed tantùm in actuali, qui est actu in rerum natura: in nihilo enim nihil est: spatium verò nullo modo reale est, neque est ens rationis, sed merum nihil.

Spatiũ imaginariũ est merũ nihil.

Nota Secundò. Licèt verum sit & de fide, Deum esse in omni loco; ratio tamen demonstratiua hoc probans, adferri non potest. Nam illa quæ 1.p.q.8.art.1. communiter adferri solet à Thomistis ex causalitate, quòd Deus ibi est, vbi potest causare: sed potest vbique causare: igitur est vbique. Ista inquam ratio non valet. Nam vt infra ostenditur, non modo agẽti perfectissimo, vt est Deus, sed etiam quibusdam alijs imperfectioribus, conuenit ibi causare, vbi nõ sunt per essentiam præsentia. Et hoc in præsenti distinctione examinatur, quod non rectè infertur, ex posse causare in A. esse Deum in A. loquendo quoad locum, vel spatium.

Circa Conclusionem secundam occurrit.

DIFFICVLTAS.

Vtrum actio possit esse primò in distans, non per medium?

Videtur quòd non. Primò. Quia 7.Physic. & 1.de gener. dicitur mouens & motum debere esse simul.

Secundò. Agens priùs & immediatiùs debet agere in proximum, quàm in distans; ergo non poterit agere in distans, nisi per medium. Antecedens. Quia proximum est ita aptum ad recipiendam actionem agentis, sicut remotum; est etiam priùs & immediatiùs applicatum agenti. Consequentia. Quia si semper agit priùs in propinquum; ergo semper defertur virtus agentis ad distans per medium.

Hanc Opinionem negatiuã vniuersaliter approbat D. Thomas 1.part.quæst.8.articu.1. Caietanus ibid.& communiter Thomistæ.

Doctor verò Subt.hìc, præsenti dist.& in Report.his dictis suam explicat sententiam, tali Conclusione. Communiter oportet, quòd agens creatum, sit immediatum cuilibet sibi proximo passo, in quod agat: non tamen semper agens illa actione attingit passum remotum, qua proximum; ac proinde agens aliqua actione, primò attingit passum remotum & distans, non attingendo illa actione passum proximum. E.C. Sol cùm producit Minerã in terra; tunc in medium agit, per lumen & calorem, causatum ex refractione luminis: hæc autem actio per lumen & calorem, non attingit immediatè productionem substantiæ, iuxta dicta 1.Physic. omnis enim productio substantiæ, est à substantia vt ostenditur in 4.sentent. producitur ergo illa substantia à Sole, tali actione, qua non agit in medium, cùm in medio non producatur hæc substantia. Quare corpus cæleste agit secundùm aliam potentiam in remotum, secundùm quam nõ agit in proximum, licèt etiam in propinquum agat secundùm aliam potentiam actiuam.

Actio esse : creat mò in stans, agens la ac in me propi

Porrò ista subordinatio potentiarum, quòd vna agat in distans, mediante alia agente in medium, accidit ex duplici capite: vel primò, propter coniunctionem istarum duarum potentiarum actiuarum in eodem, quarum vtraque est actiua, & vna habet proximum pro passo proportionato, alia verò passum remotum proportionatum; Vel secundò accidit propter imperfectionem ipsius agentis, quòd in agente sit defectus virtutis actiuæ, propter quem defectum priùs agit secũdùm formam imperfectiorem, quàm secundùm perfectiorem; sicut generans corruptibile, priùs alterat, quàm generat, propter illius agentis imperfectionem, à quo priusexecutione est imperfectius.

Quòd poten git in stãs, te alia te in m propi produ ex d causa.

Quodsi talis duarum potentiarum concursus tollatur ab agente creato, & deinde auferatur ab illo ista imperfectio quòd primò debeat producere imperfectius, tũc põt agẽs ẽt creatũ agere primò in distans, nõ agendo vllo modo in mediũ, præsertim si mediũ est incapax illius actionis, vt manifestè patet in locutione Angelorum per impressionem cõceptuum; vbi Angelus hìc in claustro existens, alloquitur

Actio esse pri in dis & no propin

quitur alium in foro existentem, per impressionem conceptus illius rei, quam vult repræsentare, nullo modo agẽdo in medium. Idem etiam clarum est in igne aliquo, vbi certum est, quòd partes remotiores ignis, agant in passum, (quia aliàs illis demptis, nõ minueretur actiuitas illius elementi) & tamẽ non agunt in medium, quia suppono illud esse calidum vt decem, id est, in summo gradu intensionis: ergo primò agunt in distans, non agendo in propinquum.

Nec valet responsio. Illam actionem esse ratione totius ignis. Nam cùm totum homogeneum constet ex partibus homogeneis, sicut toti totalis actiuitas attribuitur, ita cuilibet parti ignis partialis actiuitas attribuenda est: Et de his quæro, an agant in remotum primò, vel primò in propinquum, vel nihil? Non vltimum: quia ablatis illis, minuitur intẽsio actiuitatis: ergo signum est illas egisse partialiter: non secundum: quia illud est summè intensum, & incapax naturalis intensionis: ergo dandum est primum, quod intendimus.

Vtitur hoc argumẽto Subt. Doctor in 2. dist. 9. q. 2. Absolutè igitur potest aliquod agens creatum agere in distãs, absque actione, vel eiusdem rationis in medium, vel simpliciter absque omni, vt patet dictis.

Et certè si Caietanus 1. part. q. 5. art. 1. ex sensibus dicit se rationem inuenisse, quòd mouens & motum sit simul: hoc etiam ex sensibus deducitur, quòd non debent esse simul.

[Co]ntactus [vir]tualis Mathematicus,

Ex dictis Infero Primò. Illam doctrinam Thomistarum: In omni actione, præsertim creata, necessariò requiri contactum agentis ad passum, vel Mathematicum (quãdo actu agens approximatur passo per indistantiam, vt patet in igne applicato ad lignum) vel contactum virtualem: (quando agẽs emittit virtutem extra se, quæ virtus attingit distans passum, vt dicunt accidere in calefactione terræ, vel productione minerræ, vbi sol per lumen, virtutem à se diffusam, attingit dispositiuè, caloris vel mineræ productionem, per calorem) vt in pluribus esse veram, & sano modo intellectam, nõ aduersari doctrinæ Scoticæ, sed hoc tantùm velle, quòd Subt. Doctor vult, oportere vt communiter agens creatum sit approximatum passo; vel secundũ illam actionem, qua & in remotũ agit, vel secundùm aliã agendo in remotum, & secundùm aliam in proximum, vt dictum est.

Quodsi in illa diuisione, contactus virtualis sic accipiatur (vt accipiunt plerique aduersarij) quòd ille sit dicẽdus virtualis contactus, vbi virtus agentis principalis, attingit passum, & productionem in passo, non tantùm dispositiuè, sed etiam effectiuè, sic quòd illa virtus E. C. Solis, producta à Sole per lumen, videlicet calor, effectiuè producat minerram; sic falsò explicabitur contactus virtualis; cùm substantia non possit produci ab accidente, iuxta alibi dicenda, sed alia actione producitur lumen à Sole, alia calor per radiorum refractionem, alia actione producitur minerra, ab ipsomet Sole.

Doctrina igitur illa, de cõtactu Mathematico & virtuali, verissima est, si rectè intelligatur; eo modo quo exponit illam & admittit Subt. Doctor in 2. d. 9. q. 2. & nos admittimus; sed cum hoc contactu virtuali, stat actio in distans: contactus enim virtualis, nihil aliud est secundùm Doctorem ibidem, quàm quòd agens non sit præsens effectui secundùm essentiam, sed secundùm potentiam suam; non quòd potentia sua sit ibi; sed quòd potentia sua possit ibi causare effectum, acsi esset ibi; licèt nec ipsum agens nec potentia sua sit ibi.

[Ex]perietiæ [de] actione [in dista]no in di[stan]s.

Infero Secundò. Illas experientias, quæ declarare videtur actionem in distans non per medium, non rectè explicari ab aduersarijs, per illum contactum virtualem. Sunt autem plures experientiæ tales. Nam inprimis de Basilisco refert Alb. Mag. & plures alij, quòd oculorum intuitu interficiat hominem, etiam per vnum milliare dissitum, Similiter luporum conspectus à longinquo etiam raucedinem inducit, teste eodem Alberto & Plinio, & frequenti experientia. Narrat idem Albert. lib. 24. de Animalib. de torpedine pisce, quem quicunque arundine vel hasta attigisset protinus illius manus obstupesceret: vnde à torpore in manum inducta, torpedo dicitur, obstupefacit igitur manum & non hastam, vel arundinem, vel rete, quod ipsi est immediatius, Sol item calefacit terram, non calefaciendo cęlos intermedios vel mediam aeris regionẽ. Magnes trahit ferrum distans, non trahendo lignum immediatiùs sibi positum.

In his & pluribus alijs experientijs, dicunt aduersarij, intercedere contactum virtualem; sic quòd Basiliscus emittat qualitatem extra oculos, & totum aerem inficiat, vsque ad hominem remotè constitutum; à quo aere infecto, lethaliter infectus, intereat. Similiter lupus, qualitatẽ raucedinis per aerem diffundit: & sic de alijs. Sol verò quòd intermedios orbes non calefaciat, vel mediam aeris regionem, in promptu causa est: quia in cœlis non potest esse radiorum refractio, cùm cęli sint corpora diaphana. De intermedio aere, est sententia, quòd ille calefiat, sed exiliter, idque tum propter frigoris nimiam resistentiam, tum propter debilem radiorum refractionẽ in illa parte.

Hęc cùm ab illis dicuntur, nullo modo euacuant instantiam actionis primò in distans. Nam licèt verum sit, ideo Solem non calefacere cœlos, quia nulla est ibi refractio radiorum ob transparentiam corporis cœlestis, secus est in terra; adhuc tamen stat instantia, quòd Sol terram primò vel aerem calefacit, non calefaciendo immediatiores sibi cęlos.

Dices. Cęli sunt incapaces caloris.

Respondeo. Hoc ipsum est quod volo, quòd agens aliquando primò agit in remotum, non agendo in propinquum; quia remotum est aptum passum respectu talis actionis, non sic propinquũ; vt ante dixi de locutione Angelorum, & actione partium ignis.

Similiter: esto quòd per qualitatem per aerem diffusã, lupus raucedinem inducat in homine; adhuc difficultas & instantia manet de actione indistãs, quòd lupus aliquid tali qualitate efficiat in homine, & non efficiat in alio animali sibi propinquiori; ergo sequitur, quòd lupus aliquid efficiat in remoto, quod non efficit in sibi approximato. Deinde licèt is modus de producta in medio interiacenti qualitate, sit vtcunque probabilis, videtur tamen multiplicare entia sine necessitate; quia eò ipso, quòd passum remotius sit capax talis actionis, & passum propinquius incapax, hoc agens aget in remotum, non agendo in propinquum, tali actione, vel qualitatis productione. Iste tamen modus de productione qualitatis per totum medium interiacens, ad vlteriorem alium effectum, quia videtur esse de mente Subt. Doctoris, vt patet ex antedictis, posset responderi ad hanc vltimam impugnationem, produci in medio qualitatem, vel ob imperfectionem agentis, vel ob subordinationem potentiarum, vt vult Subt. Doctor.

Quare non frustra multiplicantur talia entia.

Ad Primum in contrarium. Respondet Primò Subtilis Doctor. Illud dictum verum esse de agentibus naturalibus imperfectis, quæ agũt per qualitates naturales actiuas, in esse totali acceptas; quæ qualitates, vt communiter, non sunt principia agendi in remotum, nisi sint aliæ formæ concurrentes, quæ sint principia agendi in propinquum, vt dictum est. Dixi: in esse totali acceptas: nã partes talis qualitatis, non sunt simul cum passo, vt patet: & totum, non entitatiuè, sed denominatiuè dicitur esse simul cum passo. Dixi: quæ agunt per qualitates naturales actiuas; vt hinc excipiatur actio Angelica, quæ potest ibi exerceri, vbi Angelus agens non est, & à fortiori Diuina, dato enim quòd Deus non sit extra cęlum, adhuc ibi posset causare, quodcunque vellet.

Mouens est mõtum debent esse simul quomodo?

Respondeo Secundò. Non aliud vult Arist. illo loco, vt ex probationibus illius constat, quàm hoc, quòd omne quod primò mouetur (id est, secundùm se totum, non secundùm partem mouetur) simul est cum eo, quod mouet vult dicere. Vbi aliquid idem est mouens & mobile, secundùm se totum, prout anima seipsa mouet & mouetur: siue, vbi idem est agens & patiens, distincto modo, agens in actu virtuali, & patiens in potentia formali ibi mouens & mobile, agens & patiens, necesse est esse simul: quod verum est; sed nihil ad propositum. Loquitur igitur ibi Aristoteles de actionibus immanentibus, non de transeuntibus.

Ad

Ad Secundum. Antecedens est verum, vbi ista duo cōcurrunt: quòd & agens sit aptum primò in propinquum, postea in remotum, & propinquum æquè est dispositum ad actionem, sicut & remotum; hinc enim prius actio fit in propinquum, postea in remotum, vt patet in calefactione: quod si altera harum conditionum deficiat, vt deficit in multis, tunc falsum erit antecedens.

DISTINCTIO XXXVIII.

DE PRAESCIENTIA DEI. AN SIT CAVSA RERVM.

QVAESTIO VNICA.

Vtrum scientia Dei respectu factibilium, sit practica?

Quòd non. 2. Metaph. Finis practicæ, &c.

SVMMA TEXTVS.

Theologia Dei de factibilibus est speculatiua

Conclusio. *Theologia Dei, respectu factibilium, non est practica, sed speculatiua. Ratio est. Quia notitia practica, est prior (aliqua prioritate, saltem signi) praxi, & directiua praxis: sed cognitio Dei, de factibilibus non est prior praxi, seu Diuina volitione, nec dirigit illam, sed potius, quia voluntas Diuina determinauit hoc fiendum, fiet, & intellectus cognoscit certò futurum, vt distinctione sequenti dicetur; ergo notitia Dei de factibilibus, non est practica.*

Tota doctrina istius Distinctionis, sufficienter exposita est quæst. 8. & 9. Prologi: & ipsa Conclusio quæst. 9. art. 4. ibidem habetur. Hinc etiam aduertes, quòd longè probabilissimum sit, Theologiam Dei, etiam de necessarijs, non esse practicam, vt artic. 3. quæst. 8. prol. dictum est. Vide de his ibi, quia secundò non est repetendum.

COMMENTARIVM.



Væri hìc solet. An scientia Dei sit causa rerum, vel voluntas?

In decisione huius difficultatis, videtur esse discordia. Nam quidam volunt. Quòd intellectus Diuinus cum voluntate, sit causa rerum. Et probatur id. Tum quia Deus est causa rerum, nobilissimo modo producendi; nobilissimus autem modus est per intellectū & voluntatem. Tum quia producens nō per intellectum, refertur ad productum relatione reali, non sic producens per intellectum. Deus autem non refertur ad creaturas relatione reali, ex dist. 30. ergo producit per intellectū. Tū quia Deus producit vt artifex res creatas, secundùm August. & dicta superiùs dist. 35. artifex autem producit per intellectum & voluntatem.

Doctor verò Subt. vult: tum q. 9. prol. tum dist. 3. q. 5. tū hic & distin. sequenti, & aliàs: quòd Deus principaliùs sit causa rerum per volūtatem, quàm per intellectum. Ratio est à priori, ipsa vis potētiarum. Intellectus enim Diuinus continet creaturas, tantùm secundùm esse repræsentatiuū & idæale, etiam secundùm authores oppositum tenentes; per voluntatem autem continet res productiuè & electiuè; multa enim Deus intelligit, quæ non fient, sed omnia quæ vult efficaciter, fiunt.

Deus principaliùs est causa rerum per voluntatem, & concomitanter per intellectum.

Confirmatur hoc dictum. Illud est principalior causa alicuius effectus, quo posito ponitur effectus, & quo per intellectum sublato, tollitur effectus; & è contra, illud est minùs principalius, quo per intellectum semoto, potest cognosci effectus; sed circumscripto per considerationem intellectu Diuino, manente voluntate efficaci, intelligitur effectus poni in esse; seclusa autem voluntate, & manente intellectu, non intelligitur effectus existere à Deo productus: ergo, &c. Ita tamen Deus de facto producit res per voluntatem, quòd etiam concurrat intellectus cognoscitiuus: & hoc probat hìc Prima Opinio, & non aliud.

DISTINCTIO XXXIX.

DE SCIENTIA DEI, AN POSSIT AVGERI vel minui, & an possit mutari.

QVÆSTIO I.

Vtrum Deus habeat notitiam determinatam omnium, quantùm ad omnes conditiones existentiæ?

Arguo quòd non. Quia secundùm Philosophum 1. Periher. &c.

SVMMA QVÆSTIONIS.

Articulo Primo, reijcitur Opinio affirmans rationem cognoscendi futura contingentia, esse idæas in intellectu Diuino existentes. Articulo Secundo, illa sententia, quæ docet ex præsentia temporis ad æternitatem, futura omnia à Deo cognosci, ostenditur esse insufficiens. Articulo Tertio, contingentiam esse in rebus, & Deum contingenter agere extra, ostenditur. Articulo Quarto, præmittuntur scitu quædam necessaria, de nostra voluntate, & eius contingentia. Articulo Quinto, quæ sit libertas Diuinæ voluntatis, & quæ contingentia respectu volitorū. Articulo Sexto, soluuntur argumenta art. 2. pro Opinione adducta. Tandem, soluuntur. Argumenta principalia.

ARTICVLVS I.

Reijcitur Opinio, affirmans rationem cognoscendi futura contingentia, esse idæas in intellectu Diuino existentes.

Circa istam Quæstionem: ponitur certitudo Diuinæ scientiæ, &c.

SVMMA TEXTVS.

Idæ sunt cognoscendi futura contingentia.

Opinio hìc narrata, est Alb. Magni dist. præsen. art. 4. quam sequitur D. Thomas, vt narrat Caietanus 1. par. q. 14. art. 3. Et quidem, quoad illud nunc æternitatis, videbimus art. sequenti: quod ipsas verò idæas, optimè impugnatur hìc à Doctore. Tum quia istæ idæ secundùm D. Bonauent. & multos alios, repræsentant tantùm simplicia; ergo non præsentant complexionem futuram. Tum quia idæ repræsentant naturaliter, quia antecedunt actum voluntatis Diuinæ in ista sententia; & ideo repræsentant necessariò; ergo non possunt repræsentare contingentem veritatem. Tum quia idæ sunt non tantùm futurorum possibilium, sed etiam futurorum quæ actu erunt: ergo non magis

gis repræsentat futurum hodie, quàm cras vel aliàs ponendum; ergo ad sciendum determinatè hoc esse futurum, tali vel tali tẽpore, requiritur alius modus cognoscendi, quàm per ideas.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Illa sententia, quæ docet ex præsentia temporis ad æternitatem, futura omnia à Deo cognosci, ostenditur esse insufficiens.

Aliter ponitur, quòd certam notitiam habet Deus, &c.

SVMMA TEXTVS.

Opinio D Thomæ est 1. par. q. 14. artic. 13. Deum cognoscere futura contingentia, per hoc, quia eius æternitas coexistit omni tempori, omnique futuro. Probatur id Primò ex immensitate. Quia sicut Deus propter immensitatem suam est præsens omni loco, ita propter æternitatem est præsens omni tempori. Quomodo autem æternitas coexistit omni tempori: declaratur in textu, exemplo baculi in aqua fixi, & confirmatur tripliciter. Hæc positio quinque argumentis efficacibus impugnatur à Doctore; quas vide dubit. sequenti.

COMMENTARIVM.

Circa hanc sententiam, varij sunt Thomistæ. Nam Caietanus loco cit. cùm dixisset à Sectatoribus D. Thomę hunc locum ita obscurum æstimari, vt neminem viderit vel scripto, vel verbo assertiuè hoc dictum tueri; imò & ipsum Caietanum, (vt ibidem fatetur) 15. annis latuit. Sed addit de seipso Caietanus. Nudius tertius, dum super commentum articuli meditarer, illuxit (vt arbitror D. Thomæ ope) veritas plana, & in manifesto posita: & ideo paucissimis verbis pertransita. Et solutionis potissimum fundamentum est hoc. Quòd res temporales esse præsentes æternitati, dupliciter potest intelligi: vno modo sic, quòd in quolibet nunc temporis, sint præsentes æternitati; ita quòd coexistentia cuiuslibet rei, mensuratur quolibet instanti tẽporis: & hunc sensum aduersarij ex verbis S. Thomæ accipiunt. Sed errauerunt. Hoc enim S. Tho. nunquam sonìauit, & manifestam implicat contradictionem. Alio modo potest intelligi, quòd in quolibet nunc æternitatis, sint pręsentes æternitati, ita quòd coexistentia cuiuslibet rei ad æternitatem, saluetur in quolibet nunc æternitatis; & hic sẽsus est verus & intentus à D. Thomæ.

Sed illa gloriatio Caietani, quasi ille primus sit inuentor huius responsionis, parum illi gloriæ comparat, qui legit antiquos authores. Nam noster F. Richard. in suo 1. sent. dist. 41. art. 4. q. 2. & dist. 39. art. 1. q. 1. eandem explicationẽ longè clarioribus verbis habet. Idem habet S. Bonauent. dist. præsenti ar. 2. q. 3. Bassol. in 1. dist. 33. quæst. vnica. ar. 1. licèt eam non sequatur. Eãdem explicat sententiam Heru. prædicto modo in 1. dist. 38. art. 3.

Sententiam, quam sequitur Caietanus defendit Ferrar. 1. con. gen. c. 66. Capreol. dist. 36. & 38. & ex recentioribus Bannes Zumel, & Molina. Valentia tamen & Vasquez docent primò illam sententiam esse falsam, secundò docent non esse de mente S. Thomæ.

Sed hi authores, vt primum dicunt verè, ita secundum apertè est contra literam S. Thomæ.

Communiter igitur ille modus explicandi D. Thomam, quem sequitur Caietan. facilè redditur inualidus, si ostensum fuerit, quòd res futuræ non coexistant æternitati realiter, vllo modo.

Dubitatur.

Vtrum res futuræ coexistant æternitati realiter.

Videtur quòd sic. Primò. Quoniam Diuina cognitio mensuratur æternitate; sed æternitas vnico instanti indiuisibili, & permanente, simul ambit & comprehendit vniuersas temporum differentias, scilicet præsens præteritum, atque futurum; igitur in æternitate sunt ea omnia, quæ in futuro tempore continentur, & erunt: ergo sunt præsentia Diuinæ cognitioni, quæ eadem æternitate mensuratur.

Secundo Probatur. Nam illud dicitur esse mihi præsens secundùm se, quod coexistit intra distantiam & mẽsuram meæ visionis; sed vniuersa futura contingentia coexistũt Diuinæ cognitioni, intra mensuram eiusdem Diuinæ cognitionis, & nihil potest prorsus impedire hanc Diuinam cognitionem; ergo Deus videt vniuersa futura contingẽtia, quæ continentur in eadem æternitate secundùm suas realitates & existentias.

Tertiò. Si duo homines essent, quorum alter haberet exilem & tenuissimam visionem; alter verò fortissimam: tunc illa, quæ essent occulta & absentia vni illorum, alteri essent manifesta, & præsentia: ergo quamuis visio hominis vel Angeli, tantùm se extendant ad ea, quæ continentur in tempore præsenti: nihilominus Deus, cuius cognitio mensuratur infinita duratione æternitatis, habebit cognitionem, quæ se extendat ad omne tempus, præsens, & præteritum, & futurum: sed quodcunque futurum, contentum est intra mensuram æternitatis; ergo est Deo pręsens secundùm se.

Quartò persuadetur sic. Adam & Antichristus, vel simul coexistunt Deo, vel non? Si primum; habeo intentum, quòd omnia, tam præterita quàm futura, coexistunt Deo in æternitate. Si secundum, scilicet quod non coexistunt simul Deo, quia Adam iam coexistit, & Antichristus coexistet in æternitate: sequitur ex hoc, quòd in æternitate ipsa est præteritum & futurum. Patet sequela. Quia nihil est præteritum aut futurum in ordine ad aliquam mẽsuram durationis, nisi illa mensura habeat præteritum aut futurum: igitur si Adam in ordine ad æternitatem, non coexistit modò Deo, sed coexistebat, neq; etiam Antichristus coexistit, sed coexistet aliquando, nempe futuro tempore; sequitur quòd in æternitate est præteritum & futurum. Consequens est falsum; ergo &c.

Quinto persuaderi potest exemplis. Primum exemplũ est, de centro & circulo; in quo omnes lineæ à centro vsque ad circumferentiam, si comparentur inter se, sunt distantes, & non dicuntur coexistentes, si continuè moueantur & fluant; & tamen relatæ ad centrum, omnes dicuntur coexistere respectu illius; Quoniam centrum vnum cũ sit, tangit vniuersas lineas simul, & est pręsentissimum illis, quantumcunque illæ sint distantes. Ita igitur dicendũ est, quòd licèt vniuersæ res præteritæ, præsentes, & futuræ, inter sese collatæ & comparatæ, non coexistant; quia futurũ non coexistit præterito, in sua propria mensura. Cæterùm si futura & præterita referantur ad nunc æternitatis, quod ambit vniuersas temporis differentias & mensuras, quantumcunque distantes: in illo tamen nunc æternitatis Antichristus coexistit cum Adam.

Sextò. Probatur authoritate S. August. qui explicans illud Psalmi 49. *Pulchritudo agri mecum est*: tenet eandem sententiam. Et inquit: Præterita nouit Deus, atque pręsentia, & futura illi non detrahuntur. Et serm. 11. de verbis Apostoli, explicans illud ad Ephes. 1. *Elegit nos in ipso, ante mundi constitutionem*, inquit. Non vanè elegit eos, quos ab æterno habuit in sua præsciẽtia, & in sua præsentia. Et hoc est quod legimus Psal. 89. *Mille anni ante oculos tuos: sicut dies hesterna quæ præcessit*. Et rursum Eccl. 39. *Opera omnis carnis coram illo, à sæculo vsque in sæculum respicit, & nihil est nouum*; vel vt alia translatio habet; *Nihil est mirabile in oculis eius*. Tandem S. Paulus ad Rom. 4. dixit. *Vocat ea, quæ non sunt, tanquam ea, quæ sunt*. Vocare autem pertinet ad res præsentes & existentes.

Ita arguunt Zumel. 1. par. q. 14. art. 13. disp. 1. Concl. 3. Ban. Caiet. ibid. ad quos accedit Heru. in 1. dist. 39. art. 3. & aliquos supra citaui.

In oppositum est Doctor Subt. dist. præsenti, & in Report. dist. 38. q. 2. Bassol. ibid. art. 1. Mayron. dist. præsen. q. 1. ar. 4. Aureol. hic, & alijs communiter Scotistis non placet. Valentia item & Vasq. 1. par. q. 14. art. 13. Ocam, & Gabr. in 1. dist. 38.

Hæc

Hæc ſententia probatur inprimis rationibus Doctoris. Primò. Deus per immenſitatem non eſt in illo loco, qui nondum eſt, ſed poteſt eſſe; ita & per æternitatem non eſt præſens illi tempori, quod nondum eſt.

Futura omnia non coexiſtunt realiter æternitati.

Confirmatur. Quia ſi eſſet præſens tempori, æternitas coexiſteret tempori; coexiſtentia autem dicit relationem; In quo igitur fundatur iſta relatio? Non in ęternitate, vt patet; nec in tempore futuro: quia hoc non eſt, imò tempus futurum, nihil eſt, ſed erit: ergo non coexiſtit nunc æternitatis tempori futuro.

Reſpondet Zumel. Non eſſe parem rationem de immẽſitate. Nam æternitas, cùm ſit duratio infinita, & menſura inadæquata tempori, æquiualet ſucceſſiuo infinito, ſiue vero, ſiue imaginario: & ſic coexiſtit omni tempori; immenſitas verò non eſt menſura locorum, & non continet futura.

Contra Primò. Ita Dei immenſitas eſt infinita, ſicut æternitas: & ſicut æternitas habet ſe ad tempus, ita immenſitas ad locum; & ſicut æternitas non eſt menſura intrinſeca temporis, (menſura enim intrinſeca, ſecundùm Philoſophum, debet eſſe homogenea menſurato) ita nec immẽſitas loci: vnde ſicut ex infinitate æternitatis, & inadæquatione prouenit, quòd illi ſit omne tempus futurum præſens; ita ex infinitate & inadæquatione immenſitatis prouenit, quòd illi ſit præſens omnis locus poſſibilis, qui non eſt; hoc autem dicunt eſſe falſum: ergo & de æternitate ſimiliter dicendum eſt; ac proinde ſtat paritas.

Secũdò. Iſta reſponſio illorum, tantùm hoc docet. Quòd æternitas poſſit omni tempori & rei coexiſtere: Quod verum eſt, ſicut & immẽſitati Diuinæ, omnis locus; Sed quòd res de facto ſimul exiſtant, eſt impoſſibile, nec vnquam probatur.

Ad Confirmationem de coexiſtentia, reſpondet idem, diſtinguendo Minorem. Non ſunt in æternitate, nego: non ſunt in tempore, concedo. Et eodem modo concedo, quòd relatio coexiſtentiæ in ordine ad æternitatem, non eſt relatio realis, donec ipſæ creaturæ productæ ſint. Cæterùm, quoniam æternitas comprehendit tempus illud in quo creaturæ ſunt, idcirco creaturæ dicuntur coexiſtere, non tamen fundant relationem realem coexiſtentiæ, pro tempore in quo non ſunt, ſed pro tempore in quo ſunt.

Contra Primò. Tempus non dicitur eſſe in tempore, ſicut nec locus in loco, ergo diſtinctio nulla. Secundò. Vel illa coexiſtentia eſt realis temporis futuri ad æternitatem, vel rationis, vel nulla; Non realis; quia negas exiſtentiam realem: ſi rationis: ergo tantùm coexiſtunt per rationem: ſi nulla: ergo nullo modo coexiſtit.

Tertiò. Impoſſibile eſt coexiſtere aliquid realiter alteri, niſi habeat exiſtentiam realiter; ergo impoſſibile eſt nunc coexiſtere Antichriſtum realiter æternitati, niſi Antichriſtus habeat exiſtentiam realem. Antecedens. Quia coexiſtentia realis intrinſecè fundatur in exiſtentia reali, neque oppoſitum eſt intelligibile.

Secunda Ratio Doctoris. Si æternitati hodie coexiſtit futurum aliquod, puta Antichriſtus, realiter quoad eſſentiam, & exiſtentiam: ergo illud ſimpliciter eſt præſens, & non futurum; & ita non poterit produci Antichriſtus, vel bis producetur.

Reſpondet Zumel. Antichriſtum eſſe præſentem æternitati, non tamen produci bis, ſemel in æternitate, ſecundò in tempore; ſed ſemel à ſuis cauſis in tempore producitur; illud tamen quod in tempore producitur, continetur ab æternitate.

Contra Primò. Vel habet Antichriſtus nunc exiſtentiam ſuam, in comparatione ad æternitatem; vel non habet; ſi habet: ergo iam eſt actu, & non producitur ampliùs, vel ſecundò producetur: ſi non habet exiſtentiam; ergo nec habet coexiſtentiam ad æternitatem, vt dictum eſt.

Secundò. Illud quod nondum eſt ens in ſe, nulli eſt præſens realiter: quia eſſe præſens alteri, ſupponit eſſe; implicat enim eſſe præſens realiter, & non habere eſſe reale; ſed concedit Zumel, quòd Antichriſtus non eſt productus: ergo Antichriſtus non eſt ens actu exiſtens, ergo nulli præſens. Nec valet illa tergiuerſatio: Quia æternitas continet illam productionem Antichriſti. Quia (vt dixi diſt. q.) æternitas eſt quidem indiuiſibilis, apta tamen coexiſtere diuiſibili; & licèt ſit permanens, apta tamen eſt ſucceſſiuo enti coexiſtere; ſed hinc non ſequitur: quòd quãdo ſucceſſiuum ens corrumpitur, quòd maneat in æternitate: quia eſt ſimpliciter corruptum: ſed tunc ſolùm eſt præſens, quando eſt, ſeu exiſtit: quando non eſt, non eſt pręſens; vnde æternitas, continet tempus, vel rem temporalem, quando tempus illud, vel res temporalis contenta, eſt: quando non eſt, non continet; quia vt dicatur continens realiter continere aliquid, debet contentum realiter eſſe; ſi autem continens realiter eſt, & contentum non eſt, ſed poteſt eſſe continens dicitur poſſe illud continere, & non actu continere, quia tale contentum poteſt eſſe, & non eſſe.

Tertia Ratio. Seſſio mea craſtina, quoad exiſtentiam, vel eſt præſens hodie in æternitate, vel non? ſi eſt præſens quoad exiſtẽtiam; ergo iam producta eſt, (quod enim eſt verè reſpectu Dei, abſolutè verè eſt) & cras de nouo producitur, quod eſt inconueniens; ſi non eſt pręſens; habetur intentum.

Reſpondent Thomiſtæ. Diſtinguendo Maiorem. Vel enim in illa propoſitione; Seſſio mea eſt pręſens æternitati; ly eſt, vnit pro inſtanti æternitatis: concedo eam eſſe præſentem Deo; ſi verò vniat pro inſtanti huius temporis præſentis: negatur Maior. Quando dicitur. Quod eſt in ordine ad Deum tale, eſt ſimpliciter tale. Reſpondetur. Hoc eſſe falſum, quando aliquid dicitur tale, alia menſura durationis in ordine ad Deum, & alia mẽſura durationis aliquid dicitur ſimpliciter tale. In propoſito verò, res futuræ non dicuntur ſimpliciter præſentes, niſi quando iam ſunt in proprijs menſuris & adęquatis. Dicuntur tamẽ præſentes in ordine ad Deum, non per propriam menſuram & adæquatam, ſed per menſuram alienam, quæ eſt ęternitas.

Contra Primò. Accipio ſeſſionem craſtinam, vt hodie præſentem æternitati: & quęro; vel illa ſeſſio eſt hodie, vel non; ſi hodie non eſt; ergo neq; pręſens eſt alteri; ſi eſt; ergo non eſt futura, vel bis producetur, atque ita inſolutum eſt argumentum. Secundò. Si eſt ſeſſio hodie præſens æternitati, ſine ſua exiſtentia: ergo etiam illa ſeſſio erit pręſens æternitati, ſine ſua eſſentia, ob identitatem eſſentiæ cum exiſtentia, vt patet ex diſt. 36.: ſed eſſe aliquid pręſens alteri ſine ſua eſſentia & exiſtentia, eſt nullo modo eſſe præſens; ergo, &c. Confirmatur. Quia vt eſt craſtinus actus meus, præſens Deo nunc in æternitate, non habet exiſtentiam ſuam, per Thomiſtas, & exiſtentia talis actus menſuratur tempore, quod non menſurat niſi dum res actu producitur; hoc ergo ſuppoſito, quòd ille actus exiſtentiam ſuam non habeat; quæro; vel habet eſſentiam vel non habet? ſi non habet: ergo nullo modo eſt: ſi habet eſſentiam: vel actu, vel potentia: ſi potentia: ergo poteſt exiſtere, & non exiſtit: ſi actu: cùm actu eſſe rem, ſit exiſtere rem, ex 9. Metaph. ſequitur, quòd omnes res exiſtant ab æterno: vel ſi nec quoad eſſentiam eſt, nec quoad exiſtentiam præſens æternitati, nullo modo eſt. Tertiò. Priùs eſt rem eſſe in ſe, quàm habere ordinem ad aliud, vt patet ex terminis: Et ratio eſt. Quia ordo & reſpectus ille ad aliud, fundatur in illo, quod eſt ad ſe: maximè ſecundùm Thomiſtas, qui negant relationem poſſe fundari in relatione: ſed res futuræ, nihil reale actuale ſunt in ſe: ergo nec habebunt ordinem realem ad aliud: ergo nec præſentiam ad aliud.

Quando illam propoſitionem negant: ꝙ dum reſpectu Dei aliquid eſt realiter præſens & exiſtẽs, verè eſt in ſe pręſens & exiſtens: Reuera euidentiſſimè rẽ in terminis notã, negant ſine rõne. Si. n. in Diuino intellectu perfectiſſimo, eſt ens creatum futurũ, nunc reale præſens realiter, veriſſimè illud ens nunc eſt reale: quia reſpectu intellectus perfectiſſimi, perfectiſſimè cognoſcentis, realitatem ſuam vt veram: & ita verè habet realitatem.

Probatio illa de duratione, nihil valet. Quia duratio cõſequitur exiſtentiam rei, nõ è contra: ſi ergo res futura cõparata ad ęternitatẽ, verè eſt, verè eſt exiſtens, exiſtere, verò rem nunc in æternitate, ita quòd Deus videat exiſtentem, & non exiſtere ſimpliciter, eſt impoſſibile, & contradictorium. Dico igitur. Si res futura eſt nunc in duratione æternitatis, & verè exiſtit cum æternitate, à fortiori eſt in propria duratione imperfectiori.

Quarta

Quarta Ratio. Non iuuat certam notitiam de futuro, ista coexistentia rerum ad æternitatem, quia futurum vt futurum, est verè futurum, & non præsens. Quæro igitur: Per quid cognoscitur certò illud futurum? Nō per coexistentiam: quia non accipis sm̃ rationem futuri, sed secundùm rõnem præsentis; si per aliquid aliud, habetur intentum, quòd non per æternitatis coexistentiam ad tempus.

Confirmatur ista ratio. Quia res non existunt ab æterno secundùm propriam existentiam, vt dicit Zumel nisi dum actu producuntur, & sunt extra causas suas: accipio ergo ens producendum simpliciter, quarta post die: hoc non cognoscit Deus per rationem præsentis in æternitate; quia secundùm istam existentiam propriam, non fuit in æternitate: ergo istud futurum vt futurum, non cognoscet per præsentiam in æternitate.

Ad hoc non video solutionem.

Quinta Ratio. Æuū Angeli, est simplex, coexistens toti tempori: ergo Angelus, naturaliter per rationem æui, coexistentem toti tempori, cognoscet futura contingētia: vel si de æuo non valet, nec de æternitate valebit.

Negant Consequentiam Thomistæ. Quia Angeli cognitio mensuratur tempore discreto, non æuo.

Contra Primò. Ex hoc præcisè, quia æternitas est duratio indiuisibilis & perfectior tempore, dicitur à Thomistis, quòd tempus & omnia temporalia continentur in æternitate, ergo cùm æuum Angeli sit indiuisibile & perfectior duratio, quàm duratio rei corporalis; sequitur, quòd continebuntur in æuo, & erunt præsentia æuo Angelico. Cùm ergo durationi substantiæ eius sint futura præsentia, & Angelis insit potentia intellectiua, nec vllum sit impedimentum, sequitur, quòd naturaliter intelligent futura omnia contingentia. Hinc patet quòd responsio non sit ad propositum: Nam esto, ꝙ instanti temporis discreti mensuretur Angelica cognitio: cùm tamē substantia mensuretur æuo, sequitur quòd isti durationi erunt omnia futura præsentia: obiecto autem approximato ad potentiam Angelicam, non impeditam, non potest sine magno absurdo negari posse sequi intellectionem talium obiectorum. Secundò. Illud suppositum de tempore discreto, mensurante operationes Angeli, non est verum, vt ostendam cum Doctore, (Deo volente) in 2. dist. 2. q. 4. ergo responsio nulla.

Sextò argui potest. Si ponūt prædicti authores res realiter existentes in nunc ęternitatis, necesse est quòd ponant existentiam futurorum, & sic omnes res futuræ, cum habent existētiam, verè existunt: Vel si dicant, quòd ista existentia est ad æternitatem, non simpliciter: tunc concedēdum est, cuiusque rei futuræ esse duplicem existentiam & essentiam: vnam, quæ est coexistens æternitati, & alteram simpliciter. Quod si hoc absurdum concedatur, concedant necesse est illud absurdius, quòd creatio nō sit productio de nihilo: quia ab ęterno res fuerunt; & concedant necesse est, sicut coexistentiam ab æterno, ita & coæternitatem creaturæ: imò & improductionē, quia vt sunt præsentes realiter res ab æterno, secundùm verum reale suum esse; vel sunt productæ; & ita ab æterno est creatio, ad verum esse existentiæ rerū; vel non productæ: & ita res verè reales, realiter Deo pręsentes, erunt increatæ, ex negatione supposita Theologorum, & creatæ, quia sunt creaturæ in tali sententia.

Hæc quoad literam Doctoris intelligendam sufficiunt: plures si velles rationes contra hanc Opinionem, satis absurdam, superius dist. 36. ar. 1. contra Henricum adductas vndecim rationes, hîc potes accommodare, vt patebit speculanti, quia ista Opinio parum differt ab illa, nisi quòd hæc inconuenientior videtur esse.

AD ARGVMENTA IN PRINCIPIO proposita.

Ad Primum. Concedo æternitatem esse indiuisibilem, perfectam, imò infinitam, & existentem mensuram, mensurantem aliàs existentias, & durationes existentes: non existentia autem, non potest mensurare actu.

Ad Secundum. Non plùs conclusio infert, nisi quòd in ratione intelligibilis obiecti, omnia sunt præsentia Deo, & cognitioni eius; sed ista præsentia non est rerum, secundùm existentiā rerum in æternitate; sed secundū rationem obiectiuam, vt dixi dist. 35. vndè ratio obiectiua rerū, seu illud esse cognitum à Deo, quod est esse illarum secundū quid, vt ibidem diximus, male vsurpatur à contraria sententia, esse verum esse reale.

Tertium etiam non plùs concludit, nisi quòd Deo omnia sunt manifesta & præsentia in ratione obiecti cogniti, sed non concludit, ꝙ sint præsentia secundū existētiā verā.

Idem dico de Quarto argumento; quòd Adam, & Antichristus sunt simul cognita in æternitate: sed infertur ergo ista simul existunt realiter in æternitate; Est fallacia à secundùm quid, ad simpliciter.

Ad illud exemplum de centro, & ductis lineis, optimè respondet Subt. Doctor in textu inferiùs ar. 6. Et breuiter. Exemplum est ad oppositum: Quia sicut circumferentia, vel linea non existens, non est præsens centro, sed tantùm illa quæ existit verè, est præsens: ita res illę quæ existunt verè, sunt præsentes æternitati; quæ verò non sunt, non coexistunt: quia nec existunt.

Authoritates Scripturæ & Sanctorum, nunquam docent res realiter in existentia sua, omnes semper esse præsentes æternitati: Neque hoc isti probant; sed hoc tantùm voluūt, quòd Deus non de nouo, sed ab æterno omnia perfectè nouit, & distinctè, nō aliter facta, quàm fienda; quod certum est; & ad hoc sufficit, res fuisse in esse cognito ab æterno, non autem secundùm verum suum esse. Deus nouit ab æterno omnia, nec aliter facta, quā fienda.

ARTICVLVS TERTIVS.

Ostenditur contingentiam esse in rebus, & Deum contingenter agere extra.

Circa solutionem istius Quæstionis & sequentium, &c.

SVMMA TEXTVS.

Contingentiam esse in rebus, & si multis probet F. Andreas à Nouo Castro in 1. dist. 45. id tamen non videtur necessariū: quia, vt optimè dicit Subt. Doctor. Contingentiam esse in rebus, & non omnia necessariò conuenire, est per se notum, & non demonstrabile à priori. Ratio est. Quia illæ passiones entis disiunctiuę, Ens vel est necessarium, vel contingens; insunt enti immediatè, & ita sunt indemonstrabiles. Nec dici potest, ꝙ insit cōtingentia, mediante alia passione conuertibili, vel non conuertibili. Quia probatio vnius passionis per aliam, non est à priori; estque ineuidens, & non est certum per quam insit. Supposito ergo quòd aliquod agens sit contingens, & maximè prima causa, vt dictum est dist. 2. q. 2. inquirendum est quomodo in rebus saluare possimus contingentiam, quòd contingentia sit, & tamen volitio Diuina est immutabilis. Contingentiam esse in rebus ꝑ se notum.

ARTICVLVS QVARTVS.

Præmittuntur scitu quædam necessaria, de nostra voluntate, & eius contingentia.

Primam ergo contingentiam oportet quærere, &c.

SVMMA TEXTVS.

Quatuor partes sunt istius articuli. In Prima, ostendit Doctor ad quæ sit libertas voluntatis nostræ: est enim ad tria. Primò ad oppositos actus, inquantū sub actu primo consideratur, quia potest velle & nolle; secundò mediantibus istis actibus, libera est ad opposita obiecta: quia positis omnibus requisitis ad volendū, potest voluntas velle, vel nolle, aut nō velle tale obiectum; tertiò libera est voluntas ad oppositos actus, quatenus potest executiuæ potentiæ imperare, vt hoc faciat vel non faciat. Libertas ad opposita obiecta, est libertas sine imperfectione, & prima, vt pote, quæ in Deo reperitur. Libertas nostræ voluntatis est ad tria.

In Secunda parte docetur, quòd libertatem nostram, illam quæ est ad oppositos actus, concomitetur triplex potentia; Vna, manifestè cum successione; quatenus possunt elicere circa aliquod obiectum primò velle, & deinde nolle: Alia est Libertatem nostrā cōcomitatur triplex potentia.

immanifesta, pro eodem instanti, quatenus voluntas pro hoc instanti, pro quo vult B. poterat nolle B. distinguendo enim duo instantia naturæ, in vno instanti temporis, in quo volũtas producit volitionem; in primo instanti naturæ voluntas vt actus primus seu vt causa volitionis, ita intelligetur libera ad producendum actum volitionis, quòd etiam posset actu, volitione non causata, causare actum nolitionis in secundo instanti naturæ. Tertia potentia concomitatur Logica, seu non repugnantia terminorum, ita quòd pro illo instanti, pro quo vult B. non repugnat nolle B. non in sensu compositionis, quòd velle & nolle simul sint in eodem instanti: sed in sensu diuisionis, quòd quẽadmodum elicuit volitionem B. ita poterat elicere nolitionem B. volitione non elicita. Et hoc est quod in tertia parte Articuli explicatur. Tandem in quarta parte, proponuntur tria argumenta contra illam doctrinam, de potentia illa tum reali tum Logica, quòd pro eodem instanti non posset velle B. supposito quòd nollet B. & soluuntur.

COMMENTARIVM.

QVod prima & secunda parte Articuli dicitur, est ita clarum, vt expositione non indigeat.

In tertia parte proponuntur duæ propositiones.

Prima est. Voluntas volens hoc obiectum quod dicitur A. potest non velle A. Ista propositio in sensu composito, est falsa; quia sensus eius est, quod voluntas volens A. & stante volitione, possit nolle; & sic simul vellet & nollet: in sensu diuiso est vera; sensus enim est, quòd voluntas, quæ vult A. potuit nõ velle A. actum volitionis non eliciẽdo, sed eliciendo actum nolitionis.

Sensus confusus & diuisus in hac materia est attendẽdus.

Propositio secunda est. Voluntas non volens obiectum pro hoc instanti, quod dicitur A. potest velle pro illo instãti A. Similiter hæc distinguẽda est, penes compositionem, in quo est falsa; & penes diuisionem, in quo est vera. Est autem falsa in sensu compositionis, quia eius sensus est enunciabilis per vnam propositionem Cathegoricam, sic: voluntas non volens obiectum pro instanti A. vult illud pro A. vbi apparet, quòd prædicatum repugnat subiecto; quòd enim subiectum propositionis affirmat, hoc prædicatum negat. In sensu autem diuisionis sunt duæ propositiones: vna de inesse negatiuè, scilicet, voluntas non vult obiectum pro instanti A. altera autem de possibili, affirmatiuè: voluntas potest velle obiectum pro instanti A. Ista verò sunt compossibilia. Exemplum est clarum in textu. In quarta parte Articuli, prima obiectio procedit contra dictum partis secundæ: vbi diximus, quòd realem potentiam ad velle obiectum pro A. esto quòd nolim pro A. sequatur potentia Logica, quę est non repugnantia terminorum: ita, quòd pro illo instanti, pro quo volo aliquid, possim nolle.

Arguit Doctor contra seipsum.

Hanc doctrinã magis explicãdo, obijcit contra se Doct.

Primò. Voluntas quando vult A. necessariò illud vult, ita quòd non possit non velle; ergo voluntas habet repugnantiam ad nolle A. & consequenter nulla est potentia Logica ad tales actus opposisos simul. Antecedens probatur per illud principium Philosophi. Omne quod est, quãdo est, necesse est esse; ergo non potest oppositũ conuenire.

Ad hanc rationem responderi posset breuiter. Negãdo Antecedens. Ad probationem diceretur: quòd vera sit de necessitate conditionali, & ex suppositione, non autem de necessitate simpliciter, de quo procedebat ipsũ antecedẽs.

Respondet sibi Doctor

Doctor tamen aliter respondet. Et vt solutio sit planior. Primò accipit vnum exemplum, in quo doctrinam respõsionis suæ declarat; postea dicit ad propositum. Exemplũ est. Hæc propositio: Animal currere, si homo currit, est necessarium; potest accipi, vel per Hypotetica seu conditionali, vt secundùm conditionem & suppositionem subiecti acceptam, modus necessitatis prædicetur de tali subiecto, vel pro Cathegorica & absoluta, vt modus necessitatis prędicetur de isto subiecto: currere, si homo currit, est necessarium. Si accipitur pro hypothetica, tũc ille modus, vel enunciat necessitatem consequentis, vel necessitatẽ cõsequentiæ: si consequentis; falsa est enunciatio, quia sensus est, quòd necessarium sit simpliciter animal currere; quod falsum est: si consequentiæ; vera est, quia sensus est, quòd ex vi sequelæ & argumentationis, illud consequens: ergo animal currit, necessariò sequatur, supposito tali Antecedente, homo currit; simpliciter tamen in re, vt Antecedẽs est merè contingens, ita & consequens non est simpliciter necessarium, sed tantùm secundùm quid, & ex præsuppositione. Si accipiatur secundo modo, vt est Cathegorica, vt de animali, quasi de subiecto, enuncietur hoc totum, currere, si homo currit, cum modo necessitatis, proferendo sic integram enunciationem: Animal currere, si homo currit, est necesse; tunc necessitas secundùm quid enunciatur de subiecto: ab ista autem necessitate, inferre postea: Ergo est necessarium simpliciter: Est fallacia à secundùm quid, ad simpliciter. Ita dic. Quòd illa regula Philosophi, vel accipitur vt hypothetica temporalis seu variabilis, vel vt cathegorica. Si vt hypothetica: vel notat necessitatem consequentiæ; & vera est: vel consequentis, seu necessitatem simpliciter; & negatur. Si vt Cathegorica; tunc de illo subiecto: Omne quod est, id est, omne quod habet esse, vel existit, prædicatur hoc prædicatum, quando est, cũ modo necessitatis, nimirum necesse est esse: In isto modo enunciandi, patet quòd infertur necessitas secundũ quid, non simpliciter. Quare non valet postea argumentatio; Ergo est necesse simpliciter. Breuiter. Illa propositio dicit necessitatem consequentiæ, & secundùm quid, non necessitatem consequentis, & simpliciter.

Necessitas consequẽtis alia à necessitate consequentiæ.

Oẽ qua nece se.

Secunda obiectio est. Regula artis obligatorię est, quod posito falsò contingenti de præsenti instanti, negandum est illud esse; vt posito quòd Paulus nunc sedeat, & tu dicis, Paulus nunc stat, negandum est Paulum stare: & intellige, quòd neget esse possibile. Quæ propositio confirmatur per hoc. Quia obligatur disputans supponere hoc, acsi verum esset, licèt de facto non sit verum, imò nec sit possibile. Tunc quæro, pro quo instanti sustinendũm est, vt verum? vel pro alio & alio, vel pro eodem. Si pro alio & alio instanti est; ergo pro illo instanti, pro quo est verum, quòd Paulus nunc sedet, falsa erit, Paulus nunc stat: si pro eodem instanti, pro quo est verum quòd sedeat, posset verificari, quòd posset stare; tunc hoc vel fieret per motum, vel per mutationem: neutro modo; ergo hoc non est possibile. Non per motum; quia motus, vt distinguitur à mutatione instantanea, non potest esse in instanti. Nec per mutationem; quia mutatio, Physicè loquendo, in eodem instanti, non fit simul oppositorum in eodem subiecto; ergo nec potest dici, quòd per mutationem simul sit & stans & sedens.

Sec iici Doc

Respondeo. Propositio illa prima, intelligendo eius prædicatum de possibili, quod sit impossibile esse: est falsa simpliciter. Nec enim sequitur. Est falsa pro hoc instanti hæc contingens; igitur est impossibilis.

Ad confirmationem. Dico; licèt sit verum pro alio instanti, non tamen est ad propositum: Nec pro eodem instanti in sensu compositionis, vt manente sessione stet; sed in sensu diuisionis, vt dictum est paulò ante; ex quo patet etiam respõsio ad Tertiam obiectionem, & ad Quartam.

ARTICVLVS QVINTVS.

Quæ sit libertas Diuinæ voluntatis, & quæ contingentia respectu volitorum.

Iuxta prædicta de voluntate nostra, &c.

SVMMA TEXTVS.

Prima Conclusio. *Voluntas Diuina non est indifferens ad diuersos actus nolendi & volendi. Ratio. Quia esset in potentia passiua ad perfectionem.*

Secunda Conclusio. *Voluntas Diuina libera est ad oppositos effectus.*

Tertia. *Voluntas Diuina libera est ad diuersa obiecta; ita quòd sicut nostra voluntas diuersis actibus volendi, potest acceptare diuersa volibilia, ita Diuina voluntas potest vnica simplicissima, & infinita volitione, acceptare quantumuis distincta obiecta.*

Quarta. *Voluntas Diuina, Essentiam Diuinam acceptat necessariò,*

ceſſariò, & non contingenter. Et ratio eſt. Quia eſſentia habet in ſe rationem ſummi boni ſummè diligibilis.

Quinta. *Omnia creata vel creabilia, acceptat Diuina voluntas contingenter, ita quòd poſſit non acceptare, idque ob earum bonitatem participatam & finitam.*

Sexta. *Modus, quo potuit Diuina voluntas non acceptare, id quod acceptauit, eſt is, quia vt ſecundum aliquod inſtans ſigni, præintelligitur voluntas prior volitione: in illo priori poterat ſe determinare voluntas ad nolendum illud, quod de facto vult; & hoc contingenter, quia illud vult nunc contingenter: quando autem voluntas vult pro inſtanti A. contingenter, non eſt repugnantia oppoſitum ineſſe.*

Septima. *Deus nouit futura contingentia certò, immutabiliter, & non impedibiliter, ex hoc, quia Deus ab æterno determinauit futura contingentia, ad alteram partem contradictionis. Intellectus igitur Diuinus, cognoſcens voluntatis Diuinæ determinationem, quòd hoc fiet pro tali inſtanti, ſcienſque voluntatem Diuinam non eſſe mutabilem vel impedibilem; ſcit quòd hoc certò erit immutabiliter, & non impedibiliter. Hoc explicando, dicitur: quòd contingentia, vel ſimplicia incomplexa, offeruntur voluntati Diuinæ ab intellectu Diuino, & poſtmodum determinatur complexio: Hoc erit, Hoc aliud non erit; à voluntate Diuina: vel ſecundò offeruntur ab intellectu voluntati, tanquam neutra & indifferentia, ſic: Hoc poterit eſſe vel non eſſe; & voluntas Diuina determinat, vt ſit: quam determinationem cognoſcens intellectus Diuinus, ſcit certò & infallibiliter hoc futurum, & non oppoſitum.*

[Margin: ...ira con...entia ...modo ...s co...ſcit.]

Octaua. *Eſſentia Diuina, ſicut intellectui Diuino eſt ratio repræſentandi, & intelligendi, obiecta ſecundaria neceſſariò complexa, ita eadem eſſentia eſt ratio repræſentandi tum contingentia ſimplicia, tum determinata à voluntate Diuina.*

[Margin: ...ntia di... eſt ratio ...noſcen... ...nnia in ...gibilia.]

Dubitatur.

Vtrum futura contingentia cognoſcat Deus ex determinatione voluntatis ſuæ?

Videtur quòd non. Primò. Quia ſequeretur, quòd liberũ noſtrum arbitrium flecteretur & determinaretur ad actum peccati, immediatè à Deo; Cõſequens eſt falſum, & contra fidem Catholicam; ergo & Antecedens. Conſequẽtia eſt euidens. Quia ſi omnia futura nouit, quia determinauit ita futura: ergo & peccata nouit, quia determinauit ita futura.

Secundò. Voluntas Diuina non determinat cauſas liberas ad operandum, ſed ipſę cauſæ ſeipſas determinant; ergo ex determinatione voluntatis Diuinæ non poteſt cognoſci, quòd cauſæ liberæ ſunt acturæ: Anteced. patet in peccatis, ad quæ Deus non determinat volũtatem noſtram, ſed permittit; ergo & ad alios actus, cùm per modum cauſæ vniuerſalis Deus concurrit, tm̃ permiſſiuè ſe habet, & nõ vult efficaciter contingentia fieri. Conſequentia. Quia inter determinationem voluntatis Diuinæ, & determinationem cauſæ liberæ, non eſt neceſſaria connexio, nec vna poteſt inferri ex alia.

Tertiò. Si Deus determinaret voluntatem ad actus liberos, non poſſet ſaluari libertas voluntatis creatæ. Nam qñ Deus determinat volũtatem ad operandum: vel poteſt voluntas reſiſtere determinationi Diuinæ, vel non; ſi poteſt; erit quidem voluntas libera, ſed ex determinatione voluntatis Diuinæ, non inferretur infallibiliter determinatio voluntatis noſtræ; ac proinde non poteſt, ex determinatione voluntatis Diuinæ, præſciri determinatio noſtræ voluntatis. Si verò non poteſt reſiſtere noſtra voluntas voluntati Diuinę, ſed infallibiliter ſe determinabit, poſita determinatione Diuina: iam tunc voluntas noſtra nõ erit libera, quia nõ liberè ſed neceſſariò operabitur. De ratione enim liberi arbitrij eſt, vt poſitis omnibus requiſitis ad agẽdum, in actu primo, poſſit agere & non agere, & poſſit ſeipſum determinare ad agendum & non agendum: determinari enim ab alio, eſt ſerui, non liberi; ſi igitur voluntas noſtra, determinata à voluntate Diuina, infallibiliter operabitur, & non poterit non agere: vnde non habebit illam indifferentiam ad agendum & non agendum, quæ eſt de eſſentia libertatis.

Ita arguit Molina 1. part. q. 14. articu. 18. diſp. 15. Ocam cum ſuis Nominalibus in 1. d. 38. & nonnulli recentiores.

Oppoſitum tenet Doctor Subt. hic, & in Report. quem communiter ſequuntur eius interpretes hic. Pręterea F. Andr. à Nouo Caſtro. lib. 1. diſtinct. 39. q. 5. Baſſol. Mayr. & Ant. Andr. diſtinct. præſenti quæſt. 1. Fauet eidem Vaſqu. 1. part. quæſt. 14. art. 13. diſp. 65. cap. 2. & 3. dum determinationem voluntatis Diuinę vocat cauſam remotam cognitionis futurorum. Zumel. ibid. diſp. 7. approbat ſententiam Doctoris Subt. ſuperiùs tamen idem author diſp. 2. appendice 2. ſatis hæſitat in hac materia; imò non pauci Thomiſtæ, præſertim illi, qui radicem contingentiæ ſtatuunt, reſpectu omnium contingentium, in actu voluntatis Diuinæ; Citat Vaſq. Durandum pro hac ſententia & Richardum. Sed iſtorum alia eſt opinio. Richardus enim fauet opinioni D. Tho. artic. 2. explicitè, vt ſuperiùs meminimus. Futura cognoſcit De⁹ ex determinatione voluntatis ſuę.

Durandus autem in 1. diſt. 38. q. 3. num. 18. vbi ſuam definitiuè ponit ſententiam, dicit: Deus cognoſcit futura contingentia, quia cognoſcit ea determinate, quantùm ad ſuas proprias & determinatas actualitates, quas habebunt. Nec cognoſcit ea per hoc, quòd ſint ab æterno præſentia realiter: ſed per hoc, quòd Eſſentia Diuina, vt cauſa, eſt ſufficiens ratio repræſentandi intellectui Diuino determinatè ſingula, modo quo dictum eſt ſuperiùs. Dixerat autem ſuperiùs idem diſtinct. 35. quæſt. 2. & 3. quòd eſſentia nec vt vna, nec vt habens plures relationes rationis, ſed eſſentia vt eſſentia, eſt repræſentatiua plurium: ex qua repræſentatione intellectus Diuinus cognoſcit futura.

Quæ ſententia alia eſt à noſtra, & dicimus hanc Durandi eſſe falſam, quicquid enim Eſſentia vt Eſſentia, ante determinationem voluntatis Diuinæ repræſentat, repræſentat neceſſariò, neceſſitate ineuitabilitatis & ſimpliciter; & conſequenter, & futura tali modo eſſent determinata neceſſariò ſimpliciter, & non contingenter.

Pro reſolutione. Nota Primò. Contingens dici aliud per ſe, quod non ex imperfectione aliqua, ſed ex plenitudine poteſtatis, poſitis omnibus, poteſt agere & non agere. Aliud contingens eſt per accidens & ſecundùm quid, quando aliquid poteſt ſe aliter habere ex imperfectione vel defectu cauſæ materialis aut efficientis. Contingentia per ſe, eſt contingentia intrinſeca, procedens à voluntate intrinſeca agenti; & eſt poſitiua, quia principium contingentiæ eſt voluntas. Contingentia autem per accidens, eſt extrinſeca, quia prouenit ex aliquo impedimento extrinſeco accidentali: eſt etiam priuatiua, non poſitiua: prouenit enim contingentia huiuſmodi ex defectu & priuatione alicuius diſpoſitionis cauſarum. Præſens igitur dubitatio procedit principaliter de contingentibus per ſe, de illis nempe effectibus, qui à libera noſtra voluntate procedunt; & ſecundariò etiam procedit de contingentibus illis, quæ à cauſis naturalibus impedibilibus, vel non impedibilibus procedunt, vt effectus caſuales, vt curſus Solis, motus orbium cæleſtium, &c. Contingẽs per ſe & per accidens.

Nota Secundò. Ex F. Ant. Tromb. in tractatu de præſcientia Dei, & deduci poteſt ex dictis infra à Doct. in ſolutione ſecundi principalis. Quòd ſicut determinatio eſt duplex, ita & indeterminatio. Indeterminatio enim alia eſt de ineſſe, alia de poſſibili: idq; tum ex parte cauſæ, tum ex parte effectus. Indeterminatio de poſſibili, ex parte cauſæ, eſt, quando aliqua cauſa non eſt determinata ad poſſe agere & non poſſe agere; Indeterminatio de ineſſe, ex parte cauſæ eſt, quando aliquid non eſt determinatum ad actu agere & actu non agere; Similiter indeterminatio de ineſſe eſt, ex parte effectus, quando effectus non determinatur ad produci vel non produci: Indeterminatio de poſſibili, quando effectus poteſt produci vel non produci. Sicut igitur dicimus de indeterminatione, ita dicendum eſt, de determinatione, quòd iſta proportionaliter poteſt eſſe ex parte cauſæ, & ex parte effectus; eaque vel de ineſſe vel de poſſibili. Determinatio cauſæ de ineſſe, eſt, quando aliqua cauſa determinatur ad produci, ſic, quòd tamen eius potentia non neceſſariò determinatur ad poſſe, quia poteſt non producere; ſic Socrates deter- Indeterminatio alia de ineſſe, alia de poſſibili. Determinatio de ineſſe vel de poſſibili.

minat voluntatem suam ad diligendum Deum, determinatione de inesse, non tamen determinatione de possibili, quia voluntas potest non diligere. Determinatio de possibili est determinatio ad posse, ita quòd oppositum talis potentia non possit. Istam determinationem de possibili, necessariò consequitur determinatio de inesse, quod enim est determinatum ad posse producere, determinatum est ad actu producere, cæteris positis; sic quia lapis ab intrinseco per suam grauitatem determinatur ad posse deorsum moueri; determinatur & ad actum motionis deorsum ab eadem forma, & oppositum à forma intrinseca non potest fieri, nisi ab aliquo extrinseco. Determinatio tamen de inesse non infert determinationem de possibili. Patet: dum enim actu diligo Ioannem, vel meipsum moueo, non sequitur quòd sit determinatio ad vnum posse, quia possum in oppositum, possum enim me non mouere, possum non diligere Ioannem. Proportionaliter dicendum est de determinatione effectus, quòd determinatio in effectu, vel est de inesse vel de possibili.

Quõ Deus determinat ad vnã partem futura contingẽtia

Effectus igitur contingens ex se, est indeterminatus indeterminatione de inesse; determinatur autem à voluntate Diuina determinatione de inesse; sed non determinatione de possibili, quia potest oppositum esse ab intrinseco; quia ille effectus ab intrinseco non est determinatus ad vnam partem contradictionis, puta ad posse esse; quia sic esset ens necessarium, non contingens, si ab intrinseco determinaretur; nec ab extrinseco est determinatio de possibili, quia Diuina voluntas determinans Antichristum fore pro instanti A. determinat determinationẽ de inesse, quia hoc ita erit; sed non determinatione de possibili, quasi non possit determinare aliter. Ac proinde cum determinatione de inesse tam ex parte causæ, quàm ex parte effectus, stat vera indeterminatio de possibili, & in causa, & in effectu. Vnde nullam necessitatem infert rebus voluntas Diuina, determinans illas fore determinatione de inesse.

Determinatio diuina duplex, respectu actuũ nostrorum.

Aduerte vlteriùs. Quòd determinatio Diuina dupliciter potest cogitari respectu actuum nostrorum. Primò æterna, absque vlla mutatione nostræ voluntatis, ita quòd quia Deus vult efficaciter aliquid, illud certò erit ex perfecta obedientia effectus creati, ad primam causam infinitam: alia potest cogitari temporalis determinatio, qua Deus mouet voluntatem ad actus, ita quòd priùs natura, quàm eliciat voluntas nostra actum, determinatur & excitatur à Deo ad talem actum. Hoc secundum docent Thomistę; de quo nos alibi: interim dubitatio procedit de priori determinatione.

Hæc doctrina est valde notanda, quia multas difficultates soluit in præsenti materia.

Volũtas diuina determinat futura contingẽtia.

Conclusio. Causa, quæ determinat futura contingentia determinatione de inesse, est Diuina voluntas. Probatur Primò. Futurum contingens, (vt Antichristum fore) nouit Deus ab æterno determinatè cognoscendo vnam partem affirmatiuam contradictionis; quæro vel illud contingens ex se determinatur ab æterno, vel ab alio? Non à se; quia ex se est indifferens & determinatum vtraque indeterminatione tam de inesse, quàm de possibili; & si in se haberet formaliter causam determinationis, non esset ens contingens, sed necessarium: ergo determinatur ab alio: hoc autem non aliud est quàm Deus: ergo futurum contingens immediatè determinatur à Deo. Cùm igitur potentiæ operatiuæ in Deo, sint intellectus & voluntas, quæro vel determinatio est ab intellectu, vel à voluntate. Non ab intellectu; quia intellectus (vt aliquomodo distinguitur à voluntate) est potentia merè naturalis, vt dictum est supra; & ita quicquid operatur, necessariò simpliciter operatur; & consequenter, si determinatio esset ab intellectu Diuino, erit simpliciter naturalis; & summè necessarium illud contingens determinatum; quod est inconueniens: si à voluntate; habebetur propositum.

Probatur Secundò. Cognitio effectus contingentis futuri, duplex est: vel per causam, vel per effectum: Deus igitur cognoscendo futurum contingens; vel agnoscit per effectum; & hoc est inconueniens, quia cognitio per effectum, est imperfectior, quàm cognitio per causam; & deinde vilesceret intellectus Diuinus; quia in cognoscendo futuro dependeret ab ipso futuro; & ratio cognoscendi futurum, esset aliud ab Essentia Diuina, nempe ipsum futurum, quod est impossibile: si cognoscit per causam; vel per aliam à se, vel per seipsum; per aliam à se est inconueniens; imò aliud à Deo, esse Deo causam & rationem cognoscendi, est impossibile; quia poneret imperfectionem & dependentiam in Deo: ergo per seipsum; tunc vel per intellectum, vel per voluntatem, vt priùs, &c.

Con… tię n… volu… uina.

Tertiò. Probatur, ex communi dicto Theologorum, quòd radix contingentiæ est voluntas Diuina: ergo causa contingentiæ in effectibus contingentibus, debet reuocari ad primam radicem omnis contingentię, ad voluntatem Diuinam.

Quartò. Ideo A. est producendum, quia Deus est productiuus; ergo ideo A. est futurum, quia Deus vult illud fore. Antecedens. Ideo enim aliquid producitur, quia Deus producit, & dat esse, & si non daret esse Deus, res non produceretur. Consequentia. Quia Deum velle A. fore, est Deum esse productiuum A. sicut Deum velle A. esse in actu præsenti, est Deum esse producentem A.

Quintò. Illa, quæ sunt futura à solo Deo immediatè, ideo sunt futura, quia Deus vult, vt de se est clarum; neque enim ex se est futurum, nec ab alio, quàm ex determinatione voluntatis Diuinæ: ergo & illa futura, quæ fiunt simul à Deo, & à causis secundis, ideo sunt futura, quia Deus vult. Probatur hæc consequentia. Deus per suum velle, concurrit effectiuè ad esse cuiuscunque futuri, simul cum causis secundis; ergo saltem loquendo de causalitate illa partiali Dei, ideo futurum erit, quia Deus vult illud fore.

Sextò. Idem probari potest ex refutatione aliarum opinionum, facta in præcedentibus, quòd ista via cognoscendi futura sit certa.

Opi… mina… cogn… futu…

Dices. Præter opiniones superiùs recitatas, est conuenientior alia Nominalium opinio, quos sequitur Valẽt. & ex parte Vasqu. cùm dicunt, cognosci ex hoc præcisè, quia intellectus Diuinus est infinitus, & futurum contingens est ens cognoscibile; ac ita aptum est cognosci ab intellectu perfectissimo & infinito; ac proinde non est alia causa quærenda, quomodo Deus cognoscat futura, nisi quia futurum est intelligibile, & intellectus infinitus aptus est intelligere omnia.

Re… hæc…

Respondeo. Illa opinio non reddit causam vllam Diuinæ cognitionis respectu futurorum, quia supposito, quòd intellectus Diuinus cognoscitiuus sit omniũ possibilium, & contingentia sint cognoscilia: quæro, quomodo intellectus Diuinus infinitus rem futuram, in seipsa simpliciter indeterminatam, & indifferentem, possit cognoscere determinatè pro vna parte, non pro altera; vel hoc est ex parte rei, vel ex parte intellectus, vel ex parte vtriusque? Non ex parte rei; quia contingens secundùm se sumptum, est indeterminatum indeterminatione & de inesse, & de possibili: Non ex parte intellectus; quia intellectus Diuinus, vt aliquomodo præcedit actum volitionis Diuinæ, necessariò intelligit & naturaliter, & sic naturalis & necessaria simpliciter esset ista determinatio: Nec ex parte vtriusque; quia determinata illa (vt sic dicam) futuritio contingentis, non potest, neque ad contingens in se, neque ad intellectum Diuinum reduci. Qsiare opinio hæc nullo modo mihi probatur: & multò minùs illa, quæ dicit, quòd Deus cognoscens causas impedibiles, non cognoscit certò futurum effectum; si autem cognoscat causas determinatè non impediendas, cognoscet effectum. Talis namque doctrina ponit non cognoscere Deum omnia distinctè, & certò, quod est contra Patres, & contra rationem, quia notitia imperfecta & fallibilis, intrinsecè dicit imperfectionem. Deinde quomodo cognoscit causas impedibiles, & futurum impedimentum?

A D… gnos… ra p… gnitio… caus… pedib… opinio sa.

AD AR-

AD ARGVMENTA IN PRINCIPIO dubitationis posita.

AD Primum. Respondeo Primò. Illa difficultas est cõmunis omni sententiæ Scotistarum, Thomistarũ, Nominalium, & Neotericorum. Omnes enim dicunt Deũ ad quosuis actus humanos & creatos, concurrere effectiuè; ergo & ad actus peccati. Vnde sicut ad hanc difficultatem respondet Doctor Subt. in 2. dist. 37. (& est communis responsio et aliorum) quòd in peccato est duo considerare: primò materiale, nempe ipsam substantiam actus, cui annexum est peccatum; & secundò formale, nempe carentiã rectitudinis debitæ inesse tali actui, quæ carentia est priuatio proueniens à causa deficiente, qualis est sola causa secunda. Ad primum igitur concurrit Deus, & determinat causam secundam, & hoc omnes concedunt: sed hoc non est concurrere vel determinare ad peccatum, quia peccatum non consistit in actu materiali, sed in illa carentia rectitudinis, ad quam non determinat Deus, sed est à sola causa deficiente secunda. Vnde qua ratione ibi soluunt hanc difficultatem, eodem modo hìc respondendum est. Secundò. Responderi potest conformiter ad distinctionem 47. huius libri, quòd Deus actus bonos & indifferentes scit ex determinatione voluntatis Diuinæ; quia voluntas Diuina determinat illos fore; actus verò malos moraliter, seu malum culpæ, cognoscit Deus, non ex determinatione positiua voluntatis suæ, determinata super malum culpæ; quia sic Deus esset author mali, sed ex permissione voluntatis Diuinæ, quæ permissio est actus negatiuus, scilicet, non velle prohibere actum peccati: Cùm ergo Deus certò sciat suam permissionem peccati, & cooperationem cum creatura ad actum talem, cui annexum est peccatum (loquendo de peccato commissionis) certò scit & permittit, sed non vult peccatum. Loquendo autem de peccato omissionis, illud scit Deus, quia certò nouit se tali instanti non cooperaturum ad actum bonũ, & permissurum creaturam non operari.

Ad Secundum. Respondeo Primò. Maiorem esse falsam. Nec instantia de peccatis valet: quia determinat ad materiale, non autem ad formale peccati: & hoc modo certò scit peccatum ratione materialis, quod non est peccatum. Respond. Secundò. Esto quòd etiam ad materiale peccati non determinet voluntatem; sufficit tamen quòd determinat suam permissionem, quia videlicet determinatè scit, se non velle prohibere actum malum: & ista determinatio permissionis, potest dici determinatio negatiua voluntatis Diuinę, vt dicitur dist. 47.

Ad Tertium. Nego sequelam Maioris. Ad probationem. Dico, quòd potest voluntas creata resistere; quia nõ est determinata de possibili, sed de inesse. Cùm infers. Ergo non infallibiliter Deus scit, quia potest in oppositum voluntas creata. Respondeo. Scit Deus infallibiliter actum futurum, sicut est determinatus ad fore per determinationem de inesse, quia hoc certò erit; non autem scit infallibiliter non posse esse, quia non determinat Deus, determinatione de possibili, talem effectum: Quare, ex determinatione creaturæ de inesse, argumentari ad determinationem de possibili, quod non possit in oppositum, est fallacia figuræ dictionis: argumentari etiam ab indeterminatione creaturæ de possibili, ad indeterminationem scientiæ Diuinæ de inesse, est fallacia consequentis, à destructione Antecedentis.

Natura De' terminã- non determinat ad is pecca

peccato est con-trare.

ARTICVLVS SEXTVS.

Soluuntur argumenta Articulo secundo adducta.

Ad argumenta pro secunda opinione.

COMMENTARIVM.

LItera istius Articuli clara est ex dictis art. 2.

Illud dictum vltimum, quòd Patrum testimonia, quæ videntur sonare, Deo esse omnia præsentia in æternitate intelligi debent, quòd sunt præsentia in æternitate, nõ secundùm veram existentiam, sed secundùm rationẽ cognoscibilis & esse obiectiui, acceptat 1. par. q. 14. pun. 5. §. 1. Valen. & D. Thomam ad eundem sensum trahit.

Illud quod dicitur, cognitione intuitiua cognosci à Deo, futura, videtur habere difficultatem: quia secundùm hunc Doctorem in 2. dist. 3. q. 9. cognitio intuitiua terminatur ad existens vt existens est; cùm igitur res ab æterno non habuerint suam existentiam; non videtur fuisse ad eas terminatam cognitionem intuitiuam. Futura an Deus cognoscat cognitione intuitiua.

Respondeo. Diximus supra cum Doctore, q̃ res vt cognitæ in Essentia Diuina, perfectius habent esse, quàm in seipsis; & consequenter si cognoscuntur à nobis in seipsis, cognoscuntur intuitiuè: dum perfectiori modo cognoscũtur à Deo, cognoscentur perfectè intuitiuè; terminata cognitione Diuina ad Essentiam Diuinam vt existentẽ, tanquam ad obiectum primarium; ad creaturam, vt ad secũdarium. Vnde quamuis cognitio Diuina, vt præcisè intelligitur terminari ad obiectum secundarium, non terminetur vt ad existens formaliter; quia formaliter res creatę non existunt ab ęterno; in ratione tamen cogniti, & in rõne entis obiectiui ad cognoscendum, perfectissimo modo repræsentantur ab essentia Diuina; & ita perfectissima cognitio habetur de illis, qualis est intuitiua.

Ad authoritatem Doctoris adductam in oppositum. Respondeo. Duplex est cognitio intuitiua: vna formalis, quæ est de obiecto formaliter existenti: & de illo loquitur Doctor in 2. dist. 3. q. 9. altera eminentialis, quando creatura continetur in aliquo eminenter, & perfectiori modo quàm sit in se; & cùm isto modo creatura contineatur in Deo; perfectiori modo cognoscetur à Deo, quàm cũ cognoscitur ab intellectu creato, vt est in sua existentia. Percipietur hoc clariùs, si intellectum Diuinum comparemus cum creato. Nam intellectus noster in absentia rei, cognoscit rem per speciem, quæ species communiter in abstracto & in confuso repræsentant: in Angelico intellectu species multò sunt perfectiores, secundùm proportionem intellectus; vnde perfectiori modo repræsentant eandem rem, quàm nostræ species nobis; & quantò Angelus est perfectioris naturæ, tantò species repræsentatiuas perfectiores habet, & perfectiori modo intelligit. Quantumuis tamen species Angeli augeatur vel intendatur, etiam in infinitũ, in repræsentando abstractum, nunquam repræsentabit vt intuitiuè cognitum, quia ratio illa cognoscendi in Angelo, est accidens, habens imperfectè similitudinem cum re repræsentata: Diuina Essentia, quæ est ratio repræsentandi intellectui Diuino, cùm sit infinitè perfecta in repræsentãdo, & contineat omnem perfectionem entis formaliter, aut eminenter; consequenter modo in infinitum perfectiori repræsentabit creaturam, quàm vlla species Angeli, & propter continentiam formalem vel virtualem omnis entis, apta erit repræsentare rem in ratione obiecti cogniti modo perfectissimo, qualis cognitio creaturæ est intuitiua eminentialis. Cognitio intuitiua duplex.

SOLVVNTVR ARGVMENTA principalia.

Ad argumenta principalia per ordinem. Ad Primum dico, quòd non est similis, &c.

COMMENTARIVM.

SOlutio primi argumenti est clara.

Secundum fuit tale. Si Diuina potentia esset determinata ad alteram partem, ita, q; posset hoc producere, & non oppositum; esset illa potentia limitata & imperfecta; ergo si ita sciat vnam partem q; non aliam, erit scientia limitata & finita; & consequenter non erit omnisciens.

Respondetur. Ista tria: Scientia, voluntas, potentia, possunt comparari, vel actu, ita q; affirmetur actus & negetur actus, vel affirmetur actus, & negetur potentia. Actu sic; Quando actu est scientia vnius oppositi, non est actu alterius; similiter, qn voluntas actu vult hoc, non stat oppositum; & qn potētia producit actu hoc, oppositum eius actu nō producit. Et ista comparatio est verissima horū trium; & in Deo reperitur; qn enim Deus actu scit Antichristum fore, vult illum fore, imò cùm producit actu, non pōt oppositum stare actu, q; actu nesciat, nolit, non producat; sed ista determinatio scientiæ, voluntatis, & potentiæ ex actu, nullam ponit imperfectionē; & sic intelligendo argumentum, & Antecedens & Consequens est falsum. Alter sensus pōt esse, per comparationem actualis determinationis ad potentialem, sic: Intellectus qui actu scit Antichristum fore, & non pōt scire oppositum: similiter voluntas, quæ vult A. fore, ita, quòd non possit non velle: & potentia quæ ita determinatè producit aliquod creabile, quòd non possit non producere: isti modi loquendi dicūt imperfectionem; sed non reperiuntur in Deo. Responsio hæc consimilis est doctrinæ articu. 5. in dubitatione, traditæ.

QVÆSTIO II.

Vtrum Deus habeat certam notitiam & infallibilem omnium, quantùm ad omnes conditiones existentiæ.

Arguo quòd non. Quia sequitur, Deus nouit me sessurum cras, &c.

COMMENTARIVM.



Onclusio affirmatiua declarata est quæst. præcedenti art. 5.

Dei notitia de futuris est certa & infallibilis.

Circa solutionem Primi argumenti. Aduerte. Quòd vis argumenti procedit ex comparatione hac; sicut ad istas duas præmissas de inesse: Deus nouit me sessurum cras, & non sedebo cras, sequitur ista Conclusio de inesse: Ergo Deus decipietur; ita ex ista de inesse: Deus me nouit sessurum cras: & hac Minori de possibili, Possum non sedere cras: sequitur hæc Conclusio de possibili: Ergo Deus potest decipi: quia ex vna propositione de inesse, & altera de possibili, sequitur conclusio de possibili.

Ad vnam de inesse & alteram de possibili nō sequitur cōclusio de possibili vniuersaliter.

Respondet Doctor. Negādo paritatem. Licèt. n. ad duas de inesse, sequatur Cōclusio de inesse (sed in proposito Minor est falsa, & consequenter Conclusio nulla) non tñ Syllogisticè, ad vnam de inesse, & alteram de possibili, sequitur Cōclusio de possibili. Ratio est. Quia Cōclusio ex duabus de inesse, bene sequitur: q; enim in vna de inesse affirmatur pro instanti A. hoc in altera negatur pro eodem instanti; ac per consequens, verè sequitur deceptio; sed in secundo exemplo, quod in Maiori affirmatur pro instanti A. notitia Dei de sessione mea crastina: in Minori negatur notitia pro eodē instanti A. quia non sessio de Petro, negatur in sensu diuiso; in Maiori autem, absolutè & in sensu composito affirmatur: ac proinde non sequitur Conclusio ob diuersum modum significandi præmissarum.

Istam responsionem cōfirmando, dicitur, q; oppositum Conclusionis accipiendo huic vltimę, nēpe, Deus non pōt decipi; & cōiūgēdo cum illa Minori de possibili, Ego possū non sedere cras: non infertur oppositum (subintellige Maiori) ergo Deus nō scit, & consequenter decipitur: sed infertur Conclusio cum modo necessitatis, sic, Ergo Deus nō necessariò intelligit me sessurum cras. Cætera patent.

Circa secundā solutionem. Aduerte. Dum dicitur: Deus scit me sessurum cras, possibile est me nō sedere cras: istud possibile ponatur in actu, q; non sedeam cras; quod potest supponi, quia posito possibili in esse, nullum sequitur impossibile, sequitur q; Deus decipietur; quod est impossibile.

Respondendum est cum Doctore. Cùm hoc possibile, Me non sedere cras est possibile, reducetur ad actum, non sedere cras; ex hoc solo nulla sequitur impossibilitas; si tamen ponatur de inesse cum aliquo alio, respectu cuius repugnat bene sequitur incompossibilitas: vnde si hæc de inesse non sedebo cras, adiūgatur isti, Deus me scit certitudinaliter sessurum cras: est adiunctio impossibilis, quia impossibile est, quòd Deus sciat me sessurum, & quòd ego non sedeam cras.

Reliqua verba textus explicant hanc responsionem.

QVÆSTIO III.

Vtrum Deus habeat immutabilem notitiam de omnibus, quantùm ad omnem conditionem existentiæ.

Arguo quòd non. A contradictorio in contradictorium, non potest esse transitus, &c.

Notitia de Deo est immutabilis.

COMMENTARIVM.



Olutio primæ rationis in hoc potissimū fundatur, q; ad mutationem requiritur transitus de non esse ad esse, qualis transitio non est in cognitione Diuina; sed pro eodē instanti, pro quo inest notitia vel volitio huius, poterat nō inesse in sensu diuiso, vt dictū est supra; ac proinde non esset transitus de contradictorio in contradictorium, si Deus non sciuisset hoc, quod scit.

Dices. Deus scit B. si igitur nesciret B. aliquid aliter se haberet: quid ergo aliter se habet? Dicendum est, quòd non ipse Deus aliter se habet, quia ipse ita se habet dum scit, sicut se haberet si nesciret, si voluntas non determinaret; sed aliter se habet B. cognitum, & non aliter se habet nunc, quàm priùs, quia non habuit priùs; sed aliter se haberet, quàm nunc se habet.

Cætera patent ex dictis q. 1. maximè art. 4. ex quo loco ad plenum haberi potest notificatio responsionis ad Tertiam.

QVÆSTIO IV.

Vtrum Deus necessariò sciat omnem conditionem existentiæ omnium.

Arguo quòd sic; quia Deus immutabiliter scit A. &c.

SVMMA TEXTVS.

In prima parte ponitur Opinio D. Thomæ, eiusque Sectatorum 1. p. q. 14. art. 13. in respons. ad 1. quòd scientia Dei est necessaria & consequenter necessariò Deus scit futura; tamen ipsa futura vt relata ad causas secundas, à quibus producuntur, suntcontingentia.

Hæc sententia improbatur à Doctore 4. rationibus satis euidentibus, & maximè euidentiam hæc confutatio habet ex dictis supra dist. 2. q. 2. art. 4. dubit. 1. & 2.

In secunda parte respondetur ad quæstionem, primò secundū aliorum sententiam: deinde secundum propriam.

Responsio aliorum est. Ista propositio: Deus necessariò scit Antichristum fore; distinguenda est, secundum sensum compositionis, in quo est falsa & secundùm sensum diuisionis, in quo est vera. In sensu enim compositionis, notatur necessitas scientiæ, vt transit super Antichristum; in sensu autem diuisionis, sumitur scientia Dei secundùm se, quæ est idem Deo, & necessaria vt Deus.

Istud tamen non est bene dictum. Quia cùm notitia Dei, respectu creaturæ, terminetur ad creaturam, & secundùm hanc partem

partem accipiatur, non est facienda distinctio in tali modo de notitia, vt terminatur ad obiectum secundarium, vel vt nō terminatur, quia accipitur vt terminatur.

notitia implici necessa- ad con- entia ta vt ter- atur, cō ēter ter atur.

Propria igitur & vera responsio est. Quòd, quamuis notitia Dei ad intra, & secundùm se, sit necessaria simpliciter; notitia tamen Dei, vt terminatur ad contingens, continenter terminatur, vt dicendo; Deus necessariò scit Antichristum fore: est simpliciter propositio falsa. Ratio est. Quia notitia Diuina, potuit non terminari ad Antichristum, si voluntas Diuina non voluisset Antichristum fore, & ita, non necessariò, sed contingenter Deus scit Antichristum futurum. Vt etiam longè probabilius putat Bannes 1 par. q. 14. art. 13. tractans de hac materia Concl. 5.

In tertia parte respondetur argumentis principalibus. Et vltimò duo motiua, pro opinione primę partis adducta, soluuntur.

COMMENTARIVM.



Irca secundam partem. Aduerte. Obiectionis illius de actu rationali, hunc esse sensum. Actus rationalis, qualis est intelligere, velle, dicere &c. non distrahitur, quia transit super distinctam materiam, seu distincta obiecta: quòd vel maximè verum est in Deo, in quo est vnus actus intelligendi, transiens super omnia subiecta; imò etiam & in nobis non distrahitur, secundùm diuersam suppositionem actus dicendi, ex hoc, quia transit super diuersa obiecta, puta supra meum suppositum; vt cùm dico me nihil dicere: & supra suppositum aliud; vt cùm dico, Petrum aliquid dicere; vtrobique enim est actus dicendi verus, & eiusdem rationis: ergo intellectio Diuina, cùm sit necessaria, summa necessitate, quia est idem quod Deus; sequitur, quòd dum transit super obiecta contingentia, non distrahitur ex hac terminatione ad illa; & consequenter erit ita necessaria, vt transit super obiectum contingens, sicut est necessaria, vt non intelligitur terminari ad aliquod contingens.

Respondet Doctor Subt. Quòd quamuis non distrahatur ille actus, à simpliciter ad secundùm quid, vt scilicet secundùm se sit actus intelligendi simpliciter, & vt transit super diuersa obiecta, sit actus intelligendi secundùm quid (ita enim in me est vera intellectio, dum intelligo hominem pictum, sicut dum intelligo viuum; & ita dico, cùm animo me nihil dicere, sicut enim cùm dico me aliquid dicere; ita etiam Deus intelligit verè se, & verè ac simpliciter, & non secundùm quid, intelligit creaturam) secundùm quem sensum communiter accipitur illa propositio. Actus rationalis non distrahitur per materiam super quam transit: potest tamen non esse necessitas actus, vt transit super materiam, licèt sit necessitas actus in se; & sic dicimus, quòd intellectio Diuina, vt intelligitur transiens super contingentia, est contingens; vt est in se, vel transiens super necessaria, est necessaria. Confirmatur à simili per velle Diuinum, quod in se, & respectu entis necessarij, est summè necessarium; respectu autem contingentium, est contingens. Id tamen non ita accipias, quasi intellectio vel volitio Diuina, sit in entitate sua, & necessaria & contingens: hoc enim est impossibile; sed sensus est, quòd intellectionis vel volitionis ipsa terminatio & transitio super contingentia, non sit necessaria, quia vt potuit non velle Deus hoc contingens, ita potuit non intelligere: & consequenter, vt volitio, ita & intellectio, terminatur contingenter, ad tale volitum vel cognitum contingens.

s ratio nō di itur p riā fu uā trā

In tertia parte, Primi argumenti vis est: Deus cognoscit immutabiliter contingentia, secundùm omnes; ergo necessariò. Consequentia probatur. Tum quia in Deo est necessitas, non alia, quàm immutabilitatis; ergo quicquid scit immutabiliter, scit necessariò. Tum quia omne immutabile, est necessarium, sicut omne possibile est mutabile. Deus futura nouit immutabiliter, nō tamē necessariò.

Respondet Doctor. Negando consequentiam. Ad probationem primam dico. Ex quatuor modis necessitatis, quos enumerat Aristot. 5. Metaph. & retulimus q. 1. prologi, sola necessitas immutabilitatis transfertur ad Diuina; sed non sola ibi est necessitas immutabilitatis, sed etiā necessitas illa perfectissima ineuitabilitatis, ita quòd oppositum est impossibile; & ista necessitas ineuitabilitatis infert necessarium simpliciter. Necessitas autem immutabilitatis præcisa, non infert necessitatem nisi oppositam mutationi, immutabilitas enim est priuatio mutationis; mutatio autem est transitio de non esse ad esse; ac proinde immutabile erit, quod habebit esse sine mutatione & successione? Verùm potest aliquid habere esse sine successione & sine mutatione, & tamen nō necessarium simpliciter, vt si creaturæ fuissent ab æterno productæ, essent absque successione, & tamen contingenter, vt in 2. dist. 1. q. 3. dicitur. Si tamen immutabilitas accipiatur pro ineuitabilitate simpliciter, cui repugnat non esse, vt accipiebamus hunc terminum distin. 8. tunc Deus non intelligit hoc modo immutabiliter contingentia, quia non repugnat illa non intelligi; si voluntas Diuina non volet: sed immutabiliter Deus intelligit contingentia, quia non est successio in illa cognitione, vt ex non cognoscente fiat cognoscens, vel è conuersò. Eodem modo responderi potest ad secundam probationem. Immutabilitas dupliciter accipitur.

Doctor tamen dicit aliter. Omne existens aliud à Deo, esse mutabile illo modo, quo dictum est dist. 8. non tamen possibile secundùm esse cognitum vel volitum est mutabile; quod explicatum fusè vide supra distin. 35. quæstio. 1. artic. 3. dubit. 1.

Aliæ rationes principales sunt euidentes, & patent ex dictis.

Illud quod dicitur circa finem de contingentia, illam non dicere imperfectionem & priuationem, explicatum est supra dist. 2. q. 2. art. 4. dubit. 2. Contingentia non dicit imperfectionē, nec priuationē.

QVÆSTIO V.

Vtrum cum determinatione & certitudine scientiæ Diuinæ, possit stare aliqua contingentia, ex parte rerum in existentia.

Arguo, quòd non. Quia sequitur Deus scit A. ergo, &c.

COMMENTARIVM.

Ecundi argumēti illius. Omne scitum à Deo, de necessitate erit; Antichristus est scitus à Deo: ergo Antichristus necessariò erit: solutio in hoc consistit; quòd vt Cōclusio sequatur necessaria, præmissæ debent esse necessariæ; cùm ergo in dicto argumento Minor sit contingens, & Maior est necessaria, debet sequi conclusio contingens, non necessaria; vel si debet sequi necessaria, debet Minor poni simpliciter necessaria. Imo addo, sic etiam Minor esset simpliciter necessaria, cùm Maior propositio sit necessaria ex suppositione, Conclusio etiam sequeretur necessaria ex suppositione, non autem necessaria simpliciter.

DISTINCTIO XL.

DE PRAEDESTINATIONE, ET REPROBATIONE.

QVAESTIO VNICA.

Vtrum prædestinatus possit damnari.

Quòd non. Omne præteritum, &c.

SVMMA TEXTVS.

Prima Conclusio. *Prædestinatio est actus Diuinæ voluntatis, ordinantis creaturam intellectualem ad gloriam & gratiã; & licèt principaliter prædestinatio sit actus voluntatis, concomitanter tamen est actus intellectus.*

Secunda Conclusio. *Deus contingenter prædestinat illum quem prædestinat, & potest prædestinatum non prædestinare; istud autem potest facere, non simul ambo opposita volens; nec primò vnum, postea aliud: sed vtrumque simul, in instanti æternitatis, vt explicatum est dist. præcedenti q. 1.*

Prędestinatus põt dãnari.

Tertia Conclusio. *Prædestinatus potest damnari, & reprobus prædestinari, in sensu diuiso, non coniuncto, accipiendo propositiones. Similiter prædestinatus potest non prædestinari, & reprobus non reprobari.*

COMMENTARIVM.

Prędestinatio est actus intellect⁹, secundũ Thomistas.



Irca Primam Cõclusionem, difficultas occurrit. Videtur quòd prædestinatio sit principaliter actus intellectus, & concomitanter actus voluntatis, vt vult Caietanus 1. par. q. 23. ar. 1. Ban. Zum. Mol. & Val. ibid.

Quod probat Zumel. Primò. Prædestinatio est prima & immediata causa primi effectus prædestinationis; sed Deus primò & immediatè operatur per intellectum, supposita voluntate eorum quæ vult, cùm sit agens intellectuale; igitur prædestinatio est actus intellectus, supposita tamen voluntate.

Secundò. Prædestinatio se habet erga effectus supernaturales, sicut se habet ars respectu artificiatorum; sed ars pertinet ad intellectum; ergo & prædestinatio. Confirmatur authoritate S. Aug. lib. 2. de bono perseuerantiæ, c. 17. Prędestinare est, in pręscientia disponere futura, & ordinare; sed ordinare in finẽ, non est formaliter approbare, quæ approbatio est actus voluntatis; ergo & prædestinare, non erit actus voluntatis.

Prędestinationem tamen consistere principaliter in actu voluntatis, docent non tantùm omnes Scotistæ, cum Doctore, dist. pręsenti, sed etiam apertè est S. Bonau. in 1. dist. 40. art. 1. q. 2. Aureoli ibid. art. Gabr. Vasqu. disp. 87. cap. 3. Arimin. dist. præsenti. q. 1. ar. 1. Ocam ibid. & Duran. q. 2.

Alexander verò de Ales 1. par. q. 26. membro 1. ar. 1. & 2. Richar. in 1. dist. 40. art. 1. q. 1. docent vtrumque actum ex æquo includi in prædestinatione.

Secũdũ Scotistas prędestinatio est actus volũtatis.

Dico. Prædestinatio est principaliter actus voluntatis, & concomitanter actus intellectus. Quod sic ostendo. Quando aliquis actus communior & vniuersalior, est actus voluntatis principaliter, & concomitanter intellectus, tunc actus minùs vniuersalis, eiusdem rationis, debet esse actus voluntatis principaliter, & concomitanter actus intellectus. Exemplum. Si habeo propositum determinatũ, omni operanti bene, mercedem dare; & iste, puta Petrus, bene operatur; & habeo propositum, mercedem illi dare, istud propositum mercedem dandi Petro, debet esse eiusdẽ potentiæ actus, cuius est potentiæ propositum illud vniuersale, quo vniuersaliter omni bene operanti decreui mercedẽ me daturum: cùm igitur actus ille Diuinus communis, terminatus ad omnem hominem, quo omnes homines Deus vult saluos fieri, vt dicitur 1. ad Timoth. 2. sit actus voluntatis Diuinæ, quæ communiter dicitur voluntas signi, & ab alijs voluntas antecedens; sequitur quòd propositum Diuinum, quo decreuit hunc Petrum, & hunc Paulum saluandum, sit actus eiusdem potentiæ volitiuæ. Vnde & voluntas beneplaciti à multis. ab alijs voluntas consequens dicitur. Confirmatur hoc Primò, authoritate Aristotelis 7. Ethicor. vbi docet in notitia practica, respectu conclusionis practicæ, debere esse Maiorem vniuersalem volitam; vnde sicut Maior est volita, ita & Conclusio; ita in præsenti, sicut propositum illud vniuersale, de omni homine saluando, est principaliter ab actu voluntatis, ita & propositum particulare de isto vel illo saluando, est actus voluntatis. Confirmatur secũdò ex dictis sup. dist. 39. q. 1. Oẽ futurum contingens, est determinatum ad vnam partẽ contradictionis, à Diuina voluntate; ergo & quælibet harum, Petrus saluabitur, Iacobus saluabitur, Ioannes saluabitur, est ab actu voluntatis Diuinæ; sed prædestinare Petrum, est, Petro velle salutem: ergo &c. Hoc tamen, quòd voluntas Diuina vult Petro, quia intellectus intelligit, dicitur prędestinatio esse cõcomitanter in intellectu Diuino.

Hæc sententia videtur esse de mente Sanctorum. Dum enim S. Paulus ad Ephes. 1. dicit. *Elegit nos in ipso, ante mundi constitutionem*: Sumit electionem, pro prædestinatione; electio autem est actus voluntatis. Ad Rom. etiam 9. loquitur. *Vt secundùm electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est, quia maior seruiet minori*: apertè electionem & propositum vocat prædestinationem. Augustinus etiam to. 7. lib. de prædestinatione Sanct. cap. 10. definit prædestinationem, esse propositum miserendi; & reuera non prædestinat Deus aliquos, nisi quos proponit voluntate fore saluandos. Tamen hoc addo, quòd prædestinatio, vt à Magistro Senten. dist. 35. ponitur sub scientia, ita aliquando & à S. August. tomo 7. lib. de bono perseuerantiæ; cum prædestinatio vocatur præscientia beneficiorum, ratione connotati & concomitantis, quatenus Deus scientia approbationis scit istum saluãdum. Quando etiam prædestinatio vocatur præordinatio alicuius ad gloriam, vel præparatio gratiæ in præsenti, & gloriæ in futuro: tam præparatio, quàm præordinatio sumitur pro actu voluntatis ordinantis & pręparantis creaturam rationalem ad gloriam, vt dicit Doctor in textu.

Ad rationes in oppositum quid dicendum sit. Patet ex dictis. Nam licèt primò intelligatur Petrus secundùm se, quàm Petrus saluandus; Petrum tamen saluari, primò & immediatè determinatur à voluntate Diuina; & ita per priùs & immediatiùs prædestinatio importat actum voluntatis, secundariò autem & mediatè actum intellectus Diuini.

Secundi argumenti Maior est falsa. Non enim prædestinatio est idæa, & exemplar propositum, sed est electio Diuina respectu creaturæ, cui vult finem vltimum.

Ad Cõfirmationem. Ordinare est effectus intellectus, & suo modo voluntatis; sed velle ordinare est actus præcisè voluntatis; & in hoc consistit prędestinatio.

Ex intellectu secundæ & tertiæ Conclusionis, patet resolutio illius quęstionis. An prædestinatorum numerus possit augeri vel minui? Cùm enim prędestinatus possit non prędestinari, & Deus prædestinans possit non prędestinare, vt dictum est dist. pręc. q. 1. art. 5. certum est, quòd prędestinatorum numerus possit minui. Et rursum cùm nõ prędestinati possint prędestinari, potest prędestinatorum numerus augeri. De facto tamen nec augetur nec minuitur, quia est determinatio, de inesse, sed non de possibili.

Tota litera textus habet euidentiam ex superioribus.

DISTINCTIO XLI.

DE PRAEDESTINATIONIS MERITO, & reprobationis demerito, an detur.

QVÆSTIO VNICA.

Vtrum sit aliquod meritum prædestinationis, vel reprobationis.

Quòd sic. Quia si sola voluntate absque alia, &c.

SVMMA QVÆSTIONIS.

In Primo Articulo, ponuntur duæ opiniones & examinantur. In Secundo, narratur Opinio, quòd nec in Deo, nec in homine vlla sit causa prædestinationis, vel reprobationis. In Tertio, esse aliquam causam prædestinationis, dicitur à nonnullis. In Quarto, asseritur probabiliter, nullam esse rationem prædestinationis in prædestinato; licèt aliqua sit reprobationis in reprobato. Tandem argumenta in principio Quæstionis proposita, diluuntur.

ARTICVLVS PRIMVS.

Duæ Opiniones, de proposita quæstione, examinantur.

Circa istam Quæstionem, sensit Augustinus aliquando, &c.

SVMMA TEXTVS.

Primò ponitur Opinio August. super Epist. ad Rom. quòd Fides sit causa prædestinationis. Sed hæc sententia est postmodum retractata à S. August. in lib. Retract.

Ponitur secundò Opinio Magistri Sentent. quæ communior est Theologorum. Quòd vt nullum est meritum causa prædestinationis, ita nullum demeritum, potest dici causa reprobationis.

Vltimò adducitur authoritas August. ex lib. 83. q. 68. quòd prædestinatio venit de occultissimis meritis; ergo Magistri sententia videtur esse mala. Respondet Magister. Quòd hanc sententiam retractauit S. August. retractando aliud simile de fide, vt in priori parte Articuli dictum est. Contra hanc responsionem Magistri ponitur cuiusdam Doctoris, nempe Henr. de Gandauo quodl. 8. q. 5. obiectio.

Totus textus est clarus.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Opinio negatiua in hac materia communior ponitur.

Omittendo ista. Aliter dicitur. Quòd quicquid Deus, &c.

SVMMA TEXTVS.

Opinio hoc Articulo narrata, est D. Thomæ 1. p. q. 23. art. 5. Quòd nec in Deo, nec in prædestinato vel reprobato, vlla est causa, quare Deus hunc prædestinat, & illum reprobat, nisi sola voluntas Diuina, siue beneplacitum Dei; extrinseca tamen causa, quare Deus ex vna massa perditionis, quosdam prædestinat, quosdam reprobat, potest assignari: tum perfectio vniuersi, quæ in varietate consistit; tum manifestatio Diuinæ misericordiæ in prædestinatis, & iustitiæ in reprobis.

Confutatio huius sententiæ posita in textu, non est nostri Doctoris, sed Gandau. quodl. 5. q. 5. & quodlib. 8. q. 5.

Litera est plana.

ARTICVLVS TERTIVS.

Esse aliquam causam prędestinationis, dicitur à nonnullis.

Iste igitur improbans istam positionem, dicit aliter, &c.

SVMMA TEXTVS.

Henricus loco allegato, præmittit hanc distinctionem. Quòd actus Diuinus, nempe actus voluntatis, quo prædestinat hominem. Deus, est dupliciter considerabilis: Primò absolutè, vt est à Deo: secundò, vt terminatus ad creaturam. Hoc præsupposito, dicit Primò. Accipiendo prædestinationem secundùm se, nulla est causa prædestinationis in prædestinato, est tamen aliqua in prædestinante, nempe ipsamet voluntas, à qua est illud velle. Dicit Secundò. Prædestinationis, secundo modo sumptæ, est causa motiua, cur Deus hunc prædestinet, bonus vsus liberi arbitrij in prædestinato. Dicit Tertiò similiter de reprobatione. Quòd reprobationis in reprobato, est causa motiua, malus vsus liberi arbitrij. Opinio Bonus vsus liberi arbitrij præuisus est causa prædestinationis.

A qua sententia non multùm discrepat dist. præsen. Aureol. & Iauellus in additamento ad primam partem & aliquomodo Vasq. 1. part. disp. 89. vbi fusè docet prædestinationem esse ex præuisis meritis, sicut & reprobationem ex præuisis demeritis.

Ista sententia, quòd Deus prædestinat, ex præscientia boni vsus liberi arbitrij: Non placet Doctori. Tum quia omnis futuri contingentis determinatio, est primò à voluntate Diuina, vt d. 39. q. 1. dictum est. Tum quia paruulis non conuenit vsus liberi arbitrij, & conuenit prædestinatio.

COMMENTARIVM.

Llud dictum circa medium Articuli. Quòd bonus vsus liberi arbitrij, est per gratiam, & consequenter est effectus prædestinationis, vt intelligatur; Sciendũ est, qui sunt effectus prędestinationis. Est aũt effectus prædestinationis, effectus Dei prædestinãtis, ex vi prædestinationis, concessus prædestinato: Isti effectus; vel sunt bona aliqua supernaturalia, vel bona naturalia. Prędestinationis effectus qui sunt.

Effectus prædistinationis supernaturales, enumerat D. Paulus in Epist. ad Rom. c. 8. versu 30. dicens. *Quos autem prædestinauit, hoc & vocauit, & quos vocauit, hos & iustificauit, quos autẽ iustificauit, illos & glorificauit.* Vbi vocatio Diuina, iustificatio, & glorificatio, vocantur effectus Diuinæ prædestinationis.

Vbi aduertendũ est. Quòd vocatio, quæ dicitur effectus certus prædestinationis, est vocatio efficax, & non tantùm sufficiens; quia vocatione sufficienti, multi etiam reprobi sunt vocati, sed tñ pauci electi, seu prædestinati. Et patet ꝙ loquatur de efficaci vocatione: quia subdit, ꝙ vocationem talem consequatur iustificatio: solam aũt vocationẽ efficacem, consequitur iustificatio. Iustificatio etiam intelligitur illa efficax, qua quis est iustus vsq; ad terminum vitę: quia subditur; *quos iustificauit, illos & glorificauit*; ergo iustificatio, quam consequitur glorificatio, est prædestinationis effectus. Et hinc patet ꝙ Ocam & Gabr. malè docent solam glorificationem esse prædestinationis effectum, nõ autem vocationem & iustificationem efficacem, cùm oppositum deducatur ex Scriptura.

Ipsa autem glorificatio an sit effectus prædestinationis, nonnulli dubitant, & putant sola media, ad consequẽdam glorificationem, esse effectus prædestinationis: non autem ipsum terminum & finem. Sed absq; vlla dubitatione dicendum est affirmatiuè cum D. Paulo, & Doctore Subtili, dist. præcedẽti, vbi dixit prædestinationem esse actum voluntatis Diuinæ, ordinantis creaturam intellectualem ad gratiam (intellige efficacem) & ad gloriã; ergo illius prędestinationis & volitionis Diuinę, vt gratia vel iustificatio est effectus, ita & glorificatio. Isti effectus omnia bona supernaturalia comprehendunt; nam ad vocationem pertinent Glorificatio an sit effectus prædestinat.onis.

omnia

omnia auxilia Dei præuenientia; ad iustificationem pertinet gratia gratum faciens, & perseuerantia in bono vsque ad finem.

Effectus prædestinationis per se.

Prædicti tres effectus prædestinationis, possunt dici effectus per se prædestinationis: quia per se, & necessariò requiruntur in prædestinato, vt terminum Ad quem, prædestinationis, assequatur.

Effecti per accidés prædestinationis.

Alij dicuntur effectus per accidens, vt sunt bona tēporalia, bona complexio, & ad virtutes prona, acumen ingenij, &c. quamuis. n. ista bona sint indifferentia, & possit illis homo vti malè vel bene, quatenus tamen sunt occasio & materia bene merendi, & aliqualiter se disponendi ad gratiam, dicuntur per accidens effectus prædestinationis, iuxta illud ad Rom. 8. *Electis omnia cooperantur in bonum.* Simili modo dicendum est de malis pœnæ, quando patiūtur multa mala electi, ꝙ illa etiam quatenus sunt occasio & causa alicuius boni supernaturalis, ducentis ad beatitudinem, sunt effectus prædestinationis.

Mala culpæ an sint effectus prædestinationis.

De malo autem culpæ dicendum est, ꝙ ipsa culpa vt culpa, nec per se nec per accidens est volita à Deo: & ita non est effectus prædestinationis nec per accidens: quatenus tamen permittitur à Deo, illa permissio est per accidens effectus prædestinationis, tunc quando homini lapsus, per Dei misericordiam, est causa feruentioris resurrectionis à peccato, acriorisque pœnitentiæ.

Gratia per peccatum amissa, an sit effectus prædestinationis?

Quod si quęras. An gratia per peccatum amissa, sit effectus prædestinationis? Respondeo. Dicendum est dupliciter, secundū duplicem opinionem de gratia amissa: vel. n. gratia per peccatum mortale demeritoriè amissa, reuiuiscit post pœnitentiam, vt multi graues Theologi sentiunt, cuius etiam Opinionis est noster Doctor in 4. dist. 14. & sic verè erit per se effectus prædestinationis, quia per se iuuat ad consecutionem vltimi finis: Vel gratia amissa non reuiuiscit, vt quidam arbitrantur, & tunc gratia amissa non erit effectus prędestinationis.

Ex dictis patet: ꝙ malè Henr. assignet, vsum bonū liberi arbitrij, esse causam prędestinationis: quia iste vsus bonus, cū fiat per gratiam vel pręuenientem, vel subsequentem, & gratia sit effectus prędestinationis, non causa, vt dictum est; etiam bonus vsus erit effectus, & non causa prædestinationis.

Et vltra omnes rationes, videtur sententia Hērici falsa. Quia apertè contradicit authoritati D. Pauli ad Rom. 8. & 9. præsertim illis verbis: *Cùm nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali (vt secundum electionem propositū Dei maneret) non ex operibus, sed ex vocante dictum est eis, quia maior seruiet minori, sicut scriptum est: Iacob dilexi, Esau autem odio habui.* Idem paulò inferiùs, exemplo figuli declarat, ꝙ sicut figulus ex eadem massa, vnum vas facit in honorem, & aliud in contumeliam, nec est vlla causa huius ex parte massę, sed sola voluntas figuli; ita ex eadem massa humani generis, quosdam Deus prędestinat, quosdā reprobat; nec vlla causa est prędestinationis, nisi voluntas Dei: ob quam authoritatem communiter Theologi, negāt esse causam prędestinationis vllam in prędestinato. De reprobatione, quid probabiliùs dicendum sit dr̄ art. sequēti.

ARTICVLVS QVARTVS.

Valde probabile videtur, nullam esse rationem prædestinationis in prædestinato, licèt aliqua sit reprobationis in reprobo.

Potest aliter dici; quòd prædestinationis nulla est ratio, etiam, &c.

SVMMA TEXTVS.

Prædestinationis non est causa in prædestinato.

Prima Conclusio. *Prædestinationis nulla causa est ex parte prædestinati, prior aliquomodo prædestinatione. Ratio est. Quia volens ordinatè finem, & omnia quæ sunt ad finem, priùs vult finem, quàm aliquid ducens ad finem: cū igitur finis hominis sit beatitudo perfecta: Deus volens hanc beatitudinē homini, priùs ipsam vult beatitudinem & posteriùs illa quæ ducunt ad beatitudinem. Quòd confirmatur per illud dictum: Finis, primus est in intentione agentis, & vltimus in executione, media autē ad finem, prima in executione, sed vltima in intentione.*

Reprobationis causa in reprobo.

Secunda Conclusio. *Reprobationis est aliqua causa motiua, nempe peccatum finaliter præuisum. Ratio est. Damnare sine peccato, aliqualis dicitur esse iniustitia & crudelitas: cū ergo nō priùs Deus sit vltor quàm homo peccator, sequitur quòd reprobatio in pœnam, consequitur culpam, & culpa præuisa erit causa reprobationis. Confirmatur. Quia vt misericordiæ manifestatio est, conferre gloriam vltrò, non præuisis meritis, ita iustitiæ opus est, infligere pœnam pro demeritis.*

In prædestinatione quæ signa sunt considerari.

Istæ duæ Conclusiones vt intelligantur. Notat Doctor quatuor signa in prædestinatione & reprobatione Diuina. In primo enim signo, offertur Deo Petrus & Iudas; Petro Deus vult beatitudinem, respectu Iudæ habet se negatiuè, non volens beatitudinem, nec tamen positiuè volens damnationem. In secundo instanti, Petro vult conferre gratiam, respectu autem Iudæ se habet negatiuè. In tertio instanti, videt & Petrum in peccato, dignumque damnatione, & Iudam similiter, sed ex vi prædestinationis, videt Petrum surgere à peccatis, & finire vitam in bono gratiæ; Iudā autem videt finaliter in peccato. In quarto instanti, vult Iudam punire & reprobare. Vnde reprobatio est in quarto instanti, & prædestinatio in primo & secundo.

COMMENTARIVM.

Nota Primò. Sententiam de prædestinatione, ꝙ ea non habeat causam in prædestinato, esse cōem vtriusque scholæ, maximè ob authoritatē S. Pauli, & Augustini. De reprobatione autem, ꝙ habeat aliquam causam in reprobo, nempe peccatum finaliter præuisum, licèt hæc doctrina non sit communis; in re tamen dubia, vbi loquimur de voluntate Dei, id quod magis exaltat Diuinam iustitiam cum misericordia, Deo attribuimus.

In prædestinationis decisione summa Scoti modestia.

Neque est hæc sententia Doctoris nostri omnino affirmatiua, vt patet ex fine Articuli, sed dr̄ probabiliter, in re penitus abstrusa & abscondita. In quo singularis modestia huius Doctoris mirificè enituit, dum de hac Subtilissima materia, tm̄ tanti viri ingenium, nihil apertè audet affirmare, cùm in alijs materijs Theologicis grauissimis, vsque adeò excelluerit, vt omnibus in sententijs decidendis primus videatur. Nec mirum, noluit esse incomprehensibiliū iudiciorū Dei, & inperuestigabilium viarum eius nimius scrutator, ne opprimeretur à gloria. Omnia siquidē ingenia, in hoc arcano prædestinationis imperio, exclamant cū D. Paulo. *O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quis cognouit sensum Domini? aut quis Consiliarius eius fuit?* Quāuis verò sententia de reprobatione, hìc expressa, nō careat sua probabilitate, quia tamē non paucis curiosis displicet, inferiùs examinatur. Interim

Nota Secundò. Quòd absque vllo motiuo speciali Dominicus Ban. 1. par. q. 23. art. 5. inuehitur contra illam vltimam doctrinam nostri Doctoris, de quatuor instantibus in prædestinatione. Nam ad minimum propter modum nostrum intelligendi distinctè, requiritur; esto quòd in re non sit distinctio.

Arguit Bannes contra instātia.

Sed arguit Ban. Quæro à Scoto; Cùm in primo instanti Petrus & Iudas oblati sunt Deo æquales, s. in puris naturalibus, quare voluit Petro conferre beatitudinem, & merè negatiuè se habuit erga Iudam? Item rogo: cū in duobus primis instantibus, Deus voluerit Petro conferre beatitudinem & gratiam, quare in tertio instanti Petrus & Iudas oblati sunt æquales, infecti massa perditionis? Deinde res est certissima, ꝙ hæc instantia non multiplicantur in ipsa ęterna operatione Dei, sed nostra consideratione, qua Diuinam operationem sm̄ vnam rationem priùs consideramus, & sm̄ aliam posteriùs: vnde diuersitas instantium tota sumenda est ex parte ipsorum effectuum, sm̄ quod vnus est rō alterius. Tunc sic. Cùm Iudas in primo & secūdo instāti, cū eadem prorsus dispositione sit oblatus Deo, quo pacto distingui possunt ibi duo instantia? Tandēcùm diuersitas instantium desumenda sit, sm̄ quod vnus effectus est causa alterius, cùm sint diuersa genera causarum, vnus effectus in vno genere causæ potest esse prior alio, & in alio genere posterior, qua ergo rōne solida possumus multiplicare instantia, attendendo ad causalitatē & prioritatem

ritatem vnius effectus respectu alterius? Quocirca ad assignandam rationem differentiæ inter prædestinatum & reprobum, impertinenter omnino recurrimus ad eiusmodi instantia. Hæc Bannes.

ponde- id instā Bānes.

Dico ad hoc. Eiusmodi instantia, optimè esse excogitata, ob cognoscibilitatē rei, & non pręcisè ob modū considerandi, vt dixi dist. 1. q. 2. in dubit. de prioritate originis. Et in præsenti, necessaria sunt ad explicandam hanc sententiam, quō reprobatio sit ex pręuisis demeritis, non itē prędestinatio ex præuisis meritis: Dicimus.n. disparem esse rationem, de manifestatione Diuinę misericordię, merè gratis se communicantis creaturæ, eāque acceptantis ad beatitudinem; & iustitiæ Diuinæ, quæ non punit creaturam æternaliter, nisi sit mala; & consequenter non eodem modo fit reprobatio secundùm hanc sententiam, quo fit prędestinatio: & hanc diuersitatem, explicat optimè doctrina illa de quatuor instantibus.

antia p̄ inatio- ad q̄d neces- i.

Dum quæris. Quare Deus in primo instanti Petro voluit gloriam, & erga Iudam habuit se negatiuè? Dico. Diuinæ voluntatis non est quęrenda rō, quæ eligit quē vult, & quem vult non eligit: vt.n. isti facit misericordiā eligēdo, ita illi non facit iniuriam non eligendo illum, quia non tenebatur.

Ad aliud quæsitum. Respondeo. Ideo in tertio instanti offeruntur æquales in massa perditionis, q̄a offertur vterque in peccato mortali existens: est tamen in eodem instāti ex alio capite diuersitas in istis obiectis, quia vnus illorum perseuerat finaliter in peccato, alter resurgit à peccato, & decedit in gratia.

Dices. Cùm Iudas in primo & secundo instanti, cū eadē prorsus dispositione sit oblatus Deo, quo pacto distingui possunt duo instantia? Respondeo. Quia respectu Petri sunt duo instantia, agens enim propter finem, primò intēdit finem, deinde media ad finem; similiter & Deus primò Petro vult gloriam, deinde gratiam; cùm in vtroque instanti offeratur Iudas, rectè respectu Iudæ dicuntur duo instantia, per comparationem eius ad Petrum.

Illud ēt gratìs dr̄: q̄ instantia desumenda sunt, sm̄ quod vnus effectus est causa alterius, qn̄ sunt diuersa genera causarum: nam & plures effectus eiusdē causæ habētes ordinem inter se, habent instantia signorum: supposito.n. q̄ est ordo inter passiones entis, in priori instanti conueniet enti vnitas, q̄ veritas, & veritas, q̄ bonitas; imò & in eodem effectu, possumus secundùm diuersas rationes inconsiderabiles, diuersa instantia admittere; in priori enim instanti lumen est in aere, quàm in terra, & priùs in aere cælo viciniori, quàm in remotiori.

Nota Tertiò. Prima illa Conclusio Doctoris, cōiter recepta à Theologis, habet magnam difficultatem, & instātiam in meritis Christi. Videtur enim quòd merita Christi præuisa, sint causa nostræ pręděstinationis: quod innuit D. Paulus ad Ephes. 1. *Prædestinauit nos in adoptionem Dei, per Iesum Christum in ipsum.*

merita risti sint sa nostrę stinatio

De hac re sunt variæ Theologorū sententię. Quidam.n. docent, Christū non esse causam meritoriæ nostrā p̄destinationis. Alij concedunt, q̄ Christus meruerit nobis fidē, sed negant, quòd meruerit alias dispositiones ad gratiam.

Peritiores tn̄ Thomistę hęc cōiter sentiūt. Primò. Quòd Christus sit causa meritoria totius nostrę pręděstinationis: quia est causa meritoria oīum mediorū, & effectuū pręděstinationis. Vnde ad Ephes. 1. *Qui benedixit nos omni benedictione in cælestibus in Christo*: intellige, per merita Christi: Et subditur. *Sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionē, ut essemus Sancti, & immaculati. Et, Qui prędestinauit nos in adoptionē filiorum, per Iesum Christū in ipsum*: Et rō adfert. Quia sicut Pater per Verbum creauit omnia, ita in Verbo incarnato debebant reformari, & quasi recreari omnia.

mista- opinio

Sentiunt secundò. Christū esse causam finalē nostrę pręděstinationis. Quod probari vr̄ ex Scriptura. Dicitur.n. ad Rom. 8. *Prædestinauit nos conformes fieri imagini filij sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus*: seu, vt haberet multos fratres, inter quos primatū teneret; vt dr̄ ad Colossen. 1. vbi ēt dr̄. *Complacuit per eū recōciliare omnia in ipsum*: videlicet in illius gloriam. Ad idē vr̄ facere authoritas Cōcilij Trident. Sess. 8. c. 8. vbi dicit, causam nostræ prædestinationis, esse gloriā Christi & Dei. Adde rationem. Quia congruit hoc dignitati Christi & meritis, vt quemadmodū per Christū oīa fiūt, ita & in Christi laudē oīa cedant.

Sentiunt tertiò. Christū esse exēplar nostræ prædestinationis; vt patuit ex authoritate ad Rom. 8. paulò ante adducta. Ad Rom. itē 6. *Si complantati facti sumus similitudini mortis eius, & resurrectionis erimus.* Ad Philip. 3. *Reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratū corpori claritati suę.* Ex quibus testimonijs patet, q̄ Deus vult nos assimilare tā ī gratia, q̄ in gloria Christo. Et rō est. Quia Christus est Filius Dei naturalis, nō adoptiuus: sicut ergo filij adoptiui, in possessione hæreditatis, imitantur filios naturales; ita nostra prædestinatio, imitatur Christi prædestinationē. Ista aūt imitatio consistit in hoc, secundùm illos, quia vt Christus gratìs est prædestinatus, ad vnionem hypostaticā, ita nos etiam gratìs prædestinamur. Vide fusiùs de hac materia apud Ban. 1. part. q. 23. art. 5. in Commento post medium, Zumel. Mol. ibid. disp. 2.

Secundùm sententiam nostri Doctoris, quid dicendum sit, non ita apertè constat: conferenti tn̄ distinctionē p̄sentem, cum distin. 19. tertij libri senten. eiusdē Doctoris, & cum dist. 7. q. 3. eiusdem libri, dici potest. Primò. Christum esse causam exemplarem, & finalē, nostræ pręděstinationis. Id colligo ex 3. d. 7. q. 3. vbi asserit Doctor, Christū inter p̄destinatos primò offerri Deo prædestinanti, & cùm primum in vnoquoque genere sit metrum & mensura aliorum, illius generis, Christus habebit primitatem, vt dignitatis, ita exemplaritatis & finis, respectu nostræ prædestinationis: & hoc vult authoritas illa ad Rom. 8. *Vt sit ipse primogenitus in multis fratribus.* Sententia Doct. Subt.

Dici debet Secundò. Quòd Christus, vt primā gratiā, ita gratiam nobis pęnitētialem meruit, & apertionem ianuæ cælestis; vt dicit apertè Doctor in 3. dist. 19. & S. Bonauen. ibid. De hoc ibi fusiùs.

Dici pōt Tertiò. Quòd Christi merita, nō fuerunt causa meritoria nostræ p̄destinationis. Est apertè doctrina Doctoris in 3. d. 19. in respons. cōtra Obiectionem secundam, in corpore q̄onis, immediatè ante solutionē primi principalis. Rō huius assignari pōt triplex. Prima. Quia p̄destinatio, vt Christi, ita & nr̄a, est ante p̄uisionē peccati: & primò, vt Christus, ita & oēs hoīes sunt prædestinati, q̄ Christi passio vel merita à Deo acceptarentur, vt dicit subtiliter Scotus in 3. d. 7. q. 3. igitur prædestinatio nostra, cùm sit in priori signo, q̄ sit pręuisio passionis vel meritorū Christi, non erit Christus causa meritoria nostrę pręděstinationis. Istius tn̄ rōnis, an suppositiones sint veræ de hoc in 3. sent. Et quamuis de meritis Christi loquendo, ex actu virtutū infusarum prouenientibus, ista rō nō probet; de meritis tn̄ Christi ex passione prouenīētibus, vr̄ habere maiorem in litera Doctoris euidentiam, vt d. 19. ita & d. 7. tertij. Priùs est p̄destinatio, q̄ meritorū Christi acceptatio.

Secūda rō potest sumi ex cōiter cōcessis. Quia Christus Dn̄s, est causa exemplaris nostræ pręděstinationis, vt Scotistæ & Thomistæ sentiunt; cùm igitur exemplatū debeat habere similitudinem cum exemplari; sicut Christus non est causa meritoria suæ prædestinationis, vt cōis est sententia Theologorum in 3. d. 18. ita neque nostræ. Videtur esse consequentia bona, quia procedit ex paritate, & similitudine exemplati cum exemplari.

Tertia rō. Quia si Christi merita sunt causa meritoria nostræ prædestinationis, simpliciter ex parte prædestinati, datur causa nostræ prædestinationis: q̄ cōiter Theologi negant, cum S. August. & Magistro dist. pręsenti. Confirmatur. Quia in sn̄ia Thomistarum, meritū Christi est infiniti valoris, & de condigno acceptari debet à Trinitate, pro illis, quibus Christus meruit efficaciter; ergo est causa, quare Deus hunc prædestinat, & illum non, quia pro hoc efficaciter Christus meruit, & pro illo tantùm sufficienter. Et quæcunque vel authoritates Scripturæ, vel inconuenientiæ adferuntur contra illam sententiam, quæ ex meritis proprijs p̄uisis, docet esse prædestinationem, omnes etiam hìc procedunt de merito præuiso alterius.

Dici potest Quartò. Quòd Christus sit aliqua causa nostræ prædestinationis. Ista Conclusio sic debet intelligi. In prædestinatione duo possumus considerare: Primò, ipsam volitionem & acceptationem creaturæ, ad finem vltimū; Nota q̄ō ī sn̄ia Scoti Christus meruit nobis prędesti nationem.

secundò, media quibus creatura illum finem consequitur. Respectu igitur actus volitionis Diuinę, sm̃ priorem acceptationem, Christi merita nō sunt causa meritoria nostrę prædestinationis, sed totalis & vna sola est causa voluntas Diuina efficiens, absque vllo merito: vt vult D. Paulus illis verbis. *Cum nondum nati essent, nec aliquid boni egissent; non ex operibus, sed ex vocante dictum est, Iacob dilexi, &c.* ergo solus vocans est causa totalis. Respectu autem mediorum, Christus est causa meritoria nostræ prædestinationis; quia effectus illi prædestinationis art. præced. enumerati, vocatio ad fidem, & auxilia supernaturalia, iustificatio finalis & glorificatio, seu ianuæ cælestis apertio, est per merita Christi, vt concedit Doctor Subt. dist. 19. lib. 3. Et sic intelligi debet authoritas ex epist. ad Ephes. c. 1. adducta superius, & quæcunque Scriptura consimilis.

Dubitatur.

Vtrum reprobationis sit aliqua causa in reprobo.

Videtur quòd non. Primò. Quia Rom. 9. docet S. Paulus: *Esau odio habitum à Deo, anteq uam aliquid mali egisset non ex operibus, sed ex vocante*: per Esau autem communiter intelliguntur ibi reprobi, sicut per Iacob electi.

Dices. Cur ergo Deus de reprobis conqueritur, cùm tamen illos ex mera voluntate reprobat, nec voluntati eius quisquam potest resistere?

Respondet S. Paulus ibi. *O homo, tu quis es, qui respondeas Deo? nunquid dicit figmentum ei, qui se finxit, quid me fecisti sic? an non habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam?* Vbi duo habentur. Primum, q̄ D. Paulus cur Deus hūc reprobet, non fugit ad demerita hominum, quod erat facile, sed ad solam voluntatem Dei, ergo sola voluntas Diuina est causa reprobationis. Secūdum est, exemplum de luto figuli idem declarat: sicut. n. ex eadem massa, æqualiter disposita, vnū vas facit figulus in honorem, & aliud in cōtumeliam: neque est vlla hac in parte causa, ex parte massæ, sed sola voluntas figuli, est causa talis distinctionis; ita, q̄ ex eadem massa generis humani, hic eligatur, & ille reprobetur, est ipsius solius voluntatis Diuinæ, nulla præsupposita distinctione, inter prædestinatum & reprobum.

Secundò. Reprobatio consistit in negatione gratiæ efficacis, ad vitandum peccatum, & resurgendum à peccato; sed causa, cur huic denegetur gratia efficax, est voluntas Dei; ergo & reprobationis causa est, sola voluntas Dei.

Negatiuam sentētiam in hac parte sequuntur, Caietan. Ban. Zum. 1. p. q. 23. art. 5. cùm tractant de reprobatione. Capreol. & Syluest. dist. 41. Duran. dist. 41. q. 2.

Affirmatiua sententia est Doctoris Subt. dist. pręf. S. Bonauē. ibid. ar. 1. q. 1. & 2. Mayr. q. 4. Aureoli. Henr. & Vasq. vbi supra citaui. Eidē subscribūt Mol. & Val. 1. p. q. 23. art. 5. Rich. in 1. d. præf. ar. 3. q. 1. Alex de Ales. 1. p. q. 28. mem. 3. art. 1. imò videtur esse D. Thomæ super epist. ad Rom. c. 9. lect. 2. & 3. Vide Dominic. Soto ibid.

Hic aduertēdum est. Quòd sicut prædestinatio est actus voluntatis Diuinę, ordinantis creaturam ad finem vltimū; ita reprobatio est actus voluntatis Diuinæ, nolentis ordinare hoc vel illud suppositum intellectuale, ad finem vltimū possidendum. Præter illum actum nolitionis, est alter actus volitionis Diuinæ, sm̃ nostrum Doctorē, positiuus, quo reprobat; quando. n. in primo signo offertur Petrus & Iudas, & circa Petrum habet Deus actum prædestinationis, circa Iudam non: tunc nondum intelligitur esse Iudæ reprobatio, sicut nec in secundo signo: sed in quarto signo, q̄ñ videt finaliter peccaturū Iudā, vult positiuo actu ipsū ęternaliter punire: ista volitio punitionis, dicit̃ à Doctore, & ab alijs Theologis, etiam Thomistis, reprobatio.

Conclusio Prima. Si reprobatio sit velle efficax punitionis, respectu huius & illius, longè probabilior est sententia secunda, docens demerita finaliter præuisa, esse causam reprobationis. Dixi probabilior; quia certitudo in his nulla statui potest, vt hic fatetur Subt. Doctor, & omnis Theologus fateri debet: vbi etiam Doctor gentium, incomprehēsibilia iudicia Dei, & inuestigabiles vias eius, demiratur.

Reprobatio nis causa est demeritum præuisum finaliter.

Probari potest Primò. Frequens dictum est in Scriptura, quòd Deus nolit peccata hominum, vt patet ex 18. Ezechielis, Ozeæ 13. & aliàs: sed si Deus vellet punitionem æternam reprobi, absque præuisis demeritis, vellet etiam efficacia media ad talem finem: & cùm effectus reprobationis, secundùm sententiam negatiuam, sint priuatio gratiæ, malitia culpę: sequeretur, quòd Deus efficaciter vellet malum culpæ, tanquam effectum reprobationis: quod est inconueniens.

Reprob[atio]nis effe[ctus]

Secūdò. Non priùs est Deus vltor, quàm aliquis sit peccator, secundùm S. August. ergo Deus, non priùs voluit reprobationem alicuius, quàm præuidit peccatum illius. Cōfirmatur. Quia ad pænas tam diras, easque infinitæ durationis, velle condemnare aliquem, videtur esse actus crudelitatis cuiusdam, & multùm misericordiæ Diuinæ derogare.

Et secundùm hanc sententiam, responderi debet ad Primum in principio adductum: quòd D. Paulus etiam hanc sententiam ibid. docuit: cùm enim dicat ibi: *Esau odio habui*; & scriptum sit: *Nihil odisti eorum quæ fecisti*; optimè intelligi debet, secundùm explicationem D. August. super illa verba Apostoli, cum lib. 1. ad Simplic. & q. 105. dicit: Non Deus Esau hominem odit, sed odit Deus Esau peccatorē. Nec mirū; odibilis est. n. Deo impius, & impietas eius.

Confirmatur Primò hæc sententia, per illud dictum Apost. ibid. *Quem vult indurat*; certum est secundùm Theologos, quòd induratio vt est à Deo, & vt est pæna, præsupponit peccatum, propter quod meretur homo indurationem; Cùm ergo reprobos Deus induret, ista induratio, vt & reprobatio, præsupponit præuisionem peccati.

Confirmatur Secundò. Quia cùm ibidem reprobos vocet Apostolus *vasa iræ, quæ sustinet Deus in multa patientia*: secundùm se sumptum hominem absque vllo peccato, nō video, quare debeat appellare vas irę; Nec sustinet in multa patientia Deus nisi peccatores, vnde licèt nō confugiat D. Paulus ad demerita in reprobatione, verbis expressis, satis tamen indicauit illis verbis, *odio habui: quem vult indurat; sustinuit in multa patientia: vasa iræ.*

Exemplum autem de figulo, hoc probat, quòd quando Deus indurat aliquem, & alteri similiter in peccato existēti miseretur & remittit, potest quis dicere, quare huius peccatoris miseretur, & illius non? Respondet D. Paulus. *ô homo tu quis*, &c. Vide connexionem ibi literæ Apostoli; & manifestum erit, quod dicimus.

Aliter respondet Doctor in respons. ad argumenta principalia, ad oppositum adducta. Vide ibid.

Ad Secundum Argumentum. Patet ex dictis, quia secundùm hanc sententiam, reprobatio est volitio punitionis respectu reprobati, non autem negatio præcisè gratiæ efficacis, quæ negatio gratiæ efficacis, sicut obcæcatio, & induratio, sunt effectus reprobationis, vt docet Alex. de Ales. 1. part. q. 29.

Conclusio Secunda. Si reprobatio accipiatur per oppositionem ad prædestinationem: vt sicut prædestinatio est volitio efficax, ordinans creaturam ad vltimum finem, ita reprobatio est non volitio dandi huic coniunctionem cū vltimo fine: sic reprobatio est ante prǽuisa demerita. Patet ex Doctore Subt. in textu præsenti. Quia ista non volitio, est in primo & secundo instanti: præuisio autem peccati, in tertio: ergo reprobatio sic sumpta, est ante præuisionem peccatorum.

Reprob[atio] dupliciter accipitu[r]

Et hanc solam sententiam videntur impugnare aut horres negatiuam sententiā in præsenti materia defendentes.

In hoc etiam sensu accipi debet verba illa D. Pauli: *Antequam aliquid boni vel mali egissent, non ex operibus, sed ex vocante dictū est, Iacob dilexi, Esau odio habui*; vbi etiā odiū illud, pōt accipi, simpliciter pro non acceptatione Esau ad vltimū finē; Sed altera ibi verba; vt, *quē vult indurat: vasa iræ*, &c. accipiuntur sm̃ hanc cōclusionē pro effectibus reprobationis: imò sicut ante de glorificatione dictū est, illā esse effectum prædestinationis: ita sm̃ hāc viam diceretur de damnatione æterna, illam esse effectum reprobationis, non aūt reprobationem. Vnde sm̃ hanc viam reprobatio opponitur priuatiuè prædestinationi: secundùm conclusionem priorem, non est inter illa oppositio.

Reprobati[o] an oppo[ni]tur præde[s]tinationi

Ista nostra doctrina, vt Doctori Subt. hic, ita Richa. nostro, distinct. 41. in 1. articu. 3. quæst. 1. Alexandro 1. part. quæst.

quæst.28. membr.3. artic. primo conformis est.

Illa quæstio: an præuisio peccati originalis supponatur reprobationi, vt videtur multis in locis docere S. August. cùm à Doctore in 3. dist.7. q.3. examinetur, vsque eò à nobis differtur. Interim hæc de hac profundissima materia dixisse sufficiat.

ARGVMENTIS PRINCIPALIBVS SATISFIT.

Ad Primum argumentum principale. Respondeo. Quòd summa, &c.

COMMENTARIVM.

Illa distinctio pro Theologia morali est optima, quia leges sint circa communia & vniuersalia practica, iudicia verò circa particularia.

Leges circa vniuersalia, iudicia circa particularia versantur.

Illa responsio singularis est, ad sępiùs nominatam authoritatem D. Pauli: *Cùm nondum nati essent, nec aliquid boni vel mali egissent, &c.* dicit Doctor, quòd in istis verbis non negat S. Apostolus absolutè reprobationis nullam esse causam, sicut nec prędestinationis; sed loquitur in particulari comparatiuè, vnum suppositum ad aliud comparando: & quare hunc dilexit, & illum non præuenit sua dilectione, sicut alium; huius rei non est causa, neque requirenda causa: in communi tamen omnis reprobus ob demerita reprobatur; & prædestinatus gratis prædestinatur.

Reprobus ob demerito reprobatur, prædestinatus gratis prædestinatur.

Cætera patent ex dictis.

DISTINCTIO XLII.

DE OMNIPOTENTIA DEI.

QVÆSTIO VNICA.

Vtrum Deum esse omnipotentem, possit probari naturali ratione.

Quòd sic. Richar. de Trinit. 1. c.3. ad omnia, &c.

SVMMA TEXTVS.

Pulcherrimè hanc quæstionem explicat Doctor, in suis quodlibetis q.7. Interim hìc breuiter supponit. Primò distinctionem Omnipotentiæ: illam aliam esse mediatam, secundum quã primum efficiens potest producere omnem effectum possibilem; non se solo, sed cum causis secundis: aliam immediatam, secundum quam primum efficiens, circumscripta omni causa secunda, potest in omne possibile. De omnipotentia primo modo loquuntur Philosophi, & eam solam cognouerunt: de omnipotentia secundo modo, loquuntur Theologi. Hoc supposito, ponitur

Omnipotẽ mediata, & immediata.

Conclusio Prima. *Omnipotentia mediata, potest probari de Deo, ratione naturali. Ratio est. Quia naturali ratione potest cognosci infinitas de Deo; & aliqui Philosophi lumine naturæ intellexerunt: ista autẽ, quam Philosophi intellexerunt, infinitas Diuinæ virtutis, est mediata, vt multis declarat Doct. quodl.7.*

Omnipotẽ mediata potest probari ratione naturali.

Conclusio Secunda. *Omnipotentia propriè secundo modo dicta non potest à nobis demonstrari pro statu isto. Probari potest. Primò. Nullus articulus fidei est demonstrabilis, quia sciẽtia & fides, non sunt de eodem: sed Deum isto modo esse omnipotentem est articulus fidei, vt patet ex illo loco Symboli:* Credo in Deum Patrem Omnipotentem: *ergo Deum esse omnipotentem, non est demonstrabile.*

Omnipotẽtia immediata nõ potest probari de Deo.

Secundò. Si quæ ratio posset probare Deum esse omnipotentẽ immediatè, maximè illa, quod Deus contineat causalitatẽ causarum secundarum: atque ita quæcunque potest producere cum causis secundis, potest absque illis: sed ista ratio non valet apud Philosophos, quia possent manifestam adferre instantiam; Sol continet causalitatem bouis, secundum Philosophum, non tamẽ propter hoc sequitur, quòd Sol possit immediatè producere bouem, absque alia causa; ita & in proposito.

Tertiò. Deus ad nihil immediatè se habet contingenter, secundum Philosophos, vt probat Subtilis Doctor quodl.7. ergo non potest causare immediatè omne possibile.

Tenendum igitur est vt certum in fide, & in communi sententia Theologorum, Deum sic esse omnipotentem, quòd sine quocunque alio agẽte, possit causare quodlibet causabile, non tamen istud potest demonstrari demonstratione Quia, conuincente: quicquid dicat Zoar. in Metaph. disp.30. Sect.8. in contrarium. Et rationes quæ ipsi num.25. videntur concludere, nullius difficultatis sunt ad soluendum.

COMMENTARIVM.

Aduerte. Quòd Conclusio secunda procedit non de rei veritate in se. Cùm enim Deum esse omnipotentem, sit summè verum, erit summè in se demonstrabile; vnde & ab intellectu beato, etiam demonstratione Propter quid, demonstrari potest: sed à nostro intellectu, in statu viæ, puris principijs naturalibus relicto, seclusọ lumine fidei, neque euidenti demonstratione Quia, id demonstrari potest.

In respõsione ad Primum principale. Nota singularem doctrinam, quales sint demonstrationes Theologicæ, & in quo sensu procedant aliæ rationes Doctoris sæpiùs supra memoratæ; vt diximus q.1. Prol. art.2. & fusiùs tractatur à Doctore in 3. dist.24.

DISTINCTIO XLIII.

DE POTENTIA DEI, QVOD PLVRA posſit facere, quàm fecit.

QVÆSTIO VNICA.

Vtrum prima ratio impossibilitatis rei fiendæ, sit ex parte Dei, vel ex parte rei factibilis.

Quòd magis ex parte Dei. Probo. &c.

SVMMA TEXTVS.

In prima parte mentio fit Opinionis Henrici, eademque Opinio refutatur. In secunda parte, ponitur

Prima Conclusio. *Ratio possibilitatis, vt quòd homo sit ens possibile, est formaliter ex se, quia ex se non repugnat, principiatiuè autem est ab intellectu Diuino, talis possibilitas, quatenus dat esse cognitum, & consequenter esse possibile ab æterno, iuxta modum explicatum dist.35. In priori tamen signo intelligitur principiatiuè possibile: & in alio formaliter ex se possibile.*

Possibilitas rõ ĩ creatura formaliter est ex se principiatiuè à Deo.

Secunda Conclusio. *Potentia Dei, cùm sit attributum essentiale, primò intelligitur Deo conuenire, quàm intelligatur creatura aliqua possibilis. Ratio est. Quia intrinseca Deo omnia conueniunt in primo signo, & ordo ad extrinseca in secundo, vt dictum est dist.27. & superius in 2. dist.1. q.1. & consequenter*

ter vera est deductio præcedentis Conclusionis, quòd per prius est aliquid possibile principiatiuè ex parte Dei, & per posterius possibile formaliter; propter illud enim dictum hic discursus in textu ponitur.

Impossibilitatis ratio primò est ex parte rei.

Tertia Cõclusio. *Ratio impossibilitatis nõ est primò ex parte Dei, sed ex parte rei. Ratio est. Quia impossibile includit incõpossibilia, vt vel vnũ sit aliud, vel vtrumq; faciat vnũ; cùm ergo ista incõpossibilitas sit in ipsis rebus incõpossibilibus, prima ratio incompossibilitatis est ex parte incompossibilium rerum.*

Quarta Cõclusio. *Quãuis primaria ratio incompossibilitatis, sit ex parte rerũ, secundariò tamen potest dici, q̃ sit principiatiuè à Deo; quatenus Deus produxit res illas possibiles in esse possibili: quarũ vt quælibet in seipsa vt est possibilis, est prĩcipiatiuè à Deo; ita quãdo alteri est incompossibilis, quasi principiatiuè à Deo est incompossibilis; quia principiatiuè naturæ earum sunt à Deo. Ex his conclusionibus patet, quòd quia aliquod figmentum est impossibile, ideo est impossibile respectu cuiuscunq; agentis; Ratio igitur impossibilitatis est ex parte rei primò & principaliter, vltimatè tamen & completiuè, est per ordinem ad agens quodcunque, impossibile.*

COMMENTARI VM.

Opinio Gandau.



Irca primã partẽ Quæstionis. Aduerte. Quòd Henr. Gandau. quodl. 6. q. 3. tractans de rerũ impossibilitate, vñ insurgat; an scilicet, quia Deus non põt facere, ideo est impossibile, an quia impossibile, ideo Deus facere nõ possit; determinat ibi is author, ideo quia aliquid est impossibile, Deus facere nõ põt, nõ è cõtra; vñ dicit, Affirmatiuè arguimus; Deus hoc põt: ergo est possibile; Negatiuè aũt sic: Nõ est possibile: ergo Deus nõ põt facere. Idem Gandau. quodl. 8. q. 3. oppositũ docet, q̃ scilicet ex hoc, quia Deus põt, est res possibilis: ita quia Deus aliquid nõ põt, est impossibile; & cõsequenter ista, Deus non potest facere: ergo ideo est impossibilis; est vera sm̃ istũ. Quæ doctrina vt patet, contrariatur priori. Vt aũt litera Doctoris (qua impugnatur Opinio Gandau. quoad illam Conclusionẽ quodlibeti 8.) intelligatur. Aduerte vlteriùs ex Gandauense quodl. 6. q. 3. Quòd in affirmatiuis veritatibus, Deus põt hoc, ergò hoc est possibile: quatuor signa sunt ponenda. Primũ signũ est, in quo consideratur potentia Diuina sm̃ se, vt est quid absolutũ, & dicẽs perfectionẽ. Secundum, in quo consideratur potẽtia passiua, sibi correspondens, sm̃ suum esse absolutũ: ita q̃ in istis duobus signis absolutum correspondet absoluto. In tertio signo, refertur potentia passiua relatione reali ad potentiam, siue possibile ad potentẽ. In quarto, potens seu potentia actiua refertur relatione rõnis ad possibile, seu ad potentiã passiuam. Ex qua suppositione patet, q̃ omnipotentia in Deo, sm̃ istum authorem, respicit tantùm possibile actu existens, quodq; actualem habet relationẽ ad Deum: Quod optimè impugnatur à Doctore in prẽsenti, ibi: *Sed contra istam sententiã Primã arguo Primò.* In negatiuis autem, secundùm Henricum, isto modo nõ proceditur. Impotentia enim, seu nõ posse producere, nec dicit perfectionem simpliciter, nec imperfectionem, ideo Deo non attribuitur primò, vt dicatur propterea est impossibile, quia Deus non potest facere: sed primò & per se, impotẽtia est attribuenda isti impossibili. Huic doctrinæ repugnat illa Conclusio eiusdem Gandau. quodl. 8. q. 3. ideo est aliquid primò impossibile, quia Deus non põt facere, & ratio, quòd hæc repugnet, vt hõ sit asinus, vel chymera sit possibilis, nõ est relatio ad efficiens, siue illa relatio sit rationis positiuæ, siue negatiuæ; sed primò & formaliter repugnant seipsis, vt optimè arguit Doctor. Vide multa de hac & præcedenti distinctione apud doctissimum Alensem 1 part. q. 20. & 21.

Impossibilium quatuor genera.

Nota vlteriùs. Quatuor esse genera impossibilium. Primò quędam dicuntur simpliciter impossibilia, quę nullius potestati subijciuntur vt Chymera. Secũdo, quædã impossibilia dicuntur per accidens, nimirum, quorum esse fuit in natura, & est possibile per ipsam naturã, nõ tñ cum aliqua addita illi cõditione, est possibile, sic dies hesterna, fuit in natura rerum, & naturaliter, hanc tñ conditionẽ si addas, vt dies hesternus sit hodie, est impossibile, rõne talis additi. Tertiò, sunt quædã impossibilia complexionatiuè, nõ tñ sunt incomplexè: sic album & nigrũ, sm̃ se sumpta, sunt possibilia, sed cõiungendo ista, vt albũ sit simul nigrũ, sunt impossibilia. Quartò, dicũtur impossibilia, per naturam: quæ põt dici impossibilitas sm̃ quid, non simpliciter: quia videlicet naturaliter id nõ põt fieri, bene tñ Deo ordinante & volente; sic impossibile est per naturã, q̃ virgo pariat, q̃ homo vertatur in statuã salis, & similia: sed bene fieri possunt, vt & facta sũt à Deo. In prẽsenti sumitur impossibilitas tribus prioribus modis, qui omnes possunt vocari impossibilitates simpliciter; quartus autem ad prẽsens nõ pertinet, & dicitur impossibilitas sm̃ quid. Antamẽ duo cõtraria simul stare non possunt vlla virtute, de hoc aliàs.

Illud etiã aduertendũ est circa literã primę partis. Quòd potentia executiua, secũdùm Doctorẽ Subtilẽ sit nõ aliud, quàm Diuinũ velle actuale, efficax, respectu creaturæ, loquẽdo de productione creaturæ in esse reali; loquendo tñ de esse diminuto rerũ, & obiectiuo illo ęterno, de quo dist. 35. dicebamus, potentia executiua & productiua illius esse, est intellectus Diuinus, vt ibi diximus: absolutè tñ potẽtia Diuina creatiua, dicitur voluntas, quia propriè potentia creatiua dicitur de potẽtia actũ producente, & ponẽte rẽ in esse actuali reali: & hæc est sola volũtas Diuina Cõformẽ huic doctrinæ habet Alex. de Ales 1. p. q. 20. mem. 5.

Vide fusissimam doctrinam de potentia executiua Dei apud Aureol. dist. 42. art. 2. Bassol. in 1. dist. 45. q. 2. art. 2.

DISTINCTIO XLIV.

QVOD DEVS MELIORI MODO res possit facere, quàm fecit.

QVÆSTIO VNICA.

Vtrum Deus possit facere aliter res, quàm ab ipso ordinatum est fieri.

Videtur quòd non. Quia tunc posset facere res inordinatè, &c.

SVMMA TEXTVS.

Licet quæstio principaliter procedat de ordine, an Deus possit aliter res ordinare quàm ordinauit; potest tamen extendi ad bonitatem, an Deus possit facere res meliores, quàm fecit.

Potẽtia absoluta & potentia ordinaria.

In primis præmittẽda est distinctio, quòd agẽs per intellectũ, dupliciter põt agere: vel de potẽtia absoluta: vel de potẽtia ordinaria. Dicitur agere de potẽtia ordinaria, quãdo agit secùndum legẽ sibi præfixam. De potentia aũt absoluta agit, quando agit, vel cõtra legẽ, vel præter legẽ. Porrò, lex illa præfixa: vel est in potestate agentis, quoad rectitudinẽ suam; & sic lex illum non obligat; & agendo contra vel præter legẽ, rectè põt agere; vel nõ est in potestate agentis, & sic præter, vel contra legẽ agens, agit non rectè. Patet ista distinctio, de conditore legum, & subdito. Si enim subditus agat cõtra leges, à Principe latas, agit nõ rectè, quia contra leges; si aũt Princeps agit præter legẽ, imò & cõtra legẽ, à se data (loquor in materia indiffereti) nõ agit malè, quia nõ seipsum obligauit legẽ, & quia lex est in potestate eius, & nõ est in potestate subditi. Ita Deus põt agere, vel de potẽtia ordinaria, quãdo agit secũdum acceptationẽ suã, & legẽ à se positam, nempe secundum determinationem voluntatis suæ ab æterno factam, vt dictum est dist. 39. quæst. 1. quia tamen illa lex est in potestate eius, & oppositum illi determinationi facere potest, dicitur posse tale de potentia absoluta.

Lex nõ obligat quem.

Deus potest facere ipso meliorũ m[...]

Vnde patet ad Quęstionẽ. Quòd Deus de potentia ordinaria, vt ordinauit res fieri, ita fient: de potentia tamen absoluta aliter posset ordinare, vt etiã dictũ est, & de ipsa prędestinatione dist. 40. Similiter dicendũ est, & de melioratione accidentali rerũ, posset dici quòd Deus posset facere Solẽ lucidiorẽ, ignẽ calidiorem, aquam frigidiorẽ, de potentia sua absoluta, quàm de facto sunt: posset etiã augere gratiã in Sanctis, &c. De potentia tamẽ ordinaria hoc Deus nõ faciet. Et cùm ordinatio Diuina, alia sit particularis, vt quòd iste finaliter in gratia perseuerans saluabitur; alia vniuersalis, vt q̃ oĩs in gratia perseuerans saluabitur: cõtra vtrãq; ordinationẽ põt Deus de potẽtia absoluta agere. Vide hoc fusius apud S. Bonau & Richardum dist. præsenti.

DI-

DISTINCTIO XLV.

DE VOLVNTATE DEI, ET DE SIGNIS EIVS.

QVÆSTIO VNICA.

Vtrum ab æterno Deus voluit alia à ſe.

Quòd non. Quia tunc in voluntate Diuina fuiſſet, &c.

SVMMA TEXTVS.

s alia à / oluit ab / no.

Concluſio eſt affirmatiua. *Quòd Deus ab æterno voluit alia à ſe.* Ratio eſt. *Omnis potentia perfecta, non impedita, eſt apta operari circa omne obiectum ſibi debitum. Cùm igitur in Deo ſit voluntas perfecta, non impedita, vt patet, & ab æterno ſint producta res aliæ à Deo, in eſſe intelligibili, in illo ſecundo inſtanti, vt diſt. 39. q. 1. dictum eſt; & omne intellectum ſit proportionatum voluntati: ſequitur, quòd Diuina voluntas, poteſt velle alia à ſe; non poteſt autem velle de nouo, quia hoc non poteſt eſſe ſine mutatione; ergo ab æterno voluit quæ voluit, & per illud velle produxit res in eſſe volito, in tertio ſigno, ſicut intellectus produxit in eſſe cognito, in ſecundo.*

COMMENTARIVM.

EXplicatio iſtius Diſtinctionis, patet ex dictis diſt. 39.

In reſpon. ad argumenta, Illa difficultas, quòd Deus ſub ratione mera abſoluta, terminet relationem creaturæ ad ipſum: explicata eſt diſt. 31.

Illa altera, quòd relatio rationis, vel ens rationis, poſſit cauſari à voluntate, non tantùm ab intellectu, declarata eſt etiam vide diſt. 13.

De ſignis Diuinæ voluntatis dicitur diſt. ſequ.

DISTINCTIO XLVI.

DE VOLVNTATE BENEPLACITI DEI.

QVAESTIO VNICA.

Vtrum voluntas beneplaciti Dei ſemper impleatur.

Videtur quòd non. Prima ad Timot. 2. Deus vult omnes homines, &c.

COMMENTARIVM.

EXpreſſiùs hanc Diſtinctionē reſoluit Doctor in Report. Vide ibi.

De voluntate Diuina vide doctiſſimū Alexan. de Ales copioſiſſimè 1. part. à quæſtione 34. ad quæſt. 41. incluſiuè. S. Bonauent. diſtin. præced. & præſenti; Rychard. ibidem.

itas ſi- / & bene / iti.

Velle diuinum diſtinguitur in voluntatē ſigni, & in voluntatē beneplaciti. Voluntas beneplaciti eſt formaliter in Deo, q̄a eſt ipſemet actus volūtatis Diuinæ, reſpectu creaturæ; & hæc à Damaſceno lib. 2. c. 29. diſtinguitur in volūtatē antecedentē, & conſequentē: Voluntate antecedēti, vt ſupra diximus, vult Deus oēs hoīes ſaluos fieri; voluntate aūt conſequente & efficaci, ſolos prædeſtinatos. Alij diuidunt voluntatem beneplaciti in voluntatem abſolutam, q̄ idem eſt, quod voluntas conſequens; & voluntatem conditionatam, quæ idem eſt, quod voluntas antecedens.

itatis be- / acti di

Noſter Doctor vt diſtinctionē volūtatis antecedentis & cōſequentis admittit, ita in Report. optimè docet, volūtatē remiſſā, vel voluntatē cōplacentiæ, poſſe vocari voluntatē antecedentē; voluntatem aūt intenſam vel efficacem, dici poſſe voluntatem cōſequentem, quæ voluntas ab alijs dr̄ abſolutè voluntas beneplaciti, diſtinguendo contra volūtatem antecedentem, vt ſuperiùs memini.

ntas ſi / quid.

Voluntas ſigni nō eſt propriè volūtatis actus, ſed ſignū quoddā, ꝙ Deus velit hoc: & cōiter dr̄ iſta volūtas, eſſe volūtas Metaphorica, ſi cōparetur ad actū volūtatis beneplaciti, q̄ formaliter in Deo eſt. Hoc ſic intelligas. Deus actu formali volitionis, vult illa ſigna, vt qn̄ p̄cipiebat Abrahę, vt filiū immolaret, volebat Deus illam præceptione, q̄ prę-ceptio eſt ſignū; illam tn̄ rem nō volebat, nec formaliter in ſe habebat, circa q̄ verſabatur tale ſignum: nec tamē illa præceptio fuit falſa, quia præcipiebat Deus ob finem honeſtum, vt probaretur obedientiam Abrahæ.

a quin- / volūta- / iuinæ.

Iſta ſigna voluntatis Diuinæ, enumerat Hugo quatuor: Permiſſio, operatio, præceptū, prohibitio; adde quintū, ex Magiſtro ſenten. d. præced. conſilium; cui doctrinæ ſubſcribunt Thomiſtæ 1. p. q. 19. art. 12. Dicit. n. Hugo in ſuis ſententijs: ꝙ ſigna vel accipiūtur in generali: & ſic eſt pmiſſio & operatio, permiſſio malorū, & operatio bonorū: Vel in ſpeciali ſigna ſumūtur, reſpectu rōnalis creaturæ; & ſic eſt prę-ceptū & prohibitio, prę-ceptū bonorū, & prohibitio malorum: Magiſter tn̄ ponit mediū inter prohibitionem & præceptum, conſilium: vnde ſicut in verbis eiuſmodi ſigna ſunt indicia quædam volitionis noſtræ interioris, ita proportionaliter loquuntur Theologi de Deo.

In Reſponſione Doctoris ad authoritatem Apoſtoli; illa ſecūda de diſtributione, cuius meminit Doctor in principio ſolutionis, ſic eſt intelligenda. Dicunt quidā iſta propoſitio: Omnes homines vult ſaluos fieri; diſtinguēda eſt: vel enim eſt diſtributio pro ſingulis generum, & talis diſtributio eſt falſa, eſt enim ſenſus: quod Deus ſingulos homines velit ſaluos fieri; vel ſecundò eſt diſtributio pro generibus ſingulorum, vt ſit ſenſus: vult de omni genere homines ſaluos fieri; & iſte ſenſus eſt verus. Iſta reſponſio, quamuis ſit Logica, magis tamen accommodata rei, & Theologica eſt ſecunda, de voluntate antecedente & cōſequente, quā etiā vtitur Damaſc. 2. de Fid. Orthod. cap. 29. Vide alias reſponſiones apud S. Bonauenturam. — Deus omnes homines vult ſaluos fieri.

DISTINCTIO XLVII.

DE ADIMPLETIONE VOLVNtatis Diuinę, & de permiſſione Diuina.

QVÆSTIO VNICA.

Vtrū permiſſio Diuina ſit aliquis actus volūtatis Diuinæ.

Quòd ſic. Quia aliter non videtur Deus hunc certitudinaliter, &c.

COMMENTARIVM.

QVamuis Subtilis Doctor duos tradat modos de permiſſione Diuina, vt ſm̄ vnum dicatur permiſſio eſſe nolitio remiſſa, & non impediens effectum nolitum: ſm̄ alterum dicatur permiſſio eſſe volitio reflexa ſuper nolle, vt dum non vult Deus Iudæ dare gratiam, negatiuè ſe habens, & non eliciens actū nolitionis poſitiuæ efficacis, vt d. 41. dictū eſt; poſtmodū in alio ſigno vult illud nolle ſuū negatiuū reſpectu Iudæ: iſta volitio reflexa ſuper nolle, diceretur permiſſio. In ſnīa tn̄ Doctoris tenēda illa opinio eſt, vt ſuperiùs memini (& manifeſtè deduci pōt ex 1. d. 41. & ex 2. diſt. 37. & in Report. d. præſenti) ꝙ permiſſio ſit quid mediū inter actū volēdi & nolēdi, ꝙ eſt nolle negatiuū, ſeu ſuſpēſio actus volēdi, nō eliciēdo poſitiuè actū nolēdi. Quamuis & illa ſententia prior, quòd permiſſio ſit nolitio inefficax, remiſſa, non impediens nolitum, admodum probabilis ſit. — Permiſſio Dei quid ſignificat.

DI-

DISTINCTIO XLVIII.

QVOD ALIQVANDO HOMO BONA VOLVNTATE aliud vult quàm Deus, & aliquando mala, id, quod Deus bona voluntate vult.

QVÆSTIO VNICA.

Vtrum voluntas humana sit bona moraliter, quandocunque conformatur voluntati Diuinæ.

Quòd sic. Veritas intellectus creati est, &c.

SVMMA TEXTVS.

Prima Conclusio. *Non sufficit ad bonitatem moralem, in actu voluntatis creatæ, sola conformitas ad actum voluntatis increatæ, quantùm ad substantiam actus, ad idem obiectū, quia potest esse difformitas in voluntate creata quoad alias circumstantias. Exemplum est causa libera adducta de morte Christi, quam voluit Christus & Iudæi, sed Christus Dominus propter redemptionem generis humani; Iudæi propter inuidiam.*

Voluntas creata conformādo se volūtati diuinæ potest esse nō recta.

Secunda Conclusio. *Probabile est, quòd si voluntas creata conformis esset in volendo idem quod Deus, ob eundem finē & secundùm circumstantias à Deo volitas; adhuc posset esse voluntas creata non recta, licèt Diuina esset rectissima. Ista Conclusio non est vniuersalis, sed probabile est, quòd aliquis casus talis dari posset, vt si sciret filius aliquis, quòd Deus vult patrem eius ob nimia scelera punire æternaliter, vt in inferno in punitione reluceat iustitia Dei: bonus filius etsi hoc videat iustum, debet tamen patri optare misericordiam Dei, & non iustitiam. Ratio diuersitatis est, quia Deus cùm sit iudex, debet optare iustitiam; filius autem cùm non sit in talibus iudex, non tenetur, nec debet velle iustitiam, sed misericordiam. Ista secunda Conclusio vt bene dicit Anton. Andr. non proponitur assertiuè, sed opinatiuè.*

COMMENTARIVM.

Nota.



Onformari nostram voluntatem voluntati Diuinæ, est regulare & dirigere velle nostrū tanquam mensura & regula volūtate Diuina. Cùm igitur priùs ostensum sit illum, qui est sub lege, obligari viuere secundùm leges ad hoc, vt viuat rectè; consequēter nos Diuinæ voluntati, à qua omnes leges rectissimæ sunt, tenemur nos conformare in agendo, ad hoc vt actio sit recta, & per consequēs Conclusio secunda opinatiua in textu parum probabilis est. Et sicut variæ sunt leges Diuinæ, quædam præcepta, quædam consilia, ita aliter nos voluntatem nostram cōformare debemus volūtati Diuinæ; quia in volitione præceptorum Dei tenemur de necessitate salutis, conformare voluntatem nostram volūtati Diuinæ, in volitione consiliorum Dei, vt paupertatis voluntarię, castitatis, &c. nō tenemur de necessitate salutis, (nisi obligatio voti intercedat) sed de bono & æquo. Quantùm item ad mala prohibita, tenemur conformare nos voluntati Diuinæ, nolendo mala. Dicit tamen S. Bonauentura dist. præsenti. q. 2. art. 2. quòd non tenetur voluntas nostra conformari voluntati Diuinæ in quocunque volito, sed in eo quod vult & innotescit Deum velle, de quo aliàs.

Difficultas occurrit; An mortem Christi, quam ipse volebat pro nobis pati, licitum erat Apostolis eandem optare, & in hoc conformare voluntatem suam. Et videtur quòd sic. Quia Matth. 16. cùm Christus prædixisset Apostolis suis passionem & dixisset Petrus, absit à te Domine, nō erit tibi hoc: à Christo est in hoc Petrus reprehēsus, & Sathanas appellatus; ergo optare mortem fuit laudabile & rectum. In cōtrarium verò est. Tum quia iniustum est velle pœnam innocentum, Christus autem innocētissimus erat. Tum quia qui non vult causam non vult effectū, sed crudelitas Iudæorum culpabilis, fuit causa passionis Christi, & hanc nolebant Apostoli: ergo & ipsam Christi passionem nolle debebant. Respondeo. Quòd passio Christi potest considerari dupliciter: vel sub illa ratione, sub qua fuit punitio naturæ innocentis; & cùm punitio innocentis vt innocentis, non sit appetenda, non debebant Apostoli appetere passionem Christi sub tali ratione. Vel sub illa ratione, sub qua fuit passio Christi ordinata ad redemptionē hominum; & sic Apostolis erat licitum Christi passionem & mortem desiderare, imò multi Sancti desiderarunt, vt docet Magister dist. præsenti: & hoc vult authoritas illa Mat. 16. de Petro. Hinc etiam patet ad rationem negatiuā priorem. Ad secundam dicendum est: possum velle effectum & nō causam, sic & in præsenti, passionē Christi appetebant Sancti, sed nō malam actionem Iudæorum. Vnde & Sāctissima Virgo debuit sub hac ratione velle Christi passionem, & volebat: licèt sub priori nolebat, & vehementissimè dolebat, iuxta illam prophetiam Simeonis: Tuam ipsius animam pertransibit gladius: & tali actu nolitionis, atque doloris plurimùm merebatur: sic etiam nunc Martyrium aliorum optare possumus ob gloriam Dei, Dei viui & veri, ex quo omnia, in quo omnia, qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

FINIS.

AMICVS AD AVTHOREM LIBRI.

NEstoreis, ô Andrea, dignissime sæclis,
Partus hic ô Vtinam viuat in orbe tuus.

Respondet Typographus.

MOrtuus haud moritur: felix post funera viuit:
Viuit, dum partus viuit in orbe suus.

Aliud Epigramma

QVem, mundo surreptum olim, malefida recondit,
Andream, en tandem pignore reddit humus.

Aliud.

ANdrea moreris? Non sum mortalis? At ecce
Viuere te cælum, viuere terra videt.
Vidit & obstupuit.

F. IOANNIS DVNS SCOTI ORDINIS MINORVM Theologorum omnium eminentissimi, PRIMVS SENTENTIARVM.

PROLOGVS.



Circa Prologum huius Primi libri Sententiarum, quaeruntur quinque. Primum de necessitate huius doctrinae: & spectat ad genus causae efficientis, & est quaestio. Vtrum necessarium sit homini pro statu isto aliquam doctrinam specialem supernaturaliter inspirari. Secundum spectat ad genus causae formalis, & est quaestio. Vtrum cognitio supernaturalis necessaria viatori, tradita sit sufficienter in Sacra Sriptura. Tertium spectat ad genus causae materialis, & est quaestio. Vtrum Theologia sit de Deo tanquam de subiecto primo. Quartum & Quintum pertinent ad genus causae finalis, & est Quarta quaestio. Vtrum Theologia sit practica? Quinta verò quaestio. Vtrum ex ordine ad praxim vt ad finem dicatur per se scientia practica. Tertia tamen quaestio quatuor habet alias annexas, vt sic nouem sint quaestiones prooemiales.

QVAESTIO PRIMA PROLOGI.

A *Vtrum homini pro statu isto sit necessarium aliquam doctrinam specialem supernaturaliter inspirari, ad quam videlicet non possit attingere lumine naturali intellectus.*

ET videtur quòd non, sic. Omnis potentia habens aliquod commune pro primo obiecto naturali, potest in quodlibet contentum sub illo sicut in per se obiectum naturale. Hoc patet per exemplum de primo obiecto visus & alijs contentis sub illo, & ita inductiuè in alijs obiectis primis, & potentijs,

Patet etiam per rationé. Quia primum obiectum dicitur quod est adaequatum potentiae: sed si in aliquo esset ratio eius, circa quod nó posset potentia habere actū naturaliter, non esset potentiae adaequatum sed excederet potentiam. Patet ergo maior. Sed primùm obiectū intellectus nostri naturale est ens in quantùm ens: ergo intellectus noster potest naturaliter habere actum circa quodcunque ens, & sic circa quodcunque intelligibile, etiam circa nó ens, quia negatio cognoscitur per affirmationem; ergo &c. Probatio minoris. Auic. 1. Metaph. c. 5. Ens & res prima impressione imprimuntur in animam, nec possunt manifestari ex alijs. Si autē esset aliquid aliud ab istis primum obiectum, ista possent manifestari per rationem illius: sed hoc est impossibile; ergo.

B Praeterea. Sensus non indiget aliqua cognitione, supernaturali pro isto statu; ergo nec intellectus. Antecedens patet. Probatio consequentiae. Natura non deficit in necessarijs 3. de anima t. 45. & si in imperfectis non deficit, multò magis nec in perfectis; ergo si non deficit in potentijs inferioribus, quantùm ad necessaria eis propter actus suos habendos & finem earum consequendū; multò magis non deficit in necessarijs potentiae superiori ad actū suum & finé cōsequēdū; ergo &c. C

Praeterea. Si aliqua talis doctrina sit necessaria, hoc est quia potentia in puris naturalibus est improportionata obiecto vt sic cognoscibili; ergo oportet quòd per aliquid aliud à se fiat ei proportionata: illud aliud aut est naturale, aut supernaturale. Si est naturale, ergo totum est improportionatum obiecto primo: si supernaturale; ergo potentia est improportionata illi, & ita sequitur quòd per aliud oportet ei proportionari, & sic in infinitum: cùm ergo non sit procedere in infinitū 2. Metaph. t. 5. oportet stare in primo, dicendo quòd potentia intellectiua sit ex se proportionata omni cognoscibili, & secundùm omnem modum cognoscibilis. Quare &c. D

Ad oppositum 2. Timo. 3. in fine. *Omnis scriptura diuinitus inspirata, vtilis est ad docendum, ad arguendum &c.* Praeterea Baruch 3. de Sapientia dicitur. *Non est qui possit scire vias eius*, sed qui scit vniuersa nouit eam: ergo nullus alius potest habere eam nisi à sciēte vniuersa: hoc quantùm ad necessitatem, de facto subdit. Tradidit eam Iacob puero suo, & Israel dilecto suo: hoc quātùm ad vetus Testamentum. Et sequitur. Post haec in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est, s. quando tradidit eam, quo ad Nouum Testamentum.

A ## ARTICVLVS PRIMVS.

Recitatur opinio Philoſophorum negantium neceſſitatem cognitionis alicuius ſupernaturalis pro ſtatu iſto.

IN iſta quæſtione videtur eſſe controuerſia inter Philoſophos,& Theologos. Tenent enim Philoſophi perfectionem naturæ,& negant perfectionem ſupernaturalem: Theologi verò cognoſcunt defectum naturæ, & neceſſitatem gratiæ & perfectionum ſupernaturaliũ. Diceret ergo Philoſophus quòd nulla eſt cognitio ſupernaturalis homini neceſſaria pro iſto ſtatu, ſed quòd omnem notitiam ſibi neceſſariam, poſſet acquirere ex actione cauſarum naturalium.

Ad hoc adducitur ſimul auctoritas & ratio Philoſophi ex diuerſis locis. Primò per illud 3. de anima vbi dicit, quòd intellectus agens eſt quo eſt omnia facere, & intellectus poſſibilis eſt quo eſt omnia fieri. Ex hoc arguitur ſic. Actiuo naturali & paſſiuo debito approximatis, & non impeditis, neceſſariò ſequitur actio, quia
B non dependet eſſentialiter niſi ab eis tanquam à cauſis prioribus: Actiuum autem reſpectu omnium intelligibilium eſt intellectus agens; & paſſiuum eſt intellectus paſſibilis, & hæc ſunt naturaliter in anima, nec ſunt impedita, patet ergo quòd virtute naturali iſtorum poteſt ſequi actus intelligendi, reſpectu cuiuſcunque intelligibilis. Confirmatur ratio. Omni potentiæ paſſiuę naturali, correſpondet aliquod actiuum naturale, alioquin videretur potentia paſſiua eſſe fruſtra in natura, ſi per nihil in natura poſſet reduci ad actum: ſed intellectus poſſibilis eſt potentia paſſiua & naturalis reſpectu quorumcunque intelligibilium: ergo correſpondet ſibi aliqua potentia actiua naturalis: ſequitur ergo propoſitum: Minor patet; quia intellectus poſſibilis naturaliter appetit cognitionem cuiuſcunque cognoſcibilis: naturaliter ẽt perficitur per quamcunq; cognitionem; ergo eſt naturaliter receptiuus cuiuſcũq; intellectionis.

Præterea 6. Metaph. t.2. diuiditur ſcientia ſpeculatiua in Metaphyſicam & Phyſicam, ſiue naturalem, & Mathematicam. Et ex probatione huius ibidem, non
C videtur poſſibile plures habitus eſſe ſpeculatiuos: quia in iſtis conſideratur de toto ente, & in ſe, & quoad omnes partes eius: ſicut autem non poſſet eſſe aliqua alia ſcientia ſpeculatiua ab iſtis; ſic nec practica aliqua alia à practicis acquiſitis actiuis, & factiuis. ergo ſcientiæ practicæ acquiſitæ ſufficiunt ad perficiendum intellectũ practicum, & ſpeculatiuæ acquiſitæ ſufficiunt ad perficiendum intellectum ſpeculatiuum.

Præterea. Potens naturaliter intelligere principium, poteſt naturaliter cognoſcere, & intelligere concluſiones incluſas in principio. Hanc probo: Quia ſcientia cõcluſionum non dependet niſi ex intellectu principij, & ex deductione concluſionum ex principio, ſicut patet ex definitione Scire, primo poſteriorum: t.1. ſed deductio eſt ex ſe manifeſta, ſicut patet ex definitione Syllogiſmi perfecti, primo Priorum t. 3. quia nullius eſt indigens vt appareat euidenter neceſſarius: ergo ſi principia intelliguntur & deductio manifeſta eſt ex ſe, habẽtur omnia quę ſunt neceſſaria ad ſcientiam cõcluſionis.
D Patet ergo maior. Sed naturaliter intelligimus principia prima, in quibus virtualiter includuntur omnes concluſiones ſcibiles; ergo naturaliter poſſumus ſcire omnes concluſiones iſtas ſcibiles. Probatio primæ partis minoris. Quia termini primorũ principiorum ſunt communiſſimi; ergo iſtos poſſumus naturaliter intelligere: quia ex 1. Phyſicorum. t.2. q.4. communiſſima à nobis primò intelliguntur: principia autem cognoſcimus in quantũ terminos cognoſcimus 1. Poſterior. t.6. ergo principia prima poſſumus naturaliter cognoſcere. Probatio ſecũdæ partis minoris. Quia termini primorum principiorũ ſunt communiſſimi: ergo quando diſtribuuntur, diſtribuuntur pro omnibus conceptibus inferioribus; accipiũtur autem tales termini vniuerſaliter in primis principijs, & ita extendunt ſe ad omnes conceptus particulares, & per conſequens ad extrema omnium ſpecialium concluſionum; quare &c.

ARTICVLVS SECVNDVS. E

Impugnatur prędicta Philoſophorum opinio.

COntra iſtam poſitionem poteſt argui tripliciter. Primò ſic. Omni agenti per cognitionem neceſſaria eſt diſtincta cognitio ſui finis. Hanc probo. Quia oẽ agens propter finẽ, agit ex appetitu finis, & oẽ per ſe agens, agit propter finẽ: ergo omne per ſe agens ſuo modo appetit finem. ergo ſicut agenti naturali eſt neceſſarius appetitus finis propter quem debet agere, ita agenti per cognitionẽ (quod etiã eſt per ſe agens ex 2. Phyſi. t.49.61.& 78.) neceſſarius eſt appetitus ſui finis propter quẽ debet agere, qui ſequitur cognitionẽ. Patet ergo maior. Sed homo non poteſt ſcire ex naturalibus finẽ ſuũ diſtinctè; ergo neceſſaria eſt ſibi de hoc tradi aliqua cognitio ſupernaturalis. Minor probatur. Primò; q̃a Philoſophus ſequens naturalẽ rationẽ, aut ponit felicitatẽ eſse perfectã in cognitione ſubſtantiarũ ſeparatarũ acquiſita, ſicut videtur dicere 1. Ethyc. & c. 13. c. 10. aut ſi non determinatè aſserit iſtam eſse ſupremã nobis poſſibilem; alium tamen ratione naturali non concludit: ita F quòd ſoli rationi naturali innitendo, vel errabit circa finẽ in particulari, vel dubius remanebit, vnde 1. Ethyc. C. 13. dubitãdo agit. Siquidẽ igitur & aliud aliquod Deorũ eſt donũ hominibus, rationabile eſt fęlicitatem Dei datum eſse, & maxime humanorũ quantò optimũ. Secũdò probatur eadẽ minor per rationẽ. Quia nullius ſubſtantię finis proprius cognoſcitur à nobis, niſi ex actibus eius nobis manifeſtis, ex quibus oſtenditur quòd talis finis ſit conueniens tali naturæ; nullos aũt actus experimur nec cognoſcimus ineſse naturæ noſtræ in ſtatu iſto, ex quibus cognoſcamus viſionẽ ſubſtantiarũ ſeparatarũ eſse conuenientẽ nobis; ergo non poſsumus naturaliter cognoſcere diſtinctè quòd iſte finis ſit conueniens naturæ noſtræ. Hoc ſaltẽ certũ eſt, quòd quædam conditiones finis propter quas eſt appetibilior, & feruẽtiùs inquirendus, non poſsunt determinatè concludi ratione naturali. Etſi.n. daretur quod ratio naturalis ſufficeret ad probandũ quòd viſio nuda, & fruitio Dei eſt G finis hominis: Tamen non concluderetur quòd illa perpetuò conuenit homini perfecto in corpore & anima: ſicut dicetur in 4. diſt. 45. Et tamẽ perpetuitas huius boni eſt conditio reddens finẽ appetibiliorẽ quã ſi eſset trãſitoriũ: Conſequi etiam hoc bonum in natura perfecta, appetibilius eſt, quàm in anima ſeparata. Sicut patet per Aug. 12. ſuper Geneſim. Iſtas ergo & ſimiles conditiones finis neceſsarium eſt noſcere, ad efficaciter inquirendum finem, & tamen ad cognoſcendas eas non ſufficit ratio naturalis; ergo requiritur doctrina ſupernaturaliter tradita.

Secundò ſic. Omni cognoſcẽti agenti propter finẽ, neceſsaria eſt triplex cognitio. Primò, qũo & qualiter finis acquiratur. Secundò, cognitio oĩum quæ ſunt neceſſaria ad finẽ. Tertiò eſt neceſsariũ cognoſcere, quòd oĩa iſta ſufficiãt ad talẽ finẽ. Primũ patet, quia ſi neſciat qũo finis acquiratur, neſciet qualiter ad conſecutionẽ illius ſe diſponat. Secundũ probatur, quia ſi neſciat oĩa neceſſaria ad ipsũ finẽ, propter ignorantiã alicuius neceſsarij, H poterit à fine deficere. Et ẽt quantũ ad tertiũ ſi neſciat iſta neceſsaria ſufficere, dubitando ſe ignorare aliquid neceſsariũ, nõ efficaciter proſequetur illud quod eſt neceſsariũ. Sed hæc tria non poteſt viator ratione natural cognoſcere. Probatio primi: quia beatitudo confertur tanquã præmiũ pro meritis eius, quẽ Deus acceptat tanquã dignũ tali pręmio; & per conſequẽs nulla naturali neceſſitate ſequitur ad actus noſtros qualeſcunque, ſed contingenter datur à Deo, actus aliquos in ordine ad ipſam tanquã meritorios acceptante: hoc aũt nõ eſt naturaliter ſcibile, vt videtur: quia in hoc errabant Philoſophi, ponentes oĩa quę ſunt à Deo immediatè, eſse ab eo neceſsariò. Saltẽ alia duo mẽbra ſunt immanifeſta. Nõ .n. poteſt ſciri naturaliter acceptatio voluntatis diuinæ, vtputa tanquam contingenter acceptantis talia vel talia digna vita ęterna: Et quòd etiam illæ ſufficiunt,

depen-

A dependet merè ex voluntate Diuina, circa ea ad quæ cõtingenter se habet. ergo &c.

Contra istas duas rationes instatur, & primò contra primam sic. Omnis natura creata, essentialiter depẽdet à qualibet per se causa eius, & propter talem dependentiam ex causato cognito potest demonstratione Quia, quælibet eius per se causa cognosci; ergo cũ natura hominis sit homini naturaliter cognoscibilis, quia non est potentiæ cognitiuæ improportionalis: sequitur quòd ex ista natura cognita possit naturaliter cognosci finis illius naturæ. Confirmatur ratio. Quia si ex natura inferiori cognita cognoscitur eius finis, non minùs hoc est possibile in proposito, quia nec minor dependentia est finiti in proposito ad suum finem quàm in alijs. Ex hac etiam ratione videtur quòd falsa sit ista propositio, Finis substantiæ non cognoscitur nisi ex actibus eius: quæ assumebatur in probatione minoris, quia ex cognitione naturæ in se, potest finis eius cognosci demonstratione Quia.

B Si autem dicatur, quòd ratio concludit hominem naturaliter posse cognoscere suum finem naturalem, non autem supernaturalem. Contra. August. 1. de prædestinat. sanctorum cap. 4. Proinde inquit posse habere fidẽ, sicut posse habere charitatem, naturæ est hominum: habere autem fidem, quemadmodum habere charitatem, gratiæ est fidelium.

Sub eodem. Si igitur natura hominis est naturaliter cognoscibilis homini, naturaliter etiam erit cognoscibilis ista potentia vt est talis naturæ, & per cõsequens ordinabilitas talis naturæ ad finem ad quem fides & charitas disponit. Item, homo naturaliter appetit finem istum quem dicit supernaturalem: Igitur ad istum naturaliter ordinatur. ergo ex tali ordine potest cõcludi iste finis ex cognitione naturæ ordinatę ad ipsum.

Item, naturaliter cognoscibile est primum obiectum intellectus esse Ens. secundùm Auic. 1. Met. c. 5. Et naturaliter est cognoscibile in Deo perfectissimè saluari rationem entis: finis autem cuiuscunq; potentię est optimum eorum quę continentur sub eius obiecto primo, C quia ĩ illo solo est perfecta quietatio & delectatio ex 10. Ethyc. c. 4. Igitur naturaliter cognoscibile est hominem ordinari secundùm intellectum ad Deum tanquam ad finem. Confirmatur ratio. Quia cui naturaliter est cognoscibilis potẽtia aliqua, sibi naturaliter est cognoscibile, quid sit eius obiectum primum. Et vlteriùs, potest cognoscere in quo saluatur ratio illius primi obiecti & in quo perfectissimè; tale enim est finis potentię: mens autem nota est sibi secundùm August. 14. de Trini. c. 4. vel 1. igitur notum est sibi quid sit eius primum obiectũ Et nouit Deum non excedere rationẽ illius primi obiecti, quia tunc nullo modo esset ab ipsa mente intelligibilis; ergo nouit Deum esse optimum in quo saluatur ratio sui primi obiecti, & ita nouit ipsum esse finem potentię.

Contra secundam rationem arguitur sic. Si per vnũ extremum cognoscitur aliud extremũ: ergo & mediũ; sed necessaria ad consequendum finem sunt media inter naturam, & finem suum consequendum; igitur cum ex D cognitione naturę possit cognosci finis naturę secũdùm priùs probata, videtur quòd similiter possint cognosci media necessaria ad finem. Confirmatur ratio. Ita enim in proposito entium ad finẽ videtur esse necessaria connexio ad ipsum finẽ, sicut in alijs; sed ptopter talem connexionem in alijs, ex fine cognoscuntur illa quæ sunt ad finem necessaria, sicut per rationem sanitatis, concluditur talia & talia requiri ad sanitatem. ergo &c.

Ad Primum. Licèt procedat de fine qui est causa finalis, non de fine attingẽdo per operationẽ; quorũ finium distinctio dicetur inf. q. 4. & 8. Põt tñ ad istud, & ad sequens de Aug. & ad tertiũ de potẽtia & primo obiecto dici vnica responsione, quòd omnia accipiunt nostram naturam vel potentiã intellectiuam esse à nobis cognoscibilem naturaliter, quod falsum est sub illa ratione propria & speciali, sub qua ad talẽ finem ordinatur, & sub qua capax est gratiæ consumatæ, & sub qua habet Deũ E prò perfectissimo obiecto. Non enim cognoscitur anima à nobis, nec natura nostra pro statu isto, nisi sub ratione aliqua generali, abstrahibili à sẽsibilibus, sicut patebit infra dist. 3. q. 1. & 3. Et secundùm talem rationem generalem, non conuenit sibi ordinari ad talem finem, nec posse capere gratiam, nec habere sic Deũ pro obiecto perfectissimo. Tunc ad formam argumenti, cùm dicitur. Quòd exᶦ ente ad finem potest cognosci finis demonstratione Quia; dicendum, quòd nõ est verum, nisi cognito illo ente ad finem, sub illa propria ratione, sub qua habet finem istum. Et tunc minor est falsa. Et cùm probatur per proportionalitatem: dico, quòd licèt mens sit eadem sibi, non tamen pro statu illo est proportionalis sibi tanquam obiectum, nisi secundùm rationes generales, quę possunt abstrahi ab imaginabilibus. Ad confirmationem dico, quòd nec aliarum substantiarum fines proprij cognoscuntur, qui .s. sunt earum, secũdùm rationes proprias, nisi aliqui sint actus manifesti, ex quibus concludatur ordo earum ad talem finem. Et ex hoc F patet ad illud quòd adducitur contra probationem minoris, quòd ista propositio non est falsa. Non cognoscitur à nobis finis propriùs substantiæ nisi per actus eius nobis manifestos. Nõ enim accipit propositio illa; quòd non possit aliter cognosci finis. Benè enim est verum, quòd si substantia sub propria ratione cognosceretur, ex natura sic cognita posset eius causa p se cognosci demonstratione Quia: sed nõ sic cognoscitur à nobis aliqua substantia nunc: ideo nullum finem possumus nũc concludere proprium substantiæ, nisi per actum euidẽtem de illa substantia, vt nota in vniuersali & confusè. In proposito autem deficit vtraq; via. Sed probatio minoris tetigit vnam viam de ignorantia actus, supponẽdo aliam de ignorantia naturæ in se.

Ad Secundum de Augustino. Dico, quòd illa potentia habendi charitatem, vt ipsa est dispositio respectu Dei in se sub propria ratione amandi, conuenit naturæ hominis secundùm rationem specialem non communem sibi, & sensibus, & ideo non est illa potentialitas naturaliter cognoscibilis de homine, sicut nec homo cognoscitur sub illa ratione sub qua est eius hæc potentia. Et ita G respõdeo ad illud in quantùm potest adduci contra cõclusionem principalem .s. oppositam minori primæ rationis. Sed in quantùm adducitur contra illam respõsionem de fine naturali, et supernaturali. Cõcedo Deum esse finem naturalem hominis, licet non naturaliter adipiscendum, sed supernaturaliter; & hoc probat ratio sequens de desiderio naturali, quam concedo.

Ad aliud. Negandum est illud quòd assumitur: scilicet, quòd naturaliter cognoscimus Ens esse primũ obiectum intellectus nostri; & hoc secundùm totam indifferẽtiam Entis ad sensibilia & ĩsensibilia. Et sic quod dicit Auic. non concludit quòd sit naturaliter notum. Miscuit enim sectam suam quæ fuit secta Machometi, Philosophicis. Et quædam dixit vt Philosophica & ratione probata, alia vt consona suæ sectæ. Vnde ipse expressè ponit 9. Metaphys. suæ, c. 7. animam separatam cognoscere substãtiam immaterialem in se. Et ideo sub obiecto primò intellectus habet ponere substantiã immaterialem H contineri. Non sic Arist. sed secundùm ipsum, videtur esse primùm obiectum intellectus nostri quidditas rei sensibilis, & hoc vel in se sensibilis, vel in suo inferiori; hoc est, quidditas abstrahibilis à sensibilibus. Quòd autem additur de Augustino in confirmatione illiùs rationis. Respondeo & dico, quòd dictum Augustini debet intelligi de actu primo sufficiente ex sę ad actum suum secundum; sed tamen nunc impeditur, propter quod impedimentum actus secundus non elicitur à primo. De hoc autem ampliùs dicetur infra .d. 3. q. 3.

Si verò obijciatur contra ista. Homo in statu naturæ institutæ potuit cognoscere naturam suam; igitur finẽ naturæ, ex deductione primæ rationis; igitur ista cognitio non est supernaturalis.

Item contra responsionẽ ad vltimam rationẽ. Si ideo nõ cognoscitur quid sit obiectũ primũ ĩtellectus, q̃a nõ

A cognoſcitur intellectus ſub ratione propria, ſub qua reſpicit tale obiectum; ergo non poteſt cognoſci de quocunque quòd ipſum ſit intelligibile, quia non cognoſcitur potentia ſub illa ratione ſub qua reſpicit quodcunque vt obiectum intelligibile.

Reſpondeo ad Primum. Requireretur dici, qualis fuerit cognitio hominis inſtituti, quod vſque aliàs differatur 2.d. 20. t.22. ſaltē reſpectu viatoris pro ſtatu iſto, eſt dicta cognitio ſupernaturalis, quia facultatem eius naturalem excedens: naturalem dico, ſecundùm ſtatum naturæ lapſæ.

Ad Secundum, concedo. quòd non habetur modò cognitio de anima, vel de aliqua eius potentia ita diſtincta, quòd ex ipſa poſſit cognoſci quòd aliquod obiectū tale ſibi correſpondeat; ſed ex ipſo actu quem experimur, concludimus potentiam & naturam cuius iſte actus eſt illud reſpicere pro obiecto, quod percipimus attingi per actum, ita quòd obiectum potentiæ non concluditur eſt cognitione potentiæ, ſed ex cognitione
B actus quem experimur, ſed de obiecto ſupernaturali neutram cognitionem poſſumus habere: ideo ibi deficit vtraque via cognoſcendi finem proprium illius naturę.

Ad Argumentum contra ſecundam rationem patet, quia ſupponit quoddam iam negatum. Ad Confirmationem illius rationis, dico, quòd quando finis ſequitur naturaliter ea quæ ſunt ad finem, & naturaliter præexigit illa, tunc ex fine poſſunt concludi ea quæ ſunt ad finem: hic autem non eſt conſecutio naturalis, ſed tantùm acceptatio Diuinæ voluntaris compenſantis iſta merita tanquam digna tali fine.

ARTICVLVS TERTIVS.

Aliȩ rationes adferuntur contra Philoſophos.

TErtiò arguitur principaliter contra opin. Philoſophorum 6. Metaph. t.2. Cognitio ſubſtantiarum ſeparatarum eſt nobiliſſima, quia eſt circa nobiliſſimū genus: ergo cognitio eorum quæ ſunt propria eis, eſt maxime
C nobilis & neceſſaria; nam illa propria eis ſunt nobiliora & perfectiora cognoſcibilia, quàm illa in quibus conueniunt cum ſenſibilibus: ſed illa propria non poſſumus cognoſcere ex puris naturalibus. Probo: quia ſi in aliqua ſcientia naturaliter poſſibili traderentur hęc propria, hoc eſſet in Methaphyſica; ſed ipſa non eſt poſſibilis naturaliter à nobis haberi de proprijs paſſionibus iſtarum ſubſtantiarum ſeparatarum, vt patet dupliciter. Et primò ſic. Quia illa non includuntur virtualiter in primo ſubiecto Metaphyſicæ, ſcilicet in Ente. Hoc etiā eſt quod dicit Philoſophus: 1. Metaph. ꝙ oportet ſapientem omnia cognoſcere aliqualiter, ſcilicet in vniuerſali & non in particulari. Et ſubdit. Qui enim nouit vniuerſalia, nouit aliqualiter omnia ſubiecta. Sapientem autem vocat Metaphyſicum, ſicut Metaphyſicam probat ibi eſſe ſapientiam. Secundò probo ratione. Quia nō cognoſcuntur talia cognitione Propter quod, niſi cognoſcantur propria ſubiecta quæ ſubiecta inclu-
D dunt talia Propter quid: ſed propria ſubiecta eorū non ſunt à nobis naturaliter cognoſcibilia: ergo &c. Nec cognoſcuntur illa propria eorū demonſtratione Quia, videlicet ex effectibus, quod probatur: nam effectus vel relinquunt intellectum dubium quo ad iſta, vel adducunt in errorem; quod apparet ex proprietatibus primæ ſubſtantiæ immaterialis in ſe: proprietas enim naturæ eius eſt, quòd ſit cōmunicabilis tribus, ſed effectus non oſtēdunt iſtā proprietatē: quia non ſunt ab ipſo in quātùm trinus. Et ſi ab effectibus arguatur ad cauſam magis ducunt in oppoſitum, & in errorem, quia in nullo effectu inuenitur vna natura numero, niſi in vno ſuppoſito, proprietas etiam iſtius naturæ ad extra, eſt cauſare contingenter: & ad oppoſitum huius magis deducūt effectus in errorē, ſicut patet per opiniones Philoſophorū ponentiū, primū neceſſariò cauſare. De proprietatibus ēt aliarū ſubſtātiarū patet hoc idē: quia effectus magis ducunt in ſempiternitatē & ęternitatē, & neceſſitatē earum, quàm in contingentiam, & nouitatem. Similiter videntur Philoſophi ex motibus concludere, quòd numerus iſtarum ſubſtantiarum ſeparatarum ſit ſecundùm numerum motuum cęleſtium. Similiter quòd illæ ſubſtantiæ ſunt naturaliter Beatæ, & impeccabiles, ſicut Philoſophi poſuerunt, quæ omnia abſurdiſſima ſunt. E

Contra iſtam rationem arguo, & probo, quòd quæcunque neceſſaria de ſubſtantijs ſeparatis cognoſcūtur à nobis nunc per fidem, ſiue per communem reuelationem, poſſunt cognoſci cognitione naturali. Et hoc ſic. Quorūcunque neceſſariorùm reuelatorum terminos naturaliter cognoſcimus, & illa poſſumus naturaliter comprehendere; ſed omnium neceſſariorum reuelatorū terminos naturaliter cognoſcimus; ergo &c. Probatiō maioris. Illa neceſſaria aut ſunt mediata aut immediata: ſi immediata; ergo cognoſcūtur cognitis terminis 1. poſt. t. 6. Si mediata; ergo cùm poſſumus cognoſcere extrema, poſſumus concipere medium inter ea, & tunc coniungendo illud medium cum vtroque extremo F aut habentur præmiſſæ mediatę, aut immediatæ; ſi immediatæ, idem quod priùs: Si mediatę, procedemus cōcipiendo medium inter extrema, & coniungendo cum extremis, quouſque veniamus ad immediata: igitur tandem veniemus ad neceſſaria immediata, quæ intelligimus ex terminis ex quibus ſequuntur omnia neceſſaria mediata; ergo iſta mediata per immediata ſcire poterimus naturaliter. Probatio minoris principalis. Quia habens fidem, & non habens fidem, contradicentes ſibi inuicem, non contendunt de nominibus tantùm, ſed de conceptibus. Sicut cùm Philoſophus & Theologus cōtradicunt de iſta. Deus eſt trinus, vbi non tantùm idem nomen, ſed eundem conceptum vnus negat, & alius affirmat; ergo omnem conceptum ſimplicem quem iſte habet, & ille habet.

Ad iſtud reſpōdeo. De ſubſtātijs ſeparatis ſunt aliquæ veritates immediatę, accipio tunc aliquā veritatē talem primā & immediatā, & ſit A. in iſta includūtur multæ veritates mediatæ, puta omnes, quę particulariter enūciāt cōmunia ad prędicatū de cōibus ad ſubiectū, dicā- G
tur B. C. iſta vera mediata nō habent euidentiam, niſi ex illa immediata. ergo nō ſunt nata ſciri, niſi ex iſta immediata intellecta. Si igitur aliquis intellectus, poſſit intelligere terminos. B.C. & cōponere eos ad inuicē, nō autē poſſet intelligere terminos, nec per cōſequens ipſū A. B. ſed tūc erit intellectui ſuo propoſitio neutra. Ita eſt de nobis, quia cōceptus quoſdā cōmunes habemus de ſubſtantijs immaterialibus & materialibus; & iſtos poſſumus adinuicem componere; ſed iſtæ complexiones nō habent euidentiam, niſi ex veris immediatis, quæ ſunt de illis quidditatibus ſub ratione propria, & ſpeciali, ſub qua ratione nō cōcipimus iſtas quidditates, & ideo nec ſcimus illas veritates generales de conceptibus generalibus. Exemplum. Si impoſsibile eſt alicui concipere triangulum ſub propria ſpecie, poteſt tamen abſtrahere rationem figuræ à quadrangulo, & eam concipere, impoſsibile eſt etiam ſibi concipere primitatem, vt eſt propria paſsio trianguli, quia H
ſic non concipitur niſi vt abſtrahitur à triangulo: tamen poteſt primitatem abſtrahere ab alijs primitatibus, puta in numeris. Iſte intellectus licèt poſſet formare hanc complexionem, Aliqua figura eſt prima, quia terminos eius poteſt apprehendere: tamen illa compoſitio formata erit ſibi neutra, quia iſta eſt mediata incluſa in iſta immediata, Triangulus eſt ſic primus, & hanc immediatam non poteſt intelligere, quia nec terminos eius, ideo mediatam non poteſt ſcire, quæ ex hac immediata tantùm habet euidentiam.

Per hoc ad argumentum: nego maiorem. Ad probationem dico, quòd illa neceſſaria ſunt mediata. Et cùm dicis: igitur cùm poſſumus cognoſcere extrema poſſumus concipere medium inter extrema. nego conſequentiam, quia medium inter extrema quandoque eſt eſſentialiter ordinatum, puta Quod quid eſt

est alterius extremi, vel passio prior respectu posterioris
passionis, & tale est medium ad concludendum vniuer-
saliter extremum de extremo. Concedo igitur, quòd qui
cunq; potest intelligere extrema, potest intelligere tale
medium inter talia extrema; quia intellectus eius inclu-
ditur in altero extremo, si est passio; vel est idem alteri,
si est. Quod quid est alterius extremi. Si autem mediũ sit
particulare contentum sub altero extremo, & non essen
tialiter ordinatũ inter extrema, tunc non oportet quòd
potens concipere extrema generalia, possit concipere me
dium particulare ad illa extrema generalia; ita est hic,
nã ista quidditas sub ratione propria & particulari, ha-
bens passionem aliquam sibi immediatè inhærẽtem, est
medium inferius ad cõceptum sibi communem, de quo
dicitur illa passio in communi accepta; & ideo non est
medium vniuersaliter inferens passionem de commu-
ni, sed tantùm particulariter. Hoc patet in exemplo illo,
B quia non oportet, quòd potens concipere figuram in cõ-
muni, & primitatem in communi, possit concipere trian
gulum in particulari, quia triangulus est medium cõten
tum sub figura, medium inquam ad concludendum pri-
mitate particulariter de figura.

Hæc ratio tertia potissimè concludit de prima substã-
tia immateriali, quia eius tanquam obiecti beatifici po-
tissimùm est cognitio necessaria. Et tunc responsio ista
ad obiectionem contra ipsam, supponit, quòd nunc na-
turaliter non concipimus Deum, nisi in conceptu gene-
rali cõmuni sibi & sensibilibus, quod inferiùs dist. 3. q. 1.
exponetur: si etiam negetur illud suppositum, ad hoc
oportet dicere conceptum qui potest fieri de Deo virtu-
te creaturæ esse imperfectum, qui autem fieret virtute
ipsius essentiæ, esse perfectum. Sicut ergo dictum est de
conceptu generali & speciali, ita dicatur secundùm aliã
viam de imperfecto & perfecto conceptu.

Supradictæ tres rationes cõfirmantur per auctorita-
C tes. Primò per auctoritatem Aug. de ciui. Dei lib. 18. c.
41. Philosophi inquit nescientes ad quem finem refe-
renda ista essent, inter falsa quæ locuti sunt, verum vide
re potuerunt.

Secunda ratio confirmatur per Aug. 2. de ciui. cap. 2.
Quid prodest nosse quò eundum sit, si ignoratur via
qua eundum sit? in hoc enim errabant Philosophi, quia
etsi aliqua de virtutibus vera tradiderunt. tamen falsa
miscuerunt, secundùm auctoritatem præcedentẽ, Aug.
& patet ex eorum libris. Improbat enim Arist. politias
dispositas à multis alijs 2. Politicorũ: sed nec illa Arist.
est irreprehensibilis. 7. Polit. vbi docet Deos esse hono-
randos. Decet, inquit, cultum exhibere Dijs. Et ibidem.
Lex nullum orbatum tradit nutriri. Et in eodem libro,
cap. 15. dicit. quòd oportet fieri aborsum in casu.

Tertia ratio confirmatur per Aug. 11. de ciui. capit. 3.
Quæ remota sunt a sensibus nostris, quoniam testimo-
nio nostro scire non possumus, de his alios testes requi-
D rimus. Et hoc confirmat totam solutionem principalẽ,
quia enim complexiones illę de quibus argutum est, no-
bis ex se sunt neutræ, nullus potest suo testimonio cre-
dere de ipsis, sed oportet testimonium supernaturale re
quirere alicuius superioris tota specie humana. Quali-
ter autem prima reuelatio siue traditio talis doctrinæ
fieri potuerit & facta sit: est dubium. an scilicet locutio-
ne interiore, an exteriore; an cum aliquibus signis ad-
hibitis, sufficiẽtibus ad causandum assensum. Ad propo
situm sufficit, quòd vtroq; modo potuit supernaturali-
ter reuelari talis doctrina, sed neutro modo potuit ab
homine sine errore primo tradi.

Contra istas tres rationes instatur simul quòd seipsas
destruant, Quia quod ostenditur esse necessarium co-
gnoscendum, hoc ostenditur esse verum, quia nihil sci-
tur nisi verum. ergo quicquid istæ rationes ostendunt
esse necessarium cognosci (puta quòd fruitio Dei in se
est finis hominis, quoad primam rationem: Quòd via
deueniendi ad ipsam est per merita quę Deus acceptat
vt digna tali præmio, quo ad secundam: Quòd Deus est
trinus, & contingenter causans, & huiusmodi, quo ad
tertiam) totum illud ostenditur esse verum, vel ergo il-
læ rationes non sunt nisi ex fide, vel ex ipsis concludi- E
tur oppositum eius quod probant.

Respondeo. Naturali ratione ostẽditur, necessarium
esse scire alteram partem determinatè huius contradi-
ctionis. fruitio est finis, fruitio non est finis: hoc est,
quòd intellectus nõ sit merè dubius vel neutrere in hoc
problemate, an fruitio sit finis; quia talis dubitatio vel
ignorantia impediret inquisitionem finis, non autem
ostenditur ratione naturali quòd hæc pars sit necessa-
riò cognoscenda. Et hoc modo rationes prædictæ vt
sunt naturales, concludunt de altera parte contradictio
nis hac vel illa: non determinatè de hac, nisi ex creditis
tantùm.

Quartò principaliter arguitur sic. Ordinatum ad ali-
quem finem ad quem est ex se in dispositum, necesse est
paulatim promoueri ad dispositionem respectu illius fi-
nis, sed homo ordinatur ad finem supernaturalem ad
quem ex se est indispositus; ergo ĩdiget paulatim dispo- F
ni ad habendum illum finem: hoc autem fit per cogni-
tionem aliquam supernaturalem. ergo &c. Si instetur:
quòd agens perfectum potest statim remouere imperfe-
ctionem, & statim agere: Respondetur: quòd etsi pos-
set de potentia absoluta, tamen perfectiùs est commu-
nicare homini aliquam actiuitatem respectu suæ perfe-
ctionis consequendæ, quám non communicare: potest
autem homo habere actiuitatem aliquam respectu suæ
perfectionis finalis; ergo perfectiùs est, quòd hoc sibi
communicetur; quod non potest fieri sine aliqua cogni-
tione imperfecta, pręcedente istam perfectam ad quam
ordinatur finaliter.

Quintò arguitur sic. Omne agens vtens instrumen-
to in agendo, non potest per illud instrumentum in ali-
quam actionem, quæ excedit naturam illius instrumẽ-
ti: lumen autem intellectus agentis est instrumentum,
quo anima nunc vtitur in intelligendo naturaliter: er-
go non potest per illud lumen in aliquam actionem quę G
excedat illud lumen; sed illud de se est limitatum ad co-
gnitionem habitam per viam sensuum: ergo anima nõ
potest in aliquam actionem quæ non potest haberi per
viam sensus: sed multorum aliorum cognitio est neces-
saria pro statu isto. igitur &c.

Hæc ratio videtur concludere contra eum qui fecit
eam: secundùm enim deductionem istam, lux increata
non poterit vti intellectu agente, vt instrumento, ad co-
gnitionem alicuius sinceræ veritatis, quia talis secundũ
eum nõ potest haberi via sensuum, sine speciali illustra-
tione. Et ita sequitur, quòd in cognitione veritatis sin-
ceræ, lumen intellectus agentis nullo modo habeat ali-
quam actionem, quod videtur inconueniens, quia ista
actio perfectior est omni intellectione: & per conse-
quens, illud quod perfectiùs est in anima inquantùm
intellectiua, oportet concurrere aliquo modo ad istam
actionem.

Istæ duæ rationes non videntur plurimum efficaces. H
Prima enim esset efficax, si esset probatum quòd homo
ordinatur finaliter ad cognitionem supernaturalem,
cuius probatio pertinet ad quæstiones de beatitudine.
Etsi cum hoc ostenderetur cognitionem naturalem non
sufficienter disponere pro statu isto ad cognitionem su-
pernaturalem consequendam. Secunda ratio petit duo;
scilicet aliquorum cognitionem esse necessariã, quæ nõ
possunt cognosci per viam sensuum, & quia lumen in-
tellectus agẽtis est ad talia cognoscibilia limitatũ. Tres
ergo primæ rationes probabiliores apparent.

ARTICVLVS QVARTVS.

Supponitur vnum fundamentum, & Respondetur affirmatiuè ad quæstionem.

AD quæstionẽ igitur respõdeo. Distinguẽdo primò
qualiter aliquid dicitur supernaturale. Potentia. n.
receptiua cõparatur ad actũ quem recipit, vel ad agẽs à
quo recipit. Primo modo, ipsa est potentia naturalis, vel
violẽta, vel neutra: naturalis, si naturaliter inclinet, vio-

A lenta, ſi ſit contra inclinationem naturalem: neutra, ſi neq; inclinatur ad iſtam formam, neq; ad oppoſitã. In hac autem comparatione nulla eſt ſupernaturalitas. Sed comparando receptiuum ad agens à quo recipit formã, tunc eſt naturalitas, quando receptiuum comparatur ad tale agens, quod natum eſt naturaliter imprimere talẽ formam in tali paſſo; Supernaturalitas autem, quando comparatur ad tale agens, quod non eſt naturaliter impreſſiuum illius formæ in illud paſſum.

Ad propoſitum dico, quòd comparando intellectum poſſibilem ad notitiam actualem in ſe, nulla eſt ſibi cognitio ſupernaturalis, quia intellectus poſſibilis quacũque cognitione naturaliter perficitur, & ad quamcũque naturaliter inclinatur; ſed ſecundo modo loquendo, ſic eſt ſupernaturalis, quæ generatur ab aliquo agente, quod non eſt natum mouere intellectum poſſibilem ad talem cognitionem naturaliter, pro ſtatu autem iſto
B ſecundùm Philoſophum intellectus poſſibilis, natus eſt moueri ad cognitionem ab intellectu agente & phãtaſmate: igitur ſola illa cognitio naturalis eſt, quæ ab iſtis agentibus poteſt imprimi; virtute autem iſtorum poteſt haberi omnis cognitio incomplexa, quæ ſecundùm legem communem habetur à viatore; ſicut patet in inſtãtia contra tertiam rationem principalem. Et ideo licet Deus poſſit per reuelationem, ſpecialem cognitionẽ alicuius in complexi cauſare, ſicut in raptu, non tamen talis cognitio ſupernaturalis, eſt neceſſaria de communi lege. De complexis autem veritatibus ſecus eſt, quia ſic (vt oſtenſum eſt per tres rationes primas cõtra primam opinionem adductas) poſita tota actione intellectus agẽtis & phantaſmatum, multæ complexiones remanebunt ignotæ & nobis neutræ, quarum cognitio eſt nobis neceſſaria: iſtarum igitur notitiam eſt neceſſe nobis ſupernaturaliter tradi, quia nullus eorum notitiam potuit naturaliter inuenire, & eam alijs docendo tradere, quia ſi-
C cut vni, ita cuilibet ex naturalibus erunt neutræ.

Vtrum autem poſt primam traditionem doctrinæ de talibus, poſſit aliquis aſſentire naturaliter doctrinæ traditæ: de hoc in 3. lib. diſt. 23. Hæc autem prima traditio talis doctrinæ, dicitur reuelatio, quæ ideo eſt ſupernaturalis; quia eſt ab agente, quod non eſt naturaliter motiuum intellectus noſtri pro ſtatu iſto. Aliter etiam poſſet dici ſupernaturalis, quia eſt ab agente ſupplente vicem obiecti ſupernaturalis. Nam obiectum natum cauſare notitiam huius, Deus eſt Trinus, & vnus, vel ſimilium, eſt Eſſentia ſub propria ratione cognita, ipſa autem ſub tali ratione cognoſcibilis, eſt obiectum nobis ſupernaturale. Quodcunque igitur agens cauſat notitiam aliquarum veritatum, quę per tale obiectum, ſic cognitum, natæ ſunt eſſe euidentes, illud agens in hoc ſupplet vicem illius obiecti.

Quod ſi ipſum agens cauſaret notitiam perfectam iſtarum veritatum, qualem ipſum obiectum in ſe co-
D gnitum cauſaret, tunc perfectè ſuppleret vicem obiecti, ſed ſi agens non ita perfectam notitiam cauſat, ſicut obiectum in ſe cauſaret, tunc imperfectè ſupplet vicem obiecti, pro quanto .ſ. imperfecta notitia, quam facit, virtualiter continetur in illa perfecta, cuius obiectum in ſe cognitum eſſet cauſa. Ita in propoſito, nam reuelans hanc, Deus eſt Trinus, cauſat in mente aliqualem notitiam huius veritatis, licet obſcuram, quia cauſat de obiecto nõ ſub propria ratione cognito, quod obiectum ſi cognitum eſſet, natum eſſet cauſare notitiam perfectam & claram veritatis illius.

Pro quãto igitur hæc notitia obſcura in illa clara includitur eminenter, ſicut imperfectum in perfecto, pro tanto reuelans hanc obſcuram & cauſans, ſupplet vicem obiecti illius claræ notitiæ cauſatiui, præcipuè cum non poſſit notitiam alicuius veritatis cauſare, niſi vt ſupplens vicem alicuius obiecti, nec veritatum talium de illo obiecto notitiam cauſare poſſet, vt ſupplens vicem obiecti alicuius inferioris naturaliter motiui intellectus noſtri, quia nullum tale virtualiter includit aliquam notitiam iſtarum veritatum, etiam nec obſcurã: igitur oportet quòd in cauſando etiam iſtam obſcurã aliqualiter ſuppleat vicem obiecti ſupernaturalis. E

Differentia iſtorum duorum modorum ponendi ſupernaturalitatem notitiæ reuelatæ, patet, ſeparando vnum ab alio, puta, ſi agens ſupernaturale cauſaret notitiam obiecti naturalis, vt ſi infunderet Geometriam alicui, illa eſſet ſupernaturalis primo modo, & non ſecundo modo: ſi autem infunderet notitiam huius, Deus eſt trinus, vel ſimilium, hæc ſupernaturalis eſſet vtroque modo, quia ſecundus infert primum, licèt non è conuerſo: vbi enim eſt primus tantùm, ibi non eſt neceſſe quòd ſit ſic ſupernaturalis quin naturaliter poſſit haberi, vbi verò eſt ſecundus modus, eſt neceſſitas vt ſupernaturaliter habeatur, quia naturaliter haberi non poteſt.

ARTICVLVS QVINTVS.

Reſoluuntur argumenta Philoſophorum primo Articulo adducta. F

AD Argumenta pro opin. Ariſtot. Ad Primum dico. Quòd cognitio dependet ab anima cognoſcente, & ab obiecto cognito: quia ſecundùm Aug. 9. de Trini. c. vlt. A cognoſcente & cognito paritur notitia: licèt ergo anima habeat ſufficiens actiuum, & paſſiuum intra ſe, pro quanto actio reſpectu cognitionis conuenit animæ; non tamen habet intra ſe ſufficiẽs actiuum, pro quanto actio conuenit obiecto; quia ſic eſt vt tabula nuda, vt dicitur 3. de Anima t. 14. Eſt igitur intellectus agens quo eſt omnia facere, verum eſt inquantùm actio competit animæ, reſpectu cognitionis, & non inquantùm obiectum eſt actiuum.

Ad confirmationem rationis, dico ad maiorem, quòd Natura quandoque accipitur pro principio intrinſeco motus vel quietis, prout deſcribitur 2. Phyſ. t. 6. quãdoque pro principio actiuo naturali, prout natura diſtinguit contra artem, ſiue propoſitum, propter oppo- G ſitum modum principiandi. Primo modo non eſt vera maior, quia non correſpondet omni paſſiuo naturaliter principium actiuum, quod ſic ſit natura: quia multa ſunt naturaliter receptiua alicuius perfectionis, cuius non habent principium intrinſecum actiuum. Secundo modo etiam propoſitio maior eſt falſa in quibuſdam, quando ſcilicet natura propter ſui excellentiam ordinatur naturaliter ad recipiendum perfectionem ita eminentem, quòd non poſſit ſubeſſe, cauſalitati agentis naturalis, ſecundo modo dicti: & ita eſt in propoſito. Cùm probatur maior; dico, quòd potentia paſſiua non eſt fruſtra in natura, quia licèt per agens naturale non poſſit principaliter reduci ad actum, tamen poteſt per tale agens diſpoſitio ad ipſum induci, & poteſt per aliquod aliud agens in natura, id eſt, in tota coordinatione entium, puta per agens ſupernaturale complete reduci ad actum. H

Si autem obijciatur. Quòd illud vilificat naturam, quòd ipſa non poſſit cõſequi perfectionem ſuam ex naturalibus, cùm natura non deficiat in neceſſarijs ex 2. cęli & mundi. t. 56. & 59. Reſpondeo. Si felicitas noſtra conſiſteret in ſpeculatione illa ſuprema; ad qualem poſſumus nunc naturaliter attingere, non diceret Philoſophus naturam deficere in neceſſarijs: nũc autem concedo illam poſſe naturaliter haberi; & vltra hoc dico, aliam eminentiorem poſſe naturaliter recipi. Ergo in hoc magis dignificatur natura, quàm ſi ſuprema ſibi poſſibilis poneretur ſolùm eſſe iſta naturalis. Nec etiã eſt mirum quòd ad maiorem perfectionem ſit capacitas paſſiua in aliqua natura, quàm eius cauſalitas actiua ſe extendat. Illud autem quod additur de 2. cœli, & mundi, non eſt ad propoſitum: quia Philoſophus loquitur ibidem de organis correſpondentibus potentiæ motiuę ſi ineſſet ſtellis, quòd natura dediſſet eis organa, & cõcedo vniuerſaliter, quòd cui datur potentia, quę nata eſt eſſe organica, ei datur à natura organum, in non orbatis, dico: ſed in propoſito dico, quòd data eſt potẽtia, ſed non organica, non tamen ſunt naturaliter data

A ta omnia alia, præter potentiam concurrētia ad actum. A Philosopho igitur ibi haberi potest, quòd naturaliter ordinabile ad aliquem actum vel obiectum, naturaliter habet potentiam ad illud & organum, si potentia est organica; sed non sic est de posterioribus requisitis ad actum.

Aliter tamen posset dici ad maiorem: quòd ipsa est vera loquendo de potentia passiua naturali, vt passiua comparatur ad actiuam, non autem vt passiua comparatur ad actum receptum, differentia membrorum patet in principio solutionis quæstionis. Minor verò est vera secundo modo, non primo.

Posset autem tertio modo faciliùs dici ad minorem: negando quòd licet absolutè intellectus possibilis sit naturaliter receptiuus talis intellectionis, non tamen pro statu isto. Causa eius dicetur inferius, distinct. 3.

Ad Secundum dicitur. Quòd diuersa ratio scibilis B diuersitatem scientiarum inducit: eandem enim conclusionē demōstrat Astrologus, & Naturalis, puta, quòd terra est rotunda, sed Astrologus per medium Mathematicum, id est, à materia abstractum, Naturalis autē per medium circa materiam consideratum: vnde nihil prohibet de eisdem rebus, de quibus Philosophicæ sciētiæ tractant, secundùm quòd cognoscibilia sunt lumine naturalis rationis, etiam aliā scientiam tractare, secundùm quòd cognoscuntur lumine Diuinæ reuelationis.

Contra hoc. Si de cognoscibilibus in Theologia est possibilis tradi cognitio in alijs scientijs, licet in alio lumine: ergo non est de eis necessaria cognitio Theologica; Consequentia patet in exemplo eius, quia per medium Physicum cognoscens terram esse rotundam, non indiget cognitione eius per medium Mathematicum, tanquam simpliciter necessarium.

Dicta autem responsio ad secundum exponitur sic. Habitus, & est habitus & est forma; in quantùm est habitus, C habet distinctionem ab obiecto, in quantùm est forma, potest distingui à principio actiuo: respectu autem habitus scientifici principia sunt causæ effectiuæ: licet igitur vbi est idem scibile, puta quòd terra est rotunda, non sit distinctio per obiecta, tamen est ibi distinctio per principia, quibus Mathematicus & Physicus hoc ostendunt, & ita est distinctio habituum, in quantùm sunt formæ, & non inquantùm sunt habitus.

Contra istud. Forma est communior habitu, quia omnis habitus est forma, & non è conuerso, impossibile est autem aliqua esse distincta in ratione superioris, & non esse distincta in ratione inferioris; ergo impossibile est aliqua esse distincta in ratione formæ, & tamen esse indistincta in ratione habituum, hoc enim esset, ac si aliqua essent distincta in ratione animalis, & indistincta in ratione hominis.

Præterea, supponit quòd principia sunt distinctiua habitus conclusionis, in alio genere causę, quàm vt prin D cipia effectiua, quod falsum est, quia si aliquam rationem causæ distinctiuæ habent ad habitus istorum, non habent nisi rationem causæ effectiuæ.

Præterea. Semper stat ratio, quia quantumcunque possent poni habitus cognoscitiui distincti, non tamen saluatur necessitas vnius habitus, quasi aliàs cognitio sit impossibilis, ponendo possibilitatem alterius habitus vndecunque distincti.

Ideo ad argumentum respondeo. Quòd in illis sciētijs speculatiuis, & si tractetur de omnibus speculabilibus, non tamen quantùm ad omnia cognoscibilia de eis, quia non quantùm ad propria eorum cognoscibilia, sicut patuit priùs in tertia ratione principali contra opinionem Philosophorum.

Ad Tertium respondetur sic. Quòd prima principia non possunt applicari ad conclusiones aliquas, nisi sensibiles: tum quia termini eorum sunt abstracti à sensibilibus, & ita sapiunt naturam eorum: tum quia intellectus agens, per quem debet fieri applicatio, limitatur ad sensibilia. Contra. Certum est intellectui, quòd illa principia prima sunt vera, non tantùm in sensibilibus, sed in insensibilibus, non enim magis dubitatur, quòd contradictoria non sunt simul vera de eodem immate- E riali, quàm materiali; quare responsio nulla.

Et ideo aliter dicitur. Quòd terminus primi principij est Ens, quod diuiditur in decem genera, & illud nō extendit se ad obiectum Theologicum. Hoc nihil valet. Quia non magis dubitamus, quòd contradictoria non sunt simul vera de Deo, quàm de altero, vt quòd Deus est Beatus, & non Beatus.

Alia datur responsio. Quòd ex maioribus solùm, non sequuntur conclusiones, sed cum minoribus adiunctis; nunc autem minores non sunt naturaliter manifestæ, quæ debent illis adiungi. Contra. Minores sumendæ sub primis principijs, prædicant de sumptis sub terminos subiectos primorum principiorum; sed notum est terminos primorum principiorum dici de quolibet, quia sunt communissimi: ergo.

Ideo respondeo. Quòd secunda pars minoris est falsa, hæc scilicet, quòd in primis principijs includuntur F virtualiter omnes conclusiones scibiles. Ad probationem dico, quòd sicut termini subiecti sunt communes, ita & termini prædicati, quando igitur termini subiecti sic distributi accipiuntur pro omnibus, non accipiuntur nisi respectu terminorum prædicatorum, qui sunt communissimi, & per consequens, virtute talium principiorum non sciuntur de inferioribus, nisi prædicata communissima.

Hoc patet ratione. Quia medium non potest esse Propter quid respectu passionis, nisi quæ includitur virtualiter in ratione illius medij, in ratione autem subiecti principij communissimi, non includitur Propter quid aliqua passio particularis, sed tantùm communissima: ergo illud subiectum non potest esse ratio cognoscendi aliquas passiones nisi communissimas, sub ratione com munissima: sed præter passiones communissimas, sunt multę aliæ passiones scibiles, ad quas non possunt G rationes primorum principiorum esse media, quia non includunt illas: ergo sunt multæ veritates scibiles, quæ non includuntur in primis principijs.

Hoc patet ex hoc exemplo, quia istud, Omne totum est maius sua parte, etsi includat istam; Quaternarius est maior binario, & alias similes de eodem prædicato, non tamen includit istas, scilicet, Quaternarius est duplus ad binarium, & Trinarius se habet in proportione sesqui altera ad qualitatem: nam ad ista prædicata oportet habere media specialia concludentia ipsa.

Secunda ratio Logica est. Quia licet contingat descēdere sub subiecto vniuersalis affirmatiuæ, non tamen sub prædicato, multa autem prædicata contēta, sub prędicatis primorum principiorum sunt scibilia de inferioribus ad subiecta illorum; igitur illa prædicata per prima principia non sciuntur de illis subiectis. Contra illud obijcitur. De quolibet, affirmatio vel negatio est de necessitate vera; sequitur ergo de necessitate hoc esse al- H bum vel non album, ita quòd licet ibi descendere sub prædicato & sub subiecto. Respondeo, illud principiū, De quolibet affirmatio vel negatio, &c. valet istam. De quolibet, cuiuslibet contradictionis, altera pars est vera altera falsa: vbi duplex est distributio ex parte subiecti, scilicet, de quolibet, & cuiuslibet, & sub vtroque distributo licet descendere: igitur de hoc, huius contradictionis, altera pars est vera, altera falsa; sed sub prædicato stante confusè tantùm, non licet descendere, quia non sequitur; De quolibet, cuiuslibet contradictionis altera pars &c. ergo hæc pars, & ita in alijs principijs, semper prædicatum vniuersalis affirmatiuæ stat confusè tantū, siue sint ibi duę distributiones in subiecto, siue vna: & in proposito exēplo adhuc patet propositū, quia de homine verum est, quòd sit risibilis, nunquam tamen per hoc principium, De quolibet &c. potest plùs inferri, nisi ergo de homine, risibile vel non risibile: altera igitur pars prædicati disiuncti, nunquam scietur de subiecto, per hoc principium commune, sed requiritur aliquod principium speciale, tanquam medium determinatum & ratio sciendi risibile de homine.

RESPONDETVR.

Argumentis principalibus, ſeu, in principio quæſtionis propoſitis.

AD argumenta principalia. Ad Primum, diſtinguo de obiecto naturali, quod poteſt accipi; vel pro eo ad quod naturaliter ſiue ex actione cauſarum naturaliter actiuarum poteſt potentia attingere; vel pro illo ad quod potentia naturaliter inclinatur; ſiue poſſit illud naturaliter attingere ſiue nõ, poſſet ergo maior negari, intelligendo naturale primo modo, quia obiectũ primum eſt adæquatum potentiæ, & ideo abſtractum ab omnibus illis, circa quæ poteſt potentia operari, nõ autem oportet, ſi intellectus poſſit naturaliter intelligere tale commune, quòd poſſit intelligere quodcunque contentum ſub illo, quia intellectio alicuius contenti, multò excellentior eſt intellectione confuſa talis communis. Et ſic conceſſa minore in vtroque ſenſu, concluſio intenta nõ habetur, ſcilicet de naturaliter attingibili, quia ſic maior fuit falſa. Contra hanc reſponſionem arguo, quia deſtruit ſe ipſam. Primum enim obiectum eſt adæquarum potentiæ, hoc eſt, quòd nihil reſpicit potentia pro obiecto niſi in quo eſt ratio illius primi, & in quocunque eſt ratio illius primi, illud reſpicit potentia pro obiecto. ergo impoſſibile eſt aliquod eſſe obiectum primum naturaliter, quin quodlibet cõtentum ſub illo ſit per ſe obiectum naturaliter: da enim oppoſitum, & tunc non eſt adæquatum naturaliter, ſed excedens, & aliquid eo inferius eſt adæquatum, & ita primum. Ratio autem quæ adducitur pro reſponſione, fallit ſecundùm fallaciam figuræ dictionis: licet enim ens (vt eſt quoddam intelligibile vno actu, ſicut homo eſt intelligibilis vna intellectione) ſit naturaliter attingibile, illa enim vnica intellectio entis (vt vnius obiecti) eſt naturalis, non tamẽ ens vt primum obiectũ, id eſt adæquatum, poteſt poni naturaliter attingibile, niſi quodlibet ſub eo contentum ſit naturaliter attingibile, quia eſt primum obiectũ, vt includitur in omnibus per ſe obiectis. Commutatur igitur Hoc aliquid, in Quale quid, cùm arguit, Ens eſt naturaliter attingibile; ergo ens vt primum obiectum, hoc eſt adæquatum, eſt naturaliter attingibile: falſum eſt; quia antecedens eſt verum, vt ens eſt vnum intelligibile ſingulare, ſicut album, ſed conſequens concludit de ente vt includitur in omni intelligibili, non vt ſeorſum ab illis intellectum.

Ad argumentum igitur eſt alia reſpõſio realis, quòd minor eſt falſa de obiecto naturali, id eſt naturaliter attingibili: vera alio modo, de obiecto ad quod naturaliter inclinatur potentia, & ita debet intelligi auctoritas Auic. Quid autem ſit ponendum obiectum primum naturaliter attingibile? de hoc infra diſt. 3. q. 3. Confirmatur reſponſio per Anſel. de liber. arbitrio, cap. 2. Nullã inquit (vt puto) habemus poteſtatẽ quę ſola ſufficiat ad actum; poteſtatem autem vocat, quod nos communiter dicimus potentiam, ſicut patet per exemplum eius de ſenſu viſus. Non eſt igitur inconueniens potentiam eſſe naturaliter ordinatam ad obiectum, ad quod non poteſt naturaliter attingere, ſicut quælibet ex ſe ſola ordinatur ad proprium actum, & tamen non poteſt ex ſe ſola attingere.

Ad Secundum argumentum nego conſequentiam. Ad probationem, patet ex dictis in reſponſione ad confirmationem primi argumenti pro opinione Philoſophi, quòd ſuperiora ordinantur ad perfectionem maiorem paſſiuè recipiendam, quàm ipſa poſſint actiuè producere, & per conſequens iſtorum perfectio non poteſt produci niſi ab aliquo agente ſupernaturali, non ſic eſt de perfectione inferiorum, quorum perfectio vltima poteſt ſubeſſe actioni agentium inferiotum.

Ad Tertium dico, quòd veritati complexę alicui firmiter tenendæ intellectus poſſibilis eſt improportionatus, hoc eſt, non eſt proportionaliter mobile reſpectu taliũ agentium quæ ex phãtaſmatibus, & ex lumine naturali intellectus agentis, non poſſunt cognoſci. Cùm autem arguis. Igitur ſit proportionatus per aliquid aliud. Concedo: & per aliud in ratione mouentis, quia per mouens ſupernaturale reuelans aſſentit illi veritati; & per aliud in ratione formæ, quia per iſtum aſſenſum factum in ipſo, qui eſt quaſi quædam inclinatio in intellectu ad illud obiectum, proportionans illud iſti. Cùm vltra de illo alio quæris, an ſit naturale vel ſupernaturale: dico quòd ſupernaturale; ſiue intelligas de agente, ſiue de forma. Cùm infers. Ergo intellectus eſt improportionatus ad illud, & per aliud proportionatur. Dico quód ex ſe eſt in potentia obedientiali ad agens, & ita ſufficiẽter proportionatur illi ad hoc, vt ab ipſo moueatur. Similiter ex ſe eſt capax illius aſſenſus cauſati a tali agẽte, etiam eſt naturaliter capax: nõ oportet ergo ipſum per aliud proportionari illi aſſenſui in recipiendo. Statur igitur in ſecundo non in primo, quia veritas iſta reuelata non eſt ſufficienter inclinatiua intellectus ad eſſentiendum ſibi; & ita eſt improportionale agens, & paſſum ſibi improportionale. Sed agens ſupernaturale eſt ſufficienter inclinatiuum intellectus ad iſtam veritatem, cauſando in ipſo aſſenſum, quo proportionatur huic veritati, ita quod nõ oportet intellectum per aliud proportionari tali agenti, nec formę ab ipſo impreſſæ, ſicut oportet ipſum proportionari tali obiecto per aliud, duplici modo prædicto.

QVAESTIO SECVNDA.

Vtrum cognitio ſupernaturalis neceſſaria viatori, ſit ſufficienter tradita in Sacra ſcriptura.

QVòd non. Quia cognitio neceſſaria nunquam defuit generi humano, ſed Sacra ſcriptura non erat in lege naturæ, quia Moyſes primò ſcripſit Pentatheucum, nec tota erat in lege Moſayca, ſed tantùm vetus teſtamentum. ergo &c.

Item. Quicunq; auctor ſcientiarum humanarũ quãtò acutior intellectu, tantò plùs vitat ſuperfluitatem in tradendo: ſed in Sacra ſcriptura videntur contineri ſuperflua, vt cærimoniæ, & hiſtoriæ multæ, quarum non videtur cognitio neceſſaria ad ſalutem. ergo &c.

Item, multa ſunt de quibus non cognoſcitur certitudinaliter ex Sacra ſcriptura, vtrum ſint peccata mortalia, vel nõ, quorum tamen cognitio eſt neceſſaria ad ſalutem, quia neſciens illud eſſe peccatum mortale, non ſufficienter vitabit illud. ergo &c.

Contra. Aug. 2. de ciuitate. c. 3. loquẽs de ſcriptura canonica, ait. Cui fidem habemus de his rebus quas ignorare non expedit, nec per nos ipſos noſſe idonei ſumus.

In iſta Quæſtione ſunt hæreſes innumeræ damnãtes Sacram ſcripturam, vel partem eius, ſicut patet in libris Damaſceni & Auguſtini de Hæreſibus. Quidam enim hæretici nihil de ſcriptura recipiunt. Quidam non vetus teſtamentum, vt Manichæi, ſicut in libro Aug. de vtilitate credendi patet, dicentes vetus teſtamentum eſſe à malo principio. Quidam verò tantùm teſtamentum vetus accipiunt, vt Iudæi. Quidam autem aliquid vtriuſq; vt Sarraceni, quibus Machometus immundus alias immunditias innumeras immiſcuit. Quidam aliquid dictum in Nouo teſtamento, puta hæretici diuerſi, qui diuerſas ſententias ſcripturarum malè intellectas habentes, pro fundamenro, alias neglexerunt. v.g. ad Rom. 14. *Qui infirmus eſt, olera manducet.* Item Iacob. 5. *Confitemini alterntrùm peccata veſtra.* Ex hoc errarunt circa Sacramentum pœnitentiæ, quidam dicendo illud poſſe diſpenſari à quocunque non Sacerdote, vel alijs huiuſmodi auctoritatibus innitendo malè intellectis.

Contra omnes iſtos in communi, octo ſunt viæ eos rationabiliter conuincendi, quę ſunt.

Pronunciatio prophetica.
Scripturarum concoraia.
Auctoritas ſcribentium.
Diligentia recipientium.
Rationabilitas contentorum.
Irrationabilitas ſingulorum errorum.
Eccleſię ſtabilitas.

Mi-

A *Miraculorum claritas.*

De Primo patet. Quia solus Deus potest naturaliter non ab alio futura contingentia certitudinaliter præuidere: ergo solus ille vel ab illo instructus potest ea certitudinaliter prędicere: talia autem multa prænunciata in Scriptura impleta sunt, vt patet consideranti libros Propheticales, ex quibus non est dubiũ, quin sequuntur pauca quę restant, secundùm Gregorium in homil. de aduentu. Istam viam tangit Aug. 12. de ciui. ca. 10. vbi ait. Vera se narrasse prętérita ex his quę futura prænunclaui, cùm tanta veritate implentur ostendit.

De Secundo, scilicet scripturarũ concordia sic. In non euidentibus ex terminis, nec ex principijs euidentiam habentibus, non consonant firmiter, & infallibiliter multi diuersimodè dispositi, nisi à causa superiore ipsorum intellectus inclinentur ad assensum; sed scriptores sacri Canonis variè dispositi, & diuersis temporibus existentes, in talibus non euidentibus omnino consonabãt. Hanc viam pertractat August. 18. de ciu. c. 41. Auctores B nostri sanè pauci esse debuerunt, ne multitudine vilesceret quod eorum religione esse oporteret, nec, tamen ita pauci, vt eorum non miranda sit consensio. Neq; enim in multitudine Philosophorum, qui labore etiam literario monumenta suorum dogmatum reliquerunt, facilè quis inuenerit, quòd inter cũcta quæ sensere conueniant. Et hoc Aug. probat in exemplis ibi. Maioretiam assumpta non tãtùm probatur per exemplum de Philosophis, vt videtur probare Aug. sed etiam per rationem. Quia cùm intellectus, quantùm ad assensum sit natus moueri ab obiecto euidente in se, vel in alio, nihil aliud ab obiecto videtur talem assensum posse causare, nisi virtualiter includat euidentiam obiecti: nã si nihil tale moueat intellectum, remanebit sibi Theologia neutra: nihil autem est tale de non euidentibus ex terminis, nisi intellectus superior nostro: nihil autem intelligẽs superius homine potest hominem effectiuè docere, nisi Deus. Si autẽ dicatur hic. Quod posteriores, licèt aliter dispositi fuerint quam priores, & alijs temporibus existentes, tamen habuerunt doctrinas præcedentium in Scripturis, & acquieuerunt credendo, sicut discipuli doctrinæ magistro- C rum, & ita nihil scripserunt dissonum à prioribus, licet Deus non doceret hos & illos.

Contra hoc videtur Aug. obijcere, vbi priùs. dicens de Philosophis. Qui labore literario monumenta suorum dogmatum reliquerunt &c. quæ discipuli legentes licèt in aliquibus essent assentientes prioribus vt discipuli, aliqua tamen improbauerunt, vt patet ibidem de Aristippo & Antistene, qui licèt fuerint ambo Soc. tamen in quibusdam sibi contradixerunt, & quandoque discipuli magistro, vt Aristoteles Platoni; quomodo igiturnõ cõtradixissent posteriores nostri prioribus in aliquibus, si nõ habuissent Doctorem communem eorum intellectus inclinantem ad eadem non euidentia? Respõdeo. Quia non euidentia tradiderunt priores, ideo posteriores nõ potuerunt eos per rationes improbare, & noluerunt eis discredere, nisi possent rationem cogentem pro se habere, reuerentes eos vt magistros veraces, sed Philosophi discipuli per rationem potuerunt magistros im- D probare; quia materia circa quam altercabantur, potuit habere rationes sumptas ex terminis. Exemplum. Non ita contradicit discipulus Historiographus magistro Historiographo, sicut Philosophus Philosopho, quia Historiæ de prętérito, nõ possunt esse euidentes vt auertant discipulum à magistro, sicut possunt esse Philosophicæ rationes. Contra illud. Saltem Ezechiel Prophetans in Babylone, eo tempore quo Hieremias in Iudæa prophetauit, cùm non solum illa dicerent quæ à Moyse quasi communi eorum magistro habuerunt, sed & alia multa, in illis potuissent discordare, aut dissentire, cũ non essent euidentia ex terminis, nisi habuissent aliquẽ communem Doctorem supra intellectum humanum.

De Tertio, scilicet auctoritate scribentium, sic. Aut libri Scripturæ sunt istorum auctorum, quorum esse dicũtur, aut non: si sic; cùm damnent mendacium præcipuè in fide & moribus, quomodo est verisimile eos fuisse mentitos dicendo. Hæc dicit Dominus, si Dominus non E fuisset locutus? aut si dicas eos fuisse deceptos, non mentitos, vel propter lucrum mentiri voluisse. Primum improbatur ex dicto Pauli 2. Corinth. 12. Scio hominem in Christo &c. & subdit, ibi verba arcana audisse quæ non licet homini loqui: quæ assertiones nõ vidẽtur fuisse sine mendacio, si asserens non fuit certus, quia asserere dubium vel est mendacium, vel non longè est à mendacio. Ex ista reuelatione Pauli, & multis alijs reuelationibus factis diuersis Sanctis, concluditur quòd intellectus eorum non potuerunt induci ad assentiendum ita firmiter illis, quorum notitiam non potuerunt habere ex naturalibus, sicut assenserunt, nisi ab agente super naturali. Secundum improbatur, scilicet quòd non fuerunt propter lucrum mẽtiti: quia pro illis ad quæ voluerunt homines inducere ad credẽdum tribulationes maximas sustinuerunt. Si autem libri non sunt illorum, sed aliorum: hoc videtur inconueniens dicere, quia ita negabitur quicunque liber esse illius auctoris cuius dicitur esse. quare ergo soli isti falsò adscripti sunt auctoribus F quorum non erant?

Præterea. Aut illi qui adscripserũt libros istos eis fuerunt Christiani, aut non. Si non, non videtur quòd voluerunt tales libros conscribere, & alijs adscribere, & ex hoc magnificare sectam, cuius contrarium tenuerunt. Si fuerunt Christiani, quomodo illi Christiani mendaciter tales eis adscripserunt, cùm lex eorum damnet mẽdacium? sicut priùs: & propter idem, quomodo assererẽt Deum locutum esse multa quæ ibi narrãtur, & hoc personis quibus libri intitulantur, si talia non acciderũt illis personis? quomodo etiam libri isti fuissent ita auctentici & diuulgati esse talium auctorum, nisi fuissent eorũ, & ipsi auctores eorum auctentici fuissent? de quo Ricard. primo de Trinit. cap. 2. Certè à summæ Sanctitatis viris sunt nobis tradita. De hoc etiã Aug. 2. de Ciuitate Dei cap. 2. loquens de Christo, dicit sic. Hic inquit priùs per Prophetas, deinde per se ipsum, postea per Apostolos, quantùm satis esse iudicauit locutus, Scripturã condidit, quæ Canõnica nominatur eminentissimæ auctoritatis &c. Et Aug in Epistola ad Hieron. & habe- G tur in Canone dist. 9. Si ad Sacras scripturas admissa fuerint vel officiosa mẽdacia: quid in eis remanebit auctoritatis? Et idem ad eundem in eadem Epistola. Solis eis scripturarum libris. &c.

Quartum, scilicet recipientium diligentia, sic patet. Aut nulli credis de contingenti quod non vidisti, & ita non credes mundum fuisse ante te; nec locum esse in mundo, vbi non fueris, nec istum esse patrem tuum, & illam esse matrem tuam, & talis incredulitas destrueret omnem vitam Politicam. Si igitur vis alicui credere de contingenti, quod tibi non est nec fuit euidens, maximè credendum est communitati, siue illis quæ tota cõmunitas approbat, & maximè quæ communitas famosa, & honesta cum maxima diligẽtia approbata recipit; talis est Canon Diuinæ Scripturæ: tanta enim apud Iudæos sollicitudo fuit de libris habendis in Canone, & tanta apud Christianos de libris recipiendis, tanquàm auctenticis, quòd de nulla alia scriptura habẽda pro auctentica tanta sollicitudo fuit inuenta, præcipuè cùm tã H solẽnes communitates de scripturis istis curauerunt, tãquam de continentibus necessaria ad salutem. De hoc Aug. de Ciuit. Dei. 18. c. 38. Quomodo scriptura Enoch, de qua Iudas in Epistola sua facit mentionem, non recipitur in Canone, & multæ aliæ scripturæ, de quibus fit mentio in libro Regum. vbi innuit, quòd sola illa recepta sunt in Canone, quæ auctores non sicut homines, sed sicut Prophetæ Diuina inspiratione scripserunt. Et ibidem cap. 41. Illi Israelitæ, quibus tradita sunt eloquia Dei nullo modo pseudoprophetas eum veris Prophetis parilitate licentiæ confuderunt, sed concordes inter se, atque in nullo dissentiẽtes, sacrarum literarum veraces ab eis agnoscebantur, & tenebantur auctores.

De quinto, scilicet rationabilitate contentorum, patet sic. Quid rationabiliùs quàm Deum tãquam finem vltimum super omnia diligi, & proximum sicut seipsum?

ìd eſt, ad idem ad quod ſe, ſecundùm Gregor.in quibus
duobus pręceptis vniuerſa lex pendet & Prophetæ.Mat.
22.Item Math.7.Omnia ergo quæcunque vultis vt fa-
ciant vobis homines,& vos facite illis, ex iſtis quaſi ex
principijs practicis alia practica cõſequũtur in Scriptu-
ra tradita honeſta & rationi cõſona;ſicut de eorum ra-
tionabilitate patere poteſt ſingillatim cuilibet pertra-
ctanti de præceptis, conſilijs,& Sacramẽtis;quia in om-
nibus videtur eſſe quaſi quædam explicatio legis natu-
ræ,quæ ſecundùm Apoſtolum ad Rom.2. ſcripta eſt in
cordibus noſtris:hoc de moribus.& de hoc Aug.de ciui-
tate Dei.lib.2.28.cap.Nihil turpe ac flagitioſum ſpectã-
dum imitandumq; proponitur, vbi veri Dei, aut præce-
pta inſinuantur,aut miracula narrantur, aut dona lau-
dantur, aut beneficia poſtulantur. De credibilibus pa-
tet.Quia nihil credimus de Deo, quod aliquam imper-
fectionem importet,imò quicquid credimus verum eſ-
ſe,magis atteſtatur perfectioni Diuinæ, quàm eius op-
poſitum.patet de Trinitate perſonarũ, & Incarnatione
B verbi,& huiuſm.nihil enim credimus incredibile, quia
tunc incredibile eſſet mundum ea credere:ſicut deducit
Auguſt.de ciui.Dei 22.cap.5.mundum tamen ea credere
non eſt incredibile,quia hoc videmus.De hac autem le-
ge & honeſtate Chriſtianorum patet per Aug. de vtili-
tate credendi.lib.6.c.8.Vulgus mariũ & fęminarũ. &c.
De ſexto; ſcilicet de irrationabilitate ſingulorũ erro-
rum,patet ſic. Quid Pagani pro idolatria ſua adducent
colentes opera manuum ſuarum,in quibus nihil eſt nu
minis?ſicut ſatis oſtendunt Philoſophi. Quid Sarraceni
villiſſimi porci Machometi diſcipuli, pro ſuis ſcripturis
allegabunt,expectantes pro beatitudine quod porcis cõ
uenit,ſcilicet gulam & coitum? quam promiſſionem de
ſpiciens Philoſophus, qui fuit quaſi illius ſectæ, Aui.9.
Metaph.cap.7.alium finem quaſi perfectiorem, & ho-
mini magis congruentem aſſerit dicens. Lex noſtra quã
dedit Machometh oſtendit diſpoſitionem fælicitatis &
miſeriæ,quæ ſunt ſecundùm corpus, & eſt alia promiſ-
ſio,quæ apprehenditur intellectu:& ſequitur ibi. Sapiẽ-
tibus verò Theologis multò maior cupiditas fuit ad cõ-
C ſequendum hãc fęlicitatem, quàm corporum,quæ quã-
uis daretur eis,non tamen attenderunt eam, nec appre-
tiati ſunt eam comparatione felicitatis, quæ eſt coniun-
ctio primæ veritati.Quid Iudæi qui Nouum teſtamen-
tum damnant?quod in ſuo veteri promittitur,vt oſtẽdit
Apoſtolus ad Hebr. Etiam quàm inſipidæ ſunt eorum
cerimoniæ ſine Chriſto, Chriſtum etiam adueniſſe, &
ita nouum teſtamentum ab eo principaliter promulga-
tum ſicut autenticum fore recipiendum, prophetiæ eo-
rum oſtendunt. Non auferetur ait Iacob Gen.49. ſce-
ptrum de Iuda, nec dux de fæmore eius &c.ſimiliter il-
lud Daniel.9.Cùm venerit Sanctus Sanctorum. Quid
aſini Manichæi fabulantur primum malum, cùm ipſi,
etſi non primi,tamen valde mali eſſent? nonne vident
omne ens in quantùm ens bonum eſſe; nonne etiam in
nouo teſtamento potuerunt videre eſſe vetus auctenti-
cum & approbatum? Quid ſinguli alij hæretici, qui v-
num verbum ſcripturæ malè intellexerunt, ſecundùm
Aug.in lib.83.quæſtionum q.69.Non poteſt, inquit er-
D ror oriri palliatus nomine Chriſtiano,niſi de ſcripturis
non intellectis,& hoc ideo,quia præcedentia & ſequẽ-
tia non contulerunt;vnde ibidem infra. Solet circum-
ſtantia ſcripturarum illuminare ſententiam.Nec etiam
alia loca ſcripturarum contulerunt, vnde hæreſes ortæ
ſunt per ſe legendo, quæ conferendo repulſę ſunt, quia
conferentes diuerſas ſententias adduxerunt, quæ ex ſe
inuicem mutuò videri poterant, quomodo, & qualiter
eſſent intelligendæ.Contra iſtos eſt illud verbum Aug.
contra Epiſtolam fundamenti.Non crederem, inquit,
Euangelio,niſi quia Eccleſiæ Catholicæ credo.igitur ir-
rationabile eſt aliquid canonis recipere, & aliquid non,
cùm Eccleſia Catholica,cui credendo canonem recipio,
recipiat totum æqualiter.Item, doctrinæ Philoſophorũ
aliquid continent irrationale,prout de politijs diuerſis,
ordinatis à diuerſis Philoſophis, probat Ariſt.2. Polit.
ſed & ſua in quibuſdam eſt irrationabilis, ſicut patuit
ex ſolutione quæſtionis præcedentis. E
De ſeptimo, ſcilicet de Eccleſiæ ſtabilitate, patet quo
ad caput, per illud Aug.de vtilitate credendi quaſi in fi-
ne.Cùm igitur,tantum auxilium,tantum profectũ fru-
ctumque videamus,dubitamus nos eius Eccleſię crede-
te gremio:quouſq; ad conſumationem generis humani
ab Apoſtolica Sede per ſucceſſiones Epiſcoporum, fru-
ſtra hęreticis circumlatrantibus.Et partim ipſiusiudicio
plebis,partim Conciliorum grauitate,partim etiam mi-
raculorum maieſtate damnatis, culmẽ auctoritatis ob-
tinuit.Et parum poſt. Quid eſt aliud quòd tam ingratũ
poteſt eſſe opi atq; auxilio Diuino, quàm tanto labore
prędictę auctoritati velle reſiſtere? vnde Gamaliel A-
ctuum 5.Si eſt ex hominibus conſilium hoc,opus diſſol-
uetur: ſi verò ex Deo eſt,non poteritis diſſoluere,ne for
tè & Deo videamini repugnare. Et Lucę 22. ait Domi-
nus Petro.Ego rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides
tua;& tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos.
Firmitas enim Eccleſię in mẽbris,patet per illud Aug.
de vtilitate credendi.c.8.Vulgus marium & fęminarum
&c. Similem ſententiam dicit contra Epiſtolam funda- F
menti. Quis enim tãtam multitudinem ad peccata pro-
nam,ad legem contrariam carni & ſanguini ſeruandam
induceret,niſi Deus? Et confirmatur.Quia ſecta Iudęo-
rum non manet in vigore,ſicut contra eos obijcit Aug.
in primo Sermone de aduentu. Vos inquam conuenio
ò Iudęi.
Si obijcitur de permanentia ſectæ Mahometi. Reſ-
pond.Illa incepit pluſquam ſexcentum annis poſt legẽ
Chriſti,& in breui Deo cooperante finietur, quę multũ
debilitata eſt Anno 1300.& eius cultores multi mortui
& plurimi ſunt fugati, & prophetia dicitur eſſe apud
eos,quòd citò finienda eſt ſecta illa.
De octauo, ſcilicet de miraculorũ claritate, ſic patet.
Non poteſt eſſe teſtis falſus Deus; ſed Deus inuocatus
à prędicante ſcripturam, vt oſtenderet doctrinam eius
eſſe veram,fecit aliquod opus ſibi proprium, vtpote mi-
racula,ac per hoc teſtificatus eſt illud eſſe verum, quod
iſte prędicauit.Confirmatur hoc per Ricar.1.de Trinit.
cap.2.vbi ſup. Domine ſi eſt error à te decepti ſumus,
nam tantis ſignis confirmata ſunt, quę non niſi per te G
fieri poſſent.
Quod ſi dicatur miracula non fuiſſe facta,aut etiam
quòd ipſa non teſtantur veritatem,quia Antichriſtus fa
ciet miracula.Contra primum dici poteſt illa ſententia
Auguſt.de ciuitate lib.22.c.5. Si iſta miracula facta eſſe
non credunt, hoc nobis vnum grande,miraculũ ſufficit,
quòd iam terrarum orbis ſine vllis miraculis credidit.
Nota valde illud capitulum,quia ſi quicquid quod cre-
dimus dicatur incredibile eſſe,non minùs eſt incredibi-
le homines,inquit,ignobiles, ĩfimos,pauciſſimos, impe-
ritos, rem tam incredibilem, tam efficaciter mundo, &
in illo etiam doctis perſuadere potuiſſe, vt mundus il-
lud credat ſicut iam credidiſſe videtur, niſi per illos ali-
qua miracula fierent,per quę mundus ad credendum in
duceretur.vnde ſubdit. Qui propterea exiguo numero
ignobilium, infirmorũ, imperitorum hominum credi-
dit,quia in tàm contẽptibilibus teſtibus multò mirabi-
liùs Diuinitas ſeipſa perſuaſit.Quid enim incredibiliùs, H
quàm vt ad legem contrariam carni & ſanguini,docto
res pauci,& rudes,& pauperes poſſent plurimos poten-
tes,ac ſapiẽtes cõuertere? quod ſpecialiter patet de mul-
tis ſapientibus; primò fidei rebellibus,poſtea conuerſis,
vt de Paulo priùs perſecutore poſtea Gẽtium Doctore,
& de Auguſtino priùs per Manichęos ſeducto, poſtea
Doctore Catholico,de Dionyſio priùs Philoſopho, po-
ſtea Pauli diſcipulo,& de Cypriano priùs Mago, poſtea
Chriſtianiſſimo Epiſcopo,& de ĩnumeris alijs cõuerſis
Contra idem ſecundò dici poteſt illud Aug. de ciuit.
Dei lib.10.ca.18. An dicet aliquis iſta falſa eſſe miracu-
la,nec fuiſſe facta,ſed mendaciter ſcripta? Quiſquis hoc
dicit ſi de his rebus,negat omnino vllis literis eſſe credẽ-
dum,poteſt etiam dicere nec Deos vllos curare mortalia
&c. & ibidem de eodẽ. Si libris Magicis ſiue (quod ho-
neſtius putant) Theurgicis credunt, quid cauſa eſt cur
illis

A illis literis nolunt credere ista facta esse? Contra idem tertiò. Quia quædam Sacra non nisi à nimis proteruientibus negari possunt, vt sunt miracula facta à Syluestro coram Constantino, tam in curatione lepræ eius, quàm in disputatione eius contra Iudæos, quæ facta tanquam celeberrima mundum non latuerunt.

Contra secundum dici potest. Quòd si quis inuocatus in testem, signum consuetum testificationis permittat adduci, & præsens non contradicat, talis taciturnitas nō stat cum veritate perfecta; miraculum autem est tale signum Dei, vt testis; igitur si permittat miracula fieri à dæmonibus, non contradicens, enuncians scilicet illa non esse testimonia sua, non videtur esse perfectè verax, quòd est impossibile. Et per hoc dicitur ad illud de Antichristo, quòd prædixit illa miracula facienda, non esse testimonia veritatis. Sicut patet Matth. 24. & 2. ad Thessalo. 2.

Item contra idem est, differentia miraculorum, quæ fiunt à Deo, & quæ fiunt à diabolo: de qua differentia tractat Aug. de vtilitate credendi propè finem. Miracu-
B lum, inquit, voco quicquid arduum aut insolitum supra spem vel facultatem mirantis apparet: quædam solùm faciunt admirationem, quędam magnam gratiam, beneuolentiamq; conciliant, qualia fuerunt Christi miracula, vt pertractat ibi diffusè.

Item cōtra vtrunq; potest dici. Quòd sunt aliqua miracula facta in lege Christiana, in quibus non potest esse deceptio, quin sint facta, nec quin sint testimonia veritatis, quia à Deo facta: scilicet raptus Pauli, & reuelatio contingentium futurorum. Primum patet: quia impossibile est aliquem decipi credēdo se videre essentiam Dei; ergo impossibile fuit Paulum se credere illam videre, nisi eā videret. Sed hoc asserit de se ad Cor. 2. c. 12. secundùm expositionem Sāctorum: illud igitur fuit verè factum, & non tantùm apparenter. Probatio primi antecedentis. Quia nullus potest decipi circa aliquod principium primum credendo, si intelligat tale principium, quia tunc non constaret ex terminis apprehensis, quod esset principium, & quod non: Ergo multò magis
C non potest decipi circa Deum visum. Consequentia ista patet: quia plùs distat visio Dei ab intellectione cuiuslibet obiecti; etiam quantùm ad perceptionem intellectus iudicantis, quàm distet intellectio principij complexi ab intellectione cuiuscunq; non principij. Item, qualiter intellectus crederet se quietari, si non quietaretur? nonne poterit cognoscere inclinationem suam ad verum, quòd non videt? Si crederet se videre Deū, crederet se quietari in Deo; si non videt, non quietatur. Stultiùs (ait Augustinus) nihil dici potest, quàm quòd falsa opinione anima sit beata. 2. de ciui. c. 4. Secundum, scilicet quòd à solo Deo fieri potuit, est manifestū. Quia nulla creatura potest animam beatificare, nec simpliciter, nec ad tempus. Secundùm patet, ex multis prophetis in vtroq; testamento. Vnde contra falsa miracula Antichristi, posset sibi obijci saltem de istis duobus, hoc modo. Si tu es Deus, fac me videre essentiam Diuinam nudè, & post visionem memoriam certam habere visionis, & certitudinem, quòd illa fuit visio essentiæ Diui-
D næ, & tunc credam tibi. Item. Si tu es Deus, dic mihi quid faciam, vel quid cogitabo, vel appetam pro tali hora. Et huiusmodi viæ efficaciam ex miraculis innuit Saluator. Io. 5. Opera quæ ego facio, ipsa testimonium perhibent de me: si mihi non vultis credere, operibus saltim credite.

Nono quoq; loco potest adduci testimonium eorum qui foris sunt. Iosephus in libro 18. antiquit. pulcherrimum testimonium ponit de Christo, vbi inter alia de Iesu ait, Christus hic erat. vbi eius veram doctrinam, & Resurrectionem ex mortuis confitetur. Item de Prophetia Sybillę nota illud de Ciui. 18. cap. 23. Iesus Christus Dei Filius Saluator. Item contra Epistolam fundamēti. Nota, quomodo singuli hęretici de Catholicis inquisiti, non ad suos mittunt, sed ad veros Catholicos, quasi etiam illi soli ab omnibus etiam Hęreticis Catholici nominentur.

Decimò & vltimò potest adduci, quòd Deus non deest quærentibus toto corde salutem: multi autem diligentissimè inquirentes salutem ad hanc sectam cōuersi sunt: & quantò feruentiores facti sunt in inquirendo, tantò in hac secta ampliùs cōfirmati, subitoq; in ea pænitentes de malitia, ad bonam vitam mutati sunt, tormenta quoq; pro ea plures in magna exultatione spiritus perpessi sunt; quæ non videtur probabilia, nisi Deus hanc sectam Sacræ scripturæ innitentem, irrefragabiliter approbaret, & ordinaret ad salutem. E

Habito igitur contra hæreticos, quòd doctrina Canonis est vera. Videndum est secundò, an sit necessaria & sufficiens viatori ad consequendum finem suum. Dico igitur. Quòd ista tradit, quid sit finis hominis in particulari, quia visio & fruitio Dei; & hoc quantùm ad circumstantias eius appetibiles, puta, quòd ipsa habetur post Resurrectionem ab homine immortali, & in corpore & in anima simul sine fine. Ipsa etiam determinat quæ sunt necessaria ad finē, & quòd illa sufficiant, quia decem mandata, Matth. 19. Si vis ad vitam ingredi, serua mandata, de quibus habetur Exo. cap. 20. & 28. Horum etiam explicatio, & quantùm ad credenda, & quātùm ad speranda, & quantùm ad operanda, explicatur ex diuersis locis Scripturæ. Proprietates quoque substātiarum immaterialium in ea traduntur, quantùm possibile est & vtile viatori nosse. Ista ergo conferendo ad tres rationes quibus innititur solutio quæstionis præcedentis, patet quòd Sacra scriptura sufficienter continet doctrinam necessariam viatori. F

Ad Primum argumentum principale. Ad minorem respondeo. Quòd lex naturæ paucioribus fuit contenta, quæ memorialiter ad filios per patres deuenerunt; illi etiam homines magis erant præditi in naturalibus, & ideo modica doctrina inspirata, potuit eis sufficere. Vel aliter ad illud, & ad aliud de lege Moysi potest dici. Quòd ordinatus processus Scripturę ostēdit eius doctorem, secundùm Aug. 83. quæst. 53.

Ad Secundum dico. Quòd dulciùs capitur quod latet sub aliqua sententia literali, quàm si esset expressè dictum; & ideo ad deuotionem cōferunt, illa quæ expressa sunt in Nouo Testamento, sub figura velata fuisse in Veteri, hæc quo ad cęrimonias; sed quoad Historias in quibus exempla sunt legis declaratiua, similiter ex toto processu Scripturæ patet ordinata Dei gubernatio respectu hominis, & totius creaturæ. G

Ad Tertium. Origen. in homil. de Archa Noe dicit. Nulla scientia omnia scienda explicauit, sed illa ex quibus possunt talia sufficienter elici. Vnde multæ veritates necessariæ non exprimuntur in Scriptura, etsi ibi virtualiter continentur, sicut conclusiones in principijs, circa quarum inuestigationem vtilis fuit labor Expositorum, & Doctorum. Etsi obijcias. Multa in actibus humanis sunt dubia. Vtrùm sint peccata mortalia, etiā suppositis omnibus doctrinis Doctorum, & Expositorum. Respondeo. Non est dubia via salutis simpliciter, quia à talibus tāquam à periculosis debet homo sibi cauere & custodire se, ne homo dum se exponit periculo, incidat in peccatum; quodsi noluerit quærere salutem, sed non curando exponat se periculo, vbi fortè de genere actus non est peccatū mortale, tamen peccabit mortaliter, se tali periculo exponendo. H

QVAESTIO TERTIA.

Vtrum Theologia sit de Deo, tanquam de subiecto primo.

Quòd non: arguitur duabus vijs.

PRima est, ostendere istam negatiuam in se, quæ probatur. Primò per auctoritatem Boetij 1. de Trinitate. Forma inquit simplex, subiectum esse non potest.

Item Secundò. Materia non coincidit cum alijs causis, neque in idem numero, neque in idem specie, ex 2. Phys. tex. 70. Deus autem est finis huius scientiæ, & efficiens. non igitur materia.

Item

A Item Tertiò.ex 1.poſt.t.43.Subiectum ſcientiæ habet partes, principia, & paſſiones. Deus autem non habet partes integrales,cùm ſit ſimplex; neq; partes ſubiectiuas,cùm ſit ſingulare ex ſe; neque habet principia, cùm ſit primum principium;neque paſſiones, quia paſſio ineſt ſubiecto ita quòd eſt extra eius eſſentiam; nihil autem ſic in eſt Deo.

Secunda via eſt, oſtendere quòd aliud eſt hic ſubiectum,non ergo iſtud. Antecedens probatur multipliciter.Primò, per Auguſt.de Doct.Chriſt.1.lib.ca.1. Omnis doctrina, vel rerum eſt vel ſignorum; Igitur res vel ſigna ſunt obiectum.

Item ſecundò. Scriptura habet quatuor ſenſus, ſcilicet Anagogicum, Tropologicum, Allegoricum, & Literalem; ſed cuilibet ſenſui correſpondet aliquid ſubiectum primum,ſicut alij ſcientię habenti vnum ſenſum, correſpondet ſubiectum ſecundùm illum ſenſum; Igitur hìc ſunt quatuor ſubiecta.

Item tertiò,quòd homo ſit ſubiectum, probatur au-
B ctoritate Commentatoris 1. Eth. in prol. Quia (ſecundùm eum) ſcientia mortalis eſt de homine quoad animam; medicinalis eſt de homine quoad corpus : ex hoc ergo accipitur iſta propoſitio.Quòd omnis ſcientia practica habet pro ſubiecto primo illud cui acquiritur finis practicæ,& non ipſum finem;finis autem iſtius ſcientiæ acquiritur homini, & non Deo:ergo &c.

Item aliter,& quaſi in idem redit. Finis ſcientię eſt per actum ſuum attingere obiectum primum,inducendo in ipſum formam principaliter intentam à ſcientia, puta,in ſpeculatiua inducere in illud eſſe cognitũ, quia cognitio ibi intenditur;& in practica inducere formam ad quam ordinatur eius praxis;finis autem hic intentus eſt bonitas moralis,quæ non intenditur induci in Deo, ſed in homine.Igitur homo eſt obiectum primum eius.

Contra.Aug.8.de Ciu.Dei c.1. Theologia eſt ſermo vel ratio de Deo.

ARTICVLVS PRIMVS.

C *Præmittuntur quædam Notabilia.*

CIrca ſolutionem iſtarum Quæſtionum ſic procedo. Primò diſtinguo de Theologia in ſe, & de Theologia in nobis. Secundò aſſignabo rationem primi ſubiecti. Tertiò diſtinguam de Theologia quãtùm ad partes eius.

De Primo dico. Quòd cognitio quælibet in ſe eſt illa,quę nata eſt haberi de obiecto eius,ſecundùm quod natum eſt manifeſtare ſe intellectui proportionato.Cognitio autem eadem in nobis eſt illa, quæ nata eſt haberi in intellectu noſtro de obiecto illo intellecto.Theologia ergo in ſe talis eſt cognitio,qualem natum eſt facere obiectum Theologicum in intellectu ſibi proportionato: Theologia verò in nobis talis eſt cognitio,qualem intellectus noſter natus eſt habere de illo obiecto. Exemplum. Si aliquis intellectus non poſſit intelligere Geometricalia, poſſet autem alicui credere de Geometricalibus,Geometria eſſet ſibi fides,non ſcientia; eſſet
D tamen in ſe ſcientia,quia obiectum Geometriæ natum eſt facere de ſe ſcientiam in intellectu proportionato.

De Secundo dico. Quòd ratio primi ſubiecti eſt, cõtinere in ſe primò virtualiter omnes veritates illius habitus cuius eſt. Quod probo primò ſic. Quia obiectum primum cõtinet propoſitiones immediatas: quia ſubiectum iſtarum continet prædicatum, & euidentiam totius propoſitionis;propoſitiones autem immediatæ cõtinent cõcluſiones; ergo ſubiectum propoſitionum immediatarum cõtinet omnes virtutes illius habitus. Probo idem ſecũdò. Quia primitas hìc accipitur, ex 1. poſt. t.11.& 14. ex diffinitione vniuerſalis, ſecundùm quòd dicit adæquationem:obiectum autem ſe habet ad habitum,ſicut cauſa ad effectum;nõ eſt enim cauſa adæquata,niſi contineat primò virtualiter totum effectum: ergo &c. Expono quod dixi, primò virtualiter, quia ſicut illud eſt primum ens, quod non dependet ab alio, ſed alia ab illo; ita ergo primò continere eſt ab alijs nõ E
dependere in continendo, ſed alia ab ipſo:hoc eſt,quòd per impoſſibile circumſcripto omni alio,manente intellectu eius, adhuc contineret,& nihil aliud continet niſi per rationem eius.

Contra iſtud arguitur dupliciter. Primò ſic. Sicut ſe habet obiectum primum potentiæ ad potentiã,ita obiectum primũ habitus habet ſe ad habitum: ſed obiectũ primum potentiæ, eſt aliquod commune ad omnia per ſe obiecta illius potentiæ: ergo primum obiectum habitus,eſt aliquid cõmune ad omnia per ſe obiecta eius, & non aliquid virtualiter continens alia.

Item ſecundò. Quia in ſcientijs aſſignatur communiter pro ſubiecto primo aliquid,quod eſt commune ad omnia illa, quæ conſiderantur in illa ſcientia; ſicut in Geometria linea, in Arithmetica numerus, in Metaphyſica Ens.

Ad Primum reſpondeo. Quòd proportio obiecti ad potentiam,eſt proportio motiui ad mobile, vel actiui ad paſſiuum; proportio ſubiecti ad habitum, eſt ſicut proportio cauſæ ad effectum. Quandocunque autem aliquod agens agit in aliquod paſſum, poteſt quodlibet agens eiuſdem rationis,in quodlibet paſſum eiuſdem rationis agere; ergo prima extrema proportionis actiui ad paſſiuum, ſunt communia ad omnia per ſe extrema illius proportionis; nam inter illa communiſſima eſt adæquatio;quia in quocunque eſt ratio vnius, illud reſpicit quodlibet in quo eſt ratio alterius;ſed prima extrema proportionis cauſæ ad effectum non ſunt communiſſima; quia inter illa non eſt adæquatio, non enim ſequitur,ſi commune poteſt cauſare habitum,quòd ſpeciale poſſit,& è conuersò; non enim quodlibet contentum ſub illo communi reſpicit habitum illum, vt effectum illius,ſed tantùm aliquod primum obiectum cõtentiuum,quod virtualiter continet omnia ad quæ habitus ſe extendit.Ad Secundum dico. Quòd multorum habituum ſpecie differentium,poteſt eſſe aliquod obiectum commune,ſicut ab obiectis eorum poteſt abſtrahi obiectum commune; & hoc modo in ſciẽtijs aſsignatur obiectum commune, à quo non eſt habitus vnus ſecundùm ſpeciem,ſed tantùm ſecundùm genus. G

De Tertio dico. Quòd Theologia eſſentialiter non tantùm continet neceſſaria,ſed etiã contingentia.Quod patet.Quia omnes veritates de Deo, ſiue vt Trino, ſiue de aliqua perſona Diuina,vt comparatur ad intra, ſunt neceſſariæ,vt quòd Deus eſt Trinus, & quòd Filius dicitur generari à Patre, & huiuſmodi;illa verò in quibus comparatur ad extra,ſunt contingentes, vt quòd Deus creat,& quòd Filius eſt incarnatus, & huiuſmodi, omnes autem veritates de Deo vt Trinus, ſiue de perſona determinata ſunt Theologicæ:ſimiliter & veritates cõtingentes;quia ad nullam cognitionem naturalem ſpectant;ita quòd primæ partes integrales Theologię ſunt duæ, ſcilicet veritates neceſſariæ, & veritates contingentes.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Determinatur,quodnam ſit obiectum Theologię. H

EX dictis patet reſponſio ad iſtam Quæſtionem, loquendo de Theologia in ſe quantùm ad veritates neceſſarias ipſius.Dico. Quòd primum ſubiectũ Theologiæ in ſe, non poteſt eſſe niſi Deus. Quòd probo per tres rationes.

Prima accipitur ex ratione primi obiecti, & arguo ſic. Primum obiectum continet virtualiter omnes veritates illius habitus cuius eſt primum obiectum, ſed nihil continet virtualiter omnes veritates Theologicas, niſi Deus; ergo &c. Probatio Minoris.Nihil aliud continet eas vt cauſa,ſiue vt illud ad quod habeant attributionem,niſi Deus, quia Deus nulli attribuitur; nec aliquid continet eas vt effectus,demonſtratione Quia, nã nullus effectus demonſtrat Deum Trinum, quæ eſt potiſſima veritas Theologica,& ſimilia.

Se-

A Secundò sic. Theologia est de his, quæ sunt soli intellectui Diuino naturaliter cognita; Ergo est de aliquo naturaliter soli Deo noto; sed solus Deus est sibi soli naturaliter notus; Ergo &c. Probatio primi, scilicet antecedentis. Si ista scientia est de aliquibus alicui alij intellectui naturaliter notis; Ergo præter ista, aliqua alia sunt cognoscibilia naturaliter soli intellectui Diuino, quia infinitus est, & ideo plurimum cognoscitiuus, quàm intellectus finitus; Igitur adhuc alia scientia est superior (quàm ista) quæ erit de naturaliter notis intellectui creato. Probatio minoris. Quia omnis essentia creata alicui intellectui creato, potest esse naturaliter nota.

Tertiò sic. In nulla scientia traditur ita distincta cognitio de aliquo alio, quod non est subiectum eius primũ, sicut traditur in illa, quæ esset de illo vt de subiecto eius primo; quia in nulla scientia traditur ita distincta cognitio, de non per se subiecto, sicut de per se eius subiecto: tunc enim non esset ratio, quare illud subiectum esset magis subiectum eius, quàm aliud; Igitur si Deus non sit hic B subiectum, tunc non traditur ista distincta cognitio de Deo, sicut traderetur de eo in aliqua alia, in qua posset esse subiectum; sed potest esse subiectum in alia scientia; Igitur illa potest esse prior ista.

Præter autem istas tres rationes, sunt aliquæ persuasiones. Prima talis est. Theologia secundùm Aug. 13. de Trinitate cap. 19. pro aliqua parte sui est Sapientia, pro aliqua parte sui est scientia: si autem esset tantùm de aliquo non æterno formaliter, de illo esset formaliter scientia, & non sapientia aliquomodo; quia nec ex primo subiecto, nec ex attributione, quia æterna non attribuuntur temporalibus. Secunda persuasio. Quia superior portio rationis, habet aliquam perfectionem propriam sibi correspondentem, ista autem si est de subiecto non æterno, vt de primo subiecto: cùm æternum non attribuatur ad non æternum, sequitur quòd nullo modo est de æternis, & ita nullo modo perficit portionem superiorem rationis, & ita esset aliquis habitus intellectus omnino nobilior isto, perficiens istam portionem, quod est inconueniens. C Tertia persuasio est. Quia secundùm Augustin. 14. de Trinitat. cap. 1. & 4. ista scientia est de illis, quibus fides gignitur, defenditur, & roboratur; Ergo est de illo eodem subiecto, quod est primum subiectum fidei; sed fides est de veritate prima; Ergo. Quarta persuasio est. Quia nobilissima scientia est, circa nobilissimum genus, ex 6. Metaph. tex. 2. & 1. de ani. hæc autem conceditur nobilissima; ergo oportet quòd sit de Deo, vt de subiecto.

De Theologia nostra. Dico ad hanc quæstionem. Quod quando habitus est in aliquo intellectu habens euidentiam ex obiecto, tunc primum obiectum illius habitus, vt est illius, non tantùm continet virtualiter illum habitum, sed vt notum illi intellectui continet ipsum habitum, ita quòd notitia obiecti in illo intellectu, continet euidentiam habitus, vt in illo intellectu, quia intellectus cognoscens tale obiectum, potest elicere omnem conclusionem huius habitus. In habitu verò non habente talem euidentiam ex obiecto, sed causatam aliunde D quàm ab obiecto noto, non oportet dare primum obiectum eius, habens duas supra dictas conditiones, imò etiam neutram oportet dare; quia perinde est habitui, vt in hoc, acsi esset de contingentibus, quæ neutro modo habent obiectum primum: tali ergo habitui non euidenti ex obiecto, datur subiectum primum, de quo primo noto, id est, perfectissimo, primò, id est, immediatè cognoscuntur primæ veritates habitus illius; Theologia autem nostra est habitus, non habens euidentiam ex obiecto, etiam illa, quæ est in nobis, de Theologicis necessarijs, non magis, (vt in nobis) habet euidentiam ex obiecto cognito, quàm illa quæ est de contingentibus; Ergo Theologiæ nostræ vt nostra est, non oportet dari obiectum primum, nisi primum notum, de quo noto immediatè cognoscantur primæ veritates: illud primum notum est ens infinitum; quia est iste conceptus perfectissimus, quem possumus habere de illo; quod est in se E primum subiectum, quod tamen neutram prædictarum conditionum habet; quia non continet habitum nostrum virtualiter in se, nec multò magis (vt nobis notum) continet ipsum habitum: tamen quia Theologia nostra de necessarijs, est de eisdem, de quibus est Theologia in se, ideo sibi assignatur subiectum primum, quoad hoc, quòd est veritates continere in se, & hoc idem est subiectum Theologiæ nostræ, quod est primum subiectum Theologię in se; sed quia illud non est nobis euidens, ideo non continet istas vt nobis notum, imò non est nobis notum. Si arguis. Ergo non est primum obiectum nostri habitus. Respondeo. Verum est, non est primum subiectum dans euidentiam, sed subiectum primum continens omnes veritates, natum dare euidentiam, si ipsum cognosceretur. Et hæc dicta sunt ad duas quæstiones de Theologia necessariorum.

F Nunc autem videndum est de veritatibus contingentibus Theologicis, quod sit primum subiectum Thologię. Et quoad istas. Dico. Quòd nullum subiectum virtualiter continet veritates nisi necessarias de ipso; quia ad contingentes de ipso, ęqualiter se habet ex se, & ad oppositas. Tamen contingentium est ordo: quia aliqua est vera prima contingens, & ita subiectum primum multarum veritatum contingentium potest poni illud, de quo primò, id est, immediatè dicitur prædicatum primæ contingentis, quę est quasi primum principium in ordine contingentium, vel prædicata plurium primarum contingentium, si plures sunt primę. Dicitur autem primum subiectum primæ veritatis contingentis, quod visum (vt tale) natum est primò videri coniungi cum prædicato illo; quia primum notum in contingentibus, non est nisi per intuitionem extremorum: Ergo primum intuibile, cui insit primum prædicatum primę veritatis contingentis, est primum subiectum omnium veritatum cõtingentium ordinatarum.

G Ex his ad propositum. Dico. Quòd Essentia Diuina est primum subiectum Theologiæ contingentis; & hoc modo sumpta, quo prædictum est, ipsam esse subiectum primum Theologiæ necessariæ, & hoc tam huius Theologiæ contingentis in se, quàm vt est in intellectu Diuino, & Beatorum.

Totius igitur Theologiæ in se, & Dei, & Beatorum, primum subiectum est Essentia Diuina, vt hæc. Cuius visio à Beatis, est sicut in Metaphysica cognitio Entis; & ideo beata visio non est Theologia, sed est quasi perfecta incomplexa apprehensio subiecti, præcedens naturaliter scientiam Theologiæ. Subiectum verò Theologiæ nostræ contingentis videtur idem subiectum primum quod & necessariæ, & hoc, modo supra exposito, quia non vt continens virtualiter in se habitum, etiamsi intuitiuè videretur, sed vt cognoscibile à nobis, proximum illi, cui intuitiuè noto, natum esset prædicatum primæ contingentis euidenter inesse.

H Contra. Videtur quòd Verbum sit subiectum adæquatum Theologiæ contingentium, tam illius contingentis in se, quàm vt est in intellectu Diuino. Quia est primum subiectum omnium articulorum Reparationis nostræ. Respondeo. Aliquod contingens potest primò dici de Verbo, & aliquod de Spiritu Sancto, & aliquod de Deo Trino, vt creare. Erunt igitur personæ, quasi partes subiecti, sicut etiam aliqua necessaria sunt primò vera, de diuersis personis.

RESPONDETVR.

Argumentis Principalibus.

AD Primum argumẽtum huius quæst. Ad Boet. Dico, quòd loquitur ibi de subiecto accidentis, & non de subiecto considerationis.

Ad aliud de 2. Phys. dico. Quòd intelligit de materia Ex qua, non In qua, vel Circa quam. Vel meliùs, ꝙ sub-

A iectum ſcientiæ, ſecundùm veritatem, non pertinet ad genus cauſæ materialis,ſed ad genus cauſæ efficientis; dicitur tamen ſubiectum ſcientiæ materia,per quandam ſimilitudinem ad factionem, vbi ſimul concurrunt ratio obiecti circa quod, & ratio materiæ ſuſceptiuæ; quia factio eſt actus tranſiens extra: non ſic eſt de actu proprio ſcientiæ, tamen intelligitur tranſire; quia non terminatur in ſe, ſed ad aliud circa quod eſt, licèt non recipiatur in illo, circa quod eſt, ſed manet in ſciente. Et propter hanc proprietatem materiæ, ſcilicet, eſſe circa quod, ſubiectum dicitur materia reſpectu ſcientiæ, & actus eius.

Ad illud de 1. poſt.dico. Quòd ſubiectum cuiuslibet ſcientiæ naturaliter inuentæ, eſt aliquod vniuerſale, ideo ſubiectum talis ſcientiæ,oportet quòd habeat partes ſubiectiuas: iſtius autem ſcientiæ ſubiectum eſt eſſentia hęc vt ſingularis;quia imperfectionis eſt in natura creata vniuerſali,quòd in multis ſingularibus diuidatur: iſta igitur imperfectione ablata, remanet quòd iſta eſſentia eſt ſci-B bilis,ſine diuiſibilitate eius in partes ſubiectiuas. Tamen poſſet dici,quòd perſonæ Diuinæ,ſunt quaſi partes ſubiectiuæ ipſius Eſſentiæ Diuinæ,ſed Eſſentia in eis nõ numeratur. Quod autem additur de paſſionibus. Dicunt aliqui, quòd attributa ſunt quaſi paſſiones huius Eſſentiæ. Sed hoc non valet. Quia conſideratio attributorum naturaliter à nobis intelligibilium, eſt conſideratio Metaphyſica, niſi ſint aliqua attributa per ſe tantùm conuenie͂tia huic Eſſentiæ,vt hæc,& non vt à nobis nunc naturaliter intelligitur confusè. Quod autem accipitur,quòd paſſio eſt extra eſſentiam ſubiecti;hæc eſt vera,vbi paſſio eſt realiter cauſata à ſubiecto; ſed in Diuinis illud quod habet rationem paſſionis non eſt cauſatum,quia per identitatem tranſit in Eſſentiam,tamen quantùm ad ſcibilitate͂ ſcitur per Eſſentiæ rationem, ac ſi eſſet realiter diſtincta ab Eſſentia. Quod tertiò dicitur de principio ſubiecti. Dico, quòd non oportet principia ſcibilis eſſe principia in ſe ipſius ſubiecti; quia entis in quantùm ens, quod ponitur C ſubiectum Metaphyſicæ, nulla ſunt principia; quia tunc eſſent cuiuslibet entis: ſed oportet cuiuslibet ſubiecti eſſe principia per quę demonſtrentur eius paſſiones de eo, ex quibus principijs, tanquam ex medijs demonſtrationis formantur principia cõplexa, ſicut propoſitiones per ſe notę; hoc modo cuiuslibet ſubiecti poſsunt eſse principia, quantumcunque imprincipiati, reſpectu ſuarum paſſionum.

Ad alia ſecundę vię. Ad Primum dico. Quòd illa auctoritas exprimit materiam huius ſcientię in communi, non ſubiectum primum formale.

Ad aliud dico. Quòd quicunque ſenſus in vna parte Scripturę non eſt literalis, in alia parte eſt literalis, & ideo licèt aliqua pars Scripturę habeat diuerſos ſenſus, tamen tota Scriptura habet omnes ſenſus iſtos, pro ſenſu literali.

Ad Tertium dico. Quòd argumentum eſt ad oppoſitũ dupliciter. Primò. Quia homo ponitur ſubiectum moralis ſcientię;vel medicinę, pro eo quòd continet virtualiter D omnes veritates illius ſcientię; nam corpus humanũ,continet virtualiter rationem ſanitatis;ideo enim ſanitas hominis eſt talis; quia corpus humanum eſt ſic complexionatum: Similiter anima hominis continet virtualiter rationem fęlicitatis naturalis ſicut patet ex 1. Ethic. vbi ex ratione animę concluditur ratio felicitatis hominis, &c. non ſic homo continet rationem finis huius ſcientię;quia finis ſupernaturalis,vel obiectum eius, non includitur in ratione hominis,& ideo non poteſt eſse ſubiectum huius ſcientię primum. Secũdò ſic. Homo eſt finis vltimus iſtarum ſcientiarum,ad quem tam ſanitas,quàm fęlicitas naturalis ordinatur. Prob. Quia omnis amor concupiſcentiæ præſupponit amorem amicitiæ; ſanitas autem,vel fęlicitas amatur amore cõcupiſcentiæ;ideo illud quod amatur amore amicitiæ, eſt vlterior ~~finis~~ quàm aliquod illorum: ſed iſtud eſt corpus ex vna partę, & anima ex alia; igitur ſi homo ſecundùm corpus, vel animam, eſt ſubiectum huius ſcientiæ, ſequitur quòd finis eſt ſubiectum E huius ſcientiæ.

Ad Quartum dico. Quòd prima propoſitio eſt falſa; quia nihil aliud eſt finis ſcientiæ,quàm attingere per actũ proprium,obiectum illius ſcientiæ,non quòd inducat aliquam formam per actum ſuum in obiectum, quia ſcientia non eſt aliqua qualitas factiua.

QVÆSTIO QVARTA.

Vtrum Theologia ſit de Deo ſub aliqua ratione ſpeciali.



Vòd ſic arguitur. Hugo de Sacrã.in princ.vult; quòd opera Reſtaurationis ſint hîc ſubiectũ, ergo ſi Deus eſt hîc ſubiectũ, hoc erit ſub ſpeciali ratione, ſ.inquantum Reſtaurator. Item Caſſiod.ſuper Pſalm. vult quòd Chriſtus caput cum me͂bris eſt hîc ſubiectum; Igitur ſpecialiter vt Incarnatus,& caput Eccleſiæ, erit ſubiectum. Item. Deus abſolutè eſt ſubiectum Metaphyſicę; Igitur ſi hîc eſt ſubiectum, hoc F erit ſub aliqua ratione ſpeciali. Conſequentia probatur. Quia non ſub eadem ratione omnino hîc,& ibi,eſt ſubiectum. Antecedens probatur per Philoſ. 6. Metaph. t. 2. Honorabiliſſimam ſcientiam oportet eſse circa nobiliſſimum genus; illa ſecundùm ipſum eſt huiuſmodi. Hoc etiam confirmatur. Quia ibi vocat Metaph. Theologiam.

Item. Comment. 1. Phyſ. comm. vlt. dicit, quòd Auic. multum peccauit, ponendo Metaphyſicam, probare primam cauſam eſse, cùm genus ſubſtantiarum ſeparatarũ ſit ibi ſubiectum, & nulla ſcientia probat ſuum ſubiectũ eſse; ratio autem non valeret, niſi intelligeret, quòd ipſa eſset ibi primum ſubiectum; ergo &c.

Item. Iſta ſcientia eſt honorabiliſſima: Ergo eſt de honorabiliſſimo ſubiecto,ſub ratione honorabiliſsima; huiuſmodi aũt ratio, eſt ratio finis,& boni:de fine autẽ probatur per Auic. 6. Metaph. cap. vlt. dicentem. Si ſcientia eſset de omnibus cauſis, illa quæ eſset de fine eſset nobiliſſima. Ex hoc concluditur de bono. Quia ſecundùm Philoſ. 2. Met. t. 8. qui ponit infinitatem in finibus, deſtruit G naturã boni, quia deſtruit naturam finis: ex hoc ergo accipitur, quòd ratio boni eſt ratio finis.

Contra. Cognitio contracta præſupponit cognitione͂ abſolutam,& abſoluta eſt certior,ex 1. Metaph. 39. Si ergo iſta eſt de Deo ſub aliqua ratione ſpeciali,alia eſt prior & certior de Deo abſolutè,talis non ponitur; ergo &c.

ARTICVLVS PRIMVS.

Determinatur ſub qua ratione formali Deus ſit obiectum.

SOluendo hanc quęſt. pono eius exemplum. Homo intelligitur vt animal rationale,vt ſubſtantia, vt manſuetum natura, vt nobiliſsimum animalium. In primo intellectu intelligitur ſecundùm rationem quidditatiuam propriam; in ſecundo in communi; in tertio per accidens, id eſt, in propria paſsione; in quarto in reſpectu ad aliud; ſed perfectiſsima notitia de homine non H poteſt eſse in reſpectu ad aliud; quia iſta pręſupponit notitiam abſoluti, nec de homine ſub ratione paſsionis; quia notitia paſſionis præſupponit notitiam ſubiecti, nec de homine in vniuerſali; quia illa eſt confuſa; ergo nobiliſsima cognitio de homine, eſt ſecundùm rationem quidditatiuam. Ita etiam poſset poni aliqua ſcientia de Deo, ſub ratione reſpectus ad extra, vt aliqui ponunt, ſub ratione Reparatoris, vel Gubernatoris, vel Capitis Eccleſię: vel poſſit poni de Deo, ſub aliqua ratione attributali, quę eſt quaſi paſſio, ſicut aliqui ponunt de Deo hanc ſcientiam eſse ſub ratione boni; vel poſset poni de Deo ſub ratione communi, & vniuerſali, vt Entis, vel Entis infiniti, vel neceſse eſſe, vel alicuius talis.

Contra iſtas omnes poſitiones arguitur. Et primò arguitur contra iſtam de ratione communi. Nullus conceptus

ptus communis de Deo, continet virtualiter omnes veritates propriè Theologicas, pertinentes ad pluralitatẽ perſonarum; nam ſi ſic, cùm illi conceptus communes naturaliter concipiãtur à nobis; ergo propoſitiones immediatę de illis conceptibus, poſſent à nobis naturaliter concipi, vel intelligi, & per illas propoſitiones immediatas poſſemus ſcire concluſiones, & ita totam Theologiam naturaliter acquirere. Secundò. Quia ex quo conceptus cõmunes non ſunt ſoli Deo naturaliter noti: ergo nec veritates incluſæ in illis communibus conceptibus de quibus eſt Theologia; ergo ſi eſſet de Deo, ſub ratione tali communi, non eſſet ſoli Deo naturaliter nota, cuius oppoſitum oſtenſum eſt in 1. quæſt.

Contra aliam poſitionem, de ratione attributali, poſſet argui per eaſdem rationes, ſed adhuc arguo per alias ſpeciales. Primò. Quia cognitio eius Quod quid eſt, eſt perfectiſſima, vt dicit Philoſophus. 7. Metaph. t. 4. ergo cognitio illius eſſentiæ, eſt perfectior cognitio quàm cognitio proprietatis attributalis, quę ſe habet quaſi paſſio huius naturæ ſecundùm Dam. lib. 1. c. 5 Secundò. Quia ſi illæ proprietates: realiter different ab eſſentia, eſſentia eſſet realiter cauſa ipſarum; ergo ſicut differunt ratione, ita eſſentia de ſua ratione habet rationem incauſati, illę autem licèt per identitatem cum eſſentia ſint incauſatæ, non tamen ſecundùm ſuam rationem formalem primò includunt incauſationem ſui. Tertiò. Quia illud ſecundùm ſuam propiam rationem videtur eſſe actualius in ſe, cui magis repugnat communicabilitas ad plura ad extra; Sed eſſentię repugnat communicabilitas ad plura ad extra & nulli proprietati attributali, niſi quatenus eſt illius eſſentiæ, vel idem illi eſſentiæ inquantùm infinitæ. Si verò dicatur. Quòd quælibet proprietas eſt infinita, & ideo incommunicabilis, propter infinitatem. Contra. Infinitas iſta eſt in eis propter identitatem earum cum eſſentia, ſicut ex radice & fundamento omnis perfectionis intrinſecæ.

Contra viam etiam de reſpectibus ad extra poteſt argui, ſicut contra alias duas vias: Sed facio rationes ſpeciales. Primò: Quia reſpectus ad extra, eſt reſpectus rationis; ſed ſcientia non conſiderans ſubiectum ſuum ſub ratione reali, non eſt realis, ſicut nec Logica eſt realis, licèt conſideret de rebus, vt eis attribuuntur intentiones ſecundæ; ergo Theologia non eſt realis. Secundò. Quia abſolutũ & reſpectiuum, non faciunt aliquem vnum conceptũ per ſe; ergo conceptus aggregans illa duo in ſe, eſt conceptus vnus per accidens; nulla aũt ſcientia prima eſt de conceptu vno per accidens; quia talis præſupponit ſcientiã de vtraque parte, & ideo ſi ſcientia ſubalternata ſit de aliquo vno per accidens, præſupponit duas tractantes de partibus illius totius ſeparatim: Si igitur Theologia eſſet de tali vno per accidens, poſſet eſſe alia prior ea, quæ eſſet de conceptu vno per ſe. Tertiò. Nullus reſpectus ad extra, videtur Deo neceſſariò conuenire; ergo nihil Theologicum neceſſariò conueniret Deo, vt eſt ſubiectum Theologiæ. Probatio conſequentiæ. Quod conuenit alicui ſub ratione non ſibi neceſſariò inhærentis, non conuenit illi neceſſariò; ſed reſpectus ad extra eſt huiuſmodi; ergo, &c. & ita nulla veritas Theologica neceſſaria eſſet. Et hæc concluſio probatur per primam, & ſecundam rationes poſitas ad primam quæſtionem, ſ. de ratione primi obiecti, & de notis ſoli Deo naturaliter.

Concedo igitur quartũ mẽbrum, ſ. quòd Theologia eſt de Deo, ſub ratione qua eſt hæc eſſentia, ſicut perfectiſſima ſcientia eſſet de homine, ſi eſſet ſecũdùm quòd homo, nõ autem ſub aliqua ratione vniuerſali, vel accidentali.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Opinio dicentium, Deum vt eſt Saluator, vel Chriſtus, eſſe obiectum Theologiæ adęquatum, reijcitur.

Ex prædictis apparet improbatio illius opinionis, quæ ponit Chriſtum eſſe primum ſubiectum. Quia tunc veritates neceſſariæ de Patre & Spiritu Sancto, nõ eſſent Theologicæ: puta, Pater generat, Spiritus Sanctus procedit: nec veritates contingentes de eis; puta, Pater creat per Filium, Spiritus Sanctus temporaliter miſſus eſt viſibiliter, & inuiſibiliter: nec veritates neceſſarię de Deo Trino; vt quòd eſt Oĩpotens, immẽſus: nec cõtingentes; vt Deus creat, gubernat mũdum, remittit peccata, punit, præmiat & huiuſmodi. Conſequentiæ omnes probantur. Quia ad nullam ſcientiam per ſe pertinet aliqua veritas, niſi ſit de ſubiecto primo, vel de eius parte ſubiectiua, vel integrali, vel eſſentiali, vel de aliquo eſſentialiter ad ſubiectum attributo; ſed patet, quòd Pater, vel Spiritus Sãctus, vel Trinitas, non eſt Chriſtus, nec pars aliqua aliquo dictorum modorum, nec attributum ad Chriſtum eſſentialiter. Tũ quia Chriſtus cùm dicat duas naturas, & hoc inquãtùm eſt ſubiectum ſecundum ponentes illud; ſequitur quòd vt habens naturam creatam erit eſſentialiter prior Patre; vel Spiritu Sancto, vel Trinitate, quia eſſentialis attributio non eſt niſi ad eſſentialiter prius. Tum quia Chriſtus ſecundùm Diuinitatem, non habet aliquam talem prioritatem, ſecundùm quam poſſet Pater vel Trinitas ad Chriſtum attribui.

Contra iſtam etiam opinionem, ſunt duæ rationes vltimæ poſitæ ſupra in ſolut. 2. quæſt. contra opinionem de reſpectu ad extra. Contra idem eſt, prima ratio poſita ad ſolut. 1. quęſt. Quia veritates neceſſarias de Patre, & de Spiritu Sancto, & de Trinitate, impoſſibile eſt contineri virtualiter primò in Chriſto, quia ſi Verbum incarnatum non fuiſſet, illæ veritates neceſſariæ nihilminùs fuiſſent, Tertia etiam ibidem valet ad hoc. Quia non eſſet tradenda hìc aliqua notitia de Deo, niſi vt includitur in Chriſto, hoc eſt vt de Verbo tantùm, & ita non eſſet diſtinctiſſima notitia de Deo, quæ tradi poſſet; igitur eſſet alia prior requirenda.

Ad hoc etiam faciunt aliquæ perſuaſiones ibi poſitę. Quia iſta vnitas quæ eſt Chriſti (vt eſt ſuppoſitum vnum in duabus naturis) non eſt vnitas ęterna; iſtam autem oportet ponere formalem vnitatem primi ſubiecti: ergo primum ſubiectum, vt primum, non eſt aliquid ęternum. Illa etiam perſuaſio de fide videtur concludere. Non enim eſt creditum, vel verum Theologicum, hunc hominem eſſe crucifixum, non implicando verbum in ſubiecto, quia hunc hominem in cruce, potuerunt Iudęi naturaliter videre. Sed creditum eſt & verum Theologicum Verbum eſſe hominem, de Virgine natum, Verbum eſſe hominem crucifixum, verbum eſſe hominem reſurgentem, & ſic de alijs articulis pertinentibus ad humanitatem: pertinentes autem ad Diuinitatem, patet quòd non conueniunt primò Chriſto, vt Chriſtus eſt; ſed aliqui alijs perſonis, aliqui Trinitati; ergo obiectum adęquatum Theologię non eſt Chriſtus, ſed aliquid quaſi commune Verbo, de quo primò traduntur articuli pertinentes ad reparationem, & Patri, & Spiritui Sancto, ſcilicet, de quibus ſunt aliquę Theologicę veritates.

Videtur igitur dicendum, quòd ſicut ſi in medicina corpus humanum ſit primum ſubiectum, de quo conſideretur ibi paſſio, vt ſanitas & infirmitas, ſi ſpecies corporis humani eſſent corpus ſic mixtum & ſic, puta corpus ſanguineum, & corpus phlegmaticum, &c. hoc totum, corpus ſanguineum ſanum, non eſſet primum ſubiectum. Tum quia nimis particulare: tum quia includit paſſionem conſiderandam de ſubiecto, quę non poteſt eſſe ratio ſubiecti, quia ſubiectum vt ſubiectum, eſt priùs natura paſſione, & ita paſſio eſſet prior ſeipſa. Et breuiter quicquid diceretur de aliqua medicina tradita, ſcilicet, quòd eſſet de tali particulari, vt de ente per accidens; ſaltem impoſſibile eſſet primam ſcientiam de corpore hominis, eſſe de corpore hominis ſanguineo ſano: imò ſi qua eſſet de ipſo, alia poſſet eſſe prior; ſiue de corpore hominis in communi, quia ipſum in communi habet aliquas paſſiones cognoſcibiles de ipſo, per rationem communem, vt eſt prior inferioribus; ſiue de corpore ſanguineo, cuius ratio eſt naturaliter prior corpore ſanguineo ſano; & iſta ratio prior

A continet virtualiter aliquas passiones de corpore hominis sanguineo sano, quia & eius ratio præcedit corpus sanguineum sanum. Ita in proposito. Christus dicit Verbũ hominem, secundùm Damasc. lib. 3. c. 2. & 6. ante igitur notitiam quæ esset de Christo, vt de primo subiecto, nata esset alia esse prior de verbo, si quæ insit per rationẽ qua verbum, & ante istam alia de Deo quantũ ad illa quæ insunt per rationem Dei, vt est communis tribus personis. Si igitur Theologiam tenemus secundùm se esse primam notitiam, ipsa non erit primò de Christo; & si æquè est de veritatibus communibus, & proprijs tribus personis, ipsa non erit de aliqua persona, vt de subiecto adęquato, sed de Deo, vt est communis tribus personis. Et tunc saluabitur, quòd omnis veritas Theologica, vel est de primo subiecto, puta quæ inest Deo per rationem Dei; vel quasi de parte subiectiua primi subiecti, puta quæ est propria alicui personæ; aut de aliquo quod attribuitur ad subiectum primum, vel quasi partem subiecti, vt puta de creatura
B quantùm ad respectum, quem habet ad Deum vt Deus, & de natura assumpta quantùm ad respectum, quem habet ad verbum substantificans.

Aliter tamen ponitur Christum esse subiectum primum secundùm Lincon. in Examer. & hoc vt Christus est vnum triplici vnitate. Quarum prima est, ad Patrem & ad Spiritum Sanctum. Secunda, Verbi ad naturam assumptam. Tertia, Christi capitis ad membra. Et pro ista opinione de Christo, videtur esse Prima ratio posita ad primã quæst. & penultima. Quia septem articulos fidei pertinentes ad humanitatem non continet Deus, vt subiectum; quia per naturam Diuinitatis non conueniunt Deo: illud autem subiectum primò continet passionem, per cuius formam passio sibi inest; Christus autem & istos continet, quia secundùm humanitatem sibi insunt; & pręter hoc Christus continet realiter alios pertinentes ad Deitatem, quia secundùm Diuinitatem illa dicuntur inesse sibi.

Item. Subiecta partium doctrinæ, debent contineri
C sub subiecto totius, vel vt partes subiectiuæ, vel vt quasi integrales; non autem continentur sub Deo sic subiecta partiũ Sacræ Script. Quod probatur per glosas multas in principijs librorum, assignantes causas materiales aliquas, quæ non sunt aliquid Dei: vnde super Oseam dicit glo. quòd materia libri Osee est decem tribus.

Præterea. In aliquo libro Scripturæ nihil proprium de Deo narratur; quia nullum factum ibi narratur, vbi requiratur ex parte Dei aliquid, nisi influentia tantùm generalis; ergo talis liber non est de Deo.

Ad Primum dico. Quòd veritates enunciatæ contingenter de Christo, in nullo subiecto continentur virtualiter, sicut subiectum dicitur continere passionem; quia tũc inessent necessariò, tamen habent aliquod subiectum, de quo immediatè enunciantur, & primò; illud est verbum: nam veritates Theologicæ de Incarnatione, Passione, Natiuitate, &c. sunt istę, Verbum est factum homo, Verbum est homo natus, Verbum est homo passus &c. Cùm dicis. Passio inhęret secundùm na-
D turam humanitatis. Respondeo. Humanitas non est ratio primi subiecti, ad quod stet resolutio, sed est quasi passio prior, medians inter primum subiectum istarum veritatum quod est Verbum, & alias posteriores passiones, vt natus, &c. patet enim quòd humanitas non potest esse ratio subiecti respectu passionis primæ, quæ est esse incarnatum; quia illud dicitur de Verbo non præintellecta humanitate in ipso, vt in subiecto.

Ad Secundum. Dico, quòd sufficit scientię, subiectorum partialium attributio ad primum subiectum, qualis attributio ad Deum potest saluari cuiuscunque materiæ assignatæ, per glossas adductas. Aliter tamen potest dici. Quòd materia cuiuslibet libri est Deus, de quo ibi narratur, quomodo genus humanum gubernauerit: sed gens, vel persona gubernata, est materia remota. Et ita intelligendæ sunt glosæ tales.

Per hoc patet ad Tertium. Quia licèt esset aliquis liber nullum Dei miraculum continens, tamen quilibet continet prouidentiam, & gubernationem Dei circa ho-
E minem in communi, vel determinatam gẽtem, vel personam, in tantùm quòd si eandem historiam de Pharaone scribat Moyses in Exodo, & aliquis Aegyptius in Chronicis Aegyptiorum, subiectum Historiæ Moysi est Deus, de quo traditur ibi gubernatio hominum, misericorditer liberando Iudæos oppressos, iustè puniendo Aegyptios oppressores, sapienter ordinando formam liberandi congruam, ad hoc vt populus liberatus legem gratãter acciperet, potentes tot sibi propria signa faciendo: subiectum verò historiæ historiographi esset Regnum, vel Rex, vel populus Aegyptiacus, cuius actiones & casus circa ipsas contingentes ipse intendit scribere; ita quòd incidens est sibi quid Deus fecerat, sed principale quid gens sua fecerit, vel passa sit: principale autem est Moysi, quid Deus egerit, vel permiserit, sed quasi incidens est sibi circa quam materiam hoc contigerit. Et dato, quòd alicubi nullum miraculum enarretur, tamen quid Deus permiserit assistendo secundùm communem influentiam, & non impediendo, hoc principaliter inten-
F ditur in libro illo, inquantùm est pars Scripturæ, & qualiter illud conuenienter ordinatum sit ad bonum aliorum, si fuit ordinabile, vel iustè punitum, si fuit malum. Hoc frequenter additur in libro eodem, vel alio; aut si permissum fuit, nec hic punitum, non tacet Scriptura alibi de illo in generali, quòd alibi punietur.

RESPONDETVR.

Argumentis Principalibus.

AD Principale argumentum huius quæstionis, quãdo arguitur per Hug. & Cassiod. Dicitur. Quòd loquũtur hic, non de formali subiecto, sed de materia proxima, de qua diffusiùs tractatur in Scriptura, propter ordinem immediatiorem quem habet ad finem.

Ad Secundum dico; Quòd Methaphysica non est de Deo tanquam de primo subiecto; quod probatur. Quia præter scientias speciales, oportet esse aliquam cõmunem,
G in qua probentur in cõi oĩa quæ sunt communia illis specialibus; igitur præter scientias speciales oportet esse aliũ communem de Ente, in qua tradatur cognitio passionum de Ente, quæ supponitur in alijs scientijs specialibus; si igitur aliqua est naturaliter de Deo præter istam, est alia de Ente naturaliter scientia inquantùm Ens. Cùm verò probatur quòd est scientia de Deo per Philosoph. 6. Metaph. text. t. 2. dico, quòd ratio eius sic concludit. Nobilissima scientia est circa nobilissimum genus, vel vt primum obiectum, vel vt consideratum in illa scientia, perfectissimo modo, quo potest considerari in aliqua scientia naturaliter acquisita; Deus verè & si non est subiectum primũ in Metaphysica, est tamen consideratum in illa scientia nobilissimo modo, quo potest in aliqua scientia considerari naturaliter acquisita.

Ad cõment. 1. Phys. Dico. Quòd Auic. cui contradixit bene dixit, & commentator malè; quod probatur Primò. Quia si aliquas substantias separatas esse, esset suppositũ
H in scientia Metaphysicæ, & conclusum in naturali sciẽtia; ergo scientia naturalis esset simpliciter prior tota Metaphysica, quia Philosophia naturalis ostẽderet de subiecto Metaph. Si est, quod supponitur toti cognitioni scientiæ Metaph. Secundò. Quia per oẽm conditionẽ effectus potest demõstrari de causa Quia est, quã impossibile est inesse effectui nisi causa sit, sed multæ passiones cõsiderantur in Metaphysica, quas impossibile est inesse, nisi ab aliqua causa prima taliũ entiũ: ergo ex illis passionibus Metaphysicis potest demõstrari aliquã primã causã istorũ entiũ esse. Minor probatur. Quia multitudo entiũ, depẽdentia, & cõpositio, & huiusmodi, quæ sunt passiones Metaphysicę, ostẽdunt aliquod esse actu simplex, indepẽdens, & necesse esse, multò ẽt perfectiùs ostẽditur primã causã esse, ex passionibus causatorũ consideratis in Metaphysica, quàm ex passionibus naturalibus, vbi ostenditur primũ mouẽs esse. Perfectior. n. cognitio & immediatior est de primo ente, cognoscere ipsum vt primum ens, vel vt necesse esse, quàm cognoscere ipsum vt primum mouens.

Ad

A Ad aliud dico. Quòd ratio finis non eſt ratio nobiliſſima cognitionis, ſed illud quod eſt finis, ſicut ratio fundamentalis illius reſpectus; Deitas autem eſt ratio fundamẽtalis reſpectu finis vt finis, ad creaturas: igitur Deus eſt primùm obiectum; quòd concedo: & ita argumẽtum eſt in oppoſitum. Cùm autem oſtenditur de bonitate ex 2. Metaph. Dico. Quòd ſi per aliquam appropriationem bonitas ſit fundamentum finis, tamen Diuinitas eſt radicale, & primum fundamentum ipſius: bene autem ſequitur, ſi non eſt finis vltimus, quòd non eſt bonum; quia & ſi nullum eſt perfectum bonum, nullum eſt bonum; nullũ autem bonum eſt ſimpliciter perfectum, quod ordinatur ad aliud (quia quod eſt tale, habet bonitatem diminutã; ſi ergo quodlibet ordinatur ad aliud, nihil eſt bonum) non oportet autem bonitatem eſſe propriam rationem finis, ſed eſſentia magis erit propria, & fundamentalis ratio. Et per hæc patet ad dictum Auic. 6. Metaphyſ. quòd non debet intelligi de fine, ſed de ratione fundamentali ipſius finis.

B

QVÆSTIO QVINTA.

Vtrum iſta ſcientia ſit de omnibus, ex attributione ipſorum ad primum eius ſubiectum.

QVòd ſic 4. Metaphyſ. t. 2. Eadem eſt ſcientia de aliquo, & de attributis ad ipſum; & exemplificat ibi de ſano: ſed omnia alia attribuuntur eſſentialiter ad ſubiectum primum huius; ergo &c.

Contra. Aug. 14. de Trini. cap. 1. Neque huic ſcientiæ tribuendum eſt.

Ad hãc Quæſt. vr̃ ꝓbabiliter poſſe dici. (*Henr. quol. 3. q. 9.*) Quòd Theologia non eſt de oĩbus ſcibilibus. Quia quidditates diſtinctæ ab eſſentia Diuina, vt eſt hęc eſſentia ſingularis, continent primò multas veritates de ſe: quod probatur. Quia per impoſſibile circumſcripto omni alio, ſi illæ quidditates eſſent increatæ, ad huc continerent tales

C veritates, ſicut patet de linea, & de numero, quantùm ad propoſitiones immediatas de eis. Et ſecundùm hoc poſſet poni, quòd in intellectu diuino eſſent habitus diſtincti ſcientiales, ſecundùm rationem, vtpote Theologia eſſet quam cauſaret eſſentia Diuina, vt hęc in intellectu eius, Geometria autem in intellectu eius eſſet quæ virtute lineæ eſſet in intellectu eius, & ſic de Arithmetica virtute numeri, & ſic de alijs.

Contra illud arguitur tripliciter. Primò. Quia vileſceret intellectus Diuinus, pro eo quòd pateretur ab aliquo alio ab eſſentia ſua; nam in illo inſtanti naturæ, in quo intelligit lineam, adhuc eſſet quaſi in potentia ad veritates cognoſcendas exiſtentes in linea, & virtute illius quidditatis cognoſceret eas; ergo linea quaſi effectiuè imprimeret cognitionem iſtarum veritatum in intellectu Diuino, & ita linea eſſet motiua intellectus Diuini.

Secundò ſic. Omnis potẽtiæ actuabilis à diuerſis obiectis per ſe virtute propria eorum, primum obiectum eſt aliquod commune eis; ſed ſi linea virtute ſui cauſaret ve-

D ritatem in intellectu Diuino, pari ratione & aliæ res cauſabunt veritatem in intellectu eius; & ita primum obiectum intellectus diuini, eſſet commune eis, & non eſſentia Diuina ſingularis. Nec obſtat: quòd obiecta alia attribuuntur ad eſſentiam ſuam. Ita enim alia entia attribuuntur ad ſubſtantiam, & tamen obiectum intellectus noſtri Ens eſt.

Tertiò. Quia ſi eſſẽtia ſua eſt primum obiectum, patet quòd non communitate prædicationis; ergo eſt primum ſecundũ virtutẽ: nõ autẽ eſſet primũ obiectũ virtualiter ſi quodlibet aliud virtute ꝓpria immutaret intellectũ eius.

Ideo dico aliter. Quòd Diuina Theologia eſt de omnibus cognoſcibilibus. Quia obiectum primum Theologię ſuæ, facit omnia alia actu cognita in intellectu ſuo: ita quòd in primo ſigno naturæ, eſt eſſẽtia ſua primò cognita in intellectu ſuo: & in ſecundo ſigno naturæ, quidditates virtualiter continentes veritates proprias: in tertio aũt ſigno, ſunt iſtæ veritates virtualiter cõtentæ in illis quidditatibus ſibi notæ: & non eſt ordo ſecundi ad tertiũ ſecũdùm cauſalitatem, quaſi illæ quidditates cauſent aliquid

E in intellectu eius, ſed eſt tamen ordo effectuum eſſentialiter ordinatorum, reſpectu eiuſdẽ cauſæ, puta, quòd eſſentia ſua quaſi prius natura cauſat illas quidditates ſibi notas, quàm veritates de eis fiant notæ. Exemplum. Si Sol illuminaret aliquam partem propinquam ſibi, & alia pars remotior non eſſet illuminabilis niſi à Sole, propter eius opacitatem, Sol illuminaret partem aliam remotam, non aũt pars illuminata primò, eſſet cauſa illuminationis ſecundæ, eſſet tamen ordo inter partem propinquam, & remotam, ſicut ordo effectuum eiuſdem cauſæ, & tamen non eſſet ordo cauſæ ad effectum, quia pars illuminata nihil agit in partem opacam remotam. Ita in propoſito, hæc Eſſentia Dei, in intellectu ſuo facit alias quidditates actu notas, & quaſi poſteriùs naturaliter facit veritates illas in iſtis contentas notas intellectui illi, tamẽ illę quidditates finitæ, nullam virtutẽ habent reſpectu intellectus Diuini immutandi, quia intellectus Diuinus, nõ eſt natus perfici ab illis quidditatibus; quia ille eſt infinitus, & illæ

F quidditates finitæ, & infinitũ à finito nullo modo perficitur; ita quòd ſi in tertio inſtanti naturæ, Diuina natura non moueret ad vlteriorem notitiam veritatum, nunquã intellectus intelligeret eas, quia à nullo alio motiuo, illam notitiã poſſet habere. Sic ergo Deus de omnibus cognoſcibilibus ſolùm habet cognitionem Theologicam; quia tantùm virtute primi obiecti Theologici, actuantis intellectum eius: ita quòd Theologia Dei, nõ eſt tantũ de oĩbus, ſed eſt ẽt omnis cognitio poſſibilis haberi à Deo de eis, & abſolutè ipſa eſt de quocunque omnis cognitio nõ includens aliquam imperfectionem ex ſe; quia ipſa ſola, de quocunque cognoſcibili, non includit limitationem; quęlibet autem alia, quia eſt à cauſa limitata includit neceſſariò limitationem. Sed de intellectibus creatis Beatorum aliter eſt; quia intellectus eorum nati ſunt immutari à quidditatibus creatis, ad cognitionem veritatum incluſarum in eis, & ideo præter iſtam veritatem Theologicã, quam habent de illis quidditatibus, vt oſtenſis in eſſẽtia Dei, poſſũt habere naturalẽ cognitionẽ de eis, ex propria

G motione earum. Theologia igitur Beatorũ de quibuſcũq; creatis, nõ eſt oĩs cognitio poſſibilis de ipſis tali ĩtellectui.

Sed dubium eſt. An ſit de omnibus, licèt aliqua alia ſit de quibuſdam cognoſcibilibus. Hic diſtinguendũ eſt de Theologia in ſe, & vt eſt habitus perficiens intellectum creatũ beatũ. Primo modo eſt de omnibus ſcibilibus; quia oĩa alia nata ſunt ſciri virtute primi obiecti Theologici: Secũdo modo, dico quòd poſſibile eſt eã eſſe de quocũq;, imò & de oĩbus ſcibilibus; quia ſcibilia nõ ſũt infinita. De facto aũt nõ habet limitationẽ, niſi ex volũtate Dei oſtẽdẽtis aliquid in eſſẽtia ſua, & ideo actualiter Theol. eorũ eſt de tot quot volũtariè Deus oſtendit eis in eſſentia ſua.

De Theologia aũt noſtra. Dico. Quòd ipſa nõ eſt actualiter oĩum ſcibilium pro ſtatu iſto. Quia ſicut Theologia Beatorum habet terminũ, ita & noſtra, ex voluntate Dei reuelantis; terminus aũtem præfixus à voluntate Diuina, quantùm ad reuelationem generalem, eſt eorũ quæ ſunt

H in Sacra Scriptura; quia ſicut habetur in Apoc. vlt. Qui appoſuerit hæc, apponet ei Deus plagas, quæ apponuntur in libro iſto: Igitur Theologia noſtra de facto, non eſt niſi de his quæ continentur in ſcriptura, & de his, quæ poſſunt elici ex ipſa.

De poſſibilitate Theologiæ noſtræ. Dico. Quòd non poteſt eſſe de oĩbus: tũ propter defectũ intellectus noſtri, non potentis in ſpeciali concipere multas quidditates; reuelatio autẽ ſecundùm communem legem, nõ eſt niſi de his, quorum termini naturaliter poſſunt concipi à nobis: tũ propter defectũ Theologiæ noſtræ, quia non poteſt eſſe cum cognitione euidenti de eiſdem cognoſcibilibus, ſecundùm aliquos, & per conſequens, de naturaliter nobis cognitis non poteſt ſtare Theologia noſtra reuelata.

Tamen omnis Theologia, ſiuè noſtra, ſiue Beatorum, ſiue Dei, eſt de omnibus entibus quantùm ad aliqua de eis cognoſcibilia, ſcilicet, quantum ad reſpectus, quos habent ad Eſſentiam Diuinam, vt eſt hæc eſſentia; quia reſpectus non poteſt cognoſci, ſine cognitione amborum extremorum, & ita reſpectus, qui eſt ad hãc eſſen-

A tiam vt hæc, non poteſt cognoſci ſine cognitione huius eſſentiæ vt hæc. Sic ergo (vt verè dicatur) Theologia eſt de omnibus, & eſt omnis cognitio non includens imperfectionem: & ideo in intellectu Dei qui non poteſt habere aliquam cognitionem imperfectam, eſt omnis cognitio; non tamē eſt omnis cognitio ſimpliciter reſpectu intellectus creati, quia præter eam poteſt haberi alia cognitio de aliqua quidditate ſpeciali mouēte intellectū creatum. Ipſa etiam ſola eſt cognitio de omnibus quantùm ad aliqua cognoſcibilia, ſ. quantùm ad reſpectum eorum ad hanc eſſentiam, vt hęc; ſi tamen eſsentia hęc, terminet reſpectum creaturæ, & non ſub ratione alicuius attributi naturaliter à nobis intelligibilis. Et iſta eſt fortè ratio vna, quare non poſsumus ſcire de intellectu creato, quòd ordinatur ad hunc finem, vt hunc; quia non poſſumus cognoſcere reſpectum fundatum in natura intellectuali, ad iſtam eſsentiam, tanquam ad finem proprium, quia nec extremum ad quod eſt reſpectus; ideo nec rationem imaginis, reſpectu illius naturæ in ſe, ſicut Sancti lo-
B quuntur de imagine.

Ad Primum argumentum dico. Quòd concludit de Theologia non in ſe, ſed prout traditur in Sacra Script. & de hac loquitur Auguſt.

QVÆSTIO SEXTA.

Vtrum Theologia in ſe, ſit ſcientia.

DIco quòd quatuor includit ſcientia ſtrictè ſumpta; ſ. quòd ſit cognitio certa, hoc eſt, abſque deceptione & dubitatione, de cognito neceſsario, cauſata à cauſa euidente intellectui, applicata ad cognitum per diſcurſū Syllogiſticum. Hęc apparent ex definit. Scire 1. Poſter. t. 5. Vltimum, ſ. cauſatio ſcientiæ per diſcurſum à cauſa ad ſcitum, includit imperfectionem ex parte ſcientię, ſ. quòd ſit effectus æquiuocus, & etiam potentialitatem ex parte intellectus recipientis: ergo Thoologia in ſe non eſt ſcien-
C tia, quantùm ad vltimam conditionem ſcientiæ, ſed quātùm ad alias tres conditiones eſt ſcientia in ſe, & in intellectu Diuino.

Vtrum autem ſcientia ſit quantùm ad quartam conditionem in intellectu Beatorum. Dubium eſt. Et videtur quòd non. Per Aug. 15. de Trinit. c. 16. vel 41. Fortaſſe, inquit, non erunt ibi volubiles noſtræ cogitationes, ab aliis in alia euntes, atque redeuntes, ſed ſcientiam noſtram vnico intuitu videbimus; ergo intellectus Beatorum non diſcurret; & ita non habent ſcientiam, quantū ad iſtam quartam conditionem.

Sed oppoſitū videtur. Quia quidditas ſubiecti in quocunq; lumine videtur, continet virtualiter veritates, quas poteſt facere notas intellectui paſſiuo à tali obiecto. Si igitur quidditas lineę viſa in lumine naturali, poteſt notas facere veritates in ſe incluſas intellectui noſtro, pari ratione, & vt viſa in eſsentia Diuina; ſed omnis veritas cauſata in intellectu noſtro, per aliquid priùs naturaliter notum, cauſatur per diſcurſum, quia diſcurſus non requi-
D rit ſucceſſionem temporis nec ordinem ipſius, ſed ordinē naturę, ſ. quòd principium diſcurſus ſit naturaliter priùs notum, & vt ſic, ſit cauſatiuum alterius extremi diſcurſus. Hoc poteſt cōcedi, videlicet, quòd Beatus verè poteſt habere ſcientiam Theologicam, quantùm ad omnes conditiones ſcientię; quia omnes cōditiones ſcientię verè cōcurrunt in cognitione Beatorum. Auctoritas Aug. non cogit; quia loquitur dubitatiuè, & cum fortè; nec illud intendit aſserere; ſed quòd verbum noſtrum non ſit ęquale verbo Dei, quantumcunque verbum noſtrum ſit perfectum. Similiter poteſt exponi auctoritas Aug. de viſione beata, quę reſpicit tantùm eſsentialia in Deo.

Sed aliud dubium eſt in iſta quęſt. Quia ſicut ad Theologiā pertinent neceſsaria, ſic & contingentia: quòd patet de Theologia noſtra; quia omnes articuli de Incarnatione, ſunt de contingentibus. In Theologia etiā Beatorum patet; quia omnia cognoſcibilia de Deo, in reſpectu ad creaturas extra, ſunt de contingentibus; de contingentibus aūt non videtur poſſe eſſe ſcientia, ex definit. ſcientiæ; ergo non videtur quòd Theologia, vt extendit ſe ad E
omnia iſta contenta, poſſet habere rationē ſcientiæ, ſiue cū diſcurſu, ſiue nō. Hic dico. Quòd in ſcientia perfectionis eſt, quòd ſit euidens & certa: quòd autē ſit de neceſſario obiecto, hęc eſt conditio obiecti, non cognitionis; quia quantumcunq; ſcientia ſit de neceſſario, ipſa in ſe poteſt eſſe contingens, & per obliuionem deleri. Si igitur aliqua alia cognitio eſt certa, & euidens, & quantùm eſt de ſe perpetua, ipſa videtur in ſe formaliter perfectior, quàm ſcientia quæ requirit neceſſitatem obiecti; ſed contingentia, vt pertinēt ad Theologiā, nata ſunt habere cognitionem certam & euidentem, & quātùm eſt ex parte ſui euidentiam perpetuam: hoc patet, quia omnia contingentia Theologica ſunt nata videri in primo obiecto Theologico, & in eodem nata eſt videri coniunctio iſtarum veritatum contingentium; viſio autem extremorum veritatis contingentis, & vnionis eorum, neceſſariò cauſat euidētem certitudinem. de tali veritate euidente: quantū eſt ēt ex parte obiecti Theologici oſtēdētis talia vera, nata sūt F
videri in tali obiecto perpetuò, quantùm ex ſe eſt: Igitur contingentia, vt pertinent ad Theologiam, nata ſunt habere perfectiorem cognitionem, quàm ſcientia de neceſſarijs acquiſita.

Sed nunquid eorum cognitio eſt ſcientia? Dico. Quòd ſecundùm illam rationem ſcientiæ poſitā in 1. poſter. quę requirit neceſſitatem obiecti; non poteſt de eis eſſe ſcientia: quia cognoſcere contingens vt neceſsarium, non eſt cognoſcere contingens: tamen ſecundū quòd accipit Philoſophus ſcientiam. 6. Ethic. c. 4. & 7. vbi diuiditur contra opinionem & ſuſpicionem, bene poteſt eſſe ſcientia; quia eſt habitus, quo determinatè verum dicimus. Magis tamē propriè poteſt dici. quòd Theologia ſecundùm ſe eſt ſapientia. Quia de neceſsarijs, contentis in ea ipſa, habet euidentiam, & neceſſitatem, & certitudinem, & obiectū altiſsimum, & perfectiſsimum. Quantùm autē ad contingentia, habet euidentiam manifeſtam de contingentibus in obiecto Theologico vt in ſe viſis, & non habet euidentiam mendicatam ab alijs prioribus: vnde notitia contin- G
gentium (vt habetur in ea) magis aſsimilatur intellectui principiorum, quàm ſcientia concluſionum.

QVÆSTIO SEPTIMA.

Vtrum Theologia ad aliquam ſcientiam habeat habitudinem aliquam ſubalternantis vel ſubalternatę.

AD Iſtam Quæſtionem dico. Quòd hæc ſcientia nulli ſubalternatur. Quia licet ſubiectum eius poſſit aliquomodo contineri ſub ſubiecto Metaphyſicæ; nulla tamen principia accipit Metaphyſica; quia nulla paſſio Theologica demonſtrabilis eſt in ea per principia entis, vel per rationem ſumptam ex ratione entis.

Nec ipſa aliam ſibi ſubalternat. Quia nulla alia ſcientia accipit principia ab ipſa; nam quælibet alia in genere cognitionis naturalis, habet reſolutionem ſuam vltimò ad aliqua principia immediata naturaliter nota. H

Contra. Reſolutio non ſtat in cognoſcibilibus, niſi ad perfectiſſimum cognoſcibile: nec de eodem niſi ad ſeipſum vt perfectiſſimè cognitum; linea autem perfe- I
ctiùs cognoſcitur in verbo, quàm per motionem ſui ipſius; ergo reſolutio concluſionum de linea, non ſtat ad quidditatem lineæ, vel ad principia de ipſa niſi vt videntur in verbo: illa autem habetur per verbum viſum; ergo reſolutio vltima quarumcunque concluſionum, & principiorum, ſtat ad viſionem verbi; igitur iſta ſubalternat alias notitias, quibus omnibus dat euidentiam.

Ad hoc reſpondeo. Quòd & ſi Metaphyſicus cognoſcens diſtinctè quidditatem lineæ, vel totius, perfectiùs cognoſceret aliquod principium immediatum de linea, vel de toto, quàm Geometer tantùm confusè cognoſcens lineam, vel totum; tamen Geometræ eſt illa propoſitio immediata per ſe nota, nec probatur per iſtam Metaphyſici, ſed ex conceptu confuſo terminorum fit complexio euidenter vera; ſed ta-

men

men Metaphysicus eandem per se notam perfectiùs cognoscit: & hoc magis esset euidens, si tantùm per diuersa motiua vel media cognosceretur linea à diuersis & æquè distinctè ex parte obiecti, licèt non æquè clarè. Ita in proposito; principium immediatum de linea, potest esse euidens intellectui moto à verbo ad notitiam lineæ, sicut linea clariùs videtur; tamen principium vno modo cognitum, non demonstrat se alio modo notum, sed vtroque modo est per se notum, licèt clariùs sic, vel sic; subalternatio autem requirit, quòd notitia principiorum sciētiæ superioris, sit causa notitiæ principiorum inferioris scientiæ. Hoc de Theologia in se.

Sed quid de Theologia nostra. Essetne subalternata si talis notitia daretur alicui, vel si est data? Ad hoc dicunt quidam. (*D. Tho. 1. par. sum. q. 1. a. 2.*) Quòd est subalternata; subalternatur enim scientiæ Dei & Beatorum.

Contra hoc arguitur sic. Isti alibi ponunt quòd scientia non potest stare cum fide; sed nunc dicunt, quòd quæ est subalternata stat cum fide; ergo stat (secundùm eos) & non stat; igitur contradicunt sibi.

Præterea. Scientia de Deo non potest esse nisi vna; igitur nulla est subalternata.

Præterea. Scientia secundùm rationem causæ, non dependet nisi ab obiecto, vel subiecto, vel lumine; sed respectu intellectus viatoris, visio Beatorum nullam habet rationem causæ; ergo &c.

Præterea. Scientia subalternans & subalternata, non sunt primò de eisdē veritatibus vel prædicatis scitis. Hoc patet; quia vbi subalternata incipit, ibi subalternans desinit; sed hæc potest esse de eisdē de quibus est scientia Beatorum, ergo &c.

Præterea. Habens scientiam subalternatam, potest habere scientiam subalternantem, & è conuersò; sed in proposito est impossibile vtrunq.; ergo &c. Maior patet quoad vtrumque. Primum: quia habens principia de conclusione, potest scire conclusionem. Similiter patet secūdum; quia principia subalternantis sunt vniuersaliora, & sic ordine cognitionis intellectualis priùs nota; quia ibi secūdùm quòd huius, non proceditur à magis notis, sed à sensu. Minor etiam patet quoad vtrumq; membrum; quia sicut viator non potest clarè videre, sic Beatus non potest habere fidem.

QVAESTIO OCTAVA.

Vtrum ex ordine ad praxim, vt ad finem, dicatur per se scientia practica.

ARguitur quòd sic. Tertiò de an. t. 49. dicit Philos. Intellectus extensione fit practicus, & differt à speculatiuo, fine.

Item 1. Metaph. t. 3. Practica est minùs nobilis, quàm speculatiua; quia est gratia vsus: hoc argumentum non teneret, nisi vsus esset per se finis illius habitus.

Item 2. Metaph. t. 2. Finis speculatiuæ veritas; practicæ autem opus.

Contra. 6. Metaphys. distinguit Philosophus practicas à speculatiuis penes obiecta, & non penes fines; sicut patet ibi: distinguit enim scientiam tam actiuam, quàm factiuam, à speculatiua penes obiectum.

Item. 6. Ethi. c. 2. distinguit ratiocinatiuū à scientifico penes obiectum necessariū & cōtingens. Et 3. de ani. t. 51. assignat obiectum practicæ bonum, non quodcunque, sed agibile, & contingens: ergo scientia est practica per se ex obiecto; non igitur ex praxi, vt à fine.

ARTICVLVS PRIMVS.

Quid sit praxis, ad quam cognitio practica dicitur extendi.

DIco igitur Primò. Quòd praxis (ad quam cognitio practica extenditur) est actus alterius potentiæ quā intellectus, naturaliter posterior intellectione, natus elici conformiter rationi rectę, ad hoc vt sit actus rectus.

Prima conditio apparet. Quia stādo præcisè in actibus intellectus, nulla est praxis, quia nulla est extensio intellectus; quia non extra se extendit, nisi vt actus eius respicit actum alterius potentiæ. Et si dicas. Vnum actum intellectus extendi ad alium directum per illum. Non propter hoc secundus est praxis, vt modò loquimur: nec primus est cognitio practica; quia tunc Logica esset practica, quia dirigit in actibus discurrendi.

Secunda conditio patet. Quia actus non habentes ordinem ad intellectum, cuiusmodi sunt actus negatiui, aut actus naturaliter præcedentes intellectionem, vt actus sensitiui, non dicuntur praxes, nec dicitur ad eos extendi notitia practica; vt sunt priores intellectione. Similiter actus appetitus potentiæ sensitiuæ, quatenus præcedunt actū intellectus, non sunt praxes; hoc enim modo communes sunt nobis, & brutis: nec respectu istorū actuū ē cognitio practica, nisi vt aliquo modo est moderatiua istorū actuum; & isti actus sequuntur intellectionem moderatiuam, vt sunt per ipsam moderati.

Ex his duabus cōditionibus sequitur Corrolariū. Quòd praxis ad quam extenditur habitus practicus, non est nisi actus voluntatis elicitus, vel imperatus. Quod patet. Nam nullus alius actus ab actu voluntatis elicito, vel imperato, est essentialiter posterior intellectione; quia quicūq; alius detur, aliquis eiusdem rationis cum illo potest esse prior; sicut patet discurrendo per omnes actus aliarum potētiarum. Hoc patet secundò sic. Quia praxis est actus qui est in potestate cognoscentis; quod probatur ex ca. 5. 6. Ethic. Quia artifex eget virtute, id est, arte ad rectè agendū, non autem indiget virtute respectu illius quod non est in potestate sua; ergo artifex in potestate sua habet factionē, & multò magis prudens habet in potestate sua actionē, qua est formaliter virtuosus. Ex hoc vltra. Si omnis praxis est in potestate cognoscētis; & nihil est in potestate eius, nisi actus voluntatis elicitus, vel imperatus: sequitur propositum, vt priùs.

Contra istam conclusionem. Videtur sequi, quòd tunc aliqua intellectio erit praxis. Quia aliqua intellectio potest esse actus imperatus volūtatis, sicut actus alterius potentiæ imperatur ab ipsa. Et tunc vltra. Ergo prima cōditio est falsa, scilicet, quòd praxis est operatio alterius potētiæ ab intellectu. Respondeo. Licèt speculatio sit quædam operatio, & ita praxis (sic extendendo nomen) tamen vt praxis dicitur sola operatio ad quā intellectus potest extēdi, nulla intellectio est praxis. Et hoc modo accipitur, quādo ad praxim cognitio practica dicitur extendi. Cùm igitur dicitur. Intellectio est imperata à voluntate; Ergo est praxis. Non sequitur: Sed sequitur; ergo est praxis, vel practica; ipsa enim nata est denominari quasi accidentaliter à praxi, ad quam extensibilis est, non autem est terminus talis extensionis. Tamen e conuersò bene conceditur; quia omnis praxis est actus elicitus voluntatis, vel imperatus. Vnde ex ista 2. conditione inferre oppositum primæ, est facere fallaciam consequentis, ponendo consequens.

Tertia conditio probatur ex dicto Phil. 6. Ethic. cap 3. Quòd electio recta necessariò requirit rationem rectam. Quod non tantùm verum est de electione strictè sumpta, sed pari ratione de qualibet volitione recta; quia ipsa requirit rationem rectam cui conformiter eliciatur. Omnis autē praxis, vel est volitio, vel sequens volitionē, ex Corrolario præced. Ergo omnis praxis, (ad hoc vt sit recta) nata est conformiter elici rationi rectæ. Item ex dicto Aug. 15. de Trin. c. 1. Intellectus intelligit sibi, & alijs: Ergo sicut potest iudicare de actu suo, ita potest iudicare de actibus aliarum potentiarum; ergo de actu naturaliter posteriore actu suo, potest iudicare priùs naturaliter, antequā actus ille eliciatur; & per cōsequens, si rectè iudicet, oportet illum actum conformiter elici, si debeat esse rectus.

Ex duabus cōditionibus vltimis praxis sequitur. Quòd actus imperatus à voluntate nō est primo praxis, sed quasi per accidens: quia nec primò est posterior intellectione, nec primò natus elici conformiter rationi rectæ; oportet igitur aliquem alium actum esse primo praxim: iste nō est nisi volitio; quia per istam habet actus imperatus dictas conditiones; ergo prima ratio praxis saluatur in actu elicito voluntatis. Tunc vltra. Quandocunq; aliquid est pri-

A mò tale, coniunctum cum alio poſteriore, ſi poteſt ſeparari ab illo, adhuc eſſet tale: Si igitur actus voluntatis, poteſt ſeparari ab actu alterius potentiæ, ſeparatus ab illo poſteriori, ille eſt praxis; ſeparatur autem circa quodcunq; obiectũ, circa quod poteſt eſſe actus volũtatis, circa quòd non poteſt eſſe actus inferioris potentiæ, cuiuſmodi ſunt omnia immaterialia; ergo circa omne tale eſt actus volũtatis, & iſte ſolus eſt praxis. Secundò hoc idem probatur ex intentione Philoſ. 3. de Ani. t. 50. vbi inquirens principium motiuum, poſtquam cõcluſit duo eſſe motiua, videlicet appetitum & rationem, ſubdit. Intellectus non mouet ſine appetitu, voluntas autem appetitus eſt. Et conſequenter oſtendit, quòd appetitus duo, quandoque ſunt ſibi contrarij: ideo eſt ponere quaſi vnum mouens ſpecie; quia duobus appetitibus communis eſt ratio ſpeciei intermediæ, videlicet ratio appetitus. Vult ergo expreſsè, quòd ſicut appetitus ſenſitiuus habet rationem principij motiui cum ſenſu, & phantaſia, ita voluntas habet rationem
B principij motiui cum intellectu, & rõne: igitur ſicut actus appetitus ſenſitiuus ſine quocunq; trãſitu ad extra, eſt vera praxis, quando ſequitur actum intellectus; ita & actus voluntatis, qui ponitur æquè principium motiuũ, eſt verè praxis; quia ſemper ſequitur actum intellectus. Et hoc etiamſi ſit ſolus ſine actu imperato; imò cum actu in appetitu ſenſitiuo oppoſito illi quem imperaret: quia ipſe vt habens appetitum ſenſitiuum, quandoque cõtrarium eſt principiũ motiuũ, & operatiuũ, cuius operatio ſit praxis.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Quomodo cognitio practica extenditur ad praxim.

EX præcedente Articulo patet Secundus. Nam illa extenſio conſiſtit in duplici relatione aptitudinali, ſcilicet, cõformitatis & prioritatis naturalis. De prioritate patet per illud quod iam adductũ eſt in 1. Artic. de 6. Ethic. cap. 3. De conformitate autem habetur ibidem, vbi dicit,
C quòd veritas conſiderationis practicæ, eſt confeſsè ſe habens appetitui recto. Dixi aptitudinali. Quia neutra relatio requiritur actualis. Quòd autem praxis actualiter ſequatur conſiderationem, quo conformis ſit ipſi conſiderationi, hoc omnino eſt accidentale ipſi conſiderationi, & contingens; ſi igitur ab actuali extenſione diceretur practica, nulla eſſet neceſſariò practica; ſed eadem quandoq; practica, & quãdoq; ſpeculatiua, quod nihil eſt: ergo ſufficit duplex aptitudinalis extenſio, ſiue aptitudo ad extenſionem, Hoc declaratur. Quia communiter cõceditur cognitionem practicam extendi ad praxim, vt directiuã ad directum, ſiue, vt regulatiuam ad regulatum. Cognitionẽ aũt eſſe priorem naturaliter praxi, & conformẽ, nõ eſt eſſe conformatam praxi quaſi priori, ſed eſſe conformatiuã praxis quaſi poſterioris, ſiue eſſe cui praxis ſit conformanda; quod eſt cognitionem dirigere & regulare in praxim. Vtrum autem ſic dirigere vel conformare ſibi praxim, ſit aliqua efficientia in cognitione reſpectu praxis; de hoc in 2. diſtinctione 25.
D Ex iſto ſecundo patet. Quòd practicum & ſpeculatiuũ non ſunt differentiæ eſſentiales ſcientiæ, vel notitiæ in cõmuni, quæ eſt quoddam abſolutum. Quia practicũ dicit duplicem reſpectum notitiæ aptitudinalem ad praxim, vt ad terminum: ſpeculatiuum autem priuat illum reſpectũ duplicẽ, nec reſpectus, nec priuatio eius eſt de eſſentia abſoluti, ſed eſt quaſi diuiſio generis per proprias paſſiones ſpecierũ, ſicut ſi diuiditur numerus per par & impar, vel linea per rectũ & curuum. Alicui autem notitiæ conuenit practicũ per ſe ſecundo modo, ex cauſa intrinſeca prędicati in ſubiecto; alicui ſpeculatiuum.

ARTICVLVS TERTIVS.

A quo habet cognitio practica extenſionem ad praxim.

CIrca Tertiũ Art. ſũt opiniones. Vna eſt talis. (*Gof. quo. 10. q. 11.*) Quòd ab alio dicitur intellectus practicus, & ab alio habitus, vel actus. Hoc oſtẽditur. Quia verũ operabile & non operabile, ſunt obiecta ſpecialia formaliter
E diuerſa, ideo per ſe diſtinguunt illa, quæ per ſe reſpiciunt ipſa, puta habitus & actus, qui dicuntur practici, quia circa operabile; ſed intellectus, non dicitur practicus, niſi ſit operatiuus; qualis non eſt niſi illud quod apprehendit ordinet ad opus; quod non fit niſi motus ex appetitu finis. Ita quod practicus intellectus includit in ſuo actu (non formaliter, vt aliquid de eſſentia actus, ſed connotando) ordinem neceſſariò ad deſiderium finis explicitè, & eorũ quę ſunt ad finem implicitè. Quapropter cùm operabile ordinari ad opus, accidat operabili, licèt non accidat ei ordinabile eſſe, differentia inter intellectum ſpeculatiuum & practicum inde proueniens, erit accidentalis, & per reſpectum ad aliquid extra intellectum; licèt differentia habituum & actuum ſit formalis, ſecundùm differentiã formalem obiecti operabilis, & non operabilis: vnde in 3. de ani. t. 49. dicitur, quòd intellectus ſpeculatiuus & practicus differuntur fine. Et 6. Ethic. c. 3. Bonũ intellectus pra-
F ctici eſt verum, confeſsè ſe habens appetitui recto. Exemplum. Intellectus ſpeculatiuus apprehendit ſanitatem vt bonum cõueniens, appetitus verò appetit illam, & ſequitur aliquomodo conſilium intellectus practici, quòd ſanitas eſt acquirenda: ſtante itaque deſiderio finis, intellectus practicus ex hoc principio (illud per quod meliùs poteſt acquiri eſt procurãdum) procedit diſcurrendo, & terminatur diſcurſus in vltima concluſione conſilij. Et totus ille diſcurſus ſicut ſumit principium ex apprehenſione finis deſiderati, qui eſt primum obiectum intellectus practici, ita eſt, vt iſta inuenta ad finem operetur, & ideo voluntatem finis præſupponit, & ad electionem ſequentem conſilium ordinatur.

Contra hanc Opinionem (quæ, vt breuiter dicã, in hoc conſiſtit, quòd diſtinctionem intellectus practici & ſpeculatiui ponit penes finem qui accidit obiecto, ſed habitus ſpeculatiui & practici differunt penes obiectorum ſpecialium differentiam formalem) arguitur. Quia de habitibus dicitur 2. Metaph. t. 3. Finis ſpeculatiuæ eſt veritas, practicæ autem opus.
G Similiter. Tũc habitus practicus erit in intellectu ſpeculatiuo, nec intellectus illo habitu dicetur practicus, quod videtur inconueniens; quia omni habitu denominatur habens, ſecundùm naturam habitus.

Reſp. ad Primũ. (*Gof. vbi ſu.*) Quòd ſcientiæ practicæ finis eſt opus, in potentia & aptitudine, inquantũ eius obiectum eſt operabile per ſe; ſed obiectum non cõſideratur ſecundùm illum habitum in vniuerſali; quæ cõſideratio non ſufficit ad hoc, quòd ſubijciatur operationi in actu & in particulari; & quia actus eſt melior potentia in bonis, ideo requiritur talis conſideratio particularis & in actu; iſta autem eſt per alium habitum à ſcientia practica, & iſte habitus alius ſolùm eſt in intellectu practico.

Ad Secundum dicitur. Quòd denominatiuè poteſt dici practicus, non ſimpliciter, ſed ſecundùm quid, ſcilicet, intelligendo denominationem fieri ab habitu.

Contra. Igitur habitus & actus practicus poſſunt eſſe in ĩtellectu ſpeculatiuo: quia habitus vel actus ex natura ſua
H practicus, poteſt eſſe in intellectu ſine tali relatione ad actum voluntatis, qualem ponit. Conſequens concederet, ſed alium habitum poneret poſſe haberi in intellectu practico, ex actibus non tãtùm practicis, ſed ex actibus intellectus practici generatum. Contra. Habitus practicus generatus ex actibus practicis, ſufficeret ad ea ad quæ ille habitus generatus ex actibus intellectus practici dirigeret: quia voluntas imperans cõſiderationi propter talem finẽ, non dat aliam rationem conſiderationi in dirigendo, nec per conſequens habitui generato ex cõſiderationibus. Itẽ tunc multa accidentia eiuſdẽ ſpeciei eſſent in eodem; non enim propter ordinem voluntatis, & non ordinẽ, poteſt poni diſtinctio ſpecifica actus huius & illius, ſimiliter nec habitus.

Item Tertiò contra Opinionem in ſe. Subiectum magis denominatur à per ſe conditione ſui accidentis, & eſſentiali, quàm à conditione eiuſdem accidẽtali; ergo ſi intellectus poteſt dici practicus, ex cõditione accidentali ſui habitus, puta, ex ordine voluntatis ordinãtis actũ eius ad

A aliud, multò magis poteſt dici practicus ex ordine eſsētiali actus, quo actus dicitur eſſe eſsētialiter practicus. Ideo ab eodem videtur intellectus dici practicus à quo habitus & actus, licèt non ita accidentaliter dicatur illud de habitu & actu, ſicut de intellectu, reſpectu cuius eſt accidens per accidens.

Aliter dicitur. Quòd illud à quo habitus & actus dicūtur practici eſt finis, & extenſio cognitionis practicæ ad praxim, quæ eſt extenſio ad finem.

Pro hac Opinione ſunt auctoritates poſitæ priùs. Arguitur etiam per rationes. Primò. Quia aut habitus dicitur practicus ab obiecto, aut à fine. Quòd nō ab obiecto probo. Quia intellectus extenſione fit practicus; quod nō eſt verum, niſi de eodem intellectu priùs ſpeculatiuo, & poſtea practico extenſo ad opus; igitur circa idem obiectū poteſt eſſe conſideratio practica & ſpeculatiua. Secundò ſic. Quia medicina diuiditur in ſpeculatiuam & practicā, & tamen ipſa eſt de aliquo eodem ſubiecto, vt de ſanitate, vel de corpore ſanabili. Item. Actus dicitur practicus,
B quia bonus vel malus moraliter; bonitas & malitia moris competunt actui ex circumſtantijs; inter circumſtantias autem prima & præcipua eſt circumſtantia finis.

Contra iſtam poſitionem. Quæro an habitus & actus dicantur practici propter extenſionem actualem ad opus, vel tantùm propter extenſionem aptitudinalem? Nō propter actualem, vt habetur in 2. Art. & ipſi cōcedunt; quia tunc faber non actu operans non haberet cognitionem practicam; ergo propter extenſionem aptitudinalem: ſed aptitudo non conuenit vni naturæ, quæ repugnat alteri, niſi propter aliquod abſolutum in tali natura; quia enim hæc natura eſt talis, ideo ſibi conuenit talis aptitudo; igitur præſupponit in iſta conſideratione aliquam conditionem intrinſecam, per quam ſibi conueniat aptitudo talis; iſta conditio conſiderationis in ſe, eſt ab aliqua cauſa eius priore; cauſæ autem eius priores ſunt intellectus, & obiectum; ergo ſibi cōuenit ab aliquo obiecto, vel intellectu; non ab intellectu; quia tunc omnis conſideratio eſſet
C practica, cùm omnes ſint in intellectu, & omniū ſit vnus intellectus.

Si dicatur. Quòd etiam finis eſt cauſa prior, imò prima inter omnes, ſecundùm Auic. 6. Metaph. cap. vlt. & ita ab ipſo poteſt eſſe conditio talis naturæ, vt ei conueniat talis aptitudo. Contra. Finis non eſt cauſa, niſi inquantùm amatus & deſideratus mouet efficiens ad efficiendum; ſed aptitudo dicta conuenit conſiderationi, ſiue ſit finis amatus, ſiue non; poteſt enim in intellectu eſſe talis cognitio qualitercunq; voluntas ſe habeat, imò etiamſi voluntas nō eſſet coniuncta intellectui: & ita à fine, tanquam à finali cauſa non conuenit aptitudo iſta cognitioni; nihil enim ineſt ab aliqua cauſa, quod ineſt illa cauſa non cauſante.

Si dicas. Finis aptus natus eſt amari antequam aptitudo iſta inſit cognitioni.

Contra. Hoc nō ſaluat propoſitum; quia effectus nihil habet ab aliquo cauſante, quia illud natum eſſet cauſare, niſi actu cauſet; ergo cognitio non habet aptitudinē, ſiue naturam iſtam quam cōſequitur talis aptitudo, à fine ap-
D titudinaliter cauſante, niſi actu cauſet: non autē cauſat actu, vt cauſa finalis, niſi vt actu amatus & deſideratus moueat efficiens ad agendum. Præterea. Aut finis vt elicitus & habitus extra, facit habitum eſſe practicū, aut finis cōſideratus, aut intentus; non vt elicitus & habitus extra, quia ſic eſt poſterior habitu, & effectus aliquo modo, effectus autem non diſtinguit cauſam: Si vt cognitus, ſic habet rationem obiecti; ergo obiectum diſtinguit: ſi autem vt intentus, hoc iam eſt improbatum; quia naturaliter antequam intendatur eſt cognitio talis. Præterea. Si ſcientiā eſſe practicam, & ordinari ad praxim vt ad finem, cōuertantur; ergo moralis ſcientia non eſt practica: conſequens eſt contra Philo. 1. Ethic. c. 10. Et ideo conſequētia arguitur, quia finis eius eſt fælicitas, quæ ſecūdū ipsū 10. Ethic. conſiſtit in ſpeculatione, non in praxi.

Si dicatur. Quòd fęlicitas eſt finis remotus, ſed finis propinquus eſt praxis, ſcilicet, dirigere in actū virtutis propter fęlicitatem. Contra. Ad dirigere non ordinat neceſſariò, niſi aptitudinaliter; neceſſariò autem eſt practica; ergo hoc erit (ſecundùm dictam reſponſionem) quia aptitu- E
dinaliter ordinatur ad dirigere: hoc eſt idē quod directiuū eſſe: igitur eſt practica, quia directiua; ſed eſſe directiuā, & eſſe practicam idem ſunt, ex 2. Artic. Ex dicta igitur reſponſione ſequitur, quòd ipſa eſt practica, quia eſt practica: hoc nihil eſt. Item. Dirigere eſt actus intellectus; quia eius eſt habitus, ſcilicet prudentia, à quo eſt iſta actus elicitus, nullus autem actus intellectus eſt praxis ex 1. Artic.

Ideo dicitur aliter. *(Henr. in ſum.)* Quòd finis ſcientiæ moralis, ſicut & prudentiæ, eſt actus virtutis moralis, ad quem ordinatur, & ille actus eſt praxis.

Contra. Non omnis cognitionis practicæ finis eſt praxis; aliqua enim intellectio eſt practica reſpectu praxis potētiæ inferioris, puta appetitus ſenſitiui, vel motiuæ potētiæ, nullus autē actus potentiæ inferioris eſt finis actus intellectus; quia nihil ignobilius eſt per ſe finis nobilioris, actus intelligendi eſt nobilior & perfectior, quocunque actu cuiuſcunque potentiæ inferioris ſenſitiuæ.

Dicitur. Quòd licèt intellectio ſit nobilior in eſſe naturæ, quàm operatio potentiæ inferioris, non tamen in genere moris; quia meliùs moraliter eſt fortiter agere, quàm cogitare fortiter agere. F

Cōtra hoc dupliciter. Primò. Quia falſum ſupponitur: nam actus potentiæ inferioris non eſt bonus moraliter, niſi quia conformatur rationi rectæ vt regulæ ſuæ; ergo rectitudo rationis eſt cauſa bonitatis talis in actu iſto, & non è cōuersò; ſed actum rationis eſſe ſic regulam, eſt ipſum eſſe bonum moraliter, ſicut intellectio poteſt eſſe bona moraliter. Confirmatur. Quia prudentia eſt ſimpliciter nobilior virtute morali; vt eſt in appetitu ſenſitiuo; Igitur & actus eius, vt eius, eſt melior actu illius, vt illius; Igitur iſte vt practicus (ſic poteſt intellectio eſſe practica) eſt melior illo vt practico, ſiue bono moraliter. Ex hoc patet quòd probatio de cogitare fortiter agere, non valet. Qn. n. quæritur excellentia vnius ad alterum, nō dēt comparari optimū ad infimū, ſed optimū ad optimum, vel ſimpliciter ad ſimpliciter; 3: Top. c. 4. ſicut ergo eſt accipere optimum ibi, puta fortiter agere, ita eſt accipere in intellectu, dictare ſm prudētiam fortiter agere. Hoc ſecundum eſt melius ēt G
moraliter illo etiā formaliter, quia vt regula habet bonitatem formalē moralem, quæ eſt rectitudo propria; aliud eſt tantùm bonum materialiter, quia ex ſe non eſt bonum moraliter, circumſcribendo ordinem ad regulam iſtam, & ad voluntatem imperantem. Secundò. Reſponſio illa, non videtur ad propoſitum: quæritur enim vnde intellectio ſit practica, non iam præſupponendo eam eſſe practicam, potiſſimè cùm nec ſupponatur de ipſa prima circūſtantia, quæ eſt finis; ſed inquiratur; Igitur cùm quæritur de intellectione practica, & prima circumſtatia à qua foret practica, ipſa tantùm accipitur vt eſt illud quod eſt in eſſe naturę: Igitur ſic diſtinguere de ipſa ſecundùm bonitatem moris & naturæ, nihil aliud eſt quàm prēſupponere quod quæritur, & diſtinguere aliquid prout conſideratur præciſè ſub altero membro diſtinctionis.

Ideo corrigitur iſta opinio ab alijs. *(Ioan. Rodit. in prol. q. 6. a. 2. ſeq. hāc correct.)* & dicitur. Quòd habitus dicitur practicus à fine, quod eſt conſideratio practica: proprius. i. finis cuiuſcunq; habitus, eſt actus eius. H

Sed contra illud. Si conſideratio illa quæ eſt finis habitus, eſt practica; ergo ipſa habet cauſā ex qua dicatur practica: aut ergo finem illius conſiderationis (& hoc iā improbatum eſt) aut obiectum; & tunc ſequitur quòd ipſum obiectum eſt prior cauſa, à qua tam habitus dicitur practicus, quàm conſideratio ipſa, & tunc habetur propoſitū, quòd ab obiecto tàm habitus (licèt mediatè,) quàm actus dicitur practicus.

Ad Argumenta pro Opinione oppoſita. Cùm arguitur cōtra diſtinctionem per obiecta. Ad Primum dico. Quòd nō poteſt eſſe circa idem obiectum habitus ſpeculatiuus, & practicus. Cum probatur: quia intellectus extenſione fit practicus. Dico: quòd Ariſ. nunquam dixit, quòd intellectus ſpeculatiuus extenſione quacunq; fit practicus, ſed Ariſtoteles ponens tres gradus intellectus, quorum primus eſt conſiderare ſpeculabilia tantùm, ſecundus conſiderare agibilia, non dictando proſequi, vel fugere, ter-

tius

A tius vt dicit, quando amplius extendendo ſe iubet proſequi vel fugere; ita quòd illa extẽſio eſt intellectus imperfectè practici ad cõſiderationem perfectè practicam, puta ab apprehenſione terribilium, ad dictamen completum de eis, præcipiendo fugam, vel proſecutionem. Conceſſo tamen quòd intellectus ſpeculatiuus extenſione fiat practicus, non eſt ad propoſitum: quia ſpeculatiuũ & practicum ſunt differentiæ accidentales intellectus, licèt ſint eſſentiales habituum & actuum, & ideo actus & habitus non extenduntur.

Ad illud de medicina, dicitur à quodam. *(Henr. quol. 6. q. 2. & quol. 13. q. 12).* Quòd habitus vniuerſalis eſt ſpeculatiuus, ſed quando ex ea acquiritur habitus particularis, tunc fit practicus. Contra. Tunc ex principijs ſpeculatiuis ſequeretur concluſio practica.

Ideo aliter dicendũ eſt. Quòd quando ſunt aliqua duo extrema oppoſita, quantò aliquid recedit ab vno oppoſitorum, tantò accedit ad aliud *(5. Phyſ. tex. com. 52.)* modò, actualiſſimam rationem practici habet conſideratio, quæ B nata eſt immediatè eſſe conformis formaliter praxi eliciẽdæ, & quãtò aliquid magis recedit ab iſto, tantò magis accedit ad ſpeculatiuum; igitur habitus vniuerſalis, qui non eſt immediatè natus eſſe conformis praxi eliciendæ, poteſt dici ſpeculatiuus reſpectu alicuius habitus, qui immediatè natus eſt eſſe conformis praxi eliciendæ. Ita poteſt dici ars ſpeculatiua reſpectu habitus experti, quia ars tãquam vniuerſalior habitus, non eſt ita immediatè directiua, ſicut apparet 1. Meta. in proemio. Artifex frequenter errabit, expertus autẽ non ita errabit. Ita poteſt diſtingui medicina in ſpeculatiuam, quę ſcilicet eſt de vniuerſalioribus cauſis & curis, quæ cognitio eſt remotior à praxi elicienda; & in practicam, quæ eſt de particularibus, & propinquioribus praxi, & immediatiùs conformibus praxi; tamen ſecũdùm veritatem illam vniuerſalior; (quæ in cõparatione dicitur ſpeculatiua,) eſt ſimpliciter practica, quia virtualiter includit illam particularem formaliter conformem praxi.

C Ad aliud de bonitate, & malitia. Dico, quòd nõ omnis actus bonus eſt primò bonus à circumſtãtia finis, vt finis, imò eſt aliquis bonus a circumſtantia obiecti, puta, vbi finis eſt obiectum, & ibi circumſtantia finis, vt obiecti, primò tribuit rectitudinem actui; ille enim actus ex obiecto ſolo eſt ſimpliciter bonus; vt amare Deum, ſine alijs circumſtantijs eſt ſimpliciter bonum; falſum eſt igitur quòd a fine, vt finis eſt, prout ſcilicet diſtinguitur contra obiectum, accipiatur primò bonitas actus moralis. Imò ſecundò illud eſt falſum, quia actus circa ens ad finem, licèt habeat pro vna circũſtantia finem, tñ ab obiecto eſt aliqua bonitas prior, a qua actus dicitur bonus ex genere. Tertia reſponſio eſt directè ad oppoſitum; quia etſi circumſtantia formaliter circumſtet praxim, vt ſit bona, non tamen formaliter circumſtat intellectionem practicam; nõ enim intellectus moderatè, ſiue medio modo dictat actum, ita quod dictare circumſtantionetur hac circumſtantia mediocriter, ſed intellectus dictat, ſecundùm vltimum ſuæ potentiæ. Eſt autem illud dictare rectum a principio, & D principium ſumitur a primo obiecto.

Contra iſtud arguitur, quòd non ſit diſtinctio per obiecta. Quia omne formaliter tale, eſt tale per aliquid ſibi intrinſecum; ergo ſi habitus eſt formaliter practicus, hoc eſt per aliquid ſibi intrinſecum; & hoc non erit obiectum; ergo &c. Exemplum. Sol non eſt formaliter calidus licèt ſit virtualiter calidus. Præterea. Obiectum non eſt diſtinctiuũ habitus, niſi vt cauſa efficiens; cauſæ autem efficiẽtes nõ diſtinguunt effectus ſpecie, quia a cauſatis diuerſis ſpecie, poteſt eſſe idem effectus ſpecie, ſicut calidũ idem ſpecie generatur vniuocè, & æquiuocè ab igne, & à Sole.

Ad Primum dico; quòd eſſe practicum dicit aliquid intrinſecum notitiæ, ſicut reſpectus aptitudinalis eſt intrinſecus fundamento: & quòd notitia aliqua ſic ſit apta nata referri, hoc eſt per naturam intrinſecam notitiæ, quã naturam habet ab obiecto, vt à cauſa extrinſeca. Dico ergo. Quod habitus eſt practicus per intrinſecũ, vt per cauſam formalem, & per obiectum, vt per cauſam efficientem.

Ad Secundum dico; quòd licet à cauſis eſſentialiter or- E dinatis, quarum vna eſt vniuoca, altera æquiuoca, poſſet eſſe effectus vnius rationis, ſicut exemplificatur de calore; tamen quando cauſæ efficientes proximè eiuſdem ordinis effectum cauſant aliquem, inquantùm ipſæ cauſæ ſunt diſtinctæ, maximè ſi vtraq; ſit vniuoca effectui, ſiue vniuocatione completa, ſiue diminuta, non poteſt a cauſis talibus diſtinctis, eſſe effectus vnicus rationis. Vniuocationem completam dico; quando eſt ſimilitudo in forma & in modo eſſendi formæ; diminutam, quando eſt ſimilitudo in forma, licèt habeat alium modum eſſendi, quomodo domus extra eſt à domo in mente: vnde & generationẽ iſtam vocat aliquo modo Philoſophus vniuocam. 7. Met. t. 30. Quia igitur obiectum eſt cauſa proxima reſpectu notitiæ, & vniuoca, licèt diminutè; ſequitur quòd diſtinctio formalis obiectorum, cũ cauſent notitias inquantùm ipſa ſunt diſtincta, neceſſariò cõcludat diſtinctionem formalem notitiarum.

ARTICVLVS QVARTVS.

F

Datur reſponſio propria ad Quęſtionem.

CONcedo ergo, quòd habitus non dicitur primò practicus ab actu proprio: quia ille eſt practicus a cauſa priore; nec cognitio aliqua habitualis vel actualis eſt per ſe practica, quia ordinatur ad praxim, vt ad finem: poteſt tamen quandoq; habere primam extenſionẽ, ſcilicet conformitatem ad praxim à fine ipſius praxis, non tamen inquantùm eſt finis, ſed inquãtùm eſt primũ obiectum. Primum patet. Quandoq; enim prima principia practica ſumũtur à fine praxis, & ita ille finis, vt cauſa prima in genere iſto includit virtualiter totam notitiã, & ita ipſa notitia habet quidditatem ſuam & aptitudinem ab illo fine. Secundum patet. Ideo enim finis praxis dat talem aptitudinem ſiue naturã habentem talem aptitudinem, quia vt obiectum primum includit principia, & mediantibus illis concluſiones, & ita totam notitiam practicam, non autem inquantùm finis. Tum quia à fine, vt finis eſt, nulla natura vel aptitudo naturalis habetur niſi vt G amato & deſiderato, & ſic mouente efficiens: priùs autem natura, quàm ametur, includit talia principia & concluſiones; veritas .n. principij practici neceſſarij, non dependet à voluntate magis quàm ſpeculatiui, nec concluſiones neceſſariò illatæ ex tali principio. Tũ ſi quodcunq; aliud includeret virtualiter talem notitiam, eodem modo daret notitiæ conformitatem talem, puta ſi ipſa praxis includeret primò in genere iſto talem notitiam, vel illud circa quod eſt talis operatio, ſicut quandoq; cõtingit; ſicut fuit tactum in reſpõſione ad 3. in q. 1. de ſubiecto Theologiæ: homo. n. fortè eſt ſubiectum tam moralis ſcientiæ, quàm medicinæ, non autem felicitas vel ſanitas, quia vtriuſq; finis ratio includitur in ratione illius circa quod eſt praxis.

Si dicatur, quòd principia prima practica ſemper ſumũtur à fine; ergo ſemper finis primò includit virtualiter notitiam eorum. Si concederetur conſequens; tamen ſtaret, quòd non inquantùm finis, ſed inquantùm eſt obiectum. H Et tunc poſſet dici, quòd homo eſt finis, tã ſanitatis, quàm fælicitatis naturalis, vt tangitur in reſponſione prædicta ſed taliter non eſt finis proximus praxis. Quodſi negaretur conſequens; negandum eſſet antecedens vniuerſaliter ſumptum, quod particulariter eſt verum, vbi. ſ. ratio finis non concluditur ex aliquo pertinente ad cognitionẽ practicã. Vel aliter poſſet exponi antecedens, ſic. Prima principia, &c. verum eſt, inter illa quæ ſumuntur ex circũſtantijs moralibus, præſuppoſito actu bono ſecundùm genus, quia ſic obiectum eſt circumſtantia, alio modo accipiẽdo actum nudè, & ſic etiam obiectum eſt circumſtantia. Et ex iſto videtur antecedens improbatum: à quo enim ſumitur prima circumſtantia actus nudè conſiderati, videtur eſſe prius quocunque alio; & ita obiectum à quo ſpecificatur primò actus, vt dicatur bonus ex genere circumſtantionabilis vlteriùs alijs circumſtãtijs, vt ſit plenè moralis, videtur omnino primum in cognitione practica; de hoc non oportet modò proſequi, an concludat, vel nõ; quia in 3. lib. habet locum. Breuiter ergo ad hunc Articulũ dico,

quòd

A quòd ſcientia practica non habet primam extenſionem ſibi competentem à fine,inquãtum finis,propter rationes primò adductas.

Ex hoc patet ſolutio huius quæſtionis propoſitæ,cuius teneo partem negatiuam;ſed primam relationem, ſcilicet conformitatē,habet per ſe ab obiecto, quod vel eſt rectitudo praxis,vel aliquid virtualiter includens ipſam rectitudinē,& ideo cognitioni illi praxis eſt conformabilis, vt ſit recta, quia cognitio eſt talis cogniti.

Sed de alia relatione,ſcilicet de prioritate,eſt dubium, vnde conueniat cognitioni. Dico,quòd praxim neceſſariò naturaliter præcedit aliqua cognitio, ſicut patet ex 1. Art. & ſecũdùm hoc praxi conuenit poſterioritas,& cognitioni prioritas,ex ratione potentiarum ordinatarum naturaliter in agendo,ſ. intellectus & volũtatis. Sed non ſemper iſta intellectio prior eſt practica, ſed tantùm quando eſt determinatiua rectitudinis,reſpectu ipſius praxis; & hoc
B vel formaliter,vel virtualiter: quando autem in apprehẽſione præuia nulla eſt determinatio formalis,vel virtualis de rectitudine praxis, licèt ibi ſit prioritas, tamen tũc deficit conformitas; quia ipſa non eſt cui debeat praxis conformari,vt ſit recta,quia nihil determinatè oſtẽdit de rectitudine praxis. Quando etiam in apprehenſione præuia eſt determinatio de rectitudine praxis, ſed potentia cuius eſt praxis, non eſt aliquo modo determinabilis aliunde, tunc illa cognitio, licèt determinatiua, non eſt conformatiua praxis; & ideo non habet conformitatem priorem in ratione regulæ dirigentis, nec ſic eſt plenè practica.

Poteſt igitur dici quòd licèt abſolutè ex natura intellectus & voluntatis ſit cognitio prior,tamen quòd cognitio conformis ſit prior,hoc eſt ſimul ex obiecto,& ordine potentiarum,& ratione potentiæ ſic practicantis,ſ. voluntatis, quæ ſit aliquo modo regulabilis aliunde:nam ſi obiectum determinet intellectum ad cognitionem rectitudinis priùs naturaliter quàm voluntas velit, & voluntas ſit aliquomodo regulabilis aliunde, non tamen apprehenſio
C præcedit praxim, ſed apprehenſio conformis: hoc autem accidit quandocunq;determinata rectitudo praxis eſt cognoſcibile neceſſarium,ſiue vt principium per intellectũ, ſiue vt concluſio per ſcientiam. Quando autem rectitudo determinata contingẽter conuenit praxi, tunc non eſt obiectum aliquod determinans intellectum ad cognitionem rectitudinis determinatę antequam voluntas velit; & hoc loquendo de intellectu,& voluntate in communi: nam illud contingens non determinatur ad alteram partem ante omnem actum voluntatis; comparando tamen in ſpeciali ad intellectum hunc & voluntatem hanc, iſtã praxim poteſt præcedere cognitio cõformis, quam pręcedit primò cognitio determinatiua rectitudinis, & quam non,non. Non poteſt autem præcedere in omni intelligente,ſed in illo ſolo,cuius voluntas non eſt primò determinans rectitudinem illi praxi. Exemplum prædictorũ. Rectitudo huius praxis,amare Deum,recta eſt, & neceſſaria,& includitur virtualiter in ratione Dei;hanc praxim in quocunque,non tantùm nata eſt præcedere ſimpliciter
D apprehenſio,ſed etiam conformis apprehenſio,cui.ſ. praxis eſt conformanda, vt ſit recta. Ex obiecto igitur quod eſt primò ex ſe determinatiuum intellectus ad notitiam rectitudinis determinatæ ipſius praxis, & ex ordine intellectus & voluntatis in operando, habetur hæc notitia prior praxi & conformis:& ita in qualibet alia cui conuenit neceſſariò rectitudo determinata;ſed rectitudo huius praxis,ſcilicet colere Deum in ſacrificio altaris, eſt cõtingens;quandoque.n.eſt actus rectus,vt modò,quandoque non,vt in Veteri teſtamento: ideo non eſt aliquod obiectum determinatiuum intellectus ad notitiam huius rectitudinis,ante omnem actum voluntatis;& ideo nec iſta præcedit vt conformis,omnem actum voluntatis;alicuius tamen præcedit,puta illius ſolius,quæ nõ primò determinat rectitudinem huic praxi, qualis eſt voluntas humana; hæc enim rectitudo determinatur à voluntate Diuina,acceptante nunc talem cultum, & aliàs non.

E

RESPONDETVR.

Argumentis in principio quęſtionis adductis.

AD Argumenta huius Quæſtionis. Ad auctoritatē 3. de ani. Dico,q̄ loquitur de fine vt cognito; nã intellectus propter aliquid ratiocinans,ratiocinatur propter finem cognitum,vt eſt principium demonſtrationis.

Ad Secundum de 1. Met. Dico, quòd practica non eſt gratia vſus,vt per ſe finis,tamen aliquam habitudinē habet ad vſum,ſic,quòd vſus eſt per ſe obiectum eius, vt aliquid virtualiter includens vſũ, quale Philoſophus nõ poſuit eſſe aliquod ens,niſi ens ad finē. Et omne tale obiectũ, eſt ignobilius obiecto ſpeculabili. Et ideo talis ordo ad praxim cõcludit ignobilitatem practicæ reſpectu ſpeculatiuæ.

Ad Tertiũ de 2. Met. Dicitur,quòd ſpeculatiua & practica habent diuerſos fines,loquendo de per ſe finibus infra genus cognitionis;ſed illi fines non diſtinguũt primò, ſed prior eſt diſtinctio ex obiectis,ſicut dictum eſt.

F

QVAESTIO NONA.

Vtrum Theologia ſit ſcientia practica.

QVòd non,arguitur Ioan. 20 Hæc autem ſcripta ſunt vt credatis: ſed credere eſt ſpeculatiuum, quia ei ſuccedit viſio;ergo.&c. Pręterea. Practica ponitur eſſe circa cõtingens,3. de ani. t. 49. & 1. Ethic. in proœm. ſed obiectum huius ſcientiæ nõ eſt cõtingens,ſed neceſſarium;ergo.&c. Itē Boetius de Trin. aſſignat tres partes ſpeculatiuæ; quarum vna eſt Theologia,ſecũdùm eum. Et quòd loquatur de iſta videtur:quia ſubdit ibi de ſubiecto illius, quòd ſubiectũ eius eſt prima ſubſtantia,de qua dicit,quòd ſubſtãtia Dei materia caret. Item. Omni practica, aliqua ſpeculatiua eſt nobilior; nulla autem eſt nobilior iſta;ergo.&c. Probatio primæ: Tum quia ſpeculatiua eſt ſui gratia, practica verò gratia vſus:tum quia ſpeculatiua eſt certior Metaph. in proœm.

G Item. Hæc inuenta eſt omnibus neceſſarijs exiſtẽtibus, propter fugam ignorantiæ. Quod apparet:quia ſolicitudo circa neceſſaria impedit ab inquiſitione huius doctrinæ; ergo ipſa eſt ſpeculatiua: ſic enim arguit Philoſophus 1. Metaph. quòd Metaphyſica eſt ſpeculatiua.

Contra. Ad Roman. 13. Finis legis eſt dilectio. Item Matth. 22. In his duobus præceptis,tota lex pẽdet & Prophætæ. Item Aug. de laude charitatis. Ille tenet quicquid latet,& quicquid patet in Diuinis ſermonibus, qui charitatem ſeruat in moribus. Hæ autem auctoritates probant quòd iſta ſcientia non eſt præcisè propter ſpeculari; ſpeculatiua autem vltra ſpeculari, nihil requirit ſecundùm Auic. 1. Metaph. c. 1.

ARTICVLVS PRIMVS.

Recitantur aliorum quinque Opiniones tenentes viam negatiuam.

H

AD iſtam Quæſtionem reſpondendo. Dico,quòd hic ſunt quinq; viæ tenentes partē negatiuã quęſtionis. Vna dicit (*Henr. in Sum. art. 9. q. 2. in Sol. ad 3. & quol. 8. q. 9.*) Sic declarando. Duplex eſt actus voluntatis; vnus perficiens voluntatem, alius qui perficitur à voluntate. Primus actus eſt reſpectu finis, & eſt operatio perfecta, quam intra ſe volũtas elicit,& qua fini vltimo ſe vnit. Secundus actus eſt reſpectu eorum quæ ſunt ad finem, vnde eſt actio bona,qua voluntas extra ſe in aliud tendit, ſicut eſt quælibet actio directiua in finem. In primo actu non indiget voluntas directiuo, ſed ſola obiecti oſtenſio ſufficit;talis autem actus ad ſcientiam ſimpliciter ſpeculatiuam pertinet, in ipſo enim eſt ſpeculatio ſolummodo vt voluntati obiectum ſuæ operationis perfectè oſtendat,vt in ipſum ſtatim perfecta operatione tendat. In alio autem actu voluntas indiget directiuo, & hic ad ſcientiam practicam pertinet,quia in ipſo eſt ſpeculatio, vt actionē dirigat,quod eſt proprium practicæ:actus autem qui perficitur

A ficitur à voluntate, nō est finis huius scientię, nisi finis sub fine, sed alius qui perficit voluntatem. Et ex hoc habet ista scientia, quòd perfectissimè sit speculatiua; quia actus principaliter intentus in ista scientia, est actus voluntatis circa finem, in quo nō indiget directiuo, sed tantū ostensione obiecti; ergo non est practica, sed speculatiua, cùm in actu suo principali non indigeat directione.

Pro hac in via est auctoritas August. in serm. de Iacob & Esau. Omnia inquit opera nostra sunt, vt mundetur oculus, quo videatur Deus. Item potest argui sic. Non requiritur directiuum, vbi non potest esse error; sciētia practica est directiua; igitur scientia Beatorū nō est practica: quia Beati errare non possunt; ergo nec nostra est practica, quia est eadem cum illa Beatorum. Item potest argui sic, secundùm intellectum istius alibi (*Henr. quol. 5. q. 9. & quol. 8. q. 1.*) Quia Deus non habet scientiam practicā: maximè autem habet istam, vel solus: ergo. &c.

Contra hoc sic arguitur. Primò rationem positionis eorum duco ad oppositum quadrupliciter. Primò sic. B Etsi voluntas non potest errare circa finem in vniuersali ostensum, potest tamen (secundùm eos) errare circa finē in particulari ostensum; ergo ad hoc vt rectè agat circa finem particulariter ostensum, requiritur directiua ostensio; ostensio autem finis Theologiæ, est finis non in vniuersali, sed in particulari; quia ad Metaphysicum pertinet illa ostensio in vniuersali. Vnde si Beati errare non possunt circa obiectum Theologicū absolutè, in aliquo actu tamen possunt; ergo necessariò habent cognitionem directiuam respectu alicuius actus circa obiectum Theologicum. Præterea. Habitus directiuus non ponitur propter substantiam actus, sed propter circumstantiam: sicut temperantia non ponitur propter substantiam actus comedendi; vel alterius huiusmodi, sed propter circumstantias; ergo licèt voluntas esset determinata ad substātiam actus tendentis in finem in particulari, requireretur tamē directio quantùm ad circumstantiam illius actus, ad quē non extenditur directio, quæ est circa substantiam actus. Ex istis duabus rationibus arguitur. Quia vbicunq; con- C tingit in praxi errare, & rectè agere, ibi est notitia practica necessaria ad dirigēdū: in ista aūt praxi, q̄ est dilectio finis, vt pertinet ad Theologiā cōtingit errare dupliciter (vt ostēdūt rationes istę) tū ratione obiecti ostēsi in particulari, tū ratione circūstātiarū actus; Ergo. &c. Præterea Tertiò sic. Cuius dilectio principaliter intēditur extra genus cognitionis, eius cognitio principaliter intenditur intra genus cognitionis; dilectio verò finis p̄ eos principaliter intēditur extra genus cognitionis; ergo cognitio finis principaliter intenditur in genere cognitionis; sed in qualibet scientia intenditur principaliter cognitio sui subiecti primi; Ergo finis est principale subiectum istius scientiæ: à fine autem sumuntur principia practica; principia practica concludunt conclusiones practicas; igitur ista scientia, quæ primò intendit dilectionem finis extra genus cognitionis, est practica. Præterea. Ad idem genus secundùm praxim, vel speculationem, pertinent principia & cōclusiones; cōclusiones enim practicæ resoluuntur in prin- D cipia practica, non speculatiua; ergo cùm cognitio finis sit directiua in actibus circa ea quæ sunt ad finem, & cognitio eorum quæ sunt ad finē, sit quasi inclusa in cognitione finis quasi principij, si cognitio eorum quæ sunt ad finem sit cognitio conclusionum practicarū; ergo cognitio finis erit cognitio practica, quia de principio practico.

Sic patet responsio ad rationem eius Primam; quia falsum accipit, quasi voluntas esset determinata ex se: quod improbant duæ rationes primæ. Similiter si voluntas esset determinata, adhuc tamen cognitio esset practica, sicut probant vltimæ duæ rationes.

Ad auctoritatem eorum. Dico, quòd videtur concludere, quòd visio Dei est finis huius scientiæ; quod ipsi non concedunt. Respondeo igitur, quòd auctoritas loquitur de illis operationibus exterioribus, quæ sunt ieiunia, vigiliæ, & orationes, quia actus quicunque exterior natus est conformari alicui actui interiori, à quo habet suam bonitatem, & etiam ad aliquem interiorem ordinari, & finaliter ad velle.

E Ad Tertium respondeo. Quòd sicut agens per se intendit inducere formam, nec intendit remotionem cōtrarij, nisi per accidens; ita habitus per se dirigit, per accidēs autem excludit errorem: & si habitus est perfectus, nō compatitur secum errorem; imò si cōpatitur, est imperfectus, Beati igitur licèt non possint errare, non sequitur quòd non habeant habitum etiam directiuum; quia eo per impossibile circumscripto, errare possent; sed eo posito propter perfectionem eius, excluditur omnis error.

Ad Quartum dicetur inf. post solut. huius q. 1. soluendo quartam Obiectionem contra eam.

Secunda via ponit. (*Guil. Var. l. 1. q. 4.*) Quòd licèt dilectio finis rectè possit elici, & non rectè, negat tamen dilectionem finis esse praxim: quia non est circa obiectum contingens; dicit autem comment. l. Ethic. c. 4. quòd praxis est operatio secundùm electionem, electio autem est tantùm circa contingens, ex 3. Ethic. c. 3. quia est appetitus consiliatiuus; consilium verò non est nisi de contingēte. Ex hoc etiam probatur descriptio praxis posita in 1. F Art. quæst. esse insufficiens: quia omittit obiectum præcisum. Consequenter dicit hæc via, nullam notitiā esse practicam, quæ extenditur ad volitionem vltimi finis tātùm, quia non est verum contingens.

Contra istam viam est quarta ratio posita contra præcedentem. Item. Vera praxis, est illa operatio ad quam inclinat virtus appetitiua; quia quælibet talis virtus est habitus electiuus ex 2. Ethic. c. 5. electio autem est praxis, vt ostendetur contra Tertiam viā statim; sed ad dilectionem finis inclinat non tantùm charitas, sed amor acquisitus habitualis, qui est virtus appetitiua, quia appetitiuus habitus consonus rationi rectæ. Motiuum verò huius vię soluetur in solutione 2. rationis principalis ad primam quæstionem.

Tertia via ponit (*Heru. quol. l. q. 3. art 4.*) Quòd vel volitio non est propriè praxis, sed tantùm actus ea posterior, vel si ipsa est praxis, hoc non est nisi in ordine ad actū aliquem imperatum potentiæ inferioris, puta appetitus sensitiui, vel potentiæ motiuæ, vel huiusmodi.

G Pro hac via Tertia arguitur. Quia omnis praxis sequitur electionē. Quod probatur per Phil. 6. Ethic. c. 3. Actus principium est electio, non cuius gratia, sed vnde motus: id est, non finale, sed effectiuum; principium autem effectiuum naturaliter præcedit effectum; ergo. &c. Præterea. Habitus practicus generatur ex praxibus; sed habitus practicus generatur ex actibus sequentibus electionem; Igitur illi sunt praxes. Item Comment. super 1. Ethic. Praxis est operatio secundùm electionem; ergo praxis sequitur electionem.

Contra istud, scilicet quòd non tantùm actus sequens electionē sit praxis, probatur. Quia 6. Eth. c. 2. dicit Philosophus, quòd non est electio recta, sine ratione recta, & habitu virtutis: ergo virtus per se requiritur ad electionē rectam; non requireretur autem si esset habitus generatus ex actibus posterioribus electione, quia tunc non inclinaret per se nisi actus istos posteriores electione. Præterea ex alia forma arguitur idem. Quia habitus ex eisdē actibus generatur, ad quos inclinat, ex secūdo Eth. c. 2. & H 3. sed virtus moralis per se inclinat ad electionem rectam; quia vt apparet per definitionem eius 2. Ethic. c. 5. virtus est habitus electiuus, &c. igitur ex electionibus per se generatur virtus moralis, & per cōsequens non tantū actus electionem sequentes sunt praxes. Præterea. Non solùm falsum est negare electionem esse praxim, quod arguitur ratione iam facta; sed sicut probatū fuit, in 1. Artic. actus voluntatis elicitus est primò praxis, & imperatus nō, nisi propter ipsum; ergo si electio sit sola sine ordine ad actum imperatum, puta propter defectū materiæ actus exterioris, ipsa sola verè erit praxis. Hoc declaratur sic. Non habens pecunias, cui tamen in phantasmate præsentantur pecuniæ, antequam alicuius actus electio sit principiū effectiuum, vel ordinetur ad aliquid imperandum, si eligat illas liberaliter distribuere si haberet, quantùm ad actum & habitum virtutis, non requiritur vlterior prosecutio; quia obiecto præsētato in phantasmate, circa quod potest esse actus liberalitatis completæ, habetur electio, ex qua gene-

A generatur liberalitas, vel quæ elicitur ex liberalitate, & non requiritur vlterior prosecutio exteriùs, nec ordo ad exteriùs, si materia actus exterioris deficiat. Præterea. Ordo iste electionis ad actum imperatum, non potest esse nisi vt causæ ad causandum effectum; sed quòd causa non sit in se talis ex se, (vt prior effectu est) sed tantùm quia actualiter ordinatur ad efficiendum, videtur inconueniens; cùm nihil habeat causa ab effectu, nec ex ordine ad ipsum.

Tunc ad auctoritatem 6. Ethicor. Dico, quòd ibid. Philos. statim subdit. Electionis autem appetitus & ratio, quæ gratia alicuius primò practica sunt, supple principium. Ad hoc enim vt electio sit recta, requiritur virtus in appetitu: vnde sequitur. Neque sine habitu morali est electio; scilicet recta; igitur virtus habet actum elicitum immediatiorem sibi, quàm sit ille cuius electio est principium vt imperans, priùs enim actus voluntatis elicitus, qui est electio, est actio bona, quàm actus exterior imperatus ab electione bona, fit bonus; quod pro- B batur per Philos. ibi enim statim post illud. Neque sine habitu est electio, subdit; Bona actio enim sine more non est: sed si ista sit Maior ad probandum quod prædixit de electione, sumetur ista Minor; sed bona electio est bona actio. Concedo igitur auctoritatem affirmatiuam, quòd electio est principium actus vnde motus; quia actus ab ipsa imperatus est actus moralis. Sed ex hoc non sequitur, quòd solus iste sit actus siue praxis, imò est electio prior praxis, propter quam etiam ista est bona praxis.

Ad Secundum. Si Maior est vera; dico quòd habitus practicus generatur ex electionibus, sicut prædictum est de eligente frequenter liberaliter dare, etiam sine actu imperato, si facultas non adsit, posset in ipso generari liberalitas; quia tamen quando illi actus imperati sunt impossibiles, voluntas non communiter eligit frequenter rectè circa materiam istorum actuum; quia quod non creditur alicui possibile, aut ipsum non vult, aut tenuiter vult, secundùm August. ideo communiter non genera- C tur habitus practicus qui est virtus, sine praxibus imperatis sequentibus electionem, non tamen generatur ex illis sequentibus, sed ex electionibus in quibus est formaliter bonitas moralis, in praxibus autem imperatis est tantùm materialiter.

Ad Tertium de Comment. Oportet quòd ly secundùm, non sit ibi nota causæ efficientis, si descriptio debet esse conuertibilis cum descripto, vt probatum est per Aristo. 6. Ethic. Sed debet intelligi ly. secundùm, effectiuè vel formaliter. Vel electio accipitur ibi pro libertate, siue potestate denominatiua, vel accipitur electio pro electione actus volendi, quæ non est electio, vel volitio aliqua, sed actio de genere actionis. Secundùm istam electionem, quasi secundùm principium actiuum est omnis praxis, siue sit electio, siue sequens electionem, quia actio de genere actionis reducitur ad principium effectiuum.

Istæ tres viæ ponunt Theologiam esse purè speculatiuam, non obstante quòd extendatur ad dilectionem finis: siue ad illam quasi voluntas naturaliter determine- D tur præcedente ostensione: siue liberè & contingenter ad illam se habeat, non tamen circa obiectum contingens & agibile: siue tertiò circa quodcunque obiectum, quomodocunque se habeat, non tamen operando, siue in ordine ad actum imperatum, sed sistendo in proprio actu elicito. Quòd autem talis extensio non concludat practicam, persuadetur. Quia tunc quælibet notitia esset practica; quia quamlibet sequitur aliqua dilectio vel delectatio. Similiter. 10. Ethicor. capit. 10. Fœlix est Dei amantissimus, & tamen istam fælicitatem ponit Philosophus speculatiuam, non practicam.

Contra hanc conclusionem communem istis tribus vijs instatur. Videtur sequi, quòd aliqua operatio est in potestate hominis, ita quòd verè sit actus humanus, & tamen nec sit propriè speculatio, nec praxis, puta amor finis; consequens videtur inconueniens. Præterea, quòd cognitio directiua in volitione quacunque non sit practica, cùm sit veritas confessè se habens appetitui recto, videtur inconueniens: quia talis veritas est proprium o- E pus mentis practicæ, ex 6. Ethicor. cap. 3. Quod additur de delectatione, nihil est ad propositum, quia delectatio est passio consequens naturaliter operationem perfectam; & siue sit delectatio de speculatione, siue de speculato, propter extensionem ad illam, nulla ex isto ponitur cognitio practica: quia nec ista est praxis propriè loquendo (hoc tangetur distinct. 15. 3. lib.) amare autem vel desiderare obiectum cognitum, & hoc sic vel sic circumstantionabile, est verè praxis, nec naturaliter consequens apprehensionem, sed liberè, rectè vel non rectè elicibilis. Quod autem additur de fælicitate, quòd sit speculatiua, quia fælix est Dei amantissimus. Dico, quòd auctoritas non cogit; quia loquitur passiuè, quasi maximè amatus à Deo, non actiuè, sicut patet ibi. Subdit enim. Si quidem cura humanorum à Dijs sit rationabile, & gaudere ipsos (supple Deos) optimo & cognatissimo; hoc autem est intellectus, &c. Diligentes igitur hoc, id est intellectiuum, rationabile erit Deos se beneficiare vt amicos, &c. F

Sed prætermissa auctoritate illa, nunquid felix speculatiuus secundùm Arist. amat finem, vt amare destinguitur contra delectari, siue de obiecto speculato, siue de speculatione? Respondeo. 12. Metaph. cap. 36. vult Philosophus quòd primum mouens mouet vt amatum; igitur intelligentia inferior amat primam, & tamen ipsius fęlicitatem poneret in speculatione, sicut patet in 10. Ethicor. cap. 10. igitur ipse sub speculatione comprehendit non tantùm delectationem, sed amare; igitur nec propter extensionem ad illud erit notitia practica secundùm ipsum, sed speculatiua. Sed quare non tenetur in hoc: cùm ratio scientię practicæ & speculatiuæ accipiatur ab ipso? Et ita duæ primæ viæ istam ponentes Theologiam esse speculatiuam, bene ponunt, & pręcipuè secundùm Philosophum. Respondeo. Illud amare quod poneret in intelligentia, poneret necessitate naturali voluntati inesse, ita quòd non contingeret ibi eam errare, & rectè G agere; ita quòd respectu illius notitia esset tantummodò ostensiua, & non directiua, nec quantùm ad obiectum in particulari, nec quantùm ad aliquam eius conditionem, vel aliquam circumstantiam actus volendi: hoc modo non dicerent Theologi, de amare creaturarum intellectualium, respectu Dei in particulari, & quantùm ad circumstantias actus, sicut argutum est contra primam viam in primis duabus rationibus. Si igitur conuenisset nobiscum, ponendo amare respectu finis liberè rectè & non rectè posse elici: nec rectè elici, nisi eliciatur conformiter rationi rectæ, non tantùm ostendenti obiectum, sed etiam dictanti, sic esse eliciendum, fortè posuisset respectu talis notitiam practicam, quia confessè se habentem appetitui recto; igitur meliùs est Theologo, qui habet ab eo discordare in Minori, consequenter dicendo discordare in Conclusione, quàm conuenire cum eo in Conclusione, quam ipse non poneret, si Minorem cum Theologo teneret. Cùm igitur dicis. Quòd ab ipso accipimus rationem speculatiui, & practici. Verum est, H & in Maiori conuenimus, quòd illa est speculatiua, quæ licèt ad dilectionem extēderetur vt ostendens obiectum, nullo tamen modo esset directiua in actu, vt circumstantionabilis est, & vt huius obiecti in particulari: sed Minorem, quam ipse assumeret sub; habemus negare, in proposito.

Sed dato quòd talis necessitas ponatur in intelligentia ex natura voluntatis amandi Deum, nunquid ita poneret in voluntate hominis sapientis, quem ipse non ponit naturaliter fælicem? Si non: igitur iste potest dirigi in tali actu. Respondeo. Practicam à tali non negaret, nisi quia fælicitatem eius dixit esse speculatiuam.

Quarta via dicit Theologiam esse affectiuam. (*Boet. in prol. q. 3. & Egid. lib. 1.*) Quod bene intelligi potest si affectiua ponatur esse quędam practica; si autem affectiua ponatur tertium membrum distinctum contra practicum & speculatiuum, sic est contra dicta in 1. Artic. vbi ostensum est dilectionem esse veram praxim. Est e-

A tiam contra auctoritates multas, quæ ſentiunt præcisè ſcientias diſtingui in ſpeculatiuam, & practicam, & nullum eſſe tertium membrum.

Quinta via dicit Theologiam eſſe contemplatiuã. Pro qua via adducitur Auguſt. 13. de Trin. cap. 14. vbi vult, quòd ſapientia eſt reſpectu contemplationis, ſcientia verò reſpectu actionis; cùm igitur Theologia ſit propriè Sapientia, & non Scientia, ipſa non erit practica, ſed contemplatiua. Reſpondeo. Aug. 12. de Trinit. cap. 4. dicit. Quòd iſtæ duę portiones animæ, ſuperior & inferior, non diſtinguuntur niſi penes officia, & in vtraque tam in ſuperiori, quàm in inferiori eſt Trinitas, in ſuperiori autem imago Trinitatis increatæ, & tamen ſola ſuperior portio eſt contemplatiua, quia reſpicit æterna; igitur iſta cõtemplatio de qua loquitur, non determinatur ad ſpeculationem intra genus ſcientiæ: continet enim illud contemplatiuum memoriam, intelligentiam, & voluntatem, & ita B in contẽplatiuo illo poteſt eſſe extenſio extra genus ſcientię, ſicut poteſt eſſe in actiuo, hoc eſt, in portione inferiori, reſpiciente temporalia, quæ etiam habet Trinitatem. Sic igitur iſta eſt contemplatiua, vt loquitur ibi Auguſt. non prohibetur propter hoc eſſe practica, ſi extenditur ad praxim in portione ſuperiori.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Aliæ Opiniones proponuntur.

ALia eſt Opinio diſcordãs à præcedẽtib. in cõcluſione. (*Gof. quol.* 13. *q.* 1.) Quæ dicit ꝙ iſta ſciẽtia eſt ſpeculatiua, & practica, ꝙ ꝓbatur dupliciter. Vno modo ſic. Sicut doctrina illa in qua ſcriberentur aliqua de Iure, & aliqua de Philoſophia, eſſet ſpeculatiua & practica, ſiue ſcriberentur in diſtinctis libris, ſiue capitulis, ſiue intercalariter, & commixtim, ita in iſta doctrina, ſimul ſpeculatiua & practica tractantur, non in diuerſis libris, & capitulis, ſed intercalariter & commixtim; ergo ipſa eſt ſpeculatiua & practica. C Secundò ſic probatur. Nulla ſpeculatiua cognitio diſtinctiùs tractat de operabilibus, quàm eorum cognitio ſit neceſſaria ad ſpeculationem; nec practica diſtinctiùs tractat de ſpeculabilibus, quàm eorum requiratur cognitio propter praxim, ad quam extenditur: iſta autem tractat de operabilibus diſtinctiùs quàm cognitio eorum requiratur ad ſpeculationẽ, & diſtinctiùs de ſpeculabilibus, quàm cognitio eorum requiratur ad cognitionem practicam; igitur ipſa eſt ſpeculatiua & practica. Maior probatur. Quia ſpeculabilia non conſiderantur in ſcientia practica, niſi propter conſiderationem practicam, nec operabilia in ſpeculatiua, niſi propter conſiderationem ſpeculatiuam. Minor patet. Quia hìc tractatur de operabilibus ita diſtinctè, acſi eſſet de eis præcisè, & etiam de ſpeculabilibus, acſi eſſet de eis præcisè.

Contra iſtam Opinionem arguitur ſic. Habitus non habens euidentiam ex obiecto, non diſtinguitur ſecũdùm diſtinctionem obiectorum: tunc enim oporteret ponere duas fides infuſas, iſte autem habitus non habet euiden-D tiam ex obiecto; igitur non diſtinguitur ſecũdùm diſtinctionem obiectorum; Igitur non eſt duo habitus propter diſtinctionem operabilium & ſpeculabilium.

Præterea. Illa opinio de duobus habitibus, quamuis poſſit probabilitatem aliquam habere de Theologia, vt tradita eſt in Scriptura, tamen de Theologia, in ſe, cuius ſubiectum primum eſt Eſſentia Diuina, vt hæc eſſentia, ſicut dictum eſt de ſubiecto Theologiæ, non videtur probabilis. Nam de iſto ſubiecto, cùm ſit veriſſimè vnum cognoſcibile, nata eſt haberi primò aliqua notitia verè vna, ſi verò detur aliqua quæ non ſit de ipſa eſſentia, ſed de aliquo alio primo, iſta alia non erit Theologia in ſe; eſt igitur vnus habitus ſimpliciter, licèt fortè cum ipſa poſſit in Scriptura eſſe aliqua notitia, quæ ſit de alio ſubiecto.

Item. Patet quòd ordo ſcientiarum ſecundùm eminentiam, ſtat ad aliquod vnum tantùm; quia non poſſunt duæ eſſe ſcientiæ ſimpliciter primæ. Iſtam vnam eminentiſſimam, & ſolam, dico eſſe Theologiam, quæ ſola E eſt primò, de primo ſubiecto Theologiæ.

Præterea deduco rationem eius ad oppoſitum. Illa cognitio eſt practica in qua non determinatur de ſpeculabilibus magis quàm cognitio eorum pertineat ad praxim, vel ad cognitionem practicam; ſed cognitio iſta non tractat de ſpeculabilibus diſtinctiùs, quàm cognitio eorum requiratur ad cognitionem practicam, vel praxim dirigendam; ergo &c. Probatio Minoris. Quælibet cognitio de conditionibus appetibilitatis finis, & de conditionibus eorum quæ ſunt ad finem, quatenus ſunt ad finem, & tertiò de conditionibus quibuſcunque huius, vel illorum, circa quas contingit potentiam operatiuam errare niſi dirigatur, eſt neceſſaria ad practicam cognitionem; nulla autem cognitio eſt hìc tradita de fine, nec de his quæ ſunt ad finem, quin ſit talis, ergo. &c. vel ſaltem circa iſta contingit voluntatem ignorantem errare, ſicut dicetur in ſolutione 3. Obiect. contra ſolutionem quæſt. principalis. Licèt enim Trinitas perſonarum non oſtendat finem F appetibiliorem, quàm ſi eſſet non trinus, quia eſt finis inquantùm vnus Deus, non inquantùm trinus, tamen voluntatem ignorantem Trinitatem, contingit errare in amando vel deſiderando finem, deſiderando frui vna perſona ſola. Similiter ignorantem Deum feciſſe mundum contingit errare, non rependendo amorem, qualem gratitudo requireret propter tantam communicationem bonitatis ſuæ, ad vtilitatem noſtram factam: ita ignorando articulos pertinentes ad noſtram Reparationem, contingit ignorantem errare, etiam non rependendo amorem debitum pro tanto beneficio, & ita de alijs Theologicis. Aſſumptum, patet. Quia quæcunque conditiones traduntur de fine, magis natæ ſunt oſtendere appetibilitatem finis, & conditiones eorum quæ ſunt ad finem, magis natæ ſunt oſtendere ea quæ ſunt ordinata ad finem.

Ad argumentum eorum. Patet quòd Minor eſt falſa. Ad probationem. Dico, quòd non poteſt ita diſtinctè tractari de fine cognito, & de his quæ ſunt ad finem, quin G tota illa cognitio eſſet practica intellectui creato; quia tota illa cognitio nata eſt oſtendere finem ſub ratione appetibilis, & ea quæ ſunt ad finem ſub ratione ordinis eorum ad finem, vel circa quæcunque poſſet voluntas non directa errare.

Alia Opinio tenet eandem Concluſionem (*D. Thom.* 1. *par. Sum. q.* 1. *ar.* 4. *in ſol. princ.*) ſed ponit cum hoc Theologiam eſſe ſimpliciter vnum habitum.

ARTICVLVS TERTIVS.

Ponitur Opinio propria quòd Theologia de veritatibus neceſſarijs ſit Practica.

AD quæſtionem igitur reſpondeo. Quòd cùm actus voluntatis elicitus ſit veriſſimè praxis, etiamſi non concomitetur aliquis actus imperatus, (vt patet ex 1. Artic.) & extenſio cognitionis practicæ conſiſtat in conformitate ad praxim, & prioritate aptitudinali, (vt ha-H betur ex 2. Artic.) ſequitur quòd illa eſt cognitio practica, quæ eſt aptitudinaliter conformis volitioni rectæ, & naturaliter prior ipſa; ſed tota Theologia neceſſaria in intellectu creato, eſt ſic conformis actui voluntatis creatæ, & prior ea; ergo. &c. Probatio Minoris. Quia primum ſubiectum Theologiæ eſt virtualiter conforme volitioni rectæ; quia à ratione eius ſumuntur principia prima rectitudinis in volitione, ipſum etiam determinat intellectum creatum ad notitiam rectitudinis determinatæ ipſius praxis, quoad omnia Theologicalia neceſſaria, prius naturaliter, quàm aliqua voluntas creata velit: (aliàs non eſſet neceſſaria) ergo ex primo ſubiecto ſequitur tam conformitas, quàm prioritas Theologiæ ad volitionem; & ita extenſio ad praxim, à qua extenſione ipſa cognitio dicenda ſit practica. Confirmatur ratio iſta. Quia cùm primum obiectum Theologiæ ſit vltimus finis, & principia in intellectu creato ſumpta à fine vltimo ſint

A sint principia practica; igitur principia Theologiæ sunt practica;ergo & conclusiones sunt practicæ.

Sed obijcitur. Quia (ex quæst.præced.) Deus non est hic primum subiectum, inquantùm finis, sed vt hæc essentia; principia autem sumpta à fine, vt finis est, sunt practica.

Item.Cognitio finis vltimi, non est immediatè conformis,nec nata est esse conformis, immediatè praxi eliciendæ;ergo non est propinquè practica.

Item. Primum obiectum includit virtualiter conformitatem ad praxim rectam,non tamen solam cognitionē sic conformem; alioquin non posset de ipso esset cognitio speculatiua;quod videtur inconueniens. Qualiter enim est ista veritas practica, Deus est Trinus, vel Pater generat Filium? Ergo primum obiectum includit aliquam notitiam speculatiuam: igitur ex conformitate illa virtuali primi obiecti ad praxim, non sequitur Theologiam esse practicam,cùm multæ veritates quæ sunt Maximę Theologicæ,inquantùm Theologia distinguitur à Metaphysica,sunt speculatiuæ.

B Item. Tunc scientia Dei esset practica, quæ est de eodem subiecto primo. Et etiam videtur quòd ratio solutionis quæstionis possit applicari ad intellectum Diuinū, sicut ad creatum.

Ad Primum. Dico, quòd respectus finis non est illud à quo principia sumuntur in aliqua scientia, sed illud absolutum in quo fundatur respectus, & illud est Essentia hęc.

Ad Secundum. Dico, quòd virtualiter continens cognitionem conformem,est virtualiter cōforme, & ita cognitio eius,est practica;quia conclusiones practicæ habēt principia practica;proxima autem cognitio illi quæ est de fine,est cognitio fruitionis finis, & ista nata est esse conformis formaliter praxi fruitionis.

Ad Tertium. Dico,quòd primum obiectum solummodo includit notitiam cōformem volitioni rectæ, quia virtute eius nihil de ipso cognoscitur, quod non sit vel rectitudo volitionis alicuius, vel virtualiter includens notitiā

C talis rectitudinis. Et concedo quod infertur in consequēte:quòd de ipso nulla potest esse sciētia speculatiua, necessariò enim notitia eius, & cuiuscunque intrinseci per ipsū cogniti,conformis est praxi aptitudinaliter,& prior,si cognitum est necessarium.Cùm instatur de illis veritatibus, quæ videntur Maximæ Theologicæ, & non Metaph. vt Deus:est Trinus,& Pater generat Filium.Dico quòd istæ sunt practicæ. Prima enim includit virtualiter notitiam rectitudinis dilectionis tendētis in tres personas,ita quod si actus eliceretur circa vnam solam excludēdo alias(sicut infidelis eliceret)esset actus non rectus. Secunda includit notitiam rectitudinis secundùm quòd actus est circa duas personas,quarum vna est sic ab alia.

Si obijciatur contra hoc,sic. Quia nihil nisi essentiale est ratio terminandi actum illius dilectionis; Thologia autem est magis propriè de personalibus, quàm de essentialibus: quia essentialia plurima possunt à nobis in Metaphysica cognosci; igitur Theologia, vt distinguitur à

D Metaphysica, quantùm ad proprijssima sibi non est practica. Prima propositio probatur. Quia aliàs esset aliqua ratio diligibilitatis in vna persona, quæ non esset in alia, quòd falsum est; quia tunc nulla beatificaretur in se ipsa.

Respondeo. Essentiale est ratio formaliter terminandi actum amandi,vt Propter quàm, sed Personæ termināt vt Quæ amātur, non autem sufficit ad rectitudinē actus, quòd habeat rationem formalem conuenientem in obiecto, sed etiam requiritur, quòd habeat obiectum conueniens,in quo sit talis ratio formalis. Propter igitur istam notitiam rectitudinis, quam includit essentiale in actu amandi Deum, personalia includunt propriam notitiā vlteriorem rectitudinis requisitæ.

Ad Quartum. Posset concedi, quòd Theologia Dei de necessarijs sit practica; quia in intellectu suo natum est primum obiectum Theologicum,quasi gignere notitiam conformem volitioni rectæ, priorem naturaliter ipsa volitione.Quòd cōformem,patet.Quòd priorem,probatur:

Quia priùs naturaliter intellectus intelligit obiectum primum quàm volūtas velit; igitur priùs naturaliter volitione potest habere omnem notitiam sufficienter virtualiter inclusam in intellectione primi obiecti; talis est quæcunque notitia necessaria de primo obiecto. Consequentia supposita patet. Tum quia per impossibile,exclusa omni volitione,posset intellectus habere omnem notitiam sufficienter virtualiter inclusam in intellectione primi obiecti,cùm illa intellectio præcedat omnem volitionem. Tū quia intellectus Diuinus non discurrit; igitur non priùs naturaliter intelligit primum obiectum, quàm aliquid virtualiter in illo inclusum quoad notitiam; ergo si priùs intelligit primum obiectum,quàm voluntas velit aliquid; priùs intelligit quodlibet inclusum quoad notitiā in primo obiecto,quàm voluntas velit. Hęc secunda probatio consequentiæ minùs valet. E

Si obijciatur. Quia tunc voluntas Diuina non erit prima regula sui,in actibus suis, si eius actum præcedat notitia,cui in agendo debet cōformari ad hoc vt rectè agat; consequens autem videtur inconueniens:quia tollit summam libertatem voluntatis Diuinæ, si ab alio determinetur,& nō ex se primò, quoad primum actum suum;si autem præcedit omnem actum suum cognitio practica, ab intellectu determinabitur ad primum actum, quia non potest ei dissentire,tunc enim posset peccare. F

Item. Supra dictum est, Philosophum bene dicere, consequenter si intelligentia naturaliter amat Deum visum; ergo notitia ostendens Deum non est practica: fiat autem similis consequentia de Deo naturaliter amante se.

Item. Dirigens,aliqua causa est respectu directi: igitur est distinctio realis inter ipsa: non est autem talis distinctio intellectionis Dei ad velle. Et confirmatur. Quia intelligendo iam velle esse elicitum, intellectus non dirigit, tantùm enim dirigit circa actum eliciendum, quasi prior ipso;sed in Deo velle suum non sequitur volūtatem in esse:igitur nunquam est ibi quasi eliciendum, sed semper quasi elicitum;ergo.&c.

Hic videtur consequenter dictis dicendum.Quòd accipiendo regulam pro rectificante in praxi, prima regula est finis vltimus, qui virtualiter includit primò notitiam omnis rectitudinis necessariæ cuiuscunque praxis, sicut primum subiectum scientiæ speculatiuę,primò virtualiter includit notitiam omnium veritatum speculabilium.Hęc autem prima regula, quæ est finis, ordinatè rectificat intellectum, & voluntatem, sicut ipsæ potentiæ natę sunt agere ordinatè, ita quòd quasi priùs gignit notitiam conformem rectæ praxi,quàm rectificet praxim,& ita potentia practicante alia erit potentia prior,& priùs recta, ita quod primum consequens illatum in prima ratione videtur concedendum. Cum verò improbatur. Posset dici, quòd sicut vniuersaliter libertas stat cum apprehensione præuia, ita summa libertas stat cum summa apprehensione præuia:apprehensio autem praxis perfectissima,includit notitiam conformitatis, quando ipsa necessariò conuenit praxi. Cùm vlteriùs additur. Quòd determinata sit aliunde. Hoc negandum est,loquendo de determinatione quæ fit per agens sufficiens, licèt enim nō possit dissentire à notitia rectificatiua praxis, & priori praxi, hoc tamen non est,quasi intellectus per notitiam sit causa sufficienter actiuè determinans ipsam ad actum,sed ex perfectione voluntatis est,quòd ipsa tantùm nata est conformiter agere potentiæ priori in agendo, quando ila prior priùs perfectè agit circa obiectum, hoc est, tantùm nouit priùs,quantùm posset nosse: quod dico pro contingentibus,quorum intellectus Diuinus non habet omnem notitiam sibi compossibilem, ante omnem actum voluntatis,ideo circa illa nō oportet,quòd conformitet agat potentiæ priori in agendo, quia ipsa non priùs conformiter nouit tale obiectum;sed semper aliter accidit circa cognoscibilia necessaria ex se; quia ista perfectissimam sui notitiam habent absque actu voluntatis. G H

Licèt hæc responsio videatur euadere argumentum,& per eam etiam sequentia argumenta possent euadi: tamē aliter posset dici. Quòd Theologia necessaria in intelle-

A ctu Diuino non est practica; quia non est prioritas naturalis intellectionis ad volitionem, quasi cõformatiui ad ipsum conformandum; siue directiui ad dirigendum aliquid; quia posita notitia quacunque rectitudinis ipsius praxis, quamuis ista ex se possit conformare potentiã cõformabilem seu rectificabilem aliunde, non tamen volũtatem Diuinam respectu sui primi obiecti, quæ ex se sola rectificatur respectu illius obiecti; ita quòd vel talis naturaliter tendit in illud, vel si liberè, nullo modo est de se quasi indifferens ad rectitudinem, & quasi aliunde aliquomodo habens eam; ita quòd notitia determinatiua rectitudinis non est necessariò prior volitione, quasi volitio illam requirat vt rectè eliciatur, sed tantùm præexigit ostensionem obiecti; & istam notitiam ex se directiuam, non præexigit vt directiuam, sed tantùm vt ostensiuam; ita quòd si posset præcedere volitionem sola ostensio obiecti, & sequi notitia rectitudinis necessariæ ipsius praxis (sicut dicetur de praxi circa cõtingentia) æquè rectè eliceretur volitio tunc, sicut nũc: nullo ergo modo B intellectio est prior, vt cõformatiua seu regulatiua volitionis.

Ad argumentum igitur probans prioritatem rectitudinis ad praxim rectam. Responderi potest. Quòd licèt sit aliqua prioritas intellectionis ad volitionem, nõ tamẽ est sic prior, vt requirat rationem rectam esse priorẽ praxi; quia talis prioritas est regulæ ad regulatum, qualis esse non potest, quando voluntas est omnimoda regula sui in agendo. Summa huius controuersię de scientia Dei respectu sui, an sit practica, in hoc consistit. Si notitia quæ de se esset directiua in praxim: dato, quòd potentia practicans in sciente, non esset dirigibilis in agendo, sit practica ex hoc solo, quòd esset sic ex se directiua; vel non practica ex hoc solo, quòd potentia practicans in sciente, non est dirigibilis. Qui alteram partem tenet, dicat consequenter.

ARTICVLVS QVARTVS.

Disputatur an Theologia de veritatibus contingentibus sit practica. C

ALius Articulus Quæstionis est, de Theologia contingentium, an sit practica. Dico. Quòd tantummodo in illo intellectu Theologia contingentium practica potest esse, qui habere potest determinatiuam notitiam rectitudinis ipsius praxis, ante ipsam praxim elicitam; quia solummodo ibi Theologia contingentium potest esse conformis praxi, & prior ea: talis est tantum intellectus creatus; quia nullius intelligentis creati voluntas primò determinat rectitudinem contingentem, conuenientem praxi.

In intellectu igitur Diuino, non potest esse Theologia contingentium practica, tenendo ista duo. Primũ, quòd cognitio practica, & praxis ad quam extẽditur, debet esse necessariò respectu eiusdem suppositi. Secundum, quòd Dei vt operantis, nulla sit praxis, nisi volitio, non ponendo in ipso potentiam tertiam, aliam ab intellectu & voluntate; nam nulla cognitio conformis volitioni contin- D genti rectæ, præcedit ipsam volitionem Dei; quia primò volitione determinatur praxi illi talis rectitudo.

Illud Primum est dubium, & improbatur dupliciter. Nam si cognitio quęcunque de praxi alterius, est practica, ergo cognitio mea de hoc, quod est Deum creare mundum, vel de hoc, quod est intelligentiam mouere cęlum, erit practica; quod videtur falsum: saltem hoc videtur cõcludere, quòd cognitio practica non potest esse intelligẽtis inferioris, operante superiore secũdùm illam praxim, si nihil secundùm eam inferius operatur; pari ratione nec superioris, vel æqualis, si nihil facit ad praxim operantis; si autem aliquid facit, iam superior habet praxim propriam, respectu cuius sua cognitio sit practica. Item. Si cognitio practica habet aliquam causalitatem respectu praxis, ad quam extenditur, & non est nata habere talem causalitatem primò, nisi respectu praxis, quę sit in intelligente, videtur sequi propositum. Contra. Igitur de eodem vnus intellectus haberet notitiam practicam, alius speculatiuam, si praxis esset possibilis vni intelligenti, & non alij. E

Ad hoc potest dici. Quòd perfecta rectitudo praxis includit circumstantiam operantis, sicut & alias circumstantias, ita quòd sine ista non est rectitudo. Si enim accipiatur, Deus est amandus, nisi addatur, à quo, puta à voluntate, non est verè practica complete; quia Deus à bruto non est amandus. Itaque hoc verum perfectum, Deus est amandus à voluntate, etiam in quocunque intellectu est practicum: ita & istud, homini quandoq; est ieiunandum, non est tantùm practicum homini cognoscenti, sed etiam Angelo & Deo; & etiam homini & Deo est, hoc practicum, ab Angelo cęlum est mouendum. Et concedo illud quod prima probatio infert, tanquam inconueniens.

Et si obijciatur. Quòd non saluatur prioritas practicæ cognitionis ad praxim: priùs enim dilectio Dei respectu sui est recta, quàm homo vel Angelus possit intelligere, quòd Deus est amandus à voluntate. Respondeo. Ista prioritas debet esse ex obiecto & intellectu, hoc est, quòd F obiectum natum sit determinare intellectum ad notitiam determinatæ rectitudinis praxis, quantùm est ex se, ante praxim istam: ita obiectum hoc natum est quẽcũq; intellectum determinare ad notitiam istam, Deus est amandus á voluntate, quantùm est ex se ante praxim; licèt aliquis intellectus ex imperfectione sui, non priùs determinetur, quàm potentia operans ex perfectione sui operetur. Ad aliam obiectionem. Dico: quòd sicut voluntas potest esse causa superior respectu praxis potentię motiuæ, nec quęcunque respectu cuiuscunque, puta non mea respectu potentiæ motiuæ Angeli, sed quãdo sunt in eodem. Ita si cognitio practica sit causa respectu praxis, hoc est in eodẽ intelligente & operante: nec oportet quòd in alio sit non practica, nisi accipiendo strictè practicum, pro immediatè applicabili ad opus, quãtùm est ex identitate suppositi, cognoscentis & operantis, qualem imme- G diationem denotat Infinitiuus significans praxim, cõstructus cum scire, sic enim conceditur, quòd solus Deus scit se infinitè diligere, licèt Angelus sciat ipsum infinitè à se diligendum.

Qui sic respondit à principio habet concedere omnes veritates de praxibus agentium causatorum cognosci à quocunque intellectu practicè; quia omnes istæ siue ab obiecto, vt necessariæ, siue aliunde, vt contingentes, natæ sunt priùs esse conformes praxibus, siuè priùs determinare rectitudinem praxibus quàm ipsæ praxes eliciantur, Omnes autem veritates de volitione diuina necessariæ sunt practicæ, contingentes autem non, quia ante istam praxim elicitam, ad quam extenduntur, non habent conformitatem, quia nullam determinationem rectitudinis: verbi gratia, Deus practicè cognoscit homini esse pęnitẽdum, & Angelo esse mouendum cęlum, sed non practicè cognoscit, quòd est Deo volendum hominem Sanctum pœnitere, vel Angelum cęlum mouere.

Si quæris. Qualis est Theologia contingentium in se, H non comparata huic, vel illi intellectui? Dici potest: quòd ipsa talis est in se, qualis est ex obiecto, non est autem ex obiecto conformis praxi ante omnem praxim, quia ex obiecto nulla est nata haberi notitia determinatæ rectitudinis contingentis, ideo ex obiecto non est practica; igitur speculatiua, si speculatiuum, & practicum sufficienter diuidunt notitiam. Huic congruit, quòd in intellectu Diuino negatur esse practica, talis autem videtur res esse in se, qualis est in perfecto genere illo, non in imperfecto.

Si obijciatur. Quòd tunc cognitio in se speculatiua est alicui practica, puta intellectui creato; ergo practicum nõ repugnat speculatiuo. Respondeo. Quòd sicut esse ex obiecto speculatiuum, est esse per se speculatiuum, ita esse practicum ex obiecto sufficienter determinante intellectum ad notitiam rectitudinis, & si sufficienter; ergo ante omnem volitionem est esse per se ptacticum, & sic opponuntur ista duo, practicum, & speculatiuum, vt ista, non extensibile ad praxim, & extensibile ad praxim. Sed esse practicum aliunde, quàm

ex obie-

A ex obiecto, puta à causa extrinseca, vt à voluntate determinante intellectum ad notitiam praxis, est esse accidentaliter practicum, & ita concedo Theologiam contingẽtium esse practicam nobis, licèt in se sit speculatiua. Contra hoc. Cui cõuenit vnum oppositorum per se, eidẽ aliud oppositum nec per se, nec per accidẽs conuenit; igitur notitia per se speculatiua, nec per se nec per accidens est practica. Respondeo. Licèt antecedens posset exponi de per se primo modo, vel secundo modo, non autem tertio modo, prout dicit idem quod solitariè; tamen concedo, qđ nullo modo inhęrẽdi inhæret oppositum prædicati huius, quod est per se esse speculatiuum, quia Theologia contingens per se secundo modo, est per se speculatiua, ita quod inhęrentia sit per se, & prædicatum determinetur per se. Sed per accidens esse practicum, per accidens non opponitur illi, sicut esse nigrum simpliciter, & esse album secundùm quid, non opponuntur: secundùm quid enim, & simplici-
B ter determinant prædicata, vt denominantia.

Si arguitur. Per se, est speculatiua per se; ergo per se est speculatiua. Conceditur: nec huic prędicato repugnat hoc prædicatum, per accidens practica. Si verò alterum illorũ duorum, quæ tenet ista responsio, non teneatur, tunc potest concedi; quòd Theologia contingens, licèt non in se, quia non ex obiecto, tamen in omni intellectu creato & increato esset practica per accidens, quia vt ipsa est in intellectu Diuino potest esse conformis praxi priusquã praxis illa eliciatur à voluntate creata, priùs enim intellectus Dei nouit, peccatorem adultum in noua lege debere conteri, quàm peccator conteratur, & sic non tenendo primum illorum, cognitio Dei de praxi alterius operantis est practica. Non tenendo etiam secundum, puta ponendo agere Dei ad extra, esse praxim eius aliam à volitione formaliter; licèt intellectus Dei non priùs nouit. A. esse creandum quã volũtas sua velit, tñ priùs nouit. A. quàm creet, & ita praxim ad extra præcedit notitia conformis, licèt non ex obiecto, sed aliunde conformis.

Hoc saltem teneo, quòd Theologia contingentiũ non
C est per se practica, siue ex obiecto, potest tamen in intellectu creato esse practica per accidens, & hæc in illo intellectu, cuius est operari secundùm praxim, aut determinatur rectitudo à voluntate Diuina.

An verò intellectui Diuino sit practica? Patet tenendo illa duo, vel opposita, quid dicendum est consequenter. Probabilia tamen videntur hæc tria. Primum, quòd practica est rectificatiua in praxi cognoscentis; secũdũ, quòd est rectificatiua potentiæ practicantis aliunde, quàm à se rectificabilis; & tertiũ, quòd in Deo non est potẽtia practicans alia nisi voluntas. Ex primo & tertio sequitur, qđ si Diuina notitia esset practica, ipsa esset rectificatiua in volitione Diuina; hoc autem falsum est ex secũdo istorũ, quia voluntas Diuina ex se primo rectè elicit velle, respectu primi obiecti, respectu autem illorum quorũ est contingenter, ex se sola determinatur non per aliquam notitiam determinatiuam rectitudinis præcedentem.

RESPONDETVR.

D

Argumentis in principio Quæstionis adductis.

AD Argumenta principalia huius quęstionis. Ad Primũ respondeo. Quòd fides non est habitus speculatiuus, nec credere est actus speculatiuus, nec visio sequens credere est visio speculatiua, sed practica: nata est enim ista visio conformis esse fruitioni, & priùs naturaliter haberi in intellectu creato, vt fruitio recta illi cõformiter eliciatur.

Ad Secundum dico. Quòd contingens circa quod est scientia practica, est finis, vel ens ad finẽ: in agibilibus aũt actio est finis vltimus, secundùm Phil. 6. Eth. c. 5. ergo cõtingentia actionis sufficit ad scientiam practicam, vel obiectum scientiæ practicæ.

Contra hoc arguitur. Primò. Quia scientia est necessariorum: ergo circa contingentia non est scientia. Antec. patet ex definitione scire. 1. Poster. t. 31. Similiter 6. Ethic. c. 5. scientificum distinguitur à ratiocinatiuo, penes neces-
E sarium & contingens; ergo omnes habitus partis scientificæ sunt circa necessariũ; scientia autem est habitus istius partis; ergo. &c. Præterea. Si Theologia est circa cõtingens agibile; ergo est habitus actiuus cum ratione vera: hæc diffinitio est prudentiæ, vt dicit 6. Ethic. c. 6. ergo Theologia est prudentia & non scientia.

Ad Primum respondeo. De contingentibus sunt multæ veritates necessariæ, quia actus qui contingenter elicitur, concluditur necessariò debere esse talis, ad hoc vt sit rectus. De ipso ergo est scientia, quantùm ad conclusionem demonstratam necessariò, licèt in se sit contingens, inquantùm elicitur à potentia propria. Tunc patet ad auctoritatem 1. Poster. Scientia est necessarij dicti de cõtingente, & ita veritates necessariæ includuntur in veritate contingentis, vel concluduntur de aliquo, quod est contingens per rationem alicuius prioris necessarij. Per idem ad auctoritatem; 6. Ethic. Quia habitus partis ratiocinatiuæ est circa actum, inquantùm contingenter elicitur; sed habitus scientificus, vel scientia est circa idem inquantùm de eo aliquid necessariò concluditur. Si obij-
F citur. Quòd non est idem obiectum habitus scientifici & ratiocinatiui. De hoc dicetur inf. quomodo idem obiectum potest esse plurium habituum, licèt non idem habitus plurium obiectorum. Ad Secundum dico. Quòd eodem modo concluderet scientiam moralem esse prudentiam: nam scientia moralis est habitus actiuus cum vera ratione. Ideo dico, quòd definitio prudẽtiæ debet intelligi de habitu actiuo proximo, qualis est habitus acquisitus ex actibus: vnde sicut circa factibilia ars se habet ad habitum experti, ita circa agibilia se habet scientia moralis ad habitum prudentiæ; quia habitus artis, & scientiæ moralis, quasi sunt remoti ad dirigendum; quia vniuersales: sed habitus prudentię, & experti, quia generati sunt ex actibus, sunt particulares, & propinqui ad dirigẽdum. Ista expositio est necessaria, alioquin nulla esset scientia practica, quia quicunque habitus est actiuus vel factiuus cum ratione vera: conclusio autem est inconueniens, & contra Phil. 6. Met. & contra Auic. 1. Met. c. 1. & contra
G auctoritates alias.

Ad Tertium dico. Quòd Boet. intelligit per Theologiã Metaphysicam. Et quòd dicit de substãtia Dei. Dico, quòd Deus consideratur in illa sciẽtia quantùm possibile est ipsum considerari in scientijs acquisitis.

Ad aliud dico. Quòd nobilitatis est in inferiori attingere suum superius, secundùm Phil. 7. Polit. c. 14. vnde sensitiua hominis est nobilior, quia ordinatur ad intellectiuã, quã sensitiua bruti. Nobilitatis igitur est in scientia ordinari ad actum nobilioris potentiæ; sed Philosophus non ponit aliquam scientiam esse conformem praxi voluntatis circa finem; quia non ponit voluntatem circa finẽ habere praxim, sed quandam motionem simplicem naturalem; ideo nullam posuit posse esse nobiliorem per conformitatem ad finem: si tamen posuisset aliquam praxim circa finem, non negasset (vt videtur) scientiam practicã respectu istius praxis, esse nobiliorem speculatiua scientia circa idem; puta si aliqua esset speculatiua circa illa, circa
H quæ est scientia moralis, non diceret istam speculatiuam esse nobiliorem morali scientia. Nos autem ponimus esse veram praxim circa finem, cui nata est esse cognitio cõformis; & ideo ponimus cognitionem practicam circa finem, nobiliorem esse omni speculatiua; igitur prima propositio rationis, quæ videtur posse sumi ex 1. Metaph. quamuis eam expresse non dicit Philosophus, negãda est.

Ad Primam probationem eius dico. Quòd scientia illa est nobilior, quæ est sui gratia, quàm quæ est gratia alicuius actus inferioris se: quælibet autem scientia, quam ipse posuit practicam, est gratia alicuius inferioris quàm sit consideratio speculatiua; quia saltem circa obiectum aliquod inferius, quàm quod ponit esse obiectum speculatiuæ; & ideo quælibet practica, quam ipse ponit, est nobilior aliqua speculatiua: quæ autem est gratia alterius actus nobilioris suo proprio actu, non est ignobilior propter talem ordinem; tunc enim sensitiua nostra esset ignobilior, sensitiua bruti.

Ad Secundam probationem propositionis negatæ; cũ

A dicitur de certitudine. Dico quòd quælibet cognitio sciẽtifica respectu sui obiecti, est æquè certa secundùm propositionem; quia vtraque resoluitur in sua principia immediata, sed non æquè certa secundùm quãtitatem; quia hæc sunt cognoscibilia certiora illis: sicut obiecta, de quibus ponit Philos. scientias practicas, sunt minùs perfectè cognoscibilia in se, quàm de quibus ponit aliquam speculatiuam: ideo aliqua speculatiua secundùm Philos. ponitur certior omni practica, secundùm quantitatem. Nos autem ponimus cognoscibile operabile, hoc est attingibile per operationem, quæ est verè praxis, in se esse maximè cognoscibile; & ideo ponimus scientiam de ipso, nec secundùm quantitatẽ certitudinis, sicut nec secundùm proportionem, ab aliqua alia excedi. E

Ad aliam rationem de necessarijs existentibus dico. Quòd hæc non est inuenta propter necessaria extrinseca, sed propter necessaria intrinseca, scilicet moderantiã passionum & operationum, sicut moralis scientia (si esset inuenta omnibus necessarijs extrinsecis habitis) non minùs esset practica: non est autem hæc inuenta ad fugam ignorantiæ; quia multò plura scibilia possent poni vel tradi, in tanta quãtitate doctrinæ, quàm hìc tradita sint, Sed hæc eadem replicantur frequenter, vt efficaciùs inducatur auditor ad operationem eorum, quæ ibi persuadẽtur.

DISTINCTIO PRIMA.

B *Irca istam Primam Distinctionem, in qua Magister tractat de Frui & Vti; quæruntur Nouem, quorum duo sunt de obiecto Fruibili, alia duo de ipso Frui in se, & quinque de ipso Fruente.* F

Primò quæritur de obiecto ipsius Frui, & est

QVAESTIO PRIMA.

Vtrum per se obiectum fruitionis sit finis vltimus.

ET arguitur quòd non. Quia secundùm Aug. 83. quæst. q. 30. Fruendum est bonis inuisibilibus; sed plura sunt bona inuisibilia; ergo non est fruendum tantùm vltimo fine.

Item. Capacitas fruentis est finita, quia natura subiecti est finita; ergo capacitas illa potest satiari aliquo obiecto finito: Sed fruendum est quocunque satiante capacitatem fruentis; ergo &c.
C

Item. Aliquid est maius capacitate animæ, vt Deus, qui sufficit sibiipsi; & aliquid est minus capacitate eius, vt corpus; ergo aliquid est medium, scilicet æquale capacitate eius; illud erit minùs Deo; ergo &c.

Item. Firmiùs assentit intellectus alij vero, quàm primo vero: Ergo à simili. Intentiùs potest voluntas assentire alij bono, quàm primo bono.

Item. Quæcunque forma naturalis satiat capacitatem materiæ; igitur quodcunque obiectum satiat capacitatem potentiæ. Consequentia probatur. Quia potentia per formam in ipsa receptam respicit obiectum; & ita si forma vna recepta satiat appetitum intrinsecè, sequitur, quòd obiectum, quod respicitur a potentia per istam formam, etiam satiat appetitum extrinsecè, seu terminatiuè. Antec. probatur. Quia si aliqua forma non satiaret; ergo stante ista forma materia inclinaretur ad aliam naturaliter; & per consequens sub ista quiesceret violenter: nam quodcunque prohibens aliquod ab illo, ad quod est inclinatio naturalis ipsius, est violentum sibi, sicut apparet de quiete grauis extra locum suum.
D

Ad oppositum est August. 1. de doctr. Christiana cap. 1. Res quibus fruendum est sunt Pater, Filius, & Spiritus Sanctus; & hi tres sunt vna res; ergo, &c.

Ad istam quæstionem. Primò distinguam de fruitione ordinata, & incommuni sumpta: Secundò, dicam de obiecto fruitionis ordinatæ. Tertiò, de obiecto fruitionis in communi. Quartò, quomodo sit intelligendum fruitionem esse circa finem, siue verè vltimum, vt in 2. Art. siue non verè vltimum, vt in 3. Art.

De Primo. Dico. Quòd fruitio in communi excedit fruitionem ordinatam. Quia quandocunque potentia non determinatur ad actum ordinatum ex se, actus eius in communi, vniuersalior est actu eius ordinato: volũtas autem non determinatur ex se ad fruitionem ordinatam. Quod patet: quia summa peruersitas est in fruendo vtendis, secundùm Aug. 83. quæst. q. 30. ergo &c. Est autẽ fruitio ordinata, qualis nata est esse recta, quando, scilicet ordinatur secundùm circumstantias debitas; fruitio autem in communi est, siue habeat illas circumstantias, siue non.

Quantùm ad secundũ. Videtur esse opinio Auic. Quòd ordinata fruitio potest esse circa aliud à fine vltimo. Quod probatur ex dictis eius 9. Metaph. cap. 4. vbi vult, quòd intelligentia superior per actum suum intelligendi producit inferiorem, tunc autem videtur productum esse perfectũ, quando attingit suum principium productiuum, secundùm illam propositionem 35. Proculi. Quòd vnumquodque natum est conuerti ad illud, a quo procedit. In tali autem reditu, videtur esse circulus completus, & ita perfectior; ergo intelligentia producta perfectè quietatur in intelligentia producente. G

Contra istud. Potentia non quietatur, nisi vbi est obiectum suum perfectissimè, & in summo; obiectum potentiæ fruentis est ens in communi, secundùm Auic. 1. Met. c. 5. ergo non quietatur potentia fruens, nisi vbi est perfectissimum ens, hoc est summum tantùm.

Item. Potentia quæ inclinatur ad multa obiecta per se, non quietatur in aliquo vno perfectè, nisi illud includat omnia per se obiecta, quantùm possunt includi in aliquo vno, sed potentia fruens inclinatur ad omne ens, sicut ad per se obiecta; ergo non quietatur in aliquo vno ente, nisi illud includat omnia entia, quantùm possunt includi in aliquo vno, possunt autem tantùm perfectissimè includi in vno ente infinito; ergo potentia potest tantùm quietari ibi in summo.

Item. Intelligentia inferior videns superiorem, aut videt eam esse finitam, aut credit eam esse infinitam, aut nec videt eius finitatem, nec infinitatem: si credit eam esse infinitam; ergo non beatificatur in ea: quia stultiùs nihil potest dici, quàm quòd falsa opinione anima sit beata, secũdùm Aug. 11. de ciuit. Dei, c. 4. Si autem nec videt eius finitatem, nec infinitatem, non videt eam perfectè, nec sic est beata; si autem videt eam esse finitam; igitur potest intelligere aliquid posse eam excedere: ita enim experimur in nobis, quòd possumus, apprehendere vltra quodcunque bonum, aliud quod ostenditur maius bonum, & per consequens potest appetere vel amare illud maius bonũ, & ita non quietatur in illa intelligentia. H

Item, duco rationem eius ad oppositum. Quia secunda intelligentia si concedatur sibi quod causat tertiam, non causat eam in virtute propria, sed virtute primæ; ergo nõ finit eam virtute propria, sed in virtute aliena; quod autem finit aliquid in virtute alterius, vt vltimus finis, nõ quietat illud, ergo; &c.

Alij

A Alij Arguunt (*S.Bonau. hic.a.2.q.3.rat.3. ante oppos.*) Contra istam opinionem. Quia anima imago Dei est; ergo est capax eius, secundùm Augu.14. de Trin.cap. 8. vel 15. Eo inquit, imago eius est, quo eius capax est, eiusque particeps esse potest. Ex hoc sic. Quicquid est capax Dei, per nihil minus Deo satiatur; ergo &c.

Sed ista ratio non procedit contra Philosophos. Quia præmissa assumpta de imagine, est tantùm credita, non naturali ratione cognita; ratio enim imaginis quam nos concipimus, fundatur in anima in respectu ad Deum, vt est Trinus, & ideo non cognoscitur naturaliter, quia nec extremum ad quod est, cognoscitur à nobis naturaliter.

Alij Arguunt (*D.Tho.1.par.Sum.q.12. a.1.*) contra rationem eius. Quia anima immediatè creatur à Deo; igitur in Deo immediatè quietatur.

Sed huius rationis antecedens est tantùm creditum, & negaretur ab eo; quia ipse ponit eam immediatè creari ab vltima intelligentia, & infima. Similiter consequentia hæc non valet, sicut nec etiam similis consequentia facta
B pro opinione Auic. Accidit enim quòd coniungantur in eodem, ratio primi effectiui, & ratio finis, nec quietat inquantùm principium effectiuum, sed inquantùm obiectum perfectissimum, alioquin anima sensitiua nostra, quæ creatur à Deo (secundùm vnam opinionem) nō posset perfectè quietari nisi in Deo. In proposito igitur idē est efficiens, & finis; quia in efficiente est plenitudo perfectionis obiecti, non autem in ratione efficientis vnde efficiens est, includitur ratio finis, vel quietatiui.

Teneo igitur quantùm ad hunc Articulum hanc Conclusionem. Quòd fruitio ordinata habet tantùm vltimū finem pro obiecto; quia sicut tantùm assentiendum est per intellectum primo vero propter se, ita tantùm assentiendum est primo bono, per voluntatem, propter se.

De Tertio Articulo. Dico. Quòd obiectum fruitionis in communi, est finis vltimus; vel verus finis, qui s. est finis vltimus ex natura rei; vel apparens, qui scilicet ostenditur à ratione errante, tanquam finis vltimus: vel finis
C præstitutus, quem s. voluntas ex libertate sua vult, tanquā finem vltimum. Duo prima membra satis patent. Tertium probo. Quia sicut in potestate voluntatis est velle, & non velle, ita in potestate eius est modus volendi, s. referre, & non referre, quia in potestate cuiuscunque agentis est agere, & modus agendi; ergo in potestate sua est, aliquod bonum velle propter se, non referendo ad aliud bonum, & ita sibi præstituendo finem.

De Quarto Articulo. Dico. Quòd ratio finis non est propria ratio obiecti fruibilis, nec in fruitione ordinata, neque in fruitione communiter sumpta. Quòd non in ordinata, patet. Tum quia tunc respectus includeretur in obiecto beatifico inquantùm beatificum. Tum quia iste respectus est ens rationis tantùm. Tum quia si per impossibile esset aliud obiectum summum bonum, ad quod nō ordinaretur ista voluntas, sicut ad finem, adhuc illud obiectū quietaret, in quo tamē per positū nō esset ratio finis.

Respectu ergo fruitionis ordinatæ, ratio finis secundū veritatem concomitatur obiectum fruibile; vel fortè in
D apprehensione præcedit fruitionem; in fruitione inordinata finis apparentis, ratio finis concomitatur apparenter obiectum fruibile, & fortè in apprehensione præuia, præcedit fruitionem eliciendam, quasi ratio obiecti alliciens: Sed in fruitione finis præfixi, ratio finis sequitur actum; quia vel dicit modum actus, vel modum obiecti, vt talis finis præfixus actu terminat ipsum actum; quia voluntas appetendo illud propter se, tribuit sibi rationem finis.

Ad Primum principale argumentum. Dico, quòd frui accipitur extensiuè; pro amore honesti distincto contra amorem vtilis, & delectabilis; vel, bona honesta dicūtur ibi pluraliter, non propter pluralitatem essentiarum, sed propter pluralitatem perfectionum in Deo fruibiliū.

Ad Secundum. Dico, quòd relatio aliqua finita, necessariò est ad terminū, vel obiectum infinitum; quia quod est ad finem inquantùm tale, est finitum etiam acceptum vt est omninò proximum fini, cum omnibus, s. quæ sufficiunt ad immediatè attingendum vltimum finem, & tamē relatio finis, ad quē est illud immediatè, nō fundatur E
nisi in infinito, & hoc frequenter accidit in relationibus proportionalium, & non similium; quia ibi prima extrema sunt maximè dissimilia. Ita dico in proposito. Quòd inter potentiam, & obiectum non est relatio similitudinis, sed proportionis; & ideo bene potest capacitas in natura esse finita, sicut & natura est finita, & tamen esse ad obiectum infinitum, sicut ad suum correlatiuum.

Per idem ad Tertium. Dico, quòd nihil est maius, in ratione obiecti, obiecto proportionato animę; aliquid tamē est maius, hoc est maiori modo attingibile, quàm posset ab anima attingi, sed ista maioritas non est in obiecto, sed in actu: quòd declaro in exemplo. Si ponatur aliquod album visibile, secundùm decem gradus, ponatur visus capiens istam albedinem, vel illud album, secundùm vnum gradum; & alius visus ponatur perfectior isto, secundùm decem gradus, iste visus perfectè capiet istud album, quātùm ad omnes gradus visibilitatis eius, ita quòd videbit ipsum, quantùm est visibile ex parte obiecti: & tamen si fuerit tertius visus acutior isto secundo, perfectiùs videbitur idem album: vnde non erit ibi excessus ex parte graduum obiecti, sed tantùm ex parte actus videndi. F

Ad Quartum. Dico, quòd non quæcunque forma satiat appetitum materiæ totaliter extensiuè, tot enim sunt appetitus materiæ ad formas, quot sunt formæ receptibiles in materia; nulla igitur vna forma potest per se satiare omnes appetitus materiæ ad formas, sed vna satiat perfectissimè; s. forma perfectissima, illa tamen non satiat omnes appetitus materiæ, nisi in illa vna forma omnes formæ includerentur.

Ad Quintum. Dico, quòd intellectus assentit vnicuique vero secundùm euidentiam ipsius rei, quam natum est de se facere in intellectu; & ideo non est in potestate intellectus, firmiùs vel minùs firmiter assentire vero, sed tantùm secundùm proportionem ipsius veri, mouentis intellectum, in potestate autem voluntatis est, intensiùs assentire bono, vel non assentire, licèt imperfectiùs viso; ideo consequentia non valet. Ad propositum. Dico, quòd vnum obiectum potest includere omnia obiecta aliquomodo, & ideo illud solùm obiectum perfectè quietat potentiam, quantùm potest quietare: sicut fuit argutum in 2.artic.contra Auicen. non tamen est omninò simile de quiete intus, & extra quia quodcunque receptiuum quietatur intra, aliquo finito recepto, sed extra, siue terminatiuè, non oportet, quòd finito quietetur; quia ad perfectius extra potest ordinari, quàm possit in se recipere formaliter; quia finitum non recipit formam, nisi finitam, tamē benè habet obiectum infinitum. G

Cùm probatur. Quia quælibet forma quietat materiā suam; quia aliter sub quacunque quiesceret violenter. Dico, quòd quies violenta nunquam est, nisi quiescens determinatè inclinetur ad oppositum, sicut exemplificatur de graui respectu deorsum, vel descēsus. & quiete eius super trabem; materia autem prima, ad nullam formam determinatè inclinatur; & ideo sub quacunque quescit, non violenter sed naturaliter quiescit, propter indeterminatam inclinationem ad quamcunque. H

QVÆSTIO SECVNDA.

Vtrum vltimus finis habeat tantùm vnam rationem fruibilitatis? An in ipso sit aliqua distinctio, secundùm quam voluntas possit eo frui secundùm vnam rationem, & non secundùm aliam?

ET quòd sit in eo talis distinctio, probo, Quia 1. Ethic.c.7. Amplius autem, quia bonum æqualiter dicitur enti, &c. Dicit Philosophus, & Cōmentator, quòd sicut ens, & vnum sunt in omni genere, ita & bonum, & specialiter ibi loquitur de relatione; ergo relatio habet propriam bonitatem; igitur & propriam fruibilitatem; & per consequens cùm sit ipsa in eo alia & alia, erit in Deo alia & alia ratio fruibilitatis.

Præterea. Sicut vnum conuertitur cum Ente, ita & bonum; ergo cùm transferantur ad Diuina, æqualiter transferentur;

A ferentur; ergo ſicut vnum eſt ibi eſſentiale, & perſonale, ita bonum, & bonitas. Sicut igitur in Deo ſunt tres vnitates, ſic & tres bonitates, & per conſequens habetur propoſitum.

Præterea. Actus non terminatur ad obiectum, inquantū numeratur, niſi obiectū, vt eſt formale obiectum numeretur; ſed actus fruendi terminatur ad tres perſonas, in quantùm tres; ergo obiectum fruitionis, inquãtùm obiectum formale numeratur. Probatio Minoris. Credimus in Deum inquantùm Trinus; igitur videmus Deum, inquantum Trinus; quia viſio ſuccedit fidei, ſecundùm totã eius perfectionẽ; ergo fruemur Deo inquantū Trinus.

Ad oppoſitum. In omni ordine eſſentiali eſt tantùm vnum primum; igitur in ordine eſſentiali finium eſt tantùm vnus finis; fruitio autem eſt reſpectu finis; ergo, &c.

Item. Primo efficienti correſpondet vltimus finis, ſed eſt tantùm vnum efficiens primum, & ſub vna ratione; igitur tantùm vnus finis. Item confirmatur ratio. Quia tanta eſt vnitas efficientis, quòd non poteſt efficere vna

B perſona, non efficiente alia; igitur ſimiliter tanta erit vnitas finis, quòd non poterit vna perſona finire, alia non finiente; & ſic ſequitur propoſitum. Iſta etiam ſecunda ratio confirmatur per Aug. 5. de Trin. c. 14. vel 34. *Fatendū* inquit eſt, Patrem, & Filium vnum eſſe principium Spiritus Sancti, ad creaturam verò Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, vnum principium, ſicut vnus Creator, & vnus Dominus.

Item. Sicut in Deo eſt vna Maieſtas, ita eſt vna bonitas; ſed propter vnam eius maieſtatem debetur ei tantùm vna adoratio, ſecundùm Damaſc. lib. 1. c. 9. ita quòd non conuenit adorare vnam perſonam, non adorando alias; ergo etiam non contingit frui vna perſona, non fruendo alia, vel alijs.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum viator poſſit ordinatè frui Eſſentia non fruendo Perſonis, vel è contra

C

DE Primo. Dico. Quòd poſſibile eſt viatorem frui Eſſentia non fruendo perſona, & hoc fruitione ordinata. Quod probatur. Quia ſecundùm Aug. 7. de Trin. c. 1. vel 5. ſi eſſentia relatiuè dicitur, non eſt eſſentia, quia omnis eſſentia quæ relatiuè dicitur, eſt aliquid excepto relatiuo, ex quo concludit 5. c. Qua propter ſi Pater non ſit aliquid ad ſe, non erit aliquid, quòd ad alterum dicatur. Eſt igitur eſſentia aliquod obiectum conceptibile, in cuius conceptu non includitur relatio; ergo ſic poteſt concipi à viatore; ſed eſſentia ſic concepta, habet rationem ſummi boni; igitur & perfectam rationem fruibilis; igitur contingit ea frui, etiam ordinatè. Et confirmatur ratio. Quia poſſibile eſt concludi ex puris naturalibus eſſe vnū ſummum bonum, & tamen ex illis naturalibus non cognoſcet homo Deum, vt Trinus eſt; ergo circa ſummum bonum ſic cognitum, poteſt habere aliquem actum volūtatis, & non neceſſariò inordinatum; igitur habebit actū

D fruitionis ordinatum circa Eſſentiam, & non circa perſonas, vt nos concipimus perſonas. E conuerſò autem non eſt poſſibile, quòd fruatur ordinatè perſona, non fruendo Eſſentia; quia Perſona in ratione ſui includit Eſſentiam.

Secundò etiam dico. Quòd viator poteſt frui ordinatè vna perſona, non fruendo alia. Quod probo; quia reſpectu trium Perſonarum, ſunt articuli diſtincti fidei; poteſt ergo concipi vna Perſona, cui correſpõdet vnus articulus, non concipiendo aliam Perſonam, cui correſpondet alius articulus, & tunc in iſta perſona concipitur ratio ſummi boni; poſſibile eſt ergo frui iſta Perſona ſic concepta, non fruendo alia.

Si dicas. Quòd perſona eſt correlatiua; igitur ſi concipitur, & ſuum correlatiuum concipitur. Reſpondeo. Quòd & ſi cognitio relatiui, requirat cognitionem correlatiui, non tamen oportet cognoſcentem & fruẽtem vno relatiuo, cognoſcere & frui ſuo correlatiuo; quia poſſibile eſt frui Deo, inquantùm creator, non fruendo creatura, quæ terminat illam relationem. Similiter, licèt dicatur Pater relatiuè ad Filium, & ideo non poſſet intelligi, inquantum Pater, ſine Filio, non tamen dicitur relatiuè ad Spiritum Sanctum inquantum Pater; ergo poſſibile erit concipere Patrem vt Patrem, & frui eo, non concipiendo, neque fruendo Spiritu Sancto. E

ARTICVLVS SECVNDVS.

Vtrum de potentia Dei abſoluta poſſit comprehenſor frui Eſſentia, non fruendo Perſona.

DE Secundo articulo dicitur, (*Henr. quol. 2. q. 7. & alij.*) Quòd non eſt poſſibile de potentia Dei abſoluta, quòd aliquis comprehenſor fruatur Eſſentia, non fruendo Perſona. Et hoc probatur primò de viſione, quòd, ſ. non ſit poſſibile abſolute aliquem intellectum videre Eſſentiam non videndo Perſonam.

Probatur primò ſic. Cognitio confuſa eſt imperfecta; viſio autem illius Eſſentiæ, nõ poteſt eſſe cognitio imperfecta; igitur non poteſt eſſe cognitio confuſa; ſed ſi eſſet F non ſum viſio Eſſentiæ, & non Perſonæ, eſſet viſio confuſa; quia eſſet viſio alicuius communis ad perſonas, & non illarum perſonarum: quod videtur inconueniens.

Secundò ſic. Viſio eſt exiſtentis, vt exiſtens eſt, & vt præſens eſt videnti ſecundùm exiſtentiam ſuam: & in hoc diſtinguitur viſio ab intellectione abſtractiua; quia poteſt eſſe exiſtentis, vel exiſtentis non in quantùm in ſe præsẽs. Et eſt in intellectu iſta diſtinctio inter intellectionem intuitiuam, & abſtractiuam, ſicut in parte ſenſitiua eſt diſtinctio inter actum viſus, & actum phantaſiæ: illa autẽ cognitio Eſſentiæ Diuinæ erit intuitiua; ergo erit exiſtentis, vt per ſe exiſtens eſt, & in exiſtentia præſentis virtuti cognoſcenti; non exiſtit autem Eſſentia niſi in Perſonis; ergo non poteſt eſſe viſio eius niſi in Perſona.

Item. Non poteſt aliquid cognoſci cognitione intuitiua, in quo ſunt aliqua plura diſtincta ex natura rei, niſi etia m illa diſtinctè videantur. Exemplum. Albedo non videtur diſtinctè, niſi videantur omnes partes eius, quæ ſunt in baſi pyramidis, quæ partes diſtinguuntur ex natura rei; igitur non diſtinctè videtur Eſſentia, niſi etiam videatur perſonæ. Ex his arguitur ad propoſitum, quantū ad ſecundam diſtinctionem, ſ. perſonarum inter ſe. Quia ſi non poteſt videri Eſſentia niſi in Perſona, & non magis videtur in vna perſona quàm in alia, quia æquè immediatè videtur ſe habere ad quãlibet perſonam; ergo non poteſt videri, niſi videatur in qualibet perſona, & ita non videtur in vna perſona, niſi videatur in alia. G

Vlteriùs etiam arguitur ad propoſitum, quantùm ad frui. Quia voluntas non poteſt magis abſtrahere obiectū ſuum, quàm intellectus oſtendere; igitur ſi intellectus nō poteſt diſtinctè oſtendere Eſſentiam ſine Perſona, vel vnam perſonam ſine alia; ergo nec voluntas poterit diſtinctè frui.

Hoc etiam confirmatur ſic. Quia voluntas non poteſt habere actum diſtinctum circa obiectum, ex parte obiecti, niſi ponatur diſtinctio in obiecto, vel re, vel ratione: ſed ſi intellectus apprehendit indiſtinctè Eſſentiam, & Perſonam, non erit diſtinctio ex parte obiecti, nec rei, nec rationis; ergo voluntas non poteſt habere ibi actum diſtinctum ex parte diſtinctionis in obiecto primo. Quòd non rei, patet: Quòd nec etiam rationis, probo; quia intellectus non diſtinctè apprehendit hoc, vel illud; igitur nec diſtinguit hoc, & illud. H

Ex parte fruitionis arguitur ſic. Fruitio quietat fruentem; ſed vna perſona nõ perfectè quietat ſine alia, nec Eſſentia ſine Perſona; quia tunc potentia quietata in illa, nō poſſet vlteriùs in aliquo alio quietari; quia vltimatè quietatum non eſt vlteriùs quietabile; & per conſequens iſta potentia non poſſet vlteriùs quietari in alia perſona; nec frui ea, quod falſum eſt.

Item. Si quietaretur in vna perſona ſola, & patet quòd poteſt frui alia; vel igitur fruitio iſtius perſonæ poteſt eſſe cum fruitione alterius, vel erunt incompoſſibiles, ita quòd vna non erit cum alia: Si primo modo; ergo duo actus eiuſdem ſpeciei, erunt in eadem potẽtia ſimul, quorum

A tum vterque æquatur capacitati illius potentiæ, quod est impossibile: Si secundo modo; igitur neuter actus est fruitio; quia neuter actus poterit esse perpetuus.

Item. Mens est imago Trinitatis; ergo nō potest quietari nisi in Trinitate; ergo nec frui aliquo ordinatè nisi Deo Trino.

Quantùm ad istum Articulum, de potentia absoluta Dei. Non video contradictionem, quin possibile sit ex parte intellectus & voluntatis, quòd vtriusque actum terminet Essentia, & non Persona; vel vna persona, & non alia; puta, quòd intellectus videat Essentiam, non Personam, vel vnam personam & non aliam, & quòd voluntas fruatur Essentia, non Persona, vel vna persona, & non alia.

Persuadetur hoc, sic. Pater priùs origine, quàm generet Filium, est perfectè Beatus, quia nullam perfectionē sibi intrinsecam habet à persona producta; beatitudo enim est perfectio intrinseca personæ beatæ; sed si in illo priori est Pater perfectè Beatus; igitur in illo priori B habet obiectum perfectè beatificans; non videtur autem in illo priori habere Essentiam communicatā tribus vt obiectum, sed vt essentiam absolutè, vel essentiam, vt est in vna persona præcisè; ergo non est de ratione Essentiæ, vt est obiectum beatificum, quòd beatificet inquantùm est communicata tribus; & ita non videtur contradictio, siue quantùm ad fruitionem, siue quantùm ad visionem.

Respondetur. Quòd Pater habet Essentiam, vt in tribus Personis pro obiecto, & tamen secundùm originem; quia ex se habet illam Essentiam obiectam sibi, & hoc est esse priùs origine; non est enim ibi prioritas aliqua secundùm quam sibi obijciatur essentia, vt est in vna persona, non vt in alia, sicut nec ipsa in aliquo priori naturæ obijcitur vni personæ, & non alij, sed tamen vni obijcitur ex se, alij non ex se.

Contra. Quælibet Persona intelligit formaliter intellectu, vt est in ipsa, non vt est in alia, nec vt est in tribus, vt patet ex 15. de Trin. c. 7. vel 9. quælibet persona intelligit sibi ipsi; igitur ita videtur, quòd quælibet intelligit C perfectè per se intelligendo Essentiam, vt est in se formaliter; igitur perfecta intellectio, quæ est beatifica, non necessariò ex se requirit Essentiam, vt in tribus. Probatio primæ consequentiæ. Non minùs ad intellectionem requiritur intelligibile, quàm intellectus: igitur in perfecto intelligente ex se, non minùs requiritur, quòd habeat in se obiectum, vt formaliter intelligibile, quàm quòd habeat intellectum in se, vt quo intelligat. Confirmatur ratio. Quia si Pater intelligeret beatifica visione Essentiā, vt in Filio; igitur aliquid reciperet a Filio, vel ab aliquo vt in Filio, Consequentia probatur, per argumentū Philosophi 12. Meta. t. 51. quo probat Deum non intelligere aliquid aliud à se: quia tūc vilesceret eius intellectus; quia perfectionem reciperet ab intelligibili; igitur ita hic: imò (quòd est maius inconueniens) perfectionem simpliciter, puta visionem beatificam, quasi reciperet Pater à tribus Personis, vt obiectis, vel ab aliquo vt in tribus. Et D tunc videntur sequi duo absurda; Primum, quòd nō omnem perfectionem habet pater a se, & sic non esset priùs origine. Aliud, quòd non omnis perfectio simpliciter, & essentialis, sit aliquo modo prior proprietatibus, sed aliqua quasi posterior ipsis personis, puta, ista quę est ab obiecto vt in tribus &c.

Præterea. Si intellectus, vt non in se, sed vt in aliquo producto, esset principium beatitudinis Patris, Pater nō esset Beatus à se; ergo si Essentia, vt in producto, esset per se obiectum beatitudinis, Pater non esset Beatus à se. Consequentia probatur: quia obiectum vt obiectum non minùs requiritur ad beatitudinē, quàm intellectus.

Respondeo. Obiectum requiritur, vt præsens non vt inexistens: intellectus requiritur vt inexistens, quia eo formaliter intelligit Pater, non sic obiecto: hoc patet: quia nullus est beatus, nisi intellectu existente; est autem aliquis Beatus obiecto non inexistente; & esset naturaliter Beatus, si naturaliter haberet obiectum præsens, licèt non inexistens; non sic autem de intellectu.

Contra. Quandocunque aliquid est a se tale, erit tale, E si per impossibile quodlibet aliud non esset. Item. Pater non recipit aliquid a Filio, vel ab aliquo vt in Filio, sicut ab obiecto beatitudinis suæ, quia quod est à se, non requirit aliquid necessariò ad sui esse, quod non est à se, & hoc tanta necessitate, quanta dependens requirit illud à quo dependet.

Hæc ratio bene concludit, quòd Pater non tantùm ex parte intellectus, sed ex parte obiecti habet à se vnde sit Beatus, & per consequens Essentia vt Essentia beatificat, non tantùm vt in tribus, quia ita requiritur, obiectū præsens à se, sicut intellectus: Ergo breuiter in summa, a se Beatus est Pater vtroque modo; s. intellectu & Essentia; quia fiat tale enthymema, A se Beatus est Pater; ergo habet obiectum beatificum, vt beatificum à se; ergo non habet illud, vt in tribus, pro obiecto; quia tunc, vt in Filio per se quasi ageret ad beatitudinem Patris. Respondeo Comparando esse etiam, vt essentia est primum obiectum beatificum ad Patrem, licèt simul necessariò beatificetur cum tribus, ita etiam necessariò simul cum tribus intelligit creaturas; non tamen ab eis, Filio, s. & Spiritu Sācto, F recipit intellectionem earum, sed ab Essentia tanquam ab obiecto, quam habet à se, ita comparando Essentiam Diuinam ad intellectum creatum: potest esse obiectum primum sine secundo obiecto.

Aliter persuadetur sic. Actus omnis habens primum obiectum, à quo essentialiter dependet, & obiectum secundum à quo essentialiter non dependet, sed tendit in illud virtute primi obiecti, licèt non possit manere idem actus, nisi habeat habitudinem ad primum obiectum, potest tamen manere idem sine habitudine ad secundum obiectum, quia ab eo non dependet. Exemplum. Idem est actus visionis Essentiæ Diuinæ, & aliarum rerum in Essentia, sed Essentia in se est primum obiectum, res visæ, secundarium obiectum; non posset autem manere eadem visio nisi esset eiusdem Essentiæ: posset autē manere absque hoc, quòd esset res visæ in ea: sicut igitur Deus absq; contradictione potest cooperari ad actum illum, inquantum tendit in primum obiectum, non cooperando in ipsum, inquantùm tendit in secundum, & tamen est actus G idem: ita sine contradictione potest cooperari ad visionē Essentiæ, vel fruitionem, quia Essentia habet quasi rationem primi obiecti, non cooperando eidem actui visionis, vel fruitionis inquantùm tendit in Personam, & ita in vnam, quòd non in aliam; quia Personæ habent rationem obiecti quasi secundarij.

Per hoc ad Argumenta. Cùm primò dicitur de visione confusa. Dico, quòd vniuersale in creaturis, diuiditur in suis singularibus, hoc autē quòd est diuidi, imperfectionis est, ideo non competit ei, quod est commune in Deo, imò Essentia Diuina quæ de se est communis Personis, est de se hæc: ideo igitur est cognitio alicuius vniuersalis abstracta à singularibus, confusa & imperfecta, quia obiectum est confusum diuisum in illis, quæ in ipso confusè concipiuntur: hæc autem cognitio Essentiæ Diuinæ distincta est; quia est obiecti, quod est de se hoc, & tamen non oportet in illo distinctè concepto, Personam distinctè concipi; quia illud non est primus terminus visionis, H vel fruitionis, vt dictum est.

Ad Secundum. Cùm dicitur, De essentia existente, &c. Dico, quòd necessarium est terminū visionis esse existens inquantùm existens; non tamen oportet, quòd subsistentia, id est, incommunicabilis existentia, sit de ratione termini visionis; Essentia autem Diuina est de se hæc, & actu existens, licet nō includat de sua ratione incommunicabilem substantiam, & ideo ipsa vt hæc, potest terminare visionem, absque hoc quòd videantur Personæ. Exemplum. Album videtur intuitiuè in quantùm existens & præsens visui secundùm existentiam suam, non oportet tamen album videri, tanquam subsistens, vel inquantùm habet rationem suppositi; quia non habet rationem suppositi, nec suppositum in quo est videtur. Ad formam argumenti patet: quòd licèt nō sit visio nisi existentis inquātùm existēs; & nō est existens nisi in persona, nō sequitur, igitur est existētis inquantū in persona est, sed tantū debet inferri, quòd est subsistētis, vel existentis in subsistēte.

Ad

A Ad Tertium. Dico, quòd prima propositio est falsa, nisi quando in illis ex natura rei distinctis, ipsum primum visum distinguitur, sicut patet in exemplo tuo de basi pyramidis; nam albedo & album visum distinguitur in partes, in quibus videtur, & ideo non distinctè videretur album, nisi illæ partes in quibus distinguitur album visum distinctè viderentur. In proposito autem & si personæ ex natura rei distinguantur, tamen Essentia visa non distinguitur in eis, quia est de se hæc, ideo potest distinctè videri sine illis visis quæ subsistunt in ea.

Ad aliam deductionem vlteriorem de voluntate, & si non oporteat respondere, quia antecedens est falsum, & iam negatum; tamen quia consequentia non videtur necessaria, potest responderi, Cùm dicitur, quòd voluntas nō plùs abstrahit, quàm intellectus attendit. Dico, quòd intellectus potest ostendere aliquod obiectum primum voluntati, & in isto primo obiecto ostendere potest aliquod per se obiectum, sed non primum, & vocatur hìc obiectū primum, totū illud ad quod determinatur actus; & obie- B ctum per se, quod includitur per se vnitiuè in obiecto terminante primo. Vtraque autem ratio ibi ostensa sufficit ad hoc, quòd voluntas habeat actum suum circa illud: non enim oportet quòd voluntas velit totum primū ostēsum, sed potest velle illud, quod ostenditur in illo ostenso, & etiam non velle. Exemplum ponitur tale. In Episcopatu ostenditur Sacerdotium, talis ostensio sufficit ad hoc quòd voluntas habeat velle vel nolle circa Sacerdotium, ita quòd ex tali ostēsione possit habere velle circa Episcopatum, & non circa Sacerdotium, tamen nō est nisi ostēsio vna, & ostēsio vnius obiecti primi, in quo tamē includitur aliquid, vt per se obiectum. Dico tunc, quòd volūtas non abstrahit vniuersale à particulari, vel singulari, sed voluntati ostenduntur plura obiecta per intellectum, qui est aliquorum plurium inclusorum in primo obiecto, quorum vtrumque vt sic ostensum, potest voluntas velle, vel non velle.

Ad Confirmationem. Cùm dicitur; Obiectum aut C differt re, aut ratione. Dico, quòd differt ratione. Et cùm probatur quòd non: quia intellectus non distinctè concipit hoc ab isto. Dico, quòd non oportet ad distinctionē rationis, quòd intellectus habeat illa sicut obiecta distincta, sed sufficit quòd in primo obiecto concipiat aliquid.

Ad illud de quietatione. Dico, quòd Pater æternus quietatur in Essentia sua vt est in se; non ergo sequitur; ergo non potest quietari in Essentia, vt est in Filio, vel Spiritu Sancto, imò quietatur in Essentia sua, vt communicata est eis, & hoc eadem quietatione, qua quietatur in Essentia, vt est im se: quòd enim quietatur primò in aliquo obiecto, quietatur in illo in quocunque est secundùm illū modum, ita hìc, si Beatus priùs fruatur Essentia postea Persona, nō quietatur vlteriori quietatione, quàm priùs quietabatur, sed eadem quietatione, inquantùm obiectum quietans terminat, vt in aliquo, & priùs terminabat vt in illo.

Per hoc ad vltimum argumentum. Dico, quòd non erunt ibi duo actus, quia quicunque actus est ibi fruitio- D nis vel visionis, est obiecti primi sub vna ratione formali, sed iste actus vnus potest esse obiecti per se virtute primi obiecti, vel potest esse tantùm ipsius obiecti primi; nec ergo erunt duo actus eiusdem speciei simul, nec successiuè.

Ad illud de imagine, responsionē quære supra, quęst. 1. contra Auicen. opinionem.

ARTICVLVS TERTIVS.

Vtrum comprehensor, secundùm naturalem virtutem suam, possit frui Essentia sine Personis, vel vna Persona absque alia.

QVantùm ad Tertium Articulum de potentia creaturæ. Dico, quòd intellectus non potest de potentia sua naturali videre Essentiā, nō videndo Personas: quia cùm intellectus de se sit potentia naturalis, & non libera, agente obiecto, intellectus agit quantùm potest; ergo si obiectum ex parte sui agit, manifestando tres personas intellectui, non est in potestate intellectus, vt vi- E deat aliquid ostensum, & aliquid non videat. Similiter nō est in potestate voluntatis ordinatæ, frui sic, non fruendo sic; quia sicut non est in potestate volūtatis ordinatè manentis, vt non fruatur (si enim non fruetur non impedita, in hoc peccaret, & mereretur non frui) ita non est in potestate voluntatis, vt ordinatè fruatur aliquo, & non fruatur, quocunque potest frui, & ideo non est in potestate voluntatis ordinatè manentis, sub aliqua ratione non frui, sub qua potest frui.

Sed de potestate absoluta volūtatis est magis dubium. Tamen ibi potest dici, quòd non est in potestate voluntatis, frui sic, & non frui sic; quia licèt in potestate voluntatis sit aliquis actus, vt ponatur in esse vel non ponatur, tamen non est in potestate eius, vt actus positus in esse, habeat illam conditionem vel non habeat, quæ naturaliter competit actui ex ratione obiecti. Exemplum, licèt in potestate voluntatis sit elicere actum peccati, vel non elicere; tamen si actus positus in esse habeat deordinationem ex natura sui, non est in potestate voluntatis, vt actus sic F positus in esse, sit vel non sit deordinatus; actus autē fruitionis, quantùm est ex natura sui primi obiecti, natus est vt sit trium Personarum in Essentia; quia nō ponendo aliquod miraculum ex parte obiecti, erit de se trium; ergo non videtur esse in potestate voluntatis, vt actus positus in esse sit Essentiæ vt in tribus, vel non vt in tribus.

Si dicas. Quòd ista ratio concludit, quòd nō est in potestate Dei vt actus sit Essentiæ, & non trium Personatum. Dico. Quòd non sequitur; nam actus alicuius elicitus est in potestate Dei quantùm ad aliquam conditionē, quæ naturaliter sibi competeret ex obiecto, & tamen non est in potestare creaturæ, quantùm ad illam conditionem. Exemplum. In potestate Dei est, vt actus elicitus à voluntate peccante referatur ad Deum, quia Deus refert illum actum ad se: non tamen est in potestate voluntatis quando positus est in esse, vt illo vtatur ad Deum, quia illo actu fruitur creatura; non potest autem simul eodem actu vti G ad Deum, & frui alio à Deo. Exemplum istud non videtur bonum; quia actus iste peccantis refertur ab vna potētia, non ab alia. Dimittatur exemplum illud, & teneatur ratio: quia accidens necessariò cōsequēs actum positū, potest nō inesse manēte actu, & hoc subest voluntati Diuinæ, nō autem voluntati creatæ elicienti actum. Ita dicatur de conditione, quam actus natus est habere respectu obiecti secundarij, necessariò quantùm est ex se, non tamen essentialiter, ideo subest voluntati Diuinæ, vt illa conditio non insit.

ARTICVLVS QVARTVS.

Qualis est de facto fruitio comprehensoris & viatoris.

QVantùm ad Quartū Articulum de facto. Dico, quòd de facto erit vna fruitio, & vna visio Essentiæ in tribus Personis. Hoc dicit Aug. 5. de Trin. c. 10. in fine: quia H neuter sine altero ostēdi potest: loquitur de Patre & Filio: quod intelligendum est de potentia ordinata, de qua locutus est Philosophus, volens Patrem sibi ostendi, quasi potuisset de facto vidisse Filium sine Patre, vt Augu. tractat, ibi de verbis Philippi, & responsione Christi; hoc etiā vult Aug. 15. de Tri. c. 16. Omnem inquit sciētiam nostrā vno similiter conspectu fortè videbimus: & quod dicit fortè, non refertur ad obiectum beatificum, sed ad alia videnda in eo.

Similiter dico de viatore, quòd de facto fruitio habitualis ordinata, necessariò simul est trium personarum, licèt aliquando non actùalis; nullus enim viator nec comprehensor ordinatè potest frui vna persona, non fruendo alia, hoc est, nisi habitualiter fruatur alia, hoc est, quòd sit in proxima dispositione fruendi alia, si distinctè illa concipiatur ab illo, & ideo non stat fruitio vnius Personæ cū odio alterius Personæ; quia sicut dicit Saluator in Ioan. c. 15. *Qui me odit & Patrem meum odit.*

A *Soluuntur argumenta principalia.*

AD Argumenta principalia. Ad Primum de 1. Ethicor. Dico, quòd bonum vno modo conuertitur cum Ente, & isto modo bonum potest poni in quolibet genere; sed bonum vt sic, non habet rationem obiecti fruibilis, & ideo non oportet, quòd in quocunque sit bonū, hoc modo sumptum, quòd sit ibi propriè ratio obiecti fruibilis: ratio enim boni fruibilis non est ratio boni in cōmuni, sed boni perfecti, quod est bonum non habēs defectū; vel saltem secundùm apparentiam est tale, vel secundùm præfixionem voluntatis, qualis non est relatio.

Ad Secundū dicitur *(ab Henr. hic. q. 5. in sol. 2. rat. & quol. 1. q. 1.)* Quòd illa quæ vniformiter respiciunt Essentiam, & Personam, tantùm sunt essentialia, sed quæ tantùm conueniunt personæ, sunt præcisè personalia, quæ autem sub alia ratione respiciunt Essentiam, & sub alia ratione Personam, sunt & essentialia & personalia; primo modo se habet bonum; secundo modo se habet Paternitas; tertio modo se habet vnum; quia indiuisio sub vna propria B ratione pertinet ad Essentiā, & sub alia propria ratione pertinet ad Personas.

Sed contra. Istius causam quærit argumentum. Arguit enim cùm hæc duo videantur esse æquè conuertibilia cū Ente, & ad Diuina transferri, quòd æqualiter vtrumque erit essentiale tantùm, vel vtrunque essentiale & personale. Ideo est alia responsio. Quòd obiectū fruitionis oportet quòd sit aliqua bonitas quidditatiua, & nō perfectio suppositi; quia perfectio suppositi vt distinguitur contra perfectionē quidditatiuam, nec est formaliter ratio agēdi, nec est formaliter ratio termini alicuius actionis; perfectio autem quidditatiua, nō est nisi perfectio abstracta à supposito, quæ de se respicit omne suppositum indifferēter, & ideo bonitas, vt terminat actum fruendi, oportet quod sit tantùm perfectio quidditatiua; vnitas autem potest esse & perfectio quidditatiua, & ratio suppositi; quia non dicit rationem de se principij actus, nec rationē formalem termini alicuius actus; est igitur bonum, nō quo- C modocunque sumptum, sed bonum quidditatiuè sumptū terminus fruitionis, quia est perfectio quidditatiua, quæ scilicet est ratio essentialis, & non ratio suppositi; sed vnitas vno modo est ratio essentialis, alio modo ratio suppositi; secundo modo non est ratio formalis, nec terminus formalis actus fruitionis.

Ad Tertium. Dico, quòd ly inquantùm, potest solūmodo denotare illud quòd sequitur, accipi secundùm suā rationem formalem, vel vltra hoc, etiam denotare potest illud esse formalem rationē inhærētiæ prædicati ad subiectum; secundo modo sumitur reduplicatio proprijssimè; quia reduplicatum, siue sumatur pro toto seipso primo, siue pro aliquo quod includitur in intellectu eius, accipiendo reduplicationem formaliter, semper illud pro quo accipitur, notatur esse formalis ratio inhærentiæ prædicati ad subiectum. Ad propositum ergo dico, quòd si reduplicatio illa quantùm ad vtrumque istorum accipiatur in Maiori, ipsa est vera, & Minor falsa; si verò pro pri- D mo tantùm, & non pro secundo, Minor est vera, & Maior falsa. Cùm probatur Minor secundùm primum modum accipiendi eam. Dico, quòd videbimus Tres in quātum Tres, hoc est ratio formalis Trinitatis videbitur: sed ipsa Trinitas non erit ratio formalis videndi, vel causa inhærentiæ prædicati ad subiectum, s. fruitionis, vel visionis, sed vnitas Essentiæ. Cùm probatur vlteriùs, per credere Deum Trinum, inquantùm Trinus. Dico, quòd non est simile; quia Essentia Diuina nō causat in nobis immediatè actum credēdi, sicut causabit immediatè actum videndi, & hoc est propter imperfectionem intellectionis nostræ pro statu isto; quia intelligimus personas distinctas ex creaturis, & distinctis actibus; & ita quantùm ad cognitionem nostram potest modo Trinitas esse ratio formalis cognoscendi, tunc autem erit præcisè cognita, & non ratio formalis cognoscendi; quia tunc videbitur per rationem Essentiæ in se, vt per rationem obiecti.

Ad Rationes in oppositum. Ad Primam. Dico, quòd est tantùm vnus vltimus finis in se, tamen illud habet in se distinctas rationes aliquas, quæ nō sunt formaliter rationes vltimi finis, & ita possibile est frui eo sub ratione E vltimi finis formaliter, nō fruēdo illo sub illis rationibus.

Ad Secundum. Dico, (sicut dictum est in præcedenti quæstione) quòd per accidens est, quòd in eodem concurrant ratio efficientis, & ratio finis, tamen de facto vna est ratio formalis ipsius finis, sicut vna est ratio formalis ipsius efficientis, sed in illa vna ratione potest potētia quietari, licèt non quietaretur in rationibus personalibus quę sunt in illo fine. Ad confirmationem. Cùm dicitur, Non potest vna persona creare, nisi alia creet. Dico, quòd non sequitur: Ergo vna non potest finire actum fruitionis, nisi alia finiat. Benè enim sequitur, quòd vna persona ex natura rei non est finis, nisi alia persona sit finis, sed non sequitur de fine actus, vt est elicitus à potentia; quia finis actus vt eliciti, est ad quem potentia eliciens ordinat actū & propter quē elicit ipsum; sed finis ex natura rei est bonum ad quod actus ex natura sui natus est ordinari, non quidem in ratione obiecti quod attingitur per actum, sed sicut omnes naturæ creatæ in suo gradu ad finem vltimū F ordinantur. Ad auctoritatem 5. de Trin. patet quòd loquitur de facto, & formali ratione eius.

Ad Vltimum de adoratione. Dico, quòd vna est adoratio habitualis trium Personarum, quia quicunque adorat vnam, habitualiter se subijcit toti Trinitati, sed non oportet, quòd actualiter cogitet De alia Persona, quando adorat vnam Personam; sicut patet de orante vnam personam, oratione quæ non dirigitur actualiter ad aliam, sicut patet de illo Hymno. *Veni creator Spiritus, etc.* & de multis orationibus in Ecclesia institutis, vnde orationes Ecclesiæ frequenter diriguntur Patri, & in fine inducitur Filius sicut mediator; ergo dum aliquis refert actualiter intentionem suam ad orandum Patrem, non oportet quòd actualiter tunc cogitet de Filio, vel de Spiritu Sancto, nisi habitualiter, quousque post inducat Filium in cogitatione sua tanquam, s. mediatorem. Et sic G vt est eadē adoratio habitualis, nō tamen actualis, ita est eadem fruitio habitualis, licèt nō necessariò eadē actualis.

QVÆSTIO TERTIA.

Vtrum Fruitio sit aliquis actus elicitus a voluntate, vel passio recepta in voluntate, puta aliqua delectatio.



COnsequenter quæro de Frui in se. Et primò supposito quòd sit aliquid voluntatis præcisè, Quòd sit delectatio probo. Quia fructus est vltimum quod expectatur de arbore; ergo similiter in Spiritualibus, fructus est vltimum quod expectatur de obiecto; sed tale est delectatio, quia delectatio sequitur actum 10. Ethic. c. 3. & 4. Ergo, &c.

Item. Ad Gal. 5. *Fructus Spiritus est, charitas, gaudium, pax* &c. quæ numerātur ibi, videntur passiones, vt patet de gaudio; aut saltem non sunt actus, sed consequentes H actum; fructu autem fruimur per se; ergo frui est aliquid per se consequens actum, vt videtur.

Contra. Voluntas actu elicito amat Deum; aut igitur propter aliud, & tūc vtitur, & ita est peruersa; aut propter se, & tūc fruitur ex diffinitione de frui, & sic frui est actus.

SVMMA QVÆSTIONIS.

IN ista Quęstione, primò videndum est de ipsis conceptibus. Secundò de significato nominis.

ARTICVLVS PRIMVS.

Qui sunt actus eliciti voluntatis, & quid delectatio.

QVantùm ad Primum. Dico, quòd sicut in intellectu sunt duo actus assentiendi alicui vero cōplexo, vnus quo assentitur alicui vero complexo propter se, sicut principio, alius verò quo assentitur alicui vero non propter se, sed propter aliud verum, sunt conclusioni propter principium

A principium: ita in voluntate ſunt duo actus aſſentiendi bono, vnus quo aſſentitur alicui bono propter ſe, alius quo aſſentitur bono propter aliud bonum, ad quod illud bonum refertur, ſicut concluſioni aſſentitur propter principium: concluſio enim veritatem ſuam habet à principio. Iſta ſimilitudo accipi poteſt à Philoſopho 6. Ethic. c. 3. vbi dicitur, quod in mente eſt affirmatio & negatio, hoc in appetitu eſt proſecutio & fuga: & ita vltra; ſicut in mente eſt duplex affirmatio, propter ſe, & propter aliud, ita in appetitu eſt duplex proſecutio, vel adhæſio, propter ſe, & propter aliud.

Eſt tamen hîc duplex differentia. Prima; quia illi duo aſſenſus intellectus diſtinguuntur ex natura obiectorũ, ſunt enim alteri propter euidentiam alteram huius vel illius veri, & ideo habent diſtincta obiecta ſibi correſpondentia, & ipſos cauſantia, hîc autem huiuſmodi aſſenſus non ſunt diſtincti ex diſtinctione obiectorum, ſed ex diſtincto actu potentiæ liberæ, ſic vel ſic acceptantis obiectum eius, quia (ſicut dictum eſt prius) in poteſtate eius B eſt, ſic vel ſic agere, referendo vel non referendo, & ideo non correſpondent iſtis actibus propria obiecta diſtincta, ſed quodcunque bonum volibile poteſt voluntas habere obiectum, ſecundùm hunc actum vel ſecundùm illum. Secunda differentia eſt; quia illi duo aſſenſus intellectus, ſufficienter diuidunt aſſenſum intellectus in communi, nec inter ipſos eſt aliquod medium; quia nulla eſt euidentia media ex parte obiecti, à qua poſſet accipi aliqua alia veritas, quàm veritas principij vel concluſionis.

Præter autem iſtos duos aſſenſus voluntatis, eſt aliquis alius aſſenſus medius, quia volũtati poteſt oſtendi aliquid obiectum bonum abſolutè apprehenſum, non ſub ratione propter ſe boni, nec propter aliud bonum; voluntas autem circa tale ſic oſtenſum, poteſt habere aliquem actum, & non neceſſariò inordinatum; ergo poteſt habere aliquem actum volendi illud abſolutè, abſque relatione ad aliud, aut abſque fruitione propter ſe; & vlteriùs poteſt imperare intellectui, vt inquirat quale illud bonum ſit, & C qualiter volendum, & tunc illi poteſt aſſentire ſic vel ſic. Et tota ratio differentiæ hinc & inde, eſt libertas voluntatis, & neceſſitas naturalis, ex parte intellectus.

Ex his vltra. Actus aſſenſus bono propter ſe, eſt actus perfectus, actum autem perfectum conſequitur delectatio ex 10. Ethic. c. 3. vel 4. Ergo actum volendi bonum propter ſe conſequitur aliqua delectatio.

Habemus igitur ad propoſitum quatuor diſtincta; actũ imperfectum volendi bonum propter aliud, qui vocatur vſus; & actum perfectum volendi bonum propter ſe, qui vocatur fruitio, & actum neutrum; & delectationem ſequentem actum.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Cui prædictorum actuum nomen Fruitionis competit.

DE Secundo principali, cui ſcilicet iſtorum conueniat iſtud nomen Frui, ſicut poteſt colligi ex auctoritati- D bus loquentium de iſto vocabulo Frui. Planum eſt, quòd Fruitio non eſt actus neuter, nec actus vſus, ſed tantùm eſt altercatio de actu perfecto, & de delectatione conſequente actum perfectum. Et ratio eſt. Quia aliquę auctoritates videntur dicere, quòd Frui eſt actus perfectus tantùm; aliquæ, quòd delectatio tantùm; aliquæ, quòd includit vtrumque, & tunc non ſignificat aliquod ens per ſe vnum, ſed vnũ aggregatum ex duobus entibus, vt ens per accidens; nec hoc eſt inconueniens, quòd vnum nomen ſignificet multa; quia Ylion (ſecũdum Philoſ. 1. Metaph. t. 13.) poteſt ſignificare totum bellum Troianum.

Quòd tantùm ſit actus, videtur illa auctoritas Aug. dicere 83. quæſt. q. 30. Omnis itaque humana peruerſio eſt, (quod etiam vitium vocatur) fruendis vti velle, atq; vtendis frui: peruerſio vel peruerſitas eſt formaliter in actu voluntatis elicito, non in delectatione; quia delectatio nõ eſt praua, niſi quia actus eſt prauus, nec delectatio eſt in poteſtate delectantis, niſi quia actus eſt in poteſtate agẽtis, peccatum autem inquantùm peccatum, eſt formaliter in poteſtate peccantis. Hoc etiam videtur manifeſtè dicere Aug. 1. de doctrina Chriſt. cap. 1. Frui, eſt amore inhærere alicui rei propter ſeipſum. Iſta etiam inhæſio videtur eſſe per potentiam motiuã inhærentis, ſicut in corporibus; à quibus translatum eſt hoc nomen inhærere, in hæſio eſt virtute inhærentis. Similiter inhæſio alicui propter ſe, non videtur eſſe per delectationem; quia delectationis cauſa efficiens, & non finalis, videtur eſſe obiectum delectabile, & ita non tendit delectans in obiectum propter ſe. Sed iſta ratio non concludit, procedit enim acſi obiectum non poſſit eſſe efficiens, & finis delectationis, & ſolui habet à tenente in 4. delectationem eſſe de eſſentia Beatitudinis.

Quòd autem Frui ſit tantùm delectatio, videtur dicere illa auctoritas Aug. 1. de Trin. cap. 10. in fine. Hoc eſt enim plenum gaudium noſtrum, quo amplius nõ eſt, frui Trinitate. Si non retorqueatur iſta auctoritas ad cauſalitatem, vel ad alium intellectum, quem non ſonant verba, gaudium eſt formaliter delectatio. Similiter & in 30. quæſtione præallegata: Frui dicimur ea re, de qua capimus F voluptatem, ſi ſit locutio per identitatem, vel quaſi definitio, tunc capere voluptatem eſt Frui eſſentialiter.

Quòd autem Frui accipiatur pro vtroque, pro actu ſcilicet & delectatione ſimul, probatur ex diffinitione illa de Frui. 10. de Trin. c. 10. vel 23. Fruimur enim cognitis, in quibus voluntas ipſis propter ſe ipſa delectata cõquieſcit: ad actum enim pertinet, cùm dicitur fruimur cognitis; quia actui voluntatis præſupponitur actus intellectus in obiectum cognitum, ſed poſt ſubdit. In quibus voluntas &c. quod ſi delectatio accideret fruitioni, non deberet poni in eius definitione. Similiter ſi ponatur ad beatitudinem pertinere eſſentialiter actus & delectatio; tũc omnes auctoritates quæ dicunt Frui eſſe ſummum prçmium, vel beatitudinem noſtram, dicũt eam includere vtrumq; & actum, & delectationẽ: illam Minorem dicit illa auctoritas, 1. de doctr. Chriſt. quaſi in fine. Hæc ſumma merces eſt, vt ipſo perfruamur.

Quod autem ſit magis proprium ſignificatum vocabuli, difficile eſt probare; tamen aliquo modo poteſt conijci G ex vſu vocabuli. Iſtud enim vocabulum Frui, conſtruitur cum ablatiuo ſignificante obiectum ex vi tranſitionis, qualis conſtructio appropriatur verbis ſignificantibus actum, non autem cõſtruitur cum obiecto in ablatiuo ex vi cauſæ, qualis cõſtructio debetur paſſionibus ſignificatis per verba purè paſſiua, non enim ita dicitur, fruor in Deo, ſicut dicitur delector in Deo, vel Deus delectat me, ſed dicor frui Deo tranſitiuè, ſicut dicor amare Deum: & iſtud videtur eſſe magis proprium ſignificatum vocabuli.

Sed de vocabuli ſignificato, non eſt contendendũ; quia ſecundùm Aug. 1. retractat. cap. 14. Cùm res conſtat, non eſt vis facienda in nominibus: res autem cõſtat, quòd voluntas habet triplicem actum; & quartum, puta paſſionẽ conſequentem: & patet quòd duobus actibus nullo modo conuenit hoc nomen Frui, ſed pro altero aliorum duorum, & pro ambobus ſimul, videntur aliqui vti iſto vocabulo, & tunc erit nomen æquiuocum; vel ſi eſt vniuocũ, oportet auctoritates quaſdam exponere, quòd loquuntur H cauſaliter vel concomitanter.

Satisfit argumentis in principio Quæſtionis adductis.

AD Primum argumentum. Dico; quòd fructus eſt vltimum, quod expectatur de arbore, non vt poſſidendum corporaliter, ſed vt habendum per actum potentiæ attingentis illud vt obiectum: pomum enim non eſt fructus inquantùm expectatur vt poſſidendum, ſed inquantùm expectatur vt guſtandum, & actu guſtus attingendum, quam guſtationem ſequitur delectatio. Si igitur fructus dicatur quo fruendum eſt, delectatio non eſt fructus, ſed illud vltimum expectandum; ſed nec delectatio eſt frui, ſed primum quo attingo expectatum vt expectatum eſt frui: quod videtur probabile; cùm fructus ſit expectatum, ſub illa ratione, ſub qua expectatur vt à potentia attingendum.

Ad Secundum Dico, quòd auctoritas eſt in oppoſitũ. Cùm

A cùm enim dicat auctoritas, non actus esse fructus; sed potius passiones, sequitur quòd Frui nō est delectari, quia fructus est obiectum fruitionis, passio autem non ita esse potest primum obiectum sui, sicut potest esse primū obiectum alterius: ideo Frui si est passionis vt obiecti, vt sonat auctoritas, non erit passio, sed est actus aliquis potēs habere istas passiones pro obiectis, quasi proximis suo primo obiecto. Et cùm dicitur, quòd per se fructu fruimur: nō est hoc intelligendum in ratione formalis principij, sicut ignis calore calet, sed in ratione obiecti, sicut si diceretur, quòd amabili amamus, sed in ratione causæ formalis fruitione fruimur; auctoritas autem non dicit aliquid consequens actum, esse fruitionem, sed fructum, id est fruitionis obiectum.

QVÆSTIO QVARTA.

Vtrum sine apprehenso per intellectum, necesse sit voluntatem frui eo.

B Vòd sic. Auicen. 8. Metaph. cap. vlt. Delectatio, est apprehensio conuenientis cum conuenienti: finis necessariò conuenit voluntati; ergo ex coniunctione eius cum voluntate, sequitur delectatio; ergo fruitio.

Item. Finis mouet Metaphysicè, sicut efficiens mouet propriè; sed efficiens approximatum passo non impeditū, de necessitate mouet propriè; ergo finis approximatus, hoc est præsens voluntati, non impeditus, necessariò mouet Metaphysicè.

Item. Omne mobile præsupponit aliquod immobile: ergo actus voluntatis varij & mobiles, præsupponunt aliquem actum immobilem; sed talis non est nisi circa finem; ergo ille est necessariò immobilis.

Ad oppositum. Necessitas naturalis, non stat cū libertate. Quòd probo. Quia natura & voluntas, sunt principia actiua, habentia oppositum modum principiandi; ergo cū modo principiandi voluntatis, non stat modus principiādi naturæ; C sed voluntas liberè vult finem; ergo non potest necessitate naturali velle finem, nec per consequens aliquo modo necessario. Assumptum, scilicet quòd voluntas liberè velit finem, probatur. Quia eadem est potentia quæ vult finem, & illud quod est ad finem; ergo habet eundem modum agendi: quia diuersi modi operandi, arguunt diuersas potentias; liberè autem operatur circa ea quæ sunt ad finem; ergo & circa finem. Quòd autem sit eadem potētia amborum, patet. Quia aliàs nulla esset potentia entis ad finem, volens illud propter finem; oportet enim illam esse vnam, habentem actum circa vtrumque extremum, quia actus vtendi est per se vnus; ergo per se vnius potentiæ, respicientis per se vtrumque extremū; sicut Philosophus arguit de cognitione sensus communis, in 2. de ani. t. 146.

ARTICVLVS PRIMVS.

D *Subdiuiso sensu Quæstionis, recitatur Opinio aliorum.*

ISta Quæstio potest intelligi. Vel de fine obscurè apprehenso in vniuersali, sicut concupimus beatitudinē in communi: Vel de fine obscurè apprehenso in particulari, sicut concipimus beatitudinem in Deo Trino: Vel de fine clarè viso, vt in habente voluntatem supernaturaliter eleuatam, sicut in habente voluntatem perfectam per habitum supernaturalem in voluntate: Vel quartò de fine clarè viso in non habente habitum supernaturalem in voluntate: & hoc, posito quòd Deus de potentia absoluta ostenderet se intellectui, non dando habitum aliquē supernaturalem voluntati.

Quantùm ad istos quatuor Articulos, dicitur primò, (*ab Henr. quol. 3. q. 17. & quol. 9. q. 11.*) quantùm ad Primū. Quòd voluntas de necessitate fruitur vltimo fine, sic apprehenso obscurè in vniuersali, quod tripliciter probatur. Primò, per illud 2. Phys. t. 89. Sicut se habet principium in speculabilibus, sic finis in operabilibus; sed intellectus E de necessitate assētit principijs primis speculabilibus; ergo voluntas de necessitate assentit vltimo fini in operabilibus.

Secundò hoc idē probatur. (*ab Egid. Rom. quol. 5. q. 5. & D. Th. 1. par. sum. q. 8. arg. 1.*) Quia voluntas necessariò vult illud, cuius participatione vult quicquid vult; sed participatione vltimi finis vult quicquid vult; ergo, &c. Probatio Minoris: Quia nihil aliud vult, nisi inquātùm est quoddā bonum; omne autem aliud bonum, videtur esse quædam participatio vltimi finis, quod est summum bonum: vt videtur probari per August. 8. de Trinit. capit. 3. vel 8. *Tolle bonum hoc & illud, &c. & vide ipsum bonum si potes, itaque Deum videbis non alio bono bonum, sed bonum omnis boni.*

Tertiò probatur idem, sic. Voluntas non potest nō velle aliquid, nisi in quo est aliquis defectus boni, vel aliqua ratio mali; in vltimo fine in vniuersali apprehenso, nō est aliquis defectus boni, nec aliqua ratio mali apprehēditur; igitur, &c.

F Item. Aug. 13. de Trin, cap. 3. dicit, quòd quidā Mimus dixit se scire, de multis existentibus in theatro quodam, quid omnes vellent, hoc volens intelligere de beatitudine: sed non omnes illi vellent beatitudinem, si contingenter eam vellent; ergo necessariò eam voluerunt.

Quantùm ad Secundum Articulum. Dicitur. Quòd fine sic obscurè apprehenso in particulari, potest voluntas non frui. Hoc potest probari. Quia potest frui aliquo quod est incompossibile tali fini, sicut patet de peccante mortaliter.

Quantùm ad Tertium Articulum. Dicitur. Quòd necessariò fruitur fine sic viso, propter rationem tertiam ad Primū Articulum adductam. Quia nulla ratio mali inuenitur in eo, nullus etiam defectus boni in eo reperitur, & hoc si videat istum finem visione practica, quicquid sit de visione speculatiua. Additur etiam hic: quòd est tanta necessitas in connexione istorum actuum, intellectus & voluntatis, respectu vltimi finis clarè ostensi, quòd Deus de potentia absoluta, non potest separare visionem practicam à fruitione.

G Quantùm ad Quartum Articulum. Dicitur. Quòd impossibile est voluntatem charitate non eleuatam, frui fine etiā viso. Quia agere præsupponit esse; ergo agere supernaturale: præsupponit esse supernaturale: voluntas autem illa non habet esse supernaturale; ergo non potest habere actum supernaturalem. Item. Si sic, tunc posset talis voluntas esse beata sine charitate; consequens falsū, quia tunc charitas non erit necessaria ad beatitudinem voluntatis. Consequentia probatur. Quia frui fine in particulari viso, videtur esse beatitudo, vel includere formaliter beatitudinem.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Refutatur præcedens Opinio, & datur propria Quæstionis resolutio.

H COntra Primum Articulum, arguo. Primò sic. August. 1. retractat. capit. 9. & 22. dicit, quòd *nihil est eam in potestate voluntatis, quam ipsa voluntas*: quod non intelligitur nisi quantùm ad actum elicitum: Si igitur actus voluntatis circa finem, est in potestate voluntatis, mediante actu alicuius potentiæ alterius, multò fortiùs est in potestate voluntatis immediatè; sed in potestate voluntatis est, velle vel non velle finem mediante actu intellectus; ergo hoc est in potestate eius immediatè. Minor patet. Quia in potestate voluntatis est, auertere intellectum à consideratione finis: quo facto voluntas non volet finem, quia non potest habere actum circa ignotum. Confirmatur ista ratio, & potest esse Secunda ratio. Quia quodcunque agens non impeditum, quod necessitatur ad agendum, de necessitate remouet omne prohibens actionem, si potest; ergo si voluntas non impedita necessitetur ex natura sua ad volendum vltimum finem, necessariò remouet omne prohibens illam volitionem, si potest remouere; prohibens

A autem hanc volitionem, est non consideratio finis, & hac potest voluntas remouere, faciendo intellectum stare in consideratione finis; ergo volendo finem, necessariò facit intellectum stare in consideratione finis. Maior patet; quia quod ex se necessitatum est ad agendum, nunquam prohibetur, nisi per aliquid repugnans, vincens virtutem eius actiuam, sicut patet de graui, prohibetur enim à descensu, propter aliquid repugnans, vincens eius inclinationem, & pari necessitate remouet impedimentum prohibens, si potest; quo amoto, non impeditum descendit, quia ita necessariò remouet repugnans effectui, sicut ponit effectum, cui illud repugnat.

Item. Omne agens necessariò, de necessitate agit secundùm vltimum suæ potentiæ, quia sicut non est in potestate eius actio, ita nec intentio eius; ergo nec modus agendi, scilicet intensè vel non intensè agere; ergo volūtas de necessitate volet finem intentissimè, & quantùm potest; cuius oppositum experimur.

Item. Potentia libera per participationem, non magis B tendit in obiectum perfectum, quàm in aliud obiectum; ergo nec potentia libera per essentiam; non autem est differentia inter finem volitum, & alia volita, nisi ex parte perfectionis obiecti. Antecedens patet: quia visus, qui est potentia libera per participationem, quatenus actus eius subest imperio voluntatis, nō necessariò magis videt pulcherrimum, quàm minùs pulchrum, ideo ab vtroq; æqualiter auertitur, & vtrumque æquè contingenter videt.

Teneo igitur, quòd potest voluntas non velle finē vltimum, quocunque modo apprehēsum: obscurè, siue clarè, in vniuersali, siue in particulari.

Contra Secundum Articulum, quem concedo esse verum. Videtur quòd rationes Primi articuli destruant Secundum articulum. Nam illa ratio de fine, quòd in fine vltimo non est defectus alicuius boni, nec aliqua malitia, videtur æquè efficaciter cōcludere de fine in particulari apprehenso, sicut de fine in vniuersali apprehenso, vel efficacius; quia in fine vltimo in particulari, apprehenditur tota C ratio finis in vniuersali, & ita nullus defectus boni, nulla etiam malitia, imò videtur, quòd in solo illo ostēditur posse esse perfectio finis in vniuersali. Similiter illa ratio secunda, pro primo membro de participatione, plùs cōcludit de fine in particulari apprehenso; nam bona creata, esti sint bona per participationem, veriùs sunt bona per participationem vltimi finis in particulari, quàm per participationem eius in vniuersali; non enim participant illū in vniuersali, nisi quia participant ipsum in particulari, cùm participans habeat participatum pro causa, vel mensura, à qua dependet essentialiter; & dependentia entitatis realis non est, nisi ad ens reale; & ita ad aliquid singulare.

Cōtra Tertium Articulum. Quando principium elicitiuum non necessariò elicit, habens principium illud, non necessariò agit: sed principium elicitiuum eodem modo se habens, quod priùs eliciebat contingenter actum, modò non elicit necessariò: ergo nec agens habens illud principium necessariò aget; voluntas autem habens eandē charitatem priùs, quam modò habet, priùs contingenter eliciebat illum actum fruendi, modò ergo non necessariò D elicit actum illum; cùm nulla sit facta mutatio ex parte eius. Hoc patet in raptu Pauli. Si priùs habuit eandem, vel æqualem charitatem cum ea, quam habuit in raptu illo, nulla esset mutatio ex parte voluntatis, nec principij elicitiui; nulla ergo necessitas eliciendi tunc, magis quā nunc, nec per cōsequens necessitas agendi, cùm saltem potuerit esse æqualis charitas ante raptum, & in raptu.

Item. Aut finis mouet ad actum istum, aut potētia mouet: si finis, patet quòd non est necessitas; quia ille finis ad nullum actum creatum necessariò mouet: Si voluntas, & illa non habet differentiam ex parte obiecti, nisi approximationem maiorem vel minorem: tunc arguo sic. Diuersa approximatio passi ad agens, non causat necessitatem, sed tantùm intensiorem actionem, sicut patet de calido respectu calefactibilium, plùs & minùs approximatorū; diuersa autem præsentia obiecti cogniti, puta visi & non visi, non videtur esse nisi quędam approximatio diuersa eius ad voluntatem, circa quod debet esse actus volunta-
E tis; ergo istud non diuersificat necessitatem, & non necessitatem, sed tantùm facit intensiorem, & minùs intensum actum.

Item, quod dicit in isto articulo, quòd impossibile est omnino actum visionis esse sine fruitione in tali agente. Hoc non videtur verum: quia quæcunq; naturæ distinctę absolutæ sic se habent, quòd prior essentialiter non depēdet à posteriori, tale potest esse sine posteriori, absque cōtradictione: actus autem isti, scilicet visio & fruitio, sunt duæ naturæ absolutæ; ergo sine contradictione visio, quia est prior naturaliter, potest esse sine fruitione, quæ est posterior.

Respondetur. (*ab Henr. quol. 12. q. 5.*) Quòd maior est vera de illis absolutis, quorum neutrum dependet ab altero, nec ambo à tertio; in proposito autem ambo dependent à tertio, vt ab obiecto causante & mouente. Contra. Si non dependet à tertio, necessariò causante ambo, nec etiā necessariò causante vtrumque, vel vnum, licèt causet alterum, adhuc maior erit vera; quia sine contradictione poterit esse prior sine posteriore. Ista autem non dependent F à tertio, necessariò simpliciter causante ambo, patet: nec necessariò causante posterius, si causet prius; quia quicquid absolutum potest non necessariò causare immediatè, potest non necessariò causare per causam mediā, etiam causatam; quia illa causa media causata, non necessitat ipsum ad causandum effectum illius causæ mediæ absolutū, vt patet de Sole; igitur si non causat immediatè necessariò absolutum posteriùs, non causat necessariò illud, posita causa priori, si qua sit causa.

Contra Quartum Articulum, qui dicit, quòd voluntas non eleuata per habitum supernaturalem, non potest frui fine vltimo clarè viso, arguo sic. Illud quo aliquid potest simpliciter agere, est potentia; ergo si voluntas circa finē visum, nullum potest habere actum ex naturalibus suis, habens autem charitatē potest; charitas ergo vel erit simpliciter potētia volitiua, circa obiectum illud, vel pars po- G tentiæ volitiuæ; quorum vtrumque est falsum.

Item. Si obiectum volibile, minùs sufficienter approximatum voluntati, sufficienter potest terminare actum voluntatis, multò magis si illud est sufficienter approximatum, siue perfectiùs præsentatum voluntati; ergo si aliquod bonum, sub ratione obscura apprehēsum, potest esse volitum à voluntate, non eleuata per habitum supernaturalem, multo magis idem obiectum clariùs visū, potest esse aliquo modo actu volitum à tali voluntate.

Concedo igitur Conclusiones istarum rationum.

QVantùm igitur ad Primum articulum. Dico, quòd voluntas sicut non necessariò fruitur his quæ sunt ad finem, sic nec fine obscurè apprehēso; & in vniuersali.

Quantùm ad Secundum articulum. Concordo cū Prima opinione, quòd non necessariò fruitur fine apprehenso in particulari, & obscurè: nec quantùm ad conclusionē arguo contra illam: sed quia rationes positæ in Primo ar- H ticulo concludunt contra Secundum, si valent, quas tamē non reputo valere, nec simpliciter concludere: sed innitēs eis in Primo articulo, non video quomodo soluet easdem in Secundo articulo.

Quantùm ad Tertium articulum, de fine clarè viso. Dico, quòd voluntas eleuata non necessariò fruitur, quantùm est ex parte sua.

Quantùm ad Quartum. Dico, quòd voluntas non eleuata supernaturaliter, potest frui illo fine.

ARTICVLVS TERTIVS.

Soluuntur argumenta Opinionis, Articulo primo posita.

AD Argumēta pro Opinione. Dico ad Primū. Quòd illud simile concluderet multa falsa, si esset vniuersaliter similitudo; quia concluderet, quòd sicut assentimus necessariò conclusioni propter principia, sic necessariò assentiremus illis quæ sunt ad finem, propter finem; quòd est falsum. Ideo dico, quòd simile est quoad

A quoad duo, scilicet, quoad ordinem istorum, & illorum inter se, & etiam quoad ordinem illorum, comparando ad potentias ordinatè tendentes in illa: & intelligo sic, quòd sicut est ordo inter illa vera, sic & inter illa bona, & sicut illa vera sunt sic ordinatè cognita, ita & illa bona sunt sic ordinatè volita: sed non est simile quantùm ad ordinē necessitatis in vno & in alio, comparando ad potentias absolutè; non enim oportet quòd voluntas seruet illum ordinem in actibus suis, qualem nata sunt volibilia habere ex natura sua, nec est assensus similis hinc inde; quia necessitas est in intellectu ex euidentia obiecti, necessariò causante istū assensum in intellectu: non autem bonitas aliqua obiecti causat necessariò assensum voluntatis, sed voluntas liberè assentit cuilibet bono, & ita liberè assentit maiori bono, sicut minori.

Ad Secundū. Cū dicitur de participatione. Dico, quòd Maior est falsa; quia nihil volūtas necessariò vult, & ideo non oportet quòd necessariò velit illud, ratione cuius omnia alia vult, si quid esset tale. Minor etiam est falsa: quòd B scilicet virtute & participatione vltimi finis, vult q̄cquid vult; quia virtute & participatione alicuius, voluntatem velle aliqua, potest intelligi dupliciter: vel virtute seu participatione eius, vt efficientis, siue continentis virtualiter: vel virtute seu participatione eius, vt primi obiecti, ꝓpter quod volitum, vult alia. Si primo modo intelligatur, non est ad propositum Minor assumpta cū Maiori; quia illud cuius virtute vel participatione vt efficientis, est aliquid volitum, non oportet esse volitum; sicut illud quod est efficiens alicuius visi, non oportet esse visum, non. n. oportet quòd primò videam Deum oculo corporali, si videam colorem, qui est quædam participatio Dei, vt causæ efficientis. Si intelligatur secundo modo, de participatione vt primi obiecti voliti, tunc Minor est falsa; non enim virtute Dei voliti, volo quodcunq; volitū; quia tunc omnis actus voluntatis esset actualis vsus, referendo illud ad primum obiectum volitum.

Ad Tertium. Dicitur vno modo: quòd licèt non sit ibi C aliquis defectus alicuius boni, vel aliqua malitia, & ideo non posset fortè volūtas nolle illud, quia obiectum actus nolendi est malum, vel defectiuum, potest tamen illud bonum perfectum non velle, quia in potestate volūtatis est, non tātum sic vel sic velle, sed velle, vel non velle; quia libertas eius est ad agendum, vel non agendum; si enim potest alias potentias imperando mouere ad agendum, non tantùm sic & sic, sed ad determinatè agendū vel nō agendum, non videtur, quòd minor sit libertas sui, respectu sui, quantùm ad actus determinationem. Et hoc posset ostendi per illud Aug. 1. retractat. vbi supra, contra primū art. vbi vult, quòd *nihil est tantum in potestate voluntatis, quantum est ipsa voluntas*, quod non intelligitur, nisi quantùm ad actum eliciendum. Ideo dico: quòd libertas est sui, respectu sui sit, quantùm ad actus determinationem. Aliter dicitur. Quòd non est probatum, quin voluntas possit bonum nolle, in quo nulla inuenitur ratio mali, vel defectus boni, sicut non est probatum, quin possit velle illud, in quo non inuenitur aliqua ratio boni, & hoc vel priùs in re, vel D in apprehēsione, quàm illud terminet actum volendi. De hoc fortè alias erit sermo.

Ad auctoritatem Aug. Dico, quòd non intelligit de volitione actuali; vult. n. quòd Mimus ille, de quo loquitur ibi, verum dixisset, quid omnes concurrētes voluēre, si dixisset omnibus, Beati omnes vultis esse: non omnes autem concurrentes ad illud spectaculum, habuerunt tūc actualiter velle beatitudinis, quia non actualem cognitionē de hoc. Loquitur ergo de volitione habituali, & aptitudinali, quia videlicet ipsa voluntas prona est, vt statim inclinetur ad actum volēdi beatitudinem, si actualiter offeratur sibi ab intellectu. Similiter auctoritas non est ad propositum. Quia si certum est omnes velle beatitudinē: hoc non est actu amicitiæ, volendo. s. actu beatifico illud, scilicet beatificari, siue beatum esse, sed actu concupiscentiæ, volendo illud bonum sibi, vt sufficiens sibi bonum; quia non est certum voluntates inordinatas habere delectationem ordinatam primi obiecti in se, sed omnes voluntates, siue ordinatæ siue inordinatæ, habere voluntatem concupiscētiæ, volendo sibi bonum; actus autem concupiscentiæ, nō E potest esse actus fruitionis, quia omnis concupiscens cōcupiscit alij, quem amat amore amicitiæ, & ita actus concupiscētię nō est actus fruitionis, sed solus actus amicitiæ. Si ergo loquatur Aug. de actu volendi beatitudinem: non tamen de actu amicitiæ, sed concupiscentiæ: & ita non de fruitione, & ita non est ad propositum.

Ad argumentum pro Quarto articulo eorum. Cùm dicitur de agere, & de esse. Dico, quòd ille actus, non esset supernaturalis, sed naturalis; quia actum aliquem potest voluntas elicere naturaliter circa obiectum, qualitercunque ab intellectu ostensum; & quia ille actus non excedit facultatem potentiæ, ideo nec obiectum, vt terminat actū illius potentiæ.

Cùm dicitur Secundò: quòd voluntas esset beata sine charitate. Dico, quòd non sequitur; quia secundùm Aug. de Trin. lib. 13. cap. 5. vel 15. *Beatus igitur non est, nisi qui & habet omnia quę vult, & nihil mali vult*, ita intelligenda est hæc diffinitio, quòd Beatus est qui habet quicquid ordinatè potest velle: non tantùm quicquid nunc actu vult, F tunc enim aliquis viator posset esse Beatus pro tunc, quādo de vno tantùm ordinatè habito cogitat, potest autem voluntas ordinatè velle habere charitatem, quia potest velle non tantùm habere substantiam actus fruendi, sed potest habere velle fruitionem Deo acceptam: ergo si nō habet illud, non habet q̄cquid ordinatè potest velle. Qualiter etiam charitas requiratur, non tantùm propter gratificationem actus, sed propter aliquem gradū perfectionis intrinsecum actui: de hoc inferiùs dist. 17.

Respondetur Argumentis in principio Quæstionis adductis.

AD principalia Argumenta respondetur. Ad Primum: Dico, quòd aliquid est conueniens alicui aptitudinaliter, vel actualiter. Conueniens aptitudinaliter est, quod conuenit alicui ex se, & quantùm est ex natura rei, & tale conuenit actualiter omni ei, in cuius potestate non est, q̄ G ei aliquid actualiter conueniat, vel disconueniat; & ideo quicquid conuenit alicui aptitudinaliter, appetitu naturali, vel appetitu sensitiuo, conuenit ei & actualiter; si nō sit defectus ex parte alterius extremi, vel actus extra: sed in potestate voluntatis est, vt aliquid ei actualiter cōueniat, vel non conueniat; nihil enim actualiter conuenit sibi, nisi quod actu placet: propter hoc nego Minorē. Cùm dicitur, Finis necessariò conuenit voluntati; hoc non est verū de conuenientia actuali, sed aptitudinali. Aliter dico. Q̄d etsi aptitudinalis sola sufficiat ad delectationem, non tamen ad fruitionem, imò in fruitione oportet, quòd sit cōueniens actualiter, siue aptitudinaliter conueniat, siue nō. Si primum suppositum in hac responsione est verū, negāda est consequentia: delectatio, ergo fruitio.

Ad Secundum. Dico, quòd alius modus agendi, in agere propriè & Metaphoricè, destruit similitudinem, quantùm ad necessitatem. Vel aliter. Sicut aliquod agens propriè necessariò mouet, aliquod contingenter; sic aliquod agens metaphoricè mouet necessariò, aliquod contingenter: ille enim finis, qui mouet necessariò efficiens, puta H agens naturale, mouet necessariò Metaphoricè, quia necessariò amatur, vel appetitur naturaliter, qui autem mouet efficiens contingenter, mouet cōtingenter Metaphoricè: hic autem efficiens contingenter efficit, & finis contingenter Metaphoricè mouet.

Ad Tertium. Dico, quòd illud immobile non oportet esse aliquem actum elicitum; non enim plures calefactiones variæ, & mobiles, præsupponunt aliquam vnam calefactionem immobilem, sed præsupponunt actum primū, puta caliditatem, quæ sit principium eliciendi omnes istos actus varios: ita hic, volitiones non præsupponunt aliquā volitionem vnam immobilem, quia tunc voluntas volens aliquid ad finem, esset semper sub duobus actibus, aut saltem sub vno actu referente hoc ad illud, sed præsupponunt actum primum, puta voluntatem, quæ est principium sufficiens, vel ratio eliciendi omnes illas varias volitiones.

A QVÆSTIO QVINTA.

Vtrum Deo conueniat Frui.



VLtimò circa Distinctionem istam Primam, quæritur de fruente, cui scilicet vt subiecto, conuenit fruitio. Et Primò.

Vtrum Deo cõueniat frui. Videtur quòd nõ. Quia fruitio est respectu finis; sed Deus non habet finem; ergo non competit sibi frui.

Contra. Deus amat se; & non amat propter aliud, quia tunc vteretur se; ergo fruitur se. Consequentia est plana; quia si amat se; aut vtendo, aut fruendo.

QVÆRO SECVNDO.

Vtrum viator fruatur?

B QVòd non, videtur. Quia viator tantùm habet actũ desiderij, respectu boni absentis; sed actus desiderij nõ est actus fruitionis. Cuius ꝓbatio est: q̃a desideriũ est actus concupiscentiæ; fruitio autem est actus amicitiæ; ergo &c.

Contra. Aug. (& habetur in litera) *Frui est amore inhærere alicui rei propter se*; sed sic viator inhęret Deo; ergo &c.

QVÆRITVR TERTIO.

Vtrum peccator fruatur?

ET videtur quòd non. Quia non innititur alicui bono immobili, sed mobili; ergo non quiescit, & per cõsequens non fruitur. Antecedens ostenditur. Quia innititur creaturæ, quæ est mobilis; quia *omnis creatura varietati subiecta est*. Item. Qui vult alium vti actu suo, non fruitur eo; sed peccator vult Deum vti actu suo; ergo non fruitur eo. Maior ostenditur. Quia qui vult alium vti actu suo, iam non appretiat illum vt summum bonum; ergo C non fruitur illo. Minor ostenditur. Quia peccator vult esse actũ suum; igitur vult ipsum esse à Deo, cùm nihil possit esse, nisi à Deo; & si hoc: igitur vult Deum vti illo; quia Deus vtitur omni eo, quod est ab eo.

Contra. August. 83. quæstionum quæst. 30. *Omnis itaq; humana peruersio est, quod vitium vocatur, fruendis vti velle, atque vtendis frui*; ergo possibile est peccatorẽ frui vtendis.

QVÆRITVR QVARTO.

Vtrum bruta fruantur?

ET videtur quòd sic, per Aug. vbi priùs 83. quæst. q. 30. *Frui qualibet corporali voluptate, non absurdè æstimantur & bestiæ.*

Contra. *Frui est alicui rei amore inhærere propter se*; sed bruta non habent amorem, quia nõ voluntatẽ, nec inhærent alicui rei propter se, sed propter bonũ eorũ; ergo &c.

D

QVINTO QVÆRITVR.

Vtrum omnia fruantur?

QVòd sic. Quia omnia bonum appetunt amore naturali 1. Ethic. & aliquod bonum, & nõ propter aliud.

Cõtra. Fruimur cognitis; sed nõ oĩa cognoscũt; Ergo, &c.

Ad solutionem istarum Quæstionum. Præmitto quoddam exemplum, quomodo videlicet corpora diuersimodè quietantur. Vltimus enim terminus quietis grauiũ corporum, est centrum. Huic autẽ centro, tanquã termino vltimo, adhæret aliquod corpus graue, per se & primò, puta terra, quę nõ per naturã alterius corporis adhæret alicui, à quo participet grauitatem, & istam adhęsionẽ. Aliquod aũt corpus adhęret centro immobiliter & per se, sed non primò, quia adhęret per grauitatẽ & adhęsionem participatã à terra, per se tamen adhæret, quia per formã intrinsecã, & firmiter, quia est quasi intrinsecũ terrę, quę primò quiescit, vt pote lapides, & metalla in visceribus terræ, & E talia, licèt non primò, tamen perfectè quiescunt, quia perfectè coniuncta sunt centro, mediante primo quiescente, cui sunt quasi perfectè vnita. Aliquod corpus tertio modo adhæret centro, mediante terra cui vnitur, sed mobiliter & nõ firmiter, vt graue aliquod existens in superficie terræ; & tale licèt verè quiescat ad aliquod tempus, non tñ ita determinatur ad quietem, sicut corpus quiescens secũdo modo. Quarto modo potest aliquod corpus adhærere vniformiter corpori proximo, & respectu illius quiescere, & tamen non quiescere respectu vniuersi, si illud cui proximè adhæret, non vniformiter adhæreat centro; v.g. de homine iacẽte in naui, etsi in potestate corporis esset seipsum quietare; illud corpus graue quod seipsum finaliter quietaret in aliquo tali mobili, non aũt in centro, nec mediatè nec immediatè, inordinatè se q̃etaret, quia etsi quãtùm est ex se, quietaret se, propter suam firmam adhæsionem tali corpori mobili, tamen non adhæret illi, cui secũdùm naturam suam adhærere deberet, vt quietaretur.

Ad propositum applicando. Corporis põderi correspõ- F det voluntas in spiritualibus; quia *sicut corpus pondere, sic animus et voluntas amore fertur, quocunque fertur*, vt ait August. 11. de ciuit. Dei. c. 28. Centrum ergo, quod ex natura sui est vltimatè quietatiuum, est finis vltimus secundùm veritatem. Huic centro voluntas Diuina primò & per se; quia non participatione alicuius alterius à se, immobiliter & necessariò adhæret; quia ipsa voluntas, non per habitum, nec per actum differentem à se, nec in virtute alicuius causæ superioris, perfectissimè amat illud summum bonum, & necessariò. In secundo gradu est voluntas creata beata; quæ non primo, sed participãdo à Deo, per se tamen; quia per formam suam intrinsecam, adhæret firmiter huic bono; & hoc, quia est quasi intrinseca voluntati primò quiescenti, quia in eius beneplacito semper manẽs. In tertio gradu est voluntas iusti viatoris; quę licèt innitatur Diuinę voluntati, & mediante illo summo bono, in quo quiescit ipsa voluntas; tamen non firmiter adhęret il- G li bono, ex beneplacito istius volũtatis: vnde nunc adhæret illi, nunc auertitur ab illo bono; sed hoc est quoddã dissimile in corporibus tertij mẽbri; quia ibi manente forma, qua corpus quiescit, potest ipsum non quiescere, hìc oportet formã, qua quiescit, destrui simul cũ auersione volũtatis à centro suo. In quarto gradu est peccans mortaliter, qui licèt, quantùm est ex parte actus voluntatis se quietãtis, vehementer inhæreat alicui alij à Deo, ita quòd nec mediãte illo, nec immediatè inhæret Deo, tñ ex parte obiecti non potest simpliciter quietari, imò sicut quiescẽs respectu nauis, & non respectu centri, non quiescit simpliciter, quia non quiescit respectu vltimi quietãtis in vniuerso; ita volũtas quietans se quantùm potest in aliquo obiecto alio à Deo, nõ simpliciter quietatur, quia nõ respectu huius, qđ vltimatè & perfectissimè est in vniuerso quietatiuum voluntatis. Quod etiam patet; quia ibi voluntas nunquam satiatur, quantumcunq; firmiter se immergat in illud, propter se amando illud.

Ex his ad propositas Quęstiones. Dico Quòd Frui nihil H dicit, nisi actũ inhærendi obiecto propter se, quẽ cõcomitatur delectationis quietatio, siue quæ est ipsa delectatio, hoc est actus vltimatè terminans potẽtiam, inquantũ potentia seipsa quietat actu suo: ita ꝙ de ratione fruitionis, si dicit actum, non videtur esse, quòd ipsa quietet potentiã, quantùm est ex parte obiecti, sed quãtùm est ex parte potentiæ obiecto propter se inhærentis.

Dico ergo. Quòd volũtas Diuina fruitur simpliciter, & necessariò, & per se primò. Volũtas aũt creata beata fruitur simpliciter, & perpetuò, & per se; sed nõ primò. Volũtas verò viatoris iusti fruitur simpliciter, & per se, sed non immobiliter, neq; primò. Voluntas aũt peccantis mortaliter fruitur simpliciter, quia quantũ est ex parte voluntatis quietantis seipsã quietaret, & quietat se in obiecto, quod propter se amat; sed non simpliciter quietatur, quantũ est ex parte obiecti, nec frui illud requirit: sed quia obiectum non est de se quietatiuum, sicut potentia actu suo se quietat in ipso, ideo est fruitio inordinata.

Sed tunc est Dubitatio. Quo obiecto peccãs mortaliter fruitur? an. s. actu suo, an obiecto sui actus. Respondeo.

A Quòd cõmuniter fruitur seipso; quia obiectum actus sui amat amore concupiscentiæ, & per consequens aliquid aliud amat amore amicitiæ, quia omnem amorem concupiscentiæ præcedit amor amicitiæ; illud autem aliud, est ipsemet, cui vt amato amore amicitiæ appetit illud obiectum; vnde non fruitur obiecto sui actus, nec per consequens ipso actu, super quem non oportet primò reflecti. Hæc est sententia Aug. de ciuit. Dei lib. 14. cap. 28. & super Gen. lib. 11. & cap. 22. vel libro 2. cap. 8. quòd *duas ciuitates fecerunt duo amores, ciuitatem diaboli, amor sui, vsque ad cõtemptum Dei, ciuitatem Dei, amor Dei, vsque ad contemptum sui*; ergo prima radix ibi est quòd peccans fruitur se.

Ad Quæstionem penultimam. Dici potest. Quòd appetitus sensitiuus, licèt aliqualiter alicui inhæreat propter se, id est, non propter alterum negatiuè, quia non est eius referre ad aliud; non tamen contrariè, quia non appretiatur obiectum vt non referibile ad aliud, ideò abusiuè dicitur frui propter non relationẽ; non tamen propriè, quia non irreferibiliter inhæret. Similiter nec amore inhęret, B quia eius propriè non est amare. Similiter nec propriè inhæret, quia non se applicat obiecto, sed quasi infigitur vi obiecti, quia *non ducit se, sed ducitur*, secundùm Damasc. lib. 2. c. 24. Et in sequendo dictam parabolam de quietatione corporum, posset dici, quòd appetitus sensitiuus assimilatur ferro, quasi adamanti infixo, vi adamãtis attracto: & sic nec in cẽtro mediatè, nec immediatè quietatur, nec in aliquo alio, vi illa quæ esset quietatiua in centro, vel intrinseca quietatiua in aliquo, quasi in centro, sed tãtùm quasi vi extrinseci quietantis: ita hæc vis obiecti quietat, non autem illa intrinseca quietatiua in centro, vel quasi in centro, quæ est sola libertas, quæ appetitui sensitiuo non conuenit.

Ex his patet ad vltimam Quæstionem. Quia si ab appetitu sensitiuo negetur frui propriè, qui tamẽ magis cõuenit cum voluntate, cuius propriè est frui, quàm appetitus naturalis; quia actus appetitus sensitiui sequitur actũ cognoscendi, sicut actus voluntatis actum intelligendi; C non sic autem actus appetitus naturalis, si quis sit actus eius, sequitur, quòd habenti solùm appetitum naturalem, non conuenit frui propriè, imò nec sic abusiuè, sicut competit appetitui sensitiuo.

Ad Argumenta principalia. Ad illud Primæ quæstionis. Dico (sicut dictum est quæst. 1. huius distinct. artic. 4.) Quòd ratio finis non est propriè ratio fruibilis, sed ratio illius boni absoluti, cui conuenit ratio finis: licèt igitur Deus non sit finis sui, tamen respectu voluntatis suę est illud obiectum absolutum, cui nata est competere ratio finis, quia est summum bonum; non tamen potest sibi cõpetere ratio finis respectu sui; sicut nec respectu sui est finis, sed respectu omnium finibilium, qualia sunt bona ordinabilia ad aliud.

Si obijciatur. Quomodo ergo Deus dicitur agere propter finem, & etiam quòd superioris agentis est superior finis? Respondeo. Respectu nullius est causa finalis aliqua, nisi respectu cuius est causa efficiens, quia causalitas causæ finalis est mouere efficiens ad agendum. Dei igi- D tur in effectibilis, nihil est causa finalis.

Sed illud Primum dictum vulgatum: debet intelligi, quòd agit propter finem effectus, non propter finem sui, quia non est agens sui. Similiter Secundum dictum debet intelligi de fine effectus; quia agens superius ordinat, non se, sed effectum suum ad finem vniuersaliorem, vel superiorem, & ita ille finis superior est agentis, non vt finis eius, sed ad quem ordinat illud quod agit.

Ad Argumentum Secundæ quæstionis. Dico, quòd E præter actum desiderij qui est respectu non habiti, quo viator iustus appetit Deum actu concupiscentiæ, habet iustus alium actum amicitiæ, volendo Deo in se benè esse, & hic actus amicitiæ est fruitio, non autem ille, qui est desiderij: & iste secundus propriè est charitatis, non autẽ primus, qui est desiderij: sicut dicetur lib. 3.

Ad Primum argumentum Tertiæ quæstionis. Potest exponi Maior: quia inhærens mobili, non quiescit simpliciter, licèt inquantum est ex parte sui, sic quietet se in illo; & ita concedenda est hæc conclusio, quòd peccans mortaliter non simpliciter quietatur, licèt quantùm est ex parte ipsius, sic actu suo se quietare volentis, vltimatè se quietet in immobili. Si addatur. Quòd nihil fruitur, nisi simpliciter in illo quietetur. Negandum est; sed oportet addere, nisi simpliciter quietetur, quantùm est ex parte ipsius actus; quo scilicet inhæret obiecto, & etiam quantùm est ex parte obiecti, in fruitione ordinata. Nec hìc debet intelligi quietatio summa; quia omnem quietationẽ vię, sequitur maior patriæ, sed propter actum irreferibilem, ita F acceptantem obiectum.

Ad Secundum. Potest maior negari; quia licèt amore ordinato nullus fruatur aliquo, nisi quo non vult aliquem vti, sed frui, tñ amore inordinato benè potest quis frui, quo non vult alium frui, sed tantùm vti, vel illud nullo modo amare; sicut patet de zelotypia inordinata. Ad probationem Maioris: potest dici: quòd licèt fruens appretietur fruibile, tanquam summum bonum, non tamen vult illud ab omnibus sic appretiari, quando inordinatè sic fruitur. Non igitur sequitur: vult istud esse summum bonum, vel amat illud, quasi summũ bonum; ergo vult alios sic amare illud. Aliter potest responderi: negando Minorem. Ad probationẽ: cùm dicitur: vult fruibile esse; ergo vult illud esse à Deo: non sequitur. Nec sequitur etiam, vult illud esse à Deo; ergo vult Deum vti illo. Et causa defectus vtriusque consequentiæ est; quia non oportet volentẽ antecedens, velle consequens, quãdo consequens non includitur per se in antecedente, sed tantùm sequitur per locũ G extrinsecum: ita est in proposito.

Ad auctoritatem Aug. ad Quartam quęstionem. Patet, quòd exponenda est auctoritas eius de fruitione abusiua, siue extendendo nomen fruitionis; quia appetitus sensitiuus non refert; intelligendo negatiuè; nec cõtrariè, quia non inhæret obiecto, tanquam irreferibili, quia licèt irreferibili à se, hoc est ratione impotentiæ naturalis in ipso, non ratione bonitatis obiecti verè, vel in acceptatione potentiæ. De differentia istorum, non referri negatiuè, contrariè, & priuatiuè, dicetur 2. lib. dist. 41.

Ad Argumentum Quæstionis vltimæ. Patet, quòd licèt appetitus naturalis alicui inhæreat propter se negatiuè, non tamen contrariè, vt in pluribus, & si quandoque cõtrariè, non tamen amore inhæret, sed nec etiam propriè inhæret, sed ab ipso dante naturam, quasi infigitur illi obiecto, non quidem per actum elicitum alium à natura, sicut est in appetitu etiam sensitiuo, sed per inclinationem habitualem naturæ; vnde (sicut prædictum est,) minùs conuenit sibi frui, quàm appetitui sensitiuo, qui per actũ H elicitum quasi obiecto iam cognito inhæret, licèt non liberè: appetitus autẽ naturalis sine omni cognitione perpetuò inclinatur. Ex dictis de Frui, & specialiter in quæstion. 3. huius distinct. patere potest de Vti, qui est actus quidam voluntatis imperfectior, ad Frui, sicut ad actum perfectiorem eiusdem potentiæ, ordinatus.

DISTINCTIO SECVNDA.

Circa istam Secundam Distinctionem, in qua Magister agit de Essentia Dei, & eius vnitate, & Personarum pluralitate quæruntur Septem. Nam circa Primam partem quæruntur tria: duo de eius Essentia, & vnum de eius vnitate.

QVÆSTIO PRIMA.

Vtrum aliquod Infinitum esse, siue, an Deum esse, sit per se notum.

QVòd sic. Probo. Damasc.lib.1.cap.1.& 3. Eius quòd est Deum esse cognitio, omnibus est naturaliter inserta; sed illud est per se notũ, cuius notitia omnibus inserta est, sicut patet ex 2. Met. t. 1. & 4. quòd prima principia (quæ sunt quasi ianua) sunt per se nota; ergo &c.

Præterea. Illud quo nihil maius cogitari potest esse, est per se notum: Deus aũt est huiusmodi; secundùm Ansel. Prosol. 2. illud autem non est aliquod finitum; ergo infinitum. Prima consequentia probatur. Quia oppositum prædicati repugnat subiecto: si enim non est in re, non est quo maius cogitari non potest, quia si esset in re, maius esset quàm si non esset in re, sed tantùm in intellectu.

Item. Veritatem esse, est per se notum. *Deus autem est veritas* (*Ioan.3.& 4.& 18.It. Apoc.15.*) ergo Deum esse est per se notum. Probatio Maioris. Quia sequitur ex suo opposito; si enim nulla veritas est; ergo verum est nullam veritatem esse; ergo veritas est.

Item. Propositiones habentes necessitatem secundùm quid, ex terminis habentibus entitatem secundùm quid, sunt per se notæ: sicut prima principia, quæ sunt per se nota ex terminis habentibus esse in intellectu; ergo multò magis erit illa per se nota, quæ habet necessitatem ex terminis simpliciter necessarijs, qualis est ista, Deus est. Assumptum patet. Quia necessitas primorum principiorũ, & veritas, & noscibilitas eorum, non est propter existentiam terminorum in re, sed tantùm propter connexionem extremorum, vt sunt in intellectu concipiente.

Contra. Per se notum, non potest ab aliquo negari; sed *dixit insipiens in corde suo, non est Deus.* (*Psal.13.& 52.*) Item Auic. 1. Meta. Deum esse non est per se notum; nec desperatum cognosci.

ARTICVLVS PRIMVS.

Declaratur quid sit Propositio per se nota.

QVoniam secundùm Philosophum 2. Met. t. 15. absurdum est simul quærere scientiam & modum sciendi: ideo primò respondeo ad illam Quæstionem, quæ quærit de modo cognoscendi istam, Deus est. Et quantùm ad istam. Primò assigno rationem propositionis per se notę. Et dico, quòd cùm dicitur. Propositio per se nota, ly per se, non excludit quamlibet causam; quia non excludit terminos propositionis, nulla enim propositio per se nota, est exclusiua notitiæ terminorum; quia principia prima cognoscimus, inquantum terminos cognoscimus, (*ex 1. post. cap.6.*) sed excluditur quæcunque causa, & ratio, quæ est extra per se conceptum terminorum propositionis per se notæ. Dicitur igitur Propositio per se nota, quæ ex terminis proprijs, qui sunt aliquid eius, vt sunt eius; habet veritatem euidentem; & non propter aliquid aliud, quod sit extra terminos proprios habet euidentiam, sed ex se tantùm, vt Omne totum est maius sua parte.

Vlteriùs. Qui sunt illi termini proprij, ex quibus debet esse euidens? Dico. Quòd quoad hoc alius terminus est diffinitio, alius diffinitum, & hoc, siue accipiantur termini propositionis pro vocibus significantibus, siue pro cõceptibus significatis: quod probo ex 1. Poster. Quia Quod quid est alterius extremi, est medium in demonstratione; ergo altera præmissarum non differt à conclusione, nisi sicut diffinitum à diffinitione, & tamen præmissa est principium per se notum, conclusio autem non est per se nota, sed demonstrata; ergo quantùm ad rationem propositionis per se notæ, alius terminus est diffinitio à diffinito; quia si esset idem conceptus diffinitionis & diffiniti, in demonstratione potissima esset petitio principij: itẽ tunc essent ibi duo termini tantùm, quod est falsum.

Hoc probatur Secũdò sic, per Arist. 1. Phy. *Quòd nomina sustinent ad diffinitionem, hoc quod totum ad partes*, id est, quòd nomen est priùs notum diffinitione. Ex hoc arguitur. Impossibile est eundem conceptum esse priorem & posteriorem; haberi, & non haberi de eadem re; sed idem potest priùs concipi secundùm nomen, quàm secundùm diffinitionem; nomen autem confusè importat, quod diffinitio distinctè; quia diffinitio diuidit in singularia; ergo conceptus quidditatis, prout importatur per nomen confusè, est priùs notus naturaliter, quàm conceptus eius, vt importatur distinctè per diffinitionem; & ita alius conceptus, & aliud extremum.

Ex duobus declaratis infero propositum sic. Cùm propositio sit per se nota, quæ ex proprijs terminis habet euidentem veritatem, & alij termini sunt conceptus quidditatis distinctè, vt importatur per diffinitionem, & conceptus quidditatis confusè, vt importatur per nomen; sequitur quòd propositio non est per se nota quidditate cõfusè accepta, quæ non est nota, nisi eadem distinctè concipiatur per diffinitionem.

Hæc etiam eadem Conclusio probatur. Quia aliàs quęlibet proposito necessaria, quæ est vera per se primo modo, vt Homo est animal, & corpus, vsque ad substantiam, esset per se nota: quod tamen non est verum; nam si ratio vtriusque extremi assignatur ex rationibus extremorum distinctè conceptis, apparet manifestè, quòd vnum extremum includit aliud.

Similiter. Aliàs quælibet propositio esset per se nota, in scientijs specialibus, quam Metaphysicus posset habere per se notam ex diffinitionibus extremorum: quod nõ est verum; quia Geometer non vtitur aliquibus principijs tanquam per se notis, nisi quæ habent euidentem veritatem ex terminis confusè cognitis, puta concipiendo lineã confusè, euidens est quòd linea est longitudo sine latitudine, non concipiendo adhuc distinctè, ad quod genus pertineat linea, sicut considerat Metaphysicus. Alias autem propositiones quas Metaphysicus posset cognoscere, puta, quòd linea est species quantitatis continuæ, distincta contra superficiem & corpus, & huiusmodi: tales propositiones non habet Geometer pro per se notis.

Patet hoc Tertiò. Quia benè stat demonstratio alicuius prædicati de diffinito, cum hoc, quòd illud prædicatum sit per se notum de diffinitione; sicut habere tres, est demonstrabile de Triangulo, cùm tamen notum sit per se de eius diffinitione, quòd omnis figura plana &c.

Est igitur omnis & sola illa propositio per se nota, quæ ex terminis sic conceptis, vt sunt eius termini, nata est habere euidentem veritatem complexionis.

Ex hoc patet. Quòd non est distinguere inter propositionem esse per se notam, & per se noscibilem (*Cont. D. Tho.1.par.sum.q.2.art.1.in sol.princip.*) quia idem sunt. Nam propositio non dicitur per se nota, quia ab aliquo intellectu actualiter cognoscatur per se, tunc enim si nullus

A lus intellectus actu cognosceret, nulla propositio esset per se nota; sed dicitur per se nota, quia quantùm est de natura terminorum, nata est habere euidentem veritatẽ contentam in terminis, etiam in quocunque intellectu concipiente terminos; si tamen aliquis intellectus nõ cõcipiat terminos, & ita non concipiat propositionem, non minùs est per se nota, quantùm est de se: & sic loquimur de propositione per se nota.

Ex his etiam patet. Quòd nulla est distinctio (*D. Tho. vbi sup.& 1.prior.cap.1.*) de per se nota in se, & in nobis. Quia quæcunque est in se, & per se nota, cuicunque intellectui est per se nota, licèt non actu cognita, tamen quantùm est ex terminis est euidenter nota, si termini concipiantur: sicut patet de Syllogismo perfecto, qui nullius indiget, vt appareat necessarius.

Item, propter idem non valet illa distinctio. (*D. Tho. vbi sup.et in 2.q.94.a.2.et Alex.de Ales 1.par.q.3.*) Quòd aliquid est per se notum sapientibus, vel insipientibus. Quia hoc totum pertinet ad cõceptionem terminorum, B quæ præsupponitur ad intellectum propositionis per se notæ.

Nec illa distinctio valet. (*Guid.Var.lib.1.dist.2.q.8.*) Quòd aliquæ sunt per se notæ primi ordinis, aliquæ secundi. Quia quæcunque per se notæ propositiones, conceptis terminis proprijs, sicunt sunt termini earum, habent euidentem veritatem in ordine suo.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Resolutio datur præsentis Quæstionis.

EX his ad Quæstionem Dico. Quòd propositio illa est per se nota, quæ coniungit ista extrema esse, & Essentiam Diuinam, vt est hæc. Quia illa propositio ex terminis suis habet euidentem veritatem, intantum, quòd illa propositio non est per se secundo modo; quasi prædicatum sit extra rationem subiecti, sed est per se primo modo, & immediata, & ex terminis euidens; quia est im- C mediatissima, ad quam resoluuntur omnes propositiones enunciantes aliquid de Deo, qualitercunque concepto.

Est igitur ista, Deus est, vel Hæc essentia est, per se nota; quia ista extrema nata sunt facere euidentiam de ista complexione, cuilibet apprehendenti perfectè extrema istius complexionis, quia esse nulli perfectiùs conuenit, quàm huic essentiæ. Sic ergo intelligendo per nomẽ Dei aliquid, quod nos nõ perfectè cognoscimus nec concipimus, vt hãc Essẽtiã Diuinã, sic hæc est p se nota, Deus est.

Sed si quæritur. An esse insit alicui conceptui, quem nos concipimus de Deo, ita quòd sit propositio per se nota, in qua enunciatur esse de tali cõceptu, puta in tali propositione, cuius extrema possunt à nobis cõcipi; potest enim in intellectu nostro esse aliquis conceptus de Deo dictus, non communis sibi & creaturæ, puta necessarium ens, vel ens infinitum, vel summum bonum, & de tali conceptu possumus prædicare esse eò modo quo à nobis concipitur, puta necessarium esse.

Dico. Quòd nulla talis est per se nota propter tria. Pri- D mò. Quia quælibet talis conclusio est demonstrabilis etiam Propter quid. Probo. Quicquid primò & immediatè conuenit alicui, de quolibet quod est in eo, siue sibi superiori siue inferiori, vel de passione, potest demonstrari Propter quid, per illud cui primò conuenit tanquam per medium. Exemplum. Si Triangulus primò habet tres angulos, æquales duobus rectis, de quolibet contento in Triangulo potest demonstrari, quòd habeat tres angulos demonstratione Propter quid, per medium, quòd est Triangulus, puta quòd aliqua figura habet tres &c. de qualibet etiam specie Trianguli, quòd habeat tres, licèt non primò; esse autem primò conuenit huic Essentiæ, vt hæc, quomodo Essentia videtur à Beatis; ergo de quolibet quod est in hac Essentia, quod potest à nobis concipi, siue sit quasi superius, siue quasi passio, potest demonstrari esse per hanc Essentiam sicut per medium, demonstratione Propter quid, sicut per hanc, Triangulus habet tres, demonstratur quòd aliqua figura habet tres. Et per consequens non est per se nota ex terminis, quia tunc non demonstraretur Propter quid. E

Secundò sic. Propositio per se nota cuilibet intellectui ex terminis cognitis est euidens; sed hæc propositio, Ens infinitum est, non est nota siue euidens nostro intellectui ex terminis. Probatio. Tales enim terminos priùs cõcipimus, quàm eam credamus, vel per demõstrationem sciamus; & in isto priori non est nobis euidens: non enim certitudinaliter eam tenemus ex terminis, nisi per fidem, vel demonstrationem.

Tertiò. Quia nihil est per se notũ de cõceptu nõ simpliciter simplici, nisi sit per se notum partes illius conceptus vniri; nullus autem conceptus quem habemus de Deo proprius sibi, & non conueniens creaturæ, est simpliciter simplex; vel saltem nullus quem nos distinctè percipiamus esse proprium Deo, est simpliciter simplex; ergo nihil est per se notum de tali conceptu, nisi per se notum sit partes illius conceptus vniri; sed hoc non est per se notum, quæ vnio illarum partium demonstratur per duas rationes: Ergo, &c. Maior manifesta est per Philos. 5. Metaph. F 34.cap.de falso; quia ratio in se falsa, est de omni falsa; ergo nulla ratio est de aliquo vera, nisi sit in se vera; ergo ad hoc quòd cognoscatur aliquid esse verũ de aliqua ratione, vel ipsam esse veram de aliquo, oportet cognoscere ipsam esse veram in se: non est autem ratio in se vera, nisi partes illius rationis sint vnitæ; & sicut oportet scire, quantùm ad prædicationes quidditatiuas, quòd partes illius rationis possent vniri quiditatiuè, puta quòd altera contineat alteram formaliter, ita quantùm ad veritatem propositionis enunciantis esse, oportet cognoscere partes rationis subiecti vel prædicati vniri actualiter. Exemplũ. Quemadmodum ista, Homo irrationalis est animal, nõ est per se nota, loquendo de prædicatione quidditatiua; quia subiectum in se includit falsum, & ita est propositio includens in se contradictoria: ita ista, Homo albus est, non est per se nota, nisi per se notum sit hominem, & album actu coniungi; quia si non coniunguntur actu, hæc est vera. Nihil est homo albus, & per consequens sua cõ- G uersa est vera. Nullus homo albus est aliquid; ergo sua contradictoria falsa, Homo albus est aliquid. Probatio Minoris. Quemcunque conceptum cõcipimus, siue boni, siue veri, si non contrahitur per aliquid, vt non sit cõceptus simpliciter simplex, vt dicendo, summum bonũ, vel infinitum bonum, vel increatum, vel immensum, & sic de alijs: nullus talis est proprius Deo. Voco autẽ conceptũ simpliciter simplicem, qui non est resolubilis in aliquos conceptus simplices, quorum quilibet possit actu simpliciter distinctè cognosci.

Ex ista ratione vltima patet responsio ad quasdam instantias. Cùm arguitur, hæc est per se nota, Necesse esse est. Probatio; quia oppositum prædicati repugnat subiecto; Si.n.nũ est, nõ est necesse esse. Hæc ẽt est per se nota, Deus est, quia secundùm communem expositionem quã ponit Damasc.l.1.c.12. Deus dicitur ab operatione actuali fouere, vel ardere, vel considerare: ergo secundùm communem acceptionem, idem est, Deus est, sicut operans actu est, quæ videtur per se nota; quia vt priùs, oppositum prædicati repugnat subiecto, scilicet quòd sit actu operans, & quòd non sit. H

Dicitur (*à Guil.Varr.lib.1.d.2.*) quòd hæc propositio, Operans actu est, potest prædicare esse tertium adiacens vel secundum, & ita prædicari esse, vt nunc; vel esse habituale: primo modo non est per se nota, secundo modo est per se nota. Sed hoc non est Logicè dictum. Quia secundùm Philos. 2. Periherm. Esse non prædicat tertium, nisi quando tertium adiacet sibi tanquam prædicatum, quãdo autem nullum adiacet sibi tertium, prædicat esse proprium, quod est prædicari secundum adiacens; hìc nihil adiacet sibi; igitur prędicat præcisè quod in se est, & ita prædicatur esse secundum.

Ideo aliter Respondeo ad instantias. Quòd nulla istarũ propositionum est per se nota, Necesse esse est, vel, Operans actu est; quia non est per se notum partes, quæ sunt in subiecto, vniri actualiter. Cùm dicitur. Oppositũ prædicati repugnat subiecto. Dico, quòd nõ sequitur ex hoc, pro-

A propoſitionem eſſe per ſe notam,niſi illa repugnantia ſit euidens,& etiam hoc ſit euidens,vtrumque extremũ habere conceptum ſimpliciter ſimplicem, vel cõceptus partium vniri,ſi non ſit conceptus ſimpliciter ſimplex .

Contra iſtud. Si oppoſitum prædicati repugnat ſubiecto,vt ſi non animal repugnat homini , ſequitur quòd ſi homo eſt,animal eſt; ergo conſequentia eſt bona,ponendo ſubiectum in aliquo antecedente,& prædicatum in aliquo conſequente, inferendo conſequens ex tali antecedente,puta A. eſt neceſſe eſſe;ergo A.eſt;quia oppoſitum conſequentis repugnat antecedenti:ſed omnis conſequẽtia neceſſaria tenet virtute alicuius Cathegoricæ neceſſariæ & veræ,illa autem Cathegorica eſt quæ vnit extrema, ratione quorum tenet conſequentia ; ergo talis propoſitio eſt neceſſaria, puta illa, Neceſſe eſſe eſt, vel , Operans actu eſt.

Reſpondeo. Quando in antecedente includuntur duo B oppoſita,& infertur conſequens,non infertur ratione alicuius totius extremi, quia totum extremum nullum vnum conceptum facit,ſed tantùm ratione alterius partis extremi,puta ſequitur,homo irationalis eſt, ergo animal eſt; ratio conſequentiæ non eſt homo irrationalis, quia nullum vnum conceptum facit,ſed homo in antecedẽte, infert animal in conſequente: & ideo Cathegorica per ſe vera debet formari ex illis extremis,quæ erit iſta, Homo eſt animal. Ita in propoſito;ſi propoſitio habeat extremũ non ſimpliciter ſimplex,cuius partes non ſunt per ſe notæ vniri,& aliquid infertur ratione talis extremi nõ ſimpliciter ſimplicis, infertur ratione alterius partis, quæ includit illud quod infertur in conſequente,& ideo tenet in virtute Cathegoricæ coniungentis illa duo, alterã ſcilicet partem extremi antecedentis , & alteram partem conſequentis:ita eſt hìc,Eſſe eſt,non autẽ Neceſſe eſſe eſt. Per idem patet ad aliud,Si non eſt actu,non eſt operans:ergo per oppoſitum,ſi eſt operans,eſt ens actu. Reſpondeo. In ſubiecto includuntur plura , quorum alterum eſt præcisè ratio conſequentiæ, non autem totum , & ideò non eſt C propoſitio neceſſaria,vniendo totum extremum antecedentis cum extremo conſequentis.

Principalia Argumenta diluuntur.

AD Argumenta principalia. Ad Primum, ſcilicet ad Damaſc. Poteſt exponi de potentia cognitiua naturaliter nobis data , per quam ſtatim ex creaturis poſſumus cognoſcere Deum eſſe,ſaltem in rationibus generalibus,& ibi ſubdit qualiter cognoſcitur ex creaturis . Vel de cognitione Dei ſub rationibus communibus , conuenientibus ſibi & creaturis,quę cognita perfectiùs & eminentiùs ſunt in Deo,quàm in alijs. Quòd autem non loquatur de cognitione actuali & diſtincta Dei; patet per hoc quod dicit ibi . Nemo nouit eum niſi quantùm ipſe reuelauit .

Ad Secundum. Dico,quòd Anſel.non dicit illam propoſitionem eſſe per ſe notam. Quod apparet;quia nõ poteſt inferri ex deductione eius,quòd iſta propoſitio ſit ve- D ra,niſi ad minùs per duos Syllogiſmos:quorum alter iſte eſt, Omni non ente,ens eſt maius; ſummo nihil eſt maius; ergo nullum ſummum eſt non ens, ex obliquis in ſecundo ſecundæ. Alter vero Syllogiſmus eſt iſte, Quod nõ eſt non ens,eſt ens; ſummũ non eſt non ens;ergo eſt ens. Quomodo autem ratio eius valeat , dicetur in ſequenti quæſt.artic.6.quod fiet ad infinitatem probandã. Ad probationem Maioris. Dico,quòd Maior non eſt per ſe nota. Cùm probatur. Quia oppoſitum prædicati repugnat ſubiecto.Dico,quòd non eſt per ſe euidens, oppoſitũ prædicati repugnare ſubiecto,nec per ſe euidens eſt,ſubiectũ habere conceptum ſimpliciter ſimplicem,vel quòd partes illius vniantur in effectu , & ambo iſta requiruntur ad hoc,quòd propoſitio iſta eſſet per ſe nota.

Ad Tertium. Dico,quòd veritatem in communi eſſe, eſt per ſe notum; ergo Deum eſſe;nõ ſequitur:ſed eſt fallacia conſequentis. Aliter poteſt negari Maior. Cùm probatur.Si nulla veritas eſt;ergo nullam veritatem eſſe , eſt verum.Conſequentia non valet;quia veritas , aut accipitur pro fundamento veritatis in ſe , aut pro veritate in E actu intellectus componentis,aut diuidentis; ſi autẽ nulla veritas eſt,nec verum eſt aliquam veritatem eſſe ; quia nec veritatem rei,quia nulla res eſt;nec veritatem intellectus componentis & diuidentis,quia nullus eſt : benè tamen ſequitur.Si nulla veritas eſt;ergo non eſt verum aliquam veritatem eſſe, quia nulla eſt ; ſed non ſequitur vltra;ergo verum eſt aliquam veritatem non eſſe: eſt enim fallacia conſequentis,à negatiua habente duas cauſas veritatis,ad affirmatiuam;quæ eſt vna illarum .

Ad vltimum. Dico,quòd propoſitiones non dicuntur per ſe notæ,quia extrema habent maiorem neceſſitatem in ſe,vel maiorem entitatem in ſe extra intellectum , ſed quia extrema,vt ſunt extrema talis propoſitionis , oſtendunt euidenter complexionem eſſe conformem rationibus terminorum, & habitudini eorum,& hoc,qualecunque eſſe termini habeant,ſiue in ſe,ſiue in intellectu: euidentia enim huius conformitatis, eſt euidentia veritatis in propoſitione,quòd eſt propoſitionem eſſe per ſe notã ; nunc autem iſta,Ens infinitũ eſt,in intellectu noſtro non F nata eſt habere euidentiam ex terminis ; ſed benè iſta , Omne totum eſt maius ſua parte, vel aliqua conſimilis , in quocunque intellectu concipiente terminos , nata eſt habere talem euidẽtiam ex terminis; quia ex terminis eſt euidens,quòd iſta complexio eſt cõformis habitudini , ex rationibus terminorum , qualecunque eſſe termini habeant,& ideo licèt minor ſit neceſſitas terminorum, non ſequitur quòd ſit minor euidentia,propoſitionum .

QVÆSTIO SECVNDA.

Vtrum in entibus ſit aliquid actu exiſtens infinitum.



Vòd non ſit,arguitur . Si vnum contrarium eſſet in natura actu infinitum , nihil ſibi contrarium eſſet in natura ; ergo ſi aliquid bonũ ſit actu infinitum, nihil mali eſſet in vniuerſo. Reſpondetur. Quòd maior eſt vera de contrarijs formaliter , nullum autem malum contrariatur Deo for- G maliter .

Contra. Siue formaliter , ſiue virtualiter contrarietur (ſi eſt infinitum) nihil patitur contrarium ſui effectus ; quia propter infinitam virtutem , deſtruet omne incompoſſibile ſuo effectui;ergo maior eſt ita vera de contrario virtualiter,ſicut formaliter.Et eſt exemplum . Si Sol eſſet infinitè calidus virtualiter, nihil relinqueret frigidum in vniuerſo,ſicut nec ſi eſſet infinitè calidus formaliter .

Item. Corpus infinitum nullum aliud corpus ſecũ cõpatitur; ergo nec ens infinitum aliud ens cum eo. Probatio conſequentiæ. Tum quia,ſicut repugnat dimenſio dimenſioni , ita videtur actualitas actualitati repugnare : Tum quia,ſicut ſi eſſet aliud corpus ab infinito , faceret cum illo aliquid maius infinito,ita ſi eſſet ens aliud ab infinito,faceret aliquid maius infinito.

Præterea. Quod ita eſt hìc,quòd non alibi, eſt finitum reſpectu Vbi; & quod ita eſt nunc,quòd non aliàs , eſt finitum reſpectu Quando, & ita de alijs; & quod ita agit hoc,quòd non aliud,eſt finitum ſecundùm actionem; er- H go quod eſt ita hoc aliquid,quòd non eſt aliud , eſt finitũ ſecundùm entitatem; Deus autem eſt ſummè hoc, quia ex ſe eſt quædam ſingularitas; ergo non eſt infinitus .

Item 8. Phyſic.t.79. Virtus infinita ſi eſſet , moueret in non tempore ; nulla virtus poteſt mouere in non tempore;ergo &c.

Contra. Ibidem Philoſ.8.Phyſ.t.78. & vlt. probat primum mouens eſſe potentiæ infinitæ , quia mouet motu infinito; ſed hæc concluſio non poteſt intelligi tantùm de infinitate durationis, quia propter infinitatem potentiæ probat quòd non poſſit eſſe in magnitudine,nõ repugnat autem magnitudini. (ſecundùm eum) quòd in ea ſit potentia infinita ſecũdùm durationem, ſicut ponit in cælo.

Item. Pſalm. *Magnus Dominus,et laudabilis nimis,et magnitudinis eius non eſt finis.* Item. Dam.c.4. *Eſt pelagus infinita continens.*

ARTI-

A

ARTICVLVS PRIMVS.

Ostenditur aliquid esse in Entibus simpliciter primum secundum efficientiam; secundum rationem finis; et secundum eminentiam.

AD istam Quæstionem sic procedo. Quia de ente infinito non potest demonstrari esse demonstratione Propter quid, quãtùm ad nos, licèt ex natura terminorũ, propositio est demonstrabilis Propter quid, sed quantùm ad nos propositio est demonstrabilis demonstratione Quia, ex creaturis; proprietates autem infiniti entis relatiuæ ad creaturas, immediatiùs se habent ad illa, quę sunt media in demonstratione Quia, quàm proprietates absolutę, ita quòd de proprietatibus relatiuis immediatiùs potest concludi esse, per illa quæ sunt media in tali demonstratione, quàm de proprietatibus absolutis, nã immediatè ex esse vnius relatiui sequitur esse sui correlatiui. Ideo B primò declarabo esse de proprietatibus relatiuis entis infiniti, & secundò ex his declarabo esse de ente infinito; quia istæ proprietates relatiuæ soli enti infinito cõueniũt. Et ita erunt duo articuli principales.

Quantùm ad Primum Articulum. Dico, quòd proprietates relatiuæ infiniti entis ad creaturas, aut sunt proprietates causalitatis, aut eminentiæ. Causalitatis duplicis; aut efficientis aut finis. Quod additur de causa exemplari, nõ est aliud genus causæ ab efficiente, quia tunc essent quinque genera causarum; vnde causa exemplaris est quoddã efficiens, quia agens per intellectum, distinctum cõtra agens per naturam; de quo aliàs.

In Primo ergo Articulo principali, tria principaliter ostendam. Primò videlicet. Quòd aliquid est in effectum inter entia, quod est simpliciter primum secundùm efficientiam, & aliquid est simpliciter primum secundùm rationem finis, & aliquid est simpliciter primum secundùm eminentiam. Secundò principaliter ostendam. Quòd il- C lud quod est primum secundùm vnam rationem primitatis, idem est primum secundùm alias primitates. Tertiò ostendam. Quòd ista triplex primitas, vni soli naturæ cõuenit, ita quòd non pluribus naturis differentibus specie, vel quidditatiuè. Et ita in Primo Articulo erunt tres Articuli minùs principales.

Primus Articulus istorum, includit tres Conclusiones principales, secundùm triplicẽ primitatem, quælibet autẽ istarum trium Conclusionum habet tres ex quibus depẽdet. Prima est. Quòd est aliquod primum sic. Secunda. Quòd illud est incausabile. Tertia. Quòd illud actu existit in entibus. Itaque in Primo Articulo sunt nouem Cõclusiones, sed tres principales.

Prima Conclusio istarum, est ista. Quòd aliquod effectiuum sit primum simpliciter, ita scilicet quòd non sit effectibile, nec effectiuum virtute alterius à se. Quod probo sic. Aliquod ens est effectibile; aut igitur à se, aut à nullo, aut ab aliquo alio; non à nullo, quia nullius est causa illud quod nihil est; nec à se, quia nulla res est quæ seipsã D faciat vel gignat. Aug. 1. de Trin. c. 1. ergo ab alio effectiuo; illud aliud sit A. Si A. est primum hoc modo exposito, habeo propositum; si non est primum; ergo est posterius effectiuum, quia effectibile ab alio, vel virtute alterius effectiuum, si enim negetur negatio, ponitur affirmatio; detur illud alterum quod sit primum, & sit B. de quo arguitur sicut de A. argutum est; & ita aut procedetur in infinitum, quorum quodlibet respectu prioris erit secundùm, aut stabitur in aliquo non habente prius; infinitas autem est impossibilis, in ascendendo. (*1. Post. 8. Phys. 2. & 12. Met. & alibi*) ergo primitas est necessaria; quia nõ habens prius, nullo priore se est posterius, nam circulum in causis esse, est inconueniens.

Cõtra istam rationem instatur dupliciter. Primò. Quia secundùm Philosophantes infinitas est possibilis in ascẽdendo, sicut ponunt exemplum de generationibus infinitis (*8. Phys. et 2. de gener. t. 56. et 58.*) vbi nullum est primũ, sed quodlibet secundum, & tamen hoc ab eis sine circulo ponitur. Secundò. Videtur quòd illa ratio procedat ex cõtingentibus, & ita non sit demonstratio. Antecedens pro- E batur. Quia præmissæ assumunt esse de aliquo causato; omne autem tale contingenter est.

Ad primam instantiam excludendam. Dico, quòd Philosophi non posuerunt infinitatem possibilem in causis essentialiter ordinatis, sed tantummodo in accidentaliter ordinatis, sicut patet per Auic. 6. Met. c. 5. vbi loquitur de infinitate indiuiduorum in specie.

Et ad propositum meliùs ostendendum. Sciendum est, quæ sunt causæ essentialiter ordinatæ, & quæ accidentaliter ordinatæ. Vbi notandũ: quòd aliud est loqui de causis per se, & per accidens; & aliud est loqui de causis essẽtialiter, siue accidentaliter ordinatis: nam in primo tantũ est comparatio vnius ad vnum, causæ videlicet ad causatum: & est causa per se, quæ secundùm naturam propriã, & non secundùm aliquid sibi accidẽs causat, & causa per accidens è conuersò. In secundo est comparatio, duarum causarum inter se, inquantum ab eis est aliquid causatũ.

Et differunt causæ per se, siue essentialiter ordinatæ, à causis per accidens, siue accidentaliter ordinatis in tribus. F Prima differẽtia est. Quòd in causis per se ordinatis, causa secunda inquantum causat, dependet à prima; in causis verò per accidens non, licèt in esse, vel in aliquo alio dependeat. Secunda est. Quòd in causis per se, & essentialiter ordinatis, est causalitas alterius rationis, & alterius ordinis, quia superior est perfectior; in accidentaliter autem ordinatis, nõ: Hæc sequitur ex prima; nam nulla causa à causa eiusdem rationis dependet essentialiter in causando, quia in causatione alicuius sufficit vnum vnius rationis. Tertia est. Quòd omnes causę per se, & essentialiter ordinatæ, simul necessariò requiruntur ad causandũ, alioquin aliqua per se causalitas deesset effectui; in accidentaliter autem ordinatis, non sic est; quia non requiritur simultas earum in causando.

Ex his ostenditur propositum, scilicet quòd infinitas essentialiter ordinatorum est impossibilis. Similiter secũda infinitas accidentaliter ordinatorum est impossibilis, G nisi ponatur status in essentialiter ordinatis; ergo omni modo est impossibilis infinitas in essentialiter ordinatis. Tertiò, si etiam negetur ordo essentialis, adhuc infinitas est impossibilis; ergo omni modo est aliquod simpliciter primum effectiuum.

Istarum trium propositionum assumptarum, propter breuitatem Prima dicatur A. secunda B. tertia C. Probatio istarum. Primò A. scilicet quòd infinitas essentialiter ordinatorum est impossibilis. Tum quia vniuersitas causatorum essentialiter ordinatorum est causata; ergo ab aliqua causa, quæ non est aliquid illius vniuersitatis; quia tunc esset causa sui: tota enim vniuersitas dependentium dependet, & à nullo illius vniuersitatis. Tum secundò: quia causæ infinitæ essent simul in actu, essentialiter ordinatæ, ex tertia differentia; sed consequens nullus Philosophus ponit. Tum tertiò; quia prius est, quod est primo propinquius ex 5. Met. t. 10. ergo vbi nullum primum, nihil essentialiter prius. Tum quartò: quia superior causa, H est perfectior in causando, ex secunda differentia; ergo in infinitum superior, est in infinitum perfectior; & ita infinitæ perfectionis in causando, & per consequens nõ causans in virtute alterius; quia quælibet talis in virtute alterius causans, est imperfectè causans, quia est dependens ab alia in causando. Tum quintò: quia effectiuum: nullã imperfectionem ponit necessariò; ergo potest esse in aliquo sine imperfectione; sed si in nullo est effectiuitas sine dependẽtia ad aliquid prius, in nullo est sine imperfectione; ergo effectiuitas independens potest inesse alicui naturæ, & illa est simpliciter prima; ergo effectiuitas simpliciter prima est possibilis; & hoc sufficit, quia inferiùs ex hoc concludetur, quòd tale efficiens primum, si est possibile, est in re; & sic patet à quinque rationibus.

B. Probatur sic, scilicet quòd infinitas in accidentaliter ordinatis sit impossibilis, nisi ponatur status essentialiter ordinatis. Quia infinitas accidentalis si ponitur, hoc non est simul, patet, sed successiuè tantùm, vt alterũ post alterum, ita quòd si secundum fluat aliquo modo à priore, non tamen dependet ab ipso in causando, potest enim

A enim cauſare ipſo non exiſtente; ſicut filius ita generat patre mortuo, ſicut ipſo viuo; talis infinitas ſucceſſionis eſt impoſſibilis, niſi continuetur, vel perpetuetur ab aliqua natura infinitè durãte, à qua tota ſucceſſio, & quodlibet eius dependeat; nulla enim difformitas perpetuatur, niſi in virtute alicuius permanentis; quod nihil eſt illius ſucceſſionis, quia omnia ſucceſſiua ſunt eiuſdem rationis; ſed eſt aliquid prius eſsentialiter, quia quodlibet ſucceſſionis dependet ab ipſo, & hoc in alio ordine, quam à cauſa proxima, quæ eſt aliquid illius ſucceſſionis, patet ergo B.

Probatur etiam C. quòd ſcilicet ſi negetur ordo eſsentialis, adhuc infinitas eſt impoſſibilis. Probatio. Quia cũ ex prima ratione hìc adducta, ſcilicet quòd à nihilo non poteſt eſse aliquid, ſequitur quòd aliqua natura ſit effectiua, ſi negetur ordo eſsentialis actiuorũ; igitur illa in nullius alterius virtute cauſat, & licèt ipſa in aliquo ſingulari ponatur cauſata, tamen in aliquo erit nõ cauſata; quod eſt propoſitũ de natura: ſi enim in quolibet ponatur cauB ſata, ſtatim implicatur contradictio, negando ordinẽ eſſentialẽ; quia nulla natura poteſt poni in quolibet cauſata, ita quòd ſit ordo accidentalis ſub ipſa, ſine ordine eſſentiali ad aliam naturam, ſicut patet ex B.

Ad Secundam inſtantiam ſupra, quæ dicit. Quòd ratio procedit ex contingentibus, & ita non eſt demonſtratio. Reſpondeo. Quòd poſset ſic argui, Aliqua natura eſt effecta, quia aliquod ſubiectum eſt mutatum; & ita terminus mutationis incipit eſse in ſubiecto, & ille terminus vel compoſitũ producitur, ſiue efficitur; ergo aliquod eſt efficiens, per naturam correlatiuorum; & tunc præmiſsa eſset ſecundùm veritatem contingens, ſed manifeſta. Tamen non ſic arguitur probando primam Concluſionem, ſed hoc modo, Aliqua natura eſt effectibilis; ergo aliqua eſt effectiua. Antecedens probatur. Quia aliquod ſubiectum eſt mutabile, & aliquod entium eſt poſſibile, accipiendo poſſibile, vt diuiditur contra neceſsarium, & ſic procedendo, eſt ex neceſsarijs: & tunc probatio primæ C Concluſionis procedit, vel concludit de eſse quidditatiuo, ſiue de eſse poſſibili, non autem de exiſtentia actuali; ſed de quo nunc oſtenditur poſſibilitas, vltra in tertia Concluſione actualis exiſtentia oſtendetur.

Secunda Concluſio de primo effectiuo, eſt iſta. Quòd ſimpliciter primum effectiuum eſt incauſabile. Hoc probatur. Quia eſt ineffectibile & independens effectiuum. Et hæc patet priùs. Quia ſi ſit virtute alterius cauſatiuũ, vel ab alio effectibile; ergo vel procedetur in infinitum, vel erit circulus vel ſtatus in aliquo ineffectibili, & ĩdepẽdẽte effectiuo: illud dico primum; & aliter patet quòd nõ eſt primum, ex datis tuis. Et vlteriùs concluditur. Si illud primum eſt ineffectibile; ergo erit incauſabile, quia non finibile, nec materiabile, nec formabile. Probatur prima conſequentia, videlicet, quòd ſi eſt ineffectibile, ergo non eſt finibile. Quia cauſa finalis non cauſat, niſi quia Metaphoricè mouet ipſum efficiens ad efficiendum; nam nõ alio modo dependet ab ipſo eſsentialiter entitas finiti, vt à priore; nihil autem eſt cauſa per ſe, niſi vt ab ipſo tanD quam à priore eſsentialiter dependet cauſatum. Duæ autem aliæ conſequentiæ, videlicet, quòd ſi eſt ineffectibile; ergo immateriabile, & non formabile, probantur ſimul. Quia cuius non eſt cauſa extrinſeca, eius nõ eſt cauſa intrinſeca: Quia cauſalitas cauſæ extrinſecę, dicit perfectionem ſine imperfectione; cauſalitas autem cauſæ intrinſecæ, neceſsariò requirit imperfectionem annexam, quia cauſa intrinſeca eſt pars cauſati; ergo ratio cauſæ extrinſecæ, eſt naturaliter prior ratione cauſæ intrinſecæ; negato ergo priore, negatur poſterius. Aliter probantur eadẽ conſequentiæ. Quia cauſæ intrinſecæ ſunt cauſatæ ab extrinſeca, vel ſecundùm eſse earum, vel inquantũ cauſant compoſitum, vel vtroque modo, quia cauſæ intrinſecæ, non ſeipſis ſine agente cauſant compoſitum, vel conſtituunt. Et dictis igitur Secunda Concluſio propoſita ſatis patet.

Tertia Concluſio de primo effectiuo eſt iſta. Primum effectiuum eſt in actu exiſtens, & aliqua natura exiſtens actu, ſic eſt effectiua. Probatio. Cuius rationi repugnat ſimpliciter eſse ab alio, illud ſi poteſt eſse, poteſt eſse à ſe; E ſed rationi primi effectiui repugnat ſimpliciter eſſe ab alio, ſicut patet ex ſecunda Concluſione, & ipſum poteſt eſſe, ſicut patet ex quinta, vbi poſita eſt ratio ad A. quæ videtur minùs concludere, tamen hoc concludit. Aliæ autem probationes ipſius A. poſſunt tractari de exiſtentia quam ponit hæc tertia Concluſio, & ſunt iſtæ probationes ex contingentibus, tamen manifeſtis, quæ ſi accipiantur de natura & quidditate, & poſſibilitate, ſunt ex neceſſarijs, vt ſupra dictum eſt; Ergo effectiuũ ſimpliciter primum poteſt eſſe à ſe; ergo eſt à ſe: quia quod non eſt à ſe, non poteſt eſſe à ſe; quia tunc non ens produceret aliquid ad eſſe, quod eſt impoſſibile: & adhuc idem cauſaret ſe, & ita non erit incauſabile omninò. Iſtud vltimum, ſcilicet de exiſtentia primi effectiui, aliter declaratur: quia inconueniens eſt, vniuerſo deeſſe ſupremum gradum poſſibilem in eſſendo.

Iuxta tres concluſiones oſtenſas de primo effectiuo. Nota quoddam Corrolarium, quod quaſi continet tres concluſiones probatas, quod eſt iſtud, ſcilicet. Quòd pri- F mum effectiuum hoc modo, non tantum eſt prius alijs, ſed aliquid eſſe priùs eo, includit contradictionem ſic, inquantum primum exiſtit. Probatur vt præcedens; nam in ratione illius maximè includitur incauſabile, vt probatur ex Prima, ſequitur quòd poteſt eſſe à ſe; & ita eſt à ſe.

Iuxta tres Cõcluſiones primas de cauſa effectiua: propono tres ſimiles Concluſiones de cauſa finali.

Prima Concluſio eſt. Aliquod finitiuum eſt ſimpliciter primum, hoc eſt, non eſt ad aliud ordinabile, nec in virtute alterius natum finire alia. Et probatur quinque rationibus, ſimilibus illis, quæ ponebantur ad primam Concluſionem de primo effectiuo.

Secunda Concluſio eſt hæc. Primum finitiuum eſt incauſabile. Probatur. Quia eſt infinibile, aliàs nõ eſſet primum. Et vltra; Ergo ineffectibile. Hæc conſequentia probatur. Quia omne per ſe agens, agit propter finem, ex 2. Phyſ. t. 46. 61. & 75. vbi etiã vult hoc Philoſophus de natura, de qua minùs videtur, quàm de agente à propoſito; ſed cuius non eſt aliquod per ſe efficiens, illud non eſt ef- G fectibile, quia in nullo genere poteſt per accidẽs eſſe primum, ſicut patet in propoſito, ſpecialiter de cauſis agentibus per accidens, quæ ſunt caſus & fortuna, quæ ſecundùm intentionem Philoſ. 2. Phyſ. tex. com. 66. & 67. reducuntur ad cauſas neceſſariò per ſe agentes, vt priores, ſcilicet ad naturam, & intellectum, vel propoſitum; cuius ergo nullum eſt per ſe agens, eius nullum erit agens; ſed cuius non eſt finis, eius non eſt aliquod per ſe agens; ergo ipſum eſt ineffectibile: & tunc vltra, vt ſupra oſtenſũ eſt de cauſa prima effectiua.

Tertia Cõcluſio eſt. Quòd primum finitiuum eſt actu exiſtens, & alicui naturæ neceſſariò actu exiſtenti conuenit iſta primitas. Probatur ſicut tertia Concluſio de primo effectiuo in prima via.

Corrolarium ſequitur. Quòd primum finitiuum eſt ita primũ, quòd impoſſibile eſt aliquid eſſe eo priùs. Et probatur vt Corrolarium in via priore de efficiente.

Concluſionibus tribus de vtroq. ordine cauſalitatis extrinſecæ iã poſitis: ꝓpono tres ſimiles de ordine eminẽtię.

Prima Concluſio eſt iſta. Aliqua natura eminens eſt H ſimpliciter prima, ſecundùm perfectionem. Hoc patet. Quia in ordine eſſentiali ſecundùm Ariſt. formæ ſe habẽt ſicut numeri 8. Met. t. 10. in hoc ordine ſtatur. Quod probatur illis quinque rationibus, quæ de ſtatu in effectiuis ſunt ſuperiùs adductæ.

Secunda Concluſio eſt iſta. Suprema natura eſt incauſabilis. Probatur. Quia eſt infinibilis; nam finibile excellitur à fine in bonitate, & per conſequens in perfectione. Et vltra. Igitur eſt ineffectibilis. Et vltra. Ergo incauſabilis. Conſequentiæ vltimæ, probatæ ſunt in Secunda Concluſione de primo effectiuo. Item quòd ſuprema natura ſit ineffectibilis; Probatur. Nam omne effectibile, habet aliquam cauſam eſſentialiter ordinatam, ſicut patet ex probatione ipſius B. in Concluſione 1. de primo effectiuo; cauſa autem eſſentialiter ordinata excellit effectum; igitur ſi eſſet effectibilis, non eſſet ſuprema.

Tertia

A Tertia Cóclusio. Suprema natura est aliquid actu existens. Probatur ex præcedentibus, vt tertia Conclusio de effectiuo.

Corrolarium. Aliquam esse naturam eminentiorem, vel superiorem ipsa prima; includit contradictionem. Quòd probatur, vt Corrolarium de efficiente & fine.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Declaratur illud. Quod est primum secundùm vnam primitatem, esse etiam primum secundùm alias primitates.

QVantùm ad Secundum Articulum. Dico. Quòd ista triplex primitas, quæ est sparsim probata, de ista quidditate, competit eidem quidditati, quod ostenditur duabus Conclusionibus sequentibus.

Prima est ista. Quòd primũ efficiens est vltimus finis.

B Secunda est. Quòd primum efficiens est primum eminentia: ita quòd iste Articulus habet duas cóclusiones.

Prima probatur sic. Quia omne per se efficiens, agit propter finem; & prius efficiens agit propter finem priorem; ergo primum efficiens agit propter vltimum finem; sed propter nihil aliud à se principaliter, & vltimatè agit; quia nihil aliud à se potest esse finis eius; ergo agit propter se, sicut propter vltimum finem; ergo primum efficiens est vltimus finis.

Secunda Conclusio huius Articuli probatur sic. Primum efficiens, non est vniuocum respectu illarum naturarum effectarum, sed æquiuocum; ergo eminentius, & nobilius eis; ergo primum efficiens est eminentissimũ.

ARTICVLVS TERTIVS.

Docetur prędictam primitatem triplicem vnicę et eidem naturę conuenire.

C QVantùm ad Tertium Articulum. Dico, quòd non tantùm ista triplex primitas sic inest eidem naturę, quòd cui vna inest insunt aliæ, sed etiam est ibi talis idétitas, quòd primum efficiens est tantùm vnum, secundùm quidditatem & naturam.

Ad quod ostendendum. Ostendo Primò quandam cóclusionem præambulam: secundò principale.

Præambula est. Quòd efficiens, quod est primum triplici primitate ostensa, est ex se necesse esse. Probatio. Quia est penitus incausabile; nam contradictionem includit aliquid esse prius eo, in genere causæ efficientis vel finis, & per consequens in genere cuiuscunque causæ; ergo est omnino incausabile. Ex hoc arguo sic. Nihil potest nó esse, nisi cui aliquid incompossibile positiuè vel priuatiuè potest inesse, sed ei quod est à se, & penitus incausabile, non potest aliquid inesse, quod sit ei incompossibile positiuè vel priuatiuè; ergo &c. Maior patet. Quia nullũ ens potest destrui, nisi per incompossibile sibi positiuè vel priuatiuè. Minor probatur. Quia illud incompossibile, aut potest esse à se, aut ab alio: si à se; ergo est à se; ergo

D duo incompossibilia sunt simul: vel neutrum erit, quia vtrunque destruit esse alterius: si ab alio. Contra. Nulla causa potest destruere aliquid ens, propter repugnantiam sui effectus ad illud, nisi suo effectui det perfectius & intensius esse, quàm sit esse alterius destructibilis; nullius autem entis ab alio, est nobilius esse à sua causa, quã sit esse entis à se; quia omne causatum habet esse dependens, sed quod est ex se habet esse independens.

Ex hoc vltra ad propositum probatur vnitas naturæ primæ, quod est principale intentum in isto Tertio Articulo, & ad hoc adduco tres rationes.

Prima est talis. Quia si duę naturæ sint necesse esse, aliquibus rationibus proprijs realibus distinguuntur; & dicantur A, & B. Istæ rationes, aut sunt rationes formaliter necessariò essendi; aut non: si sic; & præter hæc illa duo, per illud in quo conueniunt, sunt formaliter necessaria; ergo vtrunque duabus rationibus formalibus erit necesse esse; quod est impossibile, quia cùm neutra illarum rationum per se includat aliam, vtralibet illarum circumscripta, esset necesse esse per alterã, & inesset aliquid necesse esse per illud, quo circumscripto nó minùs esset necesse. E Si verò per illas rationes, quibus formaliter distinguuntur, neutrum formaliter sit necesse esse; ergo illæ rationes non sunt formaliter rationes necessariò essédi; & ita sequitur quòd neutrum includitur in necesse esse, quia necesse esse nihil includit, quòd non sit necesse esse, vel ratio necessariò essendi; quia quæcunque entitas quæ non est de se necesse esse, est possibilis; sed nihil possibile includitur in necesse esse; ergo &c.

Secundò probatur idem. Quia duæ naturæ eminentissimæ non possunt esse in vniuerso; ergo nec duo prima effectiua. Probatio antecedentis. Quia species se habent sicut numeri ex 8. Meta. t. 10. & per consequens, si duæ nó possunt esse in eodem ordine, multò magis nec duæ possunt esse primæ, vel duæ eminentissimæ.

Hoc patet Tertiò per rationem, de ratione finis. Quia duo fines vltimi si essent, haberent duas coordinationes entium ad se, ita quòd ista entia ad illa nullum ordinem haberent, quia nec ad finem illorum: nam quæ ordinarétur ad vnum finem vltimum, non possent ordinari ad alium; quia eiusdé causati duas esse causas totales, vel perfectas in eodem ordine, est impossibile; tunc enim esset F aliquid in aliquo ordine per se causa, quo non posito, nihil minùs esset id perfectè causatum; ordinata ergo ad vnum finem, nullo modo ordinantur ad alium, nec per cósequens ad illa quæ ordinatur ad alium: & ita ex his & illis non fieret vnum vniuersum.

Hoc etiam. Quartò confirmatur in communi. Quia nulla duo possunt esse terminantia totaliter dependentiã alicuius eiusdem; quia tunc illud terminaret depédentiã, quo subtracto, non minùs terminaretur illa dependentia, & ita non esset dependentia ad illud; sed ad efficiens, & eminens, & ad finem, dependét alia essentialiter; ergo nullæ duæ naturæ possunt esse primò terminátes alia entia, secundùm istam triplicem dependentiam præcisè: est ergo aliqua vna natura terminans entia secundùm istam triplicem dependentiam, & ita habens istam triplicem primitatem; ergo &c. G

ARTICVLVS QVARTVS.

Primum Ens esse intelligens et volens: et qualis eius sit intellectio et volitio declaratur.

OStenso esse de proprietatibus relatiuis primi Entis. Vlteriùs ad ostédendum infinitatem illius primi, ac per consequens esse de ente infinito, procedo sic. Primò ostendo, quòd primum efficiens est intelligens & volens, ita quòd sua intellectio est infinitorum distinctè, & ipsa est sua essentia, & quòd sua essentia est repræsentatiua infinitorum distinctè: & ex hoc secundo, tanquam ex quodam medio, adiuncto tamen cum alijs medijs, concludetur sua infinitas.

Quòd autem sit intelligens & volens arguo sic. Primũ agens est per se agens; quia omni causa per accidés, prior est aliqua causa per se, 2. Phys. t. 66. sed omne agens per se agit propter finem ex 2. Phys. t. 49. 61. & 75. vbi hoc Philosophus vult de natura, de qua minùs videtur; ergo primũ agens agit propter finem. H

Et ex hoc arguitur dupliciter. Primò sic. Omne agens naturale præcisè consideratum, ex necessitate, & æquè ageret, sicut si ad nullum finem ageret, sicut si esset independenter agens; si ergo non agit, nisi propter finem, hoc est quia dependet ab agente amante finem; tale autem à quo dependet tota natura in agendo, non videtur esse nisi primum efficiens; ergo &c.

Secundò principaliter arguitur sic. Si primum agens agit propter finem: aut ergo finis ille mouet primum efficiens, vt amatus actu voluntatis; aut vt tantùm naturaliter amatus; Si amatus actu volũtatis; habetur ꝓpositũ, si tantùm amatus naturaliter; hoc est falsum; quia non amat naturaliter alium finem á se, vt graue centrum, & materia formam; tunc enim esset aliquomodo ad finé, quia inclinatus ad illum; si autem tantùm amat naturaliter finem qui est ipse; hoc nihil est, nisi ipsum esse ipsum,

A sum;hoc enim non videtur saluare ratione causæ in ipso.

Item arguitur,quasi confirmãdo rationem iam factã. Primum efficiens dirigit effectum suum ad finem; ergo vel naturaliter dirigit,vel cognoscendo & amando illum finem:non naturaliter; quia non cognoscens nihil dirigit,nisi in virtute cognoscentis, sapientis enim est prima ordinatio 1.Meta.in proœm.sed primum efficiens in nullius virtute dirigit,sicut nec causat, tunc enim non esset primum;ergo &c.

Item tertiò arguitur sic. Aliquid causatur contingenter;ergo prima causa contingenter causat; ergo volens causat. Probatio primæ consequentiæ. Quælibet causa secunda causat inquantum mouetur à prima; ergo si prima necessariò mouet, quælibet alia necessariò mouet, & quælibet necessariò causat; ergo si aliqua secunda causa contingenter mouet,& prima cõtingẽter mouebit; quia non causat secunda causa, nisi in virtute primæ causæ,inquantum mouetur ab ipsa.Probatio secundæ consequentiæ. Nullum est principium operandi contingenter, nisi B voluntas,vel aliquid concomitans volũtatem;quia quodlibet aliud agit ex necessitate naturæ,& ita non contingenter; ergo.

Contra istam rationem instatur: & primò contra primam consequentiam arguitur sic. Quia nostrũ velle posset adhuc aliquid contingenter causare; & ita non requiritur quòd prima causa illud contingenter causet.

Item. Philosophus (2 & 8.*Phys.*2.*de generat.et* 12.*Metaph.*)antecedens concessit, scilicet quòd aliquid contingenter causatur,& negauit consequens, intelligendo de velle Dei,scilicet quòd prima causa contingenter causet; posuit enim, nõ propter contingenter Deum velle,cõtingebtiam in inferioribus,sed ex motu, qui necessariò causatur inquantum vniformis; sed difformitas sequitur in partibus eius,& ita contingentia.

Contra secundam consequentiam.Si causat contingẽter;ergo volens. Ista consequentia non videtur tenere; quia aliqua naturaliter mota possunt impediri, & ita oppositum contingenter & violenter potest euenire.

C Ad Primum. Dicendum est. Quòd Deus est primum mouens vel efficiens,respectu voluntatis nostræ: idem sequitur de ipsa quod de alijs: quia siue immediatè necessariò moueat eam,siue aliud immediatè, & illud necessariò motum necessariò mouet voluntatem,quia mouet ex hoc quod mouetur, sequitur tandem quòd proximũ voluntati,necessariò moueat voluntatem,etiamsi illud proximum sit ipsamet voluntas:& erit volens necessariò, & ita necessariò volet;& sequitur vlterius,impossibile quòd necessariò causat quodlibet causatum, & non est aliquid contingens.

Ad Secundum. Dico,quòd non voco hic contingenter causatum quodcunque non necessarium, vel non sempiternum,sed cuius oppositum posset fieri,quando illud fit; ideo dixi aliquid contingenter causatur; & non dixi aliquid est contingens.Nunc dico, quòd Philosophus non potest negare consequens,saluando antecedens, per motum;quia si iste totus motus necessariò est à causa sua, D quælibet pars eius necessariò causatur quando causatur, & ineuitabiliter,ita quòd oppositum non posset tunc,nec aliter causari; & vlteriùs, quòd causatur per quamcũque partem motus,necessariò causatur & ineuitabiliter: vel igitur nihil fit contingenter,id est euitabiliter causatur, vel primum sic causat immediatè, quòd posset etiam non causare.

Ad Tertium. Dico,quòd si aliqua causa possit impedire istam,hoc non potest nisi in virtute superioris causæ, & ista superior in virtute superioris, & sic vsque ad primam causam:quæ si immediatam causam sibi necessariò mouet, vsque ad istam erit necessitas:ergo necessariò impedit,& per cõsequens non potest alia causa,nũc causare.

Sic ergo videtur triplici via ostensum,quòd primum agens est intelligens,& volens. Quarum prima est. Quòd natura agit propter finem,& non nisi quia dependens, & directa à cognoscente finem. Secunda est. Quòd ipsum primum agens agit propter finem.Tertia. Quòd aliquis effectus contingenter fit,quando causatur.

Nunc vlteriùs quoad Conclusiones præambulas ad infinitatem,probo Secundò, quòd eius intellectus & volitio,non est aliud ab essentia eius, & primò de volitione sui ipsius,vt obiecti,sic. Causalitas & causatio causæ finalis est simpliciter prima secundùm Auic.6. Met. cap.vlt. dicentem,quòd si de qualibet causa esset scientia,illa quæ esset de causa finali,esset nobilissima, ipsa enim quantùm ad causalitatem præcedit causam efficientem,quia mouet eam ad agendum: & ideo causalitas primi finis, & eius causatio,est penitus incausabilis,secundũ quamlibet causationem,in quodlibet genere causæ: causalitas autẽ primi finis,est mouere efficiens primùm, sicut amatum ab ipso:quod est idem, quòd primum efficiens amare primũ finem;quia nihil aliud est obiectum amari à voluntate, quàm voluntatem amare obiectum;ergo primũ efficiens amare primum finem,est penitus incausabile; & ita ex se necesse esse;& ita erit idem naturæ primæ, & quasi conuertitur ratio ex opposito conclusionis;quia si primum amare est aliud à natura prima; ergo est causabile, & per consequens effectibile; ergo ab aliquo per se efficiente amante finem; ergo primum amare se, esset causatum ab aliquo amore finis priore isto causato,quod est impossibile. F

Hoc ostendit Arist.12.Met.t.51. de intelligere primi, Primò.Quia aliter primum non erit optima substantia; quia per intelligere est honorabile. Secundò. Quia aliàs esset laboriosa eius continuatio;quia si non est idem illi, erit in potentia contradictionis ad illud, ad illam autem potentiam,sequitur labor secundùm ipsum.

Istæ rationes Philosophi possunt declarari. Prima sic. Cùm omnis entis in actu primo, perfectio vltima sit in actu secundo,quo coniungitur optimo,maximè si sit actiuum,& non tantùm factiuum:omne autem intellectuale est actiuum,& prima natura est intellectualis, ex præmissa: sequitur quòd vltima eius perfectio sit in actu secundo:ergo si ille actus non sit eius substantia, substãtia eius non erit optima,quia aliud est suum optimum.Secũda ratio potest declarari sic.Potentia solummodo receptiua,est potentia contradictionis; cùm ergo hæc nõ sit huiusmodi;ergo &c.Sed secundùm Arist. nec ista est ratio demonstratiua,sed tantùm probabilis. G

Aliter ostenditur propositũ (*à D.Thom.*1.*par.sum.q.*14.*a.*4.*et d.*35.*q.*1.*in solut.*3.*argu. Et Egid.Rom. quol.*3.*q.*10.) ex identitate potentiæ,& obiecti in se,sic.Potẽtia & obiectum sunt idem;ergo actus est eis idem; Sed consequẽtia non valet. Instantia.Angelus intelligit se, & amat se: & tamen actus Angeli amandi,& intelligendi se,non sunt idem substantiæ eius.

Hæc Conclusio secunda; videlicet quòd Essentia Dei eadem sit quòd volitio sui ipsius, fœcunda est Corrolarijs. Nam sequitur Primò. Quòd voluntas est idẽ primæ naturæ;quia velle non est nisi voluntatis; ergo illa voluntas cuius velle est incausabile,est incausabilis;ergo &c. Similiter velle intelligitur quasi posterius voluntate; si igitur velle est idem illi naturæ,multò magis voluntas.

Secundò sequitur. Quòd intelligere se,est idem illi naturæ; quia nihil amatur nisi cognitum; ergo si amare se, est ex se necesse esse, sequitur quòd intelligere se,est ex se necesse esse: & similiter intellectio est quasi propinquior illi naturæ,quàm velle.Tertiò sequitur. Quòd intellectus est idem illi naturæ, sicut priùs de voluntate, & velle argutum est. Quartò sequitur.Quòd ipsa ratio intelligendi se,sit idem sibi;quia necesse est rationem intelligendi esse ex se necesse esse,si intelligere sit necesse esse: ratio enim intelligendi se,quasi præintelligitur ipsi intelligere. H

Ostenso de intelligere se, & velle se, quòd sunt idem essentiæ primi,ostendo propositum generaliùs, scilicet de omni intelligere & velle ipsius, respectu aliorũ, quòd sint essentiæ primi idem.

Et sit Cõclusio ista Tertia ad infinitatem præambula. Nullum intelligere, potest esse accidens primæ naturæ. Probatio.Quia de ista natura primò ostensũ est 12. Met. t.51.quòd ipsa est primum effectiuum; ergo ex se habet, vnde posset quodcunq; causabile causare, circumscripto quocunque alio,saltem vt prima causa illius causabilis; sed circumscripta cognitione illius,nõ habet vnde possit

illud

A illud causabile causare;ergo cognitio cuiuscuq; alterius, nō est aliud à natura sua. Probatio vltimi assumpti. Quia nihil pōt causare,nisi ex amore vltimi finis velit illud;quia nō potest aliter esse per se agens,quia nec ageret propter finē; ipsi aūt velle alicuius propter finem, præintelligitur intelligere illud;ergo ante primum signum,in quo intelligitur causans siue volens A.necessariò præintelligitur intelligens A.& ita sine hoc non potest per se efficere:& ita de alijs.

Secundò probatur idē. Quia oēs intellectiones eiusdē intellectus habent similē habitudinē ad intellectum s̄m identitatē essentialē,vel accidentalē;sicut patet de omni intellectu causato,& eius intellectionibus,quia videtur perfectiones eiusdē generis; ideò si aliquæ habēt receptiuum,& omnes;& si aliqua est accidens, & quælibet; sed aliqua non potest esse accidens in primo,ex præcedente Conclusione,quia non intellectio sui ipsius;ergo nulla est sibi accidens.

Tertiò sic. Intelligere si potest esse accidens,reciperetur in intellectu,vt in subiecto; ergo & in illo intelligere,quod est B idem intellectui,& ita perfectius intelligere erit in potentia receptiua,respectu imperfectioris,quod est absurdum.

Quartò sic. Idē intelligere pōt esse pluriū obiectorū ordinatorū;ergo quātò perfectius tanto pluriū;ergo per fectissimū quo impossibile est perfectius intelligi,erit idē oīum intelligibiliū;intelligere primi sic est perfectissimū;ergo idem oīum intelligibiliū:& illud qd est sui,est idē sibi,ex propositione precedente; ergo & intelligere omnium est idem sibi.

Quintò posset sic argui, *(vt Alex.de Ales,lib.1.d.35.q.2. solu.arg.2)* Iste intellectus nō est nisi quoddā intelligere;sed iste intellectus est idem oīum, ita q̄ non potest esse alicuius alterius obiecti;ergo nec intelligere aliud;ergo idē est intelligere oīum. Sophisma est accidentis,ex identitate aliquorū inter se absolutè, cōcludere identitatē respectu tertij,respectu cuius extraneantur,vt patet à simili; intelligere est idem qd velle; si ergo intelligere ipsū est alicuius;ergo ipsum velle erit eiusdē: non sequitur,sed tantūmodo sequitur,q̄ velle est aliquid quod est eiusdē, quia intelligere est aliquid eiusdē;ita quod diuisim inferri pōt,non coniunctim,pp accidēs.

C Item. Intellectus primi habet vnū actum adæquatū sibi, & coæternum; quia intelligere se, qui actus est idem sibi; igitur non potest habere alium; sed consequentia nō valet. Exemplum de beato,qui simul videt Deum, & alia, etiamsi videat Deum secundùm vltimum capacitatis suæ,sicut de anima Christi ponitur,adhuc potest videre aliud.

Itē arguitur. Intellectus iste, habet in se per identitatem perfectionē maximā intelligendi;ergo & oēm aliam. Resp. Non sequitur;quia alia quæ minor est prima,pōt esse causabilis,& ideò differre ab incausabili;maxima aūt non potest.

Quarta Conclusio principalis pręambula,de intellectu & voluntate Dei ad infinitatem probandam, sit ista. Intellectus primi,intelligit semper, & distincto actu, & necessariò quodcūque intelligibile,priùs naturaliter, quā illud sit in se.

Prima pars probatur,s.quòd possit intelligere quodcunq; intelligibile, sic. Hoc.n.est perfectionis in intellectu, posse distinctè & actu cognoscere quodcunque intelligibile, imò hoc posse,est necessarium ad intellectus rationem;quia omnis intellectus est totius entis communissimè sumpti, vt de-D clarabitur in dist.3. nullam autē intellectionem potest habere intellectus primi,non eādem sibi,ex proxima Conclusione; ergo cuiuslibet intelligibilis habet intelligere actuale,& distinctum, & hoc idē sibi; & ita semper & necessariò.

Secunda pars, videlicet de prioritate, probatur sic. Quia quicquid est idē primo,est necesse esse,sicut patuit priùs; sed esse aliorū intelligibiliū non est necesse esse, necesse aūt esse ex se,est priùs natura oī necessario. Aliter probatur. Quia esse cuiuslibet alterius à se,dependet ab ipso,sicut à causa,& vt causa est alicuius causabilis, necessariò includitur cognitio eius ex parte causæ; ergo illa cognitio illius,priùs est naturaliter ipso esse cogniti.

Vtraque etiam pars Conclusionis probatur aliter. Quia artifex distinctè cognoscit omnia agenda, antequam fiant; aliter non perfectè operaretur,q̄a cognitio est mensura iuxta quā operatur; ergo Deus oīum producibilium à se habet notitiā distinctā actualem, vel saltē habitualē priorem eis.

Contra istam instatur de arte. Quia ars vniuersalis sufficit ad vniuersalia vel singularia producenda; ergo &c.

ARTICVLVS QVINTVS. E

Ostenditur intentum principale Quæstionis. Quòd detur Ens simpliciter infinitum.

OStensis his præambulis,arguo infinitatē 4. vijs. Primò per viā efficientiæ, vbi probatur propositū dupliciter. Primò. Quia ipsum est primū efficiens oīum. Secūdò. Quia est sic efficiens,puta distinctè cognoscēs oīa factibilia. Tertiò ostēditur infinitas per viā finis. Quartò per viā eminētię.

Primam viā ex parte efficientis,tangit Phil.8.Phys. & 12. Met. & arguit sic. Primum mouet motu infinito;ergo habet potentiā infinitā. Hæc ratio coloratur quantū ad antecedēs sic,& æquè concluditur propositū, si possit mouere per infinitū,sicut si moueret per infinitū. Quia æquè oportet ipsum esse in actu;sed illud posse patet de primo, quantū est ex se; licēt ergo primū non moueat motu infinito, sicut Arist.probat, tn̄ si accipiatur antecedens illud, q̄ quantū est ex parte sua,pōt sic mouere,habetur antecedens verū, & æquè sufficiens ad inferendū propositum. Consequentia probatur sic. Quia si ex se,& nō virtute alterius mouet motu infinito; er- F go non ab alio accipit sic mouere; sed in virtute sua actiua hēt totū effectū suum simul,quia indepēdenter; sed quod simul habet in virtute infinitum effectū,est infinitū;ergo &c. Aliter probatur prima cōsequentia sic. Primum mouens simul habet in virtute sua omnes effectus possibiles produci per motum; sed illi sunt infiniti, si potest motus esse infinitus;ergo si mouet in infinitum,est infinitum.

Contra istas declarationes rationis Arist.instatur. Quicquid sit de antecedente, consequētia prima nō videtur bene probari. Non primò. Quia duratio maior nihil perfectionis addit;nā albedo,quæ vno anno manet,nō est perfectior quā si tm̄ vno die maneret; ergo motus quantæcunque durationis,non est perfectior quā motus vnius diei; igitur ex hoc q̄ agens hēt in virtute sua actiua simul mouere motu infinita, nō concluditur maior perfectio hìc,quā ibi, nisi q̄ agēs diutiùs mouet,& ex se:& ita esset ostēdendū,q̄ æternitas agentis concluderet eius infinitatē,aliàs ex infinitate motus,non posset cōcludi eius infinitas. Tunc ad formā illius argumenti. Vltima propositio illius colorationis negatur,nisi de infinitate durationis. Non ēt secundò. Quia nō maior perfectio G intensiua cōcluditur ex hoc, q̄ agens eiusdem speciei quotcūque plura pōt producere successiuè, quamdiu manet, quā si tātum vnū,vel duo produceret; quia quod pōt in tpe vno in vnū tale,pōt eadē virtute in mille talia, si in mille tēporibus maneat;non est autē possibilis apud Philosophos infinitas nisi numeralis,effectuū producibiliū per motum,s.generabiliū,& corruptibiliū; quia in speciebus finitatē ponebāt; ergo nō magis sequitur infinitas intensiua in agēte,ex hoc, q̄ potest in infinita numero successiuè, quā ex hoc,q̄ in duo tantū posset;quia est possibilis infinitas numeralis, s̄m Philosophus. Si quis aūt alius probet infinitatē specierum possibilē, probādo aliquos motus cęlestes esse incōmensurabiles, & ita nunquā posse redire ad vniformitatē, etiāsi in infinitū durarent;& q̄ infinitę coniunctiones specie causarent infinita generabilia specie:de hoc quicquid sit in se,nihil tn̄ ad intentionē Philosophi,qui infinitatem specierum negaret.

Vltima probabilitas quæ occurrit pro consequētia Arist. H declaranda, est ista. Quicquid potest in aliqua multa simul ita perfectè, sicut in quodlibet eorum seorsum, quorum quodlibet in causa requirit aliquam perfectionem sibi propriam, illud cōcluditur esse perfectius ex pluralitate talium, ex hoc quòd potest in plura; & per consequens infinitum,si simul potest in infinita. Et vlterius: Si natura effectus non permittat simultatem eorum, tamen causa quantum est ex se, posset simul in infinita, adhuc sequitur, quòd sit infinitum, ex infinita pluralitate talium: & ita videtur de primo agente esse concedendum, quòd si posset causare infinita simul, quòd esset virtus eius infinita, & per consequens si simul haberet virtutem causandi infinita, ita quòd quantùm est ex se,posset simul producere,licēt natura effectus nō permittat,adhuc sequitur infinitas virtutis eiusdem. Hæc consequentia vltima probatur. Quia simul potens causare albū, & nigrum, non est minùs perfectum, si non potest ea simul causare,quia ista non sunt simul causabilia;quia hæc non simultas est ex repugnantia eorū, & non ex defectu agentis; quia agens simul habet virtute respectu amborum, si illa ex

A ſe eſſent compoſſibilia. Sit igitur iſta Maior. Quodcunque agens habet virtutẽ, quæ quantùm eſt de ſe poſſet in infinita ſimul, licèt incõpoſſibilitas effectuum impediat iſta ſimul poni, tale agens eſt infinitæ virtutis; primum eſt huiuſmodi; ergo. Maior eſt declarata iam; quia pluralitas talium cõcludit maiorem perfectionem in cauſa, quæ quantùm eſt ex ſe poteſt ſimul in illa; ergo infinitas illorũ in quæ poteſt quantùm eſt ex ſe ſimul, concludit infinitam eius virtutem.

Ex iſtis poteſt propoſitũ ſic oſtendi, ſ. Si primum haberet oẽm cauſalitatẽ omnis cauſæ poſſibilis formaliter & ſimul, licèt non poſſent cauſabilla ſimul poni in eſſe, eſſet infinitũ, quia ſimul quantùm eſt ex ſe, poſſet infinita producere; & poſſe ſimul plura, concludit maiorẽ potentiã intenſiuè; ergo ſi habet perfectiùs, quã ſi haberet oẽm cauſalitatem formaliter, magis ſequitur infinitas intenſiua; ſed habet oẽm cauſalitatem cuiuſcunque rei, ſm totum quod eſt in ipſa, & hoc eminentiùs, quã ſi eſſet in ipſo formaliter; ergo eſt infinitæ potentiæ intenſiuè. Licèt aũt omnipotentiã propriè dictam ſm intentionem Theologorũ, tantummodo creditam eſſe, B non naturali ratione cuidã videretur poſſe probari, ſicut dicetur diſt. 42. probatur tamen infinita potentia, quę ſimul quantùm eſt ex ſe habet eminentem omnem cauſalitatem, qua ſimul poſſet in infinita, ſi ſimul eſſent factibilia.

Si obijcitur. Primum nõ poſſe ex ſe ſimul in infinita: quia licèt habeat eminentiùs oẽm cauſalitatem cauſæ ſecundæ, q̃ ſit in cauſa ſecunda, tñ non poteſt ex ſe in effectus omnium cauſarum ſecundarũ; quia non eſt probatum, quòd ſit totalis cauſa infinitorum. Hoc nihil obſtat. Quia ſi cauſa primò haberet ſimul vnde eſſet totalis cauſa, hoc eſt, vnde eſſet formaliter cauſa, ſicut eſt prima, nihil perfectiùs eſſet, quàm nunc ſit, qñ habet vnde ſit prima cauſa tantùm: Tum etiam quia illæ ſecundæ cauſæ non requiruntur pp perfectionem addendam in cauſando, quia tũc remotius à prima cauſa eſſet perfectius, quia perfectiorẽ requireret cauſam: ſed ſi requiruntur cauſæ ſecũdæ cũ prima, ſm Philoſophos, hoc eſt propter imperfectionẽ effectus, vt prima cum alia cauſa imperfecta poſſit cauſare imperfectũ, quod ſm ipſos nõ poteſt C immediatè cauſare. Tum ẽt quia totæ perfectiones cauſarũ ſecundarum, eminentiùs ſunt in prima, quã ſi ipſę formaliter ſibi ineſſent, ſi poſſent ineſſe. Quod probatur. Quia cauſa ſecunda proxima primę, totã perfectionem cauſatiuam hẽt à ſola prima; ergo totã perfectionem illam eminentiùs hẽt prima cauſa, quàm cauſa ſecunda habens formaliter ipſam. Conſequentia patet. Quia prima reſpectu illius cauſę ſecundæ eſt totaliter cauſa, & æquiuoca: ſimiliter arguitur de tertia cauſa reſpectu ſecundę, vel reſpectu primæ: ſi reſpectu primę, habetur propoſitũ; ſi reſpectu ſecũdę, ſequitur ſecundã eminenter continere totalẽ perfectionẽ, quę eſt formaliter in tertia; ſed ſecunda hẽt à prima quòd ſic continet perfectionẽ tertiæ ex præoſtenſis; ergo prima eminẽtiùs habet continere eminenter perfectionẽ tertiæ q̃ ſecunda habeat, & ſic de omnibus cauſis vſque ad vltimã, concluditur primã habere eminenter totalẽ perfectionem cauſatiuam oĩum, & perfectiùs quã ſi haberet cauſalitatem oĩum formaliter, ſi eſſet poſſibile: & ſic videtur dicto modo poſſe cõcludere rõ Ariſt. de potentia infinita, quæ fuit ſupra in principio huius D vię poſita, quę accipitur ex 8. Phyſ. t. 78. 79. & 12. Met. c. 41.

Iuxta iſtam viam efficientiæ arguitur. (*ab Henr. quol. 4. q. vlt. & Ricar. de Med. Vil. in 2. d. 1. art. 4. q. 4.*) Quòd primum habeat potentiam infinitam, quia creatiuam; nã inter creationis extrema, infinita eſt diſtantia.

Sed hoc Antecedens ponitur tantũ creditum, vt non eſſe, quaſi duratione, præcedit eſſe, vt tñ quaſi natura (ſm viam Auic.) non eſſe, præcedit eſſe, antecedens oſtenditur. Quia ſaltẽ prima natura poſt Deum, eſt ab ipſo, & nõ à ſe, nec accipit eſſe aliquo ſui præſuppoſito; ergo illud creatur; ſed ſic accipiẽdo priùs natura, tã nõ eſſe q̃ eſſe, nõ ſunt ibi extrema mutationis q̃ cauſet illa virtus, nec illud effici reqrit mutari.

Sed quicquid ſit de Antecedente, Conſequentia non probatur: quia qñ inter extrema nulla eſt diſtãtia media, ſed ipſa dicũtur præcisè diſtare ratione extremorum inter ſe, tanta eſt diſtantia, quantum eſt maius extremum. Exemplum, Deus diſtat in infinitũ à creatura, ẽt ſuprema poſſibili, ſi qua daretur, non pp aliquam diſtantiã mediã inter extrema, ſed propter infinitatẽ vnius extremi; ita contradictoria non diſtant per aliqua media, quia cõtradictoria ſunt immediata, ita q̃ quantumcunque parũ recedit aliquid ab vno extremo, E ſtatim eſt ſub altero, ſed diſtãt propter iſta extrema inter ſe; tanta eſt igitur iſta diſtantia, quantũ eſt illud extremũ, quod eſt perfectius; illud eſt finitũ; ergo. Confirmatur. Quia poſſe totaliter ſuper terminũ poſitiuum huius diſtantiæ, eſt poſſe ſupra diſtantiam, ſiue ſuper tranſitum ab vno extremo in aliud extremum; ergo ex poſſe ſuper iſtum tranſitum, non ſequitur infinitas, niſi ſequatur ex poſſe totaliter, ſuper terminum eius poſitiuum; talis terminus eſt finitus; ergo.

Quòd aũt dicitur cõiter, Contradictoria diſtare in infinitum; poteſt ſic intelligi, id eſt, indeterminatè: quia ſicut nulla eſt ita parua diſtantia, quæ nõ ſufficiat ad contradictoria, ita nulla eſt ita magna, ẽtſi eſſet maior maxima poſſibili, quin ad illa cõtradictoria ſe extẽdant; eſt igitur eorum diſtantia, infinita, id eſt, indeterminata ad quantuncunq; magnam vel paruã, ex tali autem infinitate diſtantię, non ſequitur conſequens de infinita potentia intenſiua, ſicut nec ſequitur ad minimã diſtantiã, in qua ſaluatur ſic infinita diſtantia, quod enim non ſequitur ad antecedens, nõ ſequitur ad conſequẽs.

F Oſtenſo propoſito per viã primæ efficientiæ per rationem Philoſophi, quia illa prima efficiẽtia infert infinitatẽ. Sequitur ſecunda via ex hoc, quòd eſt intelligens diſtinctè oĩa factibilia, vel intelligibilia, vbi arguo ſic. Intelligibilia ſunt infinita, & hoc actu, in intellectu omnia intelligente; ergo intellectus illa ſimul actu intelligens eſt infinitus; talis eſt intellectus Diuinus, vt ſupra probatum eſt in Concluſionibus de intelligere primi; ergo.

Huius Enthymematis probo Antecedens, & conſequentiã. Antecedens ſic. Quæcunque ſunt infinita in potẽtia, ita quòd accipiendo alterũ poſt alterum nullũ poſſunt habere finẽ, illa oĩa ſi ſimul ſunt in actu, ſunt infinita actu; intelligibilia ſunt infinita in potẽtia reſpectu intellectus creati, ſatis patet, & in intellectu increato ſunt ſimul oĩa intellecta actu, quæ à creato ſunt ſucceſſiue intelligibilia; ergo ſunt ibi actu infinita intellecta. Huius Syllogiſmi, Maiorẽ ſic probo licèt ſatis euidẽs videatur. Quia oĩa talia acceptibilia, quando ſunt ſimul exiſtẽtia, aut ſunt actu finita, aut ſunt actu infinita: ſi actu finita; ergo accipiendo alterũ poſt alterũ, tan- G dem poſſunt oĩa eſſe accepta actu; ergo ſi non poſſunt oĩa actu eſſe accepta, ſi actu ſimul ſunt, ſunt actu infinita. Conſequentiã primi Enthymematis ſic probo. Quia vbicunque pluralitas requirit, vel concludit maiorẽ perfectionẽ, quàm paucitas, ibi infinitas numeralis cõcludit infinitã perfectionem. Exemplũ. Poſſe ferre decem, maiorẽ perfectionẽ requirit virtutis motiuæ, quã poſſe ferre quinque: ideo poſſe ferre infinita concludit infinitã virtutem motiuam; ergo in propoſito; cùm intelligere A. ſit aliqua perfectio, & intelligere B. ſit alia perfectio, nunquam idem intelligere erit ipſis A. & B. æquè diſtinctè, vt duo intelligere eſſent, niſi perfectiones duorum intelligere in illo vno eminenter includantur, & ſic de tribus, & ſic vltra de infinitis.

Cõſimiliter ẽt de ipſa ratione intelligendi arguetur, ſicut de intellectu & actu argutũ eſt. Quia maior perfectio concluditur in ratione intelligendi ex pluralitate illorum, quorum eſt ratio intelligendi diſtinctè: quia oportet, q̃ includat eminenter perfectiones omnium propriarum rationum in- H telligendi, quarum quælibet ſm propriã rationem aliquam perfectionem ponit; ergo infinitatem concludunt infinita.

Secundò iuxta iſtam viam, de intelligere primi, propoſitum ſic oſtendo. Cauſa prima cui ſecundùm vltimum ſuæ cauſalitatis cauſa ſecunda aliquid perfectionis addit in cauſando, nõ videtur ſola poſſe ſine ſecunda ita perfectũ effectũ cauſare, ſicut ipſa cum ſecũda; quia cauſalitas ſola primæ cauſæ, diminuta eſt reſpectu cauſalitatis ambarũ; ergo ſi illud quod natũ eſt eſſe à cauſa ſecunda & prima ſimul, ſit multò perfectiùs à ſola prima, cauſa ſecunda nihil perfectionis addit primæ; ſed omne finitũ omni finito additum, addit aliquã perfectionem; ergo talis prima cauſa eſt infinita. Ad propoſitũ: notitia cuiuſcunque obiecti nata eſt gigni ab ipſo ſicut à cauſa proxima, & maximè illa quæ eſt viſio, ſiue intellectio intuitiua; ergo ſi illa alicui intellectui ineſt ſine actione quacunque talis obiecti, ſed tantummodo ex virtute alterius obiecti prioris, quod natum eſt eſſe cauſa ſuperior reſpectu talis cognitionis, ſequitur q̃ illud obiectum ſuperius, eſt infinitum in cognoſcibilitate, quia inferius nihil ſibi addit in cognoſcibilitate; tale obiectum ſuperius eſt natura prima,

quia

A quia ex sola præsentia eius apud intellectũ primi, nullo alio obiecto cõcausante, est notitia cuiuscunq; obiecti in intellectu eius; sicut probatur supra in Conclusionibus de intelligere primi; igitur nullum aliud intelligibile aliquid sibi addit in cognoscibilitate; ergo est infinitũ sic; ergo & in entitate; quia vnumquodque sicut ad esse se habet, sic ad cognoscibilitatem, ex 2. Metaph. t. 4.

Tertia via ex parte finis, arguitur sic. Volũtas nostra omni finito aliquid maius potest appetere & amare, sicut intellectus intelligere; & qđ plus ẽt, videtur inclinatio naturalis ad summè amandũ bonũ infinitũ; nã inde arguitur inclinatio naturalis ad aliq̃d in volũtate, quia ex se sine habitu, prõptè, & delectabiliter vult illud volũtas libera: ita videtur, q; experimur de actu amãdi bonũ infinitũ: imò non videtur volũtas in alio perfectè quietari, & quomodo illud nõ naturaliter odiret si esset oppositũ sui obiecti, sicut naturaliter odit nõ esse? secũdùm Aug. de lib. arb. c. 2. videtur enim, q; si infinitũ repugnaret bono, quòd nullo modo voluntas quietaretur in bono; sub ratione infiniti, nec in illud B faciliter tẽderet; sicut nec in repugnãs suo subiecto. Cõfirmatur ista ratio in sequenti via, per simile de intellectu.

Quarta via ex parte eminẽtiæ, arguo sic. Eminentissimo incõpossibile est aliquid esse perfectius: sicut priùs patuit; finito aũt non est incõpossibile aliquid esse perfectius; quare. &c. Minor probatur. Quia infinitas non repugnat enti; omni maius est infinitum; quare. &c.

Aliter arguitur, & est idẽ. Cui nõ repugnat infinitas intẽsiuè, illud non est summè perfectũ, nisi sit infinitũ, quia si est finitũ potest excedi, vel excelli, si infinitas sibi non repugnat; enti autem nõ repugnat infinitas; ergo perfectissimũ ens est infinitũ. Minor huius consequẽtiæ, q̃ ẽt in præcedẽti argumẽto accipitur, non videtur à priori posse probari, vel ostẽdi: quia sicut cõtradictoria ex rationibus proprijs cõtradicunt, nec potest per aliquid manifestius hoc probari, ita nõ repugnãtia ex rationibus proprijs nõ repugnant, nec videtur posse ostendi, nisi explicãdo rationes ipsorũ; ens autẽ per nihil notius explicatur, infinitũ intelligimus per finitũ, C & hoc vulgariter sic expono: infinitũ est, qđ aliquod finitũ datũ, secundùm nullã habitudinẽ finitã præcisè excedit, sed vltra omnem habitudinẽ assignabilẽ excedit adhuc. Sic tamen propositũ suadetur. Sicut quodlibet ponendũ est possibile, cuius non apparet impossibilitas, ita & compossibile, cuius nõ apparet incõpossibilitas; hìc nulla apparet incompossibilitas, quia de ratione entis nõ est infinitas, nec apparet ex ratione entis, q; sit passio couertibilis cũ ente, alterũ. n. istorũ requiritur ad repugnãtiam prædictã; passiones verò primi entis, & conuertibilis, satis vidẽtur sibi notæ inesse.

Itẽ sic suadetur. Infinitum suo modo nõ repugnat quantitati, i. in accipiendo partẽ post partẽ; ergo nec infinitũ suo modo repugnat entitati, id est in perfectione, simul essẽdo.

Itẽ. Si quãtitas virtutis est simpliciter pfectior, quã quãtitas molis; quare erit possibilis infinitas in mole, & non in virtute? sed si est possibilis, est & actu, sicut patet ex tertia Conclusione, vbi supra, de primitate effectiui.

Item. Quare intellectus, cuius obiectũ est ens, nullã inuenit repugnantiã intelligendo aliquod infinitũ? imò videD tur perfectissimũ intelligibile; mirũ & si nulli intellectui talis cõtradictio patẽs fiat circa eius primũ obiectũ, cùm discordia in sono ita faciliter offẽdat auditũ, si enim est discõueniẽs, statim percipitur, & offendit, cur nullus intellectus ab intelligibili infinito naturaliter refugit, sicut à non conueniente, imò suum obiectum primum destruente?

Per illud potest colorari illa ratio Ansel. de summo cogitabili Prosol. 2. & intelligenda est eius descriptio sic. Deus est quo cogitato, sine contradictione, maius cogitari nõ potest, sine contradictione. Et q; addendũ sit, sine contradictione, patet: nã in cuius cogitatione includitur contradictio, illud dicitur non cogitabile; quia tunc sunt duo cogitabilia opposita, nullo modo faciendo vnũ cogitabile; quia neutrũ determinat alterum. Summum cogitabile prædictum sine cõtradictione esse in re, probatur primò de esse q. dditatiuo. Quia in tali cogitabili summo, summè quiescit intellectus; ergo in summo est ratio primi obiecti intellectus, s. entis, & hoc in summo. Et arguitur vltra, q; illud sit, loquendo de esse existentiæ. Quia summè cogitabile non est tantùm in intellectu cogitante; quia tunc posset esse, quia est cogitabile possibile; & non posset esse, quia repugnat rationi eius esse ab alia causa, sicut patuit prius, in secũda cõclusione de primo effectiuo: maius igitur cogitabile est, quod est in re, quàm quod est tm̃ in intellectu. Non est autẽ hoc sic intelligendũ, quòd idem si cogitetur, per hoc sit maius cogitabile si existat, sed omni, quod est in intellectu tm̃, maius est aliquod cogitabile, quod est in re, vel quod existit. E

Vel aliter coloratur sic. Maius cogitabile est quod existit, id est, perfectius cognoscibile, quia visibile, siue intelligibile, intellectione intuitiua; quod autẽ non existit nec in se, nec in nobiliori, cui nihil addit, non est intellectualiter visibile; visibile aũt est perfectius cognoscibile, non visibili, sed tantùm intelligibili abstractiuè; ergo perfectissimum cognoscibile existit. De differentia intellectionis intuitiuę, & abstractiuæ, & quomodo intuitiua est perfectior, tangetur dist. 3. & aliàs quando locum habebit.

Vltimò ostẽditur propositũ (*à D. Th. 1. par. sum. q. 7. ar. 1.*) ex negatione causæ intrinsecę. Quia forma finitur per materiam; ergo quæ non est nata esse in materia, est infinita. F

Hęc ratio nihil valet. Quia s̃m ipsos, Angelus est immaterialis; ergo in natura erit infinitus. Nec possunt dicere. Quòd esse Angeli finiret eius essentiã: quia (secundũ eos) esse est accidens essentiæ, & posterius naturaliter, & sic in primo signo naturæ essentia s̃m se, vt prior, videtur esse intensiuè infinita, & per cõsequens in secundo signo naturæ non erit finibilis per esse. Breuiter respondeo ad argumentũ. Quòd quodlibet ens habet intrinsecũ sibi gradum suæ perfectionis, in quo est finitũ, si est finitum, vel infinitum, si est infinitũ; si ergo sit finitum, non per aliud ens finitatur.

Et cùm arguitur. Si forma finitur ad materiã; ergo si nõ est ad illam, non finitur. Fallacia est consequentis. Corpus finitur ad corpus; ergo si nõ est ad corpus, est infinitum; vltimum cęlũ ergo erit infinitum. Sophisma est tertij Phys. t. 31. quia sicut priùs corpus in se finitur, quam finiatur per aliud corpus, ita forma finita in se priùs finitur, quia est talis natura in entibus quæ finitur, quã finiatur per materiam; nã secunda finitas præsupponit primã, & non causat G eam; ergo in primo signo naturæ est essentia Angeli finita; ergo non finibilis per esse; ergo in secundo signo non finitur per esse. Breuiter dico vnam propositionẽ. Quòd quæcunque essentia absolutè finita in se, est finita vt præintelligitur omni comparationi sui, ad aliam essentiam.

Ex prædictis patet solutio Quæstionis. Nam ex Primo articulo habetur, quòd aliquod est ens simpliciter primum triplici primitate, s. efficientiæ, finis, & eminẽtiæ, & ita simpliciter, quòd est impossibile aliquid esse prius: & in hoc probatum est esse de Deo, quantùm ad proprietates respectiuas Dei ad creaturam, vel inquantum terminat respectus & dependentias creaturarum ad ipsum.

Ex Secundo articulo, habetur quadruplici via, q; illud primum est infinitum. Primò videlicet, quia primum efficiens. Secundò, quia primũ cognoscens omnia cognoscibilia; & propter secundam viam præmittebantur conclusiones quatuor de intelligere primi. Tertiò, quia finis vltimus. Quartò, quia eminentissimum.

Iuxta Primam viam, exclusa est quædam via inutilis de creatione. Iuxta Secundam, tangitur alia via de perfectione primi obiecti in intelligibilitate. Iuxta Tertiã & Quartã, exponitur ratio Ansel. Prosolog. 2. quæ stat in hac propositione, Quo maius cogitari nõ põt, illud est. Vltimo, excluditur via inutilis, ex immaterialitate inferẽs infinitatẽ. H

Itaque iunge Conclusiones duorũ Articulorum principaliũ, sic. Aliquod ens tripliciter primũ in entibus existit in actu; istud tripliciter primũ in entibus est infinitũ; ergo aliquod infinitũ ens actu existit. Et in hoc probatũ est esse de Deo, quãtũ ad illud absolutũ, quod est primũ perfectione oĩum à nobis conceptibiliũ de Deo, sicut dicetur 3. dist. & p consequẽs probatũ est esse Deũ, quantũ ad conceptũ perfectissimũ conceptibilẽ, vel possibilẽ à nobis haberi de Deo.

Principalia Argumenta diluuntur.

AD primum Argumentũ huius Quæstionis principale, Dico. Quòd causa infinita actiua ex necessitate naturæ, non cõpatitur sibi aliquod contrariũ, siue sit ei contrarium

A rium formaliter, ſ.ſecundùm aliquod quod cõuenit ſibi eſſentialiter, ſiue virtualiter, ſ.ſecundùm ratione͂ effectus ſui, quem virtualiter includit, vtroque enim modo impediret quodlibet incompoſſibile ſuo effectui, ſicut argutum eſt priùs. Deus autem eſt liberè, & voluntariè agens reſpectu omnium, quæ ſunt extra ipſum, & ideò cõpatitur malum.

Cõtra. Nunquid Philoſophi ponẽtes Deum agere ex neceſſitate naturæ, non ponebant eſſe aliquod malum in vniuerſo? Reſp. Sicut patuit probando Deũ eſſe agens per cognitionem, non potuerunt ſaluare aliquod malũ poſſe fieri contingenter in vniuerſo, ſed tm̃, quòd vnus ordo cauſarum produceret aliquod, quod eſſet receptiuũ alicuius perfectionis, alius aũt ordo de neceſſitate produceret oppoſitum illius perfectionis, ita ꝙ illa perfectio non poſſet tunc induci concurrentibus omnibus cauſis, licèt abſolutè productum ab aliquibus, conſideratũ ſecundùm rationem ſuæ ſpeciéi, eſſet receptiuum illius perfectionis, cuius oppoſitũ neceſſariò euenit. Quid aute͂ Philoſophi poſſunt dicere de libero arbitrio noſtro, & malitia moris, dicendum eſt aliàs.

B Ad Secundum. Dico, ꝙ conſequentia non valet. Ad probationem conſequentiæ. Dico, ꝙ non eſt ſimilis incompoſſibilitas dimenſionũ in replendo locum, & eſſentiarum in ſimul eſſendo: non.n. vna entitas ſic complet totam naturã entitatis, quin cum iſta alia entitas poſſit ſtare: hoc aute͂ non debet intelligi de repletione locali, ſed quaſi cõmenſuratione eſſentiali; ſed vna dime͂ſio replet eunde͂ locum ſm vltimum capacitatis ſuæ, & ideò aliud non poteſt eſſe cũ eo reple͂s locum, ſed benè poſſet eſſe cum eò aliud corpus non replens locum, ita ꝙ vna entitas ſimul poteſt eſſe cum alia; ſicut poſſet reſpectu loci cum corpore reple͂te locum, aliud corpus eſſe non replens locum. Similiter alia conſequentia nõ valet. Quia corpus infinitum ſi eſſet cum alio, fieret totum maius vtroque, ratione dimenſionũ; quia dime͂ſiones alterius corporis, eſſent aliȩ à dimenſionib. corporis infiniti, & eiuſde͂ rationis cum eis, & ideò totum maius eſſet, ꝑp diuerſitate͂ dimenſionum, & totũ non maius, quia dime͂ſio infinita non poteſt excedi, hìc aute͂ tota quantitas infinitæ

C perfectionis nullã recipit additione͂, in ratione talis quantitatis, ex cõexiſtentia alicuius finiti, ſm talem quantitatem.

Ad Tertium argumentum. Dico. Conſequentia non valet, niſi illud quod demonſtratur in antecedente, à quo alia ſeparantur, ſit finitũ. Exemplum. Si eſſet aliquod Vbi infinitũ per impoſſibile, & corpus infinitũ repleret illud Vbi, non ſequeretur, Hoc corpus eſt hìc, ita quod non alibi; ergo eſt finitum ſecundùm Vbi, quia ly hìc, non demonſtrat niſi infinitum; ita ſm Philoſophum, ſi motus eſſet infinitus, & te͂pus infinitum, non ſequitur. Iſte motus eſt in hoc te͂pore, & non in alio; ergo eſt finitus ſm te͂pus. Ita ad propoſitum: oportet probare illud quod demonſtratur, per hoc eſſe finitũ; quod ſi aſſumatur, petitur cõcluſio in præmiſſa.

Ad Vltimum. Dico, ꝙ Philoſophus infert moueri in non tempore, ex hoc antecedente, ꝙ potentia infinita eſt in magnitudine: & intelligit in conſequente moueri propriè, vt diſtinguitur contra mutatione͂; & hoc modo conſeque͂s includit contradictionem, & e͂t antecedens ſecundùm eum.

Qualiter autem teneat hæc conſequentia, ſic declaro. Si

D eſt infinita pote͂tia, & agit ex neceſſitate naturæ; ergo agit in non te͂pore; quia ſi agat in te͂pore; ſit illud tempus A. & accipiatur alia virtus finita, quæ agat in te͂pore finito, & ſit illud te͂pus B. augmentetur autem virtus finita ſm proportione͂ illã, quæ eſt B. ad A. puta, ſi A. eſt centuplum, vel millecuplum ad B. accipiatur virtus, quæ ſit centupla, vel millecupla ad illã virtutem finitam datam; igitur illa virtus ſic augme͂tata mouebit in A. tpe; & ita illa, & infinita, mouebunt in æquali te͂pore; quod eſt impoſſibile, ſi virtus infinita mouet ſm vltimum potentiæ ſuæ, & neceſſariò. Ex hoc igitur, ꝙ virtus illa eſt infinita, ſequitur quòd ſi agat ex neceſſitate naturæ, agit in non te͂pore, ex hoc aute͂ quòd ponitur in antecedente, quod eſt in magnitudine, ſequitur, ꝙ ſi agat circa corpus, ꝙ propriè moueat illud corpus; quia virtute͂ in magnitudine vocat Philoſophus virtute͂ extenſam per accidens; talis aũt ſi ageret circa corpus, habet partes illius corporis diuerſimodè diſtantes reſpectu eius, puta vnam parte͂ corporis propinquiorem, & aliã remotiorem; habet e͂t reſiſtentiam aliquam in corpore circa quod agit, quæ duæ cauſæ, ſ. reſiſtentia, & diuerſa approximatio partium mobilis ad ipſum mouens, faciunt ſucceſſionem eſſe in motu, & corpus propriè moueri; ergo ex hoc ꝙ in antecedente illo ponitur virtus in magnitudine, ſequitur, quòd propriè mouebit, & ita iungendo iſta duo ſimul, ꝙ eſt infinitum, & in magnitudine, ſequitur, ꝙ propriè mouebit, & in non te͂pore, quod eſt contradictio. Sed iſtud nõ ſequitur de virtute infinita, quȩ non eſt in magnitudine; ipſa.n. licèt in non tempore agat, ſi neceſſariò agat, quia hoc ſequitur ad infinitatem, non tñ propriè mouebit, quia non habebit in paſſo illas duas rationes ſucceſſionis: nõ igitur vult Philoſophus, ꝙ infinita potentia propriè moueat in non tpe, ſicut argumentum prætendit, ſed quòd infinita potentia in magnitudine propriè moueat, & in non tempore, quæ ſunt contradictoria: & ex hoc ſequitur; ꝙ antecedens includit contradictoria, ſ. quòd virtus infinita ſit in magnitudine. E

Sed tunc eſt dubitatio. Cùm potentiam motiuam primi ponet infinitã, & naturaliter agentem, videtur ſequi, quòd neceſſariò ageret in non te͂pore, licèt non moueat in non te͂pore, imò tunc nihil mouebit propriè loquendo. Et quòd hoc ſequatur patet: quia iſtud priùs probatum fuit per rationem potentiæ infinitæ neceſſariò agentis. Reſp. Comment. 12. Met. t. 41. Quòd præter primũ mouens, quod eſt infinitæ potentiæ, requiritur mouens coniunctum pote͂tię finitæ, ita quòd ex primo moue͂te, ſit infinitas motus, & ex ſecundo ſit ſucceſſio; quaſi aliter non poſſet eſſe ſucceſſio, niſi concurreret illud mouens finitũ; quia ſi ſolũ infinitum ageret, ageret in non te͂pore. Iſtud improbabitur diſt. 8. q. vlt. vbi in hoc arguetur contra Philoſophos, qui ponunt primũ agere ex neceſſitate, quodlibet quod immediatè agit: ſed Chriſtianis non eſt argumentũ difficile, qui dicunt Deum contigenter agere; ipſi.n. poſſunt faciliter reſpondere, quia ſi virtus infinita neceſſariò agens, agat ſm vltimum ſui, & ita non in tempore, quicquid immediatè agit, non tñ virtus infinita contingenter & liberè age͂s, ſicut.n. in poteſtate eius eſt agere, & nõ agere, ita in poteſtate eius eſt agere in te͂pore, & agere in non te͂pore: & ita facilè eſt ſaluare primum ens mouere corpus in tempore, licèt ſit infinitæ potentiæ; quia non neceſſariò agit, ſecundùm vltimum potentiæ ſuæ, quantùm ſcilicet poſſet agere, nec in tam breui tempore, in quo breuiori non poſſet agere. F G

QVÆSTIO TERTIA.

An ſit tantùm vnus Deus.



T quòd non, arguitur. 1. ad Cor. 8. *Siquidem ſunt Domini multi, & Dij multi.*

Item ſic. Deus eſt; ergo Dij ſunt. Probatur cõſequentia. Quia ſingulare & plurale ide͂ ſignificant, licèt differant in modo ſignificandi; ergo includunt idem prædicatum proportionaliter acceptũ; ergo ſicut ſingulare includit ſingulare, ita plurale includit plurale.

Præterea ſecundò. Quia ſicut Deus eſt quo maius cogitari non poteſt, ita Dij ſunt, quibus maiora excogitari non poſſunt; illa autem quibus maiora cogitari non poſſunt, ſunt in effectu; quia videtur quòd ſi non eſſent in effectu, maiora poſſunt eis cogitari. H

Præterea. Omne ens per participationem, reducitur ad aliquid tale per eſſentiam; ſed indiuidua, in quacunque ſpecie creata, ſunt entia per participationem, alioquin non eſſent multa; ergo reducuntur ad aliquid tale per eſſentiam; ergo eſt aliquis homo per eſſentiam, & aliquis bos per eſſentiam; ſed quicquid eſt per eſſentiam, non per participationem, eſt Deus; ergo &c.

Præterea. Plura bona ſunt meliora paucioribus bonis; ſed quæcunque meliora ſunt pone͂da in vniuerſo; ergo &c.

Contra. Deuter. 6. *Audi Iſrael, Dominus Deus tuus vnus eſt*. Et Iſa. 3. *Extra me non eſt Deus.*

In iſta Quæſtione Concluſio eſt certa. Sed dicunt aliqui (*Guil. Var. lib. 1. d. 2. q. 1.*) quòd hæc concluſio non eſt demonſtrabilis, ſed tantùm accepta per fidem: & ad hoc habetur auctoritas Rabi Moyſi. lib. 3. c. 6. Quòd vnitas Dei accepta eſt à lege.

Hoc etiam arguitur per rationem. Quia ſi per ratione͂ naturalem poſſit cognoſci Deum eſſe vnicum; ergo poſſet

A fet naturaliter cognosci Deum ex se esse singularem; ergo posset cognosci naturaliter singularitas Dei, & essentia Dei, vt singularis: quod falsum est, & contra prædicta in Quæstione de subiecto Theologiæ.

Videtur tamen quòd ista vnitas possit ratione naturali ostendi, & hoc sumendo viam, Primò, ex infinito intellectu. Secundò, ex infinita voluntate. Tertiò, ex infinita bonitate. Quartò, ex ratione infinitæ potentiæ. Quintò, ex ratione infiniti absolutè. Sextò, ex ratione necesse esse. Septimo, ex ratione omnipotentiæ.

Prima via ex parte intellectus infiniti, arguitur. Primò sic. Intellectus infinitus cognoscit quodcunque intelligibile perfectissimè, quātùm est intelligibile in se, quia totum ens. Nam intellectus finitus hoc potest, licèt nō perfectissimè, nec simul; ergo si sint duo Dij, sint A. & B. A. ergo cognoscet B. perfectissimè, quantùm scilicet B. est cognoscibile, sed hoc est impossibile. Probatio. Quia aut cognoscit B. per essentiam B. aut non: si non; & B. est cognoscibile per essentiam; ergo A. non cognoscit B. perfectissimè, quantùm scilicet B. est cognoscibile, nihil enim cognoscibile per essentiam perfectissimè cognoscitur, nisi cognoscatur per essentiam suā, vel per aliquid perfectiùs includens essentiam suam, quàm ipsa sit in se, essentia autem B. in nullo perfectiùs includitur quàm in B. quia tūc B. non esset Deus. Si autem cognosceret B. per essentiam ipsius B. ergo actus ipsius A. est posterior naturaliter essentia ipsius B. & ita A. non est Deus. Quòd autem actus ipsius A. sit posterior ipso B. Probo. Quia omnis actus cognoscendi, qui nō est idem obiecto, est posterior obiecto; neque enim prior, neque simul natura est actus cū obiecto alio ab actu; quia tunc actus posset intelligi sine obiecto, sicut è conuerso. Si dicas. Quòd A. intelligit B. per essentiam ipsius A. quæ simillima est ipsi B. aut quòd A. intelligit B. in ratione speciei communis ipsi A. & ipsi B. Contra. Neutra responsio saluat quòd A. intelligat B. imperfectissimè, & per consequens nō est Deus; quia cognitio alicuius in simili tantū, siue in vniuersali, nō est cognitio perfectissima, & intuitiua ipsius rei in se, & ita nō cognoscit B. intuitiuè, & perfectissimè; quod est propositū.

C Secūdò ex parte intellectus arguitur sic. Actus aliquis non potest habere simul duo obiecta adæquata: A. est obiectum adæquatum suæ intellectioni, & B. esset adæquatum eidem, si posset intelligere simul perfectè A. & B. ergo impossibile est, quòd A. intelligat vnica intellectione simul perfectè, A. & B. Si aūt A. habet duas intellectiones realiter distinctas, ergo non est Deus. Maior patet. Quia alioquin actus adæquaretur alicui obiecto, quo subtracto, non minùs quietaretur potentia & adæquaretur, & ita frustra esset tale obiectum.

Quantū ad Secundā viā arguitur sic. Voluntas infinita est recta; ergo diligit quodlibet diligibile, quātū est diligibile; si igitur B. est alius Deus, est diligibilis in infinitum; cū sit bonū infinitū, & infinitè à voluntate potente sic diligere; ergo voluntas A. diligit B. infinitè; sed hoc est impossibile; quia A. naturaliter plùs diligit sic, quàm B. Probatio. Quodlibet. n. naturaliter plùs diligit esse suum,
D quàm esse alterius, cuius nihil est, vt pars, vel effectus; A. aūt nihil est ipsius B. nec vt pars, nec vt effectus; ergo plùs diligit A. se naturaliter, quā ipsum B. sed voluntas libera, quādo est recta, cōformatur voluntati naturali; alioquin voluntas naturalis non esset semper recta; ergo A. si habet voluntatem liberam rectam, actu elicito plùs diligit se, quam B. ergo non B. infinitè.

Secundò sic de voluntate. Aut A. fruitur B. aut vtitur; si vtitur eo; ergo A. habet voluntatē inordinatā; si fruitur B. & fruitur A. ergo A. est beatus in duob. obiectis, quorū neutrū dependet ab alio; quia sicut A. est beatus in se, sic in B. sed consequens est impossibile; quia nihil potest esse beatū actu, in duobus obiectis beatificantibus totalibus. Probatio. Quia vtrolibet eorū destructo, nihilominus esset beatus; ergo in neutro est beatus. Videtur etiam rationabile, quòd quietatū in vno obiecto adæquato, non possit in obiecto alio quietari.

De Tertia via, scilicet de ratione infiniti boni, arguo sic. Voluntas ordinata potest appetere maius bonū, & magis amare maius bonum; sed plura bona infinita, si sint possibilia, plùs bonitatis includunt, quàm vnū infinitum; ergo voluntas ordinatè posset plus amare plura bona infinita, quàm vnum, & per consequens in vno bono quietaretur; sed hoc est contra rationem boni, quod sit infinitum, & non quietatiuum cuiuslibet voluntatis. E

Quantùm ad Quartam viam, scilicet de infinita potentia, arguo sic. Non possunt esse duæ causæ totales eiusdem effectus, in eodē ordine causę; sed infinita potentia. est causa totalis respectu cuiuslibet effectus, in ratione primę causæ; ergo nulla alia potētia potest esse causa, in ratione causę primę, respectu alicuius effectus, & ita nulla alia est causa infinita in potētia. Primam propositionē probo. Quia tunc aliquid esset causa alicuius, à quo illud non dependeret. Probatio. A nullo aliquid depēdet essentialiter, quo nō existente nihilominus esset, sed si C. habet duas causas totales, A. & B. & in eodem ordine causæ, vtrolibet eorum non existente, nihilominus esset ipsum C. ab altero eorū; quia non existente A. nihilominus erit C. ab ipso B. & nō existente B. nihilominus erit ipsum C. quia ab ipso A. F

Iuxta idē arguitur de vnitate cuiuscunq; primi in quacunque primitate prædicta. Nihil enim excessum exceditur à duobus primò ipsum excedentibus, & finitum essentialiter ordinatur ad duos primos fines; esset enim aliqd ad finem, quo non existēte nihilominus esset finitum, (vt priùs argutū est) & esset aliquid excessum essentialiter ab aliquo, quo non existente nihilominus haberet essentiale excedens, quo mēsuraretur essentialiter, & à quo acciperet suam perfectionem essentialiter, quod est impossibile; ergo impossibile est alicuius finiti duos fines primos esse, vel alicuius excessi, duo prima eminentia esse.

De Quinta via. Dico, quòd infinitum absolutè non potest excedi, & arguo sic. Quæcunque perfectio potest numerari in diuersis, plùs perfectionis habet in pluribus, quàm in vno: sicut dicitur 8. de Trin. c. 1. ergo infinitum in pluribus omnino numerari non potest.

De Sexta via. Primò arguo sic. Species plurificabis in indiuiduis, non determinatur ex se ad certū numerū indiuiduorum, sed quātùm est ex se cōpatitur infinitatē indiuiduorū, sicut patet in speciebus omnibus corruptibilibus; G ergo si ratio necesse esse sit plurificabilis in indiuiduis, nō determinat se ad certū numerū, sed compatitur infinitatem, quantùm ex se est; sed si possent esse infinita necesse esse, sunt infinita necesse esse; consequens est falsum; ergo & antecedens, ex quo sequitur.

Secundò arguo sic, iuxta istā viam. Si sunt plura necesse esse, aliquibus perfectionibus realibus distinguuntur; sint perfectiones istæ A. & B. Tūc sic. Aut ista duo distincta per A. & B. sunt formaliter necesse esse per A. & B. aut non: si non; ergo A. non est formalis ratio necessariò essendi, nec B. ergo per consequens, nec includens A. est necesse esse. Probatio. Quia includit aliquam entitatem, quæ non est necessitas formaliter essendi, nec necessaria ex se. Si autem illa sint formaliter necesse esse per A. & B. & præter hæc, vtrumque est necesse per illud, in quo conuenit vnum cum alio; ergo vtrumque habet in se duas rationes, quarum vtraque formaliter est necesse esse; sed hoc est impossibile, quia neutra illarum includit alterum; vtralibet igitur illarum circumscripta, esset tale necesse esse per reliquam; & ita esset aliquid formaliter necesse esse per rationem aliquam, qua circumscripta nihilominus esset necesse esse, quod est impossibile. H

De Septima, scilicet de omnipotentia videtur, quòd illa non sit per rationem naturalem demonstrabilis. Quia omnipotentia, (vt aliàs patebit) nō potest concludi ratione naturali, vt Catholici credunt omnipotentiā; nec concluditur ex ratione infinitæ potentiæ, tamen ex omnipotentia credita, arguitur sic propositum. Si A. est omnipotens; ergo potest facere circa quodcunque aliud, ipsum esse vel non esse, & ita posset destruere B. & ita fieret B. nullipotens; ergo B. non est Deus.

Ista ratio non valet. Quia B. non est obiectū omnipotentiæ ipsius A. quia omnipotentia pro obiecto respicit possibile, B. autem ponebatur necessarium, sicut A.

Ideo ex omnipotentia credita arguitur aliter sic, declarando

A rando rationem Ric.2. de Trin.c.vlt. Omnipotens sicut suo velle potest producere omne possibile, ita suo nolle potest impedire, vel destruere omne possibile, si iam habet esse: A. ergo omnia possibilia potest suo velle in esse producere, non autem est necesse quod B. velit omnia illa esse; sed potest nolle illa esse, quæ A. vult, quia voluntas B. se habet contingenter ad illa, quæ vult A. sicut voluntas A. ad illa quæ B. vult, si est Deus: si autem B. nolit illa esse; ergo nullum eorũ est; igitur si sint duo omnipotẽtes, vterquè illorum faceret alterum nullipotentem, non destruendo illum, sed faciendo, vel prohibendo per suum nolle, esse volitum ab alio.

Quod si dicas somniando. Quòd concordant in volũtate sua: quamuis de hoc nulla sit necessitas, sed quasi fecerunt pacta. Adhuc probo, quòd neuter eorum erit omnipotens. Nam si A. est omnipotens, potest producere suo velle, quodcunque aliud possibile volitum à se: ex hoc sequitur quod B. nullum eorũ potest producere suo velle, & ita non est omnipotens. Quòd hoc sequatur: patet ex

B Quarta via; quia impossibile est duas causas esse totales vnius effectus, quia ex quo causatus est ab vna, impossibile est quòd sit ab alia.

Argumenta quædam aliorum ad Conclusionem prædictam, nolo hìc adducere, quibus nõ oportet inniti, quia sunt solubilia, & æquè forsan cõcludentia vnum esse Angelũ in vna specie, si Angelus est simplex in essentia sua: aut si concludunt, non tamen ex naturaliter nobis notis; nec oportet illa adducere, vt soluenda, quia non sunt cõtra Conclusionem quam teneo.

Ad illa quæ sunt pro alia Opinione. Respondeo. Ad auctoritatem Rabi Moysi. Et Dico, quòd populus Iudaicus fuit rudis, & pronus ad idolatriam, ideò indiguit instrui per leges de vnitate Dei, licèt per rationem naturalem poterat demonstrari. Ita etiam acceptum est à lege, quòd Deus sit, Exodi 3. *Ego sum qui sum*. Et Apostolus ad Hæbr. dicit. *Quòd oportet accedentem ad Deum credere, quia est*: & tamen non negatur Deum esse, esse demonstrabile; ergo pari ratione negandum non est, posse

C demonstrari Deum esse vnum, licèt acceptum sit à lege. Illa etiam quæ possunt demonstrari, vtile est communitati tradi per viam authoritatis: & propter negligentiam communitatis in inquirendo veritatem, & propter impotentiam intellectus, & propter errores inquirentium per demonstrationem, quia veritatibus suis multa falsa permiscent, vt dicit Aug. 18. de ciuit. Dei: & ideò quia simplices sequentes tales demonstrationes, benè possent dubitare, cui esset assentiendum, ideo tuta est via, & facilis, & cõmunis auctoritas certa, quæ nõ potest fallere, nec falli.

Ad Secundam rationem, de singulari. Dico, quòd aliud est, singularitatẽ esse conceptam, vt obiectum, vel vt partẽ obiecti: aliud est, singularitatẽ esse præcisè modum concipiendi, siue sub quo cõcipitur obiectũ. Exemplum. Cùm dico, Plurale est singulare, obiectũ conceptum est pluralitas, sed modus concipiendi, id est, modus sub quo cõcipitur, est singularitas: ita in intentionibus Logicis. Cùm dico, Singulare est vniuersale, quod cõcipitur, est singularitas, sed modus concipiendi sub quo concipitur, est vniuer-

D salitas, quia quod concipitur, vt concipitur, hẽt indifferentiã ad plura. Ita dico in proposito, quòd Essentia Diuina potest concipi, vt singularis, ita q singularitas sit cõcepta vel vt obiectum, vel vt pars obiecti: nec tamen sequitur, quòd essẽtia possit cognosci vt singularis, ita q singularitas sit modus cõcipiendi: cognoscere.n. sic aliquid vt singulare, est cognoscere illud vt hoc, sicut album videtur vt hoc: & hoc modo (vt prædictũ est) nõ cognoscitur Essentia Diuina sub ratione singularis: & ideò in argumento est fallacia figuræ dictionis, cõmutando rem, in modum.

Ad rõnes principales. Ad Primã. Dico, q Apostolus loquitur de idolis, & ideo de Dijs nũcupatiuè, & subditur ibi. *Nobis aũt vnus est Deus, quia omnes Dij gẽtiũ dæmonia.*

Ad Secundum. Dico, quòd consequentia non valet; quia numerus non est talis modus significandi Grammaticaliter, quales alij modi Grammaticales, qui præcisè dicunt modum concipiendi rem, absque aliquo reali correspondenti tali modo cõcipiendi, sed numerus verè includit rem substratam; vnde sequitur, homines currunt; ergo plures homines currunt: sed non est sic de alijs consignificatis nominis, vel verbi, quia non sequitur, Deus est E generis est masculini; ergo Deus est masculus; quia ad masculinitatem sufficit aliquid in se, à quo iste modus cõcipiendi possit accipi, puta actiuitas. Dico igitur, quòd illud subiectum, Dij, conceptũ sub modo plurali, includit contradictionem; quia modus concipiendi repugnat ei quod concipitur sub modo incompossibili. Cũ igitur probatur consequentia. Quia idẽ includit singulare & plurale. Dico, quòd singulare includit illud sub modo concipiendi conuenienti ipsi concepto, sed plurale includit illud sub modo incompossibili illi concepto: & ideo illud singulare includit rationem quasi in se veram, prout includit cõceptum & modum concipiendi, plurale autẽ prout includit illa, includit rationẽ quasi in se falsam: & ideò non sequitur, quòd plurale sit verum de plurali, sicut singulare de singulari; quia de eo cuius ratio est in se falsa, nihil est verum. Per idem patet ad aliam probationem. Quo maius cogitari nõ potest. Quia non sunt Dij cogitabiles sine cõ- F tradictione, quia modus repugnat rei conceptæ: & ideo Maior est glosanda, sicut priùs in quæstione præcedenti. Ad veritatem autem propositionis, requiritur quòd ratio subiecti sit in se vera, & non includat contradictionem, sicut dictum est in quæstione secũda huius distinctionis.

Ad Tertium. Dico, quòd Maior propositio non est prima, sed reducitur ad istam, Omne imperfectũ reducitur ad perfectum: & quia omne ens per participationem est imperfectum, & tãtùm illud ens est perfectum, quod est ens per essentiam, ideò sequitur propositio illa Maior de participatione: hęc autem Maior de imperfecto sic habet intelligi, Aliquod est imperfectum secundùm perfectionem simpliciter, quæ non necessariò habet imperfectionem concomitantem, quia non includit in se limitationẽ, vt hoc bonum, hoc verum, hoc ens; & huiusmodi: imperfectum reducitur ad perfectum eiusdem rationis, scilicet ad bonum, ens verum, quæ important perfectionem simpliciter; aliquid autem est perfectum secũdùm perfectionem non simpliciter, sed secundùm perfectionem quæ de G ratione sui includit limitationem, & ideò necessariò habet imperfectionem annexam, vt hic homo, & hic asinus. Quod igitur imperfectum est primo modo, reducitur ad perfectum simpliciter, secundùm perfectionem illius rationis, quia aliquid, secũdùm illam rationẽ potest esse simpliciter perfectum. Quod autem est imperfectũ secundo modo, non reducitur ad aliquid perfectum simpliciter secundùm perfectionẽ eiusdem rationis, scilicet ad rationẽ specificam, quia ista imperfectionẽ includit, ideò secũdũ illam non potest esse aliquid perfectũ simpliciter, propter limitationem, sed reducitur ad aliquid perfectum simpliciter æquiuocum, eminenter includẽs istam perfectionẽm, & ideò bonum imperfectum, reducitur ad perfectũ bonũ; sed sic lapis qui est imperfectus, nõ reducitur ad lapidẽ perfectum simpliciter, sed ad summũ ens, & ad summũ bonũ, quæ includunt virtualiter illam perfectionem.

Ad Vltimum dicitur, *(à S. Bonau. dist. præf. q. 1.)* Quòd plura bona finita sunt meliora paucioribus bonis finitis, H non autem plura bona infinita. Sed hoc non videtur respondere ad argumẽtum. Quia quæcunque si essent meliora, videntur ponenda in entibus esse, & maximè in ente supremo, quod est necesse esse: quia ibi quicquid posset esse, bonum est, & necesse est ibi esse: sed plura bona infinita, si essent, essẽt meliora; videtur igitur, quòd plura bona infinita sunt ponenda in natura summi boni. Ad istud respondeo. Quòd cùm dicitur in Maiori illa: quę si essẽt, essent meliora, sunt ponenda ibi. Dico, quòd aut per ly si, implicatur positio possibilium, aut positio incompossibiliũ. Si primo modo; dico, quòd Maior est vera, & Minor falsa; quia implicatio illa in Minori, non est possibilium, sed incompossibilium; si autem ly si, implicet positionem incompossibilium, Minor est vera, & Maior falsa; quæ enim non essent meliora, nisi ex positione imcompossibilium, non essent meliora, nec etiam sunt bona: sicut illud quod nõ est nisi ex positione incompossibilium, omnino non est, sicut nec illud est à quo illud dependet.

A E

SECVNDA PARS
HVIVS DISTINCTIONIS.
DE TRINITATE DIVINARVM PERSONARVM.

*Irca Secundam partem huius Distinctionis, in qua Magister agit de pluralitate Personarum; & productione earum; quæruntur Quatuor. Et quia pluralitas Diuinarum Personarum declaratur ex productione, ideò quæro de productione in natura Diuina.*

Et Primò in communi sit.

B

QVÆSTIO QVARTA.

Vtrum Essentia Diuina possit stare in aliquo, et ipsum esse productum. Seu. Vtrum in Diuinis possit esse aliqua productio intrinseca.

Rguo quòd non. Primò sic. Nullum productum est ex se necessariũ; sed quicquid subsistit in Essentia Diuina, est ex se necessariũ; ergo. &c. Probatio Maioris, per quinq; vias. Prima. Quia nihil simul est ex se necessariũ & ab alio; sed quod est productum si est necessariũ, est necessariũ ab alio; ergo non à se. Maiorē huius Syllogismi probo. Quia si est necessariũ ex se; ergo est necessarium circumscripto omni alio: si aũt est necessariũ ab alio, non est necessarium illo circumscripto. Secundò probatur Maior. Quia omne productum possibile fuit produci; alioquin impossibile produci esset productum; ergo omne productum aliquam possibilitatem includit, & omnis possibilitas repugnat necessatio ex se,
C ergo. &c. Tertiò sic. Terminus productus, est aliquomodo posterior producente; quia non potest intelligi productio sine aliquo ordine priori, & posteriori; in illo priori in quo producens intelligitur, non intelligitur productum; quia tunc non esset prius; ergo intelligitur in illo priori, productum nō esse, & in signo posteriori intelligitur esse; ergo mutatio. Quartò probatur. Quia Essentia Diuina circumscripta productione, non habet illud productum, habet enim illud productum per productionem; ergo per illam fit Essentia Diuina de non habente illud, habens illud, & ita mutatio. Quintò. Quia generatio videtur esse essentialiter mutatio, sicut species essentialiter includit genus; productio autem ad esse per modum naturæ, est generatio: igitur illa non potest intelligi sine mutatione.

Secundò ad principale sic. Si est productum; ergo dependet: consequens est falsum; ergo & antecedens. Probatio consequentiæ. Quia si nullo modo dependet productum à producente; ergo vtrumque ex æquo haberet naturam. Et ex hoc vltra: non magis præexigeret produ-
D ctum ad sui productionem, & esse quod producens præhaberet suam naturam, quàm è conuersò: quod est cōtra naturam productionis.

Tertiò principaliter sic. Quia aliæ mutationes, quæ nō ponunt de ratione sui tantam imperfectionem, quantam ponit generatio, non possunt esse in Diuinis; ergo nec generatio. Consequentia patet. Quia remouetur à Deo quicquid est imperfectionis. Probatio antecedentis. Quia latio, & alteratio, secundùm Arist. 8. Physic. non ponunt tantam imperfectionem, quantam ponit generatio, quia multa entia perfecta possunt alterari, vel localiter ferri, quæ non possunt generari; sed non conceditur in Deo loci mutatio, vel alteratio; ergo nec generatio.

Ad oppositum est Aug. 5. de Trin. c. 14. *Pater est principium totius Diuinitatis, non nisi per productionem; ergo, &c.*

ARTICVLVS PRIMVS. F

Satisfit propositæ Quęstioni, per Conclusionem affirmatiuam.

DIco. Quòd in Diuinis est, & potest esse productio. Quod probo sic. Quicquid ex ratione formali est principium productiuum sufficiens, illud in quocunque est à se, & sine imperfectione, in eo est principium productiuum. Istud totum, scilicet intellectus habens obiectum actu intelligibile, sibi præsens ex ratione sua formali, est principium productiuum notitiæ gemitæ; ergo in quocũque est istud, scilicet intellectus habēs obiectum actu intelligibile, sibi præsens, ibi erit principium productiuum notitiæ gemitæ, & hoc secundùm proportionem suę perfectionis; sed in Deo est illud secundùm veram rationem sui; ergo verè est ibi productio notitiæ genitæ.

Idem potest argui de voluntate. Quia voluntas habens obiectum actu cognitum, sibi præsētatum, ex ratione sua, G
est productiua amoris perfecti producti.

Contra istam rationem insto, vt magis declaretur. Et Maiorem quidem rationis concedo, sed ad Minorem diceretur, quòd illud totum nō est ex se principium productiuum, sed tantùm quando intellectus potest habere ex se notitiam productam: hoc autem est, quando potest habere notitiam aliam à se, qua perficiatur: intellectus autē Diuinus non potest habere notitiam distinctam à se, qua perficiatur, & ideo nō videtur quòd ibi debeat poni principium productiuum.

Et confirmatur ista responsio. Primò. Quia notitia genita frustra poneretur: Secundò. Quia impossibile est eam poni. Primum probatur. In nobis est necessaria notitia genita, quia per eam intellectus perficitur, qui sine ea esset imperfectus: intellectus autem infinitus licèt habeat obiectum sibi præsens, tamen nō formaliter perficitur per notitiam genitam, sed per notitiam ingenitam, eandem sibi realiter, qua etiam formaliter intelligit. Secundum, scilicet impossibilitatem probo dupliciter. Primò. Quia H
productiuum vel producens, habens productum adęquatum, non potest aliud producere; ergo cum totum illud, intellectus habens obiectum actualiter sibi præsens, habeat in intellectu paterno notitiam ingenitam sibi adæquatam, quasi productam ex se, quæ aliquomodo, secundùm rationem intelligēdi, posterior est tali præsentia obiecti, videtur quòd nullam virtutem vlteriorē habeat ad producendam notitiam distinctam aliam ab ista. Secundò probatur. Quia intellectus est potentia actiua nō factiua, vt dicitur 9. Metaphy. t. 16. igitur si potest producere productum, potest producere in se illud, & nō extra se, alioquin non haberet rationem actiui, vt distinguitur cōtra rationem factiui: iste igitur intellectus, qui non potest producere notitiam in se, non potest producere aliquã notitiam, vt videtur.

Istas rationes excludendo, confirmo rationem. Et ad excludendam responsionem, ad Minorem in se, dico, quòd intellectus noster respectu genitæ notitiæ habet potentiã

A receptiuam,& ista potẽtialitas est imperfectionis, quia est potentialitas passiua; nihil autem facit hoc per se ad rationem principij productiui, quia nulla imperfectio formaliter est de ratione principij productiui,& maximè quando principium productiuum potest in se esse perfectum. Habet etiam intellectus noster rationem principij productiui, respectu notitiæ genitæ,& hoc est ex perfectione eius, quatenus actus primus virtualiter continet illum actum secundum. Primum istorum, scilicet recipere intellectionem, patet quòd conuenit intellectui possibili. De secundo non est ita certum, an conueniat possibili, vel agẽti, de hoc aliàs inquiretur. Nunc autem hoc indistinctè acceptũ de intellectu, quòd est principium productiuum notitiæ genitæ, satis puto verum, & declarabitur distin. 3. parte 3. quæst. 2.& intellectus sic est in Deo, quia habet intellectũ secundùm omnem rationem intellectus, quæ non ponit imperfectionem.

Tunc arguo sic. Quandocunque in aliquo concurrunt B duo per accidens, scilicet ratio agendi,& patiẽdi, vbi illud quod est ratio agendi est per se, si separetur à ratione patiẽdi,& ponatur per se, nihilminùs est ratio agendi: q̄ patet ex 2. Phys.c. 3. & 86. de medico sanante se, si separetur medicina ab infirmitate, nihilminùs erit ratio sanandi: igitur si separentur prædicta duo in intellectu ab inuicem, remanente eo quòd erat per se ratio principij productiui, adhuc erit ratio producendi, quantumcunque non sit ibi potentialitas passiua receptiua. Exemplum huius patet. Quia si in intellectu nostro esset concreata vel consubstãtialis notitia sui, secundùm quod quidam intelligunt Augustinum de notitia condita. 14. de Trin. tunc licèt intellectus non possit habere notitiam genitam, qua cognoscat se formaliter, tamen in alio intellectu, puta Angelico, vel humano beato in patria, posset gignere notitiã sui in ratione obiecti, quia sic gignere competit sibi, vnde est in actu, licèt non sit receptiuus, & etiam si posset habere aliquod obiectum actum intelligibile sibi præsens, posset aliquam notitiam gignere in passo approximato si quòd tale C sit; aut per se stantem, si haberet virtutem gignendi aliquid per se stans; ergo ab intellectu Diuino, circumscripta ratione receptiui notitiæ, si remaneat ratio productiui notitiæ,& hoc per se stantis, poterit talis notitia gigni, licèt non recipiatur in intellectu, qui est principium gignendi.

Ex hoc patet, quòd glosa illius Minoris, in se nulla est. Ad Confirmationem illius glosæ, per frustra: Dico, quòd in omni ordine agẽtium, præcipuè vbi principium actiuũ de se nõ est imperfectum, est status ad aliquod principiũ actiuum simpliciter perfectum, quod scilicet agens agit ex plenitudine perfectionis, & dicitur agens ex liberalitate secundùm Auic. 6. Met. c. vlt. Nullum autem agens agit liberaliter propter hoc, quòd ex actione sua expectat perfici; sicut .n. in actibus humanis liberalis est ille, qui agit non expectans redditionem, ita similiter agens dicitur liberale, eò quòd nullo modo perficitur à productione vel producto. Ex hoc arguitur sic. In omni genere principij productiui non includentis imperfectionem, possibile est stare ad aliquod primum simpliciter perfectum; sed D intellectus est tale principium,& voluntas similiter; ergo in isto genere potest stari ad aliquod simpliciter perfectũ; sed nihil est simpliciter perfectũ agens, quod non agit liberaliter secundùm prędictum modum, Ergo sic est aliquod agens liberaliter modo prædicto;& per consequens in genere principij productiui, est aliquod principiũ tale, quod nullo modo perficitur per suam productionem; talis est intellectus habens obiectum sic sibi præsens, & nullus alius est nisi ille, qui non recipit, nec perficitur per intellectionem quam gignit, siue quæ in virtute eius gignitur; ergo non oportet intellectum omnem producere notitiã, vt ea perficiatur, sed oportet esse aliquem priorem producentem, non perfectibilem per productum. Et cùm dicitur: Tunc erit frustra: non sequitur; nam erit summum bonum, sed non est productum à producente, vt producẽs per ipsum perficiatur, sed ex plenitudine perfectionis producentis.

Cùm autem arguitur post, de impossibilitate. Duco ad oppositum. Quia etsi aliquod obiectum præsens memoriæ patris, habeat ibi aliquam notitiam actualem patris, E quasi productam, non tamen habet notitiam actualem adæquatam in patre productam; nulli autem principio productiuo ex se tollitur aliquid producere, vt est in aliquo, nisi intelligatur illud principiũ producere, vel produxisse aliqua productione adæquata virtuti talis principij productiui,& ideo quantumcunq; memoria, vt in patre, habeat quasi productũ, adhuc potest producere productum: sed verum est, quòd cùm habuerit productum adæquatum, non poterit aliud producere.

Cùm arguitur vlteriùs de actiuo,& factiuo. Dico, quòd istæ differentiæ sunt accidentales potentię productiuę. scilicet actiua, vel factiua: vniuersaliter enim omnis potentia ex se productiua alicuius receptibilis in aliquo, in quolibet receptiuo proportionato, & approximato producit, vel potest producere illud producibile; quod si producibile non sit natum in aliquo recipi, potentia productiua illud producit,& non in aliquo, sed per se subsistens, si tamen sit potentia productiua sufficiens ad producendum, nullo alio præsupposito: Ita est in proposito, quòd Pater F habet notitiam genitam, non agendo, id est, non producendo aliquid in se, nec faciendo, id est producẽdo aliquid distinctum essẽtialiter extra se; sed quia productũ in nullo natum est recipi, & intellectus est principium productiuum sufficiens, quia infinitum; ideo producit notitiam genitam in se subsistentem, quæ est persona. Et ita respõsiones ad instantias, sunt declarationes primæ rationis,& per consequens etiam propositi principalis.

Secundò principaliter ad Conclusionem principalẽ arguo sic. Obiectum vt est in memoria, producit seipsum vt est in intelligentia, vel est ratio producendi seipsum vt est in intelligentia, quòd autẽ obiectum habeat esse vtrobique secundùm quid, vel ab eis differens, hoc est imperfectionis; quia si memoria esset perfecta, & intelligentia perfecta, obiectum esset simpliciter vtrobique idem vtrique; ergo ablata omni imperfectione, reseruando illud quod est perfectionis simpliciter, obiectum idem simpliciter memoriæ gignet, vel erit ratio gignendi aliquid in intelligentia, cui est simpliciter idem, quod est propositum. G

Præterea Tertiò sic. In qualibet conditione entis, quę non est ex ratione sua imperfecta, necessitas est simpliciter perfectionis; igitur in productiuo, quia illud non dicit ex se imperfectionem. Probatio antecedentis. Quia sicut necessarium est conditio perfectionis in ente inquantum ens, ita etiam est perfectionis in quolibet diuidente ens, quod non est ex se necessariò imperfectum, siue limitatum; sicut enim quando ens diuiditur per opposita, alterum diuidentium est perfectionis in ente, alterum imperfectionis, ita in quolibet, (quod est perfectionis) cuiuslibet diuisionis, alterum membrum est possibile, quod est imperfectionis, alterum est necessarium, quod est perfectionis, sic actualitas in necessitate; producens autem inquantum tale, non includit imperfectionem; ergo non est producens perfectum in ratione producentis, nisi sit necessariò producens; producens autem primum, non potest esse producens necessariò aliud à se, & ad extra, sicut dicetur dist. 8. quæst. vlt. ergo ad intra. Similiter arguitur de pro- H ductione naturali: quia ꝓductio naturalis est prima productio; ergo competit primo producenti, non autem competit primo producenti ad extra, vt patebit aliàs; ergo ad intra.

Præterea Quartò sic. Relationes oppositæ de secundo modo relatiuorum, possunt competere eidem naturæ limitatę, sicut eidem voluntati competit ratio motiui, & mobilis, quando voluntas mouet se; sed relationes producentis & producti, licèt magis repugnẽt quàm relationes mouentis & moti, tamen sunt relationes eiusdem modi, secundùm Phylosophum. 5. Met. t. 20. de ad aliquid, ibi enim pro exemplo ponit calefactiuum,& calefactibile pro primis, patrem & filium, siue genitum,& eum qui genuit pro secundis; ergo relationes producentis & producti sũt compossibiles in eadem natura, maximè illimitata.

Confirmatur ratio. Quia sicut voluntas est quodammodo illimitata, quatenus fundat relationes oppositas, ex hoc scilicet, quòd virtualiter continet illud, ad quod for-

maliter

A maliter habendum est in potentia, ita multò magis essẽtia simpliciter illimitata, potest simpliciter fundare relationes oppositas eiusdem modi, licet magis repugnantes, quales sunt relationes producentis & producti, plùs enim excedit infinitas Diuinæ Essẽtiæ illimitationem qualemcunq; cuiuscunq; entis creati, quàm repugnantia quarũcunque relationum secundi modi excedat repugnantiam quarumcunq; aliarum relationum eiusdem modi. Confirmatur etiam ratio. Quia omnia relatiuè opposita æqualiter includunt cõtradictionem; ergo si aliqua secũdi modi non includunt contradictionem, igitur nec alia.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Proponuntur rationes aliorum & ponderantur.

Arguit aliter quidam Doctor (*Henr. quol.6.q.1.*) sic. Prima persona constituitur per relationem ad secundam; & non nisi per relationem originis; ergo oportet ponere in Diuinis diuersa supposita, quorum vnum sit ab alio. Prima propositio probatur. Quia prima persona est relatiua ad secundam; & si non constitueretur per illam relationem; ergo accideret sibi relatio illa, quia adueniret illi personæ constitutæ, quod est conueniens. Secundò arguitur sic. Virtus summè actiua, summè se diffundit; sed non diffunderet se summè, nisi produceret aliquod summum, quod non fit, nisi communicando alicui summam naturam; ergo &c.

Arguunt alij per rationem boni. Quia bonum est de se communicatiuum; ergo summè bonum, summè cõmunicatiuum: non nisi ad intra; quia nihil aliud potest esse summum bonum. Similiter arguitur de ratione perfecti. Quia perfectum est quod potest producere sibi simile, ex 1. Met. In proœm. t.64. & 4. Meteor. ergo primum agens quod est perfectissimum, potest producere sibi simile; sed perfectius est quod potest producere sibi simile vniuocè quàm æquiuocè, quia productio æquiuoca est imperfecta; ergo &c.

C Hæ rationes nõ declarant propositum per manifestius, neque fideli; neque infideli. Primò quando accipit, quòd prima persona constituitur per relationem, si vult persuadere infideli, accipit minùs notum principali proposito, minùs enim notum esset tali, scilicet infideli, per se subsistens constitui per relationem, quàm productionẽ in Diuinis esse: si etiam vult persuadere fideli, adhuc procedit ex minùs noto, quia quod productio sit in Diuinis, est euidens, cùm sit articulus fidei, non autem est ita euidẽs, hoc esse articulum fidei, quòd prima persona constituatur per relationem. Et cùm probat: quia aliter illa relatio adueniret personæ constitutæ, & ita illa relatio esset accidens: Probatio non videtur valere; quia simili modo posset argui de spiratione actiua, de qua omnes tenent, quòd non constituit personam, nec tamen est accidẽs; quia perfectè ẽst eadem fundamẽto quod est Essentia in persona.

Et cùm arguitur vltra. Quòd distinctio non est ibi, nisi per relationes originis. Hæc non est ita manifesta statim ex fide, sicut Conclusio quam intendit ostendere: nec D etiam est necessaria ad propositum in communi, quia & si aliter esset ibi distinctio, posset tamen saluari origo.

Et cum Secundò arguitur. Quòd summè actiuum, est summè diffusiuum sui. Respondeo: quòd verum est, quãtùm possibile est aliquid diffundi: sed oporteret probare quòd possibile esset aliquid diffundi, siue communicari in vnitate naturæ.

Per idem ad Tertium de ratione boni. Quia oporteret probare, quòd communicatio eiusdem rei, vel naturę esset possibilis, quia ad impossibile includens cõtradictionem, non est potentia, nec communicatio bonitatis.

Similiter ad Quartum. Perfectum est natum producere summum sibi simile. Verum est, ita summum sibi simile, sicut potest produci: oportet igitur probare quòd summè simile, vniuocè, id est, in vnitate naturæ, esset producibile.

Respondetur ad Argumenta principalia. E

Tenendo igitur quatuor rationes primas, & præcipuè duas primas, pro conclusione affirmatiua Quæstionis. Respondeo ad Argumenta in oppositum. Ad Primum, negando Maiorem. Cùm probatur primò per necessarium ex se & ex alio. Dico, quòd si idem genus causæ importetur per hæc duo, ex se, & ex alio, verũ est quòd nihil sic est necessarium ex se, & ex alio: si autẽ aliud genus causæ importetur puta per illud, ex se, causa formalis, & per illud ab alio, causa effectiua, vel productiua, nõ est inconueniens idem esse necessarium ex se vno modo, & ab alio, alio modo. Cũ probatur Maior prosyllogismi. Dico, quòd necessarium ex se formaliter non potest nõ esse circumscripto quocunque alio, cuius circumscriptio non includit incompossibilitatem, ponendo illud esse, sed per se necessarium formaliter, sequitur posse non esse circũscripto quocunque alio per incompossibile, sicut ex vno incõpossibili posito, sequitur aliud incõpossibile, ita de filio.

Sed dubium est tunc. Quæ sit differentia inter necessitatem Filij, secundùm Theologos, & creaturæ necessariò productæ secundùm Philosophos? Respondeo. Philosophi ponentes creaturas necessariò produci, habent dicere, quòd ipsę haberent entitatem, qua formaliter essent necessariæ, licèt in illa entitate dependerent à causa necessariò producente; Filius autem habet entitatem formaliter necessariam, & eandem cum producẽte: creatura igitur si esset ex se necessaria, non posset esse circumscripto omni alio, cuius circumscriptio nõ implicat contradictionem, tamen circumscripta causa alia à se per incompossibile, posset non esse; Filius autem non posset non esse circumscripto quocunq; alio secundùm entitatem à producto; quia non potest non esse, nisi circumscripta persona producente, quæ non est aliud, secundùm entitatẽ à producto, vnde si Pater creaturam naturaliter produceret, & necessariò produceret eam formaliter necessariam, tamen non esset tunc necessaria tãta necessitate, quanta est nunc Filius necessarius. Stat ergo de Filio, quòd sit à se formaliter necessarius, & tamen ab alio producente, cum quo habet eandem entitatem necessariam. F G

Ad secundam probationem Maioris. Dico, quòd possibile Logicum differt à possibili reali, sicut patet per Philosophum 5. Met. t.17. cap. de potentia. Possibile Logicum est modus compositionis formatæ ab intellectu, illius quidem cuius termini non includunt contradictionem, & ita hoc modo possibilis est hæc propositio, Deũ posse produci, & Deum esse Deum; sed possibile reale est, quod accipitur ab aliqua potentia in re, sicut à potentia inhærente alicui vel terminata ad illud, sicut ad terminum. Filius autem non est possibilis possibilitate reali, nec possibilitate inhærente alicui, nec terminata ad ipsum, quia possibilitas, siue actiua siue passiua, est ad aliud in natura, sicut patet per diffinitionem potentiæ actiuæ & passiuæ 5. Metaph. t.17. & 9. Metaph. t.2. quod est principium transmutandi aliud, vel ab alio inquantum aliud, tamen Filius est terminus potẽtiæ productiuæ, quæ abstrahit à ratione potentiæ effectiuæ, & si illa potẽtia dicatur simpliciter potẽtia, terminus illius potentiæ potest dici simpliciter possibile, sed possibilitas illa nõ repugnat formaliter necessario, licèt possibilitas de qua Philosophi loquuntur de potentia actiua, & passiua propriè, repugnat necessitati ex se. H

Ad tertiam probationem. Cùm dicitur. Ibi est ordo; ergo intelligitur prima persona, non intellecta secunda. Respondeo. Quòd non necessariò prima intellecta, intelligitur secunda persona cũ prima persona, si illa prima persona est absoluta: sed non sequitur ex hoc, quòd si prima persona intelligitur esse, secunda persona intelligatur non esse: sicut non sequitur, illud animal quod est in homine intelligitur non intellecto rationali; igitur intelligitur nõ esse rationale. Cùm autem infers: mutationem ex terminis oppositis accipis, ac si intelligeretur productum nõ esse, quando producens est: quod falsum est; abstractionem enim sine mendacio, quæ est nõ considerando illud, à quo fit abstractio, cõmutas in abstractionem mendacem, quæ est considerando illud non esse, à quo fit abstractio.

Ad

A Ad quartam probationem. Dico, quòd illa Persona nō esset in essentia sine productione, habet enim essentiam per productionem: non sequitur; ergo essentia de se non habet personam; ergo essentia de non habente fit habens, sed sequitur; ergo essentia de ratione sua non habet illam vel non includit illam personam, quod patet, si persona est relatiua. Probatio; quia tunc est aliquid excepto relatiuo secundùm Aug. 7. de Trin. c. 1. vel 6. quia relatio non est de ratione absoluti: ipsa autem inquam essentia habet illam productionem, siue per productionem habet personam, in qua subsistit, quæ tamen persona vel productio, non est de ratione essentiæ: non autem sequitur mutatio ex hoc, quia aliquid inest alicui, quod non est de ratione eius, sed mutatio requirit, qđ aliquid insit alicui cui prius infuit oppositum; quod non habetur in proposito.

Ad quintam probationem. Dico, quòd in generatione in creaturis concurrunt duæ rationes, scilicet quòd ipsa est mutatio, & quòd est productio, vt est mutatio, est forma subiecti mutati, & vt est productio, est termini producti, vt via. B Istæ rationes non includunt se essentialiter, etiam in creaturis, diuersa enim respiciunt primò; ergo sine contradictione potest intelligi ratio productionis sine ratione mutationis, & ita generatio trāsfertur ad Diuina sub ratione productionis, licèt nō sub ratione mutationis.

Ad Secundum principale. Dico, quòd non sequitur, Est ab alio; ergo dependens. Cùm probatur. Concedo, quòd æquè independenter est natura in producente, & producto. Cùm arguitur ex independentia, quòd nō est præexigentia. Nego consequentiam; quia dependētia sequitur entitatem formalem dependentis, ab illo à quo dependet. Quando igitur habet eandem entitatem, nō est ibi dependentia, potest tamen ibi esse præexigentia, si vnū suppositum habeat illud ab altero.

Ad Vltimum. Dico, quòd mutationes aliæ à generatione, ex ratione sua formali sunt imperfectiores generatione; quia termini earum inducti, sunt imperfectiores, & ideò ex ratione terminorum inductorum imperfectorum habēt maiores imperfectiones, quàm termini generationis, C tamen aliæ mutationes, quantùm ad illud quod presupponunt, non requirunt tantam imperfectionem in subiecto, quantam requirit generatio, & hoc vt est mutatio; quia generatio requirit in subiecto entitatem in potētia, & hoc ad esse simpliciter, aliæ mutationes non. Ad propositum applicando. Dico, quòd generatio non transfertur ad Diuina secūdùm illud, quod presupponit generatio, puta subiectum mutabile, quod est imperfectionis, quia vt est mutatio, non est in Diuinis, sed transfertur ad Diuina, inquantum generatio est productio, sub ratione qua est productio termini; quia terminus eius est perfectior terminis aliarum mutationum; & sic benè potest per generationem accipi Essentia, tanquàm terminus perfectissimus in Diuinis, licèt non possit per aliquam aliā mutationem accipi aliquis alius terminus aliarum mutationum; quia hoc concluderet cōpositionem, & imperfectionē; quia terminus cuiuslibet alterius mutationis esset accidens compossibile cum subiecto.

D

QVÆSTIO QVINTA.

Vtrum sint in Deo tantùm duæ productiones intrinsecæ.



Vòd non, arguo sic. Quia vnius naturæ videtur esse vnus modus communicandi, secūdùm Auer. 8. Physic. comm. 46. Quod probatur per rationes suas ibidem. Prima. Quia scilicet alterius naturæ est altera forma, alioquin non esset forma propria huius materiæ, & tunc quodlibet generaretur ex quolibet; & tunc vltra, materiæ vniuersaliter essent otiosę & superfluæ; sed materiæ correspondentes diuersis agētibus, & producentibus, sunt alterius & alterius rationis: qđ patet in generatione per propagationem, & putrefactionem, quia propagatum generatur ex semine, aliud nō, sed ex alio corpore putrefacto.

Secundò arguitur ex opposito. Inferendo, quòd eadem species, tunc esset à natura, & à casu, ex quo infertur quòd homo posset generari à semine asini, & ex infinitis materijs. E Probatur autem primum consequens esse inconueniens. Quia quod fit à casu, est oppositum ei, quod fit à natura. Et præterea secūdò; Nulla species est à casu, quia quæ eueniunt à casu, sunt monstruosa, hoc totum est manifestum per se; sed si natura haberet diuersos modos cōmunicandi, tunc secundùm vnum modum communicandi posset aliqua species esse à natura, & secundùm alium modum communicandi, posset esse à casu.

Præterea arguitur sic, ex commento illo. Generabile hoc si generatur æquiuocè, & non ex semine, aut ergo de necessitate, aut vt in pluribus, aut vt raro; si de necessitate æquiuocè generatur; igitur nunquā ex semine, quod est falsum. Si autem vt in pluribus æquiuocè de putrefactione generatur; ergo naturaliter, quia quæcunque vt in pluribus accidunt, naturaliter accidunt: ergo naturaliter generatur æquiuocè; & vlteriùs sequitur, quòd vt raro propagetur ex semine, quod falsum est. Si autem vt raro generatur æquiuocè; sed quæ raro eueniunt, casu eueniunt, F & casualiter; & quæ casualia sunt, monstruosa sunt; & quę sunt huiusmodi, nō sunt eiusdem, speciei & hoc & illud; ergo natura non est communicabilis, nisi vno modo.

Item arguitur pro conclusione Commentatoris. Quia diuersorum motuum specie, sunt diuersi termini specie 5. Phys. t. 31. ergo si communicationes vel productiones sunt alterius rationis; ergo & termini.

Quòd non tātùm sint duæ, probo. Quia Philos. 2. Phys. t. 49. distinguit naturam, & intellectum, tanquam diuersa principia actiua; vtriusque autem ratio verè inuenitur in Deo, quia neutrum includit imperfectionem, & ad intra, quia neutrum est productiuum ad extra; ergo pręter productionē volūtatis, erunt duæ aliç productiones ad intra.

Hoc etiam confirmatur per Philos. 9. Metaph. c. 2. t. 3. vbi videtur expressè dicere, quòd potentia rationalis, valet ad opposita, quia sciētia est oppositorum; sed si intellectus ex natura sui est indeterminatus ad opposita, & natura est determinata ad vnum; ergo intellectus habebit aliam rationem principij, quàm natura.

G Præterea. Potentia voluntatis est libera; ergo productio eius est libera; ergo nō determinatur ad vnum, sed ex libertate sua potest esse ad opposita; sed tantùm creatura est possibilis esse, & nō esse, non persona Diuina; ergo voluntas est tantùm principium producendi creaturam, non personam Diuinam.

Ad Oppositum. Si non sunt tantùm duæ Personę productæ; ergo erunt plures Personæ, quàm tres, vel pauciores quàm tres, quod est falsum. Illæ ergo authoritates, quæ ostendunt tantùm tres esse Personas in Diuinis, ostēdunt quòd sunt tantùm duæ Personæ productæ.

ARTICVLVS PRIMVS.

Proponitur modus explicandi aliorum.

AD Quæstionem hanc de numero productionū, patet veritas quòd sunt tantùm duæ productiones.

Sed hoc declaratur ab aliquibus sic, (*Henr. quol. 6. q. 1. & quol. 2. q. 6. & in sum. art. 54.*) Actus notionales fundantur super actus essentiales immanentes, sed tantùm sunt duo actus essentiales manentes intra, qui sunt intelligere, & velle; ergo tātùm sūt duo actus notionales, fundati super eosdē essentiales, qui sunt productiui ad intra. H Confirmatur ratio. Quia actus notionales fundati super actus essētiales ęquantur eis, & ideò non possunt plurificari actus notionales, fundati super eundem actum essentialem.

Et modus ponitur iste, & colligitur ex multis dictis opinantis sparsim in pluribus locis. Quòd tam intellectus, quàm voluntas, in quocunque habent esse, propter separationem illorum à materia, postquam habuerint esse in actu suo primo, simplicis intelligentiæ aut volitionis, sūt supra se conuersiui, & super actus eorum simplices, & super obiecta eorum, per actus conuersiuos intelligendi & volendi. Intellectus enim non solùm intelligit verum, simplici intelligentia, sed etiam intelligentia conuersiua, intelligendo se intelligere, & conuertendo se super obiectum intellectum, & super actum simplicem intelligēdi, & su-

A & super se intelligentem per actum suum conuersiuum, quia intellectus notitiam secundam, quæ est in verbo, nō solùm scit, & intelligit rem, sed sic scit & intelligit eam, vt sciat se scire & intelligere eam, similiter voluntas nō solū vult bonum simplici volitione, sed etiam volitione conuersiua, volendo se velle, conuertendo se super obiectum volitum, & super actum volēdi simplicem, & super se volentem per actum suum conuersiuum.

Sed ista conuersio partim vno & eodem modo conuenit intellectui & voluntati, & partim alio modo. Quòd enim ambæ se conuertunt, vt sunt nudæ, puræ, & solę potentię, hoc vno & eodem modo conuenit eis, quantùm est ex parte ipsarum se conuertentium; ambæ enim se solas conuertunt sua vi actiua, quæ æqualiter eis conuenit: sed alio & alio modo, quantùm est ex parte obiectorum, ad quæ se conuertunt: intellectus enim postquam est cōuersus ad illa ad quæ cōuersus est, habet se vt potētiale quoddam, & purum potentiale, & hoc quia intellectus nudus & purus, natus est recipere ab illis, sicut proprium passiuū B à suo proprio actiuo naturali, quod quidem actiuum est idē intellectus informatus notitia simplici, & hoc respectu formationis simplicis notitiæ declaratiuæ, seu notitiæ genitæ. Voluntas autem postquam est conuersa ad illa ad quæ cōuersa est, se habet vt actiuum quoddam, & hoc vt volūtas nuda & pura, nata exprimere de illis (sicut proprium actiuum de proprio passiuo, cuiusmodi est eadem voluntas informata amore simplici) amorem quendam incentiuum, qui est Spiritus Sanctus in Diuinis, qui habet esse à producentibus ipsum, non per informationem eius, de quo est quasi subiectiuè, nec per aliquam impressionē factam eidem, secūdùm modum quo Verbum siue Filius procedit à Patre, per quandam quasi informationem, siue impressionem factam intellectui Paterno conuerso, vt sit sicut notitia declaratiua de notitia simplici, sed per quandam quasi excussionem, vel expulsionē, aut progressum, aut magis propriè loquendo, per quandam expressionem producti de eo, de quo subiectiuè producitur.

C Ex parte ergo intellectus causatur actus dicendi à notitia simplici in intellectu nudo, conuerso supra se & supra notitiam suam simplicem, ita quòd intellectus informatus notitia simplici, est principium actiuū & elicitiuū actus notionalis intellectus: ipse autem nudus intellectus conuersus, non est nisi quasi principium passiuum, de quo quasi de materiali, producitur verbum quasi per impressionem. Ex parte autem voluntatis causatur actus notionalis, ab ipsa voluntate nuda, conuersa supra se & super amorem suum simplicem, & super ipsam voluntatem informatam amore simplici, ita quòd voluntas nuda cōuersa, est principium actiuum & elicitiuum actus notionalis voluntatis, ipsa verò voluntas informata amore simplici, est principium quasi passiuum, de quo quasi de materiali producitur Spiritus Sanctus, secundùm quandam expressionem.

Et hinc apparet differentia intellectus vt intellectus, & intellectus vt natura: quia intellectus vt in Patre existēs, in actu intelligēdi suam Essentiam, (quem actum ipsa Es- D sentia operatur in ipso intellectu suo, vt est quasi in potētia ad notitiam essentialem secundùm rationem intelligendi,) fęcundus est fœcunditate naturali ad producendū de seipso sibi simile, ad quod est quasi in potentia, per hoc quòd est actu sub illa notitia essentiali: intellectus enim vt est quædam notitia essentialis secūdùm actum, est natura & principium actiuum, quo Pater de eodem intellectu, vt est intellectus purus, & tantùm intellectus, vt de puro passiuo, format notitiam quę est Verbum, quę secundùm rem est eadem notitia cum illa de qua formatur, differens solùm ab ea inquantum procedit ab ea, vt manifestatiua & declaratiua ipsius.

Et per omnem eūdem modū debemus intelligere verbum formari in nobis. Cognitum enim, primò sui simplicem notitiam imprimit intellectui nostro, repræsentādo se illi vt purè passiuo, & sub illa ratione quæ est intellectus. Intellectus autem sic perfectus simplici notitia, per obiectum cognitum quod in se continet expressiuè, factus est fœcūdus, & principium actiuum, vt natura im- E primens in seipsum, vt intellectus tantùm, & principium passiuum ad formandum in se notitiam declaratiuam de notitia simplici. Et secundùm hoc quando dicitur verbum formari per intellectum, & quòd intellectus sit informatione eius actiuus, hoc intelligitur de intellectu actu informato simplici notitia: per hanc enim vt per rationē formalē agendi intellectus est principium actiuum, & necessariò prior est ratio eius, vt intellectus est passiuus respectu notitię simplicis, quam recipit ab obiecto, quàm ratio eius secundùm quam est natura, & actiuus per notitiam simplicem inhærētem: & ideo ordine rationis priùs habet esse, vt est intellectus, quàm vt est natura, & fundatur actus notionalis, quem agit vt natura, super actum essentialem, quem patitur vt intellectus, scilicet super notitiam simplicem obiecti quam recipit, vt est nudus.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Modus prædictus vt insufficiens & falsus reijcitur. F

ISta Opinio ponit Tres Articulos, quos non credo esse veros.

Primus est. Quòd intellectus vt nudus, conuersus supra intellectum formatum notitia simplici, formatur ab eo notitia genita. Hoc probo sic. Intellectus non conuertitur, nisi vt est in aliquo supposito, quia conuersio ponitur actio, & actiones sunt suppositorum. Tunc quęro. Cuius suppositi, vel cuius Personę est vt conuertitur super intellectum formatum, quia si vt conuertitur est Personæ Filij, & præcedit per te ista conuersio generationem Verbi; ergo ante generationem Verbi sūt duæ Personæ, quod est hæreticum. Si autem vt conuertitur super intellectū formatum, est ipsius Patris: Tunc arguo sic. Cuius est vt conuertitur, eius est vt notitia genita formatur, vt probabo; igitur intellectus vt est Patris, formatur notitia genita; ergo notitia genita est ipsius personę Patris; quia cuius personæ est intellectus, vt formatur, eiusdem est notitia qua formatur. Assumptum probandum, probo sic. G Cuius est vt conuertitur super intellectum formatum, eius est vt habet intellectum formatum pro obiecto actu præsente; ergo eius est vt ab illo obiecto formatur. Probatio huius consequentiæ. Passiuum proportionatum, dispositum, & approximatum actiuo sufficienti proportionato, natum est immediatè perfici ab illo actiuo per Philosoph. 9. Metaph. c. 4. t. 10. & 12. *Quoniam autem possibile &c.* Tūc enim est aliquid in potentia proxima, quando nihil oportet addi, subtrahi, vel minui, ad hoc quòd actus insit: intellectus autem nudus, vt conuersus, & habens intellectum formatum, vt obiectum præsens, est passiuum dispositum, proportionatum, & approximatum intellectui informato, vt obiecto sufficiēter actiuo; ergo intellectus nudus, & conuersus, nulla facta variatione circa ipsum esse subsistentiæ, vel cujuscunque entitatis, vt sic, formatur notitia genita; & sic probatur prima cōsequētia.

H Hìc posset poni vna Responsio. Quòd intellectus nudus, videlicet de quo formatur notitia genita, communicatur Filio per actum producendi notitiam genitam, per hoc, quòd de seipso actualiter formatur illa notitia, siue ex hoc, quòd est quasi materia informata notitia genita, habet esse in persona genita. Sed contra istam Responnem sunt duo Argumenta prima, quæ ponuntur distinct. 5. quæst. vltima contra Opinionem de quasi materia, quæ ibi specialiter improbabitur.

Secundus Articulus est. Quòd intellectus informatus notitia actuali essentiali, est principium actiuum, & elicitiuum notitiæ genitæ.

Hoc improbo sic. Verbum non gignitur ab intelligentia, sed à memoria, secundùm Aug. 15. de Trinit. c. 7. vel 15. ergo licèt in Patre concurrant memoria, intelligentia, & voluntas, Pater non gignet Verbum formaliter intelligētia, vt Quo, sed memoria; vt autem habet notitiam actualem quasi elicitam, & vt actum secundum, est in actu intelligentiæ, cuius est omne intelligere actuale; ergo vt sic, non gignet Verbum, sed vt est in actu memoriæ, id est, vt habet obiectū intelligibile præsens intellectui suo, in hoc

enim

A enim intelligitur actus primus,quasi præcedens actum secundum,qui est actu intelligere.

Secundò sic. Productio magis conuenit actui primo, vt principio productiuo,quàm actui secundo;quia operationes perfectæ de ratione sui sunt fines, & non sunt gratia aliorum finium,9.Met.t.16.ergo intellectio,vt est operatio Patris,nō est ratio formalis productiua alicuius termini, sed tantùm actus primus, cuius virtute elicitur illa operatio,erit principium productiuum.

Tertiò sic. Si intellectio Patris actualis est ratio formalis producēdi Verbū, adhuc obiectum vt præsens intellectui Patris,vt habenti rationem memoriæ, erit principiū priùs productiuum notitiæ genitæ;quia in nobis apparet, quòd illud est natum immediatiùs gignere, quàm actus intelligendi:ergo aliquod verbum priùs erit genitū à Patre,vt à memoria,quàm vt ab ipsa intelligentia nascente.

Prætereà. Verbum est illius immediatiùs verbū declaratiuum,à quo immediatiùs exprimitur; ergo si ratio elicitiua verbi sit actualis notitia, vt in intellectu Patris formato,sequitur quòd verbum sit immediatius verbum intellectionis Patris,quàm Essentiæ Patris,quod videtur inconueniens;quia tūc esset aliud prius verbum, quod esset
B declaratiuum Essentiæ Patris immediatè.

Præterea. Si actualis intellectio Patris esset genita vel producta,produceretur virtute Essentiæ,non vt iā cognita,sed vt prior omni cognitione. Hoc patet. Tum secundùm veritatem; quia aliàs esset processus in infinitum in actibus intelligendi, quia semper erit dare actum intellectus ante actum intelligendi: Tum secundùm istum,qui supra dicit,quòd in Patre actum intelligendi Essentiam, operatur ipsa Essentia in intellectu ipsius. Ex hoc arguo sic. Actualis notitia Essentiæ,non potest esse formaliter alterius rationis per hoc, quod est ab alio communicata, & non ab alio sic cōmunicata; quia tunc Deitas esset formaliter alterius rationis in Personis,quia illam vna habet à se,& non alia; ergo & actualis notitia Essentiæ est eiusdem rationis in Patre, & Filio. Quod igitur natum est esse principium Quo,respectu vnius si esset principiabile,
C idem erit principium respectu alterius,si principiatur.

Tertius Articulus est. Quòd conuersio intellectus nudi super se formatum,est necessaria ad hoc, vt intellectus nudus formetur ab intellectu formato.

Hoc non video. Quia intellectus Patris habens obiectum sibi præsens,est naturale principium non solū operatiuum respectu intellectionis Patris, sed etiam productiuum respectu notitiæ genitæ; adhuc ergo circumscripta illa reflexione,esset principium productiuum.

Secūdus etiam Articulus est falsus in nobis. Tum quia notitia confusa non potest esse principium elicitiuum notitiæ distinctæ, sicut nec imperfectum potest esse principium elicitiuum productionis alicuius perfecti: Tū quia illa notitia actualis cōfusa,esset simul cum notitia actuali distincta,& ita duo actus eliciti simul, vel actus confusus quando non esset,generaret actum distinctum: Tū quia omnis actus intelligendi secūdus,est genitus à memoria, vt memoria est in actu primo proportionali sibi,puta perfectus à perfecto,imperfectus ab imperfecto, sicut distin.
D 3. patebit.

Tertius Articulus etiam est falsus in nobis. Quia verbum perfectissimum erit in patria secundùm Aug. 15. de Trin.& tamen non erit illud verbum genitum per actum reflexum, siue conuersiuum super actum primum, vt iste dicit, vt per illud sciat quis se scire vel intelligere. Quòd autem non erit notitia reflexa, probatur. Quia verbum perfectissimum creatum, non habet pro obiecto suo primo aliquod creatum, sed increatum.

ARTICVLVS TERTIVS.

Datur responsio ad Quæstionem.

Dico tunc ad Quæstionem. Quòd tantùm sunt ibi duæ productiones,distinctæ secūdùm rationes formales productionum:& hoc quia sunt tantùm duo principia productiua, habentia formales rationes producendi distinctas, huius causalis. E

Probo antecedens,& consequentiam. Antecedens sic. Omnis pluralitas reducitur ad vnitatem,vel ad paucitatē tantam,ad quantam reduci potest; ergo pluralitas principiorum actiuorum vel productiuorum,reducetur ad vnitatem,vel ad tātam paucitatem,ad quantam potest reduci;sed non potest reduci ad aliquod principium vnū productiuū aliud ab istis. Probatio. Quia principia productiua,quæ sunt natura & voluntas,habent oppositos modos principiandi;quia alterum inclinatur ex se ad agendū naturaliter,alterum liberè, & in potestate sua habet producere,ita quòd ad hoc ex se naturaliter nō inclinatur,si autem reduceretur ad aliquod vnum principiū productiuū, illud haberet determinatè alterum modum principiandi alterius istorum principiorum; vel enim esset,productiuū ex se determinatè,& tunc per modum naturæ,vel non ex se determinatè, sed liberè, & ita per modum voluntatis; Ergo non possunt reduci ad aliquod vnum principium, quasi tertium ab istis, quod scilicet in producēdo neutrius istorum habeat rationem. Nec vnum istorum reducitur F ad alterum. Quia tunc alterum secundùm totum genus suum esset imperfectum,quod falsum est:quia,cùm ex eadem perfectione conueniat vtrique esse principium operatiuum, & productiuum, & neutrum sit ex se imperfectum inquantum est operatiuum, quia tūc non esset formaliter in Deo;ergo nec inquantum est productiuum est imperfectum; ergo nō possunt reduci ad paucitatē maiorē,quàm ad dualitatē principij,scilicet productiui per modū naturæ,& principij productiui per modum voluntatis.

Hæc autem duo principia secūdùm rationes suas principiandi debent poni in primo; quia in ipso est omnis ratio principij,quod non reducitur ad aliud principiū prius; igitur sunt tantùm duo principia productiua alterius rationis in primo productiuo: hæc autem sunt productiua ad intra. Probatio. Memoria perfecta est productiua ad intra per modum naturæ,ex solutione præcedēte; quia intellectus perfectus,sicut inquantum est potentia operatiua,natus est intelligere obiectum, quantùm est ipsū noscibile;ita inquantum est potentia productiua notitiæ genitæ,natus est esse principium tantæ notitię,quanta potest esse obiecti:intellectus autem in primo,etiam vt est principium productiuum est simpliciter perfectus: Quod patet;quia non reducitur ad aliud principium prius, & omne imperfectum reducitur ad perfectum prius se:hoc etiā obiectum primum intellectus,est infinitum intelligibile; ergo intellectus vt est principium productiuum,natus est esse principium producendi notitiam infinitam. Similiter arguitur de voluntate,respectu amoris obiecti infiniti. Aliter arguitur,& redit quasi in idē,sic. Quia quodlibet principium productiuum,quod nō reducitur ad aliquod principium prius,natum est habere productionem sibi adęquatam;igitur principium productiuum,quod est voluntas,natum est habere productum sibi adæquatum, & principium productiuum,quod est natura,natū est habere sibi productum adæquatum;hæc principia productiua sunt infinita;igitur producta eis adæquata nō possunt esse nisi infinita:omnipotentia autem in primo, non potest habere obiectum possibile infinitum; quia tunc creatura posset esse infinita,nihil autem infinitum est formaliter,nisi Deus;ex quæstione illa præcedenti(Vtrum Deus sit infinitus) ergo ista principia sunt productiua aliquarū in natura Diuina. Vlteriùs sequitur. Si non sunt ibi,nisi duo principia productiua alterius rationis; ergo tātùm sunt duæ productiones numero. Probatio huius,& cōsequentię primæ. Quia vtrúque principium productiuum habet productionem sibi adæquatam,& coæternam; ergo stante illa,non potest habere aliam.

ARTICVLVS QVARTVS.

Duplicis generis Obiectiones contra prædicta adferuntur.

Obijcitur contra istam deductionem sic. Natura ex se est principium determinatum ad agendum; in Diuinis

A tinis autem intellectus vnde intellectus, non tantùm videtur esse principium determinatum ad agendum, sed etiam natura, vt est quodámodo prior intellectu, quasi radix & fundamentum, sicut essentia quælibet videtur esse fundamentum potentiæ: ergo non tantùm intellectus, sed etiam ipsa essentia debet poni habere rationem principij illius, quod est natura, vt distinguitur contra voluntatem.

Secundum dubium est; de istis actibus productiuis. Quomodo sint istorum principiorum productiuorum, quorum sunt actus essentiales? Cùm enim actus distinguāt potentias, ex 2. de anima t.33. videtur quòd istis potentijs, quibus conueniunt actus essentiales, non competant actus notionales, siue productiui.

Tertia probatio illa, non videtur valere, quæ adducitur ad ostendendum dualitatem in principijs productiuis non posse reduci ad vnitatem. Nam principiare necessariò, & principiare contingēter, sunt oppositi modi principiandi, & diuersi; & tamen hæc dualitas reducitur ad

B vnitatem, & concedo quòd illud vnum habet determinatè alterum istorum duorum modorum, illum scilicet qui est perfectior & prior: ita diceretur in proposito, quòd ad principiū quod est natura, quia illud est priùs in ratione principiandi, reducitur voluntas, licèt habeat oppositū modum principiandi.

Quartò contra vltimam propositionem prædictæ deductionis arguo. Quæro enim vnde probatur illa propositio, quæ dicit, quòd stante vno actu adæquato potentiæ, ipsa non potest simul habere alium: si intelligat adæquatum secundùm extensionem, petitur principium: si secundùm intensionem, videtur falsum: nam licèt visio Verbi adæquetur potentiæ intellectiuæ animæ Christi: tamen potest noscere etiam actu elicito aliud intellegibile à se: patet etiam quòd Deus nouit se notitia adæquata intellectui suo, secundùm intensionem, & tamen nouit alia à se; si igitur ita est de actu adæquato potentia operatiuæ, quòd compatitur alium, multò magis videtur de potentia productiua, quia eius productum vel productio,

C non est in potentia productiua, sicut operatio est in potentia operatiua.

Quartò sic. Principium non est principium inquantum principiatum iam intelligitur positum in esse, sed inquantum est priùs principiato, vt autem est priùs principiato, non aliter se habet per hoc quòd principiatum ponitur in esse: ergo si isto non posito, posset esse principium alterius, pari ratione videtur, quòd isto posito, simul potest esse principium alterius; quia isto posito, principium inquantum principium, hoc est inquantum priùs principiato, nullo modo aliter se habet.

Solutio istarum duarum rationum vltimarum, & declaratio rationis illius contra quam fiunt, & probatio conclusionis ad quam illa ratio adducitur, videlicet quòd sunt tantùm duæ productiones, dimittantur vsque ad distinction. 7. quæst. illam. An possent esse plures Filij in Diuinis.

D Ad Primum. Respondeo: quòd hoc totum, Intellectus habens obiectum actu intelligibile, sibi præsens: habet rationem memoriæ perfectæ in actu primo, quæ scilicet est immediatum principium actus secundi, & notitiæ genitæ. In hoc autem principio, quod est memoria, concurrunt duo, quæ constituunt vnum principium totale, videlicet Essentia in ratione obiecti, & intellectus vt potentia, quorum vtrumque per se est quasi partiale, respectu productionis adæquatæ, huic totali principio. Cùm igitur arguitur. Quòd ratio naturæ non tantùm competit intellectui: sed essentiæ. Respondeo. Quòd totale principium includens naturam vt obiectum, & intellectū vt potentiam habentem obiectum sibi præsens, est principium productiuum, quod est natura, & principium completum producendi per modum naturæ. Si enim Essentia vt obiectum, non haberet rationem principij in productione Verbi, quare magis diceretur Verbum Essentiæ, quàm lapidis, si ex sola infinitate intellectus, vt principij productiui, posset produci verbum infinitum; quocunque alio obiecto præsente?

Ad Secundum dubiū. Dico, quòd memoria in Patre est principium operatiuum Patris, quo scilicet vt actu primo, Pater formaliter intelligit, vt in actu secundo: est etiam eadem memoria Patri principium productiuum, quo Pater existens in actu primo producit, vt in actu secundo notitiam genitam, & actus primus prior est prioritate originis actu secundo: non fundatur igitur actus productiuus super actum essentialem, qui consistit in actu secundo, videlicet qui est operatio, quasi super rationem formalem eliciendi illum actum secundum, sed quodammodo præexigit illum actum; quia actus primus, qui est operatiuus & productiuus, est ratio perficiendi suppositum in actu secundo, qui est operatio suppositi, in quo est quodam ordine priùs, antequam intelligatur produci illud quod producitur: operans enim & producens, per idem principium priùs est operans quàm producens. Exemplum. Si lucere poneretur aliqua operatio in luminoso, & illuminare poneretur productio luminis à luminoso, lux in luminoso esset principium Quo, & respectu operationis, quæ est lucere, & respectu productionis, quæ est illuminare; nec tamen lucere quod est operatio, esset ratio formalis illuminationis, quæ est productio, sed esset ibi ordo quasi effectuum ordinatorum ad eandem causam communem amborum, à qua immediatiùs procedit vnus effectus quā alius. Ita in proposito: ad eundem actum primum qui est memoria Patris, ordinem quendam intelliguntur habere, intelligere, quod est operatio Patris, & dicere, quod est producere Patris, respectu notitiæ genitæ; non talem tamen ordinem, quòd intelligere Patris sit causa, vel principium elicitiuum dicere Verbi, sed quòd immediatius intelligere sit quasi productum à memoria Patris, quàm dicere, vel quàm Verbum sit productum ab eodem: Nō igitur est ibi talis ordo, qualem ponit opinio prior in ratione obiecti præsuppositi, vel ratione principij formaliter agendi, sed tantùm ordo prior, quasi producti ad productum, respectu eiusdem principij communis, ad quasi productūm & verè productum.

Et tunc ad illud 2. de anima de distinctione potentiarum per actus potest dici; quòd quasi producere, & producere, sunt actus eiusdem rationis; si enim illud quod non producitur, sed quasi producitur, esset realiter distinctum à producente, esset verè productum: igitur quòd modò sine productione insit, tamen virtute principij, quod esset productiuum eius, si posset distingui, & pro tanto dicatur quasi productum, non variat formaliter actum ab illo quo produceretur, si esset producibile. Alia responsio esset de intellectu agente & possibili; sed modo transeo, quia non dixi adhuc cui intellectui conuenit producere notitiam, vt principio partiali, hoc dicetur infra, sed nunc de intellectu indistinctè locutus sum.

Ad Tertium. Dico, quòd quando duo principia habent modos oppositos principiandi, quorum neuter importat aliquam imperfectionem, neuter reducitur ad alterum, vt ad prius natura, licèt posset ibi esse aliqua prioritas, quasi originis: nunc autem neutrum istorum principiorum includit aliquam imperfectionem, non magis inquantum productiuum quàm inquantum operatiuum; nec ergo vnum ad alterum reducetur, vt ad priùs natura, nec ambo ad tertium propter idem, quia neutrum est imperfectum, & etiam quia illud tertium esset principium secundùm rationem alterius istorum, quia inter ista non est medium in principiando, & ita si ambo reducerētur ad tertium, vnum reduceretur ad aliud, & idem ad seipsum.

Contra ista instatur, & Primò sic. Intelligentia est in Patre sub propria ratione intelligentiæ, & propria perfectio intelligentiæ vt intelligentia, est Verbum; ergo Verbum est in intelligentia Patris vt Patris est, quod est negatum.

Præterea. August. 15. de Trinit. c. 13. Verbum est visio de visione; ergo actualis notitia est ratio gignendi verbū.

Præterea. Non videtur differentia inter memoriam, & intelligentiam in Patre; ergo non videtur aliud esse, improbare Patrem vt intelligentiam, esse principiū Verbi, & Patrem vt memoriam; idem igitur approbas, & improbas.

Quarta instantia est. Quare Pater isto actu producit notitiam genitam,& non illo? Non videtur ratio. Cùm vterq; sit actus secundus, & principietur virtute eiusdem actus primi.

Ad Primum. Dico, quòd in Patre formaliter est memoria,intelligentia,& voluntas Aug.15.de Trin.c.1. siue 15.de paruis. *In illa Trinitate quis audeat dicere Patrem nec seipsum,nec Spiritum Sanctum intelligere,nisi per Filium, vel diligere,nisi per Spiritum Sanctum,per se autem meminisse tantummodo,vel sui, vel Filij, vel Spiritus Sancti?* Sequitur. *Quis hæc in illa Trinitate vel opinari,vel affirmare præsumat? si enim solus ibi Filius intelligat,vt intelligentia sit,& sibi,& Patri, & Spiritui sancto, ad illam absurditatem reditur, quod Pater non sit sapiens de se, sed de Filio.* Hæc ille. Intelligit igitur quòd Pater formaliter est memoria sibi, intelligentia sibi,& voluntas sibi;& in hoc est dissimilitudo inter personas,& partes imaginis in nobis,secũdùm ipsum.

Cùm igitur dicitur. Proprius actus intelligentiæ est Verbum. Nego: imò de ratione Verbi est, quòd sit notitia genita. Dices. Sufficit quòd sit notitia declaratiua. Nego:intelligendo per declaratiuum relationẽ rationis,vt est intelligibilis ad intellectum:talis enim relatio est notitiæ declaratiuæ actualis Patris,qua Pater formaliter intelligit,ad notitiam habitualem Patris,vt est memoria, ita quòd obiectum præsens intellectui Patris declaratur æquè perfectè per notitiam actualem Patris, sicut per notitiam actualem quæ est Filius,& tamen notitia actualis Patris nõ est Verbum; quia nihil potest esse formaliter in Patre,nisi non genitum.

Cum verò dicitur Secundò. Quòd est notitia de notitia. Resp.quòd ipsemet Aug. exponit se 13.de Tri c.11.*Simillima est cogitationis visio visioni scientiæ*,Et eodem c.12.siue 52. de paruis. *Tunc enim est verbum simillimum rei notæ, de qua gignitur,& imago eius, quando de visione scientiæ visio cogitationis exoritur*.Istæ constructiones sunt intransitiuæ;nam sicut visio cogitationis nihil aliud est quàm cogitatio,ita visio scientiæ nihil aliud est quàm scientia.Idem est igitur dicere de visione scientiæ nasci visionem cogitationis,quod de scientia nasci cogitationem:scientia autem est forma habitualis perficiens memoriam, secundũ eundem 15.de Trin.c.15.siue 38.vbi dicitur, *si potest esse in animа scientia sempiterna,sempiterna non potest esse eiusdẽ scientia cogitatio*. Illud sempiternum,secundùm eum,pertinet ad memoriam,non sempiternum ad intelligentiam.Nihil igitur aliud vult dicere visionem de visione, notitiam de notitia,nisi actum secundum,qui est visio vel cogitatio,in intelligentia nasci de actu primo,qui est in memoria,quæ est visio habitualis,vel scientia,secundùm eum.

Ad Tertiam instantiam. Cùm dicitur de differentia memoriæ, & intelligentiæ. Dico: quòd illi aduersarij non ponunt differentiam realem inter intellectum & voluntatem Patris, & tamen habent concedere tantam differentiam, quòd alterum potest esse principium elicitiuũ alicuius productionis, cuius alterum non potest esse principium elicitiuum formale: Filius enim producitur formaliter per modum naturæ,sed non producitur formaliter per modum voluntatis;igitur licèt non differant realiter memoria,& intelligentia Patris:est tamen tanta differentia inter illa, quòd alterum posset poni principium elicitiuum alicuius productionis,cuius reliquum non ponatur principium elicitiuum formale; talis differentia patet secundùm August. 15. de Trinit. cap. 8. & vbi priùs, talis est enim, quòd si Pater esset memorialiter noscens, non autem intelligens, non esset perfectus secundùm Philos. 12. Metaphys. c. 5.non obstante illa identitate memoriæ ad intelligentiam, siue recordationis ad intellectionem.

Ad Quartam instantiam. Dico, quòd hæc est immediata contingens,Calor calefacit,& ista immediata necessaria,Calor est calefactiuus, quia inter extrema neutrius istorum inuenitur aliquod medium:ita dico, quòd ista est per se operatio,inquantum operatio est non productiua, quia operationes vt operationes sunt fines, & perfectiones operantis, productio autem vt productio est, non est perfectio producentis, sed habet terminum productum extra essentiam producentis, vel saltem non includitur formaliter in persona producentis. Quare igitur actus secundus, quo Pater intelligit, vel operatur formaliter non producit? Respondeo. Quia illud intelligere ex ratione sua est operari Patris, & non est producere, productione autem siue dictione producit, sicut aliquid calefactione calefacit formaliter, cuius non est alia causa prior.

Quod autem dicis. Idem esse principium istorum duorum actuum. Nõ altercando modò de intellectu agente, & possibili. Potest concedi, quòd ex plenitudine perfectionis potest competere alicui, quòd operetur & producat aliquid aliud à se, magis tamen hoc patebit, quando dicetur quòd dicere non est aliquis actus intelligendi formaliter, est tamen aliquis actus intellectus; nullus autẽ actus intelligendi formaliter est productiuus, sed aliquis alius actus formaliter naturaliter præcedens, vel subsequens, potest esse productiuus, qualis est actus dicendi.

Resoluuntur Argumenta principalia.

AD Primum Argumentum principale. Dico: quòd Auerr. in comm. 46. 8. Physic. cuius text. incipit. *Vtrum autem vnumquodque*, non loquitur expresè, nisi de homine; & quoad hoc contradicit Auicen. sicut ipse dicit ibidem. Imposuit autem Auicen. quòd posuerit, quòd homo potuerit generari æquiuocè, & tunc Conclusio Auer. vera est: nihil enim generabile vniuocè,potest generari æquiuocè, nisi sit ita imperfectum, quòd causa æquiuoca siue vniuoca sufficiat ad generationem eius; & ideo imperfecta entia possunt generari æquiuocè, & vniuocè:perfecta autem non.

Tamen rationes Auer. videntur concludere non tantùm de homine,sed de quacunque specie naturalium generabilium:& si hoc intendat,Conclusio eius est falsa, & rationes non concludunt.

Quòd Cõclusio sua sit falsa patet per Aug.3.de Trin.c. 4.& 9.& ratio August. ibidem est. Quia generatum per putrefactionem,propagat alia iterum propagantia; propagantia autem sunt vniuoca generatis à se; ergo propagata & generata per putrefactionẽ sunt vniuoca. Quodsi negat Auer.assumptum de apibus, & de consimilibus animalibus,non potest negare de plantis, quia æquiuocè genitæ,hoc est,non ex semine,postea producunt vniuocè semen,ex quo generantur plantæ aliæ eiusdem speciei. Contradicit etiam ei Aug.in Epist.ad Deogratias;& Ambr.de Incarnatione Verbi,in fine.

Sed & ipsemet contradicit sibiipsi in alijs locis de hac Conclusione. Nam de generatione accidentium æquiuoca,patet per ipsum 2.de cęlo & mundo. com.42. vbi concedit, quòd in accidentibus non semper est generatio ab vniuoco: & ponit exemplum de calore; patet enim quòd calor generatur æquiuocè ex motu, & concursu radiorum, & etiam à calore vniuocè. In substantijs etiam patet: quia ignis generatur æquiuocè & vniuocè: quod æquiuocè patet tertio de cęlo & mund & Auer. comment. 56. *Exitus ignis à lapide, non est de capitulo translationis, sed de capitulo alterationis*, hoc est, non generatur per lationem, sed per alterationem; generatur etiam per motum localem ex 12. Metaphys. comment.18.& 1.Meteor. de generatione impressionum ignitarum. Item patet de animalibus, quòd multa generantur æquiuocè 12. Metaphys. comm. 18. Vespæ videntur fieri de corporibus æquorum mortuorum, & apes de corporibus vaccarum. Contradicit etiam sibi Magister suus 1. Metaphys.t.c.22. 23. & 31. vbi vult quòd sicut aliqua eadem fiunt ab arte, & à casu, quando principium est simile in materia illi quod esset principium motus factionis, si idem fieret ab arte, ita vult quòd quædam naturalia fiunt à natura,& à casu, & quædam non: Et ibidem Auer. & incipit text. *Ergo sicut dictum est*. Vult ibi quòd illa possunt generari; sine semine æquiuocè, in quorum materia potest induci virtute cęlesti,aliqua virtus similis virtuti seminis in propagatis.

A Patet igitur multipliciter oppositū Conclusionis Auer. si generaliter & vniuersaliter intelligatur.

Quòd autem omnia prædicta generata æquiuocè, sint eiusdem speciei cum generatis vniuocè. Probatur. Quia habent operationes easdem, & circa eadem obiecta, & ab eisdem conseruantur, & ab eisdem corrumpuntur; eosdem enim habent motus, siue quantū ad sursum, siue quantùm ad deorsum, siue quantùm ad motum progressiuum, & eadem organa motus progressiui; ex vnitate autem motus concludit Aristot. 1. de cælo & mundo t. 8. vnitatem naturæ. & Commentator ibidem comm. 8. Motus vnus non prouenit nisi ex vnitate naturæ: habent etiam hæc & illa, membra eiusdem speciei: & mēbra leonis non differunt à membris cerui, nisi quia anima differt ab anima 1. de anima. Et generaliter quæcūq; media possunt cōcludere vnitatem specificam, siue sumpta ex accidentibus, siue sumpta ex operibus concludunt propositū, de vniuocatione generatorū sic & sic, in vnitate specifica.

B Rationes etiam suæ non concludunt. Ad Primam. Respondeo, quòd Materia secundùm Philosophum 5. Phys. t. 82. & 5. Metaph. t. 2. & 4. est ex qua fit res, cū insit. Additur, cùm insit, ad differentiam oppositi, ex quo transmutato & corrupto fit res, non autem inest rei factæ. Si ergo accipit, quòd forma eiusdem rationis, est materiæ eiusdem rationis, propriè loquendo de Materia, quæ est pars rei in existens; concedo: sed si accipiat Materiam pro opposito, ex quo corrupto generatur oppositum; nego: ignis enim eiusdem speciei generatur siue ex terra corrupta, siue ex aère corrupto; in propagatis autem, & putrefactis est materia eiusdem rationis, primo, sed non secundo modo.

Ad Secundum. Dico, quòd non dicitur aliquid fieri raro, vel vt in pluribus, quia ipsum in se contingat frequenter, vel raro; frequentiùs enim lapis cadens frangit caput, quàm Luna eclypsetur; sed ista differentia debet intelligi per comparationem alicuius effectus ad suam causam. Et dicitur ille effectus eueniens in maiori parte, qui habet causam determinatam ad suum euentum, quæ vt in pluribus producit effectum. Raro dicitur euenire, quando

C non habet certam causam determinatam ad suum euentum, sed tātùm prouenit ex aliqua causa ordinata ad aliū effectum; impedita tamen ab illo effectu ad quem ordinatur, & tamen ex tali impeditione prouenit istud raro. Accipitur etiam raro, vel vt in pluribus, prout disiungit intra opposita contradictoria, non prout inter disparata disiungit. Cùm igitur arguitur. Generabile hoc, si generatur æquiuocè, vel non ex semine; aut igitur ex necessitate vt in pluribus, vel raro ex necessitate. Concedo quòd non. Aut ergo in maiori parte, vel raro. Concedo quòd in maiori parte; comparando ad causam determinatam, & etiam vt est disiunctio inter contradictoria, comparando scilicet effectum æquiuocum ad causam æquiuocam, sub disiunctione ad contradictoria, licèt rarius eueniat hoc quòd generetur non ex semine, quàm quòd generetur ex semine, vt videlicet comparantur ad inuicem duo disparata. Quòd autem primo modo eueniat vt in pluribus. Probatur. Ita enim per se est Sol causa ordinata ad generan-

D dum non ex semine, sicut propagans est causa ordinata ad generandum illud ex semine. Si instatur hic. Quòd si secundo modo raro euenit; ergo à casu. Non sequitur. Et tamen ita arguit vlteriùs de casualitate, prout casualia dicuntur illa, quæ eueniunt tātùm ex causa alterius effectus impedita, & ideo vt dicit, casualia sunt monstruosa, & nō perfecta in aliqua specie; quia propriè loquendo, casualia non eueniunt ab aliqua causa ordinata, sed causa ordinata ad productionē alterius, impedita producit casuale.

Cùm arguitur Tertiò, de motu & termino. Resp. quòd ista propositio, Motuum differentiū specie, sunt termini specie differentes; nō est immediata, sed depēdet ex alijs duabus. Prima est. Motuū differentiū specie, sūt fluxus differentes specie, vel formæ secundùm quas sunt fluxus, differūt specie. Secunda est. Forma fluens, vel forma secundùm quā est fluxus, est eiusdem rationis cum forma terminante: vbi autem altera istarum duarum est falsa, propositio assūpta est falsa: sta est in proposito, quòd forma inducta per productionem, cuiusmodi est Essentia, non est eiusdē rationis cum forma, quæ est fluens, vel secundùm quàm E est fluxus, cuiusmodi est productio. Quòd autem sit falsa, quando alterum illorum est falsum. Patet. Quia idem Vbi, potest acquiri per motum circularē, & rectum, qui etiam motus sunt alterius speciei, & incomparabiles, secūdùm Philosoph. 7. Physic. t. 21. hoc autem est, quia forma quæ est fluxus, non habet distinctionem specificam, sicut illa forma quæ est fluens, vel secundùm quam est fluxus.

Qualitercunque sit de exemplo. Forsan oportet ibi exponere Phil. & tenere quòd Vbi fluens, secundùm circulum, & lineam rectam sint eiusdem rationis, inquantum Vbi fluens; licèt rectum & circulare, quæ accidunt lineæ, siue magnitudini, super quam mouentur, non sint eiusdē rationis; & ideò quoad illa, fit motus incomparabilis, non autem quoad Vbi, & Vbi fluens per se, & ideò nec quoad motus per se; saltem illud ad quod hoc exemplum adducitur verum est, quòd forma fluente existēte alterius rationis à forma terminante, non oportet ex distinctione motuum, distinctionem concludere terminorum: in proposi-

F to autem productio est alterius rationis ab essentia terminante, vt à termino formali accepto per eam, quia productio est relatio, essentia autem ad se, & ideò pluralitas productionum non cōcludit distinctionem formalem terminorum ipsarum.

Sed adhuc videtur remanere difficultas istorum argumētorum Auer. Licèt enim eadem natura possit communicari vniuocè, & æquiuocè, nō tñ ab aliquo eiusdē speciei, sed ab indiuiduo vnius speciei tātū vniuocè cōicatur, æquiuocè aūt à causa superiore; natura autē Diuina nō cōmunicatur ab aliqua causa superiore, sed tantùm ab aliquo in eadem natura; ergo videtur quòd natura illa non habeat communicationem nisi vnius rationis. Respondeo. Natura creata non potest communicari, nisi communicatione vnius rationis, à supposito illius naturæ. Et ratio est. Quia effectus non excedit causam; effectus autem cōmunicatus tali supposito est natura; ergo oportet quòd principium communicandi sit natura: quia nihil perfectiùs ipsa natura, est in tali supposito communicante, nec aliquid æquè perfectum natura: natura autem est principiū com-

G municatiuum vnius rationis; ergo supposito agenti virtute naturæ, competit communicatio tantùm vnius rationis. Oppositum est in proposito; quia suppositum istius naturæ, potest habere principia alterius rationis in producendo, quorum vtrumque sit æquè perfectum cum natura; & ideo vtrumque potest esse principium communicandi naturam, & ita hic potest esse duplex communicatio ab illis suppositis, quæ sunt huius naturæ.

Si instetur hic. Quòd duplex est principium operandi in nobis, scilicet intellectus, & voluntas, æquè perfectum ipsi naturæ; quia idem formæ: secūdùm vnam opinionem de potentijs animæ. Respondeo. Vlterior ratio est eius quod supponitur hìc de duplici principio communicandi naturam in Diuinis, non autem in creaturis, & potest esse talis. Licèt in nobis sit duplex principium operatiuum, voluntas & intellectus, & ambo sint perfecta, & possint habere perfectas operationes sibi adæquatas in ratione

H operationis, non tamen habent operationes adæquatas sibi in esse, hoc est, licèt per intellectum nostrum possimus habere intellectionem ità perfectam, sicut aliqua potest naturæ nostræ competere, non tamen intellectio ista erit perfectum ens vt natura; quia intellectio adæquata intellectui, & potentiæ, vel obiecto in ratione operationis, non est adæquata intellectui, vel obiecto in esse. Intellectus igitur & voluntas in creatura, etsi sint principia producēdi operationes adæquatas sibi in ratione operationis, non tamen in esse; & per consequens multò magis nec realiter adæquatas naturæ cuius sunt, intellectus & voluntas. Ita potest argui de quibuscunque principijs productiuis in creaturis, quorum distinctio stat in eodem supposito alicuius naturæ: in Diuinis autem quia principium operatiuum non tantùm æquatur naturæ in ratione principij operatiui, sed etiam in essendo, operatio etiam æquatur principio operatiuo, & hoc in essendo; & per consequens æquatur naturæ. Simpliciter ergo, quia principiū productiuū æquatur naturæ in essēdo, & ideo per ipsum potest cōicari

A terminus formalis productionis, adæquatus ſibi & naturæ in eſſendo.

Ad Argumenta quæ probant quòd non ſunt tantùm in Deo duo principia productiua.

Cùm Primò arguitur de natura & intellectu, quòd sũt duo principia productiua diſtincta per Philoſ. 2. Phyſic. Reſpondeo, quòd Philoſophus parum locutus eſt de voluntate vt diſtinguitur contra intellectum, ſed communiter in ratione principij actiui cõiunxit intellectum ad voluntatem, & ideò in 2. Phyſ. vbi diſtinguit iſta principia actiua in naturam & intellectum, non debet intelligi, vt intellectus diſtinguitur contra voluntatem, vt patebit ſtatim, ſic enim concurrit cum voluntate, cõſtituendo idem principium reſpectu artificialium.

Hoc patebit reſpondendo ad inſtantiam Philoſ. 9. Metaph. Ad quam dico; quòd intellectus comparatur ad ſuam naturam, & ad ſuam propriam operationem, cuius eſt principium elicitiuum, & productiuum aliquomodo, & comparatur ad operationes aliarum potẽtiarum, reſpe-
B ctu quarum eſt potentia directiua, vel regulatiua. Si primo modo accipiatur: dico quòd eſt merè natura, & in eliciendo & in producendo; quemcunq; enim actum intelligendi producit cum obiecto præſente in memoria, merè naturaliter producit, & quamcunque operationem operatur, merè naturaliter operatur: voluntas autem reſpectu operationis propriæ vt productiua, habet oppoſitum modum producẽdi, & hoc ſatis apparet per Philoſ. 9. Metaphyſ. cap. 4. t. 10. vbi tractat quomodo potentia rationalis & irrationalis reducũtur ad actum, & arguit quòd potentia rationalis quæ ex ſe eſt ad oppoſita, non poteſt ex ſe exire in actum, tunc enim ſimul exiret in oppoſita, quia ſimul eſt oppoſitorum: & ex hoc concludit, quòd præter illam potentiam rationalem, oportet ponere aliã potẽtiam rationalem determinatiuam per quam determinetur, & illa determinata poteſt exire in actum; & ex hoc ſequitur quòd intellectus, ſi eſt oppoſitorum, ſic eſt oppoſitorum per modum naturæ, quòd quantùm eſt de ſe, neceſſariò eſt oppoſitorum, nec poteſt de ſe
C determinare ad alterum illorum, ſed requirit alterum determinans, quod liberè poteſt exire in alterum oppoſitorum, hoc eſt appetitus ſecundùm eundem, vel prohæreſis: Exemplum. Sol habet virtutem producendi oppoſita, ſcilicet liquefactionem, & coagulationem: vnde ſi eſſent duo paſſa approximata, quorum alterum eſſet liquefactibile, & alterum coagulabile, Sol de neceſſitate naturę haberet elicere illos duos actus in illis; & ſi idẽ eſſet approximatum, quod ſimul natum eſſet recipere oppoſita iſta, Sol de neceſſitate ſimul produceret oppoſita, vel neutrum: eſt ergo potentia Solis merè naturalis, licèt oppoſitorum, quia eſt illorum merè ex ſe, ita quòd nõ poteſt determinare ſe ad alterum tantùm: talis potentia eſt intellectus, vt intellectus eſt præciſè reſpectu oppoſitorũ intellectorum, & non eſt ibi aliqua determinatio ad alterum tantùm illorum, & non ad reliquum, niſi quatenus voluntas concurrit. Philoſophus autem communiter loquitur de intellectu, ſecundùm quòd cum voluntate conſtituit vnum principium reſpectu artificialium, & non vt
D eſt naturaliter elicitiuus ſuę operationis: & ideò eſt; quòd aliquando contra naturam diſtinguit intellectum, aliquando artem, aliquando propoſitum, idem intelligens per omnia.

Cùm vltimò dicitur de voluntate, quòd eſt principium reſpectu creaturarum. Dico, quòd per prius naturaliter voluntas Dei eſt principium productiuum alicuius producti ſibi adæquati; quàm ſit productiuum non adæquati: adæquatum infinito eſt infinitum, & ita creatura eſt ſecundarium volitum, & productum à voluntate Dei.

QVÆSTIO SEXTA.

Vtrum tantùm ſint tres Perſonæ in Eſſentia Diuina.

ET Arguo quòd non. Primò ſic. Relationes oppoſitæ ſunt æqualis dignitatis; ergo ſi relatio primi producentis tantùm cõſtituit vnam Perſonam, correſpondebit ſibi alia relatio, tantùm conſtituens Perſonam E
vnam productam, & ita tantùm erit vna Perſona producta.

Præterea. Duabus relationibus productorum, correſpondent duæ producentium, & æquè diſtinguuntur iſta extrema inter ſe, ſicut illa inter ſe; ergo ſi iſtæ duæ relationes conſtituunt duas perſonas, & aliæ duæ conſtituent alias duas; & ita erunt quatuor Perſonæ Diuinæ.

Præterea. Potentia finita durans in infinitum, poteſt habere effectus infinitos, ſicut patet de Sole, ſecundùm viam Philoſophi, 2. de gener. ergo potentia infinita poteſt habere infinita producta ſimul. Conſequentia probatur. Quia quòd potentia finita ſimul, non poteſt in tot, in quot ſucceſſiuè, hoc eſt propter finitatem, propter quam pro nunc adæquatur ſibi iſte effectus; ergo potentia infinita in quot poteſt ſucceſſiuè, in tot poteſt ſimul.

Oppoſitum oſtenditur. Matth. vltim. *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* & 1. Ioan. 5. *Tres ſunt qui teſtimonium &c.* & Auguſt. de fide ad Petrum c. 2. & po- F
nitur in littera.

Ad iſtam Quæſtionem. Reſpondeo. Quòd ſunt tantùm tres Perſonæ in Eſſentia Diuina. Quod probatur ſic. Sunt tantùm duæ productæ, & tantùm vna improducta; ergo tantùm tres ſunt Perſonæ.

Circa Primam propoſitionem probo Primò, quòd ſint duæ productæ: Secundò, quòd non plures. Ad probandum quòd ſunt duæ perſonæ productæ, Primò probo, quòd eſt aliqua Perſona producta actu intellectus, & hoc ſic. Intellectus vt eſt perfecta memoria, id eſt, habens obiectum actu intelligibile ſibi præſens per aliquẽ actum ſui, eſt productiuus termini adæquati, ſcilicet infiniti, ex præcedenti quæſt. nihil autem ſeipſum producit. 1. de Trinit. ergo quod producitur actu intellectus, aliquo modo diſtinguitur à producente; eſſentialiter non diſtinguitur, quia Eſſentia Diuina, & quæcunque eſſentialis perfectio intrinſeca ſibi eſt indiſtinguibilis, ex quæſt. de vnitate Dei; igitur diſtinguitur perſonaliter productum à produ-
cente; ergo eſt aliqua perſona producta actu intellectus. G
Conſimiliter arguitur de producto actu voluntatis.

Quòd autem perſona producta actu iſto & illo, ſit alia. Probo. Quia non poteſt eadem perſona produci duabus productionibus totalibus ſufficientibus; hæc autem productio alia eſt ab illa ex quæſtione præced. ergo hac & illa non producitur eadem perſona, ſed duæ. Probatio Maioris. Si idem produceretur duabus productionibus totalibus, vtraque acciperet eſſe ſufficienter; ſed ſi ſufficienter acciperet eſſe à producente hac productione, haberet ſuum eſſe perfectè, nulla alia productione poſita; igitur non poteſt accipere eſſe per aliam productionem, quia tunc non eſſet ſine illa.

Vlteriùs, quòd non poſſunt eſſe plures perſonæ productæ, quàm iſtæ duæ, probo ſic. Non poſſunt eſſe plures productiones ad intra, quod æqualiter ſuadebatur in quæſtione præcedenti, ſed differatur vſque ad diſtinctionem ſeptimã, finaliter declarandum. Hoc igitur
ſit certum nunc, quòd tantùm ſunt duæ productiones H
ad intra, nulla autem iſtarum poteſt terminari niſi ad vnã perſonam, quia perſona producta eſt terminus adæquatus illi productioni; ergo &c.

Nunc reſtat probare, quòd vna tantùm ſit non producta. Vbi dicit vnus Doctor. (*Henr. quol. 6. quol. 1.*) quòd illud oſtenditur, ſicut oſtenditur vnitas Dei. Hoc etiam probat per Hilar. capit. 5. de Synodo. Vbi vult quòd qui dicit duos innaſcibiles, confitetur, Duos Deos.

Præterea arguitur ſic. Plura ſuppoſita abſoluta non poſſunt eſſe in hac natura, quia natura non eſt in pluribus ſuppoſitis abſolutis ſine diuiſione naturæ: erunt igitur plura ſuppoſita relatiua; aut igitur relatione mutua inter ſe, aut ad alia; ſed ſi plura eſſent ſuppoſita non producta, non diſtinguerentur relatiuè ad alia ſuppoſita; quia non relatione ad alia ſuppoſita producentia, quia nulla ſunt ex hypotheſi; nec ad producta, quia ad illa haberent relationem eandem, ſicut modo Pater & Filius

habent

A habent eandem relationem spirationis actiuæ ad Spiritũ Sanctum; ergo relatione inter se distinguerentur, & hoc relatione originis, quod est propositum.

Contra. Istæ probationes non videntur sufficientes. Prima non: quia vnitas Dei probatur ex hoc, quòd Diuina infinitas non diuiditur in plures essentias, non autem ita manifestum est, quòd ratio ingeniti vel innascibilis nõ sit in pluribus suppositis: Tum quia ratio innascibilis non dicit aliquam perfectionem simpliciter, ex qua perfectione simpliciter possit concludi vnitas innascibilis, sicut ex perfectione infinita concluditur vnitas Diuinæ Essentiæ.

Similiter auctoritas Hilarij quam adducit. Dicit quòd ita est, non tamen probat esse ita. Et cum accipit in ratione sua: quòd plures personæ absolutæ non possunt esse in eadem natura. Qualiter est hoc notius Conclusione? Qui enim poneret plures personas ingenitas, non diceret eas formaliter constitui aliquibus relationibus; ergo accipere contra eum, quòd non possunt esse plures personæ absolutæ, videtur non accipere manifestius Conclusione.

B Cùm vltra dicitur. Quòd non distinguuntur relationibus inter se: quia hoc non esset nisi per relationes originis. Hanc consequentiam oportet probare. Concesso enim illo, quòd non sit distinctio nisi per relationes originis, citò haberetur propositum.

Aliter persuadeo Conclusionem intentam sic. Quicquid potest esse in pluribus suppositis, & non determinatur ad certum numerum suppositorum per aliud à se, quãtũ est de se potest esse in infinitis, & si est necesse esse; est in infinitis: quia quicquid potest ibi esse, est; sed ingenitum, si potest esse in pluribus suppositis, non determinatur ab aliquo in quot suppositis sit; quia determinari ab alio ad esse in supposito, vel in suppositis, est contra rationem ingeniti: igitur de ratione sua potest esse in infinitis; & si potest esse, est: quia esse ingenitum est ex se necesse esse. Cõsequens est impossibile; ergo illud ex quo sequitur.

Secundò sic. Nunquam pluralitas ponenda est sine necessitate: nulla autem necessitas nec ad se, nec ad extra, cogit plures esse innascibiles; ergo est tantùm vnus.

C Tertiò. Quia essentia vna actu existens, non videtur ex se immediatè habere plures modos essendi; oppositum sequitur, si plura essent opposita ingenita; non autem sequitur modò, quia Essentia Diuina non habet plures modos essẽdi immediatè sine productione, sed tãtùm vnum modum essendi sine productione, & alios duos mediantibus productionibus.

Ad Argumenta principalia. Ad Primum. Cùm arguitur. Æquè nobiles sunt; ergo tot. Fallacia est figuræ dictionis, commutãdo Quale, in Quod. Et ratio defectus consequentiæ est ista: non enim est propter nobilitatem, vel ignobilitatẽ relationis, vel rationis principij vel principiati; ꝙ multiplicetur, vel nõ multiplicetur, sed de ratione principij est vnitas, licèt in principiatis possit esse pluralitas; quia semper est reductio pluralitatis ad vnitatem: & ideo stante æquali nobilitate, potest esse multiplicatio, vel distinctio in relationibus productorum, licèt nõ in relationibus producentium à se.

D Alia est responsio. Quia licèt ibi quælibet relatio vnius rationis sit de se hæc, tamen à pluribus relationibus productiui potest forsan abstrahi vnum commune, puta pro ductiuum: & ita à pluribus relationibus producti, potest abstracti vnum commune, puta productũ: etsi igitur est vna relatio in communi, si est commune abstrahibile, quæ dicitur in communi relatio personæ producentis; sunt tamen duæ relationes producentis sic & sic, sicut duę correspondentes eis, producti sic & sic.

Ad Secundam rationem. Concedo, quòd relationibus ex parte producentium vel productiui, correspondent relationes ex parte productorum, & tot: sed non sequitur, si relationes producti distinguũt sic, vt sint in distinctis suppositis; ergo & relationes producentis. Cuius ratio assignatur. Quia relationes producti possunt distingui propter distinctas rationes producendi, quæ sunt in producente, licèt sit idem suppositum producens; sicut productio artificialis & naturalis, distinguuntur per principia productiua, scilicet per artem & naturam, licèt illa concurrant in eodem supposito: relationes autem producti non possunt ita concurrere in eodem supposito, & vna persona, sed sunt distinctæ personaliter, quia productum, est per se subsistens, & suppositum: Alia ratio patet ex superiori ratione, in solutione quæstionis. Quia non potest idem produci duabus productionibus totalibus, licèt idem possit producere duabus productionibus totalibus, & ideò relationes producti non plurificantur in eodem, licèt relationes producentis possint plurificari. E

Ad Tertium. Potentia finita non potest habere simul duos terminos adæquatos in produci, licèt possit habere vnum in produci, & alium in producto esse: potentia autem infinita habet terminum suũ intra se semper in produci, & iste est adæquatus: & ideò non potest habere plures terminos.

QVÆSTIO SEPTIMA.

Vtrum possibile sit cum vnitate Essentiæ Diuinæ stare pluralitatem Personarum. F



Arguitur, quòd non, sic. Quia quæcunque vni & eidem simpliciter sunt simpliciter eadem, inter se sunt eadem simpliciter: & additur, simpliciter, ad excludendum identitatem secũdùm quid; quia si sunt eadem eidem non simpliciter, sed secundùm quid, vel si eadem simpliciter, sunt eadem solùm secundùm quid, non oportet illa esse simpliciter eadem; sed Personæ Diuinæ sunt simpliciter, & omninò idem Essentiæ Diuinæ, quæ in se & omninò est simpliciter eadem; ergo &c. Maior patet. Tum quia per ea tenet omnis forma Syllogismi perfecti, quæ forma de se est euidens, quia in præmissis notantur extrema in medio cõiugi, & ex hoc solùm concluditur identitas extremorum inter se in conclusione: Tum quia oppositum prædicati destruit subiectum, quia si non sunt eadem omnino inter se, non sunt simpliciter eadem alicui eidem simpliciter. Minor probatur. Quia *Essentia Diuina* propter summam simplicitatem *est quicquid habet*: secundùm Magistrum dist. 2. & secundum Aug. lib. 11. de ciu. Dei c. 10. Similiter alia pars Minoris patet. Quia ipsa est in se omnino simplex & indiuisibilis; ergo &c. G

Secundò sic. Essentiale, & accidentale diuidunt totum Ens; quicquid ergo est in aliquo, aut est idem sibi essẽtialiter, aut accidentaliter; sed quod distinguit Personas non est accidentale Essentiæ, quia nihil sibi accidit; ergo sibi est idem essentialiter; sed quod essentialiter est idem Essentiæ, multiplicato illo multiplicatur Essentia; ergo si sũt plures Personæ, sunt plures Essentiæ.

Tertiò sic. Nihil est ponendum in entibus, & maximè in summo bono, quo nõ posito, nihil perfectionis deficit in vniuerso; sed aliqua Persona Diuina non existente in Diuina Essentia, nihil perfectionis deesset in vniuerso; ergo pluralitas talium non est ponenda in Deo. Probatio Minoris. Si secunda Persona non esset quicquid perfectionis esset in ea, esset in persona alia, & ita nihil perfectionis deesset in vniuerso, si ipsa non esset, quia quicquid perfectionis simpliciter est in vna, est in alia; ergo subtracta vna & manente alia, nihil perfectionis tollitur ab vniuerso. H

Dices. Quòd non sub omni modo, quicquid perfectionis est in vna, est in alia. Contra. Iste modus habendi, vel essendi, aut est perfectio aut non: si sic: erit in Deo, & per consequens persona prima non erit simpliciter perfecta, quæ non habebit illum modum: si non; ergo stat argumentum, quòd non manente secunda persona, manet tota eius perfectio in persona prima; ergo nihil perfectionis deperditur ab vniuerso, amota persona secunda.

Item Quartò. Si sunt plura necesse esse; quæro quibus formaliter distinguuntur? Sint A. & B. Sed quòd plura sint necesse esse, includit cõtradictionem: quia aut illæ rationes quibus distinguũtur sunt necesse esse, & necessitates essendi, & tunc erunt duo necesse esse; quæ etiã conueniunt in necesse esse, & per consequens per necesse esse non distinguuntur. Si autem illæ rationes sunt

A possibiles; ergo illa quæ istis distinguuntur, non sunt necesse esse.

Ad oppositum. Illud est possibile quod non includit contradictionem; sed non includit contradictionem quòd sit vna Essentia in tribus Personis; quia cõtradictio est secundùm idem; hìc autem non est contradictio secundùm idem; quia hìc est vnitas Essentię, & Trinitas Personarum relatiuarum; ergo &c.

ARTICVLVS PRIMVS.

Satisfit propositę Quæstioni.

AD hanc Quæstionem. Dico. Quòd simul stant vnitas Essentiæ, & pluralitas Personarum. Quod apparet ex solutione quęstionis præcedentis. Quia simul est ibi pluralitas cum ista vnitate.

Ad hoc autem aliqualiter declarandùm. Notandum est. Quòd sicut repugnantia repugnant ex suis proprijs B rationibus, ita non repugnantia siue compossibilitas, est ex proprijs rationibus compossibilium. Ad videndũ autem istam compossibilitatem videnda est ratio extremorum, scilicet, naturæ & suppositi.

Vbi Notandum. Quòd natura non se habet ad suppositum, sicut vniuersale ad singulare. Quia in accidentibus inuenitur singularitas sine ratione suppositi: in substantia etiam; nostra enim natura athoma assumpta est à Verbo, secundùm Damasc. non tamen suppositum nostrę naturæ. Neque se habet natura ad suppositum, sicut Quo ad Quod: nam cuicunq; Quo, correspõdet propriũ Quod vel Quis, & ita sicut natura est Quo, ita habet proprium Quod vel Quis, quod non contrahitur ad suppositum; & sicut suppositum est Quod, vel Quis; ita habet suum Quo proprium, quo subsistit, & tamen suppositum concomitãter de necessitate est singulare: & etiã non potest esse Quo respectu alterius; quia est subsistens, nõ potens esse actus alicuius subsistentis. Consistit ergo ratio suppositi in duplici incommunicabilitate. Vbi sciendum, quòd commu-C nicabile dicitur aliquid, vel per identitatem, ita quòd illud cui communicatur sit ipsum; vel per informationem, ita quòd illud cui communicatur sit ipso, non ipsum: primo modo vniuersale communicatur singulari, & secũdo modo forma materiæ. Natura igitur quæcunque, & quãtùm est ex se, & de ratione naturæ, est communicabilis vtroque modo, videlicet, pluribus suppositis, quorum quodlibet sit ipsum, & etiam vt Quo, tanquam forma qua singulare vel suppositum sit ens quidditatiuè, vel habẽs naturam. Suppositum autem est incommunicabile duplici in communicabilitate sibi opposita.

Ex his declaratur propositum. Et Primò sic. Natura quæcunque, est communicabilis pluribus per idẽtitatem; igitur natura Diuina est communicabilis.

Hoc etiam patet ex quæstione proposita; non est autem diuisibilis ex quæstione de vnitate Dei: igitur communicabilis sine diuisione.

Hoc etiam arguitur sic. Natura Diuina, & quicquid inest naturæ vt natura est, est perfectio simpliciter, omnis D perfectio simpliciter est cõmunicabilis pluribus; ergo &c. Minorem probo. *Perfectio simpliciter est qua melius est ipsum esse, quàm non ipsum.* Anselm. mono. c. 15. Quod sic intelligitur, quòd perfectio simpliciter est melius quocũque sibi incõpossibili, in quolibet supposito absolutè considerato, hoc est, non determinãdo in qua natura sit illud subsistens. Sed si natura Diuina determinaret se ad subsistentiam incommunicabilem, ipsa in nullo esset melior quocunque sibi incompossibili, nisi in illa subsistentia, ad quam se determinaret; quia cuilibet alij subsistentiæ esset incompossibilis: igitur non esset perfectio simpliciter.

Hoc etiam arguitur ex parte rationis suppositi. Quia enim suppositum de ratione sui est incõmunicabile simpliciter, & ideo ratio suppositi, non est perfectio simpliciter, modo prædicto; non oportet illam rationem includere quamlibet rationem entis per identitatem, & ita potest stare alia ratio distincto suppositi; si autem possunt stare duæ rationes distinctæ suppositi; igitur & duo supposita distincta, etiam sine diuisione naturæ; ergo &c. E

Hoc propositũ Quartò sic declaratur ex infinitate, quæ est conditio naturæ, & hoc sic. Forma quæ est aliquo modo illimitata in perficiendo materiam, sine sui distinctione & extensione qualicunque, potest perficere plures partes materiæ. Exemplum. Anima intellectiua quæ non est limitata ad perficiendum hanc partem corporis organici, sine sui diuisione & extensione qualicunque, vel per se, vel per accidens, potest perficere aliam partem corporis organici: ista enim proprietas, videlicet, quòd forma non distinguatur, & tamẽ perficiat plures partes corporis, vel materiæ, nõ competit animæ ratione imperfectionis; quia ipsa ponitur forma perfectissima inter omnes formas naturales: omnes autem aliæ formæ imperfectiores carent isto gradu in perficiendo; omnes enim limitantur ad perficiendum, nec perficiunt plures partes materiæ, sine extẽsione per accidens. Ex hoc arguo sic. Si talis vnitas sit cum pluralitate, & non ex imperfectione illius quod est vnum: igitur substracto omni eo quod est imperfectionis, ex vtraque parte, potest stare perfecta vnitas cum pluralitate; sed quod anima perficiat materiam, hoc est imperfectionis in ea, quod etiã illa plura perfecta sint partes eiusdem totius, hoc etiam est imperfectionis: Si igitur tollatur ab anima hoc, quòd est perficere materiam, & à pluribus illis distinctis hoc, quod est esse partes vnius totius, remanebit forma habens perfectam vnitatem, sed non informans materiam, sed dãs totale esse, & hoc pluribus distinctis, quæ non erunt partes vnius totius, sed erunt per se subsistentes, & tunc erit vna natura dans totale esse pluribus suppositis distinctis: Ergo Essentia Diuina quæ est penitus illimitata, à qua aufertur quicquid est imperfectionis, potest dare totale esse pluribus suppositis distinctis. F

ARTICVLVS SECVNDVS.

An inter Essentiam Diuinam, & relationem originis, sit aliqua distinctio præter opus intellectus.

SED hìc restat vlterior difficultas. *Non enim videtur intelligibile, quòd Essentia non plurificetur & supposita sint plura, nisi aliqua distinctio ponatur inter rationem essentię & rationem suppositi, & ideò ad saluandum istam compossibilitatem prædictam oportet videre de illa distinctione.* G

ET dico, sine assertione & præiudicio sententiæ melioris. Quòd ratio qua formaliter suppositũ est incommunicabile, & ratio essentiæ vt essentia, habent aliquam distinctionem præcedentem omnem actum intellectus creati, & increati.

Et probo sic. Primum suppositum habet realiter entitatem communicabilem, alioquin non posset eam cõmunicare; habet etiam realiter entitatem incommunicabilẽ, alioquin non esset positiuè & in entitate reali suppositũ. Et intelligo sic realiter: quòd nullo modo per actum intellectus considerantis: imò quòd talis entitas esset ibi, si nullus intellectus consideraret; & sic esse ibi, si nullus intellectus consideraret, dico esse ante omnem actum intellectus, non est autem aliqua entitas ante omnem actũ intellectus, ita quòd nõ per actum intellectus sic est illa entitas communicabilis: ita scilicet quòd sibi contradicat cõmunicari ante actũ intellectus: Et hinc est, quòd non pręcisè per intelligere, est aliqua distinctio inter hanc entitatem & illam; ergo. &c. H

Si dicas. Quòd ante omnem actum intellectus Patris, non est aliqua distinctio, sed est entitas omninò vnius & eiusdem rationis. Contra. Igitur entitatem istam vnius rationis totam communicat Pater, & ita nullã entitatem positiuam in se habet Pater, quam non communicat Filio; ergo communicat ei Paternitatem sicut Essentiam.

Secundò arguitur sic. Distinctio vna in intellectu, est penes diuersum modum concipiendi idem obiectum formale, & hoc siue concipiendo Grammaticè; vt homo, & hominis; siue Logicè, vt homo, & humanitas. Alia maior distinctio est in intellectu, concipiendo duobus actibus duo obiecta formalia, & hoc siue illis correspondeant diuersæ res, vt intelligendo hominem & asinum, siue

A siue vna res extra, vt intelligendo colorem & disgregatiuum.

Ex hoc arguo sic. Pater intelligens se in illo primo signo originis, aut intelligit essentiam & A. proprietatem, vt diuersa obiecta formalia; aut præcisè vt idē obiectum, sub alio & alio modo concipiendi: secundo modo non; quia tunc non esset maior differentia inter Deum & relationē, quàm concipiendo Deum & Deitatem, & ita non conciperet A. proprietatem magis incōmunicabilem, quàm Deitatem incommunicabilem: nam homo non est incommunicabilis, si humanitas est communicabilis, nec ēconuersò. Ita in proposito similiter tunc non magis esset intellectus Patris in Essentia Diuina beatus, quàm in A. quæ dicitur proprietas Patris, nec magis in A. quàm in proprietate Filij, & ita in duobus obiectis vt in proprietatibus Patris & Filij primò esset beatus. Et si detur primus modus, quòd Paternus intellectus habet Essentiam, & A. tanquam duo obiecta formalia. Tunc arguo sic. Intellectus ille nihil intelligit nisi intuitiuè, quia vt patebit dist. 3. q. 3. omnis intellectio abstractiua & nō intuitiua; est aliquo B modo imperfecta: cognitio autem intuitiua est obiecti vt obiectū est præsens in existentia actuali, & hoc in se, vel in alio eminenter continente totam entitatem ipsius; ergo quæ cognoscuntur intuitiuè, vt obiecta formalia distincta: vel vnum eminenter continetur in alio, vel vtrumque secundùm propriam existentiam terminat actum vt est eius: nihil autem intrinsecū Personæ Diuinæ propriè continetur in aliquo eminenter: quia tunc esset ens per participationem illius continentis; igitur quæcunque intrinsecè sunt diuersa obiecta formalia, intuibilia secūdùm propriam existentiam actualem, terminant intuitionem vt obiecta; & ita habent aliquam distinctionem ante actum intelligendi.

Si dicas. Quòd Essentia de se facit vnum conceptum in intellectu Patris, sed circa illam potest intellectus Paternus facere diuersas rationes; & præcisè secundo modo distinguuntur Essentia & A. in intellectu Paterno, & non C primo modo. Contra. Quicquid intellectus causat sine actione obiecti circa obiectum præcisè, hoc est, virtute propria intellectus, (& hoc loquendo de obiecto, vt habet esse cognitum in intellectu præcisè, & de intellectu, vt considerans est) illud est præcisè relatio rationis: nunc autem illa ratio quam facit Essentia de se, patet quòd est absoluta, aliter nō beatificaret intellectum Patris; ergo præter istam rationem absolutam, nulla est alia in re ante actum intellectus, aliàs haberetur propositum: nulla etiam est alia per se in intellectu Patris, nisi per actum intellectus negotiantis, & non per impressionē factam ab obiecto; quia non imprimit per se, nisi vnum conceptum; ergo quælibet ratio alia à ratione absoluta essentiæ, erit præcisè relatio rationis: ergo proprietas Patris, quæ est incommunicabilis erit relatio rationis: quod est inconueniens.

ARTICVLVS TERTIVS.

Qualis sit illa distinctio præter opus intellectus, quæ ponitur inter relationem & Essentiam.

D

SEcundò oportet videre qualis sit ista differentia, quæ ponitur præcedere omnem actum intellectus.

DIco. Quod tā in rebus, quàm in intellectu, differentia maior manifesta est, & ex illa concluditur frequenter differentia minor, quæ est immanifesta: sicut ex differētia creaturarū concluditur differentia idæarum in intellectu Diuino, sicut patet per Aug. 83. quæst. q. 46. in re autē manifesta est distinctio rerum, & hæc duplex, suppositorum scilicet, & naturarum; in intellectu manifesta est differentia duplex, modorum scilicet concipiendi, & obiectorum formalium. Ex his concluditur differentia hîc intenta quæ est manifesta, & minima in suo ordine, id est, inter omnes quæ præcedunt intellectionem. Concluditur autem ex differentia reali, sic. Distinctio Diuinorum suppositorum est realis; cùm igitur non possit idem eodem formaliter, conuenire realiter, & differre realiter, cōcluditur aliqua differentia essentię: in qua supposita conueniunt, E ab illis rationibus quibus supposita distinguuntur. Similiter ex differentia obiectorum formalium, quorum neutrum continetur in aliquo eminenter, & hoc in intellectu intuitiuè considerante, concluditur aliqua differentia ante actum intellectus eorum, quæ cognoscuntur intuitiuè.

Sed nunquid bene distinctio dicetur realis? Resp. Non est propriè realis actualis, intelligendo, sicut communiter dicitur realis actualis, illa quæ est differentia rerum & in actu, quia in vna persona non est aliqua differentia rerum, propter simplicitatem Diuinam: & sicut non est realis actualis, ita non est realis potentialis, quia nihil est ibi in potentia, quod non est in actu.

Potest autem vocari differentia rationis, sicut dicit Doctor quidam, (*Guil. Var. lib. 1. d. 3. q. 2.*) non quòd ratio accipiatur pro differentia formata ab intellectu, sed vt ratio accipitur pro quidditate, secundùm quod quidditas est obiectum intellectus. Vel alio modo potest vocari differentia virtualis (*S. Bonau. lib. 1. dist. 5. quæst. 1.*) quia illud F quod habet talem distinctionem in se, non habet rem & rē, sed est vna res habens virtualiter siue eminenter quasi duas realitates: quia vtrique realitati, vt est in illa re, competit illud proprium quod inest tali realitati, ac si ipsa esset res distincta: ita enim hæc realitas distinguit, & illa non distinguit, sicut si ista esset vna res, & illa alia.

Vel vt proprijssimè dicatur, sicut possumus inuenire multos gradus in vnitate: in primo, minima vnitas est, vnitas aggregationis: in secundo gradu, est vnitas ordinis; quæ aliquid addit super vnitatem aggregationis: in tertio, est vnitas per accidens, vbi vltra ordinem est informatio, licèt accidentalis vnius ab altero, eorum quæ sunt sic vnum: in quarto, est vnitas per se compositi, ex principijs essentialibus per se actu, & per se potentia: in quinto, est vnitas simplicitatis, quæ est verè identitas, quicquid enim est ibi, est realiter idem cuilibet, & non tantùm est vnum illi vnitate vnionis, sicut in alijs modis: ita adhuc vltra omnes est identitas formalis. Voco autem G identitatem formalem, vbi illud, quod dicitur sic idem, includit illud cui sic est idem, in ratione sua formali, & per cōsequens per se primo modo: in proposito autem essentia non includit in ratione sua formali proprietatem suppositi, nec è conuersò; & ideò potest concedi quòd ante omnē actum intellectus est realitas essentię, quæ est communicabilis, & realitas suppositi, qua suppositū est incommunicabile, & ante actū intellectus hæc realitas formaliter non est illa, vel nō est eadem formaliter illi, sicut priùs expositum est, quid est formaliter esse idem.

Nunquid igitur debet concedi aliqua distinctio? Respondeo. Meliùs est vti ista negatiua, hoc non est formaliter idem, quàm hoc est sic distinctum.

Sed nonnè sequitur A, & B. non sunt idem formaliter; ergo sunt formaliter distincta. Respondeo. Quòd non oportet sequi; quia formalitas in antecedente negatur, & in consequente affirmatur.

Breuiter igitur dico, omittendo illa verba de distinctione rationis, vel de distinctione virtuali, non quia sint malè dicta, sed quia nō oportet eis vti. Dico. Quòd in Essen- H tia Diuina, ante actum intellectus est entitas A. & est entitas, B. & hæc non est formaliter illa, ita quòd intellectus Paternus considerans A. & considerans B. habet ex natura rei, vnde ista compositio sit vera, A. non est formaliter B. non autem præcisè ex aliquo actu intellectus circa A. & B. Ista differentia manifestatur, per exempla. Primò. Si ponatur albedo, species simplex, non habens in se duas naturas, est tamen in albedine aliquid realiter, vnde habet rationem coloris, & aliquid vnde habet rationē differentiæ, & hæc realitas formaliter non est illa realitas, nec è conuersò: imò vna est extra realitatem alterius, formaliter loquendo, sicut si essent duæ res: licèt modò per identitatem istæ duæ realitates, sint vna res. Hoc exemplum licèt aliqualiter sit simile ad propositum, quantùm ad hoc scilicet, quòd identitas realis non necessariò concludit identitatem formalem cuiuslibet quod est in subiecto eodem, ad quodlibet quod est in ipso; non tamen est

omnino

A omninò simile; quia aliqua compositio est in albedine, licèt non rei & rei: tamen talis qualitas non conceditur in Deo, propter non identitatem formalem: vbi autem non identitas formalis aliquorum in eodem, requirat aliquam compositionem & potentialitatem, & vbi non, dicetur dist. 8. quæst. de attributis, & in questione illa, An Deus sit in genere posset etiam poni exemplum de toto quantitatiuo, subtrahendo illa quæ sunt imperfectionis, & ponendo illa quæ sunt perfectionis; sed in pluribus esset dissimile, quàm simile: ideo omittatur.

Ista autem distinctio, sicut non formalis identitas, quæ probata est priùs per duas vel tres rationes, potest etiam probari per duas vel tres auctoritates August. 7. de Trinit. cap. 1. vel 6. *Omnis essentia quæ relatiuè dicitur, est aliquid excepto relatiuo*. Et cap. 3. *Si Pater non est aliquid ad se, non est omninò qui relatiuè dicatur ad aliquid*. Est igitur essentia in re, ad se, & non ad aliquid, & in re pater inquantum pater relatiuè dicitur, non est autem formaliter eadem entitas ad se, & non ad se; igitur &c. Item in eodē
B cap 2. vel 12. *Non eo Verbum quo sapientia, quia Verbum non ad se dicitur, sed tantùm relatiuè ad eum cuius verbum dicitur sicut Filius ad Patrem: sapientia verò eo quo Essentia*. Intelligit ergo August. quòd sicut Pater non eo quo est Pater, est sapientia & essentia, ita non eodem est Pater & Deus. Et ex hoc concluditur cap. 14. de minoribus, *Quapropter non quia Pater non est Filius, & Filius non est Pater, aut ille ingenitus, ille autem genitus, ideo non est vna Essentia, quia his nominibus relatiua eorum ostenduntur; vterque autem simul vna sapientia, & vna essentia*. Est igitur secundùm ipsum talis non identitas relationis ad absolutum in Diuinis, quod si vnū erit Quo respectu alicuius, alterum non erit Quo respectu eiusdem: esse autem Quo conuenit alicui secundùm eius rationem formalem; ergo vnum eorum non est de ratione formali alterius, sed extra eam; & per consequens non est idem formaliter alteri; quia sic supra exposita est ratio eius, quòd est non esse formaliter idem. Et tamen ex hoc non sequitur simpliciter diuersi-
C tas vel non identitas realis, essentiæ & relationis; non enim illud quo Pater est Pater, est aliud ab Essentia, sed idem, secundùm August 11. lib. de Ciuitate Dei cap. 10. *Ideo simplex dicitur Deus, quoniam quod habet hoc est, excepto quod relatiuè quæcunque persona ad alteram dicitur, nec est ipsa*: sicut Pater habet Filium, & non est Filius, sed quicquid Pater habet in se, ad quod per consequens non dicitur relatiuè, illud est ipse, vera identitate, licèt non formali.

Argumenta in principio huius Quæstionis proposita resoluuntur.

AD Primum Argumentum principale. Dico, quòd Maior sic est intelligenda. Quęcunque aliqua identitate sunt eadem alicui, illa tali identitate inter se sic sūt eadem; quia non potest concludi aliqua identitas extremorum inter se, nisi secundùm illam identitatem qua sūt eadem medio, & medium in se sic sit idem. Et per hanc
D propositionem sic intellectam, tenet omnis forma Syllogistica: omissa enim altera conditione, vel vnitate medij in se, vel extremorum ad medium, non est Syllogismus, sed Paralogysmus accidentis. Cùm accipitur in Minori. Quòd quicquid est in Essentia Diuina; est idem illi Essentiæ. Non est verum, intelligendo de identitate formali; & ideò non potest concludi formalis idētitas extremorum inter se: quamdiu autem stat formalis distinctio relationum suppositi, stat formalis distinctio suppositorum. Et si dicas. Saltem ex identitate reali eorum ad Essentiā, concludam idētitatem realem eorum inter se. Dico, quòd Essentia non habet idētitatem talem vnicam, scilicet subsistentię, prout Personæ, vel personalia, vt extrema vniuntur in Essentia, & ideò non potest concludi identitas subsistentis vel subsistentiæ, per rationem identitatis eorum in essentia, vt in medio.

Per hoc patet ad talia Sophismata. Hic Deus est Pater; Filius est hic Deus; ergo Filius est Pater. Quod confirmatur, Quia medio existēte Hoc aliquid, necesse est extrema coniungi. Respon. Quòd sicut in creaturis commune se
E habet vt Quale quid, singulare vt Hoc aliquid, ita Hæc essentia cōmunis personis, habet rationem Qualis cuius, & persona habet rationem Huius alicuius, medium ergo hìc est Quale quid, & non Hoc aliquid: concluditur autē identitas extremorum in cōclusione, acsi medium fuisset Hoc aliquid. Similiter ibi videtur esse fallacia accidentis, & cōsequētis, quia ly Deus, accipitur in præmissis pro alio, & alio supposito: & similiter fallacia est figuræ dictionis, commutando Quale quid, in Hoc aliquid.

Quodsi arguas. Deitas est Pater; Filius est Deitas; ergo &c. Respondeo. Licèt Deitas non supponat pro alio supposito in Maiori, & in Minori, tamē est ibi fallacia figurę dictionis, commutando Quale quid, in Hoc aliquid: nihil autem aliud est sic commutare, quàm ex vi illationis, interpretari illud habere rationem Huius alicuius, quod habet rationem Qualis cuius, ita sic inferens suppositum de supposito, interpretatur medium commune esse idem secundùm rationem existentiæ, vel subsistentiæ: quod falsum est. F

Quodsi saltem arguas extrema realiter esse idem inter se; quia etiam in medio sunt idem. Concedo: quòd potest inferri identitas essentialis, non formalis, vel suppositiua: & ideo non debet inferri; quòd Filius est Pater: quia ibi denotatur ex vi illationis & sermonis, identitas formalis, vel hypostatica, sed sic debet inferri. Filius est idem cum eo quod est Pater: vel Filius est id, quod est Pater.

Quodsi adhuc confirmetur illa Maior argumenti principalis per hoc: Quod negare eam videtur destruere primum principium, ponendo scilicet affirmationem & negationem esse veras de eodem. Respondeo. De aliquo habente veram identitatem, sed non tantùm vnicam realitatem formalem, necesse est idem ratione vnius realitatis verè prædicari formaliter de illa realitate, & de alia realitate formali formaliter non prædicari, sicut albedo ratione alicuius realitatis quam habet in sę, conuenit cum nigredine, & ratione alterius non realiter conuenit, sed differt; nec affirmatio & negatio de eodem, ratione eiusdem realitatis, formaliter dicuntur: ita G
hìc, Pater ratione Essentiæ est idem quidditatiuè Filio, & ratione proprietatis non est idem formaliter, nec hypostaticè Filio; nec dicuntur affirmatio & negatio de eodem respectu eiusdem.

Si contra hoc arguas. Quòd affirmatio differt ab affirmatione, cuius vnius negatio dicitur de alia, vel stat cum alia; quia neutrum est verum de affirmatione contradicēte illi negationi; ergo si Deitas stat non cum paternitate, puta in alia persona, scilicet Filij, ipsa Deitas differt à paternitate, quæ nunquam stat in eadem cum non paternitate. Respondeo. Maior posset concedi de non identitate formali; vel de non adæquata: quia vnum illorum nō determinatur ad alterum, ex quo stat cum eius opposito; vel sub alijs verbis, de non identitate conuertibili, & præcisa: sed si Maior accipiat distinctionem realem; simpliciter neganda est, sicut patet in albedine, accipiēdo propriā realitatem, vnde sumitur genus, illi ex se nō repugnat differētia opposita, scilicet nigredinis, tamē realitati vnde sumitur differētia specifica albedinis, differentia nigredinis H
repugnat. Et ista responsio debet intelligi, quantum ad secundā partem Maioris, quæ dicit quòd altera affirmatio stat cum negatione: sed prima pars Maioris, quæ accipit negationem de affirmatione dici; posset illa Maior concedi, quoad illam partē, si intelligatur dici necessariò, & vniuersaliter, & per rationem propriam huius de quo dicitur, & hoc quando contradictio illa de qua est sermo est realis, siue rei ad non rem, non autem rationis ad non rationem: nam tunc non sequitur nisi distinctio rationis affirmationis ab affirmatione.

Applicando primam partē Maioris, vt vera est, ad propositum, sequitur quòd Filius realiter distinguitur a Patre, non autem secundùm quòd Deus, vel Deitas, quia de Deo nō dicitur non Pater necessariò, & vniuersaliter, nec per rationem subiecti, licèt secūdùm aliquos dicatur particulariter, ratione suppositi illius subiecti.

Quodsi arguas. Illud quo Pater distinguitur à Filio sit

A. A. in-

A A. A. inquantum A. aut est idem Essentiæ aut aliud: si aliud; hoc est inconueniens: si inquantum A. est idem; igitur inquantum distinguit est idem, & per consequens Essentia distinguit. Respondeo, & dico. Quòd nec verum est A. inquantum A. est idem Essentiæ, nec A. inquantum A. est aliud ab Essentia: & hoc, intelligendo illud, quod sequitur reduplicationem inquantum, accipi secūdùm rationem suam formalem, & cum hoc etiam esse rationem formalem inhærentiæ prædicati, sicut distinxi superiùs in talibus sermonibus, in quæst. de vnitate obiecti fruibilis. Hoc etiam patet in exemplo: Homo enim & non homo, sunt opposita immediata, & tamen formaliter de aliquo cum reduplicatione neutrum dicitur; sicut album, nec inquantum album est homo, nec inquantum album est non homo.

Et si dicas. Idem & aliud circa Ens, sunt immediate opposita. Dico. Quòd non sequitur. Sunt immediatè opposita; ergo alterum prædicatur de quolibet cum inquantum; ita quòd ratio subiecti sit formalis ratio inhærentiæ B alterius partis contradictionis, sed sufficit quòd alterum contradictorium verè insit cuilibet subiecto, licèt non per se, ratione subiecti. Si autem accipiatur ly inquantum, primo modo, vt tantùm notet A. accipi secundùm suam rationem formalem. Dico. Quòd A. quocūque modo formaliter acceptum, est idem Essentiæ, licèt non sit formaliter idem Essentiæ. Sed tunc non sequitur: A. formaliter acceptum est idem essentiæ; A. formaliter distinguit; ergo essentia distinguit; sed est fallacia figuræ dictionis, commutando Hoc aliquid, in Quale quid.

Si adhuc instes. Quia A. in quantum A. est Ens, vel res: quæro, quæ res, vel quod Ens? si Essentia, habetur propositum: si res, & non Essentia; ergo alia res. Respondeo. Concedo quòd est Ens, & res: & hoc vtroque modo accipiendo ly in quantum, quia si aliquod prædicatum per se primo modo inest alicui, inerit sibi eodem modo per se, siue illud subiectum sit res distincta à quocunque quod est extra rationem eius, siue contineatur per identitatem C in aliquo quod est extra rationem eius: continentia enim talis non tollit rationem formalem, nec ea quæ insunt primo modo per se. Sed cùm quæris. Quod ens? Dico, quòd ens quod est A. sicut si substantia est per se ens. Si quæras, Quod ens? descendendo sub ente. Est per se substantia, non aliud. Vltra si quæras. Estne per se essentia. Dictum est. Quòd non. Si infers. Ergo alia res. Fallacia est consequentis. Non est per se hæc res, & est per se res; ergo est alia res: quia in antecedente negatur per se identitas, & in consequente identitas simpliciter sumpta, & ita destruitur antecedens.

Si obijcitur. Est per se res, & non per se essentia; ergo per se alia res. Et vltra: Ergo alia res.

Probatur prima consequentia. Nam circa ens idem & aliud, sunt immediatè opposita; ergo si est per se res, est per se res eadem essentiæ; & ita per se essentia, vel per se alia res. Secunda consequentia probatur. Quia per se, non est determinatio distrahens.

Præterea probatur prima consequentia, & est ad prin- D cipale. Si enim est per se res: aut per se res, quæ est essentia; aut per se res quæ non est essentia: si est per se res quæ est essentia; ergo est per se essentia: si est per se res, quæ non est essentia; ergo est per se res alia ab essentia.

Præterea tertiò. Essentia est per se res, & proprietas est per se res; & non sunt eadem per se res; ergo sunt per se duæ res: & ita vtrumque est per se res, alia ab altera.

Ad Primum. Licèt posset conclusio primi argumenti distingui, quòd ibi esset alietas perseitatis, vel perseitas alietatis, & primo modo negaretur ly, per se, per negationem inclusam in alietate, secūdo modo affirmaretur, quia præcederet vim negationis; & per consequens primo modo conclusio primæ consequentiæ concederetur, sed tunc secunda consequentia peccaret secundùm consequens, à destructione antecedētis: secundo modo prima cōsequentia peccaret secundùm consequens. Tamen quia non videtur benè Logicè dictum, quòd negatio si qua includatur in alietate, posset aliquid attingere præter terminum respectus, & formam, in qua vel secundùm quam notatur esse alietas: nec videtur benè Logicè dictum, quòd ly per E se, quod dicit modum inhærentiæ, & per consequens determinat compositionem, possit negari per negationem aliquam in prædicato.

Ideo potest dici aliter. Quòd in cōsequente primæ consequentiæ, tantùm potest haberi de vi sermonis vnus sensus, scilicet, quòd hoc prædicatum, Esse rem aliam ab essentia, per se insit proprietati; & iste sensus est falsus; quia sic benè sequitur falsum illud quod infertur in secunda consequentia, Ideò simpliciter nego primam consequentiam; cùm duæ propositiones in antecedente sint veræ, & consequens falsum.

Ad probationem consequentiæ. Dicò, quòd idem & diuersum, non sunt immediata circa quodcunque prædicatum, vt per se dictum de subiecto; imò nec contradictoria sic sūt immediata; nec enim homo per se est albus, nec per se est non albus: tamen inter cōtradictoria absolutè sumpta, vel absolutè dicta de quocunque, non est medium: ita si proprietas est res, est res eadem vel alia; verum est quòd eadem: sed tunc non valet consequentia, quòd sit per se F eadem, vel alia.

Ad secundum antecedens. Potest distingui, secundùm compositionem, & diuisionem. Et in sensu compositionis, neutrum dandum est; sicut enim non est dandum quòd sit per se essentia, vel per se non essentia, ita nec alterum membrum illius disiunctiuæ, cùm accipitur in sensu compositionis. Nec ex hoc negatur ambo contradictoria, quia si accipias de incōplexis, habetur, quòd neutrum illo nam dicitur per se de subiecto; hoc concedo: Si vis habere contradictoria complexa: dico, quòd erunt ista: aut proprietas est per se res, quæ est essentia; aut nō est per se res, quæ est essentia: & hæc negatiua est vera: sed non infertur; ergo est per se res, quæ non est essentia: sicut non sequitur; homo non est per se albus; igitur per se est non albus. In sensu diuisionis danda est affirmatiua pars disiunctiuæ, scilicet, proprietas est per se res, quæ est essentia; sed non sequitur vltra; ergo est per se essentia: quia ex identitate reali infertur identitas formalis; nam antecedens in sensu diuisionis, tantùm notat identitatem realem, per ly G quæ est.

Aliter potest distingui antecedens prædictum: vt per implicationem illam, quæ est: intelligatur inhærētia formalis, vel tantùm identica. Primo modo, neutra pars est danda; quia neutrum oppositorum per se inest illi rei, quę per se dicitur de proprietate: secundo modo, est danda pars affirmatiua: sed non sequitur vlteriùs propositum, propter positionem consequentis.

Hæc secunda distinctio, non habetur ex vi sermonis. Quia illa compositio implicata, non determinatur per aliquid, quod notet eam dicere formalem inhærentiam, sed tantùm identicam. Prima distinctio habetur ex vi sermonis: & licèt ly quæ est, non notet in sensu compositionis formaliter inhærentiam, tamen ex vnitate extremi, vbi est quasi specificatiua & determinatiua constructio, habet essentiam denotari per se inesse subiecto.

Ad Secundum principale. Dico, quòd accidentale, aut accipitur pro extraneo, aut accipitur pro eo, quod quasi H perficit aliquid accidentaliter, quod præexistit in se perfectum: si secundo modo; dico, quòd non omne ens, omni enti in quo est, est essentiale, vel accidentale: est enim medium inter essentiale, vt contrahens, sicut differentia contrahit genus, quæ nec est essentiale, nec accidentale, accipiendo hoc modo: & sic in Diuinis nihil est accidentale, sed præter essentiam, est aliquid non essentiale. Si autem accipitur accidentale primo modo, quicquid nō est de ratione eius formali, sed extraneum, licèt non propriè, sic dicatur accidētale; sic differentia esset accidentalis respectu generis: & hoc modo accipit Philosophus accidentale pro extraneo, in fallacia accidentis: sic potest dici accidentale alicui, quicquid est ei extraneum, vt illud comparatur ad aliquod tertium. Et isto modo non est inconueniens distinctiua Personarum accidere Essentiæ, quia sunt extra rationem eius.

Ad Tertium. Dico, quòd si in Maiori per illud, Si, intelligatur conditio possibilis, Maior est vera, & Minor falsa;

A falsa; nulla enim positione possibili posita, potest esse secunda Persona in Diuinis: quin summum bonum & summa perfectio deesset; si ipsa deesset. Et si probes. Quòd si illa deesset, summa perfectio esset in Patre. Dico, quòd si illa deesset summa perfectio deesset, & si illa deesset, & Pater non deesset, summa perfectio adesset, & ita ipsam deesse, & Patrem esse includit contradictionem. Si autem in Maiori per ly; Si, ponatur positio incompossibilis. Dico, quòd Maior est falsa: illud enim ponendum est in summo bono, quod non potest poni non esse, sine positione incompossibilis.

Ad vltimum. Dico, quòd illa ratio de necesse esse, debet sic intelligi. Quicquid est ex se necesse esse, habet ex se esse actualissimum, ita quòd per nihil qualecunque aliud à se, expectat aliquam actualitatem essendi: & ideò ex se est indiuisibile; quia si posset diuidi, tunc ab illis per quæ diuideretur, expectaret aliquam actualitatem essendi, quā haberet in illis diuisis, & oporteret illa distinguētia necesse esse, quòd essent formaliter necessitates essendi; quia B essent vltimæ actualitates, & necessitates in illis diuersis necesse esse, sine quibus in illa non haberent actualissimā entitatem; quia diuisibile non habet actualissimam entitatem, siue existentiam actualissimam, antequam intelligatur in aliquibus illorū, in quæ diuiditur. Et per hoc tenet illa ratio superiùs posita, in quęstione de vnitate Dei, ex ratione necesse esse, quæ tacta fuit, q. 1. huius 2. Dist. quòd necesse esse non diuiditur in plura: quia A. & B. si non essent formaliter necessitates essendi, antequam etiam intelligerentur in aliquo illorum, in quibus necesse E esse diuiditur, cùm sint vltimæ actualitates, sine quibus illa actualitas communis non esset necesse esse, requireret aliquo modo aliquid aliud à se, per quod esset. Sed hoc non concludit de diuersis personis in eadem entitate necessaria, nam illa entitas ex se necessaria, non expectat aliquam actualitatem ab ipsis distinguētibus personas, quia non diuiditur per illa distinguentia personas: & ita distinguentia personas non sunt quasi vltimæ actualitates; quibus talia entia existunt.

Cùm ergo arguitur. A. & B. (intelligendo hìc per ipsa duas proprietates personales) aut sunt formaliter necessitates essendi, aut non. Concedi potest, quòd non sunt formaliter necessitates essendi: Nec sequitur; igitur sunt possibiles: quia per identitatem sunt illa vna necessitas essendi; sed si A. & B. essent in diuersis, oportet dicere quòd A. & B. essent formaliter necessitates, vel entitates possibiles, quia non possent esse eadem alicui entitati ex se necessariæ: illa enim entitas communis cui essent eędem, esset quasi potentialis ad existendum, vt præintelligitur ante illam rationem contrahentem, vel diuidentem. F

Contra hoc. Ipsi A. inquantū A. aut repugnat posse deficere, aut non: si sic; A. ergo inquantū A. est necessarium; & ita cui inest formaliter, est ei ratio necessariò essendi: si non; igitur per nihil aliud potest ipsi A. præcisè inquantum A. repugnare; igitur per nihil tollitur, quin ipsi A. præcisè inquantum A. sit compossibile deficere; ergo semper præcisè sumptum est possibile deficere; ergo repugnat necessariò ex se.

Quæ resolutionem ad hanc Obiectionem.

DISTINCTIO TERTIA.

C *Circa Primam partem Tertiæ Dist. in qua Magister agit de cognoscibilitate Dei, quæruntur Quinque.* G

QVÆSTIO PRIMA.

Vtrum Deus sit naturaliter cognoscibilis ab intellectu viatoris.


Arguo quòd non. Phil. 3. de anima. t. 30. & 39. Phantasmata se habent ad intellectum, sicut sensibilia ad sensum; igitur intellectus nihil intelligit, nisi cuius phantasma potest per sensus apprehendere; Deus autem non habet Phantasma; ergo. &c.

Item 2. Metaph. tex. 1. Sicut se habet oculus noctuæ ad lucem Solis, sic intellectus noster ad ea quæ sunt manifestissima naturæ; sed ibi est impossibilitas; ergo & hic.

Item 1. Physic. t. 35. Infinitum inquantum est infinitum, D est ignotum & 2. Metaph. t. 11. & 12. Infinita non contingit cognoscere; ergo nec infinitum: quia eadem videtur esse propositio intellectus ad infinitum, & ad infinita, quia æqualis excessus; vel non minor, quia vtrobique est infinitas.

Item Greg. super Ezechiel. lib. 1. hom. 8. Quantumcunque mens nostra in contēplatione Dei profecerit, non ad illud quod ipse est, sed ad illud, quod sub ipso est, attingit.

Cōtra 6. Met. t. 2. Metaph. est Theol. de Deo; ergo &c.

Similiter in actu eius, scilicet in consideratione actuali substantiarum separatarum, ponit Arist. felicitatem humanam 10. Ethic. t. 10.

ARTICVLVS PRIMVS.

Explicatur sensus Quæstionis.

IN Prima Quæstione non est distinguendum, (*cum S. Tho. 1. par. sum. q. 3. art. 3. & Dion. de Angel. Hierarch.*) quòd Deus possit cognosci negatiuè, nō affirmatiuè. Quia negatio non cognoscitur nisi per affirmationem 2. Periher. in fine, & 4. Met. t. 12. & 16. Et patet etiam quòd nullas negationes cognoscimus de Deo, nisi per affirmationes, per quas remouemus incompossibilia aliqua ab illis affirmationibus: sicut non remouemus compositionem: nisi quia attribuimus simplicitatem, vel aliquid aliud: negationes etiam tantùm, non summè amamus. Confirmatur etiam. Quia aut negatio concipitur præcisè; aut vt dicta de aliquo: si præcisè concipitur negatio, vt non lapis, hoc æquè conuenit nihilo, sicut Deo: quia pura negatio dicitur de ente, & non ente; igitur in hoc non intelligitur Deus magis, quàm nihil, vel Chymera. Si autem intelligitur nō lapis de aliquo: Tunc quæro. Ille conceptus substratus, de quo intelligitur ista negatio esse vera, aut est cōceptus affirmatiuus; aut negatiuus? Si est affirmatiuus; H habetur propositum: Si negatiuus; quæro vt priùs, Aut negatio concipitur præcisè; aut vt dicta de aliquo? Si primo modo; hoc æquè conuenit nihilo, sicut Deo: Si vt dicta de aliquo; tunc sicut priùs. Et quantumcunque procederetur in negationibus, vel non intelligeretur Deus magis quàm nihil: vel stabitur in aliquo conceptu affirmatiuo, qui est primus.

Nec est distinguendum (*Vt Damasc. inquit quæst. 2.*) de cognitione. Si est: & Quia est. Quia in proposito, quæro conceptum simplicē, de quo cognoscatur esse, per actum intellectus componentis, & diuidentis: nunquam enim cognosco de aliquo, Si est, nisi habeam aliquem conceptum illius extremi de quo cognosco esse: & de isto quæritur hìc.

Nec oportet distinguere (*vt D. Tho. 1. par. sum. quæst. 3. art. 4.*) de Si est, vt est quæstio de veritate propositionis, vel vt est quæstio, de esse Dei. Quia si potest esse quæstio de veritate propositionis, in qua esse tanquam prædica-

tum

A tum quæritur de subiecto, ad concipiendum veritatem illius quæstionis, oportet præconcipere terminos illius quæstionis: & de conceptu simplici istius subiecti, si est possibilis naturaliter, nunc est quæstio.

Nec valet distinguere de conceptu naturali, & supernaturali. Quia quæritur de naturali.

Nec valet distinguere de naturali, loquendo de natura absolutè, vel de natura pro statu isto. Quia quæritur præcisè de cognitione pro statu isto.

Nec valet distinguere de cognitione Dei in creatura, vel in se. Quia si cognitio habeatur, per creaturā, ita quòd cognitio discursiua incipiat à creatura. quæro in quo termino sistitur ista cognitio? Si in Deo in se; habeo propositum, quia illum conceptum Dei in se quæro. Si non sistit in Deo in se, sed in creatura; tunc idem erit terminus, & principium discursus, & ita nulla notitia habetur de Deo.

Est igitur mens Quæstionis ista: Vtrum aliquem conceptum simplicem possit intellectus viatoris naturaliter B habere, in quo conceptu simplici concipiatur Deus.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Proponitur modus dicendi aliorum.

AD Hoc dicit quidam Doctor (*Henr. in sum. art. 22. q. 1. 2. c. 13.*) sic. Quòd loquendo de cognitione alicuius, distingui potest ex parte obiecti, per se, vel per accidens: in particulari, vel vniuersali.

Realiter per accidens nō cognoscitur Deus, quia quicquid de ipso cognoscitur, est ipse Deus, tamen cognoscendo aliquod attributum eius, cognoscimus quasi per accidens quid est: vnde de attributis dicit Dama. lib. 1. cap. 4. quòd non naturam dicunt Dei, sed quæ circa naturam.

In vniuersali etiam, puta in generali attributo cognoscitur, non quidem in vniuersali secundùm prædicationē, quod dicatur de ipso in quo nullum est vniuersale: quia C quidditas illa est de se singularis; sed in vniuersali, quod sibi analogicè commune est & creaturę, tamen quasi vnū à nobis concipitur, propter proximitatem conceptuum, licèt sint diuersi conceptus.

In particulari non cognoscitur ex creaturis, quia creatura est peregrina similitudo eius: quia tantùm ei conformis est quoad aliqua attributa, quæ non sunt illa natura in particulari. Igitur cùm nihil ducat in cognitionem alterius, nisi sub ratione similitudinis, sequitur quòd Deus nō cognoscitur in particulari ex creaturis.

Item in vniuersali, tripliciter cognoscitur: generalissimè, generaliùs, generaliter. Generalissimè habet tres gradus, cognoscendo enim quocunq; Ens vt hoc Ens est, indistinctissimè concipitur Deus; quia concipitur Ens, quasi pars conceptus, & est primus gradus. Amouendo autem hoc, & concipiendo Ens, est secundus gradus: iam enim Ens vt conceptum, nō vt pars conceptus, concipitur commune analogum Deo & creaturæ. Quod si distinguatur conceptus entis qui Deo conuenit (puta concipiendo ens D indeterminatum negatiuè, id est non determinabile à conceptu Entis, qui conuenit creaturæ analogicè) quod est Ens in determinatum priuatiuè, ita est tertius gradus. Primo modo indeterminatum abstrahitur, vt forma ab omni materia, vt in se subsistens & imparticipabilis. Secundo modo indeterminatam est vniuersale abstractum à particularibus, quod non est actu participatum in illis.

Post istos tres gradus concipiendi generalissimè, concipitur Deus generaliùs, concipiendo quodcunque attributum, non simpliciter sicut priùs, sed cum præeminentia summa.

Generaliter autem concipitur, concipiendo quodcunque attributum esse idem suo primo proprio attributo, scilicet eius esse propter simplicitatem, nec per speciē propriam cognoscitur Deus, quia nihil est eo simplicius, sed ad modum æstimatiuæ, sicut enim æstimatiua in brutis sub intentionibus sensatis suffodiendo cognoscit intentiones non sensatas, vt nociui, & proficui, sic intellectus sub specie creaturæ, quæ non repræsentat nisi creaturam, ex suo acumine suffodit ad cognoscendum ea, quæ sunt E & dicuntur de Deo, per speciem alienam ex creaturis, & hoc omnibus tribus modis prędictis.

ARTICVLVS TERTIVS.

Respondetur propositæ Quæstioni.

RESpondeo aliter ad istam Quæstionem. Et in quibusdam contradicam positioni prædictæ: rationes enim meæ positionis, ostendent oppositum illius positionis.

Dico Primò. Quòd non tantùm haberi potest conceptus naturaliter, in quo quasi per accidens cōcipitur Deus, puta in aliquo attributo, sed etiam aliquis conceptus, in quo per se & quidditatiue concipiatur Deus. Probo. Quia concipiendo sapientem, concipitur proprietas secundùm eum, vel quasi proprietas in actu secundo perficiens naturam; ergo intelligendo sapientem, oportet præintelligere aliquid quasi subiectum, cui intelligo illud quasi proprietatem inesse, & ita ante conceptus omnium passionum, F vel quasi passionum, oportet inquirere conceptum aliquē quidditatiuum, cui intelliguntur ista attribui; & ille conceptus alius erit quidditatiuus de Deo, quia in nullo alio potest esse status.

Secundo non asserendo, quia non consonat Opinioni communi. Potest dici, quòd non tantùm in conceptu analogo conceptui creaturæ, concipitur Deus, qui scilicet sit omninò alius ab illo, qui de creatura dicitur, sed in conceptu aliquo vniuoco sibi & creaturæ. Et ne fiat contentio de nomine vniuocationis: conceptum vniuocum dico, qui ita est vnus, quòd eius vnitas sufficit ad contradictionem, affirmando & negando ipsum de eodem. Sufficit etiam pro medio syllogistico, vt extrema vnita in medio sic vno, sine fallacia æquiuocationis concludantur inter se vnum. Et vniuocationem sic intellectam, probo tripliciter.

Primò sic. Omnis intellectus certus de vno conceptu, & dubius de diuersis, habet conceptum de quo est certus, alium à conceptibus de quibus est dubius: subiectū includit prædicatum: sed intellectus viatoris potest esse certus G de Deo, quod sit Ens, dubitando de ente finito vel infinito, creato vel increato; ergo conceptus entis de Deo, est alius à conceptu isto vel illo, & ita neuter ex se: sed in vtroque illorum includitur; ergo vniuocus. Probatio Maioris. Quia nullus idem conceptus est certus, & dubius; igitur vel alius, quod est propositum; vel nullus, & tunc non erit certitudo de aliquo conceptu. Probo Maiorem. Quilibet Philosophus fuit certus, illud quòd posuit esse primum principium, esse Ens; puta vnus de igne, alius de aqua, certus erat quòd erat ens, non autem fuit certus, quòd esset ens creatum, vel increatum, primum vel non primum. Non enim erat certus, quòd erat ens primum; quia tunc fuisset certus de falso, & falsum non est scibile; nec quòd erat ens non primum, quia tunc non posuisset oppositum.

Confirmatur etiam ratio. Nam aliquis videns Philosophos discordare, potest esse certus de quocunq; eorum, quòd quilibet posuit primū principium esse ens, & tamen H propter contrarietatem opinionum eorum potuit simul dubitare, vtrum sit hoc, vel illud; & tali dubitāti si fieret demonstratio concludens, vel destruens aliquem conceptum inferiorem: puta quòd ignis non erat Ens primū, sed aliquod Ens posteriùs primo ente, non destrueretur ille conceptus primi sibi certus, quem habuit de ente, sed saluaretur in illo conceptu particulari probato de igne. Et per hoc probatur illa propositio supposita, in vltima consequentia rationis, quæ fuit: quòd ille conceptus certus, qui est ex se neuter dubiorum, in vtroque illorū saluatur.

Quod si non cures de auctoritate ista accepta ex diuersitate opinionum Philosophantium, sed dicas, quòd quilibet habet duos conceptus in intellecto suo propinquos, qui propter propinquitatem analogiæ videntur esse vnus conceptus. Contra hoc videtur esse ratio; quia ex ista euasione, videretur destructa omnis via probandi vnitatem alicuius conceptus vniuocam. Si enim dicis, hominem habere vnum conceptum ad Sortem & Platonē. Negabitur:

A gabitur: & dicetur quòd ſunt duo, ſed videntur vnus propter magnam ſimilitudinem.

Secundò principaliter arguo ſic. Nullus conceptus realis cauſatur in intellectu viatoris naturaliter; niſi ab his quæ ſunt naturaliter motiua intellectus noſtri; ſed illa sũt phantaſma vel obiectum relucens in phantaſmate, & intellectus agens; ergo nullus conceptus ſimplex fit modò naturaliter in intellectu noſtro, niſi qui poteſt fieri virtute iſtorũ; ſed conceptus qui non eſſet vniuocus alicui obiecto relucenti in phantaſmate, ſed omninò alius & prior, ad quem iſte haberet analogiam, non poſſet fieri virtute intellectus agentis, & phantaſmatis, vt probabo; ergo talis conceptus alius analogus, qui ponitur naturaliter in intellectu viatoris, nunquam erit: & ita non poterit naturaliter haberi aliquis conceptus de Deo, quod eſt falſum. Probatio aſſumpti. Obiectum quodcunque, ſiue relucens in phantaſmate, ſiue in ſpecie intelligibili, cum intellectu agente, vel poſſibili cooperante ſecundùm vltimum ſuæ virtutis, facit in intellectu, ſicut effectum ſibi adæquatũ, B conceptum ſuum proprium, & cõceptum omnium eſſentialiter vel virtualiter incluſorum in eo; ſed ille alius conceptus qui ponitur analogus, non eſt eſſentialiter, vel virtualiter incluſus in iſto, nec eſt iſte: ergo ille non fiet ab aliquo tali mouente. Et formetur ſic ratio. Obiectum quodcunq; ſiue relucens in phantaſmate, ſiue in ſpecie intelligibili, cum intellectu agente, vel poſsibilis cooperante ſecundùm vltimum virtutis ſuæ, facit ſicut effectum ſibi adæquatum, ſuum conceptum proprium & quidditatiuum: ille enim eſt proles adæquata ſibi in eſſe cognoſcibili, ſicut proles ſimilis in natura eſſet ſibi adæquata in eſſe naturali; igitur in cuiuſcunq; alterius cognitionem poteſt, illa eſt imperfectior ſua, & per conſequens non per ſe attribuitur ad illum. Et confirmatur ratio. Quia præter conceptum ſuum proprium adæquatum, & incluſa in ipſo altero prædictorum duorum modorum, nihil poteſt cognoſci ex iſto obiecto, niſi per diſcurſum; ſed diſcurſus præſupponit cognitionem iſtius ſimplicis ad quod diſcurritur. C Formetur ergo breuiter ratio ſic. Nullum obiectum facit conceptum ſimplicem & proprium ſui, in aliquo intellectu, & conceptum ſimplicem & proprium alterius obiecti, niſi contineat illud aliud obiectum eſſentialiter vel virtualiter; obiectum autem creatum non continet increatum eſſentialiter, vel virtualiter; ergo, &c. Secunda pars Minoris, ſcilicet ꝙ obiectũ creatum non contineat virtualiter increatum, & hoc ſub ea ratione, ſub qua ſibi attribuitur, vt poſterius eſſentialiter attribuitur priori eſſentialiter, probatur. Quia eſt contra rationem poſterioris eſſentialiter, continere virtualiter ſuum prius: & etiam patet quòd non continet eſſentialiter increatum, ſecundùm aliquid omnino ſibi proprium, & non commune; ergo non facit conceptum ſimplicem & proprium enti increato.

Tertiò ſic. Omnis inquiſitio Metaphyſica de Deo, procedit ſic, ſcilicet conſiderando formalem rationem alicuius, & auferendo ab illa ratione formali imperfectionem, quam habet in creaturis, & reſeruando illam rationẽ formalem, D & attribuendo ſibi omnino ſummam perfectionem, & ſic attribuendo illud Deo. Exemplum de formali ratione ſapientiæ, vel intellectus, vel voluntatis. Conſideratur enim primò in ſe, & ſecundùm ſe, & ex hoc quòd ratio iſtorum nõ includit formaliter imperfectionem aliquam; nec limitationem, remouentur ab ipſa imperfectiones, quę concomitantur eam in creaturis, & reſeruata eadem ratione ſapientiæ, & voluntatis, attribuantur iſta Deo perfectiſſimè; ergo omnis inquiſitio de Deo, ſupponit intellectum habere conceptum eundem vniuocum quem accipit ex creaturis.

Quodſi dicas. Non, ſed alia eſt formalis ratio eorum quæ conueniunt Deo. Ex hoc ſequitur inconueniens, ſcilicet, quòd ex nulla propria ratione eorum, prout ſunt in creaturis poteſt concludi aliquid de Deo, quia omnino alia ratio eſt iſtorum & illorum, imò nõ magis concluderetur, quòd Deus eſt ſapiens formaliter ex ratione ſapientiæ, quam apprehendimus ex creaturis, quàm quòd Deus eſt formaliter lapis; poteſt enim conceptus aliquis alius à conceptu lapidis creati formari, ad quem conceptum lapidis, E vt eſt idęa in Deo, habet lapis iſte attributionem, & ita formaliter dicitur, Deus eſt lapis, ſecundùm iſtum cõceptum analogicum, ſicut ſapiens, ſecundum illum conceptum analogicum. Qualis autẽ ſit vniuocatio Entis & ad quanta, ad quæ, dicetur magis inferiùs in qu. de primo obiecto intellectus.

Tertiò dico. Quòd non cognoſcitur Deus naturaliter à viatore in particulari, & ꝓpriè, hoc eſt, ſub ratione huius eſſentiæ, vt hìc & in ſe. Sed ratio illa poſita ad hoc, in præcedenti Opinione non concludit. Cùm enim arguitur. Quòd nõ cognoſcitur de Deo aliquid, niſi per ſimile; aut intelligitur de ſimilitudine vniuocationis, aut imitationis: ſi primo modo; igitur nihil cognoſcitur de Deo, quia ſecũdùm opinionem illam, in nullo habet Deus ſimilitudinem vniuocationis, cum creatura, per quam deberet à nobis cognoſci: ſi ſecundo modo; etiam creaturæ, non tantùm imitantur illam eſſentiam ſub ratione generalis attributi, ſed etiam hanc eſſentiam vt eſt hæc eſſentia, F ſiue vt nuda & vt in ſe eſt exiſtens; ergo ſecundùm eum, propter talem ſimilitudinem poſſet creatura eſſe principium cognoſcendi Eſſentiam Diuinam in ſe, & in particulari.

Eſt igitur alia ratio impoſſibilitatis cognitionis huius concluſionis, quòd Deus (vt hęc eſſentia in ſe) non cognoſcitur naturaliter à nobis. Quia ſub ratione talis cognoſcibilis eſt obiectum voluntarium, non naturale, niſi reſpectu ſui intellectus tantùm, & ideò à nullo intellectu creato poteſt ſub ratione huius eſſentiæ vt hæc, naturaliter cognoſci, nec aliqua eſſentia naturaliter cognoſcibilis à nobis, oſtendit ſufficienter hanc eſſentiam vt hæc, nec per ſimilitudinem vniuocationis, nec imitationis. Vniuocatio enim non eſt niſi in generalibus rationibus: imitatio etiam deficit, quia imperfecta eſt, quia creaturę imperfectè eum imitantur. Vtrum autem ſit alia ratio huius impoſſibilitatis, ſcilicet propter rationem primi obiecti, vt alij ponunt illud eſſe quidditatem rei materialis, (*D. Tho. 1. par. ſum. q. 12. art. 4.*) de hoc in quæſtione de primo obiecto intellectus. G

Quartò dico. Quòd ad multos conceptus proprios de Deo poſſumus peruenire, qui non conueniunt creaturis, cuiuſmodi ſunt conceptus omnium perfectionum ſimpliciter in ſummo, & perfectiſsimus conceptus, in quo quaſi in quadam deſcriptione perfectiſsimè cognoſcimus Deum eſſe, concipiendo omnes perfectiones ſimpliciter, & in ſummo; tamen conceptus perfectior, & ſimplicior nobis poſsibilis, eſt conceptus entis ſimpliciter infiniti. Iſte enim eſt ſimplicior quàm conceptus entis boni, vel entis veri; vel aliquorum ſimilium; quia infinitum non eſt quaſi attributum, vel paſsio entis, ſiue eius de quo dicitur, ſed dicit modum intrinſecum illius entitatis, ita ꝙ cùm dico, Ens infinitum, non habeo conceptum quaſi per accidens ex ſubiecto & paſsione, ſed conceptum per ſe ſubiecti, in certo gradu perfectionis, ſcilicet infinitatis, ſicut albedo intenſa non dicit conceptum per accidens, ſicut albedo viſibilis, imò intenſio dicit gradum intrinſecũ albedinis in ſe; & ita patet ſimplicitas huius conceptus, H ſcilicet Ens infinitum.

Perfectio autem iſtius conceptus multipliciter probatur. Tum quia iſte conceptus inter omnes à nobis conceptibiles, virtualiter pluta includit, ſicut enim Ens includit virtualiter bonum, & verum in ſe, ita Ens infinitum includit verum infinitum, & bonum infinitum, & omnẽ perfectionem ſimpliciter ſub ratione infiniti. Tũ quia demonſtratione Quia, vltimò concluditur eſſe de ente infinito, vel eſſe infinitum de aliquo ente, ſicut apparet ex quæſtione 1. diſt. 2. illa autem ſunt perfectiora, quæ vltimò cognoſcuntur demonſtratione Quia ex creaturis, quia propter remotionem eorũ à creaturis, difficillimum eſt ea ex creaturis cognoſcere.

Si autem dicis de ſummo bono, vel de ſummo ente, ꝙ illud dicit modum intrinſecum entis, & includit virtualiter alios conceptus. Reſpondeo. Quòd ſi ſummum intelligatur comparatiuè, ſic dicit reſpectum ad extra; ſed infinitum dicit conceptum ad ſe: ſi autem intelligatur abſo-

A liter summum, hoc est, quòd ex natura rei non posit excedi, perfectio illa expreßiùs concipitur in ratione infiniti entis: non enim summum bonum indicat in se, vrum sit finitum, vel infinitum.

Ex hoc apparet improbatio illius, quod dicitur in præcedenti Opinione. Quòd perfectißimum quod possumus cognoscere de Deo, est cognoscere attributa, reducendo illa in esse Diuinum, propter simplicitatem Diuinam. Cognitio enim esse Diuini sub ratione infiniti, est perfectior cognitione eius sub ratione simplicitatis: quia simplicitas communicatur creaturis, infinitas autem non, secundùm modum quo conuenit Deo.

Quintò dico. Quòd ista quæ cognoscuntur de Deo, cognoscuntur per species creaturarum, quia siue vniuersalius & minùs vniuersale, cognoscantur per eandem speciem minùs vniuersalis, siue vtrũque habeat speciem intelligibilem sibi propriam, saltem illud quod potest imprimere, vel causare speciem minùs vniuersalis in intellectu, potest etiam causare speciem cuiuscunque vniuersa- B lioris, & ita creaturæ quæ imprimunt proprias species in intellectu, possunt etiam imprimere species transcendentium, quæ communiter conueniunt eis, & Deo. Et tunc intellectus propria virtute potest vti multis speciebus simul, ad concipiendum illa simul, quorum sunt istæ species, puta specie boni, specie summi, specie actus, ad concipiendũ summũ bonũ, & actualißimũ. Quod apparet sic, per locum à Minori. Imaginatiua enim potest vti speciebus diuersorum sensibilium, ad imaginandum compositum ex illis diuersis, sicut apparet imaginando montem aureum.

Ex hoc apparet improbatio illius, quod dicitur in præcedenti Opinione de illa suffosione. Quia suffodiendo nunquã illud ꝙ non subest suffosioni, inuenitur per suffossionẽ; non autẽ subest cõceptui creaturæ aliquis cõceptus, vel species repræsentans aliquid proprium Deo, ꝙ sit omnino alterius rationis ab eo quod cõuenit creaturę, vt probatũ est per secundã rationẽ in 2. art. ergo per suf- C fosionẽ nullus talis cõceptus inuenitur. Et qđ adducitur simile de æstimatiua. Dico: quòd videtur adduci falsum, ad confirmationem alterius falsi. Quia si maneret ouis in propria natura, & in eodem affectu naturali ad agnum, mutaretur tamen ouis, vt esset similis lupo per miraculum, in omnibus accidentibus sensibilibus, puta colore, figura, sono, motu, & huiusm. agnus fugeret ouẽ sic mutatam, sicut fugeret lupum, & tamen in oue sic mutata non esset intentio nociui, sed proficui, & conuenientis, & ita æstimatiua agni non suffoderet ad inueniendum intentionem conuenientis sub speciebus sensibilibus, sed præcisè ita moueretur secundùm appetitum sensitiuum, sicut accidentia sensibilia mouerent.

Si dicas. Quòd intentio ibi conuenientis non multiplicat se; quia non sunt talia accidentia conuenientia tali intentioni, & intentio conuenientis non multiplicatur sine accidentibus sibi conuenientibus. Hoc nihil est. Quia si agnus hic fugeret lupum, propter perceptionem nociui conceptam ab æstimatiua, & illa non multiplicatur cum D accidentibus istis sensibilibus, quia non est cum eis talis intentio, stante isto casu: ergo aut hìc non est suffosio agni ad intentionem nociui, quæ nulla est: aut si hìc non fugeret per suffosionem: ergo nec aliàs.

Argumenta principalia, & pro Opinione adducta resoluuntur.

AD Argumenta Principalia illius Quæstionis. Ad Primum. Dico, quòd illa comparatio Philosophi debet intelligi, quantùm ad primam motionem intellectus ab obiecto, ibi enim phantasmata, cum intellectu agẽte, habent vicem primi obiecti mouentis: sed non debet intelligi, quantùm ad omnem actum sequentem motionem primam; potest enim intellectus abstrahere obiectum inclusum in aliquo primo mouente, & considerare illud abstractum, non cõsiderando illud à quo abstrahit: & considerando illud sic abstractum, considerare commune sensibili, & insensibili, & in illo considerat insensibile in vniuersali, sicut & sensibile. Et potest considerare E istud abstractum, & aliud abstractum cum quo sit proprium alteri, scilicet insensibili, sed sensus non est abstractiuus, & ideo in omni actu, tam primo quàm secundo, requirit aliquod obiectum primum mouens, quomodo non se habet phantasma ad intellectum.

Ad Secundum. Dico, quòd Commentator c. 1. exponit illud simile Philosophi, de difficili & non de impoßibili. Et ratio sua est. Quia tunc natura fecisset otiosè illas substantias abstractas intelligibiles, & non poßibiles intelligi ab aliquo intellectu. Sed ista ratio eius non valet. Tum quia non est finis illarum substantiarum, inquantum intelligibiles sunt, vt intelligantur ab intellectu nostro, & ideò si hoc non conueniret eis, nõ propter hoc essent frustra intelligibiles; Tum quia non sequitur, Non sunt intelligibiles ab intellectu nostro; ergo à nullo: possunt enim intelligi à seipsis: & ideo est fallacia consequentis. Vnde licèt multipliciter posset exponi auctoritas Philosophi. Dico tamen quòd oculus noctuæ non habet cognitionem, nisi intuitiuam & naturalem, & quantùm ad F istas duas conditiones potest exponi auctoritas Philosophi de impoßibili, quia sicut impoßibile est illi oculo naturaliter & intuitiuè considerare obiectum illud, sic intellectui nostro est impoßibile, naturaliter & intuitiuè cognoscere Deum.

Ad Tertium. Dico, quòd infinitum potentiale est ignotum; quia vnumquodque est cognoscibile inquantum est in actu: non tamen ita est ignotum, quòd repugnat sibi intelligi ab intellectu infinito, sed non potest infinitum cognosci ab aliquo intellectu cognoscente ipsum secundùm modum suæ infinitatis: modus enim suæ infinitatis est, accipiendo alterum post alterum, & intellectus qui cognosceret hoc modo alterum post alterum, cognosceret semper aliquod finitum, & nunquam infinitum; intellectus tamen infinitus potest cognoscere totum illud simul, non partem post partem. Et cum arguitur de 2. Metaphy. de infinitis, & infinito. Dico, quòd nõ est simile. Quia cognitio obiectorum infinitorum numeraliter, concluderet infinitatem potentiæ cognoscentis, sicut patuit in quęst. 1. G dist. 2. art. 2. ad infinitatem, videlicet, quia ibi pluralitas ex parte obiecti, concludit maioritatem virtutis in intellectu: sed intellectio alicuius infiniti intensiuè, non concludit infinitatem actus; quia non oportet actum talem habere modum, qualem habet obiectum, quia actus sub ratione finiti, potest esse ad obiectum sub ratione infiniti, nisi esset actus comprehensiuus: & concedo, quòd talem actum circa obiectum infinitum non habemus, nec est poßibile.

Ad Greg. Dico, quòd non debet intelligi, quòd contemplatio sistat sub Deo in aliqua creatura, quia hoc esset frui vtendis, quod esset summa peruersio, secundùm Aug. 83. qu. q. 30. sed conceptus illius essentiæ sub ratione Entis, est imperfectior conceptu illiusmet essentiæ, vt hæc essentia est; & quia imperfectior est, ideo est inferior in intelligibilitate: contemplatio autem de lege communi stat in tali conceptu cõmuni; & ideò stat in aliquo conceptu, qui est intelligibilitatis minoris quàm Deus in se, vt hæc essentia, H & ideo debet intelligi ad aliquid, quod est sub Deo, hoc est ad aliquid in ratione intelligibilis, cuius intelligibilitas est inferior intelligibilitate Dei in se, vt hęc essẽtia singularis.

Ad Argumẽta pro prima Opinione. Cùm arguit. Quòd Deus non potest intelligi in aliquo conceptu vniuersali communi, vniuoco sibi & creaturis, quia est singularitas quædam. Respon. Consequentia non valet. Sortes enim inquantũ Sortes est singularis, & tamen à Sorte plura possunt abstrahi prædicata, & ideo singularitas alicuius non impedit, quin ab eo quod singulare est, poßit abstrahi aliquis conceptus communis, & licèt quicquid est ibi in re, sit singulare ex se in existendo, ita quòd nihil contrahat aliud ibi ad singularitatem, tamen illud idem potest concipi, vt hoc in re, vel quodam modo indistinctè, & ita vt singulare, vel vt cõmune. Quod dicit de cognitione per accidens: Non oportet improbare; quia quasi per accidens cognoscitur in attributo, sed non præcisè sic, sicut supra probatum est.

A

QVÆSTIO SECVNDA.

Vtrum Deus sit primum cognitum à nobis naturaliter pro statu isto.



ET arguitur quòd sic. Vnumquodq; sicut se habet ad esse, sic ad cognitionem 2. Metaphys. tex.4. sed Deus est primum Ens, ergo primum cognitum.

Item. Nihil perfectè cognoscitur, nisi Deo perfectè cognito; ergo nihil simpliciter cognoscitur, nisi Deo simpliciter cognito. Consequentia apparet. Quia in his quæ sunt per se, sicut maximum ad maximum, sic simpliciter, ad simplicitet, & è conuersò, ex 2. Topic.c.29.

Item. Perfectissimus actus potentiæ, est circa obiectum simpliciter primum; perfectissimus autem actus scilicet speculatio, in qua consistit fęlicitas, est circa Deum 10.Ethyc.cap.10. ergo Deus est simpliciter primum obie- B ctum cognoscibile.

Contra. Omnis nostra cognitio oritur à sensu 1. Metaphysic. & 2. Posterior. in fine; ergo Deus, qui est à sensibus remotissimus, non est primò cognitus ab intellectu nostro.

ARTICVLVS PRIMVS.

Proponitur Opinio aliorum.

AD istam Quæstionem secundùm Opinionem priùs citatam. Distinguendum est de modo concipiendi naturaliter, & rationaliter. Primo modo, Deus est primum obiectum intelligibile à nobis ex creaturis; quia naturalis cognitio procedit ab indeterminato ad determinatum. Indeterminatum negatiuè est magis indeterminatum quàm priuatiuè indeterminatum: ergo præconcipitur illi, & illud indeterminatum priuatiuè secundùm cognitionem nostram præconcipitur determinato: quia Ens C & res, prima impressione imprimuntur in anima nostra, secundùm Auic. 1. Metaphys. cap.5. ergo indeterminatum negatiuè, omnino primum est obiectũ nostro intellectui. Rationaliter aũt est Deus posterius creatura obiectum cognitum, secundùm tres gradus. Primò generalissimè, deinde generaliùs, & vltimò generaliter: quia primò concipitur hoc bonum, deinde bonũ vniuersale abstractũ secunda abstractione, puta, quod est indeterminatum priuatiuè: deinde bonum prima abstractione abstractum, quod scilicet est indeterminatum negatiuè, quia via ratiocinatiuæ deductionis priùs oportet cognosci illud, à quo fit abstractio, quàm abstractum.

Exponitur primum membrũ, scilicet naturaliter, quomodo est sic cognitum. Primò: quia Deus, vt est sic primum cognitum, non distinguitur ab alijs propter simplicitatem. Et, quia non est primum cognitum, nisi tantùm quoad duos primos modos gradus generalissimè concipiendi, quorum neuter, pertingit ad aliquam rationem determinantem illud attributum Deo. Qualiter autem D possit esse primum cognitum, & non distingui ab alijs per intellectum cognoscentem, exemplificatur: sicut oculus primò videt lucem, licèt non distinctè discernat de ipsa propter subtilitatem, sicut discernit de colore per lucem.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Propria datur resolutio Quęstionis.

AD Quæstionem. Dico. Quòd triplex est ordo intelligibilium in proposito. Vnus est ordo originis, vel secundùm generationem. Alius est ordo perfectionis. Tertius est ordo adæquationis, vel causalitatis præcisè. De duabus primis primitatibus habetur 9. Metaphys. t.15. cap.7. Quæ sunt priora secundùm generationem, sunt posteriora secundùm substantiam. De tertia autem primitate habetur primo poster. text. 11. in difinitione vniuersalis. Quia primò dicit ibi præcisionem, & adæquationem.

Loquendo igitur de primo ordine, scilicet originis. Videndum est, Primò, de cognitione actuali. Secundò, de cognitione habituali. Tertiò, de virtuali.

Quantùm ad Primum. Præmitto duo. Quorum primum est. Quòd alius est conceptus simpliciter simplex, & alius est conceptus simplex, qui non est simpliciter simplex. Conceptum simpliciter simplicem voco, qui non est resolubilis in plures conceptus, vt conceptus Entis, vel vltimæ differentiæ. Conceptus simplex, sed non tamen simpliciter simplex est, quicunque potest concipi ab intellectu actu simplicis intelligentiæ, licèt possit resolui in plures conceptus seorsum conceptibiles, sicut est conceptus diffiniti, vel speciei.

Secundò præmitto. Quòd aliud est confusè intelligere, & aliud confusum intelligere. Confusum enim idem est quòd indistinctum: & sicut est duplex indistinguibilitas ad propositum, scilicet, totius essentialis in partes essentiales, & totius vniuersalis in partes subiectiuas, ita est F duplex distinctio duplicis totius prædicti ad suas partes.

Confusum igitur intelligitur, quando intelligitur aliquid indistinctum altero prædictorum modorum. Sed confusè dicitur aliquid concipi, quando concipitur sicut exprimitur per nomen: distinctè verò, quando concipitur sicut exprimitur per diffinitionem.

His præintellectis. Primò pono ordinem originis in cognitione eorum actuali, quæ concipiuntur confusè. Et quoad hoc, Dico, quòd primum actualiter cognitum confusè, est species specialissima, cuius singulare efficaciùs, & fortiùs primò mouet sensum, siue sit audibile, siue visibile, siue tangibile, quodcunque enim indiuiduum fortiùs mouet sensum, eius species primò cognita est cognitione confusa. Et hoc supposito, quòd singulare non possit sub propria ratione intelligi, de quo aliàs. Loquor enim modò de illis, quæ certum est posse intelligi secundùm omnem opinionem.

Et probo Conclusionem propositam sic. Causa natura- G lis agit ad effectum suum, secundùm vltimum potētię suę, quando non est impedita; igitur ad effectum perfectissimum, quem primò potest producere, primò agit; omnia autem concurrentia ad istum actum primum intellectus, sunt causę merè naturales, quia pręcedunt omnem actum voluntatis; & nō sunt impeditæ, vt patet; ergo primò producunt perfectissimum conceptum in quem possunt; ille autem nō est nisi conceptus speciei specialissimæ: si enim aliquis alius esset, puta conceptus alicuius communioris, ille esset perfectissimus, in quem ista possent; & cùm conceptus illius communioris sit imperfectior conceptu speciei specialissimę, sicut pars est imperfectior toto; sequetur quòd illa non possent in conceptum illius speciei, & ita nunquam causarent conceptum illum.

Secundò sic. Qnia secundùm Auic. 1. Metaphys. c.3. Metaphysica est vltima ordine doctrinæ; ergo principia omnium aliarum scientiarum, possunt concipi, & termini illarum, ante principia Metaphysicæ; sed hoc non esset, si oporteret primò cōcipi actualiter conceptus cōmuniores, H quàm conceptus specierum specialissimarum; tunc enim oporteret Ens, & huiusmodi primò concipi, & ita magis sequitur Metaphysicam esse primam ordinæ doctrinæ; ergo &c.

Tertiò. Quia si oporteret præconcipere conceptus vniuersaliores ante conceptũ talis speciei, tunc supposito casu de singulari actualiter mouente sensum, & intellectu existente soluto, oporteret ponere magnum tempus, antequā conciperetur species illius singularis primò sensati; quia priùs oporteret intelligere omnia prædicata communia, dicta in Quid de illa specie secundùm ordinem.

Ex hoc apparet causa, quare intellectus intelligit priùs vnum intelligibile, quàm aliud, licèt species plurium sint ibi præsentes: hoc enim non est à voluntate, cùm tunc non habeat intellectus actum intelligendi, sed huius causa est; quia singulare vnius fortiùs mouet, quàm singulare alterius. Hoc dictum est de cognitione confusa.

Contta

A Contra istud Obijcitur. Quia 1. Physicor. tex.3. & 5. dicitur, quòd confusa, id est magis vniuersalia, sunt priùs nota nobis. Quod probat: quia pueri primò appellant omnes homines patres, & omnes fœminas matres, postea discernunt vnumquodque; ergo priùs cognoscunt patrem sub ratione hominis, quàm sub ratione huius hominis; hoc est actualiter concipi conceptus priores, seu communiores; ergo.

Hoc idem probat Auic. de eo, quod videtur à remotis. Quia priùs cognoscitur aliquid sub ratione corporis, quã animalis, & priùs sub ratione animalis, quàm hominis, & priùs hominis, quàm huius hominis.

Hoc etiam videtur: quia in arguendo, via compositiua, est ante resolutiuam; ergo ita est in intelligibilibus simplicibus.

Ad primum. Dico, quòd sicut est duplex confusum, scilicet totum vniuersale, & totum essentiale; ita vtrumque in suo ordine est primum, sed simpliciter primũ, est illud, quod est primum in ordine confusè cognoscendi; quia B processus naturalis ab imperfecto ad perfectũ, est per medium. Confusè autem cognoscere, est quasi medium inter ignorare, & distinctè cognoscere, & ideò confusè cognoscere, est ante quodcunque distinctè intelligere. Et quod dicit de puero: concedo quòd species præintelligitur ante singulare; quia dixi quòd species est primum intelligibile; sed ratio non concludit de genere, sed de specie; priùs enim naturaliter actualiter concipitur albedo, quàm color in ordine cognitionis confusæ: quia color sub ratione coloris non cognoscitur, nisi sub maiori abstractione, quã fit abstractio albedinis ab hac albedine & illa: abstractio aũt maior est difficilior, quia est à minus sensibilibus.

Ad Auic. Dico, quòd quando obiectum non est debitè approximatum, non mouet ad cognoscendum se sub perfectissima ratione, sed sub alia imperfecta: & tunc intellectus sequens sensum talis obiecti, oportet quòd sit talis obiecti vniuersalis, cuius sensus erat sub ratione singularis; sed quando obiectum est in debita proportione, vt possit mouere sensum sub ratione sua propria & perfecta, C tunc intellectus sequens sensum talem, habet notitiam talis naturæ, priùs sub ratione specifica confusè, quàm sub ratione generis confusè.

Ad Tertium. Dico, quòd vtrobique proceditur ab includente ad inclusum, ita in simplicibus, sicut in complexis: sed in simplicibus includens est inferius, in complexis verò includens est primum, respectu conclusionis.

Secundò. Dico de cognitione actuali distinctè conceptorum. Et dico quòd est Ens. Quia primum sic conceptum est communissimum, & quæ sunt propinquiora sibi, sunt priora, & quæ sunt remotiora, posteriora sunt.

Hoc sic probo. Quia ex Secundo Præmisso, nihil concipitur distinctè, nisi quando concipiuntur omnia quæ includuntur in ratione eius essentiali; Ens includitur quidditatiuè in omnibus conceptibus quidditatiuis inferioribus; ergo nullus conceptus inferior distinctè concipitur, nisi concepto Ente; Ens autem non potest concipi nisi distinctè; quia habet conceptum simpliciter simplicem; ergo D pôt concipi distinctè sine alijs, & alij non sine eo distinctè concepto; ergo Ens est primus conceptus distinctè conceptibilis. Ex hoc sequitur, quòd ea quæ sunt sibi propinquiora, sunt priora, quia cognoscere distinctè habetur per diffinitionem, quæ inquiritur per viam diuisionis, incipiendo ab Ente vsque ad conceptum diffiniti, in diuisione autem priùs occurrunt conceptus communiores, deinde genera, & differentiæ, in quibus concipitur distinctè conceptus inferior.

Secundò probo idem. Quia Metaphys. (secundùm Auic. vbi priùs) est prima secundùm ordinem sciendi distinctè; quia ipsa habet certificare principia aliarum scientiarum; ergo eius cognoscibilia sunt primò distinctè cognoscibilia. Nec in hoc contradicit sibi Auic. qui ponit eam in ordine doctrinæ vltimam, & primam in sciendo distinctè. Quia (sicut patuit ex quæstione illa de propositione per se nota) principia aliarum scientiarum sunt per se nota ex conceptu confuso terminorum; sed ex Metaphysica scita, postea est possibilis inquirendi quidditatem terminorum distinctè: & hoc modo termini scientiarum E specialium non concipiũtur, nec principia earum intelliguntur ante Metaphysicam; sic enim multa possunt patere Metaphysico, quæ non erant nota priùs Geometræ, ex conceptu confuso. Exemplum. Geometer inquantum Geometer, non vtitur pro principijs per se notis, nisi illis, quæ statim sunt euidentia ex confuso conceptu terminorum, qualis occurit primò ex sensibilibus, puta linea est longitudo &c. non curans ad quod genus pertineat linea, puta, vtrum sit substantia vel quantitas; sed modò cognita Geometria, & alijs scientijs specialibus, sequitur Metaphysica de conceptibus communibus, ex quibus potest fieri reditio per viam diuisionis, ad inquirẽdum quidditates terminorum in scientijs specialibus, & tunc ex illis quidditatibus sic cognitis, distinctiùs cognoscuntur principia specialium scientiarum, quàm priùs cognoscebantur. Cognoscuntur etiam multa principia, quæ non erant priùs nota ex terminis confusè cognitis. Et hoc modo patet, quomodo Metaphysica est prima, & quomodo non prima. F

Sed comparando totum ordinem confusè concipiendi, ad totum ordinem distinctè concipiendi, quis prior est? Dico, quòd totus ordo confusè concipiendi, prior est: & ideo primum in illo ordine, est simpliciter primum. Et hoc probatur ex auctoritate prædicta Auic. de ordine Metaphysicæ ad alias scientias speciales.

Quantùm ad notitiam habitualem siue virtualem, Primò expono quid intelligo per terminos. Habitualem notitiam voco, quando obiectum sic est præsens intellectui in ratione intelligibilis actu, vt intellectus statim possit habere actum elicitum circa illud obiectum. Voco virtualẽ, quando aliquid intelligitur in aliquo, vt pars intellecti primi, nõ autem vt primum intellectum, siue vt totale terminans intellectionem, sicut cùm intelligitur homo, intelligitur animal in homine, vt pars intellecti, non vt intellectum primum, siue totale terminans intellectionem: hoc satis propriè vocatur intellectum virtualiter, quia est satis proximum intellecto in actu; non enim posset esse actualiùs in intellectum, nisi esset propria intellectione intellectũ, G quæ esset ipsius primi, vt termini totalis.

Quantùm ad istam notitiam habitualem, vel virtualẽ. Dico, quòd communiora sunt priùs nota via originis, vel generationis. Quod probatur. Quia sicut diuersæ formæ perficiẽtes idem perfectibile, ordinẽ quodã natæ sunt mediatiùs & immediatiùs informare illud, vel perficere, ita si eadẽ forma contineat in se virtualiter perfectionem illarũ formarum ordinatarũ, quasi cõsimili ordine naturæ, perficiet illud perfectibile, sicut si forma corporis, substãtiæ &c. essent aliæ formæ in aliquo, per priùs informaret forma substantiæ, & deinde forma corporis &c. ita si vna forma includat virtualiter omnes illas, ipsa quasi priùs perficiet materiam sub ratione substantiæ, quàm sub ratione corporis, & semper in illa via generationis, imperfectius erit priùs; quia proceditur à potentia ad actum; ergo sicut conceptus plures communiores, & minùs communes, habituales vel virtuales, nati sunt perficere intellectum, via generationis, vel originis, ita quòd imperfectior est semper H priùs, ita si vnus conceptus virtualiter includat omnes istos, priùs perficiet sub ratione conceptus prioris & vniuersalioris, quàm sub ratione conceptus particularis. Hoc de ordine originis siue generationis.

Nunc de ordine perfectionis distinguo. Quòd perfectius intelligibile à nobis potest intelligi dupliciter: aut simpliciter, aut secundùm proportionem. Exemplum. Visio aquilæ de Sole, est simpliciter perfectior respectu Solis, quàm visio nostra, videlicet respectu candelæ, & tamẽ visio nostra perfectior est proportionaliter, hoc est, plùs habet ipsa de ratione visionis secundùm proportionem ad visibilitatem candelæ, quàm visio aquilæ habeat de ratione visionis respectu visibilitatis Solis. Ista distinctio habetur à Philosoph. 11. de animalibus, vbi vult, quòd licèt de immaterialibus habeamus minimam cognitionem, quod est intelligendum proportionaliter; tamen illa est desiderabilior cognitione magna, quæ potest haberi de materialibus, quæ est magna in comparatione

A ad illa cognoscibilia. Loquendo ergo de ordine perfectio-
nis simpliciter. Dico, quòd perfectissimum cognoscibile
à nobis, etiam naturaliter, est Deus. Vnde in hoc etiam
ponit Philosophus felicitatem naturalem 10. Ethic. c. 10.
& post ipsum, species specialissima perfectior in vniuerso,
& deinde species proxima illi, & sic vsque ad vltimam spe-
ciem, & post omnes species specialissimas, genus proximũ
abstrahibile à specie perfectissima, & sic semper resoluen-
do. Et ratio omnium istorum est. Quia attingere actua-
lius obiectum, est intellecto perfectior simpliciter, quia
habet æqualem perfectionem ex parte intellectus cũ qua-
cunque alia intellectione, vel non minorem, & habet per-
fectionem multò maiorem ex parte obiecti: quæ duo, sci-
licet perfectio potentiæ, & perfectio obiecti, sunt causa
perfectissima cognitionis, siue intellectionis.

Si autem loquamur de notitia perfectiore secundũ pro-
portionem ad cognoscibile. Dico, quòd perfectiora sensi-
bilia, & sensus efficaciùs mouentia, sunt perfectiùs cogno-
scibilia secundùm proportionem; quia intellectus noster
B plùs attingit ad illa secũdùm gradus cognoscibilitatis eo-
rum, & quæ sunt remotiora ab illis, sunt minùs cognosci-
bilia secundùm proportionem suæ cognoscibilitatis.

De tertia primitate, scilicet adæquationis, dicetur in se-
quenti quęstione.

Argumenta tum principalia, tum pro Opinione adducta, soluuntur.

AD Argumenta huius Quæstionis. Ad Primum. Di-
co, quòd consequentia non valet: scilicet, Est primum
Ens; ergo est primum cognitum à nobis: licèt sequatur;
Igitur est primum cognoscibile, quantùm est de se; & ita
debet intelligi veritas de qua loquitur Philosoph. 2. Me-
taphys. Sicut res se habet ad entitatem, ita ad veritatem;
pro euidentia rei in se, siue pro intelligibilitate rei ex par-
te sui; non oportet autem quòd res sicut se habet ad enti-
tatem, sic se habeat ad cognosci, nisi intelligatur cogno-
C sci ab illo intellectu, qui respicit intelligibilia omnia, se-
cundùm gradum proprium cognoscibilitatis eorum, qua-
lis non est noster intellectus, sed maximè cognoscit sen-
sibilia.

Ad Secundum. Dico, quòd consequentia non valet,
nisi in causis præcisis. Quod patet in exemplo. Si Eclypsis
est cognoscibilis ex duplici causa, per duas potentias, scili-
cet per sensum, & intellectum; habentem demonstratio-
nem; nunquam cognoscitur perfectissimè, nisi cognito
principio demonstrationis perfectissimè: non tamen se-
quitur; ergo nunquam cognoscitur nisi cognito principio
demonstrationis; habet enim aliam causam qua cognosci
potest, quia ista non est præcisè causa; tamen per aliam
non potest ita perfectè cognosci, sicut per istam; quia ista
causa, scilicet demonstratio, qua potest cognosci ab intel-
lectu, est perfectior causa cognitionis suæ, quàm alia, qua
potest cognosci per sensum. Ita est proposito. Quęlibet
creatura præter causam cognitionis suæ, quæ est Essentia
Diuina, habet aliam causam illius cognitionis, scilicet es-
D sentiam propriam, quę nata est gignere notitiam sui, nun-
quam tamen per motionem suam ita perfectè cognosci-
tur res, sicut per Essentiam Diuinam. Non igitur sequi-
tur ab effectu ad causam arguendo: si perfectissimè, per-
fectissimè; ergo si simpliciter, simpliciter: quia illud quod
perfectissimè sumptum, potest esse causa pręcisa perfectis-
simè in genere, sumptum tamen simpliciter, non est causa
præcisa effectus in genere.

Ad Tertium. Dico, quòd Maior est vera, loquendo de
primitate perfectionis, sed nõ de primitate adæquationis.
Exemplum. Nunquam est visio circa aliquid sub ratione
coloris pręcisè, ita quòd nõ sub ratione huius vel illius co-
loris, puta albi vel nigri, nisi illud videatur à remotis, vel
imperfectè: visio autem alicuius sub ratione coloris præ-
cisè, non est perfectissima, sed imperfectissima. Cùm dici-
tur. Perfectissima operatio potentiæ, est circa primũ obie-
ctum eius. Verum est, non primum adæquatione, sed pri-
mum perfectione, quod videlicet est perfectissimum con-
tentorum sub primo obiecto adęquato, & ideò dicit Phil.
10. Ethic. c. 4. *Quòd declaratio perfectissima, est in operatione* E
circa optimum omnium eorum, quę sunt sub potentia: hoc est,
circa optimum contentum sub obiecto adæquato illius
potentiæ: Probat igitur ista ratio, quòd Deus est pri-
mum cognitum, hoc est, perfectissimum, quod conce-
do; sed non primum adæquatum, de quo in sequenti
quæstione.

Quod autem dicit ista Opinio recitata, & hoc quan-
tùm ad Secundam quæstionem, de indeterminato nega-
tiuè, & priuatiuè. Si intelligat de primitate originis, cõtra-
dixi in primo mẽbro 2. quæst. Et cùm arguitur. Quòd in-
determinatum negatiuè, est magis indeterminatũ quàm
indeterminatum priuatiuè. Nego, de indeterminatione
ad propositum loquendo, qualis scilicet est in primo intel-
lecto: quia indeterminatum negatiuè est singulare, & tale
non est magis indeterminatum quàm indeterminatum
priuatiuè. Indeterminatio autem negatiua, scilicet re-
pugnantia ad determinari, etsi sit aliquo modo maior,
quàm indeterminatio priuatiua, non tamen tale indeter-
minatum priùs ocurrit intellectui, quia tale non est con- F
fusum obiectum, sed distinctum cognoscibile, sicut priùs
dictum est.

Quod arguit etiam in secundo membro, quòd notitia
rationali Deus sit vltimũ cognitũ; quia priùs cognoscitur
illud, à quo fit abstractio, quã abstractum. Hoc nõ est ve-
rum, nisi ponendo abstractionem quendam discursum à
notiori ad aliud, ita quod illud à quo fit abstractio, est pri-
mò cognitum, & aliud cognitum per ipsum: & si ita intel-
ligat abstractionem, talis cognitio per abstractionem, nõ
est prima cognitio abstracti, si enim ita cognoscatur Deus
per creaturam, oportet aliquem conceptum præhabere de
Deo, ad quem discurritur, quia discursus præsupponit ali-
quem conceptum de termino ad quem est: vel igitur pro-
positio quã accipit est falsa; vel si sit vera, concludit Deum
esse priùs cognitum, antequam cognoscatur rationabili-
ter; quod fortè concederet.

Quod etiam addit, quòd Deus, vt est primũ cognitum à
nobis naturaliter, non distinguitur ab alijs; quia non con- G
cipitur in aliquo in quo distinguatur à creatura. In hoc vi-
detur contradicere sibiipsi, prædixit enim quòd est primũ
cognitum ab intellectu naturaliter, vt est indeterminatũ
negatiuè, & dicit quòd in hoc cõceptu distinguitur à crea-
tura, quia iste non conuenit creaturæ.

QVÆSTIO TERTIA.

Vtrum Deus sit obiectum adęquatum intellectus creati.


IVxta illud quod tactum est de obiecto adæquato
intellectus, & præciso, quæritur. Vtrum Deus sit
obiectum naturale primũ, hoc est adęquatum,
respectu intellectus viatoris. Arguitur quòd sic.
Quia ex pręcedenti quęstione, Deus est primum, hoc est,
perfectissimũ inter omnia cognoscibilia; primum autem
in quocunque genere, est causa essendi alijs in illo genere,
ex 2. Metaph. t. 4. sicut primũ calidum, est causa caloris in
omnibus alijs; ergo Deus est causa cognoscendi omnium H
aliorum; igitur est primum obiectum intellectus.

Secundò sic. Vnumquodque sicut se habet ad esse, sic se
habet ad cognitionem; sed nihil est Ens per participatio-
nem, nisi ab Ente imparticipato; igitur non cognoscitur
nisi priùs cognito Ente imparticipato.

Hoc confirmatur per August. 8. de Trin. c. 3. de magnis,
vel 8. de paruis. *Non diceremus aliquid esse meliùs alio,*
cùm verè iudicamus, nisi esset impressa nobis notio ipsius bo-
ni. Videtur autem ibidem loqui de bono indeterminato
negatiuè, de quo in eodem cap. dicit, *Vide ipsum bonum si*
potes, et Deum vtique videbis, quod non videtur verum, ni-
si de bono indeterminato negatiuè, quòd scilicet non est
determinabile, quale est primum bonum.

Contra. Primum obiectum primitate adęquationis re-
cipit prædicationem omnium contentorum sub eo; Deus
autem non; ergo &c.

A ARTICVLVS PRIMVS.

Opinio narratur & refutatur, eorum, qui obiectum adæquatum nostri intellectus statuunt quidditatem rei materialis.

IN ista Quæstione est vna Opinio (*D.Tom.1.par sum. q. 12.art.4.& q.85.art.1.*) quæ dicit, Quòd primum obiectum intellectus nostri est quidditas rei materialis. Ratio ponitur ad hoc. Quia potentia proportionatur obiecto: triplex autem est potẽtia cognitiua. Quædam omnino separata à materia, & in essendo & in operando, vt intellectus separatus. Alia coniuncta materiæ, & inessendo, & in operando, vt potentia organica, quæ perficit materiam, & nõ operatur nisi mediante organo, à quo in operando nõ separatur, sicut nec in essendo. Alia est coniuncta materiæ in essendo, sed nõ vtitur organo materiali in operando, vt intellectus noster. Istis correspondent obiecta proportionata. B Nam potentiæ omninò separatæ, vt primæ, correspondere debet quidditas omnino separata à materia: Secundæ, singulare omnino materiale: Tertiæ ergo correspondet quidditas rei materialis, quæ si sit in materia, tamen cognoscitur non vt in materia singulari.

Contra. Istud non potest sustineri à Theologo: quia intellectus existens eadem potentia, cognoscet quidditatem substantiæ materialis, sicut patet secundùm fidem, de anima beata: potentia autem manens eadem, non potest habere actum circa aliquid, quod non continetur sub suo primo obiecto.

Quodsi dicas. Eleuabitur per lumen gloriæ ad hoc, quòd cognoscat illas substantias immateriales. Contra. Obiectum primum habitus continetur sub primo obiecto potentiæ, vel saltem non excedit, quia si habitus respicit aliquod obiectum, quod non continetur sub primo obiecto potentiæ, sed excedit; tunc ille habitus non esset habitus illius potentiæ, sed faceret eam non esse illam potentiam, sed aliam. Confirmatur ratio. Quia cùm potentia, C in primo signo naturæ, in quo est potentia, habeat tale obiectum primum, per nihil posterius natura præsupponens rationem potentię, potest fieri aliud primũ obiectum eius, omnis autem habitus naturaliter præsupponit potentiam.

Si dicas: quòd hæc etiam opinio poneretur à Philosopho, puta, si poneret, quòd intellectus noster propter sui infimitatem inter intellectus: & propter coniunctionem eius cum virtute phantastica in supposito cognoscẽte, habet ordinem immediatum ad phantasiam, sicut phantasia habet ordinem immediatum ad sensum communem, & ideò sicut phantasia non mouetur ab aliquo, nisi quod est obiectum sensus cõmunis, licèt alio modo idem obiectum cognoscat, ita diceret, quòd intellectus noster non tantùm propter statum aliquem, sed ex natura potentiæ non possit aliquid intelligere, nisi abstrahibile à phantasmate.

Contra hoc arguitur tripliciter. Primò sic. Quia desiderium naturale est in intellectu cognoscente effectũ ad cognoscendum causam, & in cognoscẽte causam in vniuersali, D est desiderium naturale ad cognoscendum illã in particulari, & distinctè; desiderium autẽ naturale non est ad impossibile ex natura desideratis, quia tunc esset frustra; ergo non est impossibile intellectui, ex parte intellectus, cognoscere substantiam immaterialem in particulari, ex quo cognoscit materiale, quod est effectus eius; & ita primum obiectũ intellectus non excludit illud immateriale.

Secundò sic. Nulla potentia potest cognoscere obiectũ aliquod sub ratione communiori, quàm sit ratio sui primi obiecti. Quod patet, primò per rationem. Quia tũc illa ratio primi obiecti non esset adęquata. Etiã patet per exemplum. Visus non cognoscit aliquid sub ratione cõmuniori, quàm sit ratio coloris, vel lucis; nec imaginatio aliquid sub ratione cõmuniori, quàm si ratio imaginabilis, quod est primũ obiectum eius: sed intellectus cognoscit aliquid sub ratione communiori, quàm sit ratio entis materialis, quia cognoscit aliquid sub ratione entis in communi, alioquin Metaphysica nulla esset scientia intellectu nostro.

Præterea Tertiò, & redit in idem quasi cum secundo. E Quicquid per se cognoscitur à potentia cognitiua; vel est eius obiectum primum, vel continetur sub illo obiecto; Ens autem vt est communius sensibili, per se intelligitur ab intellectu nostro, aliàs Metaphysica non esset magis scientia transcendens, quàm Physica; ergo non potest aliquid esse primum obiectũ intellectus nostri quod sit particularius Ente; quia tunc Ens in se nullo modo intelligeretur à nobis: Videtur igitur quòd falsum supponitur in dicta Opinione de obiecto primo, & hoc loquendo de potentia ex natura potentiæ.

Ex hoc apparet quòd si per viam istius Opinionis soluatur Prima quæstio, dicendo, quòd quidditas sensibilis est primum obiectum intellectus; & ideò non intelligitur Deus, vel Ens immateriale, solutio innitur falso fundamento.

Congruentia etiam illa, quæ adducitur pro illa Opinione, nulla est. Potentiã enim & obiectum non oportet assimilari in modo essendi; habent enim se vt motiuum & mobile, & ita se habent vt dissimilia, quia actus & poten- F tia; sunt tamen proportionata quia ista proportio requirit dissimilitudinem proportionatorum, sicut communiter dicitur in omni proportione, sicut patet de materia & forma, parte & toto, causa & causato, & cæteris proportionabilibus: igitur ex modo essendi talis potentiæ, non potest concludi similis modus essendi in obiecto.

Contra hoc obijcitur. Quia licèt agens factiuum possit esse dissimile obiecto, quod est ibi, passum tamen operans in cognitiua operatione, oportet assimilari obiecto circa quod operatur; quia nõ est passum, sed magis agens & assimilans: omnes enim antiqui concordant in hoc, quòd cognitio fit per assimilationem: nec Arist. in hoc eis contradixit: igitur hìc requiritur non tantùm proportio, sed similitudo.

Respondeo. Aliud est loqui de modo essendi ipsius potentiæ in se, & aliud est loqui de ipsa inquantum est sub actu secundo, vel dispositione proxima ad actum secundum, quę est aliud à natura potentię. Nunc autem quòd G potẽtia cognoscẽs assimilatur cognito; verũ est per actum suum cognoscendi, qui est quędam obiecti similitudo, vel per speciem disponentem de proximo ad cognoscendum, sed ex hoc concludere, ipsum intellectum in se habere naturaliter modum essendi; similem modo essendi obiecti, vel è conuersò, est facere fallaciam accidentis, & figuræ dictionis, sicut non sequitur, Aes assimilatur Cæsari, quia per figuram inductam; igitur æs in se habet similem modum essendi, modo essendi Cæsaris: Vel magis ad propositum, Oculus videns, per speciem obiecti assimilatur obiecto; ergo visus habet similem modum essendi, modo essendi obiecti: & ita vlteriùs, sicut quædam visibilia habent materiam quæ est causa corruptionis, & contradictionis, vt mixta; quædam carent tale materia, vt corpora cœlestia; ita erit quidam visus in materia tali, quidam sine materia tali, vel quoddam organum tale, & quoddam non tale: Vel adhuc magis ad propositum, Idæa in mente Diuina, quæ est similitudo obiecti, est immaterialis; H igitur & lapis, cuius est idæa est immaterialis. Igitur propter illam congruentiam non videtur congruum arctare intellectum ex natura potentiæ ad obiectum sensibile, vt non excedat sensum; nisi tantùm in modo cognoscendi.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Altera Opinio, affirmans Deum esse obiectum adæquatum nostri intellectus, reijcitur.

ALia est Opinio (*Henr. quodlib.15. quæst.9. et quodlibet. 13. quæst.9.*) Quæ ponit Deum esse primum obiectum intellectus. Cuius rationes fundamentales sunt illæ, quæ adductæ sunt ad primam partem quęstionis, arguendo ad principale, & propter easdem ponit Deum esse primum obiectum voluntatis; quia habet rationem volendi alia omnia, sicut adduxit auctoritatem August. 8. de Trinit. cap. 6. de magnis vel. 17. de paruis, *Cur ergo alium diligimus &c.* Et sequitur, *nisi formam, vbi videmus quid sit*

A *iustus animus, diligeremus; nullo modo cum diligeremus, quem ex ista diligimus.*

Contra istam Opinionem arguitur sic. Primum obiectum naturale alicuius potentiæ habet naturalem ordinem ad illam potentiam; Deus non habet naturalem ordinem ad intellectum nostrum sub ratione motiui, nisi fortè sub ratione alicuius generalis attributi, sicut ponit illa opinio; ergo nõ est obiectum primum, nisi sub ratione illius attributi: vel secundùm illam opinionem, quam prius tenui, quòd Deus non intelligitur, nisi sub ratione Entis, non habebit naturalem ordinem, nisi sub tali conceptu vniuersali; sed particulare, quod non intelligitur nisi in aliquo communi, non est primum obiectum intellectus: sed magis illud commune; ergo &c.

Præterea. Certum est, quòd Deus non habet primitatem adæquationis propter communitatem, ita quòd dicatur de omni obiecto per se intelligibili à nobis; ergo si aliquam habet primitatem adæquationis, hoc erit propter virtualitatem, quia scilicet virtualiter continet omnia per se intelligibilia: sed propter hoc non erit obiectum B primum adæquatum intellectui nostro, quia alia entia mouent intellectum nostrum propria virtute, ita quòd Essentia Diuina non mouet intellectum nostrum primò ad se, secundò ad omnia alia cognoscibilia cognoscenda: sicut autem prædictum est in quæstione de subiecto Theologiæ, Essentia Diuina ideò est primum obiectum intellectus Diuini, quia ipsa sola mouet intellectum Diuinum, & ad cognoscendum se, & omnia alia cognoscibilia ab ipso intellectu.

Per easdem rationes probatur, quòd non potest poni primum obiectum intellectus nostri substantia in communi, propter attributionem omnium accidentium ad substantiam. Quia accidentia habent propriam virtutem motiuam intellectus; ergo substantia non mouet ad se, & ad omnia alia cognoscibilia.

ARTICVLVS TERTIVS.

C *Vera sententia ponitur.*

AD Quæstionem igitur respondeo. Quòd nullum potest poni primum obiectum intellectus nostri naturale, propter adæquationem talem virtualem; propter rationem tactam contra primitatẽ obiecti virtualis in Deo, vel in substantia: vel igitur nullum ponetur primum obiectum, vel oportet ponere primum adæquatum, propter communitatem in ipso. Quodsi Ens ponatur æquiuocum creato & increato, substantiæ & accidenti, cùm omnia ista sint per se intelligibilia à nobis, nullum videtur posse poni primum obiectum intellectus nostri, nec propter virtualitatem, nec propter communitatem. Sed ponendo illam positionem, quam posui in 1. quæst. huius distinct. de vniuocatione Entis, potest aliquo modo saluari, aliquod esse primum obiectum intellectus nostri.

Ad quod intelligendũ. Primò declaro qualis sit vniuocatio Entis, & ad quæ est: & secundò, ex hoc ad propositũ.

D Quantùm ad Primum. Dico, quòd Ens non est vniuocum, dictum in Quid de omnibus per se intelligibilibus: quia non est de differentijs vltimis, nec proprijs passionibus Entis.

Primum, videlicet de differẽtijs vltimis, dupliciter probo. Primò sic. Si differẽtię includant Ens vniuocè dictum de eis, & nõ sunt omnino idem; ergo sunt diuersa aliquid idem entia, talia sunt propriè differentia: ex 5. & 10. Metaph. t. 12. ergo differentiæ illæ vltimæ propriè erunt differentes; ergo alijs differentijs differunt. Quodsi illæ aliæ includant Ens quidditatiuè, arguitur de eis, sicut de prioribus, & ita erit processus in infinitum in differentijs, vel stabitur ad aliquas omninò non includentes Ens quidditatiuè, quod est propositum: quia illæ solæ erunt vltimæ.

Secundò sic. Sicut Ens compositum, componitur ex actu & potentia in se, & ita conceptus compositus per se vnus, componitur ex conceptu potentiali & actuali, siue ex conceptu determinabili & determinante: sicut igitur resolutio entium compositorum stat vltimò ad simpliciter simplicia, scilicet ad actum vltimum, & potentiam E vltimam, quæ sunt primò diuersa, ita quòd nihil vnius includit aliquid alterius, alioquin hoc non esset primò actus, nec illud primò esset potentia; quod enim includit aliquid potentialitatis, non primò est actus: ita oportet in conceptibus omnem conceptum nõ simpliciter simplicem, & tamen per se vnum, resolui in conceptum determinabilem, & determinantem; ita quòd ista resolutio stet ad conceptus simpliciter simplices, scilicet ad conceptum determinabilem tantùm, ita quòd nihil determinans includat, & ad conceptum determinantem tantùm, qui scilicet non includit aliquem conceptum determinabilem; ille conceptus tantùm determinabilis est conceptus Entis, & determinans tantùm est conceptus vltimæ differentię; ergo isti erunt primò diuersi, ita quòd vnum nihil includit alterius.

Secundum, scilicet propositũ de passionibus Entis, probo dupliciter. Primò sic. Passio per se secundo modo prædicatur de subiecto 1. poster. t. 9. ergo subiectum ponitur F in definitione passionis, sicut additum, ex eodem 1. post. & ex 7. Metaph. t. 4. 7. & 10. Ens igitur in ratione suæ passionis cadit vt additũ; habet enim passiones proprias, vt patet per Philos. 4. Metaphys. t. 5. cap. 3. vbi vult, quòd sicut linea inquantum linea, habet proprias passiones, & numerus inquantum numerus; ita sunt aliquæ passiones Entis in quantum Ens; sed si Ens cadit in rationem earũ vt additum; ergo non est per se primo modo in ratione quidditatiua earum. Hoc etiam confirmatur per Philos. 1. Poster. cap. de statu principiorum; t. 35. vbi vult, quòd prædicationes per se non conuertuntur; ita quòd si prædicatum dicatur de subiecto per se, non è conuersò dicetur subiectum de predicato per se, sed per accidens; ergo si ista est per se secundo modo, Ens est vnum: hęc, vnum est Ens, non est per se secundo modo, sed quasi per accidens, sicut ista propositio est per accidens, visibile est homo.

Secundò sic. Ens sufficienter diuiditur tanquam in illa quæ includunt quidditatiuè ipsum, in Ens in creatum, & in decem genera, & in partes essentiales decem generum. G Quicquid sit de istis, saltem non videtur habere plura diuidentia quidditatiuè, quin sint in istis; igitur si vnum, vel verum, includat quidditatiuè Ens, vel erit aliquod decem generum, vel continebitur sub aliquo istorum; sed non est aliquid decem generum; Patet: Nec ex se est Ens increatum; quia conuenit entibus creatis; igitur esset species in aliquo genere, vel principium essentiale alicuius generis; sed hoc est falsum; quia omnis pars essentialis in quocunque genere, & omnis species cuiuscunque generis, includit limitationem, & ita quodcunque transcẽdens esset de se finitum, & per consequens repugnaret enti infinito, nec posset dici de ipso formaliter; quod est falsum, quia omnia transcendentia dicuntur perfectiones simpliciter, & conueniunt Deo in summo.

Tertiò argui potest, & in hoc etiam confirmatur Prima ratio ad Conclusionem istam. Quia si vnum includit Ens quidditatiuè, non includit præcisè Ens, quia idem tunc esset passio suiipsius; ergo includit Ens & aliquid aliud, sit illud A. aut igitur illud A. includit Ens, aut non: H si sic; vnum bis includeret Ens, & esset processus in infinitum, vel vbicunque stabitur; illud vltimum quod est de ratione vnius, & non includit Ens, vocetur A. vnum ergo ratione Entis inclusi non est passio, & per consequens illud aliud inclusum quod est A. est primò passio, & est tale quod non includit Ens quidditatiuè, & ita quicquid est primò passio Entis: ex hoc non includit Ens quidditatiuè.

Quantùm ad Secundum Articulum principalem. Dico, quòd ex istis quatuor rationibus sequitur, cùm nihil possit esse communius Ente, & Ens non possit esse commune vniuocum dictum in Quid de omnibus per se intelligibilibus; quia non de differentijs vltimis, nec de passionibus suis, sequitur, quòd nihil est primum obiectum intellectus nostri, propter communitatem in Quid ipsius, ad omne per se intelligibile.

Et tamen hoc non obstante. Dico. Quòd Ens est primum obiectum intellectus nostri. Quia in ipso concurrit duplex

A duplex primitas, scilicet communitatis, & virtualitatis. Nam omne per se intelligibile aut includit essentialiter rationem Entis, vel continetur virtualiter, vel essentialiter in includēte essentialiter rationem Entis: omnia enim genera, & species, & indiuidua, & omnes partes essentiales generum, & ens increatum, includunt Ens quidditatiuè; omnes differentiæ vltimæ includuntur in aliquibus istorum essentialiter, vel quidditatiuè; omnes passiones Entis includuntur in Ente, & in suis inferioribus virtualiter; igitur illa quibus Ens non est vniuocum in Quid, includuntur in illis est quibus Ens sic, vniuocū. Et ita patet quòd habet Ens primitatem communitatis ad prima intelligibilia, hoc est, ad conceptus quidditatiuos generum, specierum, indiuiduorum, & partium essentialium omnium istorum, & entis increati; & habet primitatem virtualitatis ad intelligibilia inclusa in primis intelligibilibus, hoc est, ad conceptus qualitatiuos differentiarum vltimarum, & passionum propriarum.

B Quod autem supposui communitatem Entis in Quid, ad omnes conceptus quidditatiuos prædictos, hoc probatur de omnibus illis, duabus rationibus positis in 1. quæst. huius distinct. ad probandum cōmunitatem Entis, ad Ens creatum, & Ens increatum: quod vt pateat, pertracto duas aliqualiter. Primam sic. De quocunque enim prædictorum conceptuum quidditatiuorum, contingit intellectum certum esse ipsum esse Ens, dubitando de differentijs contrahentibus Ens ad talem conceptum, vtrum sit tale Ens, vel non; & ita conceptus Entis, vt conuenit illi conceptui, est alius ab illis conceptibus inferioribus, de quibus intellectus est dubius, & inclusus in vtroque inferiori conceptu: nam differentiæ illæ contrahentes præsupponūt eundem conceptum Entis communem, quem contrahunt. Secundam rationem pertracto sic. Sicut est argutum, quòd Deus non est à nobis cognoscibilis naturaliter, nisi Ens sit vniuocum creato, & increato; & ita potest argui de substantia, & accidente: cùm enim substantia non immutet immediatè intellectum nostrum ad aliquam C intellectionem sui, sed tantùm accidens sensibile, sequitur quòd nullum conceptum quidditatiuum habere poterimus de ea, nisi sit aliquis talis qui possit abstrahi à conceptu accidentis; sed nullus talis quidditatiuus abstrahibilis est à conceptu accidentis, nisi conceptus Entis; ergo &c.

Hoc autem quod suppositum est in ratione ista de substantia, quòd non immutat intellectum nostrum immediatè ad actum circa se, probatur sic. Quia quicquid præsentia sua immutat intellectum, absentia illius potest naturaliter cognosci ab intellectu; quando non immutatur: sicut apparet 2. de anima tex. 103. quòd visus est tenebræ perceptiuus, quando scilicet lux non est præsens, & ideò tunc visus non immutatur; igitur si intellectus naturaliter immutatur à substantia immediatè ad actum circa ipsam, sequeretur, quòd quando substantia non esset præsens, posset naturaliter cognosci non esse præsens; & ita naturaliter posset cognosci in hostia altaris consecrata non esse substantiam panis, quod est manifestè falsum; D nullus igitur conceptus quidditatiuus habetur naturaliter de substantia, immediatè causatus à substantia, sed tantùm causatus vel abstractus primò de accidente: & illud non est nisi conceptus Entis. Per idem concluditur etiam propositum, de partibus essentialibus ipsius substantiæ, Si enim materia non immutat intellectum ad actum circa ipsam; nec forma substantialis. Quæro quis conceptus simplex in intellectu habetur de materia, vel forma? Si dicas, quòd aliquis conceptus relatiuus, puta partis, vel conceptus per accidens, puta alicuius proprietatis materiæ, vel formæ Quæro quis est conceptus quidditatiuus, cui iste per accidens, vel relatiuus attribuitur? Et si nullus quidditatiuus habetur, nihil erit cui attribuatur iste conceptus per accidens; nullus autem quidditatiuus potest haberi, nisi impressus, vel abstractus ab illo quod mouet intellectum, puta ab accidente; & ille erit conceptus Entis: Et ita nihil cognosceretur de partibus essentialibus substantiæ, nisi Ens sit commune vniuocum eis, & accidentibus.

Istæ rationes non concludunt vniuocationem Entis in Quid, ad differentias vltimas, & passiones. De prima ostenditur. Quia licèt intellectus sit certus de aliquo tali quòd sit Ens, dubitando vtrum sit hoc, vel illud, tamen non est certus quòd sit Ens quidditatiuè, sed quasi prædicatione per accidens. E

Vel aliter & meliùs, sic. Quilibet talis conceptus est simpliciter simplex, & ideo non potest secundùm aliquid concipi, & secūdùm aliquid ignorari, sicut patet per Phil. 9. Metaphys. in fi. t. vlt. de conceptibus simpliciter simplicibus, quòd non est circa eos deceptio, sicut est circa quidditatem complexorum: quod non est intelligendum, quasi intellectus simplex formaliter decipiatur circa intellectionem quidditatis, quia in intellectione simplici non est verum vel falsum, sed circa quidditatem compositam potest intellectus simplex virtualiter decipi; si enim ista ratio est in se falsa, tunc includetet virtualiter propositionem falsam, quod autem est simpliciter simplex, non includit virtualiter nec formaliter propositionē falsam, & ideò circa ipsam nō est deceptio. Vel.n. totaliter attingitur, vel nō attingitur, & tūc totaliter ignoratur. F De nullo igitur simpliciter simplici conceptu, potest esse certitudo secūdùm aliquid eius, & dubitatio secundùm aliud. Per hoc etiam patet ad Secūdam rationem supra positam: quia tale simpliciter simplex ignotum est omnino, nisi secundùm se totum concipiatur.

Tertio etiam modo potest responderi ad primam rationem. Quòd ille conceptus de quo est certitudo, est alius ab illis de quibus est dubius: & si ille conceptus certus saluatur in alterutro illorum dubiorum, verè est vniuocus, & cum alterutro illorum concipitur: sed non oportet, quòd insit vtrique illorum in Quid; sed sic, vel est vniuocus eis, vt determinabilis ad determinantes, vel vt denominabilis ad denominantes. Vnde breuiter, Ens est vniuocum omnibus: sed conceptibus non simpliciter simplicibus est vniuocum in Quid dictum de eis, sed simpliciter simplicibus est vniuocus, vt determinabilis, vel vt denominabilis, non autem vt dictum est de eis Quid; quia hoc includit contradictionem. G

Ex his apparet, quomodo in Ente concurrat duplex primitas, scilicet primitas communitatis in Quid, ad omnes conceptus non simpliciter simplices, & primitas virtualis in se, vel in suis inferioribus, ad omnes cōceptus in se, simpliciter simplices. Et quòd ista duplex primitas concurrens sufficiat ad hoc, quòd ipsum sit primum obiectum intellectus, licèt neutram habeat præcisè ad omnia per se intelligibilia, hoc declaro per exemplum. Quia si visus esset per se cognoscitiuus omnis coloris, & omnium passionum, & differentiarum coloris in communi, & omnium specierum, & indiuiduorum, & tamen color non includeretur quidditatiuè in differentijs, & passionibus coloris, adhuc visus haberet idem obiectum primum, quod modò habet; quia discurrendo per omnia, nihil aliud sibi esset adæquatum; igitur tunc non includeretur primum obiectum in omnibus per se obiectis quidditatiuè, sed quodlibet per se obiectum, vel includeret ipsum essentialiter, vel includeretur in aliquo, essentialiter vel virtualiter includente ipsum: H & ita in ipso concurret duplex primitas, scilicet communitatis ex parte sui, & primitas virtutis in se, vel in suis inferioribus: & ista duplex primitas sufficiet ad rationem primi obiecti talis potentiæ.

ARTICVLVS QVARTVS.

Proponuntur præcipua Argumenta contra vniuocationem Entis, & resoluuntur.

Contra istam vniuocationem Entis, arguitur multipliciter. Primò per Phil. 3. Metaph. t. 10. Quia secundùm ipsum ibi, Ens non est genus, quia tunc secundùm ipsum ibidem, differentio non esset Ens; si autem esset commune dictum in Quid de pluribus specie differentibus, videretur esse genus.

Idem etiā in 4. Metaph. t. 2. in principio: vbi vult, quòd Ens dicitur de entibus, sicut sanum de sanis: & quòd Metaphysi-

A taphysica est vna scientia, non quia omnia illa de quibus Metaphysica est, dicantur secundùm vnum, sed ad vnum; scilicet non vniuocè, sed analogicè; ergo subiectum Metaphysicæ non est vniuocum, sed analogum.

Idem 7. Metaphys. t. 14. & 16. dicit, quòd accidentia non sunt nisi quia entis entia; sicut Logici dicunt non ens esse ens, & nō scibile esse scibile, & sicut vas dicitur salubre. In omnibus istis exemplis, nō est vniuocatio eius quod dicitur de pluribus.

Item Porphyr. *Si quis omnia entia vocet, æquiuocè*, inquit, *nuncupabit.*

Item 1. Physic. t. 13. *Principium est contra Parmenidem & Mellyssum, quòd Ens multipliciter dicitur.* Et arguit, quòd *si omnia sint vnum ens; ergo omnia sunt vel hoc vnum ens, vel illud*; quod non sequeretur, si Ens esset vniuocum: sicut nō sequitur, Omnis homo est vnus homo; ergo iste vnus homo, vel ille vnus homo.

Item per rationem, Si Ens esset vniuocum ad decem genera; ergo descenderet in ista per aliquas differentias:
B sint igitur duæ tales differentiæ. A. & B. aut igitur istæ includunt Ens quidditatiuè, & tunc in conceptu cuiuslibet generis generalissimi includitur nugatio; aut ista nō sunt entia, & tunc non ens erit de conceptu entis.

Ad Primum Argumentum 3. Metaph. Quamuis non oportet dicere, quod argumenta illa concludant, quia Philosophus intendit ibi arguere ad oppositas partes quæstionum, quas disputat, sicut ipsemet præmittit in proœmio, duo autem opposita non possunt concludi, nisi alterū argumentum sit Sophysticum; vnde Commentator eius dicit, in primo argumēto, ad primam quæstionem ibi disputatam, esse fallaciam consequentis, si contraria pertinent ad eandem scientiam; ergo non contraria, non pertinent ad eandem scientiam. Quamuis etiam istud argumētum principaliter non oportet tenere, quòd concludat: infert enim ibidem, quare si vnum est genus, aut Ens nulla differentia; neque vnum, neque Ens erit. Quæro aut intendit inferre, quòd non per se primo modo erit differentia Ens, vel vnum, & sic conclusio non est conueniens de vno: aut
C intendit inferre negatiuam absolutè, & tunc non valet cōsequentia: non enim si rationale est differentia respectu animalis, sequitur quòd rationale nō est animal, sed quòd non est per se primo modo animal. Tamen tenendo, quod argumentum valeat, concludit oppositum magis, quàm propositum. Remouet enim ab Ente rationem generis, non propter æquiuocationem, imò si esset æquiuocum ad decem genera, esset decem genera: quia idem conceptus (quocunque nomine significetur) habet eandem rationem generis: sed remouet rationem generis ab Ente, propter nimiā communitatem, quia videlicet prædicatur per se primo modo de differentia aliqua, & per hoc potest concludi, quòd Ens non sit genus.

Ad videndum autem quomodo hoc sit verum, cùm tamen prædictum sit, quòd Ens non prædicatur per se primo modo de differentijs vltimis. Distinguo de differentijs. Quòd aliqua potest sumi à parte essentiali vltima, quæ est res, & natura; alia ab illo à quo sumitur conceptus
D generis: sicut si ponatur formarum pluralitas, & genus dicatur sumi à parte essentiali priori, & differentia specifica à forma vltima; tūc sicut Ens dicitur in Quid, de illa parte essentiali, à qua sumitur differentia talis specifica, ita dicitur in Quid, de tali differentia in abstracto; ita quòd sicut hæc est in Quid, anima intellectiua est Ens, accipiendo eundem conceptum entis, secundùm quem dicitur de homine, vel de albedine; ita hæc est in Quid, rationalitas est Ens, si rationalitas sit talis differētia; sed nulla talis differentia est vltima, quia in tali continentur plures realitates, aliquo modo distinctæ tali distinctione, vel non identitate, qualē dixi (in quæst. 1. de Trinitate 2. dist.) esse inter Essentiam & proprietatem personalem, vel maiori, sicut aliàs explanabitur; & tunc talis natura potest concipi secundùm aliquid, hoc est, secundùm aliquam realitatem & perfectionem, & secundùm aliquam ignorari: & ideo talis naturæ conceptus non est simpliciter simplex; sed vltima realitas, seu perfectio realitatis naturæ, à qua sumitur vltima differētia, est omninò simpliciter simplex: ista realitas non includit Ens quidditatiuè, sed habet conceptum simpliciter simplicem, vnde si talis realitas sit A. hæc non est E
in Quid, A. est ens, sed est quasi per accidens; & hoc siue A. dicat illā realitatem, seu differentiam in abstracto sumptam à tali realitate.

Dixi igitur priùs. Quòd nulla differentia simpliciter vltima includit Ens quidditatiuè, quia est simpliciter simplex: sed aliqua differentia sumpta à parte essentiali, quæ pars est vna in re, alia à natura à qua sumitur genus, illa differentia non est simpliciter simplex, & includit Ens in Quid. Et ex hoc quòd talis differentia est Ens in Quid, sequitur quòd Ens non est genus, propter nimiam cōmunitatem Entis: nullum enim genus dicitur de aliqua differentia inferiori in Quid, nec de illa quæ sumitur à forma, nec de illa quæ sumitur ab vltima realitate formæ, sicut patebit dist. 8: quòd semper illud à quo sumitur conceptus generis, secundùm se, est potentiale ad illam realitatē à qua sumitur conceptus differentiæ, siue ad illā formam, si differentia sumatur à forma.

Et si arguas contra istud. Quòd si rationale includit F
Ens quidditatiuè, & quælibet differentia consimilis, quæ scilicet sumitur à parte essentiali, non ab vltima realitate eius; ergo addendo talem differentiam generi, erit nugatio, eò quòd Ens bis dicetur. Dico. Quòd quando duo inferiora ad tertium sic se habent, quòd vnum denominat alterum, illud commune particulariter denominat seipsum sine nugatione, sicut albedo, quæ est inferior ad Ens, denominat animal, quod est inferius etiam ad Ens, sine nugatione; & ideo sicut est denominatiua ista, animal est album, ita Ens quod est superius ad album, potest denominare animal, siue Ens particulariter sumptum, pro animali: puta si illud Ens denominatiuū esset Entale, hęc esset vera, aliquod Ens est Entale, sicut enim ibi concedo denominationem accidentalem sine nugatione, nec tamen idem omnino denominat seipsum eodem modo cōceptum; ita hìc, animal rationale est sine nugatione, nam in animali includitur Ens quidditatiuè, & in rationali denominatiuè, & sicut rationalitas est Ens quidditatiuè,
ita rationale denominatur ab Ente; igitur hìc esset nugatio, animal rationalitas, non autem hìc, animal rationale: G
sicut esset hìc, animal albedo, non autem est nugatio hìc, animal album.

Ad aliud quod dicitur de 4. Metaph. Dico, quòd Philosophus 10. Metaph. concedit ordinē essentialem inter species eiusdem generis; quia ibi vult, quòd in quolibet genere est vnum primum, quod est mensura aliorum; mensurata autem habent essentialem ordinem ad mensuram: & tamen non obstante attributione, quilibet concederet vnū esse conceptum generis, aliàs genus non prædicaretur in Quid de pluribus differentibus specie: si enim genus non haberet conceptum alium à conceptibus specierum, nullus conceptus diceretur de pluribus in Quid, sed tantùm quilibet de seipso: & tunc nihil prædicaretur vt genus de specie, sed vt idem de eodem. Consimiliter Philosophus dicit in 7. Phys. t. 31. quòd in genere latent æquiuocationes, propter quas non potest fieri comparatio secundùm genus. Non enim est æquiuocatio quantùm ad Logicum
qui ponit diuersos conceptus, sed quātùm ad realem Philosophum est æquiuocatio, quia non est ibi vnitas naturę. H
Ita igitur omnes auctoritates, quæ sunt in Metaphysica, & Physica, quæ essent de hac materia, possent exponi, propter diuersitatem realem illorum in quibus est attributio, cum qua tamen stat vnitas conceptus abstrahibilis ab eis, sicut patuit in exemplo. Concedo tamen, quòd totum illud quod accidens est, attributionem essentialem habet ad substantiam, & tamen ab hoc, & ab illo, potest conceptus vnus communis abstrahi.

Ad illa quæ dicuntur de 7. Metaph. Dico, quòd litera vltimi §. de illa materia, soluit omnes auctoritates Philosophi præhabitas, quæ incipit. *Palam autem illud, &c.* ibi enim dicit Philosophus, quòd *primò & simpliciter diffinitio, & Quod quid erat esse, substantiarum est, & non solùm, sed aliorum similiter est, non tamen primò.* Et probatur hoc ibi. *Quia ratio significans idem nominis, est diffinitio, si illud cuius est ratio, est per se vnum, vnum verò dicitur sicut & ens*, & intel-

A intellige per ſe ens: *Ens autem hoc quidem hoc aliquid, aliud quantitatem, aliud qualitatem ſignificat*: quod verum eſt de ente per ſe; quia ens per ſe, in 5. lib. t. 14. diuiſit in decem genera; igitur quodlibet illorum eſt per ſe vnum, & ita ratio iſtorum eſt diffinitio. Et hoc concludit ibi. *Quapropter erit hominis albi ratio, & diffinitio, alio verò modo albi, et ſubſtātiæ: quia ſubſtantiæ per ſe, & primò, albi ſimiliter per ſe, ſed nō primò; albi hominis ſecundū quid, & per accidens*: vnde & in illo c. tractat principaliter de tali ente per accidens, cuiuſmodi eſt homo albus, quòd eius non ſit diffinitio. Ens igitur, vel Quid, vel diffinitionem habere: quodcunq; iſtorū ſimiliter dicitur de accidente, ſicut de ſubſtantia, ſed non ęquè primo: & non obſtante ordine poteſt benè eſſe vniuocatio.

Ad Porphyr. Ipſe allegat Ariſtotelem dicendo, *æquiuocè inquit*, ſcilicet Ariſt. de quo ibi loquitur, non inuenitur autem vbi hoc dixerit in Logica, in Metaphyſica autē dicit, quod iam allegatum eſt, & expoſitum. Si quis autem vellet pertractare auctoritatem Porphyrij, quomodo ratio B eius ex auctoritate Ariſt. valet ad propoſitum, poſſet exponi: ſed nolo immorari.

Ad aliud q̄d arguitur, de 1. Phyſic. Dico, quòd ad Opin. illam Parmenidis & Melyſſi deſtruendam, *principium eſt accipere, quòd ens dicitur multipliciter, non æquiuocè, ſed multipliciter*, hoc eſt, de multis, ad inquirendum de quo illorū intelligant; ſicut ſi diceretur, omnia eſſe vnum animal, cōtra eos eſſet diſtinguere animal, & quærere, de quo animati intelligunt, aut omnia eſſe vnum hominem, aut vnum equum.

Cùm dicitur. Quòd argumentum Philoſophi non valet contra eos, ſi Ens eſſet vniuocum. Reſpondeo. Quòd conſequentia iſta (deſcendendo ſub prædicato ſtante cōfusè tantùm) non tenet formaliter, ſed eſt fallacia figuræ dictionis, & fallacia conſequentis; tamen ſi ipſi intellexerunt, ſicut Philoſophus imponit eis, quòd omnia ſunt vnū, non loquendo de vno confusè, ſed de aliquo vno determinato, benè ſequitur ad antecedens ſic intellectum, quòd C omnia ſunt hoc vnum, vel illud vnum.

Reſoluuntur argumenta principalia Quæſtionis.

AD Argumenta principalia iſtius Quæſtionis. Dico ad Primum. Quòd non ſemper perfectiſſimum eſt cauſa reſpectu imperfectorum, comparando imperfecta ad quodcunq; tertium, ſicut perfectum album, nō eſt cauſa viſibilitatis omnibus viſibilibus: aut ſi eſt cauſa, non tamen præciſa & adæquata: & ſi maximè motiuum, non tamen præciſum, & adæquatum. Primum autem obiectum intellectus, de quo loquimur in iſta quæſtione, debet eſſe primum, & adæquatum potentiæ.

Ad Secundam rationem. Dico, quòd ſi rectè arguitur, debet inferri, Quòd nullum Ens participatum poteſt cognoſci, niſi ſit Ens ab ente imparticipato: & non debet inferri, quòd non poteſt cognoſci niſi per rationem entis imparticipati cogniti: tūc enim ſunt quatuor termini; quia ponitur in Concluſione eſſe cognitum, per Ens imparticiD patum, qui terminus non fuit in propoſitione ſecunda. Et ratio realis iſtius defectus aſſignati in forma arguendi, dicta eſt priùs in reſpon. ad Primum argumentum 2. quæſt. huius diſt. quia etſi cognoſcibilitas ſequatur proportionaliter entitatem, non tamen ita eſt de cognoſci, niſi comparando ad illum intellectum, qui cognoſcit quodlibet ſecūdum gradum ſuæ cognoſcibilitatis. Ita dico hìc, quòd ſi entitas participata concludat de neceſſitate cognoſcibilitatem participatam, & ita participatum habeat cognoſcibilitatem per cognoſcibile imparticipatum, nō tamen habet cognoſci per cognoſcibile imparticipatum, vt cognitū: ſed vt cauſam dantem ſibi eſſe: & hoc tactum eſt in argumento quodam de Frui 4. q. 1. diſt.

Ad illud 8. de Trin. Dico, quòd loquitur ibi de notitia boni in communi, quæ naturaliter impreſſa eſt, hoc eſt, de facili imprimitur in intellectu à ſingularibus, quia in quolibet intentiones vniuerſales, faciliùs occurrūt primò. Hoc probo per ipſum, quòd eodem lib. cap. 4. de magnis vel 18. paruis dicit. *Habemus enim regulariter infixam humanæ naturæ notitiam, ſecundùm quam ſtatim quicquid tale aſpicimus, hominem eſſe cognoſcimus vel hominis formam*: & ſicut ſe- E cundùm iſtam notitiam hominis, quam dixit infixam nobis regulariter, hoc eſt, faciliter, à ſenſibilibus abſtractam iudicamus de quocunq; vtrum ſit homo vel non; ita etiā per idem poſſumus iudicare eminentiam in humanitate, ſi illa eſſet in occurrentibus, ſicut iudicamus de occurrentibus hoc eſſe melius alio: quod apparet de notitia impreſſa albedinis, per quam non tantùm iudicamus occurrens eſſe album, ſed hoc eſſe albius altero: ita dico hìc, quòd illud bonum de quo loquitur c. 3. cuius notitia impreſſa eſt naturaliter intellectui, eſt bonum in communi, & per illud iudicamus de occurrentibus hoc illo eſſe melius. Et quòd loquatur de bono indeterminato priuatiuè, & non de bono indeterminato negatiuè, in quo bono indeterminato intelligitur Deus, videtur per hoc, quòd ibi enumeratis multis particularibus bonis, dicit: *Bonum hoc, bonum illud, tolle hoc, & tolle illud, et vide ipſum bonum ſi potes*: hoc eſt, tolle illa contrahentia rationem boni ad creaturas, & vide rationem boni in communi, & in hoc videbis Deum, ſicut F in conceptu cōmuni, in quo poteſt naturaliter à nobis videri, & non in particulari, vt hæc Eſſentia.

Conſimiliter intelligendum eſt illud quod præmittit c. 2. vel 3. vbi dicit. *Cùm audis Deus eſt veritas, noli quærere quid eſt veritas, ſtatim obijciunt ſe phantaſmata*? hoc intelligo ſic: quando cōceptus vniuerſalis abſtrahitur à ſingulari, quantò eſt vniuerſalior, tantò difficiliùs poteſt intellectus diu ſiſtere in tali conceptu, quia vt prædictum eſt, quandocunq; intelligimus vniuerſale, phantaſiamur eius ſingulare, & illud vniuerſale diutiùs, & faciliùs poſſumus intelligere, quod eſt ſimilius ſingulari, relucenti in phantaſmate; & quia vniuerſaliſſima ſunt remotiora ab ipſo ſingulari, ideò difficiliùs eſt ſtare in conceptu illorū vniuerſaliſſimorum. Concipiendo ergo Deum in conceptu vniuerſaliſſimo, *noli quærere Quid*, hoc eſt, noli deſcendere in aliquem conceptum particularem, in quo ille vniuerſalior ſaluatur, qui particularior propinquior eſt phātaſmati, deſcendendo enim ad talem qui magis relucet in phanG taſmate occurrenti, ſtatim amittitur illa ſerenitas veritatis, vel ſinceritas veritatis, in qua intelligebatur Deus; quia ſtatim intelligitur veritas contracta, quæ non conuenit Deo, cui conueniebat veritas in communi concepta, non contracta.

Per idem etiam dico ad illud 8. de Trin. c. 3. de bono, & voluntate, *Pudeat cùm alia non amentur niſi quia bona ſunt, eis inhærendo, non amare bonum ipſum, vnde bona ſunt*. Vnde ratio benè probat, quòd ipſum ſummum bonum magis eſt amandū, quàm bona participata; non tamen probat quòd ſit primum amatum primitate adæquationis, quia etſi ipſum ſit ratio bonitatis in alijs, & ideò ratio amabilitatis eorum; non tamen ipſum vt amatū, eſt ratio aliorū amatorum; poteſt enim aliquid aliud amari, non ipſo amato: ſicut in fruendo vtendis patet, & vtendo fruendis. Et iſta intentio Aug. colligitur ex c. 6. vel 16. 9. Trin. vbi tractans de dilectione alicuius, qui creditur eſſe iuſtus, ſi poſt inueniatur non eſſe iuſtus, *ſtatim inquit amor ille, quo in eū fe- H rebar, offenſus, et quaſi repercuſſus, atque ab indigno homine ablatus, in ea forma permanet, ex qua eum talem credens amaueram*, hoc eſt, *ſi dilexi iuſtitiam, et ipſum, quia credidi in ipſo eſſe iuſtitiam, ſi inueniam eum iniuſtum, reſilit voluntas ab eo, ſed adhuc ſtat dilectio ipſius iuſtitiæ vt obiecti*. Iſtud intelligendum non eſt de iuſtitia aliqua particulari, ſed de communi ratione iuſtitiæ, quæ amatur propter ſe, & quodcūque in quo eſt iſta, propter illam.

Ita etiam patet expoſitio illius auctoritatis 8. de Trinit. c. 9. vel 17. *cur ergo alium diligimus? &c.* In illa auctoritate, *Forma vbi videbimus, quid ſit iuſtus animus* debet intelligi iuſtitia ipſa in communi, ſicut *forma hominis in communi eſt illa, vbi, ſiue per quam videmus, quid requiritur ad eſſe hominis vel ad eſſe hominem, et propter quam formam iudicamus illud quod occurrit, eſſe vel non eſſe hominem*, ſecundùm ipſum in eodem c. 4. vel 10. *Niſi ergo hāc formam iuſtitiæ in communi diligeremus, non diligeremus illum, quem credimus eſſe iuſtum, quem ex iſta forma diligimus, ſicut ſi non diligas formam hominis in communi, nunquam occurrens propter for-*

mam

A *nam hominis dilectam diliges. Est igitur hæc iustitia indeterminata priuatiuè; secundum quam de mente iusta iudicamus: propter quam dilectam diligimus mentem, quam credimus iustam esse. Et dum non sumus iusti, minus diligimus iustitiam in communi, quam oportet, quia diligimus quadam volitione, siue complacentia simplici: quæ non sufficit ad esse iustã: sed oportet eam diligere volitione & amore efficaci, qua videlicet volens eam eligit in se, eam obseruans tanquam vitæ suæ regulam.*

QVÆSTIO QVARTA.

Vtrum aliquod aliud transcendens, adæquatum Enti, possit poni obiectum adæquatum intellectus nostri.



IS visis de Ente, restat vlterior Dubitatio. Vtrũ posset poni aliquid aliud transcendens, primũ obiectum intellectus nostri, quod videtur habere æqualem communitatem cum Ente.

B Et videtur quòd sic: & hoc vno modo, φ vnum sit obiectum adæquatum, & primum intellectus nostri hîc, &c. non Ens; (*Egid. Rom. quol.* 4. *qu.* 10) quod tripliciter probatur.

Primò sic. Distinctæ potentiæ habent distincta obiecta formalia (*ex* 2. *de Anima*, *t.* 33. & 38.) sed intellectus & voluntas sunt distinctæ potentiæ: ergo habent distincta obiecta formalia: quod non videtur posse sustineri, si Ens ponatur primum obiectum intellectus; sed si verum ponatur, benè possent assignari distincta obiecta formalia.

Secundò sic. Ens est commune de se ad sensibile & intelligibile; obiectum autem proprium alicuius potentiæ, est obiectum eius sub aliqua propria ratione; ergo ad hoc quòd Ens sit proprium obiectũ intellectus, oportet quòd determinetur & contrahatur ad Ens intelligibile per aliquid, per quod excludatur Ens sensibile; sed tale contrahẽs videtur esse verum, quod dicit de se rationem manifestatiui vel intelligibilis.

C Item Tertiò sic. Obiectum non est proprium alicuius potentiæ nisi secundùm quod est proprium motiuum illius potentiæ; non mouet autem aliquid potentiam, nisi secundùm quod habet aliquam habitudinem ad eam; Ens autem secundùm quod absolutum, & non habens aliquã habitudinem ad intellectum, nõ est primum & immediatum obiectum, illud autem, quod secũdùm quòd Ens formaliter habet habitudinem ad intellectũ, est veritas; quia secundùm Ansel. de veritate, *veritas est rectitudo, sola mente perceptibilis.*

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum transcendentaliter acceptum, non est obiectum adæquatum intellectus nostri.

SED contra istam Conclusionem de veritate, arguo sic. Primum obiectum, hoc est adæquatum, vel adæquatur secundùm communitatem, vel secundùm virtutem, vel secundùm istam duplicem primitatem concurrentem; verũ
D autem nullo isterum modorũ adæquatur intellectui: Ens autem adæquatur, vt patuit; ergo. &c. Probatio primę partis Minoris. Verum non dicitur in Quid de omnibus per se intelligibilibus; quia non dicitur in Quid de Ente, nec de aliquo per se inferiori ad Ens. Secunda pars Minoris probatur cum Tertia. Quia inferiora ad verum, licèt includant ipsum essentialiter, non tamen includunt alia omnia intelligibilia virtualiter, vel essentialiter, quia hoc verum, quod est in lapide, non includit essentialiter, vel virtualiter lapidem; sed è conuersò, illud Ens, quod est lapis, includit veritatem, & ita de quibuscunque alijs entibus, & eorum veritatibus.

Item. Verum est passio Entis, & cuiuslibet inferioris ad Ens; ergo intelligendo Ens, & quodcunque inferius ad Ens, præcisè sub ratione veri, non intelligitur nisi per accidens, & non secundùm rationem quidditatiuam: sed cognitio cuiuscunque secundùm rationem quidditatiuam, est prima, & perfectior cognitio de eo, ex 7. Metaph. t. 4. c. 1. ergo nulla cognitio de aliquo præcisè sub ratione veri E est prima cognitio obiecti; & ita nec veritas est prima ratio præcisè cognoscendi obiectum. Confirmatur ratio ex 2. Priorum. Cum scientia mulæ vt mula, stat ignorantia huius mulæ vt hæc, sicut ergo comparando obiectũ ad habitum, inferius extraneatur à suo superiori, de quo superiori est primò ille habitus, ita multò magis extraneabitur subiectum suæ passioni, comparando siue ad habitum siue ad potentiam.

Item. Obiectũ habitus naturaliter non præcedit obiectum potentiæ, sed primum obiectum Metaphysicæ, quæ est habitus intellectus, est Ens, quod est prius naturaliter vero, & nõ verũ, quod est passio entis, est subiectum Metaphysicæ; ergo. &c.

Ad rationes in oppositum Respondeo, ducendo illas ad oppositum. Primam sic. Quia sicut voluntas non potest habere actum circa ignotum, ita non potest habere actum circa obiectum, sub ratione formali aliqua obiecti, quę ratio est penitus ignota; ergo omnis ratio secundùm quã aliquid obijcitur voluntati, est cognoscibilis ab intellectu; &
F ita non potest esse prima ratio obiecti intellectus illa, quæ distinguitur cõtra rationem volibilis, si qua sit talis. Item. Intellectus ponit differentiam inter bonum, & verum, & etiam cõuenientiam; ergo. &c. Hoc etiam probatur. Quia de quibuscunque passionibus entis habetur ęquè distincta notitia, ita de bono sub ratione boni, sicut de vero sub ratione veri, quia secundùm Auic. 6. Metaph. c. vltimo. Si aliqua scientia esset de omnibus causis, illa esset nobilissima, quæ esset de causa finali, cuius ratio secundùm multos est bonitas; non ergo omnia obijciuntur intellectui sub ratione veri.

Ad illud ergo, quod accipitur in argumento, de distinctione obiectorum. Respondeo. Quòd potentiæ disparatę, tripliciter se habent ad inuicem; aut sunt omninò disparatæ & condistinctæ, vel subordinatæ; & tunc vel in eodem genere, sicut cognitiua superior & inferior; vel in alio genere potentiarum, sicut cognitiua ad suam appetitiuam. Primo modo, potentiæ disparatæ habent omnino obiecta
G disparata, quia nulla earum, ex quo sunt disparatæ, est per se operatiua circa obiectum, circa quod alia; tales sunt sensus exteriores inter se, vt visus, auditus &c. Secundo modo, potentiæ disparatæ habent obiecta prima subordinata, ita quòd sicut potentia superior potest habere per se actum circa quodcunque potest potentia inferior; ita obiectum primum potentiæ superioris continet sub se primum obiectum potẽtiæ inferioris; alioquin non esset illud obiectum adæquatum potentiæ superiori: vnde primum obiectum visus, secundùm suam communitatem continetur, vt inferius sub primo obiecto sensus cõis. Tertio modo potentiæ sic se habent, quòd si appetitiua adęquaretur cognitiuę in operando circa quæcunq; obiecta, idem esset obiectum primum vtriusque, & sub eadem ratione formali, ex parte obiecti: si autem appetitiua habeat actum circa aliqua cognoscibilia, & circa aliqua non, tunc obiectum appetitiuæ erit inferius ad obiectum cognitiuæ.

Ad propositum. Intellectus & voluntas cadunt sub ter-
H tio mẽbro, & si voluntas ponatur habere actum circa omne intelligibile, ponetur idem esse obiectum tàm voluntatis quàm intellectus, & sub ratione eadem formali; si vero non, sed quòd voluntas tantùm habeat actum circa intelligibilia, quę sunt finis, vel entis ad finem, & nõ circa merè speculabilia, tunc ponetur obiectum voluntatis aliquo modo particulare, respectu obiecti intellectus, sed semper stabit, quòd Ens est obiectum intellectus.

Secundam rationem etiam duco ad oppositum. Quia obiectum proportionatum potentiæ superiori, est commune ad obiectum proportionatum potentiæ inferiori, ex prædicto distinctione, & ita Ens secundùm quod abstrahens à sensibili & insensibili, est verè proprium obiectum intellectus: quia intellectus, tanquam potentia superior, potest habere actum tàm circa sensibile, quàm circa insensibile: vnde ista abstractio quæ videtur esse nõ appropriatio, est sufficiẽter appropriatio, respectu potentiæ superioris: & est circa obiectum vtrumque per se.

Tertiam deduco ad oppositum. Quia ratione obiecti, dico

A dico esse illam formam, secundùm quam obiectum est motiuum potentiæ, sicut ratio actiui, vel agendi, dicitur esse illa forma, secundum quam agens agit; talis autem ratio obiecti non potest esse respectus ad potentiam: & isto modo loquitur Philosophus 2. de anima, t. 66. vbi assignans primum obiectum visus dicit, quòd illud cuius est visus vt obiecti, est visibile, non per se primo modo, sed secundo modo, ita quòd ipsum ponitur in ratione visibilis; si autem formalis ratio obiecti potentiæ esset respectus ad talem potentiam, tunc obiectum primum visus esset visibile, per se primo modo; quia tunc ipsa visibilitas esset ratio formalis obiecti: & tunc facilè esset assignare prima obiecta, quia obiectum primum cuiuscunq; potentiæ esset correlatiuum ad talem potentiam, puta visus visibile, auditus audibile, quomodo Philosophus non assignauit prima obiecta potentiarum, sed sicut aliqua absoluta, puta visus colorem, auditus sonum, &c. vnde si verũ dicat formalem respectum obiecti ad intellectum (de quo aliàs) sequitur oppositum propositi; ex hoc enim sequitur; B quòd ratio illa non sit ratio formalis obiecti, sed aliqua alia ab ea.

Patet igitur ex dictis, quòd nihil potest poni ita conuenienter primum obiectum intellectus, sicut Ens: neq; aliquòd virtuale primum, neque aliquod aliud transcẽdens; quia de quolibet alio transcendente probatur per eadem media, per quæ probatum est de vero.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Expeditur dubium. Cur non omne contentum sub Ente, naturaliter est motiuum nostri intellectus.

SED restat vnum dubium. Si Ens secundùm rationem suam communissimam sit primum obiectum intellectus, quare non potest quodcunq; contentum sub Ente, naturaliter mouere intellectum? sicut fuit argutũ in prima ratione ad primam quæstionem in prologo: & tunc videtur quòd Deus naturaliter posset cognosci à nobis, & C substãtiæ omnes immateriales, quod negatum est; imò negatum est de omnibus substantijs, & de omnibus substantiarum partibus essentialibus; quia dictum est quòd non concipiuntur in aliquo conceptu quidditatiuo, nisi in conceptu Entis.

Respondeo. Obiectum primum potentiæ assignatur illud, quod adæquatur potentiæ in ratione potentiæ, non autem quod adæquatur potentiæ vt in aliquo statu: quemadmodum primũ obiectum visus, non ponitur illud quod adæquatur visui existenti in medio illuminato lumine candelæ præcisè, sed quod natũ est adæquari visui ex se, quãtùm est ex natura sui: nunc autem, (vt probatum est priùs contrà primam opinionem, ad quæstionem de primo obiecto intellectus, hoc est adæquato, quæ ponit quidditatem rei materialis esse primum obiectum) nihil potest adæquari intellectui nostro, ex natura potẽtiæ, in ratione primi obiecti, nisi communissimum; tamen pro statu isto ei adæquatur in ratione motiui quidditas rei sensibilis: & D ideo pro statu isto non naturaliter intelliget alia, quæ non continentur sub illo primo motiuo.

Si quæritur. Quæ est ratio istius status? Respondeo. Status non videtur esse, nisi stabilis permanentia legibus Diuinæ sapientiæ firmata: stabilitum est autem illis legibus sapientiæ, quòd intellectus noster non intelligat pro statu isto, nisi illa quorum species relucent in phantasmate; & hoc siue propter pœnam originalis peccati, siue naturalem concordiam potentiarum animæ in operando, secundùm quod videmus quòd potentia superior operatur circa idem circa quod inferior, si vtraque habeat operationem perfectam: & de facto ita est in nobis, quòd quodcũque vniuersale intelligimus, eius singulare actu phantasiamur: ista tamen concordia quæ est de facto pro statu isto, non est ex natura nostri intellectus, vnde intellectus est, nec etiam vnde in corpore est, tũc enim in corpore glorioso necessariò haberet similem cõcordiam, quod falsum est: vndecunq; igitur sit iste status, siue ex mera voluntate Dei, siue ex mera iustitia punitiua, siue ex infirmitate, quã causam Aug. innuit 15. de Trin. c. vlt. *Quæ causa*, inquit, *cur ipsam lucem acie fixa videre non possis, nisi vtique infirmitas? & quis eam tibi fecit, nisi vtique iniquitas?* siue inquam hæc E sit tota causa, siue aliqua alia: saltem non est primũ obiectum intellectus vnde potentia est, quidditas rei materialis: sed est aliquid cõmune ad omnia intelligibilia; licèt primum obiectum adæquatũ sibi in mouendo, pro statu isto, sit quidditas rei sensibilis.

Et si dicas. Dato, quòd Ens commune sit ei obiectum adæquatum pro statu isto, non tamen mouerent substãtiæ separatæ pro statu isto, nisi in maiori lumine, quàm sit lumen naturale intellectus agentis. Ista ratio nulla videtur. Tum quia si tale lumen requiritur, non est ratio ex parte intellectus nostri vnde talis potentia, quare modò non possit habere tale lumen: est enim de se receptiuus talis luminis; alioquin manens idem, nunquam posset illud idem recipere. Tum quia quando aliqua duo agentia cõcurrunt ad aliquem effectum, quantò vnum illorum plùs potest supplere vicem alterius, tantò minor perfectio requiritur in alio; quandoque autem nulla, si illud supplet F totam vicem eius; sed ad immutationem intellectus possibilis, concurrit obiectum & lux; ergo quantò obiectũ est perfectius, & magis potest supplere vicem luminis, tantò sufficit minus lumen, saltem non requiritur maius; sed primũ intelligibile, est maximè lux; ergo maximè potest supplere vicem luminis obiecti intelligibilis; ergo quantũ est ex parte sua si contineatur sub primo obiecto adæquato intellectui nostro pro statu isto, non est defectus ex parte luminis, quin possit mouere intellectum nostrum.

QVÆSTIO QVINTA.

Vtrum aliqua veritas certa, & sincera, possit naturaliter cognosci ab intellectu viatoris, absque lucis increatæ speciali illustratione.

ET arguo q̃ non. Aug. 9. de Trin. c. 8. *Sed intueamur* inquit, *inuiolabilẽ veritatem, ex qua perfectè inquãtum possumus diffiniamus, non qualis vniuscuiusque* G *sit mens hominis, sed qualis esse sempiternis rationibus debeat.* Et ibidem. *Alijs omnino regulis supra mentem nostram incommutabiliter manentibus; vel approbare apud nos metipsos, vel improbare conuincimur, cùm aliquid rectè approbamus, vel improbamus.* Et ibidem. *Artemque ineffabiliter pulchram talium figurarum super aciem mentis simplici intelligentia capientes.* Et eodem lib. c. 7. *In illa igitur æterna veritate ex qua temporalia sunt facta omnia, formam secundum quam sumus. &c. aspicimus, atque inde conceptam rerum veracem notitiam, tãquam verbum apud nos habemus.* Item lib. 12. c. 2. & 3. *Sed sublimioris rationis est iudicare de istis corporalibus, secundùm rationes incorporales, & sempiternas.* Item eodem lib. c. 14. *Non autem solum rerum sensibilium in locis positarum, sine spatijs localibus, manent intelligibiles incorporalesque rationes, &c.*

Et quòd intelligat ibi de rationibus æternis verè in Deo, & non de primis principijs, videtur per hoc, quòd ibidem dixit, quòd *paucorum est ad illas peruenire*: si autem intelli- H geret de primis principijs, non est paucorum ad illa peruenire, sed multorum; quia omnibus sunt nota. Item lib. 14. cap. 15. loquens de iniusto qui rectè multa laudat & vituperat in moribus hominum, ait. *Quibus ea tandem regulis iudicant? &c.* Et in fine subdit. *Vbi ergo scriptæ sunt, nisi in libro illo lucis illius, qui veritas dicitur?* Liber ille lucis, est intellectus Diuinus; igitur vult quòd in illa luce iniustus videat, quæ sunt iustè agenda.

Et quòd per aliquid impressum ab illa: videtur; quia ibidem dicit, (vnde omnis lex iusta describitur:) *Et in cor hominis qui operatur iustitiam, non migrando; sed tanquam imprimendo transfertur, sicut imago ex annulo in ceram trãsit, & annulum non relinquit.* Igitur in illa luce videmus, à qua imprimitur in cor hominis iustitia; illa autem est lux increata. Item 2. confess. *Si ambo videmus verum, nec tu in me, nec ego in te, sed ambo in ea, quæ super mentem est, incommutabili veritate.* Multæ autem aliæ auctoritates sunt Aug. in multis locis ad probandum hanc Conclusionem.

In

A In Oppositum ad Roman. 1. *Inuisibilia Dei à creatura mundi per ea, quę facta sunt intellecta conspiciuntur*: sed istæ rationes æternæ, sunt inuisibilia Dei; ergo cognoscuntur ex creaturis; ergo ante visionem istarum, habetur certa cognitio creaturarum.

ARTICVLVS PRIMVS.

Recitatur vna Opinio cum suis motiuis.

IN ista Quæstione est Opinio vna (*Henr. in sum. art. 1. qu. 2.*) talis. Quòd inter intentiones generales, est per se ordo naturalis. Et de duabus quæ sunt ad propositum loquemur, scilicet de intentione Entis, & veri.

Intentio prima est Entis. Quod probatur per illud de causis, proposit. 4. *Prima rerum creatarum est esse*. Et in commento primæ propositionis. *Esse est vehementioris adhærentię*.

B Etiam probatur ratione. Quia entitas est absoluta; veritas dicit respectum ad exemplar; ex hoc sequitur, quòd Ens possit cognosci sub ratione entitatis: licèt non sub ratione veritatis.

Hęc etiam Cõclusio probatur, ex parte intellectus. Quia Ens potest concipi simplici intelligentia; & tunc concipitur illud quod verum est: sed ratio veritatis non concipitur, nisi intelligentia componente, vel diuidente: compositionem autem, & diuisionem, præcedit simplex intelligentia.

Si igitur in Quæstione proposita; quæratur de notitia Entis, siue eius quod est verum. Dicitur, quòd intellectus ex puris naturalibus potest sic cognoscere verum. Quod probatur. *Quia inconueniens est naturam esse ex parte proprię operationis*: secundùm Damasc. & hoc magis est incõueniens in natura perfectiori & superiori, secundùm Philos. in 1. de cęl. & mund. t. 30. & 39. de stellis: quia magnũ inconueniens esset stellas habere virtutem progressiuam, & non habere instrumenta naturalia ad progrediendum;
C igitur cùm propria operatio intellectus sit intelligere verum, videtur inconueniens, quòd natura non concessit intellectui illa, quæ sufficiunt ad hanc operationem.

Sed si loquamur de cognitione veritatis. Respondetur, quòd sicut est duplex exemplar: creatum, & increatum, secundùm Platonem in Thymæo. Exemplar creatum, est species vniuersalis causata à re: Exemplar increatum, est idæa in mente Diuina; ita est duplex conformitas ad exẽplar, & duplex veritas: vna est conformitas ad exemplar creatum; & isto modo posuit Arist. veritates rerũ cognosci per conformitatem earum ad speciem intelligibilem; & ita videtur Aug. ponere 9. de Tri. c. 6. vbi vult quòd rerum notitiam specialem & generalem, ex sensibilibus collectã habemus, secundùm quam de quocunque occurrente, veritatem iudicamus, quòd ipsum sit tale, vel tale.

Sed quòd per tale exẽplar acquisitum in nobis, habeatur omnino certa & infallibilis notitia veritatis de re, hoc dicitur esse omnino impossibile. Et probatur triplici ratione secundùm istos. Prima ratiò sumitur ex parte rei, de
D qua exemplar est extractum. Secunda est, ex parte subiecti in quo est. Tertia, ex parte exemplaris in se.

Prima ratio est talis. Obiectum illud à quo abstrahitur exemplar, est mutabile; ergo non potest esse causa immutabilis alicuius; sed certa notitia alicuius veritatis de aliquo habetur de eo sub ratione immutabilis; ergo non habetur per tale exemplar. Hæc dicitur ratio esse Aug. 83. qu. q. 9. vbi vult, quòd *à sensibilibus nõ est expectanda syncera veritas; quia sensibilia sine intermissione mutantur*.

Secunda ratio talis est. Anima de se est mutabilis, & passiua erroris; ergo per nihil mutabilius ea, potest rectificari ne erret; sed tale exemplar in ea est mutabilius quàm sit ipsa anima; ergo illud exemplar non perfectè regulat animam, ne erret. Hæc dicitur esse ratio Aug. de vera relig. *Lex omnium artium*. &c.

Tertia ratio. Notitiam veritatis certam & infallibilem nullus habet, nisi habeat vnde possit discernere verũ à verisimili: quia si nõ potest discernere verum à falso, vel verisimili; potest dubitare se falli; sed per exemplar prædictum creatum non potest discernere verum à verisimili;
E ergo. &c. Probatio Minoris. Talis species potest repræsentare se, tanquam se: vel alio modo, se tanquã obiectũ, sicut est in somnis; si repręsẽtat se tãquam obiectũ; falsitas est: si se tãquã se; veritas est: igitur per talẽ speciem non habetur sufficiens distinctiuũ, quando repręsentat se vt se, & quãdo se vt obiectum: & ita nec sufficiens distinctiuũ veri à falso.

Ex istis cõcluditur, quòd certam scientiam, & infallibilem veritatem, si contingat hominem cognoscere: hoc nõ contingit ei aspiciendo ad exemplar à re, per sensum acceptum, quantumcunque sit depuratum; & vniuersale factum; sed requiritur, quòd aspiciat ad exemplar increatũ.

Et tunc modus ponitur iste. Deus non vt cognitum habet rationem exemplaris; ad quod aspiciendo cognoscitur syncera veritas; est enim cognitum in generali attributo: sed est ratio cognoscendi, vt nudum exemplar, & propria ratio essentiæ creatæ. Qualiter aũt possit esse ratio cognoscendi, & non cognitum. Ponitur exemplum. Quia sicut radius Solis, deriuatur quandoq; quasi obliquato aspectu à suo fonte, quandoque directo: & eius quod videtur
F in radio, primo modo deriuato, licèt Sol sit ratio videndi, non tamen vt in se est visus: eius autem quod videtur secũdo modo in radio, Sol est ita ratio cognoscendi, quòd etiã est cognitus. Ita igitur lux increata Angelicum intellectum quasi directo aspectu illustrat: & tunc vt visa, est ratio videndi alia in ipsa: intellectum autem nostrũ pro statu viæ, quasi obliquato aspectu illustrat; ideo est intellectu nostro ratio videndi & non visa.

Ponitur autem qualiter habet triplicem rationẽ respectu actus videndi, scilicet lucis acuentis, & speciei immutantis, & characteris siue exemplaris configurantis. Et ex hoc concluditur vltimò, quòd requiritur specialis influentia. Quia sicut illa essentia non videtur à nobis naturaliter in se, ita etiam vt illa essentia est exemplar respectu alicuius creaturæ, non videtur naturaliter, secundùm Aug. de videndo Deum. *In eius enim est potestate videri, si vult videtur, si non vult, non videtur.*

Vltimò additur. Quòd perfecta notitia veritatis est,
G quando duæ species exemplares concurrunt in mente: vna inhærens, scilicet causata; alia illapsa, scilicet non causata, in mente lucendo: de istis autem duabus speciebus rei, confecta vna ratione ad intelligendum rem, cuius est, mens concipit verbum perfectæ veritatis.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Rationes pro Opinione prędicta adductas, non esse fundamentales alicuius sententię verę, nec secundùm intentionem esse Augustini, sed pro sententia Academicorum concludere, ostenditur.

COntra istam Opinionem. Ostendo Primò, quòd istę rationes non sunt rationes fundamentales alicuius opinionis veræ. nec secundùm intentionem Augustini, sed pro Opinione Academicorum. Secundò ostendo, quomodo illa Opinio Academicorum, quæ videtur concludi per istas rationes, falsa sit. Tertiò respondeo ad illas rationes, quatenus minùs cõcludunt. Quartò arguo contra
H Conclusionem istius opinionis. Quintò soluo Quæstionem. Sextò ostendo, quomodo istæ rationes (quatenus sũt Augustini) concludunt aliam intentionem Augustini, nõ autem illam ad quam hic inducuntur.

Primò istæ rationes videntur concludere impossibilitatem certæ cognitionis naturalis. Prima. Quia si obiectum continuè mutatur, non potest haberi aliqua certitudo de ipso, sub ratione immutabilis: imò nec in quocunq; lumine posset certitudo haberi; quia certitudo non est, quando obiectum alio modo cognoscitur, quàm se habet; ergo non est certitudo, cognoscendo mutabile vt immutabile. Patet etiam quòd antecedens huius rationis, scilicet quòd sensibilia continuè mutantur, falsum est. Hæc enim est Opinio quæ imponitur Heraclito 4. Metaph. t. cõm. 22.

Similiter. Si propter mutabilitatem exemplaris, quod est in anima nostra, non posset esse certitudo, cùm quicquid ponatur in anima subiectiuè, sit mutabile, etiam ipse actus intelligendi erit mutabilis; & ita sequitur quòd per

nihil

A nihil in anima, rectificatur anima ne erret. Sequeretur ẽt, quòd ipse actus intelligendi cùm sit mutabilior ipsa anima, in qua est, nunquam erit verus, nec veritatem continebit; quod est falsum. Similiter secundùm Opinionem istam, species causata inhærens, concurrit cum specie illa illabente; sed quando aliquid concurrit, quod repugnat certitudini, non potest certitudo haberi: sicut enim ex altera de necessario, & altera de contingenti, non sequitur conclusio, nisi de contingenti; ita ex certo & incerto concurrentibus ad aliquam cognitionem, non sequitur conclusio certa.

Idem etiam patet, de tertia ratione. Quia si species illa abstracta à re, concurrat ad omnem cognitionem; & non potest iudicari; quando illa non repræsentat se, tanquam se, & quando se tanquam obiectum; ergo quantumcunque aliud concurrat, non potest haberi certitudo, per quam discernatur verum à verisimili.

Istæ igitur rationes videntur concludere omnem incertitudinem, & ita sequitur Opinio Academicorum.

B Quòd autem ista Conclusio non sit secundùm mentem Aug. Probo Aug. 2. soliloquiorum. *Spectamina disciplinarum quisque verissima esse nulla dubitatione concedit* Et Boëtius de hebdomadibus. *Communis animi conceptio est, quam quisque probat auditam,* Et Philoso. 2. Metaph. t. com. 1. *Prima principia sunt omnibus nota, sicut ianua in domo, quia ianua neminem latet, licèt interiora domus lateant.* Ex his tribus auctoritatibus, arguitur sic. Quod conuenit omnibus alicuius speciei, sequitur naturam specificam; igitur cùm quisque habeat certitudinem infallibilem de principijs primis; & vlteriùs cuilibet est naturaliter euidens forma Syllogismi perfecti, 1. prior. scientia autem conclusionis non dependet nisi ex euidentia principiorum, & ex euidentia syllogisticæ illationis; igitur cuilibet naturaliter scita potest esse quæcunque conclusio demonstrabilis, ex præmissis per se notis.

Secundò apparet, quòd Aug. etiam concedit certitudinem eorum, quæ cognoscuntur per experientiam sensuũ, C vnde dicit 15. de Trin. cap. 12. *Absit à nobis, vt ea quæ didicimus per sensus corporis, vera esse dubitemus: per eos quippe didicimus cælum, terram, & ea quæ in eis nota sunt in nobis, quantum ille, qui nos & ipsa condidit, innotescere nobis voluit*: Si igitur non dubitamus de veritate eorum, & non fallimur, vt patet; ergo certi sumus de cognitis per viam sensus, nam certitudo habetur quando excluditur dubitatio, & deceptio.

Tertiò etiam patet quòd Aug. concedit ibidem certitudinem de actibus nostris. 15. lib. cap. eodem vel 31. *Siue dormiat, siue vigilet, viuit; quia etiam dormire, & in somnijs videre, viuentis est.* Quodsi dicas viuere non esse actum secundum, sed primum. Sequitur ibidem. *Si aliquis dicat; scio me viuere, falli non potest, etiam quotiescunque reflectendo supra primum scitum.* Et ibidem. *Si quispiam dicat: volo esse beatus: quomodo non impudenter respondetur, forte falleris? & si dicat: scio me hoc velle, & hoc me scire scio, iam his duobus, & tertium potest addere, quòd hæc duo sciat, & quartum quòd hæc duo se scire sciat; & similiter in infinitum numerum pergere,* Et ibidem. *Si quispiam dicat: errare* D *nolo: nonne siue erret, siue non erret, eum errare nolle verum erit? Et alia,* inquit, *reperiuntur quæ contra Academicos valent, qui nihil sciri ab homine posse contendunt.* Et sequitur ibidem. *Sunt inde libri tres nostri, primo nostræ conuersionis tempore scripti, quos qui poterit, & voluerit legere, lectosque intellexerit: nihil eum profectò, quę ab eis contra perceptionem veritatis argumenta multa inuenta sunt, permouebunt.* Item eodem 14. c. 15. *Illa quæ sciuntur, vt nunquam etiam excidere possint, quoniam præsentia sunt, & ad naturam ipsius animę pertinent, cuiusmodi est illud, quòd nos viuere scimus.* Et sic patet quomodo rationes illæ non concludunt, & quòd falsum est, & contra Augustinum.

E

ARTICVLVS TERTIVS.

Declaratur quomodo Opinio Academicorum negans notitiam certam (quæ videtur posse probari per rationes Articulo Primo adductas) falsa sit.

QVantùm ad Tertium Articulum, vt in nullis cognoscibilibus locum habeat error Academicorum; Videndum est, qualiter de tribus cognoscibilibus prædictis, scilicet de principijs per se notis, & de conclusionibus, secundò de cognitis per experientiam, tertiò de actibus nostris, possit naturaliter haberi certitudo infallibilis.

Quantùm ad certitudinem de principijs. Dico sic. Quòd termini principiorum talem habent identitatem, vt alter notus euidenter, necessariò alterum includat, & ideo intellectus componens illos terminos, ex quo apprehendit eos apud se, habet necessariam causam conformitatis illius actus componendi, ad ipsos terminos, quorum F est compositio, & etiam causam euidentem illius conformitatis. Et ideo necessariò patet sibi conformitas illa, cuius causam necessariam, & euidentem apprehendit in terminis: igitur non potest esse in intellectu apprehensio terminorum, & compositio eorum, quin stet conformitas illius compositionis ad terminos; sicut non potest stare albedo & albedo, quin stet similitudo: hæc autem conformitas compositionis ad terminos, est veritas compositionis; ergo non potest stare compositio talium terminorum, quin sit vera: & ita non potest stare perceptio illius compositionis, & perceptio terminorum, quin stet perceptio conformitatis compositionis ad terminos; & ita perceptio veritatis: quia prima percepta euidenter includunt perceptionem illius veritatis.

Confirmatur ratio ista per simile, per Philosoph. 4. Metaph. t. 8. & 9. vbi vult quòd *oppositum primi principij, scilicet huius, Impossibile est idem esse, & non esse, non potest venire in intellectu alicuius: quia tunc essent opiniones contrarię* G *simul in mente, quod vtique verum est de opinionibus contrarijs, id est repugnantibus formaliter; quia opinio opinans esse de aliquo, & opinio opinans non esse de eodem, sunt formaliter repugnantes.* Ita arguam in proposito, repugnantiam aliquam intellectionem in mente, licèt non formalem. Si enim stat in intellectu notitia totius, & partis, & compositio eorum, cùm ista includant (sicut causa necessaria) conformitatem compositionis ad terminos: si stat in intellectu hæc Opinio, quòd ista compositio sit falsa; stabunt notitię repugnantes, non formaliter, sed notitia vna stabit cum alia, & tamen vna erit causa necessaria oppositæ notitiæ ad illam, quod est impossibile: sicut enim impossibile est album & nigrum stare simul, quæ sunt contraria formaliter; ita impossibile est simul stare album, & illud, quod est præcisa causa nigredinis, ita necessaria, quòd non potest esse sine ea absque contradictione.

Habita euidentia vel certitudine de principijs primis. Patet quomodo habetur de Conclusionibus illatis ex eis, H propter euidentiam formæ Syllogismi perfecti, cùm certitudo conclusionis tantummodo dependeat ex certitudine principiorum, & ex euidentia illationis.

Sed nunquid in ista notitia principiorum & conclusionum non errabit intellectus, si sensus decipiantur omnes circa terminos? Respondeo. Quòd quantùm ad istam notitiam intellectus non habet sensus pro causa, sed tantùm pro occasione: quia intellectus non potest habere notitiam simplicium, nisi acceptam à sensibus, illa tamen accepta, potest simplicia virtute sua componere, & si ex ratione talium simplicium sit complexio euidenter vera, intellectus virtute propria, & terminorum assentiet illi complexioni, non virtute sensus, à quo accipit terminos exteriùs. Exemplum. Si ratio totius, & ratio maioritatis, accipiantur à sensu, & intellectus componat istã, Omne totum est maius sua parte; intellectus virtute sui, & istorũ terminorum, assẽtiet indubitanter isti cõplexioni; &

A non tantùm, quia vidit terminos coniunctos in re, sicut assentit isti, Sortes est albus, quia vidit terminos in re vniri, imò dico, quòd si omnes sensus essent falsi, à quibus accipiũtur tales termini: vel quòd plùs est ad deceptionem, si aliqui sensus essent falsi, & aliqui sensus veri, intellectus circa talia principia non deciperetur; quia semper haberet apud se terminos qui essent causa veritatis, vtpote si alicui cæco nato, essent impressæ miraculosè in somnijs species albedinis, & nigredinis, & illæ remanerent post in vigilia, intellectus abstrahens ab eis, componeret istam, Album non est nigrum, & circa istam non deciperetur intellectus, licèt termini accipiantur à sensu errante; quia ratio formalis terminorum, ad quam deuentum est, est necessaria causa veritatis huius negatiuæ.

De Secundis cognoscibilibus, scilicet de cognitis per experientiam. Dico. Quòd licèt experientia non habeatur de omnibus singularibus, sed de pluribus; nec quòd semper, sed quòd pluries: tamen expertus infallibiliter nouit quòd ita est, & quòd semper & in omnibus: & hoc per B istam propositionem quiescentem in anima, Quicquid euenit vt in pluribus, ab aliqua causa non libera, est effectus naturalis illius causæ: quæ propositio nota est intellectui, licèt accepisset terminos eius à sensu errante; quia causa non libera non potest producere vt in pluribus effectum, ad cuius oppositum ordinatur, vel ad quem ex forma sua non ordinatur; sed causa naturalis ordinatur ad producendum oppositum effectus casualis, vel non ad istũ producendum; ergo nihil est causa casualis, respectu effectus frequenter producti ab eo; & ita si non est libera, est naturalis. Quòd autem iste effectus euenit à tali causa producente, vt in pluribus, hoc acceptum est per experiẽtiam: quia inueniendo nunc talem naturam cum tali accidente, nunc cum tali, inuentum est, quòd quantumcunque esset diuersitas accidentium talium, semper istam naturam sequebatur talis effectus; ergo non per aliquod accidens per accidens illius naturæ, sed per naturam ipsam in se, consequitur talis effectus.

C Sed vlteriùs notandùm. Quòd quandoque accipitur experientia de conclusione, puta quòd Luna frequenter eclypsatur: & tunc supposita conclusione, quia ita est, inquiritur causa talis conclusionis per viam diuisionis: & quandoque deuenitur ex conclusione experta, ad principia nota ex terminis: & tunc ex tali principio noto ex terminis, potest conclusio priùs tantùm per experientiam nota, certiùs cognosci, quàm in primo genere cognitionis, quia vt deducta ex principio per se noto: sicut illud est per se notũ, quòd opacum interpositum inter luminosum videlicet, & perspicuum, impedit luminis multiplicationem ad tale perspicuum: & si inuentum fuerit per diuisionẽ, quòd terra est tale corpus interpositum inter Solem & Lunam, scietur certissimè demonstratione Propter quid, & nõ tantum per experientiam, sicut sciebatur illa conclusio ante inuentionem principij.

Quandoque autem est experientia de principio, ita quòd non contingit per viam diuisionis vlteriùs inuenire principium notum ex terminis, sed statur in aliquo vero, vt in pluribus, cuius extrema expertum est D frequenter vniri, puta, quòd herba talis speciei, est calida, nec inuenitur aliquod medium aliud prius, per quod demonstretur passio de subiecto Propter quòd, sed statur in isto, sicut in primo noto per experientiam: tunc licèt incertitudo, & fallibilitas remoueantur per illam propositionem, Effectus vt in pluribus, alicuius causæ non liberæ, est naturals effectus eius: tamen iste est vltimus gradus cognitionis scientificæ, & forte ibi non habetur necessaria cognitio actualis vnionis extremorum, sed aptitudinalis: si enim passio esset res alia absoluta à subiecto, posset sine contradictione separari à subiecto, & expertus non haberet cognitionem, quia ita est, sed quia aptum natum est ita esse.

De Tertijs cognoscibilibus, scilicet de actibus nostris. Dico, quòd est certitudo de multis eorum, sicut de principijs per se notis, vt patet 4. Metaphys. t. 26. vbi dicit Philosoph. de rationibus dicentium, *omnia apparentia esse vera*, quòd *istę rationes quęrunt, vtrum nunc dormiamus,* E *an vigilemus: ponunt autem idem omnes dubitationes tales: omnium enim rationem hi dignificant esse*. Et subdit. *Rationem querunt quorum non est ratio, demonstrationis enim principij non est demonstratio*. Igitur per ipsum ibidem: *nos vigilare est per se notum, sicut principium demonstrationis*.

Nec obstat quòd est contingens, quia, (sicut dictum fuit aliàs) ordo est in contingentibus, quòd aliqua est prima, & immediata; alioquin vel esset processus in infinitum in contingentibus, vel aliquod contingens sequeretur ex causa necessaria, quorum vtrumque est impossibile.

Et sicut est certitudo de vigilare, sicut de per se noto, ita etiam de multis alijs actibus, qui sunt in potestate nostra, vt de me intelligere, de me audire: & sic de alijs, qui sunt actus perfecti. Licèt enim non sit certitudo, quòd videam album extra positum, vel in tali subiecto, vel in tali distantia; quia potest fieri illusio in medio, vel in organo, & multis alijs vijs; F tamen certitudo est, quòd video, etiamsi illusio fiat in organo (quæ illusio in organo maxima illusio videtur esse) puta, quando actus fit in organo ipso, non ab obiecto præsente, qualis natus est fieri ab obiecto præsente: & ita potentia haberet actum suum, posita tali illusione vel passione: & verè esset illud ibi, quod visio dicitur, siue sit actio, siue passio, siue vtrumque. Si autem illusio fieret non in organo proprio, sed in aliquo proximo, quod videtur organum, sicut si non fieret illusio in concursu neruorum, sed in ipso oculo fieret impressio speciei, qualis nata est fieri ab obiecto, adhuc visus videret; quia talis species, vel quòd natum est in ea videri, videretur; quia haberet sufficientem distantiam respectu organi visus: quod est in concursu istorum neruorum, sicut patet per Aug. 11. de Tri. cap. 2. quòd *reliquię visorum, remanentes in oculo, oculis clausis videntur*, & per Philoso. de sensu & sensato: quòd *ignis qui generatur ex eleuatione oculi violenta, & multiplicatur vsque ad palpebram clausam videtur*: istæ sunt veræ visiones, licèt non perfectissimæ; quia hìc sunt sufficientes distantiæ specierum ad organum principale visus. G

Sed quomodo habetur certitudo eorum, quæ subsunt actibus sensus, puta quòd aliquod extra est album, vel calidum, quale apparet? Respondeo. Aut circa tale cognitum opposita apparent diuersis sensibus; aut non, sed omnes sensus cognoscentes illud habent idem iudicium de eo: Si secundo modo; tunc certitudo habetur de veritate talis cogniti per sensus, & per illam propositionem præcedentem, Quod euenit vt in pluribus ab aliquo, est effectus naturalis eius, si non sit causa libera: Ergo cùm ab isto præsente euenit, vt in pluribus, talis immutatio sensus, sequitur quòd immutatio, vel species genita, sit effectus naturalis talis causæ: & ita tale extra erit album, vel calidum; vel tale, quale natum est repræsentari per speciem genitam ab ipso, vt in pluribus. Si autem diuersi sensus habent diuersa iudicia de aliquo viso extra, puta visus dicit baculum esse fractum, cuius est pars in aqua, & pars in aere, & tactus potest experiri contrarium; H visus etiam semper dicit Solem esse quantitatis minoris, quàm est, & omne visum à remotis esse minus, quàm sit: in talibus est certitudo, quid verum sit, & quis sensus erret, per propositionem quiescentem in anima, certiorem omni iudicio sensus, & per actus plurium sensuum concurrentes, ita quòd semper aliqua propositio rectificat intellectum de actibus sensus, quis sit verus, & quis fallat: in qua propositione, intellectus non dependet à sensu, sicut à causa, sed sicut ab occasione. Exemplum. Intellectus habet hanc propositionem quiescentem, Nullum durius frangitur ad tactum alicuius mollis sibi cedentis; hæc est ita per se nota ex terminis, quòd etsi essent accepti à sensibus errantibus, non potest intellectus dubitare de illa propositione: imò oppositum includit contradictionem: sed quòd baculus sit durior aqua, & quòd aqua sibi cedit, hoc dicit vterque sensus, tam visus quã tactus; sequitur igitur quòd baculus non est fractus,

sicut

A sicut sensus visus iudicat ipsum fractum: & ita quis sensus errat, & quis non, circa fracturam baculi intellectus iudicat per certius omni actu sensus. Similiter ex alia parte: quòd idem quantum applicatum quanto, omnino est æquale sibi: hoc est notum intellectui, quantumcunque notitia terminorum accipiatur à sensu errante; sed quòd idem quantum possit applicari viso propinquo & remoto, hoc dicit tam visus, quàm tactus; ergo quantum visum, siue propè siue à remotis, est æquale; igitur visus dicens hoc esse minus, errat.

Hæc Conclusio concluditur ex principijs per se notis, & ex actibus duorum sensuum cognoscentium, vt in pluribus ita esse; & ita vbicunque ratio iudicat sensum errare, hoc iudicat non per aliquam notitiam præcisè acquisitam à sensibus, vt à causa, sed per aliquam notitiam occasionatam à sensu, in quo non fallitur, etiamsi omnes sensus fallantur, & per aliquam aliam notitiam acquisitam à sensu, vel à sensibus, vt in pluribus, quæ sciũtur esse vera per propositionem sæpè allegatam, scilicet, Quod euenit vt in plu-
B ribus, &c.

ARTICVLVS QVARTVS.

Soluuntur rationes Academicorum Primo Articulo positę, quatenus malè concludunt.

QVantum ad Quartum Articulum ex istis, respondendum est ad illas tres rationes.

AD Primum. Ad illud de mutatione obiecti. Antecedens est falsum: nec est Opin. August. sed Heracliti, & discipuli sui Crathili, *qui nolebant loqui, sed mouere digitum*, vt dicitur 4. Metaph. t. 22. Et etiam consequentia non valet, dato quòd antecedens esset verum: quia adhuc secundùm Arist. posset haberi certa cognitio de hoc, quòd omnia continuè mouentur. Non sequitur etiam: si est obiectum mutabile; ergo quod gignitur ab eo non est repręsentatiuum alicuius sub ratione immutabilis; quia muta-
C bilitas in obiecto, non est ratio gignendi, sed natura ipsius obiecti, quod est mutabile; genitum igitur ab ipso, repræsentat naturam per se; igitur si natura vnde natura, habeat aliquam immutabilem habitudinem ad aliud, illud aliud per suum exemplar, & illa natura per suum exemplar, repræsentantur vt immutabiliter vnita: & ita per duo exemplaria genita à duobus mutabilibus, non inquantum mutabilia, sed inquantum naturæ, potest haberi notitia immutabilis vnionis eorum. Patet etiam, quòd per repræsentatiuum in se mutabile, potest repræsentari aliquid sub ratione immutabilis. Quia Essentia Dei sub ratione immutabilis, repræsentatur intellectui creato per aliquid omninò mutabile, siue illud sit species, siue actus. Hoc patet per simile: quia finitum potest repræsentare aliquid sub ratione infiniti.

Ad Secundum. Dico, quòd in anima potest intelligi duplex mutabilitas: vna ab affirmatione in negationem, & è conuersò, puta ab ignorantia ad scientiam, vel à non in-
D tellectione ad intellectionem: alia quasi à contrario in cõtrarium, puta à rectitudine ad deceptionem, & è conuersò: anima autem (quoad quæcunque obiecta) est mutabilis prima mutabilitate, & per nihil formaliter in ea existẽs tollitur ab ea talis mutabilitas, sed non est mutabilis secũda mutabilitate, nisi circa ista complexa, quæ non habent euidentiam ex terminis. Circa illa verò quæ sunt ex terminis euidentia, mutari non potest secunda mutabilitate; quia ipsi termini apprehensi, sunt causa necessaria conformitatis compositionis ad ipsos terminos; igitur si anima est mutabilis à rectitudine in errorem, absolutè non sequitur, quòd per nihil aliud à se potest rectificari; quia saltem rectificari potest per illa obiecta, circa quæ non potest intellectus errare apprehensis terminis.

Ad Tertium. Si aliquam apparentiam haberet, magis concluderet contra opinionem illam, quæ negat speciem intelligibilem: quia illa species quę potest repræsentare se tanquam obiectum in somnis, est phantasma, non species intelligibilis; igitur si intellectus solo phantasmate vtatur, per quod obiectum est sibi præsens, & non alia specie intelligibili, non videtur quòd per aliquid in quo obiectum sibi relucet, posset discernere verum à verisimili: sed ponendo speciem intelligibilem in intellectu, non valet ratio; quia intellectus non potest vti illa pro se vt pro obiecto, quia non contingit vti illa in dormiendo. E

Si obijcias. Quòd phantasma potest repræsentare se vt obiectum; igitur intellectus propter illum errorem virtutis phantasticæ, potest errare, vel saltem ligari ne possit operari, vt patet in somnis, & phreneticis. Potest dici, quòd si ligetur, quando est talis error in virtute phantastica, non tamen errat intellectus; quia tunc non habet aliquem actum.

Sed quomodo sciet intellectus, vel erit intellectus certus, quando non errat virtus phantastica, quam tamen nõ errare, requiritur ad hoc, vt intellectus non erret?

Respond. Ista veritas quiescit in intellectu. Quòd potentia non errat circa obiectum proportionatum, nisi indisposita sit: & notum est intellectui virtutem phantasticam non esse indispositam in vigilia, tali indispositione, F
quæ facit phantasma repræsentare se tanquam obiectum: quia per se notum est intellectui, quòd intelligens vigilat, & ita quòd virtus phantastica non est ligata in vigilia, sicut in somnis.

Sed adhuc instatur contra istam certitudinem dictam de actibus, hoc modo. Videtur mihi quòd videam vel audiam, vbi tamen non video vel audio; ergo de hoc non est certitudo. Respondeo. Quòd aliud est contra negantem aliquam propositionem ostendere eam esse veram; aliud est alicui admittenti eam, ostendere quomodo sit vera. Exemplum. 4. Metaph. cap. 9. vbi contra negantes primum principium, non inducit Philosophus illud inconueniens, quòd opiniones contrariæ simul essent in anima; quia hoc ipsi concederent sicut præmissam; sed inducit eis alia inconuenientia manifesta eis, licèt non in se; sed recipientibus primum principium ostendit, quomodo sit notum primum principium: quia ita notum est, quòd oppositum eius non possit euenire in mente. Quod probat. Quia tunc possent opposita contraria simul inesse. Talis conclusio est magis ibi inconueniens, quàm hypotesis. G

Ita hìc: si contendis mecũ, nullã propositionem esse per se notam, nolo disputare tecum. Constat. n. quòd tu es proteruus, quia non es persuasus; sicut patet in actibus tuis: quomodo obijcit Philosophus 4. Metaph. cap. 10. 18. & 24. somnians enim de aliquo quasi de proximo obtinendo, & postea euigilans, non prosequitur illud, sicut prosequeretur, si ita esset proximus vigilando ad illud consequẽdum: si autem admittas aliquam propositionem esse per se notam, oportet quòd possit cognosci, & circa quodcunq; potest potentia indisposita errare; sicut patet in somnijs; igitur ad hoc quòd aliqua cognoscantur esse per se nota, oportet quòd possit cognosci quando potentia est disposita, & quando non: & per consequens potest haberi notitia de actibus nostris, quòd potẽtia est ita disposita, quòd illa sunt per se nota, quæ apparent sibi per se nota.

Dico tunc ad formam illius cauillationis. Quòd sicut apparet somnianti se videre, ita posset ibi apparere oppositum vnius principij per se noti speculabilis, & tamen non sequitur quin illud principium sit per se notum: ita non sequitur, quia illud sit per se notum audienti, quòd audiat; quia circa vtrũq; potest potentia indisposita errare, non autem potentia disposita: & quando sit disposita, & quando non, hoc est per se notum; aliàs non posset cognosci aliquam aliam esse per se notam; quia non posset cognosci quæ esset per se nota, vtrum illa cui intellectus dispositus sic vel sic assentiret. H

ARTICVLVS QVINTVS.

Arguitur contra Conclusionem Henrici Gandau. datam pro resolutione præsentis Quæstionis.

CIrca Quintum Articulum, contra Conclusionem Opinionis, arguo sic. Quæro quid intelligit per veritatem certam & synceram? aut veritatem infalli-

A bilem,abſque ſcilicet dubitatione & deceptione,& eſt pro-
batum prius,& declaratum in Secundo,& Tertio Articu-
lis,quòd illa poteſt haberi ex puris naturalibus:aut intelli-
git de veritate,quæ eſt paſſio Entis, & tunc cùm Ens poſ-
ſit naturaliter cognoſci;ergo & verum cùm ſit paſſio eius:
& ſi verum;ergo & veritas per abſtractionem ; quia quæ-
cunque forma poteſt intelligi vt in ſubiecto, poteſt etiam
intelligi vt in abſtracto in ſe,& in abſtracto à ſubiecto:aut
tertiò intelligit per veritatem,conformitatem ad exẽplar:
& ſi ad creatum, patet propoſitum: ſi autem ad exemplar
increatum, conformitas ad illud non poteſt intelligi, niſi
illo exemplari cognito ; quia relatio non eſt cognoſcibilis
niſi cognito extremo;ergo falsũ eſt,quòd ponitur in Opi-
nione, ſcilicet exemplar æternum eſſe rationem cognoſcẽ-
di,non cognitum.

Præterea Secundò ſic. Intellectus ſimplex quod intel-
ligit confuſè,poteſt cognoſcere diffinitiuè,inquirendo dif-
finitionem illius cogniti,per viam diuiſionis:hæc cognitio
diffinitiua videtur perfectiſſima,pertinens ad intellectum
B ſimplicem ; ex tali cognitione perfectiſſima terminorum,
poteſt intellectus perfectiſſimè cognoſcere principium, &
ex principio Concluſionem : & in hoc compleri videtur
notitia intellectualis : ita quòd non videtur cognitio veri-
tatis neceſſaria haberi,vltra veritates prędictas.

Item Tertiò. Aut lux æterna cauſat aliquid priùs na-
turaliter actu,aut non:ſi ſic;aut ergo in obiecto,aut in in-
tellectu:non in obiecto;quia obiectum inquantum habet
eſſe in intellectu,nõ habet eſſe reale,ſed intentionale;igi-
tur non eſt capax alicuius accidentis realis:Si in intellectu;
igitur lux increata non immutat ad cognoſcendũ ſyncerá
veritatem,niſi mediante effectu ſuo : & ita æquè perfectè
videtur opinio communis ponere notitiam in lumine in-
creato, ſicut iſta opinio ; quia ponit eam videre in intelle-
ctu agente,qui eſt effectus lucis increatę,& perfectior quá
eſſet illud lumen accidẽtale cauſatum: ſi autem nihil cau-
ſat ante actum : aut ergo ſola lux cauſat actum, aut lux
cum intellectu & obiecto:ſi ſola lux;ergo intellectus agẽs
C nullam habet operationem in cognitione ſynceræ verita-
tis:quod videtur inconueniens;quia iſta operatio eſt nobi-
liſſima intellectus noſtri; ergo intellectus agẽs qui eſt no-
biliſſimus in anima,concurret aliquomodo ad iſtam actio-
nem. Similiter etiam ſecundùm Philoſ. 3. de anima.cap.
17.& 18.intellectus agens,correſpondet in ratione actiui,
poſſibili in ratione paſſiui;ergo quicquid recipit poſſibilis,
ad illud aliquomodo ſe habet actiuè intellectus agens.
Hoc etiam inconueniens quod illatum eſt,concluditur ex
Opinione prædicta per aliam viam, quia (ſecundùm ſic
opinantem) agens vtens inſtrumento,non poteſt habere
actionem eccedentem actionem inſtrumenti ; igitur cùm
virtus intellectus agentis non poſſit in cognitionem ſyn-
ceræ veritatis, lux æterna vtens intellectu agente,non po-
terit in cognitionem vel in actionẽ iſtius cognitionis ſyn-
ceræ veritatis, ita quòd intellectus agens habeat ibi ratio-
nem inſtrumenti.

Si dicas. Quòd lux increata,cum intellectu & obiecto,
cauſet iſtam veritatem ſynceram.Hęc eſt communis Opi-
D nio,quæ ponit lucem æternam,ſicut cauſam remotã, cau-
ſare omnem certam cognitionem vel veritatem. Vel igi-
tur erit iſta Opinio inconueniens,vel nõ diſcordat à com-
muni opinione.

ARTICVLVS SEXTVS.

Soluitur Quæſtio, & quomodo veritates videantur in regulis æternis,ſecundùm Auguſtinum,explicatur.

AD Quæſtionem igitur. Dico. Quòd propter verba
Aug. oportet concedere quòd veritates infallibiles
videntur in regulis æternis.

Vbi Primò Nota. Quòd poteſt ly In,accipi obiectiuè:
& hoc quodrupliciter. Vel ſicut in obiecto proximo: Vel
ſicut in continente obiectum proximum ; Vel ſicut in eo,
virtute cuius obiectum proximum mouet: Vel ſicut in ob-
iecto remoto.

Ad intellectum Primi. Dico,quòd omnia intelligibilia
actu intellectus Diuini habent eſſe intelligibile, & in eis E
omnes veritates de ſe relucent, ita quòd intellectus intel-
ligens ea, & virtute eorum intelligens neceſſarias verita-
tes de eis, videt in eis ſicut in obiectis iſtas veritates neceſ-
ſarias; illa autem inquantum ſunt obiecta ſecundaria in-
tellectus Diuini,ſunt veritates, quia conformes ſuo exem-
plari,intellectui ſcilicet Diuino ; & ſunt lux,quia manife-
ſtatiuæ ; & ſunt immutabiles ibi & neceſſariæ: ſed æternæ
ſunt ſecundùm quid ; quia æternitas eſt conditio exiſten-
tis,& illa non habent exiſtentiam niſi ſecundùm quid.Sic
ergo primò poſſumus dici, videre ea in luce æterna, hoc
eſt,in obiecto ſecũdario intellectus Diuini, quod eſt veri-
tas,vel lux æterna,modo expoſito.

Secundus modus patet ſimiliter. Quia intellectus Di-
uinus continet iſtas veritates, quaſi liber: ſicut dicit illa
auctoritas Aug. de Trin. 14.c. 15. quòd *iſtę regulę ſcriptę
ſunt in libro lucis ęternę*,id eſt, in intellectu Diuino,inquã-
tum continet veritates iſtas:& licèt ille liber nõ videatur,
videntur tamen illæ quidditates vel veritates, quæ ſunt
ſcriptæ in illo libro : & eatenus poſſet dici intellectus no- F
ſter videre veritates in luce æterna,hoc eſt,in illo libro,ſi-
cut in continente obiectum, & hoc ſecundùm ſecundum
modum: vel etiam in illis veritatibus, quæ ſunt lux æterna
ſecundùm quid, ſicut in obiectis videmus, & hoc ſecun-
dùm primum modum: & alter iſtorum modorum videtur
eſſe de intellectu Auguſt. 12. de Trin. cap. 14. quòd *ratio
quadrati corporis manet incorruptibilis, & immutabilis &c.*
non autem manet talis, niſi vt eſt obiectum ſecundarium
intellectus Diuini.

Contra tamen Primum modum eſt dubium. Si enim
non videmus iſtas veritates, vt in intellectu Diuino, quia
non videmus intellectum Diuinum : quomodo dicemur
videre in luce increata,ex hoc quòd videmus in tali luce
æterna ſecundùm quid,quæ habet eſſe in luce increata, ſi-
cut in intellectu cognoſcente?

Huic reſpondet Tertium membrum. Quòd illa vt ſunt
obiectum ſecundarium intellectus Diuini,non habent eſ-
ſe niſi ſecundùm quid:operatio autem verè realis,non cõ- G
petit præcisè alicui Enti ſecundùm quid virtute ſui : ſed ſi
aliquomodo cõpetit ſibi, hoc oportet eſſe virtute alicuius,
cui competit eſſe ſimpliciter; igitur iſtis obiectis ſecũdarijs
non competit mouere intellectum præcisè, niſi in virtute
eſſe intellectus Diuini, quod eſt eſſe ſimpliciter, & per
quod iſta habent eſſe ſecundũ quid.Sic igitur in luce ęter-
na ſecundùm quid,ſicut in obiecto proximo videmus;ſed
in luce increata videmus ſecundùm tertium modum, ſi-
cut ſcilicet in cauſa proxima, cuius virtute obiectum pro-
ximum mouet.

Iuxta hoc etiam poſſet dici. Quòd quantùm ad Ter-
tium modum,videmus in luce æterna,ſicut in cauſa proxi-
ma obiecti in ſe : nã intellectus Diuinus producit iſta actu
ſuo in eſſe intelligibili,& actu ſuo dat huic obiecto eſſe ta-
le ; & illi tale;& per cõſequens dat eis talem rationem ob-
iecti, per quam rationem primò mouent intellectum, ad
cognitionem talem certam.

Et quòd propriè poſſet dici intellectum noſtrum videre
in luce æterna,quia lux eſt cauſa obiecti:apparet per ſimi- H
le ; quia propriè dicimur intelligere in ordine intellectus
agentis,cùm tamen illud lumen, non ſit niſi cauſa actiua,
ſcilicet vel faciens obiectum in actu, vel virtute cuius ob-
iectum mouet,vel vtrumque. Iſta igitur duplex cauſalitas
intellectus Diuini,qui eſt vera lux increata,videlicet quòd
producit obiecta ſecundaria in eſſe intelligibili,& quòd eſt
illud virtute cuius obiecta ſecundaria etiam producta mo-
uent actualiter intellectum, poteſt quaſi integrare vnum
tertium membrum,de cauſa, propter quam dicamur verè
videre in luce æterna.

Et ſi obijcias cõtra iſtos duos modos integrantes tertiũ
mẽbrum de cauſa. Quia tunc magis videtur ꝙ diceremur
videre in Deo volẽte, vel in Deo,vt voluntas eſt, quàm in
Deo vt lux eſt;quia voluntas Diuina eſt principium imme-
diatum cuiuslibet actus ad extra. Reſp. Intellectus Diui-
nus inquantum aliquomodo prior eſt actu voluntatis Di-
uinæ,producit iſta obiecta in eſſe intelligibili, & ita reſpe-
ctu iſtorum videtur eſſe cauſa merè naturalis ; quia Deus

non

A non est causa libera respectu alicuius,nisi quod præsupponit ante se aliquomodo voluntatem, seu actum voluntatis;& sicut intellectus, vt prior actu voluntatis, producit obiecta in esse intelligibili,ita vt prior causa videtur cooperari illis intelligibilibus ad eorum effectum naturalem, vt scilicet apprehensa & composita causent apprehensionis conformitatem ad se. Videtur igitur quòd contradictionem includat,aliquem intellectum talem compositionem formare,& compositionem non esse cõformem terminis, licèt possibile sit illos terminos non concipere; quia licèt Deus voluntariè coagat ad hoc,quòd intellectus terminos componat,vel non;tamen cùm composuerit, vt illa compositio sit conformis terminis, hoc videtur necessariò sequi rationem terminorum,quam habet ex intellectu Dei, causante illos terminos in esse intelligibili. Et ex isto apparet,qualiter non est necessaria specialis illustratio ad videndum in regulis æternis: quia Aug. non ponit in eis videri,nisi vera,quæ sunt necessaria ex vi terminorum,& in talibus est maxima necessitas,tam causæ remotæ,quã proximæ,respectu effectus,puta tam intellectus Diuini ad obiecta mouentia, quàm illorum obiectorum ad veritatem complexionis de eis: & licèt etiam non sit tanta necessitas ad perceptionem illius veritatis, quòd oppositũ includat contradictionem, tamen necessitas est ex parte causæ proximæ,coassistente sibi causa remota; quia termini apprehensi, & compositi, nati,sunt naturaliter causare euidentiam conformitatis compositionis ad terminos;etiamsi ponatur quòd Deus coagat terminis ad istum effectum influentia generali,non tamen necessitate naturali.Sed siue sit influentia generalis, siue (quod plùs est) necessitas naturalis influendi terminis ad hunc effectum,patet quòd non requiritur illustratio specialis.

Assumptum de intentione Augusti.patet per ipsum 4.de Trinit.c.15. vbi loquitur de Philosophis infidelibus, *Nonnulli eorum potuerunt aciem mentis vltra omnem creaturam transmittere, et lucem incommutabilis veritatis quantulacunque ex parte attingere,quod Christianos multos ex fide interim sola vigentes nondum potuisse derident*: igitur vult quòd Christiani credita non vident in regulis æternis,sed Philosophi vident in illis necessaria multa. Idem 9.de Trin.c.6. *Non qualis sit vniuscuiusque hominis mens* &c. quasi diceret contingentia non videntur ibi,sed necessaria. Et in eodem 4.lib.c.16. arguitur contra istos Philosophos, *Nũquid quia verissimè disputant,et documentis certissimis persuadent, æternis rationibus omnia temporalia fieri, propterea potuerunt in ipsis rationibus perspicere, vel ex ipsis colligere, quot sunt animalium genera, quæ semina singulorum in exorais? etc.nonne ista omnia non per illam incommutabilem sapientiam,sed per locorum ac temporum historiam quæsierunt,et ab alijs experta atque conscripta crediderunt?* ergo intelligit quòd per regulas æternas non cognoscuntur illa contingentia, quæ tantũ per sensus cognoscuntur,vel per historias creduntur; & tamen specialis illustratio magis requiritur in credendis contingentibus,quàm in cognoscendis necessarijs:imò ibi maximè remouetur illustratio specialis, & sufficit sola generalis.

D Contra. Quid igitur dicit Aug.12.de Trin.c.14. quòd *paucorum est peruenire mentis acie, ad rationes intelligibiles*? Et 83.quæst.q.46. *Non nisi puræ animæ ad illas pertingunt.* Respondeo. Ista puritas non debet intelligi à vitijs:quia 14.de Trinit. 15. vel 34. vult quòd iniustus *videt in regulis æternis, quid in his sentiendum sit*. Et 4.lib.c. præallegato, vult quòd *Philosophi vident veritatem in regulis æternis sine fide*. Et quæst.eadem,vult quòd *nullus potest esse sapiens sine cognitione idearum*:eo modo quo Platonem forsan cõcederet esse sapientẽ:sed ista puritas debet intelligi eleuando intellectum ad considerandum veritates,vt relucent in se,non tantùm vt relucent in phantasmate.

Vbi considerandum. Quòd res sensibilis extra, causat phantasma confusum:& vnum per accidens in virtute phantastica,repræsentans scilicet rem secundùm quantitatem,figuram,colorem,& alia accidentia sensibilia:& sicut phantasma repræsentat tantùm confusè,& per accidens; ita multi percipiunt tantùm Ens per accidens: veritates autem puræ,præcisè sunt tales ex propria ratione terminorum, inquantum illi termini abstrahuntur ab omnibus E per accidens coniunctis cum eis. Non enim hæc propositio,Omne totum est maius sua parte,primò vera est,vt totum est in lapide,vel ligno;sed vt totũ abstrahitur ab omnibus quibus coniungitur per accidens: & ideo intellectus qui nunquam intelligit totalitatem, nisi in conceptu per accidens:puta in totalitate lapidis vel ligni, nunquam intelligit sinceram veritatem huius principij; quia nũquam intelligit præcisam rationem termini, per quam est veritas. Paucorum igitur est pertingere ad rationes æternas; quia paucorum est habere intellectiones per se:& multorum est habere conceptus tales per accidens;sed isti nõ dicuntur distingui ab alijs per specialem illustrationem,sed per meliora naturalia; quia habent intellectum magis abstrahentem & perspicaciorem;vel propter maiorem inquisitionem, per quam æquè ingeniosus peruenit ad cognoscendum illas quidditates, quas alius non inquirens nõ cognouit. Et isto modo intelligitur illud August. de vidente in monte, & vidente inferiùs àërem nebulosum, & superiùs àërem sincerum 9.de Trin.c.6.qui enim tantùm intelligit se per conceptus per accidens, ipse est quasi in valle positus,circundatus àëre nebuloso; sed qui separat quidditates intelligendo præcisè eas conceptu per se,quæ tamẽ relucent in phantasmate, cum multis alijs accidentibus adiunctis,ipse habet phantasma inferius,scilicet àërem nebulosum, & ipse est in monte inquantum cognoscit illam veritatem,& videt verum supra,vel istam veritatem superiorem in virtute intellectus increati, quæ est lux æterna. F

Vltimo modo potest concedi, quòd cognoscuntur veritates sinceræ in luce æterna,sicut in obiecto remoto cognito: quia lux increata est primum principium entium speculabilium,& vltimus finis rerum practicarum,& ideo ab ipsa sumuntur principia tam speculabilia quàm practica: & ideo cognitio omnium tàm speculabilium quàm practicabilium per principia sumpta à luce æterna vt cognita; est perfectior, & purior, cognitione sumpta per principia in genere proprio; sicut dictum est in quæstione de Theologiæ subiecto, & est eminentior alia quacunque. Et hoc modo cognitio omnium pertinet ad Theologum. Cognoscere enim Triãgulum habere tres,vt est quędam participatio Dei,& habens talem ordinem in vniuerso, quòd quasi exprimit perfectionem Dei; hoc est nobiliori modo cognoscere Triangulum habere tres, quàm per rationem Triãguli;& ita cognoscere quod temperatè viuendum sit, propter beatitudinem vltimam consequendam,quę est attingendo Dei Essentiam in se, est perfectiùs cognoscere istud cognoscibile practicum, quàm per principium aliquod in genere moris, puta per hoc, quòd honestè viuendum sit:& isto modo loquitur August. de luce increata vt cognita 15. de Trinit. cap. 27. vbi seipsum alloquens ait. *Nempe ergo multa vera vidisti, eaquè discreuisti ab illa luce, qua tibi lucente vidisti? attolle oculos ad ipsam lucem, et eos in eam fige si potes: Sic enim videbis quid distet natiuitas Verbi Dei, à processione doni Dei.* Et paulò post. *Hęc et alia similiter certa oculis tuis interioribus lux ista monstrauit; quę igitur est causa,cur acie fixa ipsum videre non possis? nisi vtique infirmitas. etc.* G H

Ex dictis patet ad omnes auctoritates August. in oppositum: & secundùm aliquem dictorum modorum videndi,exponi possunt auctoritates August. quæ occurrunt de ista materia.

ARTICVLVS SEPTIMVS.

Declaratur, quomodo dicta quędam Augustini pro Primo Articulo adducta concludunt aliam intentionem Augustini, non autem illam ad quam ibi Opinans inducit.

DE Septimo Articulo. Videndum est quomodo illæ tres rationes factæ, pro Prima Opinione aliquid veri concludunt, inquantum accipiuntur ab August. licèt non concludant illam Conclusionem falsam,ad quam inducuntur.

A Vbi Sciẽdum est. Quòd à sensibilibus, sicut à causa per se principali, nõ est expectãda syncera veritas: quia notitia sẽsus est circa aliquid per accidens: vt dictũ fuit, licèt actus sensuum aliqui sint certi & veri; sed virtute intellectus agentis, qui est participatio lucis increatæ, illustrantis super phantasmata, cognoscitur quidditas rei: & ex hoc habetur syncera veritas. Et per hoc soluitur Primum argumentum Henrici, & secundùm intentionem August. non plùs concludit.

Ad Secundam rationem Henrici. Dico, quòd anima mutabilis est ab vno actu disparato ad alium, secundùm diuersitatem obiectorum, propter suam illimitationem, & immaterialitatem; quia est respectu cuiuslibet Entis. Similiter ab actu in non actum: quia non semper est in actu: sed respectu primorum principiorum, quorum veritas nota est ex terminis, & Conclusionum euidenter deductarũ ex terminis, non est mutabilis à contrario in contrarium, scilicet à vero in falsum. Regulæ enim in lumine intelle- B ctus agentis intellectum rectificant, & ipsa species intelligibilis terminorum, licèt in essendo sit mutabilis, in repræsentando tamen in lumine intellectus agentis, immutabiliter repræsentat, & per duas species intelligibiles cognoscuntur termini primi principij: & ita illa vnio est vera, & certa euidenter.

Ad Tertium. Dicendum, quòd concludit contra eum: quia non ponit nisi speciem sensibilem, vel phantasma; nõ autem concludit de specie intelligibili repræsentãte quidditatem. Dicendum autem, quòd si potentiæ sensitiuæ non sunt impeditæ, species sensibiles veraciter repræsentant rẽ; sed in somno potentiæ sensuum exteriorum sunt ligatæ, ideo virtus imaginatiua conseruans species sensibiles, secũdùm diuersitatem fluxus humorum capitis, apprehendit eas tanquam res, quarum sunt similitudines: quia vim rerum habent secundùm Philosophum de motibus animalium. Non plùs concludit Tertia ratio.

QVÆSTIO SEXTA.

C *Vtrum in omni creatura sit vestigium Trinitatis.*



IRca Secundam partẽ huius Distinctionis Tertiæ: in qua Magister agit de cognoscibilitate Dei per vestigiũ. Quæro. Vtrum in omni creatura sit vestigium Trinitatis?

Quòd non. Quia per vestigium potest inuestigari naturaliter illud cuius est vestigium; ergo per creaturã posset naturaliter inuestigari Trinitas: quod est falsum: quia hoc excedit naturalem rationem.

Item. Si in natura intellectuali est imago Trinitatis; igitur non vestigium. Consequentia patet. Quia ista habent oppositas, & distinctas rationes repræsentandi; igitur non conueniunt eidem.

Item. Natura intellectualis, quia nobilior est, habet aliam rationem repræsentandi, quàm aliæ naturæ inferiores: vt rationem imaginis; sed citra naturam intellectualẽ sunt naturæ multæ habentes ordinem in perfectione; si- D cut sunt animata supra inanimata, & mixta supra simplicia: ergo in eis erit alia ratio repræsentandi: ita quòd ratio vestigij non erit communis omnibus.

Contra. 6. de Trin. cap. vltim. vel 18. *Oportet igitur, vt & Creatorem per ea quæ facta sunt intellecta conspiciẽtes, intelligamus* Trinitatem, *cuius in creatura, quomodo dictum est apparet vestigium.*

ARTICVLVS PRIMVS.

Quæ sit ratio vestigij in corporalibus?

QVantùm ad Primũ. Dicitur (*a D. Th. in l. scripto d. 13. art. 2: & in 1. par. q. 45. art. 7*) Quòd vestigium est impressio derelicta ex transitu alicuius super vacuum, vel plenum, ipsum imperfectè repræsentans. Et ideò imperfectè; quia vestigium repræsentat aliquid confusè, vt sub ratione speciei: imago perfectè; quia sub ratione indiuidui: sicut per vestigium distinguitur equus à boue, & cognoscitur quòd transiens est equus non bos, non autem distinguitur hic equus ab illo: sed imago distinguit sub ratione indiuidui; quia imago Iouis non repræsentat Cæsarem. E

Contra illud quod dicitur in primo membro. Si tantùm esset vnum animal, ita quòd non esset aliud possibile in vniuerso; adhuc eius vestigium non esset eius imago: quia adhuc non esset eius vestigium similitudo totius, sed partis, imago autẽ est totius similitudo: & tamen tunc non repræsentaret ipsum confusè, id est, secundùm aliquam rationem communem sibi & alijs.

Quantùm ad hoc igitur. Dico. Quòd vestigium est similitudo illius partis animalis, à qua imprimitur in aliquid sibi cedens: sed similitudo impressa partis, non est similitudo totius; quia neque secundùm rationem totius in se, nec etiam qua totum immediatè cognoscitur, sed arguitiuè tantum, ex hoc quòd cognoscitur illud repræsentatũ esse aliquid illius: & ideo si illud suppositum sit falsũ, puta quòd illud imprimẽs est separatum à toto; vt si pes amputatus à corpore imprimeret vestigium, erraret quis circa totum, cuius nata est talis esse pars impressiua vestigij. F Patet etiam quòd si totum corpus esset ita impressum pulueri, sicut modò pes est impressus, illa impressio derelicta, verè esset imago & similitudo totius, sicut modò vestigium est similitudo partis.

Hoc etiam ad propositum applicando. Non videtur quòd prima differentia posita inter vestigium, & imaginẽ sit vera. Quia nulla creatura repræsentat Deum, nisi secundùm conceptus communes, & non secundùm conceptus speciales, scilicet speciei specialissimæ; ergo modò est differentia creaturæ ad creaturam in repræsentando Deũ, in ratione communi, & non communi.

ARTICVLVS SECVNDVS.

In quo consistat ratio vestigij in creatura, respectu Dei?

QVantùm ad Secundum Articulum. Dicitur (*ab Henr. quol. 9. qu. 1. & 2.*) Quòd creatura ad Deum habet triplicem relationem, sicut ad triplicem causam: & hoc secũdùm tres modos relatiuorum, quos ponit Philos. 5. Meta. G t. 20. Quãtùm ad primum modum: refertur ad Deum, relatione fundata super vnum, scilicet relatione similitudinis: & hoc inquantum creatura est exemplata: & refertur ad Deum, inquantum est causa exemplaris. Quantùm ad secundum modum, scilicet potentiæ: refertur creatura ad Deum, vt productum ad producentem. Quantùm ad tertium modum, scilicet modum mẽsuræ: refertur ad Deum, vt ordinata ad ipsum, sicut ad causam finalem. Isti igitur tres respectus, integrant rationem vestigij: quia vnus non sufficit sine alio; vt colligitur ab August. 83. quæst. q. 74. *De duobus ouis* &c. Habetur hìc igitur, in quo cõsistit ratio vestigij in creatura.

Sed respectu cuius est ex parte Dei? Respondeo. Respectu appropriatorum tribus Personis Diuinis. Nã creatura per primum respectum, scilicet similitudinis, repræsentat artem exemplantem, quæ appropriatur Filio: per secũdum, repræsentat potentiam producentis, quæ appropriatur Patri: per tertium, repræsentat bonitatem finientis, quę H appropriatur Spiritui Sancto.

Quod etiam dicitur in isto membro: quòd vestigiũ consistit in istis tribus relationibus. Non videtur verum. Quia licèt ratio vestigij dicat respectum, quemadmodum similitudo, realiter tamen non est respectus tantùm; sicut non dicitur similitudo esse in respectu præcisè, sed in aliquo absoluto, in quo fundetur relatio similitudinis; ita videtur etiam ratio vestigij, non esse in respectu præcisè, sed in aliquo in quo fundatur ille respectus.

Et hoc probatur sic. Quia vestigium est similitudo vestigiati, ex quo cognito cognoscitur illud; ergo vestigium potest priùs cognosci naturaliter illo, cuius est vestigium: sed relatio non potest priùs cognosci termino naturaliter.

Item quod dicitur: quòd illi tres respectus pertinent ad illos tres modos relatiuorum. Hoc videtur falsum. Quia Phil. 5. Metaph. t. 20. ponens differentiam duorum modorum

rum

A rum ad tertiū, vult quòd in duobus primis modis sit mutua relatio, in tertio autem non; sed tantùm vnum dicitur ad aliud, quia aliquid est eius; omnis autem relatio creaturæ ad Deum, est non mutua, sed tantùm dicitur Deus ad creaturam, quia creatura ad ipsum; ergo omnis respectus creaturæ ad Deum, est secūdùm tertium modū.

Quod autem adducit de primo modo, de similitudine. Non valet. Quia illa similitudo, quæ est exemplati ad exemplar, non est de primo modo; quia non est similitudo vniuocationis, sed imitationis: imò pertinet ad tertium modum; sicut manifestè patet per Philosophum, qui in tertio modo ponit relationem scientiæ ad scibile, & vniuersaliter mensurati ad mensuram: exemplar autem habet relationem mensuræ respectu mensurati, vel exemplati; ergo, &c.

Quantùm ad Secundum Articulum. Concedo, quòd omnis respectus creaturæ ad Deum, pertinet ad illum tertium modum relatiuorum, nec in solis respectibus consistit vestigium, sed in aliquibus absolutis: & fortè in aliquo
B respecta, sicut in tertia sui parte, secundùm quod assignat August. partes vestigij 6 de Trin. c. 10. vbi dicit de creaturis. *Hæc igitur omnia, quæ arte Diuina facta sunt, & vnitatem quandam in se ostendunt, & speciem, & ordinem*: vnitas autem est perfectio absoluta; sicut patet per exempla sua ibi. *Vnum aliquid est, sicut sunt naturæ corporum, ingeniaque animarum* &c. Species etiam seu forma, absolutum aliquid est, sicut patet per exempla sua ibidem. *Sicut sunt qualitates corporum, & doctrinæ animarum*. Ordo autem aliquem respectum dicit, sed non ad finem vltimum, sed ad operationem: vnde dicit: *aliquem ordinem tenet, sicut sunt pōdera, & collocationes corporum, & amores, aut delectationes animarum*; quare, &c.

Hæc tria sic sumpta, repræsentant sub ratione similitudinis, tria correspondentia eis in Deo. Quia vnitas repræsentat summam vnitatem primi principij, à quo est origo, & quoad hoc ait. *In illa Trinitate summa, origo est rerum omnium*: species in creatura, repræsentat summam pulchritudinem in Deo: vnde & subdit: *& summa pulchri-*
C *tudo*: Ordo siue operatio in creatura, repræsentat operationem perfectissimam in Deo, & quoad hoc subdit. *& beatitudo est summa delectatio.*

Possunt & alia multa in creaturis assignari, quæ velut similia repræsentant in Diuinis aliqua appropriata Personis, puta vnum, verum, bonum. Vnum in creatura repræsentat vnitatem appropriatam Patri. Verum, veritatem appropriatam Filio. Bonum, bonitatem appropriatam Spiritui Sancto. Et istæ omnes perfectiones substantiæ, sunt absolutæ, & repræsentant absolutas Dei perfectiones Personis appropriatas.

Aliter multipliciter assignatur vestigium, siue in illis quæ per rationē similitudinis repræsentant aliqua appropriata Personis, siue per rationem proportionalitatis. Dico autem proportionaliter repræsentare, quando ratio illius repræsentantis, non est formaliter in Deo, sed aliquid proportionale illi rationi, sicut de illa assignatione, Modus, Species, & Ordo: cum qua videtur esse eadem illa as-
D signatio. Sapient. 11. In Numero, Pondere, & Mensura. Et August. super Gen. lib. 4. *Mensura omni rei modum præfigit*: *Numerus omni rei speciem præbet*; *& Pondus ad quietem ac stabilitatem trahit*. Et post. *Fateamur ergo dictum esse omnia in Mensura, et Numero, et Pondere disposita*, tanquam dictum esset: ita disposita, vt haberent proprias mensuras suas, & proprios numeros, & proprium pondus: quæ in eis pro suicuiusque generis mutabilitate, mutaretur, augmentis & diminutionibus, multitudine & paucitate, leuitate & grauitate. Modus accipitur pro limitatione, & pro eodem accipitur Mensura in illa assignatione Sapient. 11. Pondus autem accipitur ibi pro Ordine, & Numerus pro Specie, Numerus siue Species, & Pondus siue Ordo, exponantur sicut in prima assignatione: Sed mensura, quæ est idem quod modus, non repræsentat aliquid sub ratione similitudinis, sed sub ratione proportionalitatis; quia limitatio producti repræsentat potentiam illimitatam producentis: & sic patet in quibus in creatura consistit vestigium, & respectu

quorum in Diuinis; quia respectu appropriatorum Personis Diuinis. E

Sed quomodo accipitur ratio vestigij in Diuinis, quæ sit similitudo partis, cùm in Diuinis non sit pars? Respondeo. Vt Trinitas est quasi quoddam totum numerale, saltem in conceptu intellectus nostri, persona est ibi quasi pars huius totius: ita etiam appropriatū personæ inquantum appropriatum, est ibi quasi pars eiusdem; quia accipitur pro illo, cui appropriatur, nec tantùm hoc, sed etiam appropriabile, licèt nō acceptum vt appropriatum, adhuc est ibi pars eiusdem; quia eius ratio vt est, & vt concipitur, completè saluatur in vna persona: & per consequens ratio eius non ponit Trinitatem, sed ponit concomitanter vnitatem alicuius personæ, in qua sit. Licèt igitur creatura communiter non repræsentet nec Personam, vt persona, quæ est in intellectu nostro, quasi pars Trinitatis: nec appropriatum, vt appropriatum; non enim sic cognoscitur appropriatum, nisi cognoscatur illud cui appropriatur: repræsentat tamen appropriabile in quo saluatur quasi ratio partis, modo prædicto, respectu Trinitatis. F

ARTICVLVS TERTIVS.

In quo fundatur respectus vestigij ad Deum, cuius creatura dicitur vestigium?

QVantùm ad Tertium Articulum. Dicitur (*ab Henr. quol. 3. q. 9. & quol. 5. q. 2. & quol. 4. q. 7. & 8. et quol. 2. q. 3.*) secundùm Boëtium de hebdomadibus. Quòd diuersum est Esse, & id Quod est. Quia illud Quod aliquid est, dicitur ratitudo eius, Quo autem ipsum est Quod est, vel Aliquid, dicitur aliquitas eius. Hoc intellecto. Dicitur: quòd respectus vestigialis in creatura non fundatur in ratitudine rei, sed in aliquitate tantùm, & est formaliter ratitudo eius. Modus ponitur iste secundùm Auic. 5. Metaph. cap. 1. 2. *Humanitas est tantum humanitas*; ergo ratio humanitatis non est res rata; ergo oportet quòd aliquo alio extra rationem formalem humanitatis sit Ens ratum. Arguitur etiam, quòd illud quo formaliter est ratitudo G eius, sit respectus vestigialis, & hoc Primò sic. Quicquid includitur per se in intellectu alicuius inquantum tale, est illud, quo ipsum formaliter est tale; sed respectus vestigialis includitur in ratione cuiuslibet Entis rati; ergo &c. Probatio Minoris. Quia quoddam Ens est, quod est ipsum esse, sicut Deus: quoddam quod non est ipsum esse, seu cui contingit esse, sicut omne aliud extra à Deo, quod non est de se esse, sed tantùm est Ens cui contingit esse. Ex hoc arguitur sic. Quodcunque Ens, quòd non de se est esse, sed tantùm cui contingit esse, non est Ens ratum, nisi participando ipsum esse, vel inquātum participat ipsum esse; sed omne aliud à Deo, est cui contingit esse, & non est ipsum esse; ergo non est ratum nisi inquantum participat esse: ergo illa participatione formaliter est ratum.

Secundò sic. Nihil aliud à Deo potest perfectè cognosci sine cognitione omnium causarum intrinsecarum, & extrinsecarum, 1. Physic. tex. 1. Sed si essentia alicuius talis esset absoluta, & non includeret essentialiter respectum H ad causam extrinsecam, posset perfectè cognosci sine cognitione causæ extrinsecæ; ergo oportet quòd includat talem respectum.

Adducitur ad hoc August. 8. de Trin. cap. 3. vel 8. *Vide bis bonum omnis boni* &c. Item Boëtius de hebdomadibus. *Si paulisper per intellectum amoueas ipsum primum bonum, tunc licèt sint bona, non tamen in eo quod sunt, erunt bona*; ergo aufertur ratio boni ab eis, ablato per intellectum primo bono; & per consequens bonitas formaliter in eis dicit respectum; quia participatione summi boni.

Si arguitur contra istam opinionem per Auerr. 12. Metaphys. com. 19. Quòd relatio habet debilissimum esse; ergo nō est, nec potest esse formaliter ratitudo entis formaliter rati. Dicitur. Quòd duplex est relatio: quædā accidentalis, & quædā substantialis. Et accipitur ista distinctio relationis à Simplicio super prædicamenta: vbi vult, quòd Esse in, non constituit aliqua prædicamenta, sicut Esse ad, pro eo quòd aliqui respectus sint essentiales, siue substan-

A tiales, aliqui non. Dicunt igitur quòd dictum Commentatoris rerum est de relatione accidentali, non de substantiali.

Si autem obijcitur. Quòd omnis relatio præsupponit fundamentū in esse rato; igitur non est ipsa ratitudo fundamenti. Dicitur. Quòd verum est de relatione aduenien-te fundamento; non autem de constituente fundamentum; & huiusmodi est ista. &c.

Contra ista (vt intelligantur verba illa) Distinguo tria secundùm Opinionem illius Doctoris, in cuius dictis videtur fundari ista Opinio. Quia secundùm ipsum. Res dicitur vno modo, à reor reris, quod est opinari: & sic est communis secundùm ipsum figmentis, & non figmentis. Secundo modo Res dicitur à ratitudine. Loco istorū verborum, accipio verba planiora. Pro re dicta à reor, reris, accipio realitatem opinabilem, quæ communis est secundùm ipsum figmento, & non figmento: pro re autem dicta à ratitudine, accipio secundùm suam intētionem, realitatem quidditatiuam; quia ponit rem quidditatiuam es-

B se ratam per hoc, quòd est exemplata, quod non conuenit figmentis: Vltra ista non restat nisi realitas existentiæ actualis. Habemus ergo tria per ordinem: realitatem opinabilem, quidditatiuam, & existentiæ.

Quæro tūc. Quid intelligit per aliquitatem? Si realitatē opinabilem: cùm illa sit communis alicui, & nihilo, illa de se nihil est; igitur si ratitudo fundetur in aliquitate sic sumpta, sicut quidditas vel essentia in supposito, fundatur in nihilo; & quod fundatur in nihilo, nihil est; quia *quod nihil est ad se, nihil est ad aliud* 7. de Trin. c. 3. Ergo ratitudo nihil est; igitur tota res composita ex ratitudine, & aliquitate, erūt duo nihila. Si aliquitas dicatur realitas quidditatiua. Quæro ergo. Quid intelligit per ratitudinem? Aut realitatem quidditatiuam; aut realitatem existentiæ: Si quidditatiuam; igitur dicere ratitudinem fundari in aliquitate, est dicere realitatem quidditatiuam fundari in realitate quidditatiua, quod nihil est: Si realitatem existētiæ. Contra. Igitur illi realitati existentiæ præsupponitur ratitudo, quia res (secundùm istam Opinionem) habet ve-

C rè esse ratum ante esse existentię: & ita non potest esse prima ratitudo eius, esse existentiæ.

Si dicas. Quòd aliquitas, quæ est realitas opinabilis, est quid commune alicui, & nihilo: sed alia est aliquitas, quæ est propria figmentis; & alia quæ est propria rei possibili esse, quæ non competit figmentis, ex qua componitur res habens aliquitatem, & ex ipso esse, sicut ex ratitudine sua. Contra. Hoc est dicere, quòd duplex est aliquitas: alia alicuius, & nihili; alia verò alicuius tantùm: sicut si diceretur, duplex est albedo: alia albi, & nigri; & alia albi tantū.

Et prætere a. De illa aliquitate propria entitati possibili, quæro. Aut illa est respectus tantùm, & fundatur in aliquitate communi, quia illa sola precedit eam; & tunc fundabitur in nihilo, (vt dictum est) & tunc erit nihil: aut illa aliquitas propria est absolutum, & per eam distinguitur res habens eam à figmentis, per se; igitur ista est prima ratitudo rei, & absoluta. Et ita respectus non erit prima ratitudo rei.

D Præterea Secundò sic. Humanitas aut habet de se conceptum, cui non repugnat aliquid subesse in effectu, aut cui repugnat de se aliquid subesse in effectu, aut cui de se aliquid subest in effectu. Nō tertio modo, secundùm Opinionem omnem; quia hoc est proprium soli Deo. Si detur quòd de se repugnet sibi aliquid subesse illi conceptui; igitur per illum respectum aduenientem, non potest ei competere quòd aliquid possit sibi subesse; quia quod repugnat alicui ex parte sui, non potest ei non repugnare stante natura eius, & ita non fit sibi non repugnans per aliquē respectum aduenientem: ergo conceptus humanitatis est talis, cui de se non repugnat aliquid subesse in effectu; sed talis est conceptus Entis rati, secundùm Opinionem istius Magistri; quia conceptui figmentis repugnat aliquid subesse in effectu.

Præterea Philos. 4. Metaph. t. 20. & 27. Ex Opinione dicentium omnia apparentia esse vera: infert istud impossibile, Quòd *omnia erunt ad aliquid*: quod non intelligit tantùm denominatiuē; quia sic omnia esse ad aliquid, ve-rum est, saltem omnia alia à Deo; ergo intēdit inferre pro E maximo inconueniēti, omnia esse essentialiter ad aliquid: hæc aūt Opinio ponit omnia esse essentialiter ad aliquid; ergo ista Opinio videtur ponere quod apud Philosophum est magis inconueniens, quàm omnia apparentia esse vera: quia hæc Conclusio, Omnia esse ad aliquid, apud Philosophum, est magis inconueniens, quàm ista, Omnia apparentia sunt vera.

Respondetur. Quòd Philosophus dicit, quòd *omnia erunt ad aliquid*, scilicet ad opinionem & sensum. Contra. In argumento ducente ad impossibile, Conclusio debet æquè, vel magis esse impossibilis, quàm præmissa: ista Cōclusio illata, quatenus sic illata, nō differt à præmissa, quæ ponit omnia esse vera, propter apparentiam eorum sensui, vel opinioni, nisi in hoc, quòd infert omnia esse ad aliquid; ergo si in aliquo habet maiorem impossibilitatem, quàm præmissa; est ista impossibilitas, Omnia sunt ad aliquid simpliciter.

Quartò sic. Humanitas inquantum humanitas, aut habet tantùm quid nominis, aut habet quid rei, quod repugnat figmentis. Si primo modo; igitur de humanitate, inquantum humanitas, non plùs est scientia, quàm de Chymera; & per consequēs Metaphysica quę est de quidditatibus, non magis est scientia, quàm si esset de figmentis non intelligibilibus, propter contradictionē inclusam in eis. Si verò humanitas, inquantum humanitas, habet quid rei, quod repugnat figmentis; ergo humanitas vnde humanitas, est quid ratum. F

Respondetur. Quòd humanitas vnde humanitas, habet aliquam diffinitionem, sed illa nō indicat Ens ratum; quia figmenta possunt habere genus & differentias, & ita diffinitionem: sed ad habendum rationem completam entis rati, oportet addere respectum ad Ens imparticipatum.

Istud non respondet ad argumentum, quin Metaphysica nulla sit scientia. Similiter, quòd dicit de figmentis, quòd figmenta habent genus & differentiam. Falsum est: quia omne tale habet rationem in se falsam, & includentem contradictionem; quia vna pars repugnat alteri: sed G tales partes nunquam sunt genus & differentia; quia differentia est per se determinatiua generis: & per consequēs non repugnat ei

Secundò contra Opinionē arguitur ex dictis eius. Primò sic. Quodlibet Ens est formaliter actiuum sua ratitudine. Quod probatur. Quia ratitudine est formaliter in actu: sed nihil secundùm ipsum est formaliter actiuum relatione; quia relatio non est principium agendi; ergo ratitudo non est relatio.

Item secundùm ipsum. Nulla creatura inquantum rata differt specie ab illo esse, quod est Deus; sed ipsum esse, quod est Deus, secundùm omnem opinionem, est absolutum: quomodo igitur illud quod est formaliter relatio, non differt specie ab eo, quod est absolutum?

Item secundùm ipsum. Ens rationis participat Ens ratum, non tamen formaliter est res rata; ergo participatio talis, non est formaliter ipsa ratitudo; quare. &c.

Quantùm ad istum Articulum. Dico. Quòd nullus respectus est ratitudo, siue quo aliquid est firmū Ens, vel verum Ens, vel certū Ens, in quacunq; entitate. Quia omnis H respectus, aliquid habet in quo fundatur, quod s̄m se non est ad aliud: & in illo priori in quo est essentialiter Ens ad se, si non est essentialiter Ens certum, aut Ens firmum, nō erit capax alicuius respectus, per quē fiat Ens ratum: quia Ens nō ratum, si fiat ratum, aut fiet ratum ex se; quod includit contradictionem; quia quicquid est ex se aliquale, est necessariò tale: aut ab aliquo causante fiet ratum: & si hoc; priùs naturaliter absolutum aliquod potest terminare illam causationem, quàm respectus; quia formalis ratio cuiuslibet termini primi producti, non est necessariò respectus.

Argumenta duplicia resoluuntur.

AD Rationes pro Opinione opposita, quantùm ad istum Tertium Articulum. Ad illud Auic. de humanitate,

A nitate. Dico, quòd per hoc quod dicit, quòd *equinitas est tantùm equinitas*: ly tantùm, non excludit illa quę sunt de per se ratione equinitatis, cuiusmodi est entitas rata: sed excludit illa, quæ sunt per se passiones Entis, vt vnum, actus, &c. sicut patet ibi per literam suam.

Ad Secundum. Tam Maior est falsa, quàm Minor. Maior. Quia animal inest per se homini, & essentialiter inquantum homo, non tamen animalitas est, qua formaliter homo est homo. Sed si addatur in Maiori. Quicquid per se includitur in intellectu alicuius, tanquam vltimum in eo: vera est: & sic Minor est falsa. Cùm probatur per alium prosyllogismum. Creatura est cui contingit esse &c. Dico, quòd Maior illius prosyllogismi falsa est, si per ly inquantum, intelligatur reduplicari aliquid per se primo modo. Vel si accipiat in Maiore participando gerundiuum, &c. prout exponitur per Quia: nam si per ly Quia intelligitur causalitas pertinẽs ad primum modum per se, Maior est falsa, eodem modo; quia per se primo modo, participatio non est ipsa, quo Ens est formaliter ra-B tum. Si autem intelligatur per ly inquantum, causalitas pertinens ad secundum modũ per se, qualis est in subiecto respectu propriæ passionis: sic concedo, quòd tale Ens inquantum tale Ens, puta lapis inquantum lapis, participat esse: non tamen est propriè vera è conuersò, scilicet, quòd inquantum participat, est Ens. Exemplum. Hæc est falsa, propriè loquendo, Homo inquantum risibilis, est homo: etiam intelligendo per se secundo modo, & multò magis per se primo modo: tamen hæc est vera, Homo inquantũ homo est risibilis, secundo modo: Sic in proposito, ista non est concedenda, Lapis inquantum participat esse, est Ens: sumendo inquantum, vt supra dictum est, secundo modo: tamen potest concedi aliquomodo illa prima, quòd lapis inquantum lapis participat ipsum esse, ita quòd lapis positus in entitate rata, de necessitate, & per se secundo modo, habet respectum participationis, sinequo ipsum esse, includit cõtradictionem; sicut subiectum esse sine propria passione, vel fundamentum relationis esse sine relatione, posito termino illius relationis. Tunc intelligo sic; C quòd in primo instanti naturæ est Ens, quod est ipsum esse, id est Deus: in secundo, lapis est Ens ratum absolutum, quod nec intelligitur tunc vt participans, nec vt non participans: in tertio, est ipsa participatio, & respectus quidã consequens ad ipsum lapidem.

Ad Argumentum de 1. Phys. de causis. Dico, quòd aliud est relationem esse priorem cognitione causati cogniti per causam, & aliud ipsam includi in cognitione causati: licèt enim lapis priùs habeat respectum ad Deum, quàm lapis cognoscatur, & ideò non cognoscitur perfectè, nisi cognito Deo: tamen lapis cognoscitur, non cognito respectu ad Deum: & ex hoc sequitur, quòd ille respectus non est de essentia lapidis; quia nihil perfectè cognoscitur, nisi cognito eo, quod est de essentia sua.

Ad August. Dico, & concedo, quòd quodcunque aliud bonum est per participationem bonum: sed non vult auctoritas, quòd participatio sit de essentia illius boni.

Ad Boetium. Dicendum est, q; auctoritas concludit op-D positum. Quia ibi ponit subtractionem primi boni per intellectum: & hoc posito, loquẽdo de creaturis, dicit, quòd loquendo de esse earum, licèt sint, & bona sint, non tamen inquantum sunt, bona sunt. Sic igitur ipse subtrahens secundùm intellectum primum bonum, loquitur de creaturis secundùm esse creaturarum: sed si esse creaturarum esset respectus ad summum bonum, non solùm esset contradictio subtrahere primum bonũ, & loqui de esse creaturarum, sed etiam non esset intelligibile; quia non est intelligibile ponere respectum, subtrahendo terminum respectus; igitur intelligit quòd esse creaturarum sit absolutum: sed bonitas apud eum dicit quendam fluxum à primo bono: & verum est, quòd iste terminus, fluxus, dicit respectum, & ideò non potest competere rei absolutæ: si ergo res secundùm esse suum non essent à primo bono, nõ essent bonæ, inquantum sunt, quia inquantum sunt, non fluerent à primo bono: essent tamen bonæ per accidens, si secundùm esse aliud fluerent à primo bono, sicut lapis si non esset secundùm se à voluntate primi boni, sed tantùm secundùm duritiem, inquantum durus, esset bonus, quia à E voluntate primi boni esset inquantum durus, licèt nõ inquantum lapis, vel inquantum Ens. Patet igitur, quòd accipit bonum pro respectu fluxus à primo bono: & hoc etiã modo bonitas in alijs entibus à Deo, nõ est nisi quia sunt à voluntate primi boni: sed ista non est perfectio absoluta, & intrinseca creaturæ: & ideò bonitas secundùm aliã rationem absolutam, non dicit respectum ad creatorem: licèt bonitas, vt accipit ibi, dicat.

Ad Primum Argumentum principale. Dico, quòd per vestigium distinctè inuestigatur illud cuius est imago, scilicet pars totius: sed totum non inuestigatur, nisi indistinctè & arguitiuè, sicut totum cognoscitur ex parte. Ita in proposito. Per creaturam inuestigatur appropriatum, non tamen inquantum appropriatum, sed ipsum quod est appropriabile cuicunque personę, sed non propria Personarum: & ideo Trinitas, cuius conceptus est in intellectu quasi totalis, inuestigatur quasi per similitudinem partis.

Ad Secundum. Dico, quòd quælibet essentia creata, inquantum talis essentia creata, est secundùm determinatum exemplar: & ideò quælibet repræsentat Deum, sub F ratione vestigij: natura autem intellectualis, inquantum habet in se essentiam vnam, & operationes multas, inter quas est ordo originis, repræsentat Trinitatẽ ratione omnium istorum concurrentium in tali natura, ita quòd natura intellectualis, non eodẽ modo est vestigium, & imago: sicut patebit magis in quæstione de imagine.

Ad vltimum. Dico, quòd non est in essentijs creaturarum, propter ordinem ipsarum, alia ratio repræsentandi, quàm ratio vestigij: sed quia in aliqua natura concurrunt multa repræsentantia vnitatem, & Trinitatem, ideò illa natura talis habet rationem imaginis, sicut natura intellectualis: talis autem concursus non est in aliqua natura inferiori natura intellectuali: & ideò omnes naturæ aliæ inferiores habent præcisè rationem vestigij.

QVÆSTIO SEPTIMA.

Vtrum in parte intellectiua propriè sumpta, sit memoria propriè, id est, intellectus habens speciem intelligibilem, priorem naturaliter actu intelligendi. G

Circa Tertiam partem Distinctionis, in qua Magister agit de imagine. Quæro Primò de memoria. Vtrum in parte intellectiua, propriè sumpta, sit memoria propriè; id est, intellectus habens speciem intelligibilem, priorem naturaliter actu intelligendi.

Et videtur quòd non. Quia omnis species impressa ab obiecto, repræsentat illud sub illa ratione qua imprimitur ab eo: & si imprimitur ab alio, adhuc repræsentat sub eadem ratione, sub qua repræsentaret, si imprimeretur ab obiecto; alioquin non esset vera species eius: sed species, quando imprimitur ab obiecto, imprimitur ab eo, vt singulare est; quia actio est singularis; ergo species impressa à quocunque, non potest repræsentare vniuersale, quale repræsentatur intellectui; ergo nulla species impressa repræsentat intelligibile sub ratione intelligibilis, vel vniuersalis. H

Secundò sic. Præsentia obiecti est causa præsentiæ speciei, & non è contra: non enim, quia species est in oculo, ideo obiectum est præsens, sed è conuersò; ergo prima repræsentatio obiecti nõ est per speciem: ergo superfluè ponitur species, propter præsentiam obiecti.

Tertiò sic. Quælibet species, si esset in intellectu, esset forma naturaliter agens ad intellectionẽ; sed multæ possunt esse in intellectu simul, si vna ponitur; ergo omnes illæ naturaliter agerent ad intellectiones sibi correspontes; ergo simul essent plures intellectiones in intellectu, correspondentes illis pluribus speciebus: si enim aliqua illarum ageret naturaliter, & tamen non esset intellectio secundùm eam, sequeretur quòd nunquam posset esse intellectio secundũ eam; quia causa naturaliter agẽs, quando agit, agit secundùm vltimum potentiæ suæ; sed si tunc non potest habere effectum, nunquam habebit. Pluralitas

A tas autem ista speciẽrũ, quæ sequitur ex hypotesi, improbatur per illam rationem Algazelis, 4. Metaph. quia sicut vnum corpus non potest simul figurari diuersis figuris, ita nõ videtur idem intellectus posse figurari simul diuersis obiectis: quod tamen sequeretur, ponendo simul plures species intelligibiles.

Quartò sic. Quia tunc videtur sequi, quòd intellectus nõ patietur ab intelligibili inquantũ intelligibile, sed tantùm patietur passione reali, recipiendo quãdam formam, quæ erit sicut perfectio eius realis; recipit enim speciem illam, vt subiectum recipit accidens reale: & ita non patitur intellectus inquãtum intellectus, ab intelligibili inquantum intelligibile. Et ex hoc sequitur, quòd intelligere non erit motus rei ad animam, imò omnis intellectio erit actio eius absoluta: sicut forma stans, nõ habens aliquem terminum extra.

Ad Oppositum. Intellectus quandoque est in potentia propinqua, & accidentali ad intelligendum, qui priùs fuit in potentia essentiali, & remota: istud autem nõ est in in-
B tellectu, nisi per aliquam mutationem, non obiecti, patet, quia in obiecto tantùm est relatio rationis; ergo ipsius intellectus; igitur ista mutatio quæ fit ad talem potentiam propinquam, videtur esse ad aliquam formam, per quam obiectum intelligibile est pręsens intellectui: quæ forma erit prior naturaliter actu intelligendi; quia prior est natura potentia propinqua, qua quis est potens intelligere, quàm sit actus intelligendi; illa autem forma, per quam obiectum est sic præsens, vocatur species; ergo in intellectu est ponere speciem intelligibilem.

ARTICVLVS PRIMVS.

Recitatur Opinio negans omnem speciem intelligibilem.

IN ista Quæstione negatur omnis species intelligibilis, præcedens naturaliter actum intelligendi (*Henr. quol.* 4. *q.* 7. 8. *&* 21. *& quol.* 5. *q.* 14.) propter rationes positas ad primam partem Quæstionis. Modus autem ponendi est
C iste. Habita impressione speciei sensibilis in organum sensus, & toto illo processu vsque ad virtutem phantasticam intellectus, agens substrahit ab ipso obiecto in phantasmate, & immutat intellectum possibilem ad simplicẽ apprehensionem essentiæ, ita tamen quòd intellectus possibilis nullam speciem impressam recipit à phãtasmate, nec est obiectum præsens intellectui, nisi quia species præsens est in imaginatione. Et hoc probatur ex ista deductione. Sensus enim recipit speciem aliam ab actu, vel quia organum est eiusdem rationis cum medio, vel quia species illa recepta, est dispositio propinqua ad actum sentiendi recipiendum: neutrum istorum concurrit in intellectu; est enim intellectus virtus non organica, & de se summè disposita ad actum intelligendi; igitur intellectus nullã speciem recipit priorem actu.

Hæc dicitur intentio Aristot. 3. de anima tex. 6. vbi commendat antiquos dicentes, *animam esse locum specierum, nõ totam, sed intellectiuam*: Hæc autem distinctio Arist. non
D videtur esse bona, intelligendo quòd aliæ partes non habent species; sunt enim species in parte sensitiua: sed quia aliæ partes non habent species vt loca, sed vt subiecta habent accidentia: intellectus autem habet eas vt locus; quia vt formam expressam, non impressam. Hoc etiam accipitur ex eo, quod dicitur 3. de anima t. 11. & 39. Quòd *speculamur quod quid est in phantasmatibus; & quòd phantasmata ita se habẽt ad intellectum, sicut sensibilia ad sensum: & quòd nihil intelligimus sine phantasmate*. Et plura similia dicit Philosophus. Ex his concludit: quòd nullam ponit speciem intelligibilem: quia si ipsa poneretur, intellectus non specularetur quod quid est in phantasmatibus, sed in specie intelligibili; similiter non oporteret intellectum conuerti ad phantasmata, sed sufficeret species intelligibilis, in qua haberet obiectum præsens ad quod conuerteretur.

Si arguitur contra hoc. Quia per Philosophum ibidem, *necesse est, quòd aut res sint in anima, aut species earum*; & res non sunt; ergo species. Dicit. Quòd ex parte intellectus, est species impressa, quæ est habitus, vel actus; vel species expressa, quæ est species in phantasmate: vel quiddi- E
tas quæ quidditas relucens in phantasmate est species respectu singularis: nõ enim hic lapis est in anima, sed quidditas, quæ est species respectu huius lapidis.

Hæc etiam ponitur intentio August. qui vult quòd verbum gignitur non ex specie intelligibili sed ex habitu. Dicit enim 15. de Trin. c. 10. & 24. quòd *ex ipsa scientia, quam memoria tenemus, nascitur verbum*. Et eodem lib. cap. 11. & 18. *Gignitur verbum de scientia, quæ manet in animo*.

Item. Ad quod aliquid per se & primò est in potentia per se, illud & non aliud recipit ab agente proportionabili; sed virtus apprehensiua per se solùm est in potentia ad cognitionem. Aug. 11. de Trin. c. 2. *Ipsa forma quę visui imprimitur, visio vocatur*.

Idem ponit Doctor quidam (*Gotfr. quol.* 9. *q.* 19. *& quol.* 13. *q* 5.) Negando speciem intelligibilem: & pertractat illam rationem de organo, quæ tacta est in positione ista. Ponit etiam aliam rationem talem. Quia quæcunque potentia est in potentia primò ordinata ad aliquem actum, F
primò perficitur secundùm talem actum ab agente proportionato pręsente; sed potentia apprehensiua, est potentia primò ordinata ad hunc actum, scilicet apprehensionem; ergo ab agente proportionato, primò potentia perficitur secundùm actum istum, qui est apprehendere: & per consequens, intellectus ab obiecto proportionato, recipit cognitionem, & non speciem.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Impugnatur præcedens Opinio.

COntra istam Opinionem arguo sic: Siue intelligatur singulare, siue non: nõ est cura ad propositum. Certum est enim, quòd vniuersale potest ab intellectu intelligi: & magis ponitur a Philosophis, quòd intellectus est potentia distincta à potentia sensitiua, propter intellectionem vniuersalis, & propter compositionem & diuisionẽ, & propter Syllogizationem, quàm propter cognitionem singularis, si posset intelligere singulare. Ex hoc igitur ma- G
nifesto, quòd intellectus potest intelligere vniuersale. Accipio hanc propositionem, Intellectus potest habere obiectũ actu vniuersale, perfectè sibi pręsens in ratione obiecti, priùs naturaliter, quàm actu intelligat. Ex hoc sequitur propositum, quòd in illo priori, habet obiectum sibi præsens in specie intelligibili: & ita habet speciem intelligibilem priorem actu. Antecedens assumptum videtur satis manifestũ. Quia obiectum in ratione obiecti, est priùs naturaliter actu; igitur vniuersalitas quæ est propria conditio obiecti inquantum obiectum, præcedit actum intelligendi: & sub illa ratione oportet obiectum esse præsens; quia præsentia obiecti præcedit naturaliter actum intelligendi. Consequentiã probo. Primò ex parte vniuersalitatis obiecti. Secũdò ex parte præsentię. Ex parte vniuersalitatis obiecti, arguo sex vijs. Quarum duæ primæ sumuntur ex parte phantasmatis repræsentantis: & duæ ex parte intellectus agentis: & duæ ex parte communioris & minùs communis.

Primò arguo sic. Species ex hoc quòd talis species, habet talem rationem repræsentandi: & hoc respectu obiecti sub tali ratione repræsentabilis; ergo eadẽ species manens, non habet duas rationes repræsentatiuas, nec est re- H
spectu duarum rationum repręsentabilium; sed repręsentare obiectum sub ratione vniuersalis & singularis, requirit duplicem rationem repræsentatiuã, & est respectu duplicis rationis repręsentabilis formaliter: igitur idem manens idẽ, non repræsentat sic & sic; ergo phantasma quod de se repræsentat obiectum sub ratione singularis, nõ potest ipsum repræsentare sub ratione vniuersalis.

Respondetur. Quòd species, eadem, sub alio & alio lumine repræsentat obiectum suum, alia & alia ratione; sicut nocte lucentia, in lumine diei repræsentat se sub ratione coloratorum, in lumine autem noctis sub ratione lucentium. Sic in proposito: per lumen intellectus & phantasiæ, eadem species potest repręsentare opposita in obiecto.

Contra.

A Contra. Repręsentatiuum priùs naturaliter est aliquid in se, quàm in tali lumine vel tali præsentet: quia enim est talis species, ideo congruit sibi lumen, in quo repręsentet vnum & non aliud; alioquin posset poni, quòd eadem species repræsentet colorem & sonum; quia species illa, vt in aëre tremulo repræsentaret sonum, quæ secundùm quod concurrit medium extrinsecum medio connaturali, coniungitur organo auditus, vt in aëre illuminato, & perspicuo: & secundùm quod est conueniens organo visus, repræsentaret colorem: & ita non posset ostendi aliqua distinctio repræsentatiuorum. In illo igitur priori oportet intelligere vnitatem speciei in se, quam consequitur vnitas repræsentationis, & obiecti repræsentabilis per ipsam, inquantum per ipsam repræsentatur, & ita aliquid quod est idem in isto priori, non potest habere diuersam rationem repręsentandi, nec potest repræsentare idem, sub alia ratione repræsentabilis.

B Nec exemplum valet ad propositum, imò est ad oppositum. Quia vel duę qualitates sunt in tali corpore, vt lux & color, quarum altera multiplicat se in lumine maiori præsente, alia in minori, quando nihil aliud efficaciùs mouens mouet: vel vtraq; multiplicat se simul in luce maiori, sed efficaciùs mouens tantùm percipitur, & minùs efficaciter mouens non percipitur, sicut stellæ de die multiplicant radios suos, sed non videntur, quia aliud luminosius efficaciùs mouet visum. Vel si vna est qualitas sensibilis in tali corpore, ipsa virtualiter continet duo repræsentatiua: color enim quodammodo continet lucem, cùm sit lux in corpore terminato: & ideo in alio & alio lumine causat diuersa repræsentatiua, aliud scilicet in maiore, & aliud in minore. Et ita semper stat, quòd non sit idem repræsentatiuum obiecti sub diuersa ratione repræsentabilis; quantumcunque aliud lumen, & aliud concurrat.

Si respondeatur. Quòd idem secundùm eandem qualitatem potest esse simile diuersis; sicut vnum album secundùm eandem albedinem, est simile diuersis albis. Hoc nihil est ad propositum. Quia in relationibus ordinis essentialis non potest esse alia, & alia dependentia in aliquo, ad

C duo in eodem ordine, vtputa eiusdem mensurati ad duas mensuras in eodem ordine; nec eiusdem participantis ad duo participata; nec eiusdem effectus ad duas causas totales in eodem ordine; sicut probatum est in quæstione de vnitate Dei; ergo in ista relatione, vbi non est tantummodo similitudo, sed imitatio, & exemplatio passiua, impossibile est idem absolutum referri ad diuersa: & ita non potest esse eadem species in ratione raprę sentatiui diuersorum, sub ratione diuersorum.

Secundò ad istud primum membrum, arguo sic. Quia repræsentatiuum secundùm totam virtutem suam, repræsentans obiectum aliquod sub vna ratione, non potest simul repræsentare idem vel aliud, sub alia ratione obiecti; sed phantasma in eodem instanti, in quo intelligitur vniuersale, secundùm totam virtutem suam repræsentat obiectum vt singulare, virtuti phantasticę; quia tũc est actualis imaginatio illius obiecti in singulari: & patet quòd se-

D cundùm totam virtutem phantasmatis; quia aliàs virtus phantastica non posset habere per phantasma ita perfectum actum circa obiectum, sicut obiectum natum est repræsentari per illud phantasma; igitur tunc non potest repræsentare obiectum, sub alia ratione repręsentabilis.

Ex alio membro arguitur sic. Intellectus agens est potentia merè actiua, secundùm Philos. 3. de an. t. 18. quia est illud, quo est omnia facere, sicut possibilis est, quo est omnia fieri. Et secundùm Philosopum, est sicut ars ad materiam, id est, ita comparatur ad intellectum possibilem, sicut ars ad materiam: omnis autem actio realis habet aliquem terminum realẽ, & vnum: ille autem terminus realis non est in phantasmate: quia intellectus agens nihil causat in phantasmatibus; quia illud receptum esset extẽsum, & ita intellectus agens non transferret obiectum ab ordine in ordinem, nec illud esset magis proportionatum intellectui possibili quàm phantasma: Ergo est in intellectu possibili; quia nihil recipitur in intellectu agente: illud autem primum causatum non potest poni actus intelligendi, quia primus terminus actionis intellectus agentis

E est vniuersale in actu; vniuersale autem in actu præcedit actum intelligendi, sicut prędictũ est in antecedente: quia obiectum sub ratione obiecti, præcedit actum.

Et cõfirmatur ratio. Quia intellectus agentis est, facere de nõ vniuersali vniuersale: vel de intellecto in potẽtia, intellectum in actu, sicut dicunt auctoritates Philosophi, & Commentatoris. Vnde Cõmentator 3. de anima, com. 18. dicit. Quòd si essentiæ rerum essent vniuersales, sicut posuit Plato, non indigeremus secũdùm ipsum intellectu agente: cùm autem vniuersale inquantum vniuersale, nihil sit in existentia, sed tantũ sit in aliquo, vt repręsentãte ipsum obiectũ sub tali ratione. Ista verba nullum intellectum habent: nisi quia intellectus agens, facit aliquid repræsentatiuum vniuersalis, de eo quod fuit repręsentatiuũ singularis: quomodocunque illud de, intelligatur, materialiter, vel virtualiter: hoc realiter est facere repręsentatiuum sub ratione vniuersalis: quia actio realis, non terminatur nisi ad repræsentatiuum obiecti, sub ratione vni-

F uersalis; ergo talis actio intellectus agentis, terminatur ad formam aliquam realem in existentia, quæ formaliter repræsentat vniuersale inquantum vniuersale; quia aliter non posset terminari actio eius ad vniuersale sub ratione vniuersalis.

Item Secundò, secundùm istam viam, sic. Intellectus agens in ratione actiui, non excedit possibilem in ratione passiui; ergo quicquid causatur ab intellectu agente, recipitur in possibili; ergo primus terminus actionis intellectus agentis, recipitur in possibili: & ita cùm prima actio intellectus agentis sit ad vniuersale in actu, illud vniuersale, vel illud quo ipsum habet esse tale, recipitur in intellectu possibili.

Secundùm tertiam viam, arguitur Primò, sic. Habitus minùs vniuersalis, & magis vniuersalis sunt distincti habitus proprij; alioquin Metaphysica vt Metaphysica, nõ esset habitus distinctus intellectus; quia esset de vniuersalissimo obiecto ad oĩa alia obiecta: habitu autẽ vniuersaliori contingit vti, non vtendo aliquo alio habitu minùs

G vniuersali; ergo contingit habere, actũ circa vniuersalius, eo modo, quo respicitur ab habitu illo vniuersaliori, non habendo actum circa minùs vniuersale; sed non habetur actus intelligendi circa vniuersalius, nisi ipsum sub tali ratione sit præsens intellectui, sub ratione pręsentis; sed non habetur actus intelligendi circa ipsum in ratione præsentis, nisi sub ratione vniuersalis; ergo vniuersalius põt esse præsens intellectui absq; pręsentia alicuius minùs vniuersalis; sed si præcisè intelligeretur obiectũ in phantasmate, nunquam esset maius vniuersale præsens, nisi in minùs vniuersali: quia nunquam nisi in singulari phantasiabili; ergo est præsens in specie intelligibili existente in intellectu.

Item Vltimò, quoad hanc viam, arguo sic. Vniuersalius nunquam apprehenditur quantùm ad suam indifferentiã totam, quando apprehenditur in suo inferiori: tota enim indifferentia vniuersalioris est, secundùm quod ipsum vt conceptum, est idem cuilibet inferiori: nunquam autem cõmunius, vt conceptum tãtùm in inferiori aliquo, est idẽ

H cuilibet inferiori suo, sed pręcisè illi, in quo concipitur; ergo quodcunque vniuersale conceptum in singulari, vel communius in minùs cõmuni, non concipitur secundùm totam suam indifferentiam: potest autem intellectus concipere illud secundùm totam suam indifferentiam; ergo non concipitur præcisè communius in minùs cõmuni, vel vniuersale in singulari: & ita non præcisè concipitur vniuersale in phantasmate; phantasma enim non est propriè nisi ipsius singularis, & hoc inquantũ est singulare speciei specialissimæ: & hoc si phantasma sit sibi impressum, ab aliquo debitè proprinquato.

De Secundo membro, scilicet pręsentia obiecti. Probatur illa consequentia prima. Primò sic. Aut intellectus potest habere obiectum sibi pręsens in ratione obiecti intelligibilis, absque hoc quòd sit præsens alicui potentiæ inferiori, aut non: si nõn; igitur non potest habere aliquam operationem sibi propriã, sine potentijs inferioribus; quia si non potest habere obiectum suum sibi præsens sine eis, non potest habere operationem sine eis; igitur nec esse

A sine eis, secundùm argumentum Philosophi in proemio lib.1. de anima: tex.12.& 13.& 2.de an.tex.com.21. Vnde non contingeret intellectum separari à corpore, sicut perpetuum à corruptibili, nisi posset habere operationẽ propriam non depẽdentem à parte sensitiua: si autem potest habere obiectum præsens absque eius præsentia potentiæ inferiori; ergo habet. Hæc consequentia probatur. Quia agentia talis præsentiæ obiecti, scilicet, phantasma & intellectus agens, sunt sufficienter appropinquata intellectui possibili, & agunt per modum naturæ, & ita causat necessariò in illo præsentiam cuius est receptiuus. Modò obiectum nõ est præsens intellectui possibili in cognitione abstractiua, ante actum elicitum, nisi per aliquod repræsentatiuum; quod voco speciem: & sic habeo propositum.

Secundò sic. Aliæ potentiæ cognitiuæ, habent obiectum præsens eis, non solùm præsentialitate secundaria, scilicet, quia illa sunt præsentia alijs potẽtijs inferioribus; sed propria præsentialitate; sicut sensus communis habet B colorem sibi præsentem, non tantùm inquantum est præsens visui, sed quia habet speciem eius præsentem in organo sensus; ergo cùm hoc sit perfectionis in potentia cognitiua, scilicet posse habere obiectum sibi præsens, sub ratione qua est obiectum talis potentię; sequitur quòd intellectus nõ tantùm potest habere obiectum sibi pręsens, quia præsens est virtuti phantasticę, sed propria pręsentialitate, inquantum scilicet relucet intellectui, per aliquod, quod est in intellectu.

Item. Potentia non potens habere actũ nisi circa obiectum sibi præsens, si non potest habere illud præsens, nisi per aliquam aliam potentiam, cui coniungitur cõtingenter, dependet in operatione sua à tali potentia sibi contingenter coniuncta, & ita est imperfecta: intellectus, certum est, quòd non potest habere operationem nisi circa obiectum sibi pręsens, & per se non potest habere obiectum præsens sibi, nisi in virtute phantastica, virtus autẽ phantastica contingenter coniungitur intellectui inquantum potentia est; igitur intellectus operatione sua dependet C ab illa potentia, cui contingenter coniungitur: & ita hæc positio ponit in ea imperfectionem potentiæ cognitiuæ: nulla autẽ imperfectio est ponenda in aliqua natura, nisi necessitas appareat in tali natura; ergo imperfectio talis non est ponenda in intellectu.

Si obijcias. Pluralitas non est ponenda, nisi vbi est necessitas; hìc autem non est necessitas; cùm ita benè possit poni intellectum habere actum sine specie, sicut cum specie; ergo non est ponenda talis species. Respondeo. Necessitas est, quando perfectio naturæ hoc requirit: licèt autem hoc suppositum, quod est homo, possit habere obiectum sibi præsens in phantasmate, quia homo est: tamen natura intellectualis hominis, vt intellectualis est, non habet obiectum sufficienter sibi præsens, si non habet ipsum nisi in pręsentia mendicata à virtute phantastica. Hoc igitur multùm vilificat naturam intellectiuam, vt intellectiua est; quia remouetur ab eo illud, quod est perfectionis in potentia cognitiua, & inuenitur in potentia sensitiua, vt in virtute D phantastica. Ponitur igitur hæc pluralitas propter necessitatem; quia propter perfectionẽ naturę perfectioris saluandam, maiorem quàm sit naturæ imperfectioris, vel saltem ęqualem.

ARTICVLVS TERTIVS.

Resoluitur vltimatè Quęstio.

AD Quęstionem ergo dico. Quòd est necesse ponere in intellectu speciem intelligibilem, priorem naturaliter actu intelligẽdi, propter rationes iam positas ex parte obiecti, inquantum vniuersale, & inquantum pręsens intellectui: quæ duæ conditiones, vniuersalitas scilicet & pręsentia, præcedunt naturaliter intellectionem.

Hæc etiam videtur intentio Aristot.3.de anima tex.37. Qui volens quòd anima sit quodammodo omnia, quasi probando exponit se: quòd *est per sensus sensibilia, & per intellectum vel scientiam scibilia*: Quod aliqui exponunt E (*Henr. & Gotfr.*) quòd non loquitur vniformiter hìc & ibi: quia de sensu loquitur, quantùm ad speciem impressam, de intellectu autem quantùm ad habitum scientię. Sed hæc expositio non videtur esse ad intentionem Philosophi. Quia sicut antiqui posuerunt animam esse omnia realiter, vt omnia cognosceret, sic Philosophus ponit eam esse omnia non realiter; sed per quandam similitudinem. Si autem per sensus esset sensibilia, propter similitudines impressas, & per intellectum esset intelligibilia: aut hoc esset propter scientiam, quę est in intellectu; & ita non esset scibilia propter similitudinem; quia scientia de se non est similitudo, intelligibili, circumscripta alia omni specie, obiectum repręsentante; aut propter aliquod phantasma repræsentãs obiectum intelligibile: & tunc non esset anima intelligibilia oĩa per intellectum, sed anima per phantasma; nihil enim esset ibi repræsentans intelligibile nisi phantasma tantùm, secundùm positionem istam.

Expressiùs tamen est ad istud intentio Aug. Quod deduco sic. Nihil enim sufficienter natum est gignere noti- F tiam actualem, nisi ipsum habeat obiectum priùs naturaliter, quàm actum, pręsens sibi in se, vel in aliquo repræsentante ipsum: Sed negando speciem intelligibilem, tota pars intellectiua nõ habet ante actum intelligendi obiectum sibi præsens in se, nec in aliquo repręsentante; ergo negando speciem intelligibilem, nihil in intellectiua parte erit sufficienter natum gignere actum intelligendi. Et ita nihil in parte intellectiua erit sufficienter memoria respectu talium intellectionum, vel gignitionum; quod negat Aug.12.de Trin.c.14.& 15.

Si respondeas. Quòd memoria est in parte intellectiua propriè sumpta, per hoc, quòd intellectus factus est in actu primo intelligendi, & sic est actiuus respectu secundi actus intelligendi, ita quòd habens notitiam primam confusam, actiuus est respectu notitiæ secundæ distinctè.

Contra. Hoc est contra Opinionem istam, & contra Aug. Contra Opinionem. Quia ponit, quòd vniuersale, vt in phantasmate, est ibi quasi in memoria, vt autem mouens ad actum intelligendi, est ibi pręsens, quasi in intelli- G gẽtia; ergo per istam Opinionem, nullus actus intelligendi est memoriæ, sed intelligentiæ. Est etiam hoc contra Aug. vt apparet de Trin.15.c.21. *Memorię* inquit, *tribuentes omne quod scimus, etsi non inde cogitemus: Intelligentiæ verò proprio modo quodam, tribuentes cogitationis informationem.* Et lib.eodem 15.& 7. *Nihil intelligimus, nisi per intelligentiam.*

Similiter arguitur ratione. Quia actus ille, quo memoria est in actu primo; aut est idem cum illo actu intelligẽtię; & tunc idem erit ratio gignẽdi se: aut erit alius; & tunc vel erit simul cum actu intelligentię, & tunc duo actus erunt simul: aut non; & tunc memoria formaliter gignet, quando non erit, est enim memoria formaliter per te, per illud quod non est, quando gignitur actus secundus.

Si etiam dicas. Quòd memoria est memoria, per habitum scientialem. Hoc non stat cum Opinione. Quia dicit quòd per habitum non est obiectum pręsens nisi in phantasmate, & ideo habentem habitum oportet recurrere ad H phantasma, ad hoc, vt actu intelligat: ergo non est obiectum pręsens per habitum scientialẽ pręcisè, sed per phantasma, quod non est in parte intellectiua: & hoc magis patebit respondendo ad auctoritates August. ponentis scientiam in memoria, & non speciem impressam in intellectu, sicut arguitur ex verbis eius.

Argumenta tum pro Opinione Primo Articulo adducta, tum Principalia soluuntur.

AD Argumenta in oppositum principalia. Primò apparet, quòd illud argumentum Primum non cogit. Quia si valeret concluderet contra omnem opinionem, quòd nullo modo possit intelligi vniuersale: quicquid.n. sit illud per quod vniuersale repræsentatur, similiter repræsentabit, sicut si esset impressum ab obiecto: sed si imprimeretur ab obiecto imprimeretur à singulari; q̃a actus est singularis, sicut argumentum dicit. Ideo respondeo; Quòd

A Quòd alia potest esse ratio agendi, & alia ratio agentis: singularitas est conditio agentis, non ratio agendi: sed ratio agendi est ipsa forma existens in singulari, secundùm quã singulare agit. Cùm ergo accipitur: Quòd quæcunque species gignitur ab aliquo, repræsentat ipsum secundùm illam rationem secundùm quam gignitur ab eo: si intelligatur de ratione gignentis; falsa est: si de ratione gignendi; concedi potest: & tunc non sequitur: quòd repræsentat eũ sub ratione singularis, sed sub ratione naturæ: quia ratio naturæ, est ratio gignẽdi. Sed ista responsio nõ videtur sufficere. Quia ita videretur ꝙ species in sensu repræsentaret vniuersale, & non singulare: quia ratio gignendi speciẽ in sensu, nõ est singularitas sed ratio naturę.

Ideo generaliter respondeo. Quòd quando species gignitur ab aliquo, sicut à totali causa, repræsentat ipsum sub illa ratione, sub qua gignitur, loquendo de ratione gignendi: & etiam repræsentat ipsum concomitanter sub ratione gignentis, aut saltem non sub ratione opposita rationi gignentis. Et ideò species in sensu, non repræsentat obiectum sub ratione vniuersalis, quæ est conditio opposita rationi gignentis singularis: sed in proposito obiectum non est causa totalis gignens respectu speciei intelligibilis; quia cum ipso agit intellectus agens, sicut partialis causa, & ideò genitum ab istis duabus causis, potest repræsentare obiectum sub opposita ratione singularitatis, quæ est ratio gignendi. B

Ad Secundum, de pręsentia ista. Dico, quòd obiectum respectu potentiæ habet primò præsentiam realem, scilicet approximationem talem, vt possit gignere speciem talem in intellectu, quę est forma intellectus. Secundò, per istam speciem genitam, quæ est imago gignentis, est obiectum præsens sub ratione cognoscibilis siue repræsentati. Prima pręsentia pręcedit naturaliter secundam: quia pręcedit naturaliter impressionem speciei, per quam est formaliter, secunda præsentia. Quando igitur accipitur, quòd species in intellectu non est causa præsentiæ obiecti. Dico, quòd falsum est de præsentia sub ratione cognoscibilis, saltem in cognitione abstractiua, de quamodò loquimur. Et cùm probatur. Quia priùs est obiectum præsens, quàm species ibi. Hoc est verum de præsentia reali, qua agens est præsens passo. Et intelligo sic: quòd in primo signo naturæ, est obiectum in se, vel in phantasmate, præsens intellectui agenti: In secundo signo naturę, in quo illa sunt præsentia intellectui possibili, vt agentia passo, gignitur species in intellectu possibili: & tunc in tertio, per speciem est obiectum pręsens sub ratione cognoscibilis. C

Ad Tertium. Aug. 6. de Trinit. ponit memoriam esse multorum simul cognitorũ habitualiter, sicut patet ibi de perito multarum disciplinarum: ergo oportet secundùm omnem opinionẽ ponere multa cognita in memoria habitualiter, & illa vt sunt ibi, sunt aliquomodo causa notitiæ genitæ, secundùm Aug. & non nisi causa naturaliter, quatenus pręcedunt actum voluntatis; igitur si argumẽtum valet, secundùm omnem opinionem, concluderet actualem cognitionem simul plurium. Ideo respondeo (sicut dictum est de primo cognito 2. quæst. huius 3. dist.) D Quia cuiuscunque speciei singulare fortiùs primò mouet sensum, eius phantasma efficaciùs imprimitur, & primò mouet intellectum: & quoad istum primum actum, non est in potestate nostra quin intelligamus: secundum Aug. 3. de libero arb. *Non est in potestate nostra quin visis tangamur*: Sed isto actu posito, in potestate nostra, est cognitio actualis, cuiuslibet habitualiter noti: de hoc dist. 6. dicetur. Cùm igitur, dicit. Aut potest mouere istas species ad intellectionem, aut non. Dico quòd potest: sed si alia species fortiùs mouet, ista impeditur ne modò moueat: potest autem postea per imperium voluntatis imperantis moueré, ad cognitionem istius, & cuiuslibet alterius obiecti, habitualiter cogniti.

Ad Algazelem. Dicò, ꝙ nihil similitudo valet: quia hic tollitur illud, quod est ibi ratio impossibilitatis. Quod probatur per Arist. & Cõmentatorem 1. Met. t. 13. vbi volunt quòd *rationes oppositorum, non sunt oppositę in intellectu*.

Ad Quartum. Dico, quòd non tantùm intellectus patitur ab obiecto reali, imprimente talem speciem realem, E sed ab illo obiecto, vt in specie intelligibili, patitur passione intentionali: & illa passio est receptio intellectionis, quę est ab intelligibili, inquantum intelligibile est relucẽs in specie intelligibili: & istud pati, est intelligere: sicut patebit in quæst. proxima. Cùm vltra deducis. Quòd tunc intellectio nõ est motus rei ad animam. Non sequitur. Quia impressio speciei, est quidam motus rei ad animam, quatenus res habet esse in illa specie: intellectio etiam sequens speciẽ impressam, est motus rei ad animam, quatenus per intellectionem obiectũ habet esse in anima actualiter cognitum, quod priùs tantùm habuit esse habitualiter cognitum, &c.

Ad rationes alterius Opinionis. Cùm Primò arguitur in Prima Opinione. Quòd recipere speciem, conuenit sensui præcisè; quia potentia est organica. Dicò, quòd hoc est falsum; quia illud non est pręcisè causa: sed præcisa causa cuiuscunque potẽtiæ, habendi speciem præsentem repręsentantem obiectum suum, est, quia ipsa est cognitiua, & natura dedit sibi, vt possit habere obiectum priùs naturaliter sibi præsens, quàm cognoscat. Sed potẽtiæ organicæ dedit, vt obiectum sit pręsens, non in potentia ipsa, sed in organo, hoc est, in parte corporis quam perficit potentia organica: & illa præsentia sufficit; quia totum compositum ex parte corporis sic mixta, & ex potentia, habet speciem; & huic toti sufficienter obiectum est præsens, quando species est in illa parte corporis. Cùm igitur intellectui nihil perfectionis auferatur, inquantum potentia cognitiua est, ex hoc quòd nõ est organicus, imò magis additur sibi perfectio; sequitur quòd sibi possit esse obiectum præsens, ante actum, sicut alijs potentijs: sed illa præsentia non erit per aliquid impressum organo, quia non habet organum; ergo erit per aliquid impressum illi potentiæ: tale autem impressum repręsentans, præcedens in potentia intellectiua actum intelligendi, voco speciem intelligibilem. F

Breuiter igitur dico. Quòd sensus habet obiectum præsens, in illa parte corporis, quę dicitur organũ illius sensus: sed intellectus tàm illam præsentiam priorem actu, quàm ipsum actũ, habet ratione eiusdem receptiui; & ideò falsum accipitur, ꝙ species talis, non est nisi præcisè propter organum: natura enim causat talẽ partem talis corporis, sic mixtam, vt sit perfectibilis à tali potentia animæ, & cõgruat operationi eius, quia materia est propter formam, & non è conuersò; ex 2. Phys. t. 25. & Comment. 1. de anima. com. 53. *Membra leonis non differunt à membris cerui, nisi quia anima differt ab anima*: Non igitur forma est propter materiam, sed è conuesò: & ideò talis pars facta est talis speciei receptiua, vt per talem speciem sit obiectum præsens toti cõposito, quod est totum organum: vnde prima causa præsentiæ obiecti in specie, nõ est talis dispositio corporis: sed prior causa est, vt potentia apprehensiua habeat obiectũ actu cognoscibile, sibi præsens, vel in seipsa, vel in aliquo qđ est pars ipsius organi, in tali operatione. G

Ad aliud de Philos. 3. de anima. Quòd *intellectus est locus specierum*. Põt exponi. Quòd intellectus dicitur locus specierum, quia saluans: sicut dicitur, quòd ipsius loci est seruare locatum: & organa sensitiuę potentiæ non sunt loca, quia non ita saluant species receptas in eis: species quippe intelligibiles, non videntur deleri, sicut species sensibiles; quia species sensibilis ita est in organo, quòd potest corrũpi, per contrariũ formaliter, vel per dispositionem in susceptiuo disconuenientem tali potentiæ: sicut patet, per Phil. de memoria & reminiscentia. *Senes & iuuenes, id est pueri, sunt male reminiscitiui, propter abundantiam humorum nimiam, & etiam propter indispositionem, & læsionem organi.* Isto vtroque modo non est species intelligibilis in intellectu, vt per se deleatur per aliquid cõtrarium ad ipsam, seu per indispositionẽ receptiui. Aliæ multæ congruentię possent assignari, circa illud vocabulum, Locus: circa quod non oportet multùm immorari. H

Quod additur de Philosopho: quòd *speculamur Quod quid est in phantasmatibus*, &c. Pro omnibus talibus auctoritatibus. Dico: quòd talis est connexio istarum potentiarum, scilicet, phantasiæ & intellectus, pro statu isto, quòd nihil intelligimus in vniuersali, nisi cuius singulare

A phantasiamur: nec est alia conuersio ad phantasmata, nisi
quòd intelligẽs vniuersale imaginatur singulare eius: nec
intellectus videt Quod quid est in phantasmatibus, sicut
in ratione videndi, sed intelligens Quod quid est relucens
in specie intelligibili, videt illud in suo singulari, viso per
virtutem phantasticam in phantasmate.

Quod adducitur de Aug quòd non ponit speciem intel-
ligibilem in memoria, sed scientiam. Respond. dico: quòd
vbi ponit scientiam, statim ponit aliquid, quod includit
speciem intelligibilem, licèt nõ vtatur isto vocabulo: quia
15. de Trin. cap. 10. cùm præmisisset, *ex ipsa scientia quam
memoria tenemus, gignitur verbum*, Subdit: *formata cogita-
tio ab ea re, quam scimus, verbum est*. Et idẽ de Trin. 15. c. 11.
Cùm præmisisset: *Simillima est visio cognitionis, visioni
scientiæ*. Subdit: *quando ergo quod est in notitia, hoc est in ver-
bo, tunc est verum verbum*. Et eodem cap. 12. *Tunc enim est
verbum simillimum rei notę, de qua gignitur, et imago eius,
quando de visione scientię, visio cogitationis exoritur*. Subdit:
Nec interest quando id didicerit, qui quod scit, loquitur. Simi-
B liter cap. 22. *Quando ad memoriam meam aciem cognitionis
meę aduerto, ac si in corde meo dico, quod scio, &c.*

Ex istis omnibus apparet. Quòd illud quod Aug. tri-
buit memoriæ, ratione scientiæ, vt gignenti, exponit se
semper de obiecto præsente in memoria: non est autem
obiectum præsens in memoria, vt memoria intellectiua
est, per scientiam, vt est habitus distinctus à specie: ergo
oportet quòd illam præsentiam esse intelligat per speciem
intelligibilem, & sub illa ratione sub qua distinguitur ab
habitu scientiæ propriè sumptæ.

Et hoc modo etiam debet accipi illud verbum Philos. 3.
de anima, t. com. 37. quia cùm præmisisset, quòd *anima est
quodãmodo omnia*: Subdit: *per sensum est sensibilia, & per
scientiam scibilia*. Scientia quippe ibi tàm apud Philoso-
phum, quàm apud August. in locis prædictis, accipitur pro
ipsa præsentia habituali obiecti in memoria intellectiua,
quæ præsentia habitualis, est virtualiter scientia, quia in
obiecto sic præsente, cõcipitur virtualiter tota scientia de
C tali obiecto. Hæc species est illa scientia, quæ reducit intel-
lectum de potentia essentiali, ad accidentalem, secundùm
Arist. 8. Physic. t. 32. & 2. de anima tex. com. 25 & 55. non
autem illa, quæ propriè dicitur scientia, quæ est habilitas
quædam derelicta ab actibus: nam ante istam, ad primum
actum considerandi requiritur, quòd sit iam reductus in-
tellectus de potentia essentiali ad accidentalem: alioquin
non operatur tunc magis quàm priùs: vnde in cognitio-
ne, species in qua relucet quidditas, dicitur scientia, non
tantùm virtualiter, quia totam continet, sed formaliter
potest dici habitus cognitiuus, quia est qualitas mansiua
in intellectu, disponens ipsum ad actum.

Et ex hoc habetur argumentum pro specie intelligibi-
li. Quia non videtur quomodo aliqua scientia tota, dici
possit vna, ratione primi obiecti, nisi quatenus illa scien-
tia continetur virtualiter in illo primo obiecto intelligibi-
li: nõ enim tota illa scientia dicitur vna ab obiecto, quate-
D nus relucet in phantasmate; quia illa non esset vnitas ali-
cuius habitus intellectualis, sed alicuius imaginabilis.

Quod arguitur post, in Secunda Opinione. Quòd po-
tentia quæ est ad aliquem actum ordinata, actuatur pri-
mò per illum actum. Dico: quòd quælibet potentia ap-
prehensiua, vt apprehensiua est, est in potentia ad appre-
hendere primò, primitate perfectionis, licèt non primò
primitate generationis: & quandoq; primò primitate ge-
nerationis, quando scilicet obiectum in se est præsens tali
potentiæ, vt actu cognoscibile ab ea: tunc enim non opor-
tet ante actum, in potentia aliquid aliud fieri, in quo ip-
sum obiectum sit præsens, sed primum quod fit ab eo, est
actus: quando autem obiectum non est natum in se esse
præsens, sub ratione actu cognoscibilis à tali potentia, tũc
quælibet potentia apprehensiua, est in potentia ad appre-
hensionem, & ad illud in quo cognoscibile erit pręsens: &
priùs ordine originis est in potentia ad habendum istam
præsentiam, quàm ad habendum actum. Et ita est in pro-
posito: sensibilia enim non sunt nata in se esse præsentia
intellectui, sub ratione actu intelligibilium, sed tantùm
in specie intelligibili, possunt sic esse præsentia; & hoc
E quantùm ad intellectionẽ abstractiuam, de qua est sermo
in proposito: & ideo potentia apprehensiua, respectu ta-
lium, est in potentia ad duplicem actum: & ab agente ap-
proximato, priùs ordine originis accipiet priorem actum,
quàm posteriorem.

Nec tamen intelligo ita istos actus esse ordinatos, quòd
prior sit ratio recipiendi respectu posterioris, sicut scilicet
superficies est ratio recipiendi albedinem: tunc enim in-
tellectus, respectu nullius intelligibilis recipere posset actũ
secundum, qui est intellectio, nisi priùs haberet actum pri-
mum, vt speciem eiusdem obiecti: sed intelligo, quòd in-
tellectus de se, est ratio immediata recipiendi vtrumque
actum: ipsi actus inter se tamen sunt ordinati, quando
obiectum non est natum esse præsens in se; quia tũc opor-
tet priùs naturaliter esse illum actum, quo obiectum est
pręsens vt intelligibile, quàm illum, qui elicitur circa obie-
ctum intelligibile vt præsens.

Si instetur contra istam solutionem. Quia nunquã plu-
ralitas est ponenda, nisi propter necessitatem 1. Phys. t. 50.
F hìc autem non videtur necessitas; quia obiectum videtur
sufficienter pręsens in phantasmate; ergo non est ponen-
da ista species in intellectu. Respondeo. Quòd necessitas
est, semper dignificare naturam nobilem, quando non ap-
paret aliquid manifestè repugnans: sed magna vilificatio
naturæ intellectiuæ vt intellectiua est, videtur esse, quòd
non possit habere obiectum suum sibi præsens in se, absq;
mendicata præsentia à potentijs inferioribus, cum quibus
contingenter coniungitur in ratione potentiæ: & tamen
quòd potentiæ aliæ inferiores possint habere obiectum si-
bi præsens vt in se, etsi intellectus possit habere obiectum
sibi præsens in potentia inferiori, non tamen summa præ-
sentialitate, possibili pręcedere actum intelligendi: & sicut
alijs potentijs cognitiuis, & ita multò magis isti potentiæ
debet concedi obiectum esse summè præsens, quantũ po-
test esse præsens, ante actum cognoscendi; & hoc non sal-
uatur nisi in specie intelligibili. Non etiam ponitur per-
fectio summa possibilis potentiæ cognitiuæ, nisi ponatur
eam posse cõseruare speciem intelligibilem præter actum;
G & ita habere obiectum suum præsens conseruatum sine
actu; quia hoc conceditur sensitiuæ: & perfectionis est in
cognitiua, quòd non dependeat ab aliquo in cognitione
sua, sed quòd possit habere obiectum pręsens, sine depen-
dentia ad aliam potentiam.

QVÆSTIO OCTAVA.

Vtrum intellectus sit causa totalis productiua notitię genitę:


Ecundò quæro, de notitia genita. Quæ sit causa
gignens, vel ratio gignendi eam? Et quæro.
Vtrum pars intellectiua propriè sumpta, vel
aliquid eius, sit causa totalis gignens notitiam
actualem, vel ratio gignendi.

Et arguitur quòd non. Quia 2. de anima. t. 52. probat
Philosophus sensum esse passiuum, non actiuum, per hoc,
quòd *si esset actiuus, semper ageret: quia sicut si combustibile
esset combustiuũ, semper combureret*. Ita arguitur in propo-
H sito. Si pars intellectiua esset actiua, respectu intellectio-
nis, semper intelligeret: & ita sine obiecto; quod est fal-
sum. Confirmatur ratio, ex 2. de anima t. com. 138. *Sensi-
bile & sensus, est vnus actus*; puta sonatio & auditio, est idẽ
actus; ergo à simili, Motio actiua obiecti, & motio passi-
ua intellectus, quæ est intellectio, est idem actus; ergo in-
tellectio est ab obiecto.

Secundò sic. 3. de anima t. 18. *Intellectus possibilis est, quo
est omnia fieri, sicut intellectus agens est, quo est omnia facere*:
ergo intellectus possibilis, saltem non erit causa actiua re-
spectu cognitionis, sicut potentia passiua, non est actiua
respectu actus.

Tertiò sic. Actiones distinguuntur penes distinctionem
principiorũ actiuorũ: si igitur intellectus, qui est indistin
stinctus, sit principium actiuum omnis intellectionis; tũc
omnes intellectiones essẽt eiusdem speciei: & si omnes in-
tellectiones; ergo & omnes habitus: & ita consequenter,
omnes scientiæ essent eiusdem speciei.

A Ad oppositum Auic.9.Met.c.3. Immaterialitas est ratio intellectiui, sicut intelligibilis; igitur intellectus siue pars intellectiua,ex immaterialitate sua, se sola est actiua respectu intellectionis,sicut receptiua.

Item. Si obiectum,vel aliquid eius, esset ratio formalis agendi; ergo intellectiones obiectorum diuersorum speciæ,essent diuersæ speciæ;quod est falsum. Consequentia probatur. Quia actus differunt specie, qui sunt à causis diuersis specie. Falsitas consequentis probatur. Quia tunc de qualibet specialissima specie esset propria scientia: & ita de pluribus speciebus specialissimis,non posset esse vna scientia.

Probatur etiam idem per Phil.1. Ethic.cap.9. vbi vult, quòd *intelligere est propria operatio hominis, secundùm quod homo*: vnius autem speciei,est operatio vna secundum speciem.

ARTICVLVS PRIMVS.

B *Narratur & reijcitur Opinio, totam actiuitatem, respectu intellectionis,attribuens soli animæ.*

IN ista Quæstione est vna Opinio,(*Henr. quol.4.q.7. & Præpositiui.*) Quæ attribuit totã actiuitatẽ, respectu intellectionis,ipsi animæ.Et imponitur Aug.qui dicit 12.super Gen.c.28 quòd *quia imago corporis est in spiritu, qui est præstantior corpore,ideo est præstantior imago corporis in spiritu,quàm ipsum corpus in sua substantia.* Et sequitur cap.29. *Nec sane putandum est facere aliquod corpus in spiritu, tanquam spiritus corpori facienti, materiæ vice subdatur: omni enim modo præstantior est res quæ facit, illa re de qua facit: nec vllo modo præstantius est corpus spiritu, imò spiritus corpore. Quamuis ergo incipiat imago corporis esse in spiritu, tamen eandem imaginem, non corpus in spiritu, sed spiritus in seipso facit, celeritate mirabili.* Et sequitur. *Cuius imago, mox vt oculis visum fuerit, in spiritu videntis, sine vllius puncti temporalis interpositione formatur.* Item 10.de Trin.cap.5. *Anima conuoluit & rapit imagines corporum, factas in semetipsa & de semetipsa: dat enim eis formandis quiddam substantiæ* C *suæ; seruat autem aliquid, quo liberè de talium imaginum specie iudicet: hæc est mens, idest, rationalis intelligentia, quæ seruatur, vt iudicet: nam illas animæ partes quæ informantur corporum similitudinibus, etiam cum bestijs comunes nos habere sentimus.* Igitur ipsa anima in se format imagines ipsorum cognitorum; vt dicit ista auctoritas, & expressiùs præallegata.

Pro ista Opinione arguitur (*ab Henr.quol.5.q.5.lib.11.c.16.*) per rationes,sic. Effectus nõ excedit causam in perfectione: *melius est autem omne viuum,non viuente*: secundùm Aug. de ciuit. Ergo operatio vitalis non potest esse, nisi à principio agendi vitali, vel viuo: istæ operationes cognoscendi, sunt operationes vitales;ergo sunt ab ipsa anima,sicut à ratione gignendi.

Secundò sic. Quantò forma est perfectior,tantò est actualior; & per consequens actiuior: quia actiuam esse, conuenit alicui inquantum est in actu; sed anima intellectiua, inter omnes formas est actualissima; ergo maximè D actiua; igitur se habet in ratione actiui, & se sola seipsam mouet in operatione sua: cùm etiam hoc possint formæ imperfectiores: sicut patet de formis Elementorum, & quorundam mixtorum.

Tertiò sic. Philosoph.2.Physic.tex.com.25.& 6. Ethic. cap.5.& 9.Metaph.tex.com.16. distinguit inter actionem & factionem: & vult quòd actio propriè dicta,maneat in agente: sicut exemplificat ibi de speculatione; intellectio igitur propriè est operatio manens in agente, manet autẽ in parte intellectiua,vt dicit Philosophus 9. Metaph.ergo erit ab ea,vt ab agente.

Quartò. (& est quasi idem.) Actio propriè dicta, vt distinguitur contra factionem,denominat agens; intelligere autem denominat hominem secundùm partem intellectiuam;ergo est actiuè à parte intellectiua,vel ab homine secundùm partem intellectiuam.

Contra istam Opinionem. Quòd non sit intentio August. Apparet 9.de Trin.c.vlt.& 30. de paruis. *Liquidò tenendum est, quòd omnis res quam cognoscimus, congenerat in nobis notitiam sui: ab vtroque enim pariter notitia, à cognoscente scilicet & cognito.* E Idem 2.de Trin.c.2. vel 5. *Ex visibili & vidente, gignitur visio.* Item 55.de Trin.c.10.& 24. vt prædictum est. *Formata quippe cogitatio ab ipsa re, quam scimus, verbum est.* Ergo intendit attribuere aliquam causalitatem obiecto.

Hoc etiam arguitur ratione, sic. Quia tantùm sunt quatuor genera causarum per se,sicut apparet ex 2. Phys. t.com.28 & 5.Metaph.t.2.ergo illis existentibus in se perfectis,& non impeditis, & sufficienter approximatis, sequetur effectus ex illis,si sint causæ naturales: vel poterit saltem esse,si sint causæ liberè agentes: & quia forma habet esse aliquomodo per productionem, & finis sequitur productionem rei in esse, aut si præcedit, hoc est inquantum mouet efficiens ad agendum: ideo quando duæ causæ priores ipsa re,scilicet efficiens & materia,sunt in se perfectæ,& approximatæ,& non impeditæ,sequitur effectus: vel saltem potest sequi: ergo si anima est totalis causa actiua notitiæ genitæ, & ipsa est materia disposita, siue subiectum receptiuũ, vel susceptiuum,respectu eiusdem, F & ipsa est semper actu præsens, cùm sit causa naturalis, semper erit actualis intellectio quæcunque in ea, cuius ipsa est causa,& cuius ipsa est causa de se;vel saltẽ aliqua, in quam potissimè ipsa potest. Non enim potest poni imperfectio alicuius causæ in se,retenta prima hypotesi, nec non approximatio,nec impeditio; quia nihil videtur tunc impediens. Fugere autem ad causam sine qua non, quæ requiritur ad hoc, vt notitia gignatur:hoc est dicere:quòd omnes per se causæ,non sunt sufficientes causæ, sed requiritur aliquid aliud,à quo res causanda dependet essentialiter; ergo non erunt tantùm quatuor causæ, siue quatuor genera causarum,sed plura: vel aliquid dependebit essentialiter ab aliquo,quod non est causa eius.

Per hoc etiam improbantur diuersi modi ponendi, tenentium istam Opinionem.Siue enim ponatur obiectum necessarium in ratione causæ sine qua non, vel in ratione termini, vel in ratione excitantis: si non detur sibi aliqua per se causalitas: cùm ipsæ per se causæ sint perfectæ in se, G & approximatæ,& omne impedimentum remotum:quomodo saluabitur, quòd ipsum necessariò requiratur, nisi ponendo quinque genera causarum?

Ad Argumenta huius Opinionis. Dico Primò. Ad auctoritates Aug. Quòd imago quæ ponitur ab eo esse in spiritu,oportet quòd intelligatur esse in anima, vel in aliquo animæ,vt in subiecto,& non præcisè in corpore sic mixto: aliter non concluderetur illam imaginem esse nobiliorem oĩ corpore, sicut dicit ipse 12.super Gen. Quòd autẽ est in anima,vel in aliquo animæ,vt in subiecto,non est illa species,quæ communiter dicitur species, sed illa recipitur in parte organi,quæ est corpus sic mixtum:sed illud quod recipitur in anima,vel potentia animæ,est actus cognoscendi; ergo per imaginem,intelligit ipse talẽ actum. Ista glo. arguitur ex dicto eius, 11.de Trin.c.2.& 5.vbi vult, quòd *informatio sensus, quæ fit à solo corpore, visio dicitur*: illa autem informatio est propria species, quæ recipitur in parte organi, scilicet in corpore sic mixto. Hoc patet,ex hoc q̃ dicit; quòd gignitur à solo corpore,quod videtur. Sicut ergo illud, H quod est propriè imago,dicitur visio: ita è cõuersò, visio potest dici imago: & multò veriùs; quia visio (secundùm veritatem) est quædam qualitas, & talis qualitas est quædam similitudo obiecti,& fortè perfectior, quàm illa similitudo prior,quæ dicitur vsitatè, species.

Hoc intellecto. Faciliter patet ad auctoritates eius. Concedo enim, quòd illam imaginem, quæ est sensatio, non causat corpus in spiritu, vt totalis causa; sed anima causat in se mira celeritate; non tamen vt tota causa, sed ipsa & obiectum: vnde dicit ibidem 12. super Gen. *quod mox vt visum fuerit.* &c. Innuens, quòd præsentia obiecti requiritur in ratione visibilis, vt anima faciat in se visionem: & non requiritur, nisi vt aliquomodo causa partialis: sicut ipsemet exprimit. 11. de Trin.cap.2. & 5. quòd *à vidente, & visibili, gignitur visio.* Istam Conclusionem sic intellectam, probat ratio sua in auctoritate præallegata. Quia illa propositio,scilicet, Quòd agens est præstantius patiente, non est immediata: sed dependet ex istis tribus,

A scilicet, Agens est præstantius effectu: Et, Effectus agentis est actus & forma patientis: Et, Actus est nobilior potentia: Ergo agens inducens huiusmodi formam est nobilius patiente. Vbi igitur istæ propositiones sunt veræ, ibi propositio August. quam accipit, est vera: ista autem, quòd agens est præstantius effectu, non est vera, nisi de causa æquiuoca totali: potest enim aliqua esse causa partialiter agens, ad aliquem effectum nobiliorem se; sicut elementum, in virtute corporum cælestium, potest agere ad generationem mixti, quod est nobilius ipso elemento agente, vt partiali causa.

Per istud patet ad Secundam auctoritatem Aug. 10. de Trin. cap. 5. *Formas enim anima in se imaginem*, hoc est, sensationem, *& de se*, hoc est, ipsa est in potentia naturali ad sensationem, & non in potentia neutra, sicut superficies ad albedinem est in potentia neutra, & non naturali: & istam naturalitatem ostendit, cùm dicit, *de se*. Et loquitur ibi tantùm de sensationibus, vt apparet: quia dicit ibidem: quòd *illas partes animæ, quæ corporum similitudinibus informantur, habemus communes cum bestijs*: hoc verum

B est de illis, quæ informantur imaginibus, hoc est sensationibus, extendendo nomen imaginis ad sensationem.

Ad rationē Primam pro illa Opinione. Dico, quòd concludit pro me. Quia cognitio, cùm sit operatio vitalis, non est à non viuo, sicut à totali causa: potest tamen non viuum esse causa partialis alicuius viui, vel effectus vitalis: sicut Sol non viuus, est causa partialis cum patre; ad generandum filium viuum: & multò magis in proposito est possibile; quia hic causa principalior est viua: sicut patebit in sequenti Quæstione.

Cùm arguitur post, de forma perfecta. Hoc concludit: quòd aliquam actiuitatem habeat respectu propriæ operationis. Sed quia videtur concludere totalem causalitatem in ea, respectu suæ propriæ operationis. Respondeo. Quòd ista forma, ex perfectione sua, ordinatur ad habendum aliquam operationem circa totum Ens: vt dicitur 3. quæst. huius distinct. quia verò non est simpliciter perfecta, quia non est infinita: ideò non potest in se habere to-

C tum Ens. Ex eius ergo perfectione, cum sua imperfectione, concluditur quòd aliquam actiuitatem habeat: non tamen sufficientem; quia non posset habere totalem causalitatem cognitionis, respectu totius Entis, nisi haberet in se totum Ens. Et ideo dico: quòd formæ imperfectiores, benè possunt esse causæ totales, respectu suarum operationum: quia operationes earum, sunt limitatæ ad res: respectu quarum habere totalem actiuitatem, non concludit aliquam perfectionem actiuam, nisi limitatam. Sed in ista forma perfecta, quæ ordinatur ad totum Ens, non potest poni totalis causalitas respectu cognitionis totius Entis: tunc enim poneretur in ea virtus actiua illimitata, sed tamen potest poni causalitas partialis in ea, & partialis in obiecto, vt sic ipsa possit cooperari perfectioni suæ, circa quodcunque obiectum, & obiectum etiam quodcunque cooperari sibi; magnum obiectum ad magnam perfectionem eius, & paruum ad paruam.

Alia duo argumenta, de actione vt distinguitur contra

D factionem, & quòd actio denominat agens, concedo. Pono enim actum intelligendi verè manere in agente, non tantùm in supposito agente: ita quòd non transeat extra suppositum, sed nec transit extra partem intellectiuam in sensitiuam, nec extra intellectiuam in appetitiuam, nec extra principium eius actiuum in aliam potentiam, sed manet in parte intellectiua, quæ est causa partialis eius. Non aūt oportet actionem propriè dictam manere in sua causa totali, sed sufficit quòd maneat in sua causa partiali.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Sententia, totam causalitatem respectu intellectionis attribuens obiecto, examinatur.

Alia est opinio (*Gotfr. quol. 6 q. 7. & quol. 8. q. 2. & quol. 9. q. 19. & quol. 13. q. 2.* quæ totaliter est in alio extremo. Quæ dicit sicut colligitur ex diuersis locis sic opinantis) Quòd anima intellectiua vt intellectiua est, nihil habet actiuitatis, vel causalitatis respectu intellectionis. E Non enim habet talem causalitatem intellectus possibilis: siue informatus specie intelligibili, quam ipsi negant; siue nudus: quia secundùm eos, nihil idem potest agere in seipsum. Quod probant.

Quia cùm agens sit tale in actu, quale passum est in potentia, vt apparet 3. Phys. t. 17. & 1. de generat. t. 38. sequitur tunc, quòd idem esset in potentia & in actu: quod primò videtur esse, oppositum primi principij Metaph. noti per rationem actus & potentiæ. Et tunc idem etiam esset efficiens & materia; quod videtur esse contra Philos. 2. Phys. t. 70. materia & efficiens non coincidunt. Tunc etiā idē referretur ad se, relatione reali, quod videtur impossibile 5. Met. t. 17. & 20. propter oppositionem talium relationum. Tandem ad hoc, deducūt, quòd poneretur quodlibet in se agere, & moueie se, vtpote quòd aër ad præsentiam Solis illuminaret se, & non Sol; & lignum ad præsentiam ignis calefaceret se, & non ignis: nec esset ratio, quare non esset aliquid naturaliter sic causatiuum cuiuscunque noui in se; quia non esset vnde prohiberetur, quin quodlibet F esset causatiuum cuiuscunque noui in se.

Ex istis propositionibus. Dicunt. Quòd agens & patiens distincta sunt subiecto. Et pro Confirmatione. Dicunt. Quòd quæcunq; difficultates accidunt in aliqua materia, nō sunt ppeas neganda ista principia: quia tunc tollitur omnis inquisitio veritatis, per talia principia negara; qua enim ratione negantur in vna materia, & in alia.

Propter idem. Dicunt. Quòd intellectus agens nō potest aliquid causare effectiuè in intellectu possibili: quia non distinguitur ab eo, subiecto, sed quasi formaliter; ipsum lumine suo perfundendo, vel perficiendo. Huius illustrationem facit. Sicut cùm producitur aliquod corpus luminosum, in quo sunt istæ duæ perfectiones, scilicet dyaphaneitas, & ipsa lux. Dicitur, quòd lux hoc corpus perspicuum facit luminosum, non trasmutando ipsum à potentia præcedēte actum ad talem actum, sed totum simul factum est, secundùm rationem causæ efficientis, ab agente extrinseco, producente corpus tale, ad esse tale: sed ideò G dicitur lux facere illud corpus luminosum; quia est formaliter perficiens illud corpus; Ita est in proposito. Intellectus agens in ratione causæ efficientis, nihil agit in intellectum possibilem: sed qui creauit animam per modū causæ efficientis, ipse in ea hanc illustrationem fecit, istas potentias simul in eadem substantia producendo.

Similiter ponunt. Quòd intellectus agens nullam operationem habet respectu intellectionis, nisi quatenus habet actionem circa obiectum intelligibile, quatenus scilicet agit ad hoc, vt illud habeat rationē mouentis, & obiecti in actu; ergo ad ipsam intellectionem, præter ista duo, intellectus agens nullam actionem immediatè habebit. Quid igitur causabit effectiuè intellectionem? Respondetur. Quòd obiectum idem secundùm rem, efficit intellectionem, & volitionem: & hoc in quantum relucet in phantasmate, illustrato ab intellectu agente, nō effectiuè, sed quasi formaliter, concurrente respectu intelligibilis.

Qualiter autem sit possibile phantasma mouere intel- H lectum possibilem: cùm tamen virtus phantastica & intellectus possibilis sint in eadē substantia animæ, & phantasma non distinguitur subiecto ab intellectu possibili? Dicunt. Quòd anima potest considerari dupliciter: vel secundùm essentiam: vel secundùm potētias. Primo modo, est totum in qualibet parte corporis, nec est principium alicuius operationis. Secundo modo, aliqua potentia determinat sibi aliquam partē corporis, vt organica: aliqua non, vt intellectiua: quia ipsa sub ratione talis potentiæ, non est in ista parte corporis, nec in illa; quia in nulla est: quia per se nec in toto, nec in aliqua parte; sicut nec operationes, quæ per eam exercentur. Sicut ergo potentia, quæ esset in alia parte corporis, quàm est phantasia, posset immutari ab eo, quod est in phantasia; ita potentia, quæ non est determinata ad partem in qua est phātasia, sed est extra illam, sic quòd non est ibi plus, quàm in pede, poterit immutari ab eo, quod est in phantasia. Ita est in proposito. Quia illæ potentiæ non sunt alligatæ, & immersæ materiæ, sicut aliæ.

Contra

A Contra istam Opinionem. Intellectus agens, secũdùm eum, nihil causat, quod sit formaliter in phantasmate, sed solùm fit remotio prohibentium per quendam cõtactum spiritualem huius lucis ad phantasmata: qua remotione facta virtute intellectus agentis, fit informatio intellectus possibilis.

Et ex hoc sequitur. Quòd nihil quod est in intellectiua parte, vt intellectiua comprehendit intellectum agentem & possibilem, habebit aliquam rationem actiui, siue vt agentis, siue vt rationis agendi, respectu cuiuscunque intellectionis: & ita tantùm phantasma effectiuè se habet ad intellectionem. Vel si sit ibi efficientia aliqua, per quam effectiuè fiat irradiatio, vel illustratio, super phantasmata, illa efficientia erit præcisè ipsius Dei, qui creauit tale lumen in intellectu possibili: vel ergo Deus agit immediatè ad intellectionem quamcunque, vel tantùm phantasma erit causa omnium actionum intellectiuæ partis, tam intellectionum, quàm volitionum: quod est absurdum.

B Item Secundò ex ista Opinione sequitur. Quòd Angelus in quo non potest poni talis distinctio in subiecto, nullam intellectionem posset habere nouam, quantumcunque habeat obiecta multa præsentia habitualiter: imò nullam potest habere effectiuè, nisi à Deo: quia opposito posito, intellectus mouebitur à se; vel agens & patiens erunt indistincta subiecto. Hoc videtur ipse concedere. Quia ponit, quòd Angelum posse habere intellectionem nouam, est merè creditum.

Tertiò. Si phantasma causat omnem intellectionem effectiuè, & causa naturalis non agat nisi secundùm naturam illam, qua est actu; phantasma nunquã causabit aliquam intellectionem in intellectu, nisi cõformem phantasmati; & ita nunquam causabit compositionem falsam, repugnantem rationi terminorum, quorum phantasmata sunt in virtute phantasticæ: aut si quodammodo potest: sicut respondent, quòd per vnum oppositum cognitum, põt suum oppositum cognosci; hoc nõ est, nisi quia per vnam

C compositionem veram, potest cognoscere oppositam esse falsam: Sed nunquam idem phantasma causabit aliquam intellectionem falsam tanquam veram, vel è conuersò.

Et si dicas. Quòd phantasma falsè repræsentat obiectum: ideò causat intellectionem falsam in intellectu. Sequitur. Quòd idem phantasma manens idem, nunquam potest causare assensum oppositum: & ita non poterit intellectus eandem compositionem apprehendere nunc vt veram, nunc vt falsam.

Item. Quando dicitur: Quòd intellectio, secundùm Philosophum, est actio manẽs intra. Respondent. Quòd intelligere, secundùm modum significandi Grammaticalem, significat actiuè, & intelligi passiuè: tamen secũdùm rem, intelligere est passio, & quod intelligitur, est agens. Intelligere enim non significat aliquid, vt habet esse in subiecto in se, & absolutè, sed quasi tendens in alterum vt in obiectum, siue vt in terminum: & quia actioni, sest procedere ab agente, & tendere in passum; ideò tales perfectio-

D nes quę in re sunt passiones, hoc est manentes in eo, quod denominatur ab eis per modum actionis, dicuntur esse actiones immanentes.

Contra. Philosophus distinguens actionem à factione 3. Phys. t. 25. & 6. Ethic. c. 5. & 9. Metaph. t. 16. assignat diuersa principia, propria actioni & factioni. Quod non oporteret: si intelligeret, ꝙ illud quod assignat esse actionem, esset passio: quia tunc non oporteret assignare sibi principium actiuum proprium: non enim oporteret prudentiã esse actiuam, sicut ars est habitus factiuus; si actio nihil esset, nisi quædam forma recepta in alio, vt in eo quod dicitur agens.

Item. Habitus non ponitur præcisè ad patiendum, & maximè in passiuo summè dispositio ad formam: nõ enim oportet illud facilitari ad recipiendum, quod in se est summè dispositum ad recipiendum; sed intellectus est summè dispositus ad quamcunque intellectionem, quia nihil habet contrarium; ergo non oportet ponere aliquem habitum in intellectu, si præcisè esset passiuus respectu intellectionis. Probatur prima propositio. Quia *habitus est quo vtimur, cùm volumus; Et Habitus habentem perficit, & opus eius bonum reddit.* Ex 2. Ethicorum: omnia ista attribuunt aliquam actiuitatem habitui. E

Item. Quomodo intellectus discurret syllogizando, vel argumentando, si phantasma causat omnem intellectionem? Non enim videtur intelligibile, quomodo phantasmata occurrentia causant omnem discursum.

Item. Quomodo causabuntur intentiones Logicę, vel relationes rationis? Si enim phantasma causat omnem intellectionem; quæcunque causata ab eo, erit realis; quia illa dicitur esse realis intellectio, quæ causatur immediatè à re, vel à specie repræsentante rem in se; ergo nulla intellectio, causabit intentiones Logicas, vel relationes rationis; quia intellectus nullo actu suo, poterit conferre obiectum ad aliud, quæ collatio causat relationem rationis, vel intentionem secundam in obiecto.

Item. Quomodo reflectetur intellectus supra actum suum? & hoc quomodo erit in potestate reflectentis? Si enim phantasma causans aliquam intellectionem, habet naturaliter causare reflexionem super istam actionẽ: pari ratione, & reflexionem reflexionis, & sic in infinitum: vt dicit August. 15. de Trin. Si autem non habet causare reflexionem, sed tantùm actum absolutum, & postea occurret aliud phantasma: non videtur posse assignari, quomodo potest esse reflexio super aliquem actum. F

Item. Quomodo illud non vilificat animam, quòd omnem actionem suam naturalem (quæ est perfectio naturalis tam perfecti Entis) effectiuè causet phantasma. Nullam enim perfectionem videtur posse causare phantasma in intellectu, quæ excedat nobilitatem eius: quia effectus æquiuocus, non potest excedere causam æquiuocam, sed deficit. Igitur nihil præcisè causatum à phantasmate, sicut à tota causa actiua, potest esse perfectius phantasmate, sed imperfectius eo: & ita nulla perfectio erit in homine maior ipso phantasmate: quod est absurdissimum, &c.

Ad Argumenta pro ista Opinione. Quamuis posset ibi tangi: Vtrum ista causalitas quæ attribuitur parti intellectiuæ, conueniat propriè intellectui agenti, vel possibili: tamen illam difficultatem dimitto vsque aliàs. G

Cùm probatur. Quòd possibilis non potest habere illam causalitatem. Quia nihil idem agit in se. Respondeo. Quòd illa propositio nõ est vera, nisi de aliquo agente vniuoco. Nec ista probatio eius, Quòd tunc idem esset in actu, & in potentia, concludit; nisi quando agens agit vniuocè, hoc est, inducit in passum formam eiusdem rationis, cum illa, per quã agit. Si enim aliquid sic ageret in se, sequeretur, quòd simul haberet formam eiusdem rationis, ad quam moueretur: & dum moueretur ad illam, careret illa: igitur simul haberet illam, & non haberet; saltem hoc sequitur de duabus formis eiusdem speciei, vel de eadem. In agentibus autem æquiuocè, id est, in illis agentibus, quæ non agunt per formam eiusdem rationis, cum illa, ad quam agunt, propositio illa, quòd nihil mouet se, non habet necessitatem. Nec probatio eius, quòd aliquid sit in potentia, & in actu respectu eiusdem, aliquid concludit. Non enim ibi agens, est tale formaliter in actu, quale passum est formaliter in potentia, sed agens virtualiter est tale in actu, quale formaliter est in potẽtia patiens: & quòd idem sit virtualiter tale in actu, & formaliter tale in potentia, nulla est contradictio. H

Ista gloss. de agentibus vniuocis, & æquiuocis, necessaria est. Quia Philosoph. posuit motum non tantùm in genere Qualitatis, sed Quantitatis, & Vbi: in Quantitate autem & Vbi, nullum est agens vniuocum; quia in genere Quantitatis, & Vbi, nulla est forma, quæ sit principium inducendi similem formam: imò (vt generaliter dicatur) quicunque motus est ad formam non actiuam, non est ab agente vniuoco; quia ex quo forma talis terminans non est actiua, nulla eiusdem rationis est principium agendi. Sunt igitur apud Philosoph. multi motus ab agente non vniuoco, sed æquiuoco, & ibi agens est virtualiter tale in actu, quale patiens formaliter in potentia.

Si arguas. Ergo in omnibus posset idem esse in actu virtuali, & in potentia ad actum formalem: & sic quodlibet

A potest mouere se. Respondeo. Quòd in ista illatione, est non causa vt causa. Nam ex generali ratione actus virtualis, & potentiæ ad actum formalem, nulla est repugnantia: quia si ex ista ratione esset repugnãtia, tunc & in quolibet esset repugnantia, tamen in aliquo cum actu virtuali concurrit aliquid aliud, propter quod repugnat sibi quandoq; esse in potentia vel actu formaliter tale. Exemplum. Esse calidum virtualiter in actu, & formaliter in potentia, de se non includunt contradictionem, vel repugnantiam: & ideo in nullo subiecto includunt repugnantiam, quòd propter hoc nõ possint esse simul; nec alterum esse ibi, quia alterum. Tamen Sol, qui est calidus virtualiter, non potest esse calidus formaliter: tamen hoc nõ est propter repugnantiam istorum. Probo. Quia Saturnus est frigidus virtualiter, & tamen non potest esse calidus formaliter; ergo actus virtualis non erat in eo causa repugnantiæ, sed aliquid aliud quod est commune Soli & Saturno, puta, quòd ista sunt corpora incorruptibilia, & caliditas est qualitas corporis corruptibilis.

B Sed si obijcias. Quòd talia principia Metaphysica, ex quo sunt generalia, nõ debent negari propter aliquas difficultates speciales. Respondeo. Quòd nulla sunt principia Metaphysica, quę habeãt multa singularia falsa: intelligendo autem quòd nihil est in actu virtualiter, & in potentia ad actum formalem, & quòd ista repugnantia accipiatur ex parte, vel ratione actus & potentiæ: non est principium Metaphysicum; quia multa singularia satis patenter sunt falsa. Ex quo patet, quòd illud non est principium Metaphysicum: sed quòd nihil est in actu formali, & in potentia respectu eiusdem actus formalis, verũ est, quòd sic nihil est in actu, & in potentia.

Et si omnino contendas, quòd etiam loquendo de actu virtuali, & potentia ad formalem actum sit principium Metaphysicum. Quomodo alij erant ita cæci, & iste solus videns, vt rationem communium terminorum Metaphysicorum non possent concipere, & ex eis apprehendere veritatem talis complexi, quod ipse ponit principium Metaphysicum? quod non tantùm ab alijs non ponitur
C principium, imò in multis falsum, & nunquã necessarium in ratione terminorum.

Cùm arguitur Secundò, ex 2. Physic. tex. 70. de causa materiali & efficiente: quòd non coincidunt. Verum est, de materia quæ est in potentia pura, sed non de materia secundùm quid, qualis est subiectum respectu accidentis. Necesse est enim aliquid idem, quandoque esse materiam, & efficiens respectu eiusdem. Quod apparet: quia aliàs passio non prædicaretur per se secundo modo de subiecto; quia si prædicetur per se secundo modo de eo, est eius causa materialis: sicut materia est in accidentibus, quia ponitur in diffinitione eius, vt additum; si etiam est prædicatio per se; igitur & necessaria: sed quod est sola causa materialis respectu alicuius, non habet necessitatem respectu eius; ergo oportet præter causalitatem materiæ, ponere in subiecto causalitatem efficientis, ad saluandum necessitatem.

Quòd arguitur postea de relationibus realibus opposi-
D tis. Dico, quòd aliquæ relationes oppositæ sunt incompossibiles in eadem natura, & in eodem supposito: aliquæ in eodem supposito, sed non in eadem natura: aliquæ nec in eadem natura, nec in eodem supposito. Vnde ex ratione relationum realium in communi, non potest concludi repugnantia eorum in eodem. Exempla prædictorum. Causa & causatum, in eadam natura, siue supposito repugnant: quia si non; tunc idem dependeret à se: producens & productum non repugnant in eadem natura; quia natura potest communicari sine diuisione sui, qualis est natura Diuina, repugnant tamen in eodem supposito: mouens autem & motum, nec in eadem natura, nec in eodem supposito repugnant; quia hîc non ponitur dependentia essentialis, qualem ponunt relationes causæ & causati: nec per idem ponitur, quòd idem sit antequam sit, quod ponere videtur relatio producti & producentis; sed tantùm ponitur hîc, quòd idem depẽdet à se, quantùm ad actum accidentalem, sicut motum à mouente dependet, quantùm ad actum accidentalem, quem recipit ab eo.

Incompossibilitatem igitur aliquarum relationũ oportet reducere ad aliquam incompossibilitatem priorem: & E vbi ista prior non inuenitur, ibi nec illa incompossibilitas relationum oppositarum concludetur. Hoc etiam ampliùs declaratur. Quia sicut istæ relationes, producentis & producti, quæ sunt repugnantes in eodem supposito, possunt fundari in eadem natura illimitata, sicut in Essentia Diuina: ita istæ relationes, mouentis & moti, quæ multò minorem habent repugnantiam, fundari possunt in eadem natura, aliqualiter illimitata. Quicquid autem est in potentia ad aliquem actum formaliter, & cum hoc habet eandem actualitatem virtualiter, sicut cùm idem mouet se, est aliqualiter illimitatum; ponitur enim non tantùm capax illius perfectionis, sed vt causans eam. Ibi igitur, propter illimitationem aliqualem, benè compatiuntur se istæ relationes oppositæ.

Ad Achillem eorum. Quòd quodlibet moueret se. Dico. quòd sicut argutum est cõtra Primam Opinionem in excludendo causam sine qua non, quòd nihil est causa totalis, & perfecta, & naturalis, effectiua alicuius, quin ipsum F approximatum totali receptiuo, & non impeditum, causet illud: lignum autem semper est approximatum sibiipsi, & sufficienter, & non potest poni aliquod perpetuum impedimentum, quando ignis non est præsens sibi: quia si ponatur hoc impediens, amoueatur illud, & non erit impeditum: si aliud, amoueatur illud; & sic discurrendo per singula, habebitur sibi pręsens lignum, & nullo modo impeditum. Igitur si ipsum esset causa actiua totalis respectu caloris, & ipsum est etiam totalis causa receptiua; igitur semper esset calidum: non autem est semper calidum; ergo cùm nõ possit poni non causalitas totalis, propter impedimentum; nec propter nõ approximationem, nec propter receptiuum concludetur, quòd in ligno non est causalitas actiua totalis, quod est propositum. Sic igitur non omnia mouebunt se vt causæ totales; quia nullę tales naturæ, quæ non habent semper actum, sunt causæ naturales totales illius actus.

Sed dices. Saltem dicam lignum esse causam partialem, vt præsente igne coagat ad calefactionem sui, in ratione G effectiui, vel actiui partialis.

Nec ista cauillatio valet. Quia causæ duæ partiales non ponuntur respectu eiusdẽ effectus, quando altera præcisè habet totum effectum in virtute sua vniuocè, vel æquiuocè. Probo. Si enim altera haberet in virtute sua totum effectum, sequitur quòd totum potest producere; igitur alia causa partialis nihil potest producere, vel idẽ bis produceretur: ignis autẽ (qui ex præcedenti argumento conclusus fuit habere actiuitatẽ) respectu calefacere in ligno, habet in se virtualiter totum calorem ligni; ergo lignum nullam hîc habet causalitatẽ partialem. Ad propositũ igitur. Quia anima nõ semper est in actu respectu cuiuscunque intellectionis, cùm tñ ipsa sit receptiua respectu cuiuscunq; intellectionis, & ipsa sit sibiipsi approximata, & nõ semper impeditur: cõcluditur ipsam non esse causam actiuam totalem, sed aliquid aliud requiritur: illud aũt aliud, concluditur esse obiectum; quia eo præsente sequitur effectus: eo non præsente, non potest haberi effectus.

Concluditur ergo primò causalitas aliqualis in obiecto: H nec totalis; quia obiectum propter sui imperfectionem nõ potest habere in virtute sua totaliter intellectionem, propter suam perfectionem. Et ideò concluditur, quòd cum obiecto requiritur aliqua alia causa partialis: non autem alia ab intellectiua; quia ipsa concurrente cum obiecto sequitur intellectio. Sic ergo concluditur hîc duas esse causas partiales actiuas, & in alijs multis non: quia nihil mouet se, nec totaliter, nec partialiter. Istud etiam (quod habetur pro Achille) non videtur multùm efficax argumentum. Hoc enim videtur esse cautela quædam diuertendo à parte opponentis, ad partem respondentis: quia propter defectum argumentorum, induunt tales formam respondentium, vt respondentes faciant argumenta ad probandum vnum necessarium, scilicet quòd lignum non calefaciat se.

AR-

ARTICVLVS TERTIVS.

Duo modi medij explicandi Quæſtionem reyciuntur.

TErtia Opinio(*Henr.quol.6.q.* 14.) ponit. Quòd intelligibile, vt ſimpliciter præſens intellectui, non per ſpeciem intelligibilem, ſed per phantaſma, vt illuſtratur ab intellectu agente, eſt in intellectu poſſibili vt in memoria: vt autem immutat ad actum intelligendi, eſt in eo vt in intelligentia, cuius notitia terminatur in ipſum obiectum. Et quantùm ad iſta duo, intellectus eſt paſſiuus: videlicet inquantum eſt memoria habens obiectum ſimpliciter præſens, & inquantum intelligentia eſt ab obiecto ſic præſente mota ad primum actum intelligendi. Sed intellectus factus in actu primo, naturali acumine ſuo poteſt ſuffodere & diſcurrere in vnoquoque quid ſit, componendo, diuidendo differentias conuenientes cum diuiſo, & ratiocinando, & ſic inquirere Quid, reſpectu intellectus ſimplicis, & Propter quid, reſpectu complexi, vt reſpectu concluſionis ſcibilis. Et in iſto diſcurſu intellectus, inquãtum diſcurrit, eſt actiuus, inquantum tamen concipit, eſt paſſiuus.

Iſte idem, (*Henr.*) iſtam poſitionem de paſſione reſpectu notitię primæ ſimplicis, & confuſa, & actione reſpectu notitiæ diſtinctè inueſtigatæ, videtur retractare & corrigere alibi, (*quol.* 3. *q.* 5.) vbi inquirens de principio actiuo actionum vitalium, ſcilicet, ſenſationis & intellectionis, ponit quòd illud principium eſt aliquid in ipſo animato, & non ſolùm obiectum extra: ſicut & in ſenſu ponit, quòd ſpecies impreſſa in organo tantùm inclinat, & inclinando excitat potentiam, & quaſi euocat ipſam ad propriam operationem. Ita phantaſma in virtute phantaſtica inclinat intellectum, ita quòd intellectus inclinatus, fit in vltima diſpoſitione ad eliciẽdum intellectionem, tanquam ſuam propriam operationem.

Et pro iſta Opinione adducit ibi vnam rationem pro iſtis actionibus, quòd ſint vitales, & nulla actio tranſcendit perfectionem agentis: & aliam de actione manente in agente. Et iſtę ſunt propriè actiones, & denominant propriè ipſum agens, ſicut lucere ſe habet ad ipſum lucẽs, non illuminare.

Ad hoc concordat ratio Auguſtini. Quòd *anima format in ſe imagines cognitorum*. Quæ tres rationes adductę fuerunt priùs pro Prima Opinione.

Contra. Neutra iſtarum Opinionum, nec retractata, nec retractans videtur eſſe vera. Non retractata. Quia aut intellectus factus in actu, ſecundùm notitiam primam confuſam, eſt actiuus virtute ſui, reſpectu intellectionis ſecundæ, aut virtute illius notitiæ primæ confuſæ. Si virtute ſui: non videtur rationabile, quòd aliqua cauſa poſſit eſſe actiua reſpectu perfectioris in aliqua ſpecie, & nullo modo poſſit eſſe cauſa actiua reſpectu imperfectioris eiuſdem rationis; intellectio autem confuſa, & diſtincta albi, videntur eſſe intellectiones eiuſdem rationis, quia eiuſdem obiecti; ergo videtur inconueniens, quòd intellectus de ſe poſſit eſſe cauſatiuus reſpectu ſecundæ intellectionis, quæ eſt perfectior, & non reſpectu primæ.

Si autem dicas. Quòd reſpectu ſecundæ eſt actiuus, virtute actus primi. Contra. Actus imperfectior non poteſt eſſe ratio formalis cauſandi actum perfectiorem; quia tunc non eſſet, vnde poſſet probari Deum eſſe perfectiſſimum Ens, ſi effectus poſſet excedere cauſam ſuam totalem in perfectione; cognitio autem diſtincta, eſt nobilior cognitione confuſa; ergo illa confuſa non eſt formalis ratio eliciendi, vel cauſandi illam diſtinctam.

Opinio etiam retractans non videtur eſſe vera. Quia quæro. Quid intelligitur per inclinationem? Aut aliqua forma quæ ſit in intellectu, per quam inclinetur: aut nihil. Si nihil: non magis inclinatur nunc, quàm priùs inclinabatur. Si aliqua forma, aut actus intelligendi, (& tunc oppoſitum Opinioni eorum, quia obiectum cauſabit actum) aut aliquid prius actu intelligẽdi, vt ſpecies, quam ipſi negant.

Item. In cauſis eſſentialiter ordinatis, inferior non inclinat ſuperiorem, ſed è conuerſò; reſpectu autem intellectionis pars intellectiua eſt cauſa ſuperior, quàm ſpecies alicuius obiecti: (vt patebit in ſequenti quęſtione) ergo obiectum non inclinat intellectum.

Pro Tertia & Quarta Opinione, non ſunt argumenta adducta, ad quæ oporteat reſpondere. Qui vult credere de actu primo ſimplici, & de ſecundo diſtinctè cognoſcẽdi, vel illud dictum Quartæ Opinionis, quòd ſpecies inclinat, credat: non credenti tamen, non ſit articulus fidei, niſi per rationem oſtendatur.

Iſtæ tamen duæ Opiniones, ſcilicet Tertia & Quarta, quæ videntur inter ſe oppoſitæ, concordantur ad inuicem, & confirmantur. (*ab Henr.quol.*4.*q.*8.) Et hoc ſic. Ad agendũ requiritur ratio formalis agendi, & ratio agentis: agẽs eſt ſuppoſitum, ratio agendi eſt forma elicitiua actionis. In prima igitur actione, in intellectum poſſibilem, agens eſt phantaſma, ſed quod quid eſt ſplendens in phantaſmate, eſt ratio agendi in ipſum: & hoc inquantum illud quod quid eſt, ſtat in lumine intellectus agentis, & penetratur ab ipſo lumine, & ambitur ab ipſo agente. Et hac ratione agendo, primum impreſſum in intellectum poſſibilem, eſt inchoatio habitus ſcientialis: quæ inchoatio non eſt ſpecies intelligibilis, nec forma mouens ad actum intelligendi, quia obiectum eſt in ſe præſens, quatenus relucet in phantaſmate, quia phantaſma præſens eſt intellectui, qui vbique eſt in corpore; igitur non requiritur aliqua alia ſpecies per quam obiectum ſic ſit præſens, nec aliquid aliud tenens vicem obiecti, vel repræſentans ipſum: cùm ipſa impreſſio prima habeat rationem, & Quo, & Quod, reſpectu intellectionis: Quo, quia per ipſam eſt intellectus in potentia propinqua, & accidentali ad actum intelligendi, ſicut per grauitatem eſt corpus in potentia ad Vbi: & etiam eſt Quo, quãtùm ad hoc, quòd manet in intellectu impedito ab actuali intellectione: eſt etiã Quod; quia ſibi primò occurrit. Sicut ſecundùm Auic. Primum ſenſatum eſt ſpecies, non vt obiectum terminans, ſed vt quoddam quaſi deducens, non per collationem, ſed per cõtinuationem, in obiectum.

Sic igitur concordantur Prima Opinio, & Secũda, quoad hoc, quòd Prima negat ſpeciem, & Secunda concedit inclinationem præcedentem actum. Quoad hoc autem quòd Prima Opinio ponit intellectum eſſe paſſiuum, reſpectu primi actus, & actiuum reſpectu ſecundi actus, & Secunda Opinio videtur ponere quòd anima ſeipſa eliciat actum, hoc concordatur ſic. Quia facta tali impreſſione prima in intellectum poſſibilem, ipſe intellectus occurrit tali paſſioni; quia omne paſſum occurrit agenti, inquãtum paſſum nititur ſaluare ſuum eſſe. Hoc etiam vult Aug. 6. Muſicæ. vbi loquitur de illis numeris occurſorijs, & de alijs: in iſto occurſu, intellectus imbibit illam intellectionẽ confuſam, & tranſmittit ad intima ſua, & tunc recipit eam à ſe intimiùs, quàm poſſit eam recipere ab obiecto: illi etiã impreſſioni ſic intimatæ, occurrit intellectus ſecundò, & in illo ſecundo occurſu, immergit ſe illi, penetrando illam: & in hoc eſt diſtincta, & perfecta cognitio intellectus.

Quicquid ſit de Opinionibus illis, quas iſte medius nititur exponere, arguitur contra multa hìc dicta. Quòd Primò ponit, ſcilicet Quod quid eſt relucens in phantaſmate eſſe rationem agendi formalem phantaſmati.

Contra. Quomodo aliquid eſt ratio agendi alicui, in quo non eſt formaliter? Aut ſi quoquo modo. Quod quid eſt ponatur in phantaſmate, cùm iſtud ſit eſſe eius ſecundũ quid, quia ſecundùm eſſe repræſentari, & non ſecundùm aliquid eſſe exiſtentię: quomodo ipsũ. Quod quid eſt, ſecũdùm iſtud eſſe, erit ratio formalis agendi aliquam actionẽ realem? Et ita cùm iſtud phantaſma per quod conuenit ſibi iſtud eſſe, non ſit principalis cauſa agendi, ſecundùm eos: nec. Quod quid eſt, ſecũdũ quod exiſtit in eo, eſt principalis ratio agendi: quod eſt contra eos.

Præterea præter hæc. Quæro. Quid eſt, Quod quid eſt ſtare in lumine intellectus agentis? Si nihil aliud eſt niſi intellectum agentem eſſe in anima, & in phantaſia eiuſdẽ animæ eſſe phantaſma; ergo perpetuò quando phantaſma eſt in virtute phantaſtica fit iſta penetratio, & ambitio; & ita erit in phrenetico & dormiente, quod negat ille cuius Opinio exponitur. Si aliquid aliud eſt, quàm illa duo eſſe

A simul,& sit aliqua actio noua: detur igitur eius terminus nouus; non erit in phantasmate; igitur erit in intellectu possibili;ergo Quod quid est, non agit per aliquam penetrationem,quæ penetratio præcedit actionem Quod quid est, sed tantùm Quod quid est cum intellectu agente coagit, causando aliquam impressionem nouam in intellectu possibili. Hoc dicit Opinio illa prima.

Si dices. Alia Opinio ponit speciem intelligibilem impressam, ista non ponit speciem talem, sed inchoationem habitus scientialis. Contra. Ista Opinio ponit istam impressionem esse primùm, quo intellectus est in potentia accidentali, cùm tamen priùs esset in potentia essentiali; sed si per istam impressionem non est obiectum intelligibile præsens nunc, magis quam priùs, non magis est nũc in potentia accidentali; quàm priùs: si est præsens aliquo modo nunc, quomodo non fuit priùs præsens: illud quo nunc est præsens, est species intelligibilis. Hoc etiam magis apparet ex hoc, quòd primò ei occurrit tanquam ostẽdenti obiectum propter naturalem continuationem ad B ipsum: hoc non posset esse,nisi obiectum reluceret in eo, & ita haberet rationem speciei.

Similiter hoc,quod dicitur:Inchoationem habitus sciẽtialis præcedere actum.Non est verum.Quia habitus,propriè loquendo,vt Philosophus loquitur 2. Ethicor. generatur ex aliquo actu elicito:& sic vt vltimus gradus habitus generatur ex vltimo actu,, ita primus ex primo, ita quòd quicunquè gradus habitus,est posterior aliquo actu, ergò illud quod est simpliciter primum in intellectu possibili,non est aliquid ipsius habitus. Hoc confirmatur sesecundum opinionem illius Doctoris, qui exponitur. (*Henr. quol. 5. qu.* 19.) Quia ponit istam inchoationem esse essentiam habitus totam.

Quòd vlterius dicitur de occursu illo. Ratio occursus non benè assignatur,nec ad intentionem August. Patiens enim occurrens agenti,nititur saluare se: & contra agere agenti corrumpenti se:hìc istud agens agit ad perfectionẽ & salutem passi; ergò non occurrit ei propter illam ratio- C nem,vt saluet se. Nec ista est intentio Aug. Vult enim, quòd anima occurrens passioni factæ ab áère in aure, vehementiùs agitat illum áèrem, & causat magis auditionem,quàm solus sonus causaret: hoc igitur occurrere est ei coagere. Et tunc respondeo breuiter ad Aug. de impressione speciei sensibilis facta in organo,vel speciei intelligibilis facta in intellectu. Anima per potentiam talem occurrit,id est, cum illa specie impressa coagit ad actum aliquem perfectiorem,quàm posset illa species de se sola causare.

Et cùm vltra additur,de illo duplici occursu. Primò occurrit passioni quasi coagenti,post passioni imbibite. Quæro,quid significent ista verba Metaphorica? Si significãt, quòd per secundum occursum causatur aliquid perfectiùs, quàm per primum, & illud intimiùs perficit, sicut dicitur materia intimiùs perfici à forma perfectiori, quæ magis actuat eam;ergo in secundo occursu non trãsmittitur passio illa ad intima magis quàm prius: sed anima coagẽs illi passioni, causat aliquid perfectiùs, quod est intimiùs in D anima,quàm illa passio prius causata.

ARTICVLVS QVARTVS.

Aliæ duę Opiniones intermedię ponderantur.

QVinta Opinio(*D.Th. 1. part. sum. qu. 85. art.* 2.) ponit. Quòd species obiecti in intellectu, vel ipsum obiectũ in se præsens, est gignens, vel est ratio gignendi notitiam actualem in intellectu. Et ipse intellectus tantummodo se habet tanquam materiale, vel informatus illa specie,vel per obiectum supplens vicem speciei.

Ad hoc arguitur sic. Comment. 3. de anima,comm. 5. dicit. *Intellectus se habet ad formas vniuersales,sicut materia prima ad formas indiuiduales.* Et alibi. 2. de an. t. comm. 2. *Anima nostra est infimum in genere intelligibilium,sicut materia in genere entium.* Et 3. de anima t. comm. 32. & 8. Physic. t. 5. *Intellectus ante habitum est in potentia essentiali, sicut materia ante formam.* Et 3. de anima. *Intellectus nihil est eorum,quę sunt ante intelligere.* Ex omnibus istis con- E cluditur potentiam intellectiuam respectu intelligibilis esse purè potentialem:sed quod est purè potentiale, nõn potest esse principium actiuum alicuius actus, nisi informatum aliqua forma:& tunc principium formale erit forma.

Arguitur vlteriùs,quòd ipsa forma,quæ est principium agendi,sit similitudo obiecti. Quia sicut factio est formaliter per formam, quia faciens assimilatur facto, ita actio videtur esse formaliter per illam formam, qua agens assimilatur obiecto, & ita illa similitudo erit formalis ratio agendi.

Ad hoc etiam adducitur. Quòd agens indeterminatũ, non potest in actionem determinatam,vel circa obiectum determinatum,nisi determinetur: intellectus de se est indeterminatus ad omne intelligibile, & ad omnem intellectionẽ;ergo ad hoc quòd intelligat aliquid, requiritur determinatio aliqua:illa non est nisi per speciem intelligibilẽ; igitur illa species intelligibilis requiritur,vt principium determinatiuum.

Sexta Opinio quę redit in idem quantũ ad Conclusionẽ huius Quintæ Opinionis est(*Egid. Rom. quol. 5. q. 12. & 13.*) F Quòd ipsa notitia actualis genita,siue in sensu, siue in intellectu,est species. Et tunc sicut ratio formalis gignendi speciem actualem,quæ dicitur notitia actualis,est ratio obiecti, vel species obiecti in memoria: ita sequitur quoad propositum, quòd ratio formalis gignendi notitiã actualem,est ipsum obiectum, vel aliqua species in virtute obiecti. Et hoc ita, quòd quando obiectum est in se præsens, ab eo egreditur,vel generatur species,quæ est intellectio: cùm autem non est in se præsens,sed per speciem in memoria:tunc per illam speciem,vel virtute illius speciei, gignetur alia species,quæ est intellectio.

Pro ista Opinione, quatenus dicit speciem intelligibilẽ esse notitiam actualem,adducitur Aug. 2. de Tri. c. 2. vel 4. vbi inquit, *illa tamen informatio sensus, quæ visio dicitur, à solo imprimitur corpore,quod videtur*: quod autem imprimitur,vel gignitur à solo corpore,est species,ergo illa species est visio,secundùm Aug. Hoc idem Secundò probatur per Philosophum 2. de anima,t. 138. qui vult quòd idem sit so- G natio,& auditio; quia idem est actus actiui & passiui: Et 3. Phys. t. 18. sed sonatio in actu, causat speciem soni in aure;ergo illa species causata,est idem cum auditione: & ita species intelligibilis & intellectio,idem sunt.

Conclusio istarum duarum Opinionum vltimarũ, improbatur per quædam argumenta facta contra Opinionem Secundam. Nam effectus æquiuocus non potest excedere imperfectione causam æquiuocam, sed deficit necessariò ab ea. Intellectio esset effectus æquiuocus speciei intelligibilis,si ab ea sola causaretur,& ita simpliciter esset imperfectior specie intelligibili:quod non est verum.

Similiter. Habitus non videtur necessarius; sicut argutum est ibi in Quinta Quæstione. Similiter,quomodo fieret discursus? Similiter, quomodo reflexio? quomodo causarentur relationes rationis, siue intentiones Logicæ? Quomodo complexio falsa cui assentiretur tanquam verę, si sola species intelligibilis genita à phantasmate,esset ratio H formalis omnis intellectionis?

Similiter,tunc species esset magis potentia intellectiua, quàm intellectus:& ita ipsa separata haberet eundẽ actũ, sicut calor separatus calefaceret. Similiter,tunc intelligere non videretur propria perfectio ipsius intellectus. Quia nihil videtur essentialiter ordinari ad illam operationem, ad cuius principium se habet in potentia contradictionis, sicut ad accidens per accidens; sicut calefieri non videtur propria perfectio ligni, ex quo lignum se habet ad calorẽ, sicut ad accidẽs per accidens: sed ita se haberet intellectus, secundùm istam Opinionem,ad speciem intelligibilẽ,quę esset principium intellectionis;igitur &c.

Similiter, tã in sensu,quàm in intellectu, posito eodem repræsentante,maior attentio vel conatus facit actum perfectiorem. Idem enim,habens eandem speciem intelligibilem, vel phantasma,perfectiùs intelligit illud, ad cuius intellectionem magis conatur, & minùs,quando minùs. Ita etiam in sensu, eodem obiecto præsente, & in eodem lumine,& in eadem distantia, perfectiùs videtur aliquid,

per

per maiorem attentionem in videndo. Patet etiam ex hoc, quòd magis quandoque læditur visus propter maiorem attentionem imò (cæteris paribus) vnus oculus magis attentus, posset multùm offendi in visione alicuius, in qua minùs alius offenditur, sicut patet per experientiam. Patet & secundùm Aug. 2. de Tri. c. 2. quòd in attento multùm, remanent species post visioné, quæ non remanent in oculo non attendentis.

Sed contra Secundam Opinionem arguitur specialiter, quòd ipsa sit falsa, tàm in sensu quàm in intellectu. In sensu. Quia si species ista, quæ est visio, sit eiusdem rationis cum illa, quæ est in medio, illa in medio erit formaliter visio; ergo medium formaliter habens eam, erit formaliter videns. Si autem præter hanc speciem in visu, quæ ponitur visio, sit alia alterius rationis ab ea, & alia eiusdem rationis cum illa, quæ est in medio, habetur propositum, scilicet, quòd licèt illud quod est visio, dicatur species, tamé est aliquid aliud priùs eo in oculo, & alterius rationis, & illud (vt communiter dicitur) est species. Et ita species propriè dicta differret ab actione.

Si dicas: Quòd species in medio differt à specie in oculo, propter diuersa recipientia. Hoc nihil est. Quia sicut albedo est eiusdem rationis in lapide, & equo, & ideo vtrumque est formaliter album, secundùm eandem rationem albi: ita si illa qualitas, quæ dicitur species, sit eiusdem rationis in oculo & in medio, si illa de se sit visio formaliter, visio formaliter erit in vtroque; & in quocunq; est formaliter visio, illud formaliter est videns.

Principale etiam propositum patet. Quia in oculo cęco manente, tamen sic mixto, vt priùs, causatur species. Similiter, in oculo dormientis: aliàs non excitaretur ab excellenti sensibili præsente. Non etiam aliter aliquis excitaretur à sono excellenti, nisi species esset in aure, tamen in istis non est visio. Ita etiam in oculo bene disposito, recipitur aliqua species, eiusdem rationis cum illa quæ est in medio, ex hoc quod ipsum organum est similis dispositionis cum medio, propter perspicuitatem vtriusque, & Dyaphaneitatem, ex 2. de anim. t. 12. & ista non erit formaliter visio, sed prior visione.

Quòd etiam hoc de intellectu sit falsum. Patet, coniungendo aliqua dicta sic opinantis, Posuit enim nullam esse aliam speciem ab Essentia Diuina in visione Beata, & beatitudinem essentialiter consistere in sola visione. Coniunge istud dictum, quòd visio formaliter est speciei; & sequitur quòd beatitudo nostra erit formaliter Essentia Diuina. Probatio. Beatitudo formaliter est visio secundùm eos; visio formaliter est species, secundùm eos; species est formaliter Essentia Diuina; ergo Essentia Diuina, est formaliter beatitudo nostra. Sed hæc Conclusio est inconueniens. Aut negent istam præmissam, quòd visio est species; aut ponant, quòd Essentia Diuina habet aliam specié à se, aut beatitudinem essentialiter in alio, quàm in actu visionis.

Ad Auctoritatem Philosophi 3. de anima. Quòd intelligere est pati, quæ adducitur pro Quinta Opinione.

Hìc tamen (non determinando) Dico: quòd Philosophus locutus est communiter de potentijs animæ inquantum sunt, quibus formaliter sumus in actu secundo: puta de sensu inquantum est, quo formaliter sentimus, de intellectu inquantum est, quo formaliter intelligimus: formaliter autem intelligimus intellectu, inquantum recipit intellectionem, quia si causet eam actiuè, non tamen dicor intelligere intellectu, inquantum causat, sed inquantùm habet intellectionem vt formam, habere enim qualitatem est esse quale; & ita intellectum: habere intellectionem, siue recipere, (quod idem est) est ipsum esse intelligentem. Nos igitur intelligimus intellectu, inquantum recipit intellectionem. Ideo Philosophus loquens sic de intellectu, necesse habuit dicere eum esse passiuum, & quòd intelligere est quoddam pati, hoc est, quòd intellectio inquãtum est quoddam qua formaliter intelligimus, est forma quædam recepta in intellectu, non autem intelligimus eo inquantum est quid causatum ab intellectu, si causatur ab eo, nam si Deus eam causaret, & eam in intellectu nostro imprimeret, nõ minùs ea intelligeremus. Sicut dixi de intelligentia actualiter; ita dico, de scire habitualiter, quòd intellectus est quo scimus habitualiter, inquantum recipit habitum, non inquantum istum causat, si illum causat.

Dico igitur. Quòd omnes auctoritates, quæ sonãt passibilitatem intellectus possibilis, possunt exponi de eo, inquantum eo cognoscimus habitualiter, vel inquantum cognoscimus actualiter: & isto modo cõcedo quòd est passiuus; & si sit actiuus, non tamen secundùm istam rationé, sed accidit ei quòd sit actiuus secundùm istam rationem. Affirmant ergo istæ auctoritates de intellectu, quod verũ est, quòd sit passiuus; non loquentes de intellectu sub ratione actiui, sed asserentes ipsum habere rationem receptiui, licèt ipsum non dicant non esse actiuum: locus autem ab auctoritate, non tenet negatiuè.

Et per idem respondetur ad illud de potentia accidentali, & essentiali. Non enim intellectus est in potẽtia essentiali, quia deficiat sibi aliqua ratio causalitatis, quantũ est ex parte sui; sed intellectus est in potentia essentiali; quando alia causa partialis non est sibi præsens, quã oportet esse præsentem, ad hoc quòd sequatur actio; & quando illa causa partialis est approximata, est in potentia accidẽli, siue propinqua, ad agendum.

Sed illa auctoritas, quæ dicit: Quòd intellectus possibilis nihil est eorum, quæ sunt ante intelligere: requirit aliã expositionem. Quam intantum pertractant aliqui, (*D. Thom. 1. par. sum. q. 87. art. 1. Egid. Rom. quol. 1. q. 3. & quol. 2. q. 23.*) vt dicant intellectum possibilem esse in pura potentia, in genere intelligibilium, sicut materiam primam, in genere corporalium. Quæ non est intentio Philosophi. Quia potentia ad accidens, nunquam fundatur nisi in substantia in actu; intellectio autem, siue species intelligibilis, non est forma substantialis, sed accidentalis; igitur quod est immediatum receptiuum illius, est aliquid in actu substantiali, aut saltem quod est mediatè receptiuum: & tunc quod immediatè recipit, erit aliquis actus accidentalis, sicut se habet superficies ad albedinem. Intellectus igitur possibilis, secundùm quod est illud, in quo recipitur species intelligibilis, vel intellectio, vel illud secundùm quod species recipitur in anima, non erit purum potentiale, sed erit aliquid in actu primo, licèt iste respectus potentiæ, non sit aliquid in actu; cùm enim loquor de potentia receptiua albedinis, non loquor de potentia quæ dicit respectum ad albedinem; ille enim respectus non est aliquid in actu, sicut nec albedo, ad quam est aliquid in actu; sed illud in quo ista potentia est aliquid in actu, vt superficies, quæ est receptiua albedinis: ita hìc, licèt ante intellectionem, potentia ante actum, quæ est respectus ad intellectionem, nõ sit aliquid in actu, sicut nec intellectio ad quam est; tamen illud in quo est ista potentia, quod est fundamentum istius respectus, est aliquid in actu, & illud est intellectus possibilis.

Non est igitur apud Philosophum intellectus possibilis nihil in actu, (sicut isti accipiunt,) sed oportet exponere illã auctoritatem hoc modo. Naturaliter intelligimus primò illa, quæ primò occurrunt ex phantasmatibus; sicut dictũ est in quæst. 2. huius distinct. nihil igitur possumus potentia propinqua intelligere, ante intellectionem alicuius imaginabilis, ideò non possumus intelligere intellectũ ante intelligere alterius intelligibilis; ergo nec intellectus potest intelligi à nobis ante intelligere alterius intelligibilis; ergo non est intelligibilis ante intellectionem alicuius alterius. Sicut primum antecedens est verum, sic & consequens. Ideo sic intelligendum est ipsum non esse aliquid eorum, quæ sunt intelligere, scilicet intelligibilium; non quia antequam intelligat nihil sit in actu, sed quia non est aliquid, quòd possit potentia propinqua intelligi à nobis, ante intelligere alterius, propter intellectionem nostram naturalem incipientem à phantasmatibus.

Et cùm post arguitur de illa similitudine, quòd sit ratio tam facienti quàm agendi. Dico, quòd in faciente, benè forma est ratio faciendi, in qua forma faciens assimilat sibi factum, sed in agente nihil est productũ, nisi ipsa actio; actio .n. est vltimus terminus, nec habet alium terminum; & ideò non oportet, quòd in agente ratio agendi sit aliquid, in quo assimiletur agens alicui alteri producto.

A Sed dices. Saltem illa est ratio agendi, in qua agens assimilat sibi productum, scilicet, actionem ipsam. Benè concedo: quòd species illa quę est similitudo obiecti, & per quam intellectus assimilatur cognitioni productæ, est aliqua ratio agendi; sed non totalis ratio, nec etiam ratio est principalis, sicut patebit in sequenti Quæstione; sed quando duæ causæ concurrunt, sufficit in propinquiore similitudo formalis, & in remotiore virtualis, siue similitudo æquiuoca; & ita intellectus, quasi causa superior, æquiuocè & virtualiter assimilatur cognitioni, & intellectioni, species autem, quasi causa propinquior, quasi vniuocè & formaliter assimilatur ei.

Cùm arguitur post, de indeterminatione intellectus ad diuersos actus, & obiecta. Respondeo; quòd alia est indeterminatio materiæ, propter defectum actus, alia est indeterminatio agentis, propter illimitationem virtutis actiuæ; sicut Sol est indeterminatus ad multa generandum. B Primo modo indeterminatum, non agit nisi determinetur per aliquem actum, quia aliàs non est in actu sufficiente, sed in potentia: secundo modo, indeterminatum, nulla forma alia à se determinatur, sed ex se determinatur ad producendum quemcunque effectum, ad quem ex se est indeterminatũ, & hoc præsente passo receptiuo, sicut Sol præsente passo generat quodlibet generabile, ex quo ipsũ natum est generari. Ita in proposito: indeterminatio intellectus, non est indeterminatio potẽtialitatis passiuæ in ordine causalitatis, sed est indeterminatio actualitatis, quasi illimitatæ; & ideò non determinatur per formam, quę sibi sit ratio determinatè agendi, sed tantummodo per præsentiam obiecti, circa quod determinatum, nata est esse determinata intellectio.

Vel aliter posset dici. Quòd sicut causa superior determinatur ad agendum concurrente aliqua particulari causa inferiori, sicut Sol ad generandum hominem, concurrente homine agente, & bouem, concurrente boue, non autem per aliquam formam in se receptam; ita intellectus qui est causa superior, & causa illimitata, determinatur ad hoc obC iectum, concurrente causa particulari determinata, puta ad agendum circa hoc obiectum, concurrente hac specie; non enim istud determinans determinat effectiuè causam indeterminatam superiorem, neque formaliter, sicut ratio agendi: sed sic determinat, hoc est, virtus actiua superior indeterminata, potest in determinatum effectum, tali virtute inferiori determinata concurrente.

ARTICVLVS QVINTVS.

Datur decisio Quęstionis secundùm propriam Sententiam.

AD Quæstionem Respondeo. Et dico. Quòd intellectio actualis est aliquid in nobis, non perpetuum, sed habens esse post non esse, sicut experimur. Istius ergo oportet ponere aliquam causam actiuam, & aliquomodo in nobis; alioquin non esset in potestate nostra intelligere cùm volumus, quod est contra Philosophum 2. de an. t. 55. & 60. Apparet etiam hìc, quòd oportet concurrere animã, D & obiectum præsens, & hoc in specie intelligibili (sicut dictum est in præcedenti quæstione) quia alio modo nõ est præsens vt actu intelligibile, loquendo de sensibili obiecto & materiali.

Dico ergo tunc. Quòd istius intellectionis, nõ est totalis causa actiua obiectum, nec in se, nec in sua specie, sicut apparet per rationes contra Secundam, Quintam, & Sextam Opiniones. Et etiam quia tunc non posset saluari imago in mente vt mens est, quia nihil ipsius mentis haberet rationem parentis. Nec tota causa intellectionis est anima intellectiua, vel aliquid eius formaliter, propter rationes factas contra primam Opinionem. Et etiam, quia tunc actus non esset similitudo obiecti: nec distingueretur essẽtialiter propter distinctionem obiecti; quia essentialis distinctio non est ab eo, quod non est causa. Nec esset simpliciter perfectior intellectio perfectioris intelligibilis, posito æquali conatu hincinde, ex parte intellectus. Probatio. Quia posita causa totali efficaciùs operante, sequitur perfectior actio, & ita si anima esset causa totalis, vbicũq; ipsa ex parte sui perfectiùs ageret, ex maiori conatu perfectiorem intellectionem produceret; & ita intellectio Dei, E non esset perfectior intellectione muscæ: quod est contra Philosophum 10. Ethic. c. 1. ponentem fælicitatem in speculatione obiecti perfectissimi.

Videtur etiam quòd tũc esset infinita actiuitas in intellectu, inquãtum est actiuus respectu omnium intellectionum, quia ad vnam intellectionem vnius rationis, requiritur aliqua perfectio in causa illius intellectionis, & ad aliã intellectionem alterius rationis, requiritur tãta perfectio, vel maior; ergo habens hanc & illam, est perfectius, quàm habens illam tantùm: & ita habens infinitas tales vt totalis causa, est infinitum in perfectione. Similiter non videretur, quomodo aliqua tota scientia cõtineretur virtualiter in obiecto, si sola anima intellectiua haberet causalitatem respectu actus, & habitus.

Ex istis soluitur Quæstio, sic. Si ergo nec in anima sola, nec obiectum solum, sit causa totalis intellectionis actualis; & ista sola videntur requiri ad intellectionẽ, sequitur F quòd ista duo, sunt vna causa integra, respectu notitiæ genitæ. Et ista est sententia Aug. 9. de Trin. c. vlt. Sicut allegatum fuit, arguendo contra primam Opinionem. *Liquido tenendum est &c.*

Qualiter autem hoc sit intelligendum. Distinguo de pluribus causis concurrentibus ad eundem effectum. Quędam enim ex ęquo concurrunt, sicut aliqui duo trahentes aliquod idem corpus. Quædam verò non ex æquo, sed habentes ordinem essentialem, & hoc dupliciter: Vel sic quòd superior moueat inferiorem, ita quòd inferior non agat, nisi quia moueatur à superiore; & tunc inferior habet à superiore virtutem illam qua mouet: quandoque autem superior non mouet inferiorem, nec dat ei virtutẽ qua mouet, sed superior de se habet virtutem perfectiorẽ agendi, & inferior habet imperfectiorem virtutẽ agendi, nec tamẽ recipit virtutẽ istam imperfectiorem à superiori, quæ est perfectioris virtutis. Exemplum primi membri huius secundæ diuisionis, de potentia motiua quæ est in manu, & baculo, & pila. Exemplum secundi membri: si G mater ponatur virtutem actiuam habere in generatione prolis, illa, & potentia actiua patris, cõcurrunt vt duę causæ partiales, ordinatæ quidem, quia altera perfectior reliquà, non tamen imperfectior recipit suam causalitatem à causa perfectiore, nec tota illa causalitas est eminenter in causa perfectiori, sed aliquid addit causa imperfectior, intantum, quòd effectus non solùm nõ potest esse perfectior à causa perfectiori, & imperfectiori simul, quàm à causa sola perfectiori, imò non potest plùs esse à perfectiori tantùm, quàm ab imperfectiori tantùm.

Ad propositum. Obiectum intelligibile, præsens in se, vel in specie intelligibili, & pars intellectiua, non concurrunt ut causæ ex æquo ad intellectionem; quia tũc alterum haberet causalitatem talem imperfectam, & reliquũ suppleret eam; & si alterum esset perfectum, posset habere in se vno existente totam causalitatem amborum, sicut si virtus motiua vnius esset perfecta, suppleret virtutẽ alterius; & tunc species esset quasi quidam gradus intellectualitatis, supplens gradum intellectualitatis deficientem intelle- H ctui; & tunc si fieret perfectior intellectus secundũ gradũ talem, posset sine specie, & sine obiecto, habere actũ intelligendi quod est falsum.

Concurrunt ergo ista duo, vt habẽtia ordinem essentialem, non tamen primo modo, quia nec intellectus dat obiecto, vel speciei, rationem suæ causalitatis: non enim obiectum natum est in se, vel in specie sui facere intellectionẽ per aliquid, quod recipit ab intellectu; sed ex natura sua: nec intellectus recipit suam causalitatem ab obiecto, vel specie obiecti; sicut probatum est contra Quintam & Sextam Opinio. in ista Quæstione.

Sunt igitur causæ essentialiter ordinatæ vltimo modo, scilicet, quòd vna est simpliciter perfectior altera, ita tamẽ quòd vtraq; in sua partiali causalitate est perfecta, nõ dependens ab alia.

Si arguitur contra istud. Quòd in causis talibus essentialiter ordinatis, neutra est perfectio alterius: ergo species intelligibilis non erit forma ipsins intellectus.

Similiter

A Similiter ad idem. Si sit perfectio intellectus,& totum hoc sit ratio agendi;ergo vna operatio,vtpote intellectio, non habebit vnam formalem rationem agendi,sed erit ab Ente per accidens,quale est hoc totum,Intellectus habens speciem:quod est inconueniens:quia quicquid non est per se Ens,non per se est ratio formalis agendi.

Respondeo ad Primam. Accidit speciei inquantum est causa partialis,respectu actus intelligendi cum intellectu, vt cum alia causa partiali,quòd ipsa perficiat intellectum; quia etsi perficiat eum, non dat tamen intellectui aliquam actualitatem pertinentem ad causalitatē intellectus. Exēplum. Potentia motiua in manu, potest vti cultello inquantum acutus est, ad diuidendum aliquod corpus: ista acuties si esset in manu vt in subiecto, posset manus vti ea ad eandem operationē,& tamen accideret manui,inquantum in ea est potentia motiua,quòd in ea acuties esset,& è conuersò; quia acuties nullam perfectionem daret manui pertinentem ad potentiam motiuam. Quod apparet:quia æquè perfecta est potentia motiua sine tali acutie, & ita B eodem modo vtitur ea, quando est in alio coniuncto manui, vt cultello, sicut vteretur ea, si esset in manu. Ita in proposito. Si species posset esse inexistens intellectui,absque inhærentia, per modum formæ, Si isto modo inexistens,esset sufficienter coniuncta intellectui, possent istæ duæ causæ partiales, intellectus & species, coniunctæ sibi inuicem,in eandem operationem,in quam modò possunt, quando species informat intellectum. Quod etiam apparet,ponendo aliquod intelligibile præsens sine specie;illud enim obiectum est causa partialis, & non informat intellectum, qui est altera causa partialis: sed istæ duæ causæ partiales approximatæ, absque informatione alterius ab altera,per solam approximationem debitam, causant vnū effectum communem.

Per idem patet ad Secundum. Quia in vnoquoq; ordine causæ,oportet ponere respectu vnius effectus vnā per se causam, & vnam per se rationem causandi: ita intellectus in suo ordine causalitatis,est vnus,& habet vnam formalem rationem causandi: & species vel obiectum in suo C ordine causandi est vna, & habet vnam rationem causandi:sed non oportet talem causam,prout complectitur omnes causas partiales,habere vnam rationem causandi, nisi vnitate ordinis, quia si cum vnitate ordinis concurrat vnitas per accidens, hoc accidit; sed vnitas ordinis est per se. Exemplum. Sol in suo ordine causandi,habet vnā rationē causandi respectu prolis,& pater in suo ordine causandi,est vna causa vnius rationis: sed causa totalis quæ complectitur patrē & Solem, non habet aliquam vnam rationē formalem causandi, sicut nō est vna causa, nisi vnitate ordinis;& si contingat causas sic ordinatas,præter vnitatē ordinis,habere vnitatem per accidens, inquantum scilicet vna accidit alteri, hoc non conuenit eis per se,inquantum causæ sic ordinatæ.

Argumenta in principio Quæstionis adducta,resoluuntur.

AD Argumenta principalia. Ad Primum.Dico,quòd Argumentum Philosophi 2.de Anima benè concludit,quòd sensus non est causa totalis respectu sensationis; D quod concedo:& ita argutum est supra contra Primā Opinionem, quòd anima non est causa totalis actiua ad intellectionem;& hoc concedo:sed non concludit quin sit partialis causa; sed non sequitur ex hoc, quòd semper sit in actu,nisi quando reliqua causa partialis concurrit.

Ad Secundum,non tractando illam difficultatem, Vtrū actiuitas illa competat intellectui agenti,vel possibili. Dico,quòd intellectus possibilis,(secundū quod Philosophus loquitur de eo,) est illud quo formaliter sumus intelligentes,& eo modo præcisè est,quo est omnia fieri; quia vt dicebatur prius,sumus eo formaliter intelligētes, inquātum recipit,non inquantum agit,licèt agat, quia hoc accidit sibi,inquantum est quo intelligimus.

Ad Tertium.Licèt consequentia non sit necessaria;quia Sol potest esse causa multorum differētium specie,propter distinctas virtutes in ipso, quæ sufficiunt in ratione causæ effectiuæ ad distinguendum effectus; tamen ad propositū potest concedi consequentia; concludit enim quòd anima E non est causa totalis, omnium intellectionum: quod concessum est.

Ad Primum in oppositum. Concedo quòd anima,quia immaterialis est,est receptiua cuiuslibet intellectionis,ipsa etiam est actiua cuiuscunque intellectionis obiecti alterius à se,vt causa partialis,& actiua intellectionis de se, vt totalis causa,quia vt cognoscens,& vt cognita secundùm Aug. 9.de Tri.c.vlt.sed talem intellectionem non habemus pro statu isto:sed ex immaterialitate eius non sequitur, quòd ipsa sit totalis causa cuiuscunque intellectionis obiecti, alterius ab ipsa.

Ad Secundum. Concedo Conclusionem,quòd cognitiones diuersarum specierum propriè, scilicet virtute ipsarum habitæ, differunt specie. Quod probo, Quia ad indiuidua eiusdem speciei,non requiritur totalis causa diuersa specie,vel aliquid in totali causa,diuersum specie ab eo, I quod est in totali causa alterius indiuidui: nunc autem ad intellectionem albi & nigri,necessariò requiruntur aliqua diuersa specie,puta album & nigrum,vel aliqua includentia ipsa;ergo ista duo magis differunt,quā indiuidua vnius F speciei;ergo differunt specie.

Cùm arguis vltra. Quòd tunc omnes habitus talium differrent specie. Concedo,de habitibus,qui habentur virtute propria talium obiectorum. Et probatur hæc Conclusio,sicut præcedens,per causas. Et cùm dicis. Quomodo tunc esset vna scientia de pluribus speciebus specialissimis? Respondeo.Quòd vna species specialissima potest includere multas alias species virtualiter,siue passionis earū, siue per modum causæ,siue per alium ordinem essentialē: & tunc habitus ille qui est formaliter illius obiecti primi includentis alia, est virtualiter aliorum obiectorum, licèt non formaliter,& primò. Est igitur ille habitus vnus, ab vnitate primi obiecti, virtualiter continentis omnia, quæ continentur in illo: non est autem proprius cuicunq; virtualiter cōtento in primo obiecto, sed qui essent proprij illis,essent distincti,sicut illa sunt distincta.

QVÆSTIO NONA. G

Intellectusnè, an species loco obiecti,habet rationem causę principalioris,respectu notitiæ genitę?

QVæro de comparatione istarum duarum causarū partialium,quæ causant notitiam genitam. Vtrū principalior causæ notitiæ genitæ sit obiectum in se, vel in specie præsens,vel ipsa pars intellectiua animæ.

Quòd obiectum. Probo. Quia illud est principalius mouens,quod mouet non motum,quàm quod mouet motum;sicut apparet in omnibus causatis essentialiter ordinatis; obiectum autem mouet non motum, sicut habetur à Philosopho 3.de anima;intellectus autem non mouet nisi motus,ergo &c.

Item. Agens assimilat sibi effectum, quantùm potest; ergo illud est principalius agens,quod magis assimilat, vel H cui magis assimilatur effectus; actus autem magis assimilatur obiecto,quàm intellectui;ergo,

Item. Vnitas scientiæ, assignatur penes vnitatem obiecti, virtualiter continentis eam; non autem attribuitur intellectui talis continentia virtualis respectu habitus;cōtinere autem virtualiter,conuenit causæ actiuæ;ergo principalior causa illius habitus erit obiectum, quàm intellectus;& si causa habitus,igitur & actus.

Ad Oppositum arguitur sic. Quantò aliquid est actualius,tantò formalius, & perfectius,& tantò actiuius; ergo anima quæ est forma actualior, multis alijs causis concurrentibus erit actiuior; & ita quando concurrit cum eis in agendo, erit principalius agens;sed in intellectione concurrit cum obiecto,tanquam causa partialis;igitur in intellectione erit causa principalior,quàm obiectum.

Item. Enti secundùm quid,non conuenit actus simpliciter: sed quando habet esse tale secundùm quid,per aliud simpliciter Ens,tunc principaliùs conuenit illi Enti simpliciter,si illud aliquomodo sit actiuum respectu eiusdē; obiectum autē à nobis modò naturaliter intellectū,habet esse secun-

A ſecundùm quid tantùm in intellectu noſtro, propter eſſe ſimpliciter ipſius partis intellectiuæ: quia obiectum in ea, eſt, ſicut cognitum in cognoſcente; ergo illius actionis ad quam iſta duo concurrunt, non erit obiectum habens tale eſſe, principalis cauſa, ſed pars intellectiua, propter quam obiectum habet tale eſſe.

Reſpondeo. Quòd pars intellectiua, habet principaliorem cauſalitatem, reſpectu cognitionum modò nobis naturaliter conuenientium.

Probo Primo. Quia quando cauſarum ordinatarũ altera eſt indeterminata ad multos effectus, & quaſi illimitata, altera autem quaſi ſecundùm vltimum virtutis ſuæ determinata ad certum effectum, illa quæ eſt illimitatior & vniuerſalior, videtur eſſe principalior & perfectior. Exemplum de Sole, & de particularibus generantibus; intellectus autem habet virtutem quaſi illimitatam, & indeterminatam reſpectu omniũ intellectionũ, obiecta autẽ B à nobis naturaliter cognita, habent virtutem determinatã reſpectu determinatarum intellectionum, quæ ſunt ab ipſis, & hoc ſecundùm vltimum ſuæ virtutis, ſicut quodlibet ad intellectionem ſui; ergo intellectus eſt cauſa vniuerſalior, & principalior intellectionis, quàm obiectum, pro ſtatu iſto.

Secundò. Quia eſt illa principalior cauſa, qua agente alia cauſa coagit, & non è conuersò; intellectu autem noſtro agente ad intellectionem, obiectum in ſe, vel in ſua ſpecie coagit: eſt enim in poteſtate noſtra intelligere, quia *intelligimus cùm volumus* 2. de anima t. 55. & 6c. Hoc autem non eſt propter ſpeciem principaliter, quæ eſt forma naturalis, ſed propter intellectum, quo vti poſſumus cùm volumus; principalem autem actionem intellectus ſequitur actio ſpeciei, quæ nata eſt eſſe ſẽper vniformis ex parte ſpeciei. Tamen aliquod obiectum excedens multùm facultatem partis intellectiuæ, puta obiectum beatificum, vt clarè viſum, poſſet poni haberi totam cauſalitatem reſpectu viſionis, aut principaliorẽ, quàm pars intellectiua, & hoc propter excellentiam talis obiecti, & propter defe- C ctum partis intellectiuæ. Sed de hoc in 4. lib. diſtinct. 49. De obiectis autẽ quæ modò naturaliter cognoſcimus, prima pars ſolutionis videtur eſſe vera; videtur enim intelligibilium naturaliter à nobis intellectorum, ſpecies in intellectu eſſe, quaſi inſtrumẽtum ipſius intellectus, nõ motum ab intellectu vt agat, quaſi ſcilicet aliquid recipiat ab intellectu, ſed quo intellectus vtitur ad ſuam actionem, vt puta quando intellectus agit, ſpecies illa tanquam minùs principale agens, coagit ad idem, vt ad effectum communem.

Ad Primum Argumentum. Dico, quòd duplex eſt actus intellectus, reſpectu obiectorum, quę non ſunt præſentia in ſe, qualia ſunt illa, quæ modo naturaliter intelligimus. Primus eſt actus ſpecies, qua obiectum eſt præſens, vt obiectum actu intelligibile. Secundus actus eſt, ipſa intellectio actualis, & ad vtrumque agit intellectus, non motus ab eo quod eſt cauſa partialis, ſecum concurrens ad illam actionem, licèt vnum actum intellectus, præcedat motio eius ad alium actum. Ad primum autem actum, agit in- D tellectus agens cum phantaſmate, & ibi intellectus agens eſt principalior cauſa, quàm phantaſma, & ambo integrãt vnam totalem cauſam reſpectu ſpeciei intelligibilis. Ad ſecundum autem actum, agit pars intellectiua, ſiue intellectus agens, ſiue poſſibilis, non curo modò, & ſpecies intelligibilis, ſicut duæ partiales cauſæ, & ibi agit pars intellectiua non mota à ſpecie, ſed priùs mouens, ſcilicet agens, vt ſpecies ſibi coagat.

Cùm igitur dicitur. Obiectum mouet non motum. Dico, quòd in vtraque motione, obiectum eſt mouens ſecundarium, licèt non ſit motum, id eſt, aliquid recipiens in ſe, à principali, ſiue priori mouente. Cùm dicis. Quòd intellectus non mouet niſi motus. Dico, quòd non mouet ſecunda motione, niſi motus priori motione. Hæc igitur eſt comparatio duarum motionum intellectus, non autem duarum cauſarum partialium concurrentium vna motione. Si autem compares cauſas partiales in vtraque motione. Dico, quòd intellectus vtrobiq; mouet, non motus à cauſa partiali, concurrente in eadem motione.

Ad Secundum argumentum. Dico, quòd effectus formaliter magis aſſimilatur cauſæ proximæ inferiori, quàm remotæ, & principali & perfectiori: ſicut apparet de filio reſpectu patris & Solis: vnde illud argumentum eſt ad oppoſitum; quia probat, quòd actus intelligendi ſit ab obiecto, vt à cauſa proxima, quia magis ſibi aſſimilatur formaliter: ita etiam ſpecies intelligibilis magis formaliter aſſimilatur phantaſmati, quàm intellectui agenti, & tamen minùs principaliter eſt à phantaſmate, quàm ab intellectu agente. E

Contra. Cùm agens intendat aſſimilare ſibi paſſum, quomodo principale agens non magis aſſimilat ſibi formaliter? Reſpondeo. Principalius agens communiter eſt æquiuocum, & eminentiùs habet in ſe perfectionẽ effectus, quàm cauſa vniuoca: & ideo non magis aſſimilatur ſibi formaliter, quia hoc eſſet imperfectionis in cauſa, ſic aſſimilari effectui, ſed aſſimilat magis, hoc eſt, dat magis formam effectui, per quam ſibi aſſimilatur æquiuocè, quã det agens particulare: & iſta aſſimilatio actiua eſt ex perfectione cauſæ, licèt non ſit magis aſſimilatio formaliter; ſimiliter cauſa perfectior, magis aſſimilat effectum ei cui F eſt aſſimilabilis, quàm imperfectior, magis enim cauſat effectum qualis eſt cauſabilis, & aſſimilabilis; aſſimilabilis autem eſt effectus formaliter cauſæ propinquæ, ideò ipſa cauſa remotior, magis aſſimilat effectiuè ipſum effectum cauſæ proximæ, quàm ipſamet cauſa proxima ſibi: quòd .n. formaliter filius eſt ſimilis patri, hoc magis eſt à cauſa remota aſſimilante filium patri effectiuè, quàm ab iſta cauſa propinqua, quia quæ plùs dat formam, qua aſſimilatur, plùs dat effectiuè aſſimilationem.

Ad Tertium. Dico, quòd vnitas ſcientiæ aſſignatur penes obiectum; quia illud eſt penes quod ſcientiæ diſtinguuntur, non penes intellectum; quia intellectus vnus eſt reſpectu omnium ſcientiarum: & hoc modo diſtinguendo ſcientias, illa eſt vna, quę eſt vnius ſubiecti primi, quatenus obiectum primum habet continere ſciẽtiam illam virtualiter, ſed hoc nõ eſt, niſi vt cauſa partialis; pręter enim hoc, intellectus eſt alia cauſa partialis, continens illam. Non eſt igitur aliud reducere ſcientiam ad obiectum primũ, quàm G in altera cauſa partiali habente in ſuo genere ordinem eſſentialem reducere ad primum ibi ſimpliciter, & ab ipſo aſſignare vnitatem effectus inquantum effectus eſt ab eo: ſed cum hoc ſtat, quòd multò perfectiùs contineatur in reliqua cauſa partiali.

QVÆSTIO DECIMA.

Vtrum in mente ſit diſtinctè imago Trinitatis?

VLtimò circa iſtam partem Diſtinctionis quæro, Vtrum in mente ſit diſtinctè imago Trinitatis.

Quod non, arguo. Quia imago repræſentat illud diſtinctè, cuius eſt imago; igitur mens diſtinctè repræſentat Trinitatem; hoc eſt falſum. Probatio. Tum quia tunc naturali ratione poſſet concludi Trinitas, ex mente naturaliter nota. Tum quia nulla creatura in repræſentãdo excedit perfectionem ſuæ idęæ, idæa H autem mentis, non repræſentat Deum inquantum Trinus; quia idæa eſt Dei inquantum eſt cauſa, & eſt cauſa inquantum vnus.

Item. Nihil in mente plùs repræſentat vnam Perſonam, quàm aliam Perſonam; ergo nec tota mens repræſentat totam Trinitatem. Probatio antecedentis 15. de Trinit. cap. 7. & 14. *Pater eſt memoria, intelligentia & voluntas; &c.* ergo Pater ita formaliter eſt intelligẽtia, ſicut memoria, & Filius ſimiliter; igitur memoria nõ magis diſtinctè repræſentat Patrem, quàm Filium.

Item Tertiò. In Trinitate duæ Perſonæ ſunt productæ, in imagine autem nihil eſt productum: vt probabo; ergo non eſt repræſentatiua productionis. Probatio aſſumpti. In anima non ſunt niſi actus primi, vel ſecundi: actus primi non ſunt originati à ſe inuicem, quia ſunt concreati ipſi animæ, nec actus ſecundi ſunt originati. Probatio. Quia actionis non eſt actio, nec vt ſubiecti, nec vt termini. 5. Phyſ. t. 10. quia tunc eſſet proceſſus in infinitum;

A tum;iſtorum igitur actuum vt terminorum,non eſt actio, quia ſunt formaliter actiones. Probatio. Sunt enim actus ſecundi, & non primi; ſed ſi non eſſent actiones, eſſent actus primi.

Item. Ex ipſis generatur habitus; actio qua generatur aliqua forma,eſt actio de genere actionis: igitur iſti actus ſecundi,ſunt actiones de genere actionis.

Ad oppoſitum Aug. 14. de Tri. c. 8. *Ibi quærenda eſt imago, & eſt inuenienda, quo etiam natura noſtra nihil habet melius.*

Hîc Primò videndum eſt. Quid ſit ratio imaginis in corporalibus, vnde translatum eſt vocabulum ad propoſitum. Secùdò,reſpectu cuius in Trinitate ſit imago. Tertiò,in quo in nobis eſt imago.

ARTICVLVS PRIMVS.

B *Quid ſit imago in corporalibus?*

QVantùm ad Primum, ſicut dictum eſt in quæſtione de veſtigio. Dico. Quòd imago eſt repræſentatiuum totius,& in hoc differt à veſtigio, quod eſt repræſentatiuũ partis,ſi enim totum corpus eſſet impreſſum pulueri, ſicut pes eſt impreſſus,illud derelictum eſſet imago totius,ſicut iſtud eſt imago partis,& veſtigium totius: ſed iſta conformitas expreſſiua totius non ſufficit, ſed requiritur imitatio,quia ſecũdùm Aug. 83. q. q. 74. *Quantumcunque duo eua ſunt ſimilia vnum non eſt imago alterius, quia non eſt natum imitari ipſum:*& ideò requiritur, quòd imago nata ſit imitari ipſum,cuius eſt imago,& exprimere illud.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Reſpectu cuius in Trinitate eſt imago.

DE Secundo. Sciendũ. Quòd cũ conceptus vnius Perſonæ in intellectu noſtro ſit partialis,reſpectu cõceptu Trinitatis, illa creatura quæ ducet nos in cognitionẽ C Trinitatis per modum imaginis,repræſentabit Trinitatem quantùm ad illum conceptum,quem intellectus noſter poteſt habere de ea: repræſentabit igitur diſtinctionem triũ Perſonarum,vnitatem Eſſentiæ,& ordinem originis,quia illa diſtinctio realis in Diuinis eſt per originem, habebit etiam imitationem eſſentialem ad ipſam Trinitatẽ, quam repræſentat.

ARTICVLVS TERTIVS.

In quo, & quomodo in nobis eſt imago Sacroſanctæ Trinitatis.

DE Tertio. Primò videndum eſt de illis quæ ſunt manifeſta eſſe in mente. Secundò in quibus non conſiſtit imago. Tertiò in quibus conſiſtit.

Quantùm ad Primum. Experimur in nobis eſſe actum intellectionis, & actum volitionis, & iſtos actus aliquo modo eſſe in poteſtate noſtra, quando obiectum eſt præ- D ſens; ergo oportet in nobis ponere aliquo modo principia actiua ad iſtos actus, & potentias quibus ſumus potentes reſpectu iſtorum actuum. Non poteſt autem idem (ſub eadem ratione formali) eſſe principium iſtorum duorum actuum ſecundorum, quia iſti actus ſecundi requirũt oppoſitam rationẽ principiandi in ſuis principijs;ergo oportet habere aliquam diſtinctionem actuum primorum, & hoc proportionaliter correſpondentem diſtinctioni actuũ ſecundorum.

De Secundo,in iſto Articulo. Dico, quòd nec in actibus primis ſolùm, nec in actibus ſecundis ſolùm, eſt imago. Quod apparet dupliciter. Primò. Quia hi ſunt duo tantùm;ergo tantùm eſſet imago dualitatis, non Trinitatis. Secundò. Quia in primis actibus, licèt ſit ibi cõſubſtantialitas,non tamen eſt ibi diſtinctio realis rei & rei,& nec ordo originis.In actibus ſecũdis etiam, licèt ſit diſtinctio,& origo aliquomodo,non tamen conſubſtantialitas.

Ex his ſequitur Tertium. Quòd imago conſiſtit in actibus primis,& ſecundis ſimul. Et hoc intellige ſic. Anima habet in ſe aliquam perfectionem,ſecundùm quã formaliter eſt actus primus, reſpectu notitiæ genitæ,& habet in ſe aliam perfectionem, ſecundùm quam recipit formaliter notitiam genitam; & habet in ſe aliam perfectionem, ſecundùm quam recipit formaliter volitionem: iſtæ tres perfectiones dicuntur memoria,intelligentia, & volũtas, vel anima,inquantum habet ipſas;anima igitur,inquantũ habens actum primum totalem reſpectu intellectionis,ſcilicet anima,vel aliquid animæ, & obiectum ſibi præſens in ratione intelligibilis;dicitur memoria,& hoc memoria perfecta,includẽdo tam intellectum, quàm illud quo obiectum eſt ſibi præſens;ipſa etiam eadem anima inquantũ recipit notitiam genitam, dicitur intelligentia, & intelligentia perfecta,vt eſt ſub illa notitia genita: voluntas etiã dicitur perfecta inquantum eſt ſub illo actu perfecto volendi. Accipienda igitur iſta tria ex parte animæ, vt ſunt ſub tribus actibus ſuis, in iſtis inquam tribus eſt conſubſtantialitas,ratione illarum trium realitatum,quæ ſunt ex parte animæ, ſed eſt diſtinctio, & origo ratione iſtarum actualitatum receptarum in anima, ſecundùm iſtas realitates in anima. F

Sed hîc occurrunt duo dubia. Primum. Quia tunc videtur eſſe quaternitas in imagine:nam actus primus reſpectu volitionis, non concurrit cum aliquo trium in imagine:non cum tertia parte;patet, quia idem non eſt principium ſui:nec cum ſecunda; manifeſtum eſt,quia actualis notitia non eſt voluntas: non etiam cum prima; quia memoria dicit propriè principium productiuum notitiæ genitæ, non volitionis; ergo voluntas erit quartum cum iſtis.

Secundum dubium. Quia non videtur hîc ſaluari ordo originis, ſicut eſt in Diuinis, ibi.n. prima perſona originat ſecundam,& duæ tertiam, hîc prima pars imaginis noſtræ, eſt cauſa ſecundæ, ſed nec prima nec ſecunda eſt cauſa tertiæ;ergo &c.

Ad Primum. Dico, quòd imago poteſt dupliciter aſſignari, ſecundùm quod eam dupliciter aſſignat Aug. Vno modo 9. de Trin. cap. 4. & deinceps: *Mens,notitia,& amor.* G Alio modo ſicut eam aſſignat 10. de Tri. c. 10. & deinceps: *Memoria, intelligentia, & voluntas*, & de iſta duplici aſſignatione imaginis loquens Aug. 15. de Tri. c. 2. dicit quòd illa quæ poſita eſt in 10. eſt euidentior.

Dico igitur,primò pertractando primam aſſignationẽ. Quòd per mentem, poſſumus intelligere actum primum perfectum,reſpectu vtriuſque actus ſecundi, ſcilicet fęcũditatem ad gignendum,& ad ſpirãdum;& hoc modo mẽs habet rationem perfectæ parentis, quia includit perfectè vtramque fęcunditatem:& tunc illa alia duo, ſ. amor, & notitia,ſunt duo producta ab anima,licèt ordine quodam: & tunc non erit quaternitas,quia in parente, habẽte perfectam rationem parentis,cõcurrit actus primus duplex: & iſto modo eſt in Diuinis;quia in Patre nõ ſolùm eſt fęcunditas ad generandum,ſed ad ſpirandum,& hoc à ſe, quia ſi Pater non haberet fæcunditatem à ſe ad ſpirandũ, ſed habeat illam derelictam ſibi ex productione Filij, ſicut quidam dicunt,(*Henr. quol. 6. q. 2.*) ſequitur(vt videtur) hoc impoſſibile, quòd Pater nunquam haberet illam fęcunditatem;nullam enim realitatem ſiue abſolutam, ſiue relatiuam,habet Pater aliquomodo per productionem, quam ante non habuit, & ideo quamcunque realitatem nõ habet in primo ſigno originis,inquantum ſcilicet præintelligitur ordine originis Filio,illam nunquam habebit;igitur ſi illam fęcunditatem duplicem non habet à ſe,in iſto primo ſigno originis,nunquam habebit illam. H

Si autem mens accipiatur præcisè, vt actus primus, habens ſolũmodo fęcunditatem reſpectu notitiæ genitę:hoc modo imperfectè aſſignatur imago: quia hoc modo mẽs non habet rationem parentis perfectę.Ita dico de alia aſſignatione. Quòd ſi memoria accipiatur præcisè pro parẽte,reſpectu notitiæ genitę,eſt imperfectè parẽs;parens aũt perfectè,non tantũ habet rationẽ vnde generet, ſed vnde ſpiret;quia non poteſt illud habere ab alio, & oportet illud habere in toto, & ideo oportet vt habeatur in parente à ſe. Si autẽ accipiatur memorię pro tota anima,vt habeo

A habitualiter in actu primo fœcunditatem istam duplicem, hoc modo habet perfectè rationem parentis. Sed licèt memoria sit euidentior parens, sicut oportet concedere propter verba Augu. 15. de Trini. cap. 3. quatenus scilicet magis exprimit habitudinem gignentis ad genitum, quàm mens; tamen mens nostra videtur perfectiùs importare rationem parentis, si accipiatur vt includit vtramque fœcunditatem. Breuiter ergo, quomodocunque assignatur Trinitas in imagine, vel sic, vel sic, non est quaternitas; quia duplex concurrit habitudo fæcunditatis in parente, si est perfectè parens.

Ad Secundum. Dico, quòd nobis in hoc non potest esse similitudo imaginis ad prototypum. Notitia enim genita, in imagine creata, accidens quoddam est, cui non communicatur fœcunditas illa ad producendum amorem, qua formaliter est aliquid productiuum dilectionis; accidens enim tale non est natum esse formaliter intelligens, vel volens, & ideo, memoria gignens notitiam actualem accipiē do memoriam, vt est perfectè gignens, non potest communicare genito illam perfectam fæcunditatem, quam priùs B habuit; quia non communicat sibi eandem naturam, sed producit eam æquiuocè in alia natura; Pater autem generans Filium communicat ei eandem naturam, & eandem fæcunditatem spirandi amorem, quæ non intelligitur in generatione Filij habere terminū adæquatum, & ideò Filius eandem fæcunditatem habens, potest producere sicut Pater: Patet igitur ratio, quare non potest ista productio saluati in partibus imaginis creatæ, sicut in Personis Trinitatis; quia non potest esse eadem fæcunditas in duabus primis partibus imaginis, potest esse autem, & est in duabus personis respectu tertiæ. Similiter si notitia genita esset alicuius productiua aliquo modo, hoc non esset nisi per modum naturæ, & non liberè.

Est tamen hìc aliquis ordo inter secundam partem imaginis & tertiam; quia tertia præsupponit secundam naturaliter, licèt non sit ab ea; etiam illud exprimit Aug. 15. de Trini. cap. 27. *Velut parentem, & prolem tertia voluntate, siuè dilectione iungente, quam quidem voluntatem* (dicit de cognitione) *procedere, nullus ambigit.* Et subdit statim, & exC ponit quomodo intelligat. *Nemo enim vult quod omninò quid vel quale sit nesciat, non tamen esse cognitionis imaginem, &c.* Patet igitur quòd istum ordinem originis, præcisè ponit propter naturalem ordinem volitionis ad intellectionem, non autem quòd intellectio sit causa respectu volitionis. Patet igitur secundùm intentionem Aug. quòd voluntatem, secundùm quod est tertia pars imaginis, accipit ibi pro actu volēdi, sicut hìc accipit, cum subdit, *Quam voluntatem procedere, &c.* quod non est verum de voluntate vt est potentia, sed si verum sit, hoc est, de actu volendi.

Vlteriùs in speciali. Cùm omnia ista prædicta reperiantur in intellectu, vel in mente respectu cuiuscunque obiecti. Notandum est. Quòd perfectissima & vltima ratio, imaginis est, quando ista concurrunt in mente, respectu Dei vt obiecti; quia tunc anima non habet tantùm similitudinem expressiuam, quantum ad prædicta, ex ratione eorum in se, sed ea etiam ratione, qua actus ipsi conformantur obiecto: est enim actus verè similitudo obiecti, sicut dictum est in præced. quæst. & ideo quando isti actus sic D sunt in mente, quòd non tantùm habent consubstantialitatem, & similitudinem, & originem, sed etiam habent vlteriorem assimilationem ad Deum, ex ratione obiecti, circa quod sunt, est perfectior similitudo, minùs autem perfecta, quando anima habet se pro obiecto, quia licèt tunc non habeatur similitudo ab ipso Deo immediatè, tāquam ab ipso obiecto proximo, habetur tamen aliqualiter inquantum in mente, vt in imagine cognoscitur Deus.

Et istam duplicem trinitatem assignat Aug. illam quæ est respectu Dei 22. de Trin. c. 4. dicens, *In eo solo, quod ad contemplationem pertinet æternorum, non solùm est Trinitas, sed etiam imago est Dei: in hoc autem quod deriuatum est in actione temporalium, etiam si Trinitas possit, non tamen imago Dei inueniri potest.* Hoc intelligendum est de expressiua imagine, quantùm ad summam expressionem; siue similitudinem. De eadem ēt 55. de Trin. 20. *Vnde potest sēpiterna atque immutabilis natura recoli, conspici, concupisci &c. pro*E *fectò reperit, scilicet, quisquis illius sūmæ Trinitatis imaginē, ad quam reminiscendam, videndam, diligendam, totum debet referri quod viuit.* De alia imagine loquitur 14. de Trin. c. 8. & 16. *Ecce, inquit mens meminit sui, intelligit se, diligit se, hoc si cernimus, cernimus* Trinitatem, *nondum quidem Deum sed iam imaginem Dei.* Ista autem secunda auctoritas, videtur contradicere primæ, nisi intelligatur modo prædicto, Et tunc patet, quomodo respectu omnium obiectorum inferiorum à mente, non ponit imaginem in mēte, quia nullum aliud obiectum est imago Dei, respectu cuius potissimè, & respectu imitationis eius secundario est imago in mente, quantùm ad illam similitudinem, quæ habetur ab obiecto.

Ex istis apparet corrolariè, quare in parte sensitiua non est imago. Primò. Quia ibi non est consubstantialitas operantium, siue totorum illorum sumptorum cum suis operationibus, quia principium sentiendi, non tantùm est aliquid animæ, sed totum cōpositum ex anima & parte corporis sic mixta, quod est totum organum: similiter principium F appetendi appetitus sensitiui, non est aliquid animæ tantùm, sed similiter est compositum. Ista autem duo quorum sunt istæ operationes, non sunt consubstantialia; quia licèt istæ potentiæ animæ sint in eadem essentia, & fortassè idem essentiæ animæ, non tamen totales causæ operationis, puta tota ipsa organa; quia partes corporis non sunt consubstantiales, nec inter se, nec potentijs animæ. Similiter in parte sensitiua, nō est duplex modus originandi; quia sicut sensus naturaliter sentit, ita appetitus sensitiuus naturaliter appetit: vnde secundùm Dam. lib. 2. cap. 29. *Bruta in suis actionibus non agunt, sed aguntur.*

Argumentis principalibus satisfit.

AD Primum Argumentum principale. Concedo, quòd quælibet essentia creata, inquantum hæc essentia producta, secundùm talem idæam, nō repræsentat Deum sub ratione trini, sed sub ratione vnius; quia non causatur, nec idæatur à Deo sub ratione trini, sed sub ratione vnius: sed G tamē aliqua natura ratione essentiæ suæ, & multorum cōcurrentium in ea, tanquam vnum totum aggregatum potest esse repræsentatiuum Trinitatis, & eorum quæ apprehenduntur in Trinitate: tale quid est mens accepta in se, & cum operibus suis; quia ibi est vnitas, & distinctio, & ordo originis; tale autem etiam quantùm ad talem concursum, nihil est, quod sit inferius mente, sicut patuit in parte sensitiua.

Sed cùm arguitur. Quòd si esset imago, posset Trinitas cognosci per cognitionem mentis. Respondeo. Ista concurrentia in mēte, valent credenti Trinitatem, ad perscrutandum, & persuadendum, quomodo possit esse, non autē non credenti concludunt eam esse; quia tota ista aggregatio plurium in mente in quibus consistit imago, posset esse, & est in vna persona: & ideo ex ipsa non potest demonstratiuè concludi, ipsam esse imaginem Trinitatis. De hoc Aug. 15. de Trinit. cap. 24. *Qui vident suam mentem, et in ea Trinitatem istam, nec tamen eam credunt esse imaginem Dei, speculum quidem vident, sed non vident per speculum, cum nec* H *ipsum quod vident, sciunt esse speculum.*

Qualiter autem valeat deductio ad ostendendum tres Personas, ex ratione intellectus, & voluntatis in Diuinis, dictum fuit dist. 2. q. de duabus productionibus.

Ad Secundum. Dico, quòd illud argumentum videretur efficax, si poneretur Patrem gignere in quantum intelligit: sicut ponit vna Opinio (*Henr. quol. 6. q. 2.*) superiùs improbata, 2. dist. q. prædicta, quæ ponit actualem notitiam Patris habere aliquo modo rationem producentis respectu gignitionis Filij, & rationem formalem principij productiui: sed secundùm aliam viam, quam ibi tenui, quòd Pater inquantum habet Essentiam sibi præsentem, sub ratione actu intelligibilis, quod conuenit Patri inquantum est memoria, hoc modo Pater gignit, non autem inquantū intelligens, sicut ibi fuit declaratū: tunc falsum est antecedens; quia memoria magis repræsentat Patrem, quàm Filiū, non quoad hoc, quòd sola memoria sit in Patre, & sola intelligentia sit in Filio, sed quoad hoc, quòd Pater gignit

A Filium, inquantum Pater habet rationem memoriæ, non autem vt Pater habet rationem intelligentiæ, vel voluntatis.

Ad Tertium. Dico, quòd actus secundi sunt producti. Cùm probas per Philosophum 5. Physicorum. Argumentum est pro me. Cùm enim actio non sit terminus actionis, & ista verè terminat actionem, sicut Aug. dicit 9. de Trin. cap. vlt. quòd *notitia gignitur verè, & volitio procedit,* vt dicit 15. de Trin. c. 27. ergo ista non sunt actiones de genere actionis, sed sũt formę absolutæ de genere Qualitatis. Cùm probas. Quòd sunt actiones propriæ, quia sũt actus secundi. Dico, quòd quædam formæ habent esse fixum, non dependens continuè à sua causa, quasi in fieri; sicut calor in ligno: quædam habent quasi continuam depẽdentiam ad suam causam; sicut lumen in medio ad Solem: & hoc dicit Aug. 8. super Gen. cap. 19. ad literam, dicens, quòd aër non est factus lucidus, sed fit lucidus. Primæ formæ, propter suam independentiam in esse, non habent rationem actionis, nec motus, secundæ, propter continuam suam dependentiam, magis videntur habere esse in fieri, quàm in facto esse; licèt secundùm veritatem non sit in eis actio & passio, quia sunt totæ simul in esse, & non pars post partem acquiritur, actio aũt propriè non est ad aliquã formam, nisi cuius pars post partem acquiritur. Hoc secundo modo se habet intellectio; quia ipsa est in continua dependentia ad præsentiam suæ causæ; quia aliter non haberet esse, sicut patet per Aug. 11. de Trinit. c. 3. cùm autem cogitatis acies auersa inde fuerit, nihil formæ quæ impressa erat, in eadem acie remanebit. Non enim manet actus intelligentiæ, absq; tali præsentia causæ quasi continuè influentis. Sed istud solùm non concludit ipsam esse actum secundum; ita enim poneretur lumen in medio, esse actus secundus: & ideo (cum ista) est alia conditio vlterior, videlicet quòd istæ formæ de ratione sui trãseant in aliquid, vt in terminum, & hoc siue illud aliud, sit intra operans, siue extra, non curo; non est enim intelligibile, quòd sit intellectio, & volitio, & quòd non sit alicuius termini; hoc autem conuenit actioni propriè dictæ, vt transeat in aliquid, vt in terminum; propter igitur istas duas conditiones concurrentes in istis formis, dicuntur istæ formæ esse actus secundi, cùm verè sint formæ immanentes.

Ad aliam probationem. Cùm dicitur. Quòd actus talis, est generatiuus habitus. Respondeo. Argumentũ est in oppositum. Quia actio de genere actionis, non potest esse eiusdem rationis, nisi termini sint eiusdem rationis; sicut calefactio non est eiusdem rationis, nisi calor terminans sit eiusdem rationis; ergo si actus generaret habitũ: vt actio de genere actionis, terminata ad habitũ vt ad terminum; non posset esse actio eiusdem rationis cum altera, nisi illa alia esset per se generatiua habitus: imò contradictio videretur, quòd esset actus eiusdem rationis, & nõ alicuius termini; quia non potest esse actio de genere actionis, nisi sit alicuius termini, nũc autem aliquis actus intellectionis, vel volitionis, potest esse eiusdem rationis, licèt non sit alicuius termini producti; ergo actus iste nõ est generatiuus, vt actio, sed vt forma, qua formaliter generatur iste habitus. Tunc dico breuiter: quòd actus est generatiuus habitus, sicut forma aliqua est causa, vel ratio causãdi aliam formam, sicut lumen Solis in medio, est ratio gignendi ibi calorem; non autem est talis actus gignitiuus vt actio, sed tali actione gignitur, tàm actus quàm proprius habitus, vt terminus talis actionis, & ad significandum gignitionem talem, quæ est actio de genere actionis, dicimus potentiam elicere actum intelligendi.

DISTINCTIO QVARTA.

QVÆSTIO PRIMA.

Vtrum ista propositio sit vera, Deus genuit alium Deum?

Circa Quartam Distinctionem Quæro. Vtrum ista sit vera. Deus generauit alium Deum?

Videtur quòd sic. Deus generauit Deum; aut ergo se Deum, aut alium Deum; non se, 1. de Trinit. ergo alium.

Secundò sic. Generans distinguitur à generato; sed Deus genuit Deũ; ergo Deus genitus distinguitur à Deo generante; & per consequẽs, Deus genuit aliũ Deũ.

Tertiò sic. Deus generat alium: aut igitur Deum; & sic habetur propositum: aut non Deum; quod falsum est, quia sic genitus non esset Deus.

Quartò sic. Deus generauit alium habentem Deitatẽ, quia aliam Personam subsistentem in Deitate; ergo genuit alium Deum. Antecedens patet per Dam. 5. c. Deus est Diuinam habens naturam, homo humanam.

Contra. Non est alius Deus; ergo non genuit alium Deum. Antecedens patet Deuter. 1. *Audi Israel, Dominus Deus tuus vnus est.*

ARTICVLVS PRIMVS.

Resoluitur Quæstio.

Respondeo ad Quæstionem. Quòd non genuit alium Deum. Quia cuilibet entitati formali correspondet adæquatè aliquod Ens, vel aliquid Ens entitate tali; ista autem Deitas, quæ est entitas formalis, quia se tota est forma, non habet sic sibi adæquatè correspondens Quod, nisi Deum, quia ipsum includit: Deitas autẽ est de se hoc; ergo Deus est de se hoc: illi autem quod est de se hoc, repugnat non identitas: ergo & alietas, quæ includit nõ identitatẽ; ergo non potest esse alius Deus; ergo Deus non genuit aliũ Deum, quia non genuit quod non potest esse. Et hoc quãtùm ad rem.

Quantùm ad Logicam. Dico: quòd hæc tria differunt. A. est alius à Deo; A. est alius Deitate; A. est alius in Deitate. Sicut hæc tria differunt. Sortes est alius ab homine; Sortes est alius humanitate, Sortes est alius in humanitate.

In Prima, cùm dicitur. Sortes est alius ab homine. Negatur vniuersaliter Sortem habere identitatem cum termino, per negationem importatam in ly alius; quia aliud includit non identitatem; igitur terminus ibi prædicatus, negatur pro quolibet sui: sed nõ negatur nisi negetur respectu cuiuslibet termini; ideo terminus alietatis confunditur cõfusè, & distributiuè: ideò sequitur, Sortes est alius ab homine; igitur est alius ab isto homine, & ab isto, & sic de omnibus alijs: sic etiam sequitur A. est alius à Deo: igitur est alius à qualibet Persona Diuina.

In Secunda. Cùm dicitur. Sortes est alius humanitate. Humanitas significatur esse formalis ratio differentiæ: sic non est in prima; quia in ipsa homo significatur esse terminus differentiæ, in hac autẽ secunda, notatur esse formalis ratio differentiæ vniuersaliter, sic quòd in nullo indiuiduo illius naturę conuenit, quia est aliud indiuiduũ alterius naturæ, per illam formam, per quam hoc differt ab illo.

Vnde Nota. Quòd licèt ratio formalis alietatis stet vniuersaliter quantùm ad negationem inclusam: vnde sequitur, Sortes est humanitate alius à Brunello; igitur in nullo

A nullo indiuiduo sunt idem, nec conueniunt in humani-
tate; tamen illa ratio formalis differentiæ non stat vniuer-
saliter, quantùm ad illam affirmationem ibi inclusam; vn-
de non sequitur, Sortes differt à Brunello humanitate; er-
go differt ab illo hac humanitate, scilicet Platonis; quia an-
tecedens est verum, & consequens falsum; quia in conse-
quente significatur, quòd humanitas Platonis, fit formalis
ratio differentiæ, qua Sortes à Brunello differt. In tertia.
Cùm dicitur. Sortes est alius in humanitate: alietas ibi po-
nit suum determinabile esse commune vtrique extremo,
& distingui siue diuidi in ipsis extremis: & ideò hæc non
est vera, Sortes in humanitate est alius à Brunello, quia
non diuiditur humanitas in eis, nec est commune eis; sed
hæc est vera, Sortes in animalitate est alius à Brunello;
quia animal commune est eis, & diuiditur in eis: vnde in
hac tertia propositione alietas connotat aliquam conue-
nientiam extremorum in suo determinabili, & tamen no-
B tat aliquam non idẽtitatem eorum in eodẽ determinabili.
Ad propositum igitur. Quam istarum trium significat
hæc locutio, Filius est alius Deus? Dico, quòd nec primam,
nec secundam. Non primam; quia non sequitur, Sortes
est alius homo; ergo est alius ab homine. Antecedens est
verum, & consequens falsum. Nec secundam; quia etsi Sor-
tes est alius homo à Platone, non tamen sequitur: ergo est
alius humanitate à Platone: quia humanitas non est ra-
tio formalis differentiæ Sortis à Platone, sed significat ter-
tiam; vnde benè sequitur, Sortes est alius homo à Plato-
ne; ergo Sortes est alius à Platone in humanitate, & è con-
uersò; & idem est cùm dicitur, Filius est alius Deus à Patre,
quòd filius genitus, est alius Deus à Patre generante; ita
quòd ly alius, ponit suum per se significatum, circa per se
significatum extremorum, & sui determinabilis, denotans
ipsa inter se esse distincta, & illud determinabile esse com-
mune vtrique extremo alietatis, & tamen distingui in eis,
quod non conuenit Deo. Et hoc etiam significatur in ter-
tia propositione prædicta, propter quod idem sunt: ex quo
sequitur, cùm hæc sit falsa, Filius est alius Deus genitus, vt
C nunc declaratum est, erit hæc falsa, Deus genuit alium
Deum.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Argumenta in principio Quæstionis adducta, soluuntur.

AD Primum Argumentum. Dico, quòd hoc antecedẽs
est verum, Deus genuit Deum: quia termini in con-
creto possunt supponere pro suppositis, respectu prędicato-
rum, respectu quorum non extraneantur suppositaliter, &
ideo sicut est hæc vera, Deus Pater genuit Deum Filium,
ita hæc, Deus genuit Deum; sed consequentia non valet;
vnde non sequitur; ergo Deus genuit se Deum, aut alium
Deum. Primum non sequitur; quia non est intelligibile,
quòd idem producat se: nec secundum sequitur; quia (sicut
dictum est) cùm dicitur, Deus genuit alium Deum, alietas
notat suum determinabile distingui in extremis, quod non
significatur in antecedẽte; vnde sicut propositio est falsa,
D vbi alietas additur determinabili, quod non est commune
suis extremis, sicut hæc est falsa, Sol est alius mus: Et ideò
non sequitur, si Sol generat murem; igitur se murem, aut
alium murem, sed alium qui est mus. Ita in proposito, il-
la propositio est falsa, in qua alietas additur determinabi-
li, quod non distinguitur in extremis, sicut hæc est falsa,
Pater in Deitate est alius à Filio, & ideò non sequitur Deus
Pater genuit Deum; aut igitur se Deum, aut alium Deum;
sed sequitur, quòd genuit alium, qui est Deus; sicut expo-
nit Magister in litera.
Quod si probetur illa consequentia, sic. Si generat Deũ,
aut igitur eundem Deum, aut diuersum Deum; quia idem
& diuersum immediatè diuidũt quodlibet Ens, ex 10. Me-
taph. t. 12. Si eundem, vel diuersum, igitur se Deum, vel
alium Deum. Respondeo, Potest concedi, quòd genuit
eundem Deum; quia sicut alietas ponit suum significatũ
circa suum determinabile, denotans ipsum disponi alieta-
te, & distingui in extremis, quibus est commune, ita per op
positum identitas ponit suum significatum circa suum de-
terminabile, commune extremis, denotans ipsum non di- E
stingui; nec diuidi in eis; & ideò hæc est vera, Deus Pater
genuit eundem Deum, quia Filium, qui est idem Deus; sed
non sequitur, ergo genuit se Deum; quia pronomen reci-
procum denotat actũ terminari ad idem suppositũ, à quo
procedit ille actus, aliter nõ esset reciprocũ: antecedens au-
tem non est reciprocum, vnde consequens nõ solùm refert
eundem in Essentia Deitatis, sed eundem in ratione sup-
positi: non tantùm autem ponitur per antecedens, sed so-
lùm quòd genuit eundem Deum: & ideo est fallacia cõse-
quentis, & figuræ dictionis.
Ad Secundum. Dicendum, quòd ista deductio redu-
cenda est ad duos Syllogismos: quorum Primus est iste.
Generans distinguitur à genito: Deus est generans; ergo
Deus distinguitur à genito. Alius est iste. Genitum est
Deus; Deus distinguitur à genito; ergo Deus distinguitur
à Deo. In vtroque Syllogismo, est fallacia accidentis. Nã
in primo Syllogismo, Maior est vera propter formalẽ op-
positionem extremorum, sic autem extraneatur medium
vtrique extremo, in quo extrema sunt vnum, siue idẽ: vn- F
de fallacia est accidentis, nisi maior extremitas dicatur de
medio secundam illam rationem, secundùm quam mediũ
dicatur de extremis; vt patet si sic arguitur. Album distin-
guitur à dulci. Et eodem modo peccat alius Paralogys-
mus. Vnde in vtroque Syllogismo, ex distinctione for-
mali, quæ est inter ista relatiuè opposita, generans, & ge-
nitum, concluditur distinctio essentialis, & ideò non sequi-
tur Conclusio.
Ad Tertium. Cùm dicitur. Deus genuit alium; igitur
alium Deum, vel alium non Deum. Dicendum, quòd neu-
trum concederetur. Et cùm probatur per rationem con-
tradictionis. Dicendum, quòd contradictio est, tam in cõ-
plexis, quàm in incomplexis: & loquendo de contradicto-
rijs complexis, semper verum est, quòd altera est vera, &
altera est falsa: & sic est in proposito; hæc est falsa, Deus ge-
nuit alium Deum; & hæc vera, Deus non genuit alium
Deum, quæ est sua contradictoria; & non ista, Deus ge-
nuit alium non Deum.
Etsi arguatur. Deus non genuit alium Deum; ergo ge- G
nuit alium non Deum; quia ex negatiua de prædicato fini-
to, sequitur affirmatiua de prædicato infinito; sicut sequi-
tur, Homo non est iustus; ergo est non iustus. Respon-
deo. Dicendum, quòd quamuis illa regula sit vera, sicut
potest probari per naturam contradictionis, nunquam ta-
men tenet in prędicatis compositis: non enim sequitur, La-
pis non est lignum album; ergo lapis est lignum non albũ;
quia affirmatur lignum in secunda, quod non affirmaba-
tur in prima.
Etsi arguitur in contradictorijs incomplexis. Dico, quòd
licèt de quolibet dicatur alterum illorum, non tamen dici-
tur de quolibet, quodcunque prædicatum determinatum,
per alterum illorum, quia nec ipsum determinabile dicitur
de quolibet: & ideo licèt Deus, vel non Deus, dicatur de
quolibet, non tamen aliud, siue alium, sic determinatum
per Deum; vel per non Deum: & ideo quamui Deus ge-
nuit alium, non tamen alium Deum, nec alium non Deũ,
nec est hæc contradictio; quia non sequitur cum hoc con- H
tradictorio, vel illo, & hoc in sensu compositionis; quia nõ
ex omnibus diuisis sequitur coniunctum. Concedo igi-
tur quòd sequitur, Genuit aliũ; ergo Deum, vel non Deũ;
sed non sequitur genuit alium, & Deum; ergo genuit aliũ
Deum, propter variationem alietatis.
Ad Quartum. Dicendum, quòd non sequitur. Genuit
alium habentem naturam Diuinam; ergo genuit alium
Deum. Quia in antecedente subintelligitur substantiuũ
huius adiectiui, habens, quòd substantiuum idem signifi-
cat quod Persona, & circa illud ly aliud, ponit suum signi-
ficatum: in consequente autem ponit ly alius, suum signi-
ficatum circa significatum Dei: & sic cõmutatur Hoc ali-
quid, in Quale quid, & arguitur ab inferiori ad suum su-
perius, cum negatione quam importat, alius.
Ad probationem per Dam. Dico, quòd descriptio sua est
quædam explicatio nominis, non autem expressio per se si-
gnificati, quia nomen concretum de per se significato, non
importat hoc, quod est habens, siue habere, sed tantùm de
modo

A modo significandi, in quo distinguitur ab abstracto solùm, concretum enim importat ipsam formam, quia album solam qualitatem significat; vnde importat hoc quod est habens, quia concernit suppositum habens suum significatū, tamen idem significat concretum, & abstractum, licèt modus significandi sit alius, & ideò in huiusmodi Ethymologijs, & descriptionibus, non oportet quòd quidquid potest verè coniungi cum descriptionibus, & descriptis.

QVÆSTIO SECVNDA.

Vtrum hæc propositio sit vera, Deus est Pater, Filius, & Spiritus Sanctus?

Irca Secundam partem Quartæ Dist. Quæro de veritate huius, Deus est Pater, Filius & Spiritus Sanctus?

Videtur quòd non sit vera. Quia eius contradictoria videtur esse vera, nullus Deus est Pater, Filius,
B & Spiritus Sanctus: quia quælibet singularis est vera, quia nec Pater, nec Filius, nec Spiritus Sanctus.

Præterea. Cuiuslibet propositionis veræ indefinitæ, aliqua singularis est vera; sed nullam est veram dare singularem huius indefinitæ; igitur ipsa non est vera.

Contra. Hæc, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus sunt Deus, est vera; ergo & eius conuertens. Antecedens patet per Aug. de Trin. multis in locis.

Respondeo. Quòd propositio est vera, quia terminus subiectus quod primò significat, hoc primò ponit in oratione, & si illi aliud extremum quod prædicatur sit idem, propositio affirmatiua denotans talem identitatem, vera est. Deus autem significat naturam Diuinam, vt est nata prædicari de supposito, & illud significatum est idem tribus Personis; igitur propositio hoc significans, est vera.

Sed nunquid eadem est veritas illius, & huius, Deitas est Pater, Filius, & Spiritus Sanctus? Respondeo. Sicut prædicatio in Diuinis distinguitur, in veram formaliter, &
C veram per identitatem, hoc est, quòd illa sit formalis, quādo prædicatum conuenit formaliter subiecto, per identitatem verò, quando propter infinitatem Diuinam prædicatum est idem subiecto, licèt non formaliter: ita hæc, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, sunt Deus, vera est formaliter: & hæc per identitatem, Pater, Filius, Spiritus Sanctus sunt Deitas, nō autem formaliter; ergo & ista Deus est Pater &c. habet aliquam veritatem, loquendo de prædicatione formali, quam non habet ista, Deitas est Pater &c.

Sed pro quo supponit Deus, intelligendo istam esse veram, quasi prædicatione formali? Respondeo. Vnicuiq; Quo, correspondet proprium Quod, vel Quis, & ideò Deitati vt Deitas est, correspondet Quod vel Quis; quia illud Quod vel Quis, est primò Deitate Ens, vt Deitas est, & sicut Deitas est de se hæc, ita Deus, qui Deus est Deitate, est de se hic, & in isto conceptu, non includitur incommunicabilitas, nec ratio Personæ: quia Deitas communicabilis est: & ideò Deus, vt Deitate est Deus, non includit aliquod incommunicabile formaliter. Isti termino sic intellecto absque cōceptu Personarum, seu personalium proprietatum, verè possunt competere aliqua prædicata realia, quæ vide-
D licet non competunt naturæ vt existenti, in ratione suppositi, sed existenti in hac natura, inquantum existens in ea: hoc modo fortè est ista vera, Deus creat, & similes, intelligendo subiectum pro hoc Deo existente in natura Diuina, non intelligendo aliquod suppositum, vel aliquod incommunicabile in illa natura, quia incommunicabilitas nō est ratio talium actuum; & ita potest poni, quòd ista, Deus est Pater, & Filius, & Spiritus Sāctus, est vera, quatenus Deus stat pro hoc Deo, inquantum est per se Ens Deitate, non autem pro aliquo supposito propriè dicto, in quo est natura Diuina; quia quando est veritas pro primis significatis E
terminorum, non oportet quærere veritatem in alijs, in quibus includūtur ista significata; sicut quando consequēs habet propriam veritatem, non oportet quærere veritatē eius præcisè pro aliquo antecedente. Exemplum huius. Color hic singularis existens, non determinat sibi rationē suppositi; quia ratio suppositi propriè non reperitur in accidentibus, & licèt sit in supposito substātiæ, tamen inquātum intelligitur absq; vlla subsistentia in supposito, vt hic color existens, potest esse principium operationis realis, sic, si eadem albedo esset existens in tribus suppositis, vel superficiebus, haberet actum realem, scilicet, vnam rationem disgregandi.

Et si quæras à me, de veritate huius propositionis, Hic color disgregat: pro quo supponit ibi ly color? Dico, quòd supponit pro primo significato suo, puta, pro hoc colore existente, nō autem pro aliquo colore inferiori ad hūc colorem, puta, pro hoc colore in hac superficie, vel in illa; quia ista contrahentia colorem, non sunt causa veritatis
huius propositionis, sed est vera propter prima extrema; F
multò magis esset hoc verum, si hic color vt hic, esset per se existens; Deitas autem est per se Ens, & ideò Deus, inquantum est Deus, Deitate est per se Ens, quia 1. de Trin. Aug. dicit, *Pater eodem est, quo Deus est; licet non eodem sit, & Pater sit*. Et ideò huic Deo, non intelligendo aliquam rationem suppositi, siue Personæ, imò rationi huius Dei, potest attribui Pater, & Filius & Spiritus Sanctus.

Ad primum Argumentum in oppositum. Dico: quòd illa non est eius cōtradictoria, si præcisè fiat distributio pro Personis; quia tunc non negatur, quòd primò affirmatur in affirmatiua, si autem illa neget prædicatum à primo significato Dei, scilicet, ab hoc Deo, falsa est illa; & hoc est, quod vsitatè dicitur, quòd talis vniuersalis negatiua, non contradicit termino habenti suppositionem simplicem, licèt contradicat termino habenti suppositionem personalē, hoc autem videtur probabile, si illa maxima Sophistarum est vera, Quando in aliqua dictione officiali vel Syncathegorematica includūtur duo, ad nihil refertur vnū, ad quod
non alterum; in hoc autem signo Nullus, includūtur duo, G
scilicet negatio, & distributio; ergo cùm distributio præcisè respiciat supposita talis naturæ, negatio præcisè erit pro eisdem; & tunc illa negatio vniuersalis est vera, sed nō est contradictoria primæ, sed ista, Deus nō est Pater, Filius & Spiritus Sanctus, vbi illud negatur, quòd priùs affirmabatur; & ista est falsa pro eodem subiecto, pro qua affirmatiua est vera.

Ad euidentiam Secundi argumenti, est Sciendū. Quòd sicut dictum est quæst. præced. Cuilibet naturæ vnicè adæquatæ, correspondet vnū singulare, quod singulare, vel est incōmunicabile, sicut in creaturis, vel communicabile, sicut in Deo; natura autem Diuina vnica, est omnino impluirificabilis, & innumerabilis; ergo ei adæquatè correspondet vnum singulare, quod exprimitur nomine Dei, quod naturali intelligentia intelligitur, ante quamcunq; proprie-
tatem personalē, & si consideretur illud singulare vt quod- H
dam Ens ad se, cui conueniunt omnes proprietates essentiales, & perfectiones, ante omnem proprietatem Personarum, quod quidem est ad se Ens, & per se nullo modo plurificabile, vel numerabile, licèt communicabile sit in suppositis pluribus, quæ communicatio intelligitur per proprietates notionales: & sicut est illa vera, Deus est Pater, Filius, & Spiritus Sāctus, ita ista, hic Deus est Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus. Exemplum iam factū est. Quia si esset vnùs color in tribus superficiebus, ille color, puta albedo, disgregaret, & haberet omnes perfectiones albedini cōpetentes, sed nō vt primò est in illa, vel in illa superficie, sed secundùm se, licèt illas haberet existens in illis superficiebus, non tamen primò; sic autem est hìc.

A

DISTINCTIO QVINTA.

E

QVÆSTIO PRIMA.

Vtrum Essentia Diuina generet vel generetur.

Circa istam Quintam Distinctionem, in qua Magister agit de generatione, in comparatione ad Essentiam, quæro duo. Primò.

Vtrum Essentia Diuina generet vel generetur?

Quòd sic. August. de Trin. c. 2. & 12. *Idem dici accipiamus, cùm dicitur Verbum, acsi dicatur nata sapiētia, vt in vno eorum, eò quod nata est, & Verbum, & Filius accipiatur, & in his omnibus nominibus non ostendatur Essentia, quæ ad se dicitur, ac in altero, quod est sapientia, demonstretur Essentia, ac per hoc ad se dicitur*: Ergo expresse vult, quòd sapientia, vt est sapientia, & ad se dicitur, dicatur nata, & vt natum est proprium Filij.

B

Secundò sic. Ricar. 6. de Trinit. cap. 22. videtur expressè loqui contra Magistrum Sententiarum. *Multi*, inquit, *temporibus nostris surrexere, qui non audent dicere substātiam genitam, quia potius, (quod est periculosius, & contra Sanctorum auctoritates) audent negare, & omnibus modis conantur refellere, quòd substantia gignat substantiam, pertinaciter negantes, quòd omnes Sancti affirmant; ad illud quod ipsi dicūt, auctoritatem inuenire non possunt, ad hoc, quod dicimus, auctoritates multas etiam ipsi adducunt, in morem Goliæ* &c. Et quia Magister exponit illas auctoritates quas adducit contra se, ideo Rich. subdit ibidem de eo. *Bene dicunt Patres, quòd substantia substantiam gignit, vestra autem expositio ad hoc contendit, quòd credamus, quòd substantia substantiam non gignat: fidelis expositio, & omni acceptione digna; quia hoc quod Sancti Patres clamant, contendit falsum esse: & quod nemo Sanctorum asserit, contendit verum esse.* Hæc ille. Videtur deridere Magistrum, qui contra intentionem Patrum exponit auctoritates, quas adducit contra se: & videtur asserere, oppositum illius quod tenet Magister, esse de intentione Sanctorum.

C

Item per rationem. Essentia communicatur; ergo producitur. Antecedens patet, per Aug. 15. de Trinit. cap. 26. *Essentiam præstat Filio, sine initio generatio.* Probatio consequentiæ. Tum quia communicare & communicari sunt relatiuè opposita, & non dicunt nisi relationes originis, nō enim dicunt relationes communes: patet; igitur dicunt relationes originis oppositas; igitur idem quod producere & produci. Tum quia si sint aliqua duo correlatiua, si vnum extremum vnius sit idem vni extremo alterius, & reliquum reliquo. Exemplum. Si A. & B. essent duo correlatiua, & C. & D. correlatiua; si A. & C. sunt idem, B. D. erunt idem. Probatio. Quia alioquin diceretur idem ad plura correlatiua, sicut A. quod idem est quod ipsum C. diceretur correlatiuè ad B. & D. quæ per te sunt diuersa, hæc est vna combinatio relatiuorum, producens & productū, & hæc alia, communicans & communicatum; sed cōmunicans & producens idem sunt; ergo & extrema eis correspondentia sunt eadem.

D

Item per Argumenta Logica. Quando prædicatum prædicatur per se de subiecto, potest supponere pro eo: patet de superioribus & inferioribus; sed Essentia prædicatur per se de Patre: quia Pater est Essentia; ergo potest supponere pro eo; igitur sicut illa est vera, Pater generat, ita ista videtur esse vera, Essentia generat, prout supponit pro Patre. Probatio Minoris. Quia non per accidens; quia nec vnum accidit reliquo, nec ambo tertio: & isti sunt duo modi vnitatis per accidens, qui ponuntur 5. Metaphys. capit. de vno.

Item Essentia est Pater; ergo Essentia generat. Antecedens patet, per conuersionem simplicem. Probatio consequentiæ. De quocunque prædicatur subiectum, & propria passio. Et hoc probatur. Quia subiectum est medium ad demonstrandum propriam passionem suam, de eo cui non primò conuenit illa passio; generatio autem videtur propria operatio, vel passio Patris: ergo consequentia est bona.

F

Item. Essentia est Pater Filij, ergo Essentia generat. Probatio antecedentis per conuersionem. Pater Filij est Essentia: igitur Essentia est Pater Filij. Probatio consequentiæ. Essentia est Pater Filij; ergo Filius est Filius Essentiæ. Probatio istius consequentiæ. Quia in relatiuis est consequentia mutua, si A. est pater B. ergo B. est filius A. ergo si essentia est pater alicuius, ille erit filius essentiæ.

Item vltimò. Genitum inquantum genitum, est aliquid, quia generatio non terminatur ad nihil, & inter nihil & aliquid non est medium; sed nihil in Diuinis est aliquid, nisi sit Essentia; ergo Filius, inquātum genitus, est Essentia; ergo Essentia generatur.

Contra est Magister in litera.

ARTICVLVS PRIMVS.

Recitatur opinio Ioachimi Abbatis, & impugnatur.

G

IN ista Quæstione errauit Abbas Ioachim: vt habetur extra de sum. Trin. & fide Cathol. c. damnamus. Dixit enim Magistrum Petrum esse hæreticum; quia dixit esse rē in Diuinis, quæ nec producit, nec producitur. Ex hoc. n. intulit Ioachim, quòd Petrus poneret quaternitatē in Diuinis. Posuit enim tres res, rem generantem, rem genitā, rem spiratam, & posuit rem nec generantem, nec genitam, nec spiratam; ergo quatuor res. Hoc igitur inconueniens, quod sequi videbatur, vitando, posuit Ioachim, quòd nulla vna res est Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, sed tantùm dixit Personas illas esse vnam rem, sicut multi fideles dicuntur vna Ecclesia, propter vnam fidem & charitatē.

Et istud probauit per illud Saluatoris Ioannis 7. orantis Patrem pro suis fidelibus, *vt sint vnum*, inquit, *sicut & nos*. Intulit igitur Ioachim, cùm fideles non sint vnū vnitate naturæ, ergo nec Filius est vna res cum Patre.

H

Istud Secundum in Opinione Ioachim, est hæreticum, scilicet, quòd Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus non sint aliqua vna res. Quia sicut arguitur cap. præallegato. Pater gignendo dedit Essentiam suam Filio. nullam enim aliam potuit dare, qua Filius esset Deus, & simili ratione ambo eam dederunt Spiritui Sancto, non autem erat ista communicatio Patris Essentiæ, quia Essentia est simplex, & indiuisibilis; ergo totius Essentiæ: ergo tota eadem Essentia, quæ est in Patre, est in Filio, & Spiritu Sācto: & propter simplicitatem Diuinam, quælibet Persona est illa res, & tres Personæ, sunt illa res.

Quòd autem arguit de Euangelio, soluitur ibi. Nam Saluator intelligit in oratione sua, quòd scilicet illi fideles sint vnum, vnitate sibi proportionabili, sicut Pater, & Filius, sunt vnum, vnitate sibi proportionabili, hoc est, quòd sicut Pater & Filius sunt vnum, vnitate charitatis, quæ est natura eorum, ita fideles sint vnum, charitate participata. Et ista expositio probatur ibi, per simile dictum Saluatoris. Matt. 5. dicentis discipulis suis. *Estote perfecti, sicut & Pater vester cœlestis perfectus est*: vbi non monuit, quòd simus perfecti naturaliter ex nobis, sicut

A Pater ex se naturaliter est beatus, vel perfectus: sed vt essemus perfecti, perfectione nobis competente, scilicet, gratiæ, & virtutum.

Quantùm autem ad Primum Artic in quo Ioachim dicit Magistrum Petrum, esse hæreticum. Cõtradicit sibi Papa. Nos autem sacro approbante Concilio, credimus, & confitemur cum Petro, scilicet, quòd vna res est summa Essentia, vel natura Diuina, quæ nec generat nec generatur, & tamen non sequitur, quòd sit quaternitas; & quia illæ tres res, Pater & Filius, & Spiritus Sanctus, sunt illa vna res, quaternitas autem esse non posset; nisi esset quartum realiter à tribus distinctum.

Pro ista igitur Opinione Magistri, sic solẽniter approbata, adducitur talis ratio. Res generans, generat aliam rem, & realiter distinctam; quia *nulla res ipsam gignit vt sit*, 1. de Trinit. cap. 1. Essentia autem in Diuinis, est penitus indistincta; ergo nec generans nec genita, quia qua ratione generans, & genita.

B Ad hoc adducuntur rationes Magistri in litera. Quia Essentia referretur ad se, & distingueretur à se.

Tertia ratio est. Quia Pater est formaliter eo, quo generat: quia Pater est formaliter ipsa Essentia, quę est in Filio, propter indistinctionem ipsius Essentię: & si ipsam generaret, non esset formaliter ipsa Essentia, quia illa esset distincta realiter ab eo, & posterior origine.

Adducitur etiam alia ratio. Quia in creaturis forma nõ generatur, sed compositum: Deitas autem se habet quasi forma in Persona: ergo ipsa non generat, nec generatur. Ista ratio, minorem habet euidentiã hic, quàm in creaturis, quia ibi forma non est aliquid per se existens, vt possit esse operans, hìc autem Deitas, nõ cointelligendo proprietates personales, est de se ens in actu. Tamen confirmatur ratio sic. Quia operatio, quæ est necessariò distincti operantis, non potest esse eius, quod hìc est vt forma, quia ipsa est per se indistincta in tribus; talis autem operatio est personalis, quæ est generare. Hæc quantùm ad realitatem huius Quæstionis dicta sint.

C

ARTICVLVS SECVNDVS.

Quòd Essentia Diuina non generet nec generetur, probatur Logicè.

SEd loquendo de Logica ratione. Quare non potest esse vera hæc, Essentia generat, vt Essentia supponit ibi pro Persona, sicut ista est vera, Deus generat, quia Deus supponit pro Patre, & tamen Deus non distinguitur à se, nec Deus est formaliter is, qui generatur, licèt Deus generet Deum?

Respondeo. Quandocunque est subiectum abstractum vltimata abstractione, & prædicatum ex ratione sua non potest prædicari nisi formaliter, non potest propositio esse nisi sit per se primo modo subiectum hoc est abstractum vltima abstractione, & prædicatum hoc de ratione sua nõ est natum prędicari, nisi formaliter; ergo propositio non potest esse vera, nisi per se primo modo; sic autem non est vera hæc, quia prędicatum non est de per se intellectu subiecti: omne enim quod dicitur ad aliquid, est aliquid, præter relationem 7. de Trin. 2. c. ita quòd relatio non est intra conceptum absoluti.

D Huius Syllogismi maiorem declaro, sic. In substantijs, quamuis in eadẽ re simplici possint esse perfectiones multę substantiales, formaliter distinctæ, & ibi vna ratio formalis possit abstrahi ab alia, remanente adhuc concretione vtriusque formalitatis ad sua propria supposita, verbi gratia, licèt hęc sit vera, Substantia intellectiua est volitiua, vbi est prædicatio concretiua vnius perfectionis de altero; tamen hęc negatur, Intellectus est voluntas; qui a illa significant perfectiones illas vt abstractas à se inuicem, & secundùm proprias formalitates; tamen adhuc sic abstracta cõcernunt propria supposita, vt hic intellectus est intellectus, & hæc voluntas est voluntas.

Accipiendo tamen substantiam siue simplicem, siue compositam præcisè secundùm rationem suam formalem quidditatiuam, tantùm est abstractio à supposito propriæ naturæ, quia communiter non sunt natæ concernere aliquid alterius naturæ: ideò ibi ista abstractio est maxima; abstrahendo enim naturam humanam à suppositis; quæ sunt illius naturę, sicut abstrahitur cũ concipitur humanitas, non remanet vlteriùs abstractio alia; & ideo illud, vt sic conceptum præcisè, est ipsummet præcisè, quia cuilibet alij extraneum, sicut dicit Auic. 5. Metaph. quòd *equinitas est tantùm equinitas, & nihil aliud.* E

Sed in accidentibus quantò plura possunt concernere, tantò plures possunt fieri abstractiones; concernunt quidem accidentia supposita alterius naturæ: & licèt ab his abstrahantur, concernunt tamen indiuidua proprię naturæ; sicut album cõcernit lignum, & licèt ab hoc abstrahatur albedo, tamen adhuc concernit albedinem hanc, & illã, quæ sunt indiuidua sua: sed vlteriùs est abstractio quidditatis à supposito, qualis dicta est fieri in substantijs: & illam circumloquimur per hoc, quod dicimus, quidditas albedinis; & ista non concernit aliquod suppositum, nec eiusdem naturæ, nec alterius.

In relationibus etiam (quę plura cõcernunt) adhuc plures possunt esse abstractiones. Concernit enim relatio suũ proprium indiuiduum, fundamentum, & subiectum, & licèt abstrahatur à posteriori, non tamen à priori. Exemplum. Hoc concretum, quod est causa, dicitur de igne, qui causat calorem in ligno, vt de subiecto. Sed abstrahendo à subiecto, remanet adhuc concretio ad fundamentum, puta si dicatur potentia causandi, calor enim est potẽtia causandi calorem, non tamen ignis est potentia causandi illum. Adhuc potest fieri vlterior abstractio ad proprium genus, vt puta si dicatur causalitas, & tunc nec ignis, nec calor, recipit prędicationem istius, tñ adhuc hęc causalitas est causalitas. Vltima abstractio, qualis est in substantijs, est per hoc, quod dicimus, quidditas causalitatis, & hæc de nullo prædicatur alio. Ex istis narratis, apparet quę sit vltima abstractio, quia quidditatis absolutissimè sumptæ, ab omni eo quod est quocunque modo extra rationem quidditatis. F

Circa alium terminum Maioris, scilicet quòd prædicatum de quocunque dicitur de necessitate, formaliter prędicatur. Notandum est quòd substantiua possunt dupliciter prędicari in Diuinis, quandoque formaliter, quandoque per identitatem: sed adiectiua si prędicantur de necessitate, formaliter prędicantur, & hoc quia sunt adiectiua, tamẽ ex hoc quòd sunt adiectiua, significant formam per modum informantis, & ideo de nullo dicuntur verè, nisi ad quod se habent per modum informãtis, de quo videlicet formaliter dicuntur: talia sunt non tantùm nomina adiectiua, sed omnia participia, & verba. G

His intellectis patet illa Maior assumpta. Quando aliquid est abstractũ vltimata abstractione, ita quòd est abstractum ab omni eo, quod est extra rationem eius; & prędicatum eius, non prædicatur de aliquo, nisi formaliter, non est vnio vera talium extremorum, nisi sit formalis, & per se primo modo; quia istud prædicatum præcisè natum est prædicari formaliter, ideo nõ potest saluari veritas per identitatem tãtùm: & quia subiectum est summa abstractione abstractum, non potest stare pro aliquo qualitercunque alio à se, sed præcisè pro se formaliter: & ideo oporteret quòd sua ratio præcisa formalis, esset idem illi prędicato, quod nõ posset esse, nisi ista ratio pręcisa includeret illud prædicatum. Patet igitur illa Maior. H

Patet etiam illa Minor, quòd talia sunt ista extrema, Essentia generat, vel Deitas generat; quia Deitas est abstractum vltimata abstractione, generat autem est verbum, ideo non potest prædicari nisi formaliter: non sic autem abstrahitur vltimata abstractione hoc nomen, Deus, & ideo potest supponere pro Persona, vt cùm dicitur, Deus creat, Deus generat.

Argumenta in principio Quæstionis proposita, resoluuntur.

AD Argumenta in oppositum.

Ad Primam auctoritatem Aug. respondeo. Quòd sapientia licèt abstrahatur à sapiente, quod est operans, tamen adhuc significat potentiam operatiuam, vel principium

A cipiũ operatiuum, & ideo non abſtrahitur ſumma abſtra-
ctione, quia potẽtia operatiua aliquomodo concernit ali-
quid, & propter talem concretionem aliqualem, aliquali-
ter conceditur, quòd ſapientia eſt nata, nullo autem mo-
do, quòd Eſſentia ſit nata. Quòd autem Auguſt. dicit
aliquando, Filium eſſe Eſſentiam de Eſſentia, hoc ex-
ponetur in ſeq. quæſt. quòd hoc non probat Eſſentiam
eſſe genitam, vel generantem, ſed eſſe illud de quo Filius
generetur.

Ad dictum Ricar. Si intendit reprehendere Magiſtrum
ibi, ſicut ex verbis eius apparet, cùm doctrina Magiſtri, &
præcipuè iſta, auctenticetur per Cõcilium generale in cap.
prçallegato, nego Ricardũ, tenendo Magiſtrum. Et quòd
dicit, Magiſtrum adducere multas auctoritates contra ſe,
Magiſter benè exponit eas, ſicut patebit in ſeq. quæſt. nul-
lam autem habet pro ſe auctoritatẽ, ſed habet illam vni-
uerſalis Eccleſiæ cap. præallegato, quæ maxima eſt, quia
dicit Aug. in libello contra epiſtolam fundamenti. *Euan-*
B *gelio non crederem, niſi Eccleſiæ Catholicę crederem*: quæ
Eccleſia ſicut determinauit, qui libri habendi ſunt in Ca-
none Bibliæ, ita etiam determinat, qui libri habendi ſunt
auctentici in libris Doctorum, ſicut patet in Canone, &
poſt iſtam auctoritatem Canonis non inuenitur in cor-
pore Iuris, ſcriptum aliquod ita auctẽticum, ſicut ſcriptum
Magiſtri, præallegato cap.

Ad rationem illam, de communicare. Dico, quòd pro-
ductio habet productum pro termino ſuo primo; & dico
hìc primum terminum, terminũ adæquatum: & hoc mo-
do dicit Phil. 7. Met. t. 26. 27. & 32. quòd compoſitum pri-
mò generatur, quia eſt quod primò habet eſſe per produ-
ctionem, hoc eſt adæquatè in compoſito, tamen forma eſt
formalis terminus generationis, non autem terminus per
accidens, ſicut apparet per Phil. 2. Phyſ. t. 24. vbi probat
formam eſſe naturam, per hoc, quòd generatio eſt natu-
ralis, quia eſt via in naturam; eſt autem via in formam; er-
go &c. Quæ ratio nulla eſſet, ſi forma eſſet tantùm termi-
nus per accidens generationis. Et in eodem etiam vult,
C quòd forma & finis coincidunt in idem; quod non eſt ve-
rum de fine geniti, ſed generationis; ergo terminus for-
malis generationis, verè eſt ipſa forma.

Ipſum igitur generãs vnam habet habitudinem ad pri-
mum terminum, qui dicitur productus, ſiue genitus, &
aliam habitudinem habet ad formalem terminum; & in
creaturis vtraque habitudo eſt realis, quia vtraque habi-
tudo habet terminos realiter diſtinctos, & realis depen-
dentia eſt vtriuſque producti ad ipſum producens. In pro-
poſito autem, producens ad primum productum, habet
relationem realem, quia diſtinctionem realem, & realem
originem; ad terminum autem formalẽ in producto, non
habet relationem realem, quia nõ diſtinctionem realem,
ſine qua non eſt relatio realis. Producere igitur, in Diui-
nis, dicit relationem realem, communicare autem dicit re-
lationem originis, & quaſi rationis, concomitantem illam
realem. Cùm igitur dicitur, quòd iſtæ ſunt relationes op-
D poſitæ, ſcilicet communicare & communicari. Dico, quòd
ſunt relationes rationis oppoſitæ, ſecundùm proprias ra-
tiones ſuas, licèt neceſſariò concomitentur aliquas rela-
tiones reales oppoſitas, ſcilicet, producere & produci, ſed
iſtæ relationes & illæ, non ſunt eorundem relatorum
formaliter.

Per idem ad Secundum dico: quòd nullum extremum
vnius correlationis eſt idem formaliter cum extremo al-
terius correlationis; communicans enim & producens, li-
cèt concurrant in eodem ſuppoſito, quia natura non dici-
tur propriè communicans ſe, ſicut dicitur communicata,
tamen communicans non dicit formaliter eandem rela-
tionem, quam dicit producens vt producens: communica-
ri autem & produci, nec eandem dicunt relationem, nec
idem primò denominant.

Ad Argumenta Logica.

Cùm Primò arguitur de prędicatione per ſe. Dico, quòd
Eſſentia non prædicatur per ſe primo modo de Patre, ne-
que formaliter. Cùm probas. Quia non per accidens. Di-
co, quòd (ſicut in creaturis) non omnis prædicatio eſt per
ſe vel per accidens, accipiendo accidens propriè, vt quando
accidens prædicatur de ſubiecto; non enim genus per ſe E
prædicatur de differentia, nec ſic per accidens, quia neutrũ
neutri accidit, nec ambo tertio, ſed eſt ibi medium extra-
neum, ſiue inferius contrahens aliud; quod inferius po-
teſt dici accidens ſuperiori, id eſt extraneum, ſed non pro-
priè accidens. In Diuinis autem non omnia ſunt per ſe
eadem, id eſt formaliter: nec tamen eſt aliquid idem alicui
per accidens propriè, ſed aliquid eſt idem alicui, abſoluta
idẽtitate, abſque formali idẽtitate, & ita eſt in propoſito.

Ad aliud. Dico, quòd iſta, Eſſentia eſt Pater, poteſt di-
ſtingui: quia Pater, poteſt ſumi adiectiuè, vel ſubſtantiuè:
ſecundo modo, ſignificat Perſonam, cuius eſt paternitas;
& concedo eam eſſe veram per identitatem, quia ſubſtan-
tiuum poteſt prædicari de aliquo per identitatem: primo
modo, ſignificat ipſam proprietatem denominatiuè: &
hoc modo exponit Magiſter diſt. 27. quia idem eſt Patrem
eſſe, & genuiſſe; & hoc modo iſta eſt falſa, Eſſentia eſt Pa-
ter; quia ſignificat Patrem formaliter prædicari de Eſſen-
tia. Quando igitur arguis de ſubiecto & paſſione. Dico,
quòd quando paſſio poteſt prædicari prędicatione eiuſdẽ F
rationis cum illa, qua prędicatur ſubiectum, vel quando
habet ſimilem modum prædicandi, poteſt ex ſubiecto in-
ferri paſſio, quando non, non; hoc ſubiectum, ſi ſit ſub-
ſtantiuum, poteſt prædicari per identitatem, paſſio autem
ſi eſt paſſio, non poteſt, ſed tantùm formaliter, quia eſt
adiectiuum.

Ad aliud. Eſſentia eſt Pater Filij. Quidam doctor (*Henr.
1. par. ſum. quæſt. 22. memb. 3. art. 1. reſponſ. ad 1. argum.*) re-
petit Opiniones aliorum. Primam Magiſtri Alexandri,
qui diſtinguit iſtam, Eſſentia eſt Pater Filij, ſicut iam di-
ſtincta eſt illa præcedens, ſcilicet, Eſſentia eſt Pater, quòd
Pater poteſt ſumi adiectiuè, vel ſubſtantiuè: primo modo,
dicit ipſam eſſe falſam, & conſequentiam non valere: ſe-
cundo modo, veram. Aliam Magiſtri Prępoſitiui qui dicit
eam ſimpliciter eſſe veram: ad quod habet duas rationes.
Vnam, per conuerſionem. Quia ſi conuertens eſt vera,
conuerſa erit ſimiliter vera; ſed hæc eſt vera, Pater Filij eſt
Eſſentia; ergo Eſſentia eſt Pater Filij. Aliam habet ratio-
G nem. Quia hæc eſt ſimpliciter vera, Eſſentia eſt Pater; aut
igitur alicuius, aut nullius? ſi nullius; ergo omninò non
eſt Pater: ſi alicuius; & non niſi Filij; ergo Eſſentia eſt
Pater Filij.

Contra Magiſtrum Alexandrum arguit ſic, & probat
quòd ly, Pater, tantùm tenetur adiectiuè. Quoniam no-
mina quæ imponuntur à potentia actiua & paſſiua, vt
ſunt magiſter & diſcipulus, pater & filius, ædificator &c.
ſumuntur tantùm in ſignificatione adiectiua, & hoc in re-
ſpectu, quem habẽt ad aliud, quod reſpicit potentia, à qua
imponuntur; ſed quandocunque aliquid habet rationem
adiacentis, vel adiectiui, ex reſpectu ad aliud, quantò ma-
gis eſt determinatus eius reſpectus, tantò magis habet ra-
tionem adiacentis, vel adiectiui, & tantò minùs, quantò
magis eſt indeterminatus; ſicut patet de reſpectu modi
infinitiui, quem Grammatici dicunt poſſe ſupponere ma-
gis quàm alios, quia illi dicunt finitam inclinationem ad
ſuppoſitum, ille verò infinitam inclinationem ad ſuppoſi-
H tum: Infinitiuus autem & adiectiuum in neutro genere
potiùs ſubſtantiuantur, quàm in genere maſculino, vel fę-
minino; ergo cùm ly, Pater Filij, habeat finitam, & expreſ-
ſam habitudinem, non ſic autem cùm per ſe ponitur, ly
Pater, ideo licèt poſſet teneri ſubſtantiuè, dicendo Eſſen-
tia eſt Pater, non tamen niſi adiectiuè, dicendo Eſſentia
eſt Pater Filij. Et ſic ſimpliciter iſta eſt falſa, Eſſentia eſt
Pater Filij.

Et ſi obijciatur. Eſſentia eſt Pater, & non eſt Pater niſi
Filij; ergo eſt Pater Filij, aut non eſt Pater. Reſpondeo.
Quòd eſt fallacia figuræ dictionis; quia in prima propoſi-
tione, Pater per ſe ſupponit pro tota Perſona, in ſecunda
autem, cùm dicitur, quòd eſt Pater Filij, copulat proprie-
tatem tantùm circa ſubiectum.

Patet etiam quòd non valet argumẽtum primum Præ-
poſitiui. Pater Filij eſt Eſſentia; ergo Eſſentia eſt Pater
Filij, per conuerſionem; quia debet ſic conuerti; ergo ali-
quid quod eſt Eſſentia, eſt Pater Filij. Sicut iſta. Indiui-
duum eſt homo: non ſic conuertitur, ergo homo eſt indi-
uiduum,

A uiduum: sed sequitur, ergo aliquid quod est homo, est indiuiduum.

Similiter secunda ratio non valet. Cùm arguitur, Essentia est Pater: aut igitur alicuius, aut nullius. Dicendū: quòd nō sequitur, propter fallaciam figuræ dictionis: quia statim cùm additur, alicuius, vel nullius, aliter copulat, quàm priùs supponebat. Et dicendum est, quòd nullius est Pater, id est, non alicuius est Pater. Et non sequitur ex hoc, quòd non sit Pater, propter figuram dictionis, sed sequitur tantùm, ergo non conuenit ei proprietas Paternitatis.

Ideo respondet tertio modo. Quòd hæc est simpliciter falsa, Essentia est Pater Filij: quia ly Pater, tantùm tenetur adiectiuè, propter rationem præmissam.

Contra modum eius dicendi arguo sic. Quod includitur essentialiter in conceptu alicuius, sicut pars conceptus, non potest ab eo excludi, sub quocunque modo concipiatur: si enim sub aliquo modo concipiatur, & illud excludatur, tunc ille modus repugnat rationi cōceptus qui concipitur; cùm ergo in conceptu relatiui, ex hoc quòd conceptus relatiuus, non vt hoc modo conceptus, vel illo, necessariò includatur correlatiuum, vt terminus eius, quia non potest esse nec intelligi sine eo, sicut nec sine termino, hoc est enim esse eius; ergo quocunque modo concipiatur, siue adiectiuè, siue substantiuè, semper includeretur correlatiuum vt terminus, & ita nullo modo potest intelligi vt absolutum. B

Item. Tunc ista esset incongrua, Pater Filij est Essentia, quia adiectiuum non substantiuatum, non supponit congruè pro subiecto, nisi in subiecto sit determinatio: ibi autē in subiecto determinatur Pater per Filium, ad quem habet determinatum respectum; ergo &c.

Ideo teneo Opinionem Alexandri, distinguendo, (sicut ipse distinguit) quòd substantiuè est vera, adiectiuè falsa.

Ad rationes Præpositiui. Dico; quòd conuersa est vera substantiuè, adiectiuè incongrua, quia masculinum non potest substantiuari.

C Ad Secundū eius rationem. Dico quòd Essentia est Pater; igitur alicuius; & concedo quòd est Filij. Sed cùm arguitur in ratione principali. Si Essentia est Pater Filij; ergo Filius est Filius Essentiæ. Nego consequentiam. Cùm probatur per illam consequentiam mutuam in relatiuis. Dico, quòd illa consequentia mutua tenet in illis relatiuis, quæ sunt primò relatiua, tenet etiam in his quæ referūtur per relationes, si tamen dicantur formaliter relationes de eis, sicut si formaliter Sortes est pater Platonis, è conuersò formaliter Plato est filius Sortis. In his tamen quę non referuntur primò, nec etiā denominantur formaliter ab ipsis relationibus, sed relatio prędicatur de altero eorum per identitatem, non valet consequentia, sed est consequentia à positione consequentis; quia ibi in consequente plùs significatur, quàm in antecedente: in antecedente enim notatur identitas relationis ad aliquid, de qua dicitur, sed in cōsequente significatur illud aliud referri ad illud formaliter. Cùm enim dicitur, Filius est Filius Essentiæ. Ex vi constructionis, significatur Essentiam esse proprium correlatiuum eius, quod est Filius, & ita Filium esse formaliter Filium Essentię; antecedens autem non significat relationem Paternitatis formaliter conuenire Essentiæ, sed tantùm per identitatem. D

Ad Vltimum. Dico. Cum accipis genitum inquantum genitum est aliquid. Nego. Et cùm dicis. Non est nihil Dico. (vt sæpe prędictum est) quòd inter contradictoria est medium, cum ly inquantum, ita quòd neutrum inest cum inquantum, sicut nec homo inquantum homo est albus, neque inquantū homo est non albus, non tamen sunt duo contradictoria complexa simul falsa: ista enim contradictoria est vera, homo non inquantum homo est albus; ita hìc, genitum non inquantum genitum est aliquid, quia ratio gignitionis non est formalis ratio inhærentiæ prædicati: ita scilicet quòd ly inquantum, dicat rationem formalem geniti, licèt genitum in se formaliter sumptum, sit per identitatem Essentia.

Quid igitur dicetur de genito inquantum genitum? Potest concedi, quòd genitum inquantum genitum, est Persona, vel subsistens, Sed non sequitur vlteriùs. Ergo inquantum genitum est aliquid: accipiendo aliquid pro Essentia, propter non identitatem formalem, rationis personalis cum Essentia. E

QVÆSTIO SECVNDA.

Vtrum Filius generetur de substantia Patris?



Secundò quæro de Secunda parte Dist. Vtrum Filius generetur de substantia Patris.

Quòd non. Quia 1. de Trin. cap. 6. & 12. *Tres Personas ex eadem Essentia non dicimus*; substantia autē videtur vniformiter se habere ad quamlibet Personam; ergo nulla Persona est de alterius substantia.

Item. Constructio alicuius cum suo genitiuo, non notat maiorem distinctionem constructibilium, quàm præpositio cum suo casuali, quando additur eidem constructibili; ergo non maior distinctio notatur hìc, Filius Essentiæ Patris, quàm Filius de Essentia Patris; sed non conceditur, quòd sit Filius Essentiæ Patris, quia tunc Essentia generaret Filium; ergo. F

Item. Cùm dicitur, Filius est de substantia Patris; aut ly, de, notat distinctionem, aut non: si sic; propositio falsa est, quia Essentia nō distinguitur realiter à Filio: si non; igitur hæc est vera, Pater est Essentia Filij, vel de Essentia Patris: quod non conceditur.

Oppositum 15. de Trin. c. 19. Aug. tractans illud ad Colos. *Transtulit nos in regnum Filij charitatis suę*. Quod dictum est (ait) Filij charitatis suæ, nihil aliud est, quàm Filij substantiæ suæ; ergo est de substantia Patris.

Præterea ad hoc est auctoritas Aug. contra Maximum, & ponitur in litera. *Nullo modo verum Filium Dei cogitatis, si hunc de substantia Patris esse negatis*.

Item. Filius in creaturis non est, nisi gignatur de substantia patris, ideo in inanimatis non est paternitas, nec filiatio, quia generatū est de materia aliena; sicut ignis generat ignem de materia aëris; ergo nō est vera filiatio, nisi vbi vera substantia patris, vel aliquid de substantia patris, est materia respectu filij; sed Filius in Diuinis est verè Filius Patris; ergo de substantia Patris est, tanquam de materia. G

ARTICVLVS PRIMVS.

Recitatur Opinio, affirmans Filium esse de Essentia Patris, quasi de materia.

IN ista Quæstione dicitur (*ab Henr. sum. art. 54. q. 3. & quol. 8. q. 9.. Et Ocam similiter hìc.*) Quòd sicut in substātia creata generabili aliquid est potentiale quod supponitur generationi, vt matereria, & aliquid inductum per generationem, vt forma, & ex eis productum, quod est genitum; ita correspondent proportionaliter quasi tria in Diuinis consimilia: Persona quippe est quasi compositum, & relatio, quasi forma, Essentia quasi materia. Est igitur Filius genitus de substantia atris, sicut quasi de materia. H

Istud probatur per rationem Aug. contra Maximum, quæ ponitur in litera. Filius enim nullo modo est de nihilo; neque negatiuè, vt aliquis dicitur loqui de nihilo, quādo non loquitur; neque affirmando ly, de nihilo, vt ly, de, sit nota materialitatis, vel quasi materialitatis; quia nihil, non potest esse materia alicuius; neque affirmando ly, de, originaliter, siue ordinaliter id est post nihil. Quos tres modos intelligendi aliquid esse de nihilo, ponit Ansel. monologion cap. 8. Si nullo modo Filius est de nihilo; ergo de aliquo: ergo cùm non de alio, quàm de substantia Patris, patet, quod est de substantia Patris.

Et si respōdeatur (sicut videtur Magister respondere in litera) quòd est de substantia Patris, id est de Patre, qui est substantia. Arguitur quòd ista expositio non sit sufficiēs. Quia tantùm exponit de, vt notet rationem principij originantis, vel efficientis. Et posito quòd hoc modo sit de Patre, adhuc restat quæstio, vtrum de aliquo, vel de nihilo, sicut de materia, vel de quasi materia; & cùm non sit

de

A de nihilo sic, quia hoc modo creatura est de nihilo; ergo de aliquo:& stat argumentum.

Ad hoc etiam adducitur auctoritas Aug.7.de Trinit.c.8.& 4. Quòd *Filius est sapientia genita, vel nata.*

Si arguitur cōtra istam positionem. Quòd actus purus non potest esse quasi materia respectu generationis, quia nullo modo est in potentia.

Præterea per rationem Magistri. Cùm sit vna Essentia trium Personarum, generaretur Filius de Essentia trium.

Respondent ad Primum. Distinguendo: quòd aliquid est in potētia ad aliquid, duobus modis: vno modo ad aliquid, quod est absolutum, & differt ab ipso re, vel intentione, & vadit de potentia ad actum, per motum & per trāsmutationem rei, vel rationis: Alio modo aliquid est in potentia ad aliquid, quod est rationis tantùm, & differt ab ipso sola ratione, nunquam vadens per transmutationem quamcunque de potentia ad actum, sed semper naturaliter est coniunctum actui. Primo modo, in creatutis materia est in potentia ad formam, tanquam ad differens re ab
B ipsa, & transiens de potentia in actum per realem transmutationē; & similiter forma generis est in potētia ad formam differentiæ, tanquam ad aliquid differens ratione, vel intentione ab ipsa, & transiens de potentia ad actum per transmutationem rationis. Nullo tali modo Diuina Essentia est in potentia ad aliquid. Et de ista potentia habet veritatem medium in argumento, quia illa repugnat actui puro: non sic est de potentia secundo modo; quia de natura formæ Diuinæ inquantum est actus purus, est ēt quòd sit secundo modo in potentia ad plures respectus.

Breuiter igitur productio Diuina summè differt à productione naturali; quia in ista itūr per transmutationem ad perfectionem, & ibi distat potentia ab actu; in ista autem nequaquam. Differt etiā ista specialiter à productione naturali, quæ est generatio: quia illa est de imperfecto substantialiter, ista verò est de perfecta substantia, in quo plùs conuenit cum productione, quæ est alteratio; quia in illa subiectum, quod est in potentia secundùm quid, est
C aliquid existens in actu, sed differt in hoc, quia subiectum in alteratione est in potentia ad aliquid reale absolutum, realiter differēs ad ipso; in productione autem Diuina nequaquam: & in hoc Diuina productio conuenit plùs cum productione speciei ex genere; sed differt, quia in hac productione genus est sicut subiectum & materia, & est in potentia ad aliquid absolutum, vt ad differentiam, quę tamen sola intentione differt ab ipso; hic autem subiectum est in potentia ad aliquid respectiuum, quod differt ab ipso sola ratione. Et ita licèt ista productio speciei ex genere, sit magis similis Diuinæ, quàm alia, in multis tamen differt; quia productio speciei ex genere procedit ab esse incompleto ad esse completum, assumendo complementi determinationem per differentiam, vt secundùm aliud & aliud reale descendat in aliam, & aliam speciē, & erit tantùm genus vnum commune secundùm rationem: in productione autem Diuina, subiectum nō est aliquid incompletum, determinatum per assumptam proprietatem, sed vnum, & idem re singulare, totaliter habet esse per productionem
D ctionem in diuersis proprietatibus relatiuis, quod est commune non secundùm rationem, sed secundùm communicationem.

Ad Secundum. Dicitur, quòd non est de substantia inquantum est trium, sed vt est Patris substantia.

Huic Opinioni additur ab alijs, (*Gotfr. quol.9.*) Quòd Essentia Diuina dicitur generari subiectiuè: quod enim subijcitur generationi potest dici subiectiuè generari per Philosophum 5.Phys.t.8. vbi arguit, quòd generatio non est motus: per hoc argumentum. Quòd mouetur est; quod generatur non est; ergo quod generatur non mouetur: accipit autem quod mouetur, pro subiecto motus, non pro termino; si enim acciperet, quod generatur, pro termino generationis, non pro subiecto, argumētum non valeret; quia dum motus est, terminus motus non est; ergo oportet quòd accipiat ibi, quod generatur, pro eo, quod subijcitur generationi. Idem probatur per commentatorem ibidem, com.8.& 9.

Pro ista Opinione adducuntur rationes tales. Illud verè dicitur generari subiectiuè, siue esse subiectum generationis, quod manet idem sub vtroque termino generationis; Essentia autem Diuina, manet eadem in Patre, & Filio; ergo ipsa erit verè subiectum ipsius.

Confirmatur ratio. Quia in eodē est terminus, & transmutatio, sicut dispositio, & forma ad quam disponit; ergo cùm in Essentia sit relatio, quæ est quasi terminus generationis, in ipsa etiam erit ipsa generatio.

Præterea. Omni potentiæ actiuæ, correspondet aliqua potentia passiua; ergo fæcunditati Patris quasi actiuæ, correspondet aliqua potentia quasi passiua, de qua potest producere.

Vltimò arguitur sic. Si ignis generaret ignem, de substantia sua, adhuc substantia ignis generantis, ita esset in potentia ad formam ignis generandi, sicut modò est materia aliena, de qua generatur: sic igitur in proposito, Essentia Patris, de qua Pater generat, erit quasi materia respectu generationis.

F

ARTICVLVS SECVNDVS.

Confutatur supradicta Opinio.

Contra istam Opinionem arguo. Primò sic. Essentia est formalis terminus productionis; igitur non quasi materia. Probatio antecedentis. Ioan.10. *Pater quod dedit mihi, maius est omnibus*: maius autem omnibus non est, nisi aliquid infinitum; hoc non est nisi Essentia; ergo illam dedit. Hoc ēt vult Aug.15.de Trin.c.26. *Sicut Filio*, inquit, *prestat Essentiam, sine initio temporis, sine vlla mutabilitate naturę, de Patre generatio, ita Spiritui Sancto pręstat Essentiam sine vllo initio temporis, sine vlla mutabilitate naturę, de vtroque processio*: non autem conceditur, formam aliquam dari producto, siue communicari, vel præstari per generationem, nisi illa forma communicata sit formalis terminus talis productionis.

Probatur etiam illud antecedens per rationem. Primò. Quia nulla entitas formaliter infinita, simpliciter perfectior termino formali productionis, habetur per productionem; Essentia est formaliter infinita, relatio aūt non; ergo si relatio esset formalis terminus productionis, Persona non haberet Essentiam, per productionem. G

Secundò. Quia in creaturis natura est terminus, formalis generationis, nō autem proprietas indiuidualis vel hypostatica, sicut patet 2. Phys.t.14. vbi dicitur, quòd generatio est naturalis, quia est via in naturam, scilicet in formam; natura igitur, siue Essentia, est per se terminus generationis, & non nisi terminus formalis.

Tertiò. Quia aliàs ista generatio non eset vniuoca; quia ratio formalis termini eius nō esset ratio conuenientiæ generantis cum genito; consequens est inconueniens, sicut tangetur dist.7.

Similiter. Aliàs non esset ista productio generatio, sed magis eset mutatio ad relationem; quia productio ponitur in genere, vel in specie, ex suo termino formali, sicut patet ex 5.Phys.t.4. sicut alteratio ponitur in genere Qualitatis, quia ibi est forma accidentalis, quę est formalis terminus alterationis; ergo si formalis terminus huius productionis esset relatio, ista productio poneretur in genere Relationis, & non eset generatio. H

Probo consequentiam primi Enthymematis. Primò. Quia illud quod est materia in generatione, est in potētia ad terminum formalem; & quod est quasi materia, est quasi in potentia; Essentia nec verè, nec quasi, est in potentia ad seipsam; ergo &c.

Similiter probatur eadem consequentia. Quia vna Persona tantùm vno modo habendi habet Essentiam, saltem istis duobus non habet eam, scilicet, vt terminum formalem productionis, & cum hoc, vt quasi materiam, & subiectum generationis. Probatio istius. Quia si haberet eā ex vi productionis, vt terminum formalem, haberet eam circumscripto omni alio modo; ergo non habet eam, vt quasi materiam subiectam generationi, non enim haberet Deitatem aliquo modo, quo circumscripto haberet eam perfectè, vt esset verus Deus.

Videtur

A Videtur etiam sequi, quòd haberet bis Essentiam, & per consequens quòd sit bis Deus: quia habere Essentiam, est esse Deũ: & quòd habeat priùs eam naturaliter, quàm habet eam, si ratio quasi materiæ, præcedit aliquomodo rationem formalem termini generationis.

Item Secundò. Essentiæ vt de ea generatur Filius, necesse est assignare aliquod esse, quia principiare aliquod verum Ens in quocunque genere principij, non conuenit alicui, nisi realiter Enti. Quæro. Quòd esse conuenit Essentiæ, vt ipsa est de quo per impressionem generatur Filius? Aut præcisè esse ad se esse, scilicet, quòd est Essentiæ vt Essentia, & tunc Filius, est de Essentia, vt Essentia; & hoc modo est trium Personarum; aut vt conuenit sibi esse in aliqua subsistentia: & tunc quæro. In qua? aut in ingenita; & sic cùm in intellectu eius, quod est esse, de quo aliquid producitur, includatur hoc, quod est esse illud in quo forma inducitur; & in intellectu eius quod est esse, in quo includatur habere illud, quod est in eo; & per consequens esse formaliter per ipsum; ergo si Essentia vt est in Patre, B sit de qua Filius generatur, & per impressionem secũdùm eos; sequitur quòd ipsa, vt in Patre, erit illud, in quo notitia genita imprimitur, & ita Essentia vt in Patre, erit formaliter verbum, siue nascens notitia genita; quod est inconueniens. Si autem Essentia, vt in alia subsistẽtia à Patre est, de qua generatur Filius, & inquantum est de qua, præcedit aliquomodo terminum generationis; ergo ante terminum generationis, sunt duæ subsistentiæ: quod est inconueniens.

Si autem dicas. Vt est de qua generatur Filius, nullam habet existentiam in Persona, sicut & materia inquantum est de qua generatur genitum, non habet esse in aliquo supposito, sed tantùm habet esse in potentia, in supposito generando. Hoc nihil est. Quia (vt dictum est) principianti realiter aliquod Ens in quocumque genere principij oportet tribuere aliquod reale esse; & ideo materiæ, vt principiat compositum, licèt sibi nõ competat esse compositi, quod est eius participatiuè, tamen conuenit sibi esse suum proprium, quod esse est priùs naturaliter, quàm C sit pars compositi: ita igitur hic, oportet Essentiæ inquantum est de qua generatur Filius, dare esse, vel in supposito, vel esse essentiæ secundùm se: & sic stat argumentum.

Si dicatur aliter. Quòd inquãtum est Patris, est illud de quo generatur Filius, & tñ per generationem, inquantum quasi actu informatur notitia genita, est actu alterius suppositi. Hoc improbatum est in argumento. Quia in intellectu eius, quod est esse de quo, per impressionem includitur esse in quo, & ita esse formaliter tale, secundũ impressum illud. Similiter, tunc communicatio Essentiæ alteri supposito, præcederet secundùm intellectum productionem, ita quòd communicatio non fieret per productionẽ, sed fieret quasi ante terminum productionis; sicut illud, quod est quasi materia generationis, præintelligitur aliquomodo ipsi termino. Similiter, licèt aliquid, quod non est de se alicuius suppositi in actu, per generationem fiat actu alicuius suppositi, sicut materia quæ non est alicuius suppositi, fit per generationem aliquid suppositi, tamen quòd illud quod est vnius suppositi, fiat alterius suppositi, D præcisè per hoc quod est materia, videtur impossibile absque actione, quæ fit ad ipsum.

Preterea Tertiò. Quando ad productionem effectus, concurrunt actiuum & passiuum, prior est naturaliter respectus actiui ad passiuum, quàm vtriusq; ad productum. Probatio huius. Quia oportet causas diuersas eiusdẽ, priùs naturaliter approximari ad inuicem quàm producant effectum. Et patet per exemplum de igne calefactiuo, & ligno calefactibili, & calore genito.

Item. Isti respectus actiui ad passiuum, & eiusdem producentis ad productum, non omninò ex æquo conueniunt actiuo, nec ille respectus ad productum est prior; ergo est posterior. Antecedens huius Enthymematis, quantùm ad vtramque partem simul probatur. Quia actiuum agit in passiuum se solo, in ratione causæ, nec producit productũ, nisi alio concurrente, in ratione concausantis.

Et si omnino neges prioritatem respectus ad respectũ, non potes negare quin necessariò sit respectus actiui ad passiuum, nõ posterior respectu vtriusque ad productum. E Igitur sit in Patre est fœcunditas actiua, & aliquid quasi materia concurrens ad productum, prior est respectus Patris vt productiui, ad illud quasi materiam, quã sit vtriusque eorum ad Filium, aut saltem erit necessariò concomitans. Et, ex hoc vltra, cũ res non præexigat naturaliter, nec necessariò simul requirat illud, quod est præcisè Ens rationis, sequitur quòd ista relatio quæ naturaliter præexigitur, quasi actiui ad passiuum, sit realis: & ita in Patre erit relatio realis prior relatione eius ad Filium, vel saltem alia ab illa: quod videtur inconueniens.

Item Quartò ad principale. Potentia prima causatiua, effectiua se sola, effectiuè causat excludẽdo omnem aliam causam eiusdẽ generis, & alterius generis in ratione causæ materialis. Et ratio est. Quia causalitas causæ materialis, non dicit perfectionem simpliciter, & ideo licèt reductio fiat ad aliquod primum in illo genere, illud tamen nõ est simpliciter primum, sed totum illud genus reducitur ad aliquod primum in alio genere, quod non includit imperfectionem, puta ad aliquid in genere efficientis. Patet etiã F hoc antecedens per hoc, quòd potentia creatiua, per se, sine alio principio materiali, producit productum. Ex hoc infertur à simili, quòd productiua potentia prima, seipsa sola producit, & sine alio principio productiuo cõcurrente, & ita sine aliquo quasi materia: similis enim ratio videtur de principio productiuo, & creatiuo; qui si poneretur aliquod principium quasi materiale, non esset inquantum tale est, summæ perfectionis; & ita videtur reducendum in ratione principij, ad principium productiuum actiuè.

Item Quintò. Secundùm Aug. contra Maximinũ lib. 3. cap 15. *Spiritus Sanctus non est de nihilo, sed inde est vnde procedit*: igitur ita concedit Spiritum Sanctum non esse de nihilo, sed de substantia Patris, & Filij, sicut concedit Filium esse de substantia Patris: & simili modo relatio Spiritus Sancti est in Deitate, sicut relatio Filij; sed Essentia non se habet respectu relationis Spiritus Sancti, quasi materia receptiua eius, vt videtur secundùm istam Opinionem, (*Henr. quol. 6. q. 1.*) quia ponit Verbum generari, G per impressionem in illud, de quo gignitur; Spiritum Sanctum autem quasi per expressionem, vel ex sufflatione sui, de voluntate formata, de qua producitur; quod enim producitur per expulsionem de aliquo, nõ habet illud de quo, pro materia, in productione sui; quia omnis materia cuiuscunque productionis, & producti, est in qua recipitur forma producti, quod non est in expulsione de illo; igitur Spiritus Sanctus non est de nihilo, nec tamen de aliquo, sicut de quasi materia suæ productionis; igitur propter hoc, quod est Filium non esse de nihilo, vel relationẽ eius fundari in Essentia, non oportet Essentiam, vt est de qua Filius generatur, esse quasi materiam, respectu generationis Filij.

ARTICVLVS TERTIVS.

Declaratur quomodo Filius est de substantia Patris, non tamen quasi de materia. H

IDeo tenendo cum Doctoribus antiquis, qui omnes à tempore Augustini vsque ad istud, non sunt ausi in Diuinis nominare materiam, nec quasi materiam, cùm tamen omnes concorditer dicant cum Aug. quòd Filius generatur de substantia Patris.

Dico Primò. Quod Filius nõ generatur de Essentia Patris, sicut de materia, vel quasi materia.

Secundò. Quòd sine glosa, verè & propriè, Filius est de substantia Patris.

Primum declarari potest, sic. Generatio in creaturis duo dicit, productionem, & mutationem: istorũ rationes formales aliæ sunt, & sine contradictione separabiles ab inuicem; productio autẽ formaliter est ipsius producti, quod est compositum, 7. Metaph. t. 26. & accidit sibi quòd fiat cum mutatione alicuius partis compositi: mutatio formaliter est actus mutabilis, quod quidẽ de priuatione transit ad formam; concomitatur autem mutatio productionem in crea-

A in creaturis, propter imperfectionem potentiæ productiuæ, quæ non potest dare esse totale termino productionis, sed aliquid eius præsuppositum transmutat ad aliam partem ipsius, & sic producit compositum; si enim generans creatum esset perfectum agens, & nō exigeret materiā de qua, vel in quā ageret, sed posset producere effectum per se, & ex se, tunc esset productio sine mutatione: igitur sine contradictione separari, & realiter separantur, comparando ad potentiam productiuam perfectam. Hoc apparet etiam in creatione, vbi propter perfectionem potentiæ productiuæ, ponentis primò totum in esse, verè est ratio productionis, inquātum per eam terminus productus accipit esse, sed non est ibi ratio mutationis: inquantum mutatio dicit aliquid substratum aliter nunc se habere, quàm prius, ex 6. Phys. t. 32. & 73. in creatione autem non est aliquid substratum.

Ad propositum. Cùm in Diuinis nihil imperfectionis sit ponendum, sed totum perfectionis; & mutatio (de ratione sui) dicat imperfectionem, quia potentialitatem, &
B hoc in mutabili; & concomitanter etiā dicit imperfectionem potentiæ actiuæ in mutante, quia talis necessariò requirit causam concausantem ad hoc vt producat: cùm igitur non sit ibi aliqua imperfectio, nec qualis est potentiæ passiuæ, nec etiam aliqua imperfectio potentiæ actiuę, sed summa perfectio; nullo modo ponetur ibi generatio, sub ratione mutationis, nec quasi mutationis; sed tantùm generatio, vt est productio, inquantum scilicet aliquid per eam capit esse, ponetur in Diuinis: & ideò generationi vt est in Diuinis nō assignabitur materia, nec quasi materia, sed tantùm terminus; & hoc vel totalis, siue primus, id est adæquatus, qui primò producitur in esse; vel terminus formalis, secundùm quem terminus primus formaliter accipit esse.

Secundò dico. Quòd negata omni materialitate, & quasi materialitate, verè tamē Filius est de substantia Patris, sicut dicunt auctoritates adductæ in litera, vbi per ly, de, non tantùm notatur efficientia, vel origo: Si enim tantùm efficientia, tunc creaturæ essent de substātia Dei; nec
C notatur per illud de, tantùm consubstantialitas, quia tunc Pater esset de substantia Filij: sed notatur simul originatio & consubstantialitas, vt scilicet in causali huius præpositionis, de, denotetur consubstantialitas, sic quòd Filius habet eandem substantiam, & quasi formam cum Patre, de quo est originaliter, & per illud, quòd construitur in genitiuo cum isto causali, notetur principium originans: ita quòd talis intellectus huius sermonis, Filius est de substantia Patris; est iste: Filius est originatus à Patre, vt consubstantialis ei. Et isto modo exponit Magister auctoritates in litera adductas, non præcisè per consubstantialitatem, nec per originem præcisè, sed per vtrumque, sicut communiter apparet de Patris substantia: hoc est, de Patre, qui est eadem substantia, per primum originatio, per secundum consubstantialitas habetur.

Et quòd ista sit intentio Augustini in auctoritatib. eius
D contra Maximinū, quæ ponuntur in litera; apparet ex fine auctoritatum. Nam in vna auctoritate ponit Augustinus. *Si aliam non inuenis, Patris agnosce substantiam, & Filium cum Patre Homousion confitere*. Hoc igitur intelligit per Filium esse de substantia Patris, Filium sic esse de substantia Patris, vt sit Homousion cum Patre.

Item in alia auctoritate dicit. *Si verò de Patris substantia: tunc est eadem substantia Patris & Filij*.

Ad intellectum ergo huius affirmatiuæ qua dicitur, Filius est de substantia Patris, secundùm intellectum prædictum. Dico, quòd intellectus iste verè saluat, quòd Filius non sit de nihilo, verè etiam saluat, quòd Filius est de substantia Patris, sicut requiritur ad Filiationem.

Primam declaro. Quia creatura genita non est de nihilo; quia aliquid eius præexistit, vt materia; igitur cùm forma sit aliquid compositi, & aliquid eius perfectius, quā sit materia, si forma alicuius præexisteret, & materia de nouo adueniret, & informaretur illa forma præexistente, ipsum productum non esset de nihilo; quia aliquid eius præextitisset, imò aliquid eius perfectius, quàm materia præexistit communiter; igitur si Filius non diceretur esse
E de nihilo, quia Essentia eius secundùm ordinem originis præfuit in Patre, & hoc si illa Essentia esset quasi materia generationis Filij, multò magis nec Filius esset de nihilo, si illa Essentia, prius origine existens in Patre, sit quasi forma communicata Filio.

Secundum declaro, scilicet, quòd istud, de, sufficiat ad rationem Filiationis. Quia in animatis vbi est paternitas, & filiatio, videamus quis sit ille actus per quem generans dicitur formaliter pater. ille vtique est actus decidendi semen; & si esset perfectum agens, ità quòd tunc, quando decidit semen, possit immediatè decidere prolem, verè esset pater; & multò perfectiùs quàm modò sit, vbi requiruntur tot mutationes intermediæ: sed nunc in isto actu dicendi semen, illud quod erat substantia eius, vel aliquo modo aliquid eius, non est materia, sed est quasi terminus formalis productus, siue communicatus per istum actum, sicut esset proles, si immediatè decideretur à patre; igitur quòd aliquid substantiæ generantis sit terminus actionis suæ, qua est pater, hoc verè saluat productum simile in natura esse de substantia eius; sic quòd ipsum de, verè sufficit ad rationem patris & filij: & quòd illud decisum vt F
terminus, sit materia sequentium transmutationum, hoc accidet ipsi de, vt conuenit patri, & filio. Igitur Pater æternus, non decidendo aliquid sui, sed totam Essentiam suam communicando, & hoc vt formalem terminum illius productionis, verissimè producit Filium de se; eo modo quo esse de, pertinet ad patrem, & filium, & licèt esset ibi Essentia de qua, sicut de quasi materia, illud de, non faceret ad rationem Patris, sicut nec in creaturis, si generans haberet suum semen pro termino formali, & pro materia suæ actionis, non esset pater inquantum suum semen esset materia subiecta suæ generationi, vel actioni, sed inquantum esset terminus illius actionis, quemadmodum etiam, si pater creatus immediatè decideret à se filium, verè esset pater quia illud quod esset de se, verè esset terminus actionis, nullo autem modo materia.

ARTICVLVS QVARTVS. G

An proprietas relatiua sit actus Essentię?

TErtiò principaliter, ad solutionem difficultatis huius Quæstionis. Videndum est Quomodo Relatio, & Essentia possunt esse in eadem Persona, quin Essentia sit materiale respectu relationis, cùm nullo modo relatio sit materiale respectu eius. Et sunt hìc quatuor difficultates.

Prima difficultas. Qualiter Persona Diuina erit vna, nisi hoc sit actus, illud vero potentia?

Ad quod dico, Primò, sic. Quòd sicut quidditas creata est quo aliquid est Ens quidditatiuè: & hoc non est imperfectionis: competit enim quidditati ex ratione quidditatis. Secundò. Ipsa quidditas, puta humanitas, quia est imperfectæ actualitatis, ideo diuisibilis est per illud, quod contrahit ipsam ad indiuiduum, puta per proprietatem indiuidualem, quæcunque sit, dicatur A. & recipit ab A. aliquam actualitatem, sicut & vnitatem, siue indiuisibilitatem, quam habet in indiuiduo, & non habet ex se, H
ita quòd illud contrahens, vt A. non tantùm est formaliter in Sorte, quo Sortes formaliter est Sortes, sed est aliquo modo formale respectu naturæ, & natura est aliquomodo potentiale respectus eius, vnde natura contrahitur & determinatur per ipsum A. Tertiò. Humanitas in Sorte est aliquis actus: & præcisè accipiendo humanitatem, & A. distinguendo contra se, humanitas est perfectior actus, quàm sit ipsum A. licèt A. sit magis proprius actus, & aliquomodo actus naturæ, inquantum determinat naturam.

Applicando hæc tria ad Diuina, relinquatur illud quod est imperfectionis. Quoad Primum, Deitas de se est qua Deus est Deus, & qua subsistens, siue Persona, cuius proprium est, A. est formaliter Deus, quia esse Quo; hoc modo, non est imperfectionis in creatura, sed competit quidditati, vnde quidditas est.

Quoad Secundum, est dissimile; quia Deitas ipsa, per

pro-

A proprietatem personalem non determinatur, nec contrahitur, nec aliquomodo actuatur; quia hoc erat imperfectionis,& potentialitatis in natura creata, sed Deitas de se est hæc, & ita sicut habet vltimam vnitatem de se, ita & actualitatem. Est igitur proprietas personalis, ita proprius actus personæ, quòd tamen non est actus ipsius naturæ Diuinæ, aliquomodo perficiens, vel informans eam.

Quoad Tertium, est aliquomodo simile; quia relatio, etsi sit proprius actus Personę,& Essentia non sit proprius actus Personæ, sed aliquis communis actus; tamen Essentia est formaliter actus infinitus, relatio aut non est actus infinitus ex ratione sua formali; ergo relatio, licèt sit prop̃rius actus Personæ, non tamen actuat Essentiam, cuius contrarium est in creaturis, vbi A. quod est in Sorte actus, actuat aliquomodo naturam, quæ est actus perfectior.

Sed quomodo possunt isti duo actus concurrere ad constitutionem vnius, si neutrum sit actus alterius? Respondeo. Vnitas compositi necessariò est ex ratione actus, & potentię, sicut assignat Philosophus 7.& 8. Metaphys. cap. vlt. tex. 54. & 15. sed Persona in Diuinis non est composita, nec quasi composita, sed est simpliciter simplex, & ita verè simplex, sicut est Essentia ipsa secundùm se considerata; nullam habens compositionem, nec quasi compositionem in se, & tamen formalis ratio Essentiæ Diuinæ, non est formalis ratio relationis, nec è conuersò, sicut dictum est supra distinct. 2. quæst. 1. de Trinit. in solutione quæstionis.

Qualiter autem stat quòd ratio relationis in re non sit formaliter eadem rationi Essentiæ, & tamen in eodem concurrentes non constituunt compositum, vel compositionem, hoc est; quia ista ratio, est eadem perfectè illi: propter enim infinitatem vnius rationis, quicquid potest esse cum ea, est idem perfectè sibi, perfectio enim identitatis excludit omnem compositionem, & quasi compositionem, quæ identitas est propter infinitatem, & tamen infinitas non tollit formaliter rationes, quin hæc formaliter non sit illa. Non est igitur ex istis quasi compositum, & ideo nihil est ex eis quasi compositum ex actu, & potentia, sed est vnum simplicissimum ex istis, quia vna ratio est perfectè, imò perfectissimè eadem alteri, & tamen non est formaliter eadem: non enim sequitur, Sunt perfectè eadem etiam identitate simplicitatis; ergo sunt formaliter eadem; sicut tactum est distinctione 2. in quæst. præallegata, & tangetur inferiùs dist. 8. quæst. 4. & eadem perfecta identitas excludit omnem aggregationẽ; quia idem non aggregatur cum seipso.

ARTICVLVS QVINTVS.

Explicantur tres difficultates.

Secunda difficultas est. Quomodo Relatio posset esse distinguens Personam,& Essentia nõ distinguens, quin relatio habeat rationem actus? quia actus est distinguere: 7. Metaph. t. 49.

Respondeo. Concedo relationem esse actum personalem, non actum quidditatiuum, quia personaliter distinguit, & non quidditatiuè: Essentia autem est actus quidditatiuus, & quidditatiuè distinguens; actus autem quidditatiuus est simpliciter perfectus, quia infinitus; non sic autem est actus personalis de se formaliter infinitus. Et si dicitur, quòd actus distinguens est actus eius: quod non distinguit. Falsum est, nisi illud, quod non distinguit, distinguatur per actum distinguentem; sicut in creaturis humanitas distinguitur in Sorte & Platone, per A. & B. ideo ibi actus distinguens, etiam est indiuidualiter actus eius quod non distinguit, quia actus ille distinguens, distinguit illam naturam, quæ non distinguit: non ita hìc; quia proprietas personalis non distinguit Essentiam, nec contrahit, nec determinat.

Tertia difficultas est. Quomodo potest esse relatio, nisi requirat propriam rationem fundamenti? Fundamentum enim videtur prius esse relatione,& quasi perfectibile per eam, non è conuersò: relatio enim nõ videtur perfici à suo fundamento; quia tunc præsupponeretur suo fundamento, ergo cùm Essentia sit fundamentum istarum relationum, videtur esse quasi materia illarum.

Respondeo. Quòd in creaturis ordo generationis,& ordo perfectionis, sunt contrarij, sicut patet 9. Metaph. t. 15. quòd illa quæ sunt priora generatione, sunt posteriora perfectione. Et ratio est. Quia creaturæ procedunt de potentia ad actum,& ideo de imperfecto ad perfectum,& ideo priùs peruenitur via generationis ad imperfectum, quàm ad perfectum; sed eundo ad simpliciter primum, oportet quòd idem sit simpliciter primum, & origine, & perfectione, etiam secundùm Philosophum ibidem: quia totus ordo originis, & perfectionis, reducitur ad aliquid primum perfectionis, sicut ad primum originis totalis. In Diuinis igitur, simul debent intelligi concurrere, ordo generationis,& ordo perfectionis: sicut igitur in creaturis, si concurrerent isti duo ordines semper vniformiter, non quæreremus primò materiam, quæ substaret formæ,& secundò formam, sed quæreremus primò formam, quæ nata esset dare actum materiæ, & secùdò quæreremus materiam, quæ nata esset recipere esse per illam formam, vel suppositum, quod natum esse subsistere per illam formã. Ita in Diuinis incipiendo à primo signo naturæ, omninò occurrit Essentia Diuina, vt est esse per se, & de se, quod nõ competit alicui naturæ creatæ; quia nulla natura creata habet esse priùs naturaliter, quàm in supposito: ista autem Essentia secundùm August. 7. de Trin. est, qua Pater est,& qua Filius est, licèt non sit, qua Pater est Pater,& qua Filius est Filius. Isti igitur Essentiæ abstractissimè consideratæ, vt priori omnibus personalibus, conuenit esse per se; & in isto priori occurrit nõ vt aliquid receptiuum alicuius perfectionis, sed vt infinita perfectio, potens in secundo signo naturæ communicari alicui, non vt forma informans materiã, sed vt quidditas communicatur supposito, tanquam formaliter existenti per eam; & ita pullulant (vt quidam dicunt) relationes ex ea,& Personæ in ea,& ex ea, non quasi quædam formæ dantes esse sibi, vel quasi quædam supposita, in quibus recipiat esse, cùm sit simpliciter Ens, sed quibus suppositis dat esse, vt quo formaliter illa supposita sunt,& quo sunt Deus; & ita relatio illa pullulans, cùm sit per se subsistens, ipsa pullulat, non vt forma Essentiæ, sed vt nata esse Deus, ipsa Deitate formaliter, licèt non vt informante ipsam, sed vt existente eadem sibi perfectissima identitate: nullo autem modo è conuerso relatio est Essentiæ, vt quo formaliter Essentia est determinata, vel contracta, vel aliquo modo actuata per ipsam, quia hæc omnia repugnant infinitati Essentiæ, vt primò occurrit sub ratione actus infiniti.

Concedo tunc, quòd Essentia est fundamẽtum istarum relationum; sed non fundamentum quasi potentiale recipiens istas, sed fundamentum quasi per modum formæ, in qua istæ formæ natæ sunt subsistere; non quidẽ per informationem, sicut similitudo est in albedine, sed sicut subsistẽs dicitur esse in natura, sicut Sortes dicitur subsistere in humanitate, quia Sortes humanitate est homo, non enim ex ratione fundamenti habebit rationem potentiæ, vel quasi potentialitatis Essentia Diuina, sed præcisè habebit rationem formæ, vt qua relatio fundata in ea simpliciter est Deus.

Exemplum huius potest accipi in creaturis, ponẽdo ibi quædam per impossibile. Augmentatio enim modò, fit per hoc, quòd alimentum adueniẽs corpori corrumpitur, & materia eius recipit formam carnis, & sic informatur ab anima: ponatur quòd eadem materia manens, nata sit recipere aliam partem formæ, sicut ponitur in rarefactione; tunc materia remanet vna, quæ priùs fuit formata,& nunc noua forma informatur; ipsa tamen formaliter est verè mutata, quia de priuatione transit ad formam. Ponamus ex alia parte, quòd anima eadem primò perficeret vnam partem corporis, vt cor, postea adueniret alia pars corporis organici perfectibilis ab anima, ipsa perficeret ipsam partem aduenientem de nouo,& tamen non mutaretur, quia non esset in ea primò priuatio, & postmodum forma; priuatio enim est carentia in apto nato recipere, anima enim primò non informans, & postea informans, non est nata aliquid recipere, sed dare, in vtroque igitur

A istorum exemplorum verè esset productio alicuius producti, sed in primo mutatio, in secundo non.

Aptius exemplum videtur. Si ponamus materiam cordis animati posse eandem communicari diuersis formis, puta manus, & pedis, & hoc virtute actiua cordis animati, producentis composita ista, ex materia sua communicata & ex formis istis, hic verè esset productio totorum habentium eandem materiam, & esset cum mutatione illius materiæ. Sed si ex alia parte ponamus animam propter sui illimitationem in ratione actus, & formæ, posse communicari multis, & virtute animæ in corde ipsam communicari manui, & pedi, productis à corde animato, hic esset productio multorum consubstantialium in forma, absque mutatione illius formæ. In vtroque exemplo ponantur producta esse per se subsistentia, & non partes eiusdem, quia partem esse, est imperfectionis.

Hoc posito, secundus modus in vtroque exemplo, qui est de communicatione formæ ipsi producto, perfectè repræsentat productionem in Deo, non primus modus in
B vtroque exemplo, qui est de communicatione materiæ; & adhuc hoc addendo in positione, quòd anima in corde, & manu, & pede, non sit forma informans, quia componibilitas includit imperfectionem, sed sit forma totalis, qua ista subsistentia sint, & animata sint. Ita intelligitur Deitas non communicari quasi materia, sed relationibus subsistentibus (si Personæ ponantur relatiuæ) communicatur Deitas per modum formæ non informantis, sed qua relatio, vel relatiuum subsistens, est Deus: nec igitur Essentia informat relationem, nec è conuersò; sed est perfecta identitatis, sed Essentia habet modum formæ, respectu relationis, sicut natura respectu suppositi, inquantum ipsa est, qua relatio subsistens, est Deus, è conuersò autem nullo modo relatio est actus essentiæ, quia sicut dicit Damasc. Relatio non determinat naturam, sed hypostasim; ita non est actus naturæ, sed hypostasis. Similiter quando relatio informat fundamentum, suppositum dicitur relatum per secundo modo, secundùm illud fundamentum, sicut Sortes est similis secundùm albedinem,
C vel albedine: Pater autem non est Pater Deitate, secundùm August. 7. de Trinit. cap. 4. & 6. igitur hic non est talis modus relationis ad fundamentum, qualis est in alijs, quia hic fundamentum non actuatur per relationem, sed illa relatio est tantùm actus suppositi, vel est suppositum.

Dico igitur breuiter. Quòd Relatio & Essentia ita sunt in Persona, quòd neutra est forma informans alterum, sed sunt perfectè idem, licèt non formaliter; vt tamen non sunt formaliter eadem, Relatio nullo modo perficit Essentiam, nec est terminus formalis receptus in Essentia; sed Essentia hoc modo est forma relationis; quia est qua relatio est, & similiter qua est Deus: Essentia etiam est formalis terminus generationis, sicut in creaturis natura est formalis terminus generationis, non autem actus indiuidualis.

D Contra istud obijcitur. Quia terminus formalis generationis communicatur; igitur præsupponit illud cui communicatur; Essentia autem non præsupponit relationem, sed è conuersò; ergo Essentia non communicatur Relationi. Et potest esse Quarta difficultas. Quia aliquid ibi communicatur, & illud erit ibi formalis terminus, & illud præsupponit illud cui communicatur; Essentia autem non potest præsupponere relationem, cui communicetur; ergo è conuersò; & ita relatio communicatur Essentiæ, & tunc relatio erit terminus formalis productionis, & Essentia quasi materia.

Respondeo. Productio, quia est alicuius termini primi, id est, adæquati, includens aliquid in ratione formalis termini ipsius productionis, & aliquid in ratione subsistentiæ in tali termino, ideo contradictio est respectu productionis hæc separari, scilicet terminum formalem, & rationem subsistentiæ, inquantum scilicet productione habent esse, licèt absolutè prioritas esset vnius ad alterum etiam quantùm ad separari sine contradictione, considerando ipsa absolutè, non inquantum per productionem habent esse; licèt etiam esset ibi prioritas perfectionis, qua alterum esset altero perfectius; quia natura perfectior est E ratione subsistentiæ, etiam in creaturis. Et ex hoc sequitur, quòd natura est terminus formalis productionis, quia nulla entitas simpliciter perfectior formali termino productionis, potest esse per productionem.

Tunc ad formam argumenti. Dico, quòd communicatum inquantum productione communicatur, non præsupponit illud cui communicatur, nec è conuersò; quia ista communicatio non est alicui iam existenti, sicut est in alteratione, sed est alicui, vt sit: ideo nec natura communicatur ante productionem suppositi, quia tunc communicaretur non producto; nec etiam è conuersò suppositum est antequam natura communicetur, licèt absolutè, communicatum sit prius ratione propria suppositi, prioritate perfectionis, & etiam prioritate essendi, siue inuicem in creaturis. Primæ prioritati correspondet hic, quia in Deo Essentia est formaliter infinita, Relatio autem non.

Argumenta tum pro Opinione Articuli primi adducta, tum Principalia soluuntur. F

AD Argumenta pro Opinione. Ad Primum August. contra Maximinum, patet quomodo Filius nullo modo est de nihilo, sed est verè de substantia Patris.

Sed si quæras. Posita originatione, & consubstantialitate, adhuc quæritur sicut de materia, vel de quasi materia, de quo est Filius? Respondeo. Quòd non est ibi materia, & ideo non est ibi de aliquo sic. Et cùm dicitur vltra. Igitur de nihilo. Non sequitur: sed sequitur, Ergo de nulla materia.

Sed dices. Tunc est creatura. Dico. Quòd falsum est. Quia creatura est post nihil, id est, post non esse sui, & cuiuscunque in ea: non ita Filius, non tantùm quia suum esse æternum, sed etiam quia sicut est Secunda Persona, sic priùs origine est suum esse formale in Prima Persona.

Ad aliud Aug. de Trinit. 7. c. 4. Hoc nihil valet ad propositum, sicut in quæstione præcedente expositum est.

Quòd verò alij arguunt, Essentiam subiectiuè generari. G Ex falso inferunt falsum.

Ad Argumenta eorum. Ad Primum. Dico, quòd hic non sunt termini aliqui correspondentes generationi, vt mutatio est, quia nihil est hic, quasi aliquomodo priùs sub priuatione, & postea sub forma. Generationis verò termini sunt priuatio, & forma, vt generatio est mutatio; generatio autem vt est productio, tantùm habet ipsum productum, non autem generatio vt sic, habet terminum à quo, nisi loquendo de principio productiuo, & sic termini generationis sunt producens & productum. Et ex hoc non sequitur, quòd aliquid sit quasi subiectum: sed sequitur ex hoc, si generatio est vniuoca, quòd aliquid sit commune gignenti & genito. Et hoc concedo, sed non commune vt materia, sed vt forma, vel actus, in vtroque.

Cùm arguitur post de generatione & termino. Patet responsio: quòd relatio non est in Essentia, sicut forma in materia: sed si Persona est ibi relatiua, tunc relatio est in Essentia, sicut proprietas suppositi est in natura. Esse autem in aliquo vt suppositum, vel ratio suppositi in natura, H nihil infert de esse in, vt forma in materia; licèt quādo natura est imperfecta, proprietas indiuidualis aliquomodo informet naturam, sicut dictum fuit in 3. Articulo solutionis, in prima difficultate.

Cùm Tertiò arguitur. Quòd omni potētiæ actiuæ correspondet potentia passiua &c. Respondeo. Primæ potentiæ actiuæ, non correspondet aliqua potentia passiua, sicut patet de potentia creandi, & hoc loquendo propriè de potētia passiua. vt In quam, vel De qua aliquid propriè producitur: potentiæ tamen actiuæ correspondet aliqua passiua, quam ipsi vocant potentiam obiectiuam, quæ est potentia producibilis: & hoc modo concedo, si Pater est fæcundus actiuè, quòd Filius est producibilis: sed ex hoc non sequitur, aliqua potentia quasi materiæ, sicut nec sequitur in creatione.

Cùm vltimò arguitur de igne. Dico: quòd si ignis generaret de se, & communicaret genito suam formam, vt formalem terminum generationis, non autem esset de substantia

A stantia sua in potentia ad formam ignis generandi, sed ipse ignis esset perfectè productiuum; tunc non requireret aliquam causam concausantem. Ita est in proposito. Primum principium, nec aliud principium in eodem genere principij, nec in alio requirit concausans secum ad principiandum.

Cùm Arguitur ad principale per Aug. 7. de Trin. cap. 6. Respondeo, quòd August. subdit ibidem, *Quasi aliud sit ibi Essentia, & aliud Persona*. Similiter concedo, quòd non propriè dicitur aliquam Personam esse de Essentia absolutè; sed addendo cum substantia aliquam Personam originantem, benè dicitur quòd aliqua Persona originata est de substantia illius Personæ, ita quòd hæc, Filius est de Essentia Diuina, non est ita concedenda, sicut hæc, Filius est de substantia Patris, quia per secundam exprimitur consubstantialitas, & originatio: propter genitiuum constructum cum casuali, & præpositionis, per primam autem non notatur, aliquid originans.

Ad aliud. Dicendum, quòd licèt August. dicat Filium
B esse Filium substantiæ Patris 15. de Trinit. cap. 19. & Doctor quidam (*S. Bonau. hic.*) dicat illam esse propriam; tamen videtur probabiliùs, quòd quandocunque relatiuum construitur cum aliquo in tali habitudine casuali, in qua aliquid natum est terminare illam relationem, vt correlatiuum, tunc construitur cum illo præcisè, vt cum correlatiuo. Exemplum. Pater construitur cum suo correlatiuo, in habitudine genitiui, simile in habitudine datiui, maius in habitudine ablatiui, secundùm communem sermonem: & ideò videtur quòd cum quocunque construitur tale relatiuum, expresso in tali habitudine casuali, illud notatur esse correlatiuum huius relatiui. Nō enim dicimus, Iste canis est filius hominis: quia est filius, & est hominis, vt domini, ita quòd ly hominis, construatur cum ly canis, ex vi possessoris, vel possessionis: sed videtur significare quòd construatur cum ly canis, in ratione relatiui, vt patris. Ita igitur ista, Filius Essentiæ, videtur accipi Essentia, vt correlatiuum eius relatiui, cum quo construitur. Et tunc auctoritas August. de Trinit. 15. cap. 19. debet exponi, sicut ipse exponit, *Filij charitatis suæ*, id est filij, sui dilecti. Et tunc ad Argumentum illud. Cùm arguitur. Quòd ad illam, Est de Essentia: sequitur ista, quòd est Essentiæ. Nego consequentiam. Quia consequens notat relationem esse inter Filium, & Essentiam, sicut suum correlatiuum, quod non notat antecedens, sed tantùm consubstantialitatem in Essentia cum origine notata in illo, quod construitur cum Essentia.

Ad vltimum. Dicò, quòd De; non tantùm notat identitatem, sed notat identitatem sui casualis, & hoc in ratione formæ, cum distinctione illius quod additur suo casuali, vt principij originalis: sicut dictum est priùs. F

Ad Argumenta in oppositum.

Ad illud de 15. de Trin. responsum est.

Ad illud contra Maximinum: patet etiam ex dictis.

Ad Vltimum de filio in creaturis, quod est de substantia patris: patet rēspōsio ex dictis, in solutione quęstionis, quia illud, de, quod pertinet ad rationem filiationis, non dicit circumstantiam causæ materialis; sed magis sufficit si illud, de, quod est filius, sit vt forma communis patri & filio: & sic non est subiectum generationis, sed terminus formalis eiusdem.

DISTINCTIO SEXTA.

QVÆSTIO VNICA. G

C

Vtrum Deus Pater genuit Deum Filium, voluntate.

Circa istam Distinctionem Sextam. Quæro vnum, scilicet.

Vtrum Deus Pater genuit Deum Filium, voluntate?



Quòd sic. Ricard. 6. de Trinit. cap. 17. post alia tractata de productione Personarum, dicit vltimo. *Vultis super his quæ superius iam diximus, audire verbum abbreuiatum, ingenitum velle habere de se sibi conformem atque condignum; idem mihi videtur quod gignere Filium: & tam genitum, quàm ingenitum velle habere condilectum; idem videtur quod producere Spiritum Sanctum.* Sed si Patrem velle habere conformem, est gignere; ergo sicut voluntate vult habere conformem, ita voluntate
D genuit.

Ex eadem auctoritate arguitur aliter, sic. Eodem modo cōceditur quòd velle Patris se habet ad gignere, sicut velle, vt est Patris & Filij, se habet ad spirare; nunc autem Spiritus Sanctus spiratur voluntate formaliter, vt est Patris & Filij; ergo &c.

Item August. contra Maximinum lib. 3. cap. 1. & ponitur dist. 20. *Pater si non genuit Filium sibi æqualem; aut non voluit, aut non potuit: si non voluit; igitur inuidus fuit.* Ex hoc sic. Inuidia non pertinet, nisi ad illa, quæ voluntate subtrahuntur, & voluntate possunt communicari; sicut non sum inuidus, si non facio te sapientem, quia non possum facere sapientiam in anima tua: igitur Pater generat voluntate Filium sibi æqualem: quia secundùm auctoritatem prædictam, esset inuidus, si non generaret Filium æqualem.

Item 5. Metaphys. tex. 6. c. de necessario. Omne inuoluntarium est triste; sed nihil est triste in Diuinis; ergo nihil inuoluntarium; ergo Filius voluntate generatur.

Item. Verbum est amor. Patet. Et est productus, quia nihil nisi natum, secundùm Hilarium habet Filius; principium autē amoris producti est voluntas; igitur &c. Si dicatur, quòd concomitanter est amor; quia primò est notitia producta. Contra. Quia idem est principium respectu primi termini formalis, & cuiuscunque concomitantis illum terminum.

Contra. Damasc. lib. 1. c. 8. *Generatio est opus naturæ.*

Et Magister in litera, & est Aug. ad Orosium. *Præire scientiam voluntas non potest*: ergo cùm Filius sit scientia, vel sapientia Patris, non generatur voluntate. H

ARTICVLVS PRIMVS.

Quomodo Pater generat Filium volens?

Quantùm ad Primum. Dicitur, ((*ab Henr. in sum. art. 58. quęst. 2. Gotfr. quol. 5. quęst. 4.*) quòd non generat volens, sed tantùm necessitate naturali; sicut ignis calefacit: licèt actu generandi quasi iam posito, voluntas Patris quasi complaceat in illo.

Hoc arguitur sic. Intellectio Patris præcedit aliquomodo volitionem Patris; sed intellectio Patris vt Patris, videtur esse gignitio Verbi, vel Filij; ergo gignitio Filij vt Filij, præcedit quamcunque volitionem Patris. Prima propositio est euidens ex 15. de Trinit. cap. 27. Probo secundam. Quia eiusdem potentiæ non sunt duo actus; quia potentiæ distinguuntur per actus 2. de anima tex. 33. gignere autem Filium, siue dicere Verbum, quod idem

[A] eſt in Deo, eſt potentiæ intellectiuæ, & intelligere ſimiliter; ergo dicere, eſt formaliter aliquid intelligere, & non niſi Patris vt Patris; ergo intellectio Patris, vt Patris, eſt gignitio.

Iſta ratio innititur Minori falſæ, ſcilicet de identitate intelligere, & gignere, vel dicere, & ex ipſa ſequitur Concluſio falſa, ſcilicet, quòd Pater non propriè volens dicit.

Primò ergo oſtẽdo falſitatem Minoris. Secundò, quòd illud conſequens falſum ſequatur. Tertiò, reſpondebo ad probationem Minoris falſæ. Quartò, quomodo debeat vitari illud conſequens falſum, & oppoſitum teneri, quod eſt principale in iſto Articulo.

De Primo, contra illam Opinionem de identitate intelligere, & dicere, arguo ſic. Intelligere eſt ſimpliciter perfectio, dicere non; ergo non ſunt idem formaliter. Probatio primæ. Pater quantùm ad intellectum, eſt formaliter beatus intellectione, & quantùm ad voluntatem, volitione; non eſt autem beatus, niſi perfectione ſimpliciter; ergo [B] intelligere eſt perfectio ſimpliciter. Probatio ſecundæ. Quia ſi dicere eſſet perfectio ſimpliciter, tunc Filius & Spiritus Sanctus non eſſent ſimpliciter perfecti, quia non dicunt, accipiendo hoc modo dicere, quod eſt exprimere Verbum.

Secundò ſic. Quia ſicut in creaturis ratio actionis, & ratio factionis formaliter diſtinguuntur; quia actio eſt vltimus terminus, factionis autem eſt alius terminus productus per ipſam factionem: ita in Diuinis operatio, qua formaliter Pater operatur, videtur diſtingui à productione qua formaliter producit: & hoc videtur, quia operatio habet obiectum quaſi præſuppoſitum, productio autem habet terminum productũ per ipſam; ergo intelligere, quod eſt operatio Patris, non eſt formaliter dicere, quod eſt productio Filij à Patre.

De Secundo, quod eſt confirmatio Primi; ſcilicet, quòd illud conſequens falſum ſequatur ex illa falſa Minori, arguo ſic. Sicut in intellectu noſtro habente naturaliter primam intellectionem, quæ non eſt in poteſtate noſtra, po[C]teſt poſtea voluntas noſtra complacere in illa intellectione iam poſita, ſed propriè loquendo non elicimus illam actionem volentes, ſed eam elicitam volumus eſſe, ita ſequeretur, ſi formaliter dicere eſſet intelligere, quod Pater non gigneret formaliter volens, licèt Patri ipſa gignitio quaſi aliquo modo poſteriùs complaceret.

De Tertio. Ad argumentum illud, de diſtinctione potentiarum per actus. Dici poſſet, quòd illud verum eſt de actibus adæquatis, & aliter non; quia potentia illimitata eadem manens, poteſt habere plures actus.

Aliter dicit quidam Doctor, (*D.Th.1.par.ſum.q.34.art.1.Henr.quol.6.q.2.*) Quòd intellectus, vt intellectus, habet illum actũ, qui eſt intelligere, ſecundò autem habet iſtum actum, qui eſt dicere, ſecundùm quod iam factus eſt in actu per intelligere. Sed illud eſt improbatum diſt.2. vbi argutum eſt, quòd iſte actus intelligendi primus, non eſt ratio formalis gignendi Verbum.

Aliter reſpondeo ſic. Quòd actio in creaturis, vno mo[D]do accipitur pro actione de genere actionis: Alio modo pro actu ſecundo, qui eſt qualitas abſoluta, ſicut expoſitum eſt priùs diſt.3. quæſt.vlt. in reſponſione ad Tertium argumentum principale. Vnius ergo potentiæ tantùm eſt vnus actus, loquẽdo de hoc actu tantùm, vel illo tantùm: vnius tamen potentiæ poteſt benè eſſe dupex actus, quorum vnus ſit de genere Actionis, alius de genere Qualitatis, ſicut intellectus noſter pro actione de genere Actionis, habet gignere verbum, habet tamen alium actum de genere Qualitatis, ſcilicet, illam notiam genitam. Ita in propoſito, intellectus Diuinus habet vnum actum correſpondentem intellectioni noſtræ, quæ eſt Qualitas, quo ſcilicet actu intellectus Patris formaliter intelligit, habet etiam actum correſpondentem actui de genere Actionis, quo ſcilicet exprimit Verbum.

De Quarto. Dico: quòd Pater hoc modo gignit Filium volens, quia Pater in primo ſigno originis intelligit formaliter, & tunc etiam poteſt habere actum volendi formaliter. In ſecundo ſigno originis, gignit Filium; nec tamen vult illam genitionem volitione ſequente illam [E] genitionem, ſed volitione habita in primo ſigno originis, qua volitione Pater formaliter vult, præſuppoſita aliquomodo intellectione, qua Pater intelligit, non autem genitione Verbi. Sic ergo dico, quòd Pater volens generat; non tantùm voluntate conſequente, ſed voluntate antecedente.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Quomodo Pater non generat Filium voluntate, vt principio productiuo?

QVantùm ad Secundum Articulum. Videtur quòd Pater nõ producat Filium voluntate tanquam principio productiuo. Quia principium productiuum vnius rationis in Diuinis, non poteſt habere duas productiones vnius rationis, nulla enim productio ibi eſt vnius rationis, niſi vnica, quia adæquata; ergo cùm Spiritus Sanctus producatur per modum voluntatis, vt principij producti[F]ui, Filius non ſic producetur.

Sed in iſto Articulo videtur eſſe difficultas, propter verba Aug. qui videtur attribuere genitionem voluntati in nobis, vt principio productiuo 9.de Trin.c.7.vel 10. *Verbum amore concipitur.* Et 11.& 12. *Notitia placita, digneque amata verbum eſt.* Et 11.de Trin.c.3.vel 9. *Voluntaſque ipſa, quomodo foris corpori obiecto formandum ſenſum admouebat, formatumque iungebat, ſic aciem recordantis animi ad memoriam conuertit.* Et in eodem lib.cap.4.vel 11. *Voluntas verò illa, quę hac, atque illac fert atque refert aciem formandam, coniungitque formatam.* Et dicit multa conſimilia, ergo vult quòd voluntas habeat rationem conuertentis aciem ante genitionem, & retinentis eam in actu. Ita igitur videtur in Trinitate, cuius imago eſt in anima, ꝙ voluntas habeat ibi aliquam rationem principij; reſpectu productionis, vel genitionis, vel rationem alicuius ſuperioris applicantis principium proximum ad actum ſuum, ſicut in nobis.

[G] Hoc etiam arguitur in nobis. Quia ſi genitio noſtra eſſet merè naturalis, nullo modo eſſet in poteſtate voluntatis, & ita ſemper haberemus idẽ verbum, de eodem obiecto fortiùs mouente intellectum.

Quantùm ad iſtum Articulum. Etſi aliqui diſtinguant (*Ioan. Rodit lib.1.diſt.6. queſt. vnica.*) quòd ly voluntate, poteſt teneri aduerbialiter, vt ſit ſenſus, voluntate genuit, id eſt voluntariè genuit, & tunc eſt vera: aut poteſt teneri ablatiuè: & tunc notat cauſam, & principium elicitiuum reſpectu genitionis; & tunc eſt falſa.

Quicquid ſit de iſta diſtinctione. Non videtur dicendum, quòd Pater Filium genuerit voluntate, ita quòd voluntas ſit principium proximum, vel remotum. Quòd nõ proximum, probatum eſt. Quia principium vnius rationis, non eſt niſi principium vnius productionis. Quòd etiam non remotum, patet. Quia ſicut voluntas, vt eſt principium operatiuum, aliquomodo poſteriùs operatur, quàm intellectus, ita vt eſt principium productiuum, aliquomodo poſteriùs producit, quàm intellectus: & ita [H] non erit cauſa ſuperior, neque prior in productione, quę eſt propriè intellectus.

Propter iſtas tamen auctoritates Auguſtini, intelligendum eſt quòd in nobis non eſt tantùm vnicus actus intelligendi, accipiendo actum de genere Qualitatis, neque vnicus actus gignendi, accipiendo actum pro actione de genere Actionis, quia ſi eſſet tantùm vnicus actus iſte, & tantùm vnicus ille, & ille & iſte eſſent idẽ, tunc voluntas noſtra nullam cauſalitatem haberet in ratione actus intelligendi, qui eſt de genere Qualitatis, neque in ratione actus gignendi, qui eſt de genere Actionis: in Diuinis igitur cùm non ſit in Patre, niſi vnicus actus intelligendi, reſpectu illius actus voluntas Patris non habebit aliquam rationem principij, vel cauſæ: cùm etiam non ſit niſi vnicus actus dicendi, reſpectu illius voluntas non habebit rationem principij, quia voluntas ſicut operando, ita & producendo, vel principiando ſequitur aliquomodo intellectum.

A Actus igitur dicendi præcedit omnem principiationem voluntatis; potest tamen voluntas vt complacens, non vt principians, habere actum respectu illius genitionis, ex hoc, quòd voluntas vt operans in Patre, non præsupponit genitionem, sed tantummodo intellectionem illam, qua Pater formaliter intelligit: in nobis autem veræ sunt auctoritates Augustini, quòd voluntas mouet aciem ad actū cognoscendi, & tenet eam in cognitione; quia posito primo actu nostro, siue de genere Qualitatis, siue de genere Actionis, possumus habere alios actus posteriores ex imperio voluntatis; in Patre autem voluntas non admouet intelligentiam Patris, vt formandam à memoria Patris, quia in patre nō est nisi vnica intellectio formaliter, quæ præcedit aliquomodo productionem Verbi, neque admouet memoriam ipsi obiecto, vt gignatur verbum.

Contra istud arguitur, quod August. non tantùm intelligit in nobis, sed etiam in Deo. Quia August. nunquam videtur assignare actum volendi, voluntati, vt est tertia pars imaginis, nisi illum qui est coniungere parētem cum B prole; & hoc modo habet causalitatem aliquam respectu gignitionis prolis; ergo ista pars, vt est pars imaginis, nihil repræsentabit in prototypo, nisi voluntas Diuina habeat aliquomodo sic coniungere.

Respondeo. Etsi frequenter assignet voluntati actum illum, vt est pars imaginis, tamen aliquando sibi assignat alium, videlicet dilectionem eiusdem obiecti, quod est obiectum memoriæ, & intelligentiæ, sicut apparet 15. de Trin. c. 20. vel 22. *Vnde potest*, inquit, *sempiterna immutabilisque natura, recoli, conspici, concupisci*. Quæ auctoritas posita est supra dist. 3. quæst. vlt. ibi enim expresse ponit Trinitatem in memoria, intelligentia, & voluntate, vt habent actum circa obiectum idem, scilicet, veritatem increatam. Similiter lib. 14. cap. 8. ponit Trinitatem in mente, inquantum meminit sui, intelligit se, & diligit se. Vtrumque etiam actum tangit simul. 15. de Trini. cap. 3. *Mens & notitia qua se nouit, & amor quo se notitiamque suam diligit, & bene concurrunt isti duo actus in voluntate nostra, quia ipsa amans obiectum, amat etiam notitiam obiecti* C *eiusdem, & ex amore obiecti mouet intelligentiam ad intelligendum illud, copulans ipsam memoriæ, de qua ipsa formetur. & tenens eam in tali coniunctione, & per hoc in actuali intellectione vnius obiecti*. Istorum autem duorum actuum voluntatis in nobis, principalior est ille, qui est dilectio obiecti: quia ille est causa quandoque dilectionis actus: actus tamen alius, scilicet dilectio, actus est vniuersalior; quia respectu etiam obiecti mali diligimus actum cognoscendi, licèt non obiectum, sicut dicit August. 9. de Trin. cap. 10. *Neque enim vitiorum notitia nobis displicet, sed vitia ipsa nobis displicent: diffinio intemperantiam*, Et hoc est verbum eius, *Placet mihi diffinire, licèt non placet mihi incontinentia*.

Voluntas igitur in nobis, vt est pars imaginis repræsentat voluntatem in Deo, non quantùm ad istum actum copulandi, qui est voluntatis nostræ: sed quantùm ad D alium actum, inquantum scilicet voluntas nostra, est principium producendi actum circa idem obiectum, quod fuit memoriæ, & intelligentiæ nostræ, quia voluntas in Diuinis est principium producendi amorem adæquatum Essentię Diuinæ, quæ est obiectum primum memoriæ Diuinæ, intelligentiæ & voluntatis: & ille amor productus est Spiritus Sanctus, cui correspondet in nobis dilectio producta, quæ dilectio frequenter ab Aug. vocatur voluntas; sed voluntas propriè in nobis, quæ est potentia, non correspondet Spiritui Sancto, sed vi spiratiuæ quæ est E in Patre & Filio, & hoc secundùm illum actum, quo voluntas est in nobis principium producendi amorem obiecti intellecti, non autem primò inquantum habet producere amorem notitiæ genitæ, nullo autem modo inquantum est causa superior notitiæ genitæ, sic quidem vis spiratiua est principium producendi Spiritum Sanctum in Diuinis, qui est amor Essentiæ Diuinæ, & etiam amor notitiæ genitæ, licèt fortè secundùm aliquem ordinem, sed non est vis illa spiratiua aliquomodo principium productiuum notitiæ genitæ, quia etsi Pater in primo signo originis sit volens, & in secundo gignat, tamen voluntas Patris non habet rationem principij respectu illius gignitionis Verbi. Sic igitur patet quomodo Pater volens generat Filium, & tamen non voluntate, vt principio formali elicitiuo generationis.

Tamen quantùm ad intentionem Aug. de dilectione copulante parentem cum prole. Dicit quidam Doctor, (*Henr. quol. 6.*) Quòd illa dilectio copulans, loquendo respectu actus sentiendi; est inclinatio facta in potentia, per F speciem sensibilem. Vnde ista quinque, quæ ponit ille Doctor, videlicet, obiectum sensibile, speciem, inclinationem factam, potentiam sentiendi, & actum sentiendi, probat per vnam auctoritatem August. 11. de Trinit. cap. 2. vel 4. cùm enumerat August. quædam ad suum propositum facientia in fine, sic. *Sensum*, inquiens, *detinet oculorum, animi intentio*. Ecce (ait ille) tertium: quod enim detinet sensum, non est nisi illa excitatio per dictam inclinationem: vocat autem eam Aug. secundùm eum, intentionem animi causantis, quia per ipsam fit sensus animi intentus ad percipiendum obiectum.

Sed istud non est ibi ad intentionem August. Quia ibidem distinguens ea ab inuicem, de intentione dicit, Quòd *tertium solius animę est*: igitur secundùm eum, illa intentio, quę erat tertium, non est illa inclinatio, vel excitatio, per speciem, similiter illud tertium attribuitur voluntati illi, de qua dicit inferiùs lib. 11. cap. 4. quòd *voluntas hac, atque illac, refert aciem mentis* &c. quod non videtur verum de inclinatione, sed tantummodo de voluntate & potentia animæ. G

Argumenta in principio Quęstionis adducta, soluuntur.

AD Argumenta principalia.

Ad Primum. Cùm dicit Ricar. *Hoc mihi videtur* &c. non hoc videtur Aug. quòd velle Patris sit formaliter gignere. Quia dicit 5. de Trinit. cap. 14. vel 32. quòd *Spiritus Sanctus procedit quomodo datus, non quomodo natus*. id est per modum voluntatis liberæ, non per modum naturæ, & ideo oportet exponere Ricar. Quòd ipse intelligat concomitanter.

Ad aliud. Dico: quòd inuidia non solùm est in subtrahendo illa bona, quæ possunt communicari actu voluntatis immediatè, sed quęcunque volens potest communicare, & non communicat. Pater autem volens, licèt non sicut principio elicitiuo, vel productiuo generat, vt dictum est. Et ideò tenet argumentum Aug. de inuidia. H

Ad Tertium. Dico: quòd nihil est ibi inuoluntarium; & ideo generatio Filij non est inuoluntaria. Concedo; sed tamen non sequitur vltra; ergo est voluntate, vt principio elicitiuo: Multa enim facimus, siue voluntate præcedente siue concomitante,: quorum principium immediatum non est voluntas.

A DISTINCTIO SEPTIMA. B

QVAESTIO VNICA.

Vtrum potentia generandi in Patre, sit aliquid absolutum, vel proprietas Patris.



QVòd proprietas Patris, probo. Aug. 15. de Trinit. c. 6. *Eo Pater est, quo est ei Filius*; ergo eo est Pater, quo generat. Probatio consequentiæ. Quia generatione est ei Filius; sed Paternitate est Pater; ergo Paternitate generat: vel si Deitate generat; ergo Deitate est Pater.

Item per rationem. Actus proprius est à propria forma agentis; sed generare est proprius actus Patris; ergo &c. B Probatio Maioris. Tum quia propria forma dat esse; igitur & agere: Tum quia si forma communis, & effectus communis: quia causa & effectus correspondent sibi inuicem, vniuersalis vniuersali, particularis particulari 2. Physicor. t. 38. & 5. Metaphy. c. de causa. t. 2. & 10 Met. t. 22.

Item. Medium est eiusdem generis cum extremis: sed supposita, quæ sunt extrema, sunt relatiua; igitur illud quo suppositum agit, quod est medium inter ea, est relatiuum.

Item, Potentia est eiusdem generis cum actu: imò in Diuinis sunt idem: sed actus generandi est relatio, vel relatiuum; ergo & principium erit relatio, vel relatiuum.

Contra. Damasc. *Generatio est opus naturæ*; sed non est opus naturæ vt generantis; quia natura non generat: ergo est opus naturæ, vt principij generandi.

Item Hilarius de Trin. lib. 5. *Ex virtute naturę in eandem naturam, natiuitate subsistit Filius.*

Item Magister in litera. *Pater non est potens nisi natura*: & loquitur de potentia generandi; ergo &c.

C

ARTICVLVS PRIMVS.

Quidam dicunt solam Essentiam esse potentiam generandi.

HIc est Opinio (*D. Tho. 1. par. q. 41. art. 5.*) talis. Quòd illud quo Pater generat, est Essentia: propter hanc rationem. Quia generans assimilat sibi genitum in forma qua agit: Filius autem assimilatur Patri in Essentia, non in prioritate; ergo &c.

Et declaratur ratio. Quia sicut in creaturis proprietas indiuidualis non est ratio agendi, sed natura, in qua indiuidua conueniunt; ita in Diuinis proprietas personalis, quæ correspondet proprietati indiuiduali in creaturis, non erit ratio agendi, vel gignendi.

Contra istud arguitur multipliciter. Primò sic. Omnis forma sufficienter elicitiua alicuius actionis, si per se est, per se agit illa actione. Exemplum. Si calor est sufficiens causa calefactiua, calor separatus calefaceret. Albedo etiã D per se habet disgregare; & ideò cùm per se habet esse, vt in Sacramento Altaris, per se habet disgregare: ergo si Deitas sit potentia generatiua, & constat quòd sufficiens, sequitur q̃ si per se sit Deitas, quòd per se generabit, Deitas autem priùs est in se aliquo modo, quàm intelligatur esse in Persona: quia Deitas, vt Deitas, est per se esse, ita q̃ tres Personæ ipsa Deitate per se sunt, nõ è conuersò 7. de Trin. c. 4. *Oĩs creatura ad se subsistit, quantò magis Deus?* Et infra. *Hoc est Deo esse, quod subsistere.* Ergo in isto primo signo naturæ, in quo intelligitur Deitas in se, antequam intelligatur in Persona, generabit; & ita Deitas sic considerata, distinguetur à genito.

Si dicatur. Quòd Deitas nõ habet per se esse, nisi in Persona; & ideo non per se agit, sed persona per se agit. Contra. Argumentum probat oppositum. Quia si calor habens per se esse participatum, per miraculum esset per se, posset operari per se, illam operationem cuius est principium Quo, elicitiuum in supposito: ergo ipsa Diuina Essentia, quę est per se esse, ex se, non autem per se participat esse, poterit per se esse agens illa operatione, cuius est principium Quo, elicitiuum in supposito. Et ita stat argumentum.

Item Secundò sic. Producentis, & formæ qua producens producit, eadem est relatio ad productum. Hoc accipitur à Philosopho 2. Phys. t. 38. & 50. & 5. Met. t. 1. & 2. vbi vult, quòd ad idem genus causæ & principij pertinent ars & ædificator: ergo ad idem genus principij pertinent, producẽs & illud quo producens producit: & ita si Essentia sit qua Pater generat, habebit Essentia relationem realem ad genitum: hoc falsum est; ergo &c. F

Item Tertiò. Forma inquantum est in qua assimilantur generans & genitum, non habet vnitatem nisi rationis, sicut accipitur à Damasc. lib. 1. c. 8. ergo nec entitatem nisi rationis; ergo secundùm hoc non est principium elicitiuum actionis realis.

Item Quartò. Forma non est principium agendi, nisi inquantum agens est in actu per eam: non est autem in actu per ipsam, nisi inquantum est in ipso, non est autem in ipso, nisi vt est hæc, ergo vt est hæc, est principium.

Item Quintò. Productio per prius est distinctiua, quàm assimilatiua. Quod patet. Quia omnis productio est distinctiua, non autem omnis est assimilatiua; ergo forma quæ est principium productionis, priùs est principiũ eius inquantum forma est distinctiua, quàm inquantum est assimilatiua, ipsa autem est distinctiua inquantum hæc, assimilatiua inquantum forma; ergo priùs est principium productiuum inquantum hæc, quàm inquantum forma. G

Item, instatur contra probationem argumenti positionis. Tum quia in augmentatione carnis, calor est principium actiuum, secundùm Phil. 2. de anima t. 50. & tamen illo generatur caro animata, similis generanti in forma vegetatiua. Tum quia brutum generans brutum; assimilatur ei in specie; & tamen forma specifica bruti, non est principium generandi, sed potentia vegetatiua: igitur Maior videtur esse falsa.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Alij opinantur Essentiam non præcisè, sed vt determinatam per talem relationem, esse potentiam generandi.

ALiter dicitur. Quòd generationis in Diuinis oportet dare aliquod principium positiuum. Quia actio est positiua, non sunt autem positiua in Diuinis Personis, nisi Essentia & relatio; relatio autẽ non potest esse principium illius productionis: quia relatio nõ est principiũ, nec terminus motus ex 5. Phys. ergo Essentia: sed Essentia s̃m se considerata, est indeterminata ad plures Personas, & ad actiones plurium Personarum; ergo oportet quòd ad hoc, quòd ipsa sit principium determinatæ actionis, q̃ determinetur; determinatur autẽ per relationem: & ideo relatio ponitur principium, nõ elicitiuum, sed determinatiuũ. Ad hoc etiã adducitur confirmatio ex creaturis, vbi eadem forma dat actum primum & secundum, sed determinatur ad hunc, & illum ex diuersis respectibus; quia ad primum determinatur ex respectu ad subiectum, & ad secundum ex respectu ad obiectum. H

Contra. Indeterminatio est duplex. Quædam est potentię passiuæ, vt indeterminatio materiæ; & quędam potentiæ actiuæ, illimitatę ad plures effectus. Exemplum. Sicut Sol est indeterminatus ad producendum multa animalia, non quòd aliquam formã recipiat, vt agat, sed quia habet virtutem productiuam illimitatam: quod autem est indetermi-

A terminatum indeterminatione materiæ, oportet quòd recipiat aliquam formam, ad hoc vt agat, quia nō est in actu sufficiente ad agendum: sed quod est indeterminatum indeterminatione potentiæ actiuæ, est ex se sufficienter determinatum ad producendum quemcunque istorum effectuum, & hoc si passum dispositum sit approximatum, vbi requiritur passum, vel ex se ipso, vbi non requiritur passū. Probatio. Si tale actiuum esset de se determinatum ad vnum effectum, posset de se sufficienter producere illum: sed si est determinatum ad hoc, & ad illud, ex tali illimitatione nulla tollitur perfectio causalitatis eius, respectu talis effectus, sed tantū causalitas additur respectu alterius: igitur ita potest producere istud & illud, sicut si esset tantū istius: & ita nō requiritur aliquod determinans.

Ad propositum. Essentia Diuina non est principium indeterminatū, indeterminatione materiæ: igitur sine determinatione alterius, quasi principij actiui, erit simpliciter determinatum determinatione quæ requiritur ad agēdum, ita quòd non requiritur aliquid aliud. Confirmatur. Quia talis indeterminatio principij actiui, licèt sit ad B disparata, non tamen est ad contradictoria, sed determinatè ad alteram partem contradictionis, respectu cuiuslibet istorum disparatorum: nulla autem indeterminatio prohibet ex se determinatè agere; nisi quæ aliquomodo esset ad contradictoria, vt ad agere, & non agere; ergo &c.

Item Secundò. Quando aliquod principium actiuum est indeterminatum ad aliquos duos effectus, nō ex æquo, sed secundùm ordinem naturalem, ex se sufficienter determinatum est ad primum illorū, & posito primo, est determinatum ad secundum: Essentia autem Diuina non est indeterminata ad istas duas productiones ex æquo, sed per priùs se habet ad generationem: igitur est ex se sufficienter determinata ad vtrumque, quia ex se primò, ordine originis ad primam, & illa posita, est determinata ad secūdam, & ita in nullo signo originis est indeterminata ad vtramque, quasi tunc eliciendam.

Item Tertiò. Relatio est ratio, & forma suppositi agētis; igitur si est determinatiua principij Quo, habebit du- C plicem rationem principij respectu generationis, vnam inquantum est ratio agentis, & aliam inquantum est ratio determinatiua principij agendi; & sic ipsa mediabit inter seipsam & actionem.

Item Quartò, sic. Natura vt natura, ponitur principiū elicitiuum illius actionis; ipsa autem vt natura, non est determinabilis secundùm Damasc. lib. 3. c. 6. proprietates determinant hypostases non naturam; vt natura igitur nihil est determinatiuum principij Quo, vt est principiū Quo, sed tantùm principij agentis.

Item Quintò. Relatio secundùm istum Magistrum, tantùm ratione differt à fundamento; ergo non potest esse principium determinatiuum ad actum realem, aliquomodo distinctum ab Essentia, quia nihil concurrit ad rationē alicuius principij, respectu actionis realis, nisi reale.

Item Sextò. Quod dicitur de relatione determinata in creaturis, videtur esse falsum, Quia calor ex se, non per aliquem respectum medium, est fundamentum huius respectus potentiæ calefactiuæ: non oportet etiam quòd deter- D minatio ad actum primum & secundum, fiat per se respectus; quia eadem forma absoluta, dat actum primum absolutum & secundum & non respectiuum, & etiam principium agendi est absolutum, & non respectiuum.

ARTICVLVS TERTIVS.

Propria Quæstionis resolutio datur.

AD Quæstionem igitur respondeo. Distinguendo de potentia. Vno modo dicitur potentia Logica, quę dicit modum compositionis factæ ab intellectu: & ista notat non repugnantiam extremorum, de qua dicit Philosophus 5. Metaph. t. 17. c. de potentia. *Illud de est possibile, cuius contrariū non est de necessitate verum.* Et si hoc modo quæratur de potentia generandi in Diuinis. Dico, quòd ipsa est possibilis, comparando generationem ad quemcūque actum, non repugnantem generationi: & tunc possibilitas est Patris, vel Dei, ad hoc prædicatum, quod est generare, quia isti termini non repugnant; impossibilitas autem est quòd Filius vel Spiritus Sanctus generent, quia isti termini repugnant. E

Et si quæritur. Quid est potentia generandi in Diuinis isto modo? Respondeo. Nō oportet dare aliquod principium, quo aliquis sit potens generare, sufficit enim sola non repugnantia terminorum; sicut si ante mundi creationem, mundus non solùm non fuisset, sed per impossibile Deus non fuisset, & incepisset à se esse, & tunc fuisset potens creare mundum, si fuisset intellectus aliquis ante mūdi creationem, componens hanc, Mundus erit; hæc fuisset possibilis, quia termini non repugnarent; non tamē propter aliquod principium in re possibili, nec propter actiuū siue correspondens, nec etiam modò illa, Mundus erit, fuit possibilis formaliter, loquendo de potentia Dei; sed potentia quæ erat non repugnantia istorum terminorum, quia isti termini non repugnarent; licèt istam non repugnantiā concomitaretur potentia actiua, respectu huius possibilis. Alio modo dicitur potentia diuisa contra actum: ista non est in Deo. F Relinquitur igitur potentia realis, quæ dicitur principium agendi, vel patiendi, vt proximum fundamentum relationum; quia hoc nomen, potentia, nō est abstractum vltimata abstractione, sed est concretum cōcretione ad fundamētum, licèt non concretione ad subiectū: de qua multiplici abstractione in relatiuis, dictum est sup. dist. 5. q. 1. art. 2.

Hic autem tantummodo quæritur de potentia agendi. Et tunc distinguitur. Quòd hoc nomen Potentia, potest sumi vel pro eo quod per se significat, vel pro eo quod connotat, quod est proximum fundamentum talis relationis.

Primò modo accipiendo. Dico. Quòd potentia signat relationem, sicut potentialitas vel principiatio: & hoc modo quæstio non habet difficultatem; quia potentia generandi in Diuinis dicit essentialiter relationem. Secundo modo, est difficultas quæstionis, quærēdo: quid sit illud absolutū, quod est fundamētum proximum istius relationis. Et tunc loquendo semper præcisè de potentia actiua, siue G productiua, de qua est modò sermo. Distinguo vlteriùs, de potentia denominatiuè sumpta. Quòd aliquando sumitur pro suo fundamento præcisè, aliquando autem pro ipso cum omnibus alijs, quæ concurrunt ad hoc, vt possit elicere actum, quæ scilicet requiruntur ad rationem potētiæ propinquæ, cuiusmodi sunt (in creaturis) approximatio passi, & impedimenti remotio.

Ista distinctio vltima, potentiæ acceptæ pro fundamēto præcisè, vel pro ipso cum alijs omnibus concurrētibus, accipitur à Philosopho 9. Metaph. t. 10. Diffinitio autē potentiæ actiuæ, quam ponit 5. & 9. Metaph. t. 17. & 2. est potentiæ actiuæ primo modo sumptæ, potentiam autem secūdo modo sumptam, exprimit ipse manifestè 9. Metaph. cap. 4. *Quoniam,* inquit, *aliquid possibile, & quando, & quomodo, & quęcunque alia necesse est adesse in diffinitione,* Et subdit, *Tales potentias,* scilicet irrationales, *necesse est, vt possint quando passiuum & actiuum appropinquatur, hoc quidem facere, illud verò pati.*

Et si Obijciatur contra eum. Quòd istæ irrationales H possunt impediri. Hoc excludendo, dicit. *Nullo namque exteriorum prohibente adiungere, nihil adhuc oportet; potentiā enim habet, vt est potentia faciendi; est autem non omnino, sed habentium aliquomodo, in quibus excluduntur quę exterius prohibent, remouent enim hoc eorum, quę in determinatione apponuntur quędam.* Vult dicere. Quòd quædam pertinentia ad diffinitionem potentiæ actiuæ vt potentiæ, excludūt impedimentum. Ergo potentia actiua ibi, secundùm eum, accipitur cum omnibus concurrentibus ad possibilitatem propinquam agendi.

Loquendo tunc de potentia, id est, de proximo fundamento istius relationis præcisè sumpto. Dico. Quòd potentia generandi Patris, non est relatio, sed aliquid absolutum.

Partem negatiuam probo. Primò. Quia omnis relatio videtur æquè naturaliter respicere suum propriū correlatiuum; ergo relatio spirantis, suum proprium correlatiuum, sicut relatio generantis, suum: non distinguuntur

A autem in Diuinis productiones per modum naturæ, &
voluntatis, nisi quia principium Quo producens, producit
aliter, & aliter se habet ad productionem & productum,
quia hæc naturaliter, hæc liberè; ergo non essent duę tunc
productiones, formaliter distinctæ per modum naturæ &
voluntatis.
Secundò. Quia tunc eadem relatio esset principium sui
ipsius, quia in Patre non est nisi vnica relatio ad Filium, &
illa est per se, Quo, respectu generationis, quæ scilicet ge-
neratio, est eadem relatio, licèt aliter nominata; ergo &c.
Tertiò. Quia tunc Paternitas esset simpliciter perfe-
ctior Filiatione. Probatio consequentiæ, dupliciter. Pri-
mò. Quia illud quo producens producit, si non est eiusdẽ
rationis cum producti forma, continet eam virtualiter, &
est perfectior ea; ergo si Paternitas est quo Pater agit, &
non eiusdem rationis cum Filiatione, continet Filiationẽ
virtualiter, & est perfectior ea. Secundò. Quia Filiatio
B non dat Filio quòd agat; nihil enim nec ad intra, nec ad
extra producit Filius Filiatione; ergo si Pater Paternitate
agit formaliter, Paternitas erit aliquid pfectius Filiatione.
Partem affirmatiuã solutionis probo. Primò sic. Quod
est perfectionis in principio productiuo, non tollit ab illo
rationem principij productiui; sed communicare se in idẽ-
tate numerali, & adæquata communicatione sibi, ponit
perfectionem in principio productiuo; ergo hoc non tol-
lit ab aliquo rationem principij productiui; sed si Deus (per
impossibile) generaret alium Deum, & ille alius tertium,
Deitas poneretur principium productiuum alterius, & nõ
relatio, & tunc Deitas non communicaret se in identitate
numerali, nec communicaret se cõmunicatione adæquata
sibi, in ratione principij productiui, quia Deitas posset esse
principium alterius communicationis, puta, factæ per im-
possibile à secundo Deo; ergo cum modò Deitas commu-
nicetur in identitate numerali, & communicatione adæ-
quata sibi, ita quòd Deitate non posset esse alia commu-
nicatio numero, eiusdem rationis cum ista; sequitur quòd
multò magis modò ponetur, absolutum esse principium
C productiuum, quàm tunc poneretur.
Exemplum istius est. Si calor in igne, communicaret
se eundem numero, ligno, & communicatione adæquata,
ita quòd iste calor non posset esse principium alterius ca-
lefactionis, non negaretur calorem ignis esse principium
productiuum caloris in ligno, cùm modò de facto pona-
tur calor esse principium illius; & hoc cum duplici imper-
fectione, opposita duplici perfectioni, hìc suppositæ; quia
nunc est ibi diuersitas caloris communicati, & communi-
catio non est adæquata, hìc autem esset identitas caloris,
& communicatio adæquata: & tamen illa hypotesi posita,
lignum calore non posset calefacere: non enim se; quia ac-
cipit calorem calefactione, quæ est ab hoc calore, & tunc
priùs haberet calorem, quàm haberet calorem: nec aliud;
quia ista calefactio ligni, ponitur adæquata illi calori, in
ratione principij actiui.
Ita intelligendum est in proposito. Quòd illud quod
poneretur esse principium alterius communicationis, si
communicatio fieret in diuersitate numerali, & non adæ-
D quata, illud idem debet modò poni principium, quando
fit communicatio eiusdem, & adæquata principio pro-
ductiuo.
Secundò probo idem sic. Aliquid absolutum est termi-
nus formalis generationis; ergo aliquid absolutum est ra-
tio formalis, qua agens agit. Antecedens probatum est,
dist. 5. q. 2. prima ratione contra Primam Opinionem. Pro-
bo consequentiam. Quia impossibile est agens commu-
nicare terminum formalem productionis, nisi agat for-
ma æquè perfecta, si agit vniuocè, vel perfectiori, si æqui-
uocè; in Diuinis autem nihil est perfectius absoluto; quia
absolutum est formaliter infinitum, relatio autem non;
ergo &c.
Huic rationi instatur. Quòd consequentia tantùm va-
let in generatione vniuoca, hæc autem probatur esse æqui-
uoca: Tũ ex parte Personarum: Tum ex productionibus:
Tũ ex ratione differentię specificæ. *Vide Articulo sequenti.*

ARTICVLVS QVARTVS. E

Vtrum generatio in Diuinis sit vniuoca?

VIdetur esse æquiuoca. Tum ex parte Personarum.
Tum ex productionibus. Tum ex ratione differen-
tiæ specificæ.
Prima via, sic. Paternitas & Filiatio differunt specie;
ergo & Personæ constitutæ per eas. Antecedens probatur.
Quia differunt secundùm quidditates, & talis est differen-
tia specifica; tùm quia sunt puri actus, differentia autem
actus & formæ, est specifica. Consequentia probatur. Pri-
mò. Quia non maior distinctio est in principijs, quàm
principiatis. Secundò. Quia eadem est differentia, for-
malium constituentium, & constitutorum. Tertiò. Quia
eadem est differẽtia eorum, secundùm quæ præcisè aliqua
differunt, & ipsorum differentium. Quartò. Quia rela-
tiones sunt idem Essentiæ Diuinæ, sicut Personæ; igitur
propter istud non negabitur differentia specifica Persona-
rum, sicut nec relationum.
Secunda via, de productionibus, arguitur sic. Si produ- F
ctiones differunt specie; ergo & producta. Antecedens
patet. Quia in Diuinis non est productio, nisi vnica vnius
rationis. Consequentia probatur. Tum quia aliter non
esset propositio productionum ad producta. Tum secun-
dò; quia productiones sunt eiusdem rationis cum produ-
ctis. Tum tertiò; quia potentiæ alterius rationis requirũt
obiecta alterius rationis; ergo si producerent sua obiecta,
producerent ea alterius rationis; ergo sicut intellectus &
voluntas, præsupponunt bonum & verum formaliter di-
stincta, ita producerent terminos formaliter distinctos,
vel erunt quibus termini sic distincti producuntur.
Tertia via, de differentia specifica, arguitur sic. Differen-
tia specifica videtur esse perfectior, quàm differentia nu-
meralis. Quod probatur. Quia distinctio specierum,
est de perfectione Vniuersi, non autem distinctio indiui-
duorum; ergo differentia specifica, sicut perfectior, vide-
tur esse ponenda in Diuinis.
Ad ista. Siue generatio ponatur æquiuoca, siue vniuo- G
ca, ratio non infringitur. Quia in æquiuoca generatio-
ne, oportet principium productiuum esse perfectius for-
ma terminante; nihil autem in Deo est perfectius abolu-
to, & specialiter nulla relatio perfectior; absurdissimum
enim videtur dicere, quòd relatio contineat virtualiter Es-
sentiam Diuinam.
Conclusio tamen, ad quam inducunt istæ rationes, sci-
licet, de generatione æquiuoca, videtur esse falsa. Quia cũ
in primo termino generationis, scilicet, in ipso producto,
cõcurrãt duo, scilicet, natura & relatio propria ipsius pro-
ducti, qua est hæc: aut generatio dicitur æquiuoca, vel vni-
uoca, à termino formali generationis, aut à formali pro-
prio ipsi supposito producto. Si primo modo: cùm natu-
ra, quæ est terminus formalis huius productionis, sit eadẽ
in producente & producto, sequitur vniuocatio; quia per-
fectissima similitudo. Si secundo modo: ergo nulla gene-
ratio est vniuoca; quia nullum genitum, in sua forma in-
diuiduali, assimilatur gignenti. H
Hoc etiã arguitur alio modo, & est idem quasi. Quia ge-
neratio & est distinctiua, & est assimilatiua: perfectior au-
tem ratio in ea est, quòd sit assimilatiua, quàm distinctiua.
Quod apparet. Quia sic est à forma, sub ratione formæ,
non sub ratione qua hæc, & ratio formæ est perfectior in
supposito, ista differẽtia indiuiduali: si enim perfectiùs est
in generatione ipsam esse assimilatiuam; ergo secundùm
hoc generatio dicitur esse vniuoca, vel æquiuoca. Si enim
diceretur talis, vel talis, inquantum est distinctiua, quæli-
bet esset æquiuoca; quia quęlibet distinguit: & hæc est im-
perfectior ratio in generatione; quia cõuenit imperfectis-
simę generationi: ergo per hanc non distinguitur vniuoca
ab æquiuoca. Ergo ad propositum. Cùm generatio sit
assimilatiua, quatenus eadem natura communicatur, di-
stinctiua, quatenus est geniti distincti à generante distin-
cto: sequitur quòd penes naturam gignentis & geniti, sit
vniuocatio, & non penes distinctionem eorum, scilicet gi-
gnentis & geniti.

A Tertiò applicatur ad propositum. Quia si illæ duç differentiæ indiuiduales,quæ sunt primò diuersæ,constituũt producta non primò diuersa, sed inter quæ est generatio vniuoca,propter similitudinem in natura: si istæ differentiæ indiuiduales,essent species alterius generis, adhuc nõ constituerent distincta, tanta distinctione, quãta esset earum in suo genere; quia tunc differentiæ indiuiduales cõstituerent primò diuersa. Quòd autem constituta modò, non sunt primò diuersa, hoc est propter naturam, in qua natura indiuidua conueniunt, ita etiam tunc conuenirẽt in eadem natura,licèt differentiæ constituentes,essent species alterius generis, igitur tunc constituta essent eiusdem speciei,sicut modò.

Ad Argumenta igitur in oppositum.

Ad Primum. Dicendum, quòd non est ibi propriè genus,nec species, nec differentia specifica:sed benè cõcedo, quòd Paternitas,& Filiatio, sunt relationes quasi alterius speciei,& alterius rationis;quia sunt oppositæ, & fundatæ supra vnitatem immediatè;sicut similitudo vel æqualitas. Magis etiam distinguitur Paternitas à Filiatione, quàm B Paternitas à Paternitate. Sed cùm infers. Ergo constituta sunt alterius rationis, quasi specificæ. Nego consequentiam.

Et propter probationem consequentiæ. Notandum est. Quòd aliqua dicuntur aliquando magis distingui, propter eorum minorem conuenientiam in aliquo genere,aliqua propter maiorem repugnantiam, vel incompossibilitatem eorum;sicut contraria, magis dicuntur distingui, vt album & nigrum, quàm disparata, vt homo & album:sed hoc modo,non est propriè dictum, aliqua magis distingui;plùs enim propriè distinguuntur,quæ minùs cõueniunt in aliquo genere; & ita distincta genere generalissimo,plùs distinguuntur quàm contraria,quæ sunt eiusdem generis,licèt contraria magis repugnent. Vnde vniuersaliter,quanta est distinctio,id est,repugnantia constituentium,vel formaliter distinguentium,tanta est & constitutorum;quia si albedo,& nigredo, sunt incompossibilia, & constituta per ea sunt incompossibilia: & ita est in proposito;quanta enim est incompossibilitas Paternitatis, C & Filiationis, propter quam Paternitas non est Filiatio, tanta est & Patris, & Filij, ita quòd Pater non est Filius. Sed primo modo accipiendo, nunquam distinguentia cõueniunt tantùm,quantùm conueniunt quæ per illa distinguuntur;sicut patet per omnia distinguentia discurrendo: differentiæ enim specificæ non includunt genus in quo cõueniant,species autem distinctæ per eas, includunt genus in quo conueniunt:& ratio est; quia distinguentia aliquid præsupponunt in ipsis distinctis, quod ipsa distinguentia non includunt in suo intellectu;distincta tamen per ea,includunt illud,ideo distincta conueniunt in illo, distinguẽtia autem ea,non conueniunt in illo.

Et per hoc patet ad Argumenta,& ad probationes. Cũ dicitur de principijs,& principiatis. Dico, quòd maior distinctio,id est,maior non conuenientia, hoc est in paucioribus conuenientia,potest esse principiorum,quàm principiatorum;sicut differẽtiæ specificæ quæ sunt principia specierum,non conueniunt in genere,in quo conueniunt ipsæ species:& ita etiam est de differentijs indiuidualibus,& D indiuiduis,respectu naturæ specificæ.

Per idem patet ad illud de formalibus constitutiuis, & de præcisè distinctiuis. In omnibus enim est falsum,quòd quanta est distinctio vel differentia formalium constituẽtium,tanta sit differentia constitutorum.

Sed adhuc pondero Argumentum. Quia istæ relationes in proposito,sunt subsistentes; igitur tantam differentiam habent inquantum subsistentes, quantam habent in rationibus proprijs;subsistentes autem sunt Personæ; igitur tantam differentiam habent Personæ, quantam habent relationes.

Præterea. Aliqua differentia formali differunt Personæ,& non nisi differentia illa,quæ est relationum, quia nullam aliam habent quàm istam,quæ est relationum;ista autem quæ est relationum,est specifica;ergo ista erit specifica,vel nulla.

Ad ista respondeo. Ad Primum. Quòd licet relationes sint subsistentes,tamen Personæ non tantùm includũt E relationes,sed ipsam naturam in qua subsistunt:relationes autem non includũt formaliter ipsam naturam in aliquo; igitur formaliter conueniunt Personæ,in quo non conueniunt relationes formaliter: & ideo hìc non est tanta distinctio, sicut ibi.

Ad Secundum. Dico,quòd non sequitur; Istis præcisè Personæ distinguuntur,& ista distinguuntur specie; ergo Personæ distinguuntur specie:sicut nec de differentijs indiuidualibus,respectu indiuiduorum. Et cùm dicis. Tunc nulla erit differentia distinctorum,cùm non sit illorum,illa quæ est distinctiuorum, nec aliqua alia per illa. Dico. Quòd per ista potest esse distinctio distinctorum,& aliqua alia quàm sit illa distinctiuorum,vel distinguentium, & minor,sicut per differentias indiuiduales,est aliqua distinctio ipsorum indiuiduorum, alia quàm ipsarum differentiarum,quia differentiæ sunt primò diuersæ, sed distincta non sunt primò diuersa, sed tantùm sunt distincta numero in eadem specie. Ita hìc in proposito. Per relationes distinctas in specie,vel quasi genere,quibus tamen inquãtum sunt distinctiuæ, accidit distingui specie, possunt alia F distingui personaliter tantùm,in eadem specie, siue in eadem natura.

Ad Secundam viam, de productionibus. Nego consequẽtiã. Quia hìc ex perfectione istius naturæ possunt esse aliqua principia alterius rationis, communicatiua tamen ipsius Essentiæ, quod non contingit in aliqua natura imperfecta, & propter distinctionem istorum principiorum formalium, possunt esse productiones alterius rationis,& tamen producta vnius rationis, propter vnitatem termini formalis,scilicet,naturæ quæ communicatur.

Cùm probatur illa consequentia prima, per proportionem. Dico,quòd proportio illa productionis ad terminum formalem est, quòd per ipsam communicatur terminus formalis,sed nõ requiritur talis proportio,quòd productio sit vnius rationis, si terminus formalis sit vnius rationis; quia productiones possunt distingui,per rationes suas formales, aliter quàm ex terminis formalibus, sicut hìc ex G principijs formalibus. Exemplum huius est. Quia quandoque forma eadem,potest acquiri mutationibus alterius rationis;sicut idem Vbi,per motum localem super magnitudinem rectam & circularem,qui motus ita sunt alterius rationis,quòd non sunt comparabiles, secundùm Philosophum 7. Phys. t. 21. ita esset si eadem sanitas posset induci immediatè ab arte,& immediatè à natura.

Cùm probatur illa consequentia secundò,per hoc,quòd productiones sunt eiusdem rationis cum productis. Dico, quòd quoad hoc sunt eiusdem rationis; quia sicut productiones sunt relationes,ita producta sunt relatiua,sed producta sunt subsistentia in aliqua vna natura,& productiones formaliter non sunt supposita subsistentia in illa natura; ideo producta possunt habere vnitatem aliquam,in natura formaliter communicata eis per productiones,quã non habent formaliter productiones.

Cùm arguitur tertiò, de potentiarum distinctione, & obiectorum distinctorum,quòd similis est distinctio obiectorum ad potentias. Patuit responsio dist.2.parte 2.q.4. H Vtrum in Diuinis sint tantùm productiones duæ,&c.

De Tertia via, scilicet de perfectione differentiæ specificæ. Dico. quòd differentia specifica, non est perfectior idẽtitate specifica in Diuinis,sed in creaturis est perfectionis:posita enim limitatione creaturarum, non potest esse tota perfectio in creaturis,absq; distinctione specifica, sed si in aliqua vna natura esset perfectio infinita, ibi distinctio specifica non requireretur ad perfectionem simpliciter. In creaturis igitur differentia specifica, est perfectio supplens imperfectionem, in Diuinis autem,vbi vna natura est simpliciter perfecta, non oportet ponere talẽ perfectionem,supplentem imperfectionem;quia nulla est ibi imperfectio quæ suppleatur. Exemplum. Generatio in creaturis,est perfectio supplens imperfectionem in corruptibilibus, quæ sine generatione non possent conseruari, nec idem numeraliter,nec idem specie:in Diuinis autem, non oportet ponere talem perfectionẽ, supplẽtem imperfectionem aliquam,quæ sit ibi:nec in aliquo æterno.

Ad

A Ad Formam autem Quęstionis,qua quæritur de potentia generandi. An sit aliquid absolutum? Respondeo. Gerundiuum constructum cum potentia,notat actū vt egredientem ab eodem supposito,cui attribuitur potentia. Similiter est de scientia,& voluntate: quando construuntur cum gerundiuo,notant actum vt egredientem,vel potentem egredi ab illo supposito,cui attribuitur sciētia, vel voluntas:propter quod non ita concederetur ista, Filius habet scientiam, vel voluntatem generandi, quomodo concederetur illa,Filius scit generationem Patris,vel vult eā: imò videntur illæ negandæ,sicut istæ,Filius scit generare, & vult generare;quia idem videtur velle agere, & habere voluntatem agendi: sed non idem istis videtur esse, velle actionem;quia hæc non includit eam,velle vt actionē voluntatis,quod alia videntur significare.

ARTICVLVS QVINTVS.

B *Argumenta Primo Articulo contra Opinionem posita, quatenus procedunt contra determinationem,soluuntur.*

QVia autem aliqua Argumenta contra Primam Opinionem sunt contra me. Respondeo ad illa.

Ad Primum. Dico,quòd illa propositio Maior, habet hìc maiorem probabilitatem,quàm in creaturis; quia ista forma sic per se est,quòd illi correspondet propriū Quod, potens agere,puta hic Deus, qui quodam modo præcedit relationes, & sic agit. Patet. Quia sic primò intelligit, & vult; igitur videtur quòd possit in omnem actionem cuius suum Quo,est proprium principium formale; & ita hic. Deus generat primò:& ideo illa Maior, de principio elicitiuo,falsa est;quando principium elicitiuum, si per se existat, non potest esse propinqua ratio ad operandum. Exemplū. Species si ponatur principiū elicitiuū operationis vidēdi in oculo,si per existeret, nō posset esse principiū illius operationis Et ratio esset:quia nō posset esse in potētia propinqua ad agendū; quia non posset habere passum approximatū;quia approximatio,(vt dictum est priùs) requiritur ad rationem potentię propinquæ;sicut autem approximatio requiritur in creaturis,vel amotio impedimētorum:ita dicitur in proposito, quòd requiritur suppositū conueniens ad agendum; ergo forma quæ esset principiū actionis,in supposito distincto, si esset per se existens, nec esset suppositum,nec principium distinctum,nec in supposito distincto conueniēti generationi; & ex quo illud suppositum requiritur ad potentiam propinquam agendi, nō poterit talis forma per se agere: Essentia autem, si per se existat, in aliquo instanti naturæ, ante quam intelligatur esse in supposito,vel Persona;in illo priori, non est suppositum agens,in potentia propinqua ad agēdum; ista enim actio distinctionem requirit aliquorum in ista natura,quę non potest esse,nisi suppositorum; ergo suppositum conueniens huic actioni,est suppositum distinctum, existens in ista natura:in nullo tali est natura, inquantum intelligitur per se esse,si per se sit aliquo modo, antequā in Persona;& ideo non poterit per se agere,ista actione.

Ad aliud,de Quod,& Quo. Dico, quòd illud dictum Philosophi,est verum, in causa & causato: quia ibi est distinctio realis causæ,& principij,quo causat,ab ipso causato: dependentia etiam essentialis est causati ad principium causatiuum,sicut ad causam. Et ratio est ibi. Quia principium causatiuum,non est nisi vnicum,in vno supposito. In proposito autem est oppositum; quia suppositum producens est distinctum; Quo autem producit, est indistinctum, & ideò productum non realiter refertur ad principium Quo, sicut refertur ad principium Quod producit. Et ideò in proposito, nōn est relatio realis principij productiui ad productum, sed producētis est relatio realis,principij autem productiui, est relatio rationis, sicut priùs est dictum,de natura communicante, & communicata. dist. 5.quæst.1.

Ad Tertium. Dico, quòd forma secundùm quod est illud,in quo assimilatur generans generato,non est tātum ens rationis, sed habet aliquam vnitatem præcedentē omnem actum intellectus;quia nullo actu intellectus existēte,ignis generaret ignem, & corrumperet aquam, & hoc propter sui similitudinem naturalem hìc, & contrarietatem ibi: hoc autem magis patebit in quæstione de indiuiduatione.

Ad Damasc. Dico,quòd intelligit de communicabilitate alicuius vnius,secundùm naturam,& secundùm numerum,sicut Essentia Diuina est communis tribus Personis: sed hoc modo nulla est communitas realis in creaturis; est tamen communitas alicuius vnius,vnitate minori, quàm sit vnitas numeralis.

Ad aliud. Cùm dicitur. Forma est principium agendi, inquantum est in hoc. Concludit pro me: quia illud absolutum,quod est Patri potentia generandi,non est potentia generandi Filio.

Cùm arguitur. Quòd generatio priùs est distinctiua, quàm assimilatiua, & quòd ex hoc forma sit priùs elicitiua,vt hæc,quàm vt forma. Respondeo. Quòd priùs secundùm consequentiam, non semper est priùs secundùm causalitatem. Exemplum. Sequitur: Ignis; igitur calidus,& non è conuersò: igitur calidum,est priùs secundùm consequentiam,& tamen ignis,est priùs secundùm causalitatem,ipso calore. Et ita concedo,quòd distinguere, est prius in generatione,quàm assimilare,id est communius; quia multa distinguunt,quę non assimilant:sed distinguere,nō est perfectius in generatione,quàm assimilare; quia conuenit generationi etiam imperfectissimæ, inquantum est à forma,vt hæc. Assimilare conuenit sibi,inquantum est à forma absolutè,& perfectior est ratio formæ, quàm ratio singularitatis.

Concedo tamen argumentum, contra Opinionem ponentem tantùm distinctionem rationis; & non concludit contra me:sicut patebit in sequenti distinct.

Instātia prima de calore,& vegetatiua,non valet. Quia ibi communicatur vtraque forma, & forma principalis actiua, & immediata. Est enim caro genita animata, & habens calorem genitum aliqualem naturalem: vtraque etiam forma est principium generationis; licèt vnum mediatum,aliud immediatum.

G Sed illa alia instantia, de generatione bruti, difficilior videtur,si sensitiua non habeat ibi aliquam operationem, sed vegetatiua tantùm:& de hoc in 2.libro,dist. 18. quando fiet sermo de rationibus seminalibus, quomodo potest esse generatio vniuoca in animalibus, Vtrum in Diuinis possint esse plures Filij.

Argumenta principalia resoluuntur.

AD Argumenta principalia. Primò ad Aug. Dico, quòd intelligit,eo formaliter, non eo fundamentaliter,seu causaliter. Exemplum. Dicimus, quòd Sortes est similis similitudine formaliter, sed dicitur similis albedine fundamentaliter,seu causaliter: ita in proposito, Pater generat generatione formaliter;sed hoc modo nō quęrimus hìc,quo generat, sed quærimus hìc, quo generatio elicitur,vt principio formali elicitiuo, quod scilicet sit fundamentum proximum istius relationis. Intendit igitur

H Aug.quòd,*Eo est Pater,quo est Filius*,id est,illa notione; hoc est;quòd Pater non dicitur,ad se Pater;sed ad Filium: non autem intelligit ibi,quo Pater sit Pater, siue generet, vt principio elicitiuo generationis: sicut patet ibi ex litera sua.

Ad Secundum. Dico: quòd duplex potest intelligi cōmunicabilitas formæ. Vna quæ est vniuersalis, quæ est per identitatem ad multa inferiora,quorum quodlibet est ipsum; sicut vniuersale communicatur singularibus. Alia quæ est ad multa,quorum quodlibet est ipso, sicut forma communicatur materiæ,sed non est ipsum; sicut dictū est de duplici communicatione formæ,dist.2.q.4. Tunc dico, quòd à forma communi primo modo, est operatio cōmunis;quia si formam aliquam in vniuersali acceptam, consequatur aliqua operatio in vniuersali,quamlibet formam singularem sub illa, consequitur operatio singularis,eiusdem rationis, nisi aliqua forma singularis sit imperfecta. Si autem loquamur de secunda communitate,quæ est formæ respectu participantium ipsam, Dico,quòd non oportet

A tet quòd forma cōmunis sit principium operationis communis, & maximè quando habetur à pluribus suppositis secundùm ordinem, ita quòd vni communicatur ab alio, & hoc communicatione adæquata, sicut fuit declaratum in exemplo adducto, in prima ratione, ad partem affirmatiuam quæstionis.

Ad propositum. Dico, quòd Maior est falsa, Operatio propria, est à forma propria; loquendo de appropriatione secundo modo, qualis est appropriatio ista, vel saltem non alia potest intelligi in proposito.

Et cùm probatur prima propositio, Primò. Quia propria forma dat esse; ergo dat agere. Nego consequentiam. Multæ enim sunt formæ dantes esse, quæ non sunt actiuæ; & ita nullo modo dant actum secundum: & talis est Paternitas, sicut & Filiatio.

Quæ autem sit ratio, quare quædam formæ sunt actiuę, & quædam non? Difficile est assignare rationem communem; quia aliquæ formæ substantiales sunt actiuæ, aliquæ autem formæ substantiales nō sunt actiuæ, & aliquę qualitates non sunt actiuæ; & tamen plùs conueniunt B qualitates & qualitates in aliquo conceptu communi, quā qualitates & substantiæ. Similiter, aliquæ formæ substantiales imperfectiores, sunt actiuæ, sicut elementares, & perfectiores non sunt actiuæ, sicut mixtorum, sicut forma lapidis & aliorum inanimatorum: aliquæ etiam mixtorū perfectorum sunt communicatiuæ, sicut animatorum, aliquæ tamen perfectiores non sunt communicatiuæ sui, sicut formæ corporum cælestium, & formæ Angelicæ. Non igitur videtur ratio, quare aliquę formæ in communi sūt actiuæ, & aliquæ non: sicut in speciali, non videtur aliqua ratio, quare calor est calefactiuus, nisi quia calor est calor; & ita videtur quòd hęc sit immediata, calor est caloris effectiuus: ita etiam videtur quòd omnes formę de genere quantitatis, & omnes relationes, de quibus est modò sermo, non sunt actiuę. Et de omnibus talibus non valet, Si dant actum primum; ergo & secundum.

Cùm probatur secundò consequentia, per Philosophū 2. Physic. & 5. Metaph. Dico, quòd loquitur de vniuersali, C & particulari, loquendo primo modo de communi; nō autem accipiendo secundo modo, scilicet, prout eadem forma E numero, est communis participantibus eam: ista. n. cōmunitas non est in creaturis, sed communitas vniuersalis ad participantia, siue cōitas vniuersalis, primo modo dicta.

Ad Tertium. Cùm arguitur de medio & extremis. Dico, quòd quoddam est mediū per participationem vtriusq; extremi, sicut fuscum, quod est medium inter album, & nigrum, quod est medium ex natura rei; & de tali verum est, quod est in eodem genere cum extremis, sicut probat Philosophus 10. Met. Aliud est medium aliquomodo accidentaliter sumptum, sicut operatio inter operans & terminū, istud non oportet esse eiusdem generis non extremis: quia quando anima intelligit se, intellectio eius est qualitas, & tamen operans & obiectum sunt substantiæ: tale autem medium accipitur in proposito, videlicet, ipsum Quo, inter suppositum generans, & generatum. Vel potest dici, quòd ipsum Quo, non est medium propriè, sed tenet se ex parte alterius extremi, scilicet generantis, proprium autem medium (si quod detur) potest dici generatio, & de illa verū est, quòd est eiusdem rationis cum extremis, quia ipsa est F relatio, sicut extrema sunt relatiua.

Ad Quartum, de potentia & actu. Dico, quòd æquiuocatur de potentia. Vera est enim Maior, vt potentia est differentia Entis, condiuidens Ens contra actum; quia sic Ens in communi, non tantùm diuiditur per actum & potentiam, sed etiam quodcunque genus Entis, & quæcunq; species, & indiuiduum; quia sic eadem albedo est in potētia, & postea in actu. Et hoc modo ad idem genus pertinent actus & potentia. Hoc modo propriè loquendo, non est potentia generandi in Diuinis propriè, scilicet, quæ opponatur actui; quia illa generatio est simpliciter in actu, & necessaria, & ideò non est in potētia, vt potentia repugnat actui: sed hìc est sermo de potentia vt est principium; & hoc modo ista propositio est falsa, quæ dicit, quòd potentia est eiusdem generis cum actu: potest enim forma substantialis, esse principiū actionis de genere Actionis, & actionis de genere Qualitatis: sicut tactum est supra, distinct. 3. quæst. de notitia genita, quòd subiectum est per se causa, G propriæ passionis.

DISTINCTIO OCTAVA.

QVAESTIO PRIMA.

Vtrum Deus sit summè simplex?

CIrca istam Distinctionem Octauam, quæruntur 5. videlicet quatuor pertinentia ad Primam partem Distinct. & vnum quod pertinet ad Secundam partem Dist. Et Primò quæro.

D *Vtrum Deus sit simplex, & perfectè talis.*

QVòd non. Quia simplicitas non est simpliciter perfectionis; ergo non est ponenda in Deo, vt essentialis. Probo antecedens. Quia si esset simpliciter perfectionis; ergo quælibet res habens eam, esset simpliciter perfectior non habente, & ita materia prima esset perfectior homine; imò generaliter, incorruptibilibus & generabilibus compositiora sunt perfectiora.

Item. Perfectionis est, formæ posse dare esse, licèt imperfectionis sit, dependere à materia; ergo si prima ratio separetur à secunda (quia non videtur esse contradictio in tali separatione) potest esse Deitas forma dans esse, licèt ipsa non dependeat ab ipso, cui dat esse; & ita potest ibi poni sine imperfectione compositio materiæ & formę, vel saltem componibilitas Dei vt formæ.

Item. Quod vni est non substantia, nulli est substantia: ex 1. Phys. t. 26. sed sapientia in nobis est accidens; ergo in nullo est substantia, vel non accidens; sed in Deo est H sapientia, secundùm eandem rationem, secundùm quàm est in nobis; igitur est ibi accidens: & ita compositio, subiecti & accidentis.

Contra 7. de Trinit. cap. 6. vel 22. *Deus verè & summè simplex est?*

ARTICVLVS PRIMVS.

Resoluitur Quæstio.

AD Quæstionem. Respondeo. Et Primò. Probo simplicitatem Diuinam per media quædam particularia. Secundò, ex medijs communibus, scilicet, ex infinitate, & necessitate essendi.

Primo modo procedendo. Ostendo Primò simplicitate, oppositam compositioni, ex partibus essentialibus. Secundò oppositam compositioni, ex partibus quantitatiuis. Tertiò, oppositam compositioni, ex subiecto & accidente.

Primum

A Primum sic. Causalitas materiæ & formæ,non est simpliciter prima: necessariò enim præsupponit causalitatem efficientis priorem; ergo si primum esset compositum ex materia & forma,præsupponeret causalitatem causæ efficientis:non autem huius;quia idem non efficit se,coniungendo materiam suam cum forma; ergo alicuius efficientis prioris:ergo Deus non esset primum efficiens;cuius oppositum probatum est dist.2.q.1. Probatio primæ propositionis. Causalitas materiæ & formæ includit imperfectionem,quia rationem partis; causalitas efficientis & finis, nullam imperfectionem includit, sed perfectionem: omne autem imperfectum reducitur ad perfectum, sicut ad prius se essentialiter;ergo causalitas materiæ & formæ, non est simpliciter prima.

Idem probo sic. Materia de se, est in potentia ad formam,& hoc passiua,& contradictionis,quantùm est de se; ergo non est ex se sub forma,sed fit sub forma, per aliquā aliam causam,reducentem ipsam materiam ad actum for-
B mæ,ista autem causa reducens,non potest tantùm dici forma inquantum forma;quia sic non reducit materiam,nisi actuando formaliter ipsam materiam: ergo oportet ponere aliquid, reducens effectiuè ipsam materiam ad istam actualitatem; ergo si primum esset compositum ex materia & forma,esset aliquod efficiens,per cuius efficientiam, esset materia eius sub forma: & ita ipsum non esset primū efficiens,vt priùs.

Tertiò sic. Omnis entitas vna causata, habet aliquam vnam causam, à qua est eius vnitas; quia non potest poni vnitas in causato,sine vnitate in causa: vnitas igitur compositi,cùm sit causata, requirit aliquam vnam causam, à qua sit illa entitas causata: illa causa non est entitas materiæ nec formæ,quia vtraque est entitas diminuta,respectu entitatis compositi; igitur præter illas, scilicet materiæ & formæ,oportet ponere aliquam aliam;illa erit efficiens:& ita redit idem quod priùs.Quia omni composito ex materia & forma,erit aliquid prius.

Secundam,videlicet, carentiam compositionis quanti-
C tatiuæ,videtur Phil.probare 8.Phys.t. 78.& 12.Met.t.41. Quia primum est potentiæ infinitæ; potentia autem infinita, non est in magnitudine. Et hoc probat. Quia maior potentia,est in maiori magnitudine, & ita infinita potentia non potest esse in magnitudine finita: nulla est autem magnitudo infinita; ergo nec aliqua potentia infinita in magnitudine.

Sed istud argumentum videtur deficere. Quia qui poneret potentiam infinitam,esse in magnitudine,diceret ipsam esse eiusdem rationis in qualibet parte magnitudinis, & in tota magnitudine; & ita in maiori,& in minori: sicut anima intellectiua est tota in toto, & tota in qualibet parte corporis; nec maior in maiori, & minor in minori corpore, nec maior in toto corpore, quàm in parte: & si animam istam consequeretur infinita potentia intelligendi,ipsa potentia esset in magnitudine finita,& ita in parte, sicut in toto,& in parua parte,sicut in magna. Ita diceretur in proposito, quòd potentia infinita in magnitudine finita,esset eiusdem rationis,in toto,& in parte.

D Declarando ergo rationem Arist. Dico: quòd Conclusio sua est ista, Quòd potētia infinita,non est in magnitudine finita:extensā per accidens,ad extensionem magnitudinis. Et hoc probat ratio sua, hoc modo. Quæcunque potentia est extensa per accidēs(,cæteris paribus)maior est & efficacior in maiori magnitudine,licèt non sit maior, id est,formaliter intensior; quia paruus ignis potest plùs habere intensiuè de calore,quàm magnus, si sit multum rarus,& alius densus. Ideo additur in Maiori, Cæteris paribus. Exemplum. De calore in igne:qui licèt sit ęqualis intensionis in parte, & in toto,tamen maior ignis maioris est potentiæ,id est,efficacioris est potentiæ in toto, quàm in parte:& ex hoc sequitur; quòd omnis talis potentia extensa per accidens,quamdiu est in magnitudine finita, potest intelligi crescere in efficacia, per augmentum magnitudinis; sed quamdiu intelligitur posse crescere in efficacia, non est infinita secundùm efficaciam: & ex hoc sequitur,quòd omnis talis potentia extensa per accidens,quamdiu est in magnitudine finita,est intensiuè finita,& nō infinita; quia infinitas intensiuè, non potest esse sine infini- E
tate in efficacia: & ex hoc sequitur quòd potentia infinita in efficacia,non est in magnitudine finita, nec etiam potētia infinita intensiuè. Et tunc vltra. Cùm non sit aliqua magnitudo infinita:patet, quòd non est aliqua talis potētia infinita in magnitudine.

Sed quid hoc ad propositum, quòd omnino talis potentia non sit in magnitudine? Respondeo. Coniungendo huic istam Conclusionem, quam priùs probauit Philosophus, quòd scilicet tale potens est sine materia, sequitur propositum;quia omni extensione aliquid extenditur: vel si extensio erit aliquid per se existens, aliquid esset forma informans extensionem,extensa per accidens; ergo si potentia ista infinita ponatur in magnitudine: quæro, quid est illud quod est extensum ipsa magnitudine, vel ipsa extensione magnitudinis? Non ipsa potentia infinita, sicut probatum est;nec ipsa perficit ipsam,sicut forma materiā; quia non est materia, ex Conclusione præostensa; ergo oportet ponere materiam extensam ista magnitudine,qua materia perficeretur potentia infinita, sicut materia no- F
stra, vel corpus nostrum, extenditur magnitudine per se extensa,& perficitur per animam intellectiuam non extēsam;sed nulla materia est in habente talem potentiam, ex præostensa Conclusione à Phil.ex illa igitur materialitate, præostensa per Phil. & modò ostensa in ista Conclusione, habet ista ratio efficaciam.

Tertia Conclusio specialis, probatur ex istis. Quia.n. Deus non est materialis, nec quantus; ideò non est capax accidentis alicuius materialis, conuenientis rei materiali, sicut est qualitas rei materialis:ergo tantùm est capax illorum,quæ conueniunt spiritualibus,puta intellectionis, & volitionis, & habituum illis correspondentium; sed talia non possunt esse accidentia illi naturæ, sicut probatum est dist.2.quòd intelligere eius,& velle, sunt substantia eius, & habitus,& potentia.

Secundò probo generaliter propositum.

Primò, ex ratione necesse esse. Quia si primum sit cōpositum, sint componentia A. & B. Quæro de A.si sit formaliter ex se necesse esse,aut non,sed possibile esse? Alterū G
enim horum oportet dare,in quacunque re, siue natura, ex qua aliquid componitur: si est ex se possibile esse; ergo necesse esse ex se,componitur ex possibili esse;& ita nō erit necesse esse ex se:si autem A.est ex se necesse esse; igitur est ex se in vltima actualitate, & ita cum nulla facit per se vnum.Similiter si A.est ex se necesse esse,compositum erit necesse esse per A.& pari ratione erit necesse esse per B. & ita erit bis necesse esse: erit etiam compositum necesse esse per aliquid,quo sublato nihil minùs erit necesse esse:quod est impossibile.

Secundò ostendo generaliter propositum,per rationem infinitatis. Et primò, quòd Deus non sit componibilis, per hoc, quòd omne componibile potest esse pars alicuius totius compositi,quod est ex ipso,& alio componibili;omnis autem pars potest excedi;contra rationem autem infiniti est,posse excedi; ergo infinitum non est componibile; sed Deus est infinitus;ergo non est componibilis.

Et confirmatur ratio, & quasi idem est. Quia omne
componibile caret perfectione illius,cū quo componitur; H
ita quòd illud aliud componibile,non habet in se omnem perfectionem, & omnimodam identitatem cum illo,quia tunc non posset cum illo componi; nullum autem infinitū caret eo, cum quo potest aliquomodo esse idem, imò omne tale habet in se,secundùm perfectam identitatem,quia aliàs posset intelligi perfectiùs,puta si haberet illud in se, sicut compositum habet,& istud infinitum non habet;cōtra rationem autem infiniti est simpliciter, quòd ipsū possit intelligi perfectiùs,vel aliquid perfectiùs eo.

Et ex hoc sequitur vlteriùs, quòd sit omninò incompositus. Quia si sit compositus, aut ex finitis,aut ex infinitis:si ex infinitis; nullum tale est componibile,ex probatis: si ex finitis,ipsum non erit infinitum; quia finita non reddunt aliquid infinitum, in perfectione, sicut modò loquimur.

A

ARTICVLVS SECVNDVS.

Argumenta principalia soluuntur.

AD Primum Argumentum. Dico, quòd simplicitas est simpliciter perfectionis, secundũ quod excludit componibilitatem, vel compositionem, ex actu & potentia, vel ex perfectione & imperfectione, sicut dicetur in sequenti quæstione; non tamen sequitur, quòd omnis creatura simplex, sit perfectior creatura nõ simplici; quia aliquid quod est simpliciter perfectionis, potest repugnare alicui naturę limitatæ, & ita illa non esset simpliciter & perfectè talis natura, si haberet illud quod repugnat sibi; sicut canis non esset simpliciter canis perfectus, si esset sapiens, quia repugnat sibi sapientia. Similiter alicui naturæ limitatæ, potest repugnare aliqua perfectio simpliciter, & aliqua non; & tunc non sequitur illam naturam non esse perfectiorem, cui competit talis perfectio, quàm cui repugnat; maximè quando illi cui ista repugnat, conuenit alia perfectio simpliciter, B quæ fortè est simpliciter perfectior illa alia repugnante. Exemplum. Actualitas est perfectio simpliciter, & simplicitas est perfectio simpliciter; composito autem conuenit maior actualitas, licèt non maior simplicitas, materię aũt licèt conueniat simplicitas, non tamen tanta actualitas, quanta competit composito: simpliciter autẽ actualitas, est perfectior simplicitate, & ita simpliciter pfectius potest esse illud, cui conuenit actualitas sine simplicitate, quàm illud cui conuenit simplicitas sine actualitate.

Sed hìc videntur duo dubia. Vnum, quomodo perfectio simpliciter erit, quç non erit perfectio vbicunque sit? cùm de ratione simpliciter perfectionis sit, quòd ipsum sit simpliciter melius, quàm nõ ipsum, in vnoquoque, secundùm Ansel. Monol. 15. Secundum dubium est, quomodo vna perfectio simpliciter est perfectior alia absolutè?

Ad Primum. Dico, quòd illa descriptio, debet sic intelligi, quòd perfectio simpliciter est melius, non tantùm suo contradictorio, ita enim quodcunque positiuum est melius, & simpliciter perfectius, sua negatione, imò nulla ne- C gatio est perfectio aliqua formaliter; sed intelligitur sic, esse melius ipsum, quàm non ipsum, id est, quolibet suo incompossibili: & tunc debet intelligi hoc, quod dicitur: In quolibet est melius: considerando quodlibet præcisè, inquantum suppositum, non considerando in qua natura illud suppositum subsistat: considerando enim aliquid inquantum subsistit in aliqua natura, potest aliqua perfectio non simpliciter, esse melior sibi, quia incompossibilis, vt est in tali natura, quia repugnat tali naturæ, tamen ei, inquantum præcisè subsistens, non repugnat: sed si hoc modo consideretur illam habere, erit simpliciter perfectius Ens, quàm si haberet quodcunque sibi incompossibile.

Ad Secundum dubium. Dico, quòd requirit declarationem, quis sit ordo perfectionum simpliciter? Et modò breuiter supponatur. Quòd aliquis ordo perfectionis sit inter eas, ita quòd vna ex ratione sui est perfectior alia præcisè sumpta; licèt quando quælibet est in summo, sint D tunc omnes æquè perfectè, quia infinitæ; & quælibet tunc est infinita: de hoc aliàs dicetur.

Ad Secundum principale. Dico, quòd dare alicui esse formaliter, necessariò ponit limitationem; quia sic dans esse, non includit per identitatem illud cui dat esse, nec potest separari à sic dare esse imperfectio, quia nec limitatio, nec etiam dependentia omnimoda; licèt enim separetur ab eo dependentia ad materiam, semper tamen manet dependentia ad efficiens, virtute cuius forma informat materiam.

Et si instetur de Verbo, quòd dat esse naturæ humanæ. Dico, quòd hoc non est dare esse formaliter, sicut patebit lib. 3. dist. 1.

Ad Tertium. Dico, quòd sapientia, secundùm illam rationem, secundùm quam est species qualitatis, & accidens in nobis, non est eiusdem rationis in Deo: sicut meliùs patebit in quæstione illa, Vtrum Deus sit in genere: distinct. ista 8.

QVÆSTIO SECVNDA. E

Vtrum creatura aliqua sit simplex?

ET arguitur quòd sic. Compositum componitur ex partibus, & illæ non ex alijs; igitur partes illæ in se sunt simplices.

Oppositum huius est, 6. de Trin. c. 5. vel 18. vel 19. vbi dicit Aug. quòd *nulla creatura est in se simplex.*

Hic dicitur, (*à D. Tho. 1. p. sum. q. 3. art. 4. & art. 2. in solu. 3. & 4. arg.*) Quòd quælibet creatura est composita ex actu & potentia. Quia nulla est pura potentia; quia tunc non esset nec purus actus, quia tunc esset Deus; ergo quælibet creatura est composita ex actu & potentia.

Præterea. Quælibet creatura est Ens per participationem; ergo est composita ex participante & participato.

Contra istã Conclusionẽ arguo sic. Quia si in quolibet sit cõpositio ex re & re: accipio illam rem cõponentem, & quæro, si est simplex aut cõposita? Si simplex; habetur propositum: si composita; erit processus in infinitum in rebus.

Cõcedo igitur, quòd aliqua creatura est simplex, hoc est F nõ composita ex rebus, tñ nulla creatura est perfectè simplex, quin aliquomodo sit composita, & componibilis.

Et quomodo composita, declaro sic. Quia habet entitatẽ cum priuatione alicuius gradus entitatis; nulla enim creatura habet entitatem, secundùm totam perfectionem, quæ nata est esse entitatis in se: & ideo caret aliqua perfectione, quæ est nata competere entitati in se, & ideo priuatur, sicut talpa dicitur esse cæca, quia nata est habere visum secundùm rationem animalis, non secundùm rationem talpæ, secundùm Phil. 5. Met. c. de priuatione. t. 27.

Componitur igitur non ex re, & re positiuis: sed ex re positiua, & priuatione, id est, ex entitate aliqua, quam habet, & ex carentia alicuius gradus perfectioris entitatis, cuius ipsum non est capax, tamen ipsum Ens est capax, sicut talpa secundùm se non est nata videre, sed secũdùm quòd animal, nata est videre: nec ista tamen compositio ex positiuo & priuatiuo est in essentia rei: quia priuatio non est de essentia alicuius positiui.

Ad istam etiam sequitur compositio actus & potentiæ G obiectiuæ: quicquid enim est Ens, & caret aliqua perfectione Entis, est simpliciter possibile, & terminus potentię simpliciter, cuius terminus non potest esse Ens infinitum, quod est necesse esse.

Est ẽt quælibet creatura cõponibilis: quod patet de accidente quod est cõponibile cum subiecto: in substantia ẽt patet, tàm de forma, quã de materia: de substantia ẽt per se generabili & corruptibili patet, ꝙ est receptiua accidentis. Nulla igitur substantia esset non receptiua, nisi pp perfectionẽ sui; sed perfectissima intelligentia est receptiua accidẽtis, quia capax est suæ intellectionis, & volitionis, quæ non est substantia sua. Probatio. Quia tunc esset formaliter beata seipsa, cuius oppositum probatũ est, dist. 1. Tùm quia quælibet intelligentia potest intelligere infinita, quia omne intelligibile; ergo si intellectio sua esset sua essentia, posset habere essentiam infinitam, quia haberet vnam intellectionem infinitorum. Tùm quia intellectio sua non dependeret ab aliquo obiecto, nisi à quo dependet suũ esse, & ita nihil inferius se, nec ẽt se posset intelligere in ge- H nere proprio, sed tantũ in obiecto superiori mouente; imò nihil posset aliqua intelligentia intelligere, nisi in Deo.

Ad Argum. principale Aug. Concedo, quòd nulla creatura est verè simplex, quia cõposita modo prædicto ex positione & priuatione, actu & potentia obiectiua, & componibilis alij creaturæ.

Et per idẽ, patet ad Argumenta pro Opinione Prima. Non. n. est actus purus, qui caret aliquo gradu actualitatis; sicut non esset lux pura, quæ caret aliquo gradu lucis; licèt cũ illa luce impura, non misceatur aliqua alia entitas positiua, sed tantùm carentia perfectioris gradus lucis.

Ad Secundum, de participare. Dico, quòd participare est idem quod partem capere, ita quòd duplicem relationem importat, & partis ad totum, & capientis ad captum.

Prima est realis: nec tñ sumitur ibi pars propriè, pro eo quod est aliquid rei, sed extensiuè, prout omne minus, dicitur pars maioris: omne aũt infinitum tale, est simpliciter

A minus tali,si aliquid tale est natũ esse infinitum; quælibet autem perfectiò simpliciter nata est esse infinita;ergo vbicunque est finita,ipsa est minor alia perfectione simili, & ita pars extensiue. Secunda verò relatio, scilicet capientis ad captum,est relatio rationis,sicut inter dans & datum.

Tripliciter tamen pars capitur. Aut pars capitur sic, quòd totum captũ est pars capientis, sicut species participat genus,quant ũad partes essentiales generis,non subiectiuas:aut sic, q̃ pars capti est pars capiẽtis:aut tertio modo sic,q̃ pars capti, sit ipsum totum capiẽs. Primis duobus modis relatio capientis & capti,potest concedi esse realis; tertio modo,non.Iste autẽ tertius modus est in proposito; quia omnis perfectio limitata,quę tamen non determinatur ex se ad limitationem quæ est pars capta, est ipsa tota limitata, benè autem ibi distingui potest suppositum capiens,& natura capta,sed non est sic distinctio realis.

QVÆSTIO TERTIA.

B *Vtrum Deus vel aliquid dictum de Deo,sit in genere?*



Tertiò quæro,scilicet,Vtrum cum simplicitate Diuina stet,quòd Deus,vel aliquid formaliter dictum de Deo,sit in genere?

Quòd sic. Quia Deus formaliter est Ens:Ens autem dicit conceptum dictum de Deo in Quid:& iste cõceptus non est proprius Deo,sed communis sibi,& creaturis, sicut dictum fuit dist. 3. ergo oportet ad hoc quòd fiat proprius, quòd determinetur per aliquem conceptum determinantem; ille determinans se habet ad conceptũ Entis,sicut conceptus Qualis,ad conceptum Quid;& per cõsequens vt conceptus differentiæ ad conceptum generis.

Præterea Auicen.2.Met.c. 1. *Ens in subiecto, & Ens non in subiecto,non habent medium.* Et videtur loqui,secundùm quod Ens non in subiecto, est ratio substantiæ, & Ens in subiecto,est ratio accidentis. Deus igitur cùm sit Ens formaliter,& non Ens in subiecto:ergo Ens est formaliter nõ in subiecto;ergo substantia: substantia autem vt substan- C tia est genus;Ergo.&c.

Præterea. Vbi est species,ibi est genus,secundùm Porphyr.quia sunt correlatiua; sed natura Diuina est species, respectu Diuinarum Personarum,secundùm Damasc.c.5. ergo Deus est in genere.

Item.Sapientia formaliter dicitur de Deo:& hoc secundùm eandem rationem,secundũ quã dicitur de nobis:quia illæ rationes quæ dictæ sũt dist.3.q.1.de vniuocatione Entis,concludunt de vniuocatione sapientiæ; igitur secũdùm illam rationem, secundùm quam sapiẽtia dicitur de Deo, est species generis. Et hoc probatur per dictum antiquorũ Doctorum,qui dicũt,quòd species transfertur ad Diuina, quia dicit perfectionẽ;licèt non genus,quia dicit imperfectionẽ; vt sapiẽtia transfertur ad Diuina,licèt nõ qualitas.

Contra est Magister in litera.Et adducit Aug.& ostẽdit per eum, quòd remouentur à Deo,illa prædicamenta artis Dialecticæ.

ARTICVLVS PRIMVS.

D *Narratur Opinio, negans etiam transcendentalem conceptum communem Deo & creaturæ, nedum genericum, & reijcitur.*

HIC sũt duæ Opiniones extremæ.Vna negatiua.*(Her. in sum.art.*22.q.1. 2.& 3.) Quæ dicit. Quòd cũ simplicitate Diuina non stat, quòd aliquis sit conceptus cõmunis Deo vniuocus,& creaturæ. De qua dictũ est supra dist. 3.q.1.Ad hoc ponuntur quædam rationes priùs non tactæ.

Prima est ista.Illis quæ sunt totaliter & immediatè sub extremis contradictionis,nihil est cõe vniuocum; Deus & creatura sunt totaliter,& immediatè sub extremis cõtradictionis,s.dependere non dependere,causatum & non causatum,esse ab alio,& nõ ab alio;ergo nihil est eis commune vniuocum.

Itẽ Secundò,sic,& est cõfirmatio illius rationis. Omnis conceptus cõis,est neuter respectu illorũ, quibus est communis;sed nullius est conceptus neuter, respectu contradictoriorum,quia est alter eorum;ergo.&c.

Itẽ Tertiò,sic.Quia primò diuersa in nullo cõueniũt; E sed Deus est primò diuersus à quacunq; creatura;alioquin haberet quo conueniret, & quo differret, & ita non esset simpliciter simplex; ergo Deus in nullo cõuenit in creatura;& ita nec in aliquo conceptu communi.

Item Quartò,sic. Vbi tantùm est vnitas attributionis, non potest esse vnitas vniuocationis; sed oportet ponere vnitatem attributionis creaturæ ad Deum, in ratione Entis,ergo in hoc non est vniuocatio.

Ad hoc etiam adducitur intentio Dionys.de diuinis nomin. qui ponit tres gradus cognoscendi Deum. s.per eminentiã,per causalitatem,& per abnegationẽ: & ponit illã cognitionem per abnegationem esse vltimam; quando remouentur à Deo omnia illa quæ sunt communia creaturis; ergo non intelligit ipse,quòd aliquis conceptus,qui est abstractus à creaturis,remaneat in Deo,secundùm quod fuit communis creaturæ.

Ad hoc ẽt est Aug.8.de Tri.c.4.vel 10. *Cũ itaque* inquit *audis bonum hoc,et bonum illud, quę possunt aliàs dici etiã non bona:si potueris sine illis,quę participatione boni bona sũt,perspicere ipsum bonum,cuius participatione bona sunt,simul.n. et ipsum intelligis,cũ audis hoc aut illud bonũ;si ergo potueris illis* F *detractis,perspicere per se bonũ,perspexeris Deum, et si amore adhæseris,cõtinuò beatificaberis.* Hæc ille. Igitur vult dicere, quòd in telligendo hoc bonum, & illud bonum, intelligo illud bonum,cuius participatione illa sunt bona: hoc autẽ est bonum infinitum; ergo non habeo tantùm ibi conceptum boni in communi,sed etiam boni per essentiam.

Contra istam positionem sunt duæ rationes, quæ tactæ sunt superius,dist.3.q.1.Vna.Quia tunc non posset conceptus ille proprius Deo,causari in intellectu nostro. Quicquid.n.est naturaliter mouens intellectũ nostrũ, pro statu isto,siue intellectus agens,siue phantasma, siue species rei intelligibilis, habet pro effectu adæquato causare in nobis conceptũ illius quidditatis,& eorum quæ continẽtur in tali quidditate essentialiter,vel virtualiter; conceptus autem ille proprius Deo, neutro modo continetur in ista quidditate,nec essentialiter,nec virtualiter. Quòd non essentialiter;patet: quia negas vniuocationem. Quòd non virtualiter; probo. Quia perfectius nunquam continetur in minus G perfecto;ergo nunquam habetur in via cõceptus proprius Deo: quod falsum est: ergo conceptus vniuocus Deo & creaturæ,potest haberi.

Responsio aliquorum *(Henr.quol.5.q.7.)* ad hanc rationẽ est. Quòd Ens ratum facit notitiã de se,inquantum Ens ratum est,hoc est, inquantum est relatum ad primũ Ens: & ita concipere illud sub ratione illa,non est concipere illud sub ratione absoluta,sed sub ratione relata ad primum Ens;relatio autem habet causare in intellectu conceptum correlatiui,siue relationis correspondẽtis, & cùm non cõcipiatur,vt in se subsistens,relatio correspõdens, concipietur aliquomodo virtute istius, fundamẽtũ illius relationis.

Contra. Istud argumẽtum videtur stare. Quia si est dare aliquid adequatum,obiecto à nobis naturaliter cognoscibili,& intelligibili, qualitercunq; sit præsens intellectui nostro, potest facere conceptum de se,& de his quæ inclu- H dit essentialiter vel virtualiter; & (secundùm iam dicta) nullo modo includitur illud absolutum, quod est fundamentũ relationis, in Deo,vt probabo; ergo sequitur quòd nullo modo fiat in nobis conceptus illius absoluti: & ita nullum cõceptum alicuius absoluti, poterimus de Deo habere naturaliter. Probatio assumpti. Quia licèt dicta responsio supponat, quòd relatio in creaturis priùs naturaliter concipiatur, quàm relatiò sibi correspondens, vel fundamentum relationis correspondentis: quod credo esse falsum; quia terminus relationis naturaliter præintelligitur relationi,sicut & fundamentum: licèt etiã supponat quòd res creata relata non intelligitur à nobis, nisi inquantum relata;quod improbatum est dist. 3.q.de vestigio, & videtur esse contra Aug. 7. de Trin. c. 4. vel 32. *Omnis res ad se subsistit,quantò magis Deus?* loquitur autem ibi de subsistẽtia, vt qua naturaliter est res creata, & naturaliter in se subsistit,alioquin nõ esset argumentum. Si omnis res ad se subsistit,quantò magis Deus? si idem accipiatur in præmissa,& in Conclusione.

His,

His, inquam, omissis, quæ fortè ab aduersario negarentur, arguo sic. Relatio in creatura licèt habeat in virtute sua causare conceptum relationis sibi correspondentis, tamen illa relatio correspondens sibi, non includit in se aliquem conceptum absolutum, in quo fundetur; quia relatio Dei ad creaturam, quæ est tantùm rationis, non includit in se Essentiam Diuinam, vel aliquam perfectionem absolutam in Deo, quæ perfectio realiter est ipsa Essentia: quã tamen Essentiam, vel perfectionem absolutã, oportet ponere esse fundamẽtum relationis Dei ad creaturam: & ita non posset per relationes istas causari in nobis aliquis cõceptus, de perfectionib. absolutis, nisi relatio altera haberet in se virtualiter illud absolutum, quod est propria perfectio Dei: quod est impossibile.

Istud etiam probatur. Quia secundũ eos, Essentia Diuina, non est nata facere de se, nisi conceptum vnicum in intellectu; ergo non est natus haberi de ea, nisi vnicus cõceptus realis. Hæc consequentia probatur. Quia omnem conceptum realem natum haberi de ea, quantùm ad intelligentiam simplicem, ipsa nata est facere in intellectu, hoc enim competit obiectis imperfectioribus. Vlteriùs infero. Ergo quodcunque obiectum natum est facere de illa Essentia aliquem conceptum realem, natum est facere illum vnicum, qui natus est haberi de ea; quia si non illum, tunc nullum de ea; sed nulla creatura potest illum vnicum causare; quia tunc ex creatura posset cognosci sub ratione qua est hæc essentia singularis, ergo per nullam creaturã, secundùm illam Opinionem, potest haberi aliquis conceptus singularis, de Essentia Diuina.

Secunda ratio tacta in Quæstione prædicta, erat de cõceptu vno certo, & duobus dubijs, qui certus est communis illis.

Respondetur ibi, (*apud Henr. vbi sup. & art. 24. q. 6. & 7.*) tripliciter. Primò. Quòd aliquis conceptus idem, est certus & dubius, vt conceptus Sortis & Platonis dubius est, conceptus alicuius hominis, est certus; & tamen iste, & ille, est idem.

Hoc nihil est. Quia licèt conceptus idem posset diuersificari penes modos Grammaticales, & Logicales. Grammaticales, vt penes quoscunque modos significandi, Logicales, vt penes quoscunq; modos cõsiderandi diuersos, sicut penes vniuersale & particulare, vel penes explicitè & implicitè: explicitè, sicut diffinitio exprimit: implicitè, sicut diffinitũ exprimit: & per istas differentias possunt poni, nõ tantùm certitudo, & incertitudo, sed etiam veritas & falsitas, congruitas, & incongruitas: tamen quòd idẽ conceptus, eodem modo conceptus, quantùm ad istos modos, sit certus & dubius, hoc est idẽ omninò affirmare & negare; ergo si conceptus de Ente est certus, & cõceptus de Ente creato & increato est dubius, non est hoc propter modos significãdi diuersos Grãmaticales, nec penes diuersos modos concipiendi Logicales; vel igitur erit alius cõceptus simpliciter, & alius; quod est propositum: vel conceptus diuersificatur penes modũ concipiendi particularis, & communis; quod est etiam propositum.

Aliter dicitur (*ab eodem in sum. art. 22. q. 1. 2. & 3.*) Quòd sunt duo conceptus, propinqui tamen, & propter istã propinquitatem, videntur esse vnus. Et est certus de vno, hoc est, de illis duobus confusè conceptis; vel certus est de illis, sub vnitate conceptis, dubius est autem de illis duobus, distinctè conceptis.

Contra. Quando non possunt aliqui cõceptus cõcipi sub vnitate, nisi simul, vel priùs naturaliter concipiãtur sub distinctione propria sibi, quæ præsupponitur illi vnitati, non potest intellectus esse certus de eis, inquantum habent illam vnitatem, & dubius de eis, inquantum sunt distincti; sed intellectus, concipiens Ens, dictum de Deo, & & creatura, si sint duo conceptus, non potest habere cõceptus istos secundùm aliquam vnitatem, nisi priùs naturaliter habeat eos, vel simul sub ratione distinctorum; ergo non posset esse certus de eis sub ratione vnius, dubitando de eis, sub ratione multorum. Probatio Maioris. Quia si certitudo esset de aliquo conceptu, vel de aliquibus conceptibus, dubitando de A. & B. vel cum dubitatione de A. & B. ille vnus, vel illi duo conceptus, conciperentur priùs naturaliter sub ea ratione, sub qua esset certitudo de illo, vel de illis, quàm concipiantur A. & B. ergo per oppositum, si non potest concipi aliquid de A. & B. nisi sub distinctione sibi propria concipiantur, non potest intellectus esse certus de eis, sub ratione alicuius vnius, & dubius sub ratione distinctionis. Probatio Minoris. Ens in Deo, & Ens in creatura, si sunt duo conceptus, habentes attributionem, non possunt concipi in quantum habent vnitatem attributionis, nisi priùs natura, vel saltem simul cõcipiatur iste & ille, in quãtum distincti; puta, iste sub propria ratione, & ille sub propria rõne; quia isti sub proprijs rationib. sũt fundamẽta vnitatis ordinis & attributionis.

Confirmatur istud, per Argumentum Philosophi 2. de anima t. 146. de sensu communi, quem concludit esse cõmunem, per cognitionem differentiæ albi, & dulcis: ex cuius differentiæ cognitione, concludit quòd cognoscit extrema. Si enim posset cognoscere ista, sub ratione huius respectus, qui est differentia, absque hoc, quòd ea cognosceret sub propria ratione; tunc argumentum suum non valeret: ergo similiter in proposito: non possunt simul cognosci A. & B. sub ratione illius vnitatis ordinis, nisi cognoscatur A. sub propria ratione, & B. sub propria ratione; cũ per te nihil eis sit commune: & ita quicunque intellectus concipit istos duos sub vnitate ordinis, concipit eos distinctè, vt distinctos in se.

Tertio modo respondetur, (*Ioan. Rodit. lib. 1. d. 11. q. 6. sequitur hãc respons.*) Quòd nõ est certitudo de conceptu aliquo vno, & dubitatio de duobus, sed est certitudo de duobus disiunctis, & dubitatio de altero illorum: vt puta, certus sum, quòd hoc Ens est substantia, vel accidens, dubitando tamen determinatè, vtrum sit hoc Ens, vt substãtia, vel illud Ens, quod est accidens.

Contra. Ista certitudo præcedit omnem apprehensionẽ quorumcunque diuidentium ipsum Ens; ergo præcedit certitudinem de toto disiuncto. Antecedens probatur. Quia non oportet in prima apprehensione, qua scitur hoc esse aliquid, vel Ens, apprehendere à se, vel ab alio, per se, vel in alio: & sic de alijs disiunctis.

Contra istud etiam est tertium argumentum superiùs dictum, quod erat de inquisitione intellectus, quam habemus de Deo per naturalem inuestigationem, in qua illas rationes creaturæ, quæ dicunt perfectionem de se, separamus ab imperfectione, cũ qua sunt in creaturis, & eas secundùm se acceptas consideramus, vt indifferentes, & eis attribuimus perfectionem summam: & sic acceptas in summo, attribuimus eas Creatori, vt proprias sibi. Et ita arguit Aug. 15. de Trini. c. 4. vel 6. *Ac per hoc, quoniam rebus creatis Creatorem suum sine dubitatione præponimus; oportet eum & summè viuere, & cuncta sentire, atque intelligere*: Hoc probat ipse, ex hoc quod dixit ante, cap. eodem. Quòd *viuentia non viuentibus, sensu prædita non sentientibus, intelligentia non intelligentibus, immortalia mortalibus, bona malis, incorruptibilia corruptibilibus, immutabilia mutabilibus, inuisibilia visibilibus, incorporalia corporalibus, beata miseris, præferenda iudicamus*. Quod argumentum non videtur valere, si talia, vt reperiuntur in creaturis, non essent eiusdem rationis cum illis, quæ talia in summo attribuuntur Deo.

Consimilia argumenta frequenter habentur à Doctoribus, & à Sanctis. Ita enim formaliter ponitur in Deo intellectus, & voluntas, & non tantùm absolutè, sed cum infinitate: ita & potentia, sapientia, & liberum arbitrium, ponitur in Deo.

Et Ansel. de libero arbitr. c. 1. reprehendit illam diffinitionẽ de libero arbitrio, quæ est, quòd est potestas peccandi. Quia (secundùm eum) tunc secundùm hoc, non esset in Deo liberum arbitrium; quod est falsum: quæ improbatio nulla esset, si secundùm aliam rationem omninò diceretur liberum arbitrium de Deo & creatura.

Hæc etiam est via Dionys. Quia quando in tertio gradu peruenitur ad istã cognitionẽ per remotionẽ. Quæro. An præcisè cognoscatur ibi illa negatio? Et tunc non plùs cognoscitur Deus, quàm Chymera, quia illa negatio est communis enti, & non enti: aut etiam ibi cognoscitur aliquid positiuum, cui attribuitur illa negatio: & tunc de il-

lo positiuo quæro, quomodo conceptus eius habetur in intellectu? Si enim non habetur in intellectu per viam causalitatis, & eminentiæ, aliquis conceptus priùs causatus in intellectu, nihil omnino positiuum cognoscetur, cui attribuatur ista negatio.

Confirmatur etiam ista ratio. Quia non dicimus Deũ formaliter lapidem, sed formaliter sapientem: & tamen si præcisè consideretur attributio conceptus ad conceptum, ita potest formaliter lapis attribui ad aliquid in Deo, vt ad idæam suam, sicut sapientia.

Et si dicas. Quòd de Deo concludimus aliquid per rationem effectus, vbi sufficit tantùm proportio, & non similitudo. Hoc non respondet, sed confirmat argumentũ. Quia considerando Deum sub ratione causæ ex creaturis benè cognoscitur proportionaliter, sed hoc modo non cognoscitur aliqua perfectio de Deo, quæ est in creatura formaliter, sed causaliter, scilicet, quòd Deus sit causa talis perfectionis; attributa autem sunt perfectiones simpliciter dictæ de Deo formaliter; ergo talia cognoscuntur de Deo B non solùm per viam proportionis, sed etiam per viam similitudinis: ita quòd oportet ponere aliquem conceptum communem in talibus, Deo & creaturæ, qualis non est cõmunis in prima via, cognoscendo Deũ per viã causalitatis.

Ad istud est auctoritas Philosophi 2. Metaph. t. 4. qui arguit, *principia sempiternorum esse uerissima*. Et probat hoc per istam Maiorem. Quia vnumquodque est maximè tale, per quod alijs inest vniuocatio. Et exemplificat de igne. Et ex hoc concludit, quòd *sempiternorum principia: necesse est esse verissima*. Ista consequentia non valet, nisi virtute istius Minoris, quòd principia illa sempiterna, sunt causa vniuoca veritatis in alijs; si.n. accipitur in Minori, quòd illa principia sunt principia æquiuoca, vel analoga, erunt quatuor termini in Syllogismo Philosophi: quod non est verisimile.

Ad Argumenta Opinionis oppositę.

Ad Primum. Aut intelligit in Minori, quòd illa sunt sub extremis contradictionis totaliter, hoc est, quòd præcisè sunt illa extrema contradictionis: & sic Minor est falsa; Deus enim non est præcisè hoc, scilicet, nõ ab alio, quia C ista negatio dicitur de Chymera; nec creatura præcisè est ista negatio, scilicet, non necesse esse, quia hoc etiam conuenit Chymeræ, sed tam Deus, quàm creatura est aliquid, cui conuenit alterum extremum contradictionis. Accipe tunc Maiorem, Quòd quæcunque sunt talia, quibus cõueniunt extrema contradictionis, ipsa non vniuocantur in aliquo. Ista Maior est falsa. Nam omnia per se diuidentia aliquod commune, sunt talia, quòd de ipsis dicũtur extrema contradictionis; & tamen vniuocantur in ipso diuiso: ita in proposito, possunt ista secundùm se tota recipere prædicationem contradictionis, & tamen possunt habere aliquid substratum illis extremis illius contradictionis, quod est commune ambobus.

Ad Confirmationem de neutro. Dico, quòd cõceptus cõmunis duobus, est neuter formaliter: & ita concedo Cõclusionem, quòd conceptus Entis, non est formaliter conceptus creati, nec increati: si autem intelligatur quòd iste D conceptus est ita neuter, quòd neutrum contradictoriorũ dicatur de eo, falsum est: ita est in rationali & irrationali, quòd conceptus animalis est neuter formaliter, & tamen illud quod concipitur, non est neutrum, sed verè est alterũ istorum; alterum enim contradictoriorum dicitur de quolibet; & tamen non oportet quemlibet cõceptum esse formaliter alterum conceptum contradictoriorum.

Ad Secundum. Patebit in 2. artic. quòd Deus & creatura non sunt primò diuersa: in conceptibus tamen sunt primò diuersa in realitate; quia in nulla realitate conueniunt. Et quomodo esse possit conceptus communis sine conuenientia in re, vel in realitate, in sequenti dicetur.

Ad aliud de attributione. Dico, quòd attributio sola nõ ponit; vniuocationis vnitatẽ quia vnitas attributionis, minor est vnitate vniuocationis: & minor vnitas nõ cõcludit maiorem; tamen minor vnitas potest stare cum maiore vnitate; sicut quæ sunt vnum genere, sunt vnum specie, licèt vnitas generis sit minor quàm vnitas speciei: ita hìc cõcedo, quòd vnitas attributionis non ponit vnitatem vniuocationis, potest tamen stare cum ea; licèt hæc formaliter E non sit illa. Exemplum. Species eiusdem generis, habent essentialem ordinem, siue attributionem, ad primum illius generis, ex 10. Metaphys. t. 2. & tamen cum hoc stat vnitas vniuocationis, ratione generis in ipsis speciebus: Ita, & multò magis, oportet esse in proposito, quòd in ratione Entis, in qua est vnitas attributionis, attributa habeãt vnitatem vniuocationis: quia nunquam aliqua comparantur vt mensurata ad mensuram, vel excessa ad excedens, nisi in aliquo vno conueniant: sicut enim comparatio simpliciter est in simpliciter vniuoco, 7. Physic. t. 24. ita omnis comparatio est in aliqualiter vniuoco: quando enim dicitur, Hoc est perfectius illo; Si quæratur, Quid perfectius? Oportet ibi assignare aliquid commune vtrique: ita quòd omnis comparatiui determinabile, commune est vtrique extremo comparationis; nõ enim homo est perfectior homo, quàm asinus, sed perfectius animal: & ita, si aliqua cõparantur in entitate, in qua est attributio vnius ad alterũ. Hoc perfectius est illo. Quid perfectius? Ens perfectius: Ergo oportet entitatem esse aliquomodo commune vtriq; F extremorum. Ita posset argui de numero, vel de distinctione. Quia omnia numerata, vel discreta, habent aliquod commune, sicut vult Aug. 7. de Trin. c. 4. vel 26. *Si tres Personę: commune est eis illud, quod est Persona*: ita quod determinabile termini numeralis sẽper est commune omnibus numeratis, secundùm Aug.

Et cùm arguitur de Dionys. Patet priùs in 3. Artic. quòd intentio Dionys. est ad oppositum. Quia in tertio gradu non statur in sola negatione, sed in aliquo positiuo conceptu, à creatura accepto, cui attribuitur illa negatio.

Ad Aug. Respondeo. Quòd *illud bonum, cuius participatione alia bona sunt, quod intelligitur intelligendo hoc bonũ, vel illud*: vel potest poni vniuersale ad omnia bona; & tũc eius participatione sunt alia bona, sicut species participant genus, vel aliquod inferius participat superius: vel potest intelligi bonum per essentiam, cuius vt causæ participatione, alia bona sunt; & tunc verum est, quòd intelligendo illud bonum, intelligo bonum per essentiam in vniuersali; sicut intelligẽdo hoc Ens, intelligo Ens, vt partem conce- G ptus, & in Ente intelligo quodcunq; Ens in vniuersali.

Et cùm subdit, *Si potes illud per se nosse*. Dico. Quod ly per se, si refertur non ad actum cognoscendi, sed ad obiectum, puta quòd cognoscatur illud bonum, quod cognosco in vniuersali, cum ista determinatione, per se, scilicet, quòd conciperem bonum cum tali determinatione, quòd sit bonum non dependens, & bonum per essentiam; intelligo Deum, non tantùm in conceptu communi, sed in conceptu proprio.

Et tunc per hoc quod dicitur per se, contrahitur bonũ, quod erat commune, & fit proprium Deo: & isti inhærẽdo per fruitionem, est beatitudo, loquẽdo de beatitudine vię: quia iste conceptus est perfectissimus, quem possumus habere in via, concipiendo Deum naturaliter. Et ista apparet esse intentio Aug. 8. de Tri. c. 3. vel 7. vbi dicitur. *Noli quęrere quid sit veritas? Statim enim se opponunt caligines imaginum corporalium, & nubila phantasmatum, & perturbant serenitatem, quæ primo ictu diluxit tibi, cùm dicerem veritas*. H Quod non esset verũ, si omninò esset alius conceptus Entis, vel boni in Deo, à conceptu illorum in creatura. Tunc enim benè esset quærendum, quid veritas? Quia tunc esset veritas quærenda, quæ est, propria Deo; nec obijcerent se illi phantasmata perturbantia conceptum veritatis, vt est propria Deo; quia iste conceptus non habet phantasmata sibi correspondentia, perturbant.n. conceptum veritatis, vt conuenit Deo, loquendo de veritate in communi: sicut aliàs expositum est.

Si autem aliqui proteruiant: vnum esse conceptũ Entis, & tamẽ nullum esse vniuocum isti, & illi. Istud non est ad intentionem istius quæstionis. Quia quantumcunque illud, quod concipitur, sit secundùm attributionem, vel ordinẽ in diuersis, si tamen de se conceptus vnus est, ita quòd non habeat aliam rationem secundùm quam dicitur de hoc & de illo, ille conceptus est vniuocus.

Si etiam alio modo proteruiat aliquis: quòd conceptus denominatiuus, non est vniuocus; quia ratio subiecti non est

A eſt ratio prædicati. Hæc videtur inſtantia puerilis. Quia vno modo prædicatum denominatiuum eſt medium inter prædicatum vniuocum & æquiuocum: alio modo vniuocum & æquiuocum, ſunt immediata apud Logicum. Primum verum eſt accipiendo prædicatum vniuocum, & quod vniuocè prædicatur, hoc eſt, ſcilicet, quòd ratio eius ſit ratio ſubiecti: & iſto modo denominatiuum non eſt vniuocum. Secundum etiam verum eſt, intelligendo de vnitate rationis eius quod prędicatur; ſic vniuocum eſt, cuius ratio eſt in ſe vna, ſiue illa ratio ſit ratio ſubiecti, ſiue denominet ſubiectum, ſiue per accidens dicatur de ſubiecto; æquiuocum autem cuius ratio eſt alia, quomodocunque illa ratio ſe habeat ad ſubiectum. Exemplum. Animal eſt vniuocum, nō tantùm vt dicitur de ſpeciebus ſuis, ſed vt determinatur per differentias; quia habet vnum cōceptum determinabilem per eas: & tamen non dicitur de differentijs vniuocè, hoc eſt in Quid, ita quod ratio eius ſit ratio differentiarum, quomodo vniuocè dicitur de ſpeciebus.

B Iſta etiam altercatio nihil eſt ad propoſitum. Quia ſi Ens dicatur ſecundùm vnum conceptum ſui, de Deo & creatura, oportet dicere quòd ratio Entis ſit ratio ſubiecti: dicetur enim de vtroquè in Quid; & ita erit vniuocum vtroque modo.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Ponitur Opinio aliorum, quòd Deus ſit in Genere.

Alia eſt Opinio (*Alb. de Saxon. & Rober. Holcot. lib. 1. q. 5.*) affirmatiua, in alio extremo, quæ ponit Deum in genere.

Et habent pro ſe auctoritatem Damaſc. in Eliſar. cap. 8. *Subſtantia &c.*

Item Boëtij in libello ſuo de Trin. Vbi videtur dicere, quòd duo genera manent in Diuinis. Hoc non poteſt intelligi tantùm ſecundùm modum ſimilem aliquem prędicandi; quia 15. de Trin. c. 5. dicit Aug. ſic. *Si dicam ęternus,* C *immortalis, incorruptibilis, immutabilis, viuus, ſapiens, potens, ſpecioſus, iuſtus, bonus, beatus, ſpiritus, horum omnium nouiſſimum, quod poſui quaſi tantum videtur ſignificare ſubſtãtiam, cætera vero huius ſubſtantię qualitates.* Item, idem 5. de Tri. c. 8. vel 22. videtur dicere, quòd actio propriiſſimè conueniat Deo. Ergo non tantùm manent modi prędicandi ſimiles duobus iſtis generibus: & ita videtur quòd oporteat intelligere Boëtium de illis duobus generibus in ſe, quòd maneant.

Tertiò ad hoc videtur auctoritas Auer. 10. Met. com. 1. & incipit tex. *Dicuntur autem ęqualiter Ens, & vnum.* Vbi Philoſophus dicit aliquam eſſe vnam primam ſubſtantiā quæ ſit menſura aliarum. Commentator vult quod ille ſit primus motor; ergo ſicut in alijs generibus primum eſt aliquid illius generis, ita primus motor eſt aliquid de genere ſubſtantiæ.

Ad hoc, ratio prima ponitur talis. Quia poteſt concipi ſubſtantia creata, & ſubſtãtia increata, & neuter cōceptus D eſt ſimpliciter ſimplex; ergo reſoluendo, remanebit ratio ſubſtantiæ indifferens ad vtrumque contrahens: & ſic indifferenter accepta videtur eſſe ratio generis.

Secunda ratio eſt. Quia multa entia ſimplicia ponūtur in genere, ſicut Angeli ſecundùm ponentes eos eſſe immateriales; accidentia etiam, ſecundùm ponentes ea eſſe ſimplicia; ergo ſimplicitas Dei non excludit ab eo rationem generis.

ARTICVLVS TERTIVS.

Propria ſententia ponitur.

Teneo Opinionem meam mediam. Quòd cum ſimplicitate Dei ſtat, quòd aliquis ſit conceptus communis ſibi & creaturæ; non tamen communis; vt generis.

Prima pars probata eſt, arguēdo cōtra Primā Opinionē.

Secundam partem probo, per Aug. 1. de Trini. c. 5. vel 32. *Manifeſtum eſt Deo abuſi vt ſubſtantiam vocari.* Ratio ſua ibi eſt. Quia ſubſtantia dicitur, quòd ſubſtat accidētibus, abſurdum verò eſt quòd Deus alicui accidenti ſubſtet. Hæc ratio ſic tenet. Non enim intelligit quòd ratio ſubſtantiæ ſit ſubſtare accidentibus, vt ſubſtantia eſt genus; quia præmiſit ibi quòd abſurdum eſt, quòd ſubſtantia relatiuè dicatur; ſed ſubſtantia, vt eſt genus, eſt limitata, ſicut ſtatim poſtea probabitur; omnis autem ſubſtantia limitata capax eſt accidentis; ergo ſubſtantia quæcūque quæ eſt in genere, poteſt ſubſtare alicui accidenti; Deus non; ergo &c. E

Item arguit Auic. 8. Meta. c. 4. quòd Deus nō eſt in genere. Quia genus eſt pars; Deus autem ſimplex eſt non habens partem, & partem; ergo Deus non eſt in genere.

Iſte duæ probationes, ſunt ſimul per auctoritatem, & per rationem.

Nunc oſtendo propoſitum duobus medijs. Et declarantur ex his quæ ſunt propria Deo Primò ex ratione infinitatis. Secundò ex ratione neceſſe eſſe.

Ex Primò, arguo dupliciter Primò ſic. Conceptus habens indifferentiam ad aliqua, ad quæ non poteſt conceptus generis eſſe indifferens: non poteſt eſſe conceptus generis; ſed quicquid dicitur communiter de Deo, & creatura, eſt indifferens ad finitum & infinitum, loquendo de eſſentialibus, vel ſaltem ad finitum vel non finitum, loquendo de quibuſcunque, quia relatio Diuina nec eſt finita, nec infinita; nullum autem genus poteſt eſſe indifferens ad finitum & infinitum; ergo &c. F

Prima pars Minoris patet. Quia quicquid eſt in Deo perfectio eſſentialis, eſt formaliter infinitum, in creatura verò finitum.

Secundam partem minoris probo. Quia genus ſumitur ab aliqua realitate, quæ ſecundùm ſe eſt potentialis ad realitatem, à qua accipitur differentia; ſed nullum infinitum eſt potētiale ad aliquid, vt patet ex dictis in quæſt. præced.

Aſſumptum hoc patet auctoritate Ariſt. 8. metaph. t. 9. c. 5. *Oportet terminum,* id eſt, diffinitionem, *eſſe orationem longam; quia ſignificat aliquid de aliquo, ita quòd oportet illud eſſe materiam, & illud formam.* G

Apparet etiam per rationem. Quia ſi illa realitas, à qua accipitur genus, eſſet verè tota quidditas rei, ſolum genus complete diffiniret: genus etiam & differentia non diffinirent, quia ratio ex eis non indicaret primò idem diffinito vnaquæque enim res eſt ſemetipſa: & ideò illa ratio, quæ bis exprimeret eam, non indicaret primò idem diffinito, vel quidditati illius rei.

Hanc rationem aliqualiter pertractando, intelligo ſic. Quòd in aliquibus creaturis genus & differētia accipiuntur, ab alia, & alia re, ſicut ponendo plures formas in homine animal accipitur à ſenſitiua, & rationale ab intellectiua. Et tunc, illa res à qua accipitur genus, verè eſt potentialis, & perfectibilis ab illa re, à qua accipitur differētia. Aliquando ibi non ſunt res, & res, ſicut in accidentibus, ſaltè in vna re eſt aliqua prima realitas, à qua ſumitur genus, & alia realitas à qua ſumitur differētia: dicatur prima A ſecūda B. A ſm ſe, eſt potētiale ad B ita ꝙ præciſè intelligēdo A. & pręciſè intelligēdo B. A, vt intelligitur in primo inſtanti naturæ, in quo præciſè eſt ipſū eſt perfectibile per B ſicut ſi eſſet res alia. Sed ꝙ nō perficitur realiter per B. hoc eſt propter idētitatē A. & B ad aliquod totū, cui realiter primò ſunt eadē: ꝙ quidem totū primò producitur, & in ipſo toto ambæ iſtæ realitates producuntur; ſi tamen altera iſtarum, ſine altera produceretur, verè eſſet potentialis ad eam, & verè eſſet imperfecta ſine alia. Iſta autem compoſitio realitatum potentialis, & actualis minima eſt, quæ ſufficit ad rationem generis & differentiæ. Et iſta non ſtat cum hoc, quòd quælibet realitas in aliquo ſit infinita. Realitas enim ſi eſſet de ſe infinita, quantumcunque præciſè ſumpta, non eſſet in potentia ad aliquam realitatem; igitur cùm in Deo quæcunque realitas eſſentialis ſit formaliter infinita, nulla eſt à qua formaliter poſſit accipi ratio generis. H

Secūdo eodē medio ſit Conceptus ſpeciei, non eſt tantum conceptus ralitatis, & modi intrinſeci eiuſdē realitatis; quia tunc albedo poſſet eſſe genus, & gradus intrinſec

A albedinis,poſſent eſſe differentiæ ſpecificę, illa autem per
quæ commune aliquid contrahitur ad Deum , & creatu-
ram,ſunt finitum & infinitum,quæ dicunt gradus intrin-
ſecos ipſius ; ergo iſta contrahentia non poſſunt eſſe veræ
differentiæ, nec cum contracto conſtituunt ita compoſitũ
conceptum,ſicut oportet conceptum ſpeciei eſſe compoſi-
tum, imò conceptus ex tali contracto , & contrahente eſt
ſimplicior,quàm poſſit eſſe conceptus ſpeciei.

Ex iſtis medijs de infinitate , habet euidentiam ratio
Aug. ſuperiùs tacta de ſubſtare accidenti. Habet etiam
euidentiam ratio Auic. 8. Met. de partialitate generis ſu-
pra tacta. Quia nunquam eſt genus, ſine aliqua partiali
realitate in ſpecie,quæ non poteſt eſſe in verè ſimplici.

Arguo Tertiò,ex ſecundo medio,ſcilicet,ex ratione ne-
ceſſe eſſe. Et eſt Argumentum Auic.8.Met.c.4. Si neceſ-
ſe eſſe habet genus;ergo intentio generis,vel erit ex ſe ne-
ceſſe eſſe, vel non. Si primo modo; tunc non ceſſabit
quouſque ſit ibi differentia. Hoc intelligo ſic. Quòd ge-
nus tunc includeret differentiam; quia ſine illa non eſt in
B actu vltimo,& neceſſe eſſe ex ſe eſt in actu vltimo. Si au-
tem genus includat differentiam; tunc non eſt genus. Si
detur ſecundùm membrum,ſequitur quòd neceſſe eſſe eſ-
ſet conſtitutum ex eo,quod non eſt neceſſe eſſe.

Quo autem ad illud quod additur in quæſtione de quo-
cunque formaliter dicto de Deo. Dico, quòd nihil tale eſt
in genere, propter idem; quia nihil dicitur de Deo forma-
liter,quod eſt limitatum ; quicquid autem eſt alicuius ge-
neris,quocunq; ſit illius generis,eſt neceſſariò limitatum.

Sed tunc eſt dubium. Qualia ſunt illa prædicata ; quæ
dicuntur de Deo formaliter , vt ſapiens, bonus ? &c. Re-
ſpondeo. Quòd Ens,priùs diuiditur in infinitum & fini-
tum,quàm in decem genera:alterum iſtorum, ſcilicet Ens
finitum,eſt commune ad decem genera; ergo quæcunque
conueniunt Enti, vt eſt indifferens ad finitum & infini-
tum,vel vt eſt proprium Enti infinito,conueniunt ſibi nõ
vt determinatur ad genus,ſed vt prius:& per conſequens ,
vt eſt tranſcendens,& extra omne genus;quæcunque ſunt
communia Deo & creaturæ,ſunt talia, quæ conueniunt
C Enti , vt eſt indifferens ad finitum & infinitum , vt enim
conueniunt Deo,ſunt infinita,vt creaturæ,ſunt finita; er-
go illa per priùs conueniunt Enti,quàm Ens diuidatur in
decem genera ; & per conſequens quodcunque tale ,eſt
tranſcendens.

Sed tunc eſt aliud dubium. Quomodo ponitur ſapien-
tia tranſcendens , cùm non ſit communis omnibus Enti-
bus,& tranſcendentia videntur cõmunia omnibus? Reſp.
Sicut de ratione generis generaliſſimi , non eſt in ſe ha-
bere plures ſub ſe ſpecies ; ſed non habere aliud ſuperue-
niens genus;ſicut hoc prædicamentum, Quando,quia nõ
habet ſuperueniens genus, eſt generaliſſimum ; licèt pau-
cas habeat ſpecies , aut nullas:ita tranſcendens quodcun-
que,nullum habet genus, ſub quo contineatur; ſed quòd
ipſum ſit commune ad multa inferiora hoc accidit. Hoc
patet ex alio. Quia Ens non tantùm habet paſſiones cõ-
uertibiles ſimplices,ſicut vnum , verum , bonum &c. ſed
habet aliquas paſſiones , vbi oppoſita diſtinguuntur con-
D tra ſe, ſicut neceſſe eſſe vel poſſibile , actus vel potentia &
huiuſmodi. Sicut autem paſſiones conuertibiles ſunt tran-
ſcendentes , quia conſequuntur Ens , non inquantum de-
terminatur ad aliquod genus ; ita & paſſiones diſiunctæ ,
ſunt tranſcendentes , & vtrumq; membrum illius diſiun-
cti eſt tranſcendens; quia neutrum determinat ſuum de-
terminabile ad certum genus;& tamen vnum membrum
illius diſiuncti eſt ſpeciale,formaliter non conueniens ni-
ſi vni Enti; ſicut Neceſſe , eſt in iſta diuiſione, neceſſe vel
poſſibile,& ſimiliter Infinitum,in iſta diuiſione, finitum
vel infinitum &c. Ita etiam poteſt ſapientia eſſe tranſcen-
dens & quodcunque aliud , quod eſt commune & Deo &
creaturæ;licèt aliquid tale dicatur de ſolo Deo,& de nulla
creatura;aliquod autem de Deo,& creatura aliqua. Non
oportet ergo tranſcendens, vt tranſcendens,dici de quocũ-
que Ente , niſi ſit conuertibile cum primo tranſcendente ,
ſcilicet,cum Ente.

Alij probant Quarto modo ,(*D. Thom. 1. par. ſum. quol. 3. articul. 5. in ſolut. princ.*) Deum non eſſe in genere. Quia
continet in ſe perfectiones omnium generum. E

Sed iſtud argumentum non valet. Quia continens ali-
quid , continet illud per modum ſui. Subſtantia . n. quæ
modò eſt genus generaliſſimum , vt accipitur pro omni-
bus ſpeciebus inferioribus, continet virtualiter omnia ac-
cidentia.ita quòd ſi Deus ſola indiuidua ſubſtantiarũ cau-
ſaret,illa haberent in ſe virtutem , vnde cauſarent omnia
accidentia;& tamen non propter hoc negantur ſubſtãtiæ
creatæ eſſe in genere , quia continent virtualiter acciden-
tia per modum ſui,non per modum accidentium;igitur ex
hoc ſolo , quòd Deus continet perfectiones omnium ge-
nerum,non ſequitur ipſum non eſſe in genere:quia ſic cõ-
tinere,non excludit finitatem; illa enim continere virtua-
liter,non eſt eſſe infinitum. Sed ex abſoluta infinitate Dei,
hoc ſequitur:ſicut priùs dictum eſt.

ARTICVLVS QVARTVS.

Difficultates quędam contra dicta inſurgentes,diſſoluuntur.

SED contra dicta inſtatur,quòd infinitas ſimpliciter nõ F
concludat propoſitum. Quia Philoſophus 6. Topi-
cor.increpat diffinitionem lineæ rectæ,hanc ſcilicet. Linea
recta eſt,cuius medium non exit extrema:per hoc,quòd ſi
infinita linea eſſe recta eſſe poſſet, non autem haberet
tunc medium,nec extrema;non eſt autem aliqua diffinitio
increpanda , quia non conuenit illi , quod impoſſibile eſt
eſſe in genere ; ergo non eſt impoſſibile lineam infinitam
eſſe in genere: & per conſequens infinitas non neceſſariò
excluditur à genere.

Reſpondeo Primò ad intentionem Ariſt. Quòd linea re-
cta eſt quoddam totum per accidens . Et ſi hoc totum dif-
finiatur , aſſignabitur vna diffinitio correſpondens lineæ ,
& alia correſpondens rectæ. Illud quod correſpondebit
recto,loco diffinitionis,non contradicet formaliter infini-
to : quia rectum non contradicit formaliter infinito : &
cuicunque repugnat formaliter diffinitio , eidem repu-
gnabit & diffinitum. Quod autem in diffinitione illa ,
quam increpat Philoſ. aſſignatur tanquam diffinitio recti, G
eſt hoc , Habere medium intra extrema ; iſtud formaliter
repugnat infinito;ergo oportet,quòd ſi diffinitio iſta eſſet
bona,quòd rectum formaliter repugnaret infinito.

Sed hoc eſt falſum : licèt virtualiter repugnet infinito ,
quatenus ſubiectum ſuum,ſcilicet linea, formaliter repu-
gnat infinito. Non ergo intendit dicere Philoſophus,quòd
linea infinita poteſt eſſe in genere, ſed quòd rationi recti ,
non repugnat formaliter infinitas.

Et ideò illa diffinitio,cui repugnat formaliter infinitas,
non eſt recti,inquantum rectum. Non enim increpaſſet
iſtam. Linea recta eſt longitudo ſine latitudine, cuius ex-
trema ſunt duo puncta,æquè protenſa : quia hìc non eſſet
aliquid repugnans infinitati,ſed illud aſſignaretur tanquã
ratio lineæ, non tanquam ratio recti. Et tunc benè aſſi-
gnaretur. Quia cùm ipſi lineæ repugnet infinitas , bene
aſſignaretur diffinitio , ſibi correſpondens , cui repugnat
infinitas.

Sed alia eſt difficultas ad rẽ, Vtrum linea infinita poſſit H
eſſe in genere Quantitatis ? Et ſi ſic, non videntur valere
duæ rationes,ſumptæ ex infinitate.

Reſpondeo. Nunquam ad ſummum in inferioti , ſe-
quitur ſummum in ſuperiori,niſi illud inferius ſit nobiliſ-
ſimum contentum ſub illo ſuperiori. Sicut non ſequitur,
Perfectiſſimus aſinus;ergo perfectiſſimũ animal: ſed gra-
tia materiæ ſequitur,Perfectiſſimus homo:ergo perfectiſ-
ſimum animal : quia homo eſt perfectiſſimum animaliũ :
Igitur non ſequitur, Optimum ſiue perfectiſſimum Ens ,
ad perfectiſſimum aliquod eorum , quæ continentur ſub
Ente , niſi illud ſit ſimpliciter perfectiſſimum ſub Ente :
Quantitas autem nõ eſt tale,nec aliquid alicuius generis ,
quia quodlibet eſt limitatum,imò nihil eſt tale, niſi quod
eſt perfectio ſimpliciter , quod ex ſe poteſt eſſe infinitum :
& ideo non ſequitur,Perfectiſſima Quantitas;ergo perfe-
ctiſſimum Ens : nec etiam ſequitur de aliqua re alicuius
generis;ſed tamen ſequitur,Perfectiſſima veritas , vel bo-
nitas;ergo perfectiſſimum Ens. Ita ergo,cùm infinitum

A Ens non tantùm dicat perfectionem summam, sed etiam non possibilem excedi, non sequitur infinitum Ens, nisi præcisè ad infinitum tale, quod est perfectissimum, in quo est ratio Entis, quod scilicet dicit perfectionem simpliciter. Et ideò licèt esset quantitas infinita, in ratione Quantitatis, cùm tamen Quantitas non sit perfectio simpliciter, non sequitur, quòd sit infinitum Ens, quia non sequitur, quòd sit Ens, quod non potest excedi in perfectione. Esset igitur infinita linea in genere Quantitatis; quia esset limitatum Ens simpliciter, & excessum simpliciter à perfectiori Ente, sed infinitum Ens simpliciter, non potest esse in genere. Et hoc est, quia prima infinitas, non tollit omnem potentialitatem, quam requirit ratio generis, sed tantùm ponit infinitatem, secundùm quid, alicuius imperfectæ entitatis, in qua, vt illa est, bene potest esse compositio, in quocunque gradu illa ponatur, sed secunda necessariò tollit omnem potentialitatem: sicut priùs declaratum est.

B Contra ista obijcitur. Quia tunc ponuntur contradictoria, concedendo conceptum communem dictũ in Quid de Deo, & creatura, & negãdo Deum esse in genere. Omnis enim conceptus dictus in Quid, si est conceptus communis, vel est conceptus generis, vel diffinitionis; alioquin erunt plura prædicata, quàm docuit Aristot. in primo Topicorum.

Ad istud dico. Quòd non sunt contradictoria. Quod patet auctoritatibus Aug. 7. de Trin. cap. vbi priùs, vbi negat Deum esse Substantiam, & tamen concedit quòd propriè & verè est Essentia; sed si esset conceptus aliquis æquiuocus Essentiæ; vt conuenit Deo & creaturæ, ita posset esse conceptus æquiuocus Substantiæ, & poßet dici Substantia, sicut Eßentia.

Similiter Auic. 8. Met. c. 4. vbi negat Deum eßse in genere, concedit ipsum ibi eßse substantiam, id est, Ens non in alio. Et quòd accipiat Ens non æquiuocè ab illo cõceptu, secundùm quem dicitur de creatura. Videtur per ipsum 1. Metap. vbi dicit, quòd Ens in se non habet principium. Quapropter scientia non inquireret principia Entis absolutè, sed alicuius Entis, si autem Ens haberet alium conceptum in Deo & creatura, bene Entis eßset principium secundùm se, quia Entis secundùm vnum conceptum, eßset ipsum Ens principium, secundùm alium conceptum.

C Cùm autem arguis. Si est dictum in Quid; igitur est genus, vel diffinitio. Respondeo, Arist. 8 Metaph. t. 9. docet quale prædicatum dictum in Quid sit diffinitio. Inducit enim ibi contra idæas Platonis, dicta Antisthenicorum, quos in hoc approbat, dicentes *terminum esse rationem longam*. Et post subdit: *Quare substantiæ est, cuius contingit esse terminum, & rationem*; puta compositæ: *siue sensibilis fuerit, siue intellectualis, primorum autem, ex quibus hoc non est*, supple diffinitio. Et subdit rationem. *Siquidem aliquid de aliquo, significat ratio diffinitiua*: hoc debet intelligi virtualiter, non formaliter, sicut aliàs dictum est. Et subdit. *Oportet hoc quidem esse vt materiam, illud verò vt formam*. Ex quo videtur ibi arguere, quòd idæa si poneretur, nõ eßset diffinibilis. Et si ratio sua aliquo modo valeret propter simplicitatem ideæ, multò magis negaret ipse diffinitionem à Deo, cuius est summa simplicitas. Sequitur igitur ex auctoritate eius, quòd nihil est dictum in Quid de Deo, vt diffinitio.

D Ex eodem sequitur, quòd nihil omninò dicitur de Deo in Quid vt genus. Quicquid enim habet genus, potest habere differentiam, & diffinitionem, quia 7. Metaph. t. 43. cap. 23. *Aut genus nihil est præter species, aut si est, est quidem vt materia: & tunc cuius est genus, oportet ipsum ponere posse habere differentiam tanquam formam*: Si igitur aliquid est dictum de Deo in Quid, arguendo ex auctoritate Aristot. constructiuè, non destructiuè, sequitur quòd illud non sit genus, nec diffinitio. Sed cùm infers. Est genus, vel diffinitio, quia Arist. non dixit eßse alia prædicata in Quid dicta; ergo non sunt alia. Arguis ab auctoritate distinctiuè, & est fallacia consequentis.

Sed dices. Tunc Arist. non tradidit sufficienter omnia prædicata in Quid dicta? Respondeo. Philosophus in 1. Topicorum distinxit prædicata, propter distinctionẽ problematum: quia diuersa problemata, habẽt diuersum modum terminandi, ex diuersitate prædicatorum; non ergo numerat ibi omnia prædicata, quia non differentiam specificam, licèt differentiam generalem collocauerit, sub genere: & tamen differentia specifica habet propriam rationem prædicati: Species etiam habet propriam rationem prædicati, aliam à diffinitione: alioquin malè poneret Porphyrius, quinque Vniuersalia. Non igitur insufficienter distinxit ibi Arist. prædicata, quia distinxit omnia, de quibus problemata quærenda, requirunt specialem artẽ terminandi, quam ibi intendebat tradere; transcendentia autem non sunt talia prædicata, quia non sunt de eis specialia problemata, problema enim præsupponit aliquid certum, & quærit dubium ex 7. Metaph. c. vltimo: Ens autem & res imprimuntur in anima, prima impressione, secundũ Auic. 1. Metaph. c. 5. & ideo de conceptibus illis communissimis non sunt problemata per se terminabilia. Non igitur oportuit ea numerari inter prædicata problematũ.

F Sed nunquid Arist. ista prædicata generalia nusquã docuit? Respondeo ex 8. Metaph. docuit nihil dici de Deo, vt genus, ex auctoritate præallegata: & tamen docuit vniuocè dici de Deo & creatura veritatem 2. Metaph. t. 4. sicut supra allegatum est *principia sempiternorum esse verissima*, & in hoc docuit entitatem, vniuocè dici de Deo, & creatura; quia subdit ibi 2. Metaph. vbi supra, quòd *sicut vnumquodque se habet ad esse, sic ad veritatem*. Patet etiam secundùm eum, quòd si Ens dicatur de Deo, quòd hoc erit in Quid: ergo in istis docuit implicitè aliquod prædicatum transcendens dici in Quid, & non eßse genus, nec diffinitionem; & aliqua prædicata transcendentia dici in Quale, vt verum, & non eßse propria, nec tamen accidentia, secũdùm quod ista vniuersalia competunt speciebus aliquorũ generum; quia nihil quod est alicuius generis, conuenit Deo aliquomodo.

Docuit etiam idem aliquomodo 4. Topicorum in fine. *Subsequitur aliquid semper, & non conuertitur, difficile est separare, quod non sit genus*, Et subdit, *Potest vti eo, vt genere, quod semper est consequens, cum non conuertatur*. Quasi dicat, hoc expedit opponenti. Et subdit deinde, *Alio autem protendente, non in omnibus obedire*, Quasi dicat, hoc expedit respondenti, non concedere omne consequens non conuertibile eßse prædicatum, vt genus.

G Et si non loqueretur de prædicato dicto in Quid, nõ haberet apparentiam illud, quod ipse docet opponentem vti tali vt genere; ergo innuit ibi, quòd aliquid est commune prædicatum, dictum in Quid, quod non est genus. Et quòd loquitur de prædicatione in Quid: videtur per exẽpla sua. *Tranquillitas est quies*. Prædicatio enim in abstractis, non est prædicatio in Quale, vel denominatiua; ergo &c.

ARTICVLVS QVINTVS.

Argumentis pro secunda Opinione adductis, satisfacit.

AD Argumenta pro Secunda Opinione. Ad Damasc. Respondeo. Licèt multa verba dicat in diuersis locis, quæ videntur dicere Deum eßse in genere, vnum tamẽ verbum quod dicit in Elementario cap. 8. soluit omnia. Ibi enim dicit sic. *Substantia quæ continet supersubstantialiter increatam Deitatem, cognoscibiliter autem & contentiuè omnem creaturam, generalissimum est genus*. Non igitur dicit substantiam quæ est generalissimum continere contentiuè Deitatem, sicut continet creaturam; sed supersubstantialiter, hoc est, accipiendo illud, quod est perfectionis in substantia, quæ est genus, & relinquendo illud, quod est imperfectionis, quomodo dicit Auic. 9. Metaph. Deum eßse Ens per se.

H Ad Boëtium. Dico, quòd nusquam inuenitur dicere in libello, quòd duo genera manent in Diuinis; nec breuiter genera, nec differentiæ generum, nec etiam modi eorũ, nec rationes eorum manent ibi; quia sicut genera, & ea quæ in eis sunt, limitata sunt, ita & modi & rationes eorũ, loquendo de rationibus primæ intentionis, quæ fundãtur in istis; quia in limitato non potest aliquid fundari, nisi limitatum. Dicit tamen Boëtius in libello suo de Trinit.

A lib.1.c.6.quòd enumeratis prædicamentis *hęc si quis in Diuinam prędicationem conuertit, omnia mutantur, quæ mutari possunt, ad aliquid verò omninò non mutatur ibi.* Et infra c.12. *Essentia continet vnitatem, relatio multiplicat Trinitatē.* Et ex istis accipitur, quòd innuat substantiam & relationem munere in diuinis. Sed expresse dicit ibi, quòd nec substantia, quæ est genus, nec aliquid eius manet ibi: Dicit enim. *Cùm dicimus Deus, substantiam significare videmur, sed eam, quæ sit vltra substantiam*, quomodo Damasc. substantiam dixit supersubstantialiter. Intendit ergo, quòd duo modi prædicandi sunt in Diuinis, scilicet, prædicati relatiui, & essentialis. Quos modus August. magis exprimit 15. de Tri.c.6. vel 10. *Ad se vel ad aliud, & omnia prædicata formaliter dicta de Deo, sub altero istorum membrorum continentur.* Sed sub primo membro continentur multa prædicata, quæ habent similem modum prædicandi Qualitati, & Quantitati, non autem sola illa, quæ habent similem modū prędicandi illis quæ sunt de prædicamento substantiæ; sub secundo autem membro continentur omnia quæ B habent similem modum prædicandi quibuscunque relatiuis; siue sint relatiua, siue non.

Sed quare omnia essentialia dicantur præcisè prędicari secundùm Substantiam, & contra ea distinguatur prædicata dicta Ad aliquid, cùm tamen illa prædicata dicta Ad aliquid, transeant per identitatem in Substantiam, sicut & alia; Ratio assignabitur in seq.q. de attributis, dubitatione 2. contra solutionem principalem.

Ad Auer. Dico, quòd non videtur habere intentionem Magistri sui Arist. quia Arist. in cap.3. t.7. illius decimi, quærit. An in Substantijs sit aliquid vnum, quod sit mensura aliorum: an hoc ipsum vnum? Et probat ex intentione contra Platonem, quòd nō sit ipsum vnum, sed aliquid cui conuenit ipsum vnum: sicut est de omnibus alijs generibus, loquendo de vno, & de omnibus alijs mensuratis in illis generibus. Et concludit in fine. *Quare si quidem in passionibus, & Qualitatibus, & Quantitatibus, ipsum vnum aliquid vnum, sed non hoc ipsius Substantiæ: sed in Substantijs ne-* C *cesse est similiter se habere; similiter enim se habet in omnibus.* Super quam literam ponit Commentator verba præallegata. Sed si primus motor poneretur mensura ipsius generis Substantiæ, hoc ipsum vnum poneretur mensura; quia primus motor propter simplicitatem suam, multò veriùs esset hoc ipsum vnum, quàm idea Platonis.

Quid igitur est mensura prima illius generis? Respondeò: aliqua Substantia illius generis prima, cui conuenit vnitas: non est autem primus motor mensura intrinseca illius generis, sicut nec aliorum, quatenus tamen etiam est mensura extrinseca omnium, aliquomodo est immediatius mensura substantiarum, quæ sunt perfectiora entia, quàm accidentium, quę sunt remotiora ab ipsa, nullius tamen generis est mensura intrīseca.

Ad Primam rationem. Dico, quòd si Substantiam abstrahas à creata & increata, non accipitur ibi Substantia vt est conceptus Generis generalissimi; quia increata re- D pugnat Substantiæ hoc modo, quia Substantia hoc modo includit limitationem. Sed accipitur ibi Substantia pro Ente in se, & non Ente in alio, cuius conceptus prior est, & communior conceptu Substantiæ, vt est genus, sicut patuit per Auic. vbi supra.

Ad aliam rationem. Concedo quòd compositio rei & rei, non requiritur in Ente, in Genere, sed requiritur compositio realitatis, & realitatis: quarum altera præcisè sumpta, in primo signo naturæ est in potentia ad alteram, & perfectibilis per alteram; talis autem compositio, non potest esse realitatis infinitæ ad realitatem infinitam: omnis autem realitas in Deo est infinita formaliter, sicut supra declaratum est; ergo &c.

Respondetur argumentis in principio Quæstionis positis.

AD Primum Argumentū principale. Concedo quòd iste cōceptus dictus de Deo & de creatura in Quid, contrahitur per aliquos conceptus dicentes Quale contrahentes. Sed ipse conceptus dictus in Quid non est conceptus generis, nec illi conceptus dicentes Quale, sunt conceptus differentiarum: quia iste conceptus quidditatiuus E est communis ad finitum & infinitum, quæ communitas non potest esse in conceptu Generis: isti etiam conceptus contrahentes, dicunt modum intrinsecum ipsius contracti, & non aliquam realitatem perficientem illam, differentiæ autem non dicunt modum intrinsecum realitatis alicuius generis: quia in quocunque gradu intelligatur animalitas, non propter hoc inuenitur rationalitas vel irrationalitas esse modus intrinsecus animalitatis, sed adhuc intelligitur animalitas, in tali gradu, vt perfectibilis à rationalitate, vel irrationalitate.

Sed hìc est vnum dubium. Quomodo potest conceptus communis Deo & creaturę realis accipi nisi ab aliqua realitate eiusdem Generis? Et tunc videtur, quòd sit potentialis ad illam realitatem, à qua accipitur conceptus distinguens, tanquam differentiæ, sicut priùs argutum est de conceptu generis & differentiæ: & tunc stat argumentum superiùs factum, pro Prima Opinione, quòd si esset aliqua realitas distinguens in re, & alia distincta, videtur quòd rès sit composita, quia habet aliquid quo conueniat, & F quo differat.

Respondeo. Quòd quando intelligitur aliqua realitas eum modo intrinseco suo, ille conceptus non est ita simpliciter simplex, quin possit concipi illa realitas absque modo illo; sed tunc est conceptus imperfectus illius rei: potest etiam concipi sub illo modo; & tunc est conceptus perfectus illius rei. Exemplum. Si esset albedo sub decimo gradu intensionis, quantumcunque esset simplex omnino in re, posset tamen concipi sub ratione albedinis tantæ; & tunc perfectè conciperetur, conceptu adęquato illi rei: vel posset concipi præcisè sub ratione albedinis; & tunc conciperetur conceptu imperfecto, & deficiente à perfectione rei: conceptus autem imperfectus posset esse communis illi albedini, & alij, & conceptus perfectus proprius esset. Requiritur igitur distinctio inter illud à quo accipitur conceptus cōis, & illud à quo accipitur conceptus proprius, nō vt distinctio realitatis & realitatis, sed vt distinctio realitatis, & modi proprij, & intrinseci eiusdē: quæ di- G stinctio sufficit ad habendum perfectum conceptum, vel imperfectum de eodem, quorum imperfectus sit cōmunis, & perfectus sit proprius; sed cōceptus generis & differentiæ, requirunt distinctionem realitatum, non tantùm eiusdem realitatis, perfectè & imperfectè conceptæ. Istud pōt sic declarari. Si ponamus aliquē intellectum perfectè moueri à colore, ad intelligendum realitatem coloris, & realitatem differentiæ; quantumcunque habeat perfectum conceptum, adæquatum primæ realitati, non tamen habet in hoc conceptum realitatis, à quo accipitur differentia, nec è conuersò; sed habet ibi duo obiecta formalia, quæ nata sunt terminare conceptus proprios distinctos. Si autem tantùm esse distinctio in re, sicut realitatis, & sui modi intrinseci, non posset intellectus habere proprium conceptum illius realitatis, & non habere conceptum illius modi intrinseci rei, saltem vt modi, sub quo conciperetur, licèt ille modus non conciperetur, sicut de singularitate concepta, & modo sub quo dicitur concipi; vt patet alibi. Sed in illo perfecto conceptu, haberet vnū obiectum adæ- H quatum illi, scilicet rem sub modo.

Etsi dicas. Saltem conceptus communis est indeterminatus, & potentialis ad specialem cōceptum, vt realitas ad realitatem; vel saltem non erit infinitas, quia nullum infinitum est potentiale ad aliquid. Concedo, quòd conceptus ille communis Deo & creaturę, est finitus, hoc est, non est de se infinitus positiuè, ita quòd de se includat infinitatē, quia si esset infinitus, non esset communis de se, finito & infinito; nec est de se finitus positiuè, ita quòd de se includat finitatem, quia tunc non competeret infinito: sed est de se indifferens ad finitum & infinitum: ideo est finitus negatiuè, id est non ponens infinitatem; & tali finitate, est determinabilis per aliquem conceptum.

Sed si arguas. Ergo realitas à qua accipitur, est finita. Non sequitur. Non enim accipitur ab aliqua realitate, vt conceptus adæquatus realitati, siue vt perfectus conceptus illi realitati adæquatus, sed vt diminutus vel imperfectus, in tantùm etiam, quòd si illa, realitas à qua accipitur, vi-

deretur

A deretur perfectè & intuitiuè, intuens ibi non haberet distincta obiecta formalia, scilicet realitatem,& modū, sed idem obiectū formale:tamen intelligēs intellectione abstractiua, propter intellectionis illius imperfectionē, pōt vnū habere pro obiecto formali,licèt nō habeat alterum.

Istud etiam potest vlteriùs declarari. Si cuiuslibet vniuersalis ponitur esse proprium indiuiduū, puta in re proprium indiuiduum animalis, proprium indiuiduum hominis &c. tunc non tantùm conceptus generis est potentialis ad conceptum differētiæ, sed proprium indiuiduum generis, est potentiale ad proprium indiuiduum differentię:si autem accipiamus proprium indiuiduum huius conceptus,Ens,quod indiuiduum est in Deo, & proprium indiuiduum huius, quod est infinitum, idem indiuiduum est,nec est potentiale ad seipsum.

Sed saltem quæres. Quare entitas non habet proprium indiuiduum in re;quod sit potentia ad indiuiduum determinatis,vt primò intelligatur hoc Ens, quàm infinitum? Respondeo. Quòd quando aliquid est de se esse, & non
B tantùm capax illius esse, tunc etiam est de se habēs quamlibet conditionem necessariò requisitam ad esse; Ens autem vt conuenit Deo,scilicet,Ens per essentiam, est ipsum esse infinitum, & non aliquid cui tantùm conuenit ipsum esse,& ideo ex se est hoc, & ex se infinitum;vt quasi per priùs intelligatur aliquomodo infinitas esse modus entitatis per essentiam,quàm ipsam intelligatur esse hoc:& ideo non oportet quærere, quomodo hoc Ens sit infinitum, quasi priùs conueniat sibi singularitas, quàm infinitas: & ita est vniuersaliter in his,quæ possunt esse entia per essentiā,non per participationem: tale primò determinatur ex se: vt sit tale per essentiam,& vt sit infinitum tale,& vt sit hoc de se.

Et si arguis. Indiuiduum includit indiuiduum; ergo commune includit commune;ergo si hoc Ens includit infinitatem hanc, & Ens in communi includet infinitatem in communi. Respondeo. Consequentia non valet. Quia indiuiduum includit perfectionem aliquam, quam nō in-
C cludit commune;& per illam perfectionem potest formaliter includere infinitum, & tamen commune, ex ratione conceptus communis, non includit illum, vt conceptum inclusum,sed est aliquomodo determinabile per ipsum.

Ad Auic.2.Metaphys. Patet per ipsum 8. Metaphysicæ, vt dictum est.

Ad Damasc.5.c. Patet per Magistrum dist.19. quia ponit ibi speciē pro aliqua similitudine speciei ad indiuidua: est tamen maior dissimilitudo secundùm August. & ideo August. lib.7.c.7. de Trini.negat ibi speciem, sicut & genus. Vnde illa diffinitio Porphyrij. Species dicitur quæ prædicatur de pluribus in Quid,debet intelligi,quòd in illis pluribus plurificetur species secūdùm naturam: in Personis autem Diuinis non plurificatur natura Diuina: Species etiam secundùm se,habet realitatem correspōdentem sibi potētialem, ad propriam realitatem indiuidui, Essentia Diuina nullo modo est potentialis ad relationem,sicut
D dictum fuit supra,dist.5.q.2.

Ad Vltimum,de sapientia. Dico, quòd non est species generis, vt transfertur ad Diuina:nec secundùm illam rationem transfertur, sed secundùm rationem sapientiæ, vt est transcendens. Quomodo autem tale potest esse transcendens,dictum est superiùs in solutio.princ.Art.3.

Dubium tamen est de hac sapientia, quæ est in nobis, Vtrum sit indiuiduum sapientiæ transcendentis, vel qualitatis,an alterius tantùm?

Quòd non vtriusque, videtur. Quia nihil idem continetur sub diuersis prædicatis, dictis in Quid de eo, nō sub alternis;sapientia autem transcēdens, & qualitas, nō subalterna sunt;ergo &c.

Item. Sapientia transcēdens est passio Entis;ergo Ens non dicitur de ea in Quid, nec è conuersò,ex dist.3. igitur nec aliquid in quo includitur sapientia transcēdens,includit Ens in Quid; quia tunc illud esset Ens per accidens,includeret enim essentialiter rationem subiecti, & passionis, quæ non faciunt aliquid vnum per se,sed tantùm per accidens.

Si hæc argumenta valent, vnum videtur dandum, scili-
cet,quòd sapientia in nobis,vel sit tantùm indiuiduum sapientiæ transcendentis, vel tantùm generis Qualitatis. E
Non videtur dandum secundum; quia tunc non esset in nobis perfectio simpliciter, quod videtur contra Aug. 15. de Trin.cap.4. *Omnis circa nos creatura clamat* &c. Si primum detur; ergo non omnis habitus formaliter est in genere Qualitatis; sed omnes sunt transcendentes, qui important perfectionem simpliciter.

QVÆSTIO QVARTA.

Vtrum cum simplicitate Dei,possit stare aliquomodo distinctio perfectionum essentialium,præcedens aliquomodo omnem actum intellectus.



Rguo quòd non Aug.5.de Trin.c.5.*Non sicut in creaturis sapientia & iustitia sunt duæ qualitates,ita in Deo,sed quæ iustitia,ipsa est & bonitas.* Ex hoc arguo. Prædicatio in abstractis non est vera, nisi sit per se primo modo;ergo F
ista,Sapientia est veritas,est per se primo modo. Et ita nullo modo est distinctio inter subiectum & prædicatum:sed subiectum per se includit prædicatum; quia hoc pertinet per se primo modo;ergo.&c.

Contra Damasc. lib.1.c.4. *Si iustum,si bonum,si quid tale dixeris,non naturam dicis Dei,sed quæ circa naturam: dicis autem aliquid quod præcedit omnem actum intellectus*: Ergo ante opus & actum intellectus, est aliquid in Deo, quod non est formaliter natura.

ARTICVLVS PRIMVS.

Recitatur Opinio affirmantium attributa distingui sola ratione per respectum ad extra.

IN ista Quæstione sunt multę Opiniones,quas nonomnes intendo recitare. Sed duæ sunt tenentes Conclusionem negatiuam,quæ tamen inter se differunt,vel contradicunt: quarum vtraque ponit, quòd cum simplicitate G
Dei non stat distinctio attributorum aliqua, nisi tantùm rationis. Sed Prima ponit,quòd nec illa potest haberi,nisi per respectū ad extra. Secunda ponit istam distinctionem rationis,posse haberi absque respectu ad extra.

Prima (*D.Tho.priori scripto dist.2.*) innitur isti rationi. Quandocunque in vno extremo est differentia rationis, cui correspondet in alio extremo differentia realis, distinctio vel differentia rationis, sumitur per comparationem ad distincta realiter. Exemplum de distinctione secundùm rationem,dextri & sinistri in columna, quæ sumitur per respectum ad distinctionem realem eorum in animali: Similiter de distinctione rationis in puncto,vt est principiū, & finis, quæ distinctio sumitur per respectum ad lineas realiter diuersas. Sed attributa Diuina, habent in creaturis aliqua re distincta,sibi correspondentia, vt bonitas bonitatem, sapientia sapientiam, & alia quæ verè dicuntur attributa, per quæ excluduntur quædam proprietates Diuinæ,vt sempiternitas,& æternitas,quæ propriè non sunt attributa;ergo &c.

Adhærētes huic rationi(*Herueus hic,& specialiter Henr. quol.5.q.1.& 3.*) tenent, quòd sic distinguuntur attributa H
per respectum ad intellectum nostrum; intantum, quòd scilicet respectibus illis correspondentibus in creaturis circumscriptis, non nisi vnicus conceptus, & simplex, posset formari de Essentia Diuina, quæ vnico nomine exprimeretur:nam alia nomina si imponerentur, aut essent nomina synomina; quia idem re & ratione esset eis correspondens,aut vana,quia nihil eis corresponderet.

Modus eorum ponendi est talis. Omnibus rationibus attributorum,quæ scilicet dicunt perfectionem in Deo, & in creaturis, correspondet in Deo vnitas essentiæ, non secundùm esse, quod absolutè habet, vt dictum est, sed secundùm respectum quem habet ad creaturam, non in genere causæ efficientis, sic enim nullum sumitur attributum, vt sapientia, quia sapientiam facit,nec etiam ad remouendum aliquid à Deo; quos duos modos videtur di-
cere

A cete Auic. & Rabi Moyſes: ſed inquantũ Eſſentia Diuina comparatur ad creaturas, ſecundùm rationem cauſæ formalis, integritatem omnis perfectionis in ſe cõtinens, quæ diſperſè & imperfectè eſt in creaturis: & per hoc eſt eſſentia illa ab omnibus diuerſimodè imitabilis.

Vltra, iſta Opinio dicit. Quòd pluralitas perfectionum attributalium, vt eſt in Eſſentia Diuina, eſt quaſi in potentia; vt autem eſt in conceptu intellectus, eſt quaſi in actu. Exemplũ, de vniuerſali in re, & in intellectu: ſed diuerſimodè habẽt eſſe iſta plura in diuerſis intellectibus. In Diuino quidem, & Beato creato, ex plenitudine perfectionis illius eſſentiæ ſimplicis, ipſa concipitur ſecundùm diuerſas rationes, & ex hoc prouenit multitudo conceptuum, ſecundùm actum in intelligentia: ſed ab intellectu lumine naturali intelligente, concipiuntur à poſteriori, inquantũ ex perfectionibus realiter diuerſis in creaturis, format cõceptiones & perfectiones correſpondentes in Deo proportionales; nullus tamẽ intellectus ſine reſpectu ad illa proportionalia, eas actu intelligit, ſiue ab illis proportionali-
B bus intelligat eas, vt tertius intellectus, ſiue non, ſed ex eſſentia, vt primus intellectus, & ſecundus: limitatæ autem perfectiones, inquantum actu in intelligentia ſunt, dicuntur rationes: & dicitur hìc ratio, conceptio perfectionis determinatæ, ex reſpectu ad determinatam, ſibi in creatura correſpondentem.

Alij declarant iſtam poſitionem, (*Gotfr. quol. 7. q. 1.*) ſic. Quòd ſicut intellectus Diuinus apprehendens ſuam Eſſentiam ſecundùm rem vnam & ſimplicem (virtualiter tamen omnium perfectiones quantumcunque limitatas, & determinatas, abſque limitatione & defectu continentẽ, propter quod eſt imitabilis à quibuſcunque rebus, quaſcunque perfectiones limitatas importantibus, intelligendo illam eſſentiam vt vnam ſecundùm rem) intelligit tamen illam aliquomodo multiplicem ſecundùm rationem; vel intelligit in vna re multa ſecũdùm rationem; inquantum apprehendit eam ſub alia ratione imitabilem à leone, & ſub alia ratione ab aſino, & hoc inquantum aſinus & leo, ſecundùm diuerſas perfectiones diuerſorum gra-
C duum, ipſam perfectionem Diuinam ſunt participantes & imitãtes, vel apti imitari. Ita intellectus Diuinus, ſuam Eſſentiam ſecundùm rem ſimplicem, virtute tamen omnium entium perfectiones ſimplices & abſolutas, abſque limitatione & defectu continentem apprehẽdens, vt propter eminentiam ſuæ perfectionis eiſdem perfectionibus eminentiùs eſt perfecta, intelligit illam Eſſentiam, vt vnũ ſecundùm rem, & multiplici perfectione, ſecundùm rationem differente, perfectam. Et ſi non apprehenderet quòd creatura diuerſis perfectionibus realiter differentibus perficeretur, inquãtum eſt bona & ſapiens, ſiue quòd iſtæ diuerſæ perfectiones importantur in creatura, non apprehenderet ſe ſub alia ratione perfectam ſapientià, & ſub alia ratione perfectũ bonitate. Nec apprehẽderet differentiam rationis inter ſuam ſapientiam & ſuam bonitatem, niſi apprehenderet differentiam ſecundùm rem ſapientiæ & bonitatis in creatura: alioquin ab vno eodem modo ſe habente, ſecundùm rem, & ſecundùm conceptum, ſume-
D retur vnitas, & pluralitas.

Cùm igitur Eſſentia Diuina, vt in ſe conſideratur, non ſit niſi aliquid indiſtinctum, omninò ſimplex re & ratione, non poteſt dici quòd abſque comparatione eius ad aliqua, in quibus inuenitur diuerſitas rei vel rationis, talis diſtinctio eſſe poſſit; quia cùm apprehenditur illud quod eſt omnino ſimplex & vnicum, ſub ratione qua ſibi competit ſecũdùm ſe, & abſque habitudine ad aliquid, in quo ſit aliqua diſtinctio; ſicut apprehenſum, non eſt niſi vnũ ſecundùm rem, ita non poteſt apprehendi, niſi ſecundùm vnam ſimplicem rationem. Nec etiam illa, ſcilicet, intelligibile, & intelligens, poteſt circa Eſſentiam ſuam apprehendere, vt differentia quædam, ex comparatione eorum ad inuicem, vel vt mutuò ſe reſpicientia, niſi iam in ſua differentia exiſtere ſupponantur, ſiue quandam differentiam importantia. Quæ enim apprehenduntur vt quædã differentia mutuò ſe reſpicientia, & quæ etiam operatione intellectus, vt differentia adinuicem comparantur, iam in ſua differentia exiſtere ſupponuntur. Quæ autem ex operatione rationis vel intellectus habẽt, quòd ſint quæ- E
dam entia ſecundùm rationem, & ad inuicem ratione differentia, non poſſunt dici conſtitui in tali ſuo eſſe, & habere differentiam hanc ſecundùm rationem, ex comparatione eorum inter ſe, per operationem rationis vel intellectus, imò iſta ſecũda operatio primam neceſſariò præſupponit, ita quòd primò per operationem vnam rationis, in tali eſſe diſtincto cõſtituuntur, & ſecundò per aliam operationem intellectus, ſic diſtincta adinuicem comparantur: ſicut enim cùm res veræ abſoluté comparantur adinuicem, ſupponuntur habere eſſe diſtinctum ſecundùm rẽ, ſic etiam cùm res rationis adinuicem comparantur, præſupponuntur habere diſtinctum eſſe ſecundũ rationem; igitur ſi intellectus Diuinus apprehendit Eſſentiam ſuam vt differentem ſecundùm rationem ab attributis, & etiã apprehendat ipſa attributa, vt differentia ſecundùm rationem, & ſub hac differentia iſta ad inuicem comparat; in ipſa ſecundùm ſe actualiter ſunt illa, vt ſic differentia, & ſub ſua actuali diſtinctione, quam ſic habẽt ſecundùm ſe, mouent intellectum Diuinum, vt ipſa ſic diſtincta cõ- F
cipiat, & adinuicem comparet: hoc autem non videtur conueniens.

Ratio iſta confirmatur. Quæcunque enim differunt; aut habent differentiam ſecundùm ſe, vel ex ſeipſis formaliter, per illud, quòd ſunt ſecundùm ſeipſa, abſque cõparatione ad aliqua realiter differentia, & iſta differunt ſecundùm rem: aut habent pluralitatem, ſiue differentiã ex comparatione ad aliqua realiter differentia, & iſta differant ratione; & hoc patet in creaturis: nam ſuppoſita vnitate formæ ſpecificæ ſecundũ rem, in illa diſtinguit intellectus rationem generis & differentiæ, quæ dicuntur non diuerſæ res, ſed diuerſæ rationes: ſed hæc diuerſitas non poſſet accipi in illa re vna & ſimplici, niſi per intellectum comparetur ad aliqua realiter differentia, & ſecundùm quendam ordinem illi vnicæ rei conuenientia, vnũ & idem etiam non haberet diuerſas rationes veri & boni niſi intelligere & velle illud vnum & idem ſubiecto, eſſent alicubi actus realiter diuerſi, & adinuicem ordinati.
Hoc etiam patet in Deo. Quia circumſcripta compara- G
tione omnimoda ad diuerſas eſſentias creaturarum, realẽ diuerſitatem importantium, Eſſentia Diuina non apprehenderetur ab intellectu Diuino ſub ratione diuerſarum idearum vel formarum, ſola ratione differentium, ſed ſub vna ratione ſimplici omnino indiſtincta.

Et hæc eſt intentio Commentatoris 2. Metaphyſ. com. 39. vbi loquens de materia hac, dicit, quòd vita, ſapientia &c. dicuntur propriè de Deo: quia Deus dicitur propriè & verè viuens, & ſapiens &c. talia autem & conſimilia, quæ ſignificantur per modum diſpoſitionis & diſpoſiti in rebus immaterialibus, reducuntur ad vnum in eſſe, & ad duo in conſideratione: intellectus enim natus eſt diuidere adunata in eſſe; ſed in rebus compoſitis cùm diſponit cõpoſitum per formam, aut cùm diſponit habentem formã per formam, intelligit vtraque adunata aliquomodo, & differentia aliquomodo, cùm autem fuerit conſiderata diſpoſitio, & diſpoſitum in rebus immaterialibus, tunc re-
ducuntur ad vnam intentionem omnibus modis, & nul- H
lus modus erit quo prædicatum diſtinguatur à ſubiecto extra intellectum, ſcilicet, in eſſe rei; ſed nullam differentiam intelligit intellectus interea in eſſendo, niſi ſecũdùm acceptionem, ſcilicet, quia idem accepit diſpoſitum & diſpoſitionem vt duo, quorum proportio eſt adinuicem, ſicut proportio prædicati ad ſubiectũ; intellectus enim poteſt intelligere idem his duobus modis, ſecundùm ſimilitudinem ad propoſitionem Cathegoricam in rebus compoſitis: ſicut intelligit multa per ſimilitudinem.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Impugnatur illa Opinio.

Contra iſtam poſitionem, Primò arguitur ſic. Quicquid eſt perfectionis ſimpliciter in creaturis, principaliùs eſt in Deo ex ſe, & non ex reſpectu aliquo ad extra attributum eſt ſimpliciter perfectionis in creatura, ita q́ ſimpli-

A simpliciter est meliùs ipsum quàm non ipsum; ergo, &c. Probatio Maioris. Perfectum semper est independens ab imperfecto, sicut imperfectum dependēs à perfecto; attributalis autem perfectio, in Deo est perfectè, in creatura imperfectè. Similiter non esset infinitę perfectionis simpliciter, nisi esset continens omnem perfectionem simpliciter, sine respectu ad extra. Minor declaratur sic. Quia enim quodlibet creatum in esse quidditatiuo est limitatū, & quælibet perfectio eius sibi essentialis: & ideò à nulla tali sumitur attributum, pari enim ratione à qualibet essentia creata, assumeretur attributum: sed ab illo quod est perfectio accidentalis creaturæ, siue in bene esse eius, sumitur attributum, quod dicit perfectionem simpliciter in subiecta substantia; quia licèt, vt natura quædam, habeat gradum limitatum, tamen vt perficiens aliud, in bene esse eius, nullam limitationem importat, & sic attributum; sic etiam in Deo non notat perfectionem primam, sed quasi accidentalem, in benè esse: vnde Aug. 15. de Trinit. cap. 5. *Si dicimus sapiens, speciosus, potens, spiritus, horum quod nouissimum posuit, videtur significare substantiam, cętera verò huius substantię qualitates.*

B Item Secundò sic. Illa non distinguuntur per respectū ad extra, quorum quodlibet continet Essentiam Diuinam secundùm omnem rationem perfectionis idæalem: sed quodlibet attributum cōtinet Essentiam Diuinam secundùm omnem rationem perfectionis idealis; ergo &c. Minor probatur. Quia ratio idæalis correspondet perfectioni creaturæ, inquantum ea perficitur in esse quidditatiuo; & per consequens sub ratione illa, qua essentia illa est limitata: vnde & secundùm diuersos gradus limitationis creaturarum, distinguuntur ideæ, non autem inquantum ista essentia est perfecta simpliciter, quia sic correspondet omnibus vnum attributum in Deo, vt bonitas, aut perfectio simpliciter. Et ex hoc apparet probatio Minoris. Quia enim quodlibet attributum est perfectio simpliciter (ex declaratione Minoris probationis primæ) sequitur quòd quodlibet est imitabile ab omni gradu limitato. Probatio Maioris. Tum quia continens omnem idæam æqualiter

C videtur respicere ideatum, & ita per respectum ad nullum potest distingui ab alio, quia similiter respicit quodlibet, vnde sapientia attributum, non magis respicit sapientiam idæatam, quàm colorem idæatum, quia vtrumque æquè est limitatum, nec ab vno magis sumitur attributum, quàm ab alio.

Item Tertiò sic. Distinctio attributorum fundamentū est respectu distinctionis emanationum personaliū; quia Filius procedit naturaliter nascendo, tanquam verbum conceptum in intellectu, Spiritus Sanctus procedit liberè spirando, tanquam amor conceptus in voluntate, & non vt verbum; quod non potest esse, nisi esset aliqua distinctio intellectus & voluntatis ad intra; sed productio Personarum ad nihil extra necessariò comparatur; ergo &c.

Item Quartò sic. Deus intelligit Essentiam suā inquantum vera: non inquantum bona, & vult eam inquantum

D bona, nō inquantum vera: ab æterno et intellexit se intelligere Essentiā, & velle eam: similiter sine respectu ad extra, quia iste actus consequitur immaterialitatem naturalem; ergo sine tali respectu includit Essentia sua ratione veri & boni, & similiter ratione intelligentis & intellecti, volentis & voliti formaliter distinctas; ergo &c.

Item Quintò sic. Beatitudo Diuina consistit in eius actibus perfectis, intellectus & voluntatis; sed omnia attributa Diuina sese mutuò respiciunt in perficiendo actus illos, vt patebit: beatitudo autem Dei à nullo respectu dependet ad extra; ergo &c.

Contra rationem eius. Maior est falsa. Tum quia ita distinguitur Essentia Diuina ratione ab attributo, sicut vnum attributum ab alio: Nunquid sequitur, Ergo Essentia vt Essentia non est ibi, nisi ex respectu ad extra? Tum quia bonum, & verum in creatura distinguūtur distinctione rationis: à quibus igitur re distinctis sumitur, hæc distinctio? à nullis: sed à vero & bono in Deo: quæ ratione differunt. Tum tertiò, quia vbi est mera distinctio rationis, nō requiritur respectus ad aliquid extra, sicut est in diffinitione, & diffinito, & talis est distinctio in attributis, qualia sunt obiecta intelligentiæ Diuinę, differentia E ratione, licèt sint vnius actus intelligendi in Deo. Quando enim requiritur respectus ad extra, tunc distinctio partim est ab intellectu, partim aliunde, & hoc vel à diuersis circumstantibus extra diuersimodè, vt patet in exemplis adductis, de columna, & puncto, vel ab eodem diuersimodè circumstante: vt in secunda instantia, patet contra Maiorem.

Item contra Minorem illius rationis arguitur sic. Cùm omnia attributa pertineant ad intellectum, & voluntatem, quę sunt principia emanationum, ad Personas distinctas realiter potest reduci distinctio attributorū, ita quòd illa, quæ pertinent ad intellectum, habent respectum ad gignitionem verbi, quæ autem ad voluntatem, habent respectum ad spirationem: vt sicut intellectus creaturæ naturalis non distinguit hęc & illa, nisi ex respectu ad aliqua in creaturis, ad quæ reflectit omnem suum intellectum; sic intellectus Diuinus, & beatus, ex respectu ad personas, ad quas dirigit omnem suum intellectum. F

ARTICVLVS TERTIVS.

Alia Opinio proponitur.

Alia est positio. (*Henr. quol. 5. q. 1. et quol. 13. q. 1.*) Quæ dicit, quòd Essentia Diuina, absolutè considerata, inquantum natura aliqua, vel essentia, nullam habet distinctionem rationis, nisi quasi in potentia. Commētator 12. Metaph. comment. 39. *Multiplicitas rationum in Deo, non est nisi in intellectu tantum, non in re*: considerata autem non in se, sed inquantū veritas, prout scilicet habet esse in intelligentia, potest dupliciter accipi; aut inquantùm mouet intellectum, quasi simplici intelligentia, & sic adhuc concipitur per rationem suæ simplicitatis, nec habet aliquam pluralitatem, nisi quasi in potentia, aut inquantum intellectus post istam apprehensionē, negotiatur circa ipsam pluralitatem attributorum, quasi reducendo ipsam de potentia ad actum. Primo modo intellectus naturalis ad G ipsam non pertingit, sed concipit ipsam particulatim in attributis conceptis ex creaturis, secundùm istam Opinionem. Secūdo modo, intellectus beatus, quasi prima actione intelligendi capit eam. Tertio modo, quasi intellectus idem componēs, & diuidens. Et intellectus Diuinus, vnico & simplici intuitu, distinguit rationes conten tas in Essentia, quæ ex sua perfectione summa, omnes perfectiones simpliciter sola ratione vel operatione intellectus distinctas, continet. Istę rationes attributorum, quas intellectus de simplici essentia, secundùm diuersos conceptus format, non sunt nisi respectus fundati in Essentia; quia cōceptus plurium absolutorum intra eam impedit simplicitas; & sunt conceptus plures, ne conceptus sint synonimi, & in Essentia, ne sint vani: sed non sunt respectus ad extra, vt probatum est, sed ad intra.

Sic ergo omnia attributa Diuina pertinent ad intellectum vel voluntatem: quæ ad intellectum, mutuò intra se respiciunt, similiter quæ ad voluntatem, mutuò se respiciunt, inquantum hęc & illa cadunt sub apprehensione intellectus, qui intellectus primò simplici intelligentia concipit Essentiam, vt Essentia est, deinde negotiando circa eam, concipit videlicet eam vt intellecta est, & vt intelligens, & vt ratio intelligendi. Ita quòd Essentia inquantum Essentia respicit alia, vt in qua sunt fundata, vt verò est concepta & mouens intellectum ad intelligendum, dicitur veritas, cuius propria ratio est, vt respiciat Essentiam vt Essentia est, sicut illud cuius est declaratiua, & intellectum vt cui habet declarare, & actum intelligendi, vt quo habet declarare, & sapientiam vt habitum, quo intellectus habilis est, vt sibi declaratio fiat. Ipsa verò Essentia vt per actum intelligendi est cōceptiua suiipsius, est intellectus, & respicit verum, vt per quod manifestatur essentia, quæ concipitur: de actu similiter: & sic etiam de pertinentibus ad voluntatem. H

A summa ergo vnitate essentiæ, ordinatæ secundū modum concipiendi, primò concipiuntur diuersæ rationes attributorum, & inter illa adhuc est ordo, secundùm quem media-

A mediatiùs, vel immediatiùs ordinantur ad emanationes, deinde concipiuntur emanationes, & ibi est status ad intra, deinde sequuntur omnes respectus ad extra, qui sunt per accidens: sicut autem distinctio relationum realium ad sua correspondentia, sic relationum rationalium ad sua correspondentia, & totum ad intra: secundùm illud argumentum, quod fuit pro hac parte.

ARTICVLVS QVARTVS.

Opinio præcedens reijcitur.

Contra istam Opinionem arguitur per rationes illas quas adduxi contra primam Opinionem.

Primò per Tertiam. Quia secundùm eos, distinctio perfectionum attributalium, est fundamentum respectu distinctionis emanationum; sed distinctio emanationum est realis, patet: nulla autem distinctio realis prçexigit necessariò distinctionem quæ tantùm est rationis, sicut nec
B aliquid quod est purè reale, præexigit aliud, quod est merè ens rationis; ergo distinctio attributorum non est tantùm rationis, sed aliquomodo ex natura rei. Assumptum probatur. Quia ens reale quod distinguitur contra Ens rationis, est illud, quod ex se habet esse, circumscripto omni opere intellectus vt intellectus est; quicquid autem depēdet ab ente rationis, vel necessariò præexigit illud, nō potest habere suum esse, circumscripto omni opere intellectus vt intellectus est; ergo nihil quod præexigit ens rationis, est verè ens reale. Confirmatur ista ratio. Quia quod est posterius naturaliter, non potest esse perfectius Ens, Ente priori naturaliter; sed Ens reale est perfectius Ens, quàm Ens quod est tantùm rationis; & distinctio emanationum est realis & posterior; ergo non fundatur nisi in ente reali, & distincto; sed per te fundatur in distinctione attributorum; igitur distinctio attributorum non est tantùm rationis.

Hçc ratio licèt sufficiat contra Opinantem: tamē oportet eam confirmare, propter Conclusionem in se.

C Dicitur ad eā, (*ab Henr. quol. 3. q. 3. & in sum. art. 37. q. 7.*) Quòd attributa non sunt fundamenta emanationum distinctarum, imò essentia sola cum relationibus principiat diuersas emanationes, tamen intellectus postea potest cōsiderare ipsam essentiam, vt cum relationibus principiat hanc & illam, & tunc potest considerare rationem naturæ & voluntatis, & tamen non præcedunt ex natura rei.

Contra. In illo instāti originis, in quo generatur Filius: quçro, an principium productiuum eius, alio modo se habet ad ipsum, quàm principium productiuum Spiritus Sācti se habet ad ipsum, aut non alio modo? Si non alio modo; ergo non magis est Filius, Filius, nec imago Patris, ex vi productionis suæ, quàm Spiritus Sanctus: si sic; igitur in illis signis originis ante omnem actum intellectus habetur aliqua distinctio, & non identitas formalis.

Nec valet attribuere istam distinctionem relationibus. Quia omnis relatio æquè naturaliter respicit suum correlatiuum; ergo Essentia vt sub ratione spiratiui, æquè natu-
D raliter respicit suum spiratum, sicut sub ratione generatiui respicit generatum vel genitum; non igitur posset ibi saluari alius & alius modus producendi, naturaliter scilicet, & liberè, propter relationes, sed tantùm si illud absolutum quo producens producit, sit alterius rationis.

Hìc etiam arguitur contra istam positionem, & ex alia ratione eorum, de obiectis veri & boni. Quia si ab æterno Deus ex sui immaterialitate intelligit, & vult se, & hoc sub ratione boni & veri; ergo ibi est distinctio veri & boni rationum formalium in obiectis, ante omnem actum circa talia obiecta.

Hoc etiam confirmatur per Argumentum eorum de beatitudine, quç conuenit Deo ex natura rei ante omnem actum intellectus negotiatiui. Quia actus negotiandi nō est formaliter beatificus; illa autem beatitudo, vt dicitur, requirit propriam rationem obiecti, & potentiæ, & operationis; ergo &c.

Ista tamen positio exponitur (*ab Henr. vbi sup. in solut. argum. princ.*) sic. Quòd possumus loqui de ratione, quam obiectum facit in intellectu de se: vel de illa, quam intel- E
lectus potest facere circa obiectum negotiādo. Si loquamur de prima; illa est vnica, sicut & vnica est in re; & hoc dicit in se Opinio, quòd vt est intellecta per actum intelligentiæ simplicis, habet omninò rationem indistincti: si secundo modo, sic intellectus potest formare circa illam vnam rationem obiecti, multas rationes distinctas, conferendo hoc ad illud: & hoc similiter dixit illa Opinio, quòd obiectum vt est in intellectu negotiante, habet distinctas rationes quasi formatas circa ipsum.

Addit tamen ista expositio. Quòd Opinio in se non videtur dicere, quòd illa vna ratio in se est formaliter bonitas, & veritas, & quælibet perfectio simpliciter: & quòd illa vna ratio quæ fit in intellectu virtute obiecti, est etiā ratio formaliter bonitatis, & veritatis, &c. Opinio tamen in se videtur dicere, quòd ista dicunt diuersos respectus fundatos in Essentia.

Quia igitur diuersimodè potest intelligi illa Opinio dicta, præter argumenta iam facta, appono alias rationes speciales. F

Et primò ostendo, quòd formaliter bonitas & veritas sint in re, & quælibet perfectio simpliciter, ante omne opus intellectus. Quia quælibet perfectio simpliciter, est formaliter in ente perfecto ex natura rei; veritas formaliter est perfectio simpliciter, & bonitas similiter; ergo &c. Maior patet. Tum quia aliter non esset Deus simpliciter perfectū; quia non esset, quo maius excogitari non posset; cogitaretur. n. maius, si esset sic, & nō sic perfectum. Tum quia aliter perfectio simpliciter in nullo esset perfectè: nō enim est aliqua perfectio in creatura perfectè, quia ibi est finitè; nec in Deo est perfectè, si non sit in ipso, vt existēs, sed tantùm, vt quid cognitum: quia esse cognitum est esse diminutum, vt distinguitur contra existens. Tùm tertiò, quia tunc perfectio simpliciter, in aliquo esset formaliter per participationem, & non formaliter in eo, à quo participaret eam; imò perfectio talis in participante, non esset per participationem illius perfectionis in causa, quia nihil est à quo sit participatio existentis, nisi existēs: quæ omnia
videntur absurda. Minor apparet. Quia aliter Ansel. non G
poneret talia esse in Deo; quia secundùm eum Monol. 15. *Nihil tale ponendum est in Deo, quod non est melius ipsum, quàm non ipsum*; ac per hoc perfectio simpliciter. Patet etiam eadem Minor. Quia quodlibet tale potest esse formaliter infinitum, infinitas repugnat cuicunque, quod non est perfectio simpliciter; ergo &c.

Vlteriùs probo, quòd tales perfectiones ex natura rei, ante opus intellectus, non habent identitatem formalem. Quia intellectus actu suo non potest causare nisi relationem rationis, ex hoc scilicet, quòd est virtus collatiua, potens conferre hoc vt cognitum, ad illud. Quæro igitur. Vtrum veritas dicat præcisè illam perfectionem quæ est in re formaliter, aut præcisè illam relationem factam ab intellectu, aut vtrumque? Si præcisè relationem rationis; ergo non est perfectio simpliciter, quia nulla relatio rationis potest esse infinita: si enim relatio realis, vt Paternitas, non est formaliter infinita, quantò magis illa relatio
rationis? Si ambo (cùm illa non sint vnū nisi per accidens, H
quia relatio rationis cum ente reali nunquam facit vnum per se: quod patet; quia multò minùs facit vnum cum ente reali ens rationis, quàm passio cū subiecto, passio enim consequitur subiectum ex ratione subiecti; nullum autem ens rationis consequitur ens reale ex ratione sui) separa igitur ista duo, quæ concurrunt in isto ente per accidens; & sequitur tunc, quòd veritas semper dicit præcisè illam perfectionē in re, & bonitas similiter. Et tunc vltra. Cùm nulla sit distinctio in re, siue secundùm Opinionem, siue secundùm expositionem Opinionis, quia dicerent eandē perfectionem vt perfectio in re est, (vt probatum est) & sine omni distinctione rei & rationis; sequitur quòd bonitas & veritas sint formaliter Sinonyma: quod ipsi negant.

Præterea. Intellectus intuitiuus nullā habet distinctionem in obiecto, nisi secundùm quod existens est: quia sicut non cognoscit aliquod obiectum, nisi secundùm quod existens, ita non cognoscit aliqua distincta formaliter in obiecto, nisi vt existens. Cùm igitur intellectus Diuinus

A non cognoſcat Eſſentiam ſuam, niſi intuitiua intelle-ctione: quæcunque diſtinctio ponatur ibi in obiecto, ſiue ſit diſtinctorum obiectorum formalium, ſiue vt rationum cauſatarum per actum intellectus, ſequitur quòd iſta diſtinctio erit in obiecto, vt actu exiſtens eſt; & ita ſi iſta eſt obiectorum formalium diſtinctorum, in obiecto erunt iſta formaliter diſtincta; & habent tunc propoſitum, quòd diſtinctio talis obiectorũ formalium præcedit actum intellectus: ſi autem ſit rationum cauſatarũ per actum intelligendi; igitur intellectus Diuinus cauſabit aliquam intentionem in Eſſentia, vt relationem rationis, vt exiſtens eſt: quod eſt abſurdum.

Item arguitur contra illam expoſitionem. Quia ſi de aliquo obiecto tantùm natus eſt habet vnus cõceptus realis, nihil facit aliquem conceptum realẽ illius obiecti, niſi faciat illum vnum: de Eſſentia autem Diuina, ſecundùm eos, tantùm natus eſt haberi vnus conceptus realis (quia illa tantùm nata eſt facere vnum conceptum realem, nata eſt autẽ facere omnem realem, qui de ipſa haberi poteſt, B alioquin eſſet imperfectius intelligibile, quàm ſit aliquod intelligibile creatum, quod quidem eſt cauſatiuum omnis conceptus realis poſſibilis haberi de eo) igitur nihil faciet in intellectu aliquem conceptum de Deo, niſi faciat illum vnicum: & ita cùm creatura non poſſit cauſare in intellectu illum conceptum; quia ille conceptus eſt Eſſentiæ vt eſt hæc in ſe, ſub propria ratione; ſequitur quòd per nullam actionem creaturę poſſit haberi aliquis conceptus naturalis de Deo in iſta vita.

Præterea contra Concluſionem in ſe. Quia ſi iſta, qualitercunque diſtinguantur ratione, non diſtinguan tut ex natura rei, ſine actu intellectus, vel voluntatis. Ex hoc arguo. Diſtinctio præcedens rationem primi diſtinctiui, non eſt per tale diſtinctiuum, ſed diſtinctio naturæ & intellectus, vel voluntatis & intellectus, præcedit intellectionem & volitionem, quæ eſt primum diſtinctiuum eorum, quæ diſtinguuntur ſecũdùm rationem; ergo illa diſtinctio naturæ & intellectus, vel voluntatis & intellectus, non erit C per intellectum. Aſſumptum patet. Si enim nulla diſtinctio eorum præcederet, non magis iſta diſtinguerẽtur iſta intellectione, quàm natura vel volitione: quicquid autem diſtinguitur intellectione, vt eſt omninò indiſtincta à natura, etiam diſtinguitur natura.

Et ſi dicitur, quaſi contemnendo iſtud argumentum, fortè ad cautelam propter defectum reſponſionis. Quòd ſi per impoſſibile eſſet ſola intellectio per ſe, ipſa diſtingueret, non autem natura vel voluntas.

Hæc reſponſio non ſufficit. Quia quantumcunque aliqua per impoſſibile ſeparẽtur, ſi eis ſeparatis aliquid competat vni, & non alteri; hoc non poteſt eſſe, niſi per aliquã diſtinctionem formalem rationis iſtius, à ratione illius: ſi igitur iſtis ſeparatis, competeret diſtinctio intellectioni, & non naturæ, aliqua eſt diſtinctio huius & illius, etiã quando non ſunt ſeparata. Separa enim per impoſſibile album ab albo, non poteris habere quòd album ſit cauſa alicuius, quin album ſit cauſa eiuſdem; quia nulla eſt diſtinctio inter album & album: vnde nunquam eſſet hæc fallacia accidentis: Iſta intellectione diſtinguuntur; iſta intellectio D eſt natura; ergo natura diſtinguũtur: niſi ratio intellectionis extranearetur rationi naturæ, inquantum comparatur ad tertium; ergo illa extraneatio præuenit aliquam diſtinctionem rationis ab illa, inquantum comparantur ad tertium, & iſta præuenit diſtinctionem rationum inter ſe.

ARTICVLVS QVINTVS.

Reſoluitur Quæſtio ſecundùm propriam Sententiam.

AD Quæſtionem Reſpondeo. Et dico. Quòd inter perfectiones eſſentiales, non eſt tantùm differentia rationis, hoc eſt, diuerſorum modorum concipiendi idem obiectum formale: talis enim diſtinctio eſt inter ſapiens & ſapientiam, & vtique maior inter ſapientiam, & veritatem: nec eſt ibi tantùm diſtinctio obiectorum formalium in intellectu: quia (vt argutum eſt priùs) illa nunquã eſt in cognitione intuitiua, niſi ſit in obiecto intuitiuè E cognito.

Iſta etiam duo membra probantur per rationes factas contra præcedentem Opinionem.

Eſt ergo ibi diſtinctio tertia, præcedẽs intellectum omni modo. Et eſt iſta. Quòd ſapientia eſt in re, ex natura rei, & bonitas eſt in re, ex natura rei: ſapientia autem in re, formaliter non eſt bonitas in re. Quod probatur. Quia ſi infinita ſapientia, eſſet formaliter infinita bonitas, & ſapientia in communi, eſſet formaliter bonitas in communi: infinitas enim non deſtruit formaliter rationem illius cui additur: quia in quocunque gradu intelligatur eſſe aliqua perfectio; qui tamen gradus eſt gradus illius perfectionis, non tollitur ratio formalis iſtius perfectionis, propter iſtum gradum: & ita ſi non includit formaliter vt in communi, nec vt infinitũ in infinitum. Quòd autem non includat formaliter vt in communi. Hoc declaro. Quia includere formaliter, eſt includere aliquid in ratione ſua eſſentiali, ita quòd ſi diffinitio includentis aſſignaretur, F incluſum eſſet diffinitio, vel pars diffinitionis: Sicut autem diffinitio bonitatis in communi, non habet ſapientiam in ſe; ita nec infinita infinitam.

Eſt igitur aliqua non identitas formalis ſapientiæ & bonitatis, inquãtum earum eſſent diſtinctæ diffinitiones, ſi eſſent diffinibiles; diffinitio autem non tantùm indicat rationem cauſatam ab intellectu, ſed quidditatem rei; ergo non eſt identitas formalis ex parte rei. Et intelligo ſic: quòd intellectus componens iſtam, Sapientia non eſt bonitas formaliter, non cauſat actu ſuo collatiuo veritatem iſtius compoſitionis, licèt in obiecto inueniat extrema, ex quorum compoſitione ſit actus verus.

Et iſtud argumentum de non formali identitate, dixerunt antiqui Doctores, ponentes in Diuinis aliquam eſſe prædicationem veram per identitatem, quæ tamen non eſſet formalis. Ita concedo per identitatem, veritatem eſſe bonitatem in ſe, non tamen formaliter veritatem eſſe bonitatem.

Iſta etiam Opinio confirmatur auctoritate Damaſc. 4. G c. præallegato & cap. 9. vbi ipſe vult, *inter omnia nomina de Deo dicta, propriiſſimum eſt, Qui eſt; quia Eſſe, dicit quoddam pelagus infinitæ ſubſtantiæ: cætera autem* vt dixit c. 4. *ſunt illa quæ circunſtant naturam.* Iſtud non videtur niſi eſſet aliqua diſtinctio ex parte rei: non enim eſt pelagus infinitæ ſubſtantiæ propter hoc, quòd multæ relationes rationis poſſunt circa ipſum cauſari, ita enim poſſunt per actum intellectus circa quodlibet cauſari.

Confirmatur per Aug. 8. de Trin. c. 2. vbi probat, quòd *non ſunt aliquid maius duæ Perſonę, quàm vna; quia non aliquid verius.* Quæ conſequentia eſſet iſta, ſi tantùm eſſet diſtinctio rationis inter ſapientiam, veritatem, & magnitudinem? Non videtur aliud argumentum, quàm ſi probaretur, Sapientia; ergo ſapiens: vel è conuerſò.

Ad quid etiam Doctores, qui tenent oppoſitam Opinionem, implent tot quinternos, oſtendendo vnum attributum ex alio, ſi non eſt inter ea, niſi differentia relationum rationis tantummodo? Ita enim perfectè videretur Deus cognoſci, quãtùm ad omnem cognitionem realem, H vel conceptum realem, vt cognoſcitur ſub attributo vno, ſicut ſi cognoſcatur ſub ratione omnium attributorum; quia cognitio plurium relationum rationis, non facit ad perfectiorem cognitionem realem habendam de aliquo.

Similiter iuxta auctoritatem Damaſc. prædictam. Ad quid aſſignant ipſi ordinem attributorum, quaſi Eſſentia ſit fundamentum, & quædam ſunt propinquiora Eſſentiæ, quędam propinquiora emanationibus, ſi tantùm ſunt relationes rationis? quis etiam ordo per comparationem ad emanationes?

Similiter Aug. contra Maximinum. *Si potes Deum Patrem concedere ſimplicem, & tamen eſſe ſapientem, bonum;* & enumerat ibi multas tales prfectiones; *quantò magis vnus Deus poteſt eſſe ſimplex, & tamen Trinitas? ita quòd tres Perſonæ non ſunt partes vnius Dei.* Arguit enim ibi; quòd ſi in eodem ſine compoſitione & partialitate poſſunt eſſe multæ perfectiones ſimpliciter; ergo multò magis poſſunt eſſe tres Perſonæ in Deitate, ſine compoſitione & partialitate.

A litate. Quod argumentum esset istud, si attributa tantū differrēt per relationes rationis,& Personæ distinguerentur realiter? Non enim sequitur, si relationes rationis nō faciunt cōpositionem in aliquo;ergo necrelationes reales.

Idem etiam August. 15.de Trin. cap.3.dicit,*Omnia ista esse æqualia:nihil enim est propriè sibiipsi æquale*: nihil autem est dicere,quòd aliquid sub vna relatione rationis, sit sibi æquale sub alia ratione rationis.

Hilar. etiam 12. de Trini. cap.5. alloquens Deum Patrem,ait sic. *Perfecti Dei, qui & Verbum tuum,& Sapientia, & Veritas,absoluta generatio est:qui in his æternarum proprietatum nominibus,natus est*. Dicit igitur, quòd istæ proprietates sunt æternæ;& in his natus est Filius de Patre,quasi Pater præhabēs ista,communicet ea Filio:si autem essent tantùm distincta ratione,non viderentur priùs esse in Patre origine,quàm produceretur Filius? quicquid est enim ibi productum in esse rationis per actum intellectus,videtur esse productum à tota Trinitate,& ita non esset in Patre, vt præcedens origine Filium, quasi necessariò præce-

B dens origine.

Ista autem non identitas formalis, stat cum simplicitate Dei:quia hanc differentiam necesse est ponere inter essentiam& proprietatem, sicut supra dist.2.quæst.vlt.ostēsum est: & tamen propter hoc non ponitur compositio in Persona. Similiter ista distinctio formalis ponitur inter duas proprietates in Patre,innascibilitatem scilicet, & Paternitatem,quę secundùm Aug.5.de Trini.cap.6.non sunt eadem proprietas; quia *non est eo Pater, quo ingenitus*:ergo si in vna Persona possunt esse duæ proprietates sine compositione,multò magis, vel saltem æqualiter, possunt esse plures perfectiones essentiales in Deo, non formaliter eædem,sine compositione:quia illę proprietates in Patre, nō sunt formaliter infinitæ, essentiales autem perfectiones sunt infinitæ formaliter; ergo quælibet, eadem cuilibet.

ARTICVLVS SEXTVS.

Difficultates tres mouentur, & explicantur.

C Ontra istam solutionem sunt tria dubia.

Primò enim videtur,quòd non saluetur simplicitas Diuina. Quia ex quo ponitur Essentia quasi fundamentum,& ista quasi circumstantia Essentiam; videtur q; ista se habent vt actus &formæ,respectu Essentiæ Diuinæ.

Secundum dubium. Quia Aug. 7. de Trin. cap. 5. vbi negat identitatem Deitatis, & Paternitatis: *Non eo*, inquiens, *Pater,quo Deus*; sicut *nec eo Verbum quo sapientia*: ita cōcedit identitatem magnitudinis,& bonitatis, & perfectionum essentialium. Quia dicit, quòd *eo magnus, quo Deus*: Ergo sicut ibi identitatem negat, ita concedit hic: non autem negat ibi nisi identitatem formalem; ergo illam concedit hic.

Tertium. Quia sicut non esset bonitas realiter infinita,nisi esset realiter eadem sapientiæ;ita videtur quòd ratiò bonitatis non sit infinita formaliter, nisi sit formaliter eadem rationi sapientiæ;ergo propter eandem rationem,

D propter quam ponis realem identitatem inter ista, deberes ponere identitatem formalem rationis ad rationem.

Ad ista.

Ad Primum. Respondeo. Quòd forma in creaturis, habet aliquid imperfectionis; scilicet, quia est forma informans aliquid, & pars compositi: aliquid etiam habet, quod non est imperfectionis, sed consequitur eam,secundùm suam rationem essentialem, siue formalem; scilicet, quod ipsa sit quo aliquid est tale. Exemplum. Sapientia in nobis est accidens; hoc est imperfectionis; sed quòd ipsa sit quo aliquid est sapiens; hoc non est imperfectionis, sed essentialis rationis sapientiæ. In Diuinis autem, nihil est forma, secundùm illam duplicem rationem imperfectionis, quia nec informans,nec pars; est tamen ibi sapientia, inquantum est quo illud, in quo ipsa est, est sapiens: & hoc non per aliquam compositionem sapientiæ, ad aliquid quasi subiectum,nec quòd sapientia illa sit pars alicuius compositi, sed per veram identitatem, qua sapiētia, propter sui infinitatem perfectam, perfectè est idem cuilibet, cum quo nata est esse. E

Sed obijcies. Quomodo est aliquid formaliter sapiens sapientia, si sapientia non est forma eius? Respondeo. Corpus est animatum, quasi denominatiuè, quia anima est forma eius; homo dicitur animatus non denominatiuè, sed essentialiter, quia anima est pars eius, & aliquid eius. Non igitur requiritur aliquid esse formam informantem aliquid, vt ipsum sit tale per ipsum: quia forma non est forma informans totum, quod tamen dicitur formaliter tale, per ipsam. Si igitur veriori identitate esset aliqua forma idem alicui, quàm sit identitas eius ad informatum, vel ad totum, cuius est pars; sufficeret illa identitas ad hoc, quòd illud tali forma esset tale. Ita est in proposito.

Et tunc si quæras. Vtrum ab isto actu posset esse aliqua abstractio formæ? Dico. Quòd non est ibi abstractio formæ vt informantis,vel vt partis ab informato, vel à toto; sed est ibi abstractio formæ, inquantum per eam aliquid est tale præcisè acceptam,non considerando identitatem eius ad illud,quo est tale per ipsam. F

Ad Secundum dubium, quod videtur habere difficultatem ex verbis Aug. Dico. Quòd dupliciter, vel tripliciter,eodem Deus est sapiens, & magnus; & tamen non sic eodem est Deus, & Pater. Vno modo:quia sapientia, & magnitudo sunt perfectiones eiusdem rationis; hoc est, quidditatiuę:quia quicquid perficitur istis perfectionibus, perficitur non vt rationibus suppositi, sed vt rationibus quidditatiuis: non sic autem Paternitas & Deitas sunt eiusdem rationis. Sunt etiam alio modo eiusdem rationis sapientia, & bonitas, quia perfectiones simpliciter: non sic autem Paternitas, & Deitas. Secundo modo: quia magnitudo est eadem Deitati in quolibet; Paternitas non, sed tantùm in vno supposito. Tertio modo: quia bonitas, & magnitudo, &c. huiusmodi,sunt eadem quasi identitate mutua: quia vtrumque est formaliter infinitum,propter quam infinitatem vtrumque est idem alteri; sed Paternitas & Deitas non sunt eadem sic mutuò; quia vnū eorum non est formaliter infinitum,sed tantùm Deitas est formaliter infinita;& propteristaminfinitatem, Paternitas est sibi idem,non è conuersò sic. G

Ad formam ergo. Concedo, quòd eo modo eodem est bonus, & sapiens, quo modo non eodem est Deus & Pater; quia eodem est bonus, & sapiens; eodem scilicet, in quolibet supposito, & eodem quasi identitate mutua. Non sunt autem sic eodem in quolibet, Paternitas, & Deitas, eodem simpliciter, id est, perfectione eiusdem rationis est bonus & sapiens; quia quidditatiuè est bonus, & sapiens: non sic eodem est Deus, & Pater; quia non est vtrumque Quo ibi essentialis perfectio, illius cuius est;quia licèt quidditas Paternitatis maneat ibi,tamen illa quidditas non est ratio quidditatiua simpliciter suppositi alicuius, sed ratio personalis eiusdem.

Ad Tertium. Concedo, quòd ratio sapientiæ est infinita,& ratio bonitatis:& ideo hæc ratio est illa per identitatem; quia oppositum non stat cum infinitate alterius extremi:tamen hæc ratio non est formaliter illa;non enim sequitur; Est verè idem alteri; ergo formaliter idem eidē; est enim vera identitas A. & B.absque hoc,quòd A.includat formaliter rationem ipsius B. H

Argumento principali satisfit.

A D Argumentum principale,quod sumitur de auctoritate August.15.de Trin.Respondeo. Quòd in creaturis non est aliqua vera prædicatio in abstracto per identitatem, quæ non sit formaliter: & ideo nunquam fuit tradita Logica in creaturis, de prædicatione alia formaliter vera, & alia per identitatem. In Diuinis autem est vera prædicatio per identitatem in abstracto,& tamen non est formalis. Ratio huius differentiæ est ista, vt puto. Quia concipiendo abstractum vltima abstractione, concipitur quidditas absque habitudine ad quodcunque, quod est extra propriam rationem quidditatis; sic igitur concipiendo extrema, nulla erit veritas vniendo ea, nisi præcisè quidditas vnius extremi, sit eadem quidditati alteris

A terius extremi. Hoc autem non contingit in creaturis: quia ibi abstrahendo illas realitates, quæ sunt in eodem, puta realitatem generis, & differentiæ, & considerando eas præcisissimè, vtraque est finita, & neutra est perfectè eadem alteri: non enim sunt modò eadem inter se, nisi propter tertium, cui sunt eadem: & ideo si abstrahantur à tertio, non remanet causa identitatis eorum; & ideo nec causa veritatis propositionis vnientis extrema illa. Hæc igitur est falsa, Animalitas est rationalitas, & è conuersò; & hoc quacunque prædicatione; quia non tantùm extrema non sunt formaliter eadem, sed nec verè eadem: quidditas enim hæc præcisè est potentialis ad quidditatem illam; & non est eadem illi, nisi propter idētitatem ad tertium, à quo abstrahūtur, ergo abstractio illa, tollit causam veritatis affirmatiuæ, vnientis ea.

Oppositum est in Deo. Quia abstrahendo sapientiam à quocunque, quod est extra rationem sapientiæ, & bonitatem similiter abstrahendo à quocunque, quod est extra eius rationem formaliter, remanet vtraque quidditas B præcisè sumpta formaliter infinita: & ex quo infinitas est ratio identitatis eorum, facta tali abstractione præcisissima, remanet ratio identitatis extremorum; non enim hæc erant eadem præcisè, propter identitatem eorum ad tertium, à quo abstrahuntur, sed propter infinitatem formalem vtriusque. Et quòd ista sit ratio prædicationis per identitatem, signum est ex hoc, quòd non conceditur ista: Paternitas in Diuinis, est spiratio actiua: neq; vt vera formaliter, neque vt vera per identitatem, neque Paternitas est innascibilitas, & è conuersò: sicut ista conceditur, Paternitas est Deitas, & è conuersò. Et ratio videtur. Quia abstrahendo Paternitatem; & innascibilitatem, ab Essentia, siue à supposito, neutrum est formaliter infinitum, & ideo neutrum in sua ratione sic abstractum, includit rationem identitatis eius ad alterum; & ideo neutrum sic abstractum, de altero verè prædicatur: sed sic abstrahendo Deitatem & Paternitatem quantumcunque, adhuc remanet alterum extremum formaliter infinitum, quæ infinitas est ratio sufficiens identitatis extremorū; & ideo remanet ratio identitatis eorum, & per consequens ratio veritatis compositionis affirmatiuæ. In ista aūt, Deitas est bonitas: remanet infinitas, nō tantùm in vno extremo, sed in vtroque; ideo est hìc veritas, propter identitatē inclusam virtualiter in vtroque extremo. E

Ex isto, & responsione ad dictum August. priùs adductum in Secunda Dubitatione. Patet illud, quod supponebatur priùs, in Quæst. de genere; in responsione ad Argumenta Secundæ Opinionis: quomodo scilicet maneant tantùm duo modi prædicandi in Diuinis. Quia etsi per identitatem relationes transeant in Essentiam, siue Substantiam; tamen non ita sicut prædicata essentialia; quia omnia essentialia magis dicunt perfectiones simpliciter quidditatiuas, ratio autem personalis non dicit rationem quidditatiuam: & ideo omnia essentialia magis reducuntur ad vnū modum prædicandi inter se, quàm personalia reducantur ad vnum modū prædicandi cum eis. Et secundùm hoc possunt dici duo modi prædicandi manere in Diuinis, non tantū propter modos cōcipiendi ipsa prædicata, sed aliquomodo propter realitatē eorū quæ prædicantur. F

QVAESTIO QVINTA.

Vtrum solus Deus sit immutabilis.

De immutabilitate Dei, de qua tractat Magister in Secunda parte Dist. quæ tamen videtur posse concludi ex simplicitate Dei, de qua quæsitum est supra. Quæro. G

C

Vtrum solus Deus sit immutabilis.

QVòd non. Quia si est immutabilis; ergo immutabiliter se habet ad illud, ad quod immediatè se habet; ergo illud aliud est immutabile. Probatio primæ cōsequentię. Quia immutabile, quod est ex se primum agens, non potest diuersimodè se habere ad effectum suum; quia si quandoque agat, quandoque non, videtur esse ex mutatione sui: non enim hoc potest poni propter nouam approximationem passi, vel amotionem passi, vel amotionem impedimentorum, quia actio primi agentis non requirit ista. Probatio secundæ consequentiæ. Ad quodcunque necessarium necessariò se habet, illud est necessarium.

Oppositum vult August. 7. de Trinit. cap. 6. *Omnis creatura mutabilis, solus Deus immutabilis.* Et ad Tim. vlt. D *Solus Deus habet immortalitatem.* Quod August. exponens de Trinit. lib. 1. cap. 11. dicit quòd *vera immortalitas, immutabilitas est.*

ARTICVLVS PRIMVS.

Ostenditur Deum esse immutabilem simpliciter.

HVius exclusiuæ, de qua quæritur, pars affirmatiua probatur à Philosopho 7. Physicorum t. 1. per hoc, quòd *Omne quod mouetur, mouetur ab alio.* Quod probatur. Quia quiescente parte, quiescit totum, & non est procedere in infinitum in motis ab alio, quia tunc posset fieri ex eis vnum infinitum mobile, quod moueretur tempore finito: quod est improbatum 6. Physic. t. 62. & priùs dist. 2. q. 2. in responsione ad vltimum argumentum; oportet igitur stare ad aliquod mouens, quod non mouetur ab alio; & per consequens, omnino non mouetur.

Probatur etiam ab eo, 8. Physic. t. 31. illa Conclusio, per diuisionem mouentium & motorum naturaliter, vel violenter: & quòd vltimò oportet stare ad aliquod mouens, quod non mouetur ex se per se, & primò: & vlteriùs etiam oportet stare ad aliquid simpliciter immobile.

Sed processus isti qui sunt principales in duobus libris, scilicet 7. & 8. Physicorum, indigent maiori expositione, ad hoc vt rationes illæ ostendantur valere. Et si fortè valeant, tamen diminutè concludunt, sicut aliàs ostendetur: fortè non plùs concludunt, nisi quòd primum non mouetur, vt corpus, vel vt virtus in corpore, sicut anima mouetur per accidens in corpore moto.

Ideo non insistendo modò circa declarationem illarum rationum. Ostendo breuiter istam partem esse veram, ex simplicitate Dei. Quia si Deus est perfectè simplex (vt probatum est ex infinitate) ideo non potest mutari ad aliquam formam, quæ in ipso recipiatur, quia etiam est necesse esse (vt probatum est ex primitate efficientiæ, distinct. 2. quæst. 1.) ideo non potest mutari ab esse in non esse, vel non esse in esse, quæ mutatio dicitur versio à Damasc. Omni igitur immutatione, siue substantiali siue accidentali, dicitur Deus simpliciter immutabilis. H

ARTICVLVS SECVNDVS.

An aliquid aliud à Deo sit immutabile simpliciter, secundum Philosophos, narratur opinio Gandauensis.

SEd pars negatiua illius exclusiuæ, scilicet, quòd nihil aliud à Deo habeat immutabilitatem, habet maiorem difficultatem.

A Circa istam partem, Philosophi à Theologis discordant, & è conuersò.

Ad quod considerandum. Primò oportet videre, quæ fuerit intentio Philosophorum, & quæ motiua pro eis, & quæ sunt rationes contra eos.

Quantùm ad Primum, specialiter de intentione Arist. & Auic. Dicitur, (*ab Henr. quol. 8. quæst. 9.*) Quòd decem modis potest se habere aliquid ad esse; sed ad propositum sufficiant tres modi. Potest enim aliquid aliud à Deo, puta intelligentia alia à prima, tripliciter poni in esse. Vno modo, quòd ex se formaliter, sit necesse esse sed ab alio causaliter. Secundo modo, quod ex se, formaliter sit necesse, sed ab alio dependenter, sic quòd propter ordinem essentialem, contradictio esset, secundum esse sine primo, & non è conuersò; & similiter tertium sine secundo, sed non è conuersò; & est ordo, inter perfectius & minùs perfectum, non inter causam & causatum. Tertio modo aliquid habet esse ex se formaliter possibile, necessariò autem ab alio est; quia illud aliud necessariò causat.

B Istorum trium modorum, primus modus includit contradictionem, vt dicitur, & ideo illum non posuit Philosophus, quia non videtur verisimile contradictoria posuisse.

Quòd includat contradictionem, patet. Quod est causaliter ab alio, est ex se non ens, & de se est possibile: aliter impossibile causaretur; sed quod est necesse esse, nullo modo est possibile; ergo inconueniens est, dicere Arist. hunc modum posuisse, de substantijs separatis, propter contradictionem inclusam.

Quòd etiam negauerit tertiū modum. Probatur. Quia etiam includit contradictionem.

Confirmatur etiam hoc. Quia Commentator 12. Metaphys. comment. 41. in quæst. Ioannis Grammatici, vult quòd motus cùm sit de se possibilis, potest ab alio perpetuari, quia habet esse ab alio; substantia autem possibilis non potest perpetuari; ergo substantia perpetua, non est necessariò ab alio.

C Item, vt dicit Commentator 1. cæli & mun. super illud, *Impossibile est, vt non generabile cadat sub corruptione*. Exponens illud dicit, quòd *si inueniretur aliquid generabile æternum, possibile esset, vt natura possibilis transmutaretur in necessariam*.

Vlterius imponitur Philosopho, quòd voluit ibi 1. cæli & mundi, quòd quælibet substantia habet suum esse ex natura sua; hæc semper, hæc quandoque; ita quòd hæc necessariò semper est, hæc necessariò quandoque non est: nec aliter possunt esse, nisi vna natura mutaretur in aliam, vel quòd duæ naturæ contrariæ sunt simul in eodem: vt in eodem lib. 1. de cælo & mun. & 12. Metaph. deducit Arist. & Commentator.

Item ex istis scilicet 1. cæli & mundi, & 12. Metaphys. ostenditur, quòd negauit primum modum supra. Quia esse substantiæ separatæ vel necessariæ, attribuitur naturæ eius intrinsecæ: & ita nihil perpetuum ponit causatum, nisi motū in cælo, & mediante illo, indiuidua generabilia & corruptibilia fieri; quæ non sunt necessaria, licèt species eorum sint necessariæ.

D Et ex quo posuit aliquem ordinem rerum, concluditur quòd hoc est secundùm secundum membrum, vel secundùm modum secundum; sed in incorruptibilibus dixit species necessariò esse in vno indiuiduo, sed in corruptibilibus species dixit necessariò esse in pluribus indiuiduis, & diuersis: ita quòd species de se sunt necessariò incorruptibiles, tamen per accidens corruptibiles; sicut Elementa secundùm se tota ponit incorruptibilia, sed secundùm partes corruptibilia.

ARTICVLVS TERTIVS.

Ostenditur quòd prædicta Opinio, male explicet Aristotelis Sententiam.

Contra istam Opinionem, quæ imponit ista Aristot. Arguitur Primò, quòd non negauerit primum modum. Hoc videtur ex intentione eius, 2. Metaphys. tex. 4. E *Sempiternorum principia verissima esse, necesse est: quia alijs sunt causa veritatis; vnumquodque autem sic se habet ad esse, sicut ad veritatem.*

Patet etiam secundùm ipsum, quòd *omne sempiternum est necessarium*: ex 1. cæli & mundi tex. 158. & 6. Metaph. penult. tex. 17.

Item 5. Met. t. 6. *Nihil prohibet quorundam necessariorum esse alteras causas*: cap. de necessario. Si tamen de ratione causati esset possibilitas, repugnans necessitati (sicut arguit dicta Opinio) contradictio esset, alicuius necessarij esse aliquam causam.

Item 12. Metaphys. tex. 52. concludit vnitatem vniuersi ex vnitate finis; ergo omne aliud ab isto fine, est ad ipsum, vt ad finem: sed cuiuscunque est causa finalis, eius est causa efficiens; ergo &c. Probatio vltimæ propositionis. Finis non est causa, nisi inquantum mouet efficiens ad dandum esse; mouet inquam vt amatum & desideratum. Hoc patet ex ratione finis 5. Metaphys. cap. 2. tex. 2. & 3. propter quem finem agens agit, & propter F quem, scilicet finem amatum, agens dat esse alij; ad ipsum ordinando.

Item. Commen. 12. Met. 36. concedit quòd est ibi causa & causatum, sicut intellectum est causa intellectionis; & Aristot. dicit, quòd mouet, sicut amatum & desideratum: *habetum vt in mente, mouet* secundùm Commentatorem, *effectiuè*.

Item. Saltem obiectum quantùm ad intelligere, mouet effectiuè; ergo & ad esse: quia imponitur Philosopho, quòd posuit, vnamquamque substantiarum istarum, esse suum intelligere.

Item. Auic. expressè ponit necessarium ab alio causaliter; ergo si non in hoc vidit contradictionem: quare debet negari ab Aristot. propter contradictionem, quam tu ponis?

Item. Commentator de substantia orbis, cap. 3. *Corpus cæleste non indiget virtute mouente in loco tantùm, sed etiam virtute largiente in se, & in sua substantia permanentiam æternam.* Et sequitur post, de opinione Arist. *Dixerunt quidam, ipsum non dicere causam agentem cælum, sed causam mouentem tantum; & illud fuit valde absurdum eis.* G

Respondetur ab eis. Quòd qui ponunt fundamenta falsa, ex rationibus verisimilibus, contingit quòd postmodum contradicant eisdem ex rationibus veris.

Contra. Ostendisti Aristot. negare primum modum, quia videtur includere contradictionem, & nunc concedis ipsum sibiipsi contradicere; sed rationabiliùs videtur sibi non imponere contradictoria, sed quòd dicat consequenter ad antecedens falsum, concedendo consequens falsum.

Item, quòd non posuerit secundum modum, quem imponis ei, videtur, propter irrationabilitatem illius modi. Probo. Nihil dependet ab alio in essendo, à quo non habet esse, & ita nec in permanendo, ab alio à quo non habet permanentiam, quia ab eodem habet esse & permanentiam.

Nec est simile de figuris, & numeris. Quia ibi prior licèt non sit causa effectiua posterioris, est tamen causa materialis, sicut pars quæ est potentia in toto, in proposito H autem non potest poni causalitas, nisi essentiæ, & finis, secundùm Arist.

Quòd etiam imponitur Aristot. de necessitate specierum in corruptibilibus, in diuersis indiuiduis. Non est verum, nisi quia intellexit necessitatem motus cæli esse, & ita productionem indiuiduorum, quando esset talis vel talis approximatio agentis ad passum; necessitas enim est conditio existentiæ; non igitur conuenit speciei, nisi indiuiduis. Nec est simile de Elemento secundùm totum, & secundùm partem. Nam Elementum totum est singulare per se existens, & principalis pars vniuersi.

Quòd etiam imponitur sibi, quòd nulla substantia est ab alio effectiuè. Videtur manifestè falsum, de generabilibus. Generatio enim est ad substantiam; ergo ipsa generatione substantia accipit esse, quæ prius nō fuit; & ita

eius

A eius quod producitur, est causa efficiens; nihil enim seipsum producit ad esse.

Item. Si corruptibile ex causa intrinseca, quandoque necessariò non sit, vt sibi imponitur; ergo à se corrumpetur, sine corrumpente exteriori.

Imponitur etiam Auic. tertius modus, & probatur ex 6. Metaphys. vbi dicit, quòd *causatum quantùm ex se, inest ei, vt non sit, quantùm verò ad suam causam, inest ei, vt sit*: quod autem est ei ex se apud intellectum, prius est non duratione, eo quod est ei ex alio. Et hoc apud sapientes vocatur creatio, dare scilicet esse rei post non esse absolutè.

Contra ipsum arguitur. Quia iste modus includit contradictionem. Quia si per possibile ponitur nõ esse, sequitur non tantùm falsum, sed etiam impossibile, secundùm ipsum, scilicet causam necessariam non necessariò causare, & dare esse.

ARTICVLVS QVARTVS.

B *Vera explicatio Sententiæ Philosophorum datur.*

De intentione istorum Philosophorum Arist. & Auic. nescio: sed nolo eis imponere absurdiora, quàm ipsi dicant, vel quàm ex dictis eorum necessariò sequantur: & ex dictis eorum volo rationabiliorem intellectum accipere, quem possum.

Respondeo igitur. Quòd Aristot. simul & Auic. posuerunt Deum necessariò se habere ad alia extra se. Et ex hoc sequitur; quòd quodlibet aliud necessariò se habet ad ipsum, quod quasi immediatè comparatur ad ipsum, & non mediante motu; quia cum vniformitate in toto, ponit difformitatem in partibus mobilis, & mediante motu, generabilia & corruptibilia difformiter comparantur ad ipsum.

Tenendo illud falsum fundamentum Arist. scilicet ponendo ipsum esse causam necessariam, non videtur contradicere sibi, ponendo causatum necessarium vt vult 5. C Metaph. cap. de necessario, quòd quorundam necessariorum est altera causa: & 8. Phys. & 2. Metaph. sempiternorum principia semper esse verissima necesse est; vt argutum est. Et ita ponit non tantùm secundum modum, sed etiam primum modum.

Auic. autem videtur statim contradicere sibiipsi, ponendo illud esse possibile: quia tunc necessarium non necessariò compararetur ad illud.

Sed arguitur pro Auic. Si est ab alio; ergo in conceptu quidditatiuo eius, non cadit esse: ergo est de se non possibile esse, & non esse, sicut humanitas non est de se vna, nec plures. Conceditur de isto modo possibilitatis, quæ scilicet possibilitas non est, nisi quòd ordine naturæ, hoc est capax huius, & non est illud quidditatiuè.

Et ex hoc patet responsio ad argumentum factum contra Auic. quasi contradicat sibi. Quia non sequitur tale possibile posse non esse, nec potest poni non esse; sicut nec D Ens non esse vnum. Et sic Arist. concederet possibile, quod est necessarium ab alio; sed possibile potentia ante actum, improbat 1. cæli, & mundi. t. 138.

Itaque concordant Aristot. & Auic. in consequentibus, ex vno principio falso, in quo concordant, quòd Deus necessariò se habet ad quodlibet quod est extra se, ad quod immediatè, vel mediante immutabili comparatur.

Ad illa quæ adducebantur priùs, ad probandum quòd Arist. negaret primum modum.

Ad Primum, quod nititur probare contradictionem. Fortè diceret Arist. possibile obiectiuè, non repugnare necessario, si producens necessariò producit; nõ enim requiritur quòd realiter posset esse nõ tale, sed quòd ordine naturæ præintelligitur non tale.

Hoc probatur per confirmationem argumenti, quod adducebatur ab Henrico: quæ est. Quòd de Essentia Diuina, quasi de potentia subiectiua, secundùm ipsum, generatur Filius. Certum est enim, quòd ista potentialitas quasi subiectiua, non prohibet necessitatem, nec quasi potentia obiectiua Filij; quia generans necessariò generat. E

Ad illud quod adducebatur de 1. cœli & mundi, quòd vna natura mutaretur in aliam. Potest dici, quòd substantia habet esse permanens, & ideo non datur sibi semper nouum, & nouum esse; ergo à causa necessariò causante, secundùm eum, datur sibi natura necessaria formaliter: & sic si posset non esse, mutaretur eius natura.

Per idem patet ad illud 12. Metaphys. de motu: quia cùm sit de se possibilis, non solùm potest propter hoc ab alio perpetuari, quia ab alio est, sed quia cum hoc semper habet esse nouum: & ita non est forma, quæ est necessariò se habens, licèt necessariò semper sit; quia mobile totum necessariò vniformiter se habet, ad dans esse vniformiter necessariò, secundùm istos. Et hæc habitudo necessariò vniformis mobilis ad mouens, est causa motum necessariò fieri, licèt motus nunquam habeat esse formaliter necessarium. Est etiam hic necessitas ineuitabilitatis sine necessitate immutabilitatis in motu, sed ex necessitate immutabilitatis in causis ipsius motus: ita quod vtraque auctoritas per hoc soluitur: sed permanens, si est necessarium, simul habet esse, quo est formaliter necessarium; & ita si sit corruptibile, contradictio erit: non sic motus. F

Vel argumentum Aristot. contra Platonem 1. cæli & mundi, procedit ex suppositione necessarij agentis: & tunc sic deduco. Si cælum potest perpetuari, est ab agente necessario; ergo necessariò perpetuabitur: huic autem necessario repugnat actus iste, corrumpetur; ergo & potentia ad illum actum: quia cuicunque necessariò repugnat actus, eidem necessariò repugnat potentia ad illum actum, licèt non cuicunque contingenti; ergo nõ stat potentia ad corruptionem, nisi stet potentia ad opposita simul. Et per hoc tenet illa consequentia de possibili posito in esse; nam ex positione possibilis in esse, non sequitur impossibilitas, nec noua incompossibilitas alicui necessario.

Quantùm ad Secundum principale, pro ista Conclusione, quæ dicta est esse intentio amborum Arist. & Auic. arguo sic. In omni differentia Entis, necessitas est perfectior contingentià. Probatio. Quia necessitas est perfectior in Ente in se; ergo in omni differentia Entis; ergo in illa differentia Entis, quæ est causa, necessitas est perfectior contingentià: perfectissima igitur causa, necessariò causat. G

Respondetur. Quòd necessitas est perfectior conditio, vbi est possibilis: est autem incompossibilis rationi causæ vt causa; quia sic loquimur, & non de eo, quod est causa.

Contra hoc. In multis diuisionibus Entis, alterum diuidens est perfectum, alterum imperfectum, & extrema illa, quæ sunt perfecta in diuersis diuisionibus, aut necessariò concomitantur, aut compatiuntur se. Exemplum. Si diuidatur Ens per finitum & infinitum, per necessarium & possibile, per potentiam & actum; actus, necessitas, infinitas, aut necessariò se concomitantur, aut compatiuntur se; ergo cùm in diuisione Entis per causam, & causatum, causa sit perfectius extremum, concomitabitur cum eo quodcunque perfectius diuidens Ens, aut poterit stare cum eo, & per consequens necessitas. H

Præterea. Si primum causans naturaliter causaret, causaret necessariò, & tunc daret necessitatem suo causato; sed nulla perfectio tollitur à causato, propter modũ causandi ipsius causantis æquè perfectum; causare autem voluntariè, non est modus causandi minùs perfectus, quàm causare naturaliter; ergo propter hoc, quòd est causare voluntariè, non tollitur necessariò aliqua perfectio effectui: ergo causa causans voluntariè, potest dare necessitatem effectui.

Confirmatur ratio. Quia si causaret naturaliter, posset producere plures differentias Entis, scilicet, possibile & necessarium: si ergo causans voluntariè, non posset causare, nisi tantùm Ens contingens, videretur esse causa imperfecta; quia tunc causalitas eius, non se extenderet ad tot effectus, ad quot se extenderet, si naturaliter causaret.

A Item. Aliqua causa necessariò causat; ergo prima causa necessariò causat suum causatum. Antecedens videtur manifestum, propter multas causas naturales, quæ necessariò causant suos effectus. Consequentiam probo. Quia in essentialiter ordinatis, posterius non potest habere necessitatem, nisi prius habeat esse necessarium; cõnexiones autem causatorum ad suas causas, sunt essentialiter ordinatæ; ergo nulla talis connexio est necessaria, nisi illa quæ est primi causati ad suam causam, sit necessaria.

ARTICVLVS QVINTVS.

Quòd Deus non necessariò, sed contingenter causet, probatur contra Philosophos.

Contra istam Conclusionẽ, in qua cõmuniter concordant Philosophi, quòd prima causa necessariò & naturaliter causat primũ causatum. Arguitur (*ab Henr. quol. 5. q. 4.*) sic. Primum agens, nullo modo perficitur aliquo a-
B lio à se; agens naturale aliquomodo perficitur sua productione, vel producto alio à se; ergo &c. Minor ostenditur. Quia agens naturale, agit propter finem, ex 7. Physic. t. 49. sed nihil videtur agere propter finem, quo nullo modo perficiatur.

Sed ad istud. Primò respondetur, secundùm intentionẽ Auic. 6. Metaph. c. vlt. Quòd agens perfectum agit ex liberalitate, hoc est, non expectans perfectionem à producto; sicut exposita est intentio liberalitatis, dist. 2. q. de productionibus. Negandum igitur videtur quod assumitur, scilicet, quòd agens naturale perficitur eo, quod producit, quia hoc nõ est nisi in agentibus naturalibus imperfectis.

Et cùm adducitur, quòd agens naturale agit propter finem. Non oportet secundùm Phil. agens primum naturale, agere propter aliud, quàm propter se, sed propter seipsum, vt propter finem; nec oportet ipsum perfici illo fine, sed esse naturaliter illum finem.

Alia etiam responsio habetur ab Auic. quòd sicut aqua
C ex seipsa est frigida, consequitur autem eam, quòd infrigidet aliud à se: ita primum agens (si ponatur naturale agens, secundùm eos) ex seipso erit perfectum, sed perfectionem eius consequetur producere perfectionem in alio; ita tamen quòd illa productio perfectionis in alio, non sit finis eius, sicut nec finis aquæ est infrigidare.

Ratio responsionis reducitur contra istas responsiones. Quòd si aqua non posset stare in frigiditate sua, absque hoc, quòd aliquid frigefaceret, non esset summè perfecta in frigiditate: quia aliquomodo dependeret ab alio in frigiditate sua: ita igitur hìc de prima causa in entitate sua, respectu entitatis primi causati.

Sed ista reductio non multùm cogit. Quia si aqua posset producere frigiditatem per se stantem, diceret Auic. quòd quantumcunque non posset esse in se frigida, absque hoc, quòd frigefaceret, non esset propter hoc dependentia in frigiditate sua, sed perfectio completiua frigidita-
D tis, ex qua necessariò produceret, vel frigus in alio, vel frigus per se stans. Et ita poneret de primo Ente, respectu productionis in alijs.

Vltimò videtur, quòd ista ratio posset sic declarari. Omne agens naturale, aut actione sua perficitur in se, aut in suo simili, aut in toto, aut per suam productionem natura eius accipit esse in alio. Hoc enim apparet inductiuè in omnibus. Intellectus enim agens, naturaliter perficitur sua actione; ignis naturaliter agens, perficitur in simili, & natura sua habet esse in alio, in quo posset illa natura esse, etiam igne generante corrupto: & ita videtur necessitas generationis in corruptibilibus, secundùm illud 2. de anima, tex. 34. & 35. *Generatio est perpetua, vt saluetur esse Diuinum*: Sol generat vermen, licèt non perficiatur in se, nec natura sua accipiat esse in alio; tamen perficitur in suo toto, inquantum est pars vniuersi, cuius vniuersi aliqua pars producitur, & perfectio totius videtur esse aliquomodo perfectio partis: Deus Pater naturaliter producendo Filium, licèt non perficiatur in se, nec in toto, cuius sit pars, quia nullius est pars; tamen sua natura accipit esse in alio supposito, vel aliud suppositum accipit esse naturæ. Patet igitur inductiuè ista Maior diuisim, licèt diffi-
E cile sit assignare Propter quid, istius Maioris. Sed si Deus naturaliter produceret creaturam, nullum istorum contingeret; nec enim perficeretur in se ex tali productione, nec in simili, nec in toto, nec natura sua acciperet esse in producto: ergo nec creatura naturaliter producitur.

Secunda ratio apponitur contra Philosophos. Quia potentia respiciens aliquod obiectum per se, & essentialiter, non necessariò respicit illa, quæ non habent ordinem essentialem, sed accidentalem ad illud primum: voluntas Diuina respicit primò bonitatem Diuinam, ad quam creaturæ habent ordinẽ contingentem, non necessarium: quia non sunt necessariæ ad consequendum istam bonitatem, nec augent eam; ergo voluntas Diuina istas creaturas non necessariò respicit.

Sed ista ratio, (*Henr. vbi supra.*) licèt sit in se aliqualiter apparens, tamen videtur contradicere aliquibus dictis arguentis. Quia ponit, quòd voluntas Diuina, vt respicit res in esse quidditatiuo, necessariò vult quicquid vult; & ta-
F men res in esse quidditatiuo, non magis habent necessarium ordinem ad bonitatem Diuinam, quàm res in esse existentiæ.

Videtur etiam ratio habere aliam instantiam. Quia sicut voluntas Diuina habet Essentiam suam pro primo obiecto, ita & intellectus Diuinus; ergo & intellectus Diuinus accidentaliter respiceret, quicquid aliud ab Essentia Diuina respiceret pro obiecto; & ita videretur sequi, quòd Deus non necessariò sciret aliud intelligibile à se, sicut non necessariò vult aliud volibile à se.

Primam instantiam quia non est contra veritatem, sed contra Opinantem, concedo.

Secundam excludendo. Confirmo rationem. Quia voluntas quæ determinatur ad finem, non determinatur ad aliquid eorum, quæ sunt ad finem, nisi quatenus per Syllogismum practicum concluditur ex fine necessitas illius Entis ad finem, scilicet, vel necessitas eius in esse; vel haberi ad hoc quòd finis sit, vel habeatur, vel acquiratur; vel necessitas eius in diligi; ad hoc vt finis diligatur, vel ha-
G beatur. Hoc videmus in omnibus voluntatibus, quæ sunt ipsius finis. Quia non oportet propter finem eas determinatas esse respectu alicuius entis ad finem, si tale ens non concludatur pèr Syllogismum practicum esse necessarium aliquo istorum modorum ad finem; ergo cùm intellectus Diuinus non cognoscat aliud à se, esse necessarium ad finem vltimum quomodocũque, voluntas illa ex hoc quòd est necessariò finis, non oportet quòd sit necessario alterius à fine.

Quod instatur de intellectu. Non est simile. Quia intellectum esse necessariò respectu alicuius obiecti, non ponit illud esse aliquid in entitate reali, aliud à primo obiecto; quia esse cognitum ab intellectu Diuino, non ponit illud esse in se, sed in intellectu præsentialiter; non sic esse volitum, imò ponit tunc, vel consequenter, illud habere aliud esse à voluntate, & hoc loquendo de volitione efficaci; quia quod sic volitum est à Deo, aliquando est in effectu. Non est igitur intellectus Diuinus, ita se habens ad intelligibilia alia à se, sicut voluntas ad alia volibilia, quia ille intellectus potest esse necessariò omnium intel-
H ligibilium, quatenus sunt sibi præsentia, nec per hoc ponitur aliquid aliud à Deo formaliter necessarium, in esse reali: voluntas autem non posset esse necessariò aliquorum aliorum volibilium, nisi illa alia essent aliquando necessaria in aliquo esse reali, alio ab esse Diuino.

Istis rationibus cuiusdam Doctoris (*Henr. vbi sup.*) aliqualiter sic fortificatis, addo alias rationes. Et arguo Primò sic. Ens absolutum quod est ex se necessarium perfectè, quantùm potest cogitari aliquid esse necessarium, non potest non esse quocunque alio à se non existente; Deus est summè necessarium, secundùm illum intellectum præacceptum; ergo quocunque alio à se non existente, non propter hoc sequitur ipsum non esse: sed si necessariam habet habitudinem ad primum causatum, illo causato non existente, non esset; ergo non habet ad illud necessariam habitudinem. Maiorem probo. Quia ex minùs impossibili non sequitur impossibilius; sicut nec ex minùs falso sequitur

A tur falsius. Et hoc probo. Quia si falsius habeat duplicem rationem falsitatis, & minus falsum tantū vnicam; circūscribamus à falsiori illam rationem falsitatis, in qua excedit minus falsum, stante alia, & à minus falso illam quam habet; tunc falsius erit falsum, & minus falsum, non erit falsum, quia circumscripta est ratio falsitatis minus falsi; ergo hoc posito, falsius erit falsum, & minus falsum erit verum: & tunc ex vero sequitur falsum. Ex hoc etiam patet tunc, quòd ex minus impossibili, non sequitur impossibilius. Sed tale necessarium quale descriptum est, est magis necessarium, quā quodcunque aliud necessarium ab eo, etiam secundùm omnem opinionem Philosophorum; ergo ex non esse cuiuslibet alterius, quod est minus impossibile, non sequitur non esse istius, quod est impossibilius. Probo aliud assumptum, scilicet, Quòd si necessariam haberet habitudinem. &c. Quia habens necessariam habitudinem ad aliquid, non est illa habitudine non existente: non existente autem extremo, non existit illa habitudo; non existente igitur extremo habitudinis, non existit B fundamentum.

Contra istam rationem instatur. Quia principium destruitur destructa Conclusione, ex I. prior, & tamen principium ex se videtur esse formaliter necessarium; Conclusio autem non est necessaria, nisi ex principio; ergo &c.

Hæc instantia nulla est. Quia stat probatio Maioris. Quòd ex minus impossibili nō sequitur impossibilius. Sed nec est simile ad propositum. Quia conclusio non est, nisi quædam veritas partialis principij, quod habet quasi totalem veritatem: sicut singulare est quædā veritas partialis respectu vniuersalis. In Entibus autem, ens causatum, non est quędam entitas quasi partialis causæ, sed est omnino alia entitas dependens ab entitate causæ; & si ergo aliqua Conclusione destructa, destruatur principium, non tamen ita erit de entitate in causa & causato.

Ad hoc autem, vt istud de principio & Conclusione intelligatur meliùs, possunt poni exempla. Prima Conclusio C Geometriæ, quòd illæ lineæ Trianguli sic constituti, sunt æquales; non videtur esse, nisi quædam particularis istius vniuersalis: Omnes lineæ ductæ à cētro vsque ad circumferentiam, sunt æquales; & ita in multis alijs, Conclusio non videtur esse nisi particularis, vel vnius vniuersalis, vel multorum, ex quibus simul infertur: sicut si iungamus isti, istam vniuersalē: Quæcunq; vni & eidē sunt æqualia, inter se sunt æqualia: & licet prædicatū primò conueniat subiecto ipsius vniuersalis, i. adæquatè, non tamen conuenit primò tali primitate subiecto minus vniuersalis. Nec propter istā primitatem in principio, & non primitatē in Conclusione, est talis causalitas in principio respectu Conclusionis, qualis est in entitatibus vnius Entis respectu alterius, ita quòd illa causalitas in principio, ponat veritatē aliam formaliter à veritate Conclusionis: sicut in entibus, entitas causæ, est formaliter alia ab entitate causati; primitas autem prædicationis, est propter primitatem terminorum; & termini speciales, licèt non sint adæquati illis prædicatis, tamen attributio prædicati, illis terminis specialibus D particulariter sumptis, includitur in attributione eiusdem prædicati, terminis cōmunibus vniuersaliter sūptis: includitur inquam, sicut aliquid illius veritatis.

Secundò arguo sic. Aliquid fit cōtingenter in entibus; ergo prima causa contingenter causat. Antecedens concedunt Philosophi. Consequentiam probo sic. Si prima causa necessariò se habet ad causam proximam, sit illa B. B. igitur necessariò mouetur à prima causa, B. autem eodem modo, quo mouetur à prima causa, mouet proximā sibi; igitur B. necessariò causat mouendo C. & C. mouēdo D. Et sic in omnibus causis procedendo, nihil contingenter erit, si prima causa necessariò causat. Ista ratio pertractata est dist. 2. quæ. 1. de infinitate Dei, probando Deum esse formaliter infinitum, & ideo non oportet hic ampliùs immorari.

Præterea, & redit in idem. Aliquod malum fit in vniuerso; ergo Deus non necessariò causat. Antecedens concedunt Philosophi. Probo consequentiam. Quia agens necessariò producit effectum suum in susceptiuo, quantū potest produci in eo; effectus primi est bonitas & perfectio; ergo si necessariò agit, producit bonitatem in quolibet, quantùm ipsum susceptiuum potest recipere; sed habens bonitatem tantam, quantæ ipsum est capax, nullam habet malitiam; ergo, &c. Etsi istud argumentum posset euadi de malo in natura. (sicut tactum est dist. 2. q. 2. præallegata) tamen de malo contingenter facto, quod scilicet est vituperabile, non videtur possibilis euasio, quin si aliquod tale malum eueniat, quod scilicet sit vituperabile, ac ex hoc sequatur, quòd contingenter eueniat, causa prima non necessariò causat; sicut ostendit ista deductio.

Item. Omnis causa necessariò agens, agit secundùm vltimum potentiæ suæ; quia sicut non est in potestate sua agere, & non agere, ita nec intensè & remissè agere; ergo si prima causa necessariò causat quicquid potest causare; potest autem causare ex se omne causabile, vt probabo; ergo causat omne causabile; ergo nulla causa secunda aliquid causat. Istam secundam consequentiam probo Quia causa prior, priùs naturaliter respicit causatum, quàm causa posterior, ex prima propositione de causis: ergo in illo F priori, si totaliter causat, totum illud quod in secundo signo deberet causari à causa secunda, in signo secundo in quo deberet causa secunda causare, nulla est possibilis actio causæ secundæ, quia iam præintelligitur totus effectus causatus à causa prima.

Assumptum in argumento, quòd possit causare omne causabile, probo. Quia habet potentiam cuiuscūque causæ secundæ, totam etiam quæ est in causa secunda, quantùm ad quodlibet perfectionis, quod est in quacūque causa secunda, sicut deductum est in quæstione priùs allegata de infinitate, in via prima, sumpta de efficientia; non requiritur autem cum causa efficiente aliqua imperfectio, sed tantùm perfectio; quia causare effectiuè est perfectionis simpliciter; ergo primum habens in se causalitatem omnem causæ secundæ quantùm ad quodlibet, quod est perfectionis, potest immediatè causare ex se omne causabile, sicut & cum causa secunda. Etsi consequens vltimū, quòd scilicet causæ secundæ priuentur actionibus suis, nō habeatur pro inconuenienti: duco ad maius inconueniens, G quòd causabit, & omnia, & vnum solum; ita quòd omnia erunt tantùm vnum; quia sicut causabit omnia causabilia, propter hoc, quòd causat omnia, quæ potest causare, ita etiam in quacunque causatione causabit quantùm potest causare, & ita perfectissimum; & ita illa omnia erunt illud vnum causatum; & tunc omnia erunt vnum.

Per idem medium ex necessitate causandi, & vltimata causatione, sequitur quòd mouebit in non tempore, aut saltem mutabit cælum in non tempore, ita quòd cælum non propriè mouebitur. Nec valet illa responsio tacta supra, quest. præallegata de infinitate, quia ista virtus infinita habet omnem perfectionem causæ efficientis in se, quam ipsa habet cum causa secunda proxima: & ideò sequitur quòd immediatè potest causare omnem illum effectum in cœlo per se, quem potest causare cum intelligentia; ergo & causat, si necessariò agit, quicquid potest; & vltra, si causat illud immediatè; ergo mutat, & non in H tempore; quia potentia infinita agens secundùm vltimū potentiæ suæ, non potest agere in tempore: si autem aliquis motus cęli potest esse in non tempore ab isto mouēte; igitur est; & si hoc; ergo nulla est generatio, & corruptio in inferioribus, quæ sunt contra Philosophos: igitur illa, ex quibus sequuntur ista, sunt falsa, secundùm Philosophos.

ARTICVLVS SEXTVS.

Concluditur, nihil à Deo aliud esse simpliciter immutabile.

AD Questionem. Quantùm ad exponentē negatiuam istius exclusiuæ. Respondeo. Concedendo Conclusiones istarum rationum, quarum licèt fortè aliquæ nō conuincerent Philosophos, quin possent respondere, sunt tamen probabiliores illis quæ adducuntur pro Philosophis, & fortè aliquæ necessariæ.

Dico tamen, quantùm ad istā partem. Quòd nihil aliud à Deo

A à Deo est immutabile, loquẽdo de mutatione, quæ est versio. Quia nihil aliud est formaliter necessarium.

Quodlibet etiam aliud est mutabile subiectiuè, nisi propter imperfectionem negatiuam, puta vltimum accidens, quod nullius perfectionis est capax, propter sui imperfectionem; vt puta si sit relatio, non est mutabilis subiectiuè, quia non potest esse subiectũ alicuius, hoc est, quia est imperfectum negatiuè, i. non capax alicuius perfectionis; sed nihil aliud à Deo, propter perfectionem sui, est immutabile; quia si aliquid est tale, hoc maximè esset prima intelligentia, sed illa est mutabilis ab intellectione ad intellectionem. Probatio: potest enim habere intellectionem cuiuscunque intelligibilis, quia hoc potest intellectus noster habere, non autem vnicam omnium, quia tunc illa esset infinita, ex dist. 2. q. 1. nec infinitas simul omnium intelligibilium, quia tunc intellectus habens eas in actu simul distinctè, videretur esse infinitus; ergo post intellectionem vnius intelligibilis, habere potest alterius intelligibilis intellectionem; ergo est mutabilis.

B

ARTICVLVS SEPTIMVS.

Rationibus Articulo Quarto pro Opinione Philosophi adductis, satisfit.

AD argumenta posita pro Philosophis.

Ad Primum, de illis diuidentibus Ens. Dico: quòd necessarium est cõditio perfectior in omni entitate, quàm possibile, cui conditio necessitatis est compossibilis; non est autem perfectio in illa entitate, cui non est compossibilis; quia contradictio non ponit aliquam perfectionem; & hoc non est ex rõne sui, sed ex ratione illius entis cui repugnat. Et ita dico, quòd necessitas repugnat omni respectui ad posterius; quia ex quo omne posterius est non necessarium, primum non potest habere necessariam habitudinem ad aliquod eorum.

Et cùm dicis. Quòd omnia diuidentia perfectiora con comitantur se. Dico: quòd hoc est verum de diuidentibus, quæ dicunt perfectionem simpliciter & ad se, vt actus & infinitas, & huiusmodi: non autem de illis, quæ dicũt respectum ad aliquid posterius; quia habere necessariam habitudinem ad aliquid tale, non est perfectionis, quia non stat cum perfecta necessitate illius, quod dicitur habere talem habitudinem. C

Hoc confirmatur. Quia talis habitudo non est formaliter infinita, cùm tamen infinitas sit nobilius extremũ in diuisione Entis.

Ad aliud. Cùm dicitur. Si naturaliter causaret, necessariò causaret, & tunc daret necessitatem producto, &c. Dico, quòd tunc sequitur, quòd necessariò causaret: sicut ex antecedente includente incompossibilia, sequitur consequens includens incompossibilia: in antecedente enim repugnat huic, quod est causare, modus ille, qui est naturaliter: quia causare, dicit productionem diuersi in esse, & ita contingenter; naturaliter dicit modum causandi necessarium, & ita respectu necessarij: & ideo sequitur consequens includens simul duo opposita, ratione causationis, & modi causandi. Hoc modo prima propositio est vera. D

Et cùm addis. Nulla perfectio tollitur à causato, propter modum perfectiorem causandi ipsius causæ. Concedo: nec modus causandi voluntariè, tollit aliquam perfectionem à causabili; sed tollit à causabili necessitatem, quæ est in se perfectio, sed incompossibilis causabili, & dat perfectionem causato compossibilem sibi; sicut voluntariè in causatione, dicit modum compossibilem causationi.

Per hoc apparet ad confirmationem, de pluribus differentijs Entis producibilib. Dico, q; ens causabile, non potest habere differentias istas, necessarium, & possibile esse: sed omne Ens causabile, est tantùm possibile; & ideò non est imperfectionis in causa, non posse causare istas differentias; quia ad impossibile nulla est potentia. Similiter, si per impossibile naturaliter causaret; & ideo necessariò non produceret plures differẽtias Entis, quia tantùm produceret necessaria, non contingentia.

Ad vltimum. Dico, quòd nulla est connexio causati & causæ secundæ simpliciter necessaria, nec aliqua causa secunda causat necessariò simpliciter, sed tantùm secundùm quid. Prima pars apparet. Quia quælibet depẽdet ab habitudine primæ causæ ad causatum. Similiter nulla causa secunda causat, nisi prima causa causante causatum eius, & hoc priùs naturaliter quàm ipsa causa proxima causet: prima autem non causat, nisi contingenter; ergo secunda simpliciter contingenter causat, quia dependet ab ipsa causatione primi, quæ simpliciter contingens est. E

Secunda pars, s. de necessitate secundũ quid, patet. Quia multæ causæ naturales, quantùm est ex parte earum, non possunt non causare effectus, & ideò necessitas est secundùm quid, quantùm scilicet est ex parte earum, & nõ simpliciter: sicut ignis, quantùm ex parte sui, non potest non calefacere, tamen potest absolutè non calefacere, Deo nõ cooperante, sicut perfectè apparuit de tribus pueris in camino.

F

Argumentum principale soluitur.

AD Argumentum principale. Cùm arguitur de mutatione primi, si non necessariò se habet ad proximum sibi. Respondeo. Quòd voluntate antiqua, potest fieri nouus effectus, sine mutatione voluntatis: sicut ego volitione mea eadem continuata, qua volo aliquid iam fieri, faciam illud tunc, pro quando volo illud facere: ita Deus, in æternitate voluit aliquid aliud à se esse pro aliquo tempore; & tunc illud creauit, pro quando voluit illud esse.

Et si Obijcias, secundùm Auer. 8. Physic. Quòd saltẽ expectabit tempus, si non statim ponat effectum in esse, quando vult illum esse.

Et præter hoc, secundùm eundem alibi: Indeterminatum contingentiã ad vtrumlibet, talem indeterminationem ponit, quòd sic indeterminatum, non potest ex se exire in actum, vt videtur: ergo si in Deo erit talis contingentia ad causandum, non videtur posse ex se determinari ad causandum.

Ad Primum. Respondeo. Existens in tempore; & volens, aut vult efficacissima volitione, nõ respiciendo tẽpus, pro quo vult illud esse, aut vult illud esse pro aliquo tempore certo: si primo modo, statim poneret volitum in esse, si voluntas sua sit perfectè potens: si secundo modo; posito quòd voluntas eius esset simpliciter potens, non statim poneret rem in esse, sed pro tunc quando vult illud esse; expectaret igitur tempus, quia est Ens in tempore: sed applicando ad Deum, auferendę sunt imperfectiones; si enim voluntas eius potens est, tamen voluntas eius nõ habet esse in tempore, vt expectet tempus, pro quo producat volitum, quod vti que non vult necessariò tunc esse, quando vult; sed vult esse pro tempore determinato, quod tamen non expectat, quia operatio voluntatis eius non est in tempore. G

Et cùm dicis secundò, de indeterminatione causæ contingenter causantis. Dictum est aliàs, de duplici indeterminatione, scilicet, potentiæ passiuæ, & potentiæ actiuæ illimitatæ. Deus non est indeterminatus prima indeterminatione ad causandum, sed secunda; & hoc non tantùm ad plura disparata, ad quorum quodlibet esset naturaliter determinatus, sicut Sol se habet ad multos effectus suos, in quos potest; sed indeterminatur ad contradictoria, ad quorum vtrumlibet poterat ex libertate sua determinari: & voluntas nostra est indeterminata hoc modo, indeterminatione virtutis actiuæ, ad vtrumlibet contradictoriorum, & ex se potest determinari ad hoc, vel ad illud. H

Et si quæras. Quare igitur voluntas Diuina magis determinatur ad vnum contradictoriorum, quàm ad alterum? Respondeo. Indisciplinati est quærere omnium causas, & demonstrationem, secundùm Philosophum 4. Met. t. 9. Principij enim demonstrationis, non est demõstratio; immediatum autem principium est, voluntatem velle hoc, ita quòd non est aliqua causa media inter ista; sicut immediatum est, calorem esse calefactiuum, licèt hic sit naturalitas, ibi autem libertas; & ideo huius, quare voluntas

A luntas voluit hoc? nulla est causa, nisi quia voluntas est volūtas; sicut huius, quare calor est calefactiuus? nulla est causa, nisi quia calor est calor; quia nulla est prior causa.

Et si dicas. Quomodo hic potest esse immediatio, cū sit contingentia ad vtrumlibet? Dictum est aliàs in quæst. de subiecto Theologiæ, quòd in contingentibus est aliquid primum, quod est immediatum; & tamen contingens, quia non statur ad necessarium; non enim ex necessario sequitur contingens. Et ideo hic oportet stare ad istam, voluntas Dei vult hoc; quæ est contingens, & tamen immediata; quia nulla alia causa prior est ratione voluntatis, quare ipsa sit huius, & non alterius.

Per hoc apparet ad illud quod Auic. adducit, Quòd actio sua est in eo per essentiam, & non est in eo accidentalis. Verum est: quia suum velle, est sua essentia; tamen contingenter transit super hoc obiectum vel illud; sicut infra de futuris contingentibus dicetur. E

Per idem apparet ad Argumentum principale. Quia cum necessitate Dei stat, quòd illud, ad quod immediatè se habet, sit mutabile; quia immediatè ab immutabili est mutabile, sine mutatione immutabilis; quia contingens habitudo est immutabilis ad proximum sibi, & ideò extremum illius habitudinis est, contingens, & mutabile, licèt fundamentum sit immutabile.

DISTINCTIO NONA.

B QVÆSTIO VNICA. F

Vtrum generatio Filij sit æterna in Diuinis?

Circa Distinctionem Nonam, quæritur vnum, scilicet.

Vtrum generatio Filij sit æterna in Diuinis?

QVòd non. Quia vbi idem est esse, & duratio, si aliquid est principium esse, & durationis; sed Pater est principium esse Filij, quia principium Diuinitatis, secundùm Aug. 4. de Trini. c. 11. vel 54. ergo est principium durationis Filij.

Præterea. Augustinus 15. de Trini. c. 15. vel 40. *Imperfectionis est in verbo nostro, quod est formabile antequam formetur*: ergo imperfectionis videtur in verbo, quod est formari: hoc igitur non competit Verbo Diuino.

C Præterea. Si generatio Filij est æterna; ergo Filius semper generatur; ergo Filius nunquam genitus est: & ita nunquam est Filius; Hæ duæ consequentiæ probantur per Augustinum 83. qu. q. 37. *Qui semper nascitur, nunquam natus est*: Ergo si Filius semper nascitur, nunquam natus est. Vltra. Quod nunquam natum est, nunquam est Filius; igitur si Filius semper nascitur; ergo nunquam est Filius.

Oppositum. Ambro. 5. de Trini. c. 6. Et ponitur in litera. *Si Pater prius erat Deus, & postea genuit, generationis accessione mutatus est, auertat Deus hanc amentiam*; semper igitur habuit Filium.

Similiter auctoritas Hila. *Inter gignere & gigni, nullum est medium*, scilicet durationis: si igitur proprium est Patri semper genuisse, propriū est Filio quòd sēper genitus est.

Ad Quæstionem. Dico. Quòd sic. Quia generatio non est ibi sub ratione mutationis (sicut dictum est dist. 5. q. 2.) ideo non habet terminos correspondentes terminis generationis mutationis, scilicet, esse post non esse, propter D quos terminos repugnat generationi mutationi æternitas; quia non possunt simul esse, sed alterum ante alterum; ergo non æternitas, sed tantùm est ibi generatio, productio in esse substantiæ, per modum naturæ.

Ex hoc ostendo quòd sit æterna. Quia agens omnino sufficiens, hoc est, à nullo dependens, & producens per modum naturæ, habet productionem sibi coæuam, & etiā productum perfectum, si non agit per motum; sed Pater generans, producit per modum naturæ, & est agens omnino sufficiens, à nullo dependens; igitur habet generationem sibi coæuam; igitur & genitum, quia non producit per motum. Maior apparet. Quia quod producēs præcederet suam productionem, hoc non posset esse, vt videtur, nisi quia vel in potestate eius esset agere & non agere, vel quia si ex se determinaretur ad agendum, tamen posset impediri propter defectum alicuius, à quo dependeret in agendo: hæc omnia excluduntur per ea quæ posita sunt in Maiore, scilicet, esse agens sufficiens, & producere naturaliter: si enim istis positis, præcederet productum, hoc esset quia producens produceret per motū: igitur istis amotis & motu, non tantùm productio est sibi coæua producenti, sed etiam productum. Minor apparet, quantùm ad omnes conditiones. Quia generans naturaliter generat, & est producens omnino primum; igitur à nullo alio dependet in producēdo, & naturam suam nullo modo communicat per motum; quia non potest esse motus in natura illa.

Per istam rationem tenet illud exemplum Aug. 6. de Trinit. c. 7. de magnis, vel 2. de paruis, de igne, & splendore; quòd *si ignis esset æternus, haberet splendorem sibi coæuum*. G Istud exemplum declaro sic. Quandocunque concurrunt in aliquo ratio communioris & minùs communis, quicquid in illo sequitur per se rationem communioris, sequitur etiam eam, vbi inuenitur absque ratione minùs communis: hoc apparet in omnibus communibus, habentibus proprias passiones, & eorum inferioribus: igitur si in creatura concurrat ratio causantis naturaliter, & ratio producentis naturaliter, quicquid sequitur creaturam ratione huius communioris, quod est producere naturaliter, sequitur etiam eam, vbi inuenitur sine causatione naturaliter; sed quòd ignis habeat splendorem sibi coæuum, hoc non sequitur ipsum præcisè per hoc, quòd est causans naturaliter, sed ex hoc, quòd est producens naturaliter; quia si per impossibile non causaret illum, sed produceret, ita quòd splendor esset eiusdem naturæ cum igne, adhuc nō minùs sequeretur coæuitas: igitur vbi est verè ratio producentis naturaliter, sine ratione causantis naturaliter, (sicut est in Diuinis) ibi verè sequitur producens habere H productum naturaliter sibi coæuum.

Ista solutio etiā confirmatur, accipiendo illud, quod reperitur perfectionis sparsim, in generationibus diuersarū creaturarum, & relinquendo ea, quæ sunt imperfectionis. In generationibus enim successiuorum, hoc est perfectionis in eis, quòd dum fiunt, sunt; imperfectionis est in eis; quòd non manent, sed habent esse tantùm in fluxu, partis post partem. In generatione permanentium, hoc est perfectionis, quòd manent; & imperfectionis, quòd non sunt dum fiunt; quia hoc ponit imperfectionē in faciente, quia non est perfectum faciens; similiter in facto, quod necessariò habet esse post non esse. Et in indiuisibilibus successiuorum, hoc est perfectionis, quòd dum fiunt, sunt, & tota simul sunt; sed imperfectionis, quòd raptim transeunt. Aggregando igitur perfectiones, habebitur genitum, quod simul generabitur, & erit, & permanenter erit; hoc est genitum generari, & perfectè esse in nunc perfectè stante, quod est nunc æternitatis; hoc est propositum.

Ad

A Ad Primum Argumentum. Dicò, quòd principium dicitur multipliciter, sicut apparet 5. Met. t. 1. c. 1. Et si accipiatur eodem modo, benè potest concedi, quòd si sit principium alicuius, quòd sit principium illius, quod est idem ipsi; sed principium nō consueuit construi cum hoc, quod est durationis, pro principio originis, sed tantùm pro principio, quod sit quasi terminus illius durationis à quo, sicut instans dicitur principium temporis: & siue hoc sit ex vsu sermonis, vel ex virtute sermonis; non concederetur ista; Pater est principium durationis Filij, sine determinatione: sed bene concederetur ista, Pater est principium originatiuum æternitatis Filij.

Quando igitur arguis per identitatem esse, & durationis. Quia quicquid est principium vnius, & alterius. Concedo: si principium vniformiter accipitur respectu esse, & durationis: sed ly principium, non construitur cum ly durationis, in ratione talis principij, in ratione qualis principij, ly principium, construitur cum ly esse; quia respe-B ctu esse, est principium originatiuum. Et ideo non sequitur; sed est fallacia æquiuocationis, vel amphibologiæ: Sed ad hoc vt consequentia teneat, oportet determinare principium in consequente, per hoc quod est originans, vel originale, sic Pater est principium originale durationis Filij: quod concedo, vt dictum est.

Ad Secundum. Dico, quòd verbum nostrum est dupliciter in fieri. Vno modo est in fieri, quod est propria gignitio ipsius verbi. Alio modo est in fieri, quod est propria inquisitio, præcedens illam gignitionē illius verbi, quam inquisitionem Auic. vocat cognitionem volubilem. Quòd verbum nostrum sit in fieri hoc secūdo modo, hoc est imperfectionis: & ex parte verbi, quia ponit nouitatem; & ex parte intellectus nostri, quia ponit imperfectam causalitatem: & hoc modo Verbum Diuinum, non est in fieri: & ideò concedit Aug. verbum nostrum cogitatione formari, ita quòd priùs sit formabile, quàm formatum, in illa inquisitione prima; sed quòd verbum nostrum sit in fieri, quantùm ad gignitionem, non est imperfectionis, C imò est necessarium ad per se rationem verbi, & erit etiā in patria: & ita non est imperfectionis in verbo æterno semper esse in fieri, id est gigni, absque omni inquisitione præuia.

Ad Tertiū. Dico, quòd Aug. videtur negare Filium semper nasci in quęst. præalleg. cùm tamē Origenes dicat oppositum, sicut allegat Magister in litera super illud Hier. 11. *Inuenta est*. Gregorius tamen Moralium 29. super illud Iob. 38. *Sciebas quando nasciturus*: videtur dicere aliqua, quibus possunt ista dicta concordari. *Non possumus* inquit *dicere, semper nascitur, ne imperfectum aliquid videatur*. Ne (inquit) aliquid videatur imperfectum. Non dixit. Imperfectio est, si dicatur semper nasci; sed videtur significari imperfectio; hoc est, iste sermo, semper nascitur, non significat generationem esse ita perfectam, sicut sermo iste significat eandem esse perfectam, semper est natus: ista enim, semper est natus; magis exprimit veritatē, quàm ista, semper nascitur, licèt vtraque sit vera. E

Ad cuius intellectum. Sciendum est. Quòd verba cuiuscunque temporis, dicuntur de Deo verè, siue significent actus personales, siue essentiales: sicut patet per Aug. super Io. hom. 99. super illud Io. 16. *Non enim loquitur à semetipso, sed quæcunque audiet, loquetur*. *Audiet* (inquit Aug. de Spiritu) *quod vtique audiuit, & audit: quia Spiritū Sanctum audire, est à Patre Filioque procedere: & per consequens, quod audiet, audiuit, & audit; sicut quod sciuit scit, & sciet*. Igitur vult ipse dicere, quòd verba omnium temporum, verè dicuntur de Deo, & illud apparet per illud, quod adducit Magister in litera dist. 8. cap. 2. F

Sed quid significant ista verba diuersorum temporum, cùm dicuntur de Deo? Respondeo. Magis propriè possunt dici cōsignificare nunc ęternitatis, quàm differentias temporis: non tamen illud nunc absolutè; quia non esset variatio tunc diuersorum modorum temporis significandi; sed inquantum coëxistit partibus temporis; vt cùm dicitur, Deus genuit: consignificatur nunc æternitatis; vt sic sit sensus, Deus habet actum generationis in nunc ęternitatis, inquantum illud nunc coëxistebat præterito, Deus generat, hoc est, habet actum in nunc æternitatis, inquantum nunc æternitatis coëxistit præsenti.

Ex hoc patet, quòd cùm illud nunc, verè coëxistat cuilibet differentiæ temporis, verè dicimus de Deo differentias omnium temporum. Expressiùs tamen secundùm Beatum Gregorium, significatur Diuinę generationis veritas, per hunc sermonem, Semper natus est; quàm per istum sermonem, Semper nascitur; quia per ly Natus, significatur Natiuitas, vt perfecta; sed cum ly Semper, significatur, vt perfecta, cum omni parte temporis coëxistere: & ita non tantùm significatur omni parti temporis coëxistere, sicut significatur per istam, Semper gignitur; G sed significatur etiam omni parti temporis coëxistere, sub ratione perfecta. Et in hoc videtur expressissimè significari veritas huius processionis. Vide dist. 39. & 40.

DISTINCTIO DECIMA.

QVAESTIO VNICA.

D

Vtrum Spiritus Sanctus producatur per modum voluntatis?

Circa istam Distinctionem Decimam. Quæro vnum.

H

Vtrum scilicet Spiritus Sanctus producatur per modum voluntatis?



Vòd non. Quia natura est vis insita rebus, ex similibus similia procreans, secūdùm illam communem descriptionem naturæ: Spiritus Sanctus est similis producēti; igitur producitur per naturam, & ita non per voluntatem.

Item Auer. 8. Phys. com. 46. vult quòd vnius naturæ est tantùm vnus modus communicandi: igitur si Diuina natura communicatur, per modum naturæ, non communicabitur per actum, vel modum voluntatis.

Præterea. Voluntas est potentia actiua in creaturis: non igitur factiua. Et ita à simili, in Deo voluntas, si est potentia operatiua, non videtur esse potentia productiua. Probatio consequentiæ. Quia sicut in creaturis se habent actiua & factiua; ita in Deo productiua, & operatiua: sicut enim in creaturis actiua habet actum immanentem, & obiectum pręsuppositum, factiua habet obiectum productum, & actum transeuntem: ita in Diuinis actus operatiuæ immanet, actus productiuæ non immanet; operatiua etiam præsupponit obiectum, productiua autem non præsupponit terminum.

Item. Nihil producitur actu voluntatis, nisi præcognitum, ex 15. de Trinit. c. 27. ergo si Spiritus Sanctus sic producatur, erit præcognitus antequam producatur, & tunc à Patre & Filio cognosceretur, cognitione non intuitiua; quia cognitio quæ est eius, inquantum cognoscitur, antequam producatur, non videtur esse intuitiua, quia cognitio intuitiua nō est rei, nisi vt est in se præsens, & existens; ergo

A ergo &c. inconueniēs aūt est, Spiritum Sanctum à Patre & Filio cognosci non intuitiuè; quia cognitio non intuitiua, est imperfecta.

Contra. Aug. 5. de Trin c. 14. vel 32. *Spiritus Sanctus exit à Patre, & Filio, nō quomodo natus, sed quomodo datus.* Exire per modum dati, vel doni, conuenit producto per modū voluntatis, cuius est ex liberalitate sua dare, vel donare.

ARTICVLVS PRIMVS.

Satisfit Quæstioni propositæ affirmatiuè.

AD Quæstionem. Dico. Quòd sic. Quia in Deo est voluntas, sicut apparuit Dist. 2. & etiam ex quæstione de attributis, Dist. 8. Patet etiam ex hoc quòd Deus ex natura sua est beatus; beatitudo non est sine voluntate, vel actu voluntatis.

Est etiam in eo voluntas sub ratione principij productiui. Quia principia productiua ex quo de se non dicunt
B imperfectionem, reducūtur ad aliquid vnum perfectū, vel ad aliqua perfecta, in tanta paucitate, ad quantam reduci possunt. Non possunt autem omnia reduci ad vnicū principium productiuum, vel actiuum; quia illud vnicum haberet modum determinatum agendi alterius istorum, scilicet, naturæ vel voluntatis; quia inter modos istos producendi, non est aliquis modus medius; igitur non possunt hìc reduci ad maiorem paucitatem, quàm ad dualitatem, scilicet, principij productiui per modum naturæ, & per modum voluntatis.

Et cùm illa, ad quæ tanquam ad perfecta stat tota reductio principiorum, sint simpliciter perfecta, ambo ista principia, sub ratione propria sua ponentur in Deo, vt est primum producens.

Et ex his vltra, probo Conclusionem principalem. In quocunque est principium aliquod, quod ex ratione sua est principium productiuum, illud erit in eo principium producendi, si est in eo sine imperfectione, & non intelligatur præhabere aliquid productum, sibi simpliciter adæ-
C quatum. In Deo autē (vt probatum est) est formaliter voluntas ex natura rei, & hoc sub ratione principij productiui liberi respectu amoris; & patet, quòd est ibi sine imperfectione; igitur erit in Deo principium producendi amorē, & hoc secundùm proportionem perfectionis suæ, in comparatione ad obiectum præsentatum, ita quòd sicut voluntas creata est principium producendi amorem creatum tantum, quanto amore ipsa potest amare obiectum, qui dicitur amor adæquatus; ita illa voluntas est principiū producendi tm̄ amorem, quanto ipsa nata est amare obiectū infinitum; nata est autē amare obiectū infinitum infinito amore; ergo nata est esse principiū producēdi amorē infinitum: nihil est aūt infinitū, nisi sit ipsa Essentia Diuina; ergo ille amor est Essentia Diuina: ille aūt amor productus, nō est natus esse formaliter inherens, quia nihil est tale in Diuinis; igitur est per se subsistens: & nō idem subsistens cū producente; quia nihil producit se, 1. de Trin. c. 1.
D igitur est personaliter distinctum: hanc Personam dico Spiritum Sanctum; quia Filius non sic producitur, vt patet dist. 6. sed per actum naturæ, siue intellectus.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Mouetur dubium, quomodo voluntas potest esse principium, communicandi naturam in Diuinis, cum ita non sit in creaturis?

HIc tamen sunt tria dubia. Primum. Quomodo voluntas potest esse principium communicandi naturam, cùm ita non sit in creaturis?

Secundò. Quomodo voluntas posset esse principium necessariò producendi, & quæ necessitas requiritur in ista productione?

Tertiò. Si productio sit necessaria, quomodo non est per modum naturæ, sed distincta contra illam & libera?

Quātùm ad Primum dubium. Dicitur *(ab Henr. in sum. art. 6. q. 1.)* quòd natura dicitur in Diuinis quadrupliciter.

E Vno modo appellatur natura, ipsa Essentia Diuina, in qua tres Personæ Diuinæ consistunt, & dicitur natura sic purè essentialiter. Secundo modo dicitur natura, principium actiuū naturale, & natura sic dicta, est vis productiua similis ex simili: & sic pottēia generādi actiua in Patre, est natura, & sic est essentiale contractum ad notionale, quia est ipsa natura Diuina dicta primo modo, natura. n. quæ est ipsa Essentia Diuina, vt est sub proprietate Paterna determinata, ad actum generandi, est potentia generandi actiuè in solo Patre existens. Et istos duos modos naturæ tangit Hil. 5. de Trinit. c. 17. dicens de Filio, quod *ex virtute naturæ, in eadem natura, natiuitate subsistit.* Tertiò modo dicitur natura, quælibet vis, naturaliter existens in natura primo modo dicta; quæ scilicet vis, etsi sit libera, tamen hoc modo potest dici natura; & sic voluntas in Deo dicitur natura, quia scilicet est naturalis potentia, existens in natura Diuina naturaliter. Quarto modo dicitur natura, incōmunicabilis necessitas circa aliquem actū; vt natura isto modo quarto dicta, non sit, nisi conditio, & modus circa actum elicitum. F

Ex his ad propositum dicitur. Quòd nec intellectus, nec volūtas, ratione qua sunt simpliciter intellectus & voluntas, sunt principia elicitiua actuum notionalium, per quos producitur simile in forma naturali ipsi producenti: quia tunc in quocunque essent, essent principia productiua, vel elicitiua actuū simil iū, quibus produceretur simile in forma: quod falsum est in creaturis; sunt. n. solummodo ibi principia elicitiua actuū naturaliū notionalium, vt sunt in natura Diuina, & vt sic, per illam habēt in se naturalitatem quandam ad productiones notionales; secundùm hoc enim diximus in quæstione quadam de emanationibus in generali, quòd intellectus & voluntas, vt sunt simpliciter intellectus & voluntas, modo scilicet intellectuali, & voluntario agentes, tantùm sunt principia elicitiua actuum essentialium, qui sūt intelligere, & velle, licèt hoc sit passiuè ex parte intellectus, & actiuè ex parte voluntatis; vt autem sunt natura, & principia actiua naturaliter elicientia actus, sunt principia actiua elicitiua actuum notionalium, qui sunt generare, & spirare; & hoc necessitate naturalitatis, quia impossibile est Deum per principia quæ sunt natura in ipso, huiusmodi actus non elicere. G

Ad cuius declarationem. Sciendum. Quòd huiusmodi naturalitatem habent à natura Diuina, in qua sunt intellectus & voluntas; sed aliter, & aliter. Quoniam intellectus Diuinus habet ipsam coincidendo in ratione naturæ, quæ est ratio principalis, elicitiua actus notionalis; & hoc iuxta secundum modum naturæ prædictum, vt omninò naturalitas ista sit præuia, & ratio intellectus sit concomitans, vel quasi concomitans, propter quod non nisi modo naturæ, & naturali impetu, actum suū notionalem eliciat, vt magis propriè dicatur Pater generare natura intellectuali, quàm naturali intellectu, vt intellectus potius intelligatur quasi determinare naturam, quàm è conuersò. Et secundùm hoc, ratio, qua productum natura eliciente dicitur Filius, est prima: & ratio, qua dicitur Verbum, est respectu illius quasi secunda. Voluntas autem habet naturalitatem ipsam, non vt coincidendo in rationem naturæ secundo modo dictæ, sed habendo annexam sibi quandam vim naturæ primo modo dictæ, ex hoc quòd fundatur in illa, vt naturalitas ista in voluntate, nullo modo sit præueniens eius libertatem, nec elicitiua actus eius notionalis, penes secundum modum naturæ; hoc enim esset omninò contra ipsam libertatem, sed potiùs vt sit consecutiua, & annexa libertati: & hoc non vt aliquid, quo voluntas suum actum notionalem eliciat principiatiuè, sed vt aliquid quo assistente voluntati, voluntas ipsa ex vi quam habet, ex eo quod est voluntas, & libera, potest elicere actum suum notionalem, quem sine illo assistente omninò elicere non posset. H

Contra dicta. Primò, quantùm adhoc, quod ponit de illa assistentia naturæ ipsi voluntati, vt voluntas vi illius assistentiæ possit communicare naturam. Quæro. Quid est ista assistentia? Videtur quòd non sit necessaria ad istam communicationem. Quia habito supposito perfecto agēte conueniēte actioni, & principio Quo agendi perfecto, non

A non videtur esse aliquid aliud necessarium ad agendum; sed per te sola voluntas est principium Quo respectu actus notionalis; & cōstat quòd suppositum agens est perfectū, & conueniens actioni; igitur non videtur illa coassistētia esse necessaria ad talem actionem.

Præterea. Quando aliqua sic se habent, quòd secūdùm priùs & posteriùs concurrunt ad aliquam actionem, illud quod est priùs, principaliùs concurrit ad illam actionem; sed essentia quæ est natura, (prout accipiunt naturam, primo modo, in qua tres Personæ Diuinę consistunt) est prior voluntate; igitur si natura isto modo concurrat ad actionem vt assistens voluntati, necessariò erit principaliùs in ista productione: igitur contradictionem includit, quòd concurrat vt assistens concomitans voluntatem, & non præueniens, vt ipsi dicunt.

Aliter dico. Quòd voluntas potest esse principium cōmunicandi naturam, & non voluntas, vt cōmuniter sumpta ad creatam & increatam, sed voluntas vnde infinita

B est: est enim infinitas proprius modus voluntatis Diuinæ, sicut & cuiuscunque alterius perfectionis essentialis. Hoc patet ex ratione posita priùs ad solutionem Quæstionis, Quia voluntas est principium amoris sibi adæquati, hoc est tanti amoris, quanto ipsa nata est amare obiectum, nata est autem amare obiectum infinitum infinito amore; igitur & est productiua infiniti amoris; quicquid est infinitum formaliter, est Essentia Diuina; ergo ipsa voluntas est principium communicandi Essentiam Diuinam, amori producto.

Et si quæras à me de coassistentia naturæ aliquomodo. Dico. Quòd non oportet voluntati, vt est principium cōmunicandi naturam aliquomodo speciali assistendi, ponere naturam coassistere: sic enim natura posset esse principium communicandi naturam, & non voluntas; nisi poneretur aliqua perfectio minor voluntatis, quàm naturæ: nulla est autem talis imperfectio: quia simpliciter ita est perfecta voluntas infinita, sicut natura infinita.

C ARTICVLVS TERTIVS.

Explicantur alia duo dubia.

QVantùm ad secundum Dubium. Dicitur, (*Ab Henr. in sum. art. 6. q.* 1.) Quòd triplex est actio voluntatis.

Prima, quæ est elicita à voluntate, vt est voluntas simpliciter, absque omni naturalitate & necessitate, vt est illa quæ procedit à libertatis arbitrio, siue in Deo, siue in creatura intellectuali, & in nobis tendit solummodo in bonū amatum, quod est circa summum bonum. Secunda, quæ est elicita à voluntate, vt est simpliciter voluntas, & hoc cū sola naturalitate necessitatis immutabilis, annexa illi actioni, vt est illa quæ procedit à libertatis arbitrio, & tendit in summum bonum amatum, & apertè visum. Tertia, quæ est elicita à voluntate, non vt est voluntas simpliciter, sed vt est natura, naturalitate sibi annexa dicto modo tertio,

D vt est illa, quæ procedit à voluntatis libertate à solo Deo, & tendit non solùm in bonum summum amatum, & visum, sed etiam in ipsum amorem procedentem, quo incentiuè amatur: licèt diuersimodè tendat in vtrumque, & hoc secundùm aliam & aliam necessitatem immutabilitatis, annexam ipsi actioni: inquantum enim actio ordinatur in amatum summum ab ipsa sola voluntate, ratione qua est libera; procedit necessitas immutabilitatis in actione eius secunda, & in actione eius tertia: inquantum verò actio ordinatur, in amorem productum tendentem in amatum, terminatiuum voluntatis; sic ab illa naturalitate annexa voluntati, procedit necessitas immutabilitatis, circa solum actum notionalem, elicitum à voluntate, vel potius ab ipsa libertate voluntatis, vt ei talis naturalitas est annexa.

Contra. Quod ponitur vnica necessitas in voluntate, scilicet libertatis; & duplex in spiratione; scilicet libertatis & naturalitatis. Videtur esse contra ipsum, & contra veritatem.

Contra ipsum. Quia ipse ponit actus notionales fundari super essentiales, vel in essentialibus, & omnes concedunt cōmuniter, quòd actus essentiales aliquomodo præcedunt actus notionales. Non videtur autem quòd in fundato possit esse aliquo necessitas formaliter maior, quā eo in quo fundatur: vel quòd duplex necessitas sit in fundato, & vnica in fundamento. Probo. Quia tunc per impossibile, vel incompossibile, separata vna necessitate ab altera, adhuc remanebit illud fundatum necessarium, non autem remanebit illud in quo fundatur necessarium; quia nō habuit nisi illam vnicam necessitatem, quæ circumscribitur a fundamento; igitur posset illa positione posita, necessitas esse in fundato, & non in illo in quo fundatur. E

Ex hoc ad propositum. Quia si actus spirandi habet necessitatem ex libertate voluntatis, & præter hoc ex illa naturalitate annexa voluntati; & actus dilectionis simplicis, nō habet nisi tantū primā necessitatē; ergo circumscripta tantùm prima necessitate, circumscriberetur tota illa necessitas, q̄ erat in fundamento; & adhuc tamē remanebit alia necessitas in ꝓductione illa, s. illa, q̄ est ex naturalitate.

Præterea. Videtur, quòd tota ista naturalitas, nō consequatur actū voluntatis; quia ista cōpetit voluntati per ipsum, ex hoc quòd fundatur in Essentia Diuina; igitur cùm priùs sit ratio Essentiæ Diuinæ, ratione volūtatis, q̄cquid consequitur rationē Essentiæ Diuinæ, vel voluntatē rōne Essentiæ, cōsequitur eā per prius, quàm illud quod sequitur voluntatem, vt voluntas est: & ita videtur quòd naturalitas illa præcedat aliquomodo ipsam libertatem; & per consequens impediret ipsam libertatem. F

Præterea contra Opinantem. Quod argumentum esset illud, quod ipse facit, si intellectus & voluntas essent principium communicandi naturam, vnde tales potentiæ? Igitur in creaturis essent tales potentiæ, principia cōmunicandi naturam, si omnino esset alia ratio formalis intellectus & voluntatis, in Deo & in creaturis. Et similiter. Quæ est necessitas distinguendi inter voluntatem, quam ponit principium eliciendi actum, & naturam, quam ponit coassistere voluntati elicienti, si tantùm est inter ista distinctio rationis? sicut videtur alibi sentire de distinctione attributorum in Diuinis.

Ad hoc Secundum Dubium, de necessitate. Patet per idem. Quia principium productiuum, potest dare producto omnem perfectionem, quæ sibi non repugnat; voluntas infinita, est principium producendi perfectum; igitur potest dare producto suo perfectionem sibi competētem: non autem repugnat sibi necessitas, imò conuenit necessariò sibi; quia nullum infinitum potest esse possibile, non necessarium: igitur istud principium, quod est voluntas infinita, erit sufficiens principium dandi necessitatem huic producto; igitur datur: quia nulli, quod non est necessarium, potest dari necessitas ex se. Et vltra. Si est principium quo datur necessitas producto; igitur & productioni: Productum enim capit esse productione; non potest autem aliquid capere esse necessarium per productionem non necessariam. G

Istud argumentum quasi à posteriori videtur concludere necessitatem productionis ex necessitate producti.

Sed quæritur ratio à priori, siue causa. Quid sit, per quod voluntas ista, dat necessitatem isti productioni? Respondeo. Quòd nec voluntas infinita, ex se sola dat necessitatem amori producto, comparando ipsam ad quodcunque obiectum; nec solum obiectum amatum, quod est finis, comparatum ad quamcunque voluntatem, dat necessitatem actui volendi, vel productionem amoris. Primū probo. Quia voluntas non est principium necessarium producendi aliquem amorem alicuius obiecti, nisi sit necessarium principium amandi illud obiectum; voluntas autem infinita, non est necessarium principium amandi obiectum finitum; quia tunc Deus necessariò amaret quālibet creaturam, imò & omne amabile; ergo nec est necessarium principium producendi amorem suum, comparādo illud ad quodcunque obiectum. Secundum, probatum est de Frui, Distin. 1. quòd voluntas ex ratione voluntatis in communi, non necessariò tendit in finem. H

Et si respondeas. Quòd voluntas, potest considerari vt voluntas, vel vt natura, comparando ad finem; vel ad ea quæ sunt ad finem. Vt comparatur ad ea quæ sunt ad finem

A nem eſt voluntas; vt autem comparatur ad finem, eſt natura; & ſic eſt mera neceſſitas.

Iſtud improbatur ex auctoritate, & ratione. Ratione, Quia non ſunt eiuſdem potentiæ actiuæ oppoſiti modi agendi; & maximè iſti, naturaliter, & liberè, qui primò diſtinguunt potentiam actiuam. Quia ſi voluntas comparatur ad finem, per modum naturę, & ad entia ad finē, per modū libertatis, ipſa non erit potentia actiua vna reſpectu iſtorū: & tunc nulla potentia erit quæ eligat ens ad finem, propter finē: nulla enim potentia eligit hoc propter illud, niſi velit vtrumque extremum; ſicut nulla potētia cognitiua cognoſcit concluſionem propter principium, niſi eadem cognoſcat principia, & concluſiones; ſicut arguit Philoſophus 2. de ani. t. 146. de ſenſu communi. Auctoritas eſt Auguſt. in Enchir. cap. 73. Et ponitur à Magiſtro lib. 2. diſt. 25. cap. 5. *Neque enim culpanda eſt voluntas, aut voluntas non eſt, aut libera dicenda non eſt qua beati ſic eſſe volumus, vt eſſe miſeri non ſolùm nolimus; ſed nequaquam velle poſſimus.* Vult igitur dicere. Quòd voluntas illa, qua volu-

B mus beatitudinem, eſt libera; ſed nullum finem magis neceſſariò reſpicit voluntas, quàm beatitudinem in communi; igitur nullum finem neceſſariò reſpicit.

Item. Iſta ratio poneret Spiritum Sanctum ſpirari non liberè, ſed per modum naturæ: quia eius principium, eſſet voluntas, non vt libera, ſed vt natura.

Itaque dico. Quòd neceſſitas huius productionis amoris adæquati, ſicut & neceſsitas dilectionis, qua formaliter habens voluntatem diligit, eſt ex infinitate voluntatis, & ex infinitate bonitatis obiecti: quia neutrum ſine altero ſufficit ad neceſſitatem. Iſta autem duo ſufficiunt, hoc modo. Quia voluntas infinita, non poteſt non eſſe recta, nec poteſt non eſſe in actu recto: quia tunc eſſet potentialis; igitur neceſſariò eſt in actu recto. Non autem omne velle eſt præciſè rectum, quia eſt ab illa voluntate recta ſolùm; quaſi nihil ſit volendum ex ſe, ſed tantùm quia eſt volitum ab illa voluntate recta: Eſsentia enim Diuina, quæ eſt primum obiectum illius voluntatis, eſt ex ſe volenda. Igitur voluntas illa, de neceſsitate eſt in

C actu recto volendi illud obiectum, quod eſt ex ſe rectè volendum: & ſicut ex neceſsitate eſt principium volendi, ita ex neceſſitate eſt principium producendi amorem illius.

Et tunc dico. Quòd nec ſola voluntas infinita præciſè, non determinando obiectum cuius ſit; nec ſolum bonum infintium, non determinando quam voluntatem reſpiciat, vt eſt obiectum, eſt totalis cauſa neceſſariò diligendi, nec etiam neceſſariò producendi amorem adæquatum: ſed infinita voluntas, habens tale obiectum, quod eſt ex ſe rectè amandum, perfectè præſens, eſt ratio neceſſariò tam volendi illud bonum, quàm ſpirandi amorem illius boni. Et talis voluntas, habens tale obiectum præſens, eſt principium communicandi naturam Diuinam, quia principium producendi amorem infinitum productum: talis enim amor productus, proportionatur tam potentiæ, quā obiecto. Non eſt autem ita, quando voluntas infinita reſpicit bonum amabile finitum: quia licèt ibi actus ſit infi-

D nitus, quantùm eſt ex parte voluntatis Diuinæ, nō tamen eſt infinitus, quantùm eſt ex parte obiecti.

Sed vtrum voluntas iufinita, ſit princium infinitum, non tantùm amandi bonum infinitum, ſed finitum, & producendi amorem talis boni; & hoc vel eadem productione, ſecundùm rem, qua producitur Spiritus Sanctus alia tamen ſecundùm rationem, vel omnino alia, vel nulla. De hoc aliàs: quia ſimilem habet difficultatem cum productione Verbi, Vtrum intellectus Diuinus, ſit principium producendi Verbum Eſſentiæ Diuinę, vel verbum alicuius alterius intelligibilis? Et tunc vel productione eadem, ſecundùm rem, cum productione Verbi Diuini, alia tamen ſecundùm rationem; vel alia, tam ſecundùm rem, quàm ſecundùm rationem.

E

Ad tertium Dubium. Dicitur. (*ab Henr. in ſum. art. 6 q. 1.*) Quòd natura agit per impreſſionem, ſicut intellectus, non voluntas.

Argumenta principalia reſoluuntur.

AD Argumenta principalia.

Ad Primum. Dico, quòd illa diffinitio naturæ, probat, quòd Spiritus Sanctus non producitur vt ſimilis, ex vi productionis ſuæ. Et verum eſt, quòd non eſt imago Patris, ſicut Filius, qui ex vi productionis ſuæ, procedit vt ſimilis Patri.

Ad Secundum. Reſponſum eſt aliàs diffusè Diſt. 2. q. 4. in illa, quæſtione, qua quærebatur, Vtrum poſſent plures eſſe productiones in Diuinis? F

Ad Tertium. Dicendum eſt, ſicut dictum eſt Diſtinct. 2. quæſt. de productionibus. Quòd differentiæ accidentales potentiæ, ſcilicet actiuum & factiuum, non ſunt differentiæ productiuæ potentiæ. Generaliter enim tali principio producitur illud, cuius eſt tale principium productiuum: vel in eo in quo eſt, ſi natum eſt illud recipere; vel in alio; vel in nullo. Si in nullo, quia nihil natum eſt recipere; illud tunc producitur per ſe ſubſiſtens, ſi potentia productiua ſit perfecta reſpectu ſubſiſtentis. Ita eſt in propoſito. Voluntas, qua producens producit, nec agit producendo in ſuppoſito, in quo eſt, nec facit producendo in alio; ſed producit terminum per ſe ſtantem, vt perſonā, quæ in nullo recipitur ſubiectiuè. Aliter eſt reſponſum Diſt. 6. vbi dictum eſt, quòd productio non eſt intellectio formaliter: & quomodo tunc intellectus poteſt eſſe principium non tantùm intelligendi, ſed etiam dicendi.

Ad Vltimum. Dicendum eſt, quòd neceſſe eſt, ad actum amandi, ſiue ad actum amoris, amatum eſſe præcognitum. Hoc dicit B. Auguſt. 15. de Trinit. cap. 27. Sed non oportet ipſam dilectionem eſſe præcognitam: puta ſi offertur mihi aliquod bonum honeſtum, non oportet quòd antequam poſſem habere illum actum amandi circa illud, quòd præcognoſcam illum actum. Ita in propoſito. Oportet Eſſentiam Diuinā, cuius amor ſpiratur, eſſe præcognitam Patri, & Filio, ad hoc vt ſpirent; ſed non oportet in iſto inſtanti originis, concedere Spiritum Sanctum, qui eſt amor ſpiratus, eſſe pręcognitum Patri & Filio; licèt in inſtanti æternitatis, ſit tota Trinitas nota cuilibet Perſonæ in Trinitate; quia diſtinguendo inter inſtantia originis, non diſtinguitur inter durationem & durationem; ſed tantùm à quo quis ſit. G

Aliter poſset dici. Quòd in illo priori ſigno originis, antequam intelligatur Spiritus Sanctus ſpirari, Pater & Filius cognoſcunt Spiritum Sanctum vt intuitiuè, licèt non vt exiſtentem in ſe; quia cognoſcunt Eſſentiam Diuinam, quæ eſt ratio cognoſcendi intuitiuè, quodcunque obiectum intelligibile; ſicut Trinitas cognouit creaturā, etiam intuitiuè, antequam producatur, quia Eſſentia ſua, quam intuetur, eſt ratio perfectiſſimè cognoſcendi alia omnia: & per conſequens, eſt ratio cognoſcendi intuitiuè quodlibet cognoſcibile, licèt nullum exiſteret in ſe. H

A DISTINCTIO VNDECIMA. E

QVAESTIO PRIMA.

Vtrum Spiritus Sanctus procedat à Patre & Filio?

Irca *Distinctionem vndecimam*. *Quæro duo*. Primò.

Vtrum Spiritus Sanctus procedat à Patre & Filio?

Vòd non. Damasc. lib. 1. c. 8. *A Patre procedentem, & in Filio quiescentem, Spiritum Sanctum dicimus.* Item cap. 11. *Spiritum Sanctum dicimus ex Patre, ex Filio non dicimus.* Item, idem in epistola de Trisagio B ad Iordanum Archimandritam in fin. *Pater, & Verbum, & Spiritus Sanctus.* Et subdit. *Ex Patre quidem, Filij autem & non ex Filio, sed Spiritus oris Dei.*

Item per rationem Græcorum. Nihil tenendum est vt articulus fidei, nisi quod continetur in Euangelio, quod completè continet fidem, aut saltem in Scriptura Noui Testamenti: sed non videtur expressum in Nouo Testamento, quòd Spiritus Sanctus procedat à Filio; ergo &c.

Item. Dilectio in nobis non procedit à Verbo: quia notitia non habet causalitatem respectu volitionis: igitur similiter nec in prototypo.

Item. Spiratio passiua est propria vni Personæ in Diuinis; igitur & actiua. Probatio consequentiæ. Vtraque enim videtur æquè perfecta, & æquè incommutabilis.

Contra. In Symbolo Niceno. *Ex Patre Filioque procedit.* Et Athanasius etiam in Symbolo. *Spiritus Sanctus à Patre & Filio.*

C

ARTICVLVS PRIMVS.

Ponitur diuersa Opinio Græcorum & Latinorum, approbaturque Opinio Latinorum, Græcorum verò explicatur.

IN ista Quæstione dicuntur Græci discordare à Latinis, vt videntur Auctoritates Damas. sonare. Sed de ista discordia, dicit Lincon. in notula quadam, super finem epistolæ de Trisagio, quòd sentētia Græcorum est, quòd Spiritus Sanctus est Spiritus Filij, sed non procedens à Filio, sed à solo Patre, per Filium tamen. Et videtur hæc Sententia contraria nostræ; quia dicimus Spiritum Sanctum à Patre & Filio procedentem.

Sed fortè si duo sapientes, vnus Græcus, & alter Latinus, vterque verus amator veritatis, & nō propriæ dictionis, vnde propria est, de hac visa contrarietate disquirerent, pateret vtrique tandem ipsam contrarietatem non D esse veraciter realem, sicut est vocalis: alioquin vel ipsi Græci, vel nos Latini sumus verè Heretici. Sed quis audet hunc auctorem, Ioannem scilicet Damasc. & Beatos, scilicet Basilium, Greg. Theologum, Gregor. Nazianzenum, Cyrillū, & similes Patres Græcos arguere Hæreseos? Quis iterum argueret hæreseos Beatum Hier. Aug. & Ambr. Hilar. & consimiles Latinos?

Verisimile igitur est, quòd non subest dictis verbis contrarijs, contrariorum Sanctorum, sententia discors. Multipliciter enim dicitur, sicut Hoc huius, sic Hoc ex illo, vel ab illo: qua multiplicitate fortè intellecta, & distincta, pateret contrariorum verborū non discors sententia.

Quicquid sit de eis, ex quo Ecclesia Catholica declarauit hoc esse tenendum, sicut de substantia fidei; sicut patet extra de summa Trinit. & fide Cathol. cap. Firmiter. Tenendum est quòd Spiritus Sanctus procedat ab vtroque.

Ad hoc est ratio talis. Habens principiū perfectum productiuum, priusquam intelligatur habere productum, potest illo principio producere, quādo scilicet principium est ita perfectum, quòd non dependet à passiuo, nec potest per aliquid impediri: sed Filius habet voluntatem, quæ est principium productiuum amoris adæquati, & habet eam vt præintelligitur producto actu voluntatis; ergo potest ea producere; igitur & ea producit. Probo Minorem. Generatio, & spiratio habent aliquem ordinem inter se, ita quòd aliquomodo generatio est priùs spiratione: in illo priori, communicatur genito omnis perfectio Diuina, quę sibi non repugnat, & ita voluntas; ergo habet tunc voluntatem, vt prioré producto per actum voluntatis; quia adhuc non intelligitur productio aliqua facta, per modum F vel actum voluntatis. Assumptum etiam de ordine istarū productionum, licèt videatur esse manifestum ex ordine potentiarum, probatur tamen per hoc. Quòd quando duo actus primi habent ordinem in aliquo, si vterque sit perfectè actiuus, habebunt etiam consimilem ordinem in eliciendo suos actus. Addidi autem, perfectè actiuus, ad excludendam formā substantialem, & qualitatem in incorruptibilibus; vbi licèt forma substātialis sit actiua, & qualitas similiter, & forma substantialis sit prior qualitate, tamen qualitas habet actum suum priùs: sed hoc est ex imperfectione actiuitatis formæ substantialis. In Patre autē intellectus & voluntas, sunt perfectè principia actiua, & habent ordinē quendam; quia fæcunditas intellectus constituit ipsum Patrem, non autem fæcunditas voluntatis; ergo ista fæcunditas intellectus, aliquomodo priùs habebit actum suum, quàm fæcunditas voluntatis actū suum.

Probant alij (*Henr. quol. 6. q. 1.*) istum ordinem productionis ad productionem, per hoc, quòd sicut se habet intelligere ad velle, ita dicere ad spirare. Sed ista probatio G videtur deficere. Velle enim præsupponit intelligere: quia per illud intelligere obiectum illud, circa quod dicitur esse dilectio, est sufficienter præsens, & absque illa intellectione nō esset sufficiēter præsens voluntati, vt posset velle; sed per actum dicendi non est præsens voluntati præcisè obiectum, cuius amor spiratur; quia si Pater voluntate spirat, in eo tamen non habetur obiectum præsens formaliter per notitiam genitam; quia nihil nouit notitia genita, vt dicit Aug. 15. de Trin. sed intellectione sibi ingenita habet obiectum sibi præsens, & ista est notitia, quæ præsupponitur actui spirandi; ergo non est similis necessitas, quòd generatio præsupponatur spirationi, sicut quòd intellectio præsupponatur volitioni.

Concedo quòd instantia benè probat, quòd non est simili necessitate. Sed inter intellectionem & volitionē est ordo, propter duo. Vnū est, propter præsentiam iam dictā. Aliud est propter istarum potentiarum ordinem in operando: quia istæ potentiæ tales sunt, quòd vna est naturaliter ordinata priùs operari, quàm alia. Prima ratio nō est H ratio prioritatis generationis ad spirationem, sed secunda. Sicut enim inquantū sunt potentiæ operatiuæ, est aliquis ordo inter operationes earū, ita inquantum sunt potentiæ productiuę, est aliquis ordo productionis earum, licèt non sit ordo necessitatis, pp præsentiam obiecti talem habendā. Exemplū huius est. Si in igne calor, & siccitas, sint causæ vel potentiæ actiuæ, natæ tamen ordinatè elicere actus suos, ita quòd siccitas non possit desiccare, nisi calor priùs calefaciat: ista necessitas ordinis non est, quia per calefactionem fit obiectum desiccabile, præsens sicco vt desiccet, sed propter naturam istarum potentiarum actiuarum; et si in illo priori, in quo calidum calore calefacit, communicaret calefacto vel produceret in calefacto, non tantùm calorem, sed etiam siccitatem, quam habuit calefactum; eadem siccitate desiccaret cum calefaciente: quia in illo instanti naturæ, in quo est desiccatio, vna siccitas

est

A est in calefaciente & calefacto. Ita intelligendum est hic: quòd in illo signo originis, in quo Pater producit actum voluntatis, principium productiuum idem est in Patre, & Filio, & ideo Filius eadem productione producit Spiritum Sanctum cum Patre.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Argumenta pro Opinione Græcorum adducta soluuntur.

AD auctoritates Damasc. videtur posse responderi per notulam illam in Linconien. de qua dictum est.

Prima tamen auctoritas eius posset exponi. Si loquatur de voluntate, & non de Spiritu Sancto: quia tunc posset dici, quòd voluntas quæ est principium spirandi, ipsa est à Patre in Filium; quia Pater cōmunicat eam Filio, & quiescit in Filio; hoc est, non vlteriùs communicatur sua ratio principij fœcundi, licet eadem voluntas communicetur Spiritui Sancto in se. Sed litera Damasc. ibidem videtur B loqui de Persona Spiritus Sancti, & non de voluntate, qua spiratur.

Ad rationem illam de Euangelio. Dico, quòd Christum descendisse ad inferna, non docetur in Euangelio, & tamen tenendum est, sicut articulus fidei, quia ponitur in symbolo Apostolorum. Ita multa alia de Sacramentis Ecclesiæ, non sunt expressa in Euangelio, & tamen Ecclesia tenet illa esse tradita certitudinaliter ab Apostolis: & periculosum esset, errare circa illa, quæ non tantùm ab Apostolis descendunt præscripta, sed etiam quæ per consuetudinem vniuersalis Ecclesiæ tenenda sunt.

Nec Christus in Euangelio docuit omnia pertinētia ad dispensationem Sacramentorum, dixit enim discipulis suis in Ioan. c. 6. *Adhuc habeo multa vobis dicere, sed non potestis portare modo, cùm autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Multa igitur docuit eos Spiritus Sanctus, quæ non sunt scripta in Euangelio: & illa multa quædam per scripturam, quædam per consuetudinem tradiderunt.

C Similiter. Diuersa Symbola, diuersis temporibus sunt edita, contra diuersas Hæreses de nouo orientes. Quia quando insurgebat noua Hæresis, necessarium erat declarare veritatem, contra quam erat illa Hæresis: quæ veritas etsi priùs erat de fide, non tamē erat priùs tantùm declarata, sicut tunc, contra errorem illorum, qui eam negabant.

Ad aliud de verbo nostro. Dico, quòd illud imperfectionis est in imagine creata, quia verbo non communicatur eadem natura cum mente; & ideo nec libertas formaliter: Verbo autem Diuino communicatur natura Patris, & eadem voluntas cum Patre: & ideo habet eam vt fœcundam, respectu productionis Spiritus Sancti; quia intelligitur ordine originis præhabere illam, antequam Spiritus Sanctus spiretur.

Ad Vltimum. Dico, quòd non sequitur; quia non potest natura Diuina pluribus productionib. haberi in vna persona; sicut patebit in sequenti quæst. quia vtraque productione haberet naturam, & neutra haberet, tamen vna D Persona potest pluribus productionibus communicare naturam, & plures Personæ, possunt vna productione producere Personam: & ideo si passiua sit tantùm in vno, non sequitur quòd etiam actiua sit tantùm in vno.

QVÆSTIO SECVNDA.

Vtrum si Spiritus Sanctus non procederet à Filio, distinctio esset Spiritus Sancti à Filio?

QVòd non. Quia secundùm Boëtium de Trinit. *Essentia continet vnitatem, relatio multiplicat Trinitatem*; ergo nulla Persona distinguitur ab alia, nisi quæ refertur relatiuè ad illam: sed si Spiritus Sanctus non procederet à Filio, non posset stare distinctio realis ad ipsum, quia non referretur ad ipsum; igitur, &c.

Præterea Aug. 2. de ciuit. c. 10. *Sed ideo simplex dicitur,* supple, Deus, *quoniam quod habet, hoc est: excepto quòd relatiuè quæque Persona ad alteram dicitur, sicut Pater habet Filium, & non est Filius*: Spiritus Sanctus igitur si non procederet à Filio, esset Filius; quia tunc non relatiuè diceretur ad eum. E

Contra 5. de Trin. cap. 14. vel 32. *Apparet quòd Spiritus Sanctus non est Filius, etsi exeat à Patre; quia exit non quomodo natus, sed quomodo datus.*

Hic dicitur. (*à Gotfr. q. quol. 4.*) Quòd Quæstio nulla est. Quia positio includens incompossibilia, non potest poni nec sustineri; quia in ea statim includitur redargutio: quod est inconueniens vltimum, ad quod potest respondens deduci. Tali enim positione posita, nulla regula disputationis potest saluari, scilicet, concedendo cōsequens, & negando repugnans: quia statim oportet concedere repugnantia, quę includuntur in posito.

Quòd autem istud positum, quod ponitur sit tale. Probatur. Quia summo necessario, repugnat summum impossibile; quicquid est in Deo ad intra, est summè necessarium; ergo repugnans sibi, est summè impossibile; ergo positio supponens Spiritum Sanctum nō procedere à Filio, est summè impossibile, quia oppositum est summè necessarium, scilicet, ipsum procedere à Filio: & impossibile includens impossibilia, videtur esse magis impossibile, quàm impossibile talia non includens; ergo &c. F

Contra istam positionem est hoc, quòd ista positio videtur esse fuga quæstionis. Mouetur. n. quæstio, vt inquiratur, quid sit principium distinctiuum reale Filij à Spiritu Sancto, vtrū filiatio an sola spiratio actiua? Quia si filiatio; igitur per quodcunque incompossibile, circumscripta spiratione actiua, adhuc remanebit ratio distinguendi.

Præterea, licèt positio quæ statim ex intellectu suo includit contradictoria, non possit admitti; tamen illa quæ ex intellectu suo tantùm vnum contradictorium includit, & aliud non, nisi per consequentiam accidentalem, vel per locos extrinsecos, benè videtur posse admitti; quia tali positione posita, possunt sustineri regulæ disputationis; potest enim concedi, sequens consequentia essentiali, & negari repugnans: si autem inferatur aliud repugnans sequens per locum extrinsecum, vel consequentia accidentali: negandum est illud sequi; quia propositio illa, per quam talis consequentia teneret, destrueretur ex positione. Nunc autem spiratio actiua, non est de per se intellectu Filij, vt Persona est, sed quasi passio communis Patri & Filio; igitur circumscripta illa, ponendo Filium in esse Filij, non ponuntur cōtradictoria ex primo intellectu positi sed tantùm alterum, scilicet, quòd Filius sit Filius, & reliquum non, nisi ex consequentia accidentali, & per locum extrinsecum, ex remotione quasi passionis, remouendo quasi subiectum: igitur ista positio non sic includit opposita, quin possit admitti. G

Item. Si aliquid essentialiter inclusum in aliquo, ponatur remoueri ab eo, quod tamen non sit ratio inhærentiæ prædicati; benè potest quæri, An isto vel illo circumscripto, insit tale prædicatum, vel non? Etiam quantumcumque positum includat contradictoria, nōn tamen repugnat huic proposito, quin altera pars huius quæsiti sit determinatè danda: puta, si circumscribatur ab homine animalitas, quod tamen includit incompossibilia, & quæratur, Vtrum hoc circumscripto, possit homo distingui ab asino? Videtur determinatè posse responderi: quòd sic; quia nō per animalitatem conueniebat homini sic distingui, sed per rationalitatem. Igitur licèt spiratio actiua, esset de ratione Filij, adhuc tamen ipsa circūscripta, quæri potest, Vtrum Filius distinguatur à Spiritu Sancto, vel non? Quia non quæritur, nisi, vtrum prædicatum circumscriptum, fuit præcisè causa distinctionis, vel aliud prædicatum non circumscriptum. H

Præterea. Aliud est ponere aliquid, & illo posito, vlteriùs quærere de aliquo proposito: & aliud est quærere de veritate alicuius conditionalis. Quia quærere de aliqua conditionali, ad nihil obligat. Etsi igitur aliquam probabilitatem haberet Opinio, dicendo: posito quòd Spiritus Sanctus non procederet à Filio &c. nullam tamen probabilitatem habet, quando quæstio sic est proposita,

A sicut eam proposui. Vtrum si Spiritus Sanctus non procederet à Filio, posset stare distinctio realis ipsius à Filio? Ibi enim quæro de conditionali quadam, scilicet, si Spiritus Sanctus non procederet à Filio, an sequatur essentialiter, ipsum non distingui ab eo? ita quòd oppositum consequentis, non possit stare cum antecedente, loquendo de formali intellectu eorum.

Contra istam Opinionem etiam sunt multæ auctoritates. Vna August. 5. de Trin. cap. 6. vel 13. *Si Pater non esset innascibilis, nihil prohiberet eum genuisse Filium*: & tamé ista positio concomitanter includit incompossibilia, scilicet, quòd Pater non sit innascibilis.

Et Ricard. 3. de Trin. c. 16. *Si sola vna Persona in Diuinitate esset, nihil prohiberet eam habere plenitudinem sapientiæ, vel intellectus*: cùm tamen concomitanter ad plenitudinem sapientiæ, vel intellectus, sequatur pluralitas Personarum.

Item etiam Philos. 4. Physic. tex. 58. arguit. Posito quòd esset aliquod spatium, & non haberet corpus sensibile, sed
B sonum, vel colorem, quærit, Vtrum esset vacuum? Et respondet. Quòd si natum esset recipere corpus, esset vacuum: si non, non. Ergo tali posita positione, quæ tamen per ipsum ponit incompossibilia (quia accidens, vt sonum & colorem, esse sine subiecto) potest quæri de aliquo, an sequatur, scilicet, intelligendo de naturali consequentia: quia etsi positum includat incompossibilia, non tñ omnia incompossibilia naturali cõsequentia: sed ad ipsum potest sequi aliquod contradictorium naturali cõsequenia, & aliquod aliud nullo modo, nisi sicut ad impossibile quodlibet.

Ideo admittendo Quæstionem. Est vna Opinio, (*D. Th. 1. par. sum. q. 36. art. 2. & Egid. Rom. quol. 1. q. 16.*) Quæ dicit. Quòd si non procederet ab eo, nullo modo distingueretur ab eo. Et habet pro se duas rationes.

Vna ratio est ista. Relatio in Diuinis, aut distinguit secundùm quidditatem, aut secundùm esse. Non secundùm esse; quia sic transit in Essentiam; igitur secundùm quidditatem: sed secundùm quidditatem tantùm respicit oppositum; igitur tantùm distinguit ab opposito; sed posita
C illa hypotesi, non essent in Filio & Spiritu Sancto, relationes oppositæ.

Secunda ratio est talis. Si relationes disparatæ possent sufficienter distinguere Personas: ergo cùm tales duæ sint in Patre, vt generatio actiua, & spiratio actiua, Pater esset duæ Personæ.

Confirmatur ratio. Quia tantam distinctionem videntur habere istæ relationes, spiratio actiua, & generatio actiua, quantam habent eorum relatiua, vel correlatiua, igitur ita possunt hæc distinguere, sicut illa.

Auctoritas adducitur Ansel. lib. suo de processione Spiritus Sancti. Sed quia ipsum adducit vterque pro se, & fit altercatio magna de intentione eius quæ fuerit: ideo hìc nolo multùm circa intentionem eius immorari.

Contra istam Opinionem sunt rationes, quæ sumuntur ex duobus medijs. Primum medium est, ex ratione formali constituti. Secundum medium est ex distinctione
D emanationum.

Ex Primo horum arguitur. Quocunque aliquid formaliter constituitur in esse, eodem distinguitur: quia eodem est aliquid Ens, & vnum, vnitate conuenienti tali entitati; &, si vnum; igitur in se est indistinctum, & ab alijs distinctum; sed Filius constituitur in esse personali filiatione; ergo & ea formaliter distinguitur, ab omni alia Persona: igitur per impossibile vel incompossibile, circumscripto quocunque alio, & maximè posteriori Filiatione, remanebit Filius Filiatione distinctus personaliter à quacũque Persona. Asumptum patet. Quia Filius constituitur in esse personali spiratione actiua, quia illa est communis Patri, & Filio, & non sunt in eo proprietates positiuæ aliæ, quàm generatio passio, & spiratio actio; ergo &c.

Respondetur. Quòd formali constitutiuo, non distinguitur aliquid à quocunque: sed tantùm ab illis, cum quibus maximè conuenit, & à quibus non distinguitur aliquo alio, nisi illo formali constitutiuo. Exemplum. Homo, rationalitate non distinguitur à lapide, sed à speciebus animalis, cum quibus conuenit maximè, & à quibus in paucissimis videtur distingui; à lapide enim distinguitur animalitate, quæ non est formale constitutiuum eius, quia lapis est inanimatus. Ita dicitur in proposito: quòd Filius cum Patre conuenit in spiratione actiua, & in hac distinguitur à Spiritu Sancto: propriè autem suo formali, scilicet Filiatione, distinguitur à Patre, cum quo maximè conuenit; quare &c. E

Cõtra istud, & Primò. Quia quodlibet habens aliquod esse, distinguitur distinctione conueniente illi esse, à quocunque alio, per aliquod, quod est de ratione eius, inquantum habet tale esse; Filius igitur personaliter distinguitur per aliquod, quod est de ratione eius, inquantũ est Persona; spiratio actiua non est de ratione eius, inquantũ Persona, sed Filio iam posito, est quasi proprietas aduentitia.

Ex hoc patet, quòd exemplum adductũ, non est ad propositum. Quia etsi homo distinguitur à lapide non per rationale primò, distinguitur tamen per aliquid, quod est de essentia sua; ita quòd inconueniens esset, ipsum per nihil, quod est de essentia sua, à lapide distingui, sed tantùm per
per risibilitatem: ita est ergo in proposito. F

Ex hoc etiam patet, quòd exemplum concludit propositum. Homo enim non distingueretur essentialiter à lapide, inquantum animal, si animal non esset de essentia eius, quod tamen est, licèt non sit vltimum constitutiuum eius: sic autem arguitur in proposito. Quodcunque distinguitur ab alio per se, inquantum tale, distinguitur per aliquid, quod est per se de ratione eius, inquantum tale; Filius per se distinguitur à nõ Filio; igitur per aliquod quod est de essentia eius; sed hoc non est vis spiratiua, consequitur enim proprietatem constitutiuam eius; ergo &c.

Secundò sic. Per formale constitutiuum distinguitur constitutum ab omni alio, etiamsi per impossibile quodcunque aliud ab illo circumscribatur: quia per illud distinguitur primò: id est, adæquatè ab omni nõ tali; sed quodcunque non habens illam formam constitutiuam, est non tale; igitur per illam distinguitur ab omni alio non habente illam.

Ista ratio declaratur. Quia licèt homo, non tantùm per rationale distinguatur à lapide, sed etiam per animalitatem: non etiam primò distinguitur per rationalitatem, G
id est, non adæquatè; quia tunc quodlibet distinctum à lapide, esset rationale; sed adæquatè in genere corporis, primò distinguitur à lapide per animatum: tamen circumscribendo per intellectum ab homine quodcunque aliud à rationali, per illud solũ distingueretur essentialiter à quocunque non rationali, & ita à lapide, qui non est rationalis. Non igitur tantùm illud distinguit realiter, quod distinguit adæquatè, sed etiam illud quod solum si poneretur, esset incompossibile illi, à quo distinguitur.

Confirmatur ista ratio principalis sumpta, ex proprio constitutiuo. Quia si Pater per impossibile non spiraret, sed Filius; adhuc tamen Pater Paternitate distingueretur à Filio & Spiritu Sancto, sicut Paternitate constituitur in esse personali.

Ex secundo medio, scilicet ex distinctione emanationũ, arguitur sic. Generatio distinguitur à spiratione: & hoc per impossibile circumscripto omni alio à ratione generationis & spirationis; aut saltem circumscripto hoc, quòd H
spiratio actiua esset à Filio; dum tamen staret distinctio principiorum generandi & spirandi: ergo & quolibet tali circumscripto, staret distinctio Filij & Spiritus Sancti. Probatio consequentiæ. Quia impossibile est vnam Personã duabus productionibus totalibus accipere esse: nulla enim productione aliquid accipit esse, qua per impossibile circumscripta, non minùs acciperet esse; sed si productione hac & illa acciperet aliquid esse, & vtraque complete, quia vtraque esset perfecta; igitur vtraque circumscripta, haberet esse per alteram completè; & ita neutra, & vtraque acciperet esse.

Ad istam rationem ponuntur aliquæ responsiones ad antecedens: sed quia de hoc tractabitur distinct. 15. modò non insisto.

Conclùsiones istarum rationum concedo; & magis patebit propositum declarata illa distinctione emanationũ.

Ad Auctoritatem Boëtij. Concedo, quòd relatio multiplicat

A triplicat Trinitatem, & tamen non tantùm distinguit à relatione opposita, sed à qualibet relatione disparata, cui formaliter non est idem, quia sicut in genere Qualitatis, albedo non tantùm distinguitur ab altera qualitate contraria, sed etiam ab omni alia disparata; quia non est albedo dulcedo formaliter, nec odor, & si aliqua disparata esset incompossibilis alteri disparatæ in eodem supposito, non tantùm distingueretur natura à natura, sed etiam requireretur distinctio suppositorum: ita aliqua relatio disparata, ab alia relatione disparata, distinguitur absque aliqua alia incompossibilitate; aliquæ autem non tantùm habent distinctionem, sed etiam incompossibilitatem, siue incompossibilem rationem in eodem supposito, quales sunt relationes disparatæ accipiendi naturam: quia Persona quæ disparatis modis acciperet naturam, non vnico modo haberet naturam.

Ad August. de ciuit. Dei. Dico: quòd quælibet Persona, hoc est quod habet, nisi quòd relatiuum habet correlatiuum, & non est illud: posita autem illa hypotesi, Spiritus B Sanctus non haberet Filium vt correlatiuum & spirantem: & ideo non sequitur, quòd Spiritus Sanctus est Filius, quia non haberet Filium, nec sicut intrinsecè, nec sicut correlatiuum originans; excipit autem Aug. quòd illud quod habetur, non est habens, quando habetur vt correlatiuum. Non igitur accipit Aug. nisi quod habetur, vel eo modo quo dicitur Filius habere Diuinitatem, vel quo dicitur habere Patrem. Vnus modus est habendo formaliter, vel essentialiter; alius modus est habendo correlatiuè, vel originaliter.

Ad rationes pro Secunda Opinione.

Ad Primam. Dico, quòd tam secundùm quidditatem, quàm secundùm esse; manet ibi relatio; quocunque enim modo manet, secundùm quidditatem, manet secundùm eius esse, quod est esse ad aliud; quia quidditas relationis, nō potest esse sine esse ad aliud; quia intelligendo relationem sine esse ad aliud, non intelligitur relatio, sed absolutum; quia secundùm Aug. 7. de Trin. c. 1. vel 9. *Si est ad aliud, non est substantia; & si est substantia siue ad se, iam non est relatio.* Quocunque etiā modo transit esse, transit & quidditas: quia sicut esse ad aliud, quod est esse relationis, verè est idem essentiæ, ita & quidditas relationis est idem essentiæ: nihil enim est ibi, quod non est idem. Manet igitur & quidditas, & esse; quia relatio non est formaliter Essentia Diuina, quia sicut dicit Aug. 7. de Trin. c. 2. vel 12. *Non eo Verbum quo sapientia.* Transit autem vtrumque; quia cum hoc quod nō est formaliter idem, est verè idem, sicut sæpe dictum est. E

Cùm igitur dicis. Aut distinguitur secundùm esse, aut secundùm quidditatem? Dico: quòd secundùm quidditatem, & secundùm esse ad aliud.

Et cùm dicis. Sic transit; ergo non sic distinguit. Consequentia non valet. Quia transit secundùm identitatem, & manet secundùm formalitatem: & quia non oportet veram identitatem esse formalem; quia formalis ratio huius transeuntis, non est formaliter ratio illius essentiæ, in qua transit, ideo huic rationi formali competit, quod est huic proprium; est autem ei proprium distingui realiter ab omni relatione, tam opposita, quàm disparata & incōpossibili; & ideo cum hoc, quòd verè transit; verè manet, quantùm sufficit ad distinctionem realem, tam ab opposita relatione, quàm etiam à relatione disparata sibi incompossibili. F

Ad Secundam. Cùm dicitur de duabus proprietatibus in Patre. Responsum est distinct. 2. parte 2. quæst. 2. Non enim oportet tantam esse distinctionem, vel incompossibilitatem productionum actiuarum, quanta est productionū passiuarum; quia impossibile est idem duabus productionibus oppositis produci; & accipere esse: non autem est incompossibile idem duabus productionibus actiuis, communicare esse distinctis Personis.

C G

DISTINCTIO DVODECIMA.

QVÆSTIO PRIMA.

Vtrum Pater & Filius spirent Spiritum Sanctum inquantum omnino vnum, vel inquantum dictincti?

Circa istam Distinctionem Duodecimam: in qua Magister agit de modo procedendi Spiritus Sancti à Patre, & Filio, Quæruntur duo. Primò Quæro.

D *Vtrum Pater et Filius spirent Spiritum Sanctum, inquantum omnino vnum, vel inquantum aliquomodo distincti?*

Quòd inquantum distincti. August. 6. de Trinit. cap. 5. vel 16. *Spiritus Sanctus est communis vnio Patris & Filij.* Ex hoc accipitur communiter; quòd est nexus amborum; nexus autem non est aliquorum, nisi inquantum sunt distincti; est autem nexus eorum inquantum procedit ab eis, ergo procedit ab eis inquantum sunt distincti.

Item. Actio est suppositi; igitur duorum suppositorum non est vna actio; Spiritus Sanctus aūt producitur actione Patris & Filij, vt agentium; igitur inquātum distincti.

Item. Si producunt inquantum omnino vnum; aut inquantum vnum in Essentia; aut inquantum vnum in Persona; aut inquantum vnum in vi spiratiua: Non inquantum vnum in Essentia; quia tunc Spiritus Sanctus produceret se, quia est vnum in Essentia cum Patre & Filio: nec secundo modo, inquantum vnum in Persona; quia sic non sunt vnum; nec tertio modo, inquantum sunt vnum in vi spiratiua; quia tunc sequitur, quòd Pater esset duo principia respectu Filij & Spiritus Sācti, propter duas vires productiuas in ipso respectu eorum.

Contra. 5. de Trinit. cap. 14. *Pater & Filius sunt vnum principium ad Spiritū Sanctum, sicut Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus sunt vnum principium ad creaturam:* creatura autem est à tribus inquantum vnum, non inquantum distincti; ergo &c. H

ARTICVLVS PRIMVS.

Determinatur quòd Pater & Filius, sint vnum principium Spiritus Sancti.

IN ista Quæstione planū est quòd Pater & Filius sunt vnum principium Spiritus Sancti.

Hoc declaratum est in Concilio Lugdun. sub Greg. X. sicut patet Extra. de sum. Trin. & fide Cathol. fideli ac deuota. Et est hodie in 6. lib. Decretal.

A Ratio autem huius veritatis eſt iſta. Quia vt dictum eſt diſt.2. Pater priùs origine habet actũ fæcunditatis intellectus, quàm voluntatis. In illo priori, communicatur Filio fæcunditas eadem, quæ eſt in Patre; quia in illo ſigno originis, in quo Filius producitur per fæcunditatem intellectus, communicatur ſibi à Patre, quicquid ei non repugnat: & ita fæcunditas voluntatis; igitur in alio ſigno originis, quando producitur perſona per actum fæcunditatis ſecundæ, ſcilicet voluntatis, producitur à Patre & Filio; omnino vt ab vno principio, propter vnam fæcunditatem principij productiui in eis.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Recitatur Opinio, quòd Pater & Filius, voluntate non inquantum vna, ſed in quantum eſt concors, ſpirent Spiritum Sanctum.

SEd eſt Difficultas alia. Cùm enim voluntas iſta ſit vna B in duobus ſuppoſitis, quę ſuppoſita concorditer volunt iſta voluntate; & concordia connotet aliquam diſtinctionem ſuppoſitorum concordantium, Vtrum Pater & Filius, per ſe magis ſpirent hac voluntate inquantum vna, vel inquatum concors?

Hic dicitur (*ab Henr. in ſum. art. 54.*) ſic. Quòd ſuppoſita producentia ſunt diſtincta: & propter illam diſtinctionem, nullo modo concederentur ſpirare inquantum plures, habent enim vnam vim ſpiratiuam.

Sed vlteriùs. Illa vna vis ſpiratiua, non omnino ſub ratione vnitatis ſuæ, eſt proximum principium fæcundum ad ſpirandum, ſed ſub ratione concordis voluntatis, vbi connotatut aliqua diſtinctio: & propter iſtam diſtinctionem connotatam, ex parte principij Quo, poteſt concedi quòd ſpirant inquantum ſunt diſtincti.

Iſta Opinio confirmatur per Ricard. 3. de Trinit. *Quoniam intellectus perfectam fęcunditatem habere poteſt ad productionem Verbi, vt exiſtit in vna ſola Perſona; voluntas autem ad productionem Spiritus Sancti perfectam fęcunditatem* C *habere non poteſt, niſi ſit in gemina Perſona*: Et hoc, quia fæcunditas intellectus cõſiſtit in plenitudine perfectæ ſapientiæ, quæ poteſt eſſe in vnico, dicente Ricard. de Trin. lib. 3. c. 16. *Nihil diffinitur contrarium naturę, ſi plenitudo ſapientiæ dicatur poſſe cõſiſtere in ſingularitate Perſonę.* Nam quantùm videtur etiamſi vna ſola Perſona in Deitate eſſet, nihilominus plenitudinem ſapientiæ habere poſſet: fæcunditas autem voluntatis conſiſtit in plenitudine veri amoris, qui nõ poteſt eſſe, niſi in duobus adminus, dicente eodem Ricard. ibidem cap. 3. *Non poteſt amor eſse iucundus, ſi non ſit & mutuus.* Quare cùm in amore eſſentiali fęcunditas voluntatis non poſſit eſſe, niſi ſummè perfectus, & iucundus ſit amor: oportet quòd voluntas ſi ſit fæcunda, quòd ſi amor mutuus, *vt ſit* (ſecundùm eum ibidem) *qui amorem impendat, & ſit qui amorem rependat.* Quia vt dicit cap. 7. *Summè diligenti non ſufficit, ſi ſummè dilectus ſummam dilectionem non rependit.*

Et ſecũdùm hoc (vt ſupra dictum eſt) ad hoc quòd communis voluntas Patris & Filij ſit fæcunda, ad ſpirandum D Spiritum Sanctum, non ſufficit quòd ſit vna voluntas cõmunis amborum; & amor eſsentialis in ipſa communis, qua ambo ſimul amant, & volunt, ſed oportet quòd ſit voluntas concors, & mutua duorũ, qua vnus ſummum amorem alteri impendat, & ille vice verſa eundem rependat: quo exiſtente, fæcunda eſt voluntas, vt ex ipſa neceſse ſit emanare amorem, qui eſt Spiritus Sanctus, dicente Ricar. vbi priùs c. 11. *Quòd in amore mutuo, multumque feruente, nihil præclarius, quàm ab eo quem ſummè diligis, & à quo ſummè diligeris, alium æquè diligi velis.*

Probatio itaque conſumatæ charitatis, eſt mutua communio exhibitæ ſibi dilectionis; ita quòd in illo, ſicut mutuò diligitur, vtriuſque dilectio vt conſumata ſit, exhibitæ dilectionis conſortẽ æqua ratione requirit: & hoc per vim ſpiratiuam, quæ eſt cõcors voluntas in mutuo amore, producendo Spiritum Sanctum; non ſolùm vt ſunt vnum in voluntate illa, ſiue amore, ſed vt ſunt plures inter ſe diſtincti, quæ diſtinctio connotatur per hoc, quòd voluntas dicitur eſse concors, & amor mutuus, qui non poteſt eſſe, niſi E ſit plurium, ſecundùm quod plures ſunt inſeparabiles: Nã hæc præpoſitio, Cum, aſſociationem importat, quę non eſt niſi plurium diſtinctorum: & propter hoc benè dicitur, quòd Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, ſunt tres coæterni, cùm tamen iſta negetur, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, ſunt tres æterni.

Per hoc etiam quòd voluntas cõcors, eſt amor mutuus duorum: licèt ſit vnus & idem, tamen non eſt eadem ratio eius, vt eſt à Patre in Filium impenſus, & è conuersò, vt eſt à Filio ad Patrem repenſus. Quoniam ſecundùm Ricard. lib. 3. c. 19. *Quando duo mutuò ſe diligunt, & ſummi deſiderij affectus inuicem impendunt; & iſtius in illum, & illius in iſtum, affectus diſcurrit, & quaſi in diuerſa tendit*: Et pro hoc, quòd quaſi in diuerſa tẽdit, quodammodo ratione diuerſus eſt: ſed iſta diuerſitas eſt in amore, vel voluntate eſsentiali, qua nõ obſtante, fæcunditas eſt penitus vna & eadẽ, in voluntate illa concordi, & amore mutuo, in qua fæcunditate Pater & Filius ſunt penitus vnum, & vniformiter ſpirant Spiritum Sanctum, *qui à duobus concorditer diligitur* F *& duorum affectus, tertij amoris incendio in vnum conflatur*: vt dicit ibidem Ricar.

Et ſecundùm hoc in ſpiratione Spiritus Sancti, dupliciter eſt conſideranda Patris & Filij diſtinctio. Vno modo, vt accipiũtur ſicut elicientes actum; alio modo, vt intelliguntur eſſe concordes in amore mutuo, & in voluntate circa rationem eliciendi actum. Et ex diſtinctione eorum primo modo conſiderata, nullo modo dicendi ſunt ſpirare, vt plures: licèt enim ſint plures qui ſpirant, non tamen propter pluralitatem, quæ principaliter eſt in illis, ſpirant, ſed ſolùm ex diſtinctione eorum connotata: & ſic Pater & Filius, non ſpirant Spiritum Sanctum, inquantũ ſunt plures in eliciendo actionem; licèt concurrant in vnam rationem, ſecundùm quam elicitur actio, ſed vt ſunt plures in vnica voluntate, quæ eſt ratio eliciendi actum, concordando, & amorem ſuum in illa mutuando. G

ARTICVLVS TERTIVS.

Impugnatur prædicta Opinio.

COntra iſtam Opinionem, arguitur ſic. Si Pater & Filius producant Spiritum Sãctum voluntate, inquãtum concorditer amantes ſe ea; igitur eſt alius Spiritus Sãctus priùs productus: conſequens eſt inconueniens. Probatio conſequentiæ. Primò. Quia in quocunque ſigno naturæ, vel originis, eſt principium productiuum perfectum in ſe, & in ſuppoſito conueniente actioni, in illo ſigno poteſt eſſe tali ſuppoſito ratio producendi; ſed voluntas infinita, vt voluntas infinita, intellecta ante omne velle, habẽs infinitum obiectum ſibi præſens, eſt ſufficiens principium productiuum ſpirati amoris infiniti, & Pater, & Filius ſunt Perſonæ conuenientes actioni, vel productioni; ergo voluntas vt in Patre, & Filio, non intellecta vt qua formaliter volunt, ſed vt voluntas infinita habens Eſſentiam Diuinam præſentem ſibi per actum intelligentiæ, eſt Patri, & Filio principium productiuum Spiritus Sancti; & H ita ſi Spiritus Sanctus producatur per voluntatẽ, inquantum volens, ſiue inquantum ea Pater & Filius diligunt ſe actu; ſequeretur quòd ante Spiritum Sanctum productũ voluntate volente, erit Spiritus Sanctus productus voluntate, vt eſt actus primus; quod eſt inconueniens.

Iſta ratio de voluntate, quòd ſit principium ſpirandi, vt voluntas eſt, non autem vt eſt actu volens, confirmatur dupliciter. Primò, per formalem rationem voluntatis in principiando, quæ eſt libertas, quæ non ita conuenit ipſi velle. Secundò, per ſimile de intellectu.

De Primo, arguitur ſic. Voluntas, vt in nobis eſt actus primus, libera eſt ad habendum actum volendi, non autẽ ipſe actus volendi liber eſt, ſiue principium liberum producendi aliquid; quia actus volendi eſt quædam qualitas naturalis, & ſi eſt principium alicuius, videtur eſſe principium naturale eius, non liberum; ſicut ſi ex tali actu generaretur habitus appetitiuus, naturaliter generaretur; ita quòd non eſt in poteſtate actus, generatio talis habitus, vt

videtur:

A videtur: ergo magis videtur, quòd saluatur, Spiritum Sanctum produci liberè, si producatur voluntate, vt est actus primus, quàm si producatur voluntate, vt est actus volēs, vt scilicet intelligitur sub actu secundo.

Ex Secundo arguitur sic. Filius non producitur intellectu Paterno vt actu intelligens est, ita quòd actualis intellectio sit formalis ratio qua Pater generat Filium, sicut ostensum est supra, dist. 2. Ergo à simili, Voluntas, vt actu volens, non erit principium producendi Spiritum Sanctū, sed voluntas vt actus primus.

Secundò probo consequentiam principalem sic, accipiendo eandem Maiorem sicut priùs, scilicet in quocunque signo naturæ vel originis &c. addendo hāc Minorem. Quòd Diuina voluntas habens obiectum primū sibi præsens, est ratio producendi amorem adæquatum illi, perfectiùs quàm habens obiectum secundarium sibi præsens, vel saltem non minùs perfectè; ergo (cùm essentia Diuina sit primum obiectum voluntatis Diuinæ, non Pater, vt Pater, nec Filius vt Filius, quia tunc Pater esset formaliter

B beatus, in pluribus obiectis distinctis) voluntas habens Essentiam Diuinam præsentem sibi, (siue vt amabilem, siue vt amatam, non curo,) in ista probatione Secūda, magis est primum producendi amorem adæquatum illi, quod habet Patrem vt Pater, vel Filium, vt Filius, pro obiecto, vel saltem non minùs: & ita cùm voluntas priùs habeat essentiam, pro obiecto, quàm Patrem vt Pater est, priùs spirabitur Spiritus Sanctus voluntate, vt est Essentiæ Diuinæ, tanquam primi obiecti, quàm voluntate vt est Patris vel Filij, tanquam obiecti secundi.

Confirmatur ista ratio. Quia Essentia Diuina est formaliter infinita, Paternitas vt Paternitas non est formaliter infinita; ergo Spiritus Sanctus qui est amor infinitus, & hoc non tantùm ratione voluntatis infinitæ, sed etiam ratione obiecti infiniti, vt dictum est dist. 10. magis spirabitur voluntate, vt est Essentiæ Diuinæ; quæ est obiectum infinitum, quàm vt est Patris vt Patris, vel Filij vt Filij, vt obiecti.

C Si dicatur. Essentiam non esse primum obiectum voluntatis Diuinæ, sed rationem formalem in primo obiecto, quod est Persona. Hoc falsum est. Tum, quia vnum est obiectum voluntatis. Tum, quia ratio formalis obiecti amati, priùs amatur, vt concedit propositum; quia tunc erit ratio formalis spirandi, eo modo, quo primum obiectū concurrit ad spirare.

Ex istis duabus probationibus concluditur, quòd Pater non spirat Spiritum Sanctum, inquantum diligit Filium primò, nec Filius inquantum diligit Patrem, sed Pater, & Filius, inquātum habent Essentiam Diuinam præsentem, vt obiectum primum voluntatis suæ: & hoc per secundam probationem consequentiæ principalis. Similiter spirant inquantum habent Essentiam præsentem; & nō inquantum amatam actu, sed inquantum amabilem, præsentatā actu intelligentis eorum, per primam probationem consequentiæ.

Et si obijcias contra Primam probationem consequentiæ. Nonne priùs Pater, & Filius sunt amantes Essentiam

D in se, quàm spirent Spiritum Sanctum? Responderi potest: sicut priùs dictum est, dist. 6. de productione Filij: quomodo Pater aliquomodo priùs origine intelligit, quā Filius sit generatus, & tamen non sic, quòd intellectio actualis Patris, sit ratio gignēdi Filium, sed memoria in Patre; ita potest dici de dilectione, qua Pater, & Filius diligunt se: conformiter & formaliter & de actu spirandi.

Secundò principaliter, sic. Principium æquè perfectum in vno supposito, sicut in duobus, æquè est principium agēdi in vno, sicut in duobus; quia ad actionem non videtur requiri, nisi principium perfectum Quo, & Quod, scilicet suppositum agens perfectum: sed voluntas æquè perfecta est in vno supposito, sicut in duobus, & vnum suppositum æquè perfectum est perfectione requisita ad suppositum agens, sicut duo: ergo voluntas æquè potest esse principiū producendi in vno, sicut in duobus; ita quòd illa mutuitas, non sit aliqua ratio producendi, ex parte principij productiui. Prima pars Minoris probatur. Quia principiū Quo, non accipit perfectionem sibi competentem à supposito, sed dat supposito; quia eo suppositum est perfectum, vt possit agere; ergo non est tale principium perfectius in pluribus, quàm in vno, quando est idem principium in pluribus & in vno. E

Et si dicas. Quòd illud principium nō est in vno, vt principium productiuum est, sed tantùm sic est in duobus, & tamen derelinquitur in Patre, genito Filio. Hoc videtur absurdum. Quia omnem realitatem, tam absolutā quàm relatiuam, quam Pater habere potest à se, habet in primo signo originis; nullam ergo habet Filio genito, quam non intelligatur priùs habere origine, quàm Filius generetur: quare & illam fecunditatem, siue illa fæcunditas ponatur relatio, siue aliquid absolutum.

Item. Si in Patre est perfecta voluntas, priùs origine quàm in Filio, non tamen est principium spirandi perfectum per te: Quæro: quid intelligitur addi, vt sit principiū spirandi perfectum? Non aliud suppositum: quia illud nihil addit principio Quo, sed tantùm illo habet quòd possit agere. Si dilectio mutua per te huius in illum, & è conuersò; ergo relatio duplex rationis erit vltimata actualitas F principij spirandi: hoc est impossibile, propter duo. Primò. Quia nulla relatio rationis præexigitur productioni Diuinæ, vt probabitur dist. 13. contra Opinionem ponentem intellectum & voluntatē in Deo, distingui tantùm ratione. Secundò. Quia tunc essent duo principia formalia proxima spirandi; & ita duo supposita non spirarent præcisè, inquantum vnum: quod est contra Aug. 5. de Trin. c. 14. sicut allegatum est in opponendo.

Item. Si haberent duas voluntates, possent concordes esse in tali mutuitate; ergo inquantum concordes spirare, non est vt vnum principium spirare; quia nec vt vnū suppositum, nec vt vnum Quo, inquantum concordes.

Item. Aut Pater voluntate & volitione vt in ipso, cum ista relatione ad Filium dilectum, est totale principium spirandi, aut non? Si sic. Sequitur quòd Filius non spiret; quia non habet idem Quo, inquantum habet relationem è conuersò: Non enim spirat inquantum diligens, quo diligere circumscripto, nihilominus spiraretur Spiritus Sanctus; sed circumscripta relatione è conuersò, nihilminùs G spiraretur Spiritus Sanctus à Patre, vt totali principio, per suum velle, vt tendit in Filium. Si detur, in prima diuisione, quòd non: sequitur quòd vterque inquantum amans alterum, est diminutum principium; & ambo simul vnum principium, quasi per aggregationem, vt duo trahentes nauim; non autem vnum principium per identitatem principij perfecti.

Hoc confirmatur per Aug. 4. de Trinit. cap. 20. *Pater est principium totius Deitatis.* Et per ipsum in auctoritate præallegata 5. de Trin. cap. 14. patet, quòd sunt vnū principium Spiritus Sancti, omnino vnum, & vniformiter, sicut tres personæ sunt vnum principium creaturæ: non autem omnino vniformiter spirarent, si Filius statim in suo secundo signo originis haberet fæcunditatem spirandi & Pater non haberet in primo signo suo, omnino omnem fecunditatem, sed haberet solùm in secundo signo, Filio genito.

Et si instetur de potentia creandi, quòd illa non sit in H Patre ante productionem Fili, & Spiritus Sancti. Patebit responsio, partem hic, exponendo intentionem Ricar. & ampliùs in quæst. de ordine productionum intrinsecarum ad extrinsecas.

Præterea, contra illas rationes quas innuit Ricar. pro se, scilicet, *quòd amor mutuus sit iucundissimus.* Ex hoc sequitur, quòd Pater esset formaliter tali amore beatus; quia, amor quo est beatus, est iucundissimus, & tunc Pater non esset formaliter beatus in se, sed in Filio obiectiuè; quod est hæreticum.

Item Secundò contra illam rationem, arguo sic. In nobis amor mutuus est iucundior; quia per talem mutuitatem habetur in dilecto amplior ratio diligibilitatis: quicunque enim dilectus potens diligere, si rediligat, amabilior est; quia non tantùm bonitas quæcunque sit in eo, est ratio diligibilitas, sed redamatio est aliqua ratio diligibilitatis; & propter hoc ipse habens illam bonitatem, quæ est prima ratio diligibilitatis, & similiter redamationem,

A est amabilior: igitur oppositum erit in Diuinis, vbi ista ratio maioris amabilitatis nullo modo poterit inueniri nec poni; non enim Filius est amabilior Patri, quia redamans Patrem, quàm propter Essentiam Diuinam, propter quá primò amatur, nec ista redamatio est alia ratio amabilitatis in Filio.

Præterea amor mutuus in nobis, non est iucundior, nisi sciatur: sicut nõ amatur bonitas, nisi cognita; sic, nec amatur redamans inquantum redamans, nisi cognoscatur eius redamatio; sed si hoc modo deberet poni in Diuinis amor mutuus iucundior, & propter hoc tali amore spirari Spiritum Sanctum, tunc Pater & Filius non tantùm inquantũ redamantes, sed inquantum amantes se, & scientes se redamari, spirarent Spiritum Sanctum; ita quòd cognitio redamationis videtur túc esse formalius & immediatius principium spirandi Spiritum Sanctum, quàm amor, & ita formaliùs, & immediatiùs erit Spiritus Sanctus productus per intellectum, quàm per voluntatem.

Præterea, cõtra Opinantem. (*Henr. quol. 5. quæ. 9.*) Quia
B tenet quòd Spiritus Sanctus posset distingui à Filio, etsi non procederet ab eo, propter eius distinctum modũ procedendi à Patre, si autem fœcunditas voluntatis ad spirãdum Spiritum Sanctum, non est nisi vt formaliter voluntas est in duobus, non posset Spiritui Sancto competere suus modus procedendi, alius à modo procedendi Filij, nisi esset à Filio; ergo videtur sibiipsi contradicere.

ARTICVLVS QVARTVS.

Declaratur principale intentum Quæstionis.

QVantùm ad istum Articulum; Concedo, quòd Pater, & Filius spirant Spiritum Sanctum voluntate inquantum omnino vna; quia ad rationem principij præcisè, vt principium, non requiritur nisi perfectio eius in se, & quòd habeatur in Persona antequam intelligatur habere terminum adæquatum; voluntas autem omnino vna est in Patre & Filio, & ante ordinem originis intelligitur
C in eis, quàm intelligatur habere terminum adæquatum; quia ambo sunt spiratiui; & ideo voluntas vt in eis, est idem principium productiuum respectu Spiritus Sancti.

Sed propter verba Ricar. intelligenda, Distinguo: quòd multipliciter potest intelligi voluntas concors. Aut concordans in aliquo actu secundo elicito, puta amando idẽ; & tunc vel Essentiam, vel amando se, & redamando, puta quòd Pater diligat æquè Filium, & è conuersò: Vel potest intelligi concors, quasi habitualiter, inquantum actus primus, natus est habere quasi actum secundũ. Duobus primis modis, non videtur quòd Pater & Filius spirent Spiritum Sanctum, voluntate concordi, vt probatum est in prima ratione per duas probationes: nec enim dilectione Essentiæ, vt probatum est in prima probatione; nec sui inuicem, vt tactum est in secũda probatione, formaliter spirant; Ergo oportet quòd intelligatur tertio modo voluntate concordi, id est, voluntate inquantum est actus primus, in quo nati sunt concordare, in actu secundo concor-
D diter producendo amorem; tali inquam voluntate spirant & magis vt vna, quàm vt concordi; quia vt intelligitur actus primus, intelligitur vna voluntas in eis, & non habere concordiam, nisi isto modo loquendo; quia istæ personæ intelliguntur posse concordari, in actu quasi secundo, concorditer spirando.

Saluando tamen aliqualiter verba Ricar. Dico. Quòd quando in aliquo eodem sunt duo principia ordinatè actiua, illud non est in potentia proxima ad agendum principio secundo, nisi præintelligatur in actu primi principii: igitur Pater non est omnino fęcundus potentia propinqua ad spirandum, quod est actus voluntatis, vt principij Quo, nisi intelligatur in actu principij prioris, quod est intellectus, & per consequens voluntas non est principium proximum, nisi vt est in duobus. Hoc sequitur. Quia per illã, productionem priorem, sine qua nõ est ista potentia propinqua, voluntas est in duobus; quia per actum primæ fæcunditatis communicatur personæ productæ secunda fæcunditas, scilicet fæcunditas voluntatis respectu spirationis Spiritus Sancti; nõn tamen est alia, aut maior fæcundi- E
tas in duobus, quàm in vno, sed eadem & in producente & in producto. Exemplum istius est aliqualiter in nobis; Anima enim non est secunda potentia propinqua ad habendum actum volendi, nisi sit in actuali intellectione, licèt actuali intellectione non formaliter producat actum amandi, sed voluntate vt est actus primus, qui præexistit in anima ante intellectionem, licèt non in potentia propinqua omnino ad agendum; si tunc anima producens intellectionem communicaret sibi fæcunditatem voluntatis, non esset voluntas in potentia propinqua ad producendũ amorem, nisi priùs esset productum verbum, & ita communicata sibi voluntate fæcunda: & ita nũquam esset voluntas proximè fæcunda, nisi in duobus: non tamen ita, quòd illa fęcũditas requirat de ratione sua esse in duobus, quasi ipsa non posset esse in vno, imò ipsa eadem iam existeret in ipsa mente, sed propter ordinem fęcunditatum in producẽdo, necessariò oportet secundam fæcunditatem quando est in potentia proxima, esse in duobus. Potest igitur concedi, quòd Pater & Filius, voluntate vna, quæ est F
in eis, spirant, quæ est perfectè fęcunda in duobus suppositis existens: quia priùs intelligitur communicari genito, & ita esse in duobus, quàm quod Spiritus Sanctus ea producatur.

Sed quomodo dilectione mutua spiratur Spiritus Sanctus? Respondeo. Dilectione id est voluntate, qua Pater & Filius, vt actu primo nati sunt se mutuò diligere. Hac inquam voluntate, vt existente in eis, vt est nata talis esse, qua diligunt se mutuò, spiratur Spiritus Sanctus, non autem aliquo actu secundo, quasi dilectionis actualis impẽsæ & repensæ.

Si istud non sufficiat ad intentionem Ricar. exponat eum qui poterit: quia non videtur quòd eius determinatio benè possit stare, cum dictis Aug. qui attribuit Patri & Filio perfectam rationem vnius principij, respectu Spiritus Sancti, sicut Trinitati respectu creaturæ, si contradicat prædictis.

Qualiter autem Aug. dicat. quòd Pater & Filius diligunt se Spiritu Sancto, quasi sit mutua dilectio Patris & G
Filij, sicut videtur loqui de Trin. lib. 6. c. 5. exponetur dist. 32. vbi Magister tractat de illa quæstione. Vtrum Pater & Filius diligunt se Spiritu Sancto.

ARTICVLVS QVINTVS.

Explicatur modus loquendi, quòd Pater & Filius sunt duo spirantes, sed vnus spirator.

IVxta Quæstionem istam, est vna Difficultas, quasi Grãmaticalis. Vtrum Pater & Filius possent dici vnus spirator, vel duo spiratores?

Vbi multipliciter dicitur; sed quia vis est de significato nominis, non multùm immoror.

Videtur enim quòd nullum tale nomen verbale significet principium agendi, nisi vt illud natum est denominare suppositum actiuum: sicut enim lectio significat quidditatiuè actum per modum habitus, & quietis, ita lector significat principium huius actus per modum habitus & H
quietis, vt est denominatiuum suppositi actiui. Spirator igitur significat vim spirandi, vt concernit suppositum: & quia vna est vis in Patre & Filio, & terminus numeralis appositus alicui determinabili, ponit suum significatũ circa illud; ideo non videtur concedendum de vi sermonis, quòd sint duo spiratores; quia tunc vis spiratiua videretur numerari in eis.

Et si obijciatur. Sunt duo spirantes; ergo duo spiratores. Consequentia probatur. Quia sicut singulare infert singulare, sic plurale infert plurale. Respondeo. Quòd consequentia non valet. Quia participium significat actũ, vt in fieri: consignificat enim tempus, sicut verbum: & ita sicut conceditur Pater & Filius creant; ita conceditur quòd sint duo creantes: non autem conceditur, quòd sint duo creatores, sed vnus creator: quia nomen verbale, non significat actum per modum actus, & in fieri; sed per modum habitus, & quietis.

A Sed quæ eſt ratio. Quare terminus numeralis conceditur poſſe apponi terminis adiectiuis, & non ſubſtantiuis? Ponitur iſta ratio; (*a D. Tho. 1. par. ſum. qu. 36. art. vlt. in ſolut. vlt. argum.*) Quia Adiectiua adiacent ſuppoſitis, & ſignificant formam in adiacentia ad ſuppoſita; & ideo poſſunt numerari ad numeratione ſuppoſitorum: ſed ſubſtātiua non ſignificant formam in adiacentia ad ſuppoſita, ſed ſignificant aliquo modo abſoluto, vel abſtracto à ſuppoſitis; & ideo non poſſunt ſic numerari, quia ſic ſignificaretur ibi numeratio formæ; & ideo non conceditur, duo Dij, ſicut conceditur, duo habentes Deitatem.

Sed iſta ratio non videtur ſufficere. Quia terminus numeralis ponit ſignificatum ſuum circa ſignificatum determinabilis; ſignificatum autem ſubſtantiui & adiectiui, idem eſt: non differunt autem, niſi in modo ſignificandi; ideo videtur quòd terminus numeralis primò ponat ſignificatum ſuum circa idem; & ideo ſi ſignificetur numeratio formæ determinabilis ex vna parte, etiam ex alia; nec propter illam adiacentiam ad ſuppoſitum, quæ conuenit B vni, & non alij, non ratione ſignificati, ſed ratione modi ſignificandi, poterit eſſe veritas in vna, & falſitas in alia.

Aſſigno aliam rationem talem. Omne dependens, dependet ad aliquid, omnino & ſimpliciter independens; nunquam enim dependentia alicuius ſufficienter terminatur, niſi ad aliquid omnino independens; & ideo quando duo æquè dependēt, neutrum eſt natum terminare alterum, ſed vtrumque dependet ad tertium independens; adiectiuum eſt dependens ad ſubſtantiuum, quando igitur adiectiuum additur ſubſtantiuo, ſaltem inuenit independens, ad quod terminatur eius dependentia: quando autem duo adiectiua adduntur ſibi mutuò, neutrum ad alterum dependet; quia neutrum terminatur ad alterum, ſicut neutrum terminat dependentiam alterius, ſed dependet ad aliquod tertium, quod terminat ſufficienter dependentiam eorum amborum: igitur quando terminus numeralis additur ſubſtantiuo, ſicut ſi dicatur, duo ſpiratores, ſtatim terminus numeralis adiectiuus, habet ſubſtan- C tiuum terminans; & quia adiectiuum determinat illud, quod eius dependentiam terminat, ideo denotatur ſignificatum ſui ſubſtantiui numerari: quando autem additur adiectiuo, vt cùm dicitur, duo ſpirantes, vtrumque eſt dependens, & ideo neutrum determinat alterum, ſicut neutrum determinat dependentiam alterius, ſed ambo dependēt ad tertium, quod terminat eorum dependentiā, & determinatur per ipſa.

Et hoc in propoſito eſt, Aliqui, vel Perſonæ, quaſi dicat, tres aliqui, vel tres Perſonæ creantes: quia licèt vſitatè adiectiuum maſculinum non ſit ſubſtantiuum, ſed tantùm neutrum ſit ſubſtantiuum, tamen in Diuinis, quādo adiectiuum maſculinum ponitur per ſe, tunc intelligitur ibi eſſe ſubſtantiuum, vt quis, vel Perſona; vt cùm dicitur, Pater & Filius non ſunt vnus, ſicut dicunt auctoritates, licèt ſit vnus Deus: quia vnus abſolutè poſitus ſignificat adiectiuè, & intelligitur habere ſuum ſubſtantiuum ſ. quis: vnde ſignificatur, quòd Pater & Filius, ſint vnus quis, vel vnus aliquis, vel vna perſona: quod eſt falſū.

D Tunc ad illam conſequentiam. Sunt duo ſpirantes; ergo duo ſpiratores. Nego eam.

Et cùm probas. Quia ſicut ſingulare infert ſingulare, ita plurale plurale. Dico: quòd non oportet, quòd ſi ad aliquod antecedens ſequatur aliquod conſequens, quòd ad diſtinctionem antecedentis ſequatur diſtinctio conſequētis; niſi quando conſequens illud diſtinguitur in antecedentibus, ſicut genus diſtinguitur in ſpeciebus. In propoſito autem ſuppoſita ſpirantia diſtinguuntur, & ad ſuppoſitum ſpirans ſequitur ſpirator; ſed illud conſequens non diſtinguitur, nec numeratur numerato antecedēte. Et ideo arguendo, ſpirans; ergo ſpirator: Duo ſpirantes; ergo duo ſpiratores. Eſt fallacia conſequentis, arguendo à diſtinctione antecedentis, ad diſtinctionem conſequentis.

Et ſi aliquando inuenitur à Doctoribus, quòd Pater, & Filius ſunt duo ſpiratores; debent exponi eorum auctoritates, & ſanè intelligi. Multæ enim auctoritates Sanctorum, quæ non ſunt veræ de virtute ſermonis, exponendæ ſunt ſecundùm Magiſtrum diſt. 12.

E

Argumenta in principio Quæſtionis adducta ſoluuntur.

AD Argumenta reſpondetur.

Ad Primum. Cùm arguitur de nexu. Dico: quòd Pater & Filius nectuntur in Spiritu Sancto, ſicut in communi producto, & quæ ſic nectuntur in communi producto, licèt ſint diſtincta, alioquin non connecterentur, tamen non habent commune productum inquantum diſtincta, ſed inquantum vnum: vnde productum vnum eſt ab eis, inquantum ſunt vnum producens. Et ita auctoritas illa eſt in oppoſitum.

Ad Secundum. Dico, quòd actio eſt ſingularis per ſe exiſtentis; non oportet autem eſſe alicuius ſingularis incommunicabilis per ſe exiſtentis; ſicut dictum eſt diſt. 4. ſicut hæc eſt vera, Deus creat, vel Deus eſt Pater, Filius, & Spiritus Sanctus; ita ponitur hìc, quòd eſt aliquis ſpirator ſingularis, cui primò conuenit, id eſt adæquatè, ſpirare, qui intelligitur aliquomodo in Patre & Filio, quibus con- F uenit actus ſpirandi; quia vterque eſt hic ſpirator. Et tunc diceretur, quòd illius per ſe exiſtentis, quod eſt quaſi commune quoddam in re, ad Patrem & Filium, eſt vna actio, licèt illud non ſit vnum ſuppoſitum, id eſt incommunicabile; ſicut nec Trinitas eſt vnum ſuppoſitum, vna tamen creatione creat.

Iſtud non videtur hìc probabile, ſicut ibi, Deus creat; quia non videtur hìc aliquid per ſe exiſtens, communis Patri, & Filio, & non Spiritui Sancto; quia tunc illud ſingulare per ſe exiſtens, licèt non incommunicabiliter, realiter tamē referretur ad Spiritum Sanctum, & eſſet aliquid realiter relatum ad intra, priùs aliquomodo quàm intelligeretur eſſe perſona: ita quòd non omnis relatio realis ad intra eſſet Perſonæ: quod non videtur probabile.

Aliter dici poteſt. Quòd actio non denominat vltima denominatione, niſi ſuppoſitum, vel habens modum ſuppoſiti. Dico, modum ſuppoſiti, pro anima ſeparata, & pro accidentibus ſeparatis per miraculum, quæ denominantur ab actione vltima denominatione, quia per ſe exiſtūt, G licèt non incommunicabiliter, quia nata ſunt communicare ſe ſuppoſitis; dum tamen nihil communicant illis, nihil denominatur ab actione eorum, niſi ipſa vltima denominatione. Sed omnis forma exiſtens in alio, vt forma, ſicut dat eſſe illi, ita dat illi aliquomodo denominari à ſua actione; & licèt forma in ſuppoſito denominetur ab actione ſua, non tamen vltima denominatione, ſed vlteriùs denominatur ſuppoſitum ab eadem actione: ſi tamen aliqua per ſe exiſtens, nata eſſet habere aliquam actionem propriam, ſi ipſa daret idem eſſe pluribus, ex quo ſuppoſita non denominantur actione formæ, niſi quia habent eſſe per formam, denominarentur ab eadem actione, ſicut haberent idem eſſe illius formæ actiuæ. Exemplum. Si vna albedo eſſet in duabus ſuperficiebus, vna immutatione immutarent; igitur cùm voluntas fæcunda ſit vnum principium ſpirandi, quicquid denominatur ab iſta actione, per hoc, quòd habet eſſe iſta forma, denominatur eadem actione.

Quando igitur dicitur. Actio eſt ſuppoſiti; ergo plu- H rium ſuppoſitorum, plures actiones. Nego conſequentiam: niſi quando pluríficatur in eis illud, quod eſt ratio agendi, per quod iſta dicuntur denominatiuè agere.

Et ſi obijcias. Ab vna anima hominis, ſunt multæ operationes diſtinctæ, vt intelligere, & velle; & etiam multæ operationes ſenſitiuarum partium, vt videre, audire, & alia multa; & ſi partes illæ eſſent ſuppoſita, eſſent eorum agentium plures actiones. Dico. Quòd non ſemper ſi vnica res eſt, eius vnica ratio agēdi, imò vnica res poteſt eſt includere in ſe plures rationes agendi; ſicut dicetur de anima reſpectu ſuarum potentiarum, ſi de hoc fiat quæſtio: dictum autem eſt in prima reſponſione iam habita, de vna ratione ſimpliciter agendi, qualiter vna ratio eſt in Patre & Filio ad producendum Spiritum Sanctum.

Ad Tertium. Dico. quòd Pater & Filius ſpirant Spiritum Sanctum, inquantum ſunt omnino vnum, & non inquantum ſunt vnum in Eſſentia, nec inquantum vnum in Perſona, ſed inquantum ſunt vnum in vi ſpiratiua.

A Et cùm infertur. Ergo Pater esset duo principia productiua propter duplicẽ fæcunditatem in eo. Nego cõseq̃uẽtiã. Quia ad hoc quòd dicantur plura producentia, requiritur numeratio suppositorũ: non enim dicitur aliquis plures scientes, licèt habeat plures scientias, sed oporteret esse plura supposita, ad hoc quòd sequeretur: & de hoc aliàs, in 3. lib. vbi quæritur, Vtrũ si plures naturæ assumerentur à Verbo, esset vnus, vel plures homines. dest. 1. q. 3.

QVÆSTIO SECVNDA.

Vtrum Pater & Filius vniformiter spirent Spiritum Sanctum?

QVòd non. Aug. 5. de Trin. cap. 12. *Spiritus Sanctus principaliter procedit à Patre,* non igitur principaliter à Filio; ergo non vniformiter omnino.

Item. Hieron. Epistola 88. *Spiritus Sanctus propriè à Patre per Filium*: ergo non procedit propriè à Filio.

B Item. Hilarius de Trinit. 22. *Spiritum Sanctum qui à te per Vnigenitum est, promerear*, igitur est à Patre per Filium; ergo non vniformiter ab vtroque.

Item. Ricar. 6. de Trin. *Spiritus Sanctus procedit à Patre, & mediatè, & immediatè, à Filio autem immediatè tantum*; ergo &c.

Item. Omnis causa prima, plus agit, quàm secunda, ex prima propositione de causis. Et patet ex dicto Philosophi 1. poster. t. 4. & 2. Met. t. 5. *Necessariorum principia esse verissima semper oportet, quia sunt alijs causa veritatis*: ergo omne prius producẽs, plùs producit, quàm secundum producens; sed Pater videtur priùs producere, cùm det Filio producere, ergo &c.

Contra. Vno principio inquantum omnino vnum in eis. Spirant Spiritum Sanctum, ex quæ præcedente, ergo omnino vniformiter.

Respondeo, Actus potest considerari tripliciter; Vel in se: vel inquantum est termini: vel inquantum comparatur ad supposita agentia. Primis duobus modis, est omnino vniformitas, vel potiùs vnitas; quia verissimè vna
C actio, & vnus terminus productus. Tertio modo loquendo, sicut ipsa vis spiratiua communicatur Filio à Patre, ita etiam, quòd Filius spiret, hoc habet à Patre, & ita Pater spirat à se, Filius autem non à se.

Contra. Igitur Pater priùs spirat Spiritum Sanctum, quàm Filius spiret Spiritum Sanctum: quia in illo primo signo originis, in quo Pater habet à se esse, habet spirare à se, & tunc Filius non spiraret; quia si Spiritus Sanctus præintelligitur habere priùs esse à Patre, quàm à Filio, tunc Filius produceret Spiritum Sanctum iam præexistentem. Confirmatur. Quia quodcunque principium productiuũ in supposito priori intelligitur habere terminum adæquatum, non potest esse principium producendi in posteriori supposito; sic est in proposito: ergo &c.

Respondeo. De istis ordinibus, siue originis, siue naturæ, & de multis ordinibus prioritatis, & posterioritatis, aliàs dicetur.

D Sed quantum ad propositum. Dicendum. Quòd non est consimilis ordo inter Patrem generantem & spirantem, sicut est inter Patrem spirantem & Filium spirantẽ: Vnde non est intelligendum, quòd Pater spirat antequã Filius spiret, sicut priùs origine Pater generat, quàm spiret, propter ordinem principiorum in producendo, quia tunc Filius non spiraret, vt argumentum deducit, quemadmodum Spiritus Sanctus non potest generare Filium iam præintellectum generari. Sed est iste ordo, quòd in Patre est primò vtraque fæcunditas à se: secundò est in Patre actus primæ fæcunditatis, & tunc in Filio est secunda fæcunditas: tertiò est actus secundæ fecunditatis simul à Patre & Filio habentibus tunc simul illam fæcunditatẽ, E adhuc tamen cum aliquo ordine; quia ille actus est Patris à se, Filij autem non est à se, sed à Patre; sicut nec in secundo signo est illa fecunditas Filij à se, sed Patris est à se. Non est ergo ordo originis inter spirationem Patris & Filij, quasi spiret Pater in aliquo signo originis in quo non spiret Filius, sed in eodem signo originis simul spirant; est tamen ibi ordo spirantium in spirando; quia Pater in illo tertio signo originis spirat à se, Filius autem non à se.

Ad Confirmationem. Dico, quòd Maior non est vera, si illud principium non habeat priùs terminum adæquatum, antequam aliud suppositum producatur, cui communicatur illud principium secundùm totam eius fæcunditatem. Et sic est in proposito de vi spiratiua, quam Pater communicat Filio; antequam habeat terminum adæquatum, scilicet Spiritum Sanctum.

Per idem patet ad omnes auctoritates adductas. Quia propter hoc dicit Aug. Patrem principaliter spirare. Exponit enim se. Ideo principaliter dixi, quia quod Filius spirat, F hoc habet à Patre.

Dicit tamen quidam Doctor(*Alex. de Ale. hic q. 2. & S. Bonau. q. 2 in fine.*) Quòd Pater spirat principaliter, & principaliùs, Filius autem tantùm principaliter spirat, quia respectu Spiritus Sancti habet Filius auctoritatem, licèt Pater habeat auctoritatem respectu Filij, & respectu Spiritus Sancti, inquantum spirat. Alius autem Doctor (Varro hic.) contradicit sibi. Quòd non est ibi aliqua comparatio propriè dicta, in aliqua forma vna, sed tantùm est ibi comparatio in voce; sicut Michael dicitur Sanctior dæmone: vbi est tantùm comparatio secundùm vocem, & non secundùm aliquam formam communem in vtroque extremo; sed illa forma est tantùm in vno extremo, & non in altero: ita principalitas est in Patre, vt idem sit Patrem principaliùs spirare, & principaliter spirare.

Ad aliud de Hieron. Dico, quòd proprietarius tantùm dicitur ille, qui in habendo rem, nullo modo dependet ab alio; vsurarius autem, qui in vtendo re dependet ab alio, G non est propriè proprietarius. Pater igitur qui vim spiratiuam habet à se, rectè dicitur propriè spirare. Filius non sic propriè, scilicet à se spirat, licèt propriè, id est, impropriè vel imperfectè spiret.

Per idem patet ad Hilar. Quando dicit, quòd *Spiritus Sanctus est à Patre per Filium.* Distinguitur tamen, quòd aliquid determinatum per præpositionem hanc, per, cum suo casuali comparatur ad verbum transitiuum, vel intrãsitiuum: si ad transitiuum, tunc notatur in casuali huius præpositionis subauctoritas, vt Pater creat per Filium; sed si ad absolutum, vel intransitiuum, tunc notatur in casuali huius præpositionis auctoritas; & hoc vel efficientiæ, sicut homo viuit per Deum; vel causæ formalis, vt homo sapit per sapientiam.

Et per idem patet ad Ricar. Pater enim eadem fæcunditate immediatè spirat Spiritum Sanctum, sed inquantum dat Filio illam virtutem spirandi, qua Filius spirat, potest dici mediatè spirare. Nec est hic difformitas aliqua perfectionis & imperfectionis, siue aliquid, quod ponat diuersitatem in actu, sed tantùm alius modus haben- H di eandem virtutem; quia Pater à se, Filius non à se, sed à Patre.

Ad Vltimum. Dico, quòd illa propositio est vera, de causa & causato, propter hoc, quòd in causis ordinatis, est alia virtus causandi, & principalior in priore; non autem in principio, quod non est causa; quia ibi non est alia virtus principiandi. Ita est in proposito: & ideo non plùs principiat primum principians, quàm secũdum, sicut nec causa superior plus causaret, quàm causa secunda, si eadẽ virtute causatiua causaret cum causa secunda.

A DISTINCTIO XIII. E

QVAESTIO VNICA.

Vtrum productio Spiritus Sancti sit generatio, vel distinguatur ab ea?

Circa istam 13. Dist. in qua Magister agit de processione Spiritus Sancti prout distinguitur contra generationem Filij. Quæro.

Vtrum Spiritus Sanctus sit genitus? Siue. Vtrum productio Spiritus Sancti sit generatio, vel distinguatur ab ea?

Qvòd sit generatio. Probo. Quia generatio in creaturis per hoc distinguitur ab alijs mutationibus, quòd est ad substantiam, vel per hoc, quòd B ea producitur aliquid in esse substantiæ; spiratione autem producitur Spiritus Sanctus in esse Diuino, sicut generatione producitur Filius; ergo productio Spiritus Sancti est generatio.

Confirmatur ratio. Quia mutationes & motus distinguuntur per terminos formales eorum, secundùm Philosophum 5. Phys. tex. 45. & 48. Sed formalis terminus spirationis Spiritus Sancti, est idem cum formali termino generationis; quia Essentia communicatur vtrobique; ergo spiratio est generatio.

Præterea. Quæcunque vni & eidem sunt eadem, inter se sunt eadem: igitur quæ eidē sunt vniuoca, inter se sunt vniuoca; generatio & spiratio sunt vniuocæ productiones, comparando ad idem tertium, vt ad Patrem; quia sicut dictum est supra, dist. 7. vtraque productio est vniuoca in se: igitur istæ duæ erunt vniuocæ productiones inter se, & ita vnius rationis.

C Præterea. Differentia realis non dependet à differentia rationis; quia est perfectior; sed differentia principiorum istarum productionum, sunt natura & voluntas: quæ differunt tantùm secundùm rationem, quia differentia realis absolutorum non videtur posse stare cum simplicitate Diuina; ergo distinctio istarum productionum, quæ præexigit istam, tantùm erit rationis. Probatur etiam Minor aliter, dupliciter. Primò. Quia aliàs inter intelligere, & intellectum in Deo, erit relatio realis; & ita distinctio realis. Consequentia probatur. Quia vbicunque intellectus ex natura rei distinguitur ab intelligere, intellectus recipit intelligere, vel est ratio recipiendi ipsum; & ita ibi erit relatio realis recipientis ad receptum. Et confirmatur. Quia si intellectus in Deo, non sit ratio recipiendi intelligere, non magis propriè dicetur Deus intelligere intellectu, quàm voluntate. Ita etiam potest argui de relatione prioris. Quia principium est priùs illo cuius est principiū. Secundò probatur Minor. Quia absolutè intellectus est principium Quo respectu intellectionis, & in eliciendo, & D recipiendo: igitur eodem addito vtrobique, intellectus infinitus erit sic principium, respectu intelligere infiniti; & ita erit ibi relatio realis.

Contra. August. 5. de Trinit. capit. 14. vel 32. *Spiritus Sanctus procedit à Patre, & Filio, non quomodo natus, sed quomodo datus.*

ARTICVLVS PRIMVS.

Tres Opiniones adferuntur, & reijciuntur.

Hic sunt multæ viæ ponendi, & multi modi, quibus distinguuntur istæ productiones. Vno modo ponitur (*Per Egid. Rom. hic art. 2. & Varro. in præf. d.*) Istas productiones distingui per terminos, qui sunt Personę productę. Et cōfirmatur ista positio per illud Philosophi 5. Phys. t. 4. & 48. Vbi dicit, quòd motus distinguuntur per terminos, vt videtur, quia alius terminus est alterius motus: & licet istæ productiones non sunt motus nec mutationes, sunt tamen quasi viæ quædam ad Personas: igitur per istas distinguuntur.

Contra. Emanationes non habent esse per terminos: igitur nec distinctionem. Antecedens patet. Quia habent ex se esse formaliter. Consequentiam probo. Quia ab eodem habetur esse. & distinctio. F

Item. Illud de 5. Phys. t. 4. & 48. est ad oppositum. Non enim motus distinguuntur penes terminos, nisi quia formæ fluentes sunt eiusdem rationis cum formis terminantibus, sed hic non est fluxus eiusdem rationis cum termino, nec etiam via quasi fluxus, est eiusdem rationis cum terminis formalibus, quia terminus formalis est Essentia, illa autem productio quæ est quasi via, est relatio.

Alio modo ponitur (*à D. Tho. 1. par. sum. q. 36. art. 2. in solut. vlt. arg. & q. 27. art. 4.*) Istas productiones distingui per hoc; quòd vna productio est ab vna Persona, alia à duabus Personis.

Contra hoc. Quia si idem sit principium formale producendi aliquid, propter esse eius in hoc supposito, vel in illo, non erit principium alterius rationis; quia albedo in lapide, & in equo, est principium immutationis visus eiusdem rationis: ita etiam, si eadem albedo esset in duobus, vt in vno, esset principium immutationis vnius rationis; istæ autem productiones ita distinguuntur, quòd nō sunt eiusdem rationis; ergo oportet istius distinctionis assignare aliam rationem, quàm vnitatem vel dualitatem suppositorum agentium. G

Item. Secundùm istam viam, possunt poni infinitę Personę in Diuinis. Posset enim poni quarta Persona à tribus, & quinta à quatuor Personis. Nec esset aliqua ratio Trinitatis, in Personis Diuinis, si tantùm esset distinctio per vnitatem suppositi agentis, & pluralitatem, & non esset distinctio per rationes producendi.

Item. Omnis distinctio reducitur ad aliqua primò diuersa, quæ essent distincta, si per impossibile essent ab omnibus alijs separata; ergo illa distinctio est per aliqua talia, quę essent distincta, omnibus alijs per impossibile prętermissis, quæ etiam seipsis sunt primò diuersa: talia non sunt vnitas vel pluralitas suppositorum agentium, si non sit aliqua alia distinctio in principijs agendi; ergo, &c. Circumscripto enim omni alio ab vnitate, vel dualitate suppositorum, non videtur quòd ista vnitas vel pluralitas, sit prima ratio distinguendi productiones. H

Aliter ponitur (*per Gotfr. quol. 3. q. 3. & quol. 7. q. 4.*) Istas productiones distingui. Quia vna est cum alia, & cum opposito eius: ita quòd ratio distinctionis relationum disparatarum, est distinctio oppositarum relationum; quatenus scilicet vna relatio disparata, secum compatitur duas alias relationes oppositas; sicut vis spiratiua stat cum generatione actiua & passiua; & ideo distinguitur ab vtraque illarum.

Contra istud potest sic argui, sicut contra Opinionem præcedentem. Non enim assignat ista positio, quare non possunt esse infinitæ Personæ. Quia semper posterior relatio, posset stare cum oppositis relationibus prioribus.

Præterea. Non esset primò diuersitas, inter hanc productionem & illam, nisi per hoc, quòd ista productio esset cum vna, & sua opposita, & alia non stat cū sua opposita: & ita ista non esset prima ratio distinctionis, quia prima ratio distinctionis est aliqua ratio primò distinctorum.

Contra istam viam, & aliam præcedētem, simul arguo, sic.

A sic. Quæro. Quare spiratio actiua, potest stare cum generatione actiua; & cum generatione passiua, & generatio actiua non potest stare cum generatione passiua? Nulla est ratio, nisi propter distinctionem spirationis actiuæ à generatione actiua; ideo enim aliquid est compossibile, vel incompossibile alicui, quia ipsum est tale in se, & non è conuerso: quia veritas negatiuæ, firmatur, & fundatur super veritatem affirmatiuæ; ideo .n. homo non est asinus quia homo est homo. 1. Periher. in fi. & 4. Metaph. t.16. Priùs igitur est aliqua distinctio generationis actiuæ, & spirationis actiuæ, propter quam est incompossibilis generationi passiuæ generatio actiua, & non spiratio actiua, quàm sit ista compossibilitas vel incompossibilitas: ergo ista compossibilitas, & non compossibilitas, non est prima ratio distinctionis productionum.

Præterea. Istæ productiones distinguuntur, quia altera est per modum naturæ; altera per modum voluntatis, hæc autem distinctio productionum, non tantum est à suppositis producentibus, nec quia vna stat cum aliqua, & altera non stat cum illa; sed sumitur ex distinctione principiorum productiuorum, quæ habent oppositos modos principiandi; ergo &c. B

Respondet sic Opinans. Quòd productio ibi est vna per modum naturæ, & altera per modum voluntatis: non quia vna Persona producatur naturaliter, & alia non; sed quia productio vna est similis productioni naturali, & alia est similis productioni voluntariæ. Naturale enim agens, producit non præsupponens aliam productionem, & hoc in communi loquendo: licèt per accidēs vnum naturale agens, præsupponat aliquod producens prius ipso: Ita enim productio Filij est per modum naturæ; quia non præsupponit aliam productionem, productio voluntatis præsupponit aliam productionem, illam videlicet, quæ est per modum naturæ, & intellectus: & ita productio Spiritus Sancti est per modum voluntatis; quia Spiritus Sanctus producitur simili modo illi productioni, quæ propriè dicitur esse productio voluntatis, scilicet præsupponendo aliam productionem.

C Ista expositio, non videtur secundùm intentionem Sanctorum, attribuentium istas productiones propriè intellectui, & voluntati. Quia si tantùm debeant intelligi distingui per hoc, quòd vna præsupponat aliam productionem, & alia productio nullam præsupponit: non videtur ratio ex productionibus, Quare Filius sit magis Filius, vel Verbum, ex vi productionis suæ, quàm Spiritus Sanctus? Nec quòd Spiritus Sanctus, ex vi productionis suæ, magis sit amor, quàm Filius? quod videtur absurdum.

Item multæ aliæ productiones possunt esse vel præsupponentes, vel non præsupponentes aliquam productionē: sicut productio per modum artis, videtur aliam productionem præsupponere, scilicet productionem verbi interioris in mente artificis; ergo Spiritus Sanctus posset dici produci per modum artis: quod est falsum.

Et præter hæc, sicut est argutum dist. 2. & 10. Ex quo in Deo propriè est intellectus & voluntas, & vtrumque est sufficiens productiuum cum obiecto sibi præsente, verè
D producetur Persona per actum intellectus, vt principij productiui, & alia Persona per actum voluntatis, vt principij productiui, & non tantùm Metaphoricè, propter talem similitudinem extraneam, scilicet, produci alia præsupposita, vel non præsupposita.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Aliæ tres Opiniones aliorum reffelluntur.

Aliter dicitur. (*à D. Tho. 1. par. sum. qu. 27. art. 4. in solut. 1. argum.*) Quòd istæ emanationes distinguuntur per relationes oppositas, scilicet, prioris & posterioris, quia vna est prior alia.

Contra. Ista distinctio non est prima: oportet enim dare aliquam aliam causam, quare vna est naturaliter prior alia: nec est alia ratio; nisi vel quia ista est productio talis, & illa talis; vel ex parte principiorum productiuorum; vel ex parte suppositorum agentium.

Præterea. Relatio non distinguitur primò, & per se à E
relatione, per relationem; quia relatio non refertur primò ergo cùm istæ emanationes sint relationes, nō distinguūtur primò ab inuicem, per alias relationes, scilicet, per relationes prioris, & posterioris. Et patet, quòd istæ relationes sunt aliæ à relationibus originis; quia sunt inter alia extrema: nam relatio originis, est inter producens & productum, relatio prioris & posterioris, est inter originem, & originem.

Aliter dicitur. (*ab Henr. in sum. art. 37. qu. 7.*) Quòd emanationes distinguuntur penes principia formalia elicitiua, quæ ponuntur esse relationes Personarum agentium; puta, vis generatiua, & spiratiua.

Sed istud est improbatum dist. 7. siue intelligatur de principio elicitiuo, siue de principio determinatiuo.

Et præter hoc. Quomodo distinguuntur illæ relationes, vt per eas distinguerentur relationes oppositæ? Ille.n. videtur minùs distinctæ, quàm oppositæ: quia illæ possunt concurrere in eadem Persona, puta in Patre, istæ non possunt: quia nulla eadem Persona duobus modis producitur: F Manifestius est igitur istas emanationes distingui, quàm relationes oppositas, ex parte productiui; igitur assignare istarum distinctionem per illas, est assignare distinctionem manifestam per distinctionem minùs manifestam, & etiam non per intrinseca; quia relatiua non sunt intrinseca suis correlatiuis.

Aliter ponitur: (*ab eod. Henr. quol. 5. quæst. 1.*) Quòd distinguuntur penes principia distincta secundùm ratione, puta, penes naturam & voluntatem, quæ habent principiare distinctas emanationes; & tamen ipsa in Essentia nō distinguuntur, nisi sola ratione; sicut probatur in quæstione de attributis, dist. 8.

Contra istud. Distinctio realis non præexigit necessariò distinctionem rationis; sed distinctio istarum emanationum necessariò præexigit distinctionem principiorum elicitiuorum: igitur illa si est realis, non est tantùm per illam, quæ est rationis tantùm.

Maior istius rationis ab aliquibus negatur. Et ponitur G
instantia de ideis, quæ differunt tantùm ratione, & creaturæ realiter differunt; & tamen distinctio creaturarum realis, necessariò præsupponit distinctionem idearum rationis.

Contra istud arguitur. Et Primò probatur Maior. Secundò excludetur ista instantia.

Maior probatur, secundùm istum intellectum, quòd differentia rationis in causa, non est propria ratio distinctionis realis in effectu. Quia si sic sit à causa, & diuersæ rationes sub quibus causat, sint B.C. causata sint D. E. tūc sic. Si B, C. sunt rationes propriæ ipsius A. inquātum causat D. Ergo A. inquantum est sub B. est propria causa ipsius D. Nam si non; non est magis illa differentia ratio causandi distincta, quàm si ipsa differentia nō inesset; quia neutra ratio est propria approprians causam ad hunc effectum. Qui igitur concedit, quòd A. inquantum est sub B. & C. causat D. & E. habet cōcedere, quòd vtraque ratio sit propria ratio causæ respectu sui effectus. Sed illud consequens est falsum, quòd A. inquantum est sub B. est causa H
ipsius D. quia A. inquantū est sub B. quod est tantùm ens rationis, tantùm habet esse in intellectu; quia ens rationis non causatur ab obiecto, nisi inquantū cognitū, & vt sic non habet esse, nisi in intellectu, quod est esse diminutum, ex 6. Meta. t.8. Nihil autem secundùm quod ens diminutum est, est propria ratio entis veri, & propria causa entis perfecti. Et istud probatur. Quia omne causans verū ens, oportet quòd habeat aliquod esse existentiæ inquantum est causa; ens autem diminutum, quod s. est ens cognitum, non habet esse realis existentiæ; ergo nec inquantum tale, potest esse causa propria alicuius realis entis.

Et si dicas. Quòd licèt nō habeat esse existentiæ sui, tamen habet esse existentiæ intellectus, in quo est; quia esse intellectus participat, inquātū habet esse in ipso intellectu.

Contra. Ex hoc sequitur, quòd nulla causatio competit enti cognito, inquantum tale, nisi virtute existentiæ actualis ipsius intellectus, in quo habet esse existentiæ actualis secundùm quid. Et tunc vltra. Voluntas non erit princi-

A principium ſpirandi, niſi inquantum participat rationem intellectus; & tunc intellectus Diuinus, erit magis ratio ſpirandi, quàm voluntas: & ita ſequitur vltra, quòd intellectus reſpectu generationis Verbi, erit duplex principium, ſcilicet immediatum, inquantum eſt principium productiuum, & mediatum, inquantum ipſum eſt principium operatiuum, per cuius operationem obiectum habet eſſe inquantum productiuum; ſicut cognitum inquantum cognitum, habet eſſe participatũ ipſius cognoſcẽtis. Quodſi non attribuas talem actionem realem ipſi intellectui exiſtenti, ſed obiecto habenti eſſet diminutum in intellectu, ſequitur quòd actio realis erit ipſius, quod nihilominùs eſt tale, ſi illud non eſſet omnino: nam non repugnat alicui quòd ſit ens cognitum, licèt nullum verum eſſe reale habeat.

Si dicatur hìc. Quòd intellectus Diuinus, nihil cognoſcat niſi intuitiuè: & ita illud quod habet eſſe cognitum in hoc intellectu, inquantum tale, habet verè eſſe exiſtentię; non autem illud quod habet eſſe cognitum, intellectione B & cognitione abſtractiua; qualis eſt intellectio mea de roſa non exiſtente modò, quæ non eſt intuitiua.

Contra. Illa ratio quæ ponitur propria principio, ſcilicet Deo, inquantum principiat, ponitur cauſari per actum intellectus in obiecto, cognito; intellectus autem Diuinus nihil cauſat in Eſſentia Diuina, vt exiſtens eſt, ſicut concedunt illi de opinione oppoſita: quia nulla eſt ibi differentia rationum in eſſentia vt eſt exiſtens, ſed tantùm vt cognita eſt. Et per ſe patet. Quia quicquid eſt in eſſentia vt exiſtens eſt, eſſet in ea ſi per impoſſibile non eſſet intellectus negotians circa ipſam.

Præterea Secundò. Eſſentia Diuina vt in Filio & Spiritu Sancto, habet naturaliter proprietatem aliquam, ad intellectionem ſimplicem iſtius Eſſentiæ. Sicut enim ipſa (vt eſt in Patre) nata eſt mouere intellectum Patris ad ſimplicem ſui intellectionem; ita etiam (vt in Filio) nata eſt mouere quemcunque intellectum ad ſui intellectionem ſimplicem, quia ſecundùm Auguſt. 15. de Trin. *Omnia videt Pater in Filio, ſicut in ſemetipſo*; ſed ſi Eſſentia (vt C in Filio) talem habet prioritatem circa talem intellectionem ſimplicem ſui; igitur ipſa (vt in Filio) naturaliter præcedit omnem rationem, quam poteſt intellectus negotians fabricare circa ipſam; igitur nulla ratio fabricabilis circa eam, naturaliter præcedit eam (vt in Filio) alioquin eſſet circulus in prioritate naturali; quia & ratio cauſata per intellectum naturaliter præcederet eſſe eius in Filio, & è conuerſò.

Si autem dicas. Quòd Eſſentia in Patre præcedit naturaliter omnem rationem producibilem circa ipſam: ſed vt in Filio, ſequitur rationem iam productam per actum intellectus Paterni; & tunc nõ eſt circulus eiuſdem ad idem, ſecundùm eadem extrema, ſiue ſecundùm exiſtentiam in eodem: quia eſſentia ſecundùm exiſtentiam in vno ſuppoſito præcedit, & in alio ſequitur.

Præterea. Tertiò principaliter arguitur, & contra iſtam Reſponſionem, ſic. Vnius cauſæ in vno ordine cauſandi, eſt vna per ſe ratio cauſandi: ergo multò magis in Diuinis, vbi eſt primitas principiandi, oportet ponere vnam ra- D tionem per ſe principiandi; ergo ratio principiandi generationem Verbi, erit aliqua vna realis ratio per ſe; res autem & ratio, non faciunt vnum per ſe; quia nec paſſio aliqua conſequens rem ex natura rei poteſt facere vnum per ſe cum ſubiecto, cuius eſt effectus: ergo nec multò magis ratio, quia nõ ſequitur rem ex natura rei, ſed tantùm conſequitur eam per actum intellectus; ergo alterum iſtorum erit præciſè principium Quo, ipſi Patri producẽti, non ratio ſola; quia ipſa non eſt formaliter infinita. Probatio. Quia nulla relatio realis eſt formaliter perfectio infinita. Probatio. Quia tunc Perſona aliqua in Diuinis, non haberet omnem perfectionem infinitam formaliter: ergo nec multò magis ens rationis poteſt eſſe formaliter infinitum; & per conſequens nec eſt principium producẽdi Quo, ſuppoſitum infinitum; ergo ſola res cui attribuitur illa ratio, eſt principium producendi ſuppoſitum infinitum: ſed in quocunque eſt principium Quo, reſpectu alicuius productionis, ei eſt principium producendi, ſi illud ſuppoſitum conueniat tali productioni: conueniens autem ſuppoſi- E tum in Diuinis ad producendum Perſonam in Diuinis eſt quòd non habeat talem naturam productione iſta, nec aliqua productione priore iſta; talis autem eſt Pater; ergo ſola res erit ſibi principium Quo producit, & nullo modo ratio iſta.

Præterea Quartò. In Diuinis quod non eſt formaliter idem alicui, non eſt verè idem ſibi: niſi vel vtrumque ſit formaliter infinitum, vel alterum, vel ſaltem vtrumque ſit verè idem alicui formaliter infinito; ſed iſtæ rationes, quæ ponuntur quaſi approprìantes principium productiuum duarum Perſonarum, non ſunt formaliter eędem; quia tunc non eſſent diſtinctæ rationes: nec ſunt verè eædem alicui formaliter infinito; quia tunc eſſent in iſto infinito ex natura rei, ſicut ſapientia eſt in Diuinitate formaliter ex natura rei: nec altera iſtarum eſt formaliter infinita, ſicut probatum eſt in præcedenti ratione; ergo nulla iſtarum eſt verè eadem alteri aliquo modo: ergo eo modo quo ambo ſunt ibi, ita ſunt verè diſtinctæ: quod vi- F detur obuiare ſummæ ſimplicitati, qualitercunque ponatur entitas earum; quia nihil poteſt poni ibi eſſe ſecundùm quamcunque entitatem, quod ſit non ſimpliciter idẽ alteri propter ſimplicitatem illius Eſſentiæ.

Illam inſtantiam excludo; Primò. Quia videtur eſſe ad oppoſitum. Si enim diſtinctio creaturarum neceſſariò præſupponeret diſtinctionem idæarum; ac per hoc Deus ſub ratione vnius idęæ eſſet cauſa, & propria ratio reſpectu vnius idæati: hoc ideo eſſet, quia eſſe diminutum Dei: ſcilicet eſſe cognitum, eſſet ſimpliciter perfectius, & prius naturaliter eſſe perfecto idæati; quia idæata ſunt reſpectu Dei artificialia; & eſſe cognitũ artificis, vel exemplaris, in quo artificiatũ habet eſſe, eſt ſimpliciter prius ipſo eſſe exiſtentiæ ipſius idæati; ſed illa ratio omnino deficit in Perſonis Diuinis; quia eſſe cognitum Eſſentiæ, non poteſt eſſe prius naturaliter, perfecto eſſe Eſſentiæ in ſe; & ideo licèt illa prima Maior falſa eſſet, ad cuius probationem appoſitæ ſunt quatuor rationes in agente & artificiali, non tamen eſſet falſa in productione naturali, vbi eſſet commu- G nicatio eiuſdem naturæ; ſicut eſt in propoſito: quia ibi non videtur quòd aliquod eſſe cognitum, poſſet naturaliter præcedere naturale eſſe ipſius naturæ.

Præterea. Inſtantia illa ſumit falſum de idæis. Quia illa diſtinctio rationis in Deo, non neceſſariò præſupponitur ipſis idæatis diſtinctis: nec Deus ſub rationibus idæarum, eſt propria cauſa diuerſorum idæatorum; ſicut patebit inferius diſt. 35. de idæis, & 45. de voluntate.

ARTICVLVS TERTIVS.

Opinio Septima confutatur.

ALia eſt Opinio (*Alex. de Ales, hìc quẽ ſequitur Adam. lib. 1. diſt. 6. quæſt 1. art. 2.*) ad Quæſtionem. Quæ ponit, quòd Eſſentia ſub ratione vna, omnino indiſtincta, eſt principium iſtarum productionum. Quia ſicut duo limitata poſſunt eſſe principia duorum actuum, ita idem H illimitatum, continens in ſe virtualiter ipſa plura, poteſt eſſe principium proprium eorundem actuum, etiam ſub ratione vna, nulla exiſtente diſtinctione in eo, ſed ex ſola illimitatione ſuiipſis, vt in diſtinctum eſt; ſicut patet de Sole reſpectu multorum generabilium, in iſtis inferioribus.

Et confirmatur iſta poſitio. Quia oportet ponere Eſſentiam Diuinam immediatè habere ſapientiam & bonitatem, & eſſe quodammodo quaſi radicem & principium illarum perfectionum attributalium, & ſine omni diſtinctione in ipſa Eſſentia; alioquin procederetur in infinitum; igitur ita videtur poſſe poni immediatũ principium duarum productionum.

Contra hoc. Quia actio volendi in nobis, non eſt formaliter libera, ſed ipſa voluntas; quia actio illa eſt quædam qualitas, & quædam forma naturalis in ſe, & non aliquid intellectuale habens inclinationem ad oppoſita: ita igitur in Diuinis ipſa productio Spiritus Sancti, vt ipſa iam poſita eſt in eſſe, non videtur formaliter eſſe

A libera, sed præcisè libertas videtur esse in principio huius productionis, inquantum est huius; sed si nulla distinctio præcedat productionem Filij, & Spiritus Sancti, prima distinctio quę est huius productionis & illius, est vt sunt posita in esse ab illo principio; ergo non est vna productio in Diuinis per modū intellectus, siue naturæ, & alia per modum libertatis; quia nullum principium præcedit quod ex se aliter se habeat ad hanc productionem, quàm ad illam: & illæ productiones, in quibus est distinctio primò, omnino in se vniformes sunt in naturalitate, vt iam positæ sunt in esse.

Assumptum de volitione, licèt posset multis vijs probari: patere tamē potest per hoc. Quia quicquid generat ipsa volitio, generat naturaliter: vnde habitus appetitiui, virtute actuum appetitus, ita generantur naturaliter ex eis, sicut habitus intellectiui generantur naturaliter ex intellectionibus.

Ex alio etiam apparet. Quia tunc formaliter posset aliquis gaudere & tristari liberè, inquantum scilicet gaudium, & lætitia sunt passiones consequentes velle, &
B nolle; quia illæ quæ sunt immediatæ causæ istarum passionum, ponerētur formaliter liberę. Consequens tamen, de passionibus, videtur satis manifestum inconueniens: quia non videtur, esse in potestate voluntatis gaudere, nisi quia in potestate eius est, velle illud, ad quod sequitur gaudium; & ita nec tristari, nisi quia in potestate eius est, nolle illud, ad quod sequitur tristari: & ideo tristatus de aduentu alicuius rei nociuę siue displicibilis, si vult amouere tristitiam, oportet quòd desinat nolle illud, quod noluit: non autem expedit ad hoc deliberare, vt stante nolitione, & euentu noliti, non sequatur tristitia.

Præterea Secundò. Si Essentia, vt omnino indistincta, esset principiū duplicis productionis; ergo cùm intellectus sub ratione infiniti, sit sufficiēs principium productiuum, & sufficiens ratio principiandi Verbum infinitum, & voluntas sub ratione infiniti sit principium productiuum amoris infiniti; & antequam intelligatur intellectus infi-
C nitus, & volūtas Diuina infinita formaliter distincta, præintelligitur Essentia, vt Essentia infinita; ergo per ipsam, vt præintelligitur, erit duplex productio intrinseca.

Iterum etiam. Quando posteriùs intelligitur, ibi intellectus formaliter infinitus, & voluntas formaliter infinita, erunt duæ Personæ infinitæ, productæ virtute illorum duorum principiorum; ergo erunt quatuor Personæ infinitæ productæ.

Quod si dicatur. Nunquam ibi esse infinitum intellectum, nec infinitam voluntatem ex parte rei, sed tantùm esse ibi illam vnam naturam, omnino indistinctam, ex natura rei, & ex eius ratione esse tres Personas; & intellectum & voluntatem, esse ibi præcisè per considerationem intellectus: & ita non esse ibi principia productiua Personarum realium, ex natura rei distincta.

Contra. Si aliqua sunt ibi distincta per actū intellectus, sint A, & B. Tunc quæro. Aut illa ex natura rei sunt distincta, aut non? Et si sic; contradicis tibiipsi: si non, sed per intellectū; ergo intellectus sub ratione intellectus, &
D non sub ratione naturæ distinguit: aut igitur ante distinctionem istorū, est ibi intellectus sub ratione intellectus; & habetur propositum, quòd est ibi ex natura rei: aut nō, sed ipse intellectum sub ratione intellectus, est ibi productus per actum intellectus negotiantis, & distinguentis; & tunc erit quærere de illo intellectu, quo actu producitur, aut ex natura rei, aut ex intellectu, vt intellectus est: & procederetur in infinitum: vel vbicunque stabitur, ibi erit intellectus inquantum intellectus, & ex natura rei: vel prima distinctio, quæ ponetur ibi, erit ex natura rei: cuius oppositum ponis.

Præterea. Deus est formaliter ex natura rei beatus, & non formaliter in relationibus rationis; beatitudo autem eius est formaliter in intellectione, & volitione; ergo intellectus & voluntas, quæ sunt principia istorum, sunt ibi ex natura rei.

Confirmatur ista ratio per Philos. 12. Met. t. 51. qui probat. Quòd *si Deus non sit actu intelligens, nihil honorabile inerit ei, se habebit enim vt dormiens*: Ergo secūdùm ipsum, non est perfectus ex natura rei, nisi ibi esset formaliter intellectus ex natura rei; & per consequens est ibi intellectus E
distinctè ex natura rei; quia non potest intelligi actualis intellectio formaliter, sine intellectu formaliter.

Præterea. Si intellectus non est ibi formaliter ex natura rei, sed fundamentaliter; ergo intellectus formaliter, non est perfectio simpliciter; quia non est ibi meliùs habere ipsum formaliter, quàm non habere ipsum: imò per te in Essentia illa, quæ optima est, non habetur formaliter, sed tantùm opposito modo habendi; ergo non potest concludi ibi esse intellectum, quia est perfectio simpliciter, sed magis videtur sequi oppositum. Quid igitur dicit, Ansel. Monolog. 15. *Quicquid est in Deo, meliùs est ipsum, quàm non ipsum?* Sicut est de sapiente. Et Aug. 15. de Trin. c. 4. vel 5. *Neque enim Diuinorum librorum auctoritas tantummodo, esse Deum prædicat; sed omnis quæ nos circumstat natura proclamat habere se præstantissimum conditorem, qui nobis mentem, rationemque naturalem dedit: qua viuentia non viuentibus, prędita sensu non sentientibus, intelligentia non intelligen-*
bus, immortalia mortalibus, impotentibus potentia, iniustis F
iusta, bona malis, incorruptibilia corruptibilibus, immutabilia mutabilibus, inuisibilia visibilibus, incorporalia corporalibus, beata miseris præferenda videamus. Ac per hoc, quoniam rebus creatis Creatorem sine dubitatione præponimus; oportet eum & summè viuere, & cuncta sentire, atque intelligere. Et parum post. *Iustissimum, speciosissimum, optimum, & beatissimum fateamur* &c. Quęre ibi Aug. Quæ consequentia esset illa. Si ratio naturalis dictat beatum esse meliorem misero; ergo Deus est beatus? Si ipsum quod est in creaturis meliùs est suo opposito, hoc est propter eius realitatem; & in Deo ex natura rei non est aliquomodo realitas illa, sed tantùm fundamentum cum opposito modo formalitatis huius.

Quòd autem intellectus, qui probatur ibi esse ex natura rei, sit infinitus. Probo. Intellectus enim vt intellectus, Essentiam Diuinam comprehendit vt obiectum formaliter infinitum; nihil autem comprehendit obiectum formaliter infinitum, nisi ipsum comprehendens sit formaliter infinitum; ergo &c. G

Præterea. Intellectus Diuinus intelligit simul infinita intelligibilia secundùm Aug. 12. de ciuit. Dei c. 18. *Ita nec numeros propter infinitatem nescit omnipotens Deus: & si vsque ad quandam summam numerorum scientia Dei peruenit, & cæteros ignorat, quis hoc vel dementissimus dixerit?* Et subdit parum post. *Infinitas itaque numeri, quamuis infinitorum numerorum non sit numerus, non tamen est incomprehensibilis ei, cuius sapientię non est numerus.*

Et si dicas. Intellectus non est formaliter infinitus, inquantum intellectus, sed inquantū est idem Essentiæ Diuinæ infinitæ: & ideo non habet inquantum intellectus, quòd sit principium productiuum alicuius Personæ infinitæ; & ita non erunt duæ Personæ Diuinæ.

Cōtra hoc arguo. Quia hoc modo posset dici, quòd Paternitas est formaliter infinita, quia est idem Essentiæ infinitæ, & tunc non esset magis inconueniens Filium non esse formaliter intelligentem, quàm ipsum non esse formaliter Patrem; quod est manifestè absurdum.

Probatur etiam ex alio. Quia illa quæ non sunt formaliter infinita in Diuinis, si accipiantur in abstracto, non H
prædicantur de se inuicem, etiam per identitatem, sicut nec formaliter. Hæc enim non conceditur, Paternitas est innascibilitas. Cuius ratio dicta est dist. 8. q. de attributis. Quia illa abstractio tollit illud, quòd fiat causa veritatis, scilicet, identitatem extremorum; quia vt præcisè sumuntur, neutrum est formaliter infinitum; & ideo neutrum vt præcisè abstractiuè sumptum, includit quòd sit idem alteri: sed ista est vera. Intellectus est Paternitas, &, Intellectus est Filiatio: licèt non sit formalis prædicatio: ergo intellectus habet infinitatem formalem, qualem non habet Filiatio, vel Paternitas, vel innascibilitas.

Et si quæras. Estné intellectus omnino infinitus formaliter ex se, sicut Essentia? Respondeo. Potest dici, quòd sicut distinguendo res ab inuicem: aliqua res est infinita à se, & in se; sicut Pater, & prima Persona in Diuinis: aliqua res est in se infinita, sed non à se; sicut Filius, &

Spiritus

A Spiritus Sanctus: aliqua autem res ex se finita, & in se simpliciter finita; sicut creatura: ita considerando aliqua, quæ nō sunt formaliter eadem, potest aliquid accipi tanquam infinitum in se, & omnino à se; sicut Essentia Diuina, quæ est radix & fundamentum, quæ infinitatem à nullo habet. Vnde Ioan. Damasc. cap. 12. *Esse Dei, est velut pelagus substantiæ infinitum, & indeterminatum*: aliquid autem est infinitum per se, & in se, sed nō omnino à se, tanquam prima radix & fundamentum omnis infinitatis; sicut attributa Diuina, quæ secundùm eundem Damasc. cap. 5. dicunt aliquid quasi circa Essentiam, & benè possunt esse talia formaliter infinita, & in se, & per se; sed radicaliter in Essentia, sicut in fundamento cui sunt eadem. Vlteriùs. Aliquid est, quod nec in se formaliter est infinitum; nec idem formaliter infinito, sicut personales proprietates.

Sed, quæ ratio, quare ista non habent formalem infinitatem aliam ab Essentia, sicut intellectus habet? Hoc aliàs poterit patere.

B Ad Argumenta pro Opinione ista, nunc vltimò improbata. Cùm dicitur. Infinitum ex se omnino indistinctum, potest esse principium distinctorum. Verum est; vbi illa distincta, non requirunt ex ratione sui, distinctionem priorem in principijs: talem autem requirit productio libera, & naturalis; quia ad illa non potest esse prima distinctio, sed præexigitur aliqua distinctio in principijs quę aliquomodo habent principiare naturaliter, & liberè Personas Diuinas.

Et per hoc patet ad Confirmationem illam, quæ adducitur ibi. Quòd Essentia habet sapientiam, bonitatem; & omnes alias perfectiones attributales, antè omnem considerationem intellectus, & hoc absque omni distinctione præsupposita in Essentia. Verum est. Quia illæ perfectiones attributales, non requirunt oppositum modum principiandi, nec distinctionem in principijs: ita enim essentia naturaliter est intellectus, sicut est voluntas.

C Similiter illa attributa non sunt propriè principiata ab Essentia Diuina, licèt Essentia Diuina concedatur aliquomodo habere rationem perfectionis radicalis & fundamentalis, respectu eorum.

ARTICVLVS QVARTVS.

Datur propria Quæstionis resolutio.

AD Quæstionem. Respondeo. Quòd productiones seipsis formaliter distinguuntur. Generatio enim formaliter seipsa est generatio, & spiratio seipsa est formaliter spiratio. Et ex rationibus formalibus eorum, impossibile est generationem esse spirationem, circumscripto per impossibile quocunque alio. Ita quòd non oportet quærere, quibus distinguuntur: quia tota ratio formalis vnius, est non eadem toti rationi formali alterius.

Hoc apparet per August. 15. de Trinit. cap. 27. vbi dicit. *Sic enim videbis, quid distet natiuitas Verbi à processione doni*: Et paulò post, *Voluntatem de cognitione procedere, non tamen esse cognitionis imaginem* &c. Quære totum. Vbi

D vult ex processionum distinctione, concludere distinctionem Personarum procedentium. Similiter 5. de Trinit. cap. 9. & 14. *Cur Spiritus Sanctus non sit Filius, cùm tamen à Patre exeat?* Et soluit dicens. *Exit enim non quomodo natus, sed quomodo datus*. Soluit ergo ibi quæstionē de distinctione Personarum, per distinctas earum emanationes.

Et si obijcitur. Quòd emanationes non sunt à se; ergo non distinguuntur à se. Consequentia probatur. Quia à quo aliquid habet entitatem, ab illo habet vnitatem 4. Metaphysic. tex. 5. Quia dicuntur ad conuertentiam Ens, & vnum.

Respondeo. Differentiæ specificæ, non sunt à se effectiuè, & tamen primò sunt seipsis distinctæ formaliter; ab eo tñ sunt distinctæ effectiuè, à quo habet esse effectiuè; distingui autem primò formaliter, non est distingui per aliquod inclusum in vno aliquo, & in aliquo conuenire, sed se toto formaliter distingui, etiamsi per impossibile omne aliud à ratione sua circumscribatur. Ita dico, quòd si differentiæ vltimæ oppositæ essent, se totis distinguerentur, & se totis essent primò diuersæ formaliter. E

Ita dico in proposito. Quòd si per impossibile istę Personæ distinctæ vel productiones, possent esse imprincipiatæ, se totis essent formaliter distinctæ; ita quòd nihil formaliter inclusum in vna, esset formaliter inclusum in altera. Et tamen sicut principiata sunt, ita principiatiuè seu originatiuè distinguuntur à suis principijs, intellectu scilicet, & voluntate, quæ non tantùm distinguuntur ratione, sicut argutum est contra penultimam Opinionem, sed intellectus formaliter, non est voluntas ex natura rei. Et cùm infinitas addita alicui, non variet rationem eius formalem, intellectus infinitus non est formaliter voluntas infinita. Et licèt non necesse sit distinctionem illam formalem reducere ad aliam, inquantum est formalis, tamen quod est formale in principiatis, reducitur ad istam distinctionem principiorum.

Argumenta principalia soluuntur.

AD Argumenta principalia. F

Ad Primum. Dico: quòd videtur concludere contra eos, qui ponunt quasi subiectum generationis esse Essentiam Diuinam. Nam cùm in creaturis generatio sit naturalis ex inclinatione principij passiui, non autem ex ratione principij actiui; quia si voluntas mea generaret ignē de materia illa, generatio passiua esset naturalis, propter inclinationem potentiæ passiuæ ad formam, licèt principium actiuum esset liberum. Ita videtur si Diuina Essentia esset quasi subiectum in Diuinis, respectu proprietatum personalium, æquè naturaliter inclinaretur Essentia ad proprietatem Spiritus Sancti, sicut & Filij, & per consequens productio Spiritus Sancti, scilicet passiua, esset æquè naturalis, sicut & Filij, licèt ab alio principio actiuo, esset hæc productio & illa. Sed contra me non concludit. Quia nego ibi esse generationem sub ratione mutationis, & omnino quodcunque passiuum, respectu actus; sicut patuit dist. 5. Sed præcisè pono ibi generationem sub ratione productionis, cuius termini sunt producens, & productum. Præcisè igitur dicetur illa generatio naturalis; G quia illa habitudo inter producens & productum est naturalis; & naturalitas huius habitudinis est ex parte naturalitatis ipsius producentis, quia producit principio naturaliter inclinato ad agendum, & hoc modo nō spirat Pater.

Alio modo dicitur. Quòd generatio sumitur vno modo, pro generatione substantiæ; vel alio modo specialiter, pro productione viui ex viuo; & hoc modo dicitur animal generari, & non ignis; & ibi communiter concurrit ex parte agentis inclinatio naturalis siue forma naturalis, quæ est principium generandi. Et hoc modo vltimo, videtur esse generatio in Diuinis.

Prima responsio fortè est melior.

Ad Secundum. Dico: quòd quādo comparantur duo ad tertium illimitatum secundùm illud. secūdum quod comparantur ad tertium, nō sequitur ex vnione eorum in tertio, vnio eorum inter se. Exemplum. Si ego sum cum Deo hic, & Papa sit cum Deo Romæ; ergo ego sum simul cum Papa. Non sequitur; quia Deus est illimitatus secundùm H Præsentiam, quia est præsens omnibus locis. Ita etiam non sequitur. Ego sum cum ęternitate, & Abraham fuit cum æternitate; ergo ego sum, vel fui, simul cum Abraham; quia Deus æternus, & æternitas eius, sunt illimitata. Ita, dico in proposito. Quòd Pater habet in se duplicem fęcunditatem perfectè; vtraque autem productio correspōdet præcisè vni fęcunditati: & ideo Pater respectu duarum productionum, est illimitatum, vel quasi indeterminatum, comparatum ad determinata: & ideo nō sequitur. Quòd si vtraque productio sit vniuoca in tertio tali, quòd illæ productiones, sint vniuocę inter se.

Contra istud arguitur, sic. Si productiones nō sunt vniuocæ, sed sunt alterius rationis; ergo & termini productionum, erunt alterius rationis: ex 5. Phys. t. 45. & 48. igitur, cùm in terminis productis, requirāt talem distinctionem formalem, termini non erunt vniuoci alicui tertio; ergo ex opposito, si termini sunt vniuoci alicui tertio, & productiones erunt vniuocæ inter se.

A Præterea. Intellectus & voluntas prout sunt potentiæ operatiuæ, requirunt distinctionem formalem in obiectis, & si respectu obiectorum essent potẽtiæ productiuæ, talem producerent distinctionem in obiectis; ergo cùm termini producti requirant talem distinctionem formalem, termini non erunt vniuoci.

Præterea. Productum per intellectũ, ex vi productionis suæ, est notitia genita; productum autem per modũ voluntatis, est amor procedens: sed notitia vt notitia, & amor, vt amor, videntur alterius rationis formaliter; ergo &c.

Ad Primũ. Dico, quòd illa propositio de motibus & terminis, quæ adducitur ad propositũ, non est vera, nisi quando aliæ duæ sunt veræ, scilicet, quòd forma fluens, secundũ quam est motus, est eiusdẽ rationis cum forma terminante, & motus, est eiusdem rationis cum forma fluente.

Ad propositum igitur applicando. Productio ista non est fluxus aliquis, neque forma fluens; neque eiusdem rationis cum forma, quæ est terminus formalis productionis; quia formalis terminus, productionis, est aliquod es-
B sentiale, productio autẽ est relatio formaliter; & ideo non oportet ex distinctione productionum, concludere distinctionem formalem terminorum. Exemplum huius, quod dictum est de motibus, patet ex 5. Phys. tex. 22. Quia idem Vbi, potest acquiri per motum rectum, & per motum circularem, qui sunt omnino alterius speciei, sicut probatur ex 7. Phys. t. 21. Quia non sunt comparabiles; sed hæc forma, secundùm quam est fluxus in motu, si est eiusdem rationis cum termino, nõ est ex hoc distinctiua rationis motuum. Ista responsio tacta est supra dist. 2. q. de productionibus, pro argumento Comment.

Et si obijcias. Saltem primi termini, scilicet termini formales erunt non vniuoci, ex quo productiones non sunt vniuocæ: & ita Personæ, quæ sunt primi termini, erũt non vniuocæ inter se; & ita neque erunt vniuocæ in tertio.

Respondeo. Productio non includit formaliter Essentiam Diuinam, Persona autem includit formaliter eam; quia Persona non est tantùm proprietas, siue relatio, sed hypostasis subsistens in natura Diuina: sicut forma non
C tantùm includit proprietatem indiuidualem, sed ẽt naturam humanam; licèt enim primi termini sint eiusdem rationis cum productionibus, quantùm ad hoc, quòd primi termini includunt relationes, & productiones sint relationes; non tamẽ sunt eiusdem rationis, quasi adæquatè; quia primi termini non tantùm includũt relationes, sed etiam absolutum: & tunc non oportet eos tãtum distingui, sicut productiones distinguuntur, quia quæ includunt aliqua distinctiua, non oportet tantum distingui, sicut illa; vt dictum est supra, dist. 8. quæst. illa, Vtrum Deus sit in Genere: quia differentiæ sunt primò diuersæ, non tamen includentia eas sunt primò diuersa.

Ad aliud de potentijs. Dico: quòd vt sunt operatiuæ potentiæ, non requirunt distinctum obiectum formale, imò illud idem, quod est primũ obiectum formale intellectus Diuini, est etiam primum obiectũ formale voluntatis Diuinæ, ita quòd vtraque potentia beatificatur in eodẽ obiecto primo, secundùm eandem rationem formalem primi
D obiecti: nulla enim perfectio, quasi radicata in ipsa Essentia Diuina, est primò beatificatiua intellectus, vel voluntatis Diuinæ, sed ipsa Essentia Diuina sub omnimoda prima ratione, vt scilicet est fundamentum omnis perfectionis in Diuinis: ita quòd argumentum est ad oppositum; quia sicut non requiritur distinctio formaliter in obiectis, vt sunt potentiæ operatiuæ, ita nec in potentijs, vt sunt productiuæ.

Ad Tertium. Dico, quòd non est ad propositum. Quia tenentes in Diuinis generationem esse æquiuocam in se, haberent dicere, eam in se æquiuocam esse, propter æquiuocationem termini producti à producente. Similiter habent dicere, spirationẽ in se, esse æquiuocam, propter differentiam spirantis à spirato: non igitur sufficeret eis ad istã Conclusionem, quòd genitum & spiratum essent æquiuoca. Argumentum autem in se, si quid probat: non probat nisi distinctionem geniti & spirati, vel formalium termi- E
norum generationis & spirationis: & ita non propositum eorum.

Sed contra, arguo sic. Non tantùm notitia vt notitia, & amor vt amor, sunt alterius rationis, sed etiam notitia vt notitia actualis, est alterius rationis à memoria, & amor vt amor, est alterius rationis à voluntate, vt est actus primus; ergo si concedatur distinctio formalis in terminis productionum, scilicet notitiæ & amoris, & quòd producantur isti termini, scilicet notitia & amor, virtute memoriæ & voluntatis, oportet concedere distinctionem formalem principij productiui, à termino formali producto; & ita æquiuocationem in vnaquaque productione.

Respondeo. Potest dici quòd illud assumptum, scilicet, quòd genitum ex vi productionis suæ, scilicet generationis suæ, sit notitia actualis: potest distingui, de primitate originis, & primitate adæquationis. Si intelligatur de primitate originis, potest negari. Quia tunc non essent tres Personæ vniformiter Deus. Essentia enim in Patre intelli-
gitur esse in eo quasi principium, & fundamentum cuius- F
libet perfectionis. Et tunc. Si in Filio præintelligitur notitia ante Essentiam; Filius tunc non haberet Essentiam, ante quodcunq; aliud in se, sicut non ante notitiam: & ita non esset vniformiter Deus, cum Patre.

Quantùm igitur ad istam primitatem (licèt non sit originis, correspondet tamẽ primitati originis plurium perfectionum in vna creatura) potest dici, quòd primum in quacunque Persona est Essentia; quia quãdo aliquid continet in se plures perfectiones communicabiles, communicãs illud vnum, communicat omnes perfectiones in eo, eo ordine quo natæ sunt esse in illo vno. Exemplum tàm in distinctione rerũ, quàm non rerum, tamen ex parte rei. Primum quidem. Si ignis generaret totũ ignem, & produceret tàm materiam quàm formam, priùs origine cõmunicaret materiam, quàm formam, eo ordine scilicet, quo illa sunt in generante. Exemplum secundi. Ignis est substantia corporea, inanimata, & elemẽtum; sicut tunc sunt ista per ordinem in igne generãte, ita communicantur si-
mili ordine igni genito; & tamen primus terminus secun- G
dùm adæquationem est ignis vt ignis; quia hoc est quòd principaliter intendit ignis generans, & in quo perfectissimè sibi assimilatur ignis genitus, scilicet ignis, vt ignis. Ita potest dici in proposito. Quòd licèt Essentia Diuina, in qualibet Persona sit omnino primum, quasi fundamẽtum cuiuslibet perfectionis essentialis, prima tamen Persona appropriatè habet memoriam, & virtute illius principij productiui, producit prima productione adæquatè secundam Personam; & secunda Persona, quasi adæquata principio productiuo, producitur vt notitia actualis; & Spiritus Sanctus quasi adæquatus suo principio productiuo, producitur vt amor actualis.

Sed adhuc videtur stare argumentum. Quia vniuocatio vel æquiuocatio, magis videtur concludi ex primitate adæquationis, quàm ex primitate originis: licèt enim Sol sit substantia, & vermis sit substantia: non propter hoc dicitur generatio vniuoca, vermis à Sole, quia non assimilat
sibi terminum in forma specifica. Ita igitur hæc videtur H
æquiuocatio, ex quo primus terminus productus adæquatus, non est omnino vniuocè eiusdem rationis cum principio productiuo.

Respondeo, & dico. Quòd nõ est æquiuoca productio, si principium productiuum non est eiusdem rationis cum termino formali producto, loquendo de termino formali primo producto, & de principio primo productiuo, sed requiritur, quòd illud quod est principium productiuum, non cõmunicetur eiusdem rationis genito; & quòd illud, quod est terminus formalis in producto, non sit eiusdem rationis in producente: opposita autem istorum sunt in proposito: Quia memoria est formaliter in notitia genita actuali, & notitia est formaliter in Persona generante; licèt neutrum illorum sit prima ratio agendi, & prima ratio terminandi productionem.

A DISTINCTIO XIV. XV. XVI. E

QVAESTIO VNICA.

Vtrum quælibet Persona Diuina, mittat quamlibet Personam Diuinam, & mittatur à qualibet?

Circa istam 14. Dist. & duas sequentes scilicet. 15. & 16. Vbi Magister agit de Missione temporali Spiritus Sancti. Quæritur vnum generaliter, quantùm ad omnes Personas.

B *Vtrum quælibet Persona Diuina, mittat quamlibet Personam, & mittatur?*

Videtur quòd sic. Quia quicquid est essentiale in Diuinis, conuenit tribus: Missio tàm actiua, quàm passiua, est quid essentiale; quia dicit respectum ad creaturas: respectus autem ad creaturam communis est tribus.

Quod autem tàm mittere, quàm mitti dicat respectum ad creaturam. Probatur. Quia dicitur de Deo ex tempore; nihil autem dicitur de Deo ex tempore, nisi quod dicit respectum ad creaturam.

Item in Ioan. 14. cap. de Patre dicit Saluator, & de seipso. *Ad eum veniemus*, &c. Ergo Pater etiam venit temporaliter ad aliquem; hoc venire dicit aliquem effectum Trinitatis; ergo videtur quòd Pater possit mitti à tribus Personis, sicut Filius & Spiritus Sanctus.

Item secundùm Augustinum ad Dardanum. *Qualibet Persona, dat & datur*: ergo pari ratione mittit, & mittitur.

C Contra. August. 4. de Trinit. c. 20. *Sed Pater cùm ex tempore à quoquam cognoscitur, non dicitur missus; non enim habet de quo sit, aut ex quo procedat.*

Ad hoc etiam adducit Magister auctoritatem August. in litera.

In ista Quæstione videtur esse Opinio Magistri, quòd mitti non conueniat tribus, sed tantùm duabus Personis procedentibus. Quia secundùm Aug. *Nulla Persona mittitur, nisi quæ habet aliam, de qua sit.* Secundùm hoc, mitti dicit respectum ad creaturam, tamen connotando respectum processionis æternæ.

Sed Mittere est cōmune tribus, secundùm Magistrum. Quod probatur per auctoritatem August. 2. de Trin. c. 6. vel 2. vbi dicit August. de Filio. *Proinde mitti à Patre sine Spiritu Sancto non potuit.* Et probatur. Quia Pater intelligitur misisse eum, secundùm quòd fecit eum, ex femina, quòd non fecit Pater sine Spiritu Sancto; ergo Spiritus Sanctus misit Filium. Et constat, quòd ipsemet seipsummet misit: sicut habetur ab Aug. eodem cap. ergo mittere conuenit cuicunque Personæ.

D Et hoc probat Magister per rationem. Quia aliàs aliquid efficeret vna Persona Trinitatis, quod non alia; cùm mittere sit aliquem effectum creare.

Contra istam Opinionem, potest argui. Si mitti importat aliquomodo duplicem respectum, æternum & temporalem; cùm non dicat respectum nisi ad eum cui mittitur, vel ad mittentem: patet quòd primus est communis tribus, quia est respectus rationis ad extra; secundus autem est realis, aut rationis. Si rationis; ergo potest esse in Patre respectu sui, Sicut Pater potest dari, & dare; non enim repugnat Patri mitti, propter respectum rationis tantùm. Si mitti dicat respectum realem tantùm ad mittentem, puta processionem à mittente; igitur mittere nō est essentiale: quia tunc Spiritus Sanctus non mitteret Filium, cùm non producat eum.

Præterea. Mittere & mitti videntur idem significare, licèt diuersimodè, quantùm ad modos Grammaticales: igitur si vnum connotat aliquem respectum ad intra, & reliquum connotabit. Si igitur mitti connotat produci: igitur mittere cōnotat producere. Et ita neutrum est merè essentiale: vel si vnum non connotat respectum ad intra, nec reliquum, sed tantùm respectum ad aliquid extra. Et ita vtrumque erit commune tribus. F

Et hoc est quod sic breuiter potest argui. Si mitti includit produci; ergo mittere includit producere; ergo Spiritus Sanctus non mittit Filium; quia non producit eum.

Præterea. Mittere & mitti, videntur dicere relationes oppositas; ergo si mittere non includit producere, nullo modo correlatiuum includit correlatiuum.

Videtur aliter posse dici ad Quæstionem. Manifestum est enim secundùm intentionem August. 4. de Trin. c. 20. Quòd Pater non dicitur missus; ergo oportet, quòd mitti, cùm hoc, quòd dicit respectum ad extra, connotet productionem ad intra. Et tunc rationabile videtur consimiliter dicere de mittere. Quòd licèt dicat principaliter respectum actionis actiuæ ad extra, tamen connotat respectum productionis actiuæ ad intra; & sic neutrum est merè essentiale: sed mitti tantùm conuenit Personæ productæ, & mittere tantùm Personæ producenti. Et ita sunt duæ Personæ mittentes, scilicet, Pater & Filius; & duæ tantùm missæ, scilicet Filius & Spiritus Sanctus. Nec aliqua Persona seipsam mittit; nec producta producentem. G

Huius simile potest haberi in alio. Nam Pater dicitur per Verbum creare. Et posset concedi Filium creare per Spiritum Sanctum, non autem sic è conuersò. Vbi creare per Filium, non dicit absolutè actionem ad extra, sed actionem cum auctoritate: & in hoc connotat productionem actiuā in operante, respectu illius Personæ, per quam quasi subauctoritatiuè operatur.

Ita posset dici. Quòd mittere Personam, est operari per eam; & ita operari effectum cum illa Persona, per modum auctoris dantis illi Personæ actionem: quòd tantùm conuenit producenti respectu Personæ productæ. Et mitti diceret idem, quod subauctoritatiuè operari virtute Personæ mittentis; quod nō est, nisi quando Persona operans accipit ab alia virtutem agendi.

Et ad illud quòd Magister adducit pro se, de August. Quòd Spiritus Sanctus mittit Filium; & quòd Filius mittit se. Posset exponi Primò. Primùm de Filio incarnato, non de Filio vt incarnando, quomodo Ambros. in 3. libro de Spiritu Sancto, cap. 2. vel 3. dicit, quòd *Spiritus Domini misit Filium*: sicut legitur Isaiæ 1. *Spiritus Domini super me*, &c. Benè dicit Ambros. *Spiritus Domini misit me ad prædicandum.* Quia quasi Filius hominis est missus & vnctus, nam secundùm Deitatem non super Christum est Spiritus, sed in Christo: ergo illa auctoritas Isaiæ, quæ dicit Christum missum à Spiritu Sancto, intelligitur de Christo homine, non autem de missione Verbi æterni incarnandi. Similiter posset exponi illa auctoritas; quòd Filius misit se. H

Ad Argumentum Magistri. Posset dici: quòd consequentia non valet; quia commutatur Qualiter vel Quale, in Quid, vel res in modum. Non enim sequitur Filius non operatur per Filium, sicut Pater operatur per Fi-

A lium; ergo Pater aliquid operatur quod non Filius. Sed sequitur: Ergo aliquomodo alio operatur Pater, quo modo non operatur Filius; quia auctoritatiuè: & hoc est verum. Ita etiam. Si Pater mittat Filium, & non Filius se. Debet inferri: quòd auctoritas agendi effectum in creatura est in Patre, & non in Filio: hoc est verum.

Licèt autem hæc via videatur probabilis, tamen quia auctoritates Aug. videntur sonare non tantùm de Christo homine misso, sed Verbo, eò misso, quia incarnando, sicut ipse dicit, intelligitur missio ipsa incarnatio. Ideo potest teneri Opinio Magistri, hoc modo secundùm Aug. 4. de Trin. cap. 20. *Cum ex tempore cuiusquam profectus mente concipitur mitti quidem dicitur*. Et planiùs hoc idem paulò post. *Mitti, est de Filio cognosci, quòd à Patre sit*. Ita Spiritum Sanctum mitti, est cognosci quòd ab illo procedat. Mitti ergo est, manifestari personam procedere, nec conuenit omnibus Personis, quia non omnes procedunt; & mittere est manifestare Personam procedere. Hoc manifestare est merè cōmune, quia tota Trinitas manifestat
B Personam procedentem procedere, sed manifestari Personam procedere, connotat Personam procedentem.

Et si ista sunt significata istorum vocabulorum, quia significata accipienda sunt ex vsu auctorum, sequitur quòd mittere sit merè essentiale, nec connotat respectū realem æternum in mittente. Sed mitti connotat respectum in Persona missa, quatenus manifestatur eius processio æterna. Et posset quidem aliud verbum imponi, quod significaret Manifestare Personam procedere, & eius passiuum, quod significaret Manifestari Personam procedere: & illud actiuum esset commune tribus Personis, passiuum tantùm competeret duabus Personis, quæ producuntur.

Secundùm hoc ad Argumentēta quæ sunt contra Opinionem Magistri.

Ad Primum. Dico, quòd mitti dicit respectum rationis ad mittentem, formaliter, sed connotat respectum æternum, non quidem ad mittentem, quia mittens, sed ad aliquem indistinctè. Vnde hæc propositio est negāda. Quòd
C mitti nullum respectum dicit, nisi ad eum cui mittitur, vel ad mittētem: si intelligatur inquantū mittens: & hoc tàm de principali significato, quàm de connotato: dicit .n. connotando respectū procedentis, & hoc ad producens, nō inquantum mittens, quia ēt aliqua Persona mittens, potest esse non producens, licèt semper producens sit mittens. E

Ad Secundum. Concedo quòd actiuum & passiuum significant idem, sub alio & alio modo Grammaticali, sed aliquid idem potest esse connotatum in vtroque, quod nō diuersificatur penes istos modos. Manifestare quidem, & Manifestari, quæ principaliter importantur, diuersificantur penes illos diuersos modos, sed non ita hoc quod est Personam producere: illud enim est quod cōnotatur vniformiter, tam per actiuū quàm per passiuum. Exemplum huius in alijs. Scio ignem calefacere, & scitur ignem calefacere; licet hic sit variatio Grammaticalis, quantùm ad Scire, & Sciri, non tamen quantùm ad illud, quod notatur esse terminus ipsius scire: illud enim vniformiter se habet vtrobique. Et si imponeretur vnum actiuum ad significandum hoc totum, scire ignem calefacere, suum passiuum nō connotaret, sciri ignem calefieri, sed tantùm ipsum sciri per modum passiui, & illud aliud connotaretur per modum actiui.

Et per hoc patet ad illam Confirmationem. Mittere & Mitti, sunt correlatiua, quantùm scilicet ad formalia significata, & vtrumque dicit per se respectum rationis, tamen vnum istorum potest includere, vt connotatum, aliquod extremum relationis, & reliquum nō includere correlatiuum illius: sicut in exemplo posito apparet: quòd illud verbum sic impositum includeret calefacere, & tamen verbum passiuum correspondens sibi, non includeret hoc, quod est calefieri. F

Ad Argumenta principalia.

Ad Primum. Dico: quòd non omne dictum de Deo ex tempore, est commune tribus, quando importat non tantùm respectum ad creaturam, sed cum hoc connotat respectum intrinsecum, sicut est de mitti.

Ad Secundum. Concedo quòd Pater venit inuisibiliter, & inhabitat; sed tamen nō dicitur mitti, quia non habet de quo sit: non enim manifestatur procedere, nisi procedat; tamen manifestari potest absolutè, vel manifestari quòd producat; sed manifestari sic, non notatur per mitti.

Ad Tertium. Concedo q͂ quælibet Persona dat quamlibet, quia dare est liberaliter communicare, quælibet autem seipsam communicat liberaliter voluntate, vt sui est. Nec sequitur ex hoc, quòd quælibet mittat quamlibet. Quod iam patet. Quia Dare, non includit talē respectum intrinsecum, qualem includit mitti. G

DISTINCTIO XVII.

QVAESTIO PRIMA.

Vtrum necesse sit ponere charitatem creatam, formaliter inhærentem naturæ beatificabili?

D H



Irca istam Dist. Decimamseptimam, in qua Magister agit de Missione inuisibili Spiritus Sancti, quæruntur Sex. Primò quæro.

Vtrum necesse sit ponere charitatem creatam, formaliter inhærentem naturæ beatificabili?



Vòd non. Augustinus 8. de Trinit. c. 7. *Qui diligit proximum, consequens est vt ipsam præcipuè dilectionem diligat; dilectio autem est Deus, consequens igitur est, vt diligat Deum*. Quæro quomodo accipit dilectionem in Minori; Si formaliter, habeo propositum: si effectiuè; tunc erunt quatuor termini, quia Maior non est vera, nisi de dilectione formali qua diligitur proximus.

Si etiam dicas. Quòd præter istam dilectionem, quæ est Spiriritus Sanctus, est alia dilectio formaliter. Ergo fallacia consequentis est in Argumento, arguendo sic. Diligit dilectionem formaliter; ergo hanc. Quia antecedens potest verificari pro alia. Si ergo argumētum debeat tenere, oportet quòd Deus sit formaliter dilectio, quę est formaliter in diligente, respectu proximi.

Item de Trinit. 15. c. 18. *Nullum est isto Dei dono excellentius*, supple, quòd est charitas; *sed nullum donum Dei est excellentius Spiritu Sancto; ergo Spiritus Sanctus est charitas*. Istud argumentum similiter non valeret, nisi esset de charitate formali, & q͂ Spiritus Sanctus præcisè erit illa.

Si dicatur ad istas auctoritates. Quòd Spiritus Sanctus, dicatur charitas causaliter.

Obuiat in hac litera Magister, adducens August. quòd ipse

A ipſe intelligat formaliter. Dicit enim in 15. de Trinita. cap. 17. *Neque enim d ſturi ſumus, non propterea Deum dictum eſſe charitatem, quod ipſa charitas ſit vlla ſubſtantia, quæ Dei digna ſit nomine, ſed quòd donum ſit Dei; ſicut dictũ eſt de Deo. Quoniam tu es patientia mea; non vtique propterea dictum eſt, quia Dei ſubſtantia, eſt noſtra patientia, ſed quòd ab ipſo nobis eſt; ſicut alibi legitur. Quoniam ab ipſo eſt patientia mea. Hunc quippe ſenſum facile refellit Scripturarum ipſa locutio, tale enim eſt. Tu es patientia mea; quale eſt. Domine ſpes mea, & , Deus meus miſericordia mea; & multa ſimilia. Non eſt autem dictum, Domine charitas mea, aut Tu es charitas mea; ſed ita dictum eſt, Deus charitas eſt, ſicut dictum eſt, Deus Spiritus eſt.*

Præterea per rationem. Omnis creatura poteſt intelligi non bona, quia eſt bona per participationem: charitas non poteſt intelligi non bona: videtur enim bona per Eſſentiam; ergo &c.

Contra. Auguſt. de moribus Eccleſiæ. 4. c. pertractãs illud ad Romanos 8. *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti?*
B &c. *Charitas, inquit, Dei hic dicta, eſt virtus, quæ animi noſtri rectiſſima eſt affectio.*

ARTICVLVS PRIMVS.

Recitatur Opinio, quæ dicitur eſſe Magiſtri Sententiarum.

AD Iſtam Quæſtionem dicitur eſſe Opinio Magiſtri. Quòd ſolus Spiritus Sanctus inexiſtens, ſine aliquo habitu medio informante voluntatem, mouet ipſam ad actum meritorium, aliter, quàm moueat animam ad credere, & ſperare; quia ad credere & ſperare mouet mediantibus habitibus Fidei & Spei. Et ita dicitur negaſſe omnem charitatem creatam.

Pro hac Concluſione, poteſt argui duabus vijs. Prima accipitur ex imperfectione formæ, vel habitus, vel non neceſſitate ad mouẽdum. Vbi arguo Primò, ſic. Sicut ſe habet actus naturalis ad naturalem habitum, ſiue acquiſitum, ita videtur ſe habere actus habitus infuſi, ad habi-
C tum infuſum; ſed habitus acquiſitus tantùm facilitat, & tribuit delectabiliter operari, non autem dat ipſam ſubſtantiam actus: ſicut patet in qu. præcedenti: ergo ſimiliter infuſus, tantùm tribueret delectabiliter operari, aut ſaltem illud tribueret ſi ineſſet; ſed peccator iam iuſtificatus, primò non delectabiliter elicit actum diligẽdi Deum: ita enim videtur ei difficilis reſiſtentia à vitijs, & continuatio bonorum operum, ſicut quando erat in peccatis, vel non multò facilior, quouſque per pugnam, & victoriam paſſionum, acquiſiuerit habitũ, & tunc delectabiliter operatur: igitur non eſt aliquis habitus infuſus illi iuſtificato, quia illo delectabiliter operaretur, ſi ineſſet.

Præterea. Si oſtenderetur bonum ſupernaturale voluntati, in puris naturalibus, voluntas iſtud ſufficienter amabit, quia ſufficienter habet obiectum proportionatum, & approximatum: ergo non requiritur aliquis habitus infuſus ad diligendum bonum ſupernaturale. Aſſumptum probatur. Quia ſi minus bonum oſtenſum voluntati nu-
D dè, poteſt diligi; ergo & maius bonum: ergo ſi ex puris naturalibus voluntas poteſt aliquid diligere, poteſt diligere ſummum bonum, ſi ſibi oſtendatur.

Præterea. Actus ille diligendi, qui eſſet illius habitus ſupernaturalis, eſſet etiam ſupernaturalis: & ita crearetur immediatè; ſupernaturalia enim non producuntur in eſſe, per aliquam mutationem de aliquo, ſed tantùm per creationem; ſi creatur actus; igitur non præſupponit aliquid ſuæ creationi.

Præterea. Habitu contingit vti, cùm habens voluerit, Comment. 3. de anima, cap. 8. ſed non experitur quis ſe poſſe illo habitu vti, cùm voluerit: non enim cùm voluerit poteſt faciliter & delectabiliter elicere actus feruentes amãdi, ſicut patet de contẽplatiuis, qui quandoque experiuntur ſe magnam delectationem habere, quandoque etiã cum æquali conatu minorem, vel nullam.

Secunda via accipitur ex hoc, quòd Spiritus Sanctus ſufficiat mouere ſine habitu. Vbi arguitur Primò ſic. Prima cauſa poteſt per ſe illud, quod poteſt cum ſecunda, quæ ſecunda eſt tantummodo cauſa agens. Vel ſic accipia- E
tur Maior. Cauſa prima poteſt per ſe, quicquid poteſt cum cauſa ſecunda, quæ non eſt de eſſentia rei, (hoc addo propter materiam, & formam in compoſito, & Deus non poſſet compoſitum ſine partibus intrinſecis componentibus cauſare:) ſed habitus, ſi ineſſet, non haberet cauſalitatem neceſſariam reſpectu actus, niſi aliquomodo cauſæ agentis: ſaltem patet quòd non formalis, nec materialis De qua; igitur cauſalitas eius erit extrinſeca; igitur quicquid poteſt Spiritus Sanctus cum habitu cauſare in actu, hoc poteſt ſine habitu; pluralitas ſine neceſſitate non videtur ponenda, quia ſuperfluit.

Præterea. Voluntati habenti habitum, ad hoc quòd agat ſecundùm illum, oportet Spiritum Sanctum cooperari, alioquin non eſſet cauſa prima in omni actione creaturæ; non autem cooperatur, quia voluntas habet iſtum habitum: quia tunc Spiritus Sanctus non eſſet cauſa prima, ſed quaſi cauſa ſecunda, reſpectu voluntatis habentis habitum; quia determinaretur per habitum voluntatis ad coagendum voluntati; ergo è conuerſo, quia cooperatur F
voluntati, ideo voluntas ſecundùm illum habitum operatur; ſed æquè poteſt cooperari, & in primo inſtanti naturæ voluntati non habenti charitatem; ergo &c.

Præterea. Filius Dei ſic eſt vnitus noſtræ naturæ, quòd operabatur opera illius naturæ; ita quòd illi actus, verè dicebantur eſſe Filij Dei, vt ſuppoſiti agentis. Et tamen nihil per hoc derogatur aſſumptæ naturæ, quin ipſa eſſet principium ſuarum operationum; ergo à ſimili, Spiritus Sanctus poteſt aliquomodo vniri voluntati, vt ipſe agat opera voluntatis, nec per hoc derogatur naturæ voluntatis in aliquo, vt principij operatiui.

Præterea. Intellectus eſt magis paſſiuus, quàm voluntas, & minùs actiuus; igitur magis indiget aliquo actuante, ad hoc quòd poſſit in actum ſuum; ſed ponitur poſſe in viſionem beatam abſque omni forma informante, ex hoc ſolo, quòd Eſſentia Dei eſt ſibi præſens, quaſi per modum G
formæ; ergo multò magis voluntas poteſt in omnem actum ſuum, ſine forma informante, per hoc, quòd Spiritus Sanctus ſit ſibi quaſi forma ad diligendum.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Opinio illa impugnatur.

COntra iſtam Concluſionem, ſiue ſit ſecundùm intentionem Magiſtri, ſiue non, arguitur duabus vijs. Prima accipitur ex iuſtificatione peccatoris, ſiue ex acceptione Diuina, & hoc abſque actu elicito. Secunda, ex ratione actus meritorij.

Ex prima via, arguitur ſic. Peccator ante pænitentiam eſt iniuſtus, poſt pænitentiam eſt iuſtus: ſicut Scriptura cõmuniter vocat peccatorem iniuſtum, (*Ezech.* 12, & 18.) & liberatum à peccato iuſtum. Ex hoc arguitur. Iniuſtitia cùm ſit formaliter priuatio, non poteſt auferri ab aliquo, niſi ei detur habitus oppoſitus; quia priuare priuationem, eſt habitum ponere; quia ſunt immediatè oppoſita circa aptum natum. 10. Meta. t. 15. anima eſt apta na- H
ta recipere iuſtitiam; ergo ille iuſtificatus, qui factus eſt de iniuſto iuſtus, recipit habitum oppoſitum illi priuationi; ſi enim nihil ineſſet ſibi formaliter nunc quam prius, non magis careret priuatione nunc, quàm prius caruit.

Præterea. Peccator ante pænitentiam eſt indignus vita æterna, poſt pænitentiam eſt dignus; non eſt autem dignus, niſi per aliquid formaliter ſibi inhærens, cui ſecundùm regulas Diuinæ iuſtitiæ, iudicatur vita æterna reddenda, & nihil tale prius habuit; igitur aliquid poſitiuum eſt formaliter in iſto, per quod eſt dignus vita æterna.

Præterea. Deus non acceptat peccatorem ad vitam æternam, iuſtum tamen acceptat. Quæro. Quid eſt acceptare ad vitam æternam? Hoc non eſt velle, voluntate beneplaciti, beatificare pro nunc, quia tunc beatificaret ſtatim; ergo hoc eſt velle iſtum ſecundùm diſpoſitionem, ſecundùm quam nunc habet, eſſe dignum tali præmio, quem prius non voluit eſſe dignum. Iſta diuerſitas non poteſt poni (vt videtur) in voluntate Diuina, quia nihil

A est ibi nouum; quia immutabilis: non igitur hoc erit nisi propter diuersitatem à parte illius, quia illo eodem modo se habente, voluntas Diuina eodem modo vult ipsum se habere.

Confirmatur ista ratio. Quia volitio Diuina, quæ est omnino vnus actus in se, non habet rationem oppositorum actuum, siue distinctorum, absque omni distinctione obiectorum: hoc enim velle Diuinum non est velle quoddam beneplaciti, vel nolle, nisi illa obiecta distinguātur; alioquin cōtradictoria erunt vera absq; omni distinctione causante istam veritatem; ergo cùm Deus velit istum iustificatum ad aliquid, ad quod non vult peccatorem, propter quam diuersitatem dicitur diligere iustos, & odire peccatores in Scriptura, sequitur, quòd ista distinctio secundùm rationem, ex parte volitionis Diuinæ, necessariò requirat distinctionem actualem, ex parte ipsorum obiectorum: aliter igitur se habet iste in se, quando dicitur dilectus à Deo, vel acceptus ad vitam æternam, aliter quando oditus.

B Vltimò, secundùm istam viam arguitur, sic. Quia si nihil aliud est in anima illius post pænitentiam quàm ante, non videtur quòd aliquo alio modo se habeat ad Deũ, nec Deus ad ipsum; quia non videtur ibi esse alietas, propter mutationem aliquam ex parte Dei factam; ergo si concedatur, (sicut videtur necessarium,) quòd aliquomodo aliter se habet ad Deum, & è conuersò: hoc est propter mutationem ipsius, & ita aliquid infiet sibi formaliter de nouo; non autem infiunt ei de nouo Fides, & spes, quia manent ista in peccatore; ergo Charitas.

Posset etiam argui secundùm istam viam. Quia Deus offensus peccatori priùs, postea pænitenti remittit offensam: hoc non est per mutationem aliquam voluntatis Diuinæ sicut in me potest esse, quando remitto offensam; igitur hoc est propter hoc, quòd ille cui remittitur offensa, aliter se habet in se.

Sed istud Argumentum non concludit: sicut patebit in 4. dist. 16. q. 6. vbi dicetur quòd priùs natura Deus remittit offensam peccatori, quàm det ei gratiam.

C Vnde Argumenta si quæ valent, secundùm istam viam, accipienda sunt, ex iusta acceptatione passiua, & ordine siue dignitate ad vitam æternam, quæ conueniunt iustificato, & non peccatori, sicut argutum est priùs, non autem ex sola remissione offensæ: quod secundùm se est minus, quàm iustum esse.

Ex Secunda via, arguitur sic. Nihil dicitur formaliter agere aliqua actione, nisi principium illius actionis sit forma agentis. Hoc accipitur ex 2. de anima, t. 5. & 24. vbi ex hoc, quòd *anima est id quo viuimus, & sentimus*: concluditur, quòd anima est actus & forma sic agentis; igitur cùm operatio meritoria sit voluntatis, vel hominis per voluntatem operantis; sequitur, quòd illud quo meritoriè agit, sit forma eius; hoc autem quo meritoriè agit, non potest esse pura natura; quia tunc ex solis naturalibus posset meritoriè agere: (quod videtur error Pelagij;) igitur requiritur aliquid supernaturale: non Fides, vel Spes, patet: quia manent in peccatore: ergo Charitas.

D Præterea. Nulla actio est in potestate agentis, nisi ipsũ habeat formam, secundùm quam possit agere. Si enim per aliquid tantùm extrinsecum coassistens sibi, quod non est in potestate eius possit agere, talis actio non est in potestate eius, sicut nec coassistentia illius extrinseci; est in potestate eius; sed Spiritum Sanctum coassistere voluntati, nõ est in potestate volũtatis, sicut nec vniuersaliter actio causæ superioris, est in potestate causæ inferioris; igitur si ex sola tali coassistentia possit agere, & non habeat in se formam, qua sufficienter possit exire in actum meritorium, sequitur quòd actus meritorius non erit in potestate eius: quod videtur inconueniens.

Præterea. Si Spiritus Sanctus moueat specialiter volũtatem in actionem meritoriam, sequitur quòd illa motio est creatio alicuius in ipsa voluntate, & respectu illius voluntas non habebit aliquam causalitatem, sed tantùm receptionem passiuam: igitur, vel illud est actus diligendi; & ita sequitur quòd actus diligendi nullo modo est à voluntate: Vel illud est aliquid naturaliter præcedens actum diligēdi, & illud voco habitum: quia perfectio prior actu, E quæ accipitur in potentia habituali, videtur esse habitus.

Præterea Quartò. Non minor identitas est Patris ad Filium, quàm posset esse quæcunque vnio Spiritus Sancti ad voluntatem, quia in eadem natura: sed propter illam identitatem, non dicitur Pater operari aliquid Filio, sicut patet secundùm Aug. 7. de Trin. c. 1. & 4. quòd *Pater non sapit sapientia genita*: ergo nec multò magis voluntas dicetur aliquid operari, propter vnionem Spiritus Sancti cooperantis ad ipsam.

ARTICVLVS TERTIVS.

Motiua alia adducuntur, cur debeat poni habitus infusus charitatis, seu gratia in anima.

QVantùm ad istum Articulum. Potest dici. Quòd ex nullo actu quem experimur, nec ex substantia actus, nec ex intensione actus, nec ex delectatione, F siue facilitatione in operando, neque ex bonitate siue rectitudine morali actus, possumus concludere aliquem talem habitum supernaturalem inesse. Quia quocunque istorum dato, posset aliquis habens charitatem cognoscere certitudinaliter se esse in charitate, ex hoc scilicet, quòd actum illum sibi experiretur inesse, vel actum sic intensum sibi inesse, vel sic delectabiliter, vel faciliter inesse, vel rectæ rationi consonum esse.

Ratio autem quare non potest concludi ex actu, vel aliqua conditione ipsius actus: talẽ habitum inesse, est. Quia vel actus potest ex sola potentia habere omnia prædicta, concurrente ratione recta; sicut tenendo Quartam viam in præcedenti solutione positam: vel si concurreret habitus aliquis propter aliquam conditionem prædictarum, posset ille esse aliquis habitus acquisitus; posset enim amicitia acquisita, tantam intensionem actui dare, sicut causa secunda cum potentia, vt prima; posset etiam tantam facilitatem & delectationem tribuere; posset etiam habitus ita consonus esse rationi rectæ, quòd actus elicitus nullam cō- G ditionem euidenter apparentem haberet, ex qua necessariò concluderetur ipsum elici secundùm habitum supernaturalem.

Quodsi dicas. Subitò mutatur voluntas vt intensè, & faciliter & delectabiliter operetur, & hoc, modo consono supernaturali rationi, hoc est, ad dictamen fidei, & nõ potest ita subitò acquirere habitum amicitiæ ordinatæ consonum fidei, igitur habet habitum aliquem non acquisitum, quo ad subitò agendum inclinatur.

Respondeo. Voluntas potest satis subitò mouere quãtùm ad actus naturales, qui subsũt totaliter potestati eius. Quia sicut dicit August. 1. retractat. cap. 22. *Nihil tam est in potestate voluntatis quàm ipsa voluntas*. Igitur ex tali subitatione, non potest concludi propositum.

Dico igitur. Quòd vltra omnes conditiones prædictas, videlicet, vltra intensionem actus, delectationem, facilitationem in agendo, rectitudinem siue bonitatem, & cōformitatem rationi rectæ, siue rectæ secundùm dictamen prudentiæ, siue secundùm dictamen fidei, vltra inquam H hæc omnia, creditur esse vna conditio in actu, videlicet, quòd est acceptabilis Deo, non quadam communi acceptatione solummodo, quatenus acceptat omnem creaturam; vel quo etiam modo vult actum substratum peccato, alioquin non esset ab ipso; sed ex acceptatione speciali, quæ est in voluntate Diuina, ordinatio huius actus ad vitam æternam, tãquam meriti condigni ad præmium; hoc modo credimus etiam naturam nostram beatificabilem iustã, esse habitualiter acceptam, hoc est, quando nõ actualiter operatur: adhuc tamen voluntas Diuina eam ordinat ad vitam æternam, tanquam dignam tanto bono, secundùm dispositionem, quam habet habitualiter in se.

Propter hanc acceptationem naturæ beatificabilis habitualem, etiam quando non operatur, & propter acceptationem actualẽ, actus eliciti à tali natura, oportet ponere vnum habitum supernaturalem, quo habens formaliter acceptetur à Deo, à quo actus elicitus eius acceptetur tanquam meritorius: sic enim non videtur acceptari natura,

tura,

A tura, vel actus, sine aliquo habitu informante; quia (sicut argutum est) non videtur Deus aliam volitionem secundũ rationem habere, de obiecto nullo modo diuersificato; nec etiam actus vt acceptabilis Deo, videretur esse in potestate agentis, nisi illud quo formaliter ageret sic, esset forma eius.

Sed dubium est. Qualiter habitus iste, sit ratio acceptãdi naturam, & actum? Ratio enim acceptandi naturam videtur esse, sicut quidam decor naturæ complacens volũtati Diuinæ, ita, quòd siue ponatur habitus iste actiuus, siue non actiuus, ex hoc solo quòd est talis forma decorans, & ornans animam, potest esse ratio acceptandi naturam, sed ad actus acceptationem plùs requiritur, quàm quòd agens habeat hunc decorem spiritualem: alioquin habens talem habitum, non posset habere actum indifferentem aliquem, nec peccare venialiter: quod est inconueniens. Consequentia patet. Quia neutrum istorum tollit istum decorem operantis, & ita vtrumque esset acceptũ, si actus acceptaretur ex solo decore operantis.

B Oportet igitur dicere. Quòd iste habitus, præter hoc, quòd est decor spiritualis, etiam est inclinans ad determinatos actus; & hoc, siue non actiuè, secundùm Quartam viam, positam in solutione præcedentis Quæstionis, siue (quod magis videtur) actiuè, secundùm Tertiam viam.

Quod probatur Primò. Quia alioquin videretur, quòd sine isto, posset haberi actus intensissimus diligendi Deũ, & hoc tam in via, quàm in patria; & ita beatitudo; quia in illo instãti naturæ, in quo elicitur actus à principio actiuo, si sola voluntas esset principiũ actiuum, ipsa esset principium inquantum actiuum, æquè perfectum sine isto habitu, sicut cum isto; & ipsa potentia posset æquali conatu agere, vt patet: ergo perfectissimus actus diligẽdi sine habitu tali haberi posset.

Secundò probatur idem. Quia alioquin non videretur verum esse, quod dicit Augu. de libero arbit. quòd *gratia se habet ad liberum arbitrium, sicut sessor ad equum*; quia sessor actiuè regit, & mouet equum, qualiter vult. Nec etiam illud quod dicit in epistola ad Sixtum. *Voluntate*, inquit, C *concomitante, non præeunte: pedissequa, non domina*; non autẽ esset voluntas pedissequa gratiæ, si ipsa gratia nullam causalitatem haberet.

ARTICVLVS QVARTVS.

Quæ sit causa principalis actus meritorij potentia nè an habitus charitatis infusus?

SEd tunc est vlterius Dubium, de isto habitu comparato ad potentiam operantem, quæ videlicet istarum debet dici prima causa, & quæ secunda? Videtur enim ex dictis, quòd gratia est causa prima.

Sed oppositum ostenditur. Primò. Quia potentia vtitur habitu, & non è conuerso.

Et Secundò. Quia actio non esset libera, si gratia esset prima causa. Voluntas enim naturaliter moueretur, quia gratia naturaliter moueret; & sicut voluntas non liberè moueretur, ita nec liberè ageret, cùm non ageret, nisi D quia mota.

Tertiò. Quia vt videtur, voluntas semel habens gratiã, nunquam posset peccare; quia causa secunda semper sequitur motionem causæ primæ, nec potest moueri ad oppositum illius, ad quod prima causa mouet.

Quartò. Voluntas est illimitatior ad actus, quàm ipse habitus; illimitatio autem ad plures effectus, videtur competere causæ superiori.

Hìc potest dici. Quòd in actu meritorio, de quo est sermo, duo considerare oportet, videlicet, illud quod præcedit rationem meritorij; & in hoc gradu includitur, & intensio actus, & substantia actus, & rectitudo moralis: vltra hoc, considero & ipsam rationem meritorij; quod est sic esse acceptum à Diuina volũtate in ordine ad præmiũ, vel acceptabile esse, siue dignum acceptari.

Hoc secundum membrum verius esset, si actus esset cõpletè meritorius per aliquid, quod esset in merente: Acceptare enim nõ est in ipso, sed est actio Diuina; actio autem Diuina, non videtur per se requiri ad meritum. Quod E etiam probatur. Quia respectu huius acceptari, videtur esse meritum. Nam aliquis actus dignus est, aliquis alius non; igitur antequam intelligatur acceptatus, est aliquid in actu, quo dignus sit acceptari; ergo tunc est in ipso ratio meriti, saltem respectu acceptationis.

Contra. Ratio meriti non habetur completè, nisi habeatur ratio digni, vel dignè ordinabilis ad præmiũ, quod est beatitudo; & hoc dignè, secundùm iustitiam commutatiuam, siue retributiuam; sed quicunque actus ex solis intrinsecis agenti, non habet hunc ordinem, tunc.n. Deus non posset ei, qui sic operatus est, non retribuere beatitudinem, nam iniustè eam sibi subtraheret: hoc autem est falsum; ergo talis ordo secundùm iustitiam, est ex sola voluntate Diuina, gratuitè ordinante, & ita ratio meriti cõpletè erit ex ordinatione voluntatis Diuinæ illius actus ad præmium.

Et quod adducitur pro secũdo membro, quòd actio Diuina non est de ratione meriti. Respõdeo. Relatio in actu merentis ad actionem Diuinam, est de ratione meriti, quę F relatio non est sine actione Diuina.

Si dicas. Quòd tunc non est in potestate merentis mereri, sicut nec in potestate eius est illa actio Diuina.

Similiter principaliùs erit Dei mereri, quàm mei, quia principalius in merito est ex actione Diuina.

Ad Primum. Dico, quòd actus, qui est meritum, est in potestate mea, supposita influentia generali; si habeo vsũ liberi arbitrij, & gratiam: sed completio, in ratione meriti, non est in potestate mea, nisi dispositiuè, tamen sic dispositiuè, quòd ex dispositione Diuina semper sequitur illud completiuum ad agere meum; sicut semper sequitur animatio ad organizationem factam à causa naturali.

Per idem dico ad Secundum. Quia licèt principalius, id est vltimum & completiuum in merito, sit à Deo: non sequitur tamen; ergo Deus meretur; quia meritum est actus potentiæ liberæ, & secundùm inclinationem gratiæ elicitus, acceptus Deo vt præmiabilis beatitudine, & ita mereri, est sic agere; Deus autem non sic agit.

G Contra. Saltem principalius in merito est à Deo. Respondeo. Si principalius dicatur vltimum completiuum. Concedatur: Si verò dicatur prima realitas, vel perfectior realitas. Negetur. Quia actus est absolutum quid, & priùs natura ista acceptatione passiua, & magis Ens ea.

Ad illud quod Secundò adducitur per Secundo mẽbro, quòd actus meretur acceptari. Respondeo. In hoc est ratio meriti secundùm quid; quia non est ordinatio actus ad beatitudinem, vt ad præmium iustè reddendum pro tali actu; Et conceditur, quòd acceptatio ista passiua Diuina non includitur in ratione meriti secundùm quid, sicut nõ requiritur in ratione meriti de congruo, quomodo attritus meretur iustificari.

Et quod prædictum est, est intelligendum de acceptatione æterna qua Deus ab æterno prouidens hunc actum, ex talibus principijs eliciendum, voluit ipsum esse ordinatum ad præmium; & ita actu voluntatis suæ, ordinando ipsum ad præmium voluit ipsum esse meritum; qui secundùm se consideratus, absque tali acceptatione Diuina, secundùm strictam iustitiam, non fuisset dignus tali præmio, ex intrinseca bonitate, quã haberet ex suis principijs: H quod patet. Semper præmium est maius bonum merito, & iustitia stricta non reddit melius, pro minùs bono. Ideo benè dicitur, quòd Deus semper præmiat vltra meritum condignum: vniuersaliter quidem vltra dignitatem actus, qui est meritum; quia quòd ille actus sit condignum meritum, hoc est vltra naturam & bonitatem actus intrinsecam, ex mera gratuita acceptatione Diuina, Et fortè adhuc vltra illud, ad quod de communi lege esset actus acceptandus, quandoque Deus præmiat ex mera liberalitate.

Vlteriùs. Sicut in actu meritorio sunt duo producta, scilicet substantia actus cum rectitudine, & ratio meriti; sic habitus gratiæ, est quædam qualitas, & præter relationem illam, quam habet ad rationem rectam, inquantum est habitus bonus moraliter habet specialem relationem ad voluntatem Diuinam acceptantem ipsum, vel subiectũ habens ipsum: habitus ille secundùm substantiam inclinat

A nat actiuè ad actum secundùm substantiam, & hoc actiuè, vt causa partialis, tenendo Tertiam viam in præcedenti solutione: & in hac causalitate, habitus est causa secunda, & potentia causa prima; sicut dictum est in solutione præcedenti, de habitu communiter, & potentia, ponendo habitum actiuum; & hoc probant rationes nunc adductę. Sed accipiendo actum, secundùm rationem meritorij. Potest dici. Quòd principaliter illa conditio conuenit actui ab habitu, & minùs principaliter à voluntate. Magis enim acceptatur actus, vt dignus præmio, quia est elicitus à charitate, quàm quia est à voluntate liberè elicitus; quamuis vtrumque necessariò requiratur.

Exemplum huius potest poni de diuisione alicuius corporis, mediāte cultello. Ipsa quidem diuisio absolutè, magis est à potentia diuidente, quàm à cultello: & ideo potētia motiua fortior, velociùs diuidit; sed tamen inquantum hæc diuisio comparatur ad visum, sub ratione acceptabilis, vt cui placeat, magis attribuitur cultello, quia lenitas partium diuisarum, quæ placet visui, magis est ex acutie B instrumenti, quàm ex efficacia virtutis principaliter diuidētis. Similiter. Sonus magis est ex percussione corporis sonantis, quàm ex percussionis ordine; & tamen vt acceptabilis auditui, magis est ex ordine percussionis, quàm ex efficacia potentiæ percutientis, imò posset esse efficaciter vis percutientis, & tamen omnino non acceptaretur auditui, quia non esset sonus harmonicus.

Aliud exemplum. Etsi enim pater sit causa principalior respectu Filij, & mater minùs principalis; tamen ipsa potest esse causa principalior Filij, inquantum dilecti vel diligibilis alicui, hoc est, quòd Filius magis diligatur; quia est matris vt gignentis, quàm quia est patris vt gignentis.

Ita Deus, potest ordinasse aliquem actum acceptare tāquam dignum tali præmio, vel acceptabilem, vel acceptādum esse; quia ad illum actum inclinat habitus aliquis, vt principium actiuum eius partiale, & quòd principaliùs per hoc acceptetur, vel acceptabilis sit, quàm quia est à reliqua causa partiali.

C Secundùm igitur hoc, potest exponi illud Aug *Charitas est sicut sessor ad equum*.

Et illud etiam. Quòd *voluntas respectu gratiæ pedissequa est & non præuia*. Hoc quidem verum est, respectu actus, inquantum meritorius est; sed non inquantum est iste actus in substantia.

Et Primum exemplum esset omnino idem, vel simile, si equus esset liber, & sessor per modum naturæ, esset dirigens equum ad certum terminum. Tunc magis placere possit, & hoc alicui ordinatè voluntati, cursus equi, ex hoc, quòd est secundùm inclinationem naturalem ipsius sessoris ad certum terminum, quàm ex hoc, quòd equus vi sua motiua velociter curreret. Tunc etiam posset equus ex sua libertate sessorem deijcere, vel præter eius directionem in terminum alium se mouere: & in primo quidem fieret equus omnino non acceptabilis, quia non haberet sessorem, propter quem acceptaretur à tali voluntate: in secundo, licèt equus talis esset acceptabilis, non tamen cursus eius acceptaretur; quia non esset secundùm directionē sessoris.

D Hoc modo in proposito. Volūtas enim est, quasi equus liber, & gratia, quasi sessor per modum naturæ, inclinans ad obiectum per modum determinatum, secundū huius inclinationem, actus voluntatis placet, aliter non placeret; sicut quando est peccatum veniale vel actus indifferens: quando autem sessor abijcitur, quod fit per peccatum mortale; omnino ipsa voluntas fit displicens.

Hoc etiam modo voluntas est pedissequa: quia non ex se ita determinatè inclinat ad terminum, propter quam inclinationem actus acceptatur, sicut gratia inclinat, & voluntas potest illud participare à gratia; quia competit gratiæ magis per essentiam, quàm sibi, & in hoc ipsa erit causa secunda: tamen in eliciendo actum, voluntas habet primam rationem motiui, ita quòd in causando aliquid intrinsecum actui, non sit voluntas secunda causa, sed in essendo, propter quod actus acceptetur, quod dicit respectum eius ad extrinsecum: satis quippe possibile est, præter causam principaliorem effectus, competere illi effectui aliquam relationem ad extra minùs principaliter, quàm E propter causam eius principalem; sicut patet in exemplis supra positis.

Habet autem & habitus ille, sicut & quilibet alius habitus moralis, inclinare determinatè ad obiectum, siue ad finem ex virtute obiecti, quam aliquomodo participat. Nam sicut habitus intellectualis habet aliquomodo in se obiectum præsens, tanquam sub ratione obiecti intelligibilis: ita habitus moralis, habet quodammodo obiectum in se sub ratione boni diligibilis: & ita sicut ille habet virtute obiecti quodammodo agere ad præsentiam obiecti, ita iste virtute obiecti, suo modo contenti, habet inclinare in obiectum.

Et ex hoc apparet, quomodo habitus magis determinatè inclinat ad obiectum, quàm potentia; quia determinatiùs includit obiectum.

Et secundùm hoc etiam posset dici, quòd illa causalitas partialis, quæ attribuitur habitui, conuenit sibi ex parte, qua obiectum dicitur actiuum respectu actionis, & non ex ea parte qua potentia dicitur actiua; quia magis habitus F vim suam habet ex obiecto, quod determinatè includit, quàm ex ipsa potentia.

Et si tunc arguatur, sicut argutum fuit in præcedenti solutione, quòd habitus determinat & inclinat potentiam; ergo est causa prior. Responsio quæratur alibi.

ARTICVLVS QVINTVS.

An sit simpliciter necessarium ponere habitum supernaturalem charitatis, ad hoc, vt natura creata beatificetur?

DE Quinto Articulo. Dico. Quòd Deus de potentia absoluta, benè potuisset acceptare naturam beatificabilem, acceptatione speciali prædicta, existentem in puris naturalibus. Et similiter actum eius, ad quem esset inclinatio eius merè naturalis, potuisset acceptare vt meritorium. Sed non creditur ita disposuisse, quòd naturam G puram, vel actum eius sic acceptet; quia actum ex puris naturalibus esse meritorium, appropinquat errori Pelagij: ideo verisimiliùs creditur, quòd acceptet naturam & actū eius tanquam meritorium per habitum supernaturalem.

Sed est duplex Dubitatio. Vna. Quomodo aliquid in natura creata possit esse ratio, quare acceptatur à voluntate Diuina, vel absolutè, vel tali modo, cùm nihil in creatura sit ratio actus Diuini, nec in se, nec vt tendit super tale obiectum?

Alia. Quia circūscriptum omni dono supernaturali, est distinguere inter amicum & inimicum; vt inimicus dicatur in quo est peccatum non deletum, & ideò manet offensa: non inimicus dicitur, in quo non est offensa; sed ante collationem omnis boni supernaturalis posset alicui inimico dimitti offensa: sicut dicetur in 4. distin. 1. quæst. 6. Et dist. 14. q. 1.

Ad ista. Responsionem quære.

Quantùm igitur ad istum Articulum. Non est necessarium ponere habitum supernaturalem gratificantem, loquendo de necessitate respiciente potentiam Dei absolutam, præcipuè cùm possit dare beatitudinem, sine omni H merito præcedente: licèt sit necessarium, loquendo de necessitate quæ respicit potentiam Dei ordinatam; quam ordinationem colligimus ex Scriptura, & ex dictis Sanctorum, vbi habemus quòd peccator est indignus vita æterna, & iustus dignus.

ARTICVLVS SEXTVS.

An Magister ita senserit, vt narratur Primo Articulo: simulque Argumenta pro illo Articulo adducta soluuntur.

QVantùm ad Sextum Articulum. Posset dici. Quòd Magister non negat omnem habitum supernaturalem. Ipse quippe dist. 37. c. illo illud quoque mirabile adducit August.. ad Dardanum, dicentem, quòd *ad templū Dei pertinent pueri sanctificati, qui non valent cognoscere Deum*; ergo Deus inhabitat paruulum, qui tamen non

potest

A poteſt habere actum elicitum circa Deum. Iſta inhabitatio quæ competit paruulò regenerato, & non alij, non poteſt eſſe ſine omni habitu ſupernaturali in ipſo paruulo: nec enim poteſt poni propter actum; quia talem actum nō habet, nec habere poteſt: nec propter naturam ſolam; quia non inhabitat alium paruulum non regeneratum, cùm in eo ſit eadem natura. Similiter 26. diſt. lib. 2. videtur ponere gratiam creatam in anima.

Itaque poteſt dici. Quòd Magiſter poſuit vnum habitum, quo informante animam Spiritus Sanctus inhabitat; & vt inhabitans, quaſi perficit potentias habitibus ſupernaturalibus: duas quidem, intellectum & voluntatem, fide & ſpe, ad credendum & ſperandum; ſed voluntatem nullo alio habitu ad amandum, quàm iſto per quem dicitur inhabitare; quia actus iſte amandi eſt ita perfectus, quòd poteſt attribui immediatè illi habitui, quo formaliter inhærente, Spiritus Sanctus inhabitat, tanquam perfectiſſimo habitui; non ſic præſens actus credendi & ſperandi poteſt attribui immediatè illi habitui, per quē B Spiritus Sanctus inhabitat, propter imperfectionem iſtorū actuum, & perfectionem illius habitus, quo Spiritus Sanctus inhabitat mentes: iſte enim debet eſſe ita perfectus, quòd nec in patria euacuetur, quando anima erit templū Dei; tunc enim non manebunt credere & ſperare.

Et hoc modo auctoritates Aug. faciant pro Magiſtro. Non quòd nullus ſit habitus ſupernaturalis formaliter gratificans animam; ſed quòd non alius ab iſto, per quem Spiritus Sanctus inhabitat animam, eo modo, quo habitus credendi & ſperandi alius eſt ab habitu quo inhabitat. Et hoc patebit ſoluendo rationes, quæ adducuntur pro prima parte Quæſtionis.

Secundùm hoc igitur, non videtur Magiſter diſcordare ab alijs: niſi quia, vel ponat gratiam alium habitum eſſe à charitate; vel ſaltem dicat iſtum habitum qui realiter eſt gratia, formaliter eſſe in voluntate, & non in eſſentia animæ: quia tunc nō inhabitaret Spiritus Sanctus per habitum vnum, quaſi radicalem, reſpectu fidei & ſpei, niſi primò inſint; ſed inhabitaret per habitum formaliter C informantem voluntatem, qui quodam ordine naturæ eſſet poſterior fide & ſpe.

Sed tenendo eundem habitum eſse realiter charitatē & gratiam, vtrum ille habitus informat eſſentiam animæ primò, & ſic à Spiritu Sancto inhabitante eſsentiam animæ, fluant virtutes informantes potentias, vel ſit in voluntate formaliter, iam præſuppoſitis fide & ſpe in potentijs: De hoc in 2. libro diſt. 26. Saltem charitas non videtur alius habitus realiter ab iſto, per quem Spiritus Sanctus inhabitat animam: & ita non ſic Spiritus Sanctus per habitum medium alium ab iſto quo inhabitat, mouet ad diligere, ſicut mouet ad credere & ſperare.

Ad Argumenta pro Opinione quæ imponitur Magiſtro, quæ videlicet negat habitum ſupernaturalem gratificantem.

Ad Primum. Dico. Quòd iſte habitus ſimpliciter dat acceptabiliter operari, & etiam dat aliquam actiuitatem reſpectu actus, ſicut aliqua cauſa ſecunda reſpectu eius; D ſed non dat delectabiliter, neque faciliter, quæ cōueniunt habitui acquiſito, inquantum diſtinguitur ab infuſo per hoc, quod acquiritur ex frequenter agere.

Ad Secundum. Quamuis aliqui dicant. (*vt D. Tho. & Henr.*) Voluntatem in puris naturalibus nullum actum poſse habere circa obiectum ſupernaturale viſum; tamen hoc improbatum eſt diſt. 1. q. 4. Concedo igitur, quòd poſſet habere actum circa tale obiectum oſtenſum ſiue nudè, ſiue per actum fidei; ſed iſte actus circa obiectum oſtenſum à fide, non eſſet meritorius, quia non eſſet ſecundùm inclinationem illius habitus, ſecundùm quem ſolus Deus diſponit acceptare actum: nec etiam in primo eſſet beatitudo; quia non eſſet ita perfectus, ſicut poſſet haberi à tali potentia, ſi eſſet perfecta proportionaliter habitui ſupernaturali.

Et ſi obijcias. Quòd ille actus circa Diuinam Eſſentiā viſam, poſſet eſſe ita perfectus, quòd totaliter quietaret voluntatem, quia eliceretur ſecundùm totum conatum eius, & per conſequens eſſet beatificus. Quod etiam videtur. Quia talis voluntas haberet quicquid vellet, & nihil vellet mali; hoc autem eſt eſse beatum, ſecundùm Aug. 13. de Trin. cap. 5. vel 15. E

Reſpondeo. Quòd non ſolùm illa voluntas non eſset beata, quia non haberet quicquid vellet, eo modo quo deberet velle; deberet enim velle acceptabiliter diligere, & hoc non haberet: ſed etiam non eſset beata, quia non haberet actum ita perfectum, ſicut competeret ſibi in gradu naturæ ſuæ. Nulla enim potentia habitualis poteſt habere actum ita perfectum ſine habitu, ſicut cum habitu: imò quantò potentia eſt perfectior, tantò minùs poteſt habere actum proportionabilem ſuæ perfectioni, ſi careat omni habitu: quia ex quo eſt ſimilis proportio Geometrica duarum potentiarum inæqualium ad habitus proportionaliter perfectiuos, erit aliqua proportio Arithmetica: & ita ſimpliciter magis deficit potentia perfectior, ſi nō perficiatur per habitum, quàm potentia imperfectior.

Quod etiam additur. Quia habet quicquid vult. Reſpondeo. Non tanta volitione, quanta poteſt ordinatè appetere illud obiectum. Poteſt enim ordinatè appetere habere illud tanto actu, quantus competeret ſibi ex natura potentiæ & habitus proportionalis ſibi, & non tantùm ita perfecto actu, ſicut competit ſibi ex puris naturalibus: non aūt haberet primo modo, ſed tantùm ſecundo modo. F

Contra illud. Videtur quòd tunc nulla voluntas eſset beata, quæ non haberet charitatem maximam, cuius eſset capax. Præterea, (ſicut argutum fuit in præcedenti ſolutione) ex ratione qua potentia eſt perfecta in ſummo gradu potentiæ, poteſt in ſupremum gradum, ſeu in ſupremum actum, ita quòd nihil deficit ſibi ex defectu habitus; ergo voluntati in quocunque gradu, nihil deficit in iſto gradu, propter defectum habitus.

Ad Primum. Reſpondeo. Quòd non poteſt ordinatè velle habere obiectum beatificum maiori actu quàm correſpondente meritis ſuis: talis non eſt maximus, cuius eſt capax; ſemper tamen eſt maior illo, quē poſſet habere exiſtens in puris naturalibus.

Ad Secundum. Dico, quòd voluntas infinita continet in ſe eminenter per identitatem totam perfectionem habitus; & ideo nullam perfectionem minorem dat actui; G quia non intelligitùr informari habitu: ſed potentia finita, non includit per idētitatem habitum proportionalem ſibi; & ideo poteſt deficere à perfectione ſibi conueniente in agendo, ſi non perficiatur habitu.

Ad Tertium. Dico: quòd actus iſte nō creatur, loquendo propriè de creatione. Tum quia reſpectu eius concurrit aliqua cauſa ſecunda actiua; creatio autem eſt ſolius agentis primi, ſine cauſa ſecunda. Tum quia hìc præſupponitur aliquod receptiuum ipſius actus, puta voluntas, in creatione autem nihil ſuſceptiuum pręſupponitur. Quando igitur dicitur: quòd omne ſupernaturale creatur. Si concedatur de omni actu primo ſupernaturali: non oportet cōcedere de ſupernaturali, qui eſt actus ſecundus; quia ad ipſum concurrit potentia creata; & in ratione actiui aliquomodo, & in ratione receptiui: tamen poteſt dici ſupernaturalis, ratione formæ, ſiue habitus concurrentis ad eius productionem, licèt non immediatè creetur. H

Aliter poteſt dici. Quòd actus non eſt propriè ſupernaturalis, quia etſi habitus præſuppoſitus ſit à cauſa ſupernaturali; immediatè tamen iſte poſitus in eſse, eſt cauſa naturalis reſpectu ſui actus: & ideo actus qui producitur per talem habitum, non eſt propriè ſupernaturalis: ita enim naturaliter poteſt ſe habere ad actum ſuum forma, quæ ſupernaturaliter producitur, ſicut ſe habet ad actū ſuum forma, quæ eſt merè naturalis, ita quòd differentia in productione formarum, non cauſat, nec concludit diſtinctionem earum, in comparatione ad ſuos effectus.

Ad Quartum. Dico: quòd in poteſtate voluntatis eſt, non impeditæ, vti iſto habitu; & quando cum æquali conatu operatur voluntas, habitus æqualiter ſibi cooperatur, quia habitus ex parte ſui agit per modum naturæ: nec tamen ſemper erit æqualis delectatio conſequens actum elicitum; delectatio quippe eſt ab obiecto, quod attingitur per actum, & non tantùm ab ipſa potentia agente circa obiectum. Nunc autem quando obiectum non eſt præ-

ſens

A sens in se, sed in ænigmate, potest ab obiecto delectatio diuersimodè causari, nunc plùs, nunc minùs licèt actus circa ipsum, & æquè intensus semper eliciatur, ex æquali conatu.

Quod igitur dicitur de contemplatiuis. Verũ est de deuotione, hoc est, de delectatione consequente actum; non autem de ipso actu amandi elicito, qui quandoque est intensior, & magis meritorius, licèt ipsum sequatur minor delectatio, vel quasi nulla: & quandoque minorẽ actum, & in se, & in acceptatione Diuina, concomitatur maior delectatio, ad alliciendum paruulos, vt auidiùs sequantur illud, cuius dulcedinem prægustarunt.

Ad Primum de Secunda via. Concedo. Quòd Spiritus Sanctus posset actum causare immediatè in voluntate, & ipsum tanquam à se creatum, acceptare tanquam dignum vita æterna. Sed nec tunc iste actus esset voluntatis, vt in potestate eius, nec credimus ipsum talem actũ acceptare; quia disposuit actum liberi arbitrij, & qui esset in potestate eius, acceptare.

B Ad Secundum. Dico: quòd Spiritum Sanctum cooperari igni ad calefaciendum, non est miraculum; cooperari autem aquæ frigidæ ad calefaciendum, si tamen sine contradictione posset sibi competere aliqua causalitas respectu calefactionis, hoc esset miraculum. Ita dico in proposito. Quòd Spiritum Sanctum cooperari voluntati habituatæ ad actum eliciendum, secundùm illum habitum, hoc est de communi lege, qua Deus assistit causæ secundæ ad suum actum; sed ipsum cooperari voluntati nõ habituatæ, esset miraculum; si tamen voluntas ipsa posset operari.

Dico ergo. Quòd Spiritus Sanctus cooperatur voluntati habenti charitatem; non quidem quia habet charitatem, ita quòd charitas eius sit causa prior mouens Spiritum Sanctum ad cooperandum; sed quia Spiritus Sanctus omni causæ secundæ generaliter cooperatur ad illum actum, ad quem secundùm formam suam ordinatur, quomodo est diligere in voluntate habituata.

Cùm igitur dicis. Quòd priùs operatur Spiritus San-
C ctus, quàm voluntas habeat charitatem. Falsum est: nisi intelligatur de prioritate eminentiæ, sicut causa superior. Simul quippe cooperatur Spiritus Sanctus voluntati habenti charitatem, & ipsa operatur.

Aut si concedatur, quòd priùs cooperetur Spiritus Sanctus, quàm habeat charitatem. Non sequitur: Ergo æquè posset cooperari voluntati non habenti charitatem. Quia non ita cooperatur non habenti formam ad agendum, sicut habenti.

Ad Tertium. Dico: quòd si per communicationem idiomatum operationes humanæ verè dicantur de verbo; tamen actus proprij Verbi in natura Diuina non erant in potestate illius hominis, vt ipse inquantum homo posset mereri actibus illis: non enim Christus in hoc nobis meruit, si Filius Dei qui erat in carne, creauit animas cum Patre & Spiritu Sancto. Et ita ad propositum. Non merebitur voluntas mea, si Spiritus Sanctus quomodocunque coniunctus ei, causet in ea actum diligendi.

Ad Vltimum. Dico. Quòd licèt illud faciat difficul-
D tatem tenentibus speciem esse actum primum respectu intellectus, per quem intellectus potest in actum secundum, sicut lignum calefactum calefacit calore: quia si hoc esset verum, esset difficile saluare, quòd intellectus, non informatus aliqua forma, posset in operationes; tamen secundùm illam viam, quam dixi dist. 3. huius, quòd obiectum siue in se, siue in specie, est sicut causa partialis, concurrẽs cum intellectu ad causandum intellectionem, non facit aliquam difficultatem, quia obiectum in se præsens, quomodo erit in patria, sufficit absque omni informatione ad causandum visionem, vel ex se solo cum intellectu.

Et si arguitur. Quòd sine habitu informante potest esse visio perfecta; ergo & fruitio perfectissima. Respondeo. Nullus negat communiter in gloria habitum luminis gloriæ in intellectu. Et iste ex parte intellectus, potest poni correspondere charitati ex parte voluntatis.

Satisfit Argumentis principalibus. E

AD Argumenta principalia.

Ad Primum. Dico: quòd argumentum Aug. sic tenet. Omnis diligens proximum, diligit dilectionem suam formaliter; si conuertit se super illam: omnis autem diligens dilectionem suam formaliter, diligit Spiritum Sanctum, qui est dilectio per essentiam; ergo omnis diligens fratrem diligit Spiritum Sanctum. Secunda propositio in ordine, quæ tamen erit Maior in Syllogismo disponendo, probatur sic. Quia ordinatè diligens minùs bonum, magis debet diligere aliud maius bonum; præcipuè quando in minori non est ratio diligibilitatis nisi à maiori bono; dilectio autem mea, formaliter est minùs bona, quàm dilectio illa bona per essentiam, quæ est Spiritus Sanctus, & præcisè ab ista dilectione, illa habet rationem diligibilitatis.

Istud ergo Argumentum Aug. probat Deum esse diligendum, non tamen quòd sit dilectio mea formaliter,
nec φ nõ sit in me alia dilectio formaliter. Debent quippe F
intelligi duo Syllogismi in argum Aug. Quorũ vnus est iste. Diligens fratrem, diligit dilectionem, qua formaliter diligit; ista autem est dilectio participãs; ergo diligit dilectionẽ participatã. Vlteriùs alius Syllogismus: Diligẽs dilectionem participantem, debet diligere dilectionem per essentiam; Deus est dilectio per essentiam; ergo &c.

De Secundo argumẽto eius, videlicet de dono excellentissimo. Dici potest: quòd argumentum sic tenet. Nullum donum creatum est excellentius charitate creata; ergo charitas est perfectio simpliciter, & non ex ratione sui includens limitationem. Consequentia ista probatur: Quia omni dono quod non est perfectio simpliciter, eminentius est aliquid in creaturis, quod formaliter est perfectio simpliciter. Vlteriùs. Omnis perfectio simpliciter formaliter, competit Spiritui Sancto, ex hoc, quòd ipsũ est donum simpliciter excellentissimum, ac per hoc Deus; quia Deus, potest dare seipsum, & ita excellentissimum donum eius, est Deus; igitur Spiritus Sanctus ex hoc,
quòd est donum excellentissimum simpliciter; est omnis G
perfectio simpliciter: sed cum hoc stat quòd ista perfectio simpliciter, in nobis sit participata, & alia essentialiter ab ipsa Persona Diuina, quæ est perfecta hac perfectione simpliciter.

Absolutè ergo argumenta Aug. præsupponunt vnum verum. Quòd Deus sit formaliter dilectio, & formaliter charitas; & non tantùm effectiuè, sicut dicitur spes, vel patientia mea, quia efficit patientiam tanquam non perfectionem simpliciter, & ideo non conuenientem sibi formaliter; sed charitatem efficit in anima & dilectionem tanquam perfectionem simpliciter, & ideo sibi formaliter conuenientem: quemadmodum alio modo facit bonitatem, alio modo humanitatem; ex hoc quippe quòd facit humanitatem, nõ sequitur quòd sit formaliter homo, sed tantùm causa effectiua hominis; sed ex hoc quòd efficit bonitatem, sequitur quòd sit formaliter bonitas. Et ratio est. Quia omnis perfectio simpliciter quæ est in causato, reducitur ad causam formaliter habentem istam
perfectionem; non sic de perfectione limitata. H

Sed quid istæ auctoritates sic intellectæ ad propositum Magistri?

Respondeo. Quia ille habitus, quo inclinatur anima ad diligendum meritoriè, est perfectio simpliciter, intantum, vt ista perfectio simpliciter cõueniat formaliter Spiritui Sancto; sequitur quòd iste habitus possit esse immediatus habitus respectu dilectionis, quæ est perfectio simpliciter, & per hoc Spiritus Sãctus vt inhabitans per istũ habitum immediatiùs causat illum actum, quàm credere vel sperare, respectu quorum non potest esse aliqua causa proxima, quæ sit perfectio simpliciter.

Sed contra istam responsionem, arguo sic. Videtur Primò, quòd propositio sit falsa cui innittitur, videlicet, quòd omni perfectione non simpliciter in creaturis, eminentior sit, siue perfectior, aliqua perfectio simpliciter. Videtur enim habere instantiam de essentia supremi Angeli; quæ non est perfectio simpliciter, & tamen nulla

res

A res nobilior illa videtur esse in tota creatura.

Præterea. Malè videtur ratio & intentio August. adduci ad intentionem Magistri. Quia ex prima ratione habetur, quòd Spiritus Sanctus est formaliter dilectio per Essentiam. Ex secundo habetur,(si quid valet) quòd Spiritus Sanctus est formaliter charitas per Essentiam. Quomodo ex hoc infertur, quòd non est in nobis aliqua dilectio habitualis, siue charitas alia ab isto habitu, per quem Spiritus Sanctus dicitur inhabitare? Iste quippe habitus quo Spiritus Sanctus inhabitat, vel non est perfectio simpliciter, sed aliqua limitata: vel si est: non sequitur, quin alius habitus ab isto, posset poni proximum principium eliciendi actum meum diligendi meritoriè. Nam iste actus est limitatus & perfectio limitata.

Aliter potest dici de ratione Aug. ad propositum Magistri. Quòd Spiritus Sanctus vt inhabitans, per illum habitum, immediatiùs causat istum actum, quàm credere vel sperare, respectu quorũ non potest esse aliqua B causa proxima, quæ sit perfectio simpliciter.

Ad aliud. Patet. Quomodo charitas est bona per participationem ex distinctione octaua, quæstione secunda vbi expositum est, quomodo forma simplex participat causam suam.

QVÆSTIO SECVNDA.

Vtrum necesse sit in habitu ponere rationem principij actiui, respectu actus?


Ecundò iuxta istam Quæstionem aliam, in generali propono de habitu. Vtrum sit necesse in habitu ponere rationem principij actiui respectu actus?

Et videtur. Quòd sic. *Habitus est, quo habens vtitur cùm voluerit*: secundùm Commentatorem 3. C de anima commen. 18. Super illud: Oportet vt in ea sit intellectus. *Hæc*, inquit, *est diffinitio habitus, vt habitu intelligat illud quod est proprium sibi secundum se, & quando voluerit, absque hoc, quòd indigeat in eo aliquo extrinseco: sed vti competit agenti*; nam patiens principio passiuo non vtitur.

Præterea. Quatuor conditiones attribuimus habenti habitum. Primò. Quòd operatur delectabiliter, faciliter, expeditè, & promptè.

Ex qualibet istarum potest argui propositum.

Et Prima sic arguitur. Quia actus qui fuit priùs disconueniens agenti, non fit sibi conueniens, nisi ipsum inquantum agens, aliter se habeat; igitur per istum habitum, per quem conuenit sibi sic operari, fit conueniens sibi; & ita delectabile ipsum, aliter se habet habitu agens inquantum agens.

Ex Secũda via arguitur. Quicquid est ex se summè dispositum ad patiendum, non indiget facilitari vt patiatur, sed potẽtia habituabilis, sicut voluntas & intellectus, D est ex se summè disposita ad recipiendum actus; quia nõ habet contrarium, & propter hoc non indiget motu ad hoc vt agat; ergo habitus per quem facilitatur, disponit ipsam ad agendum, non ad patiendum.

Ex Tertia conditione arguitur. Quia cui competit impediri, ei competit expeditio; sed impediri cõuenit agenti, quando virtus eius actiua deficit, & ab alia superatur; igitur habitus per quem conuenit alicui expeditè operari, est ipsius, vt actiuum est.

Ex Quarta via arguitur sic. Quia cuius est tardè & nõ promptè operari, eius est etiam promptitudo: sed non promptè operari conuenit agenti, inquantùm actiuum, non passiuum: ergo & promptitudo quam tribuit habitus, pertinet ad agens inquantum agens.

Præterea, ad principale arguitur. Habitus inclinat potentiam ad actum; duplex autem est inclinatio, scilicet potentiæ passiuæ ad formam, & potentiæ actiuæ ad agere: Habitus non inclinat primo modo: nam actus recipitur in potentia immediatè; alioquin actus perfectus & imperfectus non haberent idem susceptiuum; ergo inclinat secundo modo, vt principiuum actiuum ad agere; quod est propositum. E

Præterea, Secundùm Philosophum 8. Physicorum tex. 32. & secundo de anima tex. 55. Anima ante scientiam est in potentia essentiali habens autem scientiã est est in potentia accidẽtali, quod autem reducit de potentia essentiali ad accidentalem respectu operationis, videtur esse principium actiuum respectu eius, quia est quo habens operatur. Vnde Philosophus vult 2. de anima, tex. 5. & 24. quòd *sicut scientia est qua scimus; ait anima est qua viuimus, & sentimus, & intelligimus*. Et per consequens; sicut anima est qua agimus actus vitales, ita scientia est, qua actiuè speculamur.

Præterea. Aliquis habitus est practicus, & talis est actiuus, vt prudentia: aliquis factiuus, vt ars: ratio practici in communi & specialiter factiui videtur concludere in tali rationem principij actiui. F

Contra. Relatio non est principium actiuum, nec aliquid essentialiter includẽs relationem; habitus autem est ad aliquid, secundùm Philosoh. 7. Physic. tex. 17. & 5. Metaph. tex. 20. &c.

Confirmatur. Quia non minùs requiritur entitas realis absoluta in principio motus, quàm in termino motus: Si ergo habitus caret entitate absoluta, quæ sufficiat ad determinandum motum, secundùm Philosophum ibi; multò magis caret ea, quæ requiritur in principio actiuo.

Præterea. Vnius actionis videtur esse vna potentia actiua 5. Physicorum, secundùm Commentat. cap. 31. & 38. Sed non solùm habitus est potentia actiua respectu operationis; quia tunc ipse habitus esset potentia; quia potentia est qua simpliciter possumus, & habitus non esset illud, quo simpliciter perficitur potentia; ergo solùm illud quod perficitur per habitum, est principium actiuum actionis.

Confirmatur ista ratio. Quia vna actio requirit principium formale, quo eliciatur per se vnum; aggregatum autem ex potentia & habitu, est vnum per accidens, non per se; igitur totum non potest esse Quo, respectu operationis per se vnius. G

Præterea. Accidens non est principium agendi in subiectum proprium; sed operatio ad quam ponitur habitus, recipitur frequenter in potentia, cuius est ille habitus; ergo respectu istius non est habitus principium actiuum.

Præterea. Aliquis habitus sunt in potentijs sensitiuis appetitiuis; & ille appetitus non est actiuus; quia secundùm Damascenum, *Sensus non ducit se, sed ducitur*: ergo nec forma, id est habitus eius, potest esse principium actiuum: quia si esset, oporteret quòd concurreret cum potentijs in agendo.

ARTICVLVS PRIMVS.

H

Recitantur duæ Opiniones aliorum de proposita Quæstione.

AD istam Secundam Quæstionem. Dicitur (*ab Henr. quolibet. 4. quæst. 10.*) Quòd aliter est de habitu acquisito, & aliter de habitu infuso. Nam ab alio est actus hominis naturalis, & expeditio actus propter indeterminationem quam habet natura respectu istius actus. Et ideo virtus acquisita, est perfectio naturæ præsuppositæ in ratione principij actus; sed si virtus supernaturalis esset perfectio naturæ præsuppositæ in isto esse, cui correspondet talis actio, tunc ipsa tantum facilitaret naturam, sicut virtus acquisita: sed hoc est falsum; imò ab eodem est esse gratuitum, & simpliciter elicitur actio gratuita, secundùm illum gradum: ita quòd virtus acquisita, est virtus secundùm illam rationem virtutis,

quæ ponitur 2. Ethicorum. *Virtus est quæ habentem perficit, & opus eius bonum reddit*. Sed virtus Theologica non sic, sed secundùm illam rationem virtutis, quæ ponitur 1. de cælo, quòd scilicet virtus est vltimum in potentia.

Contra istam Opinionem. Si sic intelligat. Quòd habitus supernaturalis est simpliciter principium respectu actus. Arguo sic. Quo quis potest simpliciter operari, illud est potentia, sed habitus supernaturalis per te, est huiusmodi; igitur habitus supernaturalis erit potentia. Antecedens patet. Quia potentia est qua simpliciter & primò possumus.

Præterea, ex hoc sequitur vlteriùs, quod non plùs erit voluntas bona, si operetur per habitum charitatis, quam lignum perficitur in agendo, si agit per calorem sibi accidentaliter inhærentem. Nam sicut ex hoc nulla conuenit actio ligno per formam ligni, sed tantùm illi accidenti, quod recipitur in ipso; ita etiam videtur quòd actio illa quæ competeret charitati, vt principali principio, nullo modo competeret voluntati, vt voluntas.

Ex hoc sequitur vlteriùs. Quòd sicut calor, si esset separatus, æquè calefaceret, ita charitas, si esset separata, æquè ageret. Nam omnis forma quæ est principium totale agendi, vt est in subiecto, si per se est, potest per se operari. Et ita sequitur euidenter propositum, quòd habitus est potentia.

Præterea. Operatio non elicitur liberè, cuius principium actiuum est merè naturale, & agens per modum naturę: sed habitus cùm non sit formaliter voluntas, nec per consequens formaliter liber, si est principium actiuũ, erit merè naturale; ergo operatio eius non erit libera: & ita nullum velle erit liberum, si eliciatur ab habitu, vt à totali principio actiuo.

Præterea. Tunc homo habens semel charitatem, nunquam posset peccare mortaliter: quod est inconueniens. Probatio consequentiæ. Quia habens formam aliquam actiuam sibi prædominantem, nunquam potest moueri contra inclinationem illius formæ prædominantis; sicut nunquam corpus mixtum graue potest ascendere, contra inclinationem terræ prædominantis; sed charitas si est principium actiuum totale, prædominatur ipsi voluntati, quæ non potest in actum illum; ergo voluntas semper sequetur inclinationem charitatis in agendo, & ita nunquam peccabit.

Præterea. Actus non est meus, qui non est in potestate mea; sed actio ipsius habitus non est in potestate mea, quia ipse si est actiuus, non erit liber sed principium naturale; ergo illud diligere non erit meum, nec potero dici agere ista operatione. Et ita actiones meritoriæ non sunt voluntatis, nec suppositi volentis: quod est inconueniens.

Alio modo posset dici. Quòd virtutes acquisitæ & infusæ, non differunt modo prædicto, sed eodem modo comparantur ambæ ad substantiam actus.

Et tunc est vnus modus dicendi, (*Gotfredibet. quol. 9. quæstioxe* 4.) Quòd actus habet substantiam à potentia, sed intensionem talem vel talem, habet ab habitu: ita quòd quasi duobus in actu, scilicet substantiæ, & intensioni, correspondeant duo in ratione principij vel causæ.

Contra istud arguo sic. Intensio actus, non est aliquid extrinsecum accidens actui, sed gradus intrinsecus actui; ita quòd actus intensus est quoddam per se vnum, sicut hoc indiuiduum in specie; nõ ergo potest esse aliud principium substantiæ huius actus, & intensionis suæ; quia à quo est hoc indiuiduum, ab eodem est gradus intrinsecus proprius huic indiuiduo: non enim potest recipere naturam ab aliquo, & hanc signatam, quin recipiat eam in certo gradu.

Iuxta hoc quasi ex eodem medio posset argui, sicut priùs argutum est ad principale. Quia cùm actus intensus sit per se vnum; & aggregatum ex p tentia & habitu, sit vnum per accidens, non potest totum hoc esse principium illius.

Sed ista forma arguendi non cogit: vnde postea soluetur. Sed primum cogit: quia vnde est hoc, inde habet certum gradum intrinsecum huic.

Præterea Secundò. Quandocũq; principium actiuum naturaliter concurrit cum causa libera agente; causa illa libera agente, oportet quòd illud principium naturaliter coagat quantùm potest. Exemplum: de voluntate & potentia inferiore naturaliter agente, quantùm est de se. Tale enim licèt impediatur ab agendo, quando liberum non agit, tamẽ libero agente, ipsum necessariò agit; quia per modum naturæ quantùm est de se agit, coagit illi libero quantùm potest; ergo si habitus determinatus in voluntate, det intensionem determinatam actui, tunc voluntate operante ad substantiam actus, necessariò dat habitus illam intensionem sibi correspondentem. Et ita quantumcunque ex modico conatu voluntas operetur, semper esset actus eius æquè intensus; quia ipsa causante substantiam actus habitus, quia agit per modum naturæ, causaret quòd suum est necessariò.

Præterea. Si habitus det intensionem actui, hoc erit in aliquo gradu finito; signetur iste gradus, & sit A. volũtas igitur cum habitu illo põt habere actum intensum in hoc gradu: fiat aliqua alia voluntas perfectior ista voluntate, secundùm proportionem A. gradus, ad actum in vno gradu; puta si A. est gradus octauus in actu, fiat voluntas excedens primam voluntatem in nouem gradibus: ista igitur voluntas sine habitu, posse habere actum æquè intensum, sicut illa voluntas cum habitu; ergo non pręcisè substantia est actus à potentia, ita quòd non intensio.

Præterea. Sola voluntas infinita, circumscripta omni ratione habitus, potest habere actum infinitum; ergo voluntas in quocunque gradu naturæ, potest in actum determinati gradus. Antecedens patet. Quia voluntas infinita non est receptiua alicuius habitus, quia non deficit sibi aliqua perfectio possibilis voluntati. Consequentia probatur. Quia *sicut summum ad summum, ita simpliciter ad simpliciter*: secundo Topicorum cap. 29. & quilibet gradus ad gradum sibi correspondentem.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Opinio Tertia, attribuit omni habitui rationem principij actiui partialis, respectu sui actus.

Tertio modo, attribuendo habitui aliquomodo rationem principij actiui respectu actus. Potest dici. Quòd habitus est causa partialis actiua, cum quo ipsa potentia etiam est causa partialis respectu actus perfecti, procedentis à potentia & habitu; licèt ipsa posset esset totalis causa respectu actus imperfecti, præcedenti generationem habitus. Et tunc de distinctione illarum causarum partialium, & etiam quomodo faciant vnam per se causam totalem, dicendum esset sicut dictum est supra distinct. 3. quæst. de causa notitiæ genitæ.

Sed tunc est Dubitatio. Cùm illa duo non sint causa eiusdem ordinis, vel rationis, sicut duo trahentes nauim: quod eorum habet rationem causæ prioris?

Videtur quòd habitus. Quia causæ prioris est determinare secundam, non è conuerso; habitus autem determinat potentiam ad agendum, & non è conuerso, & inclinat eam: inclinare autem superioris respectu inferioris, non è conuersò.

Sed oppositum huius videtur. Primò. Quia potentia vtitur habitu, non è conuerso; & quod vtitur alio est principalius in agendo, & illud quo vtitur, est quasi instrumentum, vel causa secunda.

Simi-

A Similiter Secundò. Potentia est illimitatior in agendo, quàm habitus; eò quòd ad plura se extendit: sed superior causa videtur esse illimitatior extensiuè; ergo &c.

Præterea Tertiò, sic. Habitus est causa naturalis; igitur si ipse est causa principalis mouens potentiam, moueret eam per modum naturæ: & per consequens, cùm potentia agat eo modo, quo mouetur, ageret per modum naturæ. Nam agens quod agit inquantum mouetur, si mouetur per modum naturæ, agit etiam vlteriùs, per modum naturæ. Et ita omnis actio potentiæ habituatæ, esset naturalis,& nulla libera:quod inconueniens est.

Item Quartò. Habitus esset potentia: quia illud esset quo primò habens posset operari.

Præterea Quintò. Quando sunt duæ causæ ordinatæ, quarum vna est causa alterius, illa quæ est causa alterius, est superior causa: sed potentia est causa habitus, saltem mediantibus actibus,& nullo modo è conuerso.

B Concedo igitur, propter istas rationes, quòd tenendo habitum esse causam partialem respectu actus, erit causa secunda, & non prima; sed ipsa potentia erit causa prima, & absolutè non indiget habitu ad operandum. Minùs tamen perfectè operabitur sine habitu, quàm cum habitu, & hoc,posito æquali conatu ex parte potetiæ. Quia quando duæ causæ concurrunt ad aliquem effectum, vna sola non potest ex se in ita perfectum effectum, sicut ambæ simul. Et hoc modo saluatur, quòd actus est intensior à potentia & habitu, quam à potentia sola: non quidem quòd potentia sit causa substãtiæ actus,& habitus sit causa intensionis, quasi duobus causatis correspondeant duæ causæ; sed quòd ambæ causæ concurrentes, possunt producere effectum perfectiorem, quàm altera sola, qui tamen effectus secundùm se totum,& per se vnus,est à duabus causis,sed in diuerso ordine causantibus.

ARTICVLVS TERTIVS.

C *Negatiua Sententia,opposita priori, cum suis motiuis proponitur.*

Contra istam Opinionem, arguo sic. Nulla distincta specie, sunt æquiuocæ causæ sibi, inuicem agentes; habitus & actus distinguuntur specie; ergo non sunt sibi inuicem causæ, æquiuocè agentes; sed actus necessariò est causa æquiuoca,in generatione habitus,acquisiti saltem; ergo non è conuerso. Probatio Maioris. Quia causa æquiuoca,eminenter continet in se perfectionem effectus:non autem possunt duo distincta specie, se inuicem eminenter continere.

Præterea,Comparando ad eandem causam primã duos effectus, videtur quòd alter istorum habeat determinatum ordinem, mediatum vel immediatum, priorem vel posteriorem: & hoc loquendo de tota specie alterius, istorum duorum effectuum. Hoc apparet inductiuè in passionibus consequentibus idem subiectum, in quo est necessariò determinatus ordo:quòd vna immediatiùs sequitur subiectum, quàm altera, & hoc secundùm totam spe-D ciem;ita quòd ille ordo non variatur in quibuscunque indiuiduis: igitur respectu potentiæ, quæ est causa communis actus & habitus, habebunt isti duo effectus ordinem determinatum, quia vel necessariò actus secundùm totam speciem præcedit habitum,vel è conuerso.Et cùm aliquis actus de necessitate præcedat habitum,vt causa eius, habitus omnino non præcedit aliquem actum, vt eius causa per se.

Præterea. Si habitus sit causa partialis respectu actus, & æquiuoca; igitur causa huius causæ erit perfectior, quàm sit causa æquiuoca eiusdem. Consequentia patet. Quia in causis æquiuocis, causa causæ perfectior causa est, quàm causa proximior causato; sed actus est causa generationis habitus; igitur si potentia cum habitu potest in actum perfectum,multò magis si esset sub actu generatiuo habitus posset in eundem actum perfectum: quod videtur inconueniens; quia duo actus perfecti non possunt esse in eadem potentia, aut saltem si possunt,non videtur quòd vnum istorũ, possit esse aliquomodo actiuum respectu alterius. E

Præterea. Si habitus est quasi causa secunda, supplendo aliquem gradum causalitatis, qui deest potentiæ; posset igitur fieri habitus ita perfectus,quòd suppleret vicem totius potentiæ: & ita aliquis habitus solus, sine potentia, posset esse causa sufficiens,& in ratione habitus, & in ratione potentiæ. Et vniuersaliter in agentibus eiusdem rationis,videtur quòd ita possit intendi virtus vnius,quòd æquabitur duobus.

Præterea. Si teneretur,quòd in motu intensionis & remissionis indiuiduum præexistens corrumpatur, necesse esset ponere habitum non esse causam actus, quia corrumpitur illo actu quo intenditur: causa autem non est causa, quando corrumpitur, quia quod non est, nullius est causa.

Qui vellet tenere Conclusionem istarum rationum. Posset negare ab habitu omnem rationem principij actiui, & dicere; quòd habitus tantùm inclinat ad operationem, quasi actus prior, conueniens cum actu secundo, & determinans ad actum illum; sicut grauitas est actus prior determinans, & inclinans ad determinatum Vbi: (licèt secundùm aliquos, grauitas non sit principium respectu esse in illo Vbi.) Et illud videtur probabile. Quia nulli debet attribui causalitas respectu alicuius, nisi talis causalitas sit euidens ex natura rei, vel causæ, vel causati: nulli etiam causæ neganda est perfecta causalitas,nisi manifestè appareat perfectio causalitatis in ea, quia nullam naturam negandum est perfectionem habere,qua non est euidens eam carere; nulla autem videtur necessitas ponere aliquam causalitatem actiuam in habitu, respectu actus; quia sine hoc saluabuntur omnes conditiones, quæ communiter attribuuntur habitui: nulla est etiam necessitas, auferendi à potentia perfectam rationem causalitatis,vt attribuatur partialis causalitas potentiæ: ergo non est aliqua causalitas habitui attribuenda. F

Assumptum patet. Quia illæ quatuor conditiones,quæ habitui attribuuntur, videlicet, quòd est quo habens faciliter operatur, delectabiliter, promptè, & expeditè,saluantur propter solam inclinationem habitus, quam tribuit potentiæ vt receptiua est operationis. Delectatio quidem est per conditionem recipientis, cui conuenit operatio recepta, & obiectum circa quod est operatio: nunquam enim delectatio est in factione, quæ præcisè est factio, sed quia actio est in agente, potest esse actio delectabilis, propter conuenientiam agentis ad obiectum: hanc autem conuenientiam potest tribuere habitus, ex hoc, quòd inclinat ad actionem & obiectum; ergo delectabilitas non includit rationem principij actiui, sed tantùm conuenientiam principij passiui ad actionem & obiectum; & hoc ad actionem quæ est de genere Qualitatis, non quæ est de genere Actionis: de qua differentia actionum,dictum est supra, distinct. 5. Quòd quædam est actio quæ est Qualitas,& illa conuenit potentiæ habituatę,quę per habitum inclinatur ad talem actum, & ad obiectum terminans talem operationem; nõ habituatæ autem, non sic conuenit, nec talis forma, nec tale obiectum. G

Similiter quoad conditionem secundam. Difficultas in operatione, accidit ex hoc, quòd receptiuum operationis, non est dispositum ad recipiendum, & non solùm ex defectu virtutis actiuæ; ergo si receptiuum sit dispositum, erit facilitas in agendo, inquantum agens agit circa tale passum. H

Similiter de expeditione & promptitudine. Nam impeditio & tardatio agentis in agendo, potest esse propter indispositionem ipsius passi, potissimè quando idem est agens, vel patiens, vel recipiens; ita quòd ipsum non operabitur promptè, quia est indispositum ad operandum. Hæc etiam indispositio non est ad agendum actione de genere Actionis, sed ad habendum actionem de genere Qualitatis: nihil enim dicitur formaliter operari, inquantum elicit operationem, sed inquantum recipit eam in se.

A Qualiter autem omnia alia habitui attributa, saluantur attribuendo totam perfectionem potentiæ, & nullam habitui; patebit soluendo Argumenta ad principale.

Sic igitur patet: Qualiter duabus primis vijs de habitu, tanquam inconuenientibus derelictis, duæ vltimæ tanquam probabiles possunt sustineri, scilicet, tertia & Quarta: attribuendo secundùm Tertiam viam, aliquam causalitatem habitui, non solùm rationem principij passiui: vel secundùm Quartam, negotiando ab habitu rationem actiui, quòd sit tanquam forma inclinans ad aliquam formam vlteriorem recipiendam, licèt non sit ratio recipiendi respectu eius; sicut grauitas inclinat deorsum, licèt non sit ratio receptiua eius, quod est esse deorsum, sed corpus inquantum est receptiuum alicuius Vbi.

Arguméta quæ sunt contra istas duas vias vltimas, quia vtraque potest probabiliter sustineri, postea soluentur, secundùm alterutram istarum.

B

ARTICVLVS QVARTVS.

Datur probabilissima determinatio, secundùm Tertiam Opinionem. Quòd habitus sit causa actus. Et Argumenta triplicia, superius contra illam posita diluuntur.

TEnendo Tertiam viam, quæ videtur plùs attribuere habitui. Potest dici sic. Quòd sicut si esset in lapide grauitas aliqua, quę nó esset sufficiens principium actiuũ, respectu descensus deorsum, esset tamen partiale principium actiuum, sicut dicetur in 2. libro, de grauitate sufficientè, quod est totale principium actiuum respectu descensus. Ista inquam grauitas diminuta, cum alia potentia motiua, principaliter mouente ad descensum, posset diminute agere, ita quòd potentia alia motiua, ex æquali conatu agente descensus esset velocior, qui causaretur ab ista potentia motiua, & à grauitate diminuta intrinseca mouente, quàm ille, qui causaretur à sola potentia motiua extrinseca, cum æquali conatu mouente: potentia tamen motiua extrinseca, posset cum tanto conatu mouere corpus neutrum, cuius nulla esset grauitas nec leuitas, sicut illud corpus moueretur à grauitate intrinseca, & à potentia motiua extrinseca, remissè agente. C

Ita in proposito. Habitus mouet potentiã, quasi quoddam pondus, qui tamen ex se non sufficit ad eliciendum actiuè ipsam operationem; sufficit autem sola virtus potentiæ actiuæ, sine tali pondere: sed quando ambo concurrunt, ita tamen quòd non maior sit conatus ex parte potentiæ nunc quàm priùs, perfectior operatio elicitur, quàm posset elici ab ipsa potentia sola. Et videtur pro ista via esse experientia communis, qua quis potest experiri se habituatum, ex æquali conatu, posse habere perfectiorem operationem, quàm posset habere non habituatus: quæ perfectio actus, non posset attribui habitui, si esset tantùm principium passiuum inclinans; quia saltem vt videtur in priori instanti naturæ, in quo elicitur priùs, quàm recipiatur in potentia, esset æqualis ratio principij actiui in eliciendo, & ita æquè perfecta operatio eliceretur, in æquali conatu, à potentia habituata, sicut non ab habituata: quod est falsum. D

Hanc Viam tenendo. Ad Argumenta principalia respondeo.

Ad Primum. Quamuis dicatur habitum non esse formam absolutam, propter illa verba Philosophi 7. Physic. tex. 17. tamen tenendo omnem qualitatem esse formam absolutam, & cùm qualitas primæ speciei non est minùs qualitas quàm alterius speciei. Potest dici: quòd aliquid, cui relatio est eadem, potest esse principium actiuum, licèt relatio nó sit principium actiuum: nec etiã illud idem, cui relatio est eadem, per rationem relationis est principium actiuum, sed per rationem absoluti, cui relatio est eadem.

Distinctio istorum, scilicet, relationis & essentiæ absolutæ, cui relatio est eadem; potest patere ex multis alijs etiam vijs dictis suprà, vbi cum identitate perfecta reali, ponitur non identitas formalis. Et hoc magis patebit in 2. distinct. 1. vbi dicetur, quòd creaturæ ad Deum relatio, est eadem essentiæ absolutæ rei creatæ, & tamen non formaliter eadem. E

Pro tanto igitur potest exponi Philosophus, qui dicit, habitum esse ad aliquid: quia per identitatem includit respectũ; & tamen non est tantùm respectus, sed est quoddam absolutum: & ideo potest sibi competere actio, tanquam principio agendi.

Ad Confirmationem rationis. Posset dici: quòd maior absolutio requiritur in termino motus, quàm in principio agendi; quia nihil potest terminare motum, quod habet relationem eandem sibi, non sic de principio actiuo. Vel quod magis est ad rem. Potest dici: quòd illa ratio Philosophi non concludit propositum nisi diminutè: & ad habendum conclusionem suam, quam intendit habere, oporteret eam alio modo pertractare, quàm verba primò sonant: (circa quod nolo modò immorari:) vel oporteret alias rationes ipsius declarare, ad dictam conclusionem probandam. F

De hac autem quæstione, Vtrum scilicet habitus sit aliquod absolutum? Dicetur aliàs.

Ad Secundum argumentum. Dico, quòd Vnius actionis est vnum principium per se, & hoc in vno ordine principiandi: tamen possunt esse multa principia in diuerso ordine principiandi, quorum non sit vnitas, nisi vnitas ordinis; licèt quandoque cum vnitate ordinis, concurrat vnitas accidentis & subiecti, inter hæc ordinata: sed hoc accidit. Ita etiam in propositio. Habitus & potentia, sunt duo principia alterius ordinis, & vtrumque in suo ordine, est vnum per se. Et cum ista vnitate ordinis, concurrit vnitas accidentis & subiecti, inter hæc ordinata: sed hoc accidit. Quia si ita poset coniungi causa prima cum secunda, sine informatione tali vnius ab altera, sicut coniunguntur, quando informatur vna ab altera; eodem modo posent habere vnitatem sufficientem, ad causandum vnum effectum.

Quando igitur dicitur. Quòd vnius actionis per se, est vna causa actiua. Concedo in vno ordine. Sed in alio ordine principiandi, benè potest esse alia causa, & hoc, siue hæc & illa constituant vnum per accidens, siue non, sed tantùm vnum vnitate ordinis. Et licèt sit ibi vnitas per accidens, adhuc tamé semper saluatur vnitas ordinis principij ad principium. G

Per hoc apparet ad illam Confirmationem de vnitate principij formalis. Concedo talem vnitatem in illo, quod est principium Quo in vno ordine principiandi.

Ad aliud. Dico, quòd accidens benè potest esse principium alicuius effectus receptibilis in suo subiecto; sicut species intelligibilis, est principium intellectionis receptæ in intellectu possibili. Et ita forma potest esse principium Quo, respectu transmutationis sui subiecti.

Ad aliud, de appetitu sensitiuo. Dico, quòd iste habet rationem principij actiui aliquomodo, licet non actiui liberi. Et hoc est quòd Damasc. intelligit; quòd *non ducit, sed ducitur*: id est, non dominatur actioni suæ, (quod est ducere) sed respectu actionis suæ determinatur ab agente ad certam operationem, (& hoc est duci.) Quod autem appetitus sensitiuus, licèt non sit liber, sit aliquomodo actiuus: & etiam sensus. Dicetur aliàs, in 3. vbi supra, & distinctione 15. & in quolibet. 2. & super libro de anima. H

Argumenta quæ facta sunt contra Secundam viam, ponentem habitum esse principium actiuum intensionis in actu: quæ videntur esse contra istam viam, pro tanto, quia ista ponit actum elicitum ab habitu, & potentia, agente cum æquali conatu, esse intensiorem, quàm elicitum à potentia sola. Discurrendo per illa, Ostendo, quòd non repugnant huic viæ.

De Primo patet. Quia non pono duo distincta in actu, habentia duo principia distincta: sed idem actus per se vnus, habet duo principia in diuerso ordine principiandi.

A Ad Secundum. Concedo quod infertur. Quòd potentia operante ex æquali conatu, semper actus sit intensior, habitu coagente, quàm nō coagente. Sed ex hoc non sequitur illud inconueniens, quod sequitur contra aliam viā, videlicet, quòd potentia ex quocunque conatu agente, actus sit æquè intensus semper. Hoc ibi sequitur; quia tota intensio attribuitur habitui: sed non hìc; quia intensio attribuitur duabus causis; & potentiæ quidem ex maiori vel minori conatu, habitui autem semper æqualiter, quantùm est de se.

Ad Tertium. Concedo quòd posset fieri voluntas in puris naturalibus, quæ actum intensiorem eliceret, quàm alia voluntas cum habitu. Hoc non est inconueniens, ponendo ista duo esse principia ordinata; sicut esset inconueniens, attribuendo totam intensionem habitui, & non potentiæ.

Per idem ad Quartum.

Ad Argumenta quæ facta sunt contra Tertiam Opinionem quæ est Quarta in ordine.

B Ad Primum. Oportet negare Maiorem. Quia oportet dicere, quòd duo distinctarum specierum, possunt esse sibi inuicem causæ æquiuocæ partiales, licèt non totales.

Ad probationem eius, quæ est per eminentiam causæ æquiuocæ. Respondeo. Ista probatio tenet de causa totali, & non pono circulum in causis æquiuocis totalibus.

Ad aliam probationem. Dico: quòd duo effectus comparati ad vnam causam communem eorum, possunt habere ordinem mutuum ad se inuicē, in ratione causæ partialis: sicut species intelligibilis & intelligere, comparando ad intellectum agentem & possibilem; quia respectu intellectionis partialis causa est species, & posset poni intellectio esse aliqua causa speciei, pro quanto intendit eam.

Ad aliud. Potest dici, quòd non oportet omnem actum generatiuum habitus esse rationem agendi Quo, sicut habitus genitus potest esse ratio Quo; quemadmodum

C virtus Solis, non potest esse principium Quo, respectu omnis actus, respectu cuius forma genita à Sole, potest esse principium Quo. Cùm verò dicitur: Quòd *quicquid est causa causæ*, &c. Verum est, sicut remotum Quo, sed non sicut immediatum Quo.

Ad Tertium. Dico: quòd in quantocunque gradu, habitus non posset supplere totam vicem potentiæ: quia etsi causalitas eius sit diminuta, & causalitas potentiæ diminuta; tamen alterius rationis est causalitas habitus, quàm causalitas potentiæ: quia ex ratione sui habitus est causa secunda, qua scilicet potentia potest vti: & ita si in infinitum augeretur, nunquam posset fieri principium vtens; sicut virtus generatiua patris, quantumcunque augeretur, non posset fieri virtus Solis.

Non igitur eiusdem rationis est causalitas habitus, cum causalitate potentiæ, vt illa intensa, possit ascendere ad istam; sed semper sunt alterius rationis: & tamen hæc cum illa causans, causat actum perfectiorem, quàm si solùm causaretur ab vna illarum.

D Ad vltimum. Illud suppositum negabitur in materia sequente, de augmento charitatis.

ARTICVLVS QVINTVS.

Opinionem Negatiuam, non esse omnino improbabilem, ostenditur.

QVi vult tenere Quartam viam, quæ est Quinta in ordine. Potest respondere ad rationes principales adductas pro Prima parte.

Ad Primum. Potentia vel potens, vtitur habitu, quia ipsi est quædam inclinatio ad potentiam; non quidem vt potentia actiua ad agere, sed vt forma prior inclinat ad formam posteriorem; sicut grauitas ad deorsum.

Ad illas conditiones quatuor. Diceretur, quòd delectatio est ex conuenientia operationis, ad potentiam & obiectum, circa quod est operatio; quæ conuenientia est obiecti ad potentiam inquantum recipit actionem, & non inquantum elicit eam, quia factio sola vt factio, nunquam est delectabilis. Et ideo propter delectationem, nunquam oportet ponere rationem principij actiui. Similiter facilitatio, expeditio, & promptitudo, ponuntur ratione passi; quia passum potest difficulter recipere quando non est dispositum, & impeditè, & tardè; vel non promptè. Et ratione indispositionis passi, est ibi difficultas, tarditas, & indispositio; ergo agens potest expeditè, promptè, & faciliter agere, propter dispositionem passi, & habitus est talis dispositio in passo. E

Quando igitur dicitur. Quòd non est difficultas ad patiendum; quia passum est summè dispositum. Respondeo. Quòd per abnegationem contrarij est dispositum, sed nō per rationem dispositionis conuenientis. Exemplum de ligno sicco & neutro: lignum quidem neutrum, esset summè dispositum ad calorem priuatiuè, scilicet, per carētiam cuiuscunque dispositionis oppositæ; non autem summè dispositum positiuè, per positionem dispositionis conuenientis, qualis est siccitas. Et si ista conuenientia esset cum sensu, lignum siccum delectabiliter calefieret, non sit lignum neutrum, quia non sic sibi conuenit forma recepta. F

Ad aliud, de inclinatione. Posset dici, quòd inclinat sicut forma prior ad susceptionem formæ posterioris; sicut grauitas inclinat ad esse deorsum, etiam secūdùm eos, qui dicūt grauitatem, respectu descensus, non esse principium actiuum; nec oportet sic passiuè inclinans, esse rationem recipiendi formam, ad quam inclinat; sicut nec grauitas est principium receptiuum Vbi.

Ad aliud, de scientia. Dico: quòd scientia, per quam anima reducitur de potentia essentiali ad accidentalem, est species intelligibilis ipsius obiecti. Et de illa concedo quòd ipsa est principium actiuum, respectu considerationis: sed illa species non est habitus, de quo loquimur, qui est qualitas derelicta ex actibus frequenter elicitis. Ista enim species, præcedit naturaliter primum actum elicitum, circa obiectum circa quod est. Et licèt ista species potest esse radicata in intellectu, & cùm fuerit radicata, posset dici habitus; non tamen est iste habitus, qui generatur ex actibus frequentibus; sicut dictum est. G

Ideo omnia verba, quæ loquuntur de specie tanquam de habitu, non procedunt ad intellectum huius quæstionis; nec etiam illa, quæ accipiunt scientiam pro illa specie. Distinctio istorum habituum, scilicet habitus qui est species intelligibilis, & habitus intellectiui propriè dicti, patebit in 2. lib. dist. 3.

Per hoc apparet ad illud, quod adducitur de esse Quo. Dico: quòd scientia, (strictè accipiendo, pro habitu acquisito ex speculationibus) non est propriè Quo speculamur, sed quædam inclinatio, ad faciliter & delectabiliter speculandum. Illud autem Quo vt principio actiuo, ex parte obiecti speculamur, est species intelligibilis.

Ad aliud. Dicitur: quòd habitus intellectus, practicus dici potest; quia inclinat ad praxim: non quòd illa praxis sit eius vt principij actiui; sed quasi terminans inclinationem eius sic; aut ipsius potentiæ habituatæ, vel alterius potentiæ, vt principij actiui: sicut electio recta practicæ actiuæ, elicitur à voluntate, & non à prudentia; quæ tamen est habitus practicus, respectu istius electionis; quia inclinat ad eam, licèt non sit principium actiuum eius. H

QVÆSTIO TERTIA.

An habitus moralis, inquantum virtus, sit aliquomodo principium actiuum, respectu bonitatis in actu?

HOc tenendo de actu, quoad substantiam actus, siue quoad gradum intrinsecum, tertiò quantùm ad materiam istam. Restat inquirere vlterius de bonitate accidentali actus. Qualis est bonitas moralis? Et de habitu morali. Vtrum habitus moralis, inquantum virtus, sit aliquo modo principium actiuum, respectu bonitatis in actu?

A Quòd sic. Videtur. Quia per Arist. 2. Ethic. cap. 5. *Virtus est quæ habentem perficit, & opus eius bonum reddit*: Et non reddit bonum illum in ratione principij passiui; quia non est ratio recipiendi; ergo in ratione principij actiui.

Præterea. *Virtus est dispositio perfecti ad optimum*; ex 7. Physic. t. 17. non autem dispositio passiua; quia vt priùs, non est ratio recipiendi; ergo actiua.

Confirmatur ratio. Quia sic se habet optimum ad optimum, sicut bonum ad bonum; sed cùm optima ratio sit principij actiui; ergo secundùm istam rationẽ, virtus perficit potentiam: & ita ad agendum.

Præterea. Virtus est moderatrix passionum, non moderatur autem per rationem principij passiui; quia obiectũ, ex quo est causa naturalis, causat actum secundùm vltimũ potentiæ suæ; ergo quantùm potest, si non impediatur per aliquid contra agens; igitur sic summè agens impediendo obiectum sic siue sic agere, in reprimendo passionem, moderatur eam per rationem principij actiui.

B Præterea Quartò sic. Dicit Philosophus 2. Ethic. cap. 4. Quòd *non habens iustitiam, et si possit operari iusta, nõ tamen iustè*. Et ita de alijs actibus; bonitas autem moralis requirit operari iustè, vel fortiter; & sic de alijs: ergo virtus est tale principium actus, inquantum bonus; quia sine ea non posset esse actus bonus.

Sed oppositum huius, arguitur per hoc. Bonitas moralis in actu, non dicit nisi relationem; quia actum esse circumstantionatum debitis circumstantijs, non est aliquid absolutum in actu, sed tantùm comparatio debita actus, ad illa quibus debet conuenire; ergo illud non habet aliquod principiuum actiuum proprium, sicut nec aliquis respectus.

Præterea. Si habitus, inquantũ virtus, esset principium actiuum bonitatis moralis in actu, cùm habitus non sit virtus, nisi ex respectu, scilicet ex cõformitate eius ad prudentiam: est enim habitus electiuus medij, vt determinatur à recta ratione; ergo aliqua ratio relatiua in habitu, esset ratio principij actiui: quod est impossibile.

C

ARTICVLVS PRIMVS.

Explicatur in quo consistit bonitas moralis.

QVantùm ad istum Articulum. Dici potest. Quòd sicut pulchritudo, non est aliqua qualitas absoluta in corpore pulchro, sed est aggregatio omnium conuenientium tali corpori; puta magnitudinis, figuræ, coloris; & aggregatio omnium respectuum, qui sunt istorum ad corpus, & ad se inuicem: ita bonitas moralis actus, & quasi quidam decor illius actus; includens aggregationem debitæ proportionis ad omnia, ad quæ debet actus proportionari, puta ad potentiam, ad obiectum, ad tempus, ad finem, ad locum, ad modũ: & hoc specialiter vt ista dicantur à recta ratione debere conuenire actui; ita, quòd pro omnibus possumus dicere: quòd conuenientia actus ad rationem rectam est, qua posita, actus est bonus, qua non posita, quibuscunque alijs conueniat, non est bonus: quia
D quantumcunque actus sit circa obiectum qualecunque, si non sit secundùm rationem rectam in operante, puta si ille non habeat rectam rationem in operando, non est bonus actus.

Principaliter igitur. Conformitas actus ad rationem rectam, plenè dictantem de circumstantijs omnibus debitis illius actus, est bonitas moralis actus; hæc autem bonitas, nullum habet principiuum actiuum proprium, sicut nec aliquis respectus; maximè cùm ille respectus consequatur extrema posita ex natura extremorum. Impossibile enim est actum aliquem poni in esse, & rationem rectam in esse, quin ex natura extremorum consequatur in actu talis conformitas ad rationem rectam; relatio autem consequens extrema necessariò, non habet causam propriam aliam ab extremis.

Quantùm igitur ad istam conditionem actus accidentalem, quę est bonitas moralis, non oportet aliquem habitum habere aliquam rationem proprij principij actiui, nisi inquantum habet rationẽ principij actiui respectu substantiæ actus, qui actus natus est conuenire completo dictamini prudentiæ. E Et ad illum actum in se, inclinat habitus aliquis ex natura habitus. Et ex hoc, ex consequenti, inclinat ad actum, qui sit conformis rectæ rationi, si recta ratio insit operanti.

Sicut autem dictum est de bonitate morali actus: ita proportionabiliter dicendum est de habitu; quòd virtus moralis, non addit super substantiam habitus, vt est forma de genere Qualitatis, nisi conformitatem habitualem ad rationem rectam. Idem enim habitus in natura, qui generaretur ex actibus abstinentiæ elicientis, cum ratione erronea in eliciente, manens post cum ratione recta, esset post virtus abstinentiæ, & priùs non fuit habitus virtutis, quamdiu non fuit ratio recta abstinendi; nec tamen aliquid mutatum est circa istum habitum in se, sed tantùm nunc coniungitur prudentiæ, priùs non. Coniugi igitur prudentiæ, attribuit habitui, vt est forma de genere Qualitatis, esse virtutem, quando iste habitus ex natura sua natus est esse conformis prudentiæ.

Et ita nihil aliud in entitate absoluta dicit habitus, qui F est virtus moralis, ab illo, qui est talis in natura, & non virtus, si sit sine prudentia; & per consequens, nullam aliam causalitatem potest habere, vt est virtus: quàm vt est talis qualitas naturalis, nisi quòd vt coniungitur prudentiæ natus est esse causa secunda, quasi directa à prudentia respectu effectus cõmunis amborum, vt autem est sine prudentia, nõ potest esse causa secunda respectu eius; sicut visus in phrenetico nõ potest esse potentia libera per participationem, quia ille non potest habere vsum voluntatis, quæ est libera per essentiam: in sano autem visus habet vsum potentiæ liberæ per participationem, & est causa quasi secunda respectu voluntatis. Sed adhuc quando est causa secunda respectu prudentię, causalitatẽ propriam conuenientem sibi in suo ordine causandi habet præcisè ex hoc, quòd est forma, vel qualitas in natura: non autem per respectum cõformitatis vel coniunctionis ad prudentiam. Sed nec vt causa secunda, potest aliquam causalitatem habere respectu actus, nisi ratione naturæ absolutæ in ipso, & non ex tali coniunctione prudentiæ; G quia licèt causa secunda coniuncta primæ, aliter agat quàm sine ea; non tñ habet virtutem propriam actiuam ex coniunctione tali, sed ex natura sua absoluta; ergo nec ex parte actus, inquantum est bonus moraliter, nec ex parte habitus, inquantum est virtus moralis, potest inueniri ratio specialis, secundùm quam virtus vt virtus, sit principium actus, vt bonus moraliter; nisi ista quæ est ex parte habitus & actus, qantùm ad naturam eorum.

Istam ergo Quinta viã, de actione virtutis moralis respectu actus, vt est bonus moraliter, non oportet pertractare quasi aliam ab illis, quę tangunt de substantia habitus, & substantia actus.

Et ita breuiter, quantùm ad totam Quæstionem istam, oportet tenere vel Tertiam, vel Quartam viam, de omni habitu.

ARTICVLVS SECVNDVS.

A quo accipit bonitatem moralem actus moralis. H

RESpondeo. Quòd bonitas moralis (vt prædictũ est) est integritas omnium conditionum in actu, & circumstantiarum; & hoc præcipuè, vt illæ conditiones dictantur à recta ratione, deberet inesse actui simpliciter; ergo est necessarium ad bonitatem actus moralis, quòd eam præcedat dictamen completum rationis rectæ, cui recto dictamini conformetur, tanquam mensuratum mensuræ.

Sed non oportet istud dictamen esse ab habitu intellectiuo aliquomodo, puta prudentiæ; nec istum actum conformem dictamini, elici aliquomodo ab habitu morali appetitiuo: simpliciter enim dictamen rectum præcedit prudentiã, quia per ipsum generatur gradus primus prudentiæ; & ita similiter recta electio præcedit habitum moralem, quia per ipsam electionem generatur virtus moralis in primo gradu. Tunc igitur in primo actu rectè dictat

fine

A sine prudentia generata, & rectè moraliter eligit sine virtute morali generata: tamen prudentia ex primo actu, vel alijs pluribus rectis dictaminib. generata, magis inclinat ad consimilia dictamina elicienda, id est, ad rectè concludendum conclusiones Syllogismorum practicorum, de omnibus circunstantijs, quæ debent esse in actu eliciendo. Similiter virtus moralis generata post primum actū, magis inclinat ad actus eliciendos similes illis, ex quibus est generata.

Intelligendum autem est, quòd illud quod generatur de virtute morali, est quædam qualitas, de cuius ratione, vt est absolutè talis qualitas, non est conformitas eius ad prudentiam: posset enim eadē qualitas generari ex actibus similibus, in eadem specie elicitis sine prudentia; imò cum ratione erronea, si inesset: sed ista qualitas quæ generatur ex istis actibus, secundùm speciem naturę non est virtus ex hoc, quòd est quædam qualitas, sed ad hoc necessariò requiritur conformitas eius ad prudentiam, vel quòd est expressius ipsius coëxistentia cum prudentia, in

B eodem operante: semper quidem siue prudentia insit, siue non, semper habitus iste est natus esse conformis prudentiæ, si in esset; sicut habitus abstinendi generatus ex actibus factis ex ratione erronea, semper quantùm est ex se, natus est esse conformis prudentiæ, licèt prudentia non insit; quemadmodum alius habitus generatus ex actibus excessiuis, non est natus esse conformis.

Quando igitur qualitas, quæ nata est esse conformis prudentiæ, coëxistit cum ea, tunc non solùm habet conformitatem aptitudinalem, sed actualem ad prudentiam; quia ad similia inclinat vterque habitus, & actus elicitus secundùm inclinationem istorum duorum habituum, est bonus moraliter: qui si esset elicitus secundùm inclinationem illius solius qualitatis, quæ est materialiter virtus moralis, prudentia non coëxistente in eodem operante, nec inclinante ad actum illum, non esset actus ille bonus moraliter.

Sic igitur patet, quòd ista qualitas, quæ est materialiter virtus moralis, quæ per hoc habet completiuè rationem

C virtutis moralis, quia coëxistit prudentiæ, se habet ad prudentiam, quando inest, sicut causa secunda ad primam: & hoc respectu eiusdem effectus communis eliciendi ab eis. Tūc enim prudentia est quasi causa prior, & habitus moralis est quasi causa posterior.

Istæ autem duæ causæ simul concurrentes ad actum eliciendum, possunt ei attribuere bonitatem moralem, quam non posset solus habitus secundus sibi tribuere, si esset sine prudentia, vel sine ratione recta. Tribuere quidem moralem bonitatem est, tribuere conformitatem ad rationem rectam; & hoc tribuit qualitas illa, non ex hoc quòd qualitas solùm, sed quia in causando coëxistit prudentiæ simul inclinanti.

Patet igitur: quòd ista qualitas, quæ est virtus, ex hoc quòd est virtus, non habet causalitatem specialem respectu bonitatis moralis in actu; sed tantùm ex hoc quòd est virtus, habet coëxistentiam cum quadam alia causa eiusdem actus; quæ causa simul concurrens ad eliciendum

D actum, tribuit illi actui bonitatem moralem, quia conformitatē moralem sibiipsi: sed adhuc tamē habitus iste, nullam causalitatem habet respectu actus, ex ista ratione quæ est coëxistentia eius cum prudentia, sed tantùm ex ratione naturæ suę, vnde est hæc qualitas. Et ideo nullo modo est concedenda causalitas aliqua specialis habitus, vnde moralis, vltra illam quæ conceditur sibi, vnde est iste habitus.

Et est aduertendum. Quòd ista bonitas vt attribuitur prudentiæ, sic inclinanti, (sicut dictum est in principio) nō necessariò conuenit habitui prudentiæ, nec soli, sed actui illi, qui natus est esse actus prudentiæ, qui est dictamen rectum. Si enim illud insit, & secundùm eum, tanquam secundùm mensuram appetitus appetat, rectus est actus moraliter; & si illud dictamen rectum non inesset, prudētia tamen inesset, secundum quam intellectus posset rectè dictare, adhuc actus elicitus sine dictamine recto, nō esset perfectè bonus. Itaque prudentia quando non inest, sufficit ad actum moralem dictamen rectum: quando autem prudentia inest, ipsa non sufficit sine actu suo elicito. E
Et ita istam rectitudinem quā tribuit prudentia actui morali, tribuit mediante actu proprio prudentiæ.

Argumenta in principio Quæstionis adducta, resoluuntur.

AD illas auctoritates adductas pro Quinta via: quæ videntur sonare, quòd virtus vnde virtus, effectiuè causat bonitatem moralem actus.

Primò ad illam de 2. Ethic. *Opus eius bonum reddit*. Dico: quòd vel reddit inclinando, & hoc sibi competit in eo quòd hæc qualitas, in specie naturæ; vel si hoc non sufficit, (sic enim inclinaret sine prudentia,) reddit igitur vnde virtus est, id est, vnde coëxistens prudentiæ; reddit quidem in suo genere causę, quia vt causa secunda: & hoc virtute causæ superioris, quæ est prudentia.

Si igitur teneatur Tertia via, puta de actiuitate habitus: tunc reddit actiuè, sed vt causa partialis secunda. Si autem teneatur Quarta via: tunc reddit per modum incli- F
nationis, & hoc non ex hoc solo, quòd ipsa inclinat, sed ex hoc, quòd ipsa virtus cum prudentia virtute inclinat.

Ad aliud de moderari. Dico: quòd virtus moralis non moderatur actiuè passionem; quasi eam factam ab obiecto faciat esse minorem: obiectum enim delectabile præsens, naturaliter mouet, secundùm vltimum sui; sed habitus potest facere obiectum minùs conueniens potentiæ habituatę, quàm potentiæ non habituatæ; sicut graui disconueniens est sursum, magis, quàm corpori neutro, licèt grauitas non esset principium actiuum descensus. Ita potentiæ secundùm se, conueniens esset aliquod delectabile excessiuum; potentiæ autem habituatę per habitum inclinantem ad actus moderatos, est disconueniens, vel non ita conueniens illud delectabile excessiuū: & pro tanto, quasi per repugnantiam formalē vel virtualē ad habitum, habitus disconueniens vel excedens moderatur, ne delectabile immoderatè delectet. Et ex hoc non sequitur aliqua actiuitas habitus; sicut nec humiditas in ligno, licèt ipsa moderetur, ne ignis ita vehementer calefaciat, sicut cor- G
pus siccum habet actiuitatem.

Aliter potest dici. Quòd virtus moderatur passionem: non iam factam, sed fiendam, pro quanto inclinat potentiam, & hoc cum prudentia coexistente, vt fugiat immoderata delectabilia, quæ nata sunt inferre delectationes immoderatas, & non admittat nisi delectabilia, quæ nata sunt moderatè delectare: & in hoc moderatur, non quidē delectationem inexistentem minuēdo, sed immoderatam, quæ inesset, præcauendo.

Ad aliud, quòd sine iustitia non potest quis operari iustè. Dico: quòd in primo actu, quando est dictamen rectum generatiuum prudentiæ, & conformatur illi electio alicuius iusti, ibi non tantùm operatur iustum, sed iustè operatur eligens: sed debet intelligi quòd non iustè sine iustitia operatur, secundum omnem perfectionem, secundùm quam posset aliquis iustè operari, quarum vna est delectabilitas & facilitas in operando; quod non competit potentiæ non habituatæ, sicut habituatæ.

QVÆSTIO QVARTA. H

Vtrum tota charitas præexistens corrumpatur, cum noua inducitur: ita quòd nulla realitas eadem numero maneat in charitate maiore & minore.



QVartò circa augmentum charitatis. Supposito quòd charitas possit augeri, secundùm illud August. ad Bonifac. *Charitas meretur augeri, vt aucta mereatur & perfici*. Et secundùm illud Aug. 6. de Trin. c. 7. vel 8. *In rebus incorporeis, idem est melius esse quod maius esse*; aliqua autem charitas est melior altera, quia ei correspondet maius præmium essentiale; ergo aliqua charitas est maior alia.

Hoc inquam supposito. Quæro de modo augmēti charitatis. Et Primò. Vtrum tota charitas corrumpatur, cū noua inducitur, ita quòd nulla charitas eadem numero maneat in charitate maiore & minore?

Quòd

A Quòd sic arguo. Quia aliàs ipsa forma augeretur subiectiuè, quia ipsa eadem manens, transmutaretur de minori ad maius; hoc est falsum, quia forma simplex subiectum transmutationis esse non potest, secundùm auctoritatem 6. principiorum; ergo non potest charitas sic augeri.

Contra 1. de generat. t. 31. & 35. *Auctum oportet manere*; ergo & in augmento quocunque, non est corruptio præexistentis.

Hìc Dicitur. (*à Gotfr. quol. 7. qu. 7. Hanc Opin. sequitur Burl. & alij plures.*) Quòd nihil charitatis præexistentis manet idem numero in charitate aucta, sed totum quod præfuit corrumpitur, & aliud indiuiduum perfectius illo generatur.

Ad hoc ponitur ratio. Quia termini motus sunt incompossibiles ex 5. Phys. t. 26. igitur huius motus vel mutationis, quo charitas augetur, termini erunt incompossibiles; ergo illud quod est terminus Ad quem, simpliciter est incompossibile termino A quo, ergo non includit idem numero.

B Confirmatur ista ratio. (*Gotfr. quol. 7. qu. 4.*) Quia sicut in speciebus ponitur magis & minùs, propter ordinē essentialem specierum, ita videtur ponendum suo modo in indiuiduis speciei eiusdem: sed species perfectior quæ dicitur maior, est simpliciter alia natura ab imperfectiore; ita quòd nihil idem numero naturæ inferioris manet in superiore; imò superior est perfectior inferiore; quia actualior, vt patet in formis substantiarum separatarum: vnde Deus qui est actualissimus, est simplicissimus; ergo in indiuiduis eiusdem speciei, nihil imperfectionis idem numero manet in perfectiore.

Contra istam positionem arguitur, sex vijs. Quarum Prima sumitur ex præsuppositione formæ in augmento illius formæ.

Et secundùm istam viam, arguo Primò, sic. Licèt non necesse sit Deum augere charitatem, in illo instanti in quo elicitur actus meritorius, quo meretur charitas augeri, tamē potest tūc augere charitatē, ita quòd augmen-
C tum quod quis meretur, simul tempore detur quando actus elicitur.

Ex hoc arguo. Iste actus qui meretur augmētum charitatis, est meritorius; igitur præsupponit charitatem, in isto instanti in quo elicitur. Quæro; quam? Non istam nouam partem, quæ acquiritur: quia ista sequitur actum, sicut præmium meritum; ergo præsupponit istam quæ præexistebat; & per consequens non corrumpitur illa in illo instanti; quia si sic, tunc in illo instanti non posset actus meritorius elici, in quo tamen quis meretur augmentum charitatis.

Si autem proteruiat quis, quòd Deus nunquam auget charitatem in instanti, in quo habetur actus meritorius respectu augmenti, sed semper posteriùs duratione: pro eo, quòd non auget propter actum inquantum elicitur, sed inquantum est in acceptatione Diuina; & hoc modo manet post instans, in quo elicitur, & tunc post ipsum cōfertur augmentum.

Licèt ista responsio omnino sit improbabilis: pro eo
D quòd non euadit difficultatem in alijs. Primò quidem. Quia in virtutibus moralibus & intellectualibus, virtus augetur per actum elicitum, & non quando actus ille nō est; quia quod non est, nihil causat; ergo quando actus ille inest, tunc est ratio augendi habitum; ergo si tunc generetur nouum indiuiduum, & corrumpitur indiuiduum quod præfuit; sequitur quòd actus augmentatiuus habitus, non elicietur ab habitu, sed à sola potentia: quod videtur inconueniens; quia tunc, secundùm dicta in præcedenti quæstione, actus augmentatiuus habitus, esset imperfectior, quàm alius non augmentatiuus habitus, elicitus ab habitu.

Et si etiam concedat Conclusionem, quòd actus augmentatiuus habitus acquisiti elicitur à sola potētia. Quātis hoc videatur inconueniens, non tamen euadet hanc difficultatem specialem, si ponatur species intelligibilis augeri per actus intelligendi. Quia non potest ille actus elici à sola potentia circumscripta specie: quia sicut patuit dist. 3. huius, non sufficit intellectus sine specie ad actum E
intelligendi eliciendum; ergo non potest aliqua intellectio augere speciem quæ elicitur à sola potentia: illa igitur intellectio augmentatiua speciei, præsupponit speciē, & non illud indiuiduum, quod generatur; ergo indiniduum præexistens non corrumpitur.

Quodsi negetur intellectionem augere speciem intelligibilem. Vltima instantia ad propositum est ista. Voluntas per actum suum, potest remittere actum intelligendi. Quod probatur. Quia potest totaliter corrumpere intellectionem, & amouere intellectum ab hoc actu, & tamē volitio illa remissiua intellectionis præsupponit habere necessariò intellectionem, non aliquam nouam, quæ sequatur ipsam volitionem; patet: igitur aliquam præcedentem ipsam volitionem: & per consequens intellectio præexistens non corrumpitur per eam.

Secunda via est ex perfectione illius formæ, quæ inducitur per augmentum.

Vbi arguo, Primò sic. In actibus augmentatiuis habitus, actus decimus potest esse imperfectior primo, & ta- F
men per actum decimum, augetur habitus ad aliquem gradum, ad quem non potuit primò augeri per primum, vel secundum actum; quod non posset esse si totum præexistens corrumpatur; quia perfectio primi, vel secundi actus, in se erat maior; & per consequens indiuiduum in cuius generationem potuit primus actus, potuit esse perfectius illo indiuiduo, in quod potuit decimus actus; ergo quòd perfectius sit illud, quod sequitur decimum, quàm primum, non erit, quia nouum indiuiduum generatur virtute decimi, sed quia præexistenti generato, per actus præcedentes aliquid additur, & ita manebit præexistens.

Si dicatur, quòd præcedentes actus eliciti à charitate maneant in acceptatione Diuina, licèt non in se, nec in alio impresso à se, vel ab eis. Non soluitur argumentum, in acquisitione habituum naturalium & moralium.

Præterea ratio non soluitur in agentibus naturalibus. Pono enim quòd alicui calido in nouem gradibus, adue-
niat aliquod calidum in gradu minori; illud potest aliquo G
modo intendere calidum illud nouem graduum; & per consequens illud quod est in termino actionis, est perfectius in caliditate, quàm sit ipsum agens aduenīēs & augmentans: hoc esset impossibile, si esset indiuiduum nouum, generatum per actum illius calidi iam præsentis.

Nec potest euadi hoc per ordinē graduum; puta, quòd agens potest reducere ad gradum perfectiorem illud passum, quod fuit sub aliquo imperfectiori gradu, quod non potuit in principio reducere, sicut agens potest animare passum, quod priùs fuit organicum, & tamen non organicum non potest reducere ad perfectionem tantam, & hoc propter ordinem formarum, vel graduum in forma, propter quem ordinem existens sub imperfectiori, potest statim duci ad perfectius: non sic si non esset sub illo gradu. Non valet inquam hæc responsio. Quia si calidum octo graduum, intendat calidum decem graduum, & ista intensio fiat per caloris corruptionem præexistentis, & generationem noui indiuidui; igitur in illo instanti, in
quo generatur calidum decem graduum, genitum exce- H
dit in perfectione ipsum generans; quod est impossibile; igitur non fit sic augmentatio.

Tertia via sumitur, & accipitur in naturalibus, & in actione contrarij per contrarium. Calidum enim agens in frigidum, antequam corrumpat totaliter frigidum, remittit ipsum; si in ista remissione generatur indiuiduum: Quæro: à quo generante? Si non fugiatur ad agens vniuersale, quæ fuga est hìc irrationabilis, non potest assignari aliquod particulare generans huius indiuidui, quia calidum remittens frigidum, non potest per se generare aliquod indiuiduum frigidi; igitur nec nouum remissum.

Quarta via sumitur ex hoc, quòd Philosophus concedit eo modo motum in accidentibus, quo negat in substantijs; & per consequens, magis et minùs in accidentibus, sicut requiruntur ad motum; non sic in substantijs: si autem non esset augmentum in accidentibus, nisi per corruptionem præexistentis, & generationem noui; &

A tali modo potest inueniri magis & minus in substantijs; igitur non saluatur magis motus hic, quàm ibi.

Quintò arguitur per hoc, quòd natura sub determinato gradu, magis vel minùs esset species ad indiuidua, & hæc erit species inferior contenta sub speciæ naturæ; & ita nulla species naturæ intensibilis, vel remissibilis, erit indiuidua, seu specialissima. Consequentia prima probatur. Quia quicquid dicitur per se in Quid de indiuiduis, & est per se vnum, est species eorum: natura indeterminato gradu tali vel tali, dicitur in Quid de indiuiduis, & est per se vnum; quia tota natura, secundùm hunc gradum, essentialiter est eorum, quę habent naturam in tali gradu, & gradus nihil addit quod accidat naturæ: patet ergo, quod natura in tali gradu est species. Patet etiam, quòd natura in tali gradu, est minùs communis specie naturæ in se; igitur erit species inferior in ordine naturæ.

Sextò & vltimò arguitur. Quòd si ratio adducta pro positione valeret, concluderet eodem modo de quanto molis, sicut de quanto virtutis: & ita quando quantum molis

B augeretur, nihil propriè maneret idem; ergo in augmentatione propriè dicta, quantitas molis aucta non remaneret, secundùm quantitatem præexistentem: quod videtur inconueniens.

Respondetur secundùm istam positionem. Concedendo Conclusionem, quod ita est nouum indiuiduum quanti molis, quando aliquid est maius, sicut aliquid intensius est aliud indiuiduum qualitatis, vel quantitatis virtualis.

Sed contra hoc arguitur. Quia duo videntur sequi inconuenientia. Primò. Quòd si rarefiant species vini, erit quantitas molis, maior quàm priùs; quia rarefactionem cōcomitatur maior quantitas; ergo illa quantitas quæ fuit vini, non manet post rarefactionem; igitur nec manet ibi sanguis, quia non tenetur communiter ibi sanguis manere, nisi quamdiu manent accidētia, quæ affecerunt vinum conuersum.

Aliud inconueniens. Quia tunc videretur, quòd talis rarefactio non posset esset virtute agentis naturalis; vel

C quòd ageret agens naturale, nō præsupposita materia aliqua, vel subiecto. Patet. Quia ibi non præsupponitur materia substantialis; quia ibi nōn est substantia alterabilis; nec etiā præsupponitur ibi quantitas eadem numero manens, per te; & tamen agens naturale potest (vt videtur) sic rarefacere, vel condensare istas species; igitur agens naturale pōt agere, non præsupponendo aliquid in sua actione.

Ad ista inconuenientia respondetur, (*à Gotfr. quol.* 7. *quæst.* 4.) Ad Primum. Quòd quamdiu manent accidentia similia illis, quæ affecerunt vinum, manet sanguis; licèt autem non maneant eadem, manent tamen similia post rarefactionem.

Ad aliud. Cōceditur, quòd virtus naturalis potest agere, nullo manente cōmuni sub terminis: non tamen creat, quia hic, posterius naturali ordine sequitur priùs: ita non est in creatione.

Contra istas responsiones arguitur. Quia cùm quantitas illa noua numero differat à præexistente, & non alio modo differat quantitas aquæ à quantitate vini, nisi nu-

D mero tantùm, quia non specie; Patet: sequitur quòd propter talem permanentiam accidentium specie, non numero, non plùs manet sanguis sub quātitate ista noua, quàm maneret sub quantitate aquæ, si ibi esset, præcipuè cùm ista quantitas noua, non magis inclinetur ad afficiendum vinum, cuius quantitas fuit prior, quàm ad afficiendam aquam.

Contra aliam responsionem. Videtur esse inconueniēs, quòd virtus naturalis actiua, non supponat in actione sua subiectum.

Præterea, quæro, Quomodo vnum istorum sequitur ad reliquum? Aut sine actione naturalis agentis: & hoc est manifestum inconueniens; quia tunc agens naturale frustra ageret; quia sine eo illud consequens adesset; ergo non sequitur nisi per actionem naturalis agentis; sed tale agēs non potest ponere effectum in esse, sine causa materiali, nisi posset creare, quod repugnat naturali agenti.

Præterea secundùm hoc, posset dici, quòd agens naturale, effectiuè inducit animam intellectiuam, quia ipsa naturali ordine consequitur ad organizationem corporis; E consequens habetur communiter pro inconueniente.

Ad Quæstionem igitur, propter rationes improbantes istam Opinionem, & præcipuè duas vel tres primas. Teneo Conclusionem oppositam. Quòd realitas illa positiua, quæ erat in charitate minore, manet eadem realiter in charitate maiore. Qualiter autem hoc fit, patebit in solutione sequentis quæstionis.

Ad Argumentum in oppositum. Dico; quòd non sequitur. Manet forma eadem in indiuiduo perfecto, & imperfecto; ergo ipsa mutatur subiectiuè; quia non manet sicut materia sub forma, sed sicut natura in indiuiduo, supra quā quodlibet indiuiduum aliquid addit. Et ratio defectus consequentiæ est. Quia illud quod est subiectum vnius indiuidui naturæ, est etiam subiectum alterius indiuidui, & illud etiam est possibile, & mutabile ab indiuiduo in indiuiduum; ipsa autem forma, sicut vnius indiuidui non est subiectum, ita nec alterius; & per consequens nec mutabilis de vno ad aliud. F

QVÆSTIO QVINTA.

Vtrum illud positiuum charitatis præexistens, quod manet in augmento, sit tota essentia charitatis intensæ.

QVintò. Supposito quòd charitas prior non corrumpatur, quando augmētatur charitas. Quæro. (propter aliam opinionē de augmento charitatis) Vtrum illud positiuum charitatis præexistentis, quod manet in augmento, sit tota essentia charitatis intensæ, ita, quòd si poneretur charitas intensa sine subiecto, nullam realitatem haberet positiuam in se essentialiter aliam ab illa, quæ præfuit in charitate remissa.

Et quòd hoc modo realitas charitatis præexistentis sit tota essentia, & realitas charitatis auctæ, probatur Primò. Quia 8. Metaph. t. 10. *Formæ sunt sicut numeri*: quoad hoc, quòd sicut numerus quilibet additus numero, numerum variat, ita quilibet gradus in forma additus, variat speciē; G ergo in essentia huius formæ, non potest addi aliquid, manente eadem specie: supponitur autem, quòd intensa est eiusdem speciei cum remissa; ergo non additur ibi aliquis gradus, vltra realitatem ipsius formæ.

Præterea 10. Metaph. t. 25. c. penult. Dicit Philosophus, quòd *differentiæ formales mutant speciem*: differentia graduum, in essentia formæ, si esset, esset differentia formalis; ergo &c.

Præterea Porphyrius c. de differentia dicit, quòd differentia formalis non recipit magis nec minùs. *Esse*, inquit, *vniuscuiusque vnum, & idem est; neque intensionem recipiens neque remissionem.*

Præterea, Auctor sex principiorum. *Forma est simplici, & inuariabili consistens essentia.*

Præterea. Si realitas aliqua aduenit præexistenti; ergo charitas aucta, non erit in specie, quia includet aliquid accidentale naturæ specificæ; vel si ipsa sit in specie per se, nihil includit nisi pertinens ad naturam speciei; & ita charitas minor, quæ non includit illum gradum, non erit in H specie.

Contra. Si charitas maior non plùs realitatis haberet, quàm charitas minor, tunc charitas cuiuslibet Beati, esset æqualis in natura charitatis, charitati Christi. Et cùm secundùm Aug 6. de Trin. c. 7. *In rebus incorporeis, idem sit maius esse quod melius esse*: charitas cuiuslibet Beati esset æquè bona, & meritoria, cum charitate animæ Christi: & ita foret quilibet æquè essentialiter beatus cum Christo; quia præmium essentiale, correspondet quantitati charitatis; quod est impossibile.

ARTICVLVS PRIMVS.

Opiniones aliorum proponuntur, & refutantur.

OPinio innitens argumentis factis, (*D. Tho. in* 2. q. 52. *art.* 1. *&* 2.) ad Primā partem. Videtur dicere. Quòd, præscindendo formā à subiecto, non est magis & minùs in forma,

A forma, ſecundùm ſe, per realitatem additam. Et quia ſecundùm auctoritates Sanctorum, oportet ibi ſaluare aliquomodo magis & minùs: oportet ibi ponere magis & minùs ſecundū ineſſe, ipſius accidentis ipſi ſubiecto; quod quidē ineſſe eſt ſibi eſſe. Et ita maioritas accidentis, quantùm ad ineſſe, attribuitur vel maiori diſpoſitioni ſubiecti, vel maiori amotioni oppoſiti indiſponentis.

Contra iſtam Opinionem arguo. Primò ſic. Contraria in ſummo, ſunt incompoſſibilia in eodem, in gradibus verò remiſſis non: hoc non eſt, niſi aliquid eſt in cōtrariò intenſo, quod non eſt in remiſſo. Si enim tota realitas eſt in remiſſo, quæ eſt in intenſo, non eſt repugantia intenſi ad intenſum, ſicut nec remiſſi ad remiſſum; ſed illa incompoſſibilitas non eſt habitudo ad ſubiectum, nec ex habitudine aliqua ad ſubiectum: prior enim eſt incōpoſſibilitas formarum in ſe, quàm ſit formarum in ſubiecto recipiente: Quia enim ſunt incompoſſibiles in ſe, ideo non poſſunt recipi in eodem, non è conuerſo; ergo iſtud quod eſt ratio incompoſſibilitatis, in formis intenſis oppoſitis, eſt aliquid poſitiuum in eis ſecundùm ſe, non tātùm in ordine ad ſubiectum. B

Præterea. Si forma eſt indiuiſibilis, dat ſubiecto eſſe indiuiſibile, & indiuiſibiliter: non enim ſubiectum eſt tale ſecundùm formam, niſi quia forma eſt talis; ergo ſi forma eſt talis, quòd in ipſa, ſecundùm ſe, nō eſt aliqua maioritas perfectionis, nec ſubiectum ſecundùm eam, dicetur magis tale.

Præterea, contra illos modos, quibus ponitur magis & minùs in forma. Primò, contra illum modum de diſpoſitione ad maius & minus. Si enim eſt eadem diſpoſitio, .i. ſecundū rōnem vnius diſpoſitionis ad magis & minùs, & iſta eſt forma; ſequitur quòd in aliqua forma eſt magis & minùs; ſi autem ad aliquam formam eſt diſpoſitio non ſecundùm rationem vnius diſpoſitionis ad magis & minùs, ſicut volunt aliqui dicere, quòd in aere humiditas eſt diſpoſitio ad minorem caliditatem, & ſiccitas in igne, eſt diſpoſitio ad maiorem caliditatem.

C Contra hoc arguo. Vna ſpecies, ſecundùm ſe totam, videtur habere in ſuſceptiuo rationem vnius diſpoſitionis, ſicut ſubiectum ſuſceptiuum ſpeciei, eſt vnius rationis, & vnius diſpoſitionis: vnde omnia indiuidua, vnius accidentis, habent diſpoſitionem vnius rationis, ſicut & formam eiuſdem rationis: ergo circumſcripto omni alio, quod non eſt diſpoſitio propria, poteſt eſſe magis & minùs, in indiuiduis eiuſdem ſpeciei; & ita intenſio & remiſſio, ſecundùm formam illius ſpeciei, abſque hoc, quòd præcedant tales diſpoſitiones contrariæ, & oppoſitæ in ſubiectis: & tunc quæritur vt priùs. Quare eſt aliquid nunc magis diſpoſitum, quàm priùs? vt priùs argutum eſt.

Preterea. Si præcedant tales diſpoſitiones ad magis & minùs, tunc non erit motus vnus, ab intenſo ad remiſſum, nec è cōtra. Nihil. n. mouetur ad remiſſum, niſi quatenus habet diſpoſitionē iſtam conuenientem receptionis eius; in intenſum aūt nō habet diſpoſitionē iſtā conueniētē remiſſo; ergo oportet ad hoc ꝙ poſſit moueri ad remiſſum, quòd moueatur ad diſpoſitionem cōuenientem gradui remiſſo. D Et ita etiam oportet, ad hoc vt ex remiſſo fiat intenſum, quòd priùs fiat motus a diſpoſitione, quæ eſt à remiſſo, ad diſpoſitionem quæ eſt ad intenſum; & ita nunquam vnus motus immediatè erit ab intenſo ad remiſſum; quia non habent idem ſuſceptiuum immediatum diſpoſitum.

Alia via (*Egid. à Ro. quo. 2. q. 14. & quol. 6. q. 9. Item quol. 3. q. 9. & Henr. quol. 14. q. 3.*) q̄ dicit de indiſpoſitione, ſiue de amotione contrarij indiſponentis: videtur improbari per hoc. Quòd in Angelis, in ſtatu innocentiæ, non erat aliqua indiſpoſitio maior vel minor ad charitatem; ergo omnes recepiſſent charitatem equalem: quod nō tenetur.

Item. Angeli boni, non habuerunt in medio aliquam diſpoſitionem, & tamen non habuerunt æqualem charitatem: vnde non ſequitur. Quilibet Angelus in eadem ſpecie, æqualiter diſponitur ad gratiam; ergo quilibet æqualem habet gratiam.

Tertia etiam via, quæ tenetur à quibuſdam de radicatione formæ in ſubiecto: videtur improbari. Quia illa radicatio, aut eſt aliqua forma abſoluta: & habetur propoſitum: quia in tali eſt magis & minus: aut non. Si E non; ſed tantùm reſpectus: videtur tunc, quòd non poſſet habere magis & minùs, niſi per magis & minùs in fundamento, ſicut abſoluta non conueniunt in reſpectu, niſi per fundamentum. Tunc etiam non propriè ſaluatur forma intenſior, quia aliquando forma minùs radicata in ſubiecto pōt eſſe in ſe intēſior; ſicut rubor qui eſt ex verecūdia, eſt intēſior rubore, qui eſt qualitas paſſibilis in alio.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Propria Sententia recitatur, & argumenta quæ priori Sententiæ fauebant, reſoluuntur.

AD iſtam Quæſtionem. Concedo, præcipuè propter tres primas rationes, contra illam Opinionem adductas: quòd realitas poſitiua, quæ præexiſtit in charitate minore, non eſt tota realitas poſitiua, quæ eſt in charitate maiori: imò ſi eſſent charitas maior & minor ſeparatæ à ſubiecto, maior haberet in ſe realitatem poſitiuam F minoris, & aliam additā, ſi per impoſſibile tolleretur omnis habitudo ad ſubiectum; ſicut quantitas molis, ſi poneretur ſeparata à ſubiecto, etiamſi per impoſſibile non haberet inclinationem ad ſubiectū, vna tamē eſſet maior alià; & iſta haberet in ſe totam realitatem poſitiuam minoris, & aliquid additum.

Ad Argumenta in oppoſitum.

Ad Primum de numeris. Dico, quòd procedit ex defectu intellectus Philo. Comparat quidem ibi quidditates ad numeros, inquantum ſunt diffinibiles, eo modo, quo Plato loquebatur de quidditatibus, ponendo quidditates ſeparatas: ſubſtantiæ quidem hoc modo acceptæ, id eſt quidditates rerum, comparātur numeris, ſecundùm quatuor proprietates: quarum vna eſt iſta: quòd quodlibet additum, variat ſpeciem. Et intelligo ſic. Quòd de vna ſpecie faciat aliam, vel de non ſpecie faciat ſpeciem: quælibet enim differentia, addita diffinitioni, vt indicat quidditatem, ſpeciem aliam à præexiſtente conſtituit: ſi autē G præexiſtens fuerit ratio generis, determinat ad rationem ſpeciei, quæ non habebatur ante additionem differentiæ. Exemplum: de intellectiua anima, addita ſenſitiuæ. Dico igitur, quòd additum quidditati, acceptæ ſecundùm rationem quidditatis, alterat ſpeciem, altero dictorum modorum; ſed quod additur quidditati, non vt quidditas eſt, non mutat: gradus autem indiuidualis quicunque, ſicut & differentia indiuidualis, contrahens ad eſſe hoc, ſiue vnitas vel pluralitas indiuidualis, & breuiter, quæcunque conditio indiuidualis, addita naturæ ſpecificæ, non additur ſibi quantùm ad rationem quidditatiuam, ita, quòd ſecundùm iſtam rationem determinet eam: & propter hoc non mutat ſpeciem quidditatis cui additur. Nihil enim poteſt neque aliquam ſpeciem præexiſtentem, mutare in aliam ſpeciem, neque de non ſpecie in aliquam ſpeciem, niſi ipſum additum ſit ratio ſpeciei: & tale non eſt aliqua conditio indiuidualis.

Ad formam tunc auctoritatis. Dico, quòd ſi adderet aliquid, quod eſſet pars quidditatiua, quidditati præexi- H ſtenti, mutaret ſpeciem; ſicut ſi addatur aliquid, quod eſt pars numeri, numero præexiſtenti, mutatur ſpecies numeri; ſi autem addatur aliquid, quod non eſt natum eſſe pars numeri, puta aliquod accidens, puta ſi intelligeretur vna vnitas ternarij intenſior fieri, quàm priùs fuit in ſe, non mutaretur ſpecies. Ita in propoſito. Quæcunque differentia indiuidualis, vel gradus additus quidditati, non eſt nata eſſe pars quidditatis.

Per idem patet ad Porphyrium, qui ſimili modo loquitur de differentia, inquantum eſt per ſe pars diffinitionis. Et hoc modo conſiſtit in indiuiſibili: hoc eſt, accipiendo illam indifferentiam, ſecundùm quam abſtrahitur ab indiuiduis, quæ indifferentia totalis eſt gradus eius, vt differentia ſpecifica: ſic non recipit magis & minùs; quia quæcunque magis & minùs poſſunt cōpetere indiuiduis hoc modo, & sūt omnia intra iſtā indifferentiā differētiæ ſpecificę, & nō addūt differētiæ ſecundū hāc indifferentiā.

Ad

A Ad aliud de 10. Met. Poteſt reſponderi per idem: vocando differentiam formalem differentiam quidditatiuam.

Poteſt etiam dici ad formam. Quòd non omnis differentia formarum eſt formalis, loquendo propriè de formali, prout videlicet differentia formalis, eſt differentia ſecundùm formas, ſicut non omnis differentia hominum, eſt differentia in humanitate. Cuius ratiò aſſignatur, realiter & Logicè. Realiter ſic. Poſſunt homines habere humanitatem, & differre, licèt non per humanitatem; & ita in humanitate non differunt: ita poſſunt purę formę differre, & tamen non per formalitatem differunt; & ita neque formaliter: quia idem eſt differre formaliter, propriè loquendo, quod differre in forma, vel per formam. Logicè ſic. Quia ſicut terminus differentiæ, intelligendus per negationem incluſam in differentia, reſpectu illius negationis, poteſt concipi confusè, & diſtributiuè; ita etiam illud quod denotatur eſſe ratio formalis differentiæ, quale eſt illud, quod conſtruitur cum differre, vt in quo, vel ſecundùm quod, denotatur quòd poſſet confundi à negatione, B non autem ad negationem inferioris ſequitur negatio ſuperioris, ſed eſt deſtructio antecedentis.

Ad aliud de 6. principijs. Dico, quòd ſicut probat ſimplicitatem formæ, ita concedenda eſt ſibi concluſio: probat autem ſimplicitatem oppoſitam quantitati molis, quia ipſa addita, non facit maius ſecundùm molem; forma enim poſita in ſubiecto, non eſt aliquid maius quàm priùs fuit: concedatur igitur ſimplicitas formæ, oppoſita quantitati molis: ſed hoc nihil contra intenſionem, quæ pertinet ad quantitatem perfectionis & virtutis. E

Ad rationem aliam. Dico: quòd hoc, quod dicitur aliquid accidere naturæ ſpeciei; poteſt intelligi duobus modis. Vno modo ſic, quòd ſit extra rationem quidditatiuam ſpeciei; quomodo dicitur differentia accidere generi: & ſic accipitur accidens in fallacia accidentis, pro extraneo, quod eſt extra rationem alterius. Alio modo dicitur accidens, quod non facit per ſe vnum cum eo cui accidit, ſicut albedo in corpore. Primo modo dico, quòd ſicut albedo intenſa, aliquid habet quod accidit naturæ ſpeciei, ita etiã habet albedo remiſſa, imò omne indiuiduum aliquid habet, quod accidit naturæ ſpeciei, aliàs non contraheretur natura ſpeciei. Secundo modo dico, quòd albedo intenſa non habet aliquid, quod accidit naturæ ſpeciei; quia iſte gradus qui intelligitur addi ſecundùm ſe naturæ, facit vnum per ſe cum natura; ſicut quæcunque differentia indiuidualis addita naturæ, facit vnum per ſe cum natura. F

Quando igitur dicis. Si intenſum includit aliquid, quod accidit naturæ ſpeciei; igitur remiſſum, quod non includit iſtud, non eſt in ſpecie. Conſequentia non valet: loquendo de accidere, primo modo ſumpto, quo modo & non alio, antecedens eſt verum.

DISTINCTIO XVIII.

QVÆSTIO VNICA.

Vtrum donum dicat proprietatem perſonalem Spiritus Sancti?

C *Circa iſtam Diſtinctionem Decimam Octauam. Quæro Vnum,* ſcilicet. G

Vtrum donum dicat proprietatem perſonalem Spiritus Sancti?

Videtur quòd non. Quia ſecundùm Auguſt. 15. de Trinit. cap. 19. *Spiritus Sanctus intantum donum Dei eſt, inquantum datur eis quibus datur*: ſed non quia datur eis, quibus datur, habet ſuam proprietatem perſonalem; quia ſic datur ex tempore; ergo ex ſua proprietate perſonali, non habet quòd ſit donũ. Quia ſecundùm eundem ibidem, vbi ſupra. *Apud ſe, inquit, autem Deus eſt, etſi nemini detur, quia Deus, erat Patri & Filio coęternus, antequam cuiquam daretur.*

Hoc ſit quantùm ad illam Quæſtionem, qua Magiſter quærit. Vtrum Spiritus Sanctus, eadẽ ratione dicatur donum, & datum.

Item Secundò ſic. Si Spiritus Sanctus, ex ſua proprie- D tate perſonali, dicatur donum, cùm per Spiritum Sanctũ dantur dona, per donum darentur dona; ſed hoc videtur impoſſibile; quia donum includit rationem donabilis, igitur ſi includeret rationem donantis, includeret relationes oppoſitas, ſcilicet dantis & dati.

Hoc ſit quantùm ad Primã Quæſtionem Magiſtri. An per Spiritum Sanctum donum donantur dona?

Tertiò ſic. Si Spiritus Sanctus ex proprietate ſua ſit donum; ergo ex proprietate ſua eſt donabile, quia oẽ donum eſt donabile. Quæro cui ſit donabilis? Non Patri & Filio, certum eſt; igitur creaturæ; ſed hoc eſt falſum, ſ. quòd dicatur donum ab ęterno, ex ſua proprietate perſonali, quia donabilis creaturæ: quia tunc eadem ratione Filius diceretur donum, quia ab ęterno proceſſit à Patre, vt donabilis creaturæ. Vnde dicitur in Iſa. *Filius datus eſt nobis &c.*

Hoc quantùm ad Tertiam Quæſtionem Magiſtri. Vtrum Spiritus Sanctus ſit donabilis Patri & Filio, vel tantùm nobis?

Item Quartò ſic. Proprietas Perſonæ procedentis, dicit proceſſionem, qua accepit Eſſentiam: ergo ſi donum ſit proprietas perſonalis Spiritus Sancti, donum dicet proceſſionem eius, qua Spiritus Sanctus procedit, & accepit Eſſentiam; ſed donum non dicit niſi donationem, quæ non competit Spiritui Sancto ab æterno; cùm non priùs daretur quàm eſſet cui daretur; ergo proceſſus eius non eſſet ab ęterno: quod falſum eſt.

Item Quintò ſic. Quo aliqua perſona accipit Eſſentiã, eo habet Eſſentiam; ſed Spiritus Sanctus proceſſione accipit Eſſentiam; ergo proceſsione habet Eſſentiam; ergo eodem addito vtrobique, quo habet Eſſentiam, eo eſt Eſſentia; ſed proceſsione habet Eſſentiam; ergo proceſsione eſt Eſſentia. Quia ſi habet Eſsentiam, eſt Eſſentia. Sic igitur ſequitur quòd Spiritus Sanctus dono ſit Eſsẽtia: quod falſum eſt. Quia Spiritus Sanctus, non eſt eo donum, quo Deus; nec Filius, eo Filius, quo Deus; eo autem quo eſt Deus, eſt Eſſentia; ergo non eo Eſsentia, quo procedit; nec eo donum, quo Deus. Hoc eſt quod dicit Aug. 7. de Trin. cap. 1. de Magnis. H

Item Sextò ſic. Donum habet relationem ad illud, cui datur; igitur ſi Spiritus Sãctus habet ex proceſsione, quòd ſit donum creaturæ; per conſequens haberet quòd ſit Spiritus creaturæ: hoc falſum eſt. Quia eadem ratione Filius, eſſet Filius creaturę, cùm ſit nobis datus. Et hæc ratio innuitur in 4. q. Magiſtri. An Filius poſsit dici noſter, cùm ſit nobis datus, ſicut Spiritus Sanctus dicitur noſter.

Item Septimò ſic. Inter dantem & datum, eſt relatio; Sed Spiritus Sanctus dat donũ; ergo ſi ex proprietate ſua perſonali ſit donum; igitur Spiritus referretur ad ſe, ſecũdùm relationẽ donantis & donati, ſiue dantis & dati; ſed nulla relatio realis vel perſonalis, eſt eiuſdẽ ad ſe; ergo &c.

Hoc ſit quantùm ad Quintam quæſtionem Magiſtri. An Spiritus Sanctus referatur ad ſeipſum?

Contra

Contra. Augst. 4. de Trini. c. 20. *Sicut enim*, inquit, *natum esse, est Filium a Patre esse; ita mitti, est Filio cognosci, quòd ab illo sit: & sicut Spiritum Sanctum donum Dei esse, est à Patre procedere, ita mitti, est cognosci quòd ab illo procedit*. Et sequitur. *Nec possumus dicere, quòd Spiritus & à Filio non procedat*; ergo Spiritus Sanctus eo est donũ, quo à Patre Filioquè procedit; & per consequens donum est proprietas personalis Spritus Sancti.

Item. Aug. 5. de Trinit. c. 2. *Sed tamen*, inquit ille, *Spiritus Sanctus, qui non Trinitas, sed in Trinitate intelligitur; in eo quòd propriè dicitur Spiritus Sanctus, relatiuè dicitur, cùm ad Patrem & Filium refertur, quia & Spiritus Sanctus & Patris & Filij Spiritus est: sed ipsa relatio, non apparet in hoc nomine; apparet autem, cùm dicitur donum Dei: donum enim est Patris & Filij, quia & à Patre & Filio procedit*. Hæc ille. Ergo donum est proprietas personalis eius, secundùm quam à Patre Filioquè procedit.

Hìc dicitur. Quòd donum potest accipi tripliciter, siue æquiuocè, sicut habere possumus ab August. in auctoritatibus prædictis. Vno modo, aptitudinaliter: secundo modo, habitualiter: Tertio modo, actualiter. Tertio modo, loquitur Augst. in prima auctoritate allegata, de dono: Secundo modo, loquitur August. 5. de Trin. c. 15. vbi inquit *Vtrum ergo erat*, (supple donum) *antequam daretur, sed nondum erat donum: aut eo ipso quo daturus erat eũ Deus, iam donum erat antequam daretur &c*. Parum post respondet, dicens. *Sed quia sic procedebat, vt esset donabile, iam donum erat, & antequam esset cui daretur*. Primò, scilicet aptitudinaliter, donum dicitur, vt aptum natum est dari vt ei non repugnat dari, etsi in futuro non daretur; sicut loquitur Aug. in auctoritatibus ad oppositum: & isto modo, donum habet rationem proprietatis personalis, vel est donum ex processione sua, scilicet inquantum donabilis.

Sed hoc non concedo, licèt distinctionem approbemus.

Et quòd sit falsum, arguitur. Quia proprietas personalis, est ad intra, & non ad extra; sed donabilitas illa non est ad intra, sed ad extra, vt ad creaturam; quia non ad Patrem nec ad Filium; ergo &c. Probo Maiorem. Quia Persona quælibet Diuina, habuit perfectum esse Diuinũ, & personale, antequam fuit aliqua creatura, quia ex se est necesse esse: Creatura verò in nullo esse, nec intra, nec extra, est necesse esse, neque in esse existentiæ, nec in esse essentiæ, scilicet diminuto, siue intellecto. Ratio huius est. Quia necessitas est conditio existentis, & tale esse abstrahit ab existentia, etiam hoc esset magis inconueniens, quàm si esset necesse esse in esse reali; sed quod est ex se necesse esse, prius est quàm illud quod est possibile, vel non necesse esse; ergo in illo priori, est persona tertia, siue eius processio, & non est respectus eiusdem ad creaturam: quia non est intelligere aliquam relationem esse ad creaturam, nisi creatura esset, vel intelligatur esse; quia relatio requirit terminum simul cum ipsa esse. Secundò probatur Maior sic. Quia relatio rationis non per se includitur in Persona Diuina, quæ est ens reale: & si includeret relationem rationis, esset ens rationis, etsi cum hoc plura realia includeret: quia constitutum sequitur debiliorem partem; sed relatio Dei ad creaturam, siue actualis, siue habitualis, siue aptitudinalis, est ens rationis; ergo &c.

Item ad principale, sic. Vna Persona non constituitur formaliter duabus relationibus distinctis; sed Spiritus Sanctus, per spirationem passiuam, quæ dicit respectum ad spirantes, constituitur in esse personali; sed si relatio aptitudinalis esset necessaria ad hoc, ipsa esset alia relatio ab illa. Probo. Tum quia sunt ad diuersos terminos: Tũ quia vna est realis, alia rationis.

Respondeo. Primò ad rem in se. Secundò ad intentionem August.

Quantùm ad rem. Dico. Quòd nulla Persona constituitur in esse personali, per aliquem respectum ad creturam; nec aliqua proprietas personalis, dicit respectum ad creaturam: imò quicquid est intrinsecum in Diuinis, siue absolutum, siue respectiuum, in quocunque esse reali, siue intelligibili, abstrahitur ab omni respectu ad creaturam; estquè prius quocunque esse creaturæ; ita, quòd si per possibile, vel incompossibile, nihil aliud à Deo posset esse in aliquo esse, nihilominus esset in Deo, quicquid sibi conuenit ad intra, secundùm quodcunque esse essentiale vel personale; quia priùs intelligitur tota Trinitas in esse personali, secundùm quodcunque esse, quàm creatura intelligitur secundùm aliquod esse. Quia quodcunque esse attribuitur creaturæ, siue reale, siue diminutum, illud est à tota Trinitate: & ideo creatura, secundũ quodcunque esse eius, necessariò est posterior omni esse ad intra; & ideo nihil intrinsecum in Diuinis, includit necessariò respectum ad creaturam, quæ est posterior: ergo cũ respectus, quo Spiritus Sanctus dicitur donum, sit ad creaturam; quia non esset donum, nisi creaturæ cui daretur; quia non Patri nec Filio sic datur, sequitur quòd donum, nõ sit proprietas constitutiua Spiritus Sancti, sed tantùm spiratio passiua, qua accipit esse à Patre & Filio, quæ propriè signatur hoc nomine, Spiritus Sanctus, in sensu compositionis: quicquid dicat Aug. 5. de Trin. c. 11. quod, s. eius relatio magis apparet in hoc nomine, donũ, quàm in hoc nomine, Spiritus Sanctus.

Dico ergo, quòd maximè apparet illius tertiæ Personæ proprietas constitutiua, hoc nomine, Sipritus Sanctus: non intelligendo per Spiritum Sanctum, naturam intellectualem vel spiritualem; quia sic hoc nomen Spiritus, est commune tribus Personis; sed accipiendo Spiritum Sanctum, pro spirata voluntate vnica & sancta, Patris & Filij, quia talis voluntas habens obiectum infinitum, infinitè diligibile sibi præsens, est principium sufficiens producendi amorem infinitum, & per consequens per se stãtem, qui Spiritus dicitur.

Tamen propter auctoritatem Aug. Est sciendum. Quòd donum multipliciter potest accipi. Vno modo potest donum dici; quodcunque liberaliter productum: & sic dare, nihil aliud est, nisi liberaliter producere, & dari, liberaliter produci; & isto modo potest concedi Spiritum Sanctum ab æterno datum esse, & donum; quia ab æterno spiratur: & sic donum non dicit nisi proprietatem personalem, quia ab æterno Spiritus Sanctus est spiratus: vnde sic dare, & dari, nihil aliud est, quàm spirare, & spirari. Et sic non loquuntur Sancti de dono. Nam concedunt Spiritum Sanctum esse donum ab æterno, sed non dari ab æterno; quia ipsum dari ab æterno, includit creaturam, cui datur, fore ab æterno. Non enim potest aliquid dari, nisi sit illud cui datur. Alio modo potest intelligi per donum, Amor concors Patris & Filij, quo Pater impendit amorem Filio, & ille rependit amorem eundẽ: quomodo loquitur Ricar. 3. de Trinit. de amore. Et sic non intendit hìc Aug. loqui de dono; quia sic donum, quod idem est quod amor, est merè essentiale, secundùm vnam opinionem, vel merè personale secundùm aliam opinionem.

Et ideo dico. Quòd donum per se aliquid vnum principaliter signat, & aliud ex consequenti connotat, & sic est vniuocum. Signat enim per se respectum rationis ad creaturam, & tunc signat aliquod essentiele, & non per se; vel principaliter signat proprietatem notionalem alicuius personæ, connotat tamen notionalem, vt superiùs de dari dictum est. Vel si dicatur, quòd signat vtrumque per se: tunc erit æquiuocum, & non signat per se vnum.

Supponendo tamen quòd signat aliquid per se. Dico, quòd primò & per se signat respectum donabilitatis ad creaturam, vel donaturi vel donandi; quia donum potest tripliciter accipi, respectu creaturæ, vt dixit prior Opinio, & in hoc bene: sed tamen connotat proprietatem tertiæ Personæ, procedentis à Patre & Filio; quia amor est verus ex vi processionis suæ, & sic verè liberè donum. Inter enim omnia dona dantis, primum donum quod dat, & quisquis dare potest, est amor eius, quem primò dat amato, qui est ratio cuiuscunque alterius doni: nihil enim habet rationem doni, nisi inquantum cadit sub actu amoris: non enim cultellus, vel rosa, neque aliquid exterius, habet rationem doni, vel meretur nomen doni, nisi quia communicatum amicabiliter, actu amatorio voluntatis:

A ideo omnia dona dicuntur talia ratione amoris dantis,etsi non recipientis:Spiritus autem Sanctus ex vi processionis suæ,est priùs amor, & infinitus, & procedens per actum amoris à Patre & Filio,eum liberaliter producentibus;& ita donum si sit essentiale, per se signans respectũ ad creaturam, connotabit tamen necessariò proprietatem Spiritus Sancti, qui est primus amor Essentiæ, procedens à Patre & Filio,per actum amoris.

Et sic intelligendæ sunt auctoritates Aug. supèriùs ad partem oppositam allegatæ,quòd donum dicat proprietatem personalem Spiritus Sancti per connotationem, & non secundùm suam principalẽ significationem. Hoc per exemplum declaratur. Hoc nomen,dator,non signat primò respectum virtutis spiratiuæ Patris & Filij, sed primò signat respectum rationis ipsius ad creaturam, connotando processionem passiuam, vel proprietatem personalem Spiritus Sancti, per respectum tamen ad virtutem spiratiuam, per quã producitur primus amor spiratus infinitus: eodem modo donum, non primò modo signat proprietatem personalem Spiritus Sancti.

B Ad Primam rationem principalem. Patet responsio per ea quæ dicta sunt. Quia donum,nõ primò signat proprietatem personalem Spiritus Sancti: nam intantum est donum,inquantum datur eis quibus datur; & ita per se significat respectum ad creaturam,connotat tamen proprietatem Spiritus Sancti.

Ad Secundum. Concedo, quòd per donum dona dentur;quia per amorem,qui est primum donum, dantur dona omnia,sicut dictum est. Ad probationem. Dico,quòd non est oppositio in relatiuis, nisi accipiatur respectu eiusdem. Non enim opponuntur in eodem paternitas & filiatio,ita quòd idem respectu diuersorum sit pater, & filius: quia potest esse filius patris sui, & tamen pater filij quem generat;non tamẽ potest esse filius patris sui, & ipsius pater; quia tunc idem produceret se, quod est inconueniens, 1.de Trin.c.1.Spiritus Sanctus autem est donum,inquantum connotat eius processionem personalem, & est simul cũ Patre & Filio dator, vel donator cuiuslibet doni, quod C datur creaturæ: nec est hoc inconueniens, quòd sit dans & donum,vel datum respectu diuersorum.

Ad Tertium. Dicendũ,quòd donabile,dicitur vno modo,quod est aptum natum donari; alio modo dicit idem, quod est possibile dari. Nec sunt ista eadem.Quia aliquod est possibile esse tale, quod tamen non est aptum natum esse tale: lapidem enim est possibile ferri sursum,& tamen non est aptum esse natum sursum, nec habet ad hoc aptitudinem:corpus etiam neutrum,quod nec de se est natum ferri sursum,nec deorsum,vt corpus circulare, possibile est deferri deorsum, & sursum: secundùm autem primũ modum,Persona Spiritus Sancti,habet ex processione sua,& à proprietate personali aptitudinem;quia Spiritus Sanctus procedit vt amor donabilis; non sic Filius, sed vt Verbum E declaratiuum Essentiæ Patris: & ideo non procedit Filius proprietate personali, vt habens aptitudinẽ,vt detur; procedit tamen penes secundum modum, vt possibilis dari à Patre & à Filio,& à Spiritui Sancto:& ita non sunt idem, vt patet in exemplo præallegato.

Ad Quartum. Concedendum est, quòd *Spiritui Sancto præstat Essentiam sine vllo temporis initio, de Patre Filioque processio*: sicut dicit Aug. 15.de Trin.& quòd ista processio includatur in hoc nomine,donum,non vt principale significatum,sed vt connotatum.

Ad Quintum. Dicendum,quòd illa est falsa. Quo Spiritus Sanctus habet Essentiam, eo est Deus: quia processione habet Essentiam,non tñ est Deus.Nam nõ eo,Pater, quo Deus; neque eo Spiritus Sanctus,quo Deus, sicut patuit superiùs per Aug.Filius etiam natiuitate habet Essentiam,non tamen nascibilitate est Deus,sed Deitate.

Et cùm probatur. Personam habere Essentiam, est ipsam esse Deum;ergo eodem addito vtrobique, quo Persona habet Essentiam,eo est Deus. Nego consequentiam: F sed est fallacia figuræ dictionis, penes primum modum. Nam ablatiuus quando cõstruitur cum verbo adiectiuo, construitur cum eo, vel in ratione principij actiui, vel in ratione actionis & fieri;vt lignum habet esse calidum, calore vel igne: ibi iste ablatiuus, calore, significat quòd calor habitus in ligno,sit principium calefactionis in ligno. Cùm verò dicitur, lignum habet esse calidum calefactione,construitur ablatiuus in ratione factionis & fieri; sed quando ablatiuus construitur cũ verbo substantiuo, construitur cum eo in ratione principij formalis essendi;vt cũ dicitur,lignum est calidum calore;& ita in proposito. Spiritus Sanctus habet Essentiam processione, construitur ablatiuus cum verbo, in ratione actionis, quasi in esse & fieri: sed cùm dicitur processione est Essentia & Deus, significat ibi quòd processio sit formalis ratio,qua est Deus: quod nõ est:& sic est ibi fallacia figurę dictionis,ex simili terminatione.

Ad Sextum. Dicendum,quòd Spiritus Sanctus dicitur G donum creaturæ,& Spiritus noster, secùdùm illum respectum quẽ connotat ex sua processione. Quia sicut donum primò significat respectum ad creaturam,connotando tamen æternam processionem; ita è conuersò Spiritus Sanctus primò significat processionem æternã, vel personam illam constitutam, connotando respectum aptitudinalem ad creaturam: Filius autem ex processione sua, non significat respectum ad creaturam,nec illum cõnotat,quia naturaliter, & non per modum doni procedit; *exit enim non quomodo datus,sed quomodo natus*; Aug.5.de Trin.c.14.

Ad Septimum. Dico:quòd Spiritus Sanctus est datiuus sui,quantùm ad extra: sed iste respectus non est proprietas eius.

D

DISTINCTIO XIX.

H

QVAESTIO PRIMA.

Vtrum Personæ Diuinæ sint ęquales,secundùm magnitudinem?

*Irca istam Distinctionem Decimamnonam. Quæro duo.* Primò.

Vtrum Personę Diuinę sint æquales secundùm magnitudinem.

Vòd non. Quia in prædicamentis dicitur: quòd quantitati proprium est secundùm eam, quòd aliquid æquale vel inæquale dicatur;quantitas non est in Deo, secundũ Aug.5.de Tri.c.1. *Deus est magnus sine quantitate,& bonus sine qualitate*:ergo &c.

Item.Nihil est ponendum in Deo,quod dicit imperfectionem;æqualitas est huiusmodi. Probatio. Quia repugnat perfectioni in creaturis. Quod per Aug.83.qq.q.41. inquit, *Si omnia, inquit, essent equalia non essent omnia*: igitur perfectio vniuersi, non posset stare cum æqualitate; æqualitas igitur non est in omnibus melior suo opposito; igitur non erit perfectio simpliciter;igitur nõ erit in Deo, tanquam essentiale,vel commune tribus.

Tertiò sic. Perfecta æqualitas est mutua;hic est nõ mutua secundùm Aug.6.de Trin.cap.vlt. *Imago si perfecta est, æquatur ei cuius est imago,non illud suę imagini.*

A Oppositum in Symbolo Athanasij. *Personæ coæternæ sibi sunt coæquales*. Et Magister in litera probat hoc specialiter per Aug. de fide ad Petrum. c. 2.

Hìc primò vidẽdum est, de æqualitate propriè sumpta. Secundò, de ipsa generaliter sumpta. Et Tertiò qualis est qualis est æqualitas in proposito. Et Quartò ostendendùm est, quòd hoc modo in Diuinis Personis sit verè & perfectè æqualitas.

De Primo. Philosophus 5. Met. t. 20. c. de relatione. Distinguit tres relationes fundatas super vnũ, scilicet idem, simile, & æquale. Et loquendo de istis strictè, & propriè, appropriantur diuersis generibus; vt identitas substantiæ, æqualitas quantitati; & similitudo qualitati; & ita fortè possent aliæ rationes propriè fundari super res aliorum generum, sicut proportionalitas super relationem, siue similitudinem duarũ proportionum. Et hoc videtur Auic. dicere, saltem de his tribus relationibus cõmunibus, quas expresse ponit Philosophus. Dico tamẽ, quòd fundamentum remotum istarum relationum, est res illius generis: B puta æqualitatis fundamẽtum, est res de genere quantitatis; similitudinis, est res de genere qualitatis; identitatis, est res de genere substantiæ: proximũ tamen fundamentum, vel relatio proxima fundandi, est vnitas talis rei; quia super rem talis generis (vt diuersa est) fundantur relationes disparatæ, & non communes.

De secundo. Dico. Quòd quodcunque ens est in se quid, & habet in se aliquẽ gradum determinatum in entibus, & est forma, vel habens formam. Et secundùm hoc, sicut potest tripliciter considerari quodcunque ens, ita etiã super ipsum potest fundari triplex relatio cõmuniter sumpta: quia identitas super quodcunque Ens, inquantum est Quid, & æqualitas vel inæqualitas super quodcunque Ens, inquantum habet magnitudinem aliquam perfectionis, quæ dicitur quantitas virtutis, de qua dicit Aug. 6. de Trinit. cap. 7. quòd *in his quæ non magna mole sunt, idem est melius esse, quod maius esse*. Similitudo autẽ vel dissimilitudo potest fundari super quodcunque Ens, inquantum est quale & qualitas quædam. De hoc modo qualita- C tis loquitur Philos. 5. Met. t. 19. c. de qualitate, quòd *vnus modus qualitatis, est differentia substantiæ*: id est, differentia essentialis: & hoc modo indiuidua eiusdem speciei, sunt essentialiter similia, inquantum habent eadem differentiã specificam, quæ est vt qualitas essentialis ipsorum. Et hoc modo, communiter & non strictè accipiendo istas relationes communes, dicit Philosoph. 10. Met. t. 12. Quòd *omne ens omni enti comparatum, est idem, vel diuersum; ita quòd omne ens omni enti comparatum, est æquale vel inæquale*: sicut igitur fundamentum identitatis, æqualitatis, & similitudinis, hoc modo communiter sumptum, est ens in communi comparatum ad quodcunque ens in communi, ita & illę relationes sunt transcendentes, licèt non conuertibiles; cum disiunctione tamen diuidentes ens, sicut diuiditur in necessarium & possibile.

De Tertio. Dico. Quòd sicut nullum genus, nec aliquid alicuius generis, dicitur de Deo formaliter, ita nec passio alicuius generis; & per consequens, nec aliqua relationum D communium, secundùm quod strictè sumuntur, vt scilicet sunt passiones generum determinatorum: sed quia Ens dicitur formaliter de Deo, & quæcunque passio cõuertibilis cum ente; & passionum non conuertibilium, sed disiunctarum semper extremum nobilius: ideo hoc modo illud extremum dicetur de Deo, quod vel dicit nobilitatem, vel non repugnat nobilitati, sed reliquum repugnat.

De Quarto, dimittendo nunc de identitate & similitudine, de quibus nunc non est quæstio. Dico, de æqualitate: quòd ipsa est perfectè in Personis Diuinis. Et licèt æqualitas aliquorũ entium causatorum posset sumi secundùm quantitatem continuam, siue discretam; & secundùm continuam, vel permanentem, vel successiuam; ac per hoc posset quæri; Vtrũ in Personis Diuinis esset æqualitas secundum numerum, si ibi esset perfectus numerus? Et, An ibi esset perfecta æqualitas secundùm durationem, vel secundùm æternitatem, quæ correspondet quantitati successiuæ in creaturis? Primum tamen non pertinet ad distinct. istam, sed ad dist. 24. nec de hoc tangit hìc aliquid Magister; quia non ponit ibi numerum positiuè, sed fortè in illa distinctione tangetur. De secundo aliqualiter tangit Magister; & adducit August. de fide ad Petrum. Et probatum est dist. 9. E

De Tertio est quæstio, scilicet, de æqualitate secundùm magnitudinem.

Et quòd ista sit perfecta in Diuinis, probatur. Tum ex fundamento remoto, scilicet magnitudine. Tum ex ratione proxima fundamenti, scilicet vnitate.

Primum patet ex hoc, quòd magnitudo virtutis non est perfecta, nisi sit infinita; quia non repugnat sibi infinitas: & nihil est perfectum, cui non repugnat infinitas, nisi sit infinitum; omnis autẽ alia magnitudo virtutis, finita est, sola est infinita; sicut patuit dist. 2.

De secundo probatur propositum. Quia in omnibus alijs æqualibus, est diminuta vnitas magnitudinis, secundùm quam æquales dicuntur: quia illa magnitudo numeratur in ipsi æqualibus, hìc autem est perfecta vnitas magnitudinis, & tamen est cum hoc distinctio sufficiens relatiuorum, quæ requiritur ad relationem realem. F

Sed hìc est vnum dubium. Quia cùm magnitudo transeat in essentiam: Non videtur quòd relatio fundata super magnitudinem, sit alia à relatione fundata super essentiam, vt est quid, & ita non videtur differre æqualitas ab identitate. Aut si ęqualitas & similitudo possent attendi in illis quæ videntur quasi passiones essentiæ, nõ attenduntur in eis nisi inquantum habent magnitudinem virtutis: ista autẽ magnitudo, non est aliud attributum à perfectione tali; quia dicit modum intrinsecum illius, sicut sępe supra dictum est; ergo si similitudo sit secundùm talem proprietatem, æqualitas secundùm magnitudinem illius proprietatis non differet à similitudine secundùm istam proprietatem: & ita videtur quòd æqualitas, secundùm quod æqualitas, non sit hìc ponenda: quia neque vt distincta ab identitate, loquendo de æqualitate infinitæ essentiæ; neque vt distincta à similitudine, loquendo de æqualitate, quę est in magnitudine perfectionum attributalium.

Est etiam aliud dubium. Quia videntur ponendæ ęqualitates Persanarum infinitæ, si possent esse infinitæ perfe- G ctiones attributales; quælibet enim magnitudinem suam habet, tanquam modum intrinsecum sui, secundùm suam rationem propriam; ergo quot sunt perfectiones attributales, tot magnitudines erunt, & æqualitates.

Ad ista quære responsiones, dist. 31.

Ad Argumenta principalia.

Ad Primum. Dico, quòd non est ibi quantitas molis, sed virtutis. Et si nomen quantitatis appropriatur ad magnitudinem molis, magnitudo autem non appropriatur ad magnitudinem molis, tunc potest propriè concedi, quòd est magnitudo ibi, sine quantitate: & ita magnitudo verè est fundamentum, æqualitatis transcendentis; quia hoc modo omne ens, est magnum vel paruum, æquale, vel in æquale licèt magnitudo ista non sit fundamẽtum æqualitatis, prout est passio quantitatis, quæ est genus.

Sed contra istud arguitur. Quia non videtur verũ, quòd aliquid possit dici de Deo, nisi illud quod est de intellectu illius, dicatur de eo; ergo cùm de intellectu magnitudinis sit quantitas, magnitudo non potest concedi in Deo, & H negari ibi quantitas.

Item. Quærenti quantus est Deus? benè respondetu, quòd est immensus: si autem non esset ibi quantitas quæstio nulla esset.

Item. Passio communis toti generi, non conuenit alicui per differentiam specificam; æqualitas est passio communis toti generi quantitatis; ergo non conuenit alicui per aliquã differentiam specificam de genere quantitatis; & ita non posset poni in Deo aliqua differentia de genere quantitatis, negando ibi genus quantitatis, & quòd per talem differentiam sit ibi æqualitas.

Ad primum. Respondeo, quòd magnitudo est æquiuocum, secundùm quod est species quantitatis, distincta contra multitudinem 5. Metaph. t. 18. & secundùm quod opponitur paruitati, & eius concretum quod est magnum, opponitur paruo. Ista distinctio satis habetur à Philos. 5. Meta. & 10. t. 18. & 20. in simili, de longo & breui, multo

& pauco, multo & vno. Primo modo, non transfertur magnitudo ad Deum, nec differentia eius vt aliquid eius; sicut patet ex dist. 8. quia tunc transferretur genus quod includitur in eo. Nec etiam secundo modo, vt magnum propriè sumitur, & dicit passionem quantitatis: quia etiam propria passio, non est sine suo proprio subiecto. Sed alio modo magnitudo est passio entis, diuisa contra paruum; & sic in omni ente est alterum extremum. Hoc patet per Philosophum 5. Metaph. t. 18. cap. de quanto. *Sunt autem & magnum & paruum, & maius & minus, & secundum se, & ad inuicem dicta, quanti passiones secundum se; transferuntur etiā ad alia hæc nomina:* quasi diceret; Propriè sumpta; dicunt passiones proprias quantitatis: communiter sumpta, dicūt passiones communes entis.

Ad aliud. Quantus est Deus. Neganda est quæstio esse rationabilis, si negetur in Deo quantitas: si autem concedatur, quæstio erit rationabilis, sed tunc concedenda est esse quantitas virtutis, non molis.

Tertia ratio non concludit, nisi quòd æqualitas, vt est B passio generis quantitatis, non conuenit Deo per aliquam differentiam generis quantitatis; nec transfertur ad Diuina, & concedo, quòd nulla differentia de genere quantitatis conuenit Deo, nec aliqua passio illius generis conuenit Deo, sed passio transcendens.

Ad Secundum principale. Dico, quòd perfectio simpliciter, id est quæ formaliter posset esse infinita, nō dicit nisi aliquid, quòd potest esse essentiale in Diuinis, & ad se: & tale aliquo modo præintelligitur relationibus originis, cuiusmodi sunt, sapientia, bonitas &c. æqualitas autem non præintelligitur relationibus originis, nec potest esse ad se. Pater enim non est æqualis sibi, sed Filio, & ideo æqualitas hoc modo, non dicit perfectionem simpliciter, dicit tamen perfectionem, quæ est in omni natura, comparando ad aliquid eiusdem naturæ: & sic melior est, suo opposito: quia oppositum eius de necessitate dicit imperfectionem. Non enim est æqualitas in eadem natura, nisi alterum indiuiduum imperfectè habeat illam naturam. Ex quo igitur relatio potest esse inter supposita, in ista na-C tura imperfectionis, esset inæqualitas in eis, quia in altero poneret perfectionem diminutam; æqualitas autem non est ibi imperfectionis, imò magis præexigit perfectionem simpliciter, quia præexigit naturam perfectam, & perfectè in vtroque relato. Et hoc est quod dicit Aug. lib. de quantitate animæ, loquens ad discipulum. *Aequalitatem, inquit inæqualitati iure præponis: nec quenquam æstimo humano sensu præditum, cui non illud videatur.* Hoc vtique verum est comparando aliqua in eadem natura, & simpliciter, quibus compossibilis est æqualitas, magis possunt esse perfecta, quàm illa quibus æqualitas non est compossibilis, quia illorum aliquod necessariò est imperfectum.

Tunc cùm probas de perfectione creaturæ. Respondeo: quòd aliqua sunt necessaria ad perfectionem creaturarum quæ tamen non dicunt perfectionem simpliciter: & hoc est quia creaturæ de se imperfectæ sunt, & sine illis non possunt habere perfectam perfectionem, quanta & qualis est eis possibilis; & ideo illa aliqualiter supplent imperfectionem creaturarum; sicut dictum est supra distin. 7. vbi D negatum est, quòd differentia specifica alicuius, sit perfectè simpliciter. Ita dico quòd perfectio limitata, non potest esse tanta in vna natura limitata, sicut potest esse in pluribus naturis ordinatis; & ideo ibi ordo naturæ, hoc est perfectionis inæqualis, necessarius est ad maximam perfectionem, eis compossibilem; non autem est simpliciter necessarius, ad perfectionem maximam; quia illa potest esse in natura perfectissima illimitata, sine ordine perfectionis inæqualis.

Et si arguas. Quòd ordo est perfectionis, & ordo videtur requirere inæqualitatem. Respondeo. Quòd ordo originis, stat cum perfectione; ordo autem inæqualitatis, non stat cum perfectione; non igitur omnis ordo est perfectionis, sed aliquis stat cum perfectione in eadem natura, & aliquis non.

Ad Tertium. Dico. Quòd aliquando super aliquam relationem communem, fundantur relationes oppositæ disquiparantiæ, sicut si dicatur, assimilans, & assimilatum; ista dicunt relationem actiui ad passiuum, fundatam super E relationem communem, quæ est similitudo: assimilans enim est causans similitudinem, sicut dealbans est causans albedinem; & assimilatum est causatum secundùm similitudinem, sicut dealbatum est causatum secundùm albedinem; est igitur hic relatio actiui & passiui, in assimilante & assimilato, sicut videtur in dealbante & dealbato: sed in dealbante illud in quo fundatur relato actiui est absolutum, in hoc autem, scilicet in assimilante, illud in quo fundatur relatio actiui, est relatio æquiparantiæ. Et tale nomen quod importat duas relationes tales, vnam communem, & aliam disquiparantiæ, quantùm ad aliam communem relationem, mutuitatem habet ad correlatiuum illius relationis, non autem mutuitatem habet ad correlatiuum secundùm relationem disquiparantiæ. Ita etiam hic coæquari, importat relationem coæquati ad coæquans, & illa æqualitas mutua est. Filius enim qui coæquatur Patri, est æqualis Patri, & è conuerso: sed alia relatio per modum passiui, scilicet accipere æqualitatem ab alio, illa non est mutua, sed competit præcisè Filio; & relatio opposita F disquiparantiæ, scilicet coæquare, conuenit Patri, id est, dare æqualitatem Filio. Est igitur imago æqualis, & è conuerso: sed sola imago coæquatur, intelligendo duas relationes prædictas.

QVÆSTIO SECVNDA.

Vtrum qualibet Diuina Persona sit in alia?



Secundò quæro de circumincessione Personarū Diuinarum. Vtrum quælibet Persona Diuina sit in alia?

Et arguitur quòd non. Quia si quodlibet esset in quolibet, secundùm Opinionem Anaxag. esset maxima confusio; ergo si Personæ Diuinæ essent in se inuicem, confusæ essent, contra illud Athanasij. *Nec confundentes Personas, nec substantiam separantes.*

Et confirmatur ratio. Quia indiuisibile non distinguitur ab indiuisibili, nisi sit extra illud. Quod probatur per G Phil. 6. Phys. t. 2. Quia duo indiuisibilia simul posita, non faciunt maius: quia essent vnum indiuisibile: igitur cùm Personæ Diuinæ sint indiuisibiles, si sunt simul, non sunt distinctæ.

Preterea. Sicut Personam esse in Persona, esset distinctio aliqua; ergo & compositio. Probatio consequentiæ. Si aliquid esset in Deitate, quod non esset ipsa, tunc Deitas esset componibilis, vel composita. Quod patet per Aug. de ciuit. Dei 11. c. 10. & ponitur dist. 8. *Ideo simplex est Deus, quia est illud quod habet, excepto quòd Persona dicitur relatiuè ad aliam, & non est ipsa.* Ergo si Persona habet aliquid in se, quod non est ipsa, ipsa est composita, vel componibilis; quod est falsum, & priùs improbatum.

Item. In eodem, in quo est Filius, est Filiatio, in Patre est Filius, per positam circumincessionem; ergo in Patre est Filiatio. Et vlteriùs. Illud in quo est Filiatio est Filius, ergo Pater esset Filius.

Præterea. Si Pater, est in Filio, & Filius est in Patre; ergo Pater est in se. Consequentia probatur per Philos. 4. H Physic. t. 14. Si aër in igne, & ignis in cælo; ergo aër est in cęlo. Igitur à simili hic.

Et confirmatur per illud Phil. in antepraedicam. Quicquid sequitur ad prędicatum, sequitur ad subiectum. Et per istas maximas. Quicquid sequitur ad consequens, sequitur ad antecedens: Et, Quicquid antecedit ad antecedens, antecedit ad consequens: Et, Quod est prius priore, est prius posteriore: Et, Quicquid est causa causę, est causa causati.

Item. Si Pater est in Filio; ergo Deus est in Deo. Et vlteriùs. Ergo Deus distinguitur à Deo.

Item. Quod exit ab alio, non est in eo: Sed Filius exit à Patre, vt dicitur Ioan. 16. *Exiui a Patre.*

Contra Ioan. 14. cap. *Ego in Patre, & Pater in me est.* Et Magister adducit auctoritatem in litera, Ambros. & Aug. & Hilarij.

ARTICVLVS PRIMVS.

Quomodo vna Persona Diuina est in alia?

De primo. Dicitur sic. (*ab Henr. in sum. art. 1. & quol. 6. q. 6.*) Quòd duobus modis potest intelligi aliquid esse in alio. Primò, id est secundùm totum, sicut vinum est in amphora: vel secundùm partem: Et hoc dupliciter; vel ita ꝙ pars sit in alio, & nihil eius sit, vt pes auis in laqueo, & nihil eius est, & per hoc auis tota dicitur esse in laqueo; vel quòd pars eius sit in alio, & sit aliquid eius, & per hoc illud cuius est pars, dicitur esse in illo, in quo pars illius dicitur esse, sicut si aliquod monstrum habens duo capita, & duo corpora, haberet tantùm duos pedes, tunc vnum diceretur esse in alio, per pedem eius, qui est alterius.

Ad propositum. Dicitur: quòd Pater non est in Filio primo modo. Quod probatur dupliciter. Primò: quia illud quod est in alio primò quælibet pars eius est in eo æquè primò; sicut si terra primò est in centro, quælibet pars terræ est æquè primò in centro, quantùm est ex se; igitur si Pater primò est in Filio, quælibet pars Patris primò erit in Filio, & ita Paternitas est ęquè primo, sicut Deitas in Filio. Et ex hoc vltra. Sicut Deitate Filius est Deus, ita Paternitate Filius erit Pater; quod est falsum. Secundo: quia illud in quo primò est aliquid, videtur quasi ambire illud, & penetrare, & cõtinere; idem aũt respectu eiusdem, continere & cõtineri, ambire & ambiri, nõ est intelligibile; ergo &c.

Oportet igitur, quòd sicut in creaturis dicitur aliquid secundùm partem esse in alio, & non primò, ita vna Persona dicatur esse in alia, secundùm aliquid sui; non est autem secundùm aliquid sui, quod nihil sit eius, in quo est; quia illud esset relatio personalis Personæ inexistentis, & istud non est ratio, qua Persona est in Persona; sicut patebit in 2. Articulo, in quo cõcordo secum: ergo illud est Essentia, quæ ita est aliquid inexistẽtis, quod est aliquid eius in quo existit. Et quod propter istam Essẽtiam Filij, inexistentem Patri, Filius sit in Patre, probatur. Quia vbicunque est fundamentũ relationis alicuius ibi, est relatio fundata in eo; ergo vbicunque est Essentia, in qua fundatur Filiatio, ibi est Filiatio.

Distinguitur tamen de Persona quę est in alia, & in qua est alia. Quia licèt Persona, quæ est in alia, ponatur in ea non primò, sed per aliquid sui, id est per Essentiam, tamen Persona in qua est alia, est in qua primò est alia in se tota; quia se tota aliquomodo habet rationem ambientis, & continentis Deitatem, quæ licèt nõ sit pars Personæ inexistentis, est tamen aliquid Personæ.

Contra illud. Primò. Esse in, non dicit aliquid ad se, secundùm omnem Opinionem: igitur relationem Personæ ad Personam, non relationem originis; quia illa non est eiusdem rationis in extremis; Personæ autem vniformiter sunt in se inuicem, secundùm istos; ergo dicit relationem communem; sed relatio communis, secũdùm eandem rationem fundamenti, est in supposito quod refertur, & in supposito ad quod refertur, sicut similitudo requirit eandem rationem albedinis in simili, quod refertur, & in simili ad quod refertur: igitur si illud aliud, ad quod refertur Persona inexistens, sit tale primò, ꝙ in ipso sit Persona illa, sequitur quòd Persona inexistens, primò erit relata illa relatione, & non per aliquid sui præcisè.

Secundò sic. Quando aliquid dicitur esse in alio secundùm partem, eodem modo est in isto secundùm partem, quo modo ista pars est in isto primo. Exemplum. Si homo sit in terra per pedem, sicut pes est in terra localiter, ita homo est in terra localiter per partem; non autem si pes est ibi quasi in loco, homo erit ibi sicut forma in materia: ita etiam si albedo est in homine secundùm partem, quia secũdùm faciem, eo modo essendi in, quo est in facie primò, puta vt accidens in subiecto; eo, inquam modo est in homine per partem, quia sicut in subiecto; ergo si Filius est in Patre per Essentiam, quæ formaliter est in Patre sequitur quòd Filius erit in Patre quasi formaliter, licèt secundùm aliquid sui, quod non est esse in, secundùm circumincessionem.

Respondetur: Quòd maior est vera, loquendo de illo quod est ratio proxima alicuius essendi in, non autem de ratione remota; Essentia autem, vt est formaliter in Patre, non est relatio proxima Filij essendi in Patre, sed remota: proxima aũt est, vt est sub proprietate personæ inexistẽtis.

Contra. Hoc concedit propositum; quia illud dicitur conuenire alicui primò, quod non conuenit ei secundùm aliquam partem sui, sed secundùm quod est ex omnibus partibus suis integratum: igitur ita hic, cùm nõ sit in Persona, secundùm istos, nisi relatio & Essentia, quicquid conuenit Personę, non pręcisè ratione alterius istorũ, sed ratione Essentiæ cùm relatione simul: vel è cõuersò, hoc conuenit sibi primò, quia hoc dicit Personam, secundùm se totũ.

Præterea. Proprietas Personæ, vt est incommunicabilis, non conuenit formaliter Essentiæ: sicut Essentia non generat, nec generatur, non distinguitur, nec refertur: nec etiam è conuersò, proprietas quæ est Essentiæ vt communicabilis, conuenit Personæ, quia iste est proprius modus Essentiæ, vt distinguitur à Persona; quia Essentia est vna in tribus, Persona autem nullo modo, nec primò, nec secundùm aliquid sui, est vna in tribus: igitur iste modus essendi in, quo Essentia est in Patre, vt quasi forma, puta, vt qua Pater est Deus, nullo modo conuenit Personæ; quia iste est proprius modus Essentiæ, secundùm quod distinguitur a Persona.

Quantùm ergo ad istum Articulum. Dico. Quòd prædicatum conuenit alicui toti primò, vt primò distinguitur contra illud, quod est secundùm partem, vt dicitur 5. Physicor. t. 1. in principio: quòd non conuenit ei præcisè, quia parti illius conuenit: & per oppositum, nihil dicitur conuenire alicui toti, secundùm partem, nisi quod conuenit parti, & per partem dicitur de toto; sicut patet per Philos. 5. Phys. t. 1. in eius exemplo. Sanatur homo, quia thorax eius sanatur; nam formaliter sanari dicitur de thorace, & primò, & per consequens per hoc de toto, cuius totius thorax est pars. Tale prædicatum primò inhærens alicui toti, aliquando nulli parti ipsius totius in est, aliquando autem cuilibet parti inest.

Exemplum primi. Triangulus, primò habet tres angulos &c. & tamen nulla pars Trianguli, loquendo de partibus integralibus, habet hoc prædicatum, scilicet, habere tres: Similiter homo, primò est risibilis, & tamẽ nulli parti eius primò inest hęc passio: & compositum generatur primò, licèt nulla pars eius generetur primò, loquẽdo de isto modo eius, quod est generari: & ita vniuersaliter in omnibus subiectis heterogenis, & passionibus eorum. Et ratio est ista. Quia natura talis subiecti, adæquata est tali prædicato, quam adæquationem notat talis primitas; sicut patet ex diffinitione vniuersalis 1. poster. t. com. 2. & natura illius totius adæquati, in nulla parte saluatur: & ideo eius passio nulli parti conuenit.

Exemplum secundi est. Si ignis sit primò calidus, quælibet pars ignis est primò calida. Ita etiam Philos. 7. Phys. 11. & 2. arguit, quòd nullũ corpus potest à se moueri primò; quia tunc quiesceret ad quietem partis; non .n. primò mouetur, nisi motus inesset cuilibet parti eius. Si enim alicui parti eius non inesset motus, tunc toti primò non inesset: & ita est vniuersaliter in subiectis homogeneis & passionibus eorum; quia natura ista cui primò, id est adæquatè, cõuenit talis passio, ipsa est eiusdem rationis, in parte & in toto; igitur prædicatum adæquatum tali naturæ, conuenit cuilibet in quo est ipsa natura; & ita conuenit parti: nõ igitur propter rationẽ primitatis oportet prædicatum, quod conuenit toti naturæ, conuenire parti: imò nunquam propter hoc oportet quòd conueniat parti, sed præcisè quãdo natura totius est eadem in toto tali, & in parte eius.

Ad propositũ. Dico. Quòd iste modus essendi in, non est per illum modũ quo natura est in supposito, vel forma in materia, sed sicut subsistens est in subsistente, secundũ Hil. 7. de Trin. c. 6. vbi dicit sic. *Inesse, non vt aliud in alio vt corpus in corpore, sed sic inesse ac subsistere vt in subsistente insit; vt sit ita inesse, vt ipse subsistat*: subsistere aũt, id est, cõmunicabiliter per se esse, conuenit Personę primò; non enim de Persona dicitur, quia de Essentia, vel de relatione dicitur sicut etiam agere in creaturis vel produci, primò conuenit suppo-

A suppositо toti, id est, non sibi, quia parti; ergo & subsistere. In primo conuenit Personæ: licèt enim natura primò insit parti, vt natura in supposito, illa tamen non est subsistentia, vel inexistentia subsistentis in subsistente, sed præcisè illa inexistentia, qua totus Filius inexistit præsentialiter, & intimè in toto Patre, cui alludit illud Ambrosius in Hymno, *In Patre totus Filius, & totus in Verbo Pater*.

Et tunc ad Argumenta illius Opinionis, contra istud membrum.

Ad Primum. Dico, quòd illa Maior est dupliciter falsa. Primò. Quia non oportet illud prædicatum, quod primò conuenit toti, conuenire parti alicui, vt ex determinatis satis patet. Secundò. Quia si alicui parti conuenit, vel toti ratione alicuius partis, nõ oportet parti alteri cõpetere ratione cuiuscúque partis, & maximè quando illę partes non sunt eiusdem rationis in integrãdo totum; sicut homo est primò rationalis, quia differentia specifica, sicut rationale primò dicitur de specie, primò et homo habet actum illũ, qui conuenit animali rationali, inquantum rationale, scilicet intelligere vel ratiocinari, & tamen non æqualiter B conuenit istud prædicatum vtrique parti hominis, scilicet animę & corpori; fortè enim formaliter potest dici de anima, & nullo modo de corpore; non tamen dicitur de homine, quia de anima; quia tunc competeret homini secundùm partem, sicut esse longum cõpetit homini secundùm partem, quia secundùm corpus.

Et si etiam intelligere neutri parti competeret, ita quòd non posset dici de ea, non tamen æqualiter se habet vtraque pars, ad inhærentiam prædicati totius. Non enim est ita corpus ratio inhærentiæ huius prædicati, sicut anima; & hoc quia illæ partes, scilicet corpus & anima, non sunt partes eiusdem rationis, in integrando totum, sed altera materia, altera forma. Materia enim non est ratio operandi, sicut forma, ipsi toti primò operanti.

Ita igitur in proposito, propter Patrem primò esse in Filio, non oportet concedere Diuinitatem esse in Filio, vel Paternitatem illo modo essendi in; si tamẽ concederetur, C non oportet adhuc concedere ex equo, quia non sunt eiusdem rationis in persona, quæ includit eas.

Et vlteriùs. Cùm arguitur. Si æquè essent in Patre: ergo si vnum formaliter, & reliquum. Non valet: sed est fallacia æquiuocationis: quia in antecedente accipiendo illa esse in Patre, accipitur esse in subsistente vt præsentialiter, & in consequente infertur alius modus essendi in, qui non est ille modus formaliter, licèt præsupponatur illi modo essendi in. Vnde ex modo essendi in. per præsentiam, concluditur modus essendi in, per informationem.

Ad Secundum. Dico, quòd illud non est tantùm contra membrum istud, de esse in primò, sed est contra Conclusionem principalem. Ita etiam videtur impossibile esse in creaturis, quòd idem respectu eiusdem contineat & contineatur, vel ratione partis contineatur, & ratione totius contineat, sicut quòd idem primò contineat & contineatur.

Et ideo respondeo ad argumentum: & Dico quòd iste modus essendi in, non dicit continentiam, sed præsentiam D subsistentis in subsistente: & ita est vnius rationis in vtroque; quia sicut hoc subsistens est præsens illi, sic illud isti.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Quæ sit ratio istius inexistentiæ?

QVantùm ad Secundũ Articulum. Dico. Quòd nec Essentia sola est ratio huius inexistẽtię, nec relatio sola. Primum probo. Quia tunc Pater esset in se: quod est falsum: eo modo quo intelligit Saluator, Patrem esse in Filio, & Filium in Patre; quia sic inesse, requirit distinctionem realem.

Secundum probo. Tum quia relationes originis, non sunt eiusdem rationis in Personis relatis: & ita si illæ essent formales rationes essendi Personarum se in inuicem, non essent Personæ in se inuicem vniformiter: quod est contra prædicta.

Tum Secundò. Quia si per impossibile, ipse Deus produceret alium Deum, non esset iste Deus in illo; quia secundùm Dam. c. 5. *Si essent duo Dij, non possunt esse simul*; & ita neuter esset immensus, & ita nec Deus, tamen verè esset relatio producentis ad productum. B

Tum Tertiò. Quia si per impossibile, duæ Personę essent sine origine sed tamen haberet eandem Essentiã, cũ distinctione reali, essent in se inuicem; quia non posset essentia vnius Personę esse in alia, nisi ipsa, quę omnino eadem est illi essentiæ, esset in ea, licèt alio modo essendi in.

Tũ Quartò. Quia in creaturis sunt verè relationes originis, & principiantis & principiati, & tamen ibi propter diuersitatem naturæ in ipsis relatiuis, neutrum est in alio.

Et ex his sequitur. Cùm non sit in Persona nisi Essentia & relatio, secundùm communem Opinionem, quòd ambo erunt totalis ratio inexistentiæ.

Et ad intelligendum quomodo hoc sit, potest accipi exemplum in creaturis, de similitudine. Nihil enim est sibi simile, sed alteri; similitudo tamen fundatur super vnitate: secundùm Philos. 5. Met. c. de ad aliquid tex. 20. nec igitur sola diuersitas relatiuorum, nec sola vnitas funda- F menti, sufficit ad similitudinem, sed ambo requiruntur per se; sicut vna causa totalis: ita hic; nec distinctio Personæ inexistentis, & in qua est alia, nec vnitas Essentiæ, per quam sunt in se inuicem, est tota ratio inexistentiæ, sed ambo simul: sicut tamen in similitudine est principalior ratio vnitas fundamenti, quàm distinctio ibi extremorũ, & similiter immediatior: ita hìc, potest poni immediatior & principalior ratio inexistentiæ istius, vnitas Essentiæ, quàm distinctio Personarum.

ARTICVLVS TERTIVS.

An iste modus essendi in, possit reduci ad modum aliquem essendi in, repertum in creaturis?

QVantùm ad Tertium Articulum. Dico, quòd iste modus essendi in, non est aliquis istorum modorum formaliter, quos ponit Philosopus 4. Physic. Formaliter dico. G Quia omnes illi modi sunt per hoc, quòd contentum est aliquid cõtinentis, quomodo non è conuersò; vel per hoc, quòd continens est aliquid contenti, quomodo non è conuersò: neutra illarum rationum, est in proposito: quia diuersitas est ibi maior ratio essendi in, quàm vnitas; contrarium est in proposito: ideo benè dicit Hilar. 3. de Trinit. & ponitur in litera. *Naturaliter enim intelligentia humana rationem huius dicti non capit, nec exemplum aliquod rebus Diuinis comparatio humana præstabit*. Colligendo tamen ea, quæ sunt perfectionis in creatura, tollendo ea, quę sunt imperfectionis, possunt poni aliqua exempla huiusmodi essendi in: licèt haberi perfectè non possint, tamen imperfecta exempla imperfectè repræsentantia illum modum essendi in, possunt adduci.

Primò quidẽ de illapsu Essentiæ Diuinæ respectu creaturarum: ad quem illapsum concurrunt simul, immensitas naturæ Diuinæ, & eius manutenentia: circumscribatur ergo ab illapsu ratio manutenẽtiæ, ita quòd reseruetur ratio præsentiæ propter immensitatem, absque ratione conseruationis, siue ratione potentiæ actiuæ pertinentis H ad manutenentiam. Hoc circumscripto, Sicut Deus (quia immensus) præsens est omni creaturæ, ita tunc intelligeretur præsens alicui, absque hoc quòd illud manuteneat: & tunc, si ponatur vna natura in præsente, & in illo cui est præsens, propter quam naturam vnam oporteat ipsum esse præsens, erit exemplum ad propositum de isto modo essendi in.

Aliud exemplum est de anima non informante corpus, præsente tamen corpori; sicut in instanti mortis; aut de Angelo non informante corpus, ipsi tamen præsente: aut de corpore glorioso, præsente corpori nõ glorioso. Vel melius exemplum; Si posset corpus gloriosum inexistere alij corpori glorioso æquè subtili. In his omnibus esse in, est subsistentis & præsentis, non per informationem, nec per modum partis. Et si in istis addatur vnitas naturæ, quæ de necessitate naturæ exigat talem præsentiam, est perfectius simile.

A Aliud etiam est exemplum de potentijs animæ, quæ si ponãtur differre ex parte rei, & cum hoc tamen esse idem realiter essentię animæ, de necessitate vna erit in alia; quia in alia est essentia animæ, cui illa potentia est eadem; igitur distincta aliquomodo, realiter erunt indistincta. Sed si vtrumque istorum esset per se subsistens, subsistens distinctum erit in subsistente præsentialiter & erit exemplum essendi in, præ omnibus istis exemplis.

Et ad declarationem duorum articulorum præcedentium, posset addi. quòd in isto modo essendi in, vtrumque extremum, secundùm eandem rationem est in alio; quia hîc notatur præsentia mutua, non continentia extremi ab extremo, quia si intelligatur corpus esse in loco, hoc est sicut contentum in continente; non enim est hoc modo in; sed si intelligantur duo corpora esse in eodem loco, in se inuicem, hoc est, secundùm eandem rationem, quia sunt simul; & simultas dicit relationem communem vnius rationis in extremis; & si per impossibile circumscribatur locus, & ponatur simul præsentia corporũ, erit relatio vnius

B rationis in extremis, & vtrumque in altero, sine continentia, vel vnius ab altero, vel amborum à tertio.

Argumenta principalia soluuntur.

AD Argumenta principalia.

Ad Primum. Dico, quòd confusio esset, si quodlibet esset in alio, secundùm opinionem Anaxag. quia sic quodlibet esset in alio, sicut pars eius; sicut videtur Philosophus imponere sibi: sed Persona non est in Persona sicut pars eius; & ideo non sequitur confusio.

Cùm confirmatur ratio per illud 6. Phys. de indiuisibilibus. Respondeo, quòd aut illud est falsum; quòd indiuisibilia quantitatis non sunt distincta nisi differant situ (de quo aliàs) aut si est verum, nihil est ad propositum; quia ratio ista quæ esset ibi, non esset in Personis Diuinis, quibus non conuenit situs.

Ad Secundum. Dico, quòd Deitas est communis omni subsistenti in natura Diuina, & est aliquid subsistentis in

C natura Diuina, & ideo non posset realiter distingui ab aliquo, nisi esset aliquomodo componibile cum isto; quia nõ est intelligibile, quòd in aliquo subsistente sunt plura, nisi vnum sit componibile cum altero; Persona autem non est aliquid cuiuscunque subsistẽtis in natura ista, & ideo licèt Persona sit in Persona, non tamẽ oportet quòd sit ipsa vel componibilis ipsi, sicut oporteret dicere de Deitate.

Ad Tertium. Dico, quòd quando abstractum dicitur esse in aliquo, aut de virtute sermonis, denotatur esse in, sicut forma in informato; sicut cùm dicitur calor est in lapide: non significatur esse in, sicut pars in toto, sed sicut forma in informato: & tunc ista propositio est neganda; Filiatio est in Patre; & tunc prima consequentia non valet. Aut hoc non habetur de virtute sermonis, sed ex vsu; sicut dicimus calorem esse in luce, non sicut in subiecto: & tunc concedi potest ista; Filiatio est in Patre: accipiendo esse in, pro inexistentia intima; sicut iam dictum est. Nec sequitur vltra. Igitur Pater est Filius: sed est fallacia æquiuocationis; inferendo ex antecedente, quasi in, acciperetur

D ibi per modum formæ.

Ad Quartum. Dico, quòd iste modus arguendi tenet, vbi vera est talis propositio per quã tenet talis modus arguendi. Tenet autem generaliter per talem propositionẽ. Quicquid habet aliquam habitudinem ad aliquid, habet similem habitudinem ad illud, ad quod illud aliud habet habitudinem talem. Ista propositio frequenter vera est, in relatiuis suppositionis, & superpositionis, non tamen est vniuersaliter vera. Sed de isto non dico modò: quia argumentum hoc procedit de esse in, quod vt sumitur in proposito, notat relationem communem.

Quantùm igitur ad relationes communes. Dico, quòd ista propositio est vniuersaliter falsa, puta, Quicquid est simile Sorti, est simile omni simili Sorti: hoc enim includit, E quod aliquid sit simile sibiipsi; quia illud cadit sub ista distributione, Omni, Simili; Sed ad hoc q̃ sit vera, oportet addere specificationem istam, Omni alij à se: & tunc virtute talis propositionis specificantis, tenet talis modus arguendi, procedendo, non conuertendo: puta. Non sequitur, Sortes est similis Platoni, Plato est similis Sorti; igitur Sortes est similis Sorti: quia propositio ista est falsa, Quicquid est simile Sorti, est simile omni simili Sorti; nisi addatur omni simili Sorti alij à se: & tunc non includitur Sortes sub ista distributione. Nec potest argui conuertendo ad Sortem, sed tantùm procedendo.

Sed adhuc talis additio, non sufficit ad veritatem talis propositionis, nec ad efficaciam talis argumentationis; sed oportet addere, quòd medium, ad quod comparantur extrema, sit limitatum, secundùm talem rationem: quia non sequitur; Quicquid est simul cum A. est simul cum omni eo, cum quo A. est simul: omni inquam alio à se, si ipsum A. sit illimitatum; quia tunc existens Parisijs, esset simul F cum existente Romæ, quia sunt simul cum Deitate immensa, & illimitata ad illos.

Nec etiam omnia ista sufficiunt, nisi addatur, quòd medium non varietur, vt comparatur ad extrema.

Ad propositum ergo. Dico, quòd argumentum non valet; quia arguitur conuertendo non procedendo: & propositio confirmans talem modum arguendi, falsa est. Argumentum tamen Philosophi 4. Physic. tenet, quia arguit tantùm procedendo, & accipiendo medium limitatum, & non variatum; sed argumentum est in relatiuis suppositionis, & superpositionis. Vnde non multùm est ad propositum de esse in, in proposito, vt dicit relationem communem.

Vt tamen de relatiuis disquiparantiæ breuiter dicatur. Dico, quòd talis modus arguendi generaliter nõ tenet, nisi per rationem prioris & posterioris, quod ferè est commune omnib. talibus relatiuis. Quicquid enim est priùs priore, est priùs posteriore. Et vt generaliùs dicatur. Quicquid habet ordinem ad aliquid, habet similẽ ordinem ad quodlibet aliud, ad quòd illud habet ordinẽ talem. Ista propo- G sitio est vera, in ordine essentiali, non intelligendo conditionem specialem ordinis, puta mediationem vel immediationem, propinquitatem vel remotionem. Quia igitur esse in, ipsius aëris in igne, dicit ordinem essentialem; & similem modum dicit esse in, ignis in cælo; tenet illa consequentia procedendo: & hoc quia proceditur secundùm rationem generalem ordinis, non specificando ordinem mediatum vel immediatum, propinquum vel remotum. Vnde non sequitur A. est pater B. B. est pater C. ergo A. est pater C. vt pater denotat immediatum ordinem ad C. vt ad filium; sed benè sequitur, vt notat principiantem in communi, prout pater extenditur ad auũ vel proauum; ergo &c.

Ad aliud. Concedo, quòd Deus est in Deo. Et hoc concedit Hilar. 7. de Trinit. Sed cùm infertur. Ergo Deus distinguitur à Deo. Nego consequentiam: propter fallaciã consequentis. Hæc enim præpositio, In, non notat virtutẽ H confundendi suum casuale, nec hoc habet; & ideo potest casuale eius stare prosupposito aliquo determinato indeterminatè: distingui autem distribuit terminum huius relationis, confusè & distributiuè, propter negationem inclusam; & ideo casuale huius præpositionis, non infert terminum huius relationis; Sicut non sequitur: Deus generat Deum; ergo Deus distinguitur à Deo, propter similem rationem.

Ad Vltimum. Dico, quòd exitus Filij à Patre, est processio producti à producente: nunc autem talis exitus, nihil prohibet quin exiens maneat in eo à quo exit; quia recipit eadem naturam cum eo, à quo procedit.

DI-

DISTINCTIO XX.

QVAESTIO VNICA.

Vtrum tres Personæ Diuinæ, sint æquales in potentia?

*Ircam istam Distinctionem Vigesimam.* Quæro vnum.

Vtrum tres Personæ Diuinæ, sint æquales in potentia?

Rguo quòd non. Quia tunc sicut Pater potest generare, ita Filius posset generare. Probatio huius consequentię. Tum quia Aug. contra Maximinũ lib. 3. *si Pater non potest generare sibi Filium æqualem, est impotens*; ergo è cõuersò; Si non est impotens, sed omnipotens, potest generare Filium; & per consequens posse generare pertinet ad omni potentiam: & ita, si Filius non potest generare, non est æquè potens, vel æqualis potentiæ cum Patre. Tum quia Filius nõ esset omniſciens, si non sciret generationem Patris: nec igitur omnipotens, si non posset in istam generationem.

Præterea Ricard. 2. de Trin. c. vltimo, probat quòd non possunt esse plures omnipotentes. Quia tunc vnus posset facere alium nullipotentem. Ergo à simili videtur argui in proposito, si ponantur plures Personæ Diuinæ, æquè potentes.

Et sicut ista consequentia Ricard. fuit declarata dist. 2. per duas vias, consimilibus vijs etiam declaro in proposito de duabus Personis.

Primò. Quia vna Persona, posset suo velle producere omnia possibilia, & eis productis in esse, Persona alia non posset ea producere: eadem enim non possunt bis totaliter produci. Et confirmatur ista probatio. Quia Pater priùs ordine originis habet velle creaturarum, quàm Filius, & Filius secundùm Hilar. est potens per se, licèt nõ à se; igitur priùs origine quàm Filius producat, intelligitur Pater producere; & ita in isto signo, in quo Filius intelligitur debere producere, nulla sunt ibi possibilia.

Secundò. Quia omnipotens, potest suo velle impedire omnia possibilia alterius omnipotẽtis, si esset; quia non est necesse voluntates eorum cõcordare in alijs à se, quia ista omnia contingenter volunt; ita hic non videtur necessarium esse, quòd voluntas vnius Personæ, cõcordet in actu volendi alterius Personæ.

Quodsi dicas. Eandem esse voluntatem eorum; & ideo concordare in alijs, volendo eadem.

Contra. Forma quæ est principium agendi; si est in pluribus, eodem modo est principium agendi vnicuique eorum, sicut si esset in vno tantùm; sicut si albedo esset in duabus superficiebus, esset eis principium disgregandi, eodem modo, sicut si esset in vno tantùm; sed si voluntas esset in solo Filio, esset principium volendi contingẽter lapidem esse, ita quòd illa voluntate, posset Filius velle æquè lapidem esse, vel non esse; igitur posito quòd sit in Patre, erit principium in Filio contingenter volendi vel non volendi lapidem: & ita quicquid ponatur in Patre, Filius potest ęquè velle lapidem esse vel non esse: & ita si Pater vellet lapidem esse, & Filius non, vnus omnipotens faciet alium nullipotentem, impediendo omnia possibilia, volita ab eo.

Item. Prima causa plùs causat quàm secunda, propositione prima de causis, Et 2. Metaphys. tex. 4. Et 1. Poster. tex. 24. sed Pater dat Filio virtutem creandi, & non è conuersò; ergo Pater plùs potest.

Contra Magister dist. 19. istius in litera. Et adducit August. de fide ad Petrum cap. 2.

Item Aug. contra Maximinum c. 3. probat istam Conclusionem tripliciter. Primò auctoritate Saluatoris in Euangelio Ioan. 10. *Omnia quę habet Pater mea sunt*. Secundò per rationem. Quia si non potuit dare potentiam æqualem, fuit impotens; si noluit, fuit inuidus. Tertiò per simile. Quia pater corporalis generaret sibi filium æqualem si posset, vel maiorẽ; ergo multò magis in proposito.

ARTICVLVS PRIMVS.

Prӕmissa distinctione potentię, ponitur aliorum Opinio.

Respondendo. Omittendo potentiam Logicam, quæ dicit modum compositionis ab intellectu factæ; & potentiam Metaphoricè dictam, qualis est in Geometricis: secundùm quod ipsi Geometrę imaginantur punctum esse in potentia ad lineam, & lineam ad superficiem; hic potentia sumitur propriè. Vno modo, sicut dictũ est dist. 7. prout est differentia entis opposita actui. Alio modo, secundùm quod significat idem quod principium, sicut loquitur de ea Phil. 5. Met. t. 17. c. 9. Et potentia isto secundo modo sumpta diuiditur in potentiam actiuam, & passiuã; & si vtrolibet modo sumatur, potest intelligi, aut pro ipsa relatione principij, quam significat, aut pro fundamento proximo istius relationis.

Ad propositum. Planum est, quòd in Deo oportet ponere potentiam actiuam, cùm sit principium efficiens, ex dist. 2. & æqualem, sicut de ista loquitur Magister distinct. ista. Et huius æqualitas potest intelligi dupliciter. Aut secundùm extensionem obiectorum possibilium, ad quæ se extendit potentia: aut secundùm intensionem illius potentiæ in se. Exemplũ. Potentia calefactiua dicitur æqualis extensiuè, si ad æqualia calefactibilia se extendat: sic omnis charitas est æqualis, quia extendit se ad omnia diligibilia ex charitate, secundùm intensionem, si æquè perfecta sit potentia, & in æquè perfectiuis actum possit elicere, licèt non tot subessent sibi possibilia, sicut subessent alij potentiæ; vt patet posito isto casu, qui ponitur dist. 7. quòd calor productione sibi adæquata produceret alium calorem. Et istæ duæ æqualitates frequenter concomitantur se, potest tamen intelligi vtralibet sine altera.

Loquendo autem de ęqualitate extensionis, non est difficultas, nisi de actibus notionalibus, & de terminis istarũ actionum; quia illi duo termini non sunt producibiles ab omnibus Personis, sed Filius à solo Patre, Spiritus Sanctus autem à Patre & Filio.

Vnde quoad hoc, dicitur sic. Quòd potentia generandi pertinet ad omnipotentiam in Patre, nõ in Filio. Quod declaratur (*ab Aegid. Rom. dist. præsen.*) dupliciter. Primò. Quia omnipotentia est, ad omne quod non includit contradictionem; sed Patrem generare, non includit contradictionem; Filium autem generare includit contradictionẽ; ergo &c. Præterea. Secundò. Aliter est de actionibus transeuntibus ad extra, & aliter de actionibus immanentibus intra; possibilitas actionis transeuntis iudicatur ex ratione actionis in se, & termini eius; possibilitas autem actionis immanentis, non iudicatur ex his præcisè, sed cum hoc in comparatione ad agens, in quo manet talis actio. Cùm igitur generatio sit actio immanens, possibilitas eius iudicanda est, non tantùm ex ipsa in se, & cum hoc ex termino eius, sed quia est possibilis illi supposito agenti, in quo debet manere; est autem compossibilis generatio Patri & non Filio; igitur idem quod priùs.

Tertia declaratio additur. Quia omnipotens dicitur, quod potest in omne illud ad quod habet formam, per quam potest; & non dicitur impotens, quia non potest in aliquam actionem, ad quam se non extendit sua forma;

sicut

A ſicut ignis non dicitur impotens, quia non poteſt frigefacere, quia non habet potentiam ad frigefaciendum. Pater autem habet formam conuenientem generationi, & Filius non; igitur Pater non eſt omnipotens, ſi non poteſt generare, non autem Filius eſt impotens, ſi non poteſt generare: & ita poſſe generare, pertinet ad omnipotentiam Patris, & non ad omnipotentiam Filij.

Contra iſtud, non comparando generare ad aliquod ſuppoſitum. Quæro. Aut illud vt eſt geniti, tanquam termini, eſt aliquid, ad quod nata eſt eſſe aliqua potētia actiua, aut non? Si ſic; in quocunque non eſt potentia ad illud, non eſt in eo omnipotentia, hoc eſt, non eſt potentia ad omne illud, ad quod nata eſt eſſe potentia: Si non; ergo in nullo eſt potentia ad illud. Et ita non pertinet ad omnipotentiam Patris.

Confirmationes etiam non valent. Prima non. Quia omnipotens, poteſt in omne illud, quod eſt terminus potentiæ ſimpliciter; & hoc producendo illud in eo, in quo
B natum eſt produci, ſi natum eſt produci, in aliquo, vel producendo ipſum in ſe ſubſiſtens, ſi non eſt natum produci in aliquo; nō autem oportet quòd poſſet producere omne tale formaliter in ſe. Sicut poteſt producere curſum animalis in animali, vt in homine vel aſino, in quo natus eſt eſſe curſus, ſed hoc non poteſt producere in ſe, nec poteſt formaliter currere; quia tunc per illud verbum neutrum ſignificaretur quòd talis forma eſſet in ipſo formaliter. Licèt igitur Filius non poſſit formaliter generare, vt generatio ſit in ipſo; nec poſſit principiare generationē in ſeipſo: tamen ſi iſtud ſit terminus omnipotentiæ, oportet dicere, quòd Filius poſſit principiare generationem in eo, in quo nata eſt eſſe, nullo autem modo Filius poteſt principiare generationem in ſe, nec in iſto, in quo non eſt nata eſſe; tamen omnipotens, vt poteſt actionem illam cauſare in eo, quod poteſt eam recipere; ſicut non eſſet omnipotens, ſi non poſſet cauſare intellectionem in intellectu, potente recipere eam; generare autem non poteſt aliquomodo eſſe à Filio, nec vt in Filio, nec in alio; igitur ſi generare eſt terminus omnipotentiæ ſimpliciter, Filius non
C erit omnipotens.

Secunda etiam non valet. Quia quod habet formam limitatam ad agendum, nō eſt omnipotēs ad agendum; licèt enim ignis ſit potens ignire, & calefacere, ſi non poſſit frigefacere, non eſſet ſimpliciter omnipotens, quia forma eius limitata ad vnum actum concludit ipſum non eſſe ſimpliciter potentem; ergo Filium non habere formam conuenientem omni actioni, quam actionem nata ſit potentia ſimpliciter reſpicere, concluderet Filium non eſſe ſimpliciter omnipotentem.

Item. Iſta via non ſaluat, quomodo Pater & Filius ſint æquè potentes; quia Pater poteſt in actum generationis, qui per te eſt terminus potentiæ ſimpliciter, in quem actū non poteſt Filius: & ita non erunt æquè potentes, quantùm ad extenſionem.

ARTICVLVS SECVNDVS.

D *Ponitur propria Sententia.*

QVantùm ergo ad iſtum Articulū. Dico aliter. Quòd potentiæ actiuæ primum correlatiuum eſt poſſibile, non communiter ſumptum, vt opponitur impoſſibili; quia hoc modo poſſibile eſt Deum eſſe, & tamē illud poſſibile, non eſt terminus alicuius potentiæ actiuæ; ergo oportet, quòd poſſibile, vt eſt potentiæ actiuæ correlatiuum, ſumatur determinatiùs; hoc autem non videtur, niſi ſecundùm quod Auic. accipit poſſibile 6. Met. & alibi frequenter, prout opponitur ei quod eſt neceſſarium ex ſe: & tunc cùm quodlibet intrinſecum Deo, ſit in ſe formaliter neceſſarium; vel per idētitatem cum eſſentia, quæ eſt formaliter ex ſe neceſſaria; nihil intrinſecum Deo, erit terminus potentiæ propriè dictæ. Et ſi hoc eſt, cùm ad omnia alia ab Eſſentia Diuina, eandem rationem principij habeant tres Perſonæ, quia priùs intelligitur principium illud producendi creaturas, communicatum tribus, quàm poſſit habere actum producendi; iſta alia, ſequitur, quòd æqualis erit potentia trium Perſonarum, quantùm E
ad numerum poſſibilium.

Aſſumptum autem declaratur in qu. illa de ordine productionum extrinſecarum ad intrinſecas 2. lib. qu. 1. Et breuiter patet ex hoc: quòd ſi ſit principium neceſſarium, reſpectu vnius productionis, & contingens reſpectu alterius productionis, priùs eſt principium producendi neceſſarium, quàm contingens: quicquid autem ſit principium producendi Perſonas, neceſſariò ſe habet ad productionem illarum; contingenter autem ſe habet principium producendi creaturas ad ipſas creaturas; priùs igitur communicatur tribus Perſonis, quàm poſſit habere actum reſpectu poſſibilium extra.

Ex hoc apparet, quòd potentia eſt æqualis in Perſonis Diuinis, non tantùm quantùm ad extenſionem, ſed etiā quantùm ad intenſionem. Siue enim potentia accipiatur pro abſoluto, quod eſt fundamentum relationis principij; patet, quòd illud ſecundùm eandem magnitudinem eſt in tribus, non tantùm ſecundùm eandem magnitudinem ſecundùm quid, ſed ſimpliciter: ſicut dictum eſt in quæſtione præcedente, de æqualitate magnitudinis; ſiue accipiatur pro relatione fundata ſuper illud abſolutum, eadē relatio eſt trium, & ſi quam habet magnitudinem, eadē eſt magnitudo illius relationis in tribus: & ita omnimodè eſt æqualitas potentiæ & ſecundùm extenſionem, & ſecundùm intenſionem. F

Quòd autem dictum eſt de primo correlatiuo potentiæ actiuæ, quòd ſit poſſibile, intelligendum eſt de poſſibili obiectiuè, ſcilicet, quòd eſt terminus potentiæ, non de poſſibili ſubiectiuè, quia illud non eſt correlatiuum conuertibile, reſpectu potentiæ actiuæ. Non enim omnis potentia actiua, habet aliquod ſic poſſibile ſibi correſpōdens, ſed ſolùm illa potentia actiua quæ eſt tranſmutatiua. Aequatur igitur poſſibile obiectiuè vt correlatiuum potentiæ actiuæ, non autem poſſibile ſubiectiuè, & tale eſt illud poſſibile de quo adductus eſt Auic. quod opponitur ex ſe neceſſariò formaliter.

Quòd autem iſtud differat à neceſſario ex ſe formaliter G
ſiue à producente, poſſet confirmari per Philoſophum 5. Met. t. 1. vbi vult quòd principium & cauſa conuertuntur realiter; omne autem cauſatum eſt aliquid à cauſa; ergo & poſſibile, hoc eſt, principiatum eſt aliquid, ſecundùm eum, à principio.

Confirmatur etiam per rationem potentiæ actiuæ, poſitiuam in 5. Metaph. t. 17. quòd ipſa eſt principium trāſmutandi aliud, inquantum aliud; ergo multò magis eſt principium producendi aliud; quia non poteſt cauſatum ita eſſe idem cauſæ, ſicut actiuum poteſt eſſe idem paſſiuo in creaturis.

Sed tunc reſtat dubitatio. Quomodo potentia generandi dicatur potentia, cùm non ſit reſpectu alicuius poſſibilis, ſecundùm prædicta?

Reſpondeo. Poſſibile poteſt ſumi adhuc magis extendendo nomen, quàm vt opponitur neceſſario ex ſe: dicendo illud eſſe poſſibile, quod opponitur neceſſariò eſſe à ſe, & hoc modo omne originatum eſſet poſſibile.

Sed nec ſic videntur Sancti communiter loqui, nec etiā Philoſophi. Et hoc modo poſset concedi Filium eſſe poſsibilem; quia originatum: & ita potentiam correſpondentem actiuam huic termino, eſse potentiam. H

Veriùs tamen conceditur, Filium eſse principiatum, & non poſſibilem: in Patre tamen conceditur potentia actiua generandi; quia potentia actiua in creaturis aliquam dicit perfectionem; poſsibilitas autem ſibi correſpondens, quæ repugnat neceſsitati, ex ſe dicit imperfectionem.

Transfertur igitur ad Diuina nomen vnius, quod ſignificat perfectionem, nomen autem alterius correlatiui, quod dicit imperfectionem, non transfertur in ſe, ſed in aliquo communiore ſe; vt ſic ex parte producentis dicatur eſse potentia, & tamen ex parte producti non dicatur eſse poſsibilitas, ſed tantùm ratio principiati.

Ex hoc apparet irrationabilitas illius dicti. ***Varron. in præf. d. q. vn. art. 3.*** Quòd ſub omnipotentia, de virtute ſermonis, contineatur potentia generandi, non autem ſecundùm vſum Sanctorum. Quia & ſi aliquando Sancti

vel

A vel Doctores dicant, potentiam generandi esse potētiam, & generari esse terminum potentiæ, tamen de virtute sermonis, neutra est vera; simpliciter loquendo de potentia, prout respicit terminum possibilem, sed ampliando rationem potentiæ ad rationem principij, prout in communi respicit principiabile.

Hoc modo loquendo ad Quæstionem, de æqualitate potentiæ in Diuinis Personis. Respondeo & Dico. Quòd etiam sic sunt æquales. Quia secundùm Magistrum dist. 7. huius libri. Eadem est potentia, qua Pater potest generare, & Filius potest generari. Sed tunc ista æqualitas potentiæ, non est ad idem; sicut si peneretur æqualitas potentiæ in colore, ad immutandum visum, & sapore ad immutandum gustum, essent quidem ista duo, æqualis potētiæ, non tamen haberent eandem potentiam, nec ad idem. Ita in proposito: loquendo de potentia hoc modo, extensiuè ad actum notionalem, æquales sunt Pater & Filius in potentia, extensiuè & intensiuè; quia potentia quæ est in Patre, B ad actum generādi, est æquè perfecta in Filio, & ad æqualia obiecta: non tamen est hoc modo omnino eadem potentia, sicut potentia est eadem, quæ est respectu eiusdem possibilis. Et hoc modo concedendum est, quòd in Filio non est omnis potentia, vel non est in eo potentia ad omne, accipiendo sic potentiam extensiuè; licet in ipso sit omnipotentia, quæ dicit potentiam ad omnia possibilia.

Et si quæras. Si idem absolutum est in Patre & Filio, super quod fundatur potentia æqualis secundùm extensionē & intensionem, etiam illa quæ est ad intra, quare non est potentia omnis eadem in vtroque?

Respondeo & Dico. Quòd etsi idem absolutum, quòd est potentia, sit in Patre, & Filio: non tamen sub ratione potentiæ, quantùm ad actum notionalem, est in vtroque; quia non est sub ratione prioris ad illū actum, & potentia siue principium, requirit ordinē prioritatis ad terminum.

Argumenta principalia soluuntur.

C AD Argumenta principalia.

Ad Primum. Dico. Negando illam consequentiam primam: quantùm ex forma consequentię. Cùm probatur per Aug. contra Maximinum. Respondeo. Quòd illud argumentum Aug. non tenet per locum intrinsecum, quasi per locum a toto in quantitate, ad partem totius in quātitate; quasi posse generare sit aliquod posse; sed tenet per multas propositiones subintellectas, & hēc illud argumētū reduci ad multos Syllogismos. Hoc modo concessit Maximinus Patrem Filium generare, sed non æqualem.

Contra Augustinus arguit sic. Si genuit, & non potuit generare Filium æqualem sibi; ergo fuit impotens. Probatio huius consequentiæ. Ex quo dedit Filio Deitatem, etiā secundùm Maximinum; quia aliter non esset generatio: sed Deitatē minorem, secundùm eum, Deitate Patris; ergo Deitas nō est infinita ex se; quia infinito non potest esse aliquid maius, nec infinitū potest minui; & si Deitas non est infinita; ergo habens eam non est omnipotens: nihil enim est omnipotens, cùm omnipotentia requirat poten- D tiam infinitam, nisi habeat infinitam essentiam.

Non igitur tenet consequentia hic, quasi sub ista vniuersali contineatur illud singulare; sed quia istud vniuersale, quod est omnipotens, concomitatur infinitas essentię; & ita communicabilitas in æqualitate.

Et similiter sequitur. Si Pater non potest intelligere, Pater non est omnipotens; sed non sequitur per locum intrinsecum; quasi intelligere Patris, sit terminus omnipotentię; sed per istas propositiones subintellectas; quòd non potest intelligere, non habet omnem perfectionem simpliciter, & tunc non est infinitæ essentiæ, ac per hoc nec omnipotens.

E Cùm arguitur postea, de omnisciētē, Dico: quòd scientia nō requirit ordinem determinatum ad scibilia, nec ordinem prioris, nec ordinem posterioris; quia potest esse, siue respectu prioris, vt obiecti, siue posterioris; potentia autem requirit determinatum ordinē ad terminum, vt prioris ad posterius: & ideo scientia, de necessitate extendit se ad omne Ens, quia omne ens est scibile; potentia autem non extēdit se (vt ad obiectū) ad omne Ens, sed tantùm ad Ens possibile, quod (quomodocunque sumendo possibile) natum est esse posterius, & ideo non est ad illud, quod non est natum esse posterius; & ideo non ad illud, quod est natum esse in Persona infinita, idem illi Personæ.

Cùm postea arguitur per Ricard. Dico: quòd argumentum valet, si ponerentur duo Dij per impossibile: sicut declaratum est dist. 2. non autem de duabus personis æquè potentibus.

Cùm probatur Primò. Quòd vna persona posset aliam facere nullipotentem, volendo omnia possibilia, & ponendo ea in esse. Dico, Quòd non potest velle ista, alia persona non volente; & ita non poneretur in esse ab vna per- F sona, alia persona non volente, & ea in esse non ponente. Sed sicut in eodem instanti naturæ intelliguntur tres personæ habere principium sufficiens ponendi ea in esse, ita in eodem instanti, intelliguntur habere actum, quo ponuntur ista in esse. Sed si poneretur duo Dij, vnus propria actione posset omnia ponere in esse, & alius non posset producere ista eadem productione; ergo vel ista eadē non posset producere, & ideo non esset omnipotens; vel posset producere illa alia actione, & idem posset bis accipere esse; quod est impossibile.

Ad secundam probationem. Quòd vnus omnipotens, posset impedire alia volita ab alio. Dico. Quòd illa probatio bona est, de duabus voluntatibus; quia per impossibile, habens suam voluntatem, posset vti ea contingenter, ad quodlibet aliud obiectum à se: non sic autem est de duobus habentibus eandem voluntatem; quia propter eandē necessitatē, est vnus vsus voluntatis, propter quam voluntas est vna. Et ideo non potest vna persona ista voluntate G velle, & alia non velle, sicut non potest vna persona habere istam voluntatem, & alia non habere illam.

Cùm obijcitur contra istam Responsionem, de forma, quæ est in duobus, quòd sit principium operandi, eodem modo vtrique, sicut si esset in vno solo. Concedo. Quòd Filius nō quasi naturaliter, vel coactè vult voluntate istā, quasi Pater volens prædeterminauit Filium ad volendum idem, & non sit in potestate Filij idem velle, sicut erat in potestate Patris: sed in eodem instanti naturæ Pater & Filius intelliguntur habere voluntatē, & æquè liberè quemlibet actū volendi habere, vt est illius obiecti, sicut si alius non haberet istam voluntatem.

Est igitur illa forma cuilibet habenti principium vniformiter operandi, sicut esset si ille solus haberet eam; sed non est alicui habenti principium operandi: & alij principium non operādi, operatione quę est eadem illi voluntati: sicut ista non est eadem voluntas & nō voluntas. Vnde necessitas istius cōsequentiæ, Si Pater vult hoc, Filius vult H hoc. Non est contra libertatem volitionis Filij: sicut nec contra libertatem volitionis meæ, est ista consequentia. Si volo, volo. Ita nec ibi. Si Pater vult A. Filius vult A. quia velle idem est Patris & Filij.

Ad aliud de causa prima & secunda. Respōsum est dist. 12. quòd ista propositio veritatem habet propter aliam virtutem, siue vim causandi, in causa priori & posteriori; & illa quæ est prior, est principalior: & hoc fallit in principio priori secundùm originem, & posteriori, in quibus est eadem vis vel virtus causandi, respectu tertij, cuius vis est in proposito: & ideo in proposito non valet.

A

DISTINCTIO XXI.

QVAESTIO VNICA.

Vtrum hæc ſit vera. Solus Pater eſt Deus?



Ircam iſtam Diſtinctionem Vigeſimam primam. Quæro vnum. Vtrum hæc ſit vera.

Solus Pater eſt Deus.



Vòd ſic. Solus Deus qui eſt Pater, eſt Deus; ergo ſolus Pater eſt Deus. Antecedens patet. Quia ſolus Deus, qui eſt Pater, eſt Trinitas. Conſequentia probatur, per ſimile. Quia ſe- B quitur, Solum animal quod eſt homo currit: ergo ſolus homo currit.

Item. Solus Deus eſt Pater; ergo ſolus Pater eſt Deus. Antecedens patet per exponentes. Conſequentia probatur per conuerſionem excluſiuæ.

Item. Solus Deus eſt Deus; ergo ſolus Pater eſt Deus. Probatur conſequentia. Quia antecedens infert vtramque exponentem conſequentis. Et quòd inferat exponẽtem affirmatiuam, probo. Quia ſequitur. Solus Deus eſt Deus; ergo omnis Deus eſt Deus: & ita Pater eſt Deus; ergo ſequitur affirmatiua exponens conſequens. Sequitur etiam, Solus Deus eſt Deus; ergo non alius à Deo, eſt Deus; ergo non alius à Patre, eſt Deus. Probatio huius conſequentiæ. Hic videtur fallacia conſequentis. Alius à Deo; ergo alius à Patre: Ergo arguendo negatiuè eodem ordine, erit bonum argumentum. Probatio aſſumpti. Quia ſi alius à Deo infert aliũ à Patre: hoc eſſet propter diſtributionem termini relationis diuerſitatis; ſed nõ C diſtribuitur. Probatio. Quia tunc eſſet omnis propoſitio falſa, vbi prædicaretur relatiuũ diuerſitatis de aliquo, puta quæcunque talis, Homo eſt diuerſus vel aliud: datur enim hìc intelligi correlatiuum primum huius relatiui: & per conſequens ſequeretur, quòd homo eſſet alius ab alio. Et ſi terminus relationis diſtribuatur, ſequitur quòd ſit alius à quocunque alio; igitur alius à ſe.

Oppoſitum patet per Aug. 6. de Trini. 8. cap.

Ad Quæſtionem. Poteſt fieri diſtinctio, ſicut diſtinguitur communiter, & benè. Quòd ſolus poteſt teneri Cathegorematicè & Syncathegorematicè. Solus quippe, ſignificat idem quod non cum alio; ſicut patet per Philoſophum 1. Elenchor. c. 4.

Iſta autem negatio aſſociationis, poteſt intelligi determinare aliquid in ſe, ſiue in natura rei, vel determinare aliquid, vt eſt extremum compoſitionis, in habitudine ad aliud extremum; puta negando aſſociationem alterius ab iſto, in recipiendo prædicationem talis prædicati.

Primo modo, non admittitur in Diuinis hoc nomen, D Solus. Quia nihil eſt ibi ſolitarium. Secundo modo cõceditur, quandocunque non aſſociatur ſubiecto aliquid, de quo dicatur idem prædicatum: ita non eſt prædicando eſſentiale de perſonali; quia eſſentiale cõuenit alij ab iſto incluſo: & ideo talis propoſitio negatur. Declaratio iſtorum, ſcilicet, qualiter Syncathegorema diſponit extremũ intellectus componentis & diuidentis, reſpectu alterius extremi. Et quomodo differat Syncathegorema ab intentione ſecunda, & quomodo diuerſæ determinationes Syncathegorematicæ inter ſe differant, longum tractatũ requireret. Sed non oportet hìc immorari, propter alia magis neceſſaria.

Probatur etiam falſitas propoſitionis propoſitæ, per illam communem regulam in Sophiſmatibus. Affirmatiua excluſiua, infert vniuerſalem affirmatiuam, de terminis tranſpoſitis. Igitur iſta: Solus Pater eſt Deus; infert iſtam. Omnis Deus eſt Pater; vel Omnis Perſona Diuina eſt Pater. Regula iſta probatur, ex ratione excluſionis, quæ videlicet notat præciſionem in illo, cui additur, reſpectu alterius extremi, ſiue præciſam commenſurationem, ſcilicet, quòd alterum extremum non excedat illud. Et hoc notat iſta vniuerſalis affirmatiua, de terminis trãſpoſitis, & maximè in terminis communibus, vbi poteſt vtrumque extremum accipi vniuerſaliter.

Probatur etiam Logicè, per vnam propoſitionem, quæ exprimit totum intellectum excluſiuæ. Iſta enim, Tan- F tùm homo eſt riſibilis: licèt ponatur communiter habere duas exponentes, ſufficienter tamen exprimitur per iſtã, Nullus non homo eſt riſibilis: ex qua ſequitur, Nullum riſibile eſt non homo: per conuerſionem. Et vltra, Igitur nullum riſibile non eſt homo, per illud 2. periherm. Ex negatiua de prædicato infinito, ſequitur affirmatiua de prædicato finito, & negatiua de prædicato negato. Quod probatur per primum principium. *De quolibet affirmatio vel negatio* &c. & hoc in prædicatis ſimplicibus: quia negando iſtam conſequentiam, negantur vtraque oppoſita ab eodem. Et vltra, Ergo omne riſibile eſt homo: per æquipollentiam à primo.

Hìc aliqui inſtant, quaſi vno correlatiuo incluſo, aliud non excluditur; quia vnum eſt communiter de intellectu alterius, quia poſita ſe ponunt &c. & ſunt ſimul natura. Sed hoc eſt contra intentionem Phil. 1. Phyſ. t. 8. arguẽtis ibi. *Si tantùm principium eſt, principiatum non eſt*: ergo correlatiuum nõ eſt de intellectu correlatiui, ſicut aliquid eius, puta pars eſſentialis, vel integralis, ſed ſicut ali- G quid, ad quod terminatur intellectus eius; & tale eſt ſufficienter diuerſum ab incluſo, tanta diuerſitate, quanta diuerſitas requiritur ad hoc, quòd ipſum excludatur.

Ad Argumenta.

Ad Primum Argumentum. Antecedens diſtinguitur, ſecundùm compoſitionem, & diuiſionẽ. Sicut iſta, Omnis homo, qui eſt albus, currit. Senſus compoſitionis falſus eſt: quia ibi Deus determinatur ad ſtandum pro Patre, per iſtam implicationem, qui eſt Pater; ſicut determinatur homo ad ſtandum pro homine albo, in ſenſu compoſitionis, ibi, homo qui eſt albus: & tunc conſequentia tenet. Senſus tamen diuiſionis verus eſt: quia tunc enunciantur duo prædicata, de eodem ſubiecto, de quo ambo ſunt vera, ſcilicet de Deo, eſſe Patrem, & eſſe Deum; quaſi enunciarentur iſta duo, in duabus propoſitionibus Cathegoricis, copulatis ſibi inuicem, quarum neutra ſpecificaret alteram: & tunc conſequentia non valet à ſuperiori ad ſuũ inferius, cum excluſione.

Et ſi obijcitur. Quòd ſimilis conſequẽtia tenet in crea- H turis in ſenſu diuiſionis. Reſpondeo. Si commune idem innumeratum, poſſit competere pluribus inferioribus, nõ teneret illa conſequentia, in ſenſu diuiſionis: tenet enim ibi præcisè; quia illud animal, quod eſt rationale, diuidendo, non eſt aliud ab animali, quod eſt rationale, in componendo. In propoſito autem, ratio illa non tenet. Quia iſte idem Deus, qui eſt Pater, in ſenſu compoſitionis, non eſt Filius, qui diſtinguitur à Patre. Et ita Deus, qui eſt Pater, in ſenſu diuiſionis, poteſt dici verè de aliquo, de quo non dicitur in ſenſu compoſitionis: non ſic autem de animali, quod eſt homo; quia illud in ſenſu diuiſionis, de nullo verè prædicatur, de quo verè non prædicatur idem in ſenſu compoſitionis, vel è conuerſo. Et ideo prædicatur ibi indifferenter: non ſic hìc; cùm non ſit idem antecedens, ſecundùm compoſitionem & diuiſionẽ.

Aliqui etiam diſtinguunt (*Varro lib. 3. diſt. 2. qu. va.*) principalem propoſitionem: quaſi iſta, Solus Pater eſt

Deus:

A Deus: possit habere sensum compositionis falsum, & sensum diuisionis verum, adducentes illud Prisciani, 2. constructionum. *Inter exigẽs & exactum, cadit aliquod mediũ.*

Sed istud nõ est Logicè dictũ, nec Grãmaticè. Logicè nõ: q̃a tũc nõ posset aliquid cõtrahi, vel determinari p aliquã cõtradictionẽ, vel determinationẽ. Quantũcũq;.n. immediatè adderetur alicui determinatio Cathegorematica, vel Syncathegorematica vt, Homo albus currit, vel, Oĩs homo albus currit; adhuc restaret distinguere: sicut hìc, in sensu compositionis & diuisionis: & in vtroque sensu, restaret vlteriùs distinguere, & sic in infinitum: nec posset aliquis sensus determinatè exprimi. Nec docuit Philosophus in talibus multiplicitatem; secundùm compositionem & diuisionem, sed tantùm in illis vbi eadem materialia composita & diuisa, diuersum sensum faciunt: ista autem materialia, Omnis homo currit, vel, Omnis homo albus currit, composita & diuisa, nullum alium sensum faciũt: secus est hìc, Iste videt nunc me currere, componẽdo Nũc aduerbiũ, cum verbo præcedẽte, vel sequẽte.

B Nec etiam est dictum Grammaticè. Quia exigens & exactum, dicuntur constructibilia, quorum alterum dicitur à Prisciano regere alterum, ex vi aliqua; non est autem Syncathegorematicum constructibile respectu Cathegorematici, quasi vnum regat aliud, ex aliqua vi. Et ideo licèt hìc cadat medium, vel implicatio media, Cappa Sortis, id est, Cappa quæ est Sortis: non tamen hìc, Homo albus, & Omnis homo albus.

Ad Secundum. Dico, quòd illa non est sua conuersa: nec illa consequentia tenet; sed est fallacia consequentis. Quia sicut probatũ est in solutione q̃stionis, exclusiua est cõuertibilis cũ vniuersali affirmatiua, de terminis trãspositis; ergo inferre exclusiuã ex exclusiua, de terminis transpositis, æquiualeret illationi vniuersalis affirmatiuæ, ex vniuersali affirmatiua, de terminis transpositis. In tali autem illatione vniuersalis ex vniuersali, est fallacia consequentis, Omnis homo est animal; ergo omne animal est homo; à superiori ad suum inferius affirmando. Ita est in proposito. Et probatur. Quia semper ex vi sermonis C procedit ab inferiori ad superius, cũ distributione: prædicatum enim vniuersalis affirmatiuæ, non notatur esse conuertibile, sed stat quòd sit superius ad subiectum: ergo ex distributione subiecti vniuersalis, non sequitur distributio prædicati respectu eiusdem, nec potest sequi distributio prædicati, respectu inferioris ad aliquid, si non sequitur distributio prædicati respectu superioris ad illud. Arguendo ergo sic. Omne B. est A. ergo omne A. est B. Est fallacia consequẽtis. Quia ex distributione eius, quod notatur esse inferius, non sequitur distributio superioris: & hoc respectu prædicati, quod notatur esse inferius, ad prædicatũ superius; sed est fallacia cõsequẽtis; sicut argueretur, Omnis homo est animal; ergo oẽ animal est Sortes.

Sed cùm probatur illa consequentia, per conuersionẽ propositionis exclusiuæ. Respondeo. Non omnis illatio in terminis transpositis, notat tantam vnionem extremorum, quanta haberi potest virtute primæ: vnde vniuersaliter, negatiua non conuertitur in particularem negatiuã, D in terminis transpositis, licèt inferat eam. Ad propositũ. Dico, quòd illa de terminis transpositis, quæ tantum capit de intellectu exclusiuæ affirmatiuæ, quantum aliqua potest capere de terminis transpositis, est vniuersalis affirmatiua; sicut probatum est in secunda ratione ad solutionem principalem; ergo talis exclusiua affirmatiua conuertitur in vniuersalem affirmatiuam; & pari ratione è conuersò, vniuersalis affirmatiua, in exclusiuam affirmatiuã.

Et si obijcias. Ergo Arist. malè docuit, & insufficienter conuersiones, non docendo vniuersalem affirmatiuam, conuertendam in exclusiuam affirmatiuam. Respondeo. Quòd conuersiones docuit, propter perficiendam imperfectionem imperfectorum Syllogismorum, non autem exclusiua alium locum teneret in perficiendo Syllogismũ imperfectum, quàm aliqua indefinita non exclusiua; quia non aliam Cõclusionem inferret, quàm priùs inferebatur in Syllogismo imperfecto. Et ideo benè & sufficienter docuit cõuersiones, quantũ necessariũ sibi fuit ad propositũ.

Ad Tertium. Dico, quòd ex negatiua exponente antecedens, non sequitur negatiua exponens consequens. Cùm probatur. Quia non sequitur. Alius à Deo; ergo E alius à Patre. Nego. Quia illa consequentia nõ est bona.

Et cùm vlteriùs probatur. Quòd terminus huius alietatis, non distribuitur; quia tunc esset impossibilitas enũciandi tale relatiuum de aliquo. Respõdeo. Quòd in omnibus relatiuis æquiparantiæ, commune secundùm se acceptum, vt commune est, non refertur: quia ex quo, vt commune est, abstrahitur ab omnibus relatiuis, siue terminis relationum; quia relatio realis, non est nisi distincti ad distinctum: sed si vt sic referretur, oporteret ibi dare terminum sibi relatum distinctum. Et ideo non referretur ad aliquid eiusdem rationis cum relato, sed referretur ad aliquid alterius rationis: refertur igitur tale relatiuum, tantùm pro suo inferiori; sicut simile, non refertur pro simili in communi, ad simile, sed pro aliquo inferiori, quod potest distingui à simili, ad quod refertur: ita etiam est de differenti; non enim refertur ad differens in communi, quasi ad primum correlatiuum, quasi essent duo extrema prima relationis: & utrumque communissimum ad omne differens; sed differens est differens ab hoc differenti. F

Et si obijcias. Quòd relatiuum dat primò intelligere suum correlatiuum commune. Respondeo. Non est tale correlatiuum eius, vt commune, nisi ipsum vt sumptum pro aliquo inferiori, pro quo distingui potest à correlatiuo. Exemplũ huius est in rebus. Quia si tota natura ignis esset in vno indiuiduo, illud indiuiduum non posset generare: quia si sic; tunc generaret alium ignem, in quo esset tota natura ignis, & essent quasi duæ species ignis; quod est impossibile: & tamen nunc, in vno indiuiduo, natura ignis est ratio generandi, quia habet vnitatem sufficientem pro principio actiuo, & distinctionem sufficientem. Ita hæc similitudo bene est ratio alicui referendi, vel terminandi relationem; sed nec refertur nec terminat, nisi accipiatur pro distincto in quo sit, ita, quòd nec vnitas, nec distinctio est per accidens, sed vtrumque per se, respectu talis relationis, sicut dictum est in qu. de circumincessione. Non enim sequitur. Non alius à Deo; ergo nõ alius à Patre; sed in affirmatiua, est bona consequentia, G ratione distributionis termini huius relationis, propter negationem inclusam in ratione alietatis.

Ad Aliam probationẽ. Cùm dicitur. Solus Deus; ergo solus Pater, vel solus Filius. Resp. Quòd subiectũ exclusiuæ, potest cõparari, vel ad exclusionẽ, vel ad prædicatũ. Primo modo, habet suppositionẽ simplicẽ; quia exclusio fit ab eo rõne significati: secũdo modo, habet suppositionẽ personalẽ; quia prædicatũ attribuitur sibi pro supposito.

Contra istud. Vnum extremum, in vno actu componẽdi & diuidendi, habet rationem vnam, secundùm quam accipitur, respectu alterius extremi; quia diuersæ rationes accipiendi idem extremum, respectu eiusdem termini, non videntur stare cum vnitate actus componendi.

Et si dicatur. Quòd respectu exclusionis, supponeret sub vna ratione, & vt accipitur sub exclusione, respectu prædicati, supponit sub alia ratione.

Contra. Subiectum non supponit respectu suæ dispositionis, sed respectu prædicati; & ita præcisè habet illam suppositionem, quam intelligitur habere respectu prædi- H cati, vt accipitur sub sua dispositione.

Ideo dico aliter. Quòd subiectũ affirmatiuæ exclusiuæ, supponit confusè tantùm, sicut & prædicatũ vniuersalis affirmatiuæ. Quod probatur ex conuertibilitate earum. Quia respectu eiusdem extremi, stante eodem modo, distributiuè arguere, ex parte alterius, á confusa tãtùm distributiua, est fallacia figuræ dictionis; & sub termino sic stante confusè tantùm, non licet descendere.

Posset tamen dici in proposito aliter, quàm in creaturis, videlicet, quòd Deus, sub exclusione, stat pro hoc Deo, qui communis est tribus Personis. Quæ responsio tacta est dist. 4. q. 2. pro quo stat ibi subiectum, Deus est Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, & posset etiam valere distinct. 12. q. 1. quid est illud subiectum, cui primò conuenit agere respectu creaturarum, quia hic Deus, vt est hac Deitate Deus; non intelligendo aliquam personalem proprietatẽ, licèt omne prædicatum quod verum est de hoc prædicato primo, verum sit de Patre per se, sed non de solo Patre, sed de Filio & Spiritu Sancto.

DISTIN-

A # DISTINCTIO XXII. E

QVÆSTIO VNICA.

Vtrum Deus sit nominabilis, nomine significante Essentiam Diuinam, vt hæc.

*Irca istam Distinctionem Vigesimam Secundam.* Quæro vnum.

Vtrum Deus sit nominabilis à nobis viatoribus, aliquo nomine significante Essentiam Diuinam, vt hæc?

HIC Dicitur (*ab Henr. in sum. art. 22. q. 1. & 3.*) Quòd sicut Deus intelligitur à nobis, ita potest & à nobis nominari; secũdùm igitur quòd
B aliqui diuersimodè asserunt de cognitione Dei ab intellectu viatoris, ita consequenter dicunt diuersimodè, de possibilitate etiam nominandi Deum: & qui negat conceptum vniuocum Deo, & creaturæ, & ponit duos cõceptus analogos, quorum scilicet alter, qui est creaturæ, attribuitur alteri, illi scilicet, qui est Dei, dicit secundùm hoc consequenter, quòd Deus est nominabilis à viatore, nomine exprimente illum conceptum analogum.

Sed contra istam positionem specialiter arguo. Quia omnis conceptus realis, possibilis haberi de Essentia Diuina, natus est fieri in intellectu, virtute illius Essentiæ. Probatur. Quia quodcunque obiectum intelligibile minimũ, natum est facere in intellectu conceptum omnem realem, possibilem haberi de eo; sed secundùm istos, tantùm vnicus conceptus realis natus est haberi de Essentia Diuina, virtute eius, licèt intellectus negotians, possit plures conceptus causare, fabricare, circa idem obiectum; ergo quodcunque obiectum potest facere conceptum realem in intellectu de Deo, potest facere illum vnicum (quem conce-
C ptum illa Essentia esset nata de se facere) sed ille vnicus est huius Essentiæ, vt est hæc; ergo quodcunque obiectum faciet aliquam notitiam de Deo, in intellectu nostro, faciet secundùm opinionem istam, conceptum eius, vt est hæc Essentia; & ita nominabilis est à viatore, nomine significante hanc Essentiam vt hæc.

Potest dici breuiter ad Quæstionem. Quòd ista propositio communis multis Opinionibus; quòd scilicet, sicut aliquid intelligitur, ita & nominatur, falsa est; si intelligatur præcisè; quia distinctiùs potest aliqui significari, quàm intelligi. Quod videtur persuaderi ex hoc. Quia cũ substantia non sit intelligibilis à viatore, nisi in conceptu communi Entis, sicut probatum est dist. 3. si non posset distinctiùs significari, quàm intelligi, nullum nomen impositum à viatore, significaret aliquam rem de genere substantiæ, sed sicut præcisè concipitur ab intellectu viatoris aliqua proprietas, à qua imponitur nomẽ, quæ proprietas communiter exprimitur per Ethymologiam no-
D minis: ita præcisè talis proprietas significaretur per nomẽ; puta, per hoc nomen, lapis, non significaretur aliquid de genere Substantiæ, sed tantùm aliquid de genere actionis puta læsio pedis, quam exprimit Ethymologia huius nominis, & fuit ratio à qua imponebatur nomen: ita potest argui de omnibus alijs nominibus, impositis rebus de genere substantiæ, quòd nullum eorum significat aliquid, nisi proprietatem accidentalem aliquam, quæ intelligebatur ab imponente, vel oportet dicere, quòd ipse distinctiùs nominabat substantiam, quàm intellexit.

Qualiter autem hoc sit possibile, potest intelligi sit, secundùm vnum Aug. 6. de Trinit. c. 6. qua probat compositionem in omni creatura. Nam concipiuntur ab aliquo multa accidentia concurrentia in eodem, puta talis qualitas, & talis quantitas, & probatur neutrum illorum esse alterum; quia vtrumque illorum manet sine altero. Probatur etiam secundò vtrique illorum aliquid aliud esse subiectum commune: Quia vtrumlibet illorum potest destrui, non destructo altero: ergo aliquid concluditur esse subiectum vtrique, vt quantitati, & qualitati: illud autem quod subest, non concipitur in conceptu quidditatiuo nisi Entis, vel huius Entis. Et tamẽ frequenter accidit quòd talis qualitas, & talis quantitas, coniunguntur in aliquo, & alibi non coniunguntur; & hoc non est ex natura qualitatis & quantitatis, vt præostensum est supra. Concluditur igitur quòd hoc est ex natura illius tertij, in quo fundantur ambo ista, non autem coniunguntur talia in isto F
tertio, qualia in illo. Ex quo etiam diuersimodè cõiunguntur in diuersis, concluditur substratum istis esse diuersum à substrato illis; & ex hoc concluditur, tertium illud esse aliud ab alio tertio: ergo cognoscitur aliud tertium esse substratum: Et similiter quòd sit aliud à subiecto alterius: neque enim cognosco distinctè quid sit in se, nisi quòd sit Ens, vel res, affecta talibus accidentibus. Vnde vlterior conceptio, quam possim de illo habere quid sit, est res aliqua, habens talia accidentia, & relationes.

Ad propositum ergo. Non accidentibus illis, sed isti alij sic distincto, (quicquid sit, quod est cum istis coniunctis, quæ intelliguntur) imponitur nomen aliquod, illud videtur esse proprium signum huius sub ratione qua hoc, ita quòd imponens nomen, intendat illam essentiam de genere substantiæ significare, & sicut intendit significare, ita nomen quod imponit est signum; & tamen ipse non intelligit illud distinctè, quod distinctè intendit significare per hoc nomen, vel per hoc signum. Exemplum esset. Etiamsi quis imponeret characteres Hębręos, nesciens voces Hæ- G
bræas in particulari, sciens tamen quòd aliqua vox est prima, aliqua secunda, & aliqua tertia imponeret sic, aliqua est prima: quęcunque sit illa, volo quòd significetur tali nomine, vel tali charactere, illi characteres essent signa illarum vocum Hębræarum, quas aliquis Hebræus distinctè cognosceret obiectis sibi talibus signis, non Hębręus autem etsi cognosceret quid significaretur per istas figuras non tamen illud quod significatur distinctè cognosceret, sed tantùm in ratione primę vocis, vel secundæ.

Breuiter igitur dici potest. Quòd adminus noĩa multa imponũtur, quę significant Deũ in cõe, quia sic naturaliter potest cõcipi à simplici viatore, vt patet dist. 3. Vel si verũ est quòd distinctiùs potest significari, quã concipi, potest Deus nominari à viatore, noĩe significante hanc Essentiã.

Quicquid sit de istis, verisimile est, Deũ noĩari tali noĩe, & hoc siue illud nomen sit impositum ab ipso Deo, vel ab Angelo cognoscente ipsum Deum, vel à viatore. Verisimile est. n. quòd multa noĩa sint in Sacra Scriptura, distinctè H
illã essentiã significantia; sicut Iudęi dicunt de noĩe Dei, quod vocant Tetagrãmaton. Et videtur Deus dicere. Exo. 3. *Hęc dices filijs Israel. Qui est, misit me ad vos, hoc nomen mihi est in ęternum.* Et c. 6. *Ego Dominus qui apparui Abraham &c. nomen meum Adonay non indicaui eis.* Est ergo Deus nominabilis à viatore, nomine significante propriam Essentiam, vt est hęc Essentia. Quia viator potest vti illo signo, & intendere exprimere significatum illius signi, siue ipse imposuerit illud signum, siue alius quicunque, qui cognouit significatum, & tali etiam signo potest viator vti, tanquam nomine, licèt non potuerit illud imponere tanquam signum. Si autem ista propositio esset vera, quòd nullum nomen potest alicui imponi distinctiùs, quàm intelligatur: hæc tamen est falsa, quòd nullus potest vti nomine distinctiùs significante rem, quàm ipse possit intelligere.

Et ideo simpliciter concedendum est, quòd multis nominibus vti potest viator, exprimentibus Essentiam Diuinam, super ratione Essentiæ Diuinæ.

A DISTINCTIO XXVI. E

QVAESTIO VNICA.

Vtrum Persona, vt dicit aliquid commune Patri, Filio, & Spiritui Sancto, dicat præcisè aliquid secundæ intentionis?



Ircam istam Distinctionem Vigesimam Tertiam. Quæro vnum.

Vtrum Persona, vt dicit aliquid commune Patri, Filio, & Spiritui Sancto, dicat præcisè aliquid Secundæ intentionis?



B Vod non. Probo. Quia Persona, est terminus productionis realis, & adoratur, secunda intentio non terminat productionem realem, nec adoratur: ergo &c.

Præterea. Trinitas in Diuinis, non est tantùm conceptuum, sed rerum, contra errorem Sabellij.

Cōtrà. Omne commune pluribus vniuocum, & distinctum, & plurificatum in eis, dicitur de eis, secundùm aliquam rationem vniuersalis; Persona est commune vniuocum Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, & plurificatum in eis, etiam secundùm Aug. 7. de Trin. c. 4. & 6. ergo dicitur de eis, secundùm aliquam rationem vniuersalis. Et si dicat aliquam intētionem secundam, verè est in Diuinis aliqua ratio vniuersalis: quod non videtur inconueniens; si verò dicat intentionem primam, erit in Diuinis vniuersale reale commune, & ita aliqua realitas potentialis: quod videtur inconueniens.

ARTICVLVS PRIMVS.

Narratur Opinio aliorum.

C Hic dicitur, (*ab Egid. de Roma, & Henr. hic.*) Quòd Persona tantùm dicit intentionem secundam. Quia sicut indiuiduum reperitur communiter in omni natura, ita suppositum in natura substantiali, & persona in natura intellectuali; sed indiuiduum & suppositum dicit tantùm rem secundæ intentionis; ergo & persona dicit tantùm rem secundæ intentionis.

Confirmatur ratio. Quia natura, in qua sunt ista, vt essentia, non est per se ratione istorum, ponitur enim in diffinitione istorum vt additum; igitur non variat rationes formales istorum.

Item. Omne commune dictum de pluribus, dicitur de eis secundùm rationem alicuius vniuersalis; ergo si persona significet rem primæ intentionis, communem tribus, illa dicetur de eis sub ratione generis generalissimi, aut alicuius intermedij, aut secundùm rationem speciei specialissimæ: quorum opposita sunt manifesta. Quod non

D sit species speciei specialissima, manifestum est: quia tunc sequeretur, quòd duæ erunt quasi species specialissimæ, respectu earúdem personarum. Deitas enim secundùm Damasc. c. 5. notat quasi speciem circumplectiuam Hypostaseon, & persona etiam notabit speciem specialissimam, respectu earundem; ergo &c.

Additur huic Opinioni. Quòd licèt persona dicat aliquid secundæ intentionis, non tamen dicit illud in abstracto, sed in concreto, & ideo potest prædicari de re primæ intentionis, & supponere pro ea. Exemplum. Species est secunda intentio; ibi accipitur species pro ipsa intentione in se; &, Species prædicatur de pluribus differentibus numero; ibi accipitur species pro re quam denotat: non enim prædicatur hìc, hæc intentio, species, de pluribus, vt videtur, sed homo, vel asinus, de quibus dicitur hæc intentio.

Contra istud. Et primò contra Opinantem. Quandocunque à formalibus constitutiuis aliquorum, potest abstrahi aliquod commune primæ intentionis, pari ratione, vel maiori, potest abstrahi aliquid commune à constitutis per illa; Personæ autem Diuinæ, secundùm istos, constituuntur per relationes formaliter; ab illis autem constitutiuis, potest abstrahi aliquid commune reale primæ intentioni: Paternitas enim est relatio, Filiatio est relatio; & hoc vniuocè sumendo relationem, quia potest esse certitudo de conceptu relationis ad intra, dubitando de quolibet conceptu speciali, & talis sic certus, non tantùm habet certitudinem de voce, sed de conceptu aliquo; ergo F conceptus ille de relatione in communi, alius est à conceptu illius in speciali: ergo multò magis à constitutis per istas relationes, poterit abstrahi aliqua res primæ intētionis. Assumptum autem de vniuocatione relationis, magis patebit inferiùs, in ista quæst.

Contra Opinionem in se. Quia omnis intentio secunda, est relatio rationis, nō quæcunque, sed pertinens ad extremum, vel actum intellectus componentis vel diuidentis, vel saltem conferentis vnum ad alterum. Hoc patet. Quia intentio secunda, secundùm omnes causatur per actum intellectus negotiantis, circa rem primæ intentionis, qui non potest causare circa obiectum, nisi tantùm relationem rationis: persona autem nō dicit relationem rationis; & præcipuè, non dicit relationem pertinentem ad actum intellectus comparantis.

Quòd autem non dicat aliquam relationem rationis, videtur. Quia tunc saltem necessariò coëxigeret correlatiuum ad quod referretur: quia impossibile est intelligere relationem, & non esse ad aliquem terminum, & G correlatiuum: sicut omnis intentio secunda requirit correlatiuum ad quod refertur; vt species respicit genus, pro suo correlatiuo, & particulare, vniuersale pro suo correlatiuo; & sic de alijs: persona autem non dicitur alicuius persona, vel saltem non dicit extremum intellectus conferentis.

Item, duco rationem eorum ad oppositum. Quia vnitas est passio Entis, sicut patet 4. Metaph. t. 3. & per consequēs consequitur rem ex natura rei, & maximè est verum de illa vnitate, quæ est vera vnitas, cuiusmodi est vnitas indiuidui; ergo talis vnitas non dicit intentionem secundam; & sicut non vnitas in communi, ita nec vnitas in natura intellectuali: si igitur persona dicat vnitatem in natura intellectuali, sicut indiuiduum in communi; sequitur oppositum Conclusionis eorum.

Præterea August. de doctr. Christ. Et ponitur in litera, distinct. 1. & distinct. 25. primi libri dicit, quòd res quibus fruendum est sunt Pater, Filius, & Spiritus Sanctus. Vnde secundùm ipsum, tres Personæ sunt tres res: res autem H non videtur dicere secundam intentionem, & tamen est commune tribus Personis, & numeratur in eis; ergo non oportet dicere personam significare secundam intentionem, quia est commune numeratum in multis. Magister etiam distinctione 25. cap. 8. exponit tres Personas, per tres subsistentes: subsistentia autem non videtur significare rem secundæ intentionis, & tamen est commune tribus, & numeratur in eis.

Item prædicta Opinio quærit. Quomodo Persona possit vniuocè prædicari de pluribus indiuiduis, nisi sit vniuersale? Sed eandem difficultatem petit de relatione, & eodem modo sequitur. Magis enim videtur, quòd à constitutis possit abstrahi commune, quàm à constituentibus. Sed quomodo potest abstrahi aliquod commune primæ intentionis, & tamen non vniuersale reale? dicetur distinctione 26.

A Præterea,contra additum,arguo ſic. Adiectiuum non determinat aliquid, niſi illud ad quod terminatur eius dependentia: ſed adiectiuum non poteſt terminare dependentiam alterius adiectiui; quia ęqualiter dependent, & ambo ſunt æquè dependentia; ergo neutrum determinat alterum; ergo ſi hoc nomen, perſona, ſit tale concretum, non poteſt terminare dependentiam alterius, cuiuſmodi eſt ille terminus numeralis, tres: igitur non benè diceretur, quòd ſunt tres perſonæ, niſi intelligendo aliquod ſubſtantiuum, quod determinetur per vtrumque adiectiuum; ſed non eſt dare aliquod ſubſtantiuum tale ſubintellectum; ergo &c.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Vera datur reſolutio Quæſtionis.

AD Quæſtionem. Reſpondeo. Quòd accipiendo diffinitionem Perſonæ quam ponit Ricar. 4. de Trin. cap. B 22. quòd *eſt intellectualis naturæ incommunicabilis exiſtentia*. Per quam diffinitionem exponitur vel corrigitur diffinitio Boëtij dicentis, quòd *Perſona eſt, rationalis naturæ, indiuidua ſubſtantia*. Quia ſic ſequeretur animam eſſe perſonam: quod eſt inconueniens.

Dico. Quòd nihil propriè eſt in hac diffenitione Richar. quod ſignificet intentionem ſecundam, quia ex natura rei, ſine omni operatione intellectus, eſt in Patre natura intellectualis, & entitas incommunicabilis. Iſta autem incõmunicabilitas duplex eſt; quod poteſt intelligi ex ſupradictis, in diſt. 2. quia cõicabile pluribus dicitur dupliciter. Vno modo, dicitur cõmunicabile pluribus, quod eſt idem cuilibet eorũ, ita quòd quodlibet ſit ipſum, ſicut vniuerſale dicitur communicari ſuis inferioribus. Alio modo, communicatur alicui vt forma; quia aliquid eſt tale, ſecundùm ipſum, ſed non eſt ipſum; vt anima communicatur corpori. Et vtroque modo Deitas eſt communicabilis, & neutro modo Perſona eſt communicabilis. Et ita duplex eſt incommunicabilitas pertinens ad rationẽ Per- C ſonæ, propter quod anima ſeparata, licèt habeat primam incommunicabilitatem, tamen non eſt perſona, quia non habet ſecundam, & vtraque incommunicabilitas requiritur ad rationem perſonæ, & eſt in re ex natura rei: & ita nihil de ratione Perſonæ dicit intentionem ſecundam.

Contra iſtud poteſt obijci. Quia ſecundùm iſtud, videtur quòd Perſona tantùm ſignificet duplicem negationẽ, duplicis communicabilitatis.

Et ſi hoc ſit verum, tunc videtur dubium. Quomodo negatio poſsit eſſe communis tribus Perſonis, niſi affirmatio aliqua ſit eis communis, propter quam inſit eis talis negatio. Quia negatio non videtur tribus conuenire, niſi conſequatur affirmationem; non eſt autem Deitas iſta affirmatio; quia ipſa non numeratur in tribus, ergo oportet dare aliquod commune poſitiuum, priùs ab eis abſtractũ, quàm ſit negatio talis, & tunc habetur propoſitum.

Si etiam dicat perſona talem negationem præcisè; non videtur dicere totam rationem perſonæ; quia perſona di- D cit rem ad dignitatem, vel ad perfectionem pertinentem, negatio autem nullam dignitatem vel perfectionẽ ponit.

Videtur etiam quòd dicat relationem rationis, per hoc, quòd ſuum oppoſitum, ſcilicet communicabile, tantùm dicit relationem rationis in Eſſentia Diuina: eſt enim Eſſentia communicabilis Filio, & tamen Eſſentia non refertur realiter ad Filium; ergo incommunicabile dicit relationem rationis.

Ad Primum iſtorum. Dico: quòd ab vltimis diſtinctiuis & cõſtitutiuis perſonarum, nihil poteſt abſtrahi commune, dictum de eis in Quid. Quia illa ſunt primò diuerſa, id eſt, nihil idem realiter includentia: tunc enim eſſet quærere de eis per quid diſtinguerentur. Et ideo omne commune abſtractum ab eis, vel eſt cõceptus omnino negatiuus; vel ſaltem non eſt quidditatiuus conceptus, vnius rationis: certum eſt autem, quòd aliqua negatio communis, poteſt abſtrahi ab illis vltimis, & hoc vnius rationis; quia negatio eſt vnius rationis, per hoc quòd repugnat affirmationi vnius rationis. Quibuſcunque igitur repugnat affirmatio vnius rationis, conuenit negatio vnius rationis: & ita tribus Perſonis, & etiam diſtinctiuis illarum vltimis, poteſt competere negatio aliqua communis, ſi illa dicatur eſſe incommunicabilitas. E

Et ſi ponatur incommunicabilitatem ſolam eſſe de per ſe ratione conſtitutiui perſonæ, ita quòd perſonalitas ſit incommunicabilitas ſubſiſtentis in natura intellectuali; & ita omnia alia, præter primum, ſint addita in ratione perſonæ; tunc perſona propriè non diceret aliquem conceptum propriè poſitiuum, ſed tamen non dicet aliquem conceptum ſecundæ intentionis. Omnis enim conceptus eſt intentionis primæ, qui natus eſt fieri immediatè à re, ſiue opere, vel actu intellectus negotiantis: qualis eſt conceptus non tantùm poſitiuus, ſed negatiuus.

Tamen dubitatur. Quomodo negatio poteſt eſſe communis, ſine poſitiuo, cui inſit? Reſpondeo. Quantumcunque diuerſis, ſi nihil etiam commune haberent, poteſt eſſe negatio communis; ſicut non Sortes eſt commune vniuocum ad omnia alia à Sorte, entia & non entia.

Et licèt illa quibus negatio eſt communis, habeant ali- F quod poſitiuum commune, non tamen oportet quòd per illud commune inſit eis negatio communis. Non rationalitas enim conuenit vltimæ differentiæ aſini & equi, & non per aliquid commune illis, quibus conuenit iſta negatio; quia vel nihil eſt commune differentijs vltimis; vel ſi entitas eſt eis communis, non propter entitatem conuenit eis talis negatio; ſicut nec propter entitatem repugnat eis talis affirmatio.

Et ſic dicendum, quòd Maior eſt falſa. Quia negatio eſt vnius rationis; quia opponitur affirmationi vnius rationis, & non quia conſequitur affirmationem vnius rationis: non homo enim eſt vnius rationis: quia homo cui opponitur, eſt vnius rationis; & non quia conſequitur affirmationem vnius rationis; non homo enim commune eſt enti & non enti, quibus nihil affirmatiuum ſiue poſitiuum eſt commune.

Cum Secundò obijcitur. Quòd negatio non dicit aliquid ad dignitatem pertinẽs; & ad hoc etiam poſſunt adduci rationes ad principale, quia negatio non adoratur, G nec etiam eſt terminus actionis realis.

Poſſet dici. Quòd negatio in genere, differt à negatione extra genus, & à priuatione: priuatio quippe requirit ſubiectum aptum, vel ſecundùm ſe, ſi eſt priuatio ſecundùm ſe; vel ſecundùm genus, ſi eſt priuatio ſecundùm genus; ſicut talpa dicitur cæca 5. Metaph. c. de priuatione, t. 22. Negatio extra genus, abſolutè nihil requirit; quia æqualiter dicitur de ente & de non ente. Negatio autem in genere, quaſi mediat; quia requirit ſubiectũ de quo dicatur, non tamen aptitudinem ad formam. Talem fortè negationem importat diuerſitas, de quo aliàs; quia negat identitatem, vel notat non identitatem talem in ente; ergo talem poteſt nominare incommunicabilitas, vt importatur in perſona; quia notat negationem duplicis cõmunicabilitatis in natura intellectuali; nec tamen dicit aptitudinem ad aliquam communicabilitatem, ſed negationem illam in natura poſitiua intellectuali: & ita dicit aliquid pertinens ad dignitatem, non ratione ſignificati, ſed ratione connotati, & ſubiecti. Et ſic poſſet concedi per- H ſonam generari & adorari, ſicut cæcus ambulat vel amatur, non quòd cæcitas ſit ratio ambulandi, ſed quòd illud, in quo eſt talis priuatio, ſit ſubiectum reſpectu talis prædicati.

Cùm arguitur, de communicabili & incommunicabili. Dico, quòd vnum oppoſitum, poteſt eſſe relatio rationis, & alterum relatio realis; vel ſaltem negatio, vel priuatio realis alicuius relationis: ſicut idem perfecta identitate, dicit relationem rationis 5. Met. c. de eodẽ; & tamen diuerſum, quod negat iſtam identitatem, conuenit rei abſque actu rationis & intellectus. Et ratio eſt. Quia licèt aliquid non conueniat rei, niſi ex opere, vel actu intellectus, tamen poteſt repugnare rei ex ſe, ſine actu intellectus; ſicut Sorti vniuerſalitas repugnat, quæ tamen non conuenit homini, niſi per actum intellectus operantis, & negotiantis circa hominem.

Etſi igitur communicabilitas dicat tantùm relationem

A rationis in Essentia, tamen potest repugnare Personæ ex aliquo quod est in re: & propter idem potest sibi incommunicabilitas competere.

Ista igitur via supposita sicut certa, quòd à personis potest abstrahi aliquis conceptus negatiuus, negationis in genere; & hoc non solùm à personis quasi constitutis, sed etiam à formalibus constitutis earum. Est dubitatio vlterior. Vtrum tale commune solummodo negatiuum, sit abstrahibile ab eis, vel aliquod commune positiuum? E

Et videtur quòd oporteat ponere aliquod positiuū possibile abstrahi ab eis, propter verbum Aug. de doctrina Christiana, & verbum Magistri in litera dist. 25. quæ adducta sunt contra Opinionem.

Potest dici. Quòd ab indiuiduis, non tantùm potest abstrahi species, quæ dicit quidditatem indiuiduorum, sed etiam aliquid quasi proprium.

DISTINCTIO XXIV.

QVÆSTIO VNICA.

Vtrum in Diuinis sit propriè numerus?

B F

Circa istam Distinctionem Vigesimam Quartam. Quæro.

Vtrum in Diuinis sit propriè numerus?

Respondeo. Aut ponitur, quòd numerus habeat vnitatem formalem, respectu cuius formalitatis vnitates sunt materiales, & sicut materia illius formæ: aut ponitur, quòd numerus est tantùm vnus, aggregatione vnitatum, sicut aceruus lapidum, dicitur vnus, aggregatione lapidum. Quod horum verum sit, aliàs videbitur, quando tractabitur de numeris.

Primo modo. Dico. Quòd in Diuinis non est numerus. Quia quælibet Persona Diuina est infinita, & quælibet proprietas personalis est eadem infinito: sed nihil quod est ex se formaliter infinitum, vel idem infinito, est potentiale, vel pars alicuius; quia tunc esset aliquid maius infinito; quia totum esset maius infinito, si tamen pars eius esset in- C finita. Et ideo illam positionem tenendo, non erit numerus in Diuinis.

Si secunda positio vera est, scilicet, quòd numerus est tantùm vnus aggregatione vnitatum: cùm aggregata sint simpliciter diuersa, ita quòd non faciunt, nec sunt aliquid per se vnum, imò sunt minus vnum quàm illa, quæ sunt vnum per accidens, & quæ sunt in Diuinis, sunt idem alicui verè vni naturæ, quod est Essentia; sequitur, quòd nulla est aggregatio ibi rei ad rem. Et ita nullus est numerus, secundùm istam secundam positionem.

Si tñ numerus habeat esse in intellectu tantùm, simul concipiente plura vna, vel plures vnitates, cùm intellectus aliquis possit concipere tres personas simul, vel vnam solam, non concipiendo tres personas, & non sit conceptus ita perfectus concipiendo vnā personam, sicut cōcipiendo tres personas, vnde aliqui distincti articuli fidei respiciunt distinctas personas, posset poni quòd ibi est vnus numerus, quasi vnus conceptus totalis Trinitatis in intellectu.

Sed omittēdo de numero, an sit in intellectu, & loquendo de numero in re. Dico, Quòd numerus simpliciter non est in Diuinis: tenendo alterutram illarum duarum Opinionum primarum. Conceditur tamē ibi numerus secundùm quid, scilicet, cum hac determinatione personarum, quia ibi fit abstractio illius à numero, quod non dicit imperfectionem, scilicet distinctionem, ab eo quod notat imperfectionem distinctionis, aut in vtroque numeratorum, aut saltem in altero, s. à potentialitate, si numerus est vnus f̄m formā; vel à diuersitate, si numerus est, vnus per aggregationem vnitatum plurium; benè tñ ibi cōceditur distinctio sine diuersitate, vel potentialitate, vel etiam aggregatione, quià dicunt imperfectionem aliquam in vnitate. G

DISTINCTIO XXV.

QVÆSTIO VNICA.

Vtrum Persona in Diuinis, dicat Substantiam, an verò Relationem?

D H

Circa istam Distinctionem Vigesimam Quintam. Quæro vnum.

Vtrum Persona in Diuinis, dicat Substantiam, vel Relationem?

Respondeo. Quòd Persona non dicit relationem propriam. Quia hoc nomen Persona, est commune tribus, secundùm Aug. 7. de Trin. cap. 7. *Si tres personæ sunt, commune est eis hoc, quod est Persona*: & non communitate æquiuocationis, sicut hic homo, communis est Sorti & Platoni: hoc quidem est æquiuocè; quia pronomen hoc, quod demōstrat, hoc significat. Non ita hìc, quia æquiuocum non numeratur in æquiuocatis. Non .n. dicūtur piscis & sydus, duo canes, quia numeratio aliquis in aliquibus, requirit vniuocationem eius in eis: persona est sic cōmunis, quòd numeratur in eis.

Nec dicit relationem communem. Quod probatur per Aug. 7. de Trin. c. 5. quòd *Pater non est Persona Filij, nec è conuersò*. Et ista ratio potest deduci sic. Ad quodcunque dicitur relatiuum inferius, ad idem dicitur relatiuum superius, licèt non primò. Exemplum. Si duplum, est duplū dimidij, & hoc primò, duplum est multiplex dimidij, licèt non primò. Et non solùm hoc, sed et vsque ad generalissimum est relatiuum dimidij, licèt non primò, id est, adæquatè: ergo si Persona diceret relationem communē, tunc Pater, sicut est Pater Filij primò, ita Pater esset persona Filij per se, licèt non primò; quod est falsum.

Nec Persona, dicit substantiam secundam, id est, quidditatem, quia illa non numeratur in tribus Personis, Persona autem numeratur, secundùm duas Opiniones

A tactas in quæst. de persona, dist.23. quia secundùm vnam Opinionem, persona dicit negationem in genere, communem tribus; & sic non significat substantiam, nec relationem, connotat tamen aliquid positiuum. Et primò connotat illud de quo primò prædicatur, puta Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, non quasi ex primo intellectu suo, sed sicut commune connotat inferius, pro quo supponit. Secundò connotat relationem, qua Patri conueniat talis negatio communis, & Filio similiter. Tertiò & vltimò, connotat essentiam, quæ licèt sit in primo connotato, non autem est in eo ratio istius negotiationis.

Si autem teneatur alia Opinio in quæstione illa de Persona, scilicet, quòd persona dicat aliquid positiuum abstractum à tribus, vt quasi proprium, non vt species. Tunc dici potest, quòd significat positiuum, sed nec substantiam nec relationem, & hoc extendendo substantiam, tàm ad primam, quàm ad secundam, sed aliquod positiuum indifferens ad vtramque. Ratio enim subsistentis, indifferens est ad absolutum & relatiuum, tenendo Personas
B Diuinas esse relatiuus primò. Ex consequenti tamen dat intelligere sicut superius suum inferius, illud pro quo accipitur relatiuum superius, de quo dicitur persona, puta Patrem, Filium, Spiritum Sanctum. Et secundò ipsas relationes, & tertiò Essentiam. Ita quòd vtraque Opinio posita dist.23. concordat in hoc, quòd Persona de prima ratione sua non dicit relationem, nec substantiam, & hoc nec primam nec secundam; sed secundùm vnam Opinionem dicit conceptum negationis in genere, communis tribus, qui distinguitur in eis: secundùm aliam Opinionem, dicit conceptum positiui communis, distincti in eis. Et secundùm vtramque Opinioné, tale commune, siue positiuum, siue priuatiuum, cõnotat sicut suum inferius, illud de quo formaliter dicitur, puta, Patré, Filium, Spiritum Sanctum. Et quasi secundò connotat formalia distinctiua in eis. Et tertiò Essentiam communem in eis.

Sed obijcitur, quòd Persona significet substantiam secundam, id est, quidditatem, per hoc, quod dicit Aug..7. de Tri.c.4. quærendo. Per hoc. Quod est tres personæ? Et respondet ad quęstioné illam, qua quæritur in Diuinis, quid tres; Quid autem quærit Essentiam; ergo &c. E

Pręterea dicit Aug.7. de Tri.c.5. quòd *non est aliud Deum esse, & Personam esse*; ergo Persona est merè essentiale; & per consequens, significat substantiam secundam, & quidditatem.

Ad Primum respondeo. Quòd Quid, quandoque quærit diffinitionem, quandoque quærit illud de quo aliquid dicitur. Primum patet ex 1. Topic.c.14. *Diffinitio est oratio, indicans quid est esse rei.* Secundùm etiam patet per Philosopum 10. Metaph.t.7. *Totaliter quærendum est, quid vnum, quemadmodum & quid Ens; tanquam non sufficiens, quia hoc ipsum istius natura.* Intendit dicere, quòd non sufficit dicere, ipsum esse vnum principiũ, sicut aliqui antiqui Philosophi ipsum vnum esse principium dicebant, sicut Platonici, sed aliquid, de quo dicitur vnũ. Et secundùm hoc, quęstio ista, quid est elementum? duplicem habet responsionem: aliam, assignando illud de quo dicitur elementum, puta, ignis est elementum. Nunc autem Catholicis confitentibus tres, secũdùm Canonicam epistolam Ioan.5. cap. quæsierunt Hæretici quid tres? non interrogantes huius nominis diffinitionem, sed quid esset illud substantiuum, quod determinaretur per illud adiectiuũ tres, siue de quo diceretur: & ad hoc benè respondetur per hoc, quòd est Persona. Cũ igitur accipitur. Quòd Quid quęrit de Essentia. Non est verũ generaliter, nec specialiter, in proposito. F

Ad Secundum, de Aug. Patebit dist. seq. Quòd Persona est ad se, tàm in se, quàm in suis inferioribus: licèt non ita sit ad se, sicut Essentia est ad se. Et hoc si ponitur Diuinas Personas esse constitutas in esse personali, per aliqua absoluta. Si autem hoc non ponatur, difficile videtur exponere auctoritatem B. Aug. Sed de hoc dicetur.

C G

DISTINCTIO XXVI.

QVÆSTIO VNICA.

Vtrum Persona Diuina, constituatur in esse Personali, per relationes originis?

Circa istam Distinctionem Vigesimam sextam. Quæro vnum. scilicet.

Vtrum Persona Diuina, constituatur in esse Personali, per relationes originis?

D QVòd non. Relationes originis sunt alterius rationis, sicut relationes specie differẽtes in creaturis. Quod apparet. Plùs enim differt Paternitas à Filiatione, quàm Filiatio à Filiatione, vel Paternitas à Paternitate: ergo constituta per eas formaliter differunt specie; Personæ igitur differunt specie: & ita generatio est æquiuoca in Diuinis, quæ improbata sunt distinct.7.

Item. Qua ratione relationes originis cõstituunt Personas, eadem ratione relationes communes constituerent eas; & ita eadem Persona constitueretur duplici formali constitutiuo; quod est inconueniens. Consequentia probatur per hoc. Quia relationes communes, æqualem distinctionem requirunt in extremis, sicut relationes originis: & eodẽ modo stant cum vnitate Essentiæ; ergo æqualiter distinguunt.

Præterea. Relationes oppositæ, de secundo modo relatiuorum, possunt fundari in eodem, sicut voluntas mouet se; relatio autem mouentis & moti, pertinent ad secundum modum relatiuorum; ergo pari ratione relationes producentis & producti, quæ pertinent ad eundem modum, possunt esse in eodem, & ita per eas non distinguuntur supposita.

Confirmatur ratio per Bóetium, qui in fine libri sui de Trinit. dicit: quòd *Relatio ista, est quasi eiusdem ad se*; ergo relationes istæ non distinguunt. H

Contra. Bóetius ibidem. *Substantia continet vnitatem, relatio multiplicat Trinitatem.*

ARTICVLVS PRIMVS.

Ponitur, & refutatur Opinio, affirmans Personas seipsis, non per relationis originis distingui.

REspondeo. Opinio quorundam est (*sicut Præpositiui.*) Quòd Personæ seipsis distinguuntur. Et ita non est quærere quo formaliter distinguuntur, vel quibus constituuntur, quia non habent constitutiuum.

Confirmatur positio ista. Quia Persona Diuina, est æquè simplex sicut Essentia; Essentia autem, propter sui simplicitatem, seipsa distinguitur à quocunque; igitur & Persona.

Item. Abstractum & concretum, idem significant; ergo Pater-

A Paternitas & Pater, ergo dicere Patrem distingui Paternitate, est dicere ipsum seipso distingui.

Contra istud arguitur, sic. Quæcunque non sunt primò diuersa, aliquo sui distinguuntur; quia quæ se totis distinguuntur, sunt primò diuersa; si enim non sunt primò diuersa, sed aliquid idem entia, tunc non eo distinguuntur, quo sunt idem, sed aliquo sui, quo non sunt idem: sed Personæ Diuinæ, non sunt primò diuersæ; quia sunt eiusdem Essentiæ: ergo adhuc est quærere quo distinguuntur.

Item. Plures proprietates sunt in eadem persona, sicut in Patre innascibilitas, & generatio actiua; & distinguuntur hìc secundùm Aug. 5. de Trin. c. 6. vbi vult quòd *si Pater non esset ingenitus, posset tamen esse Pater, & è conuersò*: Ergo & si per impossibile vna nó distingueret Patrem ab aliquo, posset aliqua distinguere, & è conuersò: ergo semper est aliquid, quo distinguitur Pater à Filio: ita quòd nó primò se toto.

Item. In Patre est generatio actiua, & spiratio actiua: & spiratione actiua non distinguitur à Filio, quia illa est B in Filio; ergo Pater non seipso toto æquè primò distinguitur, sed aliquo quod est in eo.

Item. In præfatione de Trinit. dicitur: *In Personis proprietas*; non autem Persona est in seipsa hoc modo, sicut proprietas intelligitur esse in Persona; ergo aliquomodo Persona dici potest distingui proprietate formaliter, quomodo non distinguitur seipsa primò.

Arguitur & ab alijs (*Herueus Brito. sequitur hanc viam.*) aliter contra ipsum. Quia si Pater se toto distinguitur à Filio, pari ratione & à Spiritu Sancto: & si eodem distinguitur ab vtroque; ergo eandem habitudiné habet ad vtrumque: igitur & è conuersò, vterque habet ad ipsum, eandem habitudinem, eiusdem rationis: Sicut si Paulus est similis Petro, & Lino; ergo Petrus & Linus habét similitudinem eandem, & relationem eiusdem rationis ad Paulum. Et tunc Filius videtur distingui à Patre, relatione eiusdem rationis, cú ea, qua distinguitur Spiritus Sanctus à Patre.

C Sed fortè istud argumentum non concludit. Quia quocunque Pater cóstituitur inesse personali, eo distinguitur primò personaliter à Filio & Spiritu Sancto, non tamen sequitur è conuersò, quòd Filius & Spiritus Sanctus, distinguerentur aliquo eiusdem rationis à Patre.

Ad Argumenta pro Opinione Præpositiui.

Dico ad Primum, Quòd verum est, quòd Persona est simplex, sicut Essentia; Persona tamé includit aliqua, quorum vnum non est formaliter alterum: nó ita includit Essentia; & ideo se tota distinguitur, licét Persona non se tota distinguatur propter Essentiam, quæ cómunis est. Sufficit enim talis identitas non formalis in aliquo, ad hoc, vt vno distinguatur Filius, & non altero.

Ad Secundum. Dico, quòd concretum, siue significet, siue connotet, saltem dat intelligere subsistens in forma, vel natura: abstractum autem præcisè dat intelligere formam. Et si hoc sic alicui dubium de cócreto adiectiuo, saltem hoc videtur certum de substantiuo concreto, quod vel signat, vel necessariò connotat subsistens in natura, quæ importatur per abstractum eius; abstractum autem præcisè dat intelligere formam: in proposito autem, subsistés D habés Paternitatem, cum hoc etiam habet Essentiam Diuinam, quæ nó est formaliter Paternitas, nec è conuersò, prout dicitur 7. de Trin. c. 5. & c. 4. Et ideo Patrem distingui Paternitate, accipiendo Patrem nó adiectiuè, sed substantiuè pro hypostasi, sicut accipit Magister, non est dicere Patrem se toto distingui primò, sed aliquo, quod est in eo, dans tamen intelligere totum: non autem omni eodem modo, per se includit Pater, vt substantiuè accipitur, & Paternitas, Deitatem.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Recitatur communis Opinio, quòd per relationes, Diuinæ Personæ constituuntur, & distinguuntur ab inuicem, in esse personali.

ALia est Opinio communis, (*D. Thom. 1. par. sum. q. 40. art. 2.*) Quæ dicit, Personas constitui per relationes.

Pro hac Opinione allegatur auctoritas Christi in Euangelio Matth. vlt. sicut postea tangetur infra contra tertiam Opinionem. E

Adducitur ad hoc Boëtius de Trin. quia multa videtur tangere de hoc. Aug. similiter 5. de Trinit. c. 8. *Quapropter illud præcipuè teneamus, quicquid ad se dicitur, præstantissima illa & diuina sublimitas, substantialiter dici*. Et paulò post. *Quicquid ad seipsos de singulis dicitur, non pluraliter in summa, sed singulariter accipiatur*. Et ibidem 23. de paruis. *Quicquid ergo ad seipsum dicitur, Deus de singulis personis singulariter dicitur*: idest Patre, Filio, & Spiritu Sancto. Et ibidem c. 11. vel 27. *Quòd autem propriè singula in eadem Trinitate dicuntur, nullo modo ad seipsa, sed ad inuicem, aut ad creaturam dicuntur; & ideo relatiuè, non substantialiter ea dici manifestum est*.

In his expressè videtur haberi. Quòd omne dictum ad se cóuenit tribus, & est commune tribus; & quicquid non est commune tribus, est relatiuum, vel relatio; constitutiuú autem & distinctiuum personæ, non est commune tribus: ergo est relatiuum, vel relatio. Item Aug. 11. de ciuit. Dei cap. 10. *Deus est quicquid habet, excepto quòd vna persona dicitur ad aliam, & non est ipsa: nam habet Pater Filium, nec tamen est ipse Filius, & Filius habet Patrem, nec tamen est ipse Pater*. F

Item Boëtius de Trin. in fin. *Ita igitur substantia continet vnitatem, relatio multiplicat Trinitatem*. Et multa alia verba ibidem ad hoc.

Item Damasc. c. 1. *Et quoniam Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, secundum omnia vnum sunt, præter ingenerationem, & processionem*. Et ibidem cap. 10. *In his solis enim hypostaticis proprietatibus, ab inuicem differunt, hæ Sanctæ tres hypostases*.

Item Damasc. 3. de Trin. cap. 5. *Differentiam autem*, inquit, *hypostaseon*; id est, personarum, *in solis tribus proprietatibus, anetio*, idest incausabili, & paternali, *& etiaci*, id est, causabili, & filiali, *& causabili, & processibili recognoscimus*.

Item videtur Ricar. dicere de Tri. 3. Quòd *Personæ non distinguuntur in Diuinis, nisi per alium & alium modum habendi eandem naturam*; ergo &c. G

Item Ansel. de proces. Spiritus Sancti dicit, quòd *in Diuinis omnia sunt vnum, vbi non obuiat relationis oppositio*.

Item per rationem. Quia si per absolutum constituitur Persona in Diuinis; ergo absolutum additur absoluto; sed absolutum additum absoluto, necessariò facit compositioné. Sed si in absoluto aliquo conueniunt Personæ Diuinæ, constat quòd nó eodem absoluto, quo conueniunt, distinguuntur personaliter; ergo absoluto alio; ergo est ibi absolutum, & absolutum; ergo compositio: hoc non sequitur de relatione; quia relatio nihil addit supra suum fundamentum, nec facit compositionem cum eo.

Aliter confirmatur ista positio, & ista ratio. Quia relatio vno modo potest transire in substantiam, & per hoc non facere compositionem cum absoluto. Alio modo potest manere per comparationem ad oppositum, & ita distinguitur realiter. Istæ duæ rationes, non videntur competere absoluto: quia absolutum, vel omnino manet, vel omnimodè transit. Si omnimodè transit; non distinguit, sicut nec essentia, in quam transit. Si omnimodè manet; H ergo compositio.

Item. Eadem natura, non potest esse in diuersis suppositis absolutis, nisi distinguatur in eis: licèt enim possit esse in diuersis suppositis relatiuis; quia idem illimitatum, potest esse fundamentum plurium relationum, in diuersis suppositis, non tamen in diuersis suppositis absolutis videtur posse esse, nisi distinguatur & numeretur in eis. Si enim sunt duo supposita absoluta, videtur quòd quicquid est in vno, sit aliud à quocunque quod est in alio; ergo Essentia Diuina, numeraretur in Personis, si Personæ Diuinæ constituerentur in esse personali per absoluta.

Item. Secundùm omnes, relationes sunt in Personis Diuinis; ergo si non constituunt Personas, videtur sequi duo inconuenientia. Primò, quòd erunt ibi quasi accidentales & aduentitiæ, personis constitutis; quod videtur esse contra simplicitatem Diuinarum Personarum. Secundò, quòd

A tales relationes, quæ sunt propriæ Personis, erunt relationes rationis; quia relatio Dei ad creaturam, ideo non est realis, quia præsupponit Diuinam Personam in esse perfecto, & non dependentem ad creaturam, nec naturaliter, vel necessariò coëxigentem eam ad suum esse personale: igitur à simili, idem videtur in proposito. Si persona prima sit absoluta, non dependebit ad secundam. Patet. Quia etiam præintelligitur perfecta in sua habitudine personali, ante secundam personam, & per consequens, non necessariò coëxigit personam secundam ad suum esse personale: ergo habitudo eius ad secundam personam, erit tantùm relatio, vel habitudo rationis.

Præterea. Si proprietas absoluta aliqua constitueret, non esset tantùm virtualiter in Deo; quia tunc non esset magis tali proprietate hæc persona quàm asinus. Includit enim Deus virtualiter perfectionem asini in se: ergo oportet quòd sit ibi actualiter: ergo est ibi vt actus; ergo dans esse; ergo in Diuinis essent tria esse.

Præterea, proprietas illa absoluta, si faciat vnum cum B essentia, alterum est actus, alterum verò potentia, & alterum perfectio alterius; Essentia non perficit illud personale, quia non præsupponit illud, sed magis è conuerso; ergo absolutum personale, erit perfectio essentiæ. Et sequuntur duo inconuenientia. Primum, quòd Essentia secundùm se, non sit perfecta omnino. Aliud, quòd vna Persona non sit omnino perfecta, quia non habet absolutum alterius personæ, quod est perfectio, ex præostensis.

Et confirmatur hoc secundum. Quia secundùm Ansel. monol. 15. præter relationes omne aliud est simpliciter melius ipsum, quàm non ipsum; aut non, sed in aliquo melius non ipsum quàm ipsum; quod secundo modo se habet non est in Deo, secundùm ipsum; ergo omne aliud à relatione, quod est in Deo, est simpliciter melius ipsum, quã non ipsum; ergo erit perfectio simpliciter.

Et ex hoc sequitur: quòd nulla persona erit simpliciter perfecta; quia nulla habet absolutum alterius. Sequitur etiam, quòd duæ sunt quid perfectius, quàm vna; quod est contra Aug. 8. de Trin. c. 1. & 3.

C Præterea Tertiò. Multiplicato aliquo absoluto, multiplicatur omne aliud absolutum, circumstans illud. Exemplum. Multiplicata quantitate, multiplicabitur albedo, & è conuerso: ergo si sit sint distinctæ proprietates absolutæ, quæ circumstant Essentiam Diuinam, distinguerent etiã Essentiam Diuinam. Et confirmatur maior. Quia plura eiusdem speciei, non possunt esse in eodem: istę si ponuntur, erunt eiusdem speciei; quia si non, erunt igitur alterius speciei; & ita oporteret quærere, per quid alterum istorum sit incommunicabile. Sicut enim ponitur, Paternitatem, quę differt specie à filiatione, non posse esse de se incommunicabilem, ita sequitur de A. in Patre, si sit absolutum, & B. in Filio, si differant specie, quòd neutrum erit de se incommunicabile, & oportebit stare ad aliqua propria eiusdem rationis. Confirmatur ista ratio. Saltem, quia non sunt plura eiusdem rationis, in eodem perfecto; sicut in Diuinis non sunt plura Verba, neq; plures Patres, quia hoc videtur esse imperfectionis, quòd in aliqua natu-

D ra possint esse plura omnino similia; ergo in natura Diuina, simpliciter perfecta, non erunt plura absoluta, eiusdem rationis.

Quartò. Si proprietas absoluta A. exprimatur, vel pullulat ab Essentia, & similiter B. & expressum est in eodem supposito, cum eo à quo exprimitur, secundùm istum modum exprimendi, qui ponitur, ergo A. & B. erunt in vna Persona; & ita nulla Persona originabitur ab alia; quia propria earum, erunt in eadem persona numero, imò sequitur, quòd non erit distinctio personalis.

Quintò. Sequitur, quòd non sit ibi origo. Quia Persona originata per originem capit Essentiam; sed Persona si est absoluta, pręcedit ipsam relationem originis; igitur secunda persona, pręcederet in essendo ipsam originem passiuam; & ita non haberet esse per eam.

De modo igitur ponendi, qualiter possit relatio constituere Personas, & easdem distinguere, declaratur per hoc. Quòd producens necessariò distinguitur à suo producto realiter. Quia idem non producit seipsum, secundũ Aug. 1. de Trini. c. 5. ergo erit aliqua relatio realis; & distinctio E realis aliquorum, quæ sunt in Essentia Diuina. Non autem possunt ibi esse aliquomodo per informationem, propter simplicitatem Diuinam; ergo erunt Personæ per se subsistentes, in illa natura; ergo erunt per se realiter distinctæ.

Qualiter autem ex hoc non sequatur distinctio Essentiæ, in qua subsistunt, Declaratur. Quia idem illimitatum potest esse fundamentum relationum oppositarum; & tunc illa relatio dicitur vno modo manere, & alio modo transire.

Et circa hoc fiunt multæ altercationes, secundùm quã rationem relatio distinguat. Sed breuiter posset dici secundùm istam viam. Quòd relatio, secundùm quod relatio, non est formaliter essentia, quia secundùm Aug. 7. de Trin. c. 5. *Si essentia est ad aliud, iam non est Essentia.* Et potest argui similiter è conuerso. Scilicet, Si relatio formaliter est entitas ad se; igitur non est relatio. Ipsa etiam ex hoc, quòd est relatio, est oppositi necessariò, vt termini; ita quòd comparare eam ad Essentiam, non includendo habitudinem ad oppositum, est non comparare relationem F ad essentiam. Et ex hoc quòd est oppositi necessariò, distinguitur realiter ab illo: & tamen non oportet Essentiam realiter distingui; quia essentia non formaliter est relatio distincta.

Nec oportet ibi esse compositionem. Quia licèt relatio maneat sic, quòd non est formaliter Essentia; tamen relatio propter infinitatem Essentiæ transit in eam, secundùm perfectam identitatem ad eam. Manet igitur formaliter relatio, quia ratio eius, secundũ quàm est formaliter relatio, non est ratio Essentiæ, & transit propter perfectam identitatem ad Essentiam, licèt non in identitatem formalem: & illud manere sic, sufficit ad distinctionem formalem, & realem, sine aliqua distinctione Essentiæ. Et ex hoc quòd Essentia ista simplex est, ista distinctio non erit in formantium, sed subsistentium. Et ex hoc quòd illa Essentia est infinita, istud manere formaliter, est sine compositione.

In speciali autem ponitur vlteriùs, quòd non quæcunque relationes, etiam reales, constituunt Personas Diuinas, nec eas distinguunt; Sed relationes originis: quia G illæ primò pullulant in Essentia Diuina; quia primò in Essentia Diuina est duplex fæcunditas, inquantum est intellectus infinitus, & voluntas infinita. Et mediantibus istis, statim pullulant relationes originis, pertinentes ad communicabilitatẽ naturæ, quæ natura vel Essentia Diuina, communicatur secundùm istam duplicem fæcunditatem iam dictam, quibus iã præintellectis, pullulant relationes cões, semp psupponentes istas. Et ideo tales relationes cões, & si sint reales, non tñ distinguũt, nec cõstituunt personas.

ARTICVLVS TERTIVS.

Contra communem viam arguitur quadruplici via, Et primò comparando relationem ad relatum: eademque argumenta soluuntur.

H CONtra istã Conclusionem arguitur quadruplici via. Primò, cõparando relationẽ ad relatum. Secundò, comparando relationem ad originem. Tertiò, ex propria ratione ipsius constitutiui. Quartò, per auctoritates.

Quantũ ad primã viã, arguitur sic. Primò. Relatione aliquid refertur formaliter, sicut albedine aliquid albatur, non autem ipsamet relatio refertur, quia secundùm Beatũ Aug. 7. de Trin. c. 2. *Omne relatiuum est aliquid, excepta relatione.* Et in principio tertij cap. *Si Pater,* inquit, *non est aliquid ad se, non est quod refertur.* Ex hoc videtur, quòd relatio non refertur, sed illud quod refertur, est aliquid ad se. Quod et probatur. Quia illud quod refertur relatione, non est aliquid posterius ea, nec simul natura; ergo est prius naturaliter, & ita est ad se. Sed Essentia Diuina non refertur realiter; quia non distinguitur realiter: ergo tantùm suppositum refertur; ergo priùs est ibi realitas suppositi naturaliter, quàm relatio: non igitur primò suppositum distinctum constituitur, in esse suppositi per relationem.

Et

A Et ex hoc vltra infero, & est probatio assumptorum. Si suppositum primò realiter refertur, sequitur, quòd suppositum primò non constituitur in esse suppositi per relationem. Probatio istius vltimæ consequentiæ. Omne compositum necessariò præexigit partes, & partium vnionem; & hoc non tantùm in composito per se vno, sed in composito per accidens vno. Sicut enim essentia hominis præexigit esse corporis, & esse animæ, & vnionem eorum, ita esse hominis albi, præexigit esse hominis, & albedinem, & vnionem eorum; ergo esse alicuius relati, quod dicitur referri primò, quasi totum quoddam, præexigit relationem vt formam, & illud quod refertur relatione, quasi subiectum, & vnionē istorum. Prius igitur aliquid informatur relatione, quàm sit aliquod relatiuum, quasi compositum, quod dicatur referri primò, illud autē prius informatum relatione, potest dici referri; quia omne informatū aliqua forma, potest dici tale; ergo nihil in Diuinis potest dici referri, nisi aliquid sit, quasi totum, quod denominatiuè dicatur referri; illud verò non constituetur relatione formaliter, tanquam per se inclusa in ipso: patet quidem ex differentia relati primò, ad illud quod denominatiuè dicitur

B referri: & illud non potest esse nisi suppositum: vt primo ostensum est; ergo &c.

Confirmatur ista ratio in simili. Quia sicut homo non esset animatus primò, nisi corpus esset quasi priùs informatum anima: ita vt videtur erit in proposito, quòd nihil erit relatum primò, quod constituatur inesse formaliter primò relatione, nisi aliquid priùs sit relatum, quasi denominatiuè per denominationem realem à relatione.

Iuxta hoc posset argui, sed minùs efficaciter, sic. Si relatio non refertur, nec Essentia Diuina; patet igitur quòd tantùm Persona refertur: Sed quod refertur priùs est, ad se. Probo secundùm Aug. 7. de Trin. c. 1. vel 3. *Quapropter si & Pater non est aliquid ad seipsum, non est omnino qui relatiuè dicatur.*

Hoc etiam probatur ratione. Quia quod refertur, non est simul natura cum relatione: nihil enim simul est cum relatione, nisi relatio, igitur illud quod refertur esset rela-

C tio, & ita relatio referretur. Nec posterius est relatione. Quia quod est quale qualitate, non est posterius qualitate. Similiter de quantitatē & alijs formis: ergo à simili de relatione; ergo oportet dare tertium membrū, scilicet, quòd illud quod refertur, est priùs relatione: & tunc videtur sequi, quòd sit absolutum, quia nihil videtur priùs relatione, nisi absolutum.

Item Secundò. Relatio realis, præexigit extrema realia, vel distinctionem realem extremorum: ergo nulla relatio realis, causat primò distinctionem realem extremorum: ergo neque hic. Probatio antecedentis. Philosophus 5. Metaph. cap. de eodem, probat identitatem non esse relationem realem, quia non præexigit realem distinctionem extremorum.

Si dicatur. Quòd illa relatio non est realis, quę nec præexigit, nec facit distinctionem realem extremorum.

Contra. Ergo istud argumentum, Extrema non sunt distincta realiter; ergo non est relatio realis: nō valet. Aut

D enim accipitur in Antecedente, quòd extrema non sunt distincta realiter, distinctione præcedente relationem: & tunc non sequitur; ergo relatio non est realis; quia sic posset accipi in proposito: Aut accipitur in Antecedēte; quòd extrema non sunt distincta, distinctione facta hac relatione: si sic accipis, ideo non est facta distinctio realis extremorum per illam, quia illa non est relatio realis; ergo inferre ex Antecedente sic sumpto, relationem non esse realem, est inferre, quia non est realis, ideo nō est realis; quod nihil est.

Aliter dicitur. Quòd Maior est vera, de accidentali relatione, quæ aduenit extremis iam distinctis: talis non est ista, sed est constituens suppositum formaliter distinctum per ipsam.

Contra istud. Relationi vnde relatio est, conuenit quòd sit ad aliud: quia si non est ad aliud, non est relatio: alioquin posset dici, quòd Paternitas posset esse relatio realis absque Filio, si non oporteret aliquomodo extrema relationis esse distincta, sicut nec extrema identitatis: aut ergo

E hæc Paternitas est ad aliud distinctum sola Filiatione, aut ad aliud distinctum distinctione priori, quàm illa quæ esset à Filiatione: Si secundo modo; habetur propositū: si primo modo; ergo arguendo, Paternitas non est ad distinctū, ergo non est realis; est arguere sic, Huic relationi non est relatio realis opposita; ergo non est realis. Sed hæc videtur esse manifesta petitio principij, quia antecedens non videtur esse manifestius consequente: nullum igitur argumētum haberetur in multis relationibus, ad concludēdum eas non esse reales, per hoc, quòd non sunt inter extrema realiter distincta, sed esset communiter petitio principij.

Item Tertiò sic. Omnis relatio primò terminatur ad absolutum, primus autem terminus relationis in Persona est alia Persona, & non essentia; quia sicut non refertur, ita non terminat relationem. Ita enim terminus relationis distinguitur, sicut relatum: ergo Persona, inquantum est distincta ab alia; terminans relationem eius ad se, est absoluta. Maior declarabitur dist. 30. quæstione de relatione Dei ad creaturam. F

Tenendo Opinionem Secundam, quæ est magis communis. Potest responderi ad rationes contra eam.

Ad Primam. Conceditur, quòd relatio non refertur, sed aliquid, quod non est tantùm relatio, refertur relatione: non quidem Essentia refertur, sed suppositum; quia suppositum non est tantùm relatio, sed tamen est relatiuum, non absolutum. Et ita conceditur tota deductio, vsque ad vltimam consequentiam; quæ negatur.

Et ad eius probationem. Quando accipitur: quòd omni composito oportet priùs intelligere partes, & vnionē partium. Tenētes quòd relatio est in Essentia, quasi actus in susceptiuo, oportet quòd dicant, quòd in ipsa persona, quæ est quasi totum, non oportet præintelligere informationem, quasi partis, à quasi parte, per denominationem, antequam intelligatur totum: sed si præintelligatur, quasi talis informatio, non tamen intelligitur quasi per modum formæ denominantis.

G Sed meliùs videtur dicendum. Quòd relatio non est quasi forma, vel actus, respectu Essentiæ; sicut tactum est dist. 5. sed magis videtur Essētia esse quasi forma, & actus, qua relatio subsistens, est Deus. Et hoc videtur probari ex hoc. Quia quandocunque fundamentum, est potentiale ad relationem, priùs naturaliter informatur fundamentum relatione, quàm suppositum. Conceditur etiam ibi relatum esse aliquid formaliter ipso fundamento, siue secundùm ipsum fundamentum; sicut conceditur Sortē esse similem albedine, vel secundùm albedinem: neutrū autem videtur esse dandum in proposito, nec quòd Paternitas priùs insit Essentiæ, quàm Patri, nec quòd Pater Deitate, siue secundùm Deitatem sit formaliter Pater: quia hoc videtur Aug. 7. de Trini. c. 5. & 9. negare, dicendo, *Quocirca vt substantia Patris, ipse Pater est, non quo Pater est, sed quo est &c.* ergo secundùm ipsū, alio est Deus, alio Pater; sed est Deus Deitate formaliter; igitur non est Pater Deitate formaliter, sed alio, secundùm Augustinū.

Ideo aliter dici potest, tenendo Secūdam Opinionem. Quòd si partes præexigentur toti, & vnio partium, & H quasi partes, & quasi vnio partium præexigantur quasi toti; tamen vbi non est partialitas, nec quasi, sed perfecta identitas eorum, quæ aliàs essent partes, nisi alterum illorum esset infinitum; non oportet præintelligi toti, vnionem talium, sed perfectam identitatem vnius ad alterum: & ita videtur in proposito: quòd Patri, qui dicitur primò referri, præintelligitur aliquomodo perfecta identitas relationis ad Essentiam, sed nō vnio quasi formæ alicui qua materiæ, vel quasi potentiali: nec tamē talis perfecta identitas est ratio propter quam Essentia formaliter denominetur, à relatione.

Cùm confirmatur ratio per hoc. Quòd nihil est quantum primò & per se, nisi aliquid sit quantum per se, & non primò, sed denominatiuè dicitur. Quòd si quantitas posset esse eadem alicui, quod aliàs esset susceptiuum eius, & ita eadem quòd non informare illud; benè posset esse aliquid quantum primò, & tamen nihil quantum per informatio-

A mationem. Nec hoc videtur mirabile; quia primum videtur posse separari ab eo, quod est per se, & non primum, igitur potest aliquid poni primò relatum, licèt nihil sit relatum non primò, sed per se quasi informatum relatione.

Ad aliud quod arguitur iuxta hoc. Negatur illa propositio. Quod refertur, priùs est aliquid ad se.

Ad primam probationem quæ accipitur ab Augus. Respondeo: *Quod refertur est aliquid excepto relatiuo*: hoc est, includit aliquod absolutum, quod est fundamentum relationis; & ideo si Pater nihil est ad se, nec includit aliquid absolutũ, non erit Pater ad aliud: sed non intelligit Aug. quòd omne relatiuum est formaliter ad se, antequam sit ad alterum per relationem.

Ad Secundam probationem. Negatur propositio, quã nititur probare, scilicet, quòd illud quod refertur, est prius relatione; siue, quod idem est; quòd omnis relatio, præsupponit illud quod refertur: Hæc enim propositio falsa est, in relatione constituente suppositum, & vera est in alijs. Cùm probatur per diuisionem. Dico, quòd si debeat dari B aliquod istorum trium membrorum diuisionis, magis daretur, quòd relatio est prior; sicut forma est prior ente per formam. Nec sequitur. Suppositum est quasi posterius relatione; igitur ipsum est relatio; Sed sequitur: Igitur est relatio, vel relatiuum constitutum per relationem: & sic secundum est verum.

Ad Secundum. Dico, quòd sicut quælibet forma, seipsa est talis forma, nec est alia ratio intrinseca quare est talis forma; ita etiam relatio aliqua, seipsa est formaliter realis, & aliqua seipsa formaliter est tantùm relatio rationis: tamen huius vel illius, aliquando sunt causæ extrinsecè effectiuæ, vel materiales; aliquando etiam aliqua causata, vel aliqua signa, posteriora sunt, ex quibus possunt hæc inferri demonstratione Quia. Dico tũc quòd identitas, quia idẽtitas, est relatio rationis, nec est alia ratio formalis Propter quid; Paternitas etiam, quia Paternitas, est relatio realis, nec etiam est alia ratio formalis Propter quid; tamen quia relatio realis est nata habere causas extrinsecas causantes eam, communiter loquendo, in creaturis; sequitur C ibi, quòd relatio quæ non habet tales causas, non est realis; sicut ad destructionem causæ, sequitur destructio causati. Similiter relatio aliqua realis, si non habet talem distinctionem causarum priorem, saltem causat distinctionem: & tunc ex remotione tàm causæ, quàm causati, quorum alterum correspondet relationi reali, potest concludi aliquam relationem non esse realem; ita quòd sequitur: Hęc relatio non præexigit extrema distincta, nec facit ea esse distincta; igitur non est relatio realis. Et vnde præmissæ sunt veræ, oportet quærere media probantia: Sed consequentia est bona; sicut ex destructione causæ, sequitur destructio causati: & ex remotione causati, sequitur remotio causæ, demonstratione Quia, aut saltem alterum eorum oportet concurrere ad relationem realem, ita quòd vbicunque vtrũque remouetur, sequitur consequentia per extrinseca, scilicet remotio relationis realis.

Cùm dicitur vlteriùs. Ergo inferre relationem non esse realem, quia non est inter extrema realiter distincta, est D inferre, Non est realis, quia nõ est realis. Dico: quod non. Quia licèt non sequatur, ideo non distingui extrema, quia non est relatio realis, quasi arguendo à causa ad causatũ: tamen sequitur: Non distinguit, ergo non est realis; sicut à causato ad causam: & hoc addito isto, quòd non præexigit distincta extrema; quia tunc concurrunt ibi, & negatio causæ relationis realis, & negatio signi, ex quibus concurrentibus, perfectè infertur negatio relationis realis.

Ad Tertium. Dici potest, quòd bene absolutum potest terminare relationem, & semper terminat in relationibus mensurati; & hoc principaliter soluitur dist. 30. quòd relationes creaturarum terminantur ad Deum, inquantũ absolutus est. Vniuersaliter loquendo, non oportet concedere terminum relationis esse absolutum, nisi in relationibus diffinibilibus, de quibus arguitur ibi, quæ scilicet sunt in genere, quales non sunt Diuinæ, vel de termino formali, scilicet, ratione cuius primus terminus terminat: non autem de primo termino: quemadmodum enim in relato, fundamentum est absolutum, sed non semper illud quod refertur secundùm istam opinionem: ita etiam E illud quod est ratio terminandi relationem, semper absolutum est, & præexigitur à parte termini relatiui, sicut fundamentum ex parte relati.

ARTICVLVS QVARTVS.

Ex alio medio, comparando relationem ad originem, argumenta facta diluuntur.

EX Secunda via, arguitur Primò, ex ordine quem necessariò requirit originatio, qui videtur duplex. Nam principium originans videtur prius originato, videtur etiam prius origine.

Ex prima via arguitur Primò, sic. Originans est prius originato; relatiuum nullo modo est prius suo correlatiuo; quia sunt simpliciter simul; ergo &c. Confirmatur ratio, quasi ex opposito Conclusionis, sic. Si Personæ non sunt absolutæ, sed primò relatiuæ, tunc non erit aliud Patrem originare Filium, quàm Patrem habere Filium cor- F relatiuum; sed patet quòd Pater ex se, eò quòd Pater, habet Filium correlatiuum: quia in nullo instanti, nec naturæ, nec originis, potest intelligi Pater sine Filio, vel nisi intelligatur habere Filiũ: igitur Pater ex se, sine origine, habet Filium: ergo non originat eum, si nihil originatur nisi suum correlatiuum.

Hoc manifestiùs sic arguitur. Illud non originatur, quod posito innascibili, & circumscripta omni actione, habet suum totum esse; tale est correlatiuum innascibilis: quia ex sola natura relationis, quæ est actus primus, circumscripta omni actione, siue actu secundo, correlatiuũ innascibilis est innascibili existente; ergo &c.

Præterea. Relatio non potest originari, nisi aliquo absoluto priùs originato, & hoc, aut in relato, aut in termino: sicut nec motus potest esse in ad aliquid, nisi per accidens, quia est per se aliquid absolutum in subiecto, vel in termino relationis, vt patet 5. Physic. t. 10. ergo Persona Diuina, quæ primò originatur, non potest esse tantùm relatio subsistens, sed oportet ponere aliquid absolutum, G quod primò originetur.

Confirmatur ista ratio: maximè si negetur Essentiam, esse formalem terminum huius productionis. Tunc enim nec originatum erit ad se, nec formalis terminus generationis, vel originationis: quod videtur inconueniens.

Item Quartò. Tunc nulla productio in Diuinis erit generatio: quia generatio est ad primam substantiam, vel ad productum; hìc autem ponitur relatio, vel relatiuum, primum productum; ergo erit productio in genere relationis, & non generatio.

Præterea Quintò. Omne relatiuum, æquè naturaliter respicit suum correlatiuum; ergo æquè naturaliter spirãs respicit spiratum, sicut generans generatum; igitur si producitur vtraque productione tantùm relatiuum, vtrumque æquè naturaliter producitur: & ita non erit in Diuinis duplex productio, scilicet per modum naturæ, & voluntatis: tunc enim æquè verè potest dici, quòd & Spiritus Sanctus producitur per modum naturæ, sicut & Filius: H quod est contra omnes.

Item ex secunda via, Secundæ viæ, sic. Suppositum aliquomodo præintelligitur actioni; quia priùs intelligitur vnumquodque per se esse, quàm per se agat: in illo priori, si est suppositum ad se; habetur propositum: si nõ est suppositum ad se, sed ad aliquid, vt ad Filium; ergo simul intelligitur Filius: & ita Filius præintelligitur generationi: & ita Filius non est terminus generationis.

Et confirmatur. Quia quacunque prioritate vnum correlatiuum præintelligitur alicui, eadem prioritate præintelligitur reliquum eidem, propter simultatem relatiuorum.

Iuxta hoc posset argui de tertia prioritate, scilicet relationis ad Personam. Quæ probatur per Philosophum 7. Meta. c. 5. t. 7. forma enim est prior composito secundùm Phil. ibi; ergo Paternitas est prior Persona prima: & per consequens, relatio opposita Paternitati erit prior Persona prima: igitur ipsa non habetur à Prima Persona, per actio-

A actionem primæ Personæ. Consequentia de relatione opposita, probatur per simultatem correlatiuorum.

Ad Argumenta Secundæ viæ.

AD Primum & Secundum, de Secunda via simul. Dico, quòd Patrem originate Filium, est Patrem habere Filium pro correlatiuo, non quocunque, sed tali correlatiuo; & quia talis correlatio est relatio originis, ideo vnum extremum, potest esse priùs origine altero, licèt sint simul natura.

Hæc responsio, similiter ad Secundum, de prioritate suppositi ad actionem declarabitur dist. 28.

Ad Tertium. Dico, quòd falsa est illa propositio: quòd relatio non potest esse terminus formalis generationis, vel originis, siue actionis, vel mutationis; sicut patebit in materia de incarnatione. Et quicquid sit de termino formali, saltem relatiuum potest esse terminus productus, B ita quòd Essentia, quæ est ad se, in relatiuo sit per se formalis terminus. Et hoc modo positum est in dist. 5. in productione Personæ.

Cùm igitur dicit. Relatio non originatur, nisi absolutum originetur. Si intelligas originari, sicut primus terminus generationis, vel productionis. Posset concedi de relatione, non de relatiuo. Si autem intelligas de originari, sicut formalis terminus primus. Posset similiter concedi: & neutro modo est contra propositum; quia nec ponitur relationem primò originari, sed suppositum; nec ponitur relationem esse terminum formalem productionis, sed Essentiam simpliciter absolutam.

Ad Quartum. Dicitur, quòd est generatio; quia ista relatio habet vim constituendi secundam Personam, vel primam substantiam in natura Diuina. Saltem oportet dicere, tenendo istam viam: quòd relatio ista, potest esse proprietas personalis subsistentis in natura Diuina, sicut si esset aliqua proprietas personalis absoluta; & ita eius productio, erit productio subsistentis in natura substantiæ: & ideo generatio; quia generatio, est generatio ex C formali termino, qui est natura communicata producto, non autem ex indiuiduali, siue incommunicabili proprietate producti; sicut vniuersalitet omnis motus recipit speciem à formali termino motus.

Ad Quintum. Videtur eis difficile respondere, qui dicunt Personas esse relatiuas, & cum hoc relationes esse principia agendi. Quia tunc nec ex parte agentis, nec ex parte principij agendi, potest esse libertas: sed licèt teneatur Opinio Secunda quantùm ad primum dictum, secùndum tamen negari, dist. 7.

ARTICVLVS QVINTVS.

Ex propria ratione constitutiui, contra communem sententiam obijcitur, & ijsdem Obiectionibus satisfit.

QVantùm ad Tertiam viam, arguitur Primò, sic. Quicquid constituit formaliter in aliquo primo esse, D & in vnitate correspondente tali esse, se toto repugnat distinctioni oppositæ illi vnitati, & esse. Exemplum. Si rationale primò constituit hominem in entitate & vnitate specifica, se toto primò repugnat distinctioni specificæ, ita quòd circumscribendo per impossibile, vel possibile, quodcunque aliud à rationali, quod non est de intellectu eius, stante solo intellectu rationalis, repugnabit sibi diuisio in diuersas naturas specificas. Et probatur ista propositio. Quia si non toti constitutiuo repugnat talis distinctio, ergo per aliquid sui sibi repugnat: sit illud A. si ipsi A. se toto repugnat; habetur propositum: si non, sed repugnat ipsi A. per B. erit processus in infinitum; vel vbicunque stabitur, illud erit vltimum constituens in tali vnitate, & illi se toto repugnabit distinctio opposita, tali vnitati: igitur si Paternitas constituat primum suppositum in esse personali, sub ratione incommunicabilis, oportet quòd Paternitati, primò ex ratione sua, repugnet communicabilitas; sed hoc videtur falsum multipliciter.

Tum Primò. Quia secundùm illos, qui tenet hanc Opinionem, nulla quidditas de se est incommunicabilis; ergo nec Paternitas. Tum Secundò. Quia Paternitas non est de se hæc, circumscripto omni eo, quod non est de formali ratione Paternitatis, circumscripta enim Deitate, quæ non est de se formali ratione Paternitatis, secundùm Aug. 7. de Trin. c. 2. & 4. quòd *non eo pater, quo Deus*: Paternitas non est de se formaliter infinita; & per consequens nō est de se hæc. Probatur hæc consequentia. Continens per identitatem aliquid, quod est extra eius rationem propriam vel primam, est quodammodo illimitatum; ergo & continens formaliter tale, hoc est simpliciter illimitatum, vel infinitum; continentia enim formalis, requirit maiorem perfectionem continentis. Ex hoc vltra. Si Paternitas non est de se hæc, nec multò magis erit de se incommunicabilis; quia incōmunicabilitas præsupponit singularitatē. Tū Tertiò. Quia quælibet relatio Diuina originis, est æquè eadem Essentiæ Diuinæ; ergo si ex illa contraheret aliquam incōmunicabilitatem, quælibet æqualiter eam contraheret; sed hoc est falsum; quia spiratio actiua, licèt sit hæc, non tamen incommunicabilis est, quia est in duobus, Patre F scilicet, & Filio. Ex hoc autem Quartò probatur, Quia cùm opposita relatiua, videantur vniformiter se habere ad incommunicabilitatem, & spiratio actiua non sit de se sic incommunicabilis; ergo nec spiratio passiua, sibi opposita: ergo non constituet Spiritum Sanctum in esse personali: quod est falsum, si ponantur relationem constituere. Tum Quintò. Quia etiam si ponerentur quæcunque positiones impossibiles, vel incompossibiles, stante intellectu rationalitatis, repugnaret sibi diuidi in plures naturas specificas, puta, si ponatur, quòd rationale esset differentia specifica coloris, & quòd ille color possit causare substantias de nihilo, vel quæcunque talia; posita autem hac positione impossibili, quòd prior esset productio voluntatis, quàm intellectus, saluata ratione generationis, & spirationis, spiratio actiua esset in vno supposito, & generatio actiua tunc esset in duobus; quia tunc Spiritui Sācto, in primo instanti in quo spiratur, communicaretur vis generatiua; ergo modò generationi actiuæ in se, non repugnat in se formaliter communicabilitas. G

Ad istud argumentum, de primo incommunicabili. Respondetur dupliciter. Vno modo; quòd paternitas, licèt non sit incommunicabilis; vnde paternitas, tamē Paternitas Diuina, siue vnde Diuina, est incommunicabilis. Aliter dicitur. Quòd Paternitas subsistens qualis est ista; quæ est in Deo, est incommunicabilis, sed non paternitas inhærens, qualis est creata.

Contra Primam responsionem. Licèt concludant vltimæ tres rationes, vel probationes; tamen arguo aliter dupliciter. Primò sic. Quando hæc duo constituunt per se aliquod tertium, neutrum illorum habet ab altero illam conditionem quæ est propria sibi, inquantum constituit, sed vtrumque habet ex se primò: verbi gratia, Materia & forma, constituunt per se compositum; & materia non habet à forma potentialitatem, quæ est eius conditio, in causando compositum; nec forma habet à materia aliquam actualitatem, quæ est eius conditio, in causando compositum: ita & in diffinitione, genus non habet à differentia conceptum determinatum, vel determinabilem: nec differentia habet à genere conceptum specificum indiuisibilem in plura, secundùm speciem; ergo si persona constituatur ex Essētia & proprietate incommunicabili, neutrū habebit ab altero, quod est sibi proprium; sed sicut Essentia non habet communicabilitatem à proprietate, sed est ex seipsa communicabilis, circumscribēdo per intellectum proprietatem, ita proprietas non habebit ab Essentia incommunicabilitatem, sed erit ex se primò talis, circumscripta per impossibile Essentia. H

Præterea. Essentia non dat incommunicabilitatem Patri, vt merè Essentia est; quia ipsa est communicabilis; ergo vt ipsa intelligitur habere virtualiter Paternitatem in se. Et ita idem vt virtualiter in Essentia, erit ratio incommunicabilitatis suipsius, vt formaliter tale; quod est inconueniens. Tum quia de illo, vt est virtualiter in Essentia, quæram; vt est communicabile, aut incommunicabile? Si communicabile; non erit ratio incommunicabilitatis

A tatis Paternitati, vt formaliter in se: si incommunicabile, & ab Essentia, secundùm illam responsionem; iterum arguitur, quòd nō ab Essentia vt merè Essentia, sicut priùs, & sic in infinitum: aut communicabile, aut incommunicabile. Tum quia nulla vnitas veriùs vel intensiùs conuenit alicui, vt est vnum virtualiter tantùm, quàm vt est vnum formaliter, & hoc loquendo de vnitate propria illi; & hoc patet, sicut de entitate propria. Tum quia quod est in aliquo, est in eo per modum eius; ergo quod est in Essentia virtualiter, vt præcisè est in ea, non est ibi vt incommunicabile.

Contra illud, quod respōdetur postea de relatione subsistente, quòd ipsa est incommunicabilis. Quæro. Cùm priùs oporteat intelligere aliquid esse hoc, quàm subsistēs. Quæro, per quid Paternitas hæc sit? non de se, cùm non sit formaliter infinita; ergo nec multò magis est de se subsistens; ergo nec de se est incommunicabilis.

Secundò principaliter arguitur sic, quantùm ad istam viam. B Ab vltimis distinctiuis, & constitutiuis aliquorum, non potest abstrahi aliquod commune dictum in Quid de eis. Probo. Quia si est aliquid commune eis, illo communi non distinguerentur primò, sed aliquo contrahente, distinguerentur; & ita, non sunt primò distinctiua: si igitur sunt primò distinctiua, nihil est eis commune, dictum in Quid de eis: à Paternitate autē, & Filiatione abstrahitur hoc commune dictum, quod est relatio, quæ videtur eis cōmune esse, & vniuocè; potest enim intellectus certus esse de relatione, & dubius de hac relatione, vel illa; igitur, & ista à quibus abstrahitur, non sunt primò distinctiua.

Respondetur. Negando Minorem. Dicendo, quòd relationes Diuinæ, sunt primò diuersæ.

Contra hoc est argutum frequenter; & potest vnum medium iterari. Quia tunc sciens vnam originem in Diuinis, & nesciens vtrum illa originatio esset generatio, vel spiratio, nullum conceptum haberet, nisi de voce. Vana igitur essent illa problemata, quæ fiunt de generatione, siue de productione in cōmuni, & soluuntur per propria media, antequā quæratur de productionibus in speciali.

C Tertiò principaliter arguitur sic. Primum constitutiuum suppositi in aliqua natura, videtur facere per se vnum, cum illa natura; quia non videtur, quòd aliquod vnum per accidens, possit esse primum simpliciter in aliquo genere, secundùm Phil. Phys. t. 66. primum autem de qua natura dicitur per se, est eius proprium suppositum; ergo &c. Sed sicut in creaturis, relatio est alterius generis ab absoluto, & ideo non facit per se vnum cum eo; ita in Diuinis non videtur conceptus vnus esse per se absoluti & relationis: ergo si Persona ista duo includat essentialiter, Essentiam scilicet & relationem, non videtur esse suppositum per se vnum, & primum talis naturæ, sed quasi suppositum per accidens. Et ita videtur, quòd possit dari aliquid prius cōstitutiuum suppositi per se, in illa natura.

Confirmatur ratio sic. Prima identitas, videtur esse primæ naturæ, ad proprium suppositum: ergo illa identitas, nec est per accidens, nec quasi per accidens, sed omnino per se; ergo suppositum non includet aliquid, quasi alte- D rius generis à natura.

Confirmatur Secundò. Quia aliter magis per se esset identitas naturæ creatæ, ad suppositum suum, quàm naturæ Diuinæ ad suum: quod videtur inconueniens.

Confirmatur Tertiò. Quia secunda substantia, dicit totum Quod quid est, primæ substantiæ; ergo in prima substantia, non concurrit aliqua quidditas distincta, à quidditate secundæ substantiæ; ergo nec quidditas relationis, quæ est distincta à quidditate Essentiæ, pertinet ad rationem primæ substantiæ. Si enim prima substantia includit per se quidditatem, distinctam à quidditate substantiæ secundæ; ergo non magis est per se suppositum substantiæ, quā illius quidditatis alterius; & ita neutrius, vel vtriusq;.

Nec valet hæc responsio. Quia hæc quidditas est illa, per identitatem; & ideo idem per se vnum, potest esse per se suppositum vtriusque quidditatis. Hoc enim non saluat per se vnitatem suppositi; quia suppositū ponitur per se suppositum quidditatis, acceptæ secundùm formalem rationem, non autem propter identitatem realem, & nō formalem ipsius ad aliam. Tunc enim per se suppositum E Entis, esset per se suppositum vnius, propter veram identitatem vnius ad Ens; ita quòd suppositum per se vnum, est tantùm per se suppositum quidditatis per se vnius formaliter; & per consequens, nullius formaliter distinctæ ab illa: & per consequens, nullum naturam formaliter distinctam includet per se primò; quia non esset ratio, quare non esset per se suppositum illius quidditatis distinctæ, quam per se primo modo includeret. Si instetur hic de attributis. Non est simile. Quia nullum attributum constituit per se suppositum Deitatis, sed est quasi passio secundùm Dam. l. b. 1. c. 4. & 9. Et non est inconueniens, quasi passionem, cum quasi subiecto, quasi per accidens esse idem, & etiam cum supposito subiecti; licèt sit inconueniens primum suppositum primi subiecti esse in se Ens per accidens.

Ad istam Tertiam rationem, quæ procedit ex per se vnitate suppositi naturæ Diuinæ. Respōdetur. *(à D. Thoma & Egid. à Roma.)* Quòd relatio constituit, vt transit in Essentiam: & ita non vt est alterius generis. Nec pro- F pter hoc sequitur, quòd constitutum sit absolutum; quia relatio seruat illud, quod est proprium sibi: bene tamen conceditur, quòd illud quod derelinquitur per relationē, est absolutum; quia illud derelictum est Essentia Diuina.

Contra istam responsionem arguitur, sic. Et quæro. Aut relatio constituit, vt est idē Essentiæ formaliter, siue quidditatiuē; aut non? Si sic; sequuntur duo inconuenientia. Vnum, quod relatio non erit relatio; quia secundùm Aug. 7. de Trin. *Si est ad alterum formaliter, iam non est substantia*: Et pari ratione. Si est formaliter substantia, iam non est ad aliud. Similiter aliud sequitur inconueniens. Quia quicquid constituitur aliquo, inquantum est formaliter absolutum, est formaliter absolutum; & ita suppositum constitutum, esset formaliter absolutum. Aut constituitur relatione inquantum transit, siue est idem Essentiæ, non formaliter, sed realiter; & cum hoc stat, quòd constituatur relatione propriè, vt relatio est; quia relatio nullo modo potest considerari in Diuinis, quin sit realiter eadem Essentiæ. G Si igitur secundùm aliquem modum considerata, constitueret suppositum, non prohiberetur constitutum esse ens per accidens, dato quòd sic constitueret: cùm secundùm omnem modum considerata, est realiter eadem Essentiæ, licèt non formaliter; sequitur quòd ex hoc, quòd ipsa vt realiter eadem Essentiæ constituit, non prohibetur constitutum esse ens per accidens; non autem potest constituere vt magis idem Essentiæ, quàm realiter, nisi vt formaliter idem, sed non est idem formaliter.

Præterea. Quòd dicitur relationem derelinquere esse absolutum: hoc videtur repugnare sibiipsi: quia forma nō derelinquit aliud esse à se, sicut albedo non derelinquit aliud in albo, quo est album, quàm seipsam: ergo proprietas constituens, si conseruat hoc quod est sibi proprium, derelinquit hoc quod est sibi proprium, & nihil aliud. Similiter. Quomodo esse absolutum, posset derelinqui à proprietate relatiua, si præcederet eam in Persona?

Quartò principaliter arguitur, secundùm istam Tertiam viam, sic. H Prima substantia est maximè substantia, secundùm Philosophum in prædicamentis; & hoc non est imperfectionis: ergo videtur quòd hoc modo posset poni prima substantia in Diuinis, videlicet Persona cui maximè competat subsistere, id est per se esse: relatio autem non videtur posse formaliter constituere aliquid subsistens: nec per consequens primam substantiam.

Confirmatur etiam. Quia cū secunda substātia, non includat aliquid, quod nō est formaliter substantia; igitur nec prima substantia, quæ est maximè substantia, includet; quia substantia non est ex non substantia.

Confirmatur iterum ratio. Quia si oportet, in his quæ sunt ad aliquid in Diuinis, non tantùm ponere quidditatē puta non tantùm Paternitatē, sed et hanc Paternitatem: & vltra, hanc et sub ratione incōmunicabilis, & hęc oia competere sibi inquantum est ad aliud, & vt non est formaliter illud quod est ad se: quare non potest ita in eo quod est ad se, non per illud formaliter quod est ad aliud, haberi hoc, quod est incommunicabile?

A Et confirmatur istud vltimò. Quia in substãtia creata, licèt imperfectionis sit limitari ad vnam subsistentiã siue ad vnũ esse perfectissimũ, quod nullo modo est determinabile vel contrahibile, nec potest esse aliquid alicuius; tamẽ quòd natura ipsa, sine alio alterius generis, possit habere vltimum esse, quod non est natum aliquo alio contrahi, hoc non est alicuius imperfectionis; quia hoc est commune substantijs, & conceditur substantijs, & negatur ab accidentibus, propter eorum imperfectionem; ergo videtur quòd natura Diuina, vt est ad se, habebit vltimum esse actuale, & vltimam vnitatem, absque limitatione ad esse subsistentiæ vnius.

Respondetur ad hanc rationem Quartam, quæ procedit ex ratione primæ substantię. Dicendo, quòd relatio habet vim proprietatis incommunicabilis primæ substantiæ; & ideo habet vim constituendi hanc primam substãtiam, vel suppositum secundæ substantiæ. Quod confirmatur per hoc. Quia quæ sparsa sunt in inferioribus, vnita sunt in superioribus; & ideo licèt alio conueniat alicui in creaturis esse ad aliud, & subsistere, vel esse quo, & subsistere, tamen ista possunt eodem competere, Deo vel Personis Diuinis.

Contra istud arguitur, sic. Quæro. Quam vim intelligis? aut vim causæ efficientis, aut formalis. Si efficientis, quasi causabit ibi quandam realitatem absolutam, quæ formaliter constituet ibi primam substantiam: & ita conceditur propositum, quòd substantia constituitur aliqua realitate absoluta; & cum hoc additur vnũ aliud impossibile, quòd relatio posset causare illam realitatem absolutam. Si Secundo modo, scilicet formaliter; cùm nulla forma habeat vim cõstituendi aliquid formaliter; nisi tale, quale natum est esse tali forma; sicut albedo non habet vim constituendi aliquid, nisi album, & quæ includuntur in albo; sequitur quòd relatio, quæ est essentialiter habitudo ad aliud, non habet vim constituendi aliquid ad se.

Confirmatio illa nihil videtur valere. Non enim fit talis vnio in Deo, nisi propter infinitatem Essentiæ Diuinæ, quę in se includit vnitiuè omnẽ perfectionem simpliciter, & omnem etiam realitatem sibi compossibilem; proprietas autem non est infinita formaliter; ergo non oportet in ea vniri omnem realitatem, & maximè non illam quæ videtur sibi formaliter repugnare, aut nõ posse in ea includi, quasi maiorem perfectionem diceret formaliter, quã ista, vel omnino non minorem.

Ad Argumenta pro Tertia Opinione.

AD Primum Tertiæ viæ. Dico, quòd Paternitas est de se formaliter incommunicabilis, non tamen iste conceptus qui secundùm dicta aliàs, potest abstrahi à Paternitate Diuina, & creata. Sed ista realitas, quæ est in Diuinis, quæ non est formaliter Essentia, ipsa est formaliter incommunicabilis, & non quasi per determinationẽ extrinsecam, puta quia Diuina. Ratio enim incommunicabilitatis eius est ista. Quia sicut Essentia est actus vltimus, & ideo non potest per aliquid determinari, respectu cuius sit ipsa quasi potentiale; ita quicquid est in ea, est vltimum, in vltima actualitate sibi possibili; ita quòd in illo instanti naturæ, in quo sapientia pullulat in Essentia, ipsa pullulat secundùm vltimam determinationem, quam potest habere. Vnde & ista realitas, quæ est sapientia, formaliter est nõ determinabilis; & similiter quicquid potest esse incommunicabile in primo instanti naturæ, in quo pullulat in natura, pullulat vt incommunicabile; & non priùs vt communicabile; quia tunc esset determinabile per aliquod, per quod fieret incommunicabile.

Et si dicas. Quòd tunc Paternitas non est incommunicabilis, nisi quia est in Essentia Diuina: hæc enim realitas non habet, vt ex se sit vltimatè determinata, nisi quia est in Essentia Diuina. Dico, quòd quasi originaliter, vel fundamentaliter, quicquid est intrinsecum in Diuinis est ab Essentia; quia secundùm Damasc. lib. 1. cap. 12. *est pelagus quoddam infinitæ substantię*: sed tamen illa alia, habẽt formaliter rationes suas, & seipsis sunt primò talia formaliter; ita quòd sapientia, licèt ab Essentia quasi fundamentaliter, & originaliter habeat, quòd sit perfectio simpliciter; est tamen formaliter perfectio simpliciter, & in se formaliter infinita; ita quòd in eodem instanti naturæ, in quo sapientia iam actu est in Essentia; si circumscribatur per impossibile ipsa Essentia, & remaneat intellectus sapientiæ, erit intellectus perfectionis simpliciter infinitæ. Ita in illo instanti naturæ, in quo intelligitur Paternitas in Essentia, ipsa seipsa est incommunicabilis formaliter, circumscripta tunc per impossibile ipsa Essentia. Nec videtur esse contradictio, quòd aliquid quasi originaliter vel causaliter habeat ab aliquo hoc, quod sibi conuenit formaliter, sicut calidum formaliter contrariatur frigido, licèt causaliter sit ab igne, cui ignis non contrariatur formaliter: ita est in alijs; quòd illa entitas, qua constituitur aliquid in esse specifico, ex se formaliter, est indiuisibilis in plures species, etiã dato per impossibile quòd esset incausata, licèt modò istam indiuisionem habeat causaliter, vnde est causaliter.

Et si obijcias. Quare aliqua entitas originatur in Essentia communicabilis, & aliqua incõmunicabilis? Respondeo. Quòd huius non est ratio formalis alia, nisi quia hæc entitas est hæc, & illa entitas est illa; & hæc entitas, quia hæc communicabilis, & illa, quia est incommunicabilis; ita quòd ista originari non posset, nisi incommunicabilis formaliter oriretur, nec illa, nisi formaliter communicabilis oriretur. Ratio autem istius extrinseca quasi fundamentalis, vel originalis est. Quia Essentia est radicaliter infinita, ex qua oriri possunt intrinsecè non tantùm perfectiones simpliciter, & communicabiles, sed etiam proprietates personales incommunicabiles; quælibet tamen quando originatur, originatur in summa determinatione sibi possibili.

Et per hoc patet ad omnes alias probationes, quæ ostẽdunt Paternitatem ex se non esse incommunicabilem.

Cùm enim dicis. Quòd non est de se hęc. Falsum est: intelligendo formaliter, de relatione illa, quæ est Paternitas, non de conceptu communi huic paternitati, & illi, quia sicut expositum est, dist. 8. & dist. 23. potest esse conceptus aliquis cõmunis absque ordine realitatum intra, quarum vna sit contractiua vel determinatiua alterius: paternitas tamen hæc, id est, illa realitas, non est de se hęc fundamentaliter, sed ab Essentia; & ab ipsa eadem Essentia, est Paternitas incommunicabilis, quia non priùs hæc, & quasi incommunicabilis, & postea quasi facta incommunicabilis per aliud determinans, sed sine omni ordine singularitatis ad incommunicabilitatem, in ista realitate oritur realitas summè determinata, in primo instanti naturæ, in quo oritur.

Nec illa propositio est vera. Quòd omnis quidditas est communicabilis. Sed tantùm quidditas quæ est perfectio simpliciter, aut diuisibilis. Prima enim communicatur in vnitate naturæ; secunda cõmunicatur cum sui diuisione. Hæc quidditas, non est perfectio simpliciter, nec diuisibilis, quia est in natura perfecta simpliciter.

Nec illa propositio est vera. Quòd relationes oppositæ, sunt æquè incommunicabiles ex se: in ò spiratio actiua, oritur communicabilis duobus, nec vnquam potest fieri incommunicabilis per aliquod determinans; spiratio autem passiua ex se formaliter, in eodem instanti, in quo est in Diuinis, est incommunicabilis.

Quòd etiam dicis ad Quintam probationẽ. Quòd quacunque positione facta possibili, vel impossibili, stante ratione sua ipsum remanet incõmunicabile. Concedo stante ratione eius, & non posito aliquo repugnante rationi suæ; quod si ponatur, rationem eius manere, & aliquid repugnare, tunc ex oppositis in antecedente, sequuntur opposita, scilicet quòd ipsum sit incommunicabile ex se formaliter, & possit communicari: & ita in proposito. Si ponatur spirationem præcedere generationem in actiuam, ponitur aliquid incompossibile Paternitati Patris, & tamen rationem Paternitatis manere; & ita sequitur Paternitatẽ esse communicabilem ex primo, & tamen incommunicabilem ex secundo: vnde formaliter contradictio est, generationem esse secundam productionem in Diuinis. Paternitas igitur in Diuinis, quia Diuina, est incommunicabilis; ita quòd ly Quia, sit circumstantia principij originalis, siue

A siue fundamentalis, non autem contrahentis, siue determinantis, eo modo quo contrahitur album, cùm dicitur homo albus, vel albedo humana: hæc enim albedo præintelligitur in se existens; & vt sic esset indeterminata, & determinabilis, vt sit hominis; & ad hoc determinatur, cùm dicitur albedo humana, nõ autem quòd albedo oriatur ex natura hominis, & in illo instanti ipsa de se sit determinata. Ita per oppositum in proposito. Quia sicut causa non causaret effectum, nisi daret sibi esse conueniens effectui, nec produceret istum effectum, nisi produceret aliquid, quod natum esset habere talẽ effectum: puta; nulla causa causaret triangulum formaliter, nisi produceret aliquid, quod necessariò haberet tres &c. & si posset producere aliquid quod non necessariò haberet tres, non produceret istum effectum, sed alium. Nec est alia ratio huius, nisi quia formalis ratio trianguli est, vt sit triangulus. Ita dico. Quòd Deitas non esset ratio fundamentalis alicuius realitatis intrinsecæ, nisi ipsa oriretur talis, vt in primo instanti, in quo est, sit determinata vltima determinatione: si igitur produceret aliquid determinabile per aliquam realitatem, quasi sibi aduenientem, iam productio

B non esset ab intrinseco in Diuinis: si etiam produceret aliquid communicabile, non produceret proprietatem personalem, sed aliquid aliquomodo aliud ab illa.

Ad Aliud. Dico, quòd licèt aliquis conceptus communis possit haberi, qui dicatur in Quid de generatione Diuina, & spiratione Diuina: imò fortè, qui dicatur in Quid de Paternitate Diuina, & creata; tamen nulla realitas potest esse in Diuinis aliquomodo distincta ex parte rei, à qua sumatur iste conceptus dictus in Quid, quæ realitas sit determinabilis per aliam realitatem, sicut conceptus communis est determinabilis in intellectu per alium conceptum. Et impossibilitas huius, & ratio, satis tacta est.

Dico igitur. Quòd Paternitas & Filiatio, non sunt duo primò diuersa, quantùm ad intellectum, quin posit intellectus abstrahere ab eis aliquem conceptum realem communem, sed sunt primò diuersa, quantùm ad realitatem

C & realitatem: ita quòd nullum vnum gradum realitatis includunt, qui sit quasi potentialis, & determinabilis per proprias differentias, vel quasi per proprias, sicut albedo & nigredo, includunt realitatem aliquam eiusdem rationis, determinabilem per proprias differentias specificas earum, siue realitates à quibus sumuntur earum differentiæ specificæ: & tunc illa propositio Maior. Quòd primò distinctiua sunt primò diuersa: tantùm debet intelligi de ipsis realitatibus, quæ primò constituunt, quantùm ad nõ conuenientiam in aliqua realitate vna formali; quam formaliter includant ambo.

Ad aliud, de supposito per accidens. Dicendum. Quòd alio modo de per accidens loquitur Metaphysicus, & aliter Logicus. Metaphysicus enim dicit esse ens per accidẽs, quod includit in se res duorum generum, sicut patet 5. Meta. t. 13. de Ente, & vno. Logicus verò dicit propositionem esse per accidens, cuius subiectum non includit rationem inhærentiæ prædicati; & si ex duobus talibus fiat vnus conceptus, quorum neuter est per se determinatiuus

D alterius, dicit illum conceptum esse vnum conceptum per accidens. Exemplum non est in creaturis de conceptu vno per accidens Logico, nisi cui correspondet vnum per accidens Metaphysicum; quia etsi hæc sit per accidens. Rationale est animal; tamen iungendo vnum conceptum alteri, vnus est per se determinatiuus alterius; & ideo totus conceptus non est vnus per accidens, sed tantùm aliquis aggregans conceptus duorum generum, est vnus per accidens, & ei semper correspondet vnum per accidens apud Metaphysicum.

Ad propositum. Hæc potest concedi per accidens. Paternitas est Deitas, quia subiectum, vt subijcitur, non includit rationem inhærentiæ prædicati, vt prædicati; quia subiectum non est formaliter prædicatum: iungendo etiã conceptum subiecti conceptui prædicati, sicut Deus Pater, vnus conceptus nõ per se determinat alterum; quia secundùm Damasc. *Proprietates determinant hypostases non naturam*; iste igitur cõceptus non est in se & per se vnus; & ita non dicit conceptũ per se suppositi, respectu alicuius: quod enim non est in se & per se vnum, non est alicuius per se suppositum; & sicut nec in rebus, sic nec in conceptibus. E
Sic igitur Logicè loquendo, posset cõcedi, quòd Pater non est per se suppositum Dei.

Sed contra hoc arguo. Quia prima identitas non potest esse per accidens; & sicut in rebus, sic nec in conceptibus: prima autem identitas in prædicatione, videtur esse per se naturæ ad suum suppositum; igitur illa non est per accidens, sed per se. Respondeo, Prima identitas prædicationis est cuiuscunque ad se; vt homo est homo, Deus est Deus; sed comparando hunc Deum ad suppositum, & quærendo identitatem: dico quòd realiter loquendo, secundùm Metaphysicum, cùm hic non sunt genera, nec aliquid alicuius generis, ex dist. 8. nihil erit hic ens per accidens. Nec sequitur. Est suppositum per accidens Logicè; ergo est suppositum per accidens Metaphysicè. Quia esse suppositum Logicè, dicit habitudinem alicuius, vt subiecti ad aliquid vt ad prædicatum; & ita potest dici suppositum per accidens; propter accidentalitatem, ex parte inhærentiæ, non extremorum. F

Et si obijcitur. Quòd hìc conceditur esse res quasi duorum generum, scilicet substantiæ & accidentis, vel relationis. Respondeo. Propria ratio rerum quantùm ad genera, vel quasi genera, non facit totum esse ens per accidens, sed habitudo rei ad rem, puta non identitas simpliciter: nunc autem quanquam propria ratio relationis quæ manet ibi, non includat formaliter rationem Essentiæ, tamen vnum in re, verissimè est idem alij, propter quam identitatẽ, non est habitudo realitatis ad realitatem, qualis requiritur eorum quæ constituunt ens per accidens.

Si obijciatur contra primum membrum. Cùm in creaturis possit esse per se suppositum naturæ, quare non hìc? Posset dici. Quòd absolutum imperfectum potest esse incommunicabile. Et vniuersaliter, aliquid contrahens per se, in aliquo genere, potest esse incommunicabile, sicut aliquid communicabile: & ita in quocunque creato, quod pertinet ad genus aliquod, potest esse aliquid illius generis constituens incommunicabile; simpliciter autem perfectum non potest esse incommunicabile, neque aliquid eiusdem rationis; quale secundùm istam viam, est omne G absolutum in Diuinis: & ideo nihil quasi eiusdem generis cum Essentia potest constituere suppositum ibi, sed tãtùm aliquid, quod sit quasi alterius generis. Exemplũ. Si quodlibet de genere substantiæ, vsque ad vltimum inclusiuè, quo constituitur hæc substantia, esset perfectio simpliciter, & per consequẽs communicabile, non posset hæc substantia vlterius per aliquid contrahi in se; quia quod est hoc, non est vlterius determinabile in se: si tamen posset aliquid de genere Qualitatis, vel Quantitatis, constituere in hac substantia aliquid incõmunicabile, puta, quia qualitas vel quantitas non esset perfectio simpliciter; tunc illud constitutum ex substantia & quantitate, necessariò esset suppositum per accidens, & etiam esset ens per accidẽs, si vna illarum realitatum non esset perfecta eadem alteri. Ita ponitur in proposito. Quòd Essentia est perfectio simpliciter, & quicquid est eiusdẽ rationis cum Essentia, quicquid scilicet est ad se; & ideo quodlibet tale est communicabile, & de se hoc; & ex hoc vltra, illud quod est de se H hoc, non potest contrahi vlterius, sed tamen potest in eo, quod est hoc, constitui aliquod incommunicabile, per aliquid, quod non est perfectio simpliciter; & ideo nec eiusdem generis cum Essentia, sed quasi vlterius.

Per istud potest dici ad aliam Confirmationem, qua infertur, quòd verior esset identitas substantiæ creatæ ad suum suppositum, quàm naturæ Diuinæ ad suum. Hoc non sequitur; si intelligatur ex parte rei. Quia licèt entitas indiuidualis in creaturis per se determinet naturam, & faciat per se vnum cum ea, tamen illud vnum est compositum aliqua compositione, etiam reali; relatio autem licèt non per se determinet naturam Diuinam, tamen ita verè est idem ei, quòd nulla sit ibi compositio. Et ideo realiter siue Metaphysicè loquendo, multò est verior identitas suppositi Diuini, & in se, & ad naturam, quàm suppositi creati in se, vel ad suam naturam. Logicè tamen loquendo, benè potest concedi, quòd substãtia creata, formaliter

dicitur

A dicitur de suo supposito; quia per se primo modo: non sic Deus de Patre; quia Pater non habet ita per se vnum conceptum in intellectu, sicut Sortes.

Si inferas. Igitur prædicatio hæc, verior est quàm illa. Negari potest consequentia. Quia aliqua prædicatio non formalis, vel non per se, potest esse verior quàm illa formalis, & per se: siquidem maior est identitas extremorum in re, in quorum conceptu est minùs formalis inclusio, vel inhærentia.

Ad vltimam Confirmationem. Potest cócedi, quòd Logicè loquendo, neutrius quidditatis est per se suppositum, realiter autem est suppositum naturæ, non relationis; quia relatio est ibi proprietas incommunicabilis, natura non, Similiter relatio transit in Essentiam, non è conuersò, propter infinitatem Essentiæ.

Ad Quartum. Dicitur, quòd prima substantia in creaturis, aliquid habet perfectionis, scilicet vltimam vnitaté, ideo est indiuisibilis, & hoc consequitur vltimam actualitatem, propter q̃ competit sibi per se esse: & duo opposita B his conueniunt substãtiæ secundæ, quæ & est diuisibilis, & non habet esse nisi in prima substantia. Istas conditiones primæ substantiæ, habet Essentia Diuina ex se, & non per relationem formaliter. Est enim de se hæc, & ex subsistit, id est, per se est, vel saltem est totaliter ratio subsistendi: ideo secundùm August. 7. de Trinit. cap. 4. *Pater non eo est, quo est Pater, sed quo est Deus.* Vltra hoc. Prima substantia creata, quia est limitata, non habet communicabilitatem; quia idem numero limitatum, non est communicabile. Hæc proprietas primæ substantiæ non conuenit Essentiæ Diuinæ.

Per hoc patet ad Primum ibi tactum. Quia concedo, quòd prima substãtia in Diuinis, quoad hoc, quod est maximè esse substantiam, & per se subsistere, non constituitur formaliter relatione, sed Deitate.

Similiter ad Secundum. Quòd prima substantia non includit non substantiam. Verum est, propter conditiones perfectionis, conuenientes ei: & ideo vbicunque saluantur istæ conditiones, non erunt per non substantiam; sed C in qua natura non potest esse per substantiam, illa conditio quæ est imperfectionis in prima substantia creata, id est, incommunicabilitas, sicut ponitur in Deo, vbi quodlibet ad se ponitur simpliciter perfectum & ita communicabile; ibi verum est primam substantiam, quantùm ad illam conditionem habendam, includere non substantiam.

Ad Tertium ibi tactum. Respondeo, Quòd Paternitas, & hæc Paternitas incommunicabilis, quicquid sit de istis in conceptu in re, tamen omnino sunt idem; ita quòd nulla est ibi distinctio realis nec formalis; & ideo res illa in primo instanti in quo est, siue pullulat in Essentia, est ibi sub ratione vltimæ determinationis, sibi possibilis; alioquin in illo instanti, esset potentialis ad determinationem. Quia igitur relationi non repugnat determinatio ad incommunicabilitatem; ideo ipsa non tantùm est quidditas, & hæc; sed incommunicabilis: & ideo priùs non est in re hæc, quàm incommunicabilis. Sed Deitas est communicabilis, ita quòd repugnat sibi per aliquid, quasi sui generis, D secundùm istam Opinionem, esse incommunicabilem. Nego igitur consequentiam. In relatione est quidditas, & hæc est incommunicabilis, inquantum est relatio; igitur hæc possunt inueniri in eo, quod est ad se. Quia vltimum repugnat cuilibet ad se in Deo, secundùm istam Opinionem, non relationi; & ideo statim relatio habet eam.

Ad Quartum ibi tactum. Dico, quòd per se esse, conuenit huic Essentiæ, vel Deo, vnde Deus; sed non posse esse, quo formaliter aliquid per se sit, hoc cóuenit naturæ creatæ ex limitatione, propter quam est incommunicabilis, & vt Quod, & vt Quo: de qua duplici incommunicabilitate, dictum est dist. 23. Verum est igitur, quòd substantia creata habet per se esse, non autem per accidens; & hoc competit substantiæ ex perfectione: sed quòd non possit illud per se esse, communicare alicui in quo sit, hoc est limitationis. Hic igitur concedo Essentiam determinari ex se ad per se esse: siue vt Quod, siue vt Quo: sed tamen cum hoc esse communicabilem personæ relatiuæ, vt Quo ipsa E persona relatiua habeat idem per se esse.

ARTICVLVS SEXTVS.

Adferuntur auctoritates, quæ eidem Opinioni communi videntur contradicere, & quomodo non contradicant explicatur.

EX Quarta via, arguitur per auctoritatem Aug. 7. de Trin. c. 1. 2. & 6. *Omne relatiuum est aliquid, excepta relatione:* ergo sicut deduxit prima ratio, videtur concedere, quòd illud quod refertur, est aliquid ad se.

Item in eodem c. 4. *Omnis res ad se subsistit, quanto magis Deus?* Et loquitur de subsistere prout conuenit substantiæ, prout Græci accipiunt substantiam. Accipiunt aũt ipsi, sm̃ eum substantiã, sicut nos personam: ergo subsistere, quod conuenit personæ inquantũ persona, numeratur in tribus, prout s. dicuntur tres subsistẽtes, illud est ad se sm̃ eum: & videtur dicere, quòd inconueniens est Personam Diuinam F subsistere ad aliud: hoc modo accipiendo subsistere.

Item Tertiò. Omnia quæ ponuntur in diffinitione personæ, siue à Boëtio de duabus naturis, siue à Ricard. 4. de Trin. c. 22. & 23. sunt absoluta, ita quòd nullum illorum includit relationem essentialiter; & diffinitio debet exprimere intrinsecam rationem diffiniti: ergo &c.

Ad auctoritates Aug. iam adductas hîc in Quarta via. Respondetur. Quòd Aug. loquitur de formali significato huius nominis, Persona, non de materiali; formaliter autem significat hoc nomen Persona, aliquid indistinctum in se, & ab alio distinctum in natura intellectuali, accidit autẽ huic significato formali, per quid sit talis distinctio: tamen in aliqua natura necesse est illud distinctiuum esse absolutum, sicut in natura creata, in aliqua autem relationem, sicut in proposito.

Contra hanc responsionem arguo. Aut Aug. intelligit in illo significato formali Personæ, indistinctum in se, & distinctum ab alio, secundùm essentiam: & tunc non magis haberet concedere, quòd sint tres Personæ, quàm tres G Essentiæ, siue tria distincta, secundùm Essentiam: quod videtur manifestè contra intentionem suam, vbi vult, quòd aliter vtimur nos nomine substantiæ, quàm Græci; igitur ipsi vtuntur pro prima substantia, & concedunt tres substantias, eo modo quo nos tres Personas; ergo nos propriè, secundùm eum, concedimus tres Personas. Aut intelligit indistinctum in se, secundùm substantiam incommunicabilem, & sic distinctum ab alio: & tunc, si illud secundum formale significatum, est ad se; habetur propositum.

Ad ista de quarta via Respondetur.

AD Primum de Aug. Respõsum est supra, post responsionem Primi argumenti contra Secundã Opinioné.

Ad Secundam auctoritatem eius. Respondeo. Augusti ibi in 7. à principio capituli quarti inquirit. Quomodo est dictum vna Essentia, & à Græcis tres Substantiæ, à Latinis autem tres Personæ. Et in illa litera quæ adducitur, quæ accipitur ex cap. 4. Quòd substantia est ad se, & H quòd non propriè dicuntur tres substantiæ: *quia substantia,* sicut conceditur, *in Diuinis, est ad se: & ideo eadem est Essentia & substantia: & ita,* inquit, *non dicenda sunt tres substantia, vt non dicantur tres Essentiæ.* Non igitur intendit ipse, quòd substantia, sicut accipiunt Græci, scilicet pro Persona, sit ad se, sed quòd ipsi non propriè concedunt tres substantias, sed tantùm propter necessitatem loquendi. Vnde capitulo eodem, videtur præferre modum loquendi Latinorum, quòd sunt tres personæ; sed & illud probat consequenter non esse proprium, ostendens personam simpliciter dici ad se, secundùm essentiam finalem: Ergo Conclusionem eius, de hac materia, accipe capit. 6. *Volumus,* inquit, *vel vnum aliquod vocabulum seruire huic significationi, quia intelligitur Trinitas, ne omnino taceremus interroganti, quid tres?* Dicendo igitur siue tres Personas à Latinis, siue à Græcis tres Substantias, diceret Augustinus impropriè dici, & tantùm propter necessitatem loquendi. Non igitur ex eius intentione habetur, quòd

A aliquid significans subsistens incommunicabile in Diuinis, sit ad se; sed tantùm quòd illa nomina, quæ ab aliquibus accommodata sunt ad exprimendum tale incommunicabile, sunt secundùm se nomina absoluta; imò merè absoluta, ita quòd sunt essentialia: oporteret enim primum habere ab ipso, ad hoc, quòd haberet propositum in ista quæstione, pro Tertia Opinione, quæ ponit in re hoc subsistés incommunicabile esse ad se, & non tantùm posse exprimi aliquo nomine essentiali, accommodato ex vsu, vel necessitate loquendi.

Et per hoc ad omnia quæ adducuntur de Aug.

Ad Tertium, de Ricar. & Boëtio. Dico, quòd sicut ab aliquo absoluto, & respectiuo, loquendo quidditatiuè, potest abstrahi aliquod commune quidditatiuè, ita etiam ab incommunicabili tali & tali, abstrahitur aliquod commune, quod nec est de se incómunicabile absolutum, nec incommunicabile relatiuum. Tale quid, describit Ricar. & Boët. hoc addito, ꝙ illud sit in natura intellectuali; ita quòd sicut descriptio superioris non debet includere propriam rationem alicuius inferioris, ita descriptio personæ,

B quæ sit incommunicabilis in natura intellectuali, non debet includere aliquid propriè pertinens ad incommunicabile absolutum, nec propriè ad incommunicabile relatiuum, sed debet esse indifferés ad vtrumque: & ita describit vtrumque Personam.

Concedo igitur quòd nec in diffinitione Personæ assignata à Ricar. nec à Boët. ponitur aliquod relatiuum. Et ita dico, quòd nec ponitur vnde diffinitum exprimatur esse absolutum, sed est indifferens ad vtrumque, ita quòd sicut in aliqua natura non inuenitur ratio illa in communi assignata, nisi in absoluto, & in ratione absoluti, sicut in creatura, ita et in natura diuina non inuenitur nisi in relatiuo.

ARTICVLVS SEPTIMVS.

Narratur quorundam Opinio, Personas Diuinas primariò constitui per absoluta, secundariò per relationes.

C TErtia Opinio (*Ioan. de Ripa in 1.d.25. & 26.*) concordans rationibus & auctoritatibus adductis contra Secundam Opinionem, ponit Diuinas Personas esse absolutas. Quod ne videatur nouum, & extraneum, adducitur dictum cuiusdam antiqui Doctoris, (*S.Bon.lib.1.d.25.q.1.*) distinguentis aliquid dici dupliciter secundùm substantiá. Dicit enim sic intelligendum est, quòd sicut dicit Ricard. de Sancto Victore, dici secundùm substantiam est dupliciter. Vno quidem modo, indicando substátiam, secundùm naturam communem; & sic dicitur homo secundùm substantiam. Alio modo, indicando substantiam, vt suppositum certum, vt quidam homo. Primo modo, dicere substantiam, est dicere quid: Secundo modo, dicere substantiam, est dicere aliquid.

Dicit igitur. Quòd hoc nomen, Substátia, vel Essentia, dicitur secundùm substátiam, quia indicat naturam communem; sed hoc nomen Persona, dicitur secundùm substantiam, quia indicat suppositum certum & distinctum:

D natura autem communis, non multiplicatur, nec refertur; & ideo quod dicit substantiam, secundùm naturam communem, ita dicitur ad se, quòd nullo modo potest dici secundùm relationem; & ex hoc modo diuiditur ex opposito cótra ad aliquid; suppositum autem, siue hypostasis, natum est plurificari, & ad aliud comparari, & ita referri. Et quod sic dicitur secundùm substantiam, nihil impedit, ratione relationis superadditę, dici secundùm relationem. Et hoc vult dicere Ricar. de S. Victore.

Secundùm hoc igitur poneretur, quòd Personæ Diuinę distinguerentur per aliquas realitates incommunicabiles absolutas; non tamen illa constituentia, & distinguentia, essent absoluta primo modo, sed secundo modo; quia etsi non essent formaliter relationes, constituta tamen per ipsas, essent referribilia.

Etsi obijciatur. Quo tunc saluabitur communis scientia Sanctorum, dicentium Personas distingui per relationes? Ad hoc potest accipi quoddam dictum eiusdem Doctoris (*S.Bonau.in 1.dist.26.quest.3.*) Idem enim Doctor in quæstione illa, An proprietates distinguant Personas: dicit, E quòd secundùm quod sunt habitudines, non distinguunt Personas, sed secundùm quod sunt origines. Quod verbú, (licèt fortè ipse non sic intelligat,) potest exponi. Quòd origines non distinguunt Personas formaliter, sed quasi principiatiuè; sicut motus in creaturis, & maximè si esset in mouente, & non in moto, nó distingueret terminos talis motus formaliter, sed effectiuè, eo quòd pertineret ad genus causæ efficientis: quemadmodú etiam si natura humana poneretur in vno homine, & ipsa non possit multiplicari nisi per generationem, posset dici, quòd generatio multiplicat homines, non quidem formaliter, quasi homines distinguerentur formaliter à generationibus, vt sunt generationes, sed quasi effectiuè, quia generatio reducitur ad genus causæ efficientis.

Ita posset dici in proposito: quòd natura Diuina, non communicatur suppositis, nisi per originem: & ita origine distinguuntur Personæ in natura, quasi principiatiuè, reducendo ad ipsum principians, quod distinguit non formaliter, sed quasi correspondenter distinguenti effectiuè F in creatura. Et tunc posset poni exemplum. Quòd sicut si anima intellectiua primò perficeret, vel constitueret cor in esse suppositi, & secundò cor animatum: posset producere manum in esse suppositi, non essent aliqua distincta in natura animati, nisi per origines, & tamen formaliter essent aliqua absoluta, quorum vnum producitur per alterum in ipsis, tamen verè essent relationes producentis, & producti: non enim minùs saluantur relationes, sed magis, (vt videtur,) si ponatur aliqua absoluta, quę possent referri, quàm si non ponantur aliqua talia absoluta.

Per ista duo dicta, primum, de duplici absoluto, secundum, de origine distinguente, quasi correspódenter primo principio effectiuo in creatura non formali, possunt multæ auctoritates exponi, quæ videntur in contrarium.

ARTICVLVS OCTAVVS.

Prędicta Opinio an repugnet Fidei?

G COntra istam Opinionem potest Obijci, quod ipsa nó videtur stare cum fide.

Primò. Quia Saluator exprimens Matth. vlt. totam veritatem Fidei, quæ de Trinitate tenenda est, nominat tres Personas nominibus relatiuis. *In nomine*, inquit, *Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Similiter Io. in Canonica sua 1. c.5. *Tres sunt qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus, Sanctus.* Et generaliter, vbicunque Scriptura Canonica loquitur de Personis Diuinis, exprimit eas nominibus relatiuis. Videtur igitur ponere eas esse absolutas, contradicat Scripturæ: & ita etiam Fidei.

Secundò. Quia Ecclesia, vel quicunque exprimit veritatem tenendam de Trinitate exprimit Personas nominibus relatiuis: sicut patet in Symbolo Apostolorú, in Symbolo Athanasij, & in Symbolo Nyceno; & in alijs quibuscunque auctenticis declarationibus fidei, per Ecclesiam vniuersalem: ergo oppositum repugnat Fidei, vt ipsa est ab Ecclesia declarata.

Tertiò. Quia Sancti, & communiter Doctores Catholici de isto articulo tractantes, tantùm ponunt & saluant H Trinitatem Personarum relatiuarum: quorum doctriná (saltem multorum) auctenticauit Ecclesia vniuersalis; sicut patet in Canone dist. 15. *Sancta Roma.* Igitur dictis istorum Sanctorum contradicere, est contradicere Ecclesiæ, auctenticanti dicta eorum.

Si dicatur ad istam Obiectionem. Quòd dicta Opinio non solùm Fidei non repugnat, sed (quod magis est) Scripturæ Sanctæ concordat.

Primum ostenditur dupliciter. Primò sic. Quia quicquid de Trinitate Scriptura Sacra tradidit, vel Ecclesia declarauit, vel Doctor auctenticus manifestè asseruit, hęc dicta Opinio concedit, videlicet, ꝙ tres Personæ congruè exprimuntur nominibus Patris, & Filij, & Spiritus Sácti: quia cócedit ibi verè relationes originis, quia cócedit verá originationé vnius Personę ab alia, quę est generatio, & ita Persona generans est Pater, & Persona genita est Filius, & processio-

A processionem tertiæ à duabus, & ita producẽs est Spiritus Sanctus,& spiratur voluntate casta,& sancta: sed non dicit Scriptura, nec vniuersalis Ecclesia alicubi, declarando, quòd Personæ solùm his relationibus distinguuntur: sicut nec dicit, quòd distinguuntur proprietatibus absolutis. Nunc autem licèt tenendum sit pro vero, quicquid tradidit auctoritas, non tamen est negandum esse verum, quicquid ipsa nõ tradidit: *Multa* (inquit ille Christi secretarius Ioannes,c.vlt.) *opera, & signa fecit Iesus, quæ non sunt scripta in libro hoc*. Certè nec alicubi; quia addidit. *Existimo mundum non posse capere libros*. Logicè etiam loquendo, etiam patet, quòd locus ab auctoritate negatiuè nõ tenet.

Secundò sic. Nihil est asserendum esse de veritate Fidei, nisi quod traditur in Scriptura, vel ab vniuersali declaratur Ecclesia in Scriptura, vel ex altero istorum sic tradito, vel declarato, necessariò,& euidenter infertur; tale non videtur, Personas nullis proprietatibus absolutas distingui; igitur &c. Prima pars Minoris videtur plana: quia Scriptura nusquam hoc tradidit. Quia relationes affirmat

B absolutas, proprietates nusquam negat. Secunda pars patet. Quia quæcunque tenenda Ecclesia circa articulos de Trinitate declarasse inuenitur, continentur in Symbolo Apostolorum, vel Athanasij, vel Nyceno, vt extra de sum. Trin. & fid.Cath. capitulis, *Firmiter*, & *Damnamus*, quæ duo capitula edita fuerunt in Concilio generali sub Innocentio III. celebrato, vel extra de sum.Trin. & fid.Cath. *Fideli*, & est hodie in 6.lib. quod capitulum editum fuit in Concilio Lugdun.generali, sub Greg. X. celebrato, non inueniuntur plura scripta auctentica, declarationem Ecclesiæ, circa articulum de Trinitate continentia; nec in aliquo istorum declaratur Personas per proprietates relatiuas constitui; patet intuenti. Tertia pars Minoris probatur. Quia rationes quæ fiunt ad inferendum propositum, ex tradito per Scripturam, vel declarato per Ecclesiam, videntur omnes esse solubiles, sicut postea respondebitur ad eas.

Secundum, scilicet, quòd hęc Opinio Scripturæ concordat, ostenditur per illud Prouer. 30. Vbi post multas quæ-

C stiones motas de Deo, quærit Salomon: *Quod nomen eius, & quod nomen Filij eius, si nosti?* Ex hoc arguitur sic. Omnis quæstio aliquid certum supponit, & aliquod dubium quærit, ex 7.Met.c.vlt. hìc igitur est certum, Filium esse,& quæritur, quod est nomen eius. Et pari ratione, per naturam relationis, supponitur illud cuius est Filius, esse scilicet Patrem,& quæritur quod est eius nomen; igitur hoc existens certo, scilicet, hunc esse Filium, & hunc Patrem; dubium est, quod nomẽ huius, & quod illius: Sed si istæ Personæ primò constituantur in esse personali per Paternitatem,& Filiationem; proprium nomen huius est Pater,& proprium illius est Filius, & ita esset certitudo de Filio, & non dubitatio quod nomen esset eius; ergo Salomon videtur intendere, quòd non primò constituantur Filiatione, & Paternitate sic, quòd nec Filius sit propriũ nomen eius; sed scito quòd sit Filius, adhuc restat quærere, secundùm ipsum, quod nomen eius.

Hoc breuiter sic arguitur, ad impossibile deducendo. Dato, quòd proprium nomen Personæ, quæ est Filius, sit

D Filius, quod sequitur si primò constituatur relatione, vel Filiatione: igitur idem quærit Salomon,& supponit: supponit enim proprium nomen Personæ, & quærit quod est nomen eius.

Sed si dicto modo respondeatur ad Obiectionem de fide, factam contra Tertiam Opinionem.

Contra hanc responsionem arguitur. Primò sic. Quare voluit Saluator Personas nominibus relatiuis exprimere, si sunt absolutæ? & absolutæ, si sint, non latuissent eum: & congruum videtur baptismum dari inuocando Personas Diuinas proprijs nominibus ipsarum.

Secundò sic. Articulus quando traditur à Christo, conueniens est illum accipere, secundùm illum intellectum, qui maximè potest haberi à Christo: talis est de Personis relatiuis,& nullo modo de absolutis.

Tertiò sic. Consequentiæ Sanctorum,& Doctorũ, supponendæ sunt esse necessariæ; sed illis vtẽdo, vel similibus, concluditur ex manifestè credito, quòd Personæ non sunt absolutæ; sicut patet in multis deductionibus Magistrorũ. E

Ad Primum. Forsan diceret aliquis. Quòd propter duo, Saluator sic expressit Personas congruè. Primum: quia nos docuit, sicut eramus capaces; si autẽ sunt proprietates absolutæ, vidit eas non posse nos concipere, vel non concipere ita faciliter, sicut relationes; quia nec per viam causalitatis & eminentiæ possunt cognosci à nobis, cùm non sint perfectiones simpliciter, nec per aliquid simile in creatura, sicut fortè possumus concipere relationes, ex relationibus originis in creaturis; quia illis incommunicabilibus absolutis, si sint, nulla sunt similia in creatura; imò nec alicui incommunicabili increato, est aliquid simile; quia quodlibet tale, primò est diuersum à quocunque alio: & hac impossibilitatem, vel difficultatem cognoscendi illas absolutas proprietates, si sint, posset quis concipere ex præmissa quæstione Salomonis.

Exemplum huius patet in cõmuni modo loquendi: vbi expressiùs & frequẽtiùs exprimimus personas aliquas nominibus relatiuis, quàm absolutis; quia illa nomina sunt notiora; tamen constat personas quas intendimus illis nominibus exprimere, esse in se absolutas: verbi gratia: Hoc fecit Papa, vel Episcopus, vel Rex: non ita sæpe dicimus Petrns, vel Ioannes; quia officia sunt notiora personis absolutis: ita posset esse hoc, quòd originem personæ, possumus concipere per proprietatem absolutam, si habet; vel non possumus, vel non ita faciliter. F

Secundò. Quia si sint proprietates absolutæ,& secundũ hoc personæ possent nominari nominibus absolutis, sic tamen nominando eas, non exprimitur illis nominibus tantùm de necessitate fidei, quantum istis: Pater, Filius,& Spiritus Sanctus; quia istis non tantùm exprimitur distinctio Personarum, sed etiam origo, quæ est in eis,& aliquomodo ex consequenti, vnitas essentiæ; quia in tali ordine perfecta est communicatio eiusdem Essentiæ: per tria nomina absoluta, non sic exprimerentur hæc omnia.

Ad Secundum. Forsan aliquis diceret Primò. Quòd ille intellectus, quem Christus expressit, scilicet, quòd sint Personæ relatiuæ, est absque dubitatione tenendus; sed de eo quod tacuit, scilicet, an sint absolutæ, nõ est magis contra intellectum articuli vna pars quàm alia, nisi ostendatur repugnare intellectui, quem expressit. G

Secundò diceret. Quòd articulum fidei restringere ad intellectum specialem, qui tamen traditus est in generali, quasi non possit intellectus generalis esse verus, nisi specialis sit verus, hoc videtur articulum reducere ad incertitudinem. Videtur enim incertum, quod potest sine incerto teneri: saltem maior reuerentia videtur fieri articulo, in vniuersali tradito, si dicatur intellectum eius vniuersalẽ, posse esse verum, quocunque speciali posito vel negato, quod non est traditum vt tenendum, quàm quòd non possit esse verus, nisi aliquod determinatũ speciale sit verum.

Exemplum huius, in alijs articulis. Creator cæli & terræ. Non oportet hoc arctare, ad hoc: quòd, nisi Omnipotentia in Deo aliquomodo distinguatur à voluntate, non potuit creare: & ita de parte opposita. Similiter. Verbum factum est homo. Non oportet arctare ad multa specialia, nec ad aliquod illorum, cum quorum quolibet, & etiã opposito, potest stare hoc verum. H

Aptius exemplum videtur. Si Iudæis erat traditum, vt crederent Deum esse vnum de Trinitate nihil explicitè: non solùm minor reuerentia, sed irreuerentia, & falsitas esset asserere hunc articulum nõ posse esse verum, nisi esset vnus personaliter, sicut est essentialiter: & tamen hoc videretur tunc magis esse cõsonum verbis articuli eis traditi, quàm oppositum. Si igitur illi tunc neutram partem debuerunt asserere esse necessariò tenendam, sed vtraque posita, necessariò tenendũ esse illud, quod in generali fuit eis traditum: ita videtur, quòd circa articulos nobis in vniuersali traditos, non debeamus asserere, sine declaratione Ecclesiæ, necessariò hoc speciale, vel illud esse tenendum, cum quorum vtroque possũt articuli stare, vt traditi sunt. Non .n. Deus, qui scit in speciali istam veritatẽ, sine causa, tantùm secundùm intellectum vniuersalem, tenenda de fide tradidit, & nec ad hunc modum specialem, nec ad illum, tanquam ex fide tenendum arctauit.

A Tertiò. Quia in proposito, nō videtur propter reuerentiam istarum personarum dicendum, q̄ sint tantùm relationes in Essētia, nisi hic certissimè traderetur; & hoc propter modicam entitatē relationis, respectu entis absoluti.

Ad Tertium. Diceret forsan aliquis. Quòd præcisè propter rationem solubilem; à quocunque fiat, non est tenendum aliquid esse de substantia fidei; nec forsan propter conclusionem talis rationis, quatenus præcisè est per illam rationem conclusa, sic arguens se exponeret morti, nec aliquis secundùm rectā rationem se deberet exponere: oportet igitur habere maiorem auctoritatē ad hoc, vt aliquid teneatur esse de fide, quàm quod Sanctus aliquis sic arguat. Sæpe enim quis arguit, quod non omnino asserit; licèt illud quod Sanctus auctenticatus ab Ecclesia, quantū ad doctrinam, asserit esse tenendum, sit certum, tamen alię auctoritates dubiæ, possunt exponi, & multò magis aliorum minùs auctenticorum scribentium.

Isto modo diceret aliquis nihil inueniri contra Opinionem prædictam.

B

ARTICVLVS NONVS.

Auctoritates Secundo Articulo positæ, contra hanc Opinionem resoluuntur.

AD illa quæ secundo modo videntur esse contra eam. Responderetur, discurrendo per ordinem ad illas auctoritates & rationes, quæ contra eam, vel pro Secunda Opinione, superiùs sunt inductæ.

Ad Primū, de Euāgelio; videtur iam supra responsum.

Ad auctoritates August 5. de Trinit. Respondet per distinctionem, positam in principio Opinionis. Quòd August. loquitur de his, quæ sunt ad se, ita quòd nec sunt relatiua, nec referribilia, sed etiam opposita relationi; sicut patet per exempla sua. Videtur enim ipsemet dicere ibi, quod aliquid est ad se, licèt sit referibile ad aliud. Sicut expressè vult Aug. 7. de Trin. cap. 4. vbi tractans, quomodo C Græci dicunt tres esse substantias, vult quòd subsistere, secundùm quod competit substantiæ, illo modo sumptæ, sit ad se. Subdit enim ibi, *Si aliud est Deo esse, & aliud subsistere: sicut aliud est Deum esse, & aliud Patrem esse relatione igitur subsistit, sicut relatione gignit.* Et ex hoc infert. *Itaque Substantia iam non erit Substantia, quia relatiuum.* Et infra. *Absurdum est autem vt substantia relatio dicatur. Omnis enim substantia ad se subsistit, quantò magis Deus?* Quid expressiùs, quàm substantia, secundùm quod Græci accipiunt eam, scilicet pro Persona, scilicet substantia prima, non secunda, sit ad se, & ad se subsistat, illo subsistere, quod competit substantiæ sic dictæ.

Et si obijciatur. Quòd ista verba Aug. de substantia & persona, non debent magis accipi de personali, quàm de essentiali: quia dicit, quòd *eodem dicitur Deus & Persona.*

Respondeo. *Eodem*, id est, aliquo dicto ad se, distinguēdo illud quod est ad se, contra illud quod est ad aliud, eò quod Pater non est Persona Filij, sicut nec Deus est Filij, quemadmodum Sortes non est Sortes alicuius, sicut nec D homo alicuius, id est intelligendo vt correlatiuum; sed non oportet quòd omnino eodē sit Deus & Persona, ita, quòd Persona omnino ad se dicatur, sicut Deus dicitur ad se, vel Deitas; quia tunc, sicut non sunt tres Deitates, & per hoc nec tres magnitudines, secundùm eum; quia magnitudo omnino dicitur ad se, sicut Deitas, sic nec essent tres Personæ, quod ipse negaret. Quæ igitur omnino sunt ad se, non numerātur; quæ omnino ad alterum, non sunt communia tribus; quæ autem ad se, sed non omnino ad se, sed referibilia, quia non repugnat eis referri, sunt communia, sed numerantur, aut possunt dici propria, à quibus potest abstrahi aliquod commune numeratum.

Ad August. 11. de ciui. Dei cap. 10. Concedo, quòd *Pater est quicquid habet, excepto relatiuo quod habet, & non est ipsum.* Habet quidem correlatiuum; sicut Pater habet Filium: & ideo concedo quòd prima Persona est, quicquid habet, ad quod non refertur: non est autem secunda persona, quam habet, vt correlatiuum, licèt ista relatione nō primo constitueretur.

E Ad Boëtium. Quando dicit. Quòd relatio multiplicat Trinitatem &c. Dico, quòd Doctor ille, accipit relationem pro origine, & sic intelligendo, accipitur multiplicare, non pro formaliter distinguere, sed quasi principiatiuè, correspondenter principio effectiuo, & hoc quidem nō est extorquere verba. Multiplicare enim, est, multa facere: sicut Christus verè multiplicauit panes Euangelicos, & tamen ipse non fuit forma illa, qua formaliter multiplicabantur panes illi: & Deus creans multiplicat animas, non tamen est ipse forma, qua formaliter animæ ipsæ distinguuntur.

Ad Ioan. Damasc. Dico. Quòd vna eius auctoritas soluit aliam: quia c. 8. vel 9. præcisè ponit ingenerationem. Et in lib. 3. cap. 5. ponit paternalem proprietatem. Istæ autem duæ proprietates, distinguntur secundùm Aug. 5. de Trin. c. 6. Igitur excludendo omnia alia in Patre, in c. 1. præter ingenerationem, intelligit per ingenerationem omne personale Patris; & ita vbicunque excludit ab aliqua proprietate alicuius suppositi, omne aliud per illam proprietatem inclusam, includit omne aliud personale: & ita includeretur ibi realitas absoluta, si qua esset, & maximè includeretur, vt videtur; quia in creaturis incluso acci- F dente, non excluditur subiectum: & ita inclusa relatione in Persona Diuina, non excluditur illud quod refertur ea; sicut si diceretur, quòd sola Paternitas est non propter hoc excluderetur Pater, qui Paternitate esset Pater.

Ad Ricar. Dico quòd modus existentiæ alius est; & hoc pertinet ad originem. Sed ex hoc non sequitur, quòd originatum non sit aliquid subsistēs ad se, distinctum aliqua realitate personali absoluta alia ab originante.

Ad Ansel. Similiter dico. Quòd omnia sunt vnum, & eadē, vbi nō obuiat relationis oppositio; vel formaliter, sicut relatio obuiat alicui relatiuo, vel sicut natū referri relatione opposita: & isto modo Personæ, si essent absolutæ, distinguerentur; quia in eis sunt relationes principiantes.

ARTICVLVS DECIMVS.

Respondent ijdem auctores, rationibus Secundo Artiulo contra illos adductis. G

AD Rationes pro Secunda Opinione, respondetur.

Ad Primam. Potest dici. Quòd si realitas absoluta aliqua constituat Personas: non tamen facit compositionem cum Essentia Diuina, sicut nec relatio constituens faceret. Quod confirmatur per locum à maiori. Quia realitas propriè subsistentiæ in creatura, non facit compositionem cum natura; relatio autem in creaturis, facit compositionem cum fundamento, vt aliàs declarabitur; ergo si hæc relatio potest non facere compositionem cum Essentia, multò magis nec realitas suppositi, faciet compositionem cum realitate naturæ.

Et cùm confirmatur ratio. Quia absolutum aut manet omnino, aut transit omnino.

Dico sicut dictum est, declarando secūdam positionem. Quòd relatio manet ex hoc, quòd eius ratio, non est formaliter ratio essentiæ, & trāsit, quia secundùm perfectam identitatem est essentia. Ita dici potest. Quòd realitas absoluta, si constituat personam, transit quidem per perfectam identitatem ad essentiam, manet tamen, quia non H est formaliter realitas essentiæ.

Et confirmatur ista responsio. Quia perfectiones attributales, videntur esse absolutæ, & non relatiuæ, sicut dictum est supra, dist. 8. quæst. de attributis, & tamen manent, & transeunt, ita quod non faciunt compositionem, nec sunt idem formaliter ipsi essentiæ, & si aliqua illarum secundùm rationem formalem haberet distinguere realiter ab altera, illa distinctio esset per eam formaliter, & non per essentiam, & tamen non est compositio.

Ad Secundum argumentum. Dico, quòd ponendo personas relatiuas, oportet ponere eas verè subsistentes, & in eis esse eandem naturam indiuisam: hoc non potest poni propter aliquam imperfectionem, personarū in subsistendo; quia ponuntur ita verè subsistentes, sicut si essent absolutæ; ergo oportet quòd ponatur propter infinitatē essentię, quæ est in subsistētibus; sed eadē esset infinitas essentię, si per-

A si personæ essent absolutæ; ergo non oportet tunc naturam diuidi, sicut nec si proprietatibus relatiuis constituantur. Probatur igitur ista. Omnis natura communis, suppositis absolutis, distinguitur & plurificatur in eis. Hæc quidem vera est in creaturis, sed in proposito petit conclusionem principalem.

Ad Tertium. Instando dicitur. Quòd Patri constituto in esse personali, & Filio etiam constituto in esse personali, quasi aduentitia est proprietas, spiratio actiua, secundùm aliquos, & tamen non est quasi accidentalis secundùm eos, nec etiam relatio rationis: quare igitur non posset intelligi in proposito, Personam constitui in esse personali, realitate absoluta, & ei quasi constitutæ in esse tali relatione, aduenire secundum modum intelligendi relationē, & non tamen esse nec accidentalē, nec rationis?

Et cùm probatur quòd sit relatio rationis, per simile, de relatione ad creaturam. Dico; quòd non est simile. Illa enim relatio ad creaturam, non est ex necessitate naturæ fundamenti, sicut est hic.

B Quarta ratio innititur propositioni huic, scilicet. Omne absolutum est actus, & per consequens dans esse.

Hæc improbatur multipliciter. Tū quia in creaturis, vbi maximè videtur habere probabilitatem, habet instantiā de proprietate hypostatica; quia illa non est dās esse; quia tunc natura humana in Christo non haberet idem esse, quod haberet dimissa. Similiter actus dans esse, dat operationem, proprietas hypostatica in creaturis, non dat operationem. Quod patet per Dam. lib. 3. c. 15. *Naturales, & non hypostaticas animus, & voluntates, & operationes. Si enim hypostaticas*, id est, personales, *dabimus eas etherotheleas*, id est, aliud volentes, *& etherouergeas*, id est, aliud operantes, *tres hypostases Sanctæ Trinitatis dicere cogemur*. Vbi ipse, ex hoc, quòd Personæ Diuinæ non habent tres operationes, concludit quòd operatio nō est hypostatica; & hoc in communi, siue de proprietate absoluta, siue relatiua. Præterea tertiò. In omni eo, quod aliquomodo habet esse aliquo, præter illud quod dat sibi esse, est aliquid ratione cuius recipit esse. Patet de cōposito

C ex materia & forma, & omnibus alijs compositis ex actu & potentia: igitur in omni habente esse, per aliquid dans esse, est aliquid quod non est actus dans esse, sed ratio recipiendi esse: & ita videtur in supposito naturæ; quia cùm suppositum habeat esse, & natura det esse, proprietas hypostatica erit ratio recipiendi esse.

Ad argumentum tunc potest dici. Quòd cùm duplicter sit ratio entitatis, quidditatiuæ scilicet, & hypostaticæ; sicut quidditatiuæ est dare esse, quia ipsa est de se cōmunicabilis, ita hypostaticæ est vt non sit actus dans esse, quia de se est incommunicabilis, vt Quo: & licèt in creaturis proprietas indiuidualis det esse, quia est alicuius gradus entitatis positiuæ, vltra entitatem quidditatiuam naturæ, tamen vltra entitatem singularem, proprietas suppositi, nullam entitatem dat: imò nullum positiuum addit, ex 1. quæst. 3. lib. & licèt illud adderet, tamen non esset ratio dandi esse, quia hæc natura existens, in qua includentur natura & entitas singularitatis, est ratio totalis dandi esse; & ita quicquid intelligatur aduenire, siue po-

D sitiuum, siue priuatiuum, siue absolutum, siue respectiuum, non dabit esse, quia per illud quod iam præintelligitur, datur esse. Licèt igitur in Diuinis non sit proprietas personalis tantùm negatio, sed aliqua proprietas, vel entitas positiua, tamen quia natura Diuina est de se hæc per se existens, ipsa habebit totam rationem dandi esse, sicut & in creaturis; & licèt natura existens det totaliter esse, non propter hoc proprietas adueniens, est tantùm negatio; imò si adueniret proprietas positiua, nihil tolleretur ab hac natura existente: ita nec in Diuinis tolletur ab hac natura, quæ est de se existens, quin dabit totaliter esse Personæ, licèt in Persona intelligatur proprietas personalis positiua.

Ad Argumētum igitur. Cùm probatur. quòd sit actus: cùm non sit ibi tantùm virtualiter, sed actualiter. Dico, quòd est ibi fallacia æquiuocationis. Vno modo enim actus est differentia opposita potentiæ; & hoc modo diuidit omne ens. Alio modo actus cum potentia constituit aliquod totum; sicut loquitur Philosophus 8. Meta. t. 15. E de potentia & actu: quod non est verum de potentia opposita actui, quia illa nō manet cum actu: ista igitur proprietas non tantùm est virtualiter in Essentia Diuina, sicut est asinus, qui est in potentia ante actum; & per consequens hæc proprietas est actu ibi, prout actus opponitur tali potentiæ: sed non sequitur; Ergo est actus dans esse: ad hoc enim requireretur, quòd esset actus formalis: hoc enim modo materia daret esse, quia est in composito in actu, non in potentia ante actum.

Secunda ratio videtur deficere. Quia istud non habet se ad essentiam, vt perfectio ad perfectibile, vt diffusè declaratum est, etiam de proprietate relatiua personæ dist. 5. vbi dictum est, quòd persona non componitur ex essentia & proprietate, sicut ex quasi potentiali & quasi actuali; imò essentia habet magis rationem actus: si igitur ista proprietas intelligatur posterior aliquo modo essentia, nō tamen est perfectio eius: ibi enim est idem ordo originis, & perfectionis; & ideo prius origine, est prius perfectione, sicut fuit tunc declaratum diffusè. F

Secundò: dato quòd aliquomodo se haberet ad Essentiam, vt informans ipsam, non tamen esset perfectio simpliciter: quia secundùm Ansel. ratio perfectionis simpliciter est, quòd sit in quolibet meliùs ipsum, quàm non ipsum; quod est impossibile, de proprietate hypostatica; quia illa de ratione sui, repugnat contradictoriè cuilibet alij, ab illo cuius est; & ita non potest in quolibet alio esse melius ipsum, quam non ipsum; quia cuilibet alij repugnat. Sic igitur ad rationem patet, quòd falsum assumitur; si accipiatur quòd istud absolutum, perficiat essentiā.

Nec probatio huius valet, per hoc, quòd aliquomodo sequitur, & non præcedit. Quia in Diuinis sicut potest poni præcessio, actus & forma est primum.

Tertiò: dato quòd haberetur hoc, quod informat. Non sequitur, quòd sit perfectio simpliciter: nec illa quæ inferuntur vlteriùs, scilicet, quòd Essentia Diuina non sit simpliciter perfecta: vel quòd vna persona non sit simpliciter perfecta in se.

Præterea. Ista ratio meliùs concluderet contrarium de relatione; quia probabilius videtur, quòd relatio possit esse perfectio, quàm proprietas hypostatica sit perfectio; quia nulli proprietati hypostaticæ cōuenit esse perfectionem, nec in creaturis, nec in alijs; alicui tamen relationi secundùm propriam rationem, conuenit esse perfectionē; aliqua enim est perfectior altera; vt patet de æqualitate respectu inæqualitatis: quia secundùm Aug. de quantitate animæ, c. 7. *Inæqualitati æqualitatem iure preponis, nec quisquam omnino est, vt opinor, humano sensu præditus, cui non id videatur*: hoc autem non est tantùm à fundamento; potest enim inæqualitas fundari in fundamentis perfectioribus quàm æqualitas. Patet etiam, quòd si esset tantùm ex fundamento, Augustinus faceret petitionem principij. Intendit enim concludere excellentiam, puta circuli, ad figuras rectilineas; & hoc facit, ex æqualitate & inæqualitate; quia si illa excellentia non esset nisi ex fundamentis, & ex illa concluderet excellentiam fundamentorum, circulum faceret. G

Si dicatur. Quòd dictum Aug. verum est, ratione fundamentorum proximorum, non remotorum; proximum autem fundamentum æqualitatis, est paritas. Hoc falsū est, & nihil ad B. Quæro autem. Aut par dicit aliquid ad se; & tunc potest intelligi aliquid esse par, absque hoc, quòd sit alicui par: & similiter tunc, vnde perfectionem habebit paritas respectu imparitatis in triāgulo? vel enim paritas diceret quantitatem; & tunc vel eandem cum illa, quæ communiter ponitur fundamentum æqualitatis; & tunc non erit distinctio aliqua alia quàm rationis, inter fundamentum proximum & remotum: vel aliam; & tūc in isto æquali, diceretur esse duas quantitates: vel fingas aliquem modum alium, quo paritas possit esse absolutum perfectius imparitate, & aliud à quantitate. Si autem dicas relationem, sicut videtur manifestum. Ergo relatio fundabitur per se in relatione, imò videtur dicere eandem relationem, quàm æqualitas: quantum enim est par quāto, & æquale quanto. H

A Ad illud Anſel. Mono. Reſpondetur quòd loquitur tãtùm de quidditatibus, non de proprietatibus hypoſtaticis. Quod probatur. Primò, per exempla eius, de ſapientia & veritate, ex vna parte, auro & plumbo ex alia parte. Secũdò, per rationem, Quia ſolùm illud eſt perfectio ſimpliciter, quod poteſt eſſe in aliquo infinitum: ſolum illud erit in aliquo melius non ipſum, quàm ipſum, quod ex ſe eſt finitum, hæc conueniunt quidditati, ſcilicet eſſe finitum vel infinitum, non autẽ proprietati hypoſtaticæ; quia proprietas perſonalis Diuina, qualiſcunque ſit, nec eſt infinita formaliter, nec finita. Similiter proprietas hypoſtatica, repugnat cuilibet, præterquam vni cuius eſt; ergo non poteſt eſſe cuilibet melior ipſa, quàm non ipſa; ſed nec alicui. Excludit autem Anſel. ab vniuerſitate quidditatum, relationem ſecũdùm quidditatem. Et tunc omnis quidditas abſoluta, vel eſt perfectio ſimpliciter, vel limitata. Sed non ſequitur ex hoc propoſitum, de proprietate hypoſtatica abſoluta.

Tertia ratio, habet Maiorem falſam, in omnibus ordi- B natis eſsentialiter, ex forma, licèt gratia materiæ, quandoque ſit vera: & ſimiliter, in omnibus non ęquè illimitatis. In nullo enim ordine eſſentiali, ex propria ratione prioris, & poſterioris oportet ipſa cõmultiplicari, ſed poteſt ſtare multiplicatio poſterioris, ſine multiplicatione prioris, ſed non è conuersò: ſimiliter, quãdocunque aliqua duo comparantur ad aliquod tertiũ, quod eſt illimitatum, eo modo quo illa duo non ſunt illimitata, nõ oportet condiſtingui in eis. Exemplum, anima intellectiua comparatur ad partes, quia quodãmodo eſt illimitata, eo modo quo partes non ſunt illimitatæ, non oportet animam diſtingui in diſtinctis partibus.

Illa igitur Maior eſt falſa dupliciter, ad propoſitum. Primò. Quia eſſentia, eo modo quo eſt ibi prioritas, prior eſt ipſis proprietatibus, non è conuersò, ſecundùm eos; igitur non oportet eſſentiam diſtingui ad diſtinctionem iſtarum proprietatum. Et Secundò. Quia eſſentia eſt formaliter infinita iſtæ autem proprietates non ſunt formaliter infinitæ, & non oportet infinitum formaliter diſtin- C gui ad diſtinctionem eorum; quæ non ſunt formaliter infinita.

Si etiã Maior acciperetur generaliter, de quibuſcunque abſolutis circumſtantibus idem, habet inſtantiam manifeſtam de anima & potentijs, quæ potentiæ multiplicantur, non multiplicata anima.

Sed ſi hìc euadant, ſpecificando Maiorem de his quæ ſunt eiuſdem ſpeciei, ſicut accipit illa prima Confirmatio Maioris. Nec tunc propoſitio eſt vera vniuerſaliter in relationibus. Patebit enim diſt. 8. 3. libri, quomodo plura eiuſdem ſpeciei eſſe in eodem abſoluto, non eſt contradictio, ſi aliquid illorum non ſit actus alterius, adæquatus ei in quo eſt.

Cùm autem Maior declaratur per inductionem. Fit fallacia conſequentis. Quia accipiuntur aliqua ſingularia, non ſimilia propoſito, puta, in quibus diſtinctio priorum conſtituit diſtinctionem poſteriorum, vel in quibus eſt conſimilis limitatio vtrobique, & non illimitatio in vno D reſpectu alterius; ex his enim non poteſt propoſitum inferri vniuerſaliter, quia falſa eſt vbi deficiunt cõditiones; ſicut in propoſito.

Sed ad aliud vltimum additum ad Confirmationem Maioris, per idem, quòd in eodem ſimpliciter perfecto, non poſſunt eſſe plura eiuſdem rationis. Poſſet dici, quòd ſicut ſimpliciter perfectum, idem numero, eſt communicabile pluribus ſuppoſitis, eiuſdem rationis, ita quòd non repugnat ſibi ex hoc, quòd eſt perfectio ſimpliciter, ſed conuenit ſibi, quòd ipſum ſit in pluribus ſuppoſitis eiuſdem rationis; ita ex perfectione eius ſibi poteſt competere, quòd plura eiuſdem rationis poſſunt eſſe in eo, ſicut ſuppoſita in natura: & per conſequens ſunt in eo plures proprietates hypoſtaticæ, eiuſdem rationis ſed non poteſt ita eſſe de alijs, de quibus exemplificatur, puta de Patre & Verbo; eo quòd perfectio Diuina requirit, quòd quælibet productio habeat terminum adæquatum, non autem ita requirit, quòd aliqua proprietas hypoſtatica ſit adæquata illi naturæ, in conſtituendo ſuppoſitum.

Per iſtud poſſet dici ad illam primam Confirmationem E Maioris, applicando eam ad propoſitum. Quòd eſt ibi fallacia æquiuocationis. Maior enim ſi eſſet vera, debet intelligi de eſſe in, ſicut actus eſt in eo, quod informatur, ſed Minor non eſt vera; proprietas autem non eſt in eſsentia, vt informans eam, ſed vt conſtituens ſuppoſitum in ea.

Poſset tamẽ ad vtramque Confirmationem dici. Quòd iſtæ proprietates, non ſunt eiuſdem rationis formaliter, ſicut in creaturis proprietates indiuiduales, ſunt primò diuerſæ & non eiuſdẽ rationis. Et ſi ex hoc inferatur, quòd ſunt alterius ſpeciei, ſiue quòd vtraque earum habet rationem alterius ſpeciei: & per hoc oportet ipſam per aliud determinari, ad incommunicabilitatem. Non ſequitur: ſicut nec in proprietatibus indiuidualibus in creaturis; licèt non ſint eiuſdem rationis in aliquo, tamen nulla eſt entitas quidditatiua, & communis, ſed de ſe hæc.

Quarta ratio etiã procedit ex falſa imaginatione, quòd iſtæ proprietates exprimuntur ab Eſsentia, quaſi per originem; quod non fuit dictum: ſed ſicut aliqui concedunt, quòd relationes pullulant in eſsentia, ſi tamen hoc pro- F priè dicatur, quaſi poſset cõtra eos concedi, quòd iſtæ proprietates abſolutæ, ſi ſint, pullulant in Eſsentia: & licèt quælibet ſit in eodem ſuppoſito, cum illo ex quo pullulãt, quia Eſsentia eſt in omnibus Perſonis, non tamen aliqua eſt in eadem Perſona cum illa, à qua habetur per veram originem, nec repugnat vera originatio Perſonæ habenti vnam, à Perſona habente aliam; licèt omnes iſtæ non originentur, ſed aliquo modo pullulent in Eſsentia, ſicut alij habent dicere, qui dicunt ſuppoſitum conſtitui per relationem, quòd Filius pullulat à Patre per originem, & tamen Filiatio aliquomodo pullulat in Eſsentia, ſiue ab Eſsentia Diuina.

Quinta ratio videtur deficere. Quia difficiliùs videtur ſuſtinere originem, ponendo extrema tantùm eſse relatiua formaliter, quàm ponendo ea eſse abſoluta. Nam ſi tantùm ſit relatiua, nihil aliud erit perſonam originare perſonam, quàm relatiuum habere correlatiuum: ſed relatiuum poſitum ſine omni actione alia, videtur habere correlatiuum: ſi autem ponètur abſoluta, nõ videtur tan- G ta difficultas, quomodo vnum ſuppoſitũ gignatur ab alio, cùm in creaturis, ſecundùm eos, ſint ſuppoſita abſoluta, & tamen non negatur originatio vnius ab alio.

Cùm arguitur tunc. Quòd abſolutum præcedit relationem, & ita originationem. Reſpõdeo. Dictum fuit, quòd originatio pertinet ad genus cauſæ efficientis, non formalis; & ſicut in creaturis terminus non habet eſse originatione formaliter, ſed quaſi effectiuè: nec ex hoc, quòd non eſt formaliter illo, ſequitur quòd præcedat illud: ita poſset dici in propoſito; nec videtur maior difficultas de prioritate abſoluti, & reſpectiui in creaturis, quàm hìc.

Argumenta principalia ſoluuntur.

AD Argumenta principalia.

Ad Primum. Patet, quomodo Perſonæ non differunt: neque enim productio Perſonæ à Perſona eſt æquiuoca, vt tactum eſt de hoc diſt. 7.

Ad Secundum. Dicitur, ſecundùm tenentes Secundam H Opinionem, quòd relationes communes non primo modo pullulant in Eſsentia, ſed priùs pullulant in eo relationes originis: & ideo primæ conſtituunt, & nõ aliæ, quia quaſi adueniunt perſonis conſtitutis.

Tamen non videtur hoc poſſe ſtare, ſed oppoſitum. Quia magnitudo magis pertinet ad Eſsentiam, vt intelligitur abſtracta à Perſonis, quàm actio, vel paſſio, quæ non eſt niſi ſuppoſiti; ergo relationes conſequentes magnitudinem, cuiuſmodi eſt relatio ęqualitatis, magis poſsunt intelligi in Eſsentia, vt Eſsentia videtur abſtracta à Perſona, quàm relationes originis. Cõſimiliter poteſt argui in propoſito de ſimilitudine, quæ conſequitur Eſsentiã, vt habet rationem formæ in qua ſuppoſita aſſimilantur; ergo non priùs pullulãt iſtæ, quàm illæ. Quodſi relationes cõmunes æquè primò vel priùs pullulant, & iſtæ poſsunt cõſtituere, vt probat ratio; ergo conſtituunt: non eſt enim ibi poſſibilitas ad aliquid, quod non eſt in actu; nec forma aliqua

poteſt

A poteſt ibi conſtituere perſonam, niſi actu conſtituat, ſi illa forma actu eſt, vt videtur; ſicut nec forma aliqua poteſt actu conſtituere aliquid in ſpecie, quin ipſa ſi ſit, & nõ habeat imperfectum eſſe, conſtituat aliquid in ſpecie.

Ad iſtud poteſt dici. Quòd ſicut quælibet eſſentia creata, licèt ipſa ſit quidditas & quanta, ita quòd ſemper eſt in certo gradu perfectionis, & qualitatis eſſẽtialis; ſicut tangetur diſt. 31. priùs tamen eſt quidditas, quàm quanta, vel qualis: & inde priùs eſt in indiuiduo ratio idẽtitatis ad aliud indiuiduum, quàm æqualitatis & ſimilitudinis: ita etiam eſt priùs ſuppoſito ratio agendi, ſi eſt forma actiua, quàm ratio æqualitatis, vel ſimilitudinis: non enim poſterius conſequitur ipſum ratio actiui, quàm eſſe rationem identitatis. In Diuinis ergo, cùm communicare ſit actio, cuius formale principium eſt Eſſentia, vt Quid, quodammodo priùs in ea erunt relationes pertinentes ad communicationem, quàm aliæ æqualitatis vel ſimilitudinis, quæ fundãtur in ipſa ratione quantitatis virtualis, & qualitatis eſſentialis.

B Per hoc, ad argumentum dico. Quòd nec actio, nec æqualitas, poteſt intelligi in eadem natura ad intra, niſi ſint ſuppoſitorum, vt relatiuorum; tamen erunt naturæ, vt fundamenti, & priùs eſt eorum actio; quàm æqualitas, ſicut ipſa actio, priùs conſequitur fundamentum, ratione cuius eſt ſuppoſitorum, quàm æqualitas conſequatur.

Contra. Hæc reſponſio videtur ſupponere Eſſentiam merè, vt eſt Quid, eſſe rationem communicandi in Diuinis, cuius oppoſitum determinatum eſt diſt. 13.

Reſpondeo. Eſſentia, vt Quid, eſt ratio communicandi Eſſentiam: nec ſolùm hoc, ſed cum hoc, Eſſentia vt eſt intellectus, & vt eſt voluntas, eſt principium productiuum Perſonæ, & communicatiuum Eſſentiæ; ſicut dictum eſt ibi, & diſt. 2. huius 1. lib. Nunc autem, ſicut Eſſentia intelligitur priùs ratio communicandi ſe, quàm intelligitur eſſe quanta, vel qualis; ita etiam intelligitur ratio operandi priùs, quàm quanta, vel qualis: non enim poſterius conuenit Eſſentiæ eſſe principium operatiuum, reſpectu operationum propriarum tali naturæ, quàm ſibi conueniat

C eſſe principium actiuum; & hoc ſiue productiuum reſpectu producibilium in illa natura, ſiue communicatiuum ipſius naturæ: Eſſentia autem Diuina, eſt principium operationum propriarum tali naturæ, inquantum natura eſt intellectus & voluntas; quia intelligere & velle, ſunt propriæ operationes illius naturæ: ideo priùs eſt Eſſentia, non tantùm Eſſentia, ſed etiam intellectus & voluntas, quàm ſit quanta, vel qualis. Quamuis igitur productio non conueniat ſoli Eſſentiæ, vt Eſſentia, eſt, tanquam principio productiuo, ſed etiam intellectui & voluntati, tanquam principio productiuo cum Eſſentia, inquantum Eſſentia, adhuc ſtat, quòd relatio producentis & producti, priùs pullulat in Eſſentia, quàm relatio æqualitatis vel ſimilitudinis.

Contra. Ex iſta reſponſione videtur ſequi, quòd intellectus & voluntas, non ſunt attributa. Quia attributum quaſi perficit in eſſe ſecundo aliquid, quaſi præſuppoſitum in eſſe primo; ergo nihil quod pertinet ad eſſentiam, priùs

D quàm intelligatur quanta, vel qualis, eſt attributum.

Similiter. Ex hoc videtur, quòd intellectus & voluntas, non diſtinguantur ibi ex natura rei; cõſequens eſt contra dicta, diſtinct. 13. Conſequentia probatur. Quia illud quod in Deo præcedit rationem quantitatis, & qualitatis, eſt tantùm Quid; Quid autem vt Quid, non diſtinguitur in Deo ex natura rei: quia tunc non eſſet Quid eius ſimplex.

Ad iſta. Ad Primum. Dico: Etſi in ſubſtantia creata, potentia, ſiue illud quod eſt principium propriæ operationis conuenientis tali naturæ, non eſt aliquid pertinens ad E genus Qualitatis, ſed vel eſt merè ipſa ſubſtantia, cui competit operatio, vel eſt aliqua perfectio identicè contenta in ſubſtantia: & hoc pertinens ad ipſam ſubſtantiam, vt ſubſtantia eſt, non autem quaſi quædam qualitas circumſtans ipſam ſubſtantiam, quomodo eſſet ponendum de potentijs animæ, ponendo aliquam diſtinctionem realem inter ipſas, & tamen ipſas non eſſe accidentia; multò magis Eſſentia Diuina, circumſcripto omni eo, quod eſt quaſi qualitas, habet in ſe, vt Eſſentia eſt, illa quæ ſunt principia propriæ operationis cõuenientis Deo, huiuſmodi ſunt intelligere, & velle.

Concedo igitur, quòd propriè vocando attributa illa ſola, quæ quaſi qualitates perficiunt in eſſe ſecundo, rem præſuppoſitam in perfecto eſſe primo, ſcilicet quantùm ad omnem perfectionem, quæ conuenit rei, vt eſt ſubſtantia. Hoc modo intellectus & voluntas, nõ ſunt attributa; imò ſunt quædam perfectiones intrinſecæ in Eſſentia, vt præintelligitur omni quantitati, & quaſi qualitati.

Iſtud declaratur. Quia ſicut ab aliquibus conceditur; F quòd vita, vel viuere, non ſit attributum; quia dicit tale eſſe, non talitate quaſi accidentali, ſed quaſi per ſe contrahente rem; ſicut homo eſt animal tale, quia eſt rationabile: eodem modo cùm intellectus ſit quædam vita, & voluntas quædam vita, non erunt propriè attributa.

Vel aliter declaratur, & meliùs. Quia hæc eſſentia, vt hæc eſſentia, præcedens omnem quaſi qualitatem, eſt intellectualis & volitiua eſſentia; ita quòd ſicut rationalitas non eſt attributum homini, ſic nec intellectualitas huic eſſentiæ. Iſtud patet ſimile de infinito, (quod aliàs negaui eſſe proprium attributum) quia dicit modum intrinſecum cuiuslibet in Deo, tàm ſubſtantiæ quàm cuiuslibet attributi: ita intellectualitas dicit modum intrinſecum huius eſſentiæ: propriè autem attributa ſunt ſapientia, & charitas, & alio modo tranſcendentia, puta veritas, & bonitas.

Ad Secundum. Dico, quòd Quid Dei ſimplex, non eſt punctualiter ſimplex, quaſi vnicam ſolam perfectionem G in ſe continens: ſed hæc eſſentia eſt ſimplex, & illimitata; quia illimitata non tantùm intenſiuè in vna ratione, ſed in omnibus quæ ſunt principia propriarum operationum Dei: ſicut natura creata, eſt quodammodo illimitata, quia identicè eſt quodlibet principium tale operandi: cum hac tamen illimitatione Eſſentiæ Diuinæ, quaſi extenſiua, ſtat ſimplicitas; quia infinitum nulli eſt componibile, vt pars parti, ſed tamen poteſt eſſe realiter idem, licèt non formaliter, cuilibet infinito.

Ad Tertium. Reſponſum eſt diſtinct. 5. Quòd quędam ſunt relationes ſecundi modi, incompoſſibiles in eodem ſuppoſito, quæ ſcilicet dicunt ordinem eſſentialem, vel ordinem originis; quædam autem eiuſdem modi, non ſunt incompoſſibiles, quæ ſcilicet dicunt accidentalem ordinẽ, vt mouens & motum; non enim dependet motum à mouente, niſi per accidens, quo ſcilicet ad illum actum, quem recipit ab eo, ſcilicet mouere; & ideo licèt voluntas poſſit mouere ſe, nullum tamen idem ſuppoſitum poteſt producere ſe: & ideo relationes producẽtis & producti, ſufficienter diſtinguunt realiter ſuppoſita. H

Ad Boëtium. Reſpondeo, quòd intelligit de relatione identitatis, ſecundùm naturam, non formaliter: quaſi diceret, quòd quædam relationes neceſſariò exigunt diuerſitatem naturæ in extremis: iſta autem relatio, quæ eſt relatio originis, non ita exigit, ſed compatitur ſecum identitatem naturæ; ideo eſt quaſi eiuſdem ad ſe, propter identitatem relatorum in natura, licèt ſit diſtincti ad diſtinctũ, loquendo de diſtinctione ſuppoſitorum.

DI-

A # DISTINCTIO XXVII. E

QVÆSTIO PRIMA.

Vtrum verbum creatum, sit intellectio actualis?

Circa istam Distinctionem Vigesimam Septimam. Quæro tria, de Verbo. Et Primò, de Verbo intellectus creati.

Vtrum verbum creatum, sit intellectio actualis?

QVòd non. Aug. 8. de Trin. cap. 6. *Phantasia Carthaginis in memoria mea est verbum eius*: phantasia illa sumitur propriè pro specie, non pro actuali imaginatione; ergo eodem modo, verbum B intellectuale est species intelligibilis, & non intellectio actualis.

Item. Aug. 15. de Trin. cap. 11. & 25. *Proinde verbum, quod foris sonat, signum est eius verbi, quod intus latet*: verbum autem exterius, est signum rei, & non intellectionis, alioquin quælibet affirmatiua esset falsa, in qua non prædicatur idem de se; quia intellectio subiecti non est intellectio prædicati, licèt res sit res; ergo verbum est obiectũ; & non actualis intellectio.

Præterea. Aug. 9. de Trinit. c. vlt. *Verbum est proles, & genitum à memoria*: actio autem non gignitur, sed est quo aliud gignitur; ergo verbum est aliquid formatum præter actum intelligendi, & non ipse actus.

Contra. Ibidem vocat Aug. verbum notitiam. Et 15. de Trin. c. 15. & 27. *est visio de visione, & scientia de scientia*.

ARTICVLVS PRIMVS.

C *Ponitur, & impugnatur aliorum Opinio.*

AD istam Quæstionem. Dicitur, (*ab Henr. quol. 6. q. 1. & in sum. quol. 2. q. 6.*) quòd verbum est intellectio actualis, & non quæcunque, sed declaratiua.

Ad quod intelligendum ponitur sic. Intellectus primò recipit intellectionem simplicem ab obiecto, qua impressione recepta, intellectus vt actiuus est, conuertit se supra se, & super actum suum, & obiectum, intelligendo se intelligere: Secundò, requiritur impressio notitiæ declaratiuæ, in intellectum nudum conuersum, & hoc ab intellectu informato notitia simplici: ita quòd intellectus informatus tali notitia, est ratio imprimendi notitiam declaratiuam, & intellectus nudus conuersus, est proprium receptiuum. Et inter has duas intellectiones, primam scilicet, quæ est ratio imprimendi, & secundam, quæ est impressa, est habitudo media, quæ est actio de genere actionis, quæ notatur per hoc, quod est dicere. Est enim dicere illud, exprimere, vel imprimere notitiam declaratiuam D notitiæ simplicis, & ista notitia declaratiua impressa in intellectum nudum conuersum, & terminans illum actum dicendi, est verbum. Non igitur quæcunque intellectio actualis est verbum, sed illa quæ est declaratiua, quæ præsupponit intellectionem actualem simplicem, & conuersionem actualem super illam, & gignitur actu dicendi, cuius principium actiuum, est notitia simplex, & receptiuũ, est intellectus nudus conuersus.

Contra istam Opinionem arguo Primò. Quia irrationabile videtur, ponere eandem potentiam esse actiuam; respectu vnius actus sui, & passiuam, respectu actus alterius. Quia ex hoc videtur, quod non est potentia eiusdem rationis: quæcunque enim potentia vnius rationis, importat similem habitudinem potentiæ ab obiectũ: visus enim non est actiuus respectu vnius actus videndi, & passiuus respectu alterius: vnde quicunque actus vnius potentiæ, habet similem habitudinem potentiæ ad obiectum; igitur si intellectus est tantùm passiuus, respectu notitiæ simplicis lapidis, & perfectè actiuus, respectu conuersionis, quæ est actus secundus, quo intelligit se intelligere lapidem, non erit, vt videtur, vna potentia.

Videtur etiam inconueniens, quòd non possit habere aliquam actiuitatem, respectu actus imperfectioris, & tamen possit esse totale actiuum, respectu actus perfectioris: ponitur autẽ à quibusdam, quòd conuersio illa, est actus perfectior, intellectione simplici. F

Quod postea additur, Quòd intellectio actualis est ratio gignendi notitiam declaratiuam. Hoc videtur esse inconueniens in nobis. Quia forma imperfectior, non potest esse ratio perfecta gignendi perfectam, illa autem prima notitia in nobis, confusa est, & imperfectior notitia distincta; ergo &c.

Præterea. Si notitia prima, est ratio gignendi secundam. Aut hoc est, quando prima non est; & tunc non ens, ratio erit agendi: aut quando est; & tunc: aut sunt eiusdẽ rationis, aut alterius. Si secundo modo, & prima est imperfectior secunda; non igitur est principium gignendi secundam, quia imperfectius non est principium producendi perfectum: vnde in productione æquiuoca, semper causa est perfectior effectu. Si primo modo; tunc duo actus intelligendi eiusdem speciei, sunt simul in eodem, siue in eadem potentia; quia memoria & intelligentia, sunt vna potentia, & respectu eiusdem obiecti, & in eodem instanti.

G Item. Tunc non poneretur Trinitas in mente, secundùm quod mens est: quia mens non habet aliquam actiuitatem propriam, secundùm quod mens est, sed præcisè per accidens, eius per accidens, quod est notitia simplex; sicut nec lignum habet aliquam actiuitatem respectu calefactionis, quæ attribuitur sibi per calorem, qui est accidens eius per accidens. Et ita videtur Aug. frustra quæsiuisse in mente, secundùm quod mens est, parentem, & prolem: quia ratio parentis, non videbitur competere animæ, secũdùm aliquid sibi essentiale, sed secundùm aliquod accidens, præcisè per accidens, quod imprimitur ei ab obiecto.

Præterea. Gignere verbum, non est actus intelligentiæ, sed memoriæ, secundùm August. omnis autem intellectio actualis, est intelligentiæ, non memoriæ, secundùm eum, 14. de Trin. cap. 17. ergo nulla actualis intellectio, est ratio gignendi verbum.

Præterea, quod dicit de conuersione. Quòd illa sit necessariò præuia gignitioni verbi. Videtur esse contra Aug. 15. de Trin. c. 16. vbi videtur dicere, quòd verbum perfectissimum nostrum, erit in patria, respectu obiecti beatifici: & tamen ibi ille actus, non erit conuersiuus; quia visio beatifica, non habet aliquid creatum pro obiecto immediato; omnis autem actus conuersiuus in nobis, habet aliquid creatum pro obiecto immediato. Nec illa visio præsupponit conuersionem: quia si illa visio est effectus solius Essentiæ Diuinæ, aut intellectus cooperantis Diuinæ Essentiæ; præcedit naturaliter conuersionem intellectus super ipsum intelligere. H

Quod etiã dicit. Quòd vt conuertitur, est merè actiuus, & tamen vt conuersus, est merè passiuus, respectu notitiæ genitæ, quæ est verbum. Videtur valde irrationale, quòd idem sub ratione, qua est actiuum, sit tãtùm passiuum, respectu actus eiusdem rationis, & inquantum est merè passiuum, sit actiuum respectu actus eiusdem rationis: intellectus autem inquantum recipiens notitiam simplicem, est tantùm passiuus, & inquantum est se conuertens, est tantùm actiuus; igitur videtur quòd incõueniens sit, quòd inquan-

[A] inquantum conuersus, sit passiuus respctu generationis verbi, & inquantum habens notitiã simplicem, sit actiuus respectu eiusdem generationis.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Explicatur vera Sententia.

AD Quæstionem igitur istam, aliter respondeo. Quia ratio verbi præcipuè accipitur ab Aug. lib. de Trinit. Supponenda sunt quædã certa, quæ secundùm ipsum conueniunt verbo. Et secundò, per diuisionem, sunt illa remouenda ab omni eo, quod nõ est verbum; sicut facit Philosophus 3. Ethic. ad inquirendum genus virtutis, vbi diuidit illa quæ sunt in anima, vt potentias, & passiones, & habitum. Tertiò, illis remotis, quæ non conueniunt illi, de quo quęritur. Et ex illis inuestigandum est, quid est in intellectu, cui potissimè conueniant illa, & illud ponendum est verbum.

[B] Verbum igitur (secundùm ipsum) est actus intelligentiæ: vt patet comparando Trinitatem, quam ponit 9. de Trin. cap. vlt. Trinitati, quam ponit cap. 11. lib. 10. Notitia enim correspondet intelligentię. Verbum etiã non est sine actuali cogitatione, sicut patet 15. de Trin. c. 15. Verbum ẽt genitum est de memoria, vel de sciẽtia in memoria, vel de obiecto relucẽte in memoria, siue in scientia, sicut patet per ipsum 15. de Tri. c. 10. & 24. *Formata quippe cogitatio, ab ea re, quam scimus, verbum est*: & c. 14. *Verbum nostrum de scientia nostra nascitur. & verbum Dei de Patris scientia natum est*: & ista omnia sunt eadẽ; quia secũdùm ipsum, 9. de Tri. c. vlt. *A cognoscente, & cognito paritur notitia*: quæ duo sunt vna causa integralis, respectu notitiæ genitæ: sicut dictum est dist. 3. q. 7. Verbum etiã ab eo inquiritur propter imaginem in mente, & ponitur secunda pars imaginis, scilicet proles; sicut patet per ipsum, 9. de Trin. c. vlt. *Est igitur imago quędam Trinitatis, ipsa mens, & notitia eius, quæ est proles eius, ac de ipsa verbum eius, & amor tertius.*

Posset igitur describi verbum. Quòd Verbum est actus [C] intelligentiæ, productus à memoria perfecta, non habens esse sine actuali intellectione, repræsentans Verbum Diuinũ. Propter illud enim Aug. inquisiuit de verbo nostro. Ex his apparet, quòd Verbum nihil est pertinẽs ad voluntatem, neque ad memoriã; quia est secunda pars imaginis, nec prima, nec tertia; & per consequens non est species intelligibilis, nec habitus, nec ailquid pertinens ad memoriam. Est igitur aliquid pertinens ad intelligentiam; in intelligentia autem non videtur esse, nisi vel actualis intellectio, vel obiectum terminans illam intellectionem; vel secundùm alios, species genita in intelligentia, de specie in memoria, quæ species in intelligentia, præcedit actum intelligendi, vel secundùm aliquos, est aliquid per actum intelligendi formatum, vel secundùm alios, ipsamet intellectio, vt passio, quasi causata à se, vt actio. Et secundùm hęc quinque, possunt esse quinque Opiniones de verbo.

Non est autem verbum species in intelligentia, prior actu intelligendi: quia talem speciem superfluum est pone- [D] re. Ipsa enim non repræsentat perfectiùs obiectum quàm species in memoria, & sufficit habere vnum perfectè repræsentans obiectum, ante actum intelligendi. Quòd autem non perfectiùs. Probatur per Aug. 15. de Trin. c. 13. *Nihil plus in prole, quàm in parente.*

Tunc etiam duæ essent species eiusdem rationis, in eadem potentia: quia istæ duæ species, sunt eiusdem rationis, & ipse intellectus, vt memoria, & vt intelligentia, est vna potentia; quia idem est actus primus, & quo habens operatur, siue, quo habens actum primum, est in actu secundo.

Tunc etiam habitus non esset immediatum principium actus; nec habens habitum, esset in potentia accidentali, ad agendum secundùm illum habitum; quia requireretur forma prior ipsa operatione, alia ab habitu.

Nec ista species in intelligentia posset poni gigni naturaliter, si nunquam posset esse sine actuali intellectione; quia actualis intellectio subest imperio voluntatis.

Nec etiam posset dici gigni liberè, vel eius gignitionem subesse imperio voluntatis, vt videtur, si ponatur forma [E] prior ipsa operatione: quia videtur quòd primum pertinens ad intellectũ, quod est in potestate nostra, est actualis intellectio.

Nec ipsum obiectum potest poni verbum, sicut dicit alia opinio. (*Petr. Aureol. hic. D. Tho. 1. par. sum. quæst. 34. art. 1.*) Quia obiectum secundùm se, non est aliquid productum virtute memoriæ, siue alicuius in mẽte, quale est verbum; nec ipsum obiectum vt in memoria, producitur virtute memoriæ, vt patet: ipsum autẽ obiectum, vt in intelligentia, non gignitur, nisi quia aliquid prius gignitur, in quo obiectum habet esse; quia sicut dictum est dist. 3. istę actiones & passiones intentionales, non conueniunt obiecto, nisi per aliquam actionẽ, vel passionem realem, quæ conuenit ei, in quo obiectum habet esse intentionale.

Nec etiam est terminus aliquis productus per intellectionem: quia intellectio, nõ est actio productiua alicuius termini; tunc enim incompossibile esset eam intelligere, & non esse termini. Sicut incompossibile est intelligere calefactionem esse, & non esse calorem, ad quem fit calefa- [F] ctio; non est autem impossibile intelligere intellectionem in se, non intelligendo quòd sit alicuius termini, vel producti per ipsam.

Confirmatur etiam. Quia operationes tales, dicuntur esse actus vltimi, ex 1. Ethic. c. 9 & 9. Metaph. t. 16.

De hac materia dictum est supra, distinct. 3. qualiter est quædam actio de genere actionis, & alia quæ est qualitas, cuiusmodi est intellectio.

Improbatur etiam hæc via, & sequens de intellectione passione, per idem medium. Quia tunc intelligẽtia gigneret verbum, & non memoria: quod est contra August. Intelligentia enim produceret illum terminum actionis intelligendi, si quis esset; & intelligentia produceret intellectionem passionem, si qua esset.

Ista etiam via de intellectione actione, & passione, non videtur rationabilis. Quia intellectio est forma vna, quæ licèt posset comparari ad agẽs, à quo est, & ad subiectum, in quo recipitur; tamen ipsa ex hoc nõ habet talem distin- [G] ctionem, vt possit esse quasi causa sui, vel esse terminus actionis secundùm hoc, & non secundùm illud. Quia si est terminus actionis, hoc est secundùm se; nec secundùm istum respectum, nec secundùm illum; sed eam concomitantur isti respectus.

Sequitur igitur per viam diuisionis. Quòd verbum est actualis intellectio.

Et hoc confirmatur per Aug. 15. de Trin. c. 16. *Cogitatio quippe nostra, perueniens ad illud, quod scimus, atque inde formata, verbum nostrum est*. Idem ẽt habetur ab eodem 15. de Trin. c. 10. & 14. *Formata quippe cogitatio verbum est*; sicut supra dictum est.

Et confirmatur istud per simile de verbo vocali, & imaginabili. Formatur enim verbum vocale ad significandũ, & declarandum illud quod intelligitur: sed quòd vox non statim formatur ab intelligente, inquantum intelligens, sed per aliquam potentiam mediam, puta motiuam, hoc est imperfectionis in intellectu: si igitur statim gigneretur, vel formaretur, vt expressiuum illius, quod latet in [H] intellectu, & hoc virtute intellectus intelligentis, non minùs esset verbum: obiectum autem habitualiter cognitũ, latet in memoria; si igitur virtute eius statim causaretur aliqua intellectio actualis, quæ genita, exprimat & declaret illum obiectum ibi latens; verè est ibi verbum, quia expressiuum latentis, & genitum virtute eius, ad exprimendum ipsum.

ARTICVLVS TERTIVS.

Notitia actualis, non quæcunque, sed genita, est verbum.

SEd restat dubitatio vlteriùs. Vtrum quælibet intellectio actualis, sit verbum?

Ad hoc dicitur, (*ab Henr. quol. 2. quæst. 6.*) Quòd non: sed oportet addere quasi differentiam specificam, quæ est declaratiua.

Contra hoc arguitur. Quia in Patre est notitia declaratiua

A tiua formaliter. Nam intellectio, quæ eſt Patris, in quantum eſt intelligentia, eſt declaratiua Patris, in quantum eſt memoria ita perfectè, ſicut actualis intellectio, vt in Filio declarat habitualē, vt in memoria Filij, in Patre tñ nō eſt verbū formaliter: ſicut dicetur in ſolutione quęſtionis.

Similiter verbum declarat ſe, ſecundùm Aug. de Trin. c. 3. Si (inquit) *hoc verbum, quod nos proferimus temporale, & ſeipſum oſtendit, & ipſum de quo loquimur, quantò magis verbum Dei, per quod facta ſunt omnia? &c.* ſupple ſeipſum oſtendit: declarare igitur non dicit relationem realem; nec per conſequens relationem geniti; verbum autem non eſt, niſi intellectio genita; alioquin poſſet poni in Patre formaliter.

Aliter dicitur (*à quibuſdam antiquioribus*) quantùm ad iſtum Articulum. Quòd verbum eſt notitia actualis, quæ eſt terminus inquiſitionis. Quod oſtenditur per Aug. 9. de Trinit. c. vlt. vbi dicitur, quòd *verbum eſt partum*, ſiue proles; eſt autem partum, quia eſt repertum. non eſt autem B repertum, niſi quia inquiſitum. vnde vult: quòd *partum iſtum mentis, præcedit appetitus, impellens intellectum ad inquirendum*.

Idem videtur velle 15. de Trini. c. 15. *Tunc fit verum verbum, quando illud quod nos diximus volubili motione iactare, ad illud quod ſcimus peruenit, at que inde formatur, eius omnimodam ſimilitudinem capiēs, vt quomodo res quæque ſcitur, ſic etiam cogitetur*: iſta autem volubilis cogitatio, eſt inquiſitio, qualis non erit in patria, ſicut innuit c. 16. *fortaſſis etiam non erunt ibi volubiles cogitationes noſtræ &c.*

Ponitur tunc, quòd poſt notitiam confuſam, ſequitur inquiſitio per diuiſionem, & argumentationem, & vltimò deuenitur ad perfectam notitiam, quæ quaſi gignitur ipſa inquiſitione; & illa perfecta notitia, quæ eſt terminus inquiſitionis, eſt verbum.

Contra iſtud arguitur, ſic. Si de ratione verbi ſit, ſic gigni inquiſitiuè; igitur Deus non habet verbum.

Secundò. Igitur Angelus non habet verbum, de natuturaliter ſibi cognitis.

C Tertiò. Igitur Beatus non habet verbum de Eſſentia Diuina, nec de aliquo perfecto cognito, ſine inquiſitione.

Quartò. Igitur habēs perfectum ſcientiæ habitum, ſtatim operans per illum habitum, non poteſt habere verbum. Quæ omnia videntur abſurda.

Ideo iſtis Opinionibus omiſſis, quoad iſtū Articulum. Dico. Quòd non quælibet intellectio actualis eſt verbum, ſicut probatur contra iſtam viam, quæ ponit declaratiuū eſſe proprium verbi. Sed tantùm notitia genita: ideo in Patre non eſt verbum formaliter: quælibet autem notitia genita, quam Aug. vocat prolem, eſt verbum, non tamē eò modo quo Aug. ponit verbum perfectum, quod ſcilicet repræſentet Verbum Diuinum.

Primum iſtorum declaro. Quia quælibet intellectio actualis gignitur de memoria imperfecta, vt de imperfecta, ſicut perfecta de perfecta; igitur quælibet notitia eſt proles, & expreſſiua parentis, & genita ad exprimendum parentem.

Et iſtud confirmatur per Aug. 9. de Trini. c. 10. *Omne* D *quod notum eſt, verbum dicitur animo impreſſum, quamdiu de memoria diffinire, & proferri poteſt*. Item 15. de Trini. c. 12. *Igitur nec intereſt, quando illud didicerit, qui quod ſcit loquitur; aliquando enim ſtatim vt diſcit, hoc dicit*. Et breuiter, quæcunq; differentia inueniatur inter notitiam primam genitam imperfectam, & illam, quæ ſequitur inquiſitionem, non eſt differentia formalis, propter quam hæc poſſit dici verbum, & iſta non, vt videtur.

Secundum declaro ſic, ſcilicet, quòd intellectus noſter, non ſtatim habet perfectam notitiam obiecti. Quia ſecundùm Philoſ. 1. t. 2. Phyſ. Innata eſt nobis via procedendi à confuſo ad diſtinctum, & ideo priùs ordine originis, imprimitur nobis notitia obiecti confuſa, quàm diſtincta: & ideo eſt neceſſaria ad hoc inquiſitio, vt intellectus noſter veniat ad diſtinctam notitiam: & ideo neceſſaria eſt inquiſitio præuia verbo perfecto: quia nō eſt verbum perfectum, niſi ſit notitia actualis perfecta. Sic igitur intelligendum eſt, quòd cognito aliquo obiecto confuſè, ſequitur inquiſitio per viam diuiſionis differentiarum conuenientium illi, & inuentis omnibus illis differentijs, cognitio diffinitiua illius obiecti, eſt actualis cognitio perfecta, & perfectè declaratiua illius habitualis notitiæ, quæ primò erat in memoria: & ita diſtincta notitia perfecta declaratiua, eſt perfectum verbum. Hoc dicit Aug. 9. de Trini. c. 10. *Nam placet mihi quod noui, & diffinitio, quid ſit intemperantia, & hoc eſt verbum eius*. Et ibidem præmiſit in eodem c. Aug. quod iam ſuperiùs poſitū eſt: *quamdiu de memoria proferri, & diffiniri poteſt*: id eſt diſtinctè, & diffinitè actualiter cognoſci, virtute eius quod eſt in memoria. E

Non igitur de ratione verbi eſt gigni poſt inquiſitionē. Sed neceſſarium eſt intellectui imperfecto: quia non poteſt ſtatim habere notitiam diffinitiuam obiecti; habet enim notitiam talem poſt inquiſitionem, & ideo verbum perfectum non eſt in nobis, ſine inquiſitione; & tamen quando verbum perfectum ſequitur talem inquiſitionem illa inquiſitio nō eſt generatio ipſius verbi formaliter, ſed quaſi præuia ad hoc vt generetur verbum: quod benè innuit Aug. in auctoritate præallegata, lib. 15. de Trini. F c. 15. *Hac atque illac volubili quadam motione iactamus, cum à nobis nunc hoc nunc illud ſicut inuentum fuerit, vel occurrerit cogitatur, & tunc fit verum verbum, quanda ad illud quod ſcimus, peruenit, atque inde formatur verbum eius &c.* innuens quòd illa iactatio, id eſt inquiſitio, non eſt gignitio verbi formaliter, ſed eam ſequitur gignitio verbi, de eo quod ſcimus, id eſt de obiecto in memoria, habitualiter cognito.

Et tunc ſi obijciatur. Ad quid tunc inquiſitio eſſet neceſſaria? Poſſet dici ad iſtud. Quod motus eſt neceſſarius ad hoc, vt inducatur forma perfecta, quæ non poſſet ſtatim in principio motus induci, vel inductio multarum formarum ordinatarum, ad inductionem vltimæ formæ; & abſque illo ordine formarum, non poſſet vltima forma induci ſtatim: & ſic ſecundùm hoc, ponitur iſte ordo; ita quòd primò eſt notitia habitualis confuſa, ſecundò actualis intellectio cōfuſa, tertiò inquiſitio, & in inquiſitione multa verba, de multis notitijs habitualibus, virtualiter contentis in memoria, quam inquiſitionem ſequitur di- G ſtincta & actualis notitia primi obiecti; cuius cognitio inquiritur: quæ notitia actualis diſtincta, imprimit habitualem, in memoria perfecta: & tunc eſt primò memoria perfecta, & aſſimilatur memoriæ in Patre: vltimò ex memoria perfecta, gignitur verbum perfectum, ſine inquiſitione, mediante inter ipſa & verbum: & illa gignitio aſſimilatur gignitioni Verbi Diuini perfecti, ex memoria Paterna perfecta. Nullum igitur verbum eſt perfectè repręſentans Verbum Diuinum, quod potiſſimè inueſtigat Aug. niſi illud, quod gignitur de memoria perfecta, ſine inquiſitione media inter talem memoriam & tale verbū; licèt nec illa memoria poſſit haberi in nobis, propter imperfectionem intellectus noſtri, niſi præcedat inquiſitio.

Vltimum dubium iſtius Quæſtionis eſt. Vtrum ad rationem verbi concurrat voluntas, puta, Vtrum de ratione eius ſit, quòd ſit notitia voluntate genita, vel voluntate agente, vel copulante eam memoriæ, ſecundùm Aug. in multis locis.

Iſtam quæſtionem mouet Aug. 9. de Trinit. c. 10. *Re-* H *ctè ergo*, inquit, *quæritur, vtrum omnis notitia ſit verbum, an tantùm amata notitia: nouimus enim & ea quæ odimus, ſed non concepta nec parta dicenda ſunt animo*. Et reſpondet. *Non omnia quæ quoquo modo tangunt, concipiuntur, ſed aliqua vt tantùm nota ſint, non tamen verba dicantur, ſicut illa de quibus nunc agimus. Aliter enim dicuntur verba, quæ ſpatia temporum ſyllabis tenent, aliter omne quod notum eſt verbum dicitur, quādiu de memoria proferri vel diffiniri poteſt, quamuis res ipſa diſpliceat*. Et ſubdit poſtea. *Verumtamen, cum illa quæ odimus rectè diſplicent, rectèq; improbantur, approbatur eorum improbatio. & placet, & verbum eſt; & neque vitiorum notitia nobis diſplicet, ſed ipſa vitia*. ita quòd de ratione verbi, non eſt gigni amore obiecti cogniti, ſed nec etiam gigni amore notitiæ, quæ eſt verbum, tamen concomitatur perfectum verbum, duplex actus voluntatis: vnus præuius, quo imperatur actus ille, & inquiſitio præuia, ſine qua non perueniretur ad verbum perfe-

A ctum, ſicut patet 9. de Trin. c. vlt. & alius, quo intellectus quieſcit, intellectuali notitia iam habita, ſine qua non permaneret intellectus, in notitia iam habita.

Non igitur actus voluntatis eſt de eſſentia verbi, nec formaliter, nec vt cauſa, ſed concomitatur neceſſariò ad generationem eius in nobis, propter inquiſitionem eius præuiam, & ad cõtinuationem eius. Similiter propter hoc, quòd ſi intellectio voluntati non complaceret, in iſta notitia, intellectus non permaneret in ea, & ita iſta notitia non haberet rationem verbi permanentis: iſta tamen permanentia, non eſt de ratione perfecti verbi intenſiuè; quia nõ minùs perfecta eſt albedo vnius diei, quàm vnius anni: voluntas autem reſpiciens obiectum, cuius eſt verbum, non pertinet ad rationem verbi, niſi ſtrictè ſumendo verbum, quomodo Aug. pertractat c. præalleg. *Nemo poteſt dicere, Dominus Ieſus niſi in Spiritu Sancto.* Hoc dicere, includit acceptationem obiecti dicti, & addit aliquid vltra rationem verbi abſolutè.

B *Satisfit principalibus argumentis.*

AD argumenta huius Quæſtionis.

Ad Primum. Patet, quòd illa auctoritas indiget expoſitione. Dicit enim ipſe ibi. *Phantaſia eius* (ſcilicet Carthaginis) *in memoria mea, verbum eſt.* Patet autem, ſecundùm ipſum 15. de Trin. c. 8. quòd verbum non eſt formaliter in memoria; ergo oportet quòd intelligatur cauſaliter, non formaliter.

Ad Secũdum. Licèt magna altercatio fiat de voce, vtrũ ſit ſignum rei, vel conceptus; tamen breuiter concedendo, quòd illud quod ſignificatur per vocem, propriè eſt res: ſunt tamen ſigna multa ordinata eiuſdem ſignificati, litera, vox, & conceptus; ſicut ſunt multi effectus ordinati eiuſdem cauſæ, quorum nullus eſt cauſa alterius; vt patet de Sole illuminante plures partes medij: & vbi eſt talis ordo cauſatorum, abſque hoc, quòd vnum ſit cauſa alterius, ibi eſt immediatio cuiuslibet, reſpectu eiuſdẽ cauſæ, quorum nullus eſt cauſa alterius, excludendo aliud in ratione C cauſæ, non autem excludendo aliud in ratione effectus immediatioris. Et tunc poſſet concedi aliquo modo, effectum propinquiorem, eſſe cauſam reſpectu effectus remotioris, non propriè, ſed propter prioritatem illam, quæ eſt inter tales effectus ad cauſam: ita poteſt concedi de multis ſignis eiuſdem ſignificati ordinatis, quòd vnum aliquo modo eſt ſignum alterius, quia dat intelligere ipſum; quia remotius non ſignificaret, niſi priùs aliquo modo immediatius ſignificaret, & tamen propter hoc, vnum propriè non eſt ſignum alterius, ſicut ex alia parte de cauſa & cauſatis.

Ad Tertium. Concedo, quòd notitia eſt proles, & verè genita, ſed productio illa, non eſt actualis intellectio: quia (vt dictum eſt ſupra) actualis intellectio, non eſt actio de genere actionis, ſed eſt qualitas, nata terminare talẽ actionem, quæ ſignificatur per hoc, quod eſt dicere, vel incommuni, per hoc, quod eſt elicere: Non igitur verbum eſt aliquid productum actione, quæ eſt intellectio; quia ipſa D intellectio non eſt productiua alicuius, ſed ipſa eſt producta actione, quæ eſt de genere actionis; ſicut dictum eſt ſupra.

QVÆSTIO SECVNDA.

Vtrum Verbum in Diuinis, dicat proprium Perſonæ genitæ.



Vòd non. Aug. 9. de Trinit. c. 10. *Verbum eſt cum amore notitia*: hic autem omnia poſita in diffinitione Verbi, ſunt eſſentialia; ergo Verbũ nõ dicit proprium Perſonæ genitæ, ſed eſſentiale.

Præterea 15. de Trinit. c. 7. de magn. vel 15. de par. *Sicut Pater intelligit ſibi, & vult ſibi, & meminit ſibi, ita Filius, & Spiritus Sanctus*: actus autem proprius intelligentiæ, vt intelligentia eſt, ponitur eſſe verbum; ergo ſicut in Patre eſt formaliter intelligẽtia, vt intelligẽtia; ita in eo eſt Verbũ, vt Verbum. Aſſumptum probatur per hoc, ꝙ illa Trinitas, quam aſſignat Aug. 9. de Trin. c. vlt. Mens, notitia, & amor, quæ notitia eſt Verbum, ſecundùm eum ibidem: E Et illa aſſignata ſecundùm eum 10. de Trin. Memoria, intelligentia, & voluntas, correſpondent ſibi inuicem. Prima pars primæ parti, & ſecunda ſecundæ, tertia tertiæ; ergo ſicut non eſt perfecta voluntas ſine amore formaliter, nec mens perfecta ſine memoria formaliter, ita nõ eſt perfecta intelligentia, ſine verbo formaliter.

Item. Non ſunt duo propria, vnius Perſonæ: quia vnius conſtituti in eſſe, eſt vnum formale conſtitutiuum: Filiatio eſt proprietas conſtitutiua Perſonæ genitę, ſecundùm Auguſt. de fide ad Petrum cap. 2. non ergo verbum: non enim videntur iſta dicere proprietatem eandem, quia non omnis Filius eſt Verbum, nec omne Verbum eſt Filius.

Oppoſitum Aug. 7. de Trin. c. 4. *Eo Verbum quo Filius; & vtrumque relatiuè dicitur.*

Reſpondetur ad iſtam Quæſtionem, (*ab Henr. quol. 6. q. 1. & in ſum. quol. 2. q. 6.* Quòd intellectus Patris primò informatur quaſi notitia ſimplici Eſſentiæ, ad quam fuit quaſi merè in potentia paſſiua, & factus in actu iſto notitiæ ſimplicis, vt nudus, conuertitur ſupra ſeipſum, ſic informatum, & in ipſum conuerſum, quaſi in paſſiuum diſpoſitum; ſic imprimitur notitia declaratiua, virtute notitiæ actualis ſimplicis, quæ notitia declaratiua eſt terminus actus dicendi, & verbum, & ſecundùm hoc, patet, quòd verbum eſt terminus generationis, ſicut & Filius, & ita erit proprium ſecundæ perſonæ. Iſta opinio recitata eſt ſupra diſt. 2. quæſt. de duabus productionibus. F

Contra hoc videtur poſſe obijci, per idem, quod dictũ eſt præced. quæſt. art. 1. Quia intellectus Patris, vt conuertitur, eſt merè actiuus, & vt habens notitiam ſimplicem, eſt merè paſſiuus: ſecundùm eum; igitur videtur inconueniens, quòd vt conuerſus, ſit illud, de quo gignitur verbum, & vt noſcens notitia ſimplici, ſit ratio gignendi verbum, quaſi actiuè.

Præterea. Aliqui dicunt cõuerſionem iſtam intellectus Paterni, eſſe quaſi diſpoſitionem materiæ: quod videtur inconueniens; quia materiæ diſpoſitio non eſt perfectior, neque æquè perfecta cum forma actiua agentis; hæc autem conuerſio, eſt actus æquè perfectus cum notitia ſimplici, vel perfectior; ergo. G

Pręterea. Iſta cõuerſio eſt reſpectu actus primi, vt obiecti; igitur eſt notitia declaratiua illius actus, ſicut omnis notitia declarat obiectum cuius eſt; igitur ante gignitionem verbi, quæ ſequitur iſtam conuerſionem, ſecundùm eum, habetur notitia declaratiua primi actus, & ita verbum ante verbum.

Item. Iſta Opinio, quantùm ad hoc, quòd ponit intellectionem Patris, eſſe rationem gignendi verbum, improbata eſt ſupra diſt. 2. q. de productionibus. Et quantùm ad hoc, quòd ponitur intellectum Patris, eſſe illud de quo gignitur verbum, improbata eſt ibidem, & etiam diſt. 5. Et repeto vnum argumentum, ibi tactum. Quia intellectus, vt conuerſus, eſt alicuius ſuppoſiti: conuerſio enim iſta, ſecundùm eum, eſt quædam actio intelligendi; actus autem ſunt ſuppoſitorum; ergo conuerſio iſta eſt alicuius ſuppoſiti. Quæro cuius ſuppoſiti eſt, vt cõuertitur? ſi Verbi; & vt conuertitur, præcedit gignitionem verbi, ſecundùm eum; igitur præcedit verbum; & ita Verbum eſt ante Verbum. Si Patris eſt iſta conuerſio; & cuius eſt vt conuertitur, eius eſt vt quo generatur Filius per impreſſionẽ; & cuius eſt vt de quo generatur aliquid per impreſſionẽ, eius eſt, vt illud impreſſum ſit in illo, & per conſequens eius eſt vt habet illud impreſſum: ergo à primo ad vltimũ, ſequitur quòd intellectus Patris (vt Patris) habet formaliter notitiam genitam impreſſam ſibi, & ita Pater formaliter intelliget notitia genita: quod eſt contra Auguſt. 7. de Trinit. cap. 3. H

Reſpondetur. Quòd ſicut in generatione in creaturis, eſt diſtinguere tria ſigna naturæ. Primum inſtans eſt, in quo materia eſt ſub forma corrumpenda: ſecundum inſtans eſt, in quo eſt materia ſub nulla forma, ſed quaſi nuda, & in proxima potentia ad formam generandam: & tertium inſtans, in quo eſt ſub forma geniti. Ita correſpondenter poteſt dici in Diuinis, quòd intellectus in primo ſigno,

A signo, vt est in Patre, sic conuertitur super se; & ista conuersio est quasi dispositio materiæ ad generationem: & in secundo signo, in quo est quasi nullius Personæ; tunc est in potentia proxima ad terminum generatoinis: & in tertio signo, in quo est sub proprietate Personæ genitæ; est tunc illius Personæ. Exemplum ponitur. Si vinũ sit in proxima potentia ad acetum, ita quòd forma vini, præexigitur ordine naturali in materia, ad hoc quòd sit in potentia proxima respectu aceti; & cum hoc, materia vini esset illimitata ad istas duas formas, & per consequens neutra inducta expelleret aliam; & si cum hoc, vtraque esset hypostatica, dans esse personale, tunc acetum generaretur de materia, vt fuit vini, quasi de materia disposita, dispositione præuia, necessariò præcedente formam istam. Sed si quæreretur. Cuius est illa materia, vt immediatè acetum generatur de ea? Respondeo. Nullius: sed generatur de ea immediatè, vt materia est sub neutra forma hypostatica.

Per hoc ad formam argumenti, hìc in proposito. Conceditur, quòd est Patris, sicut materia est vini, vt est disposita ad formam aceti. B Et cùm arguitur. Vt igitur est Patris, recipit notitiam genitam. Negatur consequentia. Imò per hoc, quòd recipit notitiam genitam, est alterius subsistentiæ, & est de quo immediatè generatur verbum, non vt Patris, sed vt conuersus est.

Et si contra hoc obijcitur. Quòd non magis generatur de intellectu, vt est Patris, quàm de intellectu, vt est Filij, vel Spiritus Sancti. Negatur consequentia. Quia est ibi duplex vt: vnum, quod notat rationem immediati principij de quo, & sic generatur de eo Verbum, vt nullius, quasi de immediato principio susceptiuo: aliud vt est, quod notat rationem immediati principij, dispositi ad formam illam, quæ est terminus; licèt non sit ratio immediati receptiui. Absolutè igitur Verbum generatur de intellectu, vt nullius, vt tamen præfuit Patris, & priùs existens in Patre; ita quòd neutra reduplicatio est præcisè sine altera; & tamen per hoc quòd verbum generatur de eo, non est in subsistentia Verbi, neque Patris, neque vllius.

C Additur autem, quòd decipiuntur aliqui, arguentes contra istam Opinionem, de quo, quasi de materia, vel quasi materia: quasi imaginantes ibi esse distinctionem, quasi potentiæ passiuæ, ab actu: quod non est verum; sicut tenetur, generaliter à quibusdam, de attributis: sed tantùm sicut est ibi sapientia formaliter, & bonitas formaliter, sine distinctione; ita ponitur ibi, quòd est verè impressio, & verè imprimens, & omnia quæ dicuntur ibi esse, sine distinctione: distinctio autem istorum, non est nisi per actũ intellectus negotiantis circa idem vnum, quod est in re.

Contra ista. Generatio in creaturis, videtur esse formaliter mutatio, pro eo quòd materia, vt nullius priùs, postea intelligitur sub forma geniti: per hoc enim intelligitur transmutari à priuatione ad formam, quæ transmutatio est formaliter generatio; igitur si sub hac ratione ponatur potentia passiua in Diuinis, erit tunc in Diuinis vera mutatio, saltem in intellectu negotiante; & ita necessariò imperfectio; vel si tantùm per actum intellectus negotiantis fiat ista conuersio, & gignitio Verbi, Verbum nõ erit persona realis, sed tantùm rationis, & intentionalis. D

Confirmatur ratio in eorum exemplo. Quia si vinum non corrumperetur in generatione aceti, verè tamen illa generatio erit mutatio à priuatione ad formam, licèt non concurrat ibi alia mutatio à forma ad priuationem, sicut accidit modò communiter, quando vnum generatur, & aliud corrumpitur; tunc enim concurrunt ibi communiter duæ mutationes, & quatuor termini, duæ formæ, & duæ priuationes; sed circumscripta altera mutatione, & terminis eius, nihil minus esset reliqua mutatio; ergo ita erit in proposito, quòd illud inquantum est priùs nullius, & ita sub priuatione termini ad quem, & post sub illo termino, mutatur.

Præterea. Si primò est Patris, secundò nullius, tertiò est Filij, per hoc, quòd recipit notitiam illam impressam; ergo per hoc, quòd est Filij, est quasi potentiale, recipiens formale Filij, & est Filij vt est terminus formalis communicatus Filio per generationem; sicut ostensum est dist. 5. ergo Filius quasi duplici modo habendi, habebit intellectum; ita quòd vtrolibet istorum duorum modorum circumscripto, nihilminùs haberet alio modo habendi; sicut E modò in creaturis, compositum habet materiam aliquid sui, & verè habet, licèt non sit terminus formalis generationis. Idem etiam compositum, habet formam vt aliquid sui, & verè habet, licèt non sit subiectum generationis; cõsequens autem illatum, scilicet, quòd Filius duplici modo habendi habeat Essentiam, siue intellectum, videtur impossibile, tàm in re, quàm in consideratione intellectus negotiantis.

Probatur etiam per hoc. Quia quod est materiale generationis, est in potentia ad formalem terminum eius: idem enim sub eadem ratione, nec in re, nec in mente, est in potentia ad se; ergo nec intellectus erit sic, simul potentia receptiua, & terminus formalis eiusdem generationis.

Et quod additur de duplici vt, ex parte materiæ. Quòd ad illud vt, quod est ratio proximi susceptiui, necessariò præexigitur illud vt, quod est eiusdem vt, sub forma ordinata ad formam generandam. F Videtur non esse per se requisitum in creaturis. Quia si poneretur materia illa, quæ est sub forma vini, absque omni forma, & agens creatum posset agere in illud, sic à forma denudatum, ipsum esset proximum susceptiuum cuiuscunque formæ, natæ imprimi in materiam puram, & ab agente sufficiente quocunque, à quo posset talis forma induci; igitur secundum vt, sufficit præcisè in creaturis, ad potentiam proximam, licèt frequenter modò concomitetur ille ordo, illud vt; quia nusquam materia est sine forma, & vt est sub forma non transmutatur indifferenter, à quacunque ad quamcunque, per agens creatum, sed à determinata ad determinatam. Istud probatur. Quia quando intelligitur vt nullius, tunc non est sub forma priori, quæ ponitur quasi dispositio ad formam generandi; tunc igitur ordo eius, ad formã illam priorem, non est nisi relatio posterioris ad prius; quæ fortè nõ est relatio positiua, quia terminus ad quem, tunc non est ex natura rei; aut si est relatio realis, non videtur esse ratio propria, in materia recipiendi formam G inducendam.

Ex his ad propositum. Videtur, quòd licèt oporteat intellectum esse priùs origine in Patre, quàm in Filio, tamen si ponatur receptiuus notitiæ genitæ, poneretur talis, non essentialiter propter aliquem talem ordinem, ad essentiã in Patre, sed secundùm quod nullius est præcisè, & secundùm quod ipsi dicunt quasi nullius.

Quod autem additur. Ad excludendum deceptionem. Videtur esse dictum decepti. Quia illud dictum, videtur in se absurdum, & seipsum interimere. Primum probatur per hoc. Quia tunc, ita verè ex natura rei intellectus est potentia pasiua, & ita verè recipit, sicut Deus ex natura rei, verè est actus purus, & sapiens, & bonus: quod videtur absurdum; quòd illud, quod in creaturis necesariò habet imperfectionem annexam, vel est imperfectio, sicut ratio potentię pasiuę, quia semper dicit imperfectionem, prout diuidit ens contra potentiã actiuam, quòd ponatur ita voraciter in Deo, sicut illud quod est perfectum simpliciter. H

Et si dicas. Imò potentia pasiua dicit perfectionem, licèt non distinctam ab actu. Etiam hoc videtur esse fictio. Quia nihil perfectionis est in creaturis, inferius ratione potentiæ pasiuæ, inquantum pasiua est: hæc enim ratio verè competit materiæ primæ, quæ ponitur infinitum entium. Ergo veriùs potest dici, quòd sit formaliter lapis, quàm potentia pasiua, si propter perfectionem aliquam in ratione potentiæ pasiuæ, debet ibi poni formaliter potentia pasiua.

Secundum, scilicet, quòd hoc dictum interimat seipsum, probo. Quia non videtur intelligibile, quòd ibi sint relationes oppositæ, quin sicut sunt relationes oppositæ, ita sint relationes distinctæ, si reales, realiter, si rationis, ratione distinguuntur; ergo si ibi est ex natura rei imprimens, & quod imprimitur, & illud cui imprimitur, quæ nõ possunt intelligi sine relatione, erit ibi distinctio ex natura rei; quia ponere ibi ista ex natura rei, sine omni distinctione, est contradictio, si sunt ex natura rei: si non ex natura rei, qualiter debent poni?

Ad istam quęstionem. Dico. Quòd idem per se significat abstra-

A abstractum,& concretum,licet alio modo significandi;sicut Filius, & Filiatio: quia sicut Filiatio significat relationem de genere Relationis,ita & Filius; per modum tamé denominantis,suppositum relatiuum;& si accipiatur substantiuè, idem significat cum tali subsistente. Ita igitur, idem significat Verbum, & abstractum eius: abstractum autem eius, si esset nominatum, esset verbatio,quæ notat relationem formaliter,idem enim significat,quod expressio passiua alicuius de intellectu: sed sicut Filius connotat naturam viuentem,in qua est talis relatio,ita Verbū connotat actualem notitiam,cuius est talis expressio. Igitur cùm in Diuinis, intellectualiter exprimi,sit proprietas secundæ Personæ, sequitur,quòd Verbum sit ibi merè personale,& significet proprietatem personalem.

Patet etiam,quòd ratio gignendi Verbum,non est Pater, vt actu intelligens,sed Pater vt memoria perfecta s.vt intellectus habens obiectū actu intelligibile sibi præsens, sicut declaratum est supra dist.2 q.de productionibus.

B Patet etiam,quòd Verbum non potest habere aliquid, de quo producatur, ex dist 5. Quia si principium productiuum habeat virtutem sufficientem, ad producendū per se subsistens,producit tale; & maximè si tale nō sit natum alicui inhærere:notitia autē ista expressa, non est nata alicui inhærere; igitur est nata per se subsistere, & principium productiuum eius, est sufficientis virtutis, quia est infinitum: igitur &c.

Ad argumenta. Cùm Primò arguitur secundùm Aug. de Trin 55. *Verbum est cum amore notitia*. Dico: quòd per hoc,quòd dicit cum amore, circumloquitur in nobis notitiam genitam. Quia amor non habet causalitatem respectu verbi,nisi vt imperat intellectui gignitionem ipsius,sicut dictum est præcedente quæst.in Diuinis autem, verbū est notitia naturaliter expressa, quia quòd voluntas in nobis habeat causalitatē, respectu verbi gignendi,per imperium eius,hoc est imperfectionis in intellectu,quia nō statim habet verbum perfectū; & de hoc quomodo differenter volūtas se habeat in Deo,& in nobis;dictum est dist.6.

C Ad aliud de 15.de Trin. Concedo in Patre intelligentiā formaliter. Sed nego istam: quòd omnis actus intelligentiæ formaliter,est Verbum. Quia hoc non est verum,nisi de intelligentia illa,quæ potest habere aliquem actum genitum,vel notitiam genitam: talē actum non potest intelligētia habere,vt Patris est;quia Pater est à se,& nihil habet per generationem; tamen potest cōcedi, quòd intellectio actualis Patris, est quasi genita, virtute memoriæ, vt in Patre;sed non verè genita,quia non distincta.

Ad Tertium. Dico,quòd non sunt duo propria,sed idē; quia eandem relationem per se significant, Filius, & Verbum: licèt alia connotent, quia Filius naturam viuentem in communi,& Verbum notitiam intellectualem actualiter expressam:ista connotata non sunt semper eadem, sed relatio passiua significata semper est eadem.

QVÆSTIO TERTIA.

Vtrum Verbum in Diuinis,dicat respectum ad creaturas?

D QVòd sic. Aug.6. de Trin.c.vlt.*Verbum est ars omnipotentis Dei,plena omnium rationum viuentium:* ars dicit respectum ad artificiatum; ergo & verbum ad creaturas.

Oppositum Aug.7.de Trin.cap.4.per idem,quòd priùs. Filius non dicit respectum ad creaturas; ergo nec Verbū: quia *Eo verbum quo Filius*.

Ad hāc Quæstionem. Dicitur *ab Henr.in sum.* Quòd sic: propter auctoritatem Aug.83.qq. q.63. Ibi enim loquens de principio Euangelij Ioan. ait.*Quod Græcè λόγος dicitur, Latinè & verbum, & rationem significat, sed hoc loco melius Verbum interpretatur, vt significetur non solum ad Patrem respectus, sed ad illa etiam quæ per Verbum facta sunt, operatiua potentia.*

Additur etiam,quòd verbum dicit proprium respectum ad creaturas. Quia verbum ex ratione sui,est notitia declaratiua;ergo competit sibi ex ratione sui,declarare. Appropriatur etiam Filio relatio ad creaturas, appropriatio autem non fit, nisi propter conuenientiam talis appropriati E ad proprietatem Personæ,cui illud appropriatur.

Et declaratur istud,per simile, de dono: & simili modo ponitur,sicut ibi. Quòd donum,vt connotat relationem aptitudinalem,pertinet ad proprietatem Spiritus Sancti; ita Verbum,vt dicit relationē aptitudinalem, non actualem,nec habitualem,pertinet ad secundam Personam.

Contra istud potest argui, sicut supra argutū est de dono. Quia nullus respectus ad creaturā, est proprietas Personę Diuinę,nec per se intrinsecè includitur in aliqua proprietate Personæ Diuinæ,sicut probatur ibi; ita potest hic probari: quod concedo. Tunc non est vis,nec contentio de re,nec de aliquo intrinseco Personæ Diuinæ, sed solùm de hoc nomine, verbum: formaliter enim respectus notitiæ expressæ ad exprimētem, alius est à respectu illius ad creaturam declaratam;quia ad aliū terminum: & non solùm hoc,sed etiam respectus verbi expressi ad exprimentem,& respectus eiusdem vt declarantis ad eundem vt declaratū, sunt duo respectus; quia primus realis, & secundus rationis; isti autem duo,non faciunt aliquid vnum per se:quia F res vera, & ens rationis,nihil vnū per se constituunt;ideo si ambo isti respectus, vno nomine significentur, non propter hoc faciunt vnū per se conceptum,sed alter eorū præcisè,est proprietas secundæ Personæ,scilicet expressio illa passiua, quę est respectus realis,alter autem, scilicet respectus declaratiui,est respectus rationis tantū, siue sit ad Patrem declaratum,siue creaturam declaratā;quod aliqualiter tactum est supra,per auctoritatem Aug.7.de Trin.c.3. vbi vult,quòd *Verbum declarat se*. Et idem 15.de Tri.c.14. *Proinde*, inquit, *tanquam seipsum dicens Pater* &c. hoc est, seipsum perfectissimè declarās &c. Ex quibus duabus auctoritatibus patet,quòd idem potest ad se referri,vt declarans ad declaratū;& per consequens,non est relatio realis.

Sed posito hoc, de istis respectibus in se, quòd alter sic proprietas,& alter non,quid dicetur de hoc nomine, Verbum,nunquid significat vtrumque, vel alterum?

Videtur quidem, ꝙ verbum significet per se respectum istum realē,& primò:quia eius abstractum, (vt dictum est priùs)significat eundem, sed quia cōnotat notitiam perfe- G ctam, quæ notitia habet respectū rationis ad cognita per eam,ideo et connotat,quasi adhuc remotiùs rationem declaratiui,& ita verbum significabit proprietatem secundæ Personæ,licèt connotet aliquid absolutum in illa Persona, quod est quasi terminus formalis productionis illius Personæ;& mediante illo,quasi remotiùs, connotet respectū ad omne illud, ad quod illud absolutum potest habere respectum rationis,scilicet,ad omnia declarata.

Ad Aug.6.de Trin.Concedo,ꝙ Filius est ars;ita et dicitur sapientia Patris,& virtus; & tamen sicut Pater formaliter est sapientia,& virtus,ita et formaliter est ars;si autē Pater formaliter creat,& hoc vt artifex,creatiua ratio formaliter est in Patre:& ita ille respectus artis ad creaturas, vt ad artificiata, est cōmunis tribus, licèt approprietur Filio, sicut sibi appropriatur sapientia, propter conuenientiam cum productione sua.

Ad illud pro Opinione,de 83.qq.q.63.Potest dici,quòd meliùs interpretatur λόγος Græcè, per illud, quod si Ver- H bum Latinè,quā per illud,quod est ratio:quia ratio nō ita significat respectum ad Patrem,sicut Verbum:nec etiā ita connotat respectum ad declarata,sicut Verbum: non autē vult Aug.dicere,ꝙ Verbum,dicat essentialiter relationem ad creaturā,sub ratione declaratiui: quia dicit,*vt significetur non solùm ad Patrem respectus, sed ad illa etiam, quæ per Verbum facta sunt,operatiua potentia:* Verbum autem nō dicitur operatiua potentia Patris, nisi sicut dicitur sapientia Patris, & ars Patris,quæ non sunt eius, nisi secundùm appropriationem: Aut si aliter,scilicet intēdat, quòd hoc nomen,Verbum, vtrumque respectum significet; tunc non significat præcisè proprietatem secundæ Personæ,sed cum hoc alium respectum appropriatum: & tunc congrua est interpretatio λόγος in Verbū, & non in rationē;quia ratio nec respectum propriū,nec appropriatū ita significat:vera est quidē interpretatio in Verbum, propterea ꝙ plùs dicit q̄ proprietatē Personæ.Nec Aug. dicit,interpretationē esse in aliquid,quod significat proprietatē Personę secundæ,

A Cùm additur postea. Quòd Verbum dicit respectum àd creaturas, sibi proprium. Hoc videtur multò falsiùs, quàm Conclusio opposita ei, quam teneo. Quia non tantùm ad creaturam, relatio non includitur in ratione essentiali alicuius Personæ, sed nec aliquo modo potest pertinere ad aliquam, quin vniformiter pertineat ad totam Trinitatem; quia tota Trinitas vniformiter se habet ad omne aliud à se, secundùm quodcunque esse, siue secundùm esse in re, siue secundùm esse intelligibile. Et cùm probatur per declaratiuum. Dico, quòd intellectio actualis Patris, est declaratiua, nec declaratiuũ est propria ratio verbi, sed notitiam expressam, concomitatur declaratiuum: quia illa expressio, est notitiæ actualis, vel in notitia actuali; & ideo sibi appropriatur declaratiuum, licèt non sit proprium eius.

Cũ additur postea. Quòd appropriatio non fit, nisi propter conuenientiam cum proprio. Non sequitur ex hoc, quòd appropriatum sit proprium, sed oppositum. Et concedo, quòd propriũ Filij, quod est exprimi, habet conue- E nientiam cũ sapientia, & declaratiuo, & cum arte; pro eo, quòd ista expressio, est alicuius per modum intellectus, & virtute intellectus; & talis expressio, est notitia actualis, cuius est declarare notitiã habitualem, de qua exprimitur.

Sed tamen hęc est difficultas melior, quàm sit ista de ratione declaratiui, scilicet, Vtrum Verbum exprimatur virtute intellectus Paterni, non tantùm de Essentia Diuina, quasi obiecto præsente intellectui Patris, sed de alijs intelligibilibus: vt sic habeat respectum ad creaturas, non vt in se sunt, sed vt habent esse in intellectu Paterno, priùs origine, vt videtur, quã Verbum exprimatur: & tunc haberet ad illam relationem expressi, esset .n. tunc verbum expressum, non tantùm de Essentia, vt obiecta intellectui Patris, sed etiam de alijs intelligibilibus. Et de hac difficultate aliàs, in quæstione de vniformi habitudine Trinitatis, ad alia à se. F

B

DISTINCTIO XXVIII.

QVAESTIO PRIMA.

Vtrum ingenitum sit proprietas ipsius Patris?

CIrca Distinctionem Vigesimam Octauam, in qua Magister agit de proprietatibus constitutiuis: tria quæruntur. Primò quæro.

Vtrum ingenitum sit proprietas ipsius Patris?

C QVòd non. Primò sic. Nulla proprietas dicitur formaliter de Essẽtia. Hoc probatur per rationem. Quia tunc ipsa distingueretur. Patet etiã exemplo. Sicut Essentia non dicitur formaliter generans, nec genita, spirans, nec spirata; sed Essentia, vt videtur, est formaliter ingenita; ergo ingenitum non est proprietas alicuius Personæ: Spiritus Sanctus etiam est ingenitus formaliter, vt probabo: ergo esse ingenitum, nõ est proprietas Patris. Probatio assumpti. Quia Essentia nõ est genita: ergo est non genita. Consequentia patet per Philosoph. 2. Periherm. Quia affirmatiua de prædicato infinito, sequitur ad negatiuam de prædicato finito, & è conuersò, cum constantia subiecti: & vlteriùs; ergo est ingenita. Hæc consequentia probatur per August. 5. de Trinit. cap. 7. qui dicit, quòd *Idem est ingenitum, & non genitum*. Consimiliter argui potest de Spiritu Sancto. Si non est genitus; ergo est non genitus: & vltra; igitur est ingenitus.

Præterea. Omnis proprietas pſonalis, est relatiua. Quia quicquid ad se dicitur, commune est tribus, ex 5. de Trin. D ingenitum autem non dicit relationem, vt probabo; ergo &c. Probatio Minoris. Quia si sic: igitur omne ingenitum, est relatum: hæc etiam est vera, Omne genitum est relatum. Hanc conuerto per contrapositionem. Ergo omne non relatum, est non genitum. Tunc arguo. Omne non genitum est relatum; omne non relatum est nõ genitum; ergo omne non relatum, est relatum. Cõclusio impossibilis: ergo aliqua præmissarũ; non ista, quæ sequitur ex vera per conuersionem per contrapositionem: ergo alia.

Item. Si innascibilitas esset proprietas Patris; ergo inspirabilitas esset notio Patris, & Filij, & ita essent sex notiones: quod negatur communiter.

Præterea. Ambr. 4. de Spiritu Sancto, noluit vti hoc nomine, Ingenito, sicut Magister dicit in litera.

Oppositum Aug. ad Orosium 2. *Non duos esse ingenitos, certa fides declarat*.

ARTICVLVS PRIMVS.

Qualiter ingenitum soli Patri conuenit?

G AD istam Quæstionem. Dico. Quòd duo sunt videnda. Primò. Qualiter ingenitum soli Patri conueniat. Et Secundò. Quomodo possit esse proprietas, cùm videatur tantùm negationem importare.

Quantùm ad Primum. Dico. Quòd omnis dictio composita ex aliquo multipliciti, & particula priuatiua, est dupliciter multiplex. Tũ ex multiplicitate affirmationis oppositæ: Tũ ex multiplicitate priuationis; sicut patet per Philos. 5. Met. t. 17. c de potentia, vbi impotentiam distinguit secundùm multiplicitatem potẽtiæ, & propter hoc, secundùm multiplicitatem priuationis, quæ ponitur c. de priuatione, eodem 5. tex. 27. & ita hoc nomen, Ingenitum, est multiplex, & multiplicitate eius quod est genitum, & multiplicitate particulæ priuatiuæ.

Quantùm ad Primum. Genitum dicitur propriè, productum per generationem, vt primus terminus. Extẽdendo autem genitum, dicitur genitum, communicatum per generationem, quod est terminus formalis generationis: sicut dicit Hilar. quòd *nihil nisi natum habet Filius*. Tertio H modo extenditur genitum, ad productum, siue ad præexigens generationem; licèt ipsum in se, non sit terminus generationis, nec primus, nec formalis.

Priuatio ẽt licèt multipliciter possit distingui. In priuationem propriè dictam, puta, quãdo aliquid caret eo, quod natũ est habere, & quãdo, & vt oportet &c. Et in priuationem cõmuniter dictam, s. quando aliquid caret illo, quod natũ est habere, non tñ secundùm conditiones prædictas. Et adhuc cõmuniùs, quando caret illo, quod ipsum natum est habere, nõ secundùm se, sed secundùm genus; sicut talpa dicitur cæca, quia visio, qua priuatur per cęcitatem, nõ repugnat animali ſm genus, licèt repugnet talpæ secundũ se; & isto modo, tantò generaliùs aliquid diceretur priuatum, quantò habitus, cuius est priuatio, natus est competere cõmuniori, conuenienti ipsi priuato; puta, cõmuniùs diceretur priuatum aliquid, quod non haberet illud, quod natum est sibi competere, secundùm rationem corporis, quàm cui natum esse competere secundùm rationem corporis animati; & adhuc communiùs, quod natum esset

habere

A habere secundùm rationem substātiæ, quàm quod natum esset habere secundùm rationem corporis; & communissimè, si natum esset habere illud secundùm rationem entis. Exemplum primi. Si lapis dicitur esse inanimatus, & priuari anima, hoc est quia conuenit sibi secundùm rationem corporis, cuius animatum est differentia. Exemplum secundi. Sicut Angelus dicitur incorporeus. Exemplum tertij. Sicut omnis creatura dicitur imperfecta; non quia nata sit habere omnem perfectionem in suo genere, sed quia habere omnē perfectionem, non repugnat Enti, quia vni soli enti, conuenit esse simpliciter perfectum.

Negatio etiam distinguitur per negationem extra genus, quæ contradicit affirmationi simpliciter; & ista vera est de quolibet, de quo falsa est affirmatio, siue de ente, siue de non ente: alia est negatio in genere; & ista præsupponit naturam generis, de qua dicatur; & ista potest intelligi multipliciter, secundùm multiplex genus communius, & minùs commune.

Ad propositum igitur. Loquendo de multiplicitate, importata per hanc particulam, in, licèt fiat altercatio vtrum B importet negationem in genere, vel priuationem; tamen videtur, quòd idem sit in proposito, accipiendo negationem secundùm genus communissimè, si natum est habere illud, & priuationem secundùm genus communissimè. Quia *negatio in apto nato, est priuatio*, secundùm Philos. 4. Metaphys. t. 4. ita quòd nihil addit priuatio vltra negationem, nisi quòd requirit naturam aptam, in qua sit; igitur negatio in genere, quocūque modo accipiatur genus, cùm sit in apto nato aliquomodo, licèt non secundùm se apto, ipsa erit priuatio aliquomodo secundùm genus, licèt non propriè in tali secundùm quod tale.

Et si obijcias contra hoc. Quia nulla est priuatio in Diuinis: quia priuatum est imperfectum. Respondeo. Quòd hoc concludit de priuatione, secundùm rationem propriā subiecti priuati: si enim ipsum carens aliquo, natum esset secundùm se habere illud, imperfectum esset; sed si natum sit secundùm rationem generis, non autem secundùm se habere illud, non esset imperfectum, licèt careret ipso.

C Quòd autem hoc modo multæ priuationes accipiantur in creaturis. Patet: non solùm per illud Philosoph. de talpa; sed etiam per communem diuisionem cōis, in habitū, & priuationem, sicut animal in rationale, & irrationale; irrationale quidē dicit priuationē in boue, non eius quod natum est haberi in boue, secūdùm speciem, sed eius quod natum est haberi in eo, secundùm quod est animal: genus quidem, quasi commune habitui & priuationi est illud, cui conuenit aptitudo ad vtrumque. In proposito autem, extendendo illud quod est genus, siue intelligamus pro priuatione, siue negatione secundùm genus, (per quæ ambo, idem intelligo) possumus hìc accipere quasi genus, hoc quod est commune ad tres Personas, vt Persona, siue subsistens; & tunc dicamus Patrem priuari aliquo secundùm genus, vel quòd in Patre dicatur negatio aliqua secundùm genus alicuius, quod natum est competere non tantùm enti, sed supposito, quod est commune Patri & Filio.

D Et tunc hoc nomen, Ingenitus, poterit ad propositum quadrupliciter accipi. Vno modo proprijssimè, prout significat carentiam propriam eius, quod importatur per hoc nomen, genitum, vt scilicet primi producti per generationem; & hoc modo non est in Diuinis: quia ibi nihil caret eo, quod sibi natum est inesse. Secundo modo, prout significat communiter carentiam eius, quod significatur propriè per genitum; & tunc connotat subsistens, siue Personam, & significat carentiam geniti propriè sumpti; & hoc modo videtur competere de virtute sermonis Patri, & Spiritui Sancto, quorum vterque est subsistens, & non genitus: non sic conuenit Essentiæ, quia ipsa licèt sit Ens, & non genita, non tamen est per se subsistens, & Persona. Tertio modo, vt dicit carentiā secundùm genus, & hoc geniti secundo modo sumpti, scilicet, pro communicato per generationem; & hoc modo Essentia, non dicitur in generabilis, remouendo aptitudinem ad cōmunicationem, sed vt in Patre, potest dici non communicata, & ita ingenita, si hoc modo sumat ingenitum. Quarto modo, significat carentiam secundùm genus, geniti communissimè sumpti; & tunc idem est ingenitum, quod subsistens non productum; & hoc modo accipitur à Sanctis, ita quòd idem est ingenitum in Diuinis, quod improductum propriè dictum; quod patet per August. 15. de Trin. c. 26. *Pater enim solus non est ab alio, ideo solus appellatur ingenitus.* Et idem vult ad Orosium 2.

Dico igitur quòd ingenitum secundùm vsum Sanctorum, prout scilicet significat negationem geniti, communissimè sumpti, scilicet producti, connotando subsistens in natura Diuina, sic cōuenit soli Patri: sicut patet per auctoritatem Aug. iam præallegatam.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Quomodo ingenitum potest esse proprietas, cùm videatur tantùm negationem importare?

De secundo Articulo. Dicunt aliqui. *S. Bonau. lib. 1. dist. 27. quæst. 2. & dist. 28. quæst. 1. & dist. 13. quæst. 4.* Quòd cùm ingenitum dicat tantùm priuationem in genere, vel tantùm negationem; & per consequens, ex ratione sua formali, non dicit aliquam dignitatem, nec aliquid ad dignitatem pertinens; & nihil possit poni proprietas Personæ Diuinæ, nisi sit aliquid pertinens ad dignitatem; ergo oportet quòd ingenitum connotet aliquid positiuum, ratione cuius connotati sit proprietas: hoc autem positiuum, ponitur ab eis, esse fontalis plenitudo, quæ est in solo Patre, in quo est omnis fæcunditas, tàm ad intra, quàm ad extra.

Sed contra istud arguitur. Primò. Quia ista fontalis plenitudo, non intelligitur ad extra. Quia talis fæcunditas est communis tribus; sed ad intra, non est in Patre, nisi duplex fæcunditas, scilicet ad generandum, & spirandum; hæc autem fæcunditas, non est aliquid positiuum vnum in Patre, nisi Essentia; Essentiā autem non connotat, vt propter hoc dicatur esse proprietas Patris. Quòd autem ista fontalis plenitudo, non sit aliqua positiua relatio, vna in Patre. Patet. Quia tunc in Patre essent tres relationes positiuæ, scilicet generatio actiua, spiratio actiua, & illa relatio, quam circumloquimur per hoc, quòd est fontalis plenitudo fæcunditatis, licèt sit innominata: & tunc essent quinque notiones; quod nō conceditur communiter, saltē non conceduntur in Patre, tres proprietates positiuæ relatiuæ.

Præterea. Ingenitum non videtur connotare illam fontalem plenitudinem: quia non primam fæcunditatē; quia secundùm Aug. 5. de Trin. cap. 6. *Etsi Pater Filium non genuisset, nihil prohiberet eum dici ingenitum*; igitur ingenitū, potest præcedere generationem actiuam: multò magis etiā non connotat secundam fæcunditatem; quia si per impossibile non posset esse productio per modum voluntatis, adhuc tamen esset status in generatione, ad aliquam personā ingenitā, sub propria ratione; ergo videtur, quòd illa fontalis plenitudo, quæ nihil dicit nisi duplicem fæcunditatē, non potest connotari per hoc, quod est ingenitum.

H Tertiò. Quia ratio eorum non videtur valere. Quia si proprietas personalis diceret dignitatem simpliciter: igitur alia Persona, quæ non habet illam, non haberet omnem dignitatem simpliciter: quod est inconueniens.

Aliter dicitur. Quòd hoc positiuum, est esse à se. *Et hęc dicitur esse intentio Ricar.* Et quod esse à se, est aliquid proprium positiuum, circumlocutum per ingenitum, & præcedit relationem ad Filium, quia enim aliquid est à se, ideo oportet (secundùm Ricar.) quòd ab ipso sit omne esse, & omne existere.

Contra. Esse à se, si est positiuum, & absolutū, erit commune tribus; aut relatiuum, & non ad prius, quia non est nisi negatio relationis ad prius, igitur erit ad Filium: & ita etiam ad se, vel dicit habitudinem ad Filiationem, si est positiuum: vel si dicit habitudinem ad præcedens, erit negatio relationis, & ita negatio est ingenitum: ergo non est proprium positiuum illius.

Ideo videtur dicendum. Quòd ingenitum sub propria ratione sua, vt significat non habere genitorē, est proprietas Patris: & sufficienter importat dignitatem, i. non indi-

A gnitatem; hoc enim sufficit ad personalem proprietatem, quòd non sit indignitas; sicut & personalia in Diuinis, non dicuntur esse imperfectiones, non tamen perfectiones simpliciter, id est vniuersaliter, in quolibet meliùs ipsum, quàm non ipsum.

Et si omnino fiat altercatio. Quòd omnino oportet proprietatem dicere dignitatem, non absolutam, sed personalem. Potest dici. Quòd ingenitum, inquantum negat habere genitorem, dicit dignitatem personalem, primæ Personæ in Diuinis. Quia sicut dignitas est in secunda Persona, habere principium originans, ita est dignitas in prima Persona non habere; & tamen ista dignitas, non oportet, quòd sit dignitas formaliter, alicuius positiui proprij, cōnotati per hoc, quod est ingenitum. Vnde negatio potest dici esse dignitatis in aliquo, pro quanto indignitatis esset, si opposita affirmatio poneretur in eo; sicut dignitatis est in Rege, quòd non sit scelestus, vel mercator.

B *Respondetur ad Argumenta principalia huius Quæstionis.*

AD Argumenta huius Quæst.

Ad Primum. Nego Minorem. Cum probatur per Philosophum 2. Periherm. Dico, quòd illa consequentia Philosophi tenet per virtutem primi principij, huius scilicet, A quocunque remouetur vnum contradictorium, de eodem dicitur reliquum; vt sic autem, non potest concludi affirmatiua de prædicato infinito, sequi ad negatiuā de prędicato finito, nisi vbi illud prædicatum infinitum, significat negationem extra genus, contradictoriam affirmationi, quia negatio in genere, non contradicit affirmationi. Et tunc non sequitur. Non est genitum: ergo est nō genitum. Nisi in negatione extra genus. Et hoc modo, non genitum, non conuertitur cum ingenito, licèt conuertatur in accipiendo non genitum, prout dicit negationem in genere, quomodo intelligit Augustinus.

Ad Secundum. Concedo, quòd nulla proprietas Personæ, secundùm viam communem, dicit aliquid ad se. Nec C tamen oportet omnem proprietatem dicere relationem positiuè; sed sufficit, quòd vel positiuè, vel negatiuè. Si enim relatio sit personalis, & propria alicuius Personæ, negatio etiam relationis erit personalis, propria alij Personæ; & ita non ad se, neque communis tribus: & hoc modo scilicet negatiuè ingenitum, dicit relationem; sicut patet per Aug. 5. de Trini. c. 8. Et tunc ista est falsa, Omne non genitum, est relatum. Et tamen non sequitur: Ergo non genitum, dicit aliquid ad se. Sed sequitur: quòd vel dicat aliquid ad se, vel negationem propriæ relationis, siue relationem negatiuè. Et sic conceditur Conclusio. Quòd omne non relatum, sit relatum positiuè, vel negatiuè.

Ad Tertium. Dicitur, quòd inspirabile, non dicit aliquā dignitatem, sicut dicit Ingenitum: & ita non est notio.

Sed hoc videtur esse falsum in se. Quia æqualis dignitatis est in Patre & Filio, non spirari, sicut in Patre, non generari. Et etiam ad propositum non videtur valere. Quia non videtur necessarium ad proprietatem, siue ad notionem dicere propriè dignitatem.

D Aliter potest dici. Quòd ingenitum, dicit non productum; sicut expositum est in primo artic. solutionis: & hoc modo inspirabile, quia continetur in eo, non est alia notio ab eo. Sequitur enim: Non productum; ergo non spiratum: & non è conuerso; ergo non est alia notio.

Contra. Ingeneratio est tantùm in Patre; Inspiratio autem est in Patre, & Filio; ergo hæc notio, non est illa. Sed si ista consequentia sit concedenda, erunt sex notiones; nisi alia ratio assignetur, quare inspiratio non sit notio.

Et si videatur absurdum ponere sex notiones, quia communiter non ponūtur tot. Posset dici. Quòd locus ab auctoritate, non tenet negatiuè. Tempore autem Ambrosij nō videntur fuisse vsitatæ tres notiones in Patre; quia noluit hoc nomine, Ingenitus, vti. Tempore etiam Ansel. nō videtur fuisse vsitatæ duæ notiones positiuæ in Patre; quia non vtitur ipse vi spiratiua, sed pro illa accipit dignitatem, communem Patri & Filio. Et si tunc à principio, fuerunt E tantùm notæ tres proprietates notionales; scilicet, Paternitas, Filiatio, & Spiratio, & hoc ex verbo Saluatoris in Euangelio, & Ioan. in Canonica sua cap. 1. tamen postea per inuestigationem, innotuerunt aliæ notiones, & proprietates, quæ priùs erant in re, licèt non priùs notæ; & ita sicut posteriores, concesserunt plures notiones quàm priores; non tamen priores eas negauerunt, licèt non eas dixerint; ita non videtur inconueniens, de posterioribus, ad illos Doctores, ponere tales notiones, dum tamen possint concludere illas ex dictis priorum.

Ad Vltimum, de Ambrosio. Patet per Magistrū, quòd illud vocabulum Ingenitus, non erat tempore suo ita notum, vel ita necessarium ad expressionem fidei, quòd oporteret omnem Catholicum eo vti, & primam Personam illa proprietate exprimere. Erat occasio simplicibus fidelibus erroris; quia videtur dicere aliquid ad se; quia non ita manifestè importat relationem, sicut importat genitum; & ideo securum & cautum erat simplicibus fidelibus, non vti illo vocabulo, propter Hæreticos malignantes; licèt hoc vocabulum in se, propriè & primò competat Patri. F

QVÆSTIO SECVNDA.

Vtrum innascibilitas, sit proprietas constitutiua primæ Personæ in Diuinis.



Vòd sic. Dam. lib. 1. c. 2. *Omnia sunt vnum præter ingenerationem, & generationem, & processionem*: Constat quòd non excludit omnes proprietates personales: quia tunc in Patre non esset aliqua proprietas, nisi innascibilitas; igitur excludit omnia alia, in ratione proprietatis personalis constitutiuæ; ergo vult omnes istas, & solas, esse tales relationes; igitur ingeneratiò est proprietas constitutiua Personæ.

Oppositum. Sicut secunda Persona se habet ad Filiationem, sic prima Persona ad Paternitatem, sed Filiatione constituitur secunda Persona; ergo & Paternitate prima. G

Ad Quæstionem istam. Videtur posse dici. Quòd sic. Hoc modo intelligendo. Essentia enim Diuina, antequam intelligatur communicata per productionem, videtur in aliquo intelligi non communicata actu, vt in prima Persona, propter primitatem eius; non quidem non communicabilis, quia non est non communicabilis; sed non actu communicata, quia non videtur posse communicari alicui, quasi passiuè, nisi præhabeatur in aliquo, non communicata sibi, quasi passiuè. Et hoc modo in isto primo signo, in quo tantùm intelligitur Essentia in aliquo, & ista negatio, non communicata actu, videtur haberi intellectus alicuius communicabilis. Si enim Essentia, vt non communicata actu, non esset incommunicabilis; igitur ipsa (vt non communicata) posset esse in pluribus: & tunc possent esse plures ingeniti, & plures primæ personæ, in quibus æquè primò esset Essentia, & non esset eius status in aliquo primò. Sed si habetur aliquis incommunicabilis subsistens in natura Diuina; tunc habetur H Persona prima. Ergo ante omnem intellectum proprietatis positiuæ, intelligendo solam Essentiam, & ingenitum, hoc est non communicatum per generationem, habetur aliquis subsistens incommunicabilis in natura Diuina, qui est ingenitus, accipiendo ingenitum propriè, sicut potest accipi in Diuinis.

Confirmatur ista Opinio, per Aug. 5. de Trinit. cap. 6. vbi vult. Quòd *Si Pater non genuisset, nihil eum prohiberet dici ingenitum*: ergo potest intelligi aliquis ingenitus, non intelligendo ipsum generasse; intelligendo autem ingenitum, intelligitur suppositum incommunicabile subsistens; ergo videtur quòd priùs constituitur ibi Persona per ingenitum, quàm per aliquam proprietatem positiuam.

Præterea. In omni ordine essentiali, negatio ordinis ad prius, videtur immediatiùs consequi ipsum primum, quā ordo eius ad secūdū. Quia illa negatio videtur immediatè

A diatè sequi ipsum, inquantum tale; igitur similiter in ordine Personarum, priùs conuenit primæ Personæ negatio ordinis ad priorem, quàm ordo ad secundam Personam; ergo priùs intelligitur ingenita, quàm generans. In illo priori intelligitur Persona incommunicabilis, in natura Diuina; ergo.

Præterea. Si secundùm imaginationem Philosophorum, non esset in Diuinis, nisi vnum suppositum absolutum constitueretur per Essentiam absque proprietate positiua; & si aliqua concurreret, non esset, nisi illa negatiua, quæ esset non esse ab alio; ergo videtur, quòd cùm origo posita in Diuinis, nihil auferat ipsi Essentiæ, nec etiam huic proprietati negatiuæ, Non esse ab alio; ergo per ipsam poterit modò aliqua Persona constitui.

Etsi obijciatur. Quomodo sola negatio poterit constituere Personam Diuinam? Respondetur. Quòd Persona includit Essentiam Diuinam, quæ est communicabilis: & cum hoc, aliquid quod est incommunicabile, per hoc, quod habet naturam in se, habet in se omnem perfectionem positiuam, quæ potest poni in ipsa: per negationem autem
B cointellectam, potest habere rationem incommunicabilis; & hoc maximè, si incommunicabilitas non dicit, nisi aliquam negationem in genere.

Contra istam viam arguitur, sic. Nulla negatio est de se incommunicabilis; quia sicut non est de se vna, neque indiuisibilis aliqua indiuisione, sic non est de se hæc, & incommunicabilis, sed tantùm per affirmationem, cui primò repugnat diuidi, & per hoc negationi conuenit non diuidi; & ideo negationi non conuenit primò non diuidi, sed consequenter; ita etiam videtur de incommunicabili: quia communicari non repugnat negationi de se, sed tantùm per aliquam affirmationem, cui primò conuenit talis incommunicabilitas: ergo negatio non erit prima ratio incommunicabilitatis.

Præterea. Nulla negatio est propria alicui subiecto, nisi per aliquam affirmationem propriam ei, quam sequitur talis negatio; ergo primæ Personæ, non est propria ista
C negatio, Non esse ab alio, nisi quia eidem propria est aliqua affirmatio prior, quam consequitur ista negatio; ista affirmatio prior, non potest esse Essentia; ergo aliqua proprietas positiua.

Præterea. Si prima Persona, sit incommunicabilis formaliter negatione, & secunda est incommunicabilis relatione positiua, scilicet Filiatione, & tertia similiter spiratione passiua; ergo non vniformiter se habent istæ Personæ, in ratione personalitatis, neque sunt æquè positiuæ Personæ: neque æquè perfectæ inquantum Personæ; quia non est æquè perfecta personalitas negatiua, & proprietas aliqua positiua.

Istæ rationes, licèt fortè non conuincerent Aduersarium, quin possent solui: quia tamen non videtur probabile Personam primam constitui sola negatione formaliter; vel negatione formaliter esse Personam; ideo potest concedi Conclusio istarum rationum.

Ad Argumentum principale in oppositum. Dico, sicut dictum est, dist. 26. Quòd ly præter, non includit aliqua
D personalia, sed excludit essentialia, & includit in proprietate inclusa, omne personale illius Personæ. Vnde & in generatione, includitur tàm Paternitas, quàm spiratio actiua; vt est in Patre, & omnia personalia quæ conueniunt Patri. Quod etiam probatur per eum alibi: vbi nominat Paternitatem, Filiationem, & Processionem; ergo non intendebat in primo loco, solùs illas tres esse proprietates personales; nec etiam intendebat illas tres constitutiuas esse personales, sed per illas intendebat omnes alias, & quòd omnia essentialia, quæ excluduntur per ly præter, sunt vnum in tribus.

Ad Argumenta pro Opinione Prima.

Quando arguitur per Aug. de proprietate ingeniti ad Paternitatem. Respondeo. Aliquando priuatio, non connotat affirmationem, & tñ nunquam inest formaliter priuatio, vt propria, nisi priuatio insit, formaliter talis positio. Exemplum. Cæcus, non cõnotat nisi oculum, qui est commune subiectum cæcitatis & visionis, & tamen nunquam inest oculo, per solam rationem oculi, sed per aliquã aliam entitatem positiuam, quam consequitur ista priuatio; puta per talem mixtionem in oculo, cum qua non possit stare visio. Ita potest dici hìc: quòd licèt ingenitum, nõ connotet nisi aliquam Personam, subsistẽtem in Essentia Diuina; tamen ista affirmatio, non est tota ratio inhærentiæ huius negationis, quæ est ingenitum; sed oportet in re, aliã proprietatem positiuam, aliquomodo præcedere ingenitum, per quam insit, licèt non connotetur per ingenitum, tanquam aliquod proprium subiectum. Et secundùm hoc dictum Aug. debet intelligi: quòd ingenitum, quantùm est de per se ratione ingeniti, non connotat Patrem, non tamen potest inesse propriè in re, nisi affirmatio ista, vel aliqua alia absoluta, vel relatiua, sit quasi ratio inhærentiæ eius. E

Ad Secundum. Dicitur, quòd ista propositio est vera, de primo in ordine, quod est ad se, cuius scilicet esse, non est esse ad secundum: ita non est in ordine Personarum, habentium eandem naturã, vt in proposito; quia hìc primam Personam esse, est ordo eius ad secundam: & ideo ordo ad secundam, quasi præcedit negationem principij, sicut constitutiuum formale alicuius entis positiui, præcedit in eo negationem alicuius entis sibi repugnantis. F

Ad Tertium. Dico, quòd si esset ita, secundùm imaginationem Philosophorum Gentilium, tunc Essentia Diuina esset determinata ex se ad hanc subsistentiam, & cõstitueret hanc, non per aliquam negationem, sed seipsa, secundùm eos; quia esset omnino determinata ad hanc: sicut in creaturis, hæc natura, est omnino limitata ad hoc suppositum: nunc autem, ponendo ibi esse originem, oportet Essentiam non esse omnino determinatam ad vnam Personam, & ideo non constitueret per se aliquam Personam.

Et cùm dicitur. Ponere originem, nihil aufert essentiæ, nec illi quod per se constituit. Verum est, quod nihil aufert: sed ponit oppositum illius hypotesis, propter quã Essentia de se constitueret Personam, s. determinationem Essentiæ ad vnicã subsistentiam: quæ hypotesis, auferret Essentiæ perfectionem, quia videretur ponere limitationẽ: sed oppositum illius hypotesis, ponens originem, non aufert perfectionem, aufert tamẽ modum incompossibilem, constitutiuum Personæ, qui esset verus ex hypotesi. G

QVÆSTIO TERTIA.

Vtrum prima Persona constituatur in esse personali, aliqua relatione positiua, ad secundam Personam.

QVòd non, arguitur. Primò. Quia prima Persona, præintelligitur in esse personali, antequã gignat: agere enim, suppositi est; igitur præintelligitur esse suppositum, etiam antequam agat: si autem constitueretur relatione ad secundam Personam, cointelligeretur cum ipsa existente, secundam Personam esse; & per consequens secunda Persona cointelligeretur esse, antequam prima gigneret: & ita secunda Persona, non esset terminus illius generationis.

Confirmatur ratio. Quia quæcunque sunt simul natura, quocunque vnum est priùs, & alterum; relatiua sunt simul natura; ergo si prima Persona formaliter constituitur in esse personali, per relationem ad secũdam, quocunque prima Persona prior est, in esse personali, & secunda; sed generatione, quæ est actio primæ Personæ, videtur prima Persona esse prior in esse personali; igitur & secunda, vt priùs, tunc non erit terminus formalis generationis. H

Prætera. In omni ordine, primum videtur esse absolutissimum, sicut appatet procedendo in quibuscunque ordinibus; ergo ita erit in ordine Personarum, quòd prima erit absolutissima, & ita non constituetur per relationem ad secundam.

Contra. Prima Persona non constituitur in esse personali Deitate, quia non est incommunicabilis: nec spiratione actiua, quia communis est sibi & Filio; nec innascibilitate ex quæst. præcedente: ergo per viam diuisionis, aliqua relatione positiua ad secundam Personam.

A

ARTICVLVS PRIMVS.

Aliorum quatuor Opiniones examinantur.

HIc communiter conceditur pars affirmatiua quęstionis: *a D.Tho.1.par.sum.q.40.art.4.* sed propter difficultatē 1.argum. distinguitur de ipsa relatione constituente primam Personam. Vno modo, quòd ipsa potest considerari vt proprietas; vel vt relatio: vt proprietas, præcedit generationem; vt relatio, sequitur; & tūc secundùm quod constituit primam Personam, nō oportet secundam simul esse cum prima, licèt vt est relatio, quasi consequens generationem, oportet secundam simul esse cum ea.

Contra istud. Proprietas vt proprietas, est aliqua entitas, alioquin non constitueret aliquod ens: aut igitur entitas ad se, aut ad alterum, aut neutrum: entitatem enim aliquam esse singulare, quæ nec sit entitas ad se, nec ad aliud, non videtur esse intelligibile: ergo oportet quòd ista entitas
B formaliter; vel sit ad se; & tunc constituit personā absolutam; vel ad alterum, & tunc vt proprietas, erit relatio: & tunc non euadetur difficultas, licèt alia ratio sit considerandi eam vt proprietas, & vt relatio.

Et confirmari potest ratio, per exemplum. Quia etsi albedo possit considerari, vt albedo, vel vt qualitas; & si consideretur vt albedo, hoc est secundùm propriam rationem specificam suam; si autem vt qualitas, hoc est secūdùm rationem imperfecti sui generis; tamen quicquid constituitur albedine, vt albedo est, non constituitur aliqua entitate, quæ non sit qualitas; quia albedo, etiam vt albedo, includit essentialiter qualitatem, & est essentialiter qualitas, ita quòd albedo non potest constituere album, vel aliquid in esse albo, nisi etiam constituat in esse qualitatiuo. Ita videtur in proposito, de proprietate relatiua, sic & sic considerata.

Præterea. Iste dicit alibi; quòd in Diuinis non potest esse ordo: quia nec Essentię ad relationes, nec relationum inter se; quia relatiua sunt simul natura. Quodsi proprietas
C possit considerari eo modo, quo non esset relatio, & hoc modo non oporter quòd haberet correlatiuum simul natura, argumentum eorum non valeret.

Aliter distinguitur *à S.Bonau.lib.1.d.26.quæst.3.* de relatio est, & vt origo est. Et ponitur, quòd constituat vt origo, non autem vt relatio; quia ratio originis aliquomodò præcedit, & in ea quasi fundatur relatio: prima autem Persona, constituitur per primam originem ibi, per quam distinguitur.

Contra hoc obijcitur. Quia origo vt origo, non est propria forma, nec Personæ in qua est, nec personæ ad quam est, sed est quasi via; & tunc neque primæ personæ est forma, sed quasi præsupponit eam; nihil autem constituit aliquid in aliquo esse, nisi inquantum est forma eius.

Si tamen ista via intelligitur de distinguere, quasi principiatiuę alicuius correspondentis causæ effectiuæ in creaturis, sicut expositum est dist.26. & non per modum principij formalis: tunc ista positio posset habere veritatem;
D nec hoc argumentum esse contra eam.

Alio modo dicitur *ab Henr. quol.9.q.1. & in sum.* Quòd sicut eadem actio potest diuersimodè intelligi: inquantum aptitudinalis, inquantum potentialis, inquantum futura, inquantum actu, & inquantum præterita: ita relationes, fundatæ super actionem, possunt diuersimodè accipi. Vt sit relatio fundata super generationem, quasi aliquo modo præteritam; alio modo, vt quasi præsentem; alio modo super eam, vt quasi futurā; alio modo super eam, vt quasi potentialem; & vlteriùs, vt quasi aptitudinalem: dicitur autem, quòd relatio sub prima ratione, constituit primam Personam; prima autem ratio, est ratio aptitudinalis, quia illud sequitur ad aliud, non è conuersò; ergo generatio tali modo constituit Patrem; & hoc modo significatur per hoc, quod est generatiuitas.

Contra istud. Prima Persona non constituitur proprietate habente minùs perfectè esse positiuum, quàm habeat proprietas constitutiua secundæ Personæ; quia tunc non videretur esse perfecta in esse personali: secunda autem Persona constituitur, secundùm istos, Filiatione vt filiatio est; ergo prima Persona non constitueretur relatione potentiali, quæ minùs perfectum esse habet de ratione E
relationis, quàm proprietas secundæ Personæ; sed relatio generatiui ad generabile, quam ponunt esse primam; & constitutiuam, est relatio potentialis; ergo non constituit ita perfectam personam actualem, sicut secunda. Probatio assumpti. Nullum esse actuale, exigit ens potentiale; quia ens potentiale, est minùs perfectum, quàm actuale, dummodo sint eiusdem rationis; relatio autem generatiui, requirit generabile, quod dicit relationem potentialem ex parte Filij; ergo ista relatio generatiui in Patre, non est relatio actualis.

Præterea contra istam Opinionem, & contra duas præcedentes, arguitur. Quia relatio si constituat ibi primam personam, hoc non est nisi secundùm quod est in re, alioquin non constitueret personam realem; non est autem in re, nisi vnica relatio personæ primæ ad secundam: nec est ibi nisi sub ratione actualissima, quomodocunque possit diuersimodè accipi; ergo sub illa ratione actualissima, F
constituet illam primam personam, & sub ea ratione correspondet sibi relatio in secunda persona; non est autem in secunda aliqua, nisi vt actualissima. Frustra igitur quæritur distinctio, quasi potentialis, vel aptitudinalis ibi, à ratione actiui. Quia ista distinctio in modis concipiendi, nihil facit ad constitutiuum primæ personæ, quin prima persona semper exigat secum simul secundam, & tamen propter hanc difficultatem, scilicet ne poneretur personam primam habere simul secum secundam, quæritur ista distinctio relationum aptitudinalium, actualium, & potentialium, ne Filius ponatur præcedere generationem Patris?

Eodem modo posset argui contra primam Opinionem, & secundam. Quia illa relatio, quomodocunque concipiatur, non est ibi, nisi vt vnica.

Præterea, contra omnes tres Opiniones arguitur. Quia etsi Pater generat Filium, per hoc quòd actione Patris relatio Filij est in Essentia Diuina, & actione sua, secundùm istas Opiniones, Paternitas vt Paternitas, est in Essentia Diuina; quia secundùm eas, Paternitas vt Paternitas, tunc primò est, quando Filiatio est, vt Filiatio, licèt priùs præcesserit aliquid, vt origo, vel generatiuitas, vel proprietas: igitur Pater ita generabit se Patrem, sicut generabit Filium, aut saltem ita erit Paternitas in Patre per generationem, sicut Filiatio, in Filio; quod videtur absurdum. G

Præterea contra omnes Opiniones, alia est difficultas. Quomodo Essentia determinetur ad Personam primam, vel proprietatem, si ex se, non videtur communis alijs Personis? Quia quandocunque aliquid determinatur ad aliud ex se, vbicunque est, habet illud, & tunc Essentia vbicunque esset, haberet personalitatem primæ Personæ, Si autem ab alio determinatur, hoc videtur esse contra rationem primæ Personæ: quia tunc videtur esse originata, vel aliquo modo posset ab alio poni in tali substantia.

Aliter ponitur. *a Ioan. de Ripa distinct.25. & 26. huius.* Tenendo Conclusionem oppositam istis tribus Opinionibus, scilicet, quòd prima persona, non constituitur relatione aliqua ad secundam personam; & hoc loquendo de H
primo constitutiuo illius personæ, in esse personali, sed aliqua realitate absoluta, non quidditatiua, sicut tactum est in Opinione 3. dist.26.

Pro hac Opinione, arguitur specialiter de prima Persona, sic. Ingenitum præintelligitur Paternitati, & ingenito videtur præintelligi aliqua realitas propria primæ Personæ; igitur cùm illa non possit esse relatiua, erit aliqua absoluta, propria illi personæ. Probatio primi assumpti. Tum per August.5. de Trinit.cap.6. *Si pater non genuisset, nihil prohiberet eum dici ingenitum.* Tum quia fæcunditas ad aliquam productionem in Diuinis, non intelligitur quasi potentia proxima, nisi vt est in non habente illam fæcunditatem, per actum illius fæcunditatis, sicut voluntas non intelligitur fæcunda ad spirandum, vt in aliqua persona, nisi vt in qua sit, vt non communicata per fæcunditatem voluntatis, & ideo videtur communiter

A muniter concedi, quòd vis ſpiratiua in Patre, & Filio, præintelligitur non habere voluntatem per ſpirationem: ergo à ſimili,huic fæcunditati generandi, vt quaſi potentia propinqua,videtur præintelligi innaſcibilitas,quæ notat eam non haberi per actum fæcunditatis intellectus, ſcilicet generationis. Probatio ſecundi, ſequitur ex improbatione Opin. in quæ. præcedente.

Præterea. Nulla relatiua primò referuntur ad inuicem ita quòd relatum,vt relatum,primò terminet relationem. Patet in creaturis. Quia relatum vt relatum, requirit illud ad quod refertur, ad ſui eſſe, & ad ſui diffinitionem; ergo illud ad quod refertur; eſt aliquo modo prius relato vt relatum; ſi igitur è conuerſo,ipſum vt terminans refertur; ergo pari ratione requirit illud, ad quod refertur, propter ſui eſſe,& ſui diffinitionem; ergo circulus eſſet in neceſſario coëxigendo;& hoc ita, quòd vtrumque exigeret alterum, ſicut priùs eſſentialiter ſe, vt diffiniens ſe:ſed circulum eſſe in prioritate eſſentiali, eſt impoſſibile: ergo
B impoſſibile eſt relatiuum vt relatiuum, ſiue ſecundùm illud eſſe,quo dependet à correlatiuo, vt ad terminum, eſſe terminum dependentiæ alterius correlatiui;& à ſimili videtur in propoſito,quòd relatiuum non refertur primò ad relatiuum,vt ad terminum huius relationis; ergo ſecunda Perſona ſi referatur ad Perſonam primam, oportet ponere aliquod abſolutum,vt terminum huius relationis; non eſt autem illud abſolutum Eſſentia; quia illa ſicut non refertur, ita non determinat relationem, quia non diſtinguitur; ergo eſt abſolutum perſonale, quod poteſt diſtingui à ſecunda Perſona.

Contra iſtam Opinionem arguitur, quòd ſit hæretica. Sed quia tacta ſunt argumenta & ſolutiones,diſt. 26.ideo modò tranſeo.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Verior Sententia Proponitur.

C AD Quæſtionem iſtam, cui non placet vltima Opinio, de perſonis abſolutis. Poteſt dici,tenendo communem viam, ſupponendo ſcilicet Perſonas eſſe relatiuas,& quòd prima Perſona conſtituitur relatione poſitiua ad ſecundam Perſonam, quia nec aliquo alio, ſicut argutum eſt ad oppoſitum,per viam diuiſionis. Nec oportet diſtinguere, qualiter illa relatio conſideretur; vt eſt conſtitutiuum: quomodocunque enim varietur,ſecundùm conſiderationem,eadem tamen eſt in re,& ſecundùm quod eſt in re, conſtituit perſonam realem.

Nec eſt difficultas alia, niſi quomodo requirit ſecūdam Perſonam ſimul ſecum,cùm tamen præcedat.

Vbi tamen breuiter dico. Quòd ſimultas relatiuorum, qua dicuntur eſſe ſimul natura, eſt iſta,ſcilicet; Non poſſe eſſe ſine ſe inuicem, ſine contradictione,ſi ſint relatiua mutua. Nam vna relatio,nō poteſt eſſe ſine termino;quia ſi poſſet eſſe ſine eo,eſſet ens ad ſe:pari ratione, nec relatio alia ſibi correſpondens, poteſt eſſe ſine iſto termino; quia tunc eſſet ad ſe;igitur iſtæ duæ relationes,quādo ſunt mu-
D tuæ,non poſſunt eſſe ſine ſe inuicem,abſque contradictione;omne autem priùs natura, poteſt eſſe ſine cōtradictione ſine poſteriori; ita quòd ſi ponatur hoc eſſe ſine illo,nō eſt contradictio, ſicut patet per Philoſ. 5.Met.t. 16. cap. de priore.

Iſto modo concedo Perſonam primam,& ſecundā,non poſſe eſſe ſine ſe inuicem, abſque contradictione; & non eſt contradictio ex aliquo extrinſeco, ſed ex formali ratione iſtarum perſonarum, & tamen cum hoc ſtat prioritas originis, quòd vna ſit ab altera.

Quod declaratur. Primò. Quia ſi Sortes ſit pater Platonis,Sortes non intellectus vt ſubiectum paternitatis,ſed vt ſub paternitate, & Plato intellectus vt ſub filiatione, iſta ſunt ſimul natura,quia ſic intelliguntur vt correlatiua; & tamen vt ſic,Sortes eſt prius origine,quàm Plato;quia ſic intelligitur ſub paternitate, quæ eſt formaliter prioritas originis: ergo videtur quòd eodem, quo aliquid eſt priùs origine in creaturis, eſt ſimul natura cum eodem, eo modo quo ſimultas naturæ requiritur ad correlatiua.

Hoc ſecundò ſic perſuadetur. Quia prioritas naturæ, vno modo eſt prioritas ſecundùm perfectionem,ita quòd priora dicuntur eſſe perfectiora ſecundū naturam,9. Met. t. 15. c.7.nunc autem cum ſimultate correlatiuorum ſecūdùm naturam,videtur poſſe ſtare prioritas ſecundùm perfectionem in vno,reſpectu alterius. Quia ſi genus Relationis, diuidatur per proprias differentias oppoſitas, ſicut alia genera,vna differentia diuiſiua erit dignior,& alia indignior;quia duæ ſpecies nō ſunt æquales 5. Metaph.t.10. & per conſequens, ſpecies conſtituta minùs nobili differentia,erit minùs nobilis, & tamen duæ ſpecies conſtitutæ ex duabus differentijs oppoſitis, poſſunt referri ſibi inuicē, quia omnis relatio diſquiparantiæ, eſt ad aliquid alterius ſpeciei; igitur relationum ſibi correſpondentium, altera poteſt eſſe prior, id eſt perfectior aliâ, & tamen ſimul natura,quantùm ad hoc,quod eſt,non poſſe eſſe ſine ſe inuicem;ergo multò magis videtur etiam, quòd prioritas originis, ſecundùm quam ſcilicet vnum extremum in natura, non excedit aliud extremum, ſed eſt à quo aliud eſt, poſſit ſtare cum iſta ſimultate relatiuorum. F

Ad hoc etiam adducitur Auic. 6. Metaph. cap. 2. vbi videtur velle,quòd cauſa,inquantum cauſa, prior ſit natura cauſato inquantum cauſatum;& tamen cauſa inquantum cauſa,eſt ſimul cauſato,ſimultate requiſita ad correlatiua: iſta autem prioritas naturæ, quæ eſt cauſæ ad cauſatum, videtur magis repugnare ſimultati naturæ correlatiuorū, quàm prioritas originis tantùm.

Tunc breuiter. Prima Perſona conſtituitur in eſſe perſonali; per relationem poſitiuam ad ſecundam, & è conuerſo;& impoſſibile eſt eſſe ſine ſe inuicem, & tamen ipſa Perſona prima,conſtituta in tali eſſe,eſt prior origine Perſonâ ſecundâ; ita quòd prima Perſona, conſtituta in tali eſſe,eſt à qua originata eſt ſecunda; & ita prioritas originis,non repugnat ſimultati relatiuorum.

ARTICVLVS TERTIVS.

Quomodo Eſſentia Diuina determinatur ad Paternitatem.

G SEd tunc eſt aliud dubium,quod tactum eſt contra iſtas tres Opiniones,ſcilicet. Quomodo Eſſentia determinatur ad primam ſubſiſtentiam?

Ad hoc dico. Quòd quando aliquid eſt illimitatum, in aliqua ratione cauſæ,ita quòd correſpondent ſibi plura in altero extremo,vel aliquod vnum continens plura,ſi inter illa plura eſt aliquis ordo, vel abſolutè, vel in ſe habendo ad illud illimitatum; tunc non eſt idem primum reſpectu talis illimitati;& hoc loquendo de primitate adæquationis & primum primitate immediationis. Exemplum huius, primò in cauſa efficiente,vbi eſt manifeſtiùs.Si ſol vt cauſa,illuminet medium totum, & tamen eſt quaſi agens illimitatum,cui correſpondent plures partes medij illuminatæ;& inter iſtas partes eſt ordo aliquis,quia priùs illuminatur pars propinquior,quā remotior: primū correſpondens Soli,vt illuminanti,eſt totum medium, vt includit omnes partes. Primum inquam quaſi adæquatum,tamen non eſt primum vt immediatum,ſed pars propinquior Soli,immediatiùs illuminatur, quàm pars remotior. Ita et in forma, H accipiendo animam intellectiuam, quæ eſt forma aliquomodo illimitata, correſpondet ſibi pro primo perfectibili corpus organicum,ſecundū ſe totum, includēs in ſe multas partes perfectibiles. Primū igitur perfectibile, animæ intellectiuæ,id eſt,adæquatū, eſt totum corpus organicū; ſed quia in partibus huius totius eſt ordo originis, vel in ſe vel in habendo animam,quia primum eſt cor,deinde aliæ partes,16.de animalibus;ideo iſta forma,non primò id eſt æquè immediatè,perficit totum, ſed ſic primò perficit cor immediatè,& mediante ipſo,alias partes. Si igitur aīa eſſet tota eſſentia cordis, & manus per identitatē, & tamen daret eis eſſe diſtinctū,quale modo dat eis, licet in toto; & cū hoc,cor & manus,nō eſſent partes eiuſdem totius,quia hoc eſſet imperfectionis, ſed hęc eſſet ſuppoſita diſtincta; eſſet ad huc aīa, ꝓpter ſui illimitationem,habēs corpus organicum pro adæquato perfectibili,ſiue habens omnia illa ſuppoſita,quæ modò ſūt partes corporis, pro vno adæqua-

 to, &

A to, & tamen haberet vnum illorum, quod s. est primum origine, pro primo & immediato perfectibili.

Ita potest dici vniuersaliter in omni illimitato, cui correspondent plura, inter quæ est aliquis ordo, propter quē, vnum illorum immediatiùs respiciatur ab illo illimitato, quàm alterum.

Ita in proposito. Essentia Diuina, non habet aliquā subsistentiam vnam primam, id est, adæquatam sibi; quia tunc non posset esse in alia, sed sic adæquantur tres subsistentiæ illi naturæ, quòd tamen in istis tribus, est ordo in habendo naturam; & ideo Essentia vna primitate, scilicet immediationis, respicit primum illorum ordinatorum, ita quòd sicut Essentia ex se primò esset in tribus, si esset in eis sine ordine, & hoc tam primitate adæquationis, quàm primitate immediationis: ita nunc, ex se est in tribus, primitate adæquationis, sed non primitate ordinis immediationis, sed priùs in primo illorum, & virtute illius in alijs, quibus communicatur ab illo primo.

Cùm igitur quæris. Per quid est Essentia in prima B Persona? Dico, quòd ex se. Et si adhuc velis dicere: quòd non; sed per proprietatem determinantem: eadem quæstio esset, per quid determinaretur ad proprietatem determinantem? siue, per quid primò pullulat in Essentia illa proprietas. Et tunc, vel oportet procedere in infinitum; vel oportet stare, quòd Essentia, quæ de se esset primò, id est adæquatè, in tribus, & esset de se immediatè in tribus, si non haberet ordinem, quòd ipsa est de se immediatè in primo istorum trium, habentium ordinem.

Et si quæras. Vnde determinatur Essentia ad primam Personam? Et, si ex se determinatur: ergo non potest esse in alia. Respondeo. Determinatio duplex est, opposita duplici indeterminationi. Vna determinatio est, ad opposita contradictoriè, sicut materia est indeterminata ad formā, & ad priuationem: alia est ad diuersa positiua, quæ tamen stat cum determinatione ad alteram partē vtriusque contradictionis. Exemplum huius secundi. Sicut Sol est indeterminatus ad producendum vermem, & plantam, tanquam ad diuersa positiua, cùm tamen sit ex se determina- C tus ad alteram partem contradictionis, tam huius, quàm illius, sicut si esset agens particulare tantùm, natum producere vnicum illorum tantùm. Dico tunc in proposito. Quòd Essentia de se determinatur ad primam Personam, determinatione opposita in determinationi primæ, quæ est ad contradictoria; non tamen determinatione opposita secundæ indeterminationi, quia illa non staret cum illimitatione ad plura.

Et per hoc patet ad Argumentum. Si ex se determinatur ad istam; igitur non potest esse in alia. Consequentia E tenet, loquendo de determinatione secunda, quæ opponitur illimitationi ad plura: & hoc modo non determinatur Essentia ad vnam, sed ad tres subsistentias, quia illa determinatio est ad primum adęquatum: non tamen tenet consequentia, loquēdo de determinatione primo modo; quia illa est ad primum immediatum, non adæquatum, & stat cum illimitatione indeterminati ad plura.

Argumenta principalia soluuntur.

AD primum Argumentum principale. Patet ex dictis. Quia primum suppositum, precedit secundum, origine; & tamen sunt simul natura, sicut requiritur ad relatiua.

Et cùm arguis. Quòd primum suppositum, præcedit generationem; igitur & secundum. Respondeo. Quòd in antecedente potest intelligi generatio actiua, & passiua. Si generatio actiua. Nego: imò primum suppositum, est generatione actiua subsistēs: quia quomodocunque intel- F ligatur illa relatio, non est differentia in re, dicendo Patrem subsistere, vel generatione subsistere, vel generantem subsistere. Si autem intelligatur in antecedente, de generatione passiua. Concedo, quòd prima persona, sicut origine præcedit Filium; ita præcedit origine generationē passiuam. Et cùm arguitur, sic. Filius præcedit eandem generationem passiuam, quia est simul cum Patre. Ista consequentia non valet: quia non est isto modo simul cum Patre, quomodo Pater est prior generatione passiua. Filius enim est simul cum Patre natura, sicut pertinet ad correlatiua, Pater autem præcedit generationem passiuā, non sic, sed origine. Nunc autem ista propositio, Quandocunque aliqua sunt simul, quomodocunque est vnum priùs, & reliquum. Falsa est, nisi intelligatur de simultate eiusdem rationis, cum illa prioritate & posterioritate: sicut est falsa, Si aliqua sunt simul tempore, quicquid est priùs natura vno, & reliquo: Sed ista est vera, Si ista sunt simul tempore, quicquid est priùs tempore vno, & altero.

Ad Secundum Argumentum. Dico, quòd vera est illa G Maior, in ordine essentiarum: quia ibi intelligitur in perfectionibus quidditatiuis, & status est ad perfectionem quidditatiuam infinitam, quæ est absoluta: Sed in personis habentibus eandem naturam, distinctam tantùm per originem, sicut oportet intelligere in proposito, secundūm communem opinionem, propositio Maior est falsa: quia ibi primum præcisè est illud, quod est formaliter per esse ad secundum.

DISTINCTIO XXIX.

QVÆSTIO VNICA.

D *Vtrum principium vno modo dicatur de principio sumpto personaliter, & notionaliter, & sumpto etiam essentialiter?* H

QVòd non. Quia si principium esset vnius rationis, hoc modo tripliciter sumptum; ergo principiata essent vnius rationis: hoc est falsum; quia nec Filius, nec Spiritus Sanctus, principiatur vno modo, nec creatura eodem modo cum eis.

Contra. Sequitur creans; igitur principians: Generans; igitur principians: Et, Spirans; igitur principians: & non ē conuerso; ergo consequens est commune ad omnia antecedentia.

Ad Istam Quæstionem. Dico. Quòd principium non dicitur vniuocè de principio essentialiter, & notionaliter, siue personaliter sumpto. Et hoc, loquendo de relatione, quæ per se significatur hoc nomine, principium; & accipiendo principium principiatiuè, non pro eo quod principiat, siue pro principio Quod, sed Quo. Et ratio est. Quia principium essentialiter sumptum, non dicit nisi relationem rationis, non realem: quia non est realis relatio Dei ad creaturam, vt ex distinctione sequenti patebit: Vt autē accipitur ad intra notionaliter, vel personaliter, dicit relationem realem: relationi autem reali, & rationis, non est commune aliquid idem, quod est in vno rei, & in alio rationis. Quia ei quod est secundùm quid tale, & ei quod est simpliciter tale, inquantum tale, non est commune vniuocum, illud quod accipitur in eis secundùm quid, & simpliciter: relatio autem realis, est simpliciter relatio, & relatio rationis, est secundùm quid relatio; quia sicut esse in ratione, est esse secundùm quid, ita referri secundùm rationem, siue comparari à ratione, est referri vel comparari se-

A ri secundùm quid; ergo non est principium vniuocū istis.

Si autem loquamur de principio ad intra, vt est personale, & notionale; videtur quòd eis possit esse ratio principij communis vniuocè: sicut Paternitati & Filiationi, potest hoc, quod est relatio originis, esse commune vniuocè: sicut tactum est supra, dist. 23. de communi vniuoco Personis inquantum Personæ.

Ad Argumenta.

Primum probat. Quòd non est principium vnius rationis ibi notionale & personale. Respondeo, quòd in creaturis aliqua duo distincta specie, dicuntur esse alterius rationis, & tamen potest abstrahi ab eis vnum commune vnius rationis, sicut genus: ita in proposito, istę productiones, generatio & spiratio, sunt alterius rationis, loquendo de proprijs rationibus earum, tamen potest aliquod commune vnum abstrahi ab eis. Et eodem modo de hoc communi, quod est principium, ipsum potest esse commune vnius rationis, licèt illa de quibus dicitur, sint alterius rationis, loquendo de proprijs rationibus eorum. E

Et si obijciatur contra hoc. Quòd tunc est vniuersale in Diuinis. De hoc tactum est supra, dist. 23.

Argumentum ad oppositum, probat communitatem huius, quod est principium ad tale, & tale principium, sicut probat vniuocationem ad principium intra, & extra. Ideo potest responderi. Quòd non sequitur. Creans; ergo principians: Et, Generans; ergo principians: accipiendo principians pro aliquo vniuoco conceptu simpliciter; quia principians, quod infertur ad hoc, quod est creans, vt dicitur de Deo, dicit tantùm relationē rationis, principians autem quod infertur ex generante, dicit relationem realem.

B

DISTINCTIO XXX.

F

QVÆSTIO PRIMA.

Vtrum de Deo dicatur aliqua relatio ex tempore.

CIrcam istam Distinctionem Trigesimam: quæro duo. Primò quæro.

Vtrum de Deo dicatur aliqua relatio ex tempore.

QVòd non. Quia quicquid de Deo dicitur, est Deus; igitur est æternum; non igitur nouum, nec per consequens ex tempore.

Præterea. Nihil æternum dicitur de temporali; ergo nec è conuersò.

C Præterea. Factio non videtur esse sine mutatione; ergo Deus, qui est immutabilis, non fit aliquid; sed si aliqua relatio noua, diceretur de Deo, posset dici fieri, secundùm istam relationem.

Oppositum patet per Aug. 5. de Trin. c. vlt. & per rationem. Quia relatiua sunt simul natura; ergo relationibus in creaturis ex tempore ad Deum, correspondent relationes in Deo ex tempore.

ARTICVLVS PRIMVS.

Ponuntur duæ Opiniones aliorum, & impugnantur.

AD Quæstionem. Dicitur, *(ab Henr. quol. 7. q. 1. & quol. 9. q. 1.)* Quòd nulla est in Deo noua relatio. Quia sicut actio est eadem, licèt diuersimodè considerata, vt in aptitudine, vt in potentia, vt præsens, vt præterita, vt futura; ita relatio fundata super actionem, sic & sic considerata, est eadem relatio, ita quòd dicit alibi quòd sunt eadem
D relatio secundùm rationem, differentes secundùm aliam & aliam denominationem, quæ est differentia minor, & huius denominatio alia est, propter nouam passionem in creatura. Eandem igitur relationem dicit in Deo, ipsum esse Creatiuum, & Creantem: sed æternaliter fuit Creatiuus; ergo cùm dicitur Creans, non est in eo relatio noua, sed noua appellatio relatiua. Quod confirmatur per Aug. 5. de Trin. c. vlt. vbi potiùs videtur nouam appellationem dicere, quàm relationem.

Contra istam Opinionem. Primò. Si relatio actualis, & aptitudinalis sint eadem, & propter hoc, non sit aliqua relatio noua actualis Dei ad creaturam; ergo pari ratione, non est aliqua relatio noua creaturæ ad Deum: quia aptitudinali in Deo, correspōdebat aptitudinalis in creatura, sicut actuali actualis; & tunc si erant eadem in Deo, aptitudinalis & actualis; pari ratione aptitudinalis illa in creatura, erit eadem cum actuali: & ita nulla noua in vno extremo, sicut nec in alio. Consequens videtur absurdum, secundùm veritatem. Quia tunc nulla essentia esset noua, nec aliquid absolutum nouum; impossibile est enim fundamentum esse nouum, & relationem esse æternam, secundùm istud fundamentum. Et etiam sequitur impossibile secundùm eos. Quia tunc cùm omnia sint illud, quod sunt per respectum ad Deum, vt ad causam exemplarem, vel vt ad causam efficientem, sequitur, quòd omnia sunt æterna, & nihil nouum. Quia si non respectus; nec absolutum: quia nullus respectus potest esse æternus, sine æternitate fundamenti, nec nouus, sine nouitate fundamenti. G
Specialiter etiam videtur consequens inconueniens, secundùm istos, qui dicunt esse existentiæ, dicere respectum ad causam efficientem, vt efficiens est; & illud esse, vel respectus erit nouum, vel nihil erit nouum per creationem, & tamen ille respectus in creatura, est in comparatione ad Deum; ergo non obstante relatione aptitudinali præcedente, (vt aptitudinalis est) potest actualis esse noua, tanquam alia ab illa aptitudinali.

Præterea. Non potest esse eadem relatio, nisi sit inter eadem extrema. Nunc autem intellectus Diuinus, non tantùm ab æterno intellexit animam Antichristi, vt possibilem pro tanto tempore, antequam crearetur: sed intellexit esse, vt actu existentem, pro illo instanti creationis, pro quo existet: istud autem intelligibile, videtur esse distinctū ab isto intelligibili, in ratione intelligibilis, quia videtur aliud intelligibile esse potentiale, & actuale animę; quia possunt esse duo actus intelligendi circa illa, quia vtrumque potest intelligi, cum opposito alterius: ergo respectu intellectus Diuini, sunt duo intelligibilia, secundùm duos actus, secundùm rationem: igitur intellectio H
Diuina, quæ est vnica, potest habere ista pro obiectis distinctis, vnici actus secundum rem, distincti secundùm rationem, sicut possunt esse obiecta distincta, duorum actuum intellectus nostri: & per consequens, Diuinus intellectus, comparans se ad primum extremū, vt creatiuum ad creabile, & ad aliud extremum, vt creans ad creatum, videtur in essentia sua quasi producere duas relationes rationis, ad distincta extrema; & ita relatio creatiui & creantis, non est vna relatio rationis, sicut nec extrema ad quæ comparatur, sunt ibi idem.

Cōfirmatur ista ratio. In quocunque genere illud quod est in potentia tale, non est nisi secundùm quid tale: ergo non est simpliciter ei idem, illud quod est actu tale: & per consequens, si intelligatur hoc vt in potentia, & illud vt in actu, erit aliud extremum intelligibile simpliciter.

Præterea, quod dicitur de noua appellatione, videtur irrationa-

A irrationabile. Quia in quocunque eadem forma habet idem eſſe, videtur eodẽ modo poſſe appellari ab illa. Quia enim forma talis eſt, & in tali ideo tale appellatur ab ipſa, & non è conuersò: ergo ſi relatio erit eadem, & vniformiter ad creaturam, ex parte Dei, non videtur quare non poſſet Deus ſemper vniformiter ab ea appellari.

Aliter dicitur. (*à Varr. hic, & in 2.d.1.q.5.*) Quòd in Deo non eſt aliqua relatio ex tempore ad creaturam, ſed in ſola creatura eſt relatio ex tempore ad Deum: & ſic illa relatio, qua Deus dicitur ad creaturam, non eſt in Deo, niſi ſecundùm quod eſt in creatura, quod videtur accipi ab Auguſt. cap. præallegat. à Magiſtro in litera.

Confirmatur. Actio eſt in patiente, eſt 3. Phyſic. t. 18. & tamen non denominat patiens, ſed agens: ſic Deus, denominatur à relatione illa, quæ eſt in creatura.

Contra. Quia tunc relatio eſſet in eo, in quo nõ eſt fundamentum: fundamentum enim relationis, qua Deus dicitur ad creaturam, ſi dicatur ad eam, non eſt in creatura, B quia potentia, quæ fundat relationem, non eſt in creatura, ſed in Deo; ergo relatio illa, non erit in creatura.

Præterea. Oppoſitæ relationes cauſæ & cauſati, nõ poſſunt eſſe in eodem, quia magis repugnant, quàm relatio producentis & producti; quæ tamen non poſſunt eſſe in eodem ſuppoſito, licèt ſint in eadem natura.

Et ſi dicatur. Quod hìc ſunt relationes oppoſitæ, in eodem ſuppoſito, non tamen denominant ipſum. Hoc videtur omnino irrationabile: quòd aliqua forma ſit in aliquo ſubiecto, & tamen ſubiectum non poſſet dici tale, quale natum eſt conſtitui per illam formam.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Propria Sententia explicatur.

RESpondeo igitur ad Quæſtionem. Quòd relationes creaturarum ad Deum, ſunt nouæ, & ex tempore.

Nec propter iſtas relationes inquantum ſunt ad vnum, C vt ad terminum, neceſſe eſt ponere aliquas relationes in Deo ex tempore, terminantes iſtas: quod probo. Quia ſecundùm Philoſophum 5. Metaph. t. 20. cap. de ad aliquid. Tertio modo dicuntur relatiua, quæ dicuntur ad aliquid quia alia ſunt eorum: ita, quòd hæc eſt per ſe differentia duorum primorum modorũ à tertio; quia in primis duobus modis, eſt relatio mutua, in tertio autem non eſt relatio mutua, ſed alterum præcisè refertur ad reliquum, ſed reliquum non refertur, ſed tantùm aliquid eſt eius: omnes autem relationes creaturæ ad Deum, pertinent ad tertiũ modum relatiuorum; igitur qualeſcunque ſint illæ, quæ ſunt in vno extremo, non oportet alterum extremum, ſecundùm aliquam relationem in eo, terminare illas relationes, ſed poteſt terminare præcisè ſub ratione abſoluti.

Et iſtud etiam probatur ex intentione Philoſophi 9. Metaph. t. 13. c. 4. vbi probat, quòd *actus eſt prior potentia, diffinitione; quia potentia diffinitur per actum*: ſi autem actus refertur ad potentiam, tunc etiam è conuersò, actus diffiniretur per potẽtiam, ſicut dicit Porphyr. c. de ſpecie, quòd D *in relationibus mutuis, neceſſe eſt in vtrorumque diffinitionibus vtriſque vti.* Tunc arguitur ſic. Actus diffinit potentiam, vt terminat relationẽ eius: aut ergo terminat relationẽ eius, vt abſolutũ; & habetur propoſitum: aut vt correlatiuum; & ſic potentia diffinit actum: igitur vt actus eſt prior diffinitione, eſt etiam poſterior diffinitione; ergo vel diffinit actus potentiam, ſicut è conuersò: vel ita diffinit actus potentiam, quòd è conuersò non diffinitur per ipſam; & per conſequens, actus non refertur ad potentiam, ſed eſt merè abſolutum, & hoc ſub ea ratione, ſub qua diffinit potẽtiam; diffinit autem potentiam, inquantum potentia eſt ad ipſum, vel relatio ad terminum; ergo actus ſecundùm quod merè abſolutus, eſt terminus huius relationis, qualiſcunque ſit illa relatio, ſiue ſimpliciter, ſiue ſecundùm quid.

Hoc etiam probatur generaliùs per omnia relatiua. Quia nullum relatiuum primò refertur ad correlatiuum, vt ad terminum, in creaturis. Probo. Relatiuum inquantum relatiuum; primò diffinitur per terminum, ad quem refertur; ergo terminus vt terminus, prior eſt diffinitione, relatiuo vt relatiuum. E Conſequentia patet 7. Metaphy. t. 4. vbi comparat accidens ad ſubſtantiam. Et per Philoſophum 9. Metaphy. t. 13. vbi comparat potentiam ad actum: ſi è conuersò, terminus inquantum terminus, refertur ad relatum, inquantum fuit relatum; ergo inquãtum terminus, habet illud, quod fuit relatum ad ipſum, pro diffiniente; & per conſequens, pro priore ſecundũ diffinitionem; ergo Pater eſſet prior Filio ſecundùm diffinitionem, & è conuersò; impoſſibile eſt autem circulum eſſe in prioritate eſſentiali quacunque; ergo impoſſibile eſt Patrem primò referri ad Filium, inquantum Filius primò refertur ad Patrem; ergo refertur primò ad illud abſolutum, quod eſt proximum fundamentum relationis, & illud abſolutum eſt prius Patre, vt Pater eſt; & è conuersò, Filius, vt Filius, refertur ad abſolutum, quod eſt proximũ fundamentum Paternitatis, & illud abſolutum prius eſt Filiatione, & Filio, inquantum Filius. Nec ſecundùm hoc F ſte circulus aliquis, ſcilicet, quòd Pater inquantum Pater, prius ſit A. quod eſt abſolutum, & proximum fundamentum Filiationis, & quòd Filiatione inquantum Filiatio eſt, prius ſit B. quod eſt fundamentum proximum relationis Paternitatis. Non enim ex hoc ſequitur, niſi quòd iſta duo abſoluta, ſunt priora iſtis duabus relationibus. Et hoc verum eſt: imò ambo abſoluta, ſunt priora vtraque relatione: quia quælibet relatio, non tantùm præexigit fundamentum, ſed etiam terminum, vt terminus eſt. Si igitur quando ſunt relationes mutuæ, termini mutuò referuntur, accidit quòd ibi terminus inquantum terminus eſt, vt è contra referatur. Poſſibile eſt igitur, aliquid referri ad abſolutum. Et ita videtur hoc rationabile ponere in Deo, qui maximè habet rationem abſoluti, vt creaturæ ſunt ad eum.

Præterea, licèt intellectus poſſit negotiari circa terminum alicuius relationis tertij modi, & in illo termino cauſare relationem rationis, tamen illa non eſt ratio terminãdi: licèt enim intellectus aliquis, conferat quadraturam G circuli ad ſcientiam, vt quoddam ſcibile, cauſando in iſto abſoluto relationem rationis, quæ eſt ſcibilitas, tamen iſta non eſt ratio terminandi relationem ſcientiæ ad ipſum: iſta enim relatio rationis, nõ eſt in hoc abſoluto, niſi dum actu conſideratur ab intellectu; ſcientia autem realiter refertur ad ſcibile, non tantùm vt conſideratur ab intellectu; ergo illa relatio rationis in ſcibili, non fuit ratio terminandi relationem ſcientiæ.

Hoc etiam poteſt declarari in propoſito de Deo. Quòd Eſſentia Diuina, licèt poſſit comparari ad creaturam, & hoc tàm per actum intellectus creati, quàm increati, & ſic in ea cauſare relationem rationis, tamen iſta relatio, non eſt ratio terminandi relationem creaturæ ad ipſum. Non quidem illa quæ cauſatur per actum intellectus creati, Probo. Quia tunc nullo intellectu creato conſiderante, comparando Deum ad lapidem, ſi Deus produceret lapidem, non eſſet in lapide relatio realiter ad ipſum; quod eſt falſum: Nec etiam illa quam cauſat intellectus Diuinus, in Eſſentia ſua. Probo. Quia ſi per impoſſibile, Deus H non eſſet natura intellectualis; (ſicut aliqui poſuerunt, Solem eſſe primum principium, & produceret lapidem, lapis refertur realiter ad eum, & tamen tunc non eſſet relatio rationis ad ipſum.

Abſolutè igitur dico. Quòd propter terminationem relationum creaturarum, ex tempore ad Deum, non oportet ponere aliquam relationem in Deo, nec nouam, nec antiquam, quæ ſit ratio terminandi relationem creaturæ.

Poteſt tamen in Deo poni aliqua relatio rationis: noua quidem, ſicut illa quæ cauſatur in eo, per actum intellectus noſtri conſiderantis ipſum: ſed non noua aliqua, per actum intellectus ſui. Quod probo. Quia nunquam eſt tranſitus à contradictorio ad contradictorium, ſine mutatione. Patet ex diffinitione mutationis. Si enim nulla mutatio eſſet in aliquo, non eſſet ratio quare magis vnũ contradictorium poſſet modò eſſe verum, quàm reliquũ, nec quare magis vnum falſum, quàm aliud, & ita vel ambo ſimul falſa, vel ambo ſimul vera; ſed ſi in Deo poſſet eſſe noua relatio, per actum intellectus ſui, tunc alicuius

con-

A contradictionis alterum extremum modò esset verum de aliquo, quod prius non erat verum; quia modò considerabatur sub aliqua ratione, sub qua prius non considerabatur ab intellectu Diuino; igitur aliqua mutatio in aliquo est, non in Essentia Diuina vt cognita, nec in obiecto considerato, quia nondum est, nec in aliquo ad quod comparatur per intellectum suum, nisi ponatur mutatio in ipso intellectu comparante; quia sicut obiectum comparatū, & illud ad quod comparatur, inquantum talia non habent esse, nisi in intelligi, ita non possunt habere aliud esse, nec aliter esse, nisi sit aliud intelligi, vel aliter intelligi eorum; Sed aliter intelligi eorum, non potest esse sine aliqua mutatione intellectus Diuini; igitur nulla relatio noua potest esse in Deo, per actum intellectus sui, comparando Essentiam suam ad aliquod temporale. Sed istud non est propter hoc, quòd relatio actualis, & potentialis, sunt vna, sicut dicit prima Opinio improbata, sed propter hoc, quòd intellectus Diuinus, ad quodcunque comparat Essentiam suam, in æternitate comparat, licèt non B pro æternitate. Vnde sicut in æternitate comparat voluntatem suam, vt creatiuam, ad animam Antichristi, vt possibilem pro aliquo tempore; ita comparat in æternitate voluntatem suam, vt creantē, ad animā Antichristi, vt actualiter existentē pro illo nunc, pro quo vult creare illam animam. Et istæ quidem sunt duæ relationes rationis, sicut duo extrema, sed vtraque æterna, licèt non pro æterno.

Et ex hoc apparet responsio ad istam Obiectionem. Si nulla potest esse relatio noua in Deo, per actum intellectus sui; igitur si intellectus nullus creatus esset possibilis, & Deus posset creare lapidem, non posset intelligere se creantem lapidem; sicut intellectus creatus potest intelligere ipsum creantem lapidem, quando ipsum creat; Consequens videtur inconueniens: Quia quicquid est cognoscibile à nobis, multò magis & ab ipso. Respondeo. Deus posset se cognoscere creantem lapidem, pro A. sed nō posset nouiter cognoscere se creantem lapidem; sed in æternitate cognoscit se pro A. creantem lapidem; sicut in æternitate cognoscit se pro aliquo tempore creaturum lapidē. C Hoc est dictu. In æternitate cognoscit relationem actualem eius, ad illud, quod pro A. instanti erit, & cognoscit relationem sui, quasi potentialem rationis, tamen pro aliquo tempore.

Breuiter ergo patet. Quòd nulla est relatio noua in Deo, per se terminans nouam relationem creaturæ; est tamen aliqua noua, per actum intellectus creati, nulla autem noua per actum intellectus sui.

Sed contra istud membrum primum, videtur dubium. Quomodo ponatur Deus esse Dominus? secundùm Aug. 5. de Trinit. c. vlti: Respondeo. Sola relatione noua, quæ est in creatura ad ipsum, ipse denominatur Dominus: non quidem quòd in creaturis sint duæ relationes oppositæ, quarum altera ipse denominetur, sed vna tantùm; quę est ad ipsum, vt ad absolutum; & propter hoc, quòd sic absolutum, est terminus illius relationis, denominatur quasi esset in eo noua relatio correspondens: Quemadmodum opus factum ab homine, dicitur humanum, non propter D aliquid humanitatis, quod sit formaliter in opere, sed propter humanitatem, quæ est formaliter in homine, ad quē opus habet habitudinem. Et hæc videtur intentio Magistri, expresse in littera, concludentis ex verbis Aug. Ait enim sic. *Appellatio qua creatura relatiuè ad Creatorem dicitur, relatiua est, & relationem notat, quæ est in ipsa creatura; appellatio autem ista, qua Creator dicitur ad creaturam, relatio quædam est, sed nullam relationem connotat, quę sit in Creatore.* Et hoc idem videtur Aug. dicere 5. de Trinit. c. 16. secundùm quòd Magister adducit eum. *Quod temporaliter incipit dici Dominus, quod antea non dicebatur, manifestum est relatiuè dici: non tamen secundum accidens Dei, quòd ei aliquid acciderit, sed planè secundùm accidens eius, ad quod incipit dici Dominus relatiuè.*

Argumenta principalia huius Quæstionis soluuntur.

AD Argumenta huius Quæstionis.

Ad Primum. Concedo, quòd quicquid est in Deo, E est æternum per identitatē: sed nō oportet, quòd quicquid prædicatur de eo, per hoc, quòd aliud habet habitudinem ad ipsum, sit æternum formaliter: quia nihil aliud habet habitudinem æternam ad ipsum: sicut si Deus sit ęternus, & diligitur temporaliter à voluntate creata, dicitur quidem dilectus à nobis, sed non dilectus æternaliter.

Ad Secundùm. Consequentia non tenet, quando extrema sunt alterius rationis. Propter hoc enim quod vnum excedit alterum, non oportet similem esse coëxigentiam vnius ad alterum, & è cōuersò; sicut non sequitur. Quodcunque æternum, est cum toto tempore; ergo omne temporale est cum tota æternitate. Prima vera est, ratione immensitatis æternitatis, & illud deficit in altero extremo; & ideo non oportet esse concomitantia è conuersò, qualis est hic: ita hoc æternum, potest esse terminus nouæ habitudinis ad ipsum; quia æternaliter existens, potest aliquid de nouo producere, & potest de eo aliqua appellatio dici ex tēpore, sed temporale, non potest ita habere habitudinem alicuius æterni ad ipsum.

F Vel potest concedi, quòd temporale, etiam potest denominari ab habitudine æterni ad ipsum, sicut lapis (non tantùm vt idæatum, sed vt existens) est æternaliter scitum à Deo.

Ad Tertium. Fieri non determinatum per aliquid, puta quando prædicatur secundùm adiacens, notat factionem simpliciter, eius de quo dicitur: vt si dicatur. Homo fit: denotatur factio simpliciter inesse homini: si autem prædicatur tertium adiacens; sicut, Homo fit albus: non notat fieri, nisi secūdùm quid eius, scilicet, quod specificat ipsum. Et ita concederet fortè aliquis de Deo, quòd Deus sit Dominus, notando factionem secundùm quid, puta factionē secundùm aliquam relationem rationis, vel secundùm terminationem alicuius relationis. Magis tamen concederetur, quòd incipit esse Dominus; quia hoc nō significat imperfectionem, sicut fieri. Nullo modo tamen conceditur, nec fieri, nec incipere absolutè.

QVÆSTIO SECVNDA.

G *Vtrum Dei ad creaturam possit esse aliqua relatio realis?*

QVòd sic. Quia Deus ex natura rei, absque consideratione intellectus, est omnipotens, & omniscieus: ista enim ponuntur in Deo, sicut attributa, dicētia in Deo perfectionem simpliciter: & omne tale est ibi secundùm naturam rei secundùm Anselmū Monol. cap. 15. ista autem dicunt respectum potentiæ, & scibilitatis, ad creaturam possibilem, & scibilem; ergo &c.

Præterea. Deus ab æterno voluit, omne creandum esse pro eo tempore, pro quo postea creauit, & istud velle creaturam includit relationem, & tamen non rationis. Probo. Quia prius potuit velle creaturam, quàm intelligere se velle eam: non enim quia sciuit creaturam, ideo voluit eam: sed quia voluit eam, ideo sciuit eam se velle; igitur ista relatio æterna, voluntatis Dei ad creaturam, est realis, quia non est in voluntate, per actum alicuius intellectus, H comparantis eam ad aliquid.

Præterea. Relationes secundi modi relatiuorum, quæ scilicet fundantur super actionem & passionem, sunt relationes reales; sed tales sunt relationes Dei ad creaturam, inquantum causa & effectus: igitur.

Si dices. Non est verum, nisi in agentibus naturalibus.

Contra. Igitur voluntas creata, non habebit habitudinem realem ad suum effectum.

Præterea. Relationes fundatæ super quantitatem, sunt rationes reales, ex 5. Metaph. t. 20. igitur inæqualitas Dei ad creaturam, fundata super quantitatem vnitatis in Deo, scilicet, super infinitatem magnitudinis eius, & super magnitudinem virtutis in creatura, scilicet, magnitudinem finitam creaturæ, erit relatio realis.

Confirmatur ratio. Quia magnitudo in Deo, est fundamentum æqualitatis, quæ est realis relatio ad intra, magnitudo etiam creaturæ, est fundamentum relationis realis in creatura: ergo comparando hanc magnitudinem ad illam,

A illam,videtur quòd habitudo fundata ſuper iſta,ſit realis.

Præterea. Sicut forma eſt in aliquo, ita denominat illud; ergo ſi non eſt aliqua relatio in Deo, ad creaturam realiter, Deus non eſt realiter Creator creaturæ: quod videtur abſurdum.

Contra. Relatio realis eſt ad terminum ſecundùm eſſe eius reale; ſed terminus neceſſariò exigitur ad relationem realem; ergo ſi Deus referatur realiter ad creaturam, creatura ſecundùm eſſe reale fuiſſet æterna.

ARTICVLVS PRIMVS.

Aliorum duę Opiniones ponuntur, & impugnantur.

AD Quæſtionem. Dicitur. (*ab Henr.quol.3.quæſt.4.*) Quòd illud quod realiter eſt relatum,eſt realiter ordinatum; ſicut albedo quæ eſt ratio referendi realiter, ad aliam albedinem, eſt naturaliter ordinata ad illam, pro B eo, quòd aliquam perfectionem habet iſta ab illa, inquãtum in eis eſt natura perfectior ſimul, quàm in altera earum; omnes autem naturaliter ordinatum dependet ab illo, ad quod naturaliter ordinatur,pro quanto ſcilicet expectat illud, vt in ipſo fundetur relatio ad illud: & ſi dependet; igitur eſt mutabile, quia dependentia non eſt ſine potentialitate ad actum; & ſi mutabile; igitur imperfectum, quia carens illa perfectione ad quam mutatur; et ſi imperfectum; igitur limitatum: ergo de primo ad vltimum, ſi realiter relatum; ergo limitatum.

Et quia poſſet inſtari. Quòd tunc non eſſet relatio realis in Diuinis. Ideo videtur exponenda illa poſitio, de relato ad aliud in natura. Si enim realiter refertur ad aliquid,quod eſt idem realiter ei in natura, nõ oportet quòd dependeat; quia non expectat aliquid aliud à ſe in natura, vt in eo fundetur relatio.

Tunc ad propoſitum. Cùm Deus non ſit ens imperfectum,nec mutabile, dependens &c. ergo non eſt relatum ad aliquid aliud à ſe; igitur non relatum ad creaturam.

C Contra Quæſtionem. Videtur quòd illa quæ ponuntur ibi connexa, non ſunt connexa. Primò quidem, ſi ponantur duo albiſſima,illa erunt perfectè ſimilia. Quod declaratur. Quia modò perfecta ſimilitudo, & æqualitas, eſt in Perſonis Diuinis; non enim tollitur perfectio ſimilitudinis propter infinitatem fundamenti,ſed magis ponitur; & ſi per impoſſibile, eſſent ibi duo fundamenta, eſſet ſimilitudo realis; quia modò non ponitur eſſe rationis, niſi propter intellectum comparantem illam magnitudinem vnam: igitur ibi eſſet perfectiſſima ſimilitudo; & tamen neutrum ordinaretur ad alterum; vt à quo haberet perfectionem.

Si dicas. Quòd natura ſpecifica eſt perfectior in ambobus,quàm in vno. Hoc non eſt vnum ordinari ad alterũ. Quia vnum illorum,nullam perfectionem dicit,vel habet per hoc,quòd ad alterum eſt; ſiue natura ſit perfectius in ambobus ſimul, quàm in altero, ſiue non. Nec ſequitur: Ad inuicem ordinantur; ergo dependent ad inuicem.

Præterea. Agens creatum naturale, non agit inquantũ D eſt imperfectum:quia agere ſibi competit, inquantum eſt in actu; & agere ſummè competit Deo, & tamen agens tale, inquantum ſic agens, ponitur habere relationẽ realem ad creaturam: ergo non eſt neceſſe realiter, omne relatum,inquãtum tale,dependere ad aliud: licèt enim agẽs creatum ad aliquid dependeat,non tamen videtur dependere ad aliquid, quod cauſat; nec inquantum potentiale, & mutabile,& imperfectum cauſat illud, ſed inquantum eſt in actu. Tunc ſic. Agens agit inquantum perfectum; ſed inquantum eſt agens, refertur realiter; ergo non omne relatum,inquãtum realiter relatum,eſt imperfectum.

Præterea. Si A. inquantum refertur ad B. realiter depẽdet ad ipſum; pari ratione, ſi relationes mutuæ ſint: B. dependet ab A. inquantum refertur ad A. & ita erit dependentia circularis A. ad B. & è conuerſò; quòd videtur impoſſibile; quia in nullo ordine eſſentiali, eſt circulus.

Aliter dicitur, (*à Varr. hic & in 2.d. 1. qu. 5. & D. Tho. 1.part.ſum.q.13.art.7.in ſolut.prin.*) Quòd nulla relatio talis poteſt eſſe realis. Quia relatio realis, non eſt ſine ordine; Deus autem non habet ordinem realem ad creatu- E ram, quia eſt ſupra ordinem.

Cõtra hæc. Ratio videtur petere principium,& peccare ſecundùm conſequens, Probatio primi. Quia cùm Deus ſit prior creaturà, multiplici primitate; videtur habere ordinem ad ipſam,extendendo nomen ordinis, non tantùm quòd dicatur poſterius ordinatum ad prius, ſed prius etiã ad poſterius,licèt alio modo. Oporteret etiã probare,quòd iſta prioritas, quæ poteſt dici ordo, non ſit relatio realis in Deo. Hoc ergo petitur; nec ſequitur ex iſto noto,quòd Deus ſit ſupra ordinem; accipiendo ordinem, prout eſt poſteriorum, ordinatorum ad prius; ex hoc enim non ſequitur, niſi quòd non ſit poſterius; & ex hoc non ſequitur, quòd non habeat ordinem, generaliter accipiendo ordinem.

Quòd autem ratio peccet ſecundùm conſequens. Probatur. Quia ordo eſt quædam relatio, non autem omnis relatio eſt ordo; quia non relatio communis, fundata ſu- F per vnum,vt relationes æquiparantiæ, ſed ſolæ relationes diſquiparantiæ,dicunt ordinem. Arguendo igitur à negatione ordinis,ad negationem relationis; eſt arguere, ac ſi primò negaretur antecedens, & poſtea conſequens.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Propria Sententia explicatur.

AD Quæſtionem. Reſpondeo. Quòd in Deo non eſt aliqua relatio realis ad creaturam. Cuius ratio accipitur, ex perfecta ſimplicitate, & ex perfecta neceſſitate Dei. Quia enim Deus perfectè ſimplex eſt,nihil eſt in eo, quod non eſt ipſum: ſecundùm Aug.11.de ciuit. Dei c.10. *Deus ſimplex eſt: quia hoc eſt quod habet, perfecta neceſſitas eius.* Eſt etiam ex ſe eſſe tale, quod non variabitur eius eſſe,quacunque hypoteſi poſita,ſiue poſſibili, ſiue impoſſibili, circa aliud à ſe: quia alia non ſunt neceſſaria, niſi G ſecundariò.

Ex his ſequitur. Quòd nulla eſt in eo realitas,quæ neceſſariò cõexigat aliud à ſe; tale enim neceſſario cõexigens aliud à Deo,non eſſet illo cõexacto non exiſtente: & perconſequens,aliquid quod perfectè eſſet idem Deo, non eſſet aliquo alio(quod non eſt neceſſarium ex ſe) non exiſtẽte: relatio autem realis de neceſſitate coëxigit ad ſuum eſſe, terminum illius relationis: ergo in Deo non eſt relatio realis ad aliud à ſe.

Contra iſtam rationem inſtatur. Primò. Quia licèt creatura non ſit neceſſaria in eſſe actuali,tamen videtur,quòd aliquid aliud à Deo, ſit neceſſarium in eſſe poſſibili; quia ipſum poſſibile eſſe, eſt neceſſarium. Quod probatur ex hoc. Quia priùs videtur aliquid poſſibile, poſſibilitate eius in ſe,quàm ſit relatio Dei ad ipſum. Nam non eſt potentia in aliquo, niſi reſpectu poſſibilis in ſe: quia ad impoſſibile non eſt potentia: ergo relatio Dei ad creaturam, inquantum poſſibilis, non cõexigit aliquid, quod non ſit ſub illa ratione neceſſarium, ſub qua terminat: relatio au- H tem in Deo ad creaturam, vt poſſibilem, videtur eſſe eadem cum relatione eius ad creaturam,vt actualem; per illam deductionem,poſitã pro prima Opinione,ad primam quæſtionem: ergo aliqua relatio poteſt eſſe in Deo ſtante neceſſitate eius ſimpliciter ad creaturam,vt poſſibilem, & eadem eſt etiam cum illa, quæ eſt ad creaturam, vt actualem.

Item. Si creatura habet eſſe quidditatiuum inquantum habet eſſe exemplatum,ſecundùm vnã poſitionem,(*Henr. quol.8.q.9.in fine.*) iſtud eſſe creaturæ eſt neceſſarium; igitur reſpectus ad iſtud, vt ſic, videtur eſſe abſque poſſibilitate cum eo,in quo eſt talis reſpectus.

Item. Si Philoſophi ponerent aliqua alia à Deo producta,eſſe formaliter neceſſaria, ſicut dictum eſt de opinione Ariſt. & Aui. diſtin. 8. tunc reſpectus ad illa, poſſet eſſe in Deo, & tamen ſtaret neceſſitas entitatis Diuinæ; quia terminus illius relationis, ſecvdùm illã poſitionẽ,eſſet neceſſarius; ergo tenendo poſitionẽ Philoſophorum,(qui tamen negabant in Deo relationem realem) iſta ratio iã poſita, ex ſimplicitate,& neceſſitate Dei, nõ videtur ſufficiẽs.

Item

A Item Quarto. Tunc in nulla creatura magis necessaria, deberet poni respectus realis ad minùs necessarium: & ita corporibus cælestibus, non esset respectus realis, ad generabilia & corruptibilia.

Ad ista. Quamuis ad duo prima possit responderi quasi vno modo.

Ad Primum, per hoc, quòd esse possibile non est, nisi esse secundùm quid. Quia hoc esse, non est simpliciter esse creaturæ: sicut nec esse hominem mortuum, est esse hominis: nec plùs ponit ista possibilitas in re, quàm cæcitas in oculo: & ideo ad ipsum, non est aliqua relatio simpliciter, sed secundùm quid.

Ad Secundum. Simili modo: quòd esse exemplatum, non est esse nisi secundùm quid: & ideo habitudo ad talem terminum, non esset realis, sicut & terminus non est realis.

Tamen potest dici vna responsione generali ad omnes istas instantias. Quòd necessarium ex se, (vt dictum est) B non mutabitur, secundùm aliquid perfectè idem sibi, quacunque positione possibili, vel impossibili, facta circa illud à se; quicquid autem est in perfectè simplici, est idem sibi perfectè; ergo necessarium ex se; igitur nihil in eo potest mutari, quocunque posito circa aliud: nihil autem aliud à Deo, est ita formaliter necessarium, sicut Deus, secundùm quamcunque positionem; quia si poneretur aliquid formaliter necessarium, non tamen sine omni dependentia ad primum necessarium, & ideo non esset ex necessarium: igitur nulla realitas in primo mutabitur, propter positionem quamcunque circa aliquid tale, quod non est ex se formaliter necessarium: fieret autem mutatio in aliqua realitate in primo, propter mutationem in alio à se, si aliqua realitas in ipso, necessariò exigeret aliquid aliud à se.

Et tunc ad duas instantias de possibili, & esse quidditatiuo, secundùm aliquos. Respondeo Primò. Non est illud possibile esse, ex se necessarium, in tali esse, etiam necessarium formaliter possibile, sicut est Deus ex se actus necessarius.

C Secundò. Nec illæ quidditates sunt ex se necessariæ, in illo esse quidditatiuo, sed per participationem sunt sic necessariò entes.

Nec Tertiò. Creaturæ si essent necessariæ, secundùm Philosophos, essent ita necessariæ sicut primum, sed haberent necessitatem tantùm participatam, & ideo ponere ista non esse, non esset ita impossibile, sicut aliquam realitatem in primo non esse; quia nullum istorum est ita necessarium, sicut quæcunque realitas est in primo necessaria: & tunc ex hac positione minùs impossibili, videretur sequi impossibilius. Non igitur ad aliquod istorum, licèt aliquomodo necessarium, non tamen ex se necessarium, posset esse aliqua realitas in necessario, ex se necessariò.

Ad Quartum. Dico, quòd si aliquid magis necessarium esset etiam summè simplex, hoc est non compositum, nec componibile cum aliqua realitate non necessaria, magis necessarium non haberet relationem ex se ad minùs ne-

D cessarium. Sed istud suppositum est falsum. Quia licèt aliquod corpus cæleste, poneretur in se esse necessarium; non tamen est summè simplex, quin possit recipere aliquam realitatem non necessariam, aliam à se: Deus autem, sicut non potest esse illud, quod est in ordine ad aliquid, non ex se necessarium, ita non potest habere aliquam realitatem in ordine ad aliquid tale; quia illa realitas esset ipsum.

Argumentis principalibus satisfit.

AD Argumenta principalia.

Ad illa de Omnipotentia, & Omniscientia, & voluntate futurorum: dicetur in Quæstionibus specialibus de eis.

Ad aliud de actione & passione. Philoph. non dicit, quòd illæ relationes sunt reales, sed dicit, quòd sunt mutuæ: & in hoc præcisè distinguuntur, primus & secundus modus relationis, à tertio modo relationis. Sed quicquid sit de dicto Philos. propositio non est vniuersaliter vera, E vel de se vera, quando agens est ex se necessarium, & perfectè simplex: sicut dictum fuit in soluendo.

Sed quæres. Quare igitur sunt relationes reales, quæ fundantur super actionem, & passionem in creaturis? Quamuis ad hoc non oporteat dicere, propter solutionem argumenti. Tamen dicitur. Quòd hoc est verum de agente naturali: quia ipsum ex forma, quam habet, qua est actiuum naturaliter inclinatur ad effectum producẽdum: agens autem liberum, non inclinatur naturaliter, ex forma quam habet, ad effectum; & tunc cùm Deus sit agens liberè, sequitur vt super actionem eius non fundetur relatio realis.

Contra. Philosophi concedentes Deum naturali necessitate producere res, negauerunt relationem realem eius ad istas; igitur ista non est præcisè ratio.

Similiter. Voluntas creata, videtur habere relationem realem ad suum effectum, licèt sit libera.

Præterea. Effectus ex sua entitate absoluta, non necessariò requirit causam proximam: posset enim eadem entitas absoluta, esse à causa prima, & tamen quando producitur à causa proxima habet relationem realem ad eam; igitur non requiritur ad relationem realem, quòd natura illa absoluta, in qua fundatur, necessariò inclinetur ex se ad alterum extremum. F

Item. Similitudo, est relatio in duobus albis; & tamen vnum album præcisè consideratum, inquantum est fundamentum relationis, non videtur inclinari ex entitate sua, quæ est fundamentum, ad alterum extremum: maximè summa albedo, si ponatur, ad aliam albedinem summam, sicut argutum fuit contra primam Opinionem ad istam quæst.

Item. Si ante relationem realem, semper oporteret ponere in fundamento inclinationem naturalem ad terminum; ergo ante relationem realem, semper esset relatio realis; quia illa inclinatio ad alterum est relatio realis.

Ideo breuiter. Non videtur necessarium ad relationem realem, quòd illud absolutum, quod est fundamentum vnius relationis, ex se inclinetur ad reliquum: sed quòd G ipsum sit tale, quòd posito termino ad ipsum, & ad terminum, sequatur talis habitudo ex natura extremorum; ita quòd quæcunque relatio consequitur ad extrema, ex natura rei, sine consideratione intellectus, est realis.

Et tunc dico. Quòd omne agens creatum, tale est, quòd posito aliquo effectu per ipsum, ad ipsum vt ad fundamentum, & ad productum vt ad terminum, consequitur habitudo eorum. Ratiò autem, quare relatio realis actualiter consequitur, non est, nisi quia hoc est hoc, & illud est illud: sicut ratio quare albedine & albedine positis, sequitur relatio realis actualis, vt similitudo, non est, nisi hæc albedo & illa albedo: & binarium & ternarium posita in esse, quare sequitur maioritas, & minoritas realis, non est alia ratio, nisi quòd hic est binarius, & ille ternarius.

Sed tamen ratio potentialitatis in fundamento, & termino, quare scilicet possit sequi habitudo realis: posset assignari generalis. Quæcunque enim possunt esse partes H alicuius totius, sunt possibilia ad formam illius totius: & sic etiam, si possunt esse partes alicuius totius vnius per se, possunt esse possibilia ad formam illam, qua illud est per se vnum, sicut patet de partibus corporis organici, respectu animæ intellectiuæ: & etiam si possunt esse partes alicuius vnius vnitate ordinis, possunt esse possibilia ad formam illius, à qua illud totum est vnum, secundùm ordinem. Et generaliter patet propositio de potentialitate partium secundùm Philos. 5. Metaph. t. 3. 4. & 30. vbi vult, quòd partes sunt sicut materia, respectu totius; omnia autẽ creata, quia limitata, nata sunt esse partes totius vniuersi, quod est vnum vnitate ordinis, sicut patet 12. Met. t. 51. & ideo quodlibet illorum est potẽtiale ad istam formam, quæ est ordo; vt scilicet habeat ordinem ad aliam partem, & hoc vel secundùm eminentiam, quæ est in naturis diuersis in vniuerso, vel secundùm æqualitatem, quia *ordo est parium disparium que rerum dispositio*; secundùm Au-

A guſtinus de Ciuit. Dei, vel ſecundùm actionem & paſſionem, ſiue ſecundùm cauſalitatem : & ideo quodcunque agens creatum, producens effectum, ita potentiale eſt; quia ad ipſum, & ad effectum productum, poteſt conſequi ordo inter ea. Non ſic inter agens illimitatum, & eius effectum; quia illud agens, non eſt potentiale, nec ad formam abſolutam, nec ad relationem, propter eius infinitatem.

Per idem poteſt reſponderi ad argumentum de quantitate. Quia omne creatum quantum, ſiue mole ſiue virtute, ad aliud quantum creatum; etſi ponatur poſſe habere relationem realem, propter hoc, quod ordo, à quo eſt vnitas vniuerſi, poteſt attendi inter talia quanta; tamen quanti infiniti, nulla poteſt eſſe habitudo realis, ad quantum finitum.

Et cùm confirmatur ratio per æqualitatem, quæ eſt reſpectus realis in Diuinis, & in creaturis. Reſpondeo, quòd in Diuinis eſt realis, quæ eſt habitudo ex natura rei, & E ſtat cum ſimplicitate & neceſſitate relati in ſe, quia non refertur ad aliud, quod eſt minùs neceſſarium formaliter quàm ipſum relatum; in creaturis, eſt relatio realis, propter ipſam potentialitatem quantorum relatorum : comparando autem illam quantitatem infinitam, ad iſtam finitam, vtraque ratio deſtruitur; quia iam tollitur ſimplicitas & neceſſitas, in vno extremo, & tollitur potentialitas & limitatio, in altero.

Ad aliud. Dico, quòd realitas aliquando determinat compoſitionem : & tunc nihil aliud eſt, quàm illud, quod verè eſt : ſicut iſta propoſitio, Eſt realiter falſa : hoc eſt, verè eſt falſa : ſi autem realitas accipiatur, prout determinat prædicatum, hoc eſt, Deus eſt Dominus realiter; licèt poſſit negari iſta, tamen poteſt concedi, ſecundùm quod Dominus nõ notat relationem aliquam in Deo, ſed quia Deus terminat relationem realem creaturæ.

B F

DISTINCTIO XXXI.

QVAESTIO VNICA.

Vtrum identitas, ſimilitudo, Æqualitas, ſint relationes reales in Deo?

Vòd non. Auguſt. 5. de Trinit. cap. 6. *Cum quæritur, ſecundùm quid æqualis ſit Patri Filius? Reſpondetur, non ſecundùm hoc, quòd ad Patrem dicitur, Filius eſt æqualis Patri: reſtat igitur, vt ſecundùm illud, quòd ad ſe dicitur, dicatur æqualis*. Et infert. *Reſtat igitur, vt ſecundùm ſubſtantiam ſit æqualis*. Igitur æqualitas, non dicitur ibi ſecundùm relationem.

C Præterea. Forma eiuſdem ſpeciei, non numeratur, niſi per materiam. Probo. Omnis forma ſeparata à materia, habet totam ſpeciem, ſecundùm aliquos; ergo æqualitas in Diuinis, cùm ſit forma eiuſdem rationis, & ſine materia non plurificatur, nec diſtinguitur; ergo non eſt alia æqualitas in Patre & Filio: & per conſequens, non eſt realis in Patre, quia tũc requireret relationem diſtinctam correſpondentem in Filio.

Præterea. Si in Patre eſt alia æqualitas, ab ea quæ eſt in Filio; pari ratione, & alia ab æqualitate, quæ eſt in Spiritu Sancto: & tunc æqualitati in Filio, & æqualitati in Spiritu Sancto, correſpondebit alia & alia æqualitas in Patre; quia correlatiua commultiplicantur : igitur in Patre erunt duæ æqualitates : quod videtur inconueniens.

Præterea. Si iſtæ ſunt relationes reales; igitur æquè realiter ſunt diſtinctæ, ſicut relationes originis; & per conſequens, ita poſſunt conſtituere Perſonas Diuinas, ſicut & D illæ originis: & ſi poſſunt conſtituere: igitur conſtituunt, quia non eſt ibi potentia ſine actu.

Oppoſitum. Hilarius 3. de Trinit. *Similitudo ſibi ipſi non eſt*.

Ad Quæſtionem. Videtur dicendum. Quòd ad relationem realem tria ſufficiunt. Primò, quòd fundamentum ſit reale, & terminus realis. Secundò, quòd extremorum ſit diſtinctio realis. Tertiò, quòd ex natura extremorum, ſcilicet fundamenti & termini, ſequatur ipſa talis relatio, abſque opere alterius potentiæ, comparantis vnum extremum alteri.

Quantùm ad primam conditionem relationis. Negatur hìc (*ab Henr. l. 5. quo quæſt. 1.*) eſſe fundamentum reale. Quia dicitur. Quòd magnitudo, quæ eſt fundamentum æqualitatis, tranſit in Eſſentiam, ſecundùm Auguſt. 5. de Trin. c. 8. & alibi in multis locis : & ita non manet ſub ratione magnitudinis, niſi ſecundùm rationem.

Sed contra iſtud. Eſſentia Diuina, vt eſt primum obiectum ipſius intellectus Diuini, viſa prima cognitione intuitiua, ante omnem negationem cuiuſcunque intellectus, eſt obiectum beatificum illius intellectus: quia ille non beatificatur per actum negotiatiuum : igitur ex ſe, abſque omni negatione intellectus, eſt formaliter infinita; quia nihil beatificat, niſi formaliter infinitum; ergo eſt ibi magnitudo virtutis, imò infinitas magnitudinis, ex natura rei.

G Item. Intellectus antequam intelligatur aliquid intelligere, vel negotiari, eſt comprehenſiuus illius Eſſentiæ, vt primi obiecti; & ita ex hoc; vi negotiationis circa illud, potens eſt reducere omnes relationes in actum, quæ poſſunt circa illam eſſentiam conſiderari; igitur ex natura rei ille intellectus eſt infinitus: igitur & Eſſentia, in qua fundatur.

Præterea. Ratio illorum non valet. Quia licèt quantitas accidentalis, dicat aliquid additum naturæ ſubiecti, & ideo ipſa non poſſit manere ſub ratione ſua formali, & tranſire in eſſentiam ſecundùm identitatem; tamen magnitudo virtutis in omni ente, tranſit in illud, cuius eſt per identitatem, etiam in creatura. Probo. Si enim Angelus habet aliquam magnitudinem virtutis, de qua dicit Aug. 6. de Trin. c. 7. *In his enim quæ non mole magna ſunt, hoc eſt maius eſſe, quod melius*. Si iſta magnitudo perfectionalis, non ſit idem eſſentiæ, circumſcribatur ab ipſa eſſentia, ipſa eſſentia remanente. Quæro. Quem gradum perfectionis tenet in ente, vel in entibus. Nihil enim eſt, niſi aliquẽ H gradum determinatum perfectionis habeat inter entia; ergo adhuc manet in ipſa eſſentia magnitudo virtutis, qua dicitur ſic vel ſic perfectum ens : iſta igitur quantitas, in omnibus tranſit per identitatem; & cum hoc, manet in omnibus ſecundùm rationem propriam, inquantum eſt fundamentum æqualitatis vel inæqualitatis perfectionalis in entibus; nam per iſtã: Vnum ens, eſt æquale vel inæquale alteri, ſecundùm perfectionẽ; quia ratio talis quantitatis eſt, dicere modum intrinſecum illius perfectionis, cuius eſt; & ex hoc quòd dicit modum, manet, ex hoc autem quòd dicit intrinſecum per identitatem, tranſit in eſſentiam, cuius eſt.

Dico igitur ad hoc. Eſt fundamentum reale æqualitatis, ex natura rei: non tantùm remotum, quòd eſt eſſentia: ſed propinquũ, quod eſt magnitudo; ſiue ſpecialiùs, quod eſt infinitas.

Secundum principale, ſcilicet, quòd iſta relatio, requirat extrema realiter diſtincta. Patet per Hilar. vt dictũ eſt

oppenen-

A opponendo. Et per Auguſt. 6. de Trinit. cap. 9. quòd in Filio eſt prima æqualitas. Quod non eſt verum, ſi aliqua Perſona poſſet dici æqualis ad ſe: tunc enim Pater priùs eſſet æqualis; ſed quia æqualitas non poteſt intelligi ſine diſtinctione; & prima diſtinctio eſt inter Patrē & Filium producto Filio: ideo eſt in eo prima æqualitas terminatiuè, & quaſi ſubiectiuè, accipiendo illam æqualitatem, qua Filius eſt æqualis Patris.

Hoc etiam probatur per hoc. Quia relationes originis ponuntur reales, & tamen non præexigunt diſtinctionem extremorum, ſed quaſi formaliter cauſant eam: iſtæ autem relationes, illam diſtinctionem quaſi cauſatam per relationes originis præſupponunt; ſicut communiter ponitur, quòd iſtæ non poſſunt pullulare in eſſentia, niſi iam præexiſtentibus relationibus originis in ea: igitur iſta videntur magis requirere diſtincta extrema, quàm relationes originis, vel ſaltem non minùs.

Et ſi obijcias. Quod iſtæ non ſunt alterius rationis, ſicut illæ originis. Hoc non concludit, niſi quòd non diſtinguuntur ſpecie: in creaturis autem; non tantùm
B relationes ſuppoſitionis, & ſuperpoſitionis ſunt reales, vbi extrema differunt ſpecie, ſed etiam relationes communes, ſunt reales in extremis, vbi extrema differunt numero: ergo hîc ſufficit diſtinctio realis numeralis in extremis, ad realitatem relationum communium, ſicut ad diſtinctionem relationum originis, quæ quaſi ſpecie differunt.

Quantùm ad tertiam conditionem. Videtur quòd iſta relatio, conſequatur perſonas ex natura rei, ſine omni comparatione, per aliquam potentiam extrinſecam comparantem. Quia enim Pater generando, communicat Filio perfectè ſuam Eſſentiam: ideo communicat ſibi eandem magnitudinem infinitam; ſicut dicit Auguſt. contra Maximinum lib. 3. cap. 18. 19. & 20. *Si dicas, inquit, eo ipſo Pater eſt maior Filio, quia Pater genuit. Citò reſpondeo: Imò igitur Pater non eſt maior* Filio, *quia æqualem genuit*. Non videtur igitur aliqua ratio, quare æqualitas Patris ad Filium, non debeat poni relatio realis.

G C Conſimiliter poteſt dici diſſimilitudine. Sicut in creaturis eſt duplex ſimilitudo, ſcilicet Eſſentialis, ſecundùm differentiam ſpecificam, & accidentalis, ſecundùm aliquam qualitatem accidentalem: licèt prima negetur in propoſito; quia Deus non habet aliquam differentiam ſpecificam, tamen quia ſi illud quod eſt differentia ſpecifica in creatura, eſſet nota eſſentia indiuidui, nihilominùs eſſet forma reſpectu indiuidui, ideo nihilominùs reſpectus eſſet ſimilitudinis tunc, quàm modò. Ideo videtur ibi propriè poſſe concedi, ſimilitudo, ſecundùm eſſentiam, non inquantum quid, ſed inquantum eſt actus, & quaſi forma, qua perſonæ ſunt Deus: & etiam ſimilitudo, ſecundùm attributa omnia, quæ ſunt quaſi proprietates huius naturæ; ſicut dicit Damaſ. cap. 5. *Non naturam, ſed quæ circa naturam ſunt, dicunt*. Et tunc ſicut ex natura rei eſt fundamentum æqualitatis, & diſtinctio realis extremorum, & iſta relatio eſt ibi ſine opere intellectus, ita eſt de ſimilitudine.

H D De identitate etiam dici poteſt, quòd ipſa dupliciter accipitur in Diuinis. Vno modo, eiuſdem Perſonæ ad ſe; ſicut Pater eſt idem ſibi: Alio modo, vnius Perſonæ ad aliam; ſicut Pater eſt idem Filio, & è conuersò. De prima identitate aliàs: de ſecunda, poteſt dici, ſicut de alijs, quòd eſt realis: quia ibi eſt vera vnitas ex natura rei, & ſufficiens diſtinctio extremorum: nec videtur neceſſaria comparando intellectus, ad eſſe huius identitatis. Et ſi identitas eiuſdem ſuppoſiti ad ſe in creaturis, ſit relatio rationis, tantùm quantùm ad fundamentum, tamen nunquam eſt vera, & perfecta identitas, niſi in Deo tantùm: nam Sortis ad ſe non eſt perfecta identitas, quia rationis tantùm: & ita omnis talis eſt ens ſecundùm quid: nec Sortis ad Platonem eſt perfecta identitas, quia non fundatur in perfecta vnitate. Hic autem Patris ad Filium identitas eſt perfecta, quantùm ad fundamentum; quia Patris ad Filium eſt perfecta vnitas, & perfecta realis identitas, quia realis diſtinctio eſt, & ſufficiens extremorum.

Sed de æqualitate ſunt duo dubia. Primò enim videtur, quòd non eſt relatio diſtincta ab identitate, & ſimilitudine. Quia (ſicut dictum eſt aliàs) infinitas non eſt ſpeciale attributum, ſed dicit modum intrinſecum cuiuslibet attributi; & pari ratione magnum, quod quaſi dicit indiſtinctè, quod infinitum dicit diſtinctè; ergo magnitudo eſſentiæ, non diſtinguitur ab eſſentia, nec etiam illa diſtinctione quæ eſt inter attributa; & per conſequens æqualitas ſecundùm illam magnitudinem, non diſtinguitur ab identitate, quæ eſt ſecundùm eſſentiam. Similiter. Magnitudo ſapientiæ, non diſtinguitur à ſapientia, illa diſtinctione, quæ eſt inter attributa: ergo æqualitas ſecundùm magnitudinem ſapientiæ, non diſtinguitur ſimilitudine ſecundùm ſapientiam; omnis autem magnitudo eſt vel eſſentiæ, ſecundùm quā propriè eſt identitas: vel attributi, ſecundùm quam alicuius eſt ſimilitudo; ergo nulla videtur propriè æqualitas eſſe in Diuinis, diſtincta ab identitate, & ſimilitudine. E F

Præterea. Si etiam quodlibet attributum habet ſuam magnitudinem propriam, ſuper quam videtur fundari æqualitas; igitur tot erunt æqualitates Perſonarum, quot ſunt attributa.

Ad Primum. Poteſt concedi, quòd ſicut in creaturis poteſt eſſe ſimilitudo. Sine æqualitate; ſicut remiſſum album eſt ſimile intenſo albo, licèt non perfectè, non autem è conuersò, poteſt eſſe ſine ſimilitudine æqualitas, & hoc in forma illa, in qua aliqua nata ſunt aſſimilari: ideo comparando aliqua in forma, ſecundùm quam nata eſt eſſe ſimilitudo, æqualitas videtur quaſi determinare ſimilitudinem, & fundamentum ſimilitudinis. Ita poteſt concedi hîc, Quòd æqualitas, non ita diſtinguitur ab identitate, & ſimilitudine, ſicut illa inter ſe; ſed quòd ipſa dicat proprium modum fundamenti vtriuſque, illarum duarum relationum; & quaſi etiam modum proprium vtriuſque relationis, ſcilicet, quòd tàm identitas quàm ſimilitudo ſit perfecta; quia ſi per impoſſibile, Pater haberet Deitatem maiorem, & Filius minorem, eſſet aliqua identitas; ſed quia fundamentum identitatis non haberet eandem magnitudinem, non eſſet identitas perfecta, quia nec cum æqualitate. Similiter, ſi per impoſſibile, Pater haberet maiorem ſcientiam, & Filius minorem, eſſent aliquo modo ſimiles; ſed quia deficeret modus ille fundamenti, ſcilicet, magnitudo perfecta; ideo non eſſet ſimilitudo perfecta. Nunc autem magnitudo, quæ eſt quaſi modus fundamenti identitatis & ſimilitudinis, fundat æqualitatem, quæ eſt quaſi modus identitatis & ſimilitudinis, quia dicit vtramque illarum, vt perfectam. G

Ad Secundum. Poteſt concedi. Quòd quot ſunt perfectiones in Deo ſimpliciter, tot ſunt etiam magnitudines, & tot æqualitates; ſicut tamen illæ omnes ſunt ſimpliciter vna res, ita & æqualitates ſecundùm eas, ſunt ſimpliciter vna res. Ex hoc patet, quomodo Magiſter benè aſſignat diſtinct. 19. æqualitatem perfectam in tribus; ſecundùm Auguſt. de fide ad Petrum cap. 1. ſcilicet magnitudine, poteſtate, & æternitate. Per magnitudinem quidem intelligitur fundamentum omnis æqualitatis ad intra, ſecundùm quamcunque perfectionem ſimpliciter, in omnibus attributis, accipiendo magnitudinem non pro aliquo attributo diſtincto, ſed vt eſt commune magnitudini cuiuſlibet attributi. Et per poteſtatem, notantur Perſonæ eſſe æquales ad obiecta extra: & hoc ſequitur ad primum; quia æqualitatem valoris in forma in ſe, ſequitur æqualitas vigoris, in ratione actiui ad extra. Et per æternitatem, notatur æqualitas eſſe in eis, quaſi ſecundùm durationem. Æqualitas autem ſecundùm quantitatem diſcretam non quæritur ibi. Quantitatibus autem continuis in creaturis, quæ ſunt quantitas permanens & ſucceſſiua, correſpondent ibi magnitudo, & æternitas: poteſtas autem ſiue potentia, non eſt tertia quantitas, ſed reſpectus magnitudinis ad extra; vt prædictum eſt ſtatim. H

Ad primum argumentum principale. Dico, quòd album & album, dicuntur ſimilia ſecundùm albedinem, & hoc prout ly, ſecundùm, notat ſuum determinabile, eſſe fundamentum proximum relationis ſimilitudinis: Di-

A cuntur etiam similitudine esse similia formaliter. Ita, dico, quòd Pater & Filius, sunt æquales secundùm Essentiam, vt ly, secundùm, notat fundamentum proprium æqualitatis; quia istæ relationes communes, fundantur super aliquid quod est commune, vt est commune; nihil autem commune vnum est in Personis, nisi Essentia, vel essentiale.

Et si obijcias. Tunc posset dici Pater secundùm Essentiam; quia Essentia est fundamentum Paternitatis: quod tamen non conceditur.

Istud argumentum, licèt aliàs fecerim, ad probandum quòd relatio originis non sit actus Essentiæ. Tamen tenendo communem viam, potest assignari ratio, quare secundùm Essentiam dicitur Pater æqualis Filio, & non Pater Filij. Quia licèt Essentia sit fundamentum vtriusque, non distinctum in tribus, nec per istam, nec per illam est: tamen fundamentum proximum relationis communis, inquantum vnum in tribus, non autem inquantum sic vnum, est fundamentum relationis originis, licèt in se sit B vna. Cùm autem dico. Secundùm Essentiam sunt æquales. Ibi Essentia vt Essentia, non accipitur nisi prout est vna formaliter in tribus; ideo dicitur Pater æqualis esse secundùm Essentiam, propter hoc, quòd Essentia vt vna, est proximum fundamentum istius relationis, non autem dicitur secundùm Deitatem esse Pater; quia Deitas vt vna, non est ratio fundamenti huius, ita vt vnitas sit ratio fundandi; sicut notaretur, si diceretur, secundùm Deitatem est Pater. E

Ad Secundum argumentum. Dico, quòd Maior propositio est falsa: imò vbi forma distinguitur in materia, & cum materia, non est ratio principalis materia huius distinctionis. Quia in quacunque distinctione, illud est ratio principalis distinguēdi, quod est ratio principalis essendi in illo esse. De hoc aliàs, in quæst. de indiuiduatione.

Ad Tertium. Conceditur, quòd in Patre sit alia æqualitas ad Filium, & alia ad Spiritum Sanctum: sicut si Pater genuisset Spiritum Sanctum, esset in eo alia Paternitas ad Filium, & alia ad Spiritum Sanctum. Et de isto dicto generaliter, erit sermo in 3. lib. Vtrum in vno relato ad plures, sint plures relationes.

Ad Quartum. Videtur difficile argumentum illis, qui ponunt Personas esse relatiuas, sicut fuit argutum contra eos, distinct. 26. pro Opinione tertia: tamen tenendo communem viam, oportet dicere, quòd priùs pullulant in Essentia relationes originis, quàm communes: & istæ primò pullulantes, & distinguunt & constituunt Personas, F non autem illæ communes, quia sunt quasi aduentitiæ Personis; sicut ponitur quòd spiratio actiua, nullā Personam constituit, quia intelligitur quasi aduenire Patri, & Filio, iam constitutis in esse personali. Prima enim ibi pullulantia, quę possunt personaliter distinguere distinguunt personaliter, & constituunt.

DISTINCTIO XXXII.

QVÆSTIO PRIMA.

Vtrum Pater sit sapiens, sapientia genita?

C G

Vtrum Pater sit sapiens, sapientia genita?



QVòd sic. Pater dicit verbo: secundùm Aug. 7. de Trinit. c. 1. vel 2. sed secundùm Ansel. Monol. 63. *Nihil aliud est summo Spiritui dicere, quàm quasi cogitando intueri*: igitur Pater intuetur Verbo: & ita sapit Verbo.

Contra. Augult. 7. de Trinit. cap. 4. *Pater eo est, quo sapit: quia idem est sapere, & esse*: ergo si saperet verbo, esset etiam verbo.

Ista Quæstio primò soluenda est. Quia illa quæ sunt in intellectu, sunt manifestiora. Et primò videamus de intellectu nostro. Ibi enim memoria gignit notitiā actualem, quæ ad memoriam habet duplicem habitudinem, vel relationem: videlicet geniti ad gignens; & hæc est de secundo modo relatiuorum, & mutua: & alia est declarantis ad declaratum; & hæc tertij modi, & non mutua.

D Sicut autem notitia genita, declarat formaliter obiectum latens in memoria, ita illud quod producit notitiā actualem, & dat illi istam vim declarandi, potest dici declarare ista notitia, quasi effectiuè: si enim aliquis producat speculum, & in eo imagines relucentes: hoc speculum, formaliter declarat illa relucentia; & tamen illud producens speculum, effectiuè declarat.

Et istud magis apparet, si actus animæ, qui non sunt veræ factiones, significarentur per verba neutra non actiua: nunc autem significantur per verba actiua, propter illam habitudinem, quam habent ad obiecta, in quę transeunt, quasi in terminum, licèt nihil causent in illis obiectis. Tunc enim si essent neutra, significarent formaliter illam realitatem, à qua imponuntur inesse subiecto; & tunc possent alia verba actiua imponi ab eisdem formis, quæ significarent productionem talium: & tunc notitia genita, formaliter esset declaratiua obiecti; sed producens diceretur effectiuè causare formam: sicut aliàs dictum est, quòd similitudo potest esse illud, in quo fundatur relatio actiui & passiui; ita quòd sicut assimilans est dans similitudinem, ita tunc declarans actiuè sumptum, esset efficiens ipsam declarationem formalem, in ipso actu animæ, siue in subiecto illius actus.

Ad propositum. Verbum Diuinum, à Patre exprimitur; & hæc expressio, est relatio originis: huic enim expresso, communicatur ex vi productionis suæ, notitia infinita, quæ ex hoc est declaratiua omnis declarabilis. Habet igitur relationem realem ad exprimentem, à quo gignitur: sed aliam, s. declarantis, habet non tantùm ad ipsum, sed quia est infinitū, habet respectum declaratiui ad se, & ad ipsum & ad oīa alia: & ista est tantùm relatio rationis; quia non tantùm est ad creaturam, sed ad seipsum. Et si nulla relatio realis est ipsius ad creaturam, ex distinctione 30. multò magis igitur non eiusdem ad se est relatio realis: sed istud declarare, competit formaliter verbo; producenti autem competit principiatiuè, sicut in nobis competebat memoriæ effectiuè; & tunc Verbum formaliter declarat omne declarabile: Pater autem Verbo declarat non formaliter, sed principiatiuè, inquātum sibi communicat notitiam actualem infinitam, qua Verbum actualiter declarat. H

Applicando igitur istam realitatem ad illud vocabulum, quod est, Dicere. Dico. Quòd Dicere, vno modo essentialiter accipitur, vt per Anselm. Monol. 63. & c. Et sic non loquitur August. Quia secundùm ipsum, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, sunt vnum dicens, & quælibet persona formaliter dicit, & nulla dicit alia ablatiuè.

Alio modo accipitur personaliter: & sic denotatur significare illam relationem originis, quæ est gignentis ad genitum: & hoc modo solus Pater dicit, non quidem Verbo, sed Verbum. Et hoc modo loquitur Ricard. 6. de Trin. c. 2. quòd *solus Pater dicit*. Et August. *Dixit Verbum, in quo omnia disposuit*.

Alio

A Alio modo, poteſt ſignificare iſtam habitudinem rationis, quæ eſt declarare; & hoc prout alicui declarare conuenit formaliter: & ſic Verbum dicit omnia declarabilia, & ſeipſum, ſeipſo formaliter; & de hoc loquitur Auguſt.7. de Trinit.cap.3. *Si enim hoc Verbum, quod nos proferimus, temporale & tranſitorium & ſeipſum oſtendit, & illud de quo loquimur, quantò magis Verbum Dei, per quod facta ſunt omnia* ? &c. Et ſic eſſentiale eſt, & appropriatur vni Perſonæ: nam quælibet Perſona declarat ſuâ intelligentia, quæ in ipſa eſt; appropriatur tamen Filio, vt patebit ex dubitatione ſequenti.

Quartò. Significare poteſt iſtam eandem habitudinem declarantis, prout conuenit alicui nõ formaliter, ſed principiatiuè. Et hoc modo dicitur de Patre, quòd dicit Verbo. Et iſto modo loquitur Auguſt.4. de Trinit. cap.1. & 2. quòd *Pater dicit Verbo*. Hoc etiam modo loquitur Auguſt.15. de Trin.cap.14. quòd *Pater ſeipſum dicens, genuit Filium ſibi æqualem per omnia*: vbi accipit dicere, pro principiatiuè declarare, licèt non addat ibi illud principiatiuum, quo Pater dicit: & ſic principale ſignificatum B eius, eſt eſſentiale, connotat tamen notionale, vt ſupra dictum eſt, de dono.

In qua igitur habitudine conſtruitur? Dico, quòd ſi dicere, ſic ſumptum, eſſet idem quod cauſare, denotaretur habere rationem principij actiui ſubauctoritatiui: ſed quia non ſunt idem. Ideo dico, quòd denotatur habere rationem formalem principij ſubauctoritatiui, & in habitudine talis principij conſtruitur.

Sed tunc ibi eſt vnum dubium. Vtrum declarare formaliter omne declarabile, ſit proprium Verbi?

Dicunt aliqui. *Henr.quod.2.quæſt.2.* Quòd ſic. Quia ex vi proceſſionis ſuæ, hoc ſibi competit.

Sed de hoc dictum eſt ſupra, diſtinct.27.quæſt.3. Et generaliter: cùm iſtud verbum, Declarare, dicat relationem rationis; & nulla talis eſt propria alicui perſonæ; nec includitur in proprio alicuius perſonæ; ſicut probatum eſt, diſtinct.18. de dono, hoc manifeſtare non eſt proprium Verbo, nec includitur in eius proprio, ſed tantùm eſt ei C appropriatum, pro eo quòd Verbum ex vi productionis ſuæ, habet notitiam actualem ſibi communicatam; Pater autem licèt habeat eandem notitiam, tamen ex ea vi, qua producit, eſt memoria, & non producit, inquantum actuali notitia: notitiæ enim actuali, vnde actualis, conuenit declarare, & ideo declarare magis conuenit cum proprio Filij, quàm cum proprio aliarum Perſonarum; & ita magis ſibi appropriatur; verè tamen eſt in omni alia Perſona; quia quælibet habet actualem declarationem, inquantum eſt actualis notitia, & æquè declaratiua realiter, ſicut eſt illa notitia actualis quæ eſt Verbum. Declarat igitur formaliter Pater omnia in ſeipſo, ſicut Filius formaliter declarat omnia ſeipſo, & Spiritus Sanctus omnia ſeipſo formaliter declarat, declarat enim Pater, & Filius, Spiritu Sancto principiatiuè: licèt iſti modi accipiendi, declarare formaliter, & principiatiuè, non ſunt ita vſitati ſicut illi, quibus Verbum dicitur declarare formaliter, & Pater principiatiuè Verbo. Et ratio maioris vſitationis D iſtorum verborum eſt, propter appropriationem notitiæ actualis ad Verbum.

Ad hanc igitur Quæſtionem. Concedo negatiuam partem Quæſtionis propter rationem Auguſt.7. de Trin.c.4. Cuius declaratio eſt iſta. Actus eſſentialis, non poteſt eſſe alicuius ſuppoſiti, mediante aliquo principio, vt Quo, niſi illud ſit tali Perſonæ principium eſſendi formale; vt Pater ſapit ſapientia ingenita: vel ſit principium ſibi eſſendi principiatiuum; quomodo Magiſter concedit quòd Filius ſapit ſapientia ingenita, à qua habet quòd ſapiat, vel ſit principium ſubauctoritatiuum reſpectu talis actus; quomodo conceditur quòd Pater creat Verbo; ſed Filius, ſiue ſapientia genita, non eſt Patri principium eſſendi formale, nec principiatiuum, nec principium actiuum ſubauctoritatiuum, reſpectu actus eſſentialis; quia Verbum non producit iſtum actum in ſe, ſed cõmunicatur ſibi à Patre, & principium actiuum ſubauctoritatiuum habet rationem producentis actus, reſpectu cuius dicitur principium tale, quomodo conceditur quòd Pater creat Verbo, ſapere autem eſt actus eſſentialis; ergo Pater non ſapit ſapientia genita. Concedit autem Magiſter, & bene, quòd pater eſt ſapiens ſapientia ingenita, ſicut formali principio. E Filius autem ſapit ſapientia ingenita, ſicut principio principiatiuo.

Ad argumentum in oppoſitum. Dico, quòd Anſel. ibi accipit dicere, merè eſſentialiter, ſcilicet pro actualiter intelligere, ſicut expreſsè vult cap.eodem, vbi vult, quòd ſunt vnus dicens, ſicut ſunt vnus intelligens: & licèt quilibet dicat etiam quèlibet, tamen ſunt vnus in ratione dicentis, & dicti, ſicut ſunt vnus intelligens, & vnum intellectum. Et iſte modus eſt valde extenſiuus huius communis, quod eſt, dicere: quia nec ſignificat illam relationem originis: nec connotat eam; ſicut nec intelligere vel ſapere. Et hoc modo non dicit Aug. quòd Pater dicit verbo.

Sed quomodo conceditur, quòd Spiritus Sanctus dicit Verbo? Reſpondeo. Sicut intelligit Verbo: ſed non pro exprimere, nec pro declarare, niſi accipiatur formaliter; quia Spiritus Sanctus formaliter declarat omne declarabile: non autem pro declarare principiatiuè, niſi fortè re- F ſpectu creaturæ; quia loquendo de manifeſtatione creaturæ, illam efficit tota Trinitas. Et quia abſolutè ſuper manifeſtationem formalem Verbi, non comparando ad creaturam, Spiritus Sanctus non habet aliquam rationem principij, quia non dat Verbo illud, quo formaliter Verbum eſt manifeſtatiuum; ideo non videtur aliquomodo concedendum. Nec Anſelm. dicit, quòd Spiritus dicit Verbo, licèt videat omnia in Verbo: ita etiam quilibet Beatus videt omnia in Verbo; & quælibet Perſona videt in qualibet, ſecundùm Auguſtinum 12. de Trin. cap. 14. ſed dicere Verbo, videtur importare aliquam auctoritatem dicentis Verbo, reſpectu Verbi, inquantum eſt declaratiuum formaliter.

QVÆSTIO SECVNDA.

Vtrum Pater & Filius diligant ſe Spiritu Sancto?



Vòd non. Quia aut diligere ſumitur eſſentia- G liter, aut notionaliter? Non eſſentialiter. Quia quodlibet eſſentiale ineſt formaliter cuilibet Perſonæ, non per alteram: ſi notionaliter; igitur Pater, & Filius, ſpirant Spiritu Sancto; quod eſt falſum.

Probatur idem Secundò. Quia nullus actus notionalis eſt conuerſiuus in idem agens, à quo eſt, vel procedit, propter diſtinctionem, quam talis actus requirit inter agens & terminum; ergo ſi iſte actus eſt conuerſiuus, non ſumitur notionaliter.

Præterea. Si Pater, & Filius, diligant ſe Spiritu Sancto; ergo Pater diligit ſe Spiritu Sancto: quia eodẽ videtur Pater diligere ſe, & Filium: ſed concluſio videtur inconueniens; quia Pater diligit ſe, in primo ſigno originis, in quo Spiritus Sanctus non intelligitur ſpiratus.

Præterea. Eodem diligunt ſe, & creaturam; ſed Spiritus Sanctus non videtur eſſe quo diligunt creaturam; quia tunc ſicut Spiritus Sanctus ex neceſſitate productionis H ſuæ eſt amor, ita ex neceſſitate eſſet amor creaturarum; & ita neceſſariò Deus amaret creaturas.

Contra. 6. de Trin.c.5. *Spiritus Sanctus eſt, quo genitus à generante diligitur genitoremque ſuum diligit*.

Iſtam Quæſtionem Magiſter reputat difficilem, & dimittit eam inſolutam.

Aliqui (*Gotfr.Pictauien.*) negauerunt iſtam propoſitionem, Pater & Filius diligunt ſe Spiritu Sancto, & dixerunt eam ab Auguſti: retractatam, in ſimili, 1. retractat. cap.26. vbi retractat iſtam, Pater eſt ſapiens ſapientia genita. Cui iſta videtur aſſimilari. Et ideo iſtam retractatam dicunt in illa.

Contra. Non ſolùm diuerſas materias retractandas, Auguſt. ſeorſum retractat, ſed etiam eandem materiam, quæ in diuerſis libris ponitur, quæ tamen eſt retractanda Aug. pluries retractat, quando ſcilicet facit mentionem de illis libris diuerſis; ergo multò magis iſtã retractaret ſeorſum, ſi eſſet retractanda.

A Item Aug. non retractat dicta aliorum Sanctorum, qui videntur iſtam concedere.

Alij dixerunt. *Simon de Tornaco*. Quòd propoſitio eſt exponenda; ita quòd ly, Spiritu Sancto, accipiatur in ratione ſigni, ita, quòd Pater & Filius, diligant ſe Spiritu Sancto, vt ſigno dilectionis communis.

Contra. Quia ita poteſt dici, quòd diligunt ſe creatura; quia creatura eſt ſignum dilectionis eorum.

Alij dicunt. *Alex. de Alcs. 1. par. ſum.* Quòd diligunt ſe amore appropriato Spiritui Sancto: & ideo dicuntur ſe diligere Spiritu Sancto, per appropriationem, non per proprietatem.

Contra. Igitur ita eſſent boni Spiritu Sancto: quia bonitas appropriatur Spiritui Sancto.

Aliter dicitur. *(à D. Thom. 1. par. ſum. q. art. 2. & à Ricar. de media Vil. hic, & ab alijs pluribus)* Quòd ablatiuus iſte, conſtruitur in ratione effectus cauſæ formalis. Quod declaratur. Primò ſic. Licèt non omnis res ſit forma, tamen omne illud, à quo aliquid denominatur, quantùm ad hoc, B habet habitudinem formæ: vt dicatur, Iſte eſt indutus indumento. Iſte ablatiuus, Indumento, conſtruitur in habitudine cauſæ formalis, licèt non ſit forma hominis. Contingit autem aliquid denominari per illud, quod ab ipſo procedit; non ſolùm ſicut agens ab actione, ſed etiam ſicut termino actionis, qui eſt effectus, quando ipſe effectus in intellectu actionis includitur: dicimus enim quòd ignis eſt calefaciens calefactione, quamuis calefactio non ſit calor, qui eſt forma ignis, ſed actio quæ ab igne procedit: & dicimus, quòd arbor eſt florens floribus, quamuis flores non ſint forma arboris, ſed quidam effectus ab ipſa procedentes.

Secundùm hoc igitur dicendum, quòd cùm diligere in Diuinis dupliciter ſumatur, ſcilicet eſſentialiter, & notionaliter: ſecundùm quod eſſentialiter ſumitur; ſic Pater & Filius, non diligunt ſe Spiritu Sancto, ſed Eſſentia ſua. Vnde Aug. 15. de Trin. c. 7. vel 15. *At verò*, inquit, *in illa Trinitate, quis audeat dicere Patrem, nec ſeipſum, nec Filium, nec Spiritum Sanctum intelligere, niſi per Filium, vel diligere niſi* C *per Spiritum Sanctum*? Secundùm autem quòd notionaliter ſumitur, ſic diligere, nihil aliud eſt, quàm ſpirare amorem; ſicut dicere eſt Verbum producere, & florere, eſt flores producere: ſicut igitur arbor dicitur florens floribus; ita Pater dicitur dicens Verbo, vel Filio, ſe & creaturam; & Pater & Filius, dicuntur diligentes ſe, & nos, Spiritu Sancto, vel amore procedente.

Contra. Sicut ædificare, diſtinctè importat terminum, qui eſt ædificium, non tamen conceditur, quòd ædificator ædificat ædificio: ita in propoſito etiam ſpirare, diſtinctiùs importat Spiritum Sanctum, quàm diligere; & tamen non conceditur, quòd Pater & Filius ſpirent Spiritu Sancto.

Item. Etſi talis prædicatio concederetur: non tamen, vt eſt conuerſiua ſuper agens; quia non cōcederetur de igne dici aliquid, quod terminaretur ad ipſum ignem, vt aliquo producto à ſe.

Præterea. In conſtructione tranſitiua, nunquam effe- D ctus vt effectus, conſtruitur cum ablatiuo; diligere autem, eſt verbum tranſitiuum.

Præterea. Exemplum cui innituntur, non eſt ad propoſitum, ſed ad oppoſitum. Florere enim, eſt verbum neutrū, & nō ſignificat formaliter productionem alicuius. Omne quippe verbū neutrum, vnum & idem ſignificat cum nomine adiectiuo, ſi eſſet nomen impoſitū, niſi quòd nomen ſignificat per modum habitus & quietis, verbum aūt quaſi ſignificat in fieri; ſicut idem ſignificat calidū eſſe, quaſi in quiete, & calere, quaſi in fieri. Et ſicut tale nomē denominatiuum, poſſet dici de aliquo, cum ablatiuo denotante illud, à quo ſubiectū denominatur tali denominatione; ita verbum neutrum, poſſet conſtrui cum ablatiuo, in eadem habitudine formæ denominantis: ita enim conceditur quòd ignis calet calore, ſicut eſt calidus calore; & vtrumque eſt in ratione formæ, à qua eſt iſta denominatio, per modum quietis in vno, & per modum fieri in altero. Iſta autem forma in aliquo, aliquando eſt inhærens, vt qualitas; aliquando ſe habet per modum formæ ab extra denominantis, ſicut eſt de genere habitus, vel ad modum illius; E & vtroque modo poteſt fieri denominatio. Et ſicut aliquid denominatur, non tantùm à forma, ſed ab aliquo extrinſeco quandoque; ita denominatiuum poteſt dici de eo cum illo extrinſeco ablatiuè ſumpto, & hoc ſiue illud denominatiuum ſignificetur nominaliter, ſiue verbaliter. Sicut enim poſſet dici. Iſte eſt ornatus veſtimento: prout ornatus, ſignificat aliquid de genere habitus; ita poſſet dici. Iſte nitet veſtimēto: vel aliquo alio verbo neutro, quod ſignificaret idem cum iſto denominatiuo, ſcilicet eſſe ornatum. Et ita eſt in propoſito: quia arborem florere, non ſignificat formaliter arborem producere florem: ſi enim ponatur verbum actiuum, quod ſic ſignificet, puta florificare, (ſi eſſet in vſu) hæc eſſe falſa, Arbor florificat floribus: hæc autem eſſet vera, Arbor floret floribus: quia per iſtud verbum neutrum, ſignificatur aliquid denominans ſubiectum, quaſi per modum habitus: quia licèt non ſit propriè habitus in inanimatis, quia propriè habitus eſt tantùm in animatis, poſſunt tamen denominari ab aliquo adiacente, quod inquantum eſt aliquomodo ornamentū, F vel tegumentum eorum, poteſt reduci ad genus habitus. Et tunc ſicut diceretur, Arbor eſt florida floribus: & ablatiuus conſtruetur in ratione illius, à quo ſubiectum denominatur, ſecundùm talem denominationem; ita etiam conſtruitur ly, Floribus, cum hoc verbo, Florere. Exemplum igitur eſt ad oppoſitum; loquendo de verbo actiuo, & nihil ad propoſitum, vt verum eſt de verbo neutro.

Ad iſtam Quæſtionem, de Spiritu Sancto, procedendum eſt eodem modo, quo in præcedenti quæſtione proceſſum eſt.

Et Primò de voluntate noſtra. Vbi dico. Quòd amor in nobis, vt productus, habet ad voluntatem vt producentem, relationem ſecundi modi; & illa fortè eſt mutua: habet etiam aliam relationem ad obiectum, pertinentem ad tertium modum relatiuorum; & illa non eſt mutua: quia ſicut ſcientia refertur ad ſcibile, & non è conuerſò, ita amor ad amabile, & non è conuerſò: & ſicut amor habet formaliter habitudinem aliquam ad obiectum, ita illud quod producit amorem, poſſet denominari ab illa G habitudine, ſi eſſet verbum impoſitum hoc ſignificans actiuè.

Ita dico in Diuinis. Quòd Spiritus Sanctus, ex vi productionis ſuæ, non quidem propriè, ſed appropriatè, eſt amor omnis amati neceſſariò, & ideo habet aliquam relationem rationis formaliter, ad ſic amatum; producens autem ipſum poteſt denominari ab eadem habitudine, quaſi principiatiuè. Et iſta habitudo, vt principiatiuè denominans, importatur per hoc verbum, Diligere, quando dicuntur Pater, & Filius diligere ſe Spiritu Sancto: hoc quippe eſt, Patrem & Filium producere amorem, qui eſt Patris & Filij, ſicut Patrem dicere ſe Verbo, eſt producere Verbum, quod eſt declarans ipſum Patrem.

Ad Primum. Dico, quòd nec merè eſſentialiter nec merè notionaliter tenetur, ſed connotat notionem, ſcilicet productionem Spiritus Sancti, & ſignificat illam habitudinem, conſequentem Spiritum Sanctum, ad amatum, non quidem formaliter, ſed principiatiuè; & ratione H iſtius habitudinis conſequentis eſſentiale, eſt quantùm ad terminum ilius habitudinis; quia terminus ille, non tantùm eſt Spiritus Sanctus, ſed etiam omne neceſſariò amabile: & quoad illud ſit conuerſio, non autem quoad notionale connotatum.

Per hoc patet ad Secundum. Et iſtud poſſet manifeſtari in exemplo, de Dicere. Quia eo modo quo conceditur Patrem Dicere Verbo: Dicere, non eſt merè eſſentiale, neque merè notionale, ſed connotat notionale, ſcilicet gignitionem, & importat in genito habitudinem declaratiui, quæ eſt ad omne declarabile ſimile huius; licèt non ita perfectè poteſt haberi in hoc, quod eſt mitti, quod connotat in Diuinis, proceſſionem æternam paſſiuam, licèt ſignificet principaliter effectum temporalem: & quantùm ad illud quod ſignificat, tota Trinitas operatur effectum illum, ſed quantùm ad notionem ilam, non reſpicit totam Trinitatem in ratione principij: Filius enim poteſt mitti à Spiritu Sancto, licèt non ſit à Spiritu Sancto.

Ad

A Ad Tertium. Licèt posset fieri vis in ista propositione, quòd ly, se, posset construi transitiuè, vel reciprocè: de qua duplici constructione, habetur ab illo Petro Heliæ, super Priscianum, de constructione. Et patet in illo sophismate. Isti pugnant, vt vincant se.

Et videtur, secundùm aliquos, magis concedenda propositio, prout ly, se, construitur transitiuè, quàm reciprocè; pro eo, quòd Spiritus Sanctus, secundùm eos, spiratur à Patre & Filio, voluntate concordi, inquantum scilicet Pater impendit amorem Filio, & Filius rependit, secundùm Ricard. de Trin. quæst. 1. tamen dicendo consequenter his, quæ dicta sunt dist. 12. de ista materia, quòd Pater & Filius spirant formaliter voluntate, inquantum vna est, non autem ipsa relatio concordiæ Patris ad Filium, & è conuersò, est formalis ratio spirandi; quia non videtur, quòd Pater & Filius, inquantum habent respectum originis ad Spiritum Sanctum, habeant mutuam relationem ad inuicẽ; tunc enim non haberent tantùm mutuam relationem originis, Paternitatis, & Filiationis. Hoc B inquam dicendo, quòd licèt habentes vnam voluntatem, concordent in ea formaliter; tamen concordia non est per se ratio, sed voluntas vna; & quòd fœcunditas plena, sit ita in vno sicut in duabus; ideo tamen duo spirant, quia præintelligitur illa fœcunditas vna esse in duobus, antequam habeat terminum.

Potest tamen concedi consequentia. Quòd eadem est veritas, accipiendo ly, se, sic vel sic. Et tunc concedo consequens. Quòd Pater se diligit Spiritu Sancto. E

Et cùm dicit. Diligit se in primo signo originis. Concedo: sed tunc diligit se voluntate, vt in ipso est formaliter: spirando autẽ Spiritum Sanctum, qui necessariò est amor eius, diligit se Spiritu Sancto, quasi principiatiuè, quomodo etiam diligit Filium Spiritu Sancto.

Ad Vltimum. Dico: quòd non oportet concedere, Patrem & Filium diligere creaturam, Spiritu Sancto, sicut diligunt se Spiritu sancto. Quia iste modus diligendi, vt sumitur principiatiuè, videtur esse primò illius termini dilectionis, cuius ipsa dilectio est formaliter, ex hoc quod est principiata. Sic enim diligere obiectum, est principiare amorem, qui vt principiatus, est formaliter illius obiecti: Spiritus autem Sanctus, ex vi principiationis suæ, neque primò, neque cõcomitanter, est amor creaturæ; quia creatura tantùm contingenter amatur à Deo: licèt autem ex vi productionis suæ, primò sit amor Essentiæ, tamen concomitanter potest dici amor Filij; quia illæ Personæ, sunt in natura primò amata, ex necessitate illius naturæ. Et ita posset concedi, quòd Pater non diligit creaturam, Spiritu F Sancto: eo modo, quo Filium; quia nõ producit amorem, qui ex vi productionis suæ, sit amor creaturæ: imò completa productione, necessaria illius amoris, adhuc est contingentia, vt iste amor sit creaturæ, & hoc est in potestate, non tantùm producentis hunc amorem, sed etiam istius amoris producti; quia ita contingenter amat Spiritus Sanctus creaturam, sicut Pater & Filius.

DISTINCTIO XXXIII.



Irca Distinctionem Trigesimam tertiam: quæro duo, sine argumentis. Primò. Vtrum proprietas sit idem, cum Persona? Et Secundò; sine argumentis. Vtrum proprietas sit idem cum Essentia. C G

DISTINCTIO XXXIV.



Væro vnum circa Distinctionem Trigesimam quartam, sine argumentis. An Persona sit idem cum Essentia?



Irca istas tres Quæstiones non oportet immorari, quia earum solutio patet ex dictis alibi, supra, dist. 2. quæst. illa. Vtrum cum vnitate Essentiæ, stet pluralitas Personarum? Vbi ostensum est, qualiter proprietas personalis, non est idem formaliter cum Essentia. Distinctione etiam D 26. contra Præpositiuum ostensum est, qualiter proprietas non est idem formaliter cũ Persona. Illud etiam quod dictum est de non identitate formali proprietatis cum Essentia, concludit, quòd Persona non est idem formaliter primò cum Essentia. Et quod aliqui distinguunt inter omnia ista: quòd tantùm differant ratione; improbatum est dist. 2. & dist. 8. in consimili, de attributis. Et dist. 13. de distinctione emanationum in Diuinis, & aliàs.

Et tamen cum hoc, quòd istud non est idem formaliter illi, stat, quòd verè & simpliciter sit idem sibi: imò hoc est necessarium, propter perfectam simplicitatem Diuinã, quæ sequitur ex perfecta infinitate illius Essentiæ, propter quam simplicitatem, & infinitatem, non potest illa Essentia esse in aliquo, cum aliqua realitate in eodem, nisi illa realitas sit perfectè eadem sibi.

Et istud dictum, est cõfirmatum; per commune dictum antiquorum. Qui concesserunt multas prædicationes esse veras in Diuinis per identitatem, non formaliter. Quod H non videtur intelligibile, nisi per hoc, quòd prædicatum erat verè idem cũ subiecto, & ex hoc erat propositio affirmatiua vera per identitatem, & tamen prædicatum non erat formaliter idẽ cum subiecto, & propter hoc non erat ibi prædicatio formalis.

Ec quæ sit distinctio identitatis formalis, ab identitate simpliciter, tactum est distinct. 8. de attributis, & aliàs frequenter: & ideo nunc transeo.

A DISTINCTIO XXXV. B

QVAESTIO VNICA.

Vtrum in Deo ſint relationes æternæ ad omnia ſcibilia, vt quidditatiuè cognita?

QVòd ſic. Aug. 83. qq. q. 46. Ideæ ſunt formæ æternæ, & incommutabiles in mente Diuina; & non abſolutæ; ergo reſpectiuæ: & non niſi ad alia à ſe, vt quidditatiuè cognita; quare diſtinguuntur ſecundùm diſtinctionem iſtorum.

Item. Auic. 8. Meta. c. 7. concedit in Deo eſſe relationem Dei vt intelligentis, ad formas intellectas.

B Item. Deus nouit diſtinctè alia à ſe; ergo per aliquas diſtinctas rationes cognoſcendi; & illæ non poſſunt eſſe abſolutæ; ergo relatiuæ.

Præterea. Secundùm Aug. 5. ſuper Gen. c. 7. *Omnia in Deo ſunt vita*. Et idem videtur dicere ſuper Ioann. 1. *Omnia in ipſo vita erant*. *Non vita æterna creata, ſed creatrix*; hoc non eſt verũ, loquendo de ipſis obiectis formaliter in ſe; igitur de rationibus formalibus, quibus cognoſcuntur.

Contra. Igitur ille relationes eſſent reales: quod eſt cõtra dictum in diſt. 30. Probatio conſequentiæ. Quia Deus priùs intelligit alia à ſe, quàm intelligat ſe intelligere illa; quia actus reflexus, præſupponit actum rectum; ergo illę relationes, quæ eſſent in Deo, ad alia, eſſent in Deo ex natura rei, & non per actum intellectus conſiderantis illam intellectionem, ſed quod eſt ibi ex natura rei, & non in obiecto vt cognitum eſt, eſt reale.

Præterea. Qua ratione eſſent relationes æternæ in Deo, ad omnia cognita, pari ratione, & ad omnia volita, vt volita; & tunc illæ relationes eſſent reales; quia prius vult alia eſſe, quàm intelligat ſe velle illa: & ita relatio voluntatis eius ad alia, erit realis, quia non eſt in aliquo vt co-C gnitum eſt.

ARTICVLVS PRIMVS.

Referuntur aliorum duæ Opiniones, & reijciuntur.

SVppoſito, quòd Deus ſit intelligens, ex diſ. 2. Et quòd Eſſentia ſua ſit primum obiectum, in ratione ſui, ex quæſtione de ſubiecto primo Theologiæ. Et quòd intellectus ſuus ſit omnium intelligibilium, non quidem potentia, ſed actu, & ſimul, ex diſ. 2. & hoc diſtinctè, quia imperfectionis eſt in intelligente, confuſè intelligere.

Circa iſtam Quæſtionem. Notandum eſt. Quòd ad intellectionem alicuius, tria videntur concurrere, videlicet, Obiectum cognoſcibile, Intellectus ipſe, & Ratio cognoſcendi. In intellectu autem vt potentia eſt, non oportet ponere diſtinctionem ad hoc, vt diſtinctè intelligat; quia D etiam intellectus noſter, vt videtur omnino indiſtinctus, ſecundùm rationem potentiæ, poteſt plura intelligere; igitur ſi eſt diſtinctio, quæratur in obiecto, vel ratione cognoſcendi obiectum, vel in ipſa intellectione.

Ponitur igitur. *(ab Henr. quol. 5. q. 3. & quol. 7. q. 1. & 8.)* Relationes eſſe æternas in Deo, ad alia à ſe, cognita ſimplici intelligentia: & quòd iſtæ relationes ſint in Eſsentia, vt eſt ratio cognoſcendi, propter hoc, quòd nihil eſt ratio cognoſcendi plura, niſi vt illa ratio appropriatur aliquomodo illis pluribus obiectis cognitis.

Quod etiam confirmatur per hoc. Quod cognitio fit per ſimile, ergo oportet rationem cognoſcendi, habere aliquam rationem propriam ſimilitudinis, ad ipſum obiectum cognitum: propter igitur iſtam determinationem, & iſtam aſſimilationẽ rationis cognoſcendi ad obiectum ponuntur relationes æternæ, tanquam rationes determinantes Eſsentiam, vt ratio intelligendi, & quibus ipſa Eſſentia, ſit diſtinctè ſimilis obiectis cognitis.

Aliter Ponitur. (*à D. Tho. 1. par. ſum. q. 14. art. 5. & 15. art. 2.*) Quòd iſtæ relationes ſunt in Eſsentia Diuina, vt eſt obiectum cognitum. Intelligitur enim omnino ipſa intellectione prima, vt penitus indiſtincta, ſed ad hoc, vt poſtea creatura intelligatur, intellectus comparat ipſam Primò cognitam ad creaturam, ſub ratione imitabilis: & tunc intelligendo Eſsentiam, vt imitabilẽ, intelligit creaturam, per illud obiectum primum, ſic ſub tali relatione F rationis conſideratum.

Et differt hæc Opinio à prima, ſicut iſti modi dicẽdi videntur diuerſi: quorum Vnus poneret ſpeciem, eandem eſse rationem cognoſcendi principium, & concluſionem; non tamen, niſi vt ſub diſtinctis relationibus, rationis, correſpondẽtibus iſtis cognitis ſub proprijs rationibus: Alius diceret ipſum principium ſic cognitum, eſſe rationem cognoſcendi concluſionem; & hoc non vt principium abſolutè intellectum, ſed in comparatione, ſiue in relatione ad concluſionem.

Contra Concluſionem, in qua concordant iſtę Opiniones, ſcilicet, quòd iſtæ relationes rationis, ſunt neceſſariò ponendæ in Deo, diſtinctæ ſecundùm rationem, ad hoc vt intelligantur creaturæ diſtinctæ in Deo, in ratione obiectorum.

Arguitur Primò, ſic. Iſtæ rationes, ſunt cognoſcibiles ab intellectu Diuino. Quæro. Qua ratione cognoſcendi? Si alijs rationibus, determinantibus Eſſentiam, vt eſt ratio, vel determinatibus Eſſentiam, vt eſt primum obiectum, G reſpectu obiectorum ſecundorum: proceditur in infinitũ; quia iterum ad iſtas alias rationes intelligendi, præcedent aliæ; & ſic nunquam iſtæ aliæ rationes, ſunt intelligibiles à Deo; quia oportebit ipſum, ante ipſas intellectas, intelligere alias infinities infinitas, ergo oportet dare, quòd iſtæ rationes, poſſunt intelligi à Deo per Eſſentiam, vt nudè acceptam, ſiue vt per rationem, ſiue vt iſtæ cognoſcantur per ipſam, vt per primum obiectum cognitum abſolutè: & qua ratione iſta poterunt cognoſci per Eſſentiam, vnde Eſſentia nudè; pari ratione, & ipſa obiecta ſecũdaria alia: qua ita videntur iſtæ rationes habere rationes diſtinctorum obiectorum, ſicut & alia.

Sed dices. Quòd iſtæ rationes cognoſcuntur ab intellectu Diuino, per ipſa obiecta ad quæ ſunt: ita quòd Eſſentia ſub rationibus iſtis, eſt ratio cognoſcendi obiecta alia, & alia: &c. & illa cognita ſimul cum Eſſentia, ſub diuerſis rationibus, ſunt ratio cognoſcendi iſtas rationes; ſicut extrema relationis, videntur eſſe ratio cognoſcendi relationem. Hoc videtur vilificare intellectum Diuinum, Quia H tunc eſſet paſſiuus reſpectu aliorum obiectorum, cognitorum per iſtas rationes, per quæ obiecta, actuabitur intellectus ad cognitionem iſtarum rationum.

Præterea Secundò. Cuiuſcunque obiecti ratio aliqua cognoſcendi determinatè, poteſt eſſe aliquid limitatum ad illud, eiuſdem poteſt eſſe aliquid illimitatum ad aliud, & ad aliud; ſed ſi Eſſentia eſſet limitata, reſpectu alicuius vnius determinati cognoſcibilis, ipſa eſſet determinatè ratio cognoſcendi illud, abſque omni reſpectu rei & rationis; igitur ſi ipſa ſit illimitata ratio, reſpectu plurium cognoſcibilium, poteſt eſſe ex ſe ratio cognoſcendi quodcunque illorum, & omnia illa, ſine omni relatione rei & rationis. Probatio Maioris. Illimitatio non aufert ab aliquo aliquam perfectione, ſed ſtante perfectione, quæ erat ad aliquid, ad ponit ſimilem perfectionem ad aliud; & ideo (ſicut dictum fuit diſt. 7. & diſt. 28.) indeterminatum ex illimitatione, ſcilicet, quod eſt indeterminatum ad plura poſitiua, ex ſeipſo eſt determinatum ad quodlibet illorum, determinatione repugnante indeterminationi ad contra-

A contradictoria. Probatio Minoris. Essentia ponitur propria ratio cognoscendi seipsam, & hoc siue vt obiectum primum, siue vt ratio cognoscēdi obiectum: & istud competit Essentiæ merè sub ratione absoluta, sine omni respectu rei; quia respectus realis, non est in eodem persona ad se, sine omni etiam respectu rationis. Probatio. Quia ista intellectio non est collatiua, vel comparatiua, nec negotiatiua; igitur per eam nulla relatio rationis causatur in aliquo.

Præterea Tertiò. Vnius operationis oportet dare vnum principium Quo, per se vnum, & obiectum per se vnum; & hoc maximè in simpliciter prima operatione, qualis est intellectio Diuina: relatio autem rationis, & ens reale, nihil vnum per se faciunt; quia non possunt etiam habere per se vnitatem secundi modi per se, quæ minor est quàm essentialis vnitas: non enim potest relatio rationis consequi rem ex natura rei, & ideo non potest esse passio eius; ergo essentia, siue vt obiectum, siue vt ratio intelligendi, & illa relatio rationis, non sunt vnum per se obiectum, nec

B vna ratio intelligendi; ergo oportet dare alterum, scilicet præcisè in ratione primi obiecti, vel in ratione quo præcisè: non autem præcisè illam relationem rationis, quia ipsa non est primum obiectum cognitum, quo cognito, cognoscatur aliquid aliud, ad quod est ille respectus. Nec est etiā ratio qua intellectus Diuinus habeat intellectionē huius obiecti, scilicet lapidis, quia intelligere lapidem, est perfectio simpliciter, ita quòd intellectus Diuinus nō esset omnino perfectus, si non intelligeret lapidem; nulla autem relatio, videtur esse ratio inhærentiæ alicuius perfectionis simpliciter; ergo oportet dare præcisè Essentiam, quæ sub est isti relationi, tanquam primum obiectum, quo cognito, cognoscatur lapis, vel tanquam rationem formalem intelligendi lapidem.

Et ex hoc vltra ostenditur, quòd frustra ponitur talis relatio, determinans ipsam Essentiam. Nam ipsa sub respectu rationis, est formaliter infinita. Quia intellectus quomodocunque comparet Essentiam, & per hoc causet in ea

C relationem rationis, non comparat eam, nisi vt est formaliter infinita; & ita vt est sub tali relatione, formaliter est infinita; & per consequens, ita indeterminata, vt est sub illa ratione, sicut secundùm se: & ita, vt est sub prima ratione, potest fundare aliam, propter sui infinitatem, sicut secundùm se potest: igitur per relationem rationis non determinatur.

Contra Opinionem Primam specialiter. Videtur sequi, quòd istæ relationes erunt reales. Quia ratio intelligendi, vt est ratio, præcedit naturaliter intellectionem; & per cōsequens, quoad nihil, quod est eius, vt est ratio intelligendi, causatur per intellectionem, nec sequitur intellectionē. Si igitur sub relatione rationis, est ratio intelligendi lapidem, illa relatio non producitur in Essentia, per intellectionem lapidis; quia præcedit naturaliter illā intellectionem; ergo alia produceretur; sed ista non præcedit, nisi illa, quæ est Essentia vt Essentia; hæc autem non producitur, quod conceditur ab eis; vbi minùs videtur, de Personis Diuinis, & de principijs producendi eas; igitur ista relatio

D erit in Essentia, vt est ratio, & non per aliquam actionem intellectus.

Præterea secundùm aliquos istorum. Ad distinctionem realem in principiatis, sufficit distinctio rationis in principijs; ergo ista distinctio rationis, vt est ratio intelligēdi A. & B. sufficiens ad distinctionem realem ipsius A. & B.

Præterea. Res extra immediatè intelligerentur; quia tota distinctio, quæ ponitur intra, præcedit intellectionem; nihil igitur intra terminat intellectionem, quasi obiectum secundarium.

Contra secundam positionem specialiter arguitur, sic. Omnis relatio rationis, quæ est in obiecto, ex hoc, quòd comparatur per intellectum ad aliud, est in eo præcisè, vt est ens diminutum, habens esse in intellectu, vt cognitum in cognoscente: & posset esse in eo, si per impossibile, illud nō haberet esse essentiæ, neque existentiæ; dum tamen haberet simili modo esse in intellectu comparante: igitur istę relationes erunt in Essentia Diuina præcisè, vt habent esse diminutum, in intellectu comparante Essentiā ad creaturam, non vt Essentia est aliquid in se. Et vltra. Essent in E

Essentia, si per impossibile illa Essentia non esset; dum tamen ab aliquo intellectu intelligente, cōpararetur ad eosdem terminos. Et vltra. Si per impossibile essent duo Dij, essent in intellectu huius Dei, comparante istum Deum ad creaturas, & non in isto Deo in se.

Præterea. Deus priùs naturaliter est imitabilis à creatura, quàm comparetur vt imitabilis. Quia enim est imitabilis, ideo verè comparatur, vt imitabilis à creatura, (vt videtur) & non è conuerso; igitur ante istam comparationem, factam per intellectum Essentię, vt imitabilis, est in Essentia imitabilitas: sed secundùm aliquos istius viæ, relatio aptitudinalis est eadem cum actuali, propter quam identitatem, in Deo dicunt non esse aliam relationem nouam & antiquam, nec etiam aliam creatiui & creantis; ergo istæ relationes in Essentia, vt obiecto cōparato, non erunt primæ ad extra, sed erunt aliæ priores, & reales, (vt videtur) quia ante omnem actum intellectus comparantis.

Præterea. Etsi Essentia vt cognita, sit ratio deueniendi in notitiam lapidis, tamē videtur postea, quòd intellectus F

Diuinus possit cognoscere lapidē in se, & non præcisè per hoc, quòd comparat Essentiam suam ad lapidem, quia sic, sine tali comparatione alterius ad ipsum, possumus nos intelligere lapidem. In ista intellectione lapidis; quæro. In quo est relatio ad lapidem? Non in Essentia, vt in obiecto comparato: quia in isto obiecto, vt sic, non est intelligere vt obiectum comparatū; ergo oportet quærere eam in intellectione, vel in ratione intelligendi: & redibit ad aliquam aliarum Opinionum.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Explicatur verior Sententia.

POtest Dici ad Quęstionem. Quòd relationes tertij modi, differunt per se ab alijs duorum modorum: quia in tertio modo, non est mutuitas, sicut in alijs duobus modis. Et ex hoc sequitur (sicut deductum est in distinct. 30. quæst. 1.) quòd terminus relationis, est absolutum vt ab- G

solutum. Sicut igitur obiectum intellectionis nostræ, terminat relationem ipsius, inquantum merè absolutum, & sic ipsa est mensurata per ipsum; ita videtur, quòd cum intellectio Diuina, sit simpliciter mensura omnium aliorum à se intellectorum, sequitur, quòd alia præcisè referantur ad intellectionem Diuinam, & ipsa terminabit relationem istam, sub ratione merè absoluti.

Hoc confirmatur. Quia omnino prima intellectio Diuina, quæ beatifica est, est Essentiæ vt Essentia est, sine omni respectu rei, vel rationis: & hoc propter perfectam idētitatem realem intellectus, ad Essentiam absolutam. Non oportet igitur propter intellectionem alicuius obiecti pręcisè, quærere relationem, nec in vtroque extremo, nec in altero; ergo oportet aliquid aliud addere, propter quod sit relatio in vtroque extremorum; vel in altero: illud autem non videtur esse, nisi vel mutua coëxigentia, si est relatio mutua, vel dependentia in altero extremo, si non est mutua: hic autem, quando Deus intelligit aliquid aliud à se, H

non potest poni mutua coëxigentia in vtroque extremo; (vt videtur) ergo præcisè sufficit ponere relationem in altero extremo, vbi est dependentia: illud est obiectum vt cognitum.

Præterea. Voluntas fruens fine, non producit aliud ab ipso in esse volito, amando & volendo finem in ordine ad aliud, siue comparando ipsum ad aliud amabile; sed magis comparando aliud amabile ad istum finem; ita quòd relatio causata per comparationem voluntatis, videtur esse in aliquo alio amato ad finem: nulla autem comparatio per voluntatem videtur esse in fine amato: ergo à simili, in intellectu cognoscente primum obiectum, & ex illius cognitione cognoscente obiectum secundarium, nulla videtur relatio produci in ipso obiecto ad secūdum obiectum, sed è conuersò.

Præterea, sicut argutum est. Non videtur posse poni, quo actu intellectus ista relatio produceretur. Primo non, propter perfectionem absolutam illius actus: si secundo;

A ergo non est principium illius actus secundi: etiam in illo secundo actu, perfectè cognoscitur creatura; ergo in nullo actu, erit talis relatio, quasi ratio] prior creatura in ratione obiecti.

Concedi potest Conclusio trium rationum, factarum contra duas Opiniones communes, superius recitatas: & concedi possunt istæ rationes hîc iam factæ; & secundùm hoc, potest cõcedi, quòd sunt ibi relationes æternæ in Deo ad obiecta cognita, sed non priores naturaliter ipsis cognitis in ratione obiectorum.

Hoc potest poni sic. Deus in primo instanti intelligit Essentiam, sub ratione merè absoluta. In secundo instanti, producit lapidem in esse intelligibili, & intelligit lapidẽ ita quòd ibi est relatio in lapide intellecto, ad intellectionem Diuinam, sed nulla adhuc intellectio Diuina ad lapidem, sed intellectio Diuina, terminat relationem lapidis intellecti, ad ipsam. In tertio instanti, fortè intellectus Diuinus, potest comparare suam intellectionem, ad quodcũ-
B que intelligibile, ad quod nos possumus comparare, & tũc comparando se ad lapidem intellectum, potest causare in se relationem rationis. Et in quarto instanti, potest quasi reflecti super istam relationem, causatam in tertio instanti: & tunc illa relatio rationis, cognita erit. Sic igitur non est relatio rationis necessaria, ad intelligendum lapidem, tanquam prior lapide, vt obiectum; imò ipsa vt causata, est posterior; quia in tertio instanti, & adhuc posterior erit ipsa vt cognita, quia in quarto instanti.

Et ista via videtur tenere istam propositionem, quæ videtur probabilis. Quòd relatio, non naturaliter cognoscitur, nisi cognito termino; sed nec intellectus comparat ad aliquid, nisi naturaliter priùs cognito termino. Quam propositionem, non potest alia via tenere. Quia oportet, quòd dicat, quòd illa relatione, qua comparat istam intellectionem, comparet Essentiam ad aliquid nõ priùs cognitum naturaliter.

Ista positio, de relationibus aliorum à Deo, vt intellectorum, ad ipsum intellectum Diuinum, vt absolutum,
C consimiliter confirmatur, & intelligitur, sicut illa supra, dist. 30. creaturarum relatarum ad Deum.

ARTICVLVS TERTIVS.

Expediuntur tres Difficultates, in præsenti Quæstione occurrentes.

COntra istud arguitur: Videtur enim quòd destruat intentionem Aug. 83. qq. q. 46. vbi dicit. *Siquidem in ideis tanta vis constituitur, vt nisi eis intellectis, sapiens esse nemo possit*; secundùm autem istam positionem, sapientia perfecta Dei ad creaturas, erit in secundo instanti, & præcedit naturaliter tàm esse idæarum, quàm cognitionem earum.

Ibidem etiam dicit, quòd *istarum visione, fiet anima beatissima*: quod non esset verum de visione prima, quæ est in Creatore; nec de visione secunda, quæ est in creaturis; quare &c.

D Præterea arguitur. Illa quæ sunt diuisa in inferioribus, quæ sunt alterius rationis, non reducuntur ad aliquid vnum in superiori: sicut licèt potentiæ cognitiuæ in nobis, reducantur ad vnam potentiam cognitiuam in Angelis propter vnitatem rationis omnium potentiarum cognitiuarum, tamen intellectus & volutas, quæ sunt in nobis alterius rationis, non reducuntur ad vnam potentiam in Angelis; erit igitur in Deo intellectus sub tali ratione talis potentiæ distinctus à voluntate sub ratione talis potentiæ; & per consequens, intellectus vt in Deo, erit passiuus: ergo oportet sibi dare aliquam formam, antequam operetur actu; & per consequens, ad hoc, vt habeat distinctam operationem, oportebit sibi dare distinctam formam: nõ autem poterit hîc dari aliqua forma distincta, si ideæ ponuntur consequi creaturarum intellectionem.

Præterea. Si propter illimitationem Essentiæ Diuinę, ponatur ipsa, vt omnino absoluta, esse ratio cognoscendi omnes creaturas; cùm ita sit illimitata, inquantum intellecta, sicut inquantum ratio; sequitur quòd ipsa sola cognoscetur sub ratione obiecti; aut si ponatur pluralitas ex parte obiectorum, non obstante infinitate vnius obiecti, pari ratione videtur posse poni ex parte rationis intelligendi. E

Ad ista. Sententia Aug. in illa quæst. potest colligi in ista descriptione ideæ. Idæa est ratio æterna in mente Diuina, secundùm quã aliquid est formabile extra, vt secundùm propriam rationem eius. Probatio primæ particulæ. Deus omnia causat, vel causare potest, non irrationabiliter; ergo rationabiliter; igitur habet rationem, secundùm quam format; non autem eandem omnium; ergo singula proprijs rationibus format; non autem rationibus extra se: quia non eget in efficiendo aliquo alio à se: igitur rationibus in mente sua: nihil autem in mente sua est, nisi incommutabile; ergo omne formabile potest formare, secũdùm rationem propriam sibi, in mente sua æternam: nihil autem in mente sua tale ponitur, nisi idæa, secundùm istã descriptionem: igitur videtur quòd lapis intellectus, possit dici idæa. Ipse enim habet omnes istas conditiones: quia ipse est ratio factibilis extra, propria sibi: sicut arca in mẽte, potest dici ratio, respectu arcæ in materia, & est propria ratio, secundùm quam arca in materia formatur; & ista ratio est æterna in mente Diuina, vt cognitum in cognoscente, per actum intellectus Diuini: quicquid autem est in Deo, secundùm quodcunque esse, siue rei, siue rationis, per actum intellectus Diuini, est æternum, sicut declaratum fuit supra, dist. 30. quòd nulla relatio potest esse noua in Deo, per actum intellectus sui. F

Istud videtur consonare cum dicto Platonis, à quo accepit Aug. nomen ideæ. Ipse enim posuit idæas quidditates rerum, per se quidem existentes secũdùm Arist. & malè: secundùm Aug. in mente Diuina, & benè: vnde aliquãdo loquitur de mundo intelligibili, secundùm eum: sicut igitur ponerẽtur ideæ, secundùm illam impositionẽ Arist. quidditates rerum, ita ponuntur secundùm Plat. vt videtur, quidditates habentes esse cognitum in intellectu Diuino. Hoc posito. Non oportet laborare circa relationes aliquas formaliter, siue in essentia vt est obiectum, siue in essentia vt est ratio, siue in essentia vt intelligere Diuinum, quæ relationes dicantur ideæ; imò ipsum obiectum cognitum, est idea secundùm istud. G

Et tunc concedi possunt auctoritates Aug. adductæ. Quòd *nisi cognitis ideis, sapiens nemo esse possit*. Quantùm scilicet ad omnem plenitudinem sapientiæ. Licèt. n. Deus principaliter sit sapiens, sapientia Essentiæ suæ, vt obiecti, tamen non omni modo, si non saperet creaturã; quæ creatura vt intellecta ab ipso, est idea; & ita nõ intellectis ideis sapiens omnino esse non potest: ponitur autem esse sapiẽs perfectissimè, in primo instanti; sed non sapiens omnino in primo instanti, absque secundo: si autem ideæ ponerentur quædam relationes rationis in Deo, non videtur formaliter esse sapiens in intellectione earum; quia etiam ibi essent vt rationes intelligendi, antequam ipsæ intelligerentur.

Similiter alia auctoritas Aug. *Harum visione fit anima beatissima*. Si idææ ponuntur esse quidditates vt cognitæ: tunc exponenda est de beatitudine, quæ potest haberi in creaturis, vt in obiectis; quia certum est, quòd non est perfectissima beatitudo in creatura absolutè; secundùm ipsum. 5. confessionum. *Beatus est qui te, & illa nouit, nec propter illa beatior*: Sed est intelligendum, beatissima, hoc est, totali beatitudine possibili beato, non quidem in eis formaliter, sed in obiecto, cuius cognitio præsupponitur istis, & quasi concomitanter in istis, in quibus aliqua beatitudo est, licèt non prima. Et si Aug. aliquando loquatur aliter de idæis, quasi sint rationes cognoscendi aliquid, cũ tamen hic non dicat ipsas esset nisi rationes, secundùm quas formantur, quæ formantur. Potest inquam exponi illud dictum eius, si alibi dicatur. Non quòd ly, secundùm notet rationem formalem intelligendi: sed secundũ quas vt sunt obiecta non prima, nec mouentia intellectum, sed obiecta secundaria terminantia intellectum. H

Ad Secundum. Qualiter intellectus est passiuus in se, & qualiter est passiuus respectu intellectionis dictum est dist. 3. Sed posito quòd sit passiuus in nobis, & quasi pas-

siuus

A siuus in Deo,& quòd debeat hic assignari forma,vel quasi forma, vt qua operetur. Potest dici: quòd illud est Essentia sub ratione qua essentia; quæ sub ratione absoluta,est ratio cognoscendi,non tantùm ipsamet, sed omne aliud, sub quacunque ratione cognoscibilis; & hoc isto modo intelligendo. Per hoc enim quòd intellectus Diuinus est in actu,per Essentiam suam, vt est ratio intelligendi, habet primum actum sufficientem, ad producendum omne aliud in esse cognito, & producendo illud in esse cognito, producit ipsum, vt habet dependentiam ad ipsummet, vt ad intelligentiam; & per hoc, quòd intellectio ipsius, est eius, illud dependet ad istam intellectionem, vt ad absolutum: sicut etiam in alijs dicetur; quòd causa sub ratione merè absoluta, est actus primus, à quo procedit effectus; & effectus productus,habet relationem ad causam,quandoque vt ad absolutum, quandoque autem mutua est relatio effectus ad causam,& è conuerso.

Nunquam tamē ex parte causæ,requiritur relatio prior quàm sit effectus positus in esse. Quod nunc breuiter
B suadetur. Quia nihil habens perfectius esse in aliquo genere, ad illud quod habet minùs perfectum esse in genere tali,dependet; ergo relatio actualis, non dependet ad aliquid, quod tantùm est ens potentiale, & non actuale; omnis igitur actualis relationis terminus, est aliquod ens actu; in quocunque igitur instanti naturæ causa refertur actu ad effectum, tunc est in termino esse actuale: potest autem illud absolutum terminans,esse sine respectu ad ipsum; igitur ita est simul cum isto respectu, quòd est prius naturaliter eo:ergo non potest esse aliqua relatio in causa naturaliter, antequam absolutum sit,ad quod debet esse ista relatio. Et ita intelligo,quòd in primo instanti est A. sub ratione absoluti: in secundo,est B. sub ratione absoluti,habens esse per A. in tertio,B. refertur ad A.sub ratione absoluti, si est relatio non mutua; vel A. & B. referuntur relationibus mutuis. Ita ergo hic. In primo instanti intellectus est in actu, per Essentiam, vt est merè absoluta, tanquā in actu primo,sufficienti ad producendum quodlibet in actu intelligibili. In secundo instanti, producit la-
C pidem in esse intellecto; ita quòd terminus iste est, & habet respectum ad intellectionem Diuinam: nullus autem est respectus è conuersò in intellectu Diuino, quia respectus eius non est mutuus.

Istud quod dictum est. Relationem prius non esse in causa, quàm in causato; habet instantias. De quibus aliàs.

Ad tertium,de obiecto illimitato. Respondeo. Obiectum inquantum motiuum, & inquantum primò terminatiuum;& per consequens,vt dupliciter necessariò requisitum,vel coëxactum ad actum,est æquè illimitatum,& ideo nihil aliud est sic obiectū; tamen aliud est obiectum secundariò terminans:nec oportet obiectum illimitatum, esse præcisè terminans quomodocunque actum,sicut præcisè est mouens, & ratio actus: quia aliquid potest sequi terminum primum, & esse terminus secundus; nihil autē potest esse secundariò mouens ad actum: ratio est, quia omne mouens, aliqualiter præcedit actum, non autem quomodocunque terminans præcedit, nec coëxigitur ad
D actum, sed secundariò terminans, sequitur actum, sicut mensuratum, & causatum; sic intellectio, in nobis sequitur obiectum. E

Argumenta tum principalia, tum pro Prima Opinione adducta, resoluuntur.

AD Argumenta principalia.

Ad illud de 83.qq. Patet quomodo loquitur de idæa.

Ad Auic. Concedo, quòd in Deo potest esse relatio intelligentis: vel prout hoc, quod est intelligens, terminat relationem intellecti, sicut Dominum esse, est appellatio relatiua,& significat terminare relationem serui: vel prout intelligens dicit relationem rationis positiuè; sed tunc non est hoc in primo instanti, nec in secundo,sed in tertio.

Ad aliud. Patet ex dictis, quòd eadem ratio intelligendi illimitata, potest esse propria ratio intelligendi quodcunque eorum, ad quæ est illimitata; sicut si esset limitata ad aliquid solùm;& maximè respectu istius actus,qui est intelligere: in quo non semper requiritur vniuoca ratio, vel assimilatio cum cognito; alioquin nihil posset cognosci per causam,nec conclusio per principium; sed sufficit ratio eminentior, continens perfectè similitudinem F virtualem cogniti.

Et quòd arguitur pro Prima Opinione, quòd oporteat illam rationem indeterminatam determinari. Dico, quòd ipsa est ex se determinata, determinatione opposita indeterminationi, quæ est ad contradictoria, licèt non sit ex se determinata, determinatione limitationis: nec hoc oportet, ad hoc, vt per ipsam obiectum determinatè intelligatur.

Et si dicatur. Quantumcunque Essentia sit excedens, medium non est ratio intelligendi hoc in particulari, nisi determinetur ad illud per aliquid aliud. Respondeo. Semper ab antecedente ad consequens arguendo cum distinctione, est fallacia consequentis ex forma: tenet autem gratia materiæ, quando consequens illud non potest esse, nisi numeretur in pluribus. Et per hoc tenet illa forma arguendi Aug. 7. de Trin. c. 4. *Si duo homines; ergo duo animalia*: sed hoc est ex imperfectione, & limitatione con- G sequentis & antecedentis. Vnde non sequitur. Si Pater: ergo Deus: si Filius: igitur Deus; igitur si Pater & Filius, duo sunt; igitur duo Dij. Ita dico, quòd ad intellectionem huius,oportet dare rationem,qua intelligatur,& propriā, vel formaliter, vel eminenter continentem, quicquid est perfectionis in propria ratione, & ad intelligendum illud, oportet habere propriam,& determinatam rationem. Sed inferendo. Ergo ad intelligendum aliud & aliud, oportet habere aliam & aliam rationem determinatam. Est fallacia consequentis. Quia hoc consequens,scilicet, rationem esse intelligendi, illimitatum est ad alia antecedentia.

Quòd additur ibi, etiā pro illa Prima Opinione. Quòd ratio intelligendi,est similitudo intelligibilis. Respondeo. Non est similitudo formalis, sed vel illa, vel aliud simile anthonomastice:& hoc est continens perfectè similitudinem formalem, secundùm omne illud perfectionis, quod est in ea, in quantum ipsa est ratio intelligendi: & sic est in proposito. H

DISTINCTIO XXXVI.

QVÆSTIO VNICA.

Vtrum creatura, inquantum est fundamentum relationis æternæ, ad Deum vt cognoscentem, habeat verè esse essentiæ, ex hoc, quia est sub tali respectu.



Vòd sic. Homo non est ex se ens ratum; quia tunc esset Deus;ergo per aliquid aliud est ratum formaliter;non nisi per respectum ad ipsum primum ratum ex se,non autem per respectum ad aliud; (vt ad efficiens) quia cùm diffinitio sit entis rati, & efficiens inquantum efficiens producat existens in actu, si homo haberet esse ratum ab efficiente (inquantum efficiens,) diffinitio non esset eius,nisi vt existes; & ita diffinitio terminaret

A minaret quæſtionem an eſt: quod eſt inconueniens: ergo eſt ens ratum inquãtum participat primum, vt exemplar, hoc eſt, inquantum habet relationem æternam, ad Deum vt ſcientem, & exemplantem; ergo, &c.

Præterea. Correlatiua ſunt ſimul natura; ergo ſimul natura Deus eſt intelligens lapidem, & lapis intellectus ab eo: ergo cùm ab æterno eſt lapis intellectus ab intellectu Diuino, & hoc inquantum fuit aliud ab Eſſentia Diuina; & iſta intellectio erit realis & Metaphyſica, non Logica; ergo illud quod terminauit iſtam intellectionem, erat vera res.

Oppoſitum. Magiſter in litera cap. 1. huius diſt. exponẽs auctoritatem Aug. 5. ſuper Gen. ad literã, iſtam ſcilicet. *Erant in Dei ſcientia, non exiſtentia in ſui natura* Dicit ſic. *Illos* (ſcilicet electos) *habuit ab æterno Deus apud ſe, non in natura ſui,* (id eſt ipſorum) *qui nondum erant, ſed in ſua præſcientia; quia illos ita nouit, ac ſi eſſent.*

B

ARTICVLVS PRIMVS.

Opinio Affirmatiua refellitur.

HIc quidã dicunt (*Henr. in ſum. quol. 11. q. 3.*) Quòd ſic. Pro hac Opinione, arguitur potiſſimè per illud, quod dictum eſt in ſecundo argumento principali, de ſciẽtia Dei æterna, & obiecto reali æterno.

Additur ad hoc. Quòd propoſitio eſt paſſio Entis; obiecti autem cogniti in æternitate, proportio eſt aliqua ad cognoſcentem, & hæc talis eſt, quòd impoſſibile eſt nõ eſſe ſic proportionatum.

Præterea: Sicut ens ad non ens, ita poſſibile ad impoſſibile: ergo permutatim: ſicut ens ad poſſibile, ita non ens ad impoſſibile; ſed omne ens eſt poſſibile; ergo omne quod eſt purum non ens, eſt impoſſibile.

Confirmatur ratio. Quia ſi aliquod purum non ens, ſiue nihil, eſſet poſſibile, & aliquod purum non ens, eſſet purũ impoſſibile; vnum nihil eſſet magis nihil alio; quod C videtur abſurdum; ergo poſſibile non eſt omnino nihil, ſed aliquod ens.

Præterea. Aug. de natura boni. c. 8. *Si bonitas eſt forma aliqua, nonnullum bonum, eſt capacitas formæ*: ergo nonnullum bonum, eſt poſſibilitas ad bonitatem actualem.

Item ſuper Ioan. homil. 18. *Eaſdem literas format cor & manus, ſed aliter & aliter:* ergo priùs factæ ſunt à corde, quàm à manu.

Et Auic. 8. Meta. cap. vltimo, vult idem, de duplici fluxu rerum à Deo.

Additur aũt ab iſtis. Quòd diſtinctio iſta eſſẽtiæ, ab eſſe exiſtentiæ, ſufficit ad compoſitionem, pro eo quòd ipſa eſſentia, intellecta vt habens eſſe eſſentiæ, adhuc eſt in potentia ad eſſe exiſtentiæ, quod recipit ab efficiente, inquãtum efficiens eſt; & tunc eſt cõpoſitio ex potentia & actu.

Contra iſta arguitur. Primò. Quia creatio eſt productio de nihilo; ſed ſi lapis præhabuit eſſe verum reale: igitur quando producitur ab efficiente, non producitur de nihilo.

D Similiter Secundò. Si non producitur, niſi ſecundùm reſpectum tantùm nouum ad efficiens, non videtur eſſe productio ad eſſe ſimpliciter, ſed tãtùm ad eſſe ſecundùm quid, & minùs erit creatio productio ſimpliciter, quàm ſit alteratio, vbi eſt productio ſaltem alicuius, quantùm ad eſſe abſolutum.

Tertiò ſecundùm eandem viam arguitur. Quia eandẽ relationem ponit actualẽ, & aptitudinalem ex parte Dei; & propter hoc, non poſſe eſſe aliquam nouam actualem in Deo, præter aptitudinalẽ antiquam: ergo ſimiliter ex parte eius quod refertur ad Deum, eadẽ eſt relatio actualis, & aptitudinalis; & non erit actualis noua, præter aptitudinalem relationem antiquam; ergo cùm relatio aptitudinalis ad eſſe exiſtentiæ, fuerit ſemper in ente habente eſſe eſſentiæ, nulla eſt in ea relatio actualis noua inquantum exiſtens eſt.

Et quartò, ſecundùm eandem viam. Quia in fundamento eodem, & termino immutabili; non poteſt eſſe reſpectus nouus; ſed hoc fundamentum idem eſt, ſcilicet eſſe eſſentiæ, & terminus eſt immutabilis, ſcilicet Deus; ergo nullus reſpectus nouus poteſt eſſe ad talem terminum qualis reſpectus ponitur eſſe ad eſſe exiſtentiæ. E

Et quintò ſecundùm idem medium de creatione. Quia productio rei ſecundùm illud eſſe eſſentiæ, veriſſimè eſt creatio; ipſa enim eſt merè de nihilo, vt de termino à quo, & ad verum ens, vt ad terminum ad quem; & productio iſta ſecundùm eos, eſt æterna; ergo & creatio eſt æterna: cuius oppoſitum nititur oſtendere, & dicit ſe habere demonſtrationes.

Sextò, ſecundùm eandem viam. Per oppoſitum de annihilationẽ, ſequitur quòd non poſſit aliquid annihilari: ſicut enim producitur de ente ſecundùm eſſentiam, ita videtur redire in ens ſecundùm eſſentiam, & non in nihil.

Præterea. Secundò principaliter. Illæ relationes, quæ tactæ ſunt diſt. 8. contra Auic. quòd nihil aliud à Deo, ſit formaliter neceſſarium: poſſunt fieri contra iſtam opinionem. Quia ita concludunt de eſſe quiditatiuo, ſi ſit verum eſſe, ſicut de eſſe exiſtentiæ: non enim voluntas magis neceſſariò vult aliud à ſe eſſe in eſſe quidditatiuo, quàm velit aliud à ſe eſſe in eſſe exiſtentiæ; quia eadem eſt ratio vtrobique; & ita de alijs medijs. F

Præterea Tertiò. Res ſecundùm eſſe eſſentiæ, aut eſt terminus relationis ideæ, quam ipſi ponunt in Deo, aut non, ſed ſecundùm aliud eſſe cognitum. Si ſecundo modo; ergo fruſtra ponuntur res in iſto eſſe eſſentiæ: non enim videntur propter aliud poni, niſi vt ſint termini relationum idealium, quæ æternaliter ſunt in Deo. Si primo modo; ergo aliquid eſt in Deo, per actum intellectus Diuini, ſecundùm quod Deus poteſt aliter ſe habere, ſiue mutari: cuius oppoſitum probatum eſt diſt. 30. Probatio vltimæ conſequentiæ. Quia per te, omne aliud eſſe à Deo, non eſt formaliter neceſſarium ex ſe: ponatur igitur (licèt per impoſſibile) iſtud ens quidditatiuè aliter ſe habere, ſequitur, quòd illa entitas in Deo ſiue rei, ſiue rationis, quæ habet iſtud eſſe pro termino, aliter ſe habebit, & ſic ex poſitione alicuius circa aliud à Deo, mutari poterit aliquid quod eſt in Deo, per actum intellectus ſui: quod eſt impoſſibile. G

Præterea Quartò. Quando cauſa eſt perfecta, & independens naturaliter in cauſando, & agit naturaliter, videtur poſſe producere immediatiora ſibi perfectiora; quia producit ſecundùm vltimum potentiæ ſuæ: intellectus Diuinus vt intellectus præciſè, ſecundùm iſtam viam, producit in Deo rationes ideales, & ipſas eſſentias in ratione eſſentiæ; & quaſi per priùs in ſe rationes ideales, quàm rationes illas in iſto eſſe; ſunt enim per hoc, quòd exemplatæ ſunt; ergo illæ ideæ habent verius eſſe, cùm ſit naturaliter agens, quàm ipſa ideata: non cauſat autem ideas niſi entia rationis, & non in aliquo eſſe reali; ergo nec dat aliquod eſſe reali ipſis ideatis, quæ ſunt cauſata quaſi remotiora.

Præterea Quintò. Iſtas eſſentias producit in eſſe; aut vt cognſcẽs, aut vt non. Si ſic; ergo ſunt cognitæ, antequã ſint in iſto eſſe: & ita fruſtra ponuntur iſtæ entitates, propter cognitionem Dei æternam: ſi non; igitur producit eas merè naturaliter, ſicut ignis calefacit: quod videtur valde abſurdum, de quocũque producto alio à ſe in natura; imò H etiam Filium producit vt intellectus, licèt non vt intelligens formaliter; ſicut aliàs expoſitum eſt.

Præterea Sextò. Quòd attribuat alium effectum cauſæ exemplari, & alium cauſæ efficienti, non videtur probabile. Quia cauſa exemplaris non eſt, niſi quoddam efficiens: efficiens enim diuiditur in efficiens per intellectum, ſiue propoſitum, & efficiens per naturam, ſecundùm Philoſophum 2. Phyſ. t. 49. ſicut igitur naturaliter producens, non eſt alia cauſa ab efficiente, ita nec exemplaris, nec exẽplariter producens; & ita idem eſt effectum, & exemplariter productum alicuius intelligentis, inquãtum eſt intelligens, & inquantum exemplans.

Quod etiam addit. Compoſitionem eſſe in creaturis, per iſtam potentialitatem ad actum. Non videtur rationabile. Quia nihil videtur eſſe ibi, quod cum alio componatur: ſi enim tota albedo præexiſtat in potentia, vt terminus potẽtiæ, & poſtea ipſamet ſit in actu, nõ eſt propter

hoc

A hoc aliqua compositio rei & rei; igitur si præexistat res secundùm esse essentiæ, & ipsa producatur secundùm esse existentię, (quod nō est aliud secundùm istos ab esse essentiæ, sicut nec generaliter relatio est aliud à fundamēto, propter quod non ponunt relationem & fundamentū facere compositionem,) erit res composita propter ista duo.

Et istud posset esse Septimum, secundùm primam viā, ad improbandum creationem, propter identitatē relationis cum fundamento, & essentię cum esse. Quia eadem res non potest esse realiter noua & nō noua; ergo si esse dicat relationem, quæ est eadem cum essentia, nulla creatura erit simpliciter noua.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Opinio negatiua, verissima declaratur.

Concedo Conclusionē istarum rationum, scilicet partem negatiuam Quæstionis.

B Ad quod videtur specialiter esse hoc, quòd non tantùm esse essentiæ, fundat ad Deum relationem talem, sed etiā esse existentiæ. Quia secundùm Aug. 5. super Gen. 7. *Non aliter nouit Deus facta, quam fienda*: precognouit igitur esse existentiæ, sicut esse essentiæ; & tamen propter istam relationem fundatam, non cōcedit aliquis esse existentiæ fuisse verum reale, esse ab æterno: ergo pari ratione, non est concedendum de esse essentiæ.

Omnia etiam motiua, quæ adducūtur de intellectu Diuino, videntur etiā posse adduci de intellectu nostro. Quia si aliquid non sit, potest tamen à nobis intelligi, & hoc siue essentia eius, siue existentia eius: & tamen non propter intellectionem nostram ponitur, quòd illud habeat verū esse existentiæ, vel esse essentiæ: nec etiam est differentia aliqua quoad hoc, vt videtur, inter intellectum Diuinum & nostrum: nisi quòd intellectus Diuinus producit illa intelligibilia in esse intelligibili primò, noster nō producit primò: sed si istud esse nō est ex se tale, quod requirit esse simpliciter, producere illud in tali esse, nō est producere illud in aliquo esse simpliciter: & ideo videtur, si istud esse intelligibile, comparando ad intellectū nostrum, non requirit esse simpliciter, comparando etiam ad Diuinum intellectum, producentem in isto esse, non erit esse simpliciter; quia si esse album non est nisi esse qualitatiuum, producere in esse albo, nō est producere in esse substantiæ, vel simpliciter, sed tātùm in isto esse qualitatiuo. Similiter Intellectus noster agens, producit rem in esse intelligibili, licèt sit producta priùs; & tamen propter illud producere intellectus nostri agentis, non ponitur res producta, habere esse simpliciter.

C

Contra istud obijcitur. Quia omne fundamentum relationis quando fundat relationem est secundùm illud esse, secundùm quod fundat, aliter secundùm illud esse non fundaret, sed lapis secundùm verum esse essentiæ, fundat istam relationem æternam ad Deum, vt scientem, & hoc in æternitate; ergo lapis est in æternitate, secundùm illud esse. Probatio Minoris, secundùm illud esse fundat relationem ad Deum, vt scientem, secundùm quod esse eius, vt obiectum, cognoscitur à Deo; cognoscitur autem à Deo verè, sub ratione essentię, & non sub ratione existentiæ diminutè; quia prima intellectio lapidis à Deo, non est reflexiua.

D

Præterea. Prima productio, non est tantùm alicuius relationis; quia relatio non est nisi in absoluto: ergo cū concessum sit in præcedenti q. Deum producere res in esse intelligibili, s̄m quod res cognita dicitur esse idæa, sequitur, ꝙ in illo instanti secundo, oportet ponere aliquam entitatem absolutam rei productæ, ita quòd in ente absoluto, habente talem entitatem, fundetur relatio ad producens.

Ad Primum Dico: quòd distractum respectu distrahentis non est distractum, sed respectu tertij, ad quod comparatur, sub ratione distrahentis. Quia secundùm Philos. 2. periherm. c. 2. Prædicando de aliquo homine, hoc quod est homo mortuus, est oppositum in adiecto, ad quod sequitur contradictio; ergo comparando præcisè determinabile ad determinationem, determinabile non est distractum respectu determinationis, sed nec includit cōtradictionem ad ipsum, sed respectu tertij, de quo dicitur: mortuum est determinatio distrahens, & illud quod determinatur per ipsum, distrahitur, ita ꝙ illud aliud, non dicitur nisi secundùm quid de isto. Ita dico: quòd diminutum respectu diminuentis, nō est diminutum, sed respectu tertij, ad quod comparatur ipsum, sub determinatione diminuente: sicut cùm dico, Iste est albus secundùm dentes: non diminuitur album, sed accipitur pro albo simpliciter, respectu huius determinationis, alioquin esset nugatio: vt autem accipitur sub ista determinatione, dicitur de tertio, scilicet de Æthiope, tanquam diminutum.

E

Ad propositum, hæc determinatio, Esse in opinione, est determinatio diminuens secundùm Phil. vbi priùs: & sicut esse in opinione, ita & esse in intellectione, siue esse exemplatum, siue esse cognitum, quæ omnia æquiualent: Licèt igitur istud quod comparatur ad aliquid istorum (vt comparatur ad ipsum) nō sit diminutum, tñ vt sub aliquo istorum cōparatur ad tertium, est diminutum. Esse enim Homeri, simpliciter & nō diminutum, est obiectum opin. sed istud esse simpliciter vt in opinione, est esse secundū quid: & ideo non sequitur. Homerus est in opinione; ergo Homerus est: Nec etiam, Homerus est existens in opinione; ergo est existens, sed est fallacia secundùm quid, ad simpliciter. Ita hic, comparando ad intellectionem Diuinam lapidem in æternitate; lapis quidem simpliciter comparatur ad intellectionem illam, & hoc non tantùm secundùm esse essentiæ lapidis, sed secundùm esse existentiæ, & quodcunque cōparabile: tamen illud vt acceptum sub ista comparatione ad scientiā Dei, diminuitur: non quidem distrahitur, quasi non possit stare ens simpliciter cum tali respectu, sed diminuitur, ita quòd talis respectus, non ponit necessariò, suum determinabile esse ens simpliciter.

F

Tunc ad formam argumenti. Fundamentum relationis est secundùm illud esse, secundùm quod fundat relationē. Verum est; quando relatio illa fundata, nō est simpliciter diminuens esse fundamenti. Et ratio realis istius secundū quid & simpliciter, videtur esse ista. Quia prima distinctio Entis, videtur esse in ens extra animam, & ens in anima, & illud extra animam, potest distingui in actum & potentiā, essentiæ & existentiæ: & quodcunque istorum esse extra animam, potest habere esse in anima: & illud esse in anima, aliud est ab omni esse extra animam; & ideo de nullo ente, nec de aliquo esse sequitur, si habet esse diminutum in anima, quòd propter hoc habeat esse simpliciter; quia illud esse, est secundùm quid absolutè, quod tamen accipitur simpliciter, inquantum comparatur ad animam, vt fundamentum illius esse in anima.

G

Ad Secundùm Dico, quòd productio ista in esse, est alterius rationis ab omni esse simpliciter, & non est relationis tantùm, sed etiam fundamenti absoluti, non quidem secundùm esse essentiæ, vel existentiæ, quòd est verum esse, sed secundùm esse diminutum, quod esse est esse secundùm quid, etiam entis absoluti, quod tamen ens absolutū, secundùm istud esse diminutum, concomitatur relatio rationis. Exemplum huius. Si Cæsar esset annihilatus, & tamē esset statua Cæsaris, Cæsar esset repræsentatus per statuam. Illud esse repræsentatū, est alterius rationis ab omni esse simpliciter, siue essentiæ siue existentiæ; nec est esse dimutum Cæsaris, quasi aliquid Cæsaris habeat hoc esse, & aliquid non, (sicut Æthyops est diminutè albus, quia aliquid eius est verè album, & aliquid non) sed totius Cæsaris; & esse eius à causa sua, est verum esse existentię & essentiæ, cuius totius, secūdùm totale esse suum, est istud esse secundùm quid, & in ipso istud esse secundùm quid, potest esse aliqua relatio ad statuam; & licèt posset poni calumnia in exemplo, non tamen ita in proposito, de intellectione, & obiecto, quin obiectum totum secundùm etiam totale esse suum, diminutū esse habeat in intellectu.

H

Et si velis quærere, aliquod esse verum huius obiecti, vt sic. Nullum est quærere, nisi secundùm quod, nisi dicatur quòd istud esse secundùm quid, reducitur ad aliquod esse simpliciter, quod est esse ipsius intellectionis; sed istud esse simpliciter, nō est esse formaliter eius, quod dicitur esse secūdùm quid, sed est eius terminatiuè vel principiatiuè, ita

A quòd ad istud verū esse, illud esse secundùm quid reducitur: ita quòd sine isto vero esse istius, non esset illius esse secundùm quid.

Ex hoc autem apparet quoddam dictū superiùs dist. 3. q. 4. de cognitione in regulis æternis, videlicet. Quòd motio intellectus nostri à quidditatibus intelligibilibus, reducitur ad ipsum intellectū Diuinum, per cuius esse simpliciter, ista obiecta habent esse secundū quid, scilicet, esse obiectiuum, secundùm quod esse, mouent intellectum nostrū, ad cognoscēdum veritates synceras, & propter motionem earum, dicitur intellectus ille mouere, sicut ista habent suum esse secundùm quid, propter simpliciter esse illius.

Argumenta tum principalia, tum pro Opinione, Primo Articulo posita, soluuntur.

AD Primum principale. Dico. Quòd Ens ratū, aut appellatur illud, quod habet esse firmum, & verum esse, siue essentiæ, siue existentiæ, quia vnum non est sine altero, B qualitercunque distinguantur; aut ens ratum dicitur illud, quod primò distinguitur à figmentis, cui scilicet non repugnat esse verum essentiæ vel existentiæ. Si primo modo accipiatur ens ratum: dico quòd homo non est ex se ens ratum, sed ab efficiēte à quo habet esse verum; & essentiæ, & existentiæ. Et cùm dicis. Igitur nunquam est ens ratum, nisi effectū. Concedo hoc modo. Et quando est effectū, est existens: ergo nunq̃ est ens ratū, nisi sit existens; Concedo. Et cùm dicis vltra. Ergo non est eius diffinitio, nisi sit existens. Nego istam consequentiā. Quia diffinitio est distincta cognitio diffiniti, s̄m omnes partes eius essentiales: distincta aūt cognitio potest esse alicuius, licèt ipsum non sit ens ratum; non. n. oportet, nisi ꝙ ens ratū terminet cognitionē diffinitiuam. Et non sequitur. Ens ratum diffinitiuè intelligitur: ergo ens ratum est. Si secūdo modo intelligatur ens ratū: dico, ꝙ homo est ex se ens ratum; quia formaliter ex se non repugnat sibi esse. Sicut. n. cuicunque repugnat aliqd primò, ei repugnat formaliter ex ratione eius; C ita cui nō repugnat formaliter, nō ei repugnat per rationē ipsius: & ideo si homini de se repugnaret esse, per nullū respectum aduenientem, posset non repugnare sibi esse. Et si tunc ex hoc inferas. Homo est ex se ens ratum hoc modo; ergo est Deus. Consequentia non valet. Quia Deus nō est tantùm cui non repugnat esse, sed est ex se ipsum esse.

Quòd autem dicitur hìc: quòd homo est ens formaliter ratum, aliqua relatione, quæ est ratitudo eius. Hoc improbatum est dist. 3. quæst. de vestigio. Et videtur valde absurdum. Quia secundùm Aug. 7. de Trin. c. 5. vel 6. *Si est nihil ad se, nihil est ad aliud*: & hoc ipsi concedunt, quòd relatio nō potest fundari in relatione, sed in absoluto. Quæro igitur de fundamento talis relationis, quæ dicitur ratitudo: dicatur A. Si est ad se; ergo non includit essentialiter in suo intellectu, per se, respectum: quia nihil essentialiter includens respectum, est ad se formaliter: istud A. inquātum est ad se: aut est ratum; & habeo propositum: aut non est ratum; & tunc ille respectus, fundabitur in ente non rato; & respectus (per eos) est idem fundamento; ergo respectus D est idem enti non rato. Et maximè est consequens inconueniens, si accipiatur non ratum, pro illo cui repugnat esse: quia tūc sequitur, quòd ratitudo illa, fundabitur in non rato, quod est nihil; & ita ille respectus esset nihil; & tunc ens ratum erit ex duobus nihilis.

Ad Secundum argumentum. Concedo, quòd Deus ab æterno intellexit lapidem: & non vt idem sibi: & illa intellectio fuit Metaphysica, & realis, non autem Logica. Nec tamen plùs sequitur ex hoc, de lapide, quòd sit essentia, quàm existentia; nec magis comparando ad intellectum Diuinum, quàm meum. Sequitur quidem: igitur res semper fuit intellecta: sed arguendo, Ergo res fuit in aliquo esse reali. Dico, ꝙ est fallacia secundùm quid, ad simpliciter.

Per idē ad illud, quod adducitur pro Opinione, de proportione ad intellectum. Dico: quòd ista proportio, est relatio cogniti ad cognoscentem, & hæc est diminuens ens, in quo fundatur; sicut declaratum est; relatio autem diminuens ens, non oportet quòd requirat secum entitatē simpliciter, illius entis, quod determinat.

Et cùm dicis. Non est talis proportio impossibilis ad intellectum Diuinum. Dico: quòd benè potest esse, ꝙ omnino niger, nō sit albus; nec tamen propter hoc albus secundùm dentes, est simpliciter albus; ita potest esse, quòd omnimoda improportio, sit impossibilis ad intellectum Diuinum, & aliqualis proportio, sit possibilis ad intellectum eius, non tamen ad esse simpliciter. E

Ad illud de permutata proportione. Dico: quòd ille modus arguendi, ortum habet ab Euclide, propositione 16. Si (inquit) quatuor quantitates proportionales fuerint permutatim, proportionales erunt. Quæ probatur per 15. præcedentem. Eadem est proportio multiplicium, & submultiplicium, & ista permutatione certa & nota in quantitatibus, vtuntur aliqui in argumentis: Philosophus autē vsus est ea in duabus regulis, 2. Prior. c. 21. Si A. & B. conuertuntur, & C. & D. conuertūtur. Et A. & C. contradicant, B. & D. contradicunt, & è conuerso: Consequentia est necessaria: quia alterum contradictoriorum dicitur de quolibet. Et quia cōuertibile cum vno contradictoriorum, non recipit prædicationem alterius, nec è conuersò, ideo conuertetur cum aliquo contradictorio. Et generaliter. Vbicunque potest haberi aliqua proportio correspondens illi 15. Euclidis, per quam tenet ista permutatio, correspondens 16. tunc permutatio est bona: & quando non; non. Ad propositum igitur. Dico, quòd generaliter nunquā tenet talis permutatio, comparando extrema ad inferius & superius: imò est fallacia consequentis; quia extrema duarum contradictionum, ad inuicem comparata, habent proportionē conuersam in inferendo, & non eandem. Oppositum enim consequentis, infert oppositum antecedentis, & non è conuerso: & ideo arguere ita inferendo. Sicut primum ad tertium, ita secundum ad quartum. Faciunt fallaciam consequētis. Sed è conuersò deberet argui. Sicut primū ad tertium, inferendo, ita quartum ad secūdum. Ita in proposito. Si omne ens est possibile; ergo omne impossibile est non ens: sed non è conuersò: ergo omne non ens est impossibile. F

Et quòd additur ibi. Quòd tunc vnum nihil magis est nihil, quàm aliud nihil. Respondeo. Quòd tripliciter inest negatio alicui. Quandoque non propter repugnantiā alicuius positiui ad affirmationem illius negationis, sed propter solam negationem causæ, non ponentis illum effectū: sicut si aliqua superficies esset neutra, esset quidem non alba, non propter repugnantiam superficiei ad affirmationē oppositam huic negationi, sed propter negationem causæ, non ponentis albedinem in esse superficiei. Quandoque autem inest negatio positiui, propter repugnantiam eius, ad affirmationem oppositam illi negationi: & hoc dupliciter. Quandoque enim prçcisè est talis repugnantia propter aliquid vnum de intellectu vtriusque; sicut in speciebus vltimis eiusdem generis proximi, negationes earum mutuæ dicuntur de se, propter repugnantiam earum, quæ est propter vnum solum inclusum in intellectu vtriusque, scilicet propter differētiam vltimam completiuam. Quandoque autē propter plura inclusa in intellectu vtriusque, vel alterius; sicut si accipiantur species specialissimæ duorum generum generalissimorum; repugnant quidem sibi inuicē affirmationes, propter multa inclusa in eis, tot scilicet, quot sunt prædicata dicta in Quid de vtroque, in suo genere. Nihil enim dicitur in Quid de albedine, quod non sit medium ostendendi hanc: Homo non est albedo. Nihil etiam dicitur de homine in Quid, quod non est medium ostendendi eandem, & ideo ista: Homo nō est albedo: vera est propter repugnantiam extremorum simpliciter, siue propter multa inclusa in intellectu repugnantium, quorum quodlibet, ex vtraque parte, esset sufficiens ratio talis repugnantiæ; & tamen in omnibus istis inhærentijs negationum (licèt ex diuersis causis insint) non dicitur aliquid magis, vel minùs negatum, sed quodlibet simpliciter non tale; ita enim est simpliciter sapor nihil albedinis sicut homo; & similiter superficies nihil habet albedinis, posito isto casu. Et ratio est, quare non magis est hęc negatio, quā ista. Quia quælibet negatio, negat totam affirmationem, sibi oppositam, ex quacunque ratione sit talis, siue propter vnam rationem, siue propter plures. G H

Ita in proposito. Homini in æternitate, inest non esse aliquid

aliquid

A aliquid,& Chymeræ non esse aliquid. Sed homini non repugnat affirmatio,quæ est esse aliquid, sed tãtùm inest negatio,propter negationem actus, vel causæ,nõ ponentis in esse,Chymeræ autem repugnat, quia nulla causa potest in ea causare esse aliquid.Sed quare homini nõ repugnat, & Chymeræ repugnat? Ratio est. Quia hoc est hoc,& illud est illud:& hoc in quocunque intellectu cõcipiente. Quia sicut dictum est. Quicquid repugnat alicui formaliter,ex se repugnat ei; & quod non repugnat formaliter, ex se nõ repugnat.Nec est hoc fingẽdum.Quòd homini non repugnat;quia est ens in potentia,& Chymeræ repugnat; quia non est ens in potentia. Imò magis è conuersò. Quia homini non repugnat,ideo possibile est potentia Logica, & quia Chymeræ repugnat, ideo est impossibile impossibilitate opposita: & istam possibilitatem cõsequitur possibilitas obiectiua, & hoc supposita oĩpotentia Dei, quæ respicit omne possibile,dummodo sit aliud à se; tamen illa possibilitas Logica, absolutè ratione sui posset stare, licèt per impossibile,nulla potentia eã respiceret. Prima igitur omnino ratio,& non reducibilis ad aliam, quare homini non
B repugnat esse,est:quia homo formaliter est homo; & hoc siue in re,realiter,siue in intellectu,conceptibiliter.Et prima ratio,quare Chymeræ repugnat esse:est Chymæra,inquantũ Chymæra. Aliter igitur inest ista negatio, nihileitas,homini in æternitate,& Chymeræ;& tamen non propter hoc est vnum magis nihil altero.

Vel etiam posset dici. Quòd ab homine remouetur tantùm illud esse,& non aliquid consequens ad esse, quod est E possibile esse, à Chymæra autem remouetur esse, & suum consequens; ideo propter plura negatur esse à Chymera, quàm ab homine; non tamẽ magis est ista negatio in vno, quàm in alio. Sed prior responsio videtur esse realior.

Ad Aug. Capacitas formæ secundùm eum est materia, quę habet aliquam entitatem veram,& non tantùm qualem habet anima Antichristi, antequam creetur. De hoc in lib.2.dist.12.

Ad ipsum super.Ioan.Concedo,quòd quando sunt duę causæ subordinatæ,ambæ causant effectum; sed aliter, & aliter;quia superior plùs causat. Et ita si cor sit causa superior,& manus inferior,respectu literarum;vtrumque causat,tàm cor,quàm manus,nec tamen priùs cor, quàm manus producit literas, in aliquo vero esse, & postea manus addit eis quendam respectum.

Ad vltimum, de Auic. Loquitur de fluxu formarum à Deo, inquantum intellectæ sunt, & de fluxu omnis entis, quod est,hoc est rei,in vero esse. Et concedo,ꝙ sicut aliud
F esse est intellecti,inquantũ intellectum,ab esse vero,quod est essentiarum extra animã,ita est fluxus iste,& ille, alius & alius: Vtroque fluxu fluit res à Deo: nõ sic in nobis. Quia res præexistũt extra animam,vel in se,vel in causa, ad hoc vt moueant intellectũ nostrum ad actum intelligendi. Nõ aũt dicit Auic. istum fluxum in esse intellecto, esse fluxum in esse quidditatiuo; quia esse intellectũ,est esse distinctũ, contra totum esse reale, tàm quidditatiuum q̃ existentiæ

DISTINCTIO XXXVII.

QVÆSTIO VNICA.

C Vtrum Deum esse præsentem vbique, secundùm potentiam, inferat ipsum esse vbique, secundùm essentiam? hoc est. Vtrum omnipotentia inferat immensitatem? G

QVòd sic. Omne agens est præsens passo, secũdùm Phil.7.Phys.t.4.& hoc immediatè, si immediatè posset agere in illud: vel mediatè, si agat in illud mediatè; omnipotẽs autem, potest agere in quodlibet immediatè, ergo est præsens cuilibet immediatè.

Oppositum arguitur. Potest enim causare aliquid extra vniuersum,& tamen ibi non est s̃m essentiam; ergo &c.

Respondeo. Agens creatũ, potest agere vbi non est, tamen communiter oportet quòd sit immediatum, cuilibet sibi proximo passo, in quod agat; licèt quandoque nõ agat in illud passum, actione eiusdem rationis, actioni qua agit in remotum; vt piscis mortificans manum piscatoris, non mortificat rete.

D Quandoque autem agens in proximum passum, non agit eadem potẽtia actiua, qua agit in remotum, licèt agat alia potentia actiua; sicut corpus cæleste, generans minerram in visceribus terræ, vel aliquod mixtum animatũ, vel inanimatum hìc inferiùs agit sua forma substantiali: quia non substantia, non potest generare substantiã, nec accidẽs aliquod in medio, potest esse ratio generãdi substantiã; est igitur forma corporis cælestis, potẽtia actiua in remotum, absque hoc, ꝙ corpus illud agat in proximum, s̃m eandem potentiam actiuam, s̃m quam agit in remotum, licèt agat in propinquum, secundùm aliam potentiam actiuam.

Sed hoc accidit. Vel propter coniunctionẽ istarum potentiarum duarũ actiuarum in eodẽ, quarum vtraque est actiua, & vna habet proximum pro passo proportionato, & alia potentia actiua, habet reliquum passum remotum proportionatum. Vel accidit propter imperfectionem ipsius agentis, in quo est defectus virtutis actiuæ, pp quem defectũ, priùs agit secundùm formam imperfectiorem, q̃ secundùm perfectiorem, sicut generans corruptibile, priùs alterat, quàm generat, propter illius agentis imperfectionem, à quo priùs origine est imperfectius.

Si igitur primò tollamus talem duarum potentiarum concursum, ab agente creato, & secundò tollamus ab eo istam imperfectionem, quòd non oporteat eum priùs producere imperfectius, non videtur aliqua ratio, quare non erit præsens remoto secundùm potẽtiam, secundùm quod est modò præsens sibi in ratione potẽtiæ actiuæ, & tamen non aget in propinquum, nec illa potẽtia, sicut nec modo, nec alia; & hoc maximè si illa potentia secundùm quã agit in remotum, sit simpliciter potentia actiua perfecta: quantò enim perfectior forma est in creaturis, tantò videtur esse ratio agendi in remotius.

Ex his ad propositum. Videtur, quòd cùm omnipotentia, quæ est simpliciter perfecta potentia actiua, non
H requirat actionem in vnum passum, priùs quàm in aliud, nec propter diuersas potentias concurrentes in agente, nec propter priorem generationem imperfectioris, quòd talis omnipotentia sit ratio agendi in quodcunque, & producendi quodcunque possibile; licèt per impossibile, ipsum cuius est omnipotentia, nõ esset vbique. Et secundùm hoc videtur tenenda negatiua pars quæstionis.

Et confirmatur. Si enim omnipotentia est voluntas, ad cuius velle, sequitur rem esse: cùm voluntas possit æquè velle distans, sicut propinquum; videtur, quòd si omnipotens esset per impossibile, in aliquo loco determinato, & non vbique, posset velle aliquid esse in alio loco, cui non repugnaret esse; & per cõsequens, suo velle, illud haberet esse in illo loco, & per cõsequens, illud fieret ab omnipotente, absque hoc, quòd omnipotens esset præsens ibi secundùm essentiam.

Confirmatur etiam. Quia ante mundi creationem, non est imaginandum vacuum infinitum, quasi ibi fuerit priùs præsens Deus, secundùm Essentiam, antequam produceret

A ret mundum; imò non vt alicubi præsens Deus secundùm Essentiam, fuit potens facere mundū: sicut igitur ibi præsentia immensitatis, non præexigebatur præsentiæ potentiæ suæ, vt potentia est, imò potentia priùs habuit terminum suum, quàm esset præsentia secundùm essentiam: ita videtur modò, quòd non oporteat præintelligere Deum, in aliqua parte vniuersi, vt ibi aliquid causet, sed magis quasi è conuersò, priùs sit ibi secundùm potentiam, vt ibi aliquid causet: & tunc, licèt per impossibile, non esset ibi prius secundùm Essentiam, posset tamen ibi causare. E

Ad argumentum in oppositum. Dici potest, quòd illud dictum Philos. verum est de agentibus naturalibus, quæ agunt per qualitates naturales, vel formas naturales actiuas, quæ non sunt principia agendi in remotū, nisi sint aliç formç concurrentes, quç sunt principia agendi in propinquum: ita aūt non est de voluntate, qua omnipotens agit.

DISTINCTIO XXXVIII.

QVAESTIO VNICA.

Vtrum scientia Dei respectu factibilium sit practica?

B QVòd non. 2. Met. t. 3. Finis practicæ est opus: nihil autem extra Deum, est finis eius. F

Contra. 6. de Trin. c. vlt. *Est ars quædam omnipotentis atque sapientis Dei, plena omnium rationum viuentium, incommutabilium*: ars est habitus practicus; ergo &c.

Similiter 83. quæstionum q. 46. *Ideæ sunt rationes, secundùm quas formatur omne formabile.*

Et multæ aliæ auctoritates sunt ad hoc.

Quamuis supra in Quæstione de Theologia. Vtrum sit practica vel speculatiua, multùm dictum est de cognitione practica, & speculatiua. Breuiter tamē nunc aliqua applicando ad propositum. Potest dici. Quòd de ratione habitus practici, sunt duo: scilicet conformitas ad praxim: quam conformitatem habet ex obiecto, circa quod est, & prioritas eius naturalis, ad eandem praxim; quia praxis, vt ab ea dicitur operatio practica, est operatio, quç distinguitur à speculatione; nulla autem operatio alia à speculatione, est in potestate speculantis, nisi sit, vel esse possit, naturaliter posterior intellectione, vel speculatione: cognitio autem non ponitur practica in aliquo (vt eius) nisi respectu praxis, quæ est in potestate eius. C

Et ex hoc. Sciendū est vlterius. Quòd licèt cognitio practica, actualissima, & proxima praxi, sit aliqua scientia de praxi elicienda; puta iudiciū de cōclusione syllogismi practici, quç conclusio finis est motus intelligentiæ, licèt ab ea incipit operatio; tñ non solùm ista cognitio est practica, quæ sic est proximè practica, sed etiam cognitio practicorum principiorum, quç virtualiter includit istam, & etiam cognitio quidditatiua terminorum, quç includit principia practica: sicut ibi dictum est.

Quicunque igitur intellectus, non potest habere cognitionem aliquam, dictatiuā de operando, naturaliter priorem dictāte illam praxim, quam respicit talis cognitio, nec potest habere cognitionem principiorum, ex quibus inferat talem cognitionem, dictatiuam operandorum, nec potest habere cognitionem quidditatiuam terminorum, in quibus includuntur talia principia, talis intellectus nō videtur posse habere cognitionem practicam, proprijssimè sumptam, secundùm illas duas conditiones prædictas, scilicet, conformitatem ad obiectum, & prioritatē: sed intellectus Diuinus, comparando cognitionem eius, ad actum voluntatis eius, non præhabet cognitionem dictatiuā aliquam, de aliquo faciendo, nec cognitionem alicuius principij, nec quidditatiuam termini, includentem principium practicum; ergo non habet aliquam cognitionem conformem, & priorem tali praxi. Probatio Minoris. Si ante actum voluntatis Diuinç, posset intellectus Diuinus aliquā talem cognitionē habere, haberet eam merè naturaliter, & necessariò; quia omnis cognitio præcedēs ibi actum voluntatis est merè naturalis, & per essentiā, vt ipsa est ratio merè naturalis intelligendi; de necessitate ergo cognosceret hoc esse faciendum; & tunc voluntas cui offert, nō posset non velle istud; quia tunc posset esse non recta; quia voluntas potens discordare à ratione practica, potest esse non D

recta de necessitate: ergo voluntas Diuina vellet hoc operandum, & per consequens omnia; quia qua ratione esset de vno, eadem ratione & de alio.

Hic instatur. Primò. Quia per istam rationem, intellectus Diuinus non haberet aliquam cognitionem, nisi speculatiuam. Aut enim voluntas necessariò vellet illū intellectum speculari, & tunc non esset libertas prima, ex parte voluntatis: aut posset non velle illum intellectum speculari; & tunc posset esse non recta.

Et præterea. Si primò offeratur intellectui Diuino, aliqua lex vniuersalis; puta omne glorificandum esse gratificandum, & istam acceptat voluntas Diuina, & ex hoc statuitur aliqua lex sapientiæ, & secundò offerat intellectus voluntati, Petrum esse beatificandum; si voluntas istā acceptet, videtur ex hoc, intellectum cognoscere Petrum esse gratificandum, & hoc cognitione dictatiua, nō accepta in se formaliter à voluntate: licèt voluntas verificauerit præmissas, ex quibus intellectus istam habet.

Ad primum istorum. Intellectus Diuinus, ex necessitate naturæ est speculatiuus, & nō est ad hoc formaliter libertas, licèt non sit sine voluntate complacēte. Deus enim necessariò est sciens, non autem voluntate est sciens propriè; sicut necessitate, non voluntate est Deus. G

Quando igitur arguis. Si voluntas non possit non velle intellectum speculari; ergo non est summè libera. Non sequitur. Quia libertas eius non est ad intrinseca, quæ quasi præcedunt actum eius: sed libertas eius est ad omnia factibilia & ideo est necesse ponere primam determinationem in voluntate respectu factibiliū: non sic autem esset, si intellectus practicus prædeterminaret, imò nec ꝓpriè libertas posset saluari in volūtate, respectu factibilium, sed nec contingentia aliqua; quia intellectus necessariò prædeterminaret eam, mera necessitate naturali, & voluntas necessariò conformaret se intellectui: quod autem necessariò, etiam necessitate consequentiæ, est conforme necessariò, non potest esse contingens.

Ad Secundum. Dico, quòd intellectus Diuinus, non sic cognouit aliqua discurrendo, sicut procedit argumentum, sed distinguendo de instanti naturæ, in primo, apprehendit quodcūque operabile, ita vniuersalia principia operabilium, sicut operabilia particularia: & in secundo, offert omnia ista voluntati, quorum omnium aliqua acceptat, tam principiorum practicorum, quàm particularium operabilium: & tunc in tertio signo, intellectus scit æquè immediatè illa particularia, sicut illa vniuersalia; & ita non acquirit cognitionem illorum particularium, ex principijs prædeterminatis per voluntatem. Hoc magis patebit in quæst. de scientia Dei respectu futurorum contingentium. H

Ad auctoritatē Aug. Dico quòd *Ars, est habitus cum vera ratione factiuus*, ex 6. *Eth.* Et prout cōpletè accipitur diffinitio artis, intelligitur ratio recta, hoc est directiua, siue rectificans potentiam aliam, cuius est operari secundùm artem: diminutè autem Ars, est habitus cum vera ratione, quando est tantùm habitus apprehensiuus rectitudinis agendo.

A gendorum, & non habitus directiuus, siue rectificatiuus in agendis. Hoc secundo modo, potest concedi ars in Deo: quia posita determinatione voluntatis eius, respectu quorumcunque operandorum, intellectus eius cognoscit istum ordinem operandorum; & tunc est ibi recta ratio, hoc est, cognoscens rectitudinem; non tamen recta ratio, hoc est, directiua ipsius potentiæ operantis; & hoc maximè si ponatur potentia illa operans extra, esse voluntas, & nō alia alia potentia executiua: quia si poneretur aliqua potentia executiua, alia à voluntate, videtur ibi posse saluari recta ratio, alio modo se habens, respectu illius potentiæ operantis secundùm eam, quàm possit modò saluari, respectu voluntatis. A

Per idem patet ad illud Aug. Quia ideæ sunt obiecta secundaria cognita; (sicut dictum est priùs) secundùm quæ fiūt aliqua extra; non tñ ipsa includunt aliquam notitiam dictatiuam de operando, vel de nō operando, licèt ipsa repræsentent operabilia: sed cognitio operabilis nō est scientia practica, nisi virtualiter includat principiū, vel conclusionem practicā: sic non est de ideis in intellectu Diuino.

DISTINCTIO XXXIX.

B *IN Secunda parte Dist. præcedentis, tractat Magister de infallibilitate scientiæ Diuinæ. Et distinctione Trigesimanona tractat de immutabilitate scientiæ Diuinæ.* F

Quantùm igitur ad istam materiam, prout scientia Diuina, respicit simpliciter existentias rerum. Quæro quinque.

Primò. *Vtrum Deus habeat notitiam determinatam omnium, quantùm ad omnes conditiones existentiæ?*

Secundò. *Vtrum habeat certam notitiam, & infallibilem omnium, quantùm ad omnes conditiones existentiæ?*

Tertiò. *An habeat immutabilem notitiam de omnibus, quantùm ad omnem conditionem existentiæ?*

Quartò. *An necessariò sciat omnem conditionem existentiæ omnium?*

Et Quintò. *Vtrum cū determinatione, & certitudine scientiæ suæ, possint stare aliqua contingentia, ex parte rerum, in existentia.*

C *Et hæc simul quæri possunt, quia per eandem simul soluuntur.*

QVÆSTIO PRIMA.

Vtrum Deus habeat notitiam determinatam omnium, quantùm ad omnes conditiones existentiæ?

ARguo quòd non. Quia secundùm Philosophum 1. periherm. c. vlt. In futuris contingentibus, nō est determinata veritas; ergo nec scibilitas determinata: ergo nec intellectus habet notitiam de eis determinatam.

Confirmatur ratio, per propositionem suam, ibidem. Quia tunc non oportet consiliari, neque negotiari: ita videtur, si est aliqua determinata notitia, de aliquo futuro contingenti, non oportet negotiari, nec præconsiliari; quia siue consiliemur, siue non, hoc eueniet.

D Præterea. Potentia Dei, si esset limitata ad vnam partē, esset imperfecta; quia si Deus ita posset hoc, quòd non posset eius oppositum, esset potentiæ limitatæ, & nō omnipotentiæ; ergo eodem modo, si ita sciat vnam partem, q̄ non aliā, esset limitatus secundùm scientiā, & non omnisciens.

Contra. Hebr. 4. *Omnia nuda, & aperta sunt oculis eius.* Et glo. ibidem dicit, id est, *ex omni parte plenè visa*. Igitur habet certam & determinatam notitiam de omnibus, quantùm ad omne cognoscibile in eis.

ARTICVLVS PRIMVS.

Reijcitur Opinio, affirmans rationem cognoscendi futura contingentia, esse ideas, in intellectu Diuino existentes.

CIrca istam Quæstionem. Ponitur *ab Alber. Mag. dist. pres. art. 4. & D. Tho. 1. par. q. 14. art. 13.* certitudo Diuinæ scientiæ, respectu omnium, quantùm ad omnes conditiones existentiæ, propter ideas, quæ ponuntur in intellectu Diuino: & hoc propter perfectionē earum in repræsentando; quia repræsentant illa quorum sunt, non solùm secundùm se totum, sed etiam secūdùm omnem rationem & habitudinem extremorum; & ita in intellectu Diuino, sunt ratio sufficiens, non tantū simpliciter apprehendendi illa ideata, sed etiam apprehendendi omnē vnionem illorum, & omnem modum ipsorum ideatorum, pertinētem ad existentiam eorum.

Contra. Rationes cognoscendi terminos alicuius complexionis, non sufficienter causant notitiam illius complexionis, nisi illa nata sit cognosci ex terminis, cōplexio autem contingens, non est nata cognosci ex terminis; quia tunc non tantùm esset necessaria, sed etiam prima, & immediata; ergo rationes cognoscendi terminorum, quantumcunque perfectè repræsentent eos, non sunt sufficientes causæ, cognoscendi illam complexionem contingentē. G

Præterea. Ideæ merè naturaliter repræsentāt illud quod repræsentant, & sub naturali ratione, sub qua aliquid repræsentant. Quod probatur ex hoc. Quia ideæ sunt in intellectu Diuino ante omnem actum voluntatis Diuinæ; ita quòd nullo modo sunt ibi per actum voluntatis Diuinæ; sed quicquid naturaliter præcedit actum volūtatis, est merè naturale: accipio igitur duas ideas extremorum, quæ repræsentantur in eis, puta hominis, & albi. Quæro. Aut istæ ex se repræsentant compositionem istorum extremorum, aut diuisionem, aut vtrumque. Si tantùm cōpositionem; ergo naturaliter cognoscit illam, & ita modo necessariò; & per consequens, nullo modo cognoscit diuisionem eodem modo, si tantùm repræsentant diuisionem: si vtrumque; igitur Deus per istas, nihil nouit; quia scire contradictoria esse, vel esse vera, nihil est scire.

Præterea. Eodem modo sunt ideæ possibilium non futurorum; quia differentia ista possibilium non futurorū, à futuris, non est nisi per actum voluntatis Diuinæ, ergo idea futuri possibilis, non magis repræsentat ipsum futurum esse, quàm idea possibilis non futuri. H

Præterea. Non magis repræsentabit idæa futuri, ipsum ponendum esse in hoc nunc, quàm in illo.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Illa sententia, quæ docet ex præsentia temporis ad æternitatem, futura omnia à Deo cognosci, ostenditur esse insufficiens.

ALiter ponitur, *(à D. Tho. 1. par. sum. q. 14. art. 18.)* Quòd certam notitiam habet Deus de futuris contingentibus, per hoc, quòd totus fluxus temporis, præsens est æternitati, & omnia quæ sunt in tempore. Quod probatur per hoc. Quia æternitas est immensa, & infinita; & per consequens, sicut immensum est simul præsens omni loco, ita est æternum simul præsens toti tempori.

A Et declaratur per exempla. Et vnum quidem est de baculo fixo in aqua, iuxta quem baculum, & si totus fluuius fluat succeßiuè; & sic sit præsens baculus succeßiuè omnibus partibus fluuij, non tamen baculus est immensus respectu fluuij, quia non est simul præsens toti; ergo eodem modo, si æternitas esset quoddam stans, sicut baculus iuxta quam flueret tempus, ita quòd nunquam esset simul sibi præsens, nisi vnum instans temporis, sicut hec baculo simul præsens est, nisi vna pars fluuij, æternitas non esset immensa, respectu temporis.

Confirmatur etiam istud. Quia nunc æternitatis, vt est cum nunc temporis, non coæquatur sibi: igitur vt est cum isto nunc, excedit ipsum; non autem excederet ipsum, nisi vt est cum isto nunc, esset simul cum alio.

Confirmatur etiam hoc. Quia si totum tempus, posset simul esse extra nunc æternitatis, esset simul præsens toti isti tempori, sed licèt tempori repugnat propter eius succeßionem simul esse, nihil tamen propter hoc perfectionis tollitur æternitati; ergo ipsa æternitas, modo est æquè præ-
B sens toti tempori, & cuilibet existenti in tempore.

Confirmatur etiam istud per aliud exemplum de cetro in circulo. Quia si poneretur tempus fluens esse circumferentia circuli, & nunc æternitatis esse centrum, quantumcunque esset fluxus in tempore, tamè totus fluxus, & quælibet pars eius, esset semper præsens centro. Ita in proposito. Omnia in quacunque parte temporis habentia existere, siue sint in hoc nunc temporis, siue ipsa sint præterita, siue præsentia, vel futura, omnia præsentia sunt respectu nūc æternitatis; & ita quod est in æternitate, videt ea præsentialiter propter talem coëxistentiam, sicut ego possum videre præsentialiter illud, quod in isto instanti video.

Contra istud arguitur. Primò, reducendo contra eos, quod ibi adducunt, de immensitate. Quia posito, quòd locus possit crescere continuò in infinitum, ita quòd sicut tēpus est in continuo fluxu, ita Deus augeat locum in infinitum; immensitas tamen Dei, non esset sibi ratio coëxistendi alicui loco, in aliquo nunc, nisi existenti. Non enim
C Deus per immensitatem sui, coëxistit alicui in loco, nisi quod est in illo loco, licèt posset causare locum extra vniuersum, & tunc per immensitatem suam coëxisteret illi. Si igitur immensitas, nō est ratio coëxistendi loco, nisi actuali, & non potentiali, quia non est; pari ratione æternitas, non erit ratio coëxistendi alicui, nisi existenti; quia illud quod non est, nulli potest coëxistere: quia coëxistere dicit relationem realem; sed relatio non est realis, cuius fundamentum non est reale.

Item. Si effectus habet esse in seipso, respectu causæ primæ, simpliciter est in se; quia respectu nullius habet verius esse: vnde illud quod dicitur tale respectu causæ primæ, simpliciter potest dici tale; si ergo aliquid futurum sit in actu respectu Dei; ergo simpliciter est in actu: ergo impoßibile est postea ipsum poni in actu.

Præterea. Si seßio mea futura, non tantùm quantum ad entitatem, quam habet in esse cognoscibili, sed etiā quantum ad entitatem, quam habet in esse existentiæ, est nunc præsens æternitati: ergo nūc est producta in illo esse à Deo.
D Nam nihil aliud à Deo, habet esse in fluxu temporis, nisi sit productum à Deo, secundùm illud esse: sed istam seßionem Deus producet, vel animam Antichristi, quod idem est; ergo illud quod iam ab ipso productum est, iterū produceretur in esse: & ita bis produceretur in esse.

Præterea. Ista positio non videtur iuuare ad illud, propter quod ponitur, scilicet ad habendum certam notitiam futurorum. Et primò quidem. Quia ista seßio, præter hoc quòd præsens est æternitati, secundùm quod est in aliqua parte temporis; ipsa tamen est futura in se. Et secundùm hoc, quòd futura est, & à Deo producenda. Quæro. Vtrum habeat certam notitiā eius, aut non? Si sic; igitur hoc non est per hoc, quòd iam existens est, sed secundùm quod futura est: & istam certitudinem oportet ponere per aliquid aliud: & illud sufficit ad omnem cognitionem certam de existentia huius rei. Si non nouit ipsam certitudinaliter sic futuram; ergo producit ipsam non præcognoscens ipsam; cognoscet autem certitudinaliter ipsam cùm fuerit producta; ergo aliter nouit facta, quàm fienda: quod est contra

August. 5. super Gen. 2. Quia intellectus Diuinus nullam E
certitudinē accipit ab obiecto aliquo alio ab Essentia sua: tunc enim vilesceret. Vnde nunc etiā de seßione mea, quæ est nunc in actu posita, non habet intellectus Diuinus certitudinem causatam in ipso, ab ipsa seßione; non enim mouet seßio intellectum eius; ergo eodem modo, omnia temporalia, si sint in existentia sua præsentia æternitati, secundùm illas existentias eorum, non faciunt certitudinem in intellectu Diuino de eis, sed oportet per aliud de eis habere certam notitiam existentijs, & illud aliud, sufficit nobis.

Præterea. Isti ponunt, quòd æuum Angeli, est omnino simplex, coëxistens toti tempori; ergo Angelus, qui est in æuo, præsens est toti fluxui temporis, & omnibus eius partibus; ergo videtur secūdùm illam rationem eorum, quòd Angelus poßit naturaliter cognoscere futura contingētia.

ARTICVLVS TERTIVS.

Contingentiam esse in rebus, & Deum contingenter agere extra, ostenditur. F

CIrca solutionem istius Quæstionis, & sequentiū Quæstionum, sic procedendum est. Primò. Videndum est, quomodo cōtingentia sit? Secundò, qualiter cum hoc stet certitudo, & immutabilitas Diuinæ scientiæ de eis.

Quantùm ad Primum. Dico. Quòd istud disiunctum, necessarium, vel poßibile, est paßio Entis, circumloquens paßionem conuertibilem cum Ente, sicut sunt multa alia illimitata in Entibus; paßiones autem Entis conuertibiles, vt communius, immediatè dicuntur de Ente, quia Ens habet conceptum simpliciter simplicem, & ideo non potest esse mediū inter ipsum, & suam paßionem; quia neutrius est diffinitio, quæ poßit esse mediū: si etiam sit aliqua paßio Entis non prima, difficile est videre per quam priorem, vt per medium, poßit concludi de Ente; quia nec facile est videre ordinem paßionum Entis, nec si ille ordo cognosceretur, viderentur propositiones assumptæ ab eis pro præmissis, esse multùm euidentiores conclusionibus.

In paßionibus autem disiunctis, licèt totū illud disiunctum, nō poßit demonstrari de Ente, tamen communiter G
sumpto illo extremo quod est minùs nobile, de aliquo Ente, potest concludi aliud extremum, quod est nobilius, de aliquo alio Ente: sicut sequitur. Si aliquod Ens est finitum: ergo aliquod Ens est infinitum: Et si aliquod Ens est contingens: ergo aliquod ens est necessarium: quia in talibus nō posset enti inesse particulariter imperfectius extremū, nisi alicui inesset enti perfectius extremum, à quo dependeret. Sed nec isto modo videtur posse cōcludi extremum imperfectius talis distinctionis. Non enim si perfectius est in aliquo Ente, necesse est imperfectius esse in alio Ente: & hoc nisi illa extrema disiuncta, essent correlatiua, sicut causa & causatum.

Igitur non potest ostendi de Ente, per aliquid prius medium disiunctum, hoc scilicet necessarium vel cōtingens: nec etiam ista pars disiuncti, quod est contingens, posset ostendi de aliquo, supposito necessario de aliquo. Et ideo videtur ista. Aliquod Ens est contingens: esse vera primò, H
& non demonstrabilis Propter quid. Vnde Phil. arguens contra necessitatē futurorum, non deducit ad aliquid impoßibilius hypotesi, sed ad aliquid poßibile nobis manifestius, s. quòd nō oporteret nec cōsiliari, nec negotiari. Et ideo negantes talia manifesta, indigent pœna, vel sensu; quia Auic. 1. Met. *Negantes primum principium sunt verberandi, vel exponendi igni, quousq; concedant quod non est idem comburi, & non cōburi; & vapulare, & non vapulare*; & ita et isti qui negant aliquod ens contingens, exponendi sunt tormētis, quousque concedant quod poßibile est eos non torqueri.

Supposito ergo isto, tanquam manifesto vero, quòd aliquod ens est contingens. Inquirendum est. Quomodo poßit saluari contingentia in Entibus.

Et dico. Quòd propter primam rationem factam contra Opinionem Quartæ Quæstionis, quæ magis explicata est dist. 2. in quæst. de esse Dei, quòd nulla causatio alicuius causæ, potest saluare cōtingentiam, nisi prima causa ponatur immediatè contingenter causare, & hoc ponēdo in pri-

A in prima causa perfectam causalitatem, sicut Catholici ponunt: primum autem, est causans per intellectum & volũtatem. Et si ponatur tertia potentia executiua, alia ab istis, non iuuat ad propositum. Quia si necessariò intelligat & velit, necessariò producit.

Oportet ergo contingẽtiã istã quærere in voluntate Diuina, vel in intellectu Diuino: non autem in intellectu, vt habet actum primum, ante omnem actũ voluntatis. Quia quicquid intellectus intelligit hoc modo, intelligit merè naturaliter, & necessitate naturali; & ita nulla contingentia potest esse in sciendo aliquid; quod non scit, vel intelligendo aliquid, quod nõ intelligit tali intellectione prima.

ARTICVLVS QVARTVS.

Præmittuntur scitu quædam necessaria, de nostra voluntate, & eius contingentia.

B PRimam ergo contingentiam, oportet quærere in voluntate Diuina.

Quæ vt videatur qualiter sit ponenda. Primò videndum est in voluntate nostra: & ibi tria.

Primò, ad quæ sit libertas voluntatis nostræ? Secundò, qualiter istam libertatẽ sequatur possibilitas siue contingentia? Et Tertiò, de Logica distinctione propositionum, quõ exprimitur possibilitas siue contingentia ad opposita?

Quantũ ad Primũ. Dico. Quod voluntas, inquantũ est actus primus, libera est ad oppositos actus, libera ẽt est, mediãtibus illis actibus oppositis, ad opposita obiecta, in quæ tendit. Et vlteriùs, ad oppositos effectus quos producit.

Prima libertas habet necessariò aliquam imperfectionem annexam; quia potentialitatem passiuam voluntatis, & mutabilitatem. Tertia libertas non est prima. Quia & si per impossibile, nihil efficeret extra, adhuc in quantũ voluntas, posset liberè tendere in obiecta. Media autem ratio libertatis, ipsa est sine imperfectione, imò necessaria ad perfectionem; quia omnis potentia perfecta, potest tendere in omne illud, quod est natum esse obiectum talis potentiæ; C ergo voluntas perfecta, potest tendere in omne illud, quod natum est esse volibile; libertas igitur prima, sine imperfectione inquantũ est libertas, est ad opposita obiecta, in quę tendit; cui vt sic, accidit vt oppositos effectus producat.

De Secundo Dico. Quòd istam libertatẽ, concomitatur vna potentia (ad opposita) manifesta. Licèt enim non sit in ea potentia ad simul velle, & non velle, quia hoc nihil est; tamen in ea est potentia ad velle post non velle, siue ad successionem oppositorum actuum, & ista potentia etiam est manifesta in omnibus mutabilibus, ad successionẽ oppositorum in eis, tamen est & alia non ita manifesta, absq; omni successione. Ponendo enim voluntatem creatam tãtùm habere esse in vno instanti: & quòd ipsa in illo instãti habeat hanc volitionem, non necessariò tũc haberet eam. Probatio. Si enim in illo instanti, haberet eam necessariò, (cùm nõ sit causa nisi in illo instanti, quãdo causaret eam) ergo simpliciter voluntas, quando causaret eam, necessariò causaret: non enim modò est contingens causa, quia præexistebat ante istud instans, in quo causat; & tunc vt præ- D existens, potuit causare vel non causare; quia sicut hoc ens quando est, est necessarium vel contingens; ita causa quãdo causat, tunc causat necessariò vel contingenter; ex quo igitur in isto instanti causat hoc velle, & non necessariò, ideo contingenter. Est, ergo potentia huius causæ, ad oppositum eius; quod causat sine successione; & ista potentia realis, est potẽtia prioris naturaliter, vt actus primi, ad opposita, quæ sunt posteriora naturaliter, vt actus secundi. Actus enim primus, consideratus in illo instanti; in quo est prior naturaliter actu secundo, ita ponit illum in esse, tanquam effectum suum contingenter, quòd vt prior naturaliter posset æquè ponere aliud oppositum in esse.

Hanc etiam potentiam realem actiuam, priorem naturaliter ipso quod producitur, concomitatur potentia Logica, quæ est non repugnantia terminorum. Voluntati enim vt est actus primus, etiam quando producit hoc velle, non repugnat oppositum velle. Tum quia causa contingens, est respectu sui effectus; & ideo non repugnat sibi oppositum in ratione effectus. Tum quia vt subiectum est, contingenter se habet ad istum actum vt informatur; quia subiecto non repugnat oppositum sui accidẽtis per accidens: libertatem igitur voluntatis nostrę, inquãtum est ad oppositos actus, concomitatur potentia, tàm ad opposita successiuè, quàm ad opposita pro eodem instãti, hoc est, quòd alterutrum possit ponere in esse sine altero: & ista potentia secunda, est causa realis actus priùs naturaliter, quàm Logica; sed quarta potentia non concomitatur istam, scilicet ad opposita simul, quia illa nulla est. E

Ex isto Secundo, patet Tertium, scilicet, distinctio huius propositionis. Voluntas volens A. potest non velle A. Hęc enim in sensu compositionis falsa est, vt significetur possibilitas huius compositionis, voluntas volens A. non vult A. Vera autem est in sensu diuisionis, vt significetur possibilitas ad opposita successiuè, quia volens pro A. potest non velle pro B. Sed si etiam accipiamus propositionem de possibili, vni entem extrema pro eodem instanti, puta istam, Voluntas non volens aliquid pro A. potest velle illud pro A. adhuc ista est distinguenda, secundùm compositionem, & diuisionem: & in sensu diuisionis est falsa, scilicet, quòd sit possibilis, quòd ipsa sit simul volens pro A. & non volens pro A. Sensus verò diuisionis est verus; scilicet vt significetur quòd illi volũtati, cui inest velle pro A. possit inesse non velle pro A. sed non sic simul stabit; scilicet istud non velle, quia tunc illud velle non inesset. F

Et ad intelligendum istam secundam distinctionẽ, quæ est obscurior. Dico: quòd in sensu compositionis, est vna Cathegorica, cuius subiectum est istud, Voluntas non volens pro A. & prædicatum, volens pro A. & tunc, tantùm attribuitur hoc prædicatum possibiliter, huic subiecto cui repugnat, & per consequens, impossibiliter sibi conuenit, quod notatur possibiliter sibi conuenire. In sensu diuisionis, sunt duæ propositiones Cathegoricæ, enunciantes de voluntate duo prædicata. In vna propositione de inesse, enunciatur de volũtate hoc prædicatum, Non velle A. quæ Cathegorica intelligitur per compositionem implicitam: in alia autem Cathegorica de possibili, enunciatur possibiliter velle A. Et istæ duæ propositiones, verificantur pro A. quia significant prædicata sua, attribui subiecto pro eodẽ instanti. Et hoc quidem verum est. Nam voluntati isti, in eodem instanti, conuenit non velle A. cum possibilitate ad oppositum pro A. sicut significat ista de possibili. G

Exẽplum huius distinctionis est, in ista. Omnis homo, qui est albus, currit: quæ posito isto casu, quòd omnes homines albi currant, & non nigri, nec medij, vera est in sẽsu compositionis, & falsa in sensu diuisionis. In sensu cõpositionis, est vna propositio, habens vnum subiectum determinatum, per hoc, qui est albus; in sensu diuisionis, sunt duæ propositiones, enũciantes duo prædicata, de eodem subiecto. Consimiliter in ista. Omnis homo, qui est albus, necessariò est animal: quæ in sensu compositionis, est falsa: quia prædicatum, non necessariò conuenit toti huic subiecto. In sensu verò diuisionis, vera est, quia de eodem subiecto, notantur dici duo prædicata; alterum necessariò, alterum absolutè, sine necessitate; & ambo conueniunt, & ambæ illæ Cathegoricæ veræ sunt. H

Sed contra istam distinctionẽ arguitur tripliciter: quòd ipsa non sit Logica, nec quòd potentia aliqua, sit pro aliquo instanti, ad oppositum eius, quod inest in illo instanti. Primò, per istam propositionẽ 1. Periherm. c. vlt. Omne quod est, quando est, necesse est esse.

Secundò per illam regulam artis obligatorię. Posito falso contingenti, de præsenti, in instanti, negandum est ipsum esse. Quam regulam probat ille per hoc. Quòd illud positum sustinendum est tanquam verum: ergo sustinendum est pro aliquo instanti, pro quo est possibile: non autem est verum possibile, pro illo instanti, pro quo est positum; quia si esset possibile, pro illo instanti; ergo posset esse verum: & tunc, vel per motum, vel mutationem: sed neutro modo; quia motus non est in instanti, nec mutatio est in aliquo instanti, ad oppositum eius, quod tunç inest; quia simul sunt mutatio & terminus mutationis.

Præterea Tertiò. Si pro aliquo instanti sit potentia ap aliquid, cuius oppositum inest aut ista est potẽtia cũ actu,

A aut ante actũ? Nõ cũ actu; patet; nec ante actũ; quia tunc esset ad actũ, pro alio instãti, q̃ pro quo inest illa potentia.

Ad Primum. Respondeo, quòd illa propositio Arist. potest esse Cathegorica, vel Hypotetica: sicut & ista, Animal currere, si homo currit, est necessarium. Hæc quidem, secundùm quod conditionalis est; est distinguenda: secundùm quod necessarium, potest dicere necessitatem consequentiæ, vel consequentis: primo modo est vera; secundo modo est falsa. Secundùm autem quod est Cathegorica, sensus est, hoc totum, Currere, si homo currit, prædicatur de animali, cum modo necessitatis: & Cathegorica est vera; quia prædicatum sic determinatum, necessariò inest subiecto, licèt non prædicatum absolutè. Et ideo arguere à prædicato sic determinato, ad prædicatum absolutè sumptum, est fallacia secundùm quid ad simpliciter. Ita dico hic, quòd si ista propositio Arist. accipiatur vt est hypotetica temporalis; tunc necessitas, aut notat necessitatẽ cõsequentiæ, vel consequentis: vt consequentiæ, vera est; vt consequentis, falsa. Si autem accipiatur vt est Cathego-

B rica, tunc hoc, quod est, quando est, non determinat compositionem implicitam in hoc, quod est, sed compositionẽ principalem, significatam per hoc, quod est esse, & tunc prædicatum hoc, esse, quando est, denotatur dici de subiecto, quod est cum modo necessitatis, & sic est propositio vera. Nec sequitur. Ergo necesse est esse; Sed est fallacia secundùm quid, ad simpliciter: sicut in alio patet. Nullus igitur sensus verus huius propositionis, denotat quòd esse aliquid, in instanti in quo est, sit simpliciter necessarium, sed tantùm quòd sit necessarium secundùm quid, scilicet quando est; & cum hoc stat, quòd in illo instanti, in quo est, sit simpliciter contingens, & per consequens, quòd in illo instanti, posset oppositum illius inesse.

Ad Secundum. Illa regula, est falsa. Et probatio eius, non valet. Quia licèt positum debeat sustineri sicut verũ, potest sustineri pro illo instanti, non negando illud instãs esse, pro quo est falsũ: quia nõ sequitur. Est falsum pro illo instãti, ergo est impossibile: sicut innuit illa probatio. Et cũ

C dicit. Si potest esse verum pro instanti, pro quo est falsum; aut potest verificari pro illo instanti &c. Dico: quòd nec sic, nec sic. Quia ista possibilitas, ad veritatem eius, non est possibilitas aliqua cum successione, vt alterum post alterum insit, sed est potentia ad oppositum huius, quod inest alicui, inquantum est prior naturaliter illo actu.

Ad Tertium. Dico, quòd est potentia ante actum: non ante duratione, sed ante, ordine naturæ; quia illud quod præcedit naturaliter istum actum, vt præcedit actum naturaliter, posset esse cum opposito illius actus. Et tunc negãdum est, quòd Omnis potẽtia est cum actu, vel ante actũ: intelligendo ante, pro prioritate durationis; vera autẽ est, intelligẽdo ante, pro prioritate naturæ. Quod si obijcitur cõtra illud. Quia si potest velle A. pro hoc instanti; & non vult A. pro hoc instanti: ergo potest non-velle A. pro hoc instanti: quia ad illam de inesse, sequitur illa de possibili: & tunc videtur sequi, quòd posset velle A. & non velle A. simul pro eodem instanti.

Ad istud. Respondeo secundùm Philosophum 9. Metaphys. t. 10. & 17. Quòd habens potentiam ad opposita,

D sic faciet, vt faciendi habet potentiam, non autem, vt potẽtiam habet faciendi; ita quòd modus, refertur ad terminũ potentiæ, non autem ad potentiam ipsam; quia simul habeo potentiam ad opposita, sed non ad opposita simul.

Tunc dico. Quòd non sequitur. Potest velle hoc, in instanti A. & potest nolle hoc in A. Ergo potest velle & nolle in A. Quia potest esse potentia ad vtrumque oppositorum disiunctim, pro aliquo instanti, & si non ad ambo illa simul; quia sicut est possibilitas ad vnum illorum, ita est ad non esse alterius; & è conuerso: sicut ad reliquum, ita ad non esse istius. Non igitur simul ad esse huius, & istius oppositi; quia possibilitas ad simultatem non esset, nisi esset ad ambo concurrẽtia in eodem instanti: quod nõ habetur p hoc, quòd ad vtrumq; diuisim, est potẽtia pro isto instãti.

Exemplũ huius, apparet in permanentibus. Hoc corpus potest esse in hoc loco, in A. instanti: & aliud corpus, potest esse in hoc loco, in A. instanti igitur ista duo corpora, esse possunt simul in A. instanti. Nõ sequitur: ita. n. hoc corpus potest esse ibi: quòd potest illud corpus nõ esse ibi: & è

E conuersò. Et ideo non sequitur. Si potentia est ad vtrũq; pro eodẽ, siue in instanti, siue in loco; ergo ad ambo simul: sed fallit, quandocunque vtrũlibet illorũ duorũ, excludit alterũ. Ita ẽt non sequitur. Possum tota die portare istum lapidẽ, sicut portabile aliquid adæquatum virtuti meæ; & possum tota die portare aliũ lapidẽ; ergo possum simul portare ambos: Non sequitur, quia hic vtrũque, ad quod est potentia diuisim, excludit reliquum: simultas autem nunquam posset inferri, ex sola identitate illius vnius instantis, vel loci; sed oportet cum hoc, habere coniunctionem istorum duorum, respectu tertij, quæ dicuntur esse simul.

ARTICVLVS QVINTVS.

Quæ sit libertas Diuinæ voluntatis, & quæ contingentia respectu volitorum?

IVxta prædicta de voluntate nostra, videnda sunt quædã de voluntate Diuina. Et primò. Ad quæ sit libertas

F eius? Secundò. Quæ sit contingentia respectu volitorum? Tertium, scilicet, quantùm ad distinctionem Logicã propositionum, proportionabiliter idem est ibi, & hic.

Quantùm ad Primũ. Dico. Quòd voluntas Diuina, non est in differẽs ad diuersos actus nolẽdi & volẽdi. Quia hoc in voluntate mea, non erat sine imperfectione voluntatis. Voluntas. n. nostra erat libera, ad oppositos actus, ad hoc vt esset libera ad obiecta opposita; & hoc propter limitationẽ vtriusq; actus, respectu sui obiecti; ergo posita illimitatione eiusdem volitionis, ad diuersa obiecta, nõ oportet propter libertatẽ ad opposita obiecta, ponere libertatẽ ad oppositos actus. Ipsa ẽt volũtas Diuina, libera est ad oppositos effectus. Sed hęc nõ est prima libertas: sicut nec i nobis.

Remanet ergo libertas illa, quæ est per se perfectionis, & sine imperfectione; ad obiecta opposita; ita quòd sicut voluntas nostra, potest diuersis volitionibus tendere in diuersa volibilia; ita illa voluntas, potest vnica volitione simpliciter illimitata, tendere in quæcunque volibilia; ita quòd si

G volũtas illa, vel illa volitio, esset tantùm vnius volibilis, & non posset esse oppositi, quod tamen est de se volibile, hoc esset imperfectionis in voluntate; sicut deductum est priùs de voluntate nostra.

Et licèt in nobis posset distingui volũtas, vt est receptiua, & vt est operatiua, & vt productiua; ipsa. n. est productiua actuum, & ipsa est qua habens operatur, formaliter volendo, & ipsa est receptiua volitionis suæ; tamẽ libertas videtur esse eius inquantum est operatiua, inquantũ s. habens eam formaliter, potest ea tendere in obiectum.

Ita igitur ponetur libertas in volũtate Diuina, per se & primò, inquantum est potentia operatiua, licèt ipsa nõ sit receptiua, nec productiua volitionis suæ; & tamen potest saluari in eo aliqua libertas, inquantũ productiua est. Licèt. n. productio in esse existentiæ, non concomitetur necessariò operationem eius; quia operatio est in æternitate, & productio in esse existentiæ, est in tempore; tamen operationẽ eius, necessariò cõcomitatur productio in esse volito. Et tunc non potest potentia illa voluntatis Diuinæ,

H primò quidem esse vt productiua; sed secundùm quid. s. in esse volito; & ista productio, cõcomitatur eã, vt operatiua.

Quantùm ad Secundum articulum Dico. Quòd volũtas Diuina, nihil aliud respicit necessariò pro obiecto, ab Essentia sua. Ad quodlibet igitur aliud, cõtingenter se habet, ita quòd posset esse oppositi; & hoc considerando ipsam, vt est prior naturaliter tendentia in illud obiectum. Nec solùm ipsa, vt volũtas, prior est naturaliter suo actu; sed etiam inquantũ est volens; quia sicut voluntas nostra, vt prior naturaliter suo actu, ita elicit actum illum, quòd possit in eodem instanti elicere oppositum; ita volũtas Diuina, inquantum ipsa est sub volitione, est prior naturaliter tendentia tali, ita tendit in illud obiectum contingenter, quòd in eodem instanti, possit tendere in oppositum obiectum, & hoc, tam de potentia Logica, quæ est, non repugnantia terminorũ, sicut dictum est de voluntate nostra, quã de potẽtia reali, quę prior est naturaliter actu suo.

Viso de contingentia rerũ, quãtum ad existentiam; & hoc,

A hoc, considerando respectu voluntatis Diuinæ. Restat videre Secundum principale. Qualiter cum hoc stat certitudo scientiæ eius. Hoc potest poni dupliciter.

Vno modo per hoc. Intellectus Diuinus, videt determinationem voluntatis Diuinæ, videlicet illud fore pro A. quia voluntas illa, illud determinat fore pro eo: scit enim illam voluntatem esse immutabilem, & nō impedibilem.

Vel aliter (quia ista via videtur ponere quendam discursum in intellectu Diuino, quasi ex intuitione determinationis volūtatis, & immutabilitatis eius, cōcludat hoc fore) potest poni. Quòd intellectus Diuinus, aut offert simplicia, quorum vnio est cōtingens in re: aut si offert complexionem, offert eam sicut neutram, & voluntas eligens vnā partem, scilicet coniūctionem istorum pro aliquo nunc, in re facit illud determinatè esse verū hoc erit pro A. hoc autem existente determinatè vero, Essentia est ratio intellectui Diuino intelligendi istud verum; & hoc naturaliter, quantùm est ex parte Essentiæ: ita quòd sicut naturaliter intelligit omnia principia necessaria, quasi ante actum voB luntatis Diuinæ, quia eorum veritas non dependet ab illo actu, & essent cognita ab intellectu Diuino, si per impossibile non esset volens: ita Essentia Diuina est ratio cognoscendi ea, in illo priori instanti naturæ; quia tūc sunt vera: non quidem quòd illa vera moueant intellectum Diuinū, nec etiam termini eorum, ad apprehendēdum talem veritatem; quia tunc intellectus Diuinus vilesceret, quia pateretur ab alio ab Essentia sua: sed sicut Essentia Diuina est ratio cognoscendi simplicia, ita & complexa talia: tūc autē non sunt vera cōtingentia; quia nihil est tunc, per quod habeant veritatem determinatam, posita autem determinatione voluntatis Diuinæ, iam sunt vera, videlicet pro illo secundo instāti; & hoc idem, erit ratio intellectui Diuino (quod erat in primo) intelligēdi ista, quæ sunt iam vera in secundo instanti, & fuissent cognita in primo instanti, si fuissent in primo instanti.

Exemplum. Sicut si in oculo meo, ex potentia mea visiua, esset vnus actus videndi obiectum, qui semper staret; tunc si ab aliquo præsentatē, nunc sit iste color præsens, & C nunc ille, oculus meus videbit nunc hoc nūc illud, & tamē per eandem visionem, tantummodo erit differētia in prioritate, & posterioritate vidēdi, propter obiectum prius & posterius præsentatum. Et si vnus color fieret naturaliter præsens, & alius liberè, non esset differentia formaliter in visione mea, quin ex parte sua oculus videret naturaliter vtrumque, tamen cōtingenter posset videre vnum, & necessariò aliud, inquantum sibi vnum sit præsens contingēter, & aliud necessariò. Ita vtrolibet istorum modorum, ponitur intellectum Diuinum cognoscere existētias rerū. Patet secundùm vtrumque, quòd est determinatio intellectus Diuini ad illud existens, ad quod determinatur volūtas Diuina, & certitudo infallibilitatis: quia nō potest volūtas determinare, quin intellectus determinatè apprehēdat illud, quod volūtas determinat, & immutabiliter: quia tam volūtas, quàm intellectus sunt immutabiles, ex dist. 8.

Et hoc quantùm ad tres quæstiones primas. Et tamen cum istis, stat contingentia obiecti cogniti. Quia voluntas D volens hoc determinatè, contingenter vult hoc, ex primo articulo.

Quantùm ad Tertium articulum. Vide infra qu. 4.

ARTICVLVS SEXTVS.

Resoluuntur Argumenta, Articulo Secundo pro Opinione adducta.

AD Argumenta pro Secunda Opinione.

Ad Primum. Concedo, quòd immensitas est præsens omni loco; sed non omni loco actuali, & potentiali, sicut argutum est in prima ratione, contra istam Opinionem. Et ita nec æternitas, propter suam infinitatem, erit præsens alicui tempori, nisi existenti.

Per hoc patet ad exēplū illud de baculo in fluuio. Quia enim baculus, non habet vnde posset esse præsens omnibus partibus aquæ, ideo non est immensus, respectu illarū; sed nūc æternitatis, habet quantùm est ex parte sua, quòd præsens esset omnibus partibus temporis, si essent. E

Per hoc ad aliud. Cùm dicitur. Quòd nunc æternitatis, vt coëxistit non æquatur nunc temporis. Verum est: Quia nunc æternitatis, est formaliter infinitum; & ideo excedit formaliter nunc tēporis, non tamen coëxistendo alteri nūc sicut immensitas Dei, præsens huic vniuerso, non coæquatur huic vniuerso; & ideo excedit formaliter, non tamen est alicubi, nisi in hoc vniuerso.

Per idem ad alterum patet. Quia si totum tempus esset simul, æternitas complecteretur illud. Et ita cōcedo, quòd aeternitas, quantùm est ex se, habet infinitatem sufficiētem ad complectendum totum tempus, si totum simul esset. Sed quantūcunque ponatur immensitas à parte vnius extremi, propter quam ipsum posset coëxistere cum quantocunque in altero extremo; cùm coëxistentia dicat relationem realem inter duo extrema, & ideo requirat ambo: propter immensitatem vnius extremi, non potest concludi coëxistentia ad alterum, nisi tantùm ad illud, quod coëxistit, de alio extremo. Et ideo omnia ista argumenta procedunt ex insufficienti, videlicet ex immensitate æternitatis: ex qua non sequitur coëxistentia, quæ dicit relationem ad alterum, nisi habeatur aliquid in altero extremo, quod possit esse terminus coëxistentiæ cum isto fundamento, & tale nō potest esse non ens, quale est oē tēpus, præter psens. F

Aliud exemplum, de centro, & circumferentia: Simpliciter est ad oppositum. Quia si imaginemur lineā rectum, habentem duo puncta, terminantia A. & B. Sit A. punctus immobilis, & B. circumducatur; sicut est de pede circini, vno immobili, alio mobili. B. circumductum, causat circūferentiam, secundùm imaginationem Geometrarum, qui imaginantur punctum fluens, causare lineam. Hoc posito, si nihil remaneat de circumferentia, per fluxum ipsius B. sed tantùm in circūferentia sit punctus iste, ita quòd quādocunque punctus iste desinet esse alicubi, tunc nihil circumferentiæ erit ibi; tunc nunquam circumferentia esset præsens simul centro, sed tantùm aliquis punctus in circūferentia; si tamen tota circumferētia esset simul, tota præsens esset centro. Ita hìc. Cùm tempus, non sit circumferentia stans, sed fluens, cuius circumferentiæ nihil est, nisi instans actu: nihil etiam eius erit præsens æternitati, quæ est quasi centrum, nisi illud instans, quod est quasi præsens & tamē si per impossibile poneretur, ꝙ totū tēpus esset simul stans, totum esset simul præsens æternitati, vt centro. G

Auctoritates omnes Sanctorum, quæ videntur sonare omnia esse præsentia æternitati; intelligendæ sunt de præsentia, in ratione cognoscibilis, & non tantùm cognoscibilis, quasi cognitione abstractiua; sicut rosa non existens, est præsens intellectui meo, per speciem: sed de cognitione vera intuitiua; quia non aliter cognoscit Deus facta, quam fienda: & ita perfectè sunt præsentialiter cognita, ab intellectu Diuino fienda, sicut facta.

Soluuntur argumenta principalia.

AD Argumenta principalia.

Ad Primum. Dico, quòd nō est similis veritas in illis de futuro, sicut in illis de præsenti, & de pterito. In præ- H sentibus quidem & præteritis, est veritas determinata, ita quòd alterum extremum est positum; & vt intelligitur positum, non est in potestate causæ vt ponatur, vel nō ponatur; quia licèt in potestate causæ, vt prior naturaliter est effectu, sit ponere effectum, vel non ponere, non tamen, vt effectus intelligitur iam positus in esse: talis autem nō est, determinatio ex parte futuri; quia licèt alicui intellectui, sit vna pars vera determinatè, & ēt vna pars vera sit in se determinatè, licèt eam nullus intellectus apprehenderet; non tamen ita, quin in potestate causæ sit, pro illo instanti ponere oppositum. Et ista indeterminatio, sufficit ad cōsiliandum, & negotiandum: si autē neutra pars esset futura, non oporteret negotiari, vel consiliari; ergo quòd altera pars sit futura, dum tamen reliqua possit euenire, non prohibet consiliationem & negotiationem.

Ad Secundum. Dico, quòd scientiā esse vnius partis, ita quòd non possit esse alterius, ponit imperfectionem in ea. Similiter & in voluntate: ponere eam esse vnius, ita quòd non

A non poſſit eſſe alterius obiecti volibilis, ponit in ea imper-
fectionem. Tamen ſcientiam eſſe vnius, ita quòd nõ ſit al-
terius, & voluntatem ſimiliter, nullam imperfectionẽ po-
nit; ſicut & potentia eſt vnius oppoſiti, in actu determina-
tè, quòd producit, & non alterius. Diſſimile tamen eſt de
potentia, & ſcientia, & voluntate, per hoc quòd potentia
videtur dici eſſe vnius oppoſiti tantùm, quia tantùm poſſit
in illud, & ſcientia, & voluntas, ita quòd tantùm ſciat, vel
velit illud. Sed ſi accipiatur ſimili modo ex vtraque parte,
æqualis eſt determinatio ex vtraque parte: quia quodlibet
iſtorum, eſt actu vnius oppoſiti, non amborum; quodlibet
etiam iſtorum, poteſt eſſe vtriuſque. Sed potentiã eſſe ali-
cuius, hoc videtur ſignificare potẽtialem habitudinẽ eius
ad illud: Scientiã vel voluntatem eſſe eius, videtur ſignifi-
care actualem habitudinem ad idem. Nihil tamẽ mali ſe-
quitur, ſi ſimili modo accipiatur hinc, & inde. Quia tũc ſi-
cut ad ſcientiam ſcire, & ad voluntatem velle: ita ad potẽ-
tiam producere, nõ autem poſſe producere: & ſicut ad po-
tentiam poſſe producere, ita ad ſcientiam poſſe ſcire, & ad
B voluntatem poſſevelle.

QVÆSTIO SECVNDA.

Vtrum Deus habeat certam notitiam, et infallibilem omnium, quantùm ad omnes conditiones exiſtentiæ?

ARguo quòd non. Quia ſequitur. Deus nouit me
ſeſſurum cras; & nõ ſedebo cras; ergo decipietur:
ergo à ſimili, ſequitur. Deus nouit me ſeſſurum
cras; & poſſum nõ ſedere cras; ergo Deus poteſt
decipi. Prima illatio eſt manifeſta. Quia credens illud, quod
non eſt in re, decipitur. Probo ex hoc, quòd ſecũda conſe-
quentia teneat. Quia ſicut ad duas de ineſſe, ſequitur Cõ-
cluſio de ineſſe, ita ex vna de ineſſe, & altera de poſſibili,
ſequitur Concluſio de poſſibili.
Præterea. Si Deus ſcit me ſeſſurum cras, & poſſibile eſt
me non ſedere cras: ponatur in eſſe, non ſedebo cras: ſequi-
C tur quòd Deus decipitur; ſed ex poſitione poſſibilis ineſſe,
non ſequitur impoſſibile; igitur iſta, Deum decipi, non
erit impoſſibilis.
Ad oppoſitum. Hebr. 4. vt ſupra dictum eſt.
Item. In primo, omnino perfectiſſimo, nulla eſt imper-
fectio; ſed ſi Deus nullam talem notitiam haberet, eſſet
imperfectus; ergo &c.

Concluſio affirmatiua tenenda eſt, & patet ex dictis.

AD primum Argumentum principale.
Dico: quòd licèt ad duas de ineſſe, ſequatur Con-
cluſio de ineſſe; non quidẽ ſyllogiſticè, quia eſt oratio non
ſyllogiſtica, reducibilis in ſyllogiſmos multos; tamẽ ex vna
de ineſſe, & altera de poſſibili, nec ſyllogicè, nec neceſſa-
riò ſequitur Concluſio de poſſibili. Ratio eſt. Quia falli eſt
rẽ opinari aliter eſſe, quàm ſit, pro tunc pro quando credi-
tur eſſe. Iſtud autẽ includitur in illis duabus præmiſſis de
ineſſe, quarum altera ſignificat iſtum credere hoc, & reli-
D qua negat hoc eſſe; & hoc pro eodẽ inſtanti: & ideo ſequi-
tur Concluſio de falli. Non ſic autẽ ex alia parte. Quia illa
de ineſſe, affirmat vnum oppoſitum, pro illo inſtanti: illa
de poſſibili, affirmat potẽtiam ad alterum oppoſitum, pro
eodem inſtanti; non coniunctim, ſed diuiſim: & ideo non
ſequitur pro aliquo inſtanti, quòd poſſit eſſe cõiunctio op-
poſiti in re, ad illud quod creditur: & ideo nõ ſequitur poſ-
ſibilitas deceptionis, quæ includit iſtam coniunctionẽ. Si-
milis eſt ratio in mixtione de cõtingenti & de ineſſe, qua-
re illa non teneat, niſi ſit etiã Minor, de ineſſe ſimpliciter.
Iſta etiam ratio patet. Quia ſi ex oppoſito Concluſionis
arguatur: cum illa de poſſibili, nõ infertur oppoſitum, niſi
alicuius de neceſſario; & ita oporteret Maiorem eſſe reali-
ter eandem, cum illa de neceſſario, ad hoc, vt inferat Con-
cluſionem. Non enim ſequitur, Deus non poteſt decipi, &
A. poteſt non fore; ergo Deus nõ ſcit A. fore. Sed ſequitur,
quòd nõ neceſſariò ſcit A. fore. Quod apparet. Quia ſi in-
tellectus meus, ſemper ſequeretur mutationem in re, ita
quòd te ſedente, opinarer te ſedere, & te ſurgente, opina-
rer te ſurgere, non poſſem decipi: & tamen ex iſtis. Tu ſe- E
des pro A. & non poſſum decipi: non ſequitur, niſi: ergo
non neceſſariò ſcio te ſedere pro A. Ita in propoſito. Licèt
intellectus Diuinus, non ſequatur rem, ſicut effectus cau-
ſam; tamen concomitantia eſt ibi, quòd ſicut res poteſt nõ
eſſe, ita intellectus Diuinus, poteſt non ſcire: Et ideo nun-
quam ſequitur, quòd intellectus Diuinus cognoſcat rem
aliter, quàm eſt. Et ideo nunquam poſſunt ſimul ſtare il-
la, quæ requiruntur ad deceptionem: ſed ſicut res ſcita po-
teſt eſſe, ita Deus poteſt eam ſcire, & ſicut res ſcita poteſt
nõ eſſe, ita Deus poteſt eã nõ ſcire, quodſi nõ erit, nõ ſciet.
Ad Secundum, de illa poſitione poſſibilis in eſſe. Dico,
quòd ex tali poſitione in ſe, nũquam ſequitur aliquod im-
poſſibile; tamen illa de ineſſe, in qua ponitur illa de poſſi-
bili, poteſt repugnare alicui, cui non repugnat illa de poſ-
ſibili, poſita ineſſe; quia antecedens poteſt repugnare ali-
cui, cui non repugnat conſequens; & tunc ex antecedente,
& ſuo repugnante, poteſt conſequi aliquod impoſſibile,
quod non ſequitur ex conſequente ſimpliciter, & eodem,
quia non eſt ſibi incompoſſibile. F
Nec mirum eſt, ſi ex incõpoſſibilibus ſequatur impoſ-
ſibile. Quia ſecundùm Philoſophũ 2. priorum. In Syllo-
giſmo ex oppoſitis, ſequitur Concluſio impoſſibilis. Dico
tunc, quòd poſita iſta in eſſe. Poſſibile eſt me non ſedere.
Ex iſta ſola, nihil impoſſibile ſequitur, ſed ex iſta, & alia,
.ſ. Deus ſcit me ſeſſurum; ſequitur impoſſibile, ſ. Deum fal-
li: & illud impoſſibile, non ſequitur ex impoſſibilitate eius
quod ponitur in eſſe; nec etiam ex impoſſibilitate aliqua,
quæ eſt abſolutè in ea, ſed ex ipſa, & quodam alio ſimul,
quod eſt incompoſſibile. Nec hoc eſt inconueniens, quòd
illud quod eſt impoſſibile, ſequatur ex aliqua de ineſſe, in
qua ponitur alia de poſſibili, & aliqua de ineſſe. Quia cum
iſta. Ego ſedeo ſtat iſta, Poſſibile eſt me ſtare: Illa tamen
de ineſſe, in qua ponitur illa de poſſibili, repugnat illi alte-
ri de ineſſe: & ex illis duabus de ineſſe ſequitur impoſſibile
iſta. ſ. Stãs eſt ſedẽs; nec tamẽ ſequitur, Ergo illa quæ poneba-
tur de poſſibili ineſſe, fuit falſa, ſed vel illa fuit falſa, vel alia
cũ qua ſua de ineſſe accipitur, eſt incõpoſſibilis ſuæ de ineſſe. G

QVÆSTIO TERTIA.

An habeat Deus immutabilem notitiam de omnibus, quantùm ad omnem conditionem exiſtentiæ?

ARguo quòd non. A contradictorio ad contradi-
ctoriũ non poteſt eſſe tranſitus, ſine aliqua mu-
tatione; quia ſi nulla ſit oĩno mutatio, nõ vide-
tur aliquomodo, quòd illud, quod priùs fuit ve-
rũ, ſit modo falſum: igitur ſi Deus ſciens A. poteſt neſcire A.
hoc videtur per aliquam mutationem poſſibilem; non niſi
in ipſo A. vt ſcitum à Deo; quia nullum eſſe habet, niſi in
ſcientia Dei: & per conſequens, eius mutatio non poteſt
eſſe ſine mutatione ſcientiæ Dei; quod eſt propoſitum.
Pręterea. Quicquid non eſt A. & poteſt eſſe A. poteſt in-
cipere eſſe A. Quia non videtur eſſe intelligibile, quòd
affirmatio negationis, quæ non ineſt, poſſit ineſſe, niſi in-
cipiat eſſe; ergo ſi Deus non ſcit A. & poteſt ſcire A. poteſt
incipere ſcire A. ergo poteſt mutari ad ſcire A. H
Præterea Tertiò. Si Deus non ſcit A. & poteſt ſcire A.
Quæro. Quæ eſt iſta potentia? Aut eſt paſſiua; & tunc eſt
ad formam, & ſequitur mutatio; aut eſt actiua; & patet
quòd naturalis; quia intellectus vt intellectus, nõ eſt liber,
ſed naturaliter agẽs; talis aũt potẽtia, nõ poteſt agere, poſt-
quam nõ egit, niſi mutetur; igitur (vt priùs) ſequitur mutatio.
Oppoſitum patet ſupra, ex diſt. 8. Quòd nihil eſt in Deo
mutabile.

Concluſio affirmatiua patet, ex dictis Quæſtione prima.

AD primum Argumentum. Concedo Maiorem, quòd
non eſt tranſitus ſine mutatione. Sed in minori. Di-
co, quòd hîc nullus eſt tranſitus, nec eſſe poteſt; quia tran-
ſitus non poteſt eſſe ſine ſucceſſione, ita quòd oppoſitum
ſuccedat oppoſito; talis autem non poteſt eſſe in propoſi-
to. Sicut enim non poſſunt ſimul ſtare, ſcire, & non ſcire;
ita

A ita non poteſt ſimul ſtare, quòd aliquando ſciat, & aliquãdo non ſciat: ſine quo tranſitu, ab oppoſito in oppoſitum ſuccedens, non eſt mutatio.

Et ſi tu quæras. Saltem ſi poteſt non ſcire B. quod ſcit aliquid; ergo aliter ſe haberet. Quæro quid eſt illud? Dico quòd B. in eſſe cognito: Non tamen aliter, quàm priùs ſe habuit, ſed aliter, quàm nunc ſe habet: ita quòd iſtud, Aliter, eſſet nõ alicuius ſuccedẽtis oppoſiti ad oppoſitũ, ſed eſſet alterius oppoſitorũ, quod in eodẽ inſtãti poſſet ineſſe, in quo ſuũ oppoſitũ ineſt, & hoc nõ ſufficit ad mutationẽ.

Ad Secundum. Dico, quòd iſta conſequentia non valet. Non ſciens A. poteſt ſcire A. ergo poteſt incipere ſcire A. Et hoc quando eſt potentia præcisè alicuius prioris naturaliter, ad oppoſitum poſterioris, pro eodem inſtãti, pro quo, & in quo, habet hoc poſterius contingenter eſſe; ſicut eſt in propoſito. Tenet tamen gratia materiæ, in creaturis, vbi eſt poſſibilitas ad oppoſita ſucceſſiuè. Sed licèt illa nõ eſſet, adhuc tamen eſſet poſſibilitas ad vtrumque illorum, pro vno inſtanti.

B Ad Tertium. Poteſt cõcedi, quantùm ad iſtud argumẽtum, quòd iſta potẽtia ad oppoſita, ſit potentia actiua, puta, quòd intellectus Diuinus, inquantum eſt actu, per Eſſentiam, & per actualem intellectionem infinitam, ſit potentia actiua, reſpectu quorumcunque obiectorum, quæ producit in eſſe intellecto.

Et cùm dicitur. Igitur ipſa nõ poteſt agere circa aliquid circa quod priùs non egit, niſi priùs mutetur. Dico. Quòd conſequentia non valet, quando agens requirit obiectum circa quod agat; Sicut in agentibus creatis, non oportet, quòd agens ſi de nouo agat, quòd mutetur, ſi de nouo appropinquetur ſibi paſſum, in quod agat. Ita in propoſito. Voluntas Diuina, determinans fore aliquid oſtenſum ab intellectu, facit cõcluſionem talem eſſe veram, & ideo intelligibilẽ; & ex hoc iſtud eſt præſens intellectui, in ratione obiecti. Et ſicut voluntas poteſt facere iſtud volitũ, & non facere, ita poſſet eſſe verum, & non verum, & ita poteſt cognoſci, & non cognoſci ab iſto intellectu naturali, non quidem propter aliquam contingentiã, quæ quidem

C ſit priùs in iſto agente naturali, ſed propter cõtingentiam ex parte obiecti, quod contingenter eſt verum, propter actum voluntatis verificantis.

Et ſi obijcias. Quòd adhuc non poteſt eſſe ſine mutatione, ſaltẽ in obiecto intellecto, ſicut nec illa approximatio, paſſi naturalis ad agens naturale, poteſt eſſe ſine mutatione paſſi, & fortè ipſius agentis approximãtis. Reſpõdeo. Quòd obiectum iſtud, non mutatur in iſto eſſe, quia non poteſt eſſe ſucceſſiuè ſub oppoſitis, contingenter tamẽ eſt in iſto eſſe; & hæc contingentia, eſt à parte voluntatis, producentis ipſum in tali eſſe; & iſta contingentia voluntatis, poteſt eſſe ſine mutatione voluntatis; ſicut declaratum eſt in Primo articulo ſolutionis.

QVÆSTIO QVARTA.

An Deus neceſſariò ſciat omnem conditionem exiſtentiæ omnium?

D QVòd ſic. Quia Deus immutabiliter ſcit A; ergo neceſſariò per A. intelligit Antichriſtum fore. Probatio conſequentiæ. Primò. Quia non ponitur in Deo neceſſitas, niſi immutabilitas; ergo quicquid eſt in eo immutabiliter, neceſſariò eſt. Secundò. Quia omne immutabile, videtur eſſe neceſſarium formaliter; ſicut omne poſſibile, quod repugnat neceſſario, videtur eſſe mutabile; omne enim tale poſſibile, ex ſe non eſt, & ab alio poteſt eſſe; ipſum autem eſſe poſt non eſſe, ſiue ordine durationis, ſiue ordine naturæ, non videtur poſſe eſſe ſine aliqua mutabilitate.

Præterea. Quicquid poteſt eſſe in Deo, poteſt eſſe idem Deo, & per cõſequens Deus; ſed quicquid poteſt eſſe Deus de neceſſitate eſt Deus; quia Deus eſt immutabilis; ergo quicquid poteſt eſſe in Deo, de neceſſitate eſt Deus: ſcire autem A. poteſt eſſe in Deo; ergo de neceſſitate eſt Deus: & per conſequens, ſimpliciter neceſſariò ſcit A.

Præterea. Omnis perfectio ſimpliciter, abſoluta, de neceſſitate ineſt Deo; ſcire autẽ A. eſt perfectio ſimpliciter; E quia alioquin eſſet Deus imperfectus, ſi neſciret A. formaliter; quia non eſſet imperfectus, niſi propter carentiam perfectionis ſimpliciter; ergo neceſſariò ſcit A.

Oppoſitum. Si Deus neceſſariò ſciret A. ergo A. eſſet neceſſariò ſcitum; ergo neceſſariò verum; conſequens eſt falſum; ergo & antecedens.

Quædam Poſitio dicit. (*D. Tho. 1. par. ſum. q. 14. art. 13. in ſolut. princ. & Gotfr.* Quòd licèt aliqua reſpectu ſcientiæ Diuinæ, ſint neceſſaria, tamen non ſequitur, quin reſpectu cauſarum proximarum, poſſint eſſe contingentia.

Et confirmatur per Boetium 5. conſolationum c. vlt. ſiue proſa ſexta, vbi dicit ſic. *Si dicas. Quod euenturum Deus videt, illud non euenire non poſſit; quod autem non poteſt non euenire, illud neceſſitate contingere; neque ad hoc nomen neceſſitatis adſtringas Reſpondebo. Idẽ futurũ cum ad Diuinam notitiam refertur, eſt neceſſariũ, cùm verò in ſua natura penditur, liberũ prorſus eſt, & à vinculis neceſſitatis abſolutum.*

Pro hoc etiam arguitur. Quia imperfectio, poteſt ineſſe F effectui à cauſa proxima, licèt nõ à cauſa remota ſiue priori: ſicut deformitas, eſt in actu, à voluntate cauſata, nõ autem inquantum eſt à voluntate Diuina: ideo peccatũ non reducitur in Deum, vt in cauſam, ſed tantùm imputatur voluntati creatæ: licèt ergo, quantùm eſt ex parte Dei, qui eſt cauſa remota, eſſet neceſſitas rerum, tamen ex cauſis proximis earum, poteſt eſſe contingentia in eis.

Contra iſta, argutum eſt diſt. 2. Vbi probatum eſt Deũ eſſe intelligentem, & volentem; alia exiſtere contingenter per contingentiam rerum; quia nulla cõtingentia poteſt eſſe, in cauſatione alicuius cauſæ, reſpectu ſui effectus, niſi prima cauſa contingenter ſe habeat, ad cauſam proximam ſibi, vel ad ſuum effectum.

Quod nunc probatur breuiter, ex hoc. Quòd cauſa mouens inquantum mota, ſi neceſſariò mouetur, neceſſariò mouet; quælibet igit᷑ cauſa ſecũda, quæ producit inquantũ mota à prima, ſi neceſſariò mouetur à prima, neceſſariò mouet proximã ſibi, vel producit ſuũ effectũ; tota ergo ordinatio cauſarũ, vſq; ad vltimũ effectũ, neceſſariò produceret, ſi habitudo primę cauſę ad ſibi ꝓximã, ſit neceſſaria. G

Præterea. Cauſa prior, priùs naturaliter ſimpliciter reſpicit effectum ſuũ, quàm cauſa poſterior: ergo in illo priori, ſi habet neceſſariam haditudinem ad ipſum, dabit ſibi eſſe neceſſariò. In ſecũdo autem inſtanti naturæ, non poteſt cauſa propinqua dare ſibi eſſe contingens; quia iã pręintelligitur habere à prima cauſa eſſe, repugnans contingentię. Nec poteſt dici. Quòd in eodem inſtanti, iſtæ duæ cauſæ, dant eſſe cauſato. Quia ſuper illud eſſe, non poſſet fundari neceſſaria habitudo, ad illã cauſam, perfectè dantem eſſe, & contingens habitudo, ad aliquam aliã cauſam.

Præterea. Quicquid producitur à cauſis poſterioribus, poteſt immediatè produci à prima; & tunc haberet eandẽ entitatem, quam modò habet; & tunc eſſet contingens, ſicut & modò eſt contingens: habet ergo contingentiã ſuã & modò à cauſa prima, & non tantùm à cauſa prima.

Præterea. Deus multa ꝓduxit immediatè, & producit: ſicut creauit mundũ, & nũc creat aĩas, & tñ oĩa cõtingẽter.

Quantùm ad hanc Quæſtionem. Videtur fortaſſe diſtinguendũ (*vt S. Bonau. lib. 1. d. 36. art. 2. qu. 2.*) de iſta. Deus neceſſariò ſcit A. Secundùm compoſitionem, & diuiſionẽ vt in ſenſu compoſitionis, notetur neceſſitas ſcientiæ, vt tranſit ſuper iſtud obiectum: Et in ſenſu diuiſionis, notetur neceſſitas ſcientiæ abſolutè, quæ tamen tranſit ſuper hoc obiectum. Primo modo eſt falſa, ſecundo modo vera.

Tamen diſtinctio non videtur Logica. Quia quando actus tranſit ſuper obiectum, non videtur diſtinguendum de illo actu abſolutè, vel vt tranſeunte ſupra obiectũ, puta, ſi dicam: Video Sortem: quòd diſtinguatur de viſione, prout tranſit in Sortem; vel de viſione abſoluta, quæ tamẽ eſt Sortis. Et ſicut nõ eſt ibi diſtinctio i ꝓpoſitione de ineſſe, ita nec in propoſitione de modo videtur diſtinctio, ſed tantũ videt᷑ neceſſaria, ſi actus trãſit in obiectũ neceſſariò.

Et ita videtur, iſta ſimpliciter neganda. Deus neceſſariò ſcit A. Pro eo, quòd hoc prędicatum, ſic determinatum, nõ neceſſariò conuenit huic ſubiecto, licèt prædicatum non determinatum conueniat.

Contra

A Contra hoc obijcitur. Quia actus rationalis, nõ distrahitur per materiam, super quã transit: ita enim est simpliciter dicere, quòd transit super me nihil dicere, sicut quòd trãsit super me aliquid dicere: & ideo ita sequitur Dico me nihil dicere; ergo dico: sicut sequitur, Dico me aliquid dicere; ergo dico: ergo in Deo, scire, nõ distrahitur per materiam, super quam transit, quin sit æqualis necessitas.

Ad istud. Dicendum, Quòd licèt non distrahatur, quod stet secundùm quid; tamen potest non esse necessitas eius, vt significatur transire super materiam, licèt sit necessitas eius in se; & hoc maximè, si sit actus, potẽs respicere diuersa obiecta: sicut si haberem actum loquendi, eundẽ virtuti motiuæ, & ille actus possit transire super diuersa obiecta contingenter: licèt necessariò haberem actum, sicut potẽtiam, non tamen necessariò haberem actum, vt transeuntẽ super tale obiectum: & ideò non sequeretur hìc. Necessariò dico; ergo necessariò dico istud, Imò posset esse necessitas dictionis in se, cũ cõtingentia respectu huius obiecti; & tamen dictio huius obiecti, esset simpliciter dictio: B ita quòd non dictio secundùm quid.

Ad argumenta huius Quæstionis.

Ad Primum. Nego consequentiam.

Ad primam probationem. Dico, quòd si non sit in Deo necessitas alia quàm immutabilitatis, hoc est, nõ alius modus necessitatis illorum, quos assignat Philosophus 5. Metaph. t. 6. nisi quartus, secundùm quod est, non contingere aliter se habere, quia alij modi necessitatis requirunt imperfectionem sicut necessitas coactionis, & cæteri; tamen nõ est ibi sola necessitas immutabilitatis, sic, quòd immutabilitas ex se, sit necessitas. Quia immutabilitas ex se, non priuat nisi possibilem successionem oppositi ad oppositũ. Necessitas autem simpliciter, priuat absolutè possibilitatẽ huius oppositi, & nõ tantùm successionem huius oppositi, sicut hìc. Et ideò non sequitur. Oppositum non potest succedere opposito: ergo oppositum non potest inesse.

Ad secundam probationem. Dico, quòd licèt omne esse existentiæ possibile, fortè sit mutabile, ponẽdo creationẽ, C secundùm intellectum Auic. etiam ab æterno, esse mutationem; tamen in esse intellecto siue volito, quod est esse secundùm quid, non oportet quòd omnis possibilitas, quæ repugnat necessitati ex se formaliter, concludat mutabilitatem. Quia istud esse, non est esse reale, sed reducitur ad esse alicuius realis, secũdùm se necessarij: propter cuius alterius necessitatem, non potest esse hic mutabilitas; & tamen illius alterius necessitas ex se, non conuenit huic formaliter: & ideò istud, non est ex se formaliter necessariũ; quia non habet esse extremi quod respicit, realiter: nec tamen est mutabile; quia secundùm illud esse diminutum, respicit extremũ immutabile, & mutatio in aliquo, inquãtum respicit aliud, non potest esse sine mutatione in illo.

Ad Secundum argumentum. Dico, quòd aliquid potest inesse Deo dupliciter: vel formaliter, vel inesse subiectiuè. Sicut Logicæ prædicatũ quodcunque, dicitur inesse subiecto. Primo modo, cõcedo Maiorem; quia omne tale est Deus, & idẽ Deo necessariò. Secundo modo, non: sicut appellatio relatiua potest in esse Deo, secundùm quod Deus D videtur Dominus, ex tempore; & tamen ista appellatio, nõ significat aliquid idem Deo, ita quòd necessariò sit idem Deo, vel idem quod ipse Deus; quia tunc non esset ex tempore. Modò dico. Quòd Deum scire B. ratione huius, quod est scire absolutè, est scire formaliter, & est in Deo formaliter: sed ratione scire, vt est huius termini, non inest Deo, nisi secundo modo: est enim huius termini, quia hoc scitũ, habet respectum ad scientiam Diuinam, & per hoc aliqua appellatio relatiua inest Deo, sicut prædicatum subiecto.

Ad Tertium. Dico, quòd nulla perfectio simpliciter in Deo, dependet à creatura: nec etiam necessariò simpliciter cõexigit creaturam, in quocunque esse. Et ideò Deũ scire B. prout intelligitur non tantùm scire absolutè, sed etiam prout transit super ipsum B. non est perfectio simpliciter, sed perfectio simpliciter cum addito, quod necessariò concomitatur perfectionẽ simpliciter. Tunc dico. Quòd Maior illius argumenti, est vera, de perfectione illius scientię, absolutè sumpta: sic autẽ Minor est falsa. Et probatio eius non probat, nisi quòd ad perfectionem simpliciter, consequitur necessariò, quòd sit talis obiecti; quia consequitur E necessariò, quòd habeat aliquem talem respectum, ad talem perfectionem simpliciter; cùm tamen nec ex tali respectu alterius ad ipsum, nec ex appellatione relatiua eius sit perfectio simpliciter in eo.

Ad Primum pro Opinione Boët. Exponit se ibidẽ statim, immediatè post: distinguit de necessitate consequentis, & necessitate consequentiæ. Per hoc. Concedo quòd contingentia, relata ad Diuinam scientiam, sunt necessaria, necessitate cõsequentiæ, hoc est, ista consequẽtia est necessaria. Si Deus scit illa esse futura, illa erũt: nõ tamẽ sunt necessaria, necessitate absoluta, nec necessitate cõsequẽtis.

Ad aliud. Dico, quòd contingentia non est tantùm priuatio, vel defectus entitatis, sicut est deformitas in actu secundo, qui est peccatum: imò contingentia est modus positiuus entitatis, sicut necessitas est alius modus; & omne positiuũ quod est in effectu, principaliùs est à causa priore. Et ideò non sicut deformitas est ipsius actus à causa secũda, & non à causa prima, ita est contingentia; imò contingentia per priùs est à causa prima, quàm secunda. Propter F quod, nullum causatum esset formaliter contingens, nisi à causa prima contingenter causaretur; sicut ostensum est.

QVÆSTIO QVINTA.

Vtrum cum determinatione & certitudine scientiæ suæ, possint stare aliqua contingentia, ex parte rerum, in existentia?

QVòd non. Quia sequitur. Deus scit A. ergo necessariò erit. Antecedens est necessarium. Probatio consequentiæ. Quia actus rationalis, nõ distrahitur propter materiam, super quã trãsit: sicut loqui, non distrahitur, si transeat super hoc, quod est me nihil loqui. Sequitur enim. Dico me nihil dicere: ergo aliquid dico. Ergo à simili, scire, non distrahitur propter materiam, super quam transit; ergo cùm scire Dei, sit simpliciter necessarium, non distrahitur ab hac necessitate, propter hoc, quod transit super contingens. G

Præterea. Omne scitum à Deo fore, necessariò erit: A. est scitum à Deo fore; ergo &c. Maior est vera; prout est de necessariò; quia prædicatum de necessitate inest subiecto. Et Minor est de inesse simpliciter; quia pro æternitate vera; ergo sequitur Conclusio de necessariò.

Oppositum. Ens diuiditur in necessarium & contingens; ergo intellectus intelligens ista, secundùm rationes suas proprias, intelliget hoc, vt est necessarium, & illud vt contingens; alioquin non intelligeret ista, vt sunt talia entia; & per consequens, illa scientia, non tollit contingentiam ab eo, quod est scitum.

Respondeo. Cũ determinatione & certitudine scientiæ Diuinæ, potest stare cõtingẽtia ex parte rerũ in existentia.

Ostensa est hæc Conclusio sufficienter, in declaratione Primæ Quæstionis.

Ad Argumenta huius Quæstionis.

Ad Primum. Dico, quòd Antecedens non est necessarium simpliciter.

Et cũ probat. Quia actus rationalis nõ distrahitur, propter quãcunq; materiã, &c. Responsũ est ad illã ꝓpositionẽ, in argumẽto facto cõtra solutionẽ huius Quæstionis. H

Ad Secundum. Dico, quòd illa mixtio non valet, nisi illa minor sit de inesse simpliciter; & hoc non tantũ quòd sit vera pro omni tempore, sed quòd sit necessariò vera; & fortè oportet, quod significet sumptum sub, per se contineri sub medio. Sufficit ad propositum, quòd oportet eam necessariò esse veram. Et quòd hoc requiratur. Patet in ista instantia. Omne quiescens, de necessitate non mouetur; lapis in centro terræ est quiescens; ergo de necessitate non mouetur. Conclusio non sequitur; & tamen Minor semper est vera: non tamen necessariò vera. Ita est in proposito. Licèt illa minor de inesse, sit simpliciter vera; non tamen est necessariò vera: potest enim Deus non scire A. sicut potest non velle A. propter contingentiam, quæ primò est in voluntate ad obiecta secundaria, & ex hoc concomitanter in intellectu; sicut priùs expositum est.

DISTIN-

A DISTINCTIO XL. E

QVÆSTIO VNICA.

Vtrum prædestinatus possit damnari?

QVòd non. Omne præteritum, est simpliciter necessariũ: quia secundùm Philosophum 6. Ethic. *Hoc solo priuatur Deus, i. genita facere, quæ facta sunt*: sed prędestinatio huius prędestinati, transiuit in præteritum: quia Deus prædestinauit istum ab æterno; ergo est simpliciter necessarium; ergo non potest Deus non prædestinasse: & per consequens, non potest iste damnari.

Præterea. Si prędestinatus posset damnari, hoc non esset nisi per actum suum; ergo per actũ voluntatis creatæ, posset impediri actus voluntatis Diuinę: quod est impossibile.

B Contra. Si non, non esset solicitandum alicui, de obseruantia præceptorum, & consiliorum: quia qualitercunque operaretur, saluaretur, si est prædestinatus: & qualitercunque bene viueret, si non est prædestinatus, damnaretur. Frustra ergo ponitur tota lex Diuina.

Ad istam Quæstionem. Dico. Quòd prædestinatio propriè sumpta, dicit actum volũtatis Diuinæ, videlicet ordinem electionis, per voluntatẽ Diuinã alicuius creaturæ intellectualis vel rationalis, ad gratiã & gloriam: licèt posset accipi pro actu intellectus, concomitante istam electionẽ. Sicut igitur in generali dictum est de libertate, & contingentia voluntatis Diuinæ, respectu quorumcunque obiectorũ secundariorum specialium; ita dicẽdum est, respectu huius obiecti secundarij, s. velle huic gratiam, & gloriam.

Ex hoc dico. Quòd propter illa, quæ dicta sunt in q. præcedente, q̃ Deus contingenter prædestinat illũ, quẽ prædestinat, & pôt non prędestinare: non simul ambo opposita, nec successiuè, sed vtrumq; diuisim, in instanti æternitatis.

C Consimiliter dico ad Quæst. in se. Quòd iste qui est prędestinatus, potest damnari. Non. n. propter eius prædestinationẽ, est voluntas eius confirmata, & ita pôt peccare; & ita pari ratione, in peccato stare finaliter, & ita iustè damnari: sed sicut potest damnari, ita potest non prædestinari.

Quantùm autem ad Logicam. Propositio proposita distinguenda est, secundùm compositionem, & diuisionem. Et in sensu compositionis, per se extremum est homo, vel persona prædestinata, sub ista determinatione, prędestinatum. Et iste sensus, falsus est. In sensu autẽ diuisionis, sunt duæ Cathegoricæ: & enunciatur de persona aliqua beatificabili, in vna Cathegorica, esse prędestinatum, & in alia, posse damnari. Et ista duo, sunt vera de eodem subiecto: nec ita vera, quòd simul possunt esse opposita: nec etiam quòd vnum possit succedere alteri: quia in æternitate est vtrumque: sed vera simul inquantum volitio Diuina consideratur, vt prior naturaliter transitu ipsius, super illud obiectum, quod est gloria iusti. In illo priori, naturaliter non repugnat sibi esse oppositi obiecti; imò posset æqualiter esse oppositi, licèt non simul amborum.

Ad Primum argum. Dicò, quòd argumentum procedit ex falsa imaginatione, cuius imaginationis intellectus, iuuat ad intelligendum veritatem propositæ quæst. Si enim per impossibile, intelligeremus Deum adhuc nõ determinasse voluntatem suam, ad alteram partem, sed quasi deliberaret, vtrũ vellet istum prædestinare, aut non; benè posset intellectus noster capere, quòd cõtingenter ipsum prædestinaret, vel nõ prædestinaret; sicut patet in actu voluntatis nostræ: sed quia semper recurrimus ad actum volũtatis Diuinæ, quasi præteritum, ideo quasi non concipimus libertatem in voluntate illa ad actum, quasi iam sit positus absolutè à volũtate. Sed ista imaginatio falsa est. Illud enim nunc ęternitatis, in quo est iste actus, semper præsens est. Et ita intelligendum est de voluntate Diuina, siue volitione eius, vt est huius obiecti, sicut si per impossibile, nũc inciperet Deus habere velle, in isto nũc: & ita liberè potest Deus in nunc æternitatis velle, quod vult, sicut si ad nihil esset voluntas sua determinata. F

Tunc dico ad formam argumenti, quòd prædestinatio huius, non transit in præteritũ. Licèt enim ipsa coëxtiterit præteritis, quæ transierunt, nõ tamen ipsa præterijt, si alia præterierunt, quæ coëxtiterũt sibi: vnde sicut dictum fuit dist. 9. verba diuersorum temporum, dicta de Deo, prout verissimè competunt sibi, non consignificant partes temporis mensurãtis actum illũ, sed consignificant nunc ęternitatis, quasi mẽsurans illum actum, inquantũ coëxistens illis pluribus partibus tẽporis. Et ideò idem est Deum prædestinare, & prædestinasse, & prædestinaturum esse: & ita contingens vnũ, sicut aliud: quia nihil est nisi nunc ęternitatis, mensurans illum actũ: quod nec est præsens, nec præteritum, nec futurum, sed coëxistens omnibus istis. G

Ad Secundũ. Dico, quòd voluntas creata, nõ potest impedire ordinationẽ voluntatis Diuinæ. Nã impedire esset, si staret propositũ voluntatis Diuinę, & oppositũ eueniret per voluntatẽ creatam: hoc autem est impossibile: quia sicut voluntas creata, potest mereri damnationem, ita etiam potest cõcomitanter sequi, quòd voluntas Diuina nõ præordinauerit ipsum ad gloriam: vnde dictum est dist. præcedẽte, in solutione primi argumenti ad secundam quæst. quòd Deus non potest falli, quia non potest stare intellectio eius, respectu actus, cum opposito illius: ita non potest impediri voluntas eius; quia nõ potest stare ordinatio sui, cum opposito eius quod ordinauit.

D DISTINCTIO XLI. H

QVÆSTIO VNICA.

Vtrum sit aliquod meritum prædestinationis, vel reprobationis?

QVòd sic. Quia si sola voluntate, absque aliqua alia ratione, hunc prędestinaret, & illum reprobaret; igitur non videtur esse summè bonus; quia non summè liberalis, nec cõmunicatiuus: posset enim bonum suum æquè communicare illi, quem non prædestinauit, ex quo sine omni ratione in alio ipsum prædestinat, ex sua liberalitate sola; & ita posset istum prædestinare.

Præterea. Si duo æquales in naturalibus apprehẽdãtur, ab intellectu suo, & solo actu volũtatis suæ, sine alia ratione ex parte eorum, istum reprobat, & illũ prædestinat: igitur videtur acceptator personarũ; quia æquales, quantùm ex parte sua, & ad finem æqualiter ordinabiles, non æqualiter amat ad istum finem: hoc videtur acceptare personã, præferendo eam alteri, ad illum finem, ad quẽ non est magis ex se præferenda; sed consequens est impossibile, & cõtra Petrum Act. 10. *In veritate comperi, quia non est personarum acceptator Deus.*

Contra Rom. 9. *Cum enim nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali; vt secundum electionem propositũ Dei maneret, nõ ex operibus, sed ex voluntate.* &c. Quære ibi.

A Præterea. Ibidem exemplificat de figulo, qui de eadem massa potest formare vnum vas in fauorē, & aliud in contumeliam. Ex quo videtur arguere à simili, de prędestinatione huius, & reprobatione alterius.

ARTICVLVS PRIMVS.

Duæ Opiniones, de proposita Quæstione, examinantur.

Circa istam Quęstionē. Sensit Aug. aliquando. Quòd etsi bona opera, in præscientia Dei, non sunt ratio prædestinandi, fides tamen, in præscientia Dei, est ratio prædestinandi. Sicut per eum patet, super epistolam illam ad Rom. Vbi vult, quòd *propter fidem quam præsciuit in Iacob, quã sibi esset crediturus, & infidelitatē in Esau, hunc præelegit, & illum non.* Et habetur in litera.

Sed illud retractat ipse 1. retractationum 22. innuens, contra se rationem. Quia fides est donum Dei, sicut & alia bona opera. Quod probatur per Apostolum 1. ad Corin. B vbi dicit. *Illud non dixissem, si fidem inter dona Spiritus Sancti connumerare sciuissem.*

Magister videtur sentire. Quòd omnino nullum sit meritum prædestinationis, vel reprobationis.

Et videtur inniti auctoritati Apostoli prædictæ, & dicto August. de prædestinat. Sanctorum. *Non*, inquit, *quia nos futuros esse tales sciuit, nos elegit, sed vt essemus tales, per illam electionem.*

Et Magister adducit auctoritatem Aug. cōtra se 83. qq. q. 68. dicentis. *Cui vult*, inquit, *miseretur, & quem vult indurat*: sed hæc voluntas Dei, iniusta esse non potest: venit. n. de occultissimis meritis; quia etsi ipsi peccatores, propter generale peccatum, vnam massam fecerint, non tamē inter eos nulla est diuersitas: præcedit enim aliquid in peccatoribus, quo quamuis nondum sint iustificati, digni tamen efficiuntur iustificatione, & iterum præcedit in alijs peccatoribus, quo digni sunt obstinatione.

Respondet Magister. Quòd istam auctoritatem videtur C retractasse in simili, retractando illud quod dicit super epist. ad Rom. Et hoc confirmat, per hoc: quòd quædam, quæ subdiderat in eadem quæst. retractat: sicut apparet 1. retract. 2. & illa videntur consonare cum ista sententia. Ex quo videtur etiam quòd illam scientiam retractauerit.

Sed cōtra responsionem Magistri, de retractatione auctoritatis ad Rom. Obijcit quidam Doctor (*Henr. quol. 8. q. 5. in fine*) per hoc. Quòd Aug. librum illum super epistolam ad Rom. edidit, quando fuit presbyter; illum autem 83. quęstionum, nō compilauit antequam esset Episcopus; nō igitur videtur, quòd retractando aliqua de primo libro, retractet aliqua de secundo: quia retractando dictum primò, quando minùs sciebat, non est retractare dictum posteriùs, quando magis sciebat.

Sed istud argumentū non cogit. Quia licèt priùs scripsit vnum librum, quàm alium: simul tamen fecit librum retractationum: & tunc habuit illos ambos editos, & potuit sententiam dictā in vnò libro, retractare in alijs, siue priùs editis, siue posteriùs. Apparet enim quòd omnes libros il- D los, de quibus fecerat mentionem, ediderat, antequā edidit illum librum retractationum, & tamen si in primo cap. primi retractationum, retractasset aliquam sententiam, quam dixisset in aliquo alio libro, posteriùs quidem edito, & retractato, non oporteret quòd iterum replicaret retractationē illius sententiæ, in aliquo capitulo, assignato alíj libro, posteriùs edito.

Vnde dicit lib. 1. c. 3. retractationum, retractans illam sententiam. Deus quem sensus ignorat. *Addēdum*, inquit, *erat, vt diceretur, mortalis corporis sensus.* Et subdit. *Nec assiduè repetendum est, (quòd etiam superius iam dixi) sed hoc recolendum, vbicunque sententia ista in meis libris inuenitur.* Ergo sententia dicta in libro priùs retractato, & priùs edito, magis retractat eandem sententiam, vt dictum in libris posteriùs editis, quàm è conuersò.

Sed aliter posset argui contra expositionem Magistri. Quòd non inuenitur, vbi Aug. illa verba retractet. Quia sicut ipsemet confitetur, & verum est, post illa verba quæ adducit, sequuntur alia verba, quæ retractat, de illa quæstione 68. 1. retractationum c. 26. Et ista verba non retra- E ctat: videtur autem, quòd si intelligeret ea esse retractanda, non inciperet à verbis sequentibus ista.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Opinio negatiua in hac materia, communior proponitur.

Omittendo ista. Aliter dicitur. (*à D. Tho. 1. par. sum. q. 23. art. 5.*) Quòd quicquid Deus operatur circa creaturas, beneplacito suæ volūtatis operatur, vt super hoc nō sit aliqua alia ratio, vel causa petenda.

Quod cōfirmatur per illud, quod dicitur Rom. 9. de Iacob & Esau, *Cùm nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali, vt secundùm electionem propositum Dei maneret.* Glosa. *Sicut non pro meritis pręcedentibus, ita nec pro futuris, quia bona vel mala nō erant futura, nisi apposita gratia, vel subtracta.* Quod etiam Apostolus declarat, subdens. *An non habet potestatem figulus ex eadem massa. &c.* Vnde sicut sola voluntas figuli est ratio, quare de hac parte massæ, fa- F cit vas honorabile, & de illa, vas contumeliæ, nulla discrepantia existente in tota massa: quemadmodum non est in prima materia, quam tamen causa agens vestit in vna parte forma nobiliori, in alia verò minùs nobili; sic sola volūtas beneplaciti Dei, est ratio quare de eadē massa, æqualiter vitiata in primo parente, istum eligit ad gloriam, illū verò dimittit in condemnationem. Vel, etiamsi non fuisset massa vitiata, & omnes essent æquales, non nisi gratuitò vnum eligeret, alterum verò dimitteret, vtrobique faciendo gratiam illi quem eligeret, sed maiorem illi; quem eligeret ex massa vitiata, & illi iustitiam, quem ex massa damnata non eligeret, non autem iniustitiam illi, quē secundùm statum innocentiæ existentem non eligeret.

Vlteriùs dicit ista positio. Quòd conuenit assignare rationem eius extrinsecam, quare Deus de tota massa perdita voluit quosdam homines misericorditer liberare, & quosdam nō: nullam autem quare potiùs hunc, vel illum. Ratio primi ponitur: vt scilicet bonitas eius, vna & sim- G plex existens in se, manifestetur multipliciter in rebus diuersis simul, eò quòd in nulla vna re, tota bonitas manifestari potest: quia Diuinam perfectionem nō attingit vlla: vt quemadmodum ad perfectionem vniuersi, requiruntur diuersi gradus rerum in naturalibus, & etiam in materialibus, ex eadem materia ęqualiter se habente ad omnes: sic etiam propter eandem bonitatem, & perfectionem manifestandā, requiruntur diuersi gradus in moralibus: quia in hoc bonitas sua manifestatur, quo ad aliquem gradum supernaturalem: reprobos enim iustè puniendo, manifestatur bonitas iustitiæ illius, sicut in glorificatis manifestatur bonitas misericordiæ eius. Sic enim Deus iustè permittit mala fieri, ne bona impediantur, sed vt eueniant; & hoc tàm in moralibus, vt in proposito, quàm in naturalibus, vt in cæco nato. Io. 9. in quo Christus solam rationem ostendit esse, *vt gloria Dei manifestaretur in illo*: sed hoc nō est ex defectu visus in cæco, sed ex eius illuminatione miraculosa à Deo facta.

Et videtur hunc rationem assignare Apostolus Rom. 9. H dicens. *Volens Deus ostendere iram iustitia* &c. Cui concordat exemplum de figulo, de eodem luto, faciente vas vnū in honorē, aliud in contumeliam, de quo 2. Timot. 2. dicit Apostolus. *In magna autem domo, non solùm vasa aurea, & argentea, sed etiam fictilia.* Vnde dicitur, quòd sicut in naturalibus, cū prima materia tota sit vniformis, quare vna pars est sub forma ignis, alia est sub forma terræ, alia sub forma hominis? &c. Benè potest assignari ratio intrinseca scilicet perfectio vniuersi, & extrinseca, scilicet, manifestatio potētię, & sapientię, & bonitatis Dei. Sed quare hęc pars materiæ est sub hac forma, & hæc sub illa, & non è conuersò? Nulla ratio potest assignari, nisi sola voluntas artificis, sic determinantis. Sicut in omnibus operibus humanis, vt hic lapis figuretur sic, vt situetur in altari, alter ita vt in cloaca, secundū quod Phil. 2. Phys. t. 59. dicit. *Aliquos lapides esse benè fortunatos, & aliquos nō, hoc à mera electione artificis dependet.* Sic dicunt in proposito, in particulari nulla est ratio, quare hunc præelegit, & illum non.

Quòd

A Quòd confirmatur per Aug. super illud Ioan. c. 6. *Nemo venit ad me nisi Pater meus* &c. Vbi dicit. *Quare hunc trahat, & illum non trahat, noli velle dijudicare, si non vis errare.* Et dicunt. Quòd ex hoc, quòd Deus sic inæqualia ex æqualibus facit, non est iniquitas quia in his quæ fiunt ex gratia, sine debito, potest absque omni iniquitate, Deus dare prout vult. Iuxta illud Matth. 20. *Tolle quod tuum est, & vade: an non licet mihi, quod volo facere?* Tunc autem esset iniquitas, si esset datum ex debito.

Contra istam Positionem arguit quidam. (*Henr. quol. 5. q. 5. & quol. 8. q. 5.*) Primò contra illam rationem, quæ assignatur in communi. Nam nullus defectus culpæ, siue pęnæ, est de perfectione per se vniuersi: igitur nec per se requiritur ad manifestationem Diuinæ bonitatis. Et per hoc patet, quòd non est simile, de differentijs rerum in esse naturali, & morali. Quia omnes species rerũ, distinctæ in esse naturali, sunt per se de perfectione vniuersi: non sic autem de differentijs in esse morali, inter bonum & malum, vel inter beatum & miserum.

Item arguit. Quòd si esset necessarium ad manifestationem Diuinæ iustitiæ, damnatio aliquorum, ad hoc videretur sufficere damnatio dæmonum. Non enim videntur homines, & dæmones, in culpa & pęna differre specie, inesse morali: pluralitas autem indiuiduorum, non est de perfectione vniuersi.

F Aut si dicas. Quòd alio modo manifestetur Diuina iustitia in illis, & in istis, iustè punitis.

Contra. Ita manifestaretur Diuina misericordia pluribus modis, si Deus glorificasset aliquos homines innocentes, sicut glorificauit Angelos innocentes, vel aliquos Angelos, vel homines, sine omni merito in seipsis, vel in alio, quod non fecit, cùm magis tamen videretur de perfectione Diuinæ bonitatis, pluribus modis manifestari misericordiam Dei, quàm Dei iustitiam.

Præterea, arguit iste. Quòd non videtur, quòd ex intentione Deus fieri peccata permittat, vt ea postmodum puniat. Quia non videtur, quòd per intentionem cuiusquam, plùs sint permittenda mala fieri, quàm facienda; quia nullũ malum culpæ vel pęnæ, pôt esse per se intentum, inquantum malum.

G Et si dicatur. Quòd voluntas in permittendo, nullo modo fertur super malum, sed solummodò super permissionem: vt intendat malum permittere esse, vel fieri, non ratione totius, sed partis.

Arguit iste. Quòd saltem non est manifestum, qualiter ex intentione Deus velit vnum, & non alterum.

Præterea, contra secundum membrũ, scilicet, quòd nulla sit ratio inspeciali, quare illum eligit, & illum non, arguit quòd illud exemplum nõ est simile. In materia enim vt nuda est, non potest esse differentia, propter quam sic sit disposita, ad talem, & talem formam, sicut nec in massa, respectu diuersorum vasorum; sed in hominibus videtur posse inueniri alia dispositio in vno, & in altero, propter quàm huic cõgruat prædestinari, & illi non; sicut in materia, nõ vt nuda, est dispositio propinqua, vt fiat sub alia forma, sicut patet de vino & aceto: nõ autem esset perfectissimè disposita ad illam posteriorem, si non esset sub priore.

H Et quòd illi adducunt pro se Apostolum. Dicit iste secundùm glosam. Quod Apostolus hoc dicit, non propter inopiam reddendæ rationis, sed vt reprimat temeritatem incapacium. Nec est simile in exemplo Apostoli, de massa & figulo, nisi ex parte finis, non autem ex parte subiecti. Quia hic in electione potest esse differẽtia in subiecto, ibi autem non. Et quoad hoc, est congruentius exemplum Apostoli; quod ponit 2. Tim. 2. de vasis argenteis, & aureis: quia ibi est differentia in subiecto secundùm quam vasa fictilia fiunt in maiorem contumeliam, lignea in minorem, aurea in honorem maiorem, & argentea in honorem minorem.

ARTICVLVS TERTIVS.

Esse aliquam causam prædestinationis, dicitur à nonnullis.

Iste igitur (*Henr. vbi supra.*) improbãs istam Positionem. Dicit aliter. Et hoc sic. Actus Diuinus, potest considerari dupliciter: Vel vt est à Deo agente: Vel vt recipitur in aliquod passum, siue vt terminatur ad aliquod obiectum. Primo modo, nulla est ratio actionis Diuinę; neque vt finis, nisi vt bonitas sua manifestetur; neque vt efficiens, nisi voluntas sua: secundo modo tamen est assignare aliquã rationem, per quam scilicet illud ens, circa quod est actio, vt ens ad finem, congruit fini. E

Et quòd aliqua talis ratio sit, ex parte Entis ad finem, ostendit tripliciter. Primò. Quia in rebus omnino æqualibus, electio nominari non potest: igitur si Deus istum eligit, aliqua est differentia electi à non electo. Secundò. Quia in omnibus operibus misericordiæ Diuinæ, videtur concurrere iustitia; ergo aliqua est congruentia ex parte illius, circa quod operatur misericorditer. Et Tertiò. Quia consimiliter videtur, non esse vel esse meritum electionis, vel reprobationis. Et ita licèt malitia ex parte reprobati, non sit causa damnandi à parte Dei: quia tunc Deus esset passiuus, & temporale esset causa æterni; tamen bene conceditur ex parte damnandi, malitia esse ratio motiua, propter quã recipiatur in ipso aliqua actio, & sit circa ipsum. F Ergo à simili, videtur ex alia parte, quòd absque imperfectione Dei in agẽdo, possit poni aliqua ratio ex parte prædestinati.

Et iste innititur in ista Conclusione auctoritati Aug. præallegatę 83. quæst. quæ non videtur retractata. Et hic potest introduci expositio Magistri superiùs posita.

Vlteriùs in speciali dicit, quæ sit ista ratio. Quia bonus vsus liberi arbitrij præuisus, ex parte electi, & malus vsus liberi arbitrij præuisus, ex parte reprobati.

Hoc declarat sic. Licèt gratia principaliter operetur in actibus bonis, tamẽ liberum arbitrium cooperatur. Quod probat per Aug. super illud Psal. 78. *Adiuua nos Deus salutaris noster.* Vbi dicit Aug. Cùm ait. *Adiuua nos: nec ingratus est gratiæ, nec tollit liberum arbitrium; qui enim adiuuatur, etiam per se ipsum aliquid operatur.* Quando igitur offertur gratia viatori, si recipiat gratiam oblatam, & ei secundùm vsum liberi arbitrij bene cooperetur, meretur habere gratiam, secundùm gradum vlteriorem: sicut exemplificat in multis gradibus intermedijs, à statu peccati mortalis, vsque ad statum gloriæ, quos non oportet modò enumerare omnes. Et ita videtur, quòd totus bonus vsus liberi arbitrij, pro omnibus statibus prævisus, possit esse ratio electionis æternæ, ipsius benè vsuri. Et ita ex alia parte, de malo vsu, & reprobatione. G

Et si obijciatur contra istud. Quòd bonus vsus liberi arbitrij, est per gratiam; ergo pertinet ad effectum prædestinationis; & ita nõ est ratio eligendi. Respondet. Quòd bonus vsus quodammodo non includitur sub prædestinatione, nec sub eius effectu, licèt non sit sine eius effectu, nec sit distinctum quod est prædestinationis, ab eo quod est liberi arbitrij.

Sic igitur (secundùm ipsum) & in communi circa totum genus humanum, potest assignari bonus vsus, & malus vsus, & de quocunque homine, potest assignari ratio, ex parte ipsius, non propter quam, sed sine qua non.

Tamen in speciali circa determinatum hominem, non est hominis illam rationem inuestigare, quamuis non desit, & vix possit sciri: cùm in speciali (secundùm eum) magna inopia reddendæ rationis Apostolus laborauerit, cùm dixit ad Rom. 11. *O altitudo diuitiarum*: quia in hoc consistit iudicij Dei abyssus multa. H

Sed contra istud arguitur. Primò. Quia Deus non præuidet istum benè vsurum libero arbitrio, nisi quia vult vel præordinat istum bene vsurum eo: quia sicut dictum est dist. 39. Certa præuisio futurorum contingentium, est ex determinatione voluntatis Diuinæ. Si ergo offerantur voluntati Diuinæ, duo æquales in naturalibus. Quæro. Quare istum præordinat bene vsurum libero arbitrio, & illum non? Non est huius, (vt videtur) assignare rationem, nisi volũtatem Diuinam: & hæc est prima distinctio inter eos, quam per te sequitur electio, vel reprobatio; ergo in prima distinctione, pertinente ad reprobationem & prædestinationem, sola ratio est Diuina voluntas.

Præterea. Ista ratio, quam ponit, videtur cõmunis omnibus prædestinatis, & reprobatis. Primò quidem. Quia

A non paruulis in quibus non præuidet Deus vſum bonum vel malum liberi arbitrij.

Et ſi dicas. Quòd etſi non præuideat vſum talem, tamē præuidet iſtum bene fuiſſe vſurum, ſi ſuperuixiſſet, illum fuiſſe malè vſurum ſi ſuperuixiſſet: & ideo iſtum perducit ad Baptiſmū, & illū non, & iſte ſaluatur, & ille damnatur.

Sed hoc ipſe ita improbat. Quia propter bonum vſum præuiſum alicuius, ſi ſuperuixiſſet, nō acceptatur, vel damnatur: tunc enim adultus, ſecūdùm eos, moriens in gratia, non pręmiaretur ſecundùm merita, quę iam habet, ſed ſecundùm illa quæ præuideretur habiturus, ſi ſuperuixiſſet. Similiter, ſi loquamur de Angelis prędeſtinatis, & nō prædeſtinatis. Quē vſum liberi arbitrij præuidet Deus in iſto, ſi offeratur gratia, quem nō pręuidet in illo propter quem prędeſtinat iſtum, & illum reprobat.

ARTICVLVS QVARTVS.

B *Valde probabile videtur, nullam eſſe prædeſtinationis rationem, in prædeſtinato: licèt aliqua ſit reprobationis, in reprobo.*

POteſt aliter dici. Quòd prædeſtinationis nulla eſt ratio, etiam ex parte prædeſtinati, aliquomodo prior iſta prædeſtinatione.

Reprobationis tamen eſt aliqua cauſa: non quidē propter quam Deus effectiuè reprobat, inquantum eſt actio à Deo; ſicut argutum eſt in præmiſſa Opinione: quia tunc Deus eſſet paſſiuus, ſed propter quā iſta actio, ſic terminetur ad iſtud obiectum, & non ad aliud.

Primū probatur. Quia volens ordinatè finem, & ea quę ſunt ad finem, priùs vult finem, quàm aliquod entium ad finē, quia propter finē alia vult: ergo cùm in toto proceſſu, quo creatura beatificabilis perducitur ad perfectū finem, finis vltimus, ſit beatitudo perfecta, Deus volens huic aliquid iſtius ordinis, primò vult huic creaturæ beatificabili finē, & quaſi poſteriùs vult ſibi alia, quæ ſunt in ordine illorū, quæ pertinent ad illum finē; ſed gratia, fides, merita, C & bonus vſus liberi arbitrij, omnia ad iſtum finē ſunt ordinata, licèt quædam remotiùs, & quædam propinquiùs; ergo primò iſti vult Deus beatitudinē, quàm aliquod iſtorū; & priùs vult ei quodcunque iſtorum; quàm præuideat ipſum habiturum quodcunque iſtorum; igitur propter nullam iſtorum præuiſum, vult ei beatitudinem.

Secundū probatur. Quia damnatio, non videtur bona, niſi quia iuſta. Nam ſecundùm Aug. 11. ſuper Gen. c. 24. *Non priùs eſt Deus vltor, quam aliquis ſit peccator: videtur enim eſſe crudelitatis, punire aliquem, non praexiſtente in eo culpa.* Igitur à ſimili. Non vult Deus priùs aliquem punire, quàm videat aliquem eſſe peccatorem; non igitur primus actus voluntatis Diuinæ circa Iudā eſt, velle damnare Iudam, prout Iudas offertur in puris naturalibus, quia tunc videretur velle damnare ſine culpa: ſed videtur quòd oportet Iudam offerri voluntati Diuinæ, ſub ratione peccatoris, antequam velit ipſum damnare: ergo cùm reprobare ſit, velle damnare: reprobatio habebit ex parte obie-
D cti, rationem aliquam, ſcilicet peccatum finale præuiſum.

Hoc confirmatur auctoritate Aug. in lib. de prædeſtinatione Sanctorum. Et ponitur in litera.

Cōtra iſtud. Petrus & Iudas, æquales in naturalibus, voliti à Deo in eſſe exiſtentiæ: in illo inſtanti, in quo offeruntur voluntati Diuinæ in exiſtentia naturali, & æquales, Deus per te primò vult Petro beatitudinem. Quæro tunc. Quid vult Iudæ? Si damnationem; habetur propoſitum, quia tunc reprobat ſine omni ratione: Si beatitudinem, ergo prædeſtinat Iudam.

Dici poteſt. Quòd in iſto primo inſtāti, nihil vult Iudæ, ſed tantùm eſt ibi negatio volitionis gloriæ. Et ſimiliter, quaſi in ſecundo inſtanti naturæ, quando vult Petro gratiā, adhuc nullus actus poſitiuus voluntatis Diuinę eſt circa Iudam, ſed tantùm negatiuus. In tertio inſtanti, quando vult Petrum eſſe de maſſa perditionis, ſiue dignum perditione, & hoc ſiue propter peccatū originale, ſiue actuale, tunc vult permittere Iudā ſimili modo eſſe filium perditionis, & hic eſt primus actus poſitiuus, vniformis quidē circa Petrum & Iudam; ſed ex iſto actu eſt iſtud verum, E
Iudas erit finaliter peccator, poſitis illis negationibus: ſcilicet quòd non vult ſibi dare gratiam, nec gloriam. In quarto inſtanti, offertur Iudas, vt peccator finaliter, voluntati Diuinæ, & tunc ipſe vult iuſtè punire, & reprobare Iudam.

Nec mirum, quòd non ponitur ſimilis proceſſus prædeſtinationis, & reprobationis. Quia bona omnia attribuūtur principaliter Deo, mala autem nobis; & ita Deū prædeſtinare, ſine ratione cōgruit bonitati ſuæ, ſed ipſum velle damnare, non videtur ſibi immediatè poſſe attribui reſpectu obiecti, vt cogniti, in ſuis puris naturalibus, ſed tātùm reſpectu obiecti vt cogniti, in peccato mortali finali.

Poteſt confirmari iſta reſponſio per ſimile. Ponamus duos, ex parte ſui, æquè gratioſos mihi, quorum alterū diligo, alterum non. Et iſtum quem diligo, præordino ad aliquod bonum, per quod poſſit mihi placere, illum autem quem non diligo, nō præordino ad tale bonum: ſi ita eſſet, quòd in poteſtate mea eſſet, permittere eos poſſe offendere, poſſem velle permittere vtrumque offendere: & ex quo F
illū perducere nō volo ad illud, per quod poſſet mihi placere, præſcirem offenſam eius fore perpetuam, & ita me iuſtè punire eum; præſcirem autem offenſam alterius remittendam, ſiue commutandam ad quod vellem.

Sed adhuc cōtra iſtud inſtatur. Quia Deus certitudinaliter non præuideret Iudam eſſe malum, ſecundùm iſtam viam. Nam ſola permiſſio alicuius actus, & certitudo de permiſſione, nō facit certitudinem de illo actu; quia oporteret habere aliquam cauſam effectiuam: igitur ex hoc ſolo, quòd Deus præſcit ſe velle Iudā permittere peccare, nō erit certus de Iuda peccaturo, vel Iudam eſſe peccaturum. Vel loquamur de Angelo bono & malo, qui non erant in peccato originali, ex hoc inquam ſolo, non videtur, quòd ſciat Luciferū eſſe peccaturum, & ex hoc ſolo (vt videtur) non offertur ſibi Lucifer, vt peccator.

Præterea. Quid eſt iſtud velle permittere Luciferū peccare? Si hoc eſt aliquis actus poſitiuus voluntatis reſpectu peccati: igitur videtur quòd vult eū peccare. Si nō eſt actus poſitiuus, reſpectu actus peccati, ſed reſpectu actus permi- G
ſſionis; tūc erit actus reflexus. Et tunc erit quærere de iſta permiſſione. Quis actus ſit? Si actus poſitiuus voluntatis; ergo videtur adhuc, quòd Deus habeat actum poſitiuum reſpectu peccati, quod permittit.

Primum iſtorum ſoluitur, per hoc, quòd Deus præſcit ſe cooperaturum Lucifero, ad ſubſtantiam illius actus, qui erit peccatum: hoc autem præſcit, quia vult cooperari illi, ſi eſt peccatum commiſſionis: vel præſcit ſe nō cooperaturum ad actū aliquem, ſi non vult ipſum: & hoc, ſi iſte actus primus, eſt peccatum omiſſionis: & ſciendo ſe cooperaturū ad talem ſubſtantiam actus, cum non circūſtantijs debitis, vel non cooperaturum ei ad actum neceſſariū, & per conſequens quem omittet, ſciet illum peccaturum: ita quòd ſcit hunc peccaturum, nō ſolùm quod ſcit, ſe permiſſurum, ſed etiā quia ſcit ſe cooperaturum huic, ad ſubſtantiam actus non circumſtantionati, & per conſequens iſte committet, vel non cooperaturum ei ad actum neceſſarium, & per conſequens iſte omittet. H

Secundum dubium difficultatem quærit, tangentē Diuinam voluntatem. De qua non modò, ſed aliàs.

De iſtis Opinionibus omnibus, quia Apoſtolus videtur diſputans de iſta materia, ad Rom. in fine, quaſi totū imperſcrutabile relinquere. *O altitudo* inquiens *diuitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei. Et quis nouit ſenſum Domini, aut quis conſiliarius eius fuit.* Et ideo ne ſcrutando de profundo, ſecundùm dictum Magiſtri, eatur in profundum, eligatur quæ magis placet: dum tamen ſaluetur libertas Diuina, ſine aliqua iniuſtitia, & alia quę ſaluanda ſunt circa Deum, vt liberaliter eligētem. Et qui aliam Opinionem tenuerit, reſpondeat ad ea quæ tacta ſunt contra eam.

Argumenta in principio Quæſtionis propoſita, diluuntur.

AD primum argumentum principale. Reſpondeo: quòd ſumma bonitas, poteſt ſtare cum liberali communicatione, licèt non ſit illa æqualis omnibus. Poteſt .n.

ſummè

A summè bonus, ex libertate liberè cōmunicare, & vt ostendat se non necessariò liberalem, sed liberalem liberè communicatiuum: potest enim sic liberalis, aliquibus duobus apprehensis æqualibus, velle bonum non æqualiter communicare. Nec in hoc fit iniustitia aliqua; sicut dicit tertia Opinio, quia nihil est ibi debitum.

Ad Secundū. Dico. Quando sunt aliqua duo æquè volibilia, & ordinabilia ad aliquem finem, & ex parte sui habent rationem illam, propter quam sunt voleda ab aliqua voluntate, voluntas præacceptans vnum illorum alteri, ad illum finem, peccat secūdùm acceptationem personarum: talis est autem omnis voluntas creata; quia respectu illius, bonitas amabilis, est ratio rectè amandi: non sic voluntas increata, respectu alicuius boni alterius ab Essentia sua: nullū enim aliud bonū, quia bonū, ideo amatur ab illa voluntate, sed è conuersò: & ideo nō potest acceptare personas; quia non est in eis bonitas, quæ sit sibi ratio amandi.

Ad primum in oppositum. Qui vult tenere aliam viam. Potest dicere, sicut dicit Quarta Opinio, quòd Apostolus B in hoc redarguit præsumptuosos, inquirentes illa quorum non sunt capaces, non autem propter inopiā reddendæ rationis, saltē in cōmuni, licèt in particulari nesciatur quod malum præuidet Deus in isto, propter quod reprobet eum. Et in istis specialibus peccatis præuisis, est altitudo diuitiarum, sunt iudicia incomprehensibilia. Cui videtur cōcordare illud vocabulū, iudicij. Quia iudicium est de particulari agibili: vsitatè enim non dicimus de principijs practicis, siue de legibus statutis, esse iudicia: sed de aliquo particulari actu, iudicatur secundùm principia practica, siue leges statutas: & ideo non obstante, quòd sit principiū practicum statutū per Diuinam voluntatē, quòd omnis præuisus finaliter malus, damnetur: tamē de particularibus assumēdis, subaudi, Iste præuidetur sic finaliter malus, & ille sic: quasi ex hoc iudicatur iste reprobatus propter hoc, & ille propter illud: ista iudicia sunt inscrutabilia. Non enim scit homo, nec potest scire, in quod peccatū Deus vult permittere istum cadere, respectu cuius sit non volitio conferendi gratiam, vt sic offeratur tanquam finaliter peccator in illo peccato: & sic propter illud peccatum præuisum, reprobetur. De bonis autem potest poni, quòd nulla sit ratio: sicut dictum est in Quinta Opinione.

Et si cōtra hoc arguas, Quòd saltē circa bonos nō erunt iudicia inscrutabilia: facile enim est dicere de eis: q̄ quia vult, ideo saluat. Potest dici, quòd de eis, in quantum prædestinat, non est iudicium, neque de facto in existentia, neque quasi in præscientia Diuina. Iudicium enim est, de aliquo facto, vel præuiso. Sed de malis, licèt non sit iudicium de facto, quia nō peccauerunt; potest tamē condemnatio dici iudicium de eis, in præscientia Dei, vbi dicuntur mali: & tūc inscrutabilitas iudiciorum, potest referri ad malos: ex parte quorū ponitur aliqua ratio, licèt illæ rationes ex parte diuersorū, propter quas quasi ex parte eorū feruntur iudicia, sint inscrutabiles, & per hoc iudicia inscrutabilia.

Ad aliud Aug. Facit pro Quinta Opinione. Quia probat ex parte prædestinatorum nullam esse rationem, sed non ex parte damnandorum.

DISTINCTIO XLII.

QVAESTIO VNICA.

C Vtrum Deum esse omnipotentem, possit probari naturali ratione?



Vòd sic. Ricar. de Trin. 1. c. 3. *Ad omnia quæ fide tenemus, non solum habemus rationes naturales, sed necessarias.*

Præterea. Naturali ratione probatur Deum esse potentiæ infinitæ: sicut probatur 8. Physic. t. 78. & 12. Met. t. 41. potentia autem infinita, nota est esse omnipotentia; ergo &c. Probatio Minoris. Quia notum est, potentia infinita non posse aliquam aliam maiorem cogitari, sine contradictione: quacunque autem potentia, quæ nō est omnipotentia, potest cogitari maior, sine contradictione. Probo. Sine contradictione, potest cogitari omnipotentia, sub ratione omnipotētiæ: ipsa autem maior cogitatur quocunque alia, quæ non esset omnipotentia.

Si dicas. Quod non potest naturaliter probari omnipotentiam esse cogitabilem sine contradictione.

D Contra. Omnipotentiam esse in entibus, verum est; ergo omnis ratio probans impossibilitatem omnipotentiæ, sophistica est; omnis autem ratio sophistica, potest per intellectū, ex puris naturalibus solui; ergo intellectus talis, ex puris naturalibus potest cognoscere, nullum impossibile sequi ex omnipotentia: & scit quòd illud est possibile, ad quod nullum impossibile sequitur: cognoscit ergo omnipotentiam esse possibilem.

Ex isto etiam potest fieri ratio per se. Quia si naturaliter potest probari omnipotentiā esse possibilem, quia nō impossibilem; ergo naturaliter potest probari eam esse necessariam; quia non potest esse, nisi possit esse necessaria: & quod potest esse necessarium, est necessarium; ergo &c.

Contra. Nulli Philosophi vtentes naturali ratione, etiā quantumcunque perfectè considerarent Deum sub ratione efficientis, concesserunt Deum esse omnipotentem, secundùm intellectum Catholicum.

Confirmatur autem. Quia articulus Fidei est in Symbolo Apostolorū. *Credo in Deum Patrem omnipotentem &c.*

Hic responderi posset. Distinguendo. Quòd omnipotens: aut potest dici agens, quod potest in omne possibile mediatè, vel immediatè: & hoc modo est potentia actiua primi efficientis, omnipotentia, prout extendit se ad omnē effectum, in ratione causæ proximæ, vel remotæ: & si naturaliter possit concludi, esse aliquod primum efficiens; sicut ostensum est supra dist. 2. naturaliter etiam potest concludi illud esse omnipotens, hoc modo loquendo.

Alio modo accipitur omnipotens: propriè Theologicè, prout omnipotens dicitur, qui potest in omnem effectum immediatè, & in quodcunque possibile, hoc est, in quodcunque quod non est ex se necessarium, nec includit in se contradictionem, ita in quam immediatè, quòd sine omni coöperatione cuiuscunque alterius causæ agentis. Et hoc modo omnipotētia, videtur esse credita de primo efficiente, & non demonstrata. Quia licèt primū efficiens habeat in se potentiam effectiuam, eminentiorem potentia cuiuscunque alterius causæ effectiuæ, habeat etiā in se eminenter potētiam effectiuam cuiuscunque alterius causæ, sicut deductum est dist. 2. quæst. 1. & per hoc probatum est eum habere potētiam infinitam, & istud fit quasi vltimum, ad quod ratio naturalis potuit attingere, de Deo cognoscendum. Tamen ex hoc, non videtur posse concludi omnipotentia, fm istum intellectum. Quia etsi verum sit, non tñ est manifestum naturali ratione, quòd habens causalitatē eminenter in se, & causalitatem causæ secundæ, eminentiùs quā illa causa habeat respectu sui effectus, posset immediatè in effectum immediatum causæ secundæ. Ordo enim causarum superiorum & inferiorū, hoc non concludit. Quia etsi Sol haberet in se causalitatem eminentiorē, quàm habeat bos, vel aliud animal: non tamen concederetur Solem, immediatè posse generare bouē, sicut potest mediatè cū boue generare: & hoc maximè ponerent Philosophi; quia non posuerunt causam secundam necessariò concur-

A concurrentem, propter aliquam perfectionem addendam effectui, sed quasi magis propter imperfectionem addendam; quia causalitas primæ causæ, immediatè perfecta est, ideo posuerunt eam non posse immediatè esse causam alicuius imperfecti effectus, & ideo oportet causam agentē aliam concurrere imperfectiorem: vt illa prima, non produceret secundùm vltimū potentiæ suæ, sed cum illa causa agente secunda, effectum diminutum & imperfectū produceret, hoc est, non ita perfectum effectum produceret, mediate causa secunda imperfecta, sicut si immediatè produceret, non mediantibus causis secundis.

Præterea. Si Philosophi non potuerunt per rationē naturalē concludere, Deum posse contingenter causare: quātò magis nec posse immediatè in quemcunque effectum, vel in quodcunque, quod potest producere mediantibus alijs causis secundis?

Præterea. Si ipsi habuerūt quasi pro principio, quòd De nihilo nihil fit: saltem in istis generabilibus, & corruptibilibus, non videtur Deum sic esse omnipotentem, quòd

B possit aliquem effectū totaliter producere sine omni alia causa concausante.

Præterea. Si Philosophi posuerunt, Deum esse necessariò agentē, sicut videntur multi eorum sensisse & posuisse, si cū hoc ponerent, quòd esset omnipotens, secundùm istū intellectum secundum, haberent negare omnem aliam causalitatem, cuiuscunque causæ secundæ; quod est maximum inconueniens eis. Nam causa necessariò causans, in quocūque instanti comparetur ad effectum, necessariò in eodem instanti causat, & agit: ergo (cùm priùs compararetur causa superior ad effectū, quàm causa inferior, & tunc per te necessariò est omnipotens) in illo instanti producit effectum totum; ergo in secundo instanti, in quo comparatur causa secunda ad eundem effectum, nihil intelligitur tunc causandum: & ita agens secundum, vel causa secunda, nihil potest causare.

Et ex hoc apparet, quòd ista propositio. Quicquid potest causa effectiua prima, cum causa secunda, potest per se

C immediatè. Non est nota ex terminis, neque ratione naturali, sed est tantùm credita. Quia si ipsa omnipotentia, ex qua dependet, esset nota ratione naturali, facilè esset probare ipsis Philosophis, multas veritates, & propositiones, quas ipsi negant; & facilè eis esset probare, saltē possibilitatem multorum quæ credimus quæ ipsi negant.

Omnipotentia tamen hoc modo sumpta, licèt non sufficienter demonstretur, probabiliter tamen potest probari, sicut verum & necessarium, & probabiliùs quàm quædam alia credita: quia non est inconueniens quædam credita esse euidentiora, quàm alia.

Ad auctoritatem Ricar. Dico: quòd si sint necessariæ rationes, ad omnipotentiam probādam, sicut & ad quædam alia credita: tamen non sunt euidenter necessariæ, & veræ: sicut illa ratio, quæ probat Trinitatē, propter duplicē productionem ad intra in Diuinis: quia licèt sit ex necessarijs, non tamen præmissæ sunt necessariò euidentes; quia non sunt notæ ex terminis nobis notis, neq; ex immediatis nobis notis possibile est hoc inferre: sicut dictum est d. 2. q. 1.

D Ad secundum. Dico, quòd infinita potentia Dei, etsi possit concludi de Deo, naturali ratione, non tamen omnipotentia, secundùm quod propriè sumitur. E

Et cùm dicis. Quod infinita potentia, nulla potest maior cogitari. Verum est, intensiuè: tamen non videtur contradictio, quòd sit, vel cogitetur maior potentia, ad plura se extendens, extensiuè. Vel diceretur: quod etsi non sit contradictio omnipotentiam cogitari, quæ vt sic aliquomodo excedat infinitam potentiam, non intellectam, vt omnipotentia: non tamen est naturaliter notum, potentiam sic intellectam, esse omnipotentiam.

Et cùm dicis. Notam esse omnipotentiam propriè sumptam. Hoc negatur.

Et cùm probatur. Quia omnis ratio probans impossibile sequi ex ea, est sophistica.

Ad hoc dicitur. *(ab Egid. quol. 5. q. 7.)* Quòd est sophistica, non tamen potest solui per rationem naturalem. Quia prout dicitur sophistica, & peccans in materia, est habens aliquam præmissam falsam, & non potest solui, nisi per interemptionem illius præmissæ: quæ tamen non potest cognosci interimenda per rationem naturalem, sicut non F potest cognosci vera, per rationem naturalem.

Sed contra istud, arguo sic. Aut illa quæ apparent vera, & non apparent interimenda ex naturali ratione, apparēt esse vera ex terminis, tanquam immediata, aut apparent esse conclusa ex immediatis. Si primo modo; ergo intellectus noster, nō potest esse certus de propositionibus immediatis, quæ sit vera, & quæ non: quia tūc apparerent aliquę propositiones veræ & immediatæ, quæ tamen sunt simpliciter falsæ: & ita non erunt aliquą principia certa, tanquā ianuæ in domo, contra Phil. & Comment. 2. Met. t. 1. circa quæ non contingit errare. Si secundo modo appareant esse vera, tanquam conclusa ex immediatis. Tunc arguo de illo syllogismo, sicut de isto. Aut peccat in materia, aut in forma. Si in materia: tunc potest solui: quia præmissa falsa, peccans in materia, pōt interimi. Si in forma: adhuc potest solui per artem Logicam. Si autem dicatur ꝙ peccat in forma, & tñ non potest solui ratione naturali. Istud videtur absurdum, Quia sicut intellectus inclusus in naturalibus, tradidit oēm artem de syllogismo apparenti, informi, & defectuoso, sic posset soluere per illam artem oēm talem syllogismū, applicando talē artem, ad talē Paralogismum. G

Ideo Dico aliter. Quòd si quicunque Paralogismus, deducens apparenter ad impossibile, ex præmissa significante Deum esse omnipotentem, posset solui per intellectum & rationem naturalem, siue peccet in materia, siue in forma, & intellectus posset scire quemcunque talem Paralogismum, diuisim factū, esse solubilem: non tñ sequitur, quòd sciat illud non esse impossibile: stat enim oppositum, scilicet, ꝙ dubitet istud esse oppositum primum ex repugnantia terminorum, ex quo tñ non posset sequi aliquod manifestius impossibile, aut ꝙ dubitet, vtrū ex isto possit inferri aliquod impossibile, aliud à quocunque illato; & illud argumētum, inferens illud impossibile, sit insolubile, licèt illud non sit aliquod eorū, quæ facta sunt: quæ scit naturaliter soluere. Vel aliter, generaliter potest respōderi ad illud argum. Quòd potest fieri naturaliter ad omne creditum; quòd illud sit necessarium ad omne possibile, & credibile. H

DISTINCTIO XLIII.

QVÆSTIO VNICA.

Vtrum prima ratio impossibilitatis rei fiendæ, sit ex parte Dei, vel ex parte rei factibilis?



Vòd magis ex parte Dei. Probo. Magister arguit distinct. sequēte, quòd vniuersum possit fieri meliùs. Quia si non. Aut hoc esset propter hoc, quòd nullum bonum sibi deesset; & tunc esset Deus: aut quia aliquid sibi deesset, sed non esset capax ad illud recipiendum. Et tunc arguit, quòd meliùs fieret, si daretur sibi capacitas à Deo ad illud. Ita arguo in proposito. Si aliquid sit infactibile: ergo si daretur sibi capacitas à Deo, posset fieri; ergo modò non potest fieri, quia non datur sibi capacitas; ergo ista impossibilitas videtur pri-

mò

A mò esse ex parte Dei, non potentis dare capacitatem.

Contra. Ansel. de casu diaboli cap. 3. *Quia Deus dedit perseuerentiam bono Angelo, ideo bonus Angelus habuit, & non quia Deus non dedit malo Angelo, ideo non habuit, sed quia malus non accepit.*

Hic dicitur ab Henr. quolib. 6. q. 3. Cuius oppositum manifestè quære 8. quolibeto quæst. 3.

Contra istam Sententiam Secundam, siue sit dicta retractando Primam Sententiam de isto articulo, siue sit dicta vt retractanda per Primam, non oporteret arguere cõtra eam, nisi ex verbis suis proprijs, quæ implicant manifestè opposita. Tamen specialiter arguo contra eam sic. Nihil est simpliciter impossibile, nisi quia simpliciter repugnat sibi esse, cui autem repugnat esse, repugnat & ex se primò, & non propter respectum aliquem affirmatiuum, vel negatiuum eius ad aliquid aliud. Probatio. Repugnãtia enim quæcunque extremorum, est ex ratione sua formali, & per se essentiali, circumscripto quocunque alio respectu vtriusque extremi, positiuo vel negatiuo, ad quod-
B cunque aliud, sicut album & nigrum per se ex suis rationibus formalibus contrariantur, & habent repugnantiam formalem, circumscribendo per impossibile omnẽ respectum, ad quodcunque aliud; igitur illud est simpliciter impossibile, cui per se repugnat esse, & quod ex se primò est tale, quòd sibi omnino repugnat esse, & non propter aliquem respectum affirmatiuum ad Deum, vel negatiuum; imò sibi repugnaret esse, si per impossibile Deus non esset. Videtur igitur Prima Sententia probabilior Secundà.

Sed contra istã Primam sententiam arguo. Primò sic. Potentia actiua, qua Deus dicitur omnipotens, nõ est formaliter intellectus scilicet Diuinus, sed quasi præsupponit actionem intellectus, siue illa potentia sit voluntas, siue alia potentia executiua; sed lapis est possibilis esse ex se formaliter; ergo reducendo quasi ad primum principium extrinsecum, intellectus Diuinus, erit illud, à quo est prima ratio possibilitatis in lapide: non igitur illa potentia actiua, à qua Deus dicitur omnipotẽs, est prima ratio possibilitatis in lapide. Probatio assumpti. Possibile, secundũ
C quod est terminus, vel obiectum omnipotentiæ, est illud, cui non repugnat esse, & quòd non potest ex se esse necessariò: lapis productus in esse intelligibili, per intellectum Diuinum, habet ista ex se formaliter, & quasi principiatiuè per intellectum; igitur est ex se formaliter possibilis, & quasi principiatiuè per intellectum Diuinum: Malè igitur videtur illa Prima Sententia ponere, quòd omnipotentia in Deo, sit illa potentia, quæ est potentia passiua in creatura; & hoc si loquatur de potentia actiua, à qua Deus dicitur Omnipotens, & respectu cuius illa dicitur potentia passiua in creatura.

Confirmatur ista ratio. Potentia actiua, quæ est omnipotentia, non dat alicui aliquod esse, nisi producendo illud, quia illa est potentia productiua rei ad extra; sed ante omnem productionem rei ad extra, res habet esse possibile; quia sicut probatum est dist. 36. Rem produci in esse intelligibili, non est rem produci in esse simpliciter; & si esset, non esset per illam potentiam, qua Deus dicitur om-
D nipotens; non igitur per illam potentiam, quæ est Omnipotentia, est res alia à Deo primò possibilis.

Item. In causis præcisis, si affirmatio est causa affirmationis, & negatio est causa negationis, secundùm quod dicit Philosophus 1. poster. t. 3. Sicut si habere pulmonem est causa respirandi, non habere pulmonem est causa non respirandi: ergo si potentia actiua, quæ est Omnipotentia in Deo, est præcisa ratio possibilitatis in creatura, negatio potentiæ actiuæ in Deo, esset causa negationis possibilitatis in creatura. Quod ipse negat: & benè, quantùm ad hoc, quia impossibilitas in creatura, est propter formalem repugnantiam partium.

Præterea. Iste respectus, qui consequitur potentiam actiuam in Deo in quarto instanti, aut est realis, aut non? Si realis, & ad extra; hoc est improbatum dist. 3. Si rationis; ergo in tertio instanti terminatur possibilitas ad Deũ, sub ratione absoluta: quod non infero, sicut in se inconueniens, sed tanquam à pluribus concedendum, & saltem non habendum pro inconuenienti ab eis, qui tenent Opinionem illius Doct. ex quo sequitur ad eam. E

Similiter propter idem, ex ista positione, infero aliam Conclusionem, scilicet, Quòd non est aliquis respectus prior, ex parte causæ, quàm ex parte causati: imò ab ipsa causa sub ratione absoluti, est ipsum causatum, sub ratione absoluta; & postea in tertio, sequitur respectus in causate ad causam; & quarto, in causa ad causatum: iste ergo ordo absolutorum, & relatiuorum, quem hic concedit, nunquam debet teneri inconueniens tenentibus eum.

Tertiò similiter infero. Quòd potentia vt est attributum Diuinum, & dicit perfectionem simpliciter, non dicit aliquem respectum ad creaturam. Quod ipse probat in Prima Sententia 6. quolib. q. 3. Quia nulla perfectio Diuina simpliciter dependet à creatura. Hoc autẽ idem probat Ansel. mono. c. 15. Cùm illa relatio ad creaturam, non dicat perfectionem simpliciter, etiam in Deo; quia tunc Deus non esset talis, si creatura non esset; est autem perfectus omni perfectione simpliciter, ex se, & ex natura sua, & non ex aliquo respectu ad creaturam.

Hoc igitur illatum, (quod puto esse verum, sicut & alia duo) non debent respui, sicut inconueniens, ab aliquibus tenentibus dicta eius. F

Aliter dico à Prima Sententia, quantùm ad illud, quod probat illa duo argumenta. Quia licèt potentia Dei ad se, id est, aliqua perfectio absolutè, qua Deus est formaliter potens, sit in Deo in primo instanti naturæ, sicut & quælibet perfectio absoluta simpliciter: sicut calorem consequitur, esse potentiam calefaciendi, qui tamen calor, est absoluta forma; tamen per ipsam potentiam, sub ratione qua est omnipotẽtia, non habet obiectum, quòd sit primò possibile; sed per intellectum Diuinum, producentem in primo instanti illud in esse intelligibili: Et intellectus, nõ est formaliter potentia actiua, qua Deus dicitur formaliter omnipotens; & tunc res producta ab intellectu Diuino in esse tali, scilicet intelligibili, in primo instanti naturę habet seipsa esse possibile, in secundo instanti naturæ; quia seipsa formaliter non repugnat sibi esse, & seipsa formaliter repugnat sibi habere esse necessarium ex se; in quibus duobus, stat tota ratio possibilis, in quibus correspondet G rationibus potentiæ actiuæ. Non est igitur possibilitas in obiecto, aliquo modo prior, quàm sit omnipotẽtia in Deo, accipiendo omnipotentiam, pro perfectione absoluta in Deo: sicut nec creatura est prior aliquo absoluto in Deo. Si tamen res intelligatur esse possibilis, antequam Deus per omnipotentiam producat eam. Sic est verum; sed in illa possibilitate, non est simpliciter prior, sed producitur ab intellectu Diuino.

Quantùm autem ad impossibilitatem. Dico, quòd illa non potest esse primò ex parte Dei: sicut dicit Prima Sententia; & hoc, propter rationem factam contra Secundam Sententiam. Quia ipsa est impossibilis, propter repugnãtiam eius vt fiat. Quod intelligo sic. Impossibile, simpliciter includit incompossibilia, quæ ex rationibus suis formalibus sunt incompossibilia, & ab eo sunt principiatiuè incompossibilia, à quo principiatiuè habent suas rationes formales.

Est igitur ibi iste processus. Quòd sicut Deus suo intel- G lectu, producit possibile, in esse possibili, ita producit duo entia formaliter, vtrumque in esse possibili, & illa producta, seipsis formaliter sunt incompossibilia, vt non possint simul esse vnum, neque aliquid tertium ex eis. Hanc autẽ incompossibilitatem, quam habent formaliter, habent ex se; & principiatiuè ab eo quodammodo, qui produxit ea. Et istam incompossibilitatem istorum, sequitur impossibilitas totius figmenti, includentis ea. Et ex ista impossibilitate figmenti in se, & ex incompossibilitate partium suarum, sequitur impossibilitas eius respectu cuiuscunque agentis. Et ex hoc habet compleri totus processus impossibilitatis rei; quasi vltimus gradus impossibilitatis sit, negatio respectus, ad quodcumque agens. Nec oportet habere aliquem respectum negatiuum, ex parte Dei; nec ex parte cuiuscunque alterius: nec est fortè aliquis in natura rei, licèt intellectus possit comparare Deum, vel aliud agens, ad istud, sub negatione respectus.

Sic igitur impossibilitas prima est formaliter ex parte

A impossibilis, & principiatiuè à Deo. Et si principiatiuè reducatur ad aliquid, non tamen reducitur ad negationem possibilitatis in Deo: imò reducitur principiatiuè ad intellectum Diuinum, principiatem illud in illo esse, in quo partes illæ formaliter repugnant, propter quam formalē repugnantiam, totum ex eis simpliciter est impossibile.

Et ex hoc apparet, quòd falsa est imaginatio, quærentium impossibilitatem aliquorum, quasi in aliquo vno: quasi aliquid vnum, vel intelligibile, vel qualecunque ens, sit ex se formaliter impossibile; sicut Deus est ex se necesse esse formaliter. Nihil enim est tale primum in non entitate; nec etiam entitatis oppositæ tali non entitati, est intellectus Diuinus ratio possibilitatis: nec etiam intellectus Diuinus, est præcisa ratio possibilitatis, oppositæ nihilo; quia tunc teneret illud argumentum, de causis præcisis in affirmatione & negatione: sed omne simpliciter nihil, includit in se rationes plurium; ita quòd ipsum non est primò nihil, ex ratione sui, sed ex rationibus illorum, quæ intelligitur includere, propter formalem repugnantiam illorum inclusorum plurium: & ista ratio repugnantiæ, est ex rationibus formalibus eorum; quam repugnātiam primò habent per intellectum Diuinum, sed non præcisè. E

Ad primum Argumentum. Illa ratio Magistri tenet: supponendo, quòd vnum sit possit esse maioris perfectionis capax: quia tunc melius fieret, si daretur sibi illa capacitas, quàm fit sine illa capacitate: vt si esset capax multorum aliorum. Absolutè autem non tenet ratio Magistri, negato isto, scilicet, quòd potuit melius fieri: sicut nec sequitur, quòd ignis manens ignis, possit fieri melior, si fiat capax intellectus vel voluntatis; quia non potest esse istorum capax.

B Dico tunc ad formam argumenti. Quòd Deus non potest dare capacitatem nihilo, vt sit factionis passiuum; sed ista non est prima ratio: sed quia tale, non potest habere talem capacitatem. Et ista ratio, reducitur ad formalē repugnantiam partium: & vlterius, ad intellectū Diuinum. F

DISTINCTIO XLIV.

QVÆSTIO VNICA.

Vtrum Deus possit facere aliter res, quàm ab ipso ordinatum est fieri?

Circa Distinct. Quadragesimam quartam vbi Magister tractat. Vtrum Deus potuit fecisse meliùs res, quàm fecit? Quæro istam Quæst.

Vtrum Deus possit aliter facere res, quàm ab ipso ordinatum est fieri.

C ET videtur quòd non. Quia tunc posset facere res immediatè; consequens est falsum: ergo & antecedens.

Contra. Res aliter fieri, quàm factæ sunt, non includit contradictionem, nec est necessarium.

Respondeo. In omni agente per intellectum, & voluntatem, potēte conformiter agere legi rectæ, & tamen non necessariò agere conformiter legi rectæ, est distinguere potentiam ordinatam, à potentia absoluta.

Et ratio huius est. Quia potest agere conformiter illi legi rectæ, & tunc secundùm potentiam ordinatam; ordinata enim est, inquantum est principium exequendi aliqua, conformiter legi rectæ, secundùm ordinem præfixum ab illa lege, & potest agere præter illam legē, vel contra eam; & in hoc est potentia absoluta, excedens potentiam ordinatam. Et ideo non tantùm in Deo, sed in omni agente liberè, quod potest agere secundùm dictamen rectæ rationis, vel rectæ legis, & præter talem legem, & contra eam, est distinguere potentiam, ordinatam & absolutam. Ideo

D dicunt Iuristæ. Quòd quis potest hoc facere de facto, hoc est de potentia sua absoluta: vel de iure, hoc est de potentia ordinata, secundùm iura.

Quando autem illa lex recta, secundùm quam ordinatè agendum est, non est in potestate agentis, tunc potentia eius absoluta, non potest excedere potentiam eius ordinatā, circa obiecta aliqua, nisi circa illa agat inordinatè. Necessarium. n. est illam legem stare, cōparando ad tale agēs, & actionem non conformem illi legi rectæ, non esse rectā, neque ordinatā; quia tale agens tenetur agere secundùm illam legem rectam, cui subest. Vnde omnes qui subsunt legi Diuinæ, si non agant secundùm illā, inordinatè agunt.

Sed quando in potestate agētis est lex, & rectitudo eius, ita quòd non est recta, nisi quia est ab illo statuta, tūc potest rectè agere, agendo aliter, quàm lex illa dictet: quia potest statuere aliam legem rectam, secundùm quam agat ordinatè: nec tunc potentia sua absoluta, simpliciter excedit potentiam ordinatam; quia esset ordinata secundùm aliam legem, sicut secundùm priorem, tamen excedit potentiam ordinatam, præcisè secundùm priorem, contra quam, vel præter quam facit.

Ista possent exemplificari de Principe, & subditis, & lege positiua.

G Ad propositum igitur applicādo. Dico. Quòd leges aliquæ generales, rectè de operabilibus dictātes, præfixę sunt à voluntate Diuina. Et non quidem ab intellectu Diuino, vt præcedit actum voluntatis Diuinæ, vt dictum est dist. 39. Sed quando intellectus offert voluntati Diuinæ talem legem; puta, quòd omnis glorificandus, priùs est gratificandus, si placet voluntati suæ, quæ libera est, recta est lex. Et ita de alijs legibus.

Deus igitur, agere potens secundùm istas leges rectas, vt præfixæ sunt ab eo, dicitur agere secundùm potentiam ordinatam. Vt autem potest agere multa, quę non sunt secundùm illas leges iam præfixas, sed præter illas, dicitur potentia eius absoluta: quia multa alia potest agere ordinatè, & multa alia posse fieri ordinatè ab illis, quæ fiunt conformiter istis legibus, non includit contradictionem: quia rectitudo illius legis, secundùm quam quis dicitur rectè, & ordinatè agere, est in potestate ipsius agentis; ideo sicut potest aliter agere, ita potest aliam legem statuere rectam: quæ si statueretur à Deo, recta esset; quia nulla lex

H est recta, nisi quatenus à voluntate Diuina acceptatur. Et tunc potētia eius absoluta, nō se extendit ad aliquid aliud, quàm ad illud, quòd ordinatè fieret, si fieret: non quidē fieret ordinatè, secūdùm istum ordinem: sed fieret ordinatè, secundùm alium ordinem: quem alium ordinem, ita posset voluntas Diuina statuere, sicut aliter potest agere.

Aduertendum tamē est. Quòd aliquid esse ordinatum, & ordinatè fieri: est dupliciter. Vno modo, ordine vniuersali, quod pertinet ad legem communem: sicut ordinatum est secundùm legem communem, omnem finaliter peccatorem, esse damnādum: vt si Rex statuat, quòd omnis homicida, moriatur. Secundo modo, ordine particulari, circa hoc iudicium, ad quod nō pertinet lex: quia lex est de vniuersalibus casibus; de casu autem particulari non est lex, sed iudicium secundùm legem, quod est conclusio legis: vt quòd iste homicida moriatur.

Dico igitur. Quòd Deus non solùm potest agere aliter quàm ordinatum est, ordine particulari, sed etiam aliter quàm

A quàm ordinatum est, ordine vniuersali, siue, secundùm leges iustitiæ, potest ordinatè agere. Quia tam illa, quæ sunt pręter illum ordinem, quàm illa, quę sunt contra illũ ordinem, posſunt à Deo ordinatè fieri, potentia absoluta: potentia tamen ordinata, non dicitur nisi secundùm ordinem legis vniuersalis, non autem secundùm ordinem legis rectæ de aliquo particulari. Quod apparet ex hoc. Quia possibile est Deum, saluare aliquem, qui tamen morietur in peccato mortali finaliter, & damnabitur: non autem conceditur ipsum poſse saluare Iudam iam damnatũ. Nec tamen hoc est impossibile, de potẽtia absoluta Dei; quia non includit contradictionem: igitur istud, s. saluare Iudam, eo modo est impossibile, qũo possibile est saluare istum: ergo istum potest saluare de potentia ordinata: quod verum est, & illum non; non quidem ordinatione particulari, quæ est quasi de isto agibili, & operabili particulari tãtùm, sed ordine vniuersali: quia si saluaret istum, staret statutum modò cum legibus rectis, quas rectè præfixit de saluatione & damnatione singulorum: staret enim cum ista, quòd om-
B nis finaliter malus, dãnabitur: quæ est lex præfixa de damnandis: quia iste adhuc nõ est finaliter peccator, sed potest esse non peccator, maximè dum est in via: quia potest eum Deus gratia sua præuenire: sicut si Rex præueniret aliquẽ, ne faceret homicidium, si non damnat eum, non facit contra legem suam vniuersalem, de homicida: non autem sta- E
ret cum illa particulari lege, quòd Iudam saluaret; Iudam enim potest præscire saluandum, de potentia ordinata; sed non isto modo ordinata, sed absoluta isto modo, sed alio modo ordinata, secundùm aliquem alium ordinem, quia secundùm ordinem alium, tunc possibilem institui.

Potentia igitur absoluta, potest Iudam saluare, potentia verò ordinata, potest istum peccatorem saluare, licèt nunquam saluabitur: sed lapidem nec potest beatificare potentia absoluta, nec ordinata. Et secũdùm hoc, patet respectu cuius dicitur potẽtia absoluta in Deo, s. inquantum potest contra legem vniuersalem, & non contra legẽ particularẽ.

Qualiter autem voluntas Diuina possit circa particularia, & circa leges rectas instituendas, volendo oppositum eius, quod nunc vult: dictum est supra de hoc dist. 39.

Ad argumentum Primum. Patet, quòd consequentia non valet. Quia si faceret alio modo res, quàm modò ordinatum est eas fieri, non propter hoc inordinatè fierent: quia si statueret alias leges, secundùm quas fierent, eo ipso inordinatè fierent. F

Ad Argumentum in oppositum. Concedo, quòd probat de potentia absoluta, quæ tamen si esset principium alicuius, esset eo ipso ordinata, sed non secundùm ordinem ab eo præfixum, eundem quem primò habuit.

DISTINCTIO XLV.

QVAESTIO VNICA.

Vtrum ab æterno voluit alia à se?

C *CIrca Distinctionem Quadragesimam quintam in qua Magister agit de voluntate Dei.* Quæro. G

Vtrum Deus ab ęterno voluit alia à se?

QVòd non. Quia tunc in voluntate Diuina, fuisset relatio realis ad creaturam; consequens est falsum, sicut patet dist. 30. ergo & antecedens. Probatio consequentiæ. Prius Deus vult aliquid, quàm intelligat se velle illud: sit illud A. quia sicut dictum est dist. 39. certitudo intellectus Diuini, circa futura contingentia, non est sine certitudine determinationis voluntatis; ergo relatio illa, quæ est in voluntate Diuina, primò ad A. præcedit omnem cõsiderationem intellectus, de illa volitione; igitur non est in voluntate, siue in volitione, vt cognita est, sed vt in se est; & per consequens, est ibi ex natura rei, & non in cognito, vt dictum est.

D Contra. Si non voluit ab æterno; ergo nec modò vult de nouo: quia tunc esset mutabilis; ergo nihil vult.

Respondeo. Omnis potentia operatiua perfecta, potest esse principium operãdi, circa quodcunque obiectum, natum respici à tali potentia; sicut perfectus intellectus potest esse principium intelligendi, quodcunque intelligibile; & perfectus visus, potest esse principiũ perfectè videndi, quodcũque visibile; igitur cùm in Deo sit voluntas formaliter, ex dist. 2. & etiam summè perfecta, quia infinita, ex eadem dist. sequitur, quòd ipsa potest esse principium volendi; quodcunque volibile: non autem potest esse principium volendi aliquid ex tempore; quia hoc non potest esse sine mutatione alicuius, & non obiecti voliti: quia obiectum volitum, non habet esse, nisi quia volitum, & quia habet esse in voluntate Diuina: ergo ipsa mutatio esset ipsius voluntatis, sicut deductum est dist. 39. de ratione ipsius voluntatis: ergo voluntas Diuina, potest in æternitate sua, esse principiũ volendi quodcunque volibile. Non est autem ratio volendi, simul opposita ambo; quia illa respectu nullius, possunt esse simul: nec est ratio volẽdi neutrum, quia tunc in creaturis, nihil tale esset à Deo volitũ; & per consequens, nihil causaret in creaturis; quia contingentia non potest esse in Deo, nisi à parte voluntatis, sicut deductum est dist. 39. ergo in æternitate est ratio volendi alterum oppositum, in quibuscunque alijs à se.

Ad Argumenta. Respondeo. Sicut dictum est priùs dist. 30. de relationibus ex tempore, quę terminantur ad Deum, sub ratione absoluta merè. Et simili modo de idæis, dist. 35. & simili modo de omnipotentia 43. quæ est merè absoluta, secundùm quod est attributum Diuinum, & sic terminat relationem creaturæ possibilis ad Deum. Ita dico, quòd voluntas Diuina, sub ratione merè absoluta, terminat respectum voliti ad ipsam: quod quidem voluntas Diuina producit in esse volito, & in æternitate, sicut intellectus producit in esse cognito, vel intellecto. Et simili modo dicendum est de esse voliti, sicut dictum est de esse co- H
gniti distinct. 36.

Sed tũc argues. Si volitum habet relationem ad voluntatem Diuinam. Aut relationem realem: aut secũdùm rationem tantùm: Si realem; igitur fundamẽtum suum, est reale; ergo illa res habet esse reale, ab æterno. Si relationis tantùm. Contra. Non est per actũ intellectus Diuini, comparantis obiectum illud, ad intellectum suum; ergo nõ est relatio rationis in eo: licèt .n. intellectus Diuinus, priùs cõparet illud obiectum vt cognitum, ad intellectum suum, quàm sit volitum ab ipso: & in illo priori, causet relationem rationis, ipsius obiecti vt cogniti, ad intellectum suum, non tamen videtur causare aliquam relationem eius ad voluntatem.

Licèt hìc posset responderi. Quod ista relatio voliti ad voluntatem, sit per actum intellectus Diuini, comparãtis obiectum volitum, ad voluntatem suam: quia priùs comparat obiectum ad voluntatem suam, quàm comparet ad intellectum suum: si poneretur idem esse, sufficere in obie-

cto

A ctô intellectus vt obiectum est cognitum,& voluntatis vt volitum est, & quòd nullo modo esset volitum, nisi quia prius fuit intellectum.

Tamen respondeo aliter. Quòd in isto obiecto vt volito, est relatio alia ad voluntatem Diuinam, quàm illa, quę in eo est vt intellecto, ad intellectum Diuinum. Et ista alia relatio, non est relatio realis, nec tñ est rationis, loquendo strictè de relatione rationis, scilicet intellectus. Nec ista diuisio est sufficiens, quòd omnis relatio, aut est realis, aut rationis: accipiendo relationem rationis, strictè. Quia omnis potentia, quæ potest habere actum circa obiectum existens, vel non existens, & illud obiectum potest actu suo comparare ad aliud, ad quod tale obiectum non comparatur ex natura rei, potest in obiecto vt obiectum est, causare relationem ipsius ad aliud: quæ quidem relatio, non est realis; quia non est ex natura obiecti in se: nec tamen est strictè rationis; quia non semper illa potentia comparans, est ratio tantùm, siue potentia ratiocinatiua. Potest enim voluntas vtens aliquo bono ad finem, causare in obiecto

B

illo relationem ad illum finem. Et nec est illa realis relatio; quia non est in aliquo ex natura rei, sed ex comparatione voluntatis conferentis; potest enim vti Deo ad creaturam: nec est illa relatio rationis; quia potentia ista, causans istam comparationem, non est ratio, siue intellectus; siue imaginatio dicatur talis virtus collatiua, siue quęcunque alia; certum est enim, quòd voluntas est talis potentia collatiua & comparatiua, ita benè sicut potentia intellectiua: & ideo certum est, quòd vtraque istarum potentiarum, potest obiectum suum comparare, & in obiecto suo causare relationem: non realem; quia sic esset ibi in tali, ex natura rei, sine omni comparatione: nec relationem rationis strictè sumptam, pro relatione causata ab intellectu, licèt eam quandoque concomitetur relatio rationis, causata ab intellectu: sed voluntas Diuina, & etiam voluntas omnis, (quicquid sit de imaginatione, de qua non nunc) potest comparare seipsam ad obiectum in esse volito ab æterno, & è conuersò: & sic potest in obiecto causare relationem rationis ad ipsam. E

F

DISTINCTIO XLVI.

QVAESTIO VNICA.

Vtrum voluntas beneplaciti Dei, semper impleatur?

Circa Distinctionem Quadragesimam sextam in qua Magister agit de voluntate Dei, quantùm ad eius impletionem. Quæro.

Vtrum voluntas beneplaciti Dei, semper impleatur?

C ET videtur quòd non. 1. ad Tim. 2. *Deus vult omnes homines saluos fieri*: non tamen erunt omnes saluati; ergo &c.

Præterea Matth. 22. ait Saluator illis filijs Hierusalem. *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti?* ergo vt priùs.

Contra. Rom. 9. *Voluntati eius quis resistet?* Et in Psalmis. *Omnia quæcunque voluit fecit.*

Respondeo. Voluntas Dei, quantùm ad omnia, semper debet impleri. Quia sicut omnipotens potest omne possibile, ita quando voluntas Diuina determinat se ad ponendum aliquid in esse, vltima determinatione, illud erit: velle autem illud, voluntate beneplaciti, est vltima determinatio, quæ potest poni ex parte voluntatis ipsius omnipotentis, volentis ponere effectum in esse; ergo respectu cuiuscunque effectus, si Deus est sic volens, illud erit.

Et posset ratio confirmari. Quia si causa, vltima determinatione ad aliquid determinata, non poneret effectum in esse, hoc nō videretur nisi propter impotentiam eius, vt puta, quia non sufficeret ex se, vel quia esset impedita ab
D aliquo alio, vel propter mutabilitatem eius, antequàm intelligatur effectus poni in esse; sed omnipotens nec est impotens, nec impeditus, nec mutabilis; ergo &c.

Ad primum argumentū. Dico, quòd licèt illud dictum Apostoli, posset exponi, de distributione accommoda pro omnibus, qui salui fient; tamen multò meliùs posset exponi, de voluntate antecedente, sic, id est. *Vult homines omnes saluare, & saluos fieri*: quantùm scilicet est ex parte sui, & G voluntate sua antecedente: pro quantò dedit eis dona naturalia, & leges rectas, & adiutoria communia, sufficiētia ad salutem. Sicut de rege, statuente bonas leges, & præfigente ministros, ad custodiam istarum legum: posset dici quòd vult omnes subditos suos pacificè viuere, & quietè; tamen si videret aliquē tribulari iniustè, non statim oporteret, quòd Rex intromitteret se ad faciēdum illum quietè viuere, nisi deuolueretur causa ad ipsum, per querimoniam. De facto ergo, vult quidem iste quemlibet pacificè viuere, & quietè, antecedenter; nō tamen vult quemcunque immediatè ita viuere. Ita dico in proposito. Quòd etsi Deus non habeat voluntatē beneplaciti, ad istum saluandum; tñ vult isti illa adiutoria communia, antecedentia ad salutem, omnium quibus iste etiam potest sufficienter benè viuere, & saluari: propter quæ dici potest, quòd quantùm est ex parte sui, vult omnes saluos fieri.

Ad Secundum. Magister exponit, & benè. Non, quasi Dominus voluerit colligere filios Hierusalem, & non sit H factum quod voluit: sed quòd omnes, quos ipse congregauit, sua voluntate congregauit. Vide expositionem Magistri, & nota eam.

DISTINCTIO XLVII.

QVÆSTIO VNICA.

Vtrum permissio Diuina, sit aliquis actus voluntatis Diuinæ.

QVòd sic. Quia aliter, non videtur Deus hunc certitudinaliter scire peccaturum: nescit enim futurum contingens, sine determinatione voluntatis suæ; sed circa peccatorem non videtur habere aliquem actum, nisi permittere eum peccare; neque enim habet respectu illius velle, vel nolle; ergo si permittere non sit aliquis actus, non erit Deus certus de peccato istius futuro; quia non erit aliqua determinatio voluntatis suæ, ad istud futurum

A futurum contingens, certitudinaliter cognoſcendum.

Contra Permiſsio, connumeratur cum alijs ſignis voluntatis Diuinæ; ſed præceptum non eſt aliquis actus elicitus voluntatis Diuinæ: ergo multo fortiùs nec permiſſio.

Reſpondeo. In nobis poteſt diſtingui duplex actus voluntatis. Velle ſcilicet, & Nolle. Et vterque eſt actus poſitiuus: & ſi ſint circa idem obiectum, ſunt contrarij actus: qui exprimuntur alijs vocabulis, quæ ſunt amare, & odire. Et vtrumque in nobis poteſt diſtingui: vt velle diſtinguatur, in Velle efficax, & in Velle remiſſum: vt dicatur Velle efficax, quo voluntati non tãtùm complacet eſſe voliti, ſed ſi poſſet ponere ſtatim volitum in eſſe, ſtatim poneret. Ita etiam, Nolitio efficax eſt, qua non tantùm nolens impedit aliquid, ſed ſi poſſit, omnino deſtruit illud. Volũtas autem remiſſa eſt, qua ita placet volitum, quòd tamen voluntas nõ ponit illud in eſſe; licèt poſſit ponere illud in eſſe. Nolitio etiam remiſſa eſt, qua ita diſplicet nolitum, quòd non prohibeat illud eſſe, licèt poſſit in nobis: ergo permiſſio propriè dicta, videtur eſſe nolitio remiſſa, alicuius mali, B quod ſcio. Nõ enim dicor propriè permittere illud, de quo nihil ſcio, vel illud, quod ita fit ab alio, quod placet mihi: ſed illud permitto, quod ſcio ab alio malè fieri, & diſplicet; ſi non prohibeo, hoc permitto, ſi tamen poſſem prohibere. Signum aũt efficacis volitionis, ſi fiat immediatè à voluntate, eſt ad impletio, ſi per alterum, eſt præceptũ. Et volitionis remiſſæ in nobis fortè eſt conſiliũ, ſignum, vel perſuaſio, ſiue monitio: ita ſignũ nolitionis remiſſe, eſt permiſſio, vel diſſuaſio: & ſignum nolitionis efficacis eſt, prohibitio.

Si iſta diſtinctio poſſet poni in Deo, ita quòd ſicut vnus actus eius eſt, velle & nolle, & hoc ſine contrarietate, vel diſtinctione in illo actu in ſe, ita poneretur ſuper quædam obiecta volita, eius velle efficax, & ſimiliter nolle ſuum, ſuper obiecta quædam nolita efficax, ſuper quædam autẽ non; tunc poſſet dici nolitio Dei remiſſa, reſpectu illorum obiectorũ, quæ ita nollet, quòd tamen non vellet iſta prohibere; & hæc nolitio Dei, poſſet dici permiſſio eius. Et ita eſt actus in Deo, inquantùm tranſit ſuper obiectum, ſic ſe habens ad voluntatem Diuinam. E

Si autem iſtud nõ placet, pro eo, quòd nolitio cuiuſcunque poſiti in eſſe, videtur eſſe, cum aliqua triſtitia, & cum aliqua imperfectione ipſius voluntatis nolentis. Tunc poteſt dici. Quòd permiſſio extra: Vel ſignum eſt, quòd effectus ſit, qui tamen eſt contra præceptũ Diuinum: & iſtud eſt permiſſio, quod eſt ſignũ voluntatis Diuinæ; huic autem, non correſpondet aliquid in ipſa voluntate Diuina, niſi non velle prohibere illud fieri, ſiue non nolle: quod eſt negatio actus Diuini poſitiui, & per conſequens, non eſt actus poſitiuus.

Et quòd dicitur volẽs ſine re. Hoc poteſt intelligi. Non quòd habeat velle rectum circa illud quòd permittit, ſed actum reflexum. Offertur enim voluntati ſuę hunc peccaturum, vel peccare. Primò, voluntas eius circa hunc, non habet velle: velle enim ipſum habere peccatum, nõ poteſt. Secundò, poteſt intelligere voluntatem ſuam, non volentem hoc; & tunc poteſt velle voluntatem ſuam non velle hoc: & ita dicitur volens ſinere, & voluntariè permittere. F Sicut ex alia parte, præſentato ſibi Iuda, primò Deus hẽt non velle ſibi gloriam, & non primò nolle; ſm illam vltimam poſitionẽ diſt. 41. & poteſt ſecundò tunc ſe reflectere ſuper iſtam negationem actus, & velle eam; & ita volens, ſiue voluntariè, non eligit Iudam finaliter peccaturum; & non nolitionem gloriæ, ſed non volitionem gloriæ.

Ad primum argumentum. Dictum eſt diſt. 41. Quomodo non eſt præuiſio Dei de peccato futuro, per hoc ſolùm, quod ſcit ſe permiſſurum hunc peccare finaliter, & ſic finaliter damnandum: ſed cum hoc, requiritur ꝙ ſciat ſe cooperaturum iſti in actu peccandi, vel non cooperaturum ad actum illum, cuius omiſſio, erit peccatum omiſſionis, concomitatur tamen vtramque iſtarum permiſſionũ, Deum præuidere ſe non velle prohibere hunc peccare.

Et ita patet, quomodo permiſſio Diuina, ſit actus voluntatis, & quomodo non.

C G

DISTINCTIO XLVIII.

QVAESTIO VNICA.

Vtrum voluntas humana, ſit bona moraliter, quandocunque conformatur voluntati Diuinæ?

Circa Diſtinct. Quadrageſimam octauam, & vltimam huius libri: in qua Magiſter tractat de conformitate voluntatis humanæ, ad voluntatem Diuinam. Quæro.

Vtrum voluntas humana; vel generaliùs. Vtrum voluntas creata, ſit bona moraliter, quandocunque conformatur voluntati increatæ?

D

Quòd ſic. Veritas intellectus creati, eſt, quando conformatur intellectui increato; ergo à ſimili, de voluntate creata: tunc eſt bona, quando voluntati conformatur increatæ; quare &c.

Contra. Iudæi voluerunt Chriſtum pati & mori, etiam quod Chriſtus voluit; & tamen ipſi peccauerunt, *Dimitte*, inquit, *eis Pater. quia neſciunt, quid faciunt:* ergo &c.

Reſpondeo. Secundùm Dionyſ. de diu. nom. c. 4. *Bonum eſt ex cauſa integra*. Et ſecundũ Phil. 2. Eth. c. 5. & 2. Ethic. cap. 3. *Oportet ſimul omnes circumſtantias concurrere, in actu quocunque morali, ad hoc, vt ſit bonus moraliter; ſufficit tamen defectus vnius, et cuiuſcunque circumſtantiæ, ad hoc, vt ſit malus moraliter;* Voluntas igitur creata, conformis voluntati Diuinæ in ſubſtantia actus, ſiue in ſubſtantia vt circũſtantionata quacunque vna circumſtantia, ſiue ſit conformis ſibi, in omnibus circumſtantijs pertinentibus ad bonitatẽ moris: & fortè ſi eſſet conformis ſibi in omnibus circumſtantijs, puta, quòd propter idem vellent, & eodem modo; & ſic de omnibus alijs circumſtantijs: adhuc non oporteret eam eſſe bonam, ſicut voluntas increata eſt bona: quia non congruunt eædem circumſtantię actui, vt actus eſt diuerſorum agentium: non. n. voluntati creatæ, congruit ita intẽsè velle aliquod obiectum bonum, ſicut voluntati increatæ: & intenſio actus, reſpectu obiecti, in agẽte creato, & increato, eſt differẽs multùm in eis; & ſaltẽ (quicquid ſit de conformitate voluntatis createę & increatę, in omnibus circũſtantijs) non ſufficit conformitas in bonitate actus & obiecti: quia poteſt eſſe difformitas in alijs circumſtantijs, quæ neceſſariò requiruntur ad bonitatẽ actus voluntatis. H

Ad argumentum in oppoſitum. Dico: ꝙ non eſt ſimile. Quia veritas intellectus, non dipendet niſi à ſolo obiecto: quod obiectũ ſi ita ſe habeat, ſicut intelligitur, verus eſt intellectus: bonitas aũt voluntatis, non depẽdet à ſolo obiecto, ſed ab alijs omnibus circumſtãtijs & potiſſimè à fine.

Propter quod. Notandum eſt. Quòd omnis noſtra volitio, potiſſimè ordinata eſt ad finem vltimum: qui eſt Alpha & Omega, Principium & Finis. Cui ſit honor & gloria, in ſæcula ſæculorum. Amen.

FINIS.

Libri ſtampati da Marco Ginammi.

D. Laurentij Iuſtiniani opera omnia f.
Quæſtiones & Expoſitio Scoti in Metaphiſicam Ariſtotelis f.
Fauentinus in quattuor Libros Sententiarum f.
Idem De Prædeſtinatione f.
Idem De Pœnitentia f.
Idem De reſtitutione, & Extrema Vnctione f.
Idem Aduerſus Atheos 4.
Dioſcoride del Matiolo Volg. con figure f.
F. Petri Poſnanienſis in primum lib. Sententiarum f.
Fr. Andreæ Rochmanij in primum lib. Sent. Ioan. Duns Scoti f.
Vite di Plutarco Volg. 4.
Parere ſopra li Carateri del Manico del Coltello di S. Pietro 4.
Conſiderationi Politiche, e Morali del Zucoli 4.
Diſcorſi dell'Honor del medeſimo 4.
Diſcorſo delle Ragioni del numero del Verſo Italiano del medeſimo 4.
Dialogi del medeſimo 4.
Diſcorſo della Nobiltà commune, & Heroica del medeſimo 4.
Diſcorſi ſopra Cornelio Tacito del Maluezzi 4.
De coniectandis cuiuſque moribus Scipionis Claramontij 4.
De operibus Sex Dierum 4.
Iſtoria della diſtruttione dell'Indie 4.
Lettere di D. Antonino Colluraffi 4.
Maſchera Iatropolitica, ouero Ceruello, e Cuore Principi Riuali 4.
Tragedie di Seneca tradote in Volg. dal Nini 8.
Somario delle Scienze del Signor Domenico Dolfino 8.
Capricci del Bottaio del Gelli 8.
Horribile Inferno del Gliſſenti 8.
Il Parto della Vergine Rappreſentatione 8.
La Maddalena raueduta Rappreſentatione 8.
Rime del Salomoni 12.
Concerto di Rime del Petrelli 12.
Sentiero al Paradiſo del Petrelli in Rame, & in legno 12.

Fauole del Gliſſenti.
Spenſierato fatto penſieroſo 12.
Morte Innamorata 12.
Diligente, ò ſollecito 12.
Giuſta Morte 12.
Poſſanza della Carne 12.
Mercato della vita humana 12.

Ninfa Guerriera Paſtorale 12.
Regole di San Francoſco 32. Lat. & Volg.
Libri diuerſi in lingua Slaua, & in carattere Slauo.



